SC·U·P/·3.

37
5 E
4

THEOPHILI
BONETI
DOCTORIS MEDICI,
NEC NON SERENISSIMO QUONDAM PRINCIPI
Henrico ab Aurelia, Longavillæ Duci, &c. à Conſiliis Medicis.

POLYALTHES
SIVE
THESAURUS
MEDICO-PRACTICUS
EX QUIBUSLIBET REI MEDICÆ SCRIPTORIBUS
Congeſtus,

PATHOLOGIAM VETEREM ET NOVAM
Exhibens,

UNA CUM REMEDIIS USU ET EXPERIENTIA COMPERTIS.

IN QUO VIRI EXCELLENTISSIMI JOHANNIS JONSTONI
Syntagma explicatur.

TOMUS TERTIUS.

Cum INDICIBUS *Rerum, Materiarum, ac Authorum locupletiſſimis.*

GENEVÆ,
Sumptibus LEONARDI CHOVËT, & Socii.

M. DC. XC.

THESAVRI MEDICO-PRACTICI

SIVE

SYNTAGMATIS NOSOCOMICI SPECIALI

JOHANNIS JONSTONI

Explicati, & commentarijs ex varijs Authoribus depromptis, illuſtrati.

LIBER QVINTVS

De Affectibus muliebribus, Infantium, Artuum, Habitus corporis, de Venenis & Lue Venerea.

PARS PRIMA.

De Affectibus Muliebribus.

CAPVT PRIMVM

De Tentigine.

MORBI vteri, vel ſunt [1] pudendi, ſeu Ceriuicis vteri, vel ipſius vteri: [2] Ad illos pertinent *Tentigo, Cauda, Anguſtia, Puſtula, Condylomata, Hæmorrhoides* & *Vlcera* [3] Tentigo ſeu fruſtum magnum, & mentula muliebris, eſt clitoridis [4] in nimiam molem excreſcentia. Subjectum eſt [5] Clitoris ſeu caro illa nervoſa, dura, quam in cervice uteri alæ pudendi junctæ amplectuntur, & in quarum apice iſta eſt, quæque in appetitu venereo turgeſcit. [6] Signis manifeſtus affectus non in diget, moles interdum eſt tanta vt per rimam pudendi [7] colli anſerini craſſitie dependeat; virile membrum referat, nimium adeſt coëundi deſiderium.

[8] Cauſa eſt affluxus nimius vel humoris, vel nutrimenti, ob laxitatem quæ frequenti contactu inducitur, & ad minimum veſtium attritum [9] libidinem excitare ſolet [10] Curatio reſpicit,

1. Sanguinis imminutionem, & aliorum humorum eductionem, quibus victus tenuiſſimus & refrigerans, & diſcutientia, folia inprimis lentiſci, olivæ, inſerviunt.

2. Ejuſdem excreſcentiæ ablationem, ubi leniora primò cauſtica, vt alumen, unguentum Ægyptiacum, lixivium, ex quo confici ſolet ſapo cum vitriolo Romano decoctum: adjecto in fine pauxillo opij, & formatis exinde trochiſcis, quo pulvere caro aſpergi debet, adhibenda. [11] tandem caro præcidenda, vel *ligatura, vel ſectione, cauendo inflammationem.*

1. *Pudendi ſeu Cervicis*) Vteri partes ſunt *Fundus, cervix, vagina,* & *ſinus pudoris*: Cervix uteri interior, (quam multi cum vagina male confundunt) eſt anguſtior uteri pars, os, ſeu orificium uteri internum continuum eſt *collum majus* quod alijs *oſtium uteri*, alijs *vagina* dicitur, quia penem inſtar vaginæ recipit, Nonnulli, cervicem interiorem cum hac parte confundunt, etiam cervix appellatur. Circa finem ejus, ſcil. ad

primum ingreſſum, ſub nymphis, cervicem veſicæ urinariæ admittit, Infra inſertionem hujus colli veſicæ in virginibus membrana tenuis ac nervea, ſubſtantia colli cōntinuata, ejuſque parietibus orbiculatim adhæreſcēs, fibris carnoſis intertexta, & arteriolis venuliſque multis donata, atque ad menſtruum affluxum in medio perforata, ut in adultioribus minimi digiti apicem admittat, tranſverſim expanditur, quam Hymenem veteres appellarunt: Hanc nonnunquam magno ſanitatis diſpendio, non antedicto modo perforatam, ſed continuam penituſq; occluſam, interdum inſtar cribri foraminulentam, à *Veſalio*, *Cabrolio*, alijſque fuit obſervatum.

Sic & nos ſecuimus juvenculam XXIII. annorum, in qua illam membranam omnino continuam, nec uſpiam, pertuſam, adeoque firmam invenimus, ut cuiuſlibet fortiſſime arietantis viri impetū, ſine diſruptione ſuſtinere potuiſſet: multi hanc mēbranam in dubium vocauerunt: Verum *Follopius*, *Veſalius*, *Columbus*, *Platerus*, *Piccolominaus*, *Ioubertus*; & alij præclari viri, quibus certe fides habenda eſt illam in omnibus virginibus invenerunt: Sed bene notat Riolanus hujus membranæ ab ſentiam, non ſemper eſſe corruptæ virginitatis ſignum, illam enim in omnibus virginibus non reperiri, quia interdum laſcivæ puellæ membranam iſtam inopinanter effringunt, Adde quod etiam ab acrium humorum tranſitu corrodi, vel caſu, ictu aut in hyſterica paſſione ab obſtetricis digito diſrumpi poſſit. *De Diemerbroeck Anat. l. 1. c. 25.*

². *Ad illos pertinent*) Huc refer *Plicam Pudendorum, Labiorum, Vulvæ tumores, & Excreſcentias, Nymphæ excreſcentiam, Uteri cervicis dilacerationem, ſeu perruptionem: Partium Genitalium pruritum, Aſcarides uteri, Verrucas cervicis, Inflammationem ejuſdem, Cancrum*, de quibus in fine capitis.

³. *Tentigo*) Extremitas, ſeu glans Clitoridis *Tentigo* dicitur, ſubſtantiam habens uti glans penis virilis, quam ex cōjunctione alarum, tenuiſſima quædam cutis, quaſi præputium tegit: Hujus apici foramen ineſt, ſed non manifeſte pervium, atque hinc nullus uſus hactenus ab Anatomicis adſcriptus fuit, cum tamen certum ſit per vaſa deferentia (vulgo ligamenta uteri rotunda male appellata) clitoridi inſerta ſemen huc deferri, & per inviſibiles foraminis glandis ſeu tentiginis poros eodem modo effluere, ſicut in viris per inviſibiles poros fluit ex paraſtatis per vaſa deferentia in veſiculas ſeminarias, & ex his ruſſus in urethram, qui pori ſicut in viris non patent, ita quoque in fœminis occulti & inviſibiles exiſtunt, atque licet in mortuis aperte non reperiantur, inde tamen nequit concludi, quod in vivis ſemen per illius foraminis poros non tranſeat, nam idem etiam dici poſſet de vijs modo dictis in viris, quas tamen pervias eſſe quilibet novit, & ſemen tranſiens docet. *De Diemerbroeck Anat. l. 1. c. 25.*

Idem poſtrema Anatomes ſuæ editione ab hac ſententia reſilit, negans quicquam ſeminis mulicbris per Clitoridem excerni, quia ſcil. accuratiore inquiſitione facta, compererit ligamenta uteri rotunda non eſſe vias, per quas ſemen ad clitoridem deferri poteſt (quod antehac cum *Spigelio* & *Veſlingio* male crediderat) nec vere urethra, aut aliud quid ſimile in Clitoride adſit. *Vide plura l. 1. c. 26. p. 155.*

⁴. *In nimiam molem excreſcentia*) Quibuſdam adeo excreſcit, ut penis virilis inſtar propendeat, & interdum ſpiritu inflatur & turgeſcit, & veſtium aut manuum affricatione ita arrigitur, ut venerem virorum inſtar quędam exercuerint: veteres *Tribades* vocabant: multæ haud dubie mulieres, quæ hermaphroditæ putantur, tantum habent prominentem clitorida, Tentiginem vocabant veteres, *Fœminæ*, inquit Cœl. Aurelianus, *Tribades appellatæ, utramque venerem exercent, mulieribus quam viris magis miſceri feſtinant, & eaſdem invidentia pene virili ſectantur.*

Eo vitio *Sappho* infamis erat, & refert *Leo Afer* in hiſtor. Africæ eſſe hoc vitium illic ſatis familiare: Idem de duabus Turcis Theſſalonicenſibus *cent. 7. cur. 38.* refert *Amatus*: Et teſtatur Rodericus à Caſtro ſe vidiſſe *Ulyſſipone* aliquot mulieres ob ſimile ſcelus puniri: Vidit *Schenckius* minimo digito parem in lōgitudine & craſſitie: *Martialis* quibuſdam in locis Tribadas iſtas exagitat & *Baſſam* quandam fricatricem eleganti Epigrammate.

Quod nunquam maribus junctam te Baſſa *viderem* &c.

Quod pariter vitium intellexit *D. Paulus 1. ad Rom. 26.* Veteribus Nymphæ nomine intelligitur, & *Paulus Aegin. l. 6. c. 70.* de Nymphotomia loquens, attribuit Nymphis ut arrigant, & Venerem tribadum adimpleant, quod de Alis intelligi non poteſt, cum nec ita propendeant, nec figuram habeant ad venerem exercendam idoneam. Quare *Nymphæ* veterum videntur eſſe Clitoris recentiorum, noſtræ autem Nymphæ ſunt Pterygomata veterum: Fieri poteſt ut illæ, quas in mares verſas hiſtoriæ referunt, hoc tantum affectu laborarint. *Primiroſius de Morb. mul. l. 1. c. 3.*

In vivis ac mortuis magnitudinis diverſa illius habenda ratio eſt, in his enim ſpiritibus diſſipatis, concidit & minor evadit, In illis vero, cum omnia calore ac ſpiritu turgeant, majorem ſemper reperies, Magnitudo tamen naturalis, ſive ea quæ, ut plurimum in mulieribus obſervatur, inſtar vulvæ eſt fere non relaxatæ: Extraordinario naturæ luſu interdum major conditur &c. *Graef. de mul. org. p. m. 94.*

⁵. *Clitoris ſeu caro*) In apice nympharum *Clitoris* apparet, pudendo virili ſimilis, Leporis pene non multo major, quam Follopius eleganter deſcripſit, *Columbus* vero ſibi illius inventionem attribuit, Ligamenta habet duo cava, ſpongioſa, atro ſanguine referta, muſculos exiles quatuor, & carunculam in apice glandis inſtar, quæ præputio tegitur: *Primiroſius l. 2. de m. m. c. 3.*

⁶. *Signis manifeſtus*) Nymphæ à clitoride facile diſtinguuntur, eſt enim clitoris peni reſpondens, nymphæ vero alarum inſtar prominent: Cauda etiam virilis membri effigiem non habet, ſed maſſa eſt informis. *Primiroſius.*

⁷. *Colli anſerini craſſitie*) In pudendo muliebri carnoſitas quandoq; naſcitur, vidimuſque ex eminentiore illius ſede, media quæ eſt inter labrum utrumq;, proceſſum Clitoridem dictum, adeo excreviſſe, ut *colli anſerini longitudinem* & craſſitiem adæquaret, & farciminis inſtar carnei propenderet, ſicque totius vitæ curriculo permanſiſſe, Quod ut Hermaphroditi aliquæ eſſe cenſerentur, cum pro virili membro ſumeretur, cauſam in alijs fuiſſe exiſtimo. Platerus.

⁸. *Cauſa eſt affluxus*) Oritur ut & cauda, ex humorum benignorum, ſcilicet ſanguinis uberiori in illas partes affluxu, quod maxime juvat manuum frequens confricatio, unde ſanguis allicitur, & pars incaleſcit, *Primiroſius.*

⁹. *Libidinem excitare ſolet*) Uſus Clitoridis eſt pudenda, ne collabaſcant, ſuſtinere, & torpentem venerem excitare, Glans enim tam ſubtili & acuto ſenſu prædita eſt, ut non immerito Amoris dulcedo, Veneris œſtrum &c. appelletur, Et revera niſi illius pudendi partes tam exquiſito delectionis, & tanti amoris ſenſu prędita eſſent, nulla mulier in ſe ſuſcipere vellet tam moleſtam novem menſium geſtationem laborioſiſſimam, & ſæpe exitialem fœtus excluſionem, plenam ſolicitudinibus & curis liberorū educationem. *Graef. De mul. org.*

¹⁰. *Curatio*) Ridiculus potius hic morbus eſt quam periculoſus aut lethalis, Ingratas quidem viris mulieres reddit, aliud malum ſecum non affert, eſtque in *curatione* plus periculi quam in ipſo malo. *Primiroſius.*

¹¹. *Tandem caro præcidenda*) Quo magis excreſcit Clitoris, eo magis coitum impedit. ea enim præter modum

modum turgens, inſtar Priapi, hortum muliebrem à virili impetu tuetur, quamobrem conductis ad id provectioris ætatis fœminis illam exurunt Orientales mulieres & Ægyptij hanc pſeudovirgam nupturis virginibus excindere conſueverunt, Quin etiam partis hujus circumciſionem Æthiopibus uſitatam tentur Bellonnis & Paulus Iovius, modum operandi vide in Chirurgia *Graeſ.*

De Cauda Muliebri.

12. Cauda eſt carnoſa quædam ſubſtantia ab uteri oſculo exorta, quæ muliebro pudendum replet, & quandoque extra, inſtar caudæ progreditur.

Signa & Cauſæ eædem quæ in tentigine, modò quod fœminæ acceſſum metuant.

13. Curatio etiam eadem: 14. ſi amputanda eſt, vel equino crine vel filo ſerico, in aqua ſublimati intincto, vel ferro id *faciendum.*

12. *Cauda eſt carnoſa*) Poteſt illic car uncula adnaſci, ſatis magna, quæ nec Clitoris eſt, nec Nympha, quam ſe vidiſſe refert *à Caſtro* in muliere Hamburgenſi, & in puellula unius anni. *Caudam* vocat *Aetius, Cercoſin* Paulus, ſed proprie caudam vocarem Clitorida. Hæc virilis membri effigiem non habet, ſed maſſa eſt informis, quæ viri coitum impedit, nec illum mulieres tolerare queunt, in Clitoride autem actius in illum feruntur. *Primiroſius ibid.*

13. *Curatio etiam eadem*) Carnoſitas è pudendo mulieris interdum enata, cum impedimentum marito potius in copula quam aliud mulieri pariat, & mulierem hoc alijs patefacere pudeat, plerumque intacta finitur, cum præſertim ægre & non ſine periculo auferri queat: Ab initio tamen admotis ijs quæ in *Sarcomate* generali locum habent, coërceri debet, & ſi excreverit, & cura aliqua neceſſaria ſit, vel *ligatura*, ſtringendo marcida erit reddenda, vel *chorda cauſtica* in ambitu circa radicem urenda, quo tamen aliquandiu tentato, cum dolor immenſior & inflammatio ſubſequuta nos ab opere revocaſſent, nihil effectum eſt, vel ſi ptizo potius, uti in ſarcomate hæc demonſtrantur, ambitus illius circa radicem mortificandus. *Platerus.*

14. *Si amputanda eſt*) Talem ſe vidiſſe refert *Amatus* ponderis 25. librarum: De ea ſic ſcribit *Aetius*, *In quibuſdam*, inquit, *mulieribus carnoſa quædam ſubſtantia ab uteri oſculo exoritur, & muliebre pudendum replet: Aliquando etiam extra progreditur inſtar caudæ, unde etiam nomen habet: mulier itaque in velut in Nymphæ amputatione locetur, & prominens caruncula forcipe extendatur, & tota ex baſi reſecetur.* Poſt *Chirurgiam curatio velut in Nympha peragatur, Primiroſius.*

CAP II.

De Cervicis uteri anguſtia.

Anguſtia cervicis uteri eſt 15. vel ejuſdem, vel orificij uteri, ſeu per compreſſionem, ſeu per coalitionem occluſio.

16. Signa ſunt, negatus menſium fluxus, in illis in quibus per cervicem fluere ſolent doloris cum pondere ſenſus.

17. Cauſa vel Naturalis, quando à nativitate afficit: 18. vel accidentalis, de qua in Differentijs.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Differentiæ à parte & 19. cauſis ſumuntur.

Alia eſt 20. Orificij exterioris, quod pudendi dicitur, in qua menſes, qui & per cervicem & per uterum fluunt, fraudantur, 21. nec concubitus, nec conceptus fieri poteſt, quia nec ſemen nec mas recipitur.

Alia 22. Interioris, quod uteri apellatur, in qua ſemen receptum illico effluit, conceptio omnino eſſe nequit.

Alia eſt per 23. modum compreſſionis, quam infert.

1. 24. Omentum pinguius uteri ori incumbens.
2. 25. Crurum divaricatio.
3. Calculus in veſica.
4. Tumor in inteſtino recto: de quibus ſuo loco.

Alia per 26. modum coalitionis, quæ fit.

1. Vel ab ortu, & tum 27. aut Caro, quæ rubra conſpicitur, mollis tangitur, intercipit.

β. Aut membrana, quæ alba videtur, dura tactu ſentitur.

In Curatione, 1. 28. Parte fomentis tepidis humectata, 29. ſectio ſecundum rectitudinem facienda eſt, 30. cavendo ne collum veſicæ lædatur.

2. Humor eliciendus, & turunda ſuppurante medicamento imbuta applicanda. eſt.
3. Pulvis adſtringens propter metum hæmorrhagiæ in promptu habendus.
4. Sequentibus diebus locus aqua mulſa eluendus, & cicatrizantibus eſt agendum.

II. Vel poſt ortum, 31. ab ulcere inprimis: & tum, Aut 32. latera cervicis coaluerunt, in quo caſu inciſione, ſed cautiſſimè utendum.

Aut 33. calloſa ſubſtantia adeſt, 34. quæ prius ſcalpello abſcindenda erit.

Aut [15]. fungoſa & luxurians caro, in qua primò ſiccantibus & diſcutientibus, ut Ariſtolochia, Thure, Myrrha, Maſtiche, utendum, poſt ſine dolore exedentia adhibenda, tandem ſecandum.

[1]. *Eſt vel ejuſdem.*) Illa clauſura in tribus locis fieri ſolet, ſcil. in oſculo uteri interno, in eiuſdem cervice & in oſculo anteriori, quod vulva nominatur. *Riverius.*

[2]. *Signa ſunt*) Diagnoſis ex parte facilis eſt, ex parte vero difficilis: ſi clauſula ſit in exteriori orificio pudendi, ſenſibus ipſis dignoſcitur, ſi verò ſit in cervice, aut orificio uteri, non animadvertitur, niſi dum menſtrua erumpere incipiunt, aut fœminæ generationis operi incumbunt, adveniente nimirum menſtruæ purgationis tempore, dolores & tormina in regione uteri certis periodis ſentiuntur cum ponderis ſenſu, nullus tamen menſium effluxus ſequitur, conjecturam augebit, ſi virgo bene habita ſit, nullaque cachexia aut obſtructionibus affecta: perſeverante effectu intumeſcit uterus, ut virgines gravidæ videantur, & interdum totum corpus, quod etiam livore quodam ex redundantia ſanguinis infectum apparet: ſi vero clauſura cervicem occupet, in primis coitibus dignoſcitur, cum ſcil. pudendum virile non admittit. Si denique orificium uteri clauſum ſit, difficulter cognoſcitur, id tamen peritæ obſtetricis manu aliquo modo explorari poteſt, illiuſque conjecturam faceret, ſi ſemen virile poſt ejaculationem ſtatim egrediatur. *Riverius.*

Morbus hic per dioptrum cognoſci poteſt, niſi in profundioribus partibus ſit occluſio, alias vix animadverti ſolet, antequam menſes profluant, aut ante cõgreſſum virilem, tunc autem virilis mentulæ ingreſſum prohibet, proinde conceptionem & menſtruorum exitum, ſed neque hæc etiam neceſſario, tenuis enim membrana, aut altius ſita, aut in medio perforata, ſemini aditum, menſtruis exitum præbet, interdum etiam fluentis ſanguinis, impetu diſrumpitur, ſed fieri poteſt, ut adeo craſſa ſit, ut ſanguinem cohibeat, mala inducat ſymptomata, cui præcipue curatio debetur, Non credit *Mercurialis* poſſe in hoc affectu effundi menſtrua, verum tamen poſſe diximus, ſi ex cervicis, non uteri venis profundantur, quod valde ordinarium eſt. *Primiroſius.*

[3]. *Cauſa vel naturalis.*) Hæc fit cum membrana orificio interno vel externo prætenditur, cujus facilis eſt per Chirurgiam curatio: hæc membrana eſt vel prope cervicem, vel in medio cervicis, vel iuxta os uteri, quæ raro reperitur, nec unquam ſecundum naturam, ut docent Anatomici, Eſt interdum in medio perforata, vt menſes effluant, interdum nullum habet foramen, unde menſes magno vitæ periculo cohibentur, inde quaſi ex conceptu venter intumeſcit, dolores adſunt lumborum & pubis, ac ſæva ſequuntur ſymptomata, quales ſe curaſſe referunt Medici quidam, quibus magna ſanguinis corrupti copia effluxit, ſi ſit in orifico uteri externo, coitum prohibet, & fœtus excluſionem, in interno vero ſolum partum, conceptionem vero non ſemper prohibere docet *Aetius*, quia uterus ſemen potenter allicit, & ut docet *Avicenna*, membrana eſt raræ texturæ, per quam ſemen facile percolatur, aut in ea foramen exiguum per quod ſemen attrahitur, ſed infans egredi non poteſt, unde periculum eſt, ne in partu moriantur, menſtruorum autem excluſionem ſi ſit perforata, non impedit, aut ſi altius ſita ſit, poſſunt enim effluere ex venis in cervicem ducentibus, poteſt etiam ſine membrana coaluiſſe externum vulvæ orificium, ut in podice interdum contingit. *Primiroſius.*

[4]. *Vel accidentaria*) Quæ eſt coalitus ex vulnere vel ulcere, ut ex laborioſo partu, aut lue venerea, ulcerati pudendi labra agglutinantur, aut caro quæpiam tanquam condyloma excreſcens meatum obſtruit. Addunt alii etiam tumores induratos qui meatum obturant: *Celſus l.7.c.28.* ſolam membranam agnoſcit, & carnem ex ulcere ſubnatam, quæ frequentiores cauſæ ſunt, eæque etiam non adeo frequentes: ſed non immerito addunt alij adſtrictionem, quam medicamentorum adſtringentium uſus intulit, quod meretrices interdum faciunt, ut virgines videantur, ſic refert *Augenius* quandam ab obſtetricibus fuiſſe judicatam virginem, quæ ſeptem ante menſibus pepererat. *Primiroſius.*

Mulier una cum filia ſua 24. annorum ad me venit conquerens iſtam filiam ad uſum viri ineptam eſſe, referebat pudendum poſt nativitatem bene conformatũ fuiſſe, verùm cum à nutrice negligentius tractata eſſet, ac per urinæ & ſtercoris acrimoniam clunes & pudendum ſæpe excoriata fuiſſent, tandem hac de cauſa pudendum coaluiſſe, relicto duntaxat parvo foramine per quod urina & menſes profluere poterant. Cum partem inſpicerem, comperi labia, una cum nymphis tam exacte coaluiſſe, ac ſi illic antea nulla maris apertum fuiſſet: immo ſſo per foramen ſtylo ferreo, ſenſi illam conſolidationem ſolummodo ſuperficialem in cute eſſe, Chirurgus ſuper immiſſum ferreum ſtylum, inciſionem ad juſtam longitudinem meo juſſu fecit, atque ſic illa paucis diebus ſanata fuit, ſequenti anno viro deſponſata filium peperit. *De Diemerbroeck Anat. lib. 1. c. 26.*

[5]. *A cauſis ſumuntur*) Præter inferius recenſendas, occurrunt Adſtrictio, Obſtructio & Denſitas & Diſtorſio: *Obſtructio* frequentius malum eſt, obſtruitur autem à pituita craſſi, qua de cauſa ſupprimi ſolent menſes, vide cap. de eorum ſuppreſſione: Denſatur autem uterus potiſſimum à frigore, ut ſi in partu difficili aëri fuerit expoſitus, aut poſt partum citius domo exierit, dum ex lochijs uterus adhuc pateret, aut admotis nimium refrigerantibus: Tactu denſiorem uterum obſtetrix deprehendere poteſt, inde contingit ſterilitas, quia nec excipere ſemen, nec exceptum nutrire poteſt, *aph. 62. 8.* Admoveantur & inijciantur quæ calefaciunt & humectant, ut decoctum herbarum emollientium, *matricar. artemis &c.* Ex reſidentia fiat cataplaſma, Vide caput de intemp. frigida, &c.

Sed præterea denſari poteſt ex cicatrice poſt ulcera, aut carnis exciſionem relicta, cujus curatio difficilis eſt, & emollientibus ac reſolventibus perficitur, ut Fom. ex decoctis *malvæ, branca urſinæ, parietar. mercur. chamom. meliloti, artemis. matricar. puleg. &c.* aut linimento, vel peſſario *ex ficubus, oleo lilior. medulla cervina, vitello ovi, melle &c.* Emolliri quidem aliquantulum cicatrix poteſt, ſed poſtea redit ad priſtinam denſitatem. Ne credat quiſpiam debere atteri *cicatricem*, fieri id poteſt, ſed ulcus ſuccedens, nonniſi inducta iterum cicatrice curari poteſt. *Adſtrictioni* emollientia conveniunt, inductæ ab adſtringentibus. *Primiroſius.* In *Strictura*, quæ potiſſimum fit à duritie, vel ſiccitate, agendũ eſt humectantibus, emollientibus, & laxantibus, ſemicupijs, fotibus, linimentis, & peſſarijs, ſicque parte relaxata, immittatur cannulla plumbea, vel ex cera alba optime concinnata, à butyro aut oleo emolliente irrigata, quam perpetuo geſtet vel ſaltem noctu dum decumbit, & interdiu immittatur peſſus ex cottone convenienter conſtructus, & inunctus *ungu. de althæa* vel ſimili. *In Diſtorſione* eadem fere curandi methodus obſervanda eſt, & cannula ita ſit conformata, ut in contrariam partem diſtorſionis molliter deflectat, ſicque uteri cervix ad locum debitum paulatim reducatur. Riverius.

[6]. *Alia eſt Orificij exterioris*) Vnde impeditur conceptus, ratione ſeminis virilis non admiſſi: non admittitur, ſi fœmina fuerit imperforata, ſi collum uteri externum fuerit anguſtius, quam ut membrum admittat, Imperforatæ vocantur quibus coaluere carunculæ myrtiformes per denſam inprimis membranam

branam, aut quibus eædem ſimili membranæ forinſecus obductæ ſunt.

Quod ſi membrana hæc foramine anguſtiſſimo viam quidem concedat ſanguini menſtruo non concedat tamen virili ſemini, unde nonniſi rariſſime ipſius aliquid verſus interiora propelletur admitteturque. Ad conceptum enim facilitandum deſideratur ſeminis virilis effuſio ſufficiens ad uteri interiora ejuſdemque attractio per ſuccus ſpeciem facta ab utero virili membro ſeſe applicante: ubi autem non intromittitur virile membrum in uteri collum, difficulter atque raro conveniens generationi continget ſeminis virilis effuſio, ubi præterea deficit applicatio apta colli uteri interni ad virilis membri glandem ejuſque foramen fruſtra expectatur virilis ſeminis allectio, hinc & admiſſio in uterum ipſum, *Sylvius.*

7. *Orificij exterioris*) Quæ curatu facilis eſt, & levi ſectione reſolvitur, ſi vero penitiores occupet, longe difficiliorem curationem admittit, Riverius.

8. *Nec concubitus, nec conceptus fieri poteſt, quia nec ſemen, nec mas recipitur*) *Contrarium eorum ſequens exemplum*, Puella 8. ann. in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combuſſit, Chirurgus adeo negligenter eam tractavit, ut integræ vulvæ labia firma cicatrice ſibi conjungi, & relictis tantum duobus foraminulis, uno infra os pubis, altero prope anum in perinæo coaleſcere permiſerit, Puella taliter conſtituta, ad pubertatem pervenit, & cum Veneris œſtro non parum ſtibauaretur, tum ob elegantem formam à procis non paucis ſolicitaretur, tandem ab uno per contactum, abſque membri intromiſſione ingravidata fuit, cumque partus adeſſet tempus, doloreſque biduo jam toto vehementer urgerent, dempta omni ſpe felicis partus, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, quam etiam, me præſente & ſuadente, feliciter perfecit Chirurgus periciſſimus, & cum ex arteriola quadam ſecta ubertimus proſiliret ſanguis, impoſito chalcanthi pulvere illico ſiſtebatur, & paulo poſt ſumma vi prolem ſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam, ſed per ante dictum foramen ano proximum, à natura tanta vi dilatatum ut totius perinæi rupturam cauſaverit, relicta adhuc ſat valida cicatrice inter hoc & prius factnm foramen, quod poſt partum novæ ſectioni ſubmiſſum fuit, ita ut ampliſſima pervia foret vulva, quæ ex captis cicatricibus ex integro ſanata fuit.

Veriſſima hæc obſervatio docet quanta vi per impervium corpus natura fœtus ſuos enitatur, Deinde quod etiam *conceptus abſque membri virilis intromiſſione fieri poſſit*, quod plurimi negarunt *Paulus Sorbait med.ſept. v.2.p.62.*

9. *Alia interioris*, Nunquam expectanda eſt conceptio, quando internum uteri collum non hiat, ſed aut eſt obſtructum ab humore valde glutinoſo & craſſo, qualem memini me in cadaverum ſectione obſervaſſe, aut coaluit poſt ſui excoriationem ex partu difficili, aut exulcerationem ex humore acri eò penetrante. *Sylvius de Boe.*

10. *Interioris*) Clauſura interius uteri orificium occupans, incurabilis eſt, Chiturigca enim inſtrumenta illic aptari nequeunt. *Riverius.*

11. *Per modum compreſſionis*) Si comprimatur à vicinæ alicujus partis tumore, ille ſi fieri poteſt reſolvatur, ſi à pinguedine, deſiccantibus, ut inedia & hydroticis gracilitas procuretur. *Primiroſius.*

12. *Omentum pinguius*) Comprimitur aliquando ab omento, aut pingui aqualiculo, qua de cauſa valde pingues non concipiunt, piguedo enim os internum uteri comprimit l. aph. 46. *Quæcunque p. n. craſſe non concipiunt, & omentum os uteri comprimit & priuſquam extenuentur, non concipiunt*, idque variis in locis repetit, ſed hoc valde dubium mihi videtur, nam in homine ultra umbilicum ſi non protenditur, quomodo poterit os uteri comprimere? In ſimijs extenditur uſque ad pubem, & forſitan humana corpora non viderat Hippocrates. *Primiroſius.*

13. *Crurum divaricatio*) Comprimitur uterus quando crura & femora diſtorta & divaricata diſtorquent pudendi cervicem, aut nimis ad interiora compriment ſicut idem ex coccyge luxato, aut male conformato contingere poteſt. *Primiroſius.*

14. *Per modum coalitionis*) Si connexæ carunculæ myrtiformes, membrana & craſſa & dura, eaque imperforata, Chirurgi opera eadem, vel ſanguini menſtruo ſenſim collecto diſtenta, vel prius obſervata, nec ita diſtenta, loco inter carunculas dictas medio perforari debet ſcalpello acuto, atque evacuato per intervalla corrupto ſanguine, ubi neglecta fuit ejus cura, mundatoque per convenientes injectiones vulnerarias & aromaticas collo uteri externo, à ſanguine corrupto male affecto, paulatim conſumenda tollendave membrana ſuperflua, vel medicamentis rodentibus, ſale elixivo præſertim & cauterio potentiali, vel cultello forcipibuſve; denique cicatrice levi conſolidanda pars reliqua, quamvis tutiſſimum ſit totam illam membranam penitus auferri. *Fr.Sylvius prax.l.3.c.3.*

14. *Vel per modum coalitionis &c.*) Ubi fœminis à quacunque cauſa excoriata labia, vel collum uteri externum, coaluerunt, tranſitumque non tantum membro virili, verum menſtruis quoque denegant, ibi majore opus circumſpectione, poſtquam non incidenda, vel amputanda hic occurrit membrana, vel pars ſuperflua, ſed liberandæ à coalitu partes utiles ac neceſſariæ, quin impediendum ne quando ſeparatæ ſunt ab invicem, denuo coaleſcant, quod facile accidit: ſeparatio hæc prudenter ac lente inſtituenda à Chirurgo partium harumce gnaro & anatomes perito, & quidem cultello acuto, nec deſiſtendum ab opere priuſquam perfecta ſit deſiderata illarum partium ſeparatio, ſecus enim coaleſcerent, mox & arctius quam prius partes imperfecte duntaxat ſeparatæ: ſicut autem ob partium harumce excoriationem coalitus hic noxius contigit: ita ni caveatur prudenter ac potenter, idem renovabitur poſt commendatam modo ſeparationem artificialem quippe quæ partes dictas excoriat & vulnerat ſimiliter.

Ad illum autem coalitum impediendum, duobus præſertim opus eſt auxilijs, 1. medicamentis, & inprimis emplaſtri forma uſurpandis, cicatricem generantibus, ut & 2. De ligatione tali, quæ non tantum dicta medicamenta in parte affecta contineat, ſed maxime, ubi ſibi continuæ ſunt partes diſſectæ, ipſas ita devinciat, & ab invicem amotas ſervet, ne ibidem recoaleſcere incipientes anguſtiam, in partu ſaltem noxiam præſtent, ac poſt curationem relinquant. *Idem.*

De Hymene & virginitatis notis.

17. *Aut caro &c. aut membrana*) *Hymenis* inveſtigatio huc pertinet, quoniam multi illum ſi inveniatur præter naturæ inſtitutum eſſe aſſerunt, Alij illum in omnibus quas ſecuerunt virginibus adfuiſſe perhibent. *Subſtantiam* quod attinet, aliqui dicunt *membranaceam* eſſe, Alij *ligamentoſam & venoſam*, Alij *circulum carneum*, Alij *tenuiſſimam & aranearum telæ ſimillimam*, Alij *nerveam, non vero carneam*, Alij *retiformem ex pluribus venis & ſubtilibus ligamentis contextam*, Alij *admodum craſſam*, Alij in junioribus *tenuem & ſubtilem*, in adultioribus *craſſiorem & robuſtiorem*. *Spigelius* hymenem partim *carnoſum* partim membranoſum eſſe ſtatuit.

Quoad *ſitus* locum, aliqui eam immediate poſt urethram ponūt, Alij in medio cervicis uterinę, Alij in collo uteri, non procul ab orificio interno, Alij ſub nymphis, Alij à tergo colli veſicę inſertionis, paulove interius.

Formam ſi ſpectes, plerique uno foramine pertuſum eſſe ſentiunt, idque nunc rotundum, nunc oblongum, & directè vaginæ oppoſitum, ſuperiori aut inferiori loco collocatum obſervarunt. Alij productionem eſſe in ſinu pudoris in quatuor carunculis myrti baccas referentibus, totidemque membranis factam volunt, Alij membranam eſſe cribri in modum crebris foraminibus perviam volunt.

In junioribus ac recens natis puellulis inter nymphas, meatum urinarium, & perinæum locum medium tam exiguo foramine pervium invenimus, ut piſum, quamvis minuſculum, difficulter admitteret, foraminis hujus conſtitutionem examinando in puella 6. annorum, illud ob provectiorem ætatem, magis dilatatum, & in vaginæ orificii medio membranoſis quibuſdam rugoſitatibus circumvallatum oſtendimus. Quibus perſpectis, immiſſa in foramen forfice, anteriorem vaginæ partem diſſecuimus, & conſpeximus foramen illud in vaginæ orificij medio, ex membranoſa eius coarctatione originem ſumere, prope ejus ortum quàm in medio craſſiorem exiſtere, vagina ipſa ſatis ampla ac lata permanente. Cum non opus ſit foramen illud in cujuſcunque ætatis filiabus ſigillatim hic deſcribere, adiungam tamen id quod cum clar. Profeſſore *Schactit* in filia 24. annorum obſervavimus ex quibus vaginæ orificij in reliquis puellis conformationem quiſque facile pro ratione ætatis demetiri poterit, Deductis à ſe invicem Vulvæ labris in inferiori pudendi parte, altum conſpeximus frænulum, pauloque interius membranoſas rugoſitates circum vaginæ orificium orbiculatum exiſtentes ita dilatatas oſtendimus, ut in eo menbranoſus quidam circuitus remaneret, quem virile membrum abſque dilaceratione ſubire neutiquam potuiſſet

Hanc vaginæ orificij coarctationem in omnibus junioribus virginibus ſatis clarè conſpeximus, per magis ac minùs, prout magis ac minus nubiles exiſterent, quæ enim ſunt admodum maturæ haud tantam habere quantam tenellæ coarctationem, atque ideo in primo coitu non tanto afficiuntur dolore, nec tam frequenter ſanguinem emittunt quàm juniores, in quibus coarctatio illa plerumque tanta exiſtit, ut cum fortiori Priapo ſatis dilatari nequeat, dilaceretur, in eaque vaſorum ſanguineorum contextus diſrumpatur, quod ſemper contingere judicamus, quoties primus coitus cum dolore ſanguinolentus evadit, quamvis quidam à diſruptis venulis & arteriolis vaginæ rugas connectentibus illum manare ſanguinem exiſtiment, quia vagina uteri ſatis ampla eſt, nec illius rugæ venulis aut arteriolis inter ſe copulantur. Quatuor carunculas myrtiformes adeo decantatas cum hactenus fruſtra quæſierimus, arbitramur pleroſque Anatomicos orificij vaginæ corrugationes, ſeu membranoſas inæqualitates, nullo certe numero comprehenſas nobis pro veris carunculis obtruſiſſe, quæ in parturientibus poſt partum ita obliterantur, ut earum veſtigium ne minimum remaneat, vnde liquet membranoſas illas corrugationes non eſſe veras carunculas, quoniam in magna vaginæ uteri diſtenſione, ut in partu, figuram ac molem ſervarent, aut veſtigium ſaltem remaneret.

Deſcriptis ijs quæ circa Sinus pudoris conformationem in virginibus obſervavimus, videndum an præter vaginæ orificij coarctationem dictam, alia quædam membranula inter ſeptum virginale inveniatur? Aliam reperiri ait *Wierus de Præſt. Dæmon. l. c. 3.* vbi duas hiſtorias affert, unam de filia xxij. ann. cui ſaburra cum ingenti dolore reſtitit, qua ſponte perrupta copioſius ſanguis profuſus eſt: Alteri pro gravida habitæ novacula clauſura aperta, ſupra ℔viij. ſanguinis profluxere: *Hildanus cent. iij. obſ. 60.* ſcribit ſe in puella 16. ann. multis ſymptomatibus vexata, collum matricis, mediante ſolida validaque membrana clauſum deprehendiſſe, quæ remedia reſpuens ſibi derelicta ſit.

Alterius meminit 17. annor. quæ doloribus quaſi parturientium vexata, collum matricis plane clauſum habebat, ſanguine menſtruali extra vaſa in matricis cavo per ix. menſes retento, inciſione facta, & effluentibus ℔ x. aut xij. ſanguinis liberata ſit. Vide & *Benivenium de Abol.* c. 28. *Cæ ſar Aquapendens, Scultetus* & alij modum curandi tradunt: Apiales membranæ ſeu virginalia interſepta p. n. exiſtunt, uti & vaginæ orificij coarctatio, ſi tanta ſit, ut nubilis virgo penem proportionatum admittere nequear, vide exemplum apud *Pareum l. 23. c. 42.* unde elicere poſſumus membranam uteri oſtium ſepientem ſi (modo reperiatur) contra naturæ intentionem exiſtere, aliàs inciſione opus non fuiſſet.

Qui autem Hymenem membranam eſſe in vaginæ orificio naturaliter conſtitutam dicunt, examinent ij an id quod Hymenem nominant à noſtra vaginæ orificij coarctatione differat, & ceſſabit brevi vlterior de Hymene controverſia, ſiquidem *Caſſerij*, *Pinei* &c. opiniones levi opera cum noſtra conciliari poſſunt, nam quod *hi* carunculas, *Nos* corrugationes, ſeu membranoſas inæqualitates, Et quod alij carneam aut nerveam expanſionem, nos membranoſam coarctationem dicemus: Quod ſi ita eveniat, nemo facile admittet præter hanc vaginæ orificij coarctationem, aliud virginale clauſtrum reperiri, uti nobiſcum ſentire videtur *Valleſius 5. Phi.* c. 24. & *Fernelius lib. 1. c. 7. Regn.* de Graef. de mul. org. c. 7.

An aliquod virginitatis certum indicium adſit.

Cum itaque præter vaginæ orificij coarctationem naturaliter nullum reperiatur virginitatis munimentum, quæritur an illa ſit certum virginitatis indicium à naturæ conſtitutum, i. e. ſignum diſtinguens virginem à muliere corrupta, quo poſito infallibile habeamus de virginitate argumentum, Partem affirmativam roborare videtur textus *Deuteronomij cap. 22.* de linteolo cruentato maxime confirmans dari certum virginitatis indicium. At dicendum Textum illum ſignum quidem virginitatis eſſe, ſed neque *proprium*, quod uni duntaxat & ſoli illi conveniat, Neque inſeparabile, quod conveniat omnibus: Probatur primum, quod non ſolum virgines cruentatum reddunt linteum, nam corruptæ dolo ſanguinem coeuntes emittunt, ſic tyronibus venereorum imponunt, Ac inſuper ſine penis in vaginam immiſſione, illæſa omnino vaginæ orificij coarctatione quandoque concipiunt, quatenus uterus per fibras carneas, ſecundum vaginæ longitudinem excurrentes, deorſum tractus breviori peni occurrit, & euſque in ſalacioribus deſcendit, ut ejaculatum per foramen ſemen hiante oſculo excipiat, Aut quatenus foecundiſſimi virilis ſeminis in vaginam effuſi ſubtilior aura ad teſtes aſcendit, corumque ova fœcundat. Vide *Riolanum Anthrop. l. 2. c. 38. Mornochen lin. Cultro Acrat. Lyſeri.*

Probatur ſecundum, quia non omnes virgines primo coitu ſanguinem emittunt, nam præterquam quod vaginæ oſculum præ avido coeundi concipiendique deſiderio in grandioribus ſucceſſu temporis dehiſcit, ac in junioribus petulco digito dilatetur, fieri etiam poteſt 1. ut menſes fluant, vel paucis ante diebus fluxerint, ex quo partes genitales humectari & relaxari contingit, ſic ut minimo negotio, & nullo fere dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potius quam dilacerentur.

Secundò etiam fieri poteſt ut naturalis orificij veſicæ coarctatio ob defluentium humorum copiam ita relaxetur, ut in defloratis laxior eſſe non poſſit, ſicuti experti

experti ſunt qui ad puellarum uteri prolapſum (in humidioribus hiſce regionibus nimis familiarem) curandum quandoque accerſiti fuerunt, hinc mirum non videbitur ſi tales virgines ex primo coitu ſanguinem non emittant.

Tertiò non ex ea partium laxitate tantùm, enim vero ſiannoſa & vegeta virgo tenello ſponſo committatur in coitu ſanguinem non emittet.

Hinc concludere licet, neque naturalem pudendi orificij coarctationem, neque linteolum ſanguine fœdatum, certum & indubitatum virginitatis ſignum exhibere, Quoad locum S. Scripturæ aliqui textus verba metaphoricè explicanda dicunt: Alij verba illa ut ſonant intelligenda, cum hæc conſuetudo & apud Hebræos vigeat, & apud Afros, imo in quibuſdam Italiæ & Hiſpaniæ locis ſed quam fallacia hæc ſint nemo ignorat, cum ſanguine ſuppoſititio, veſicis felleis &c. in vulvam immiſſo, & medicamentis adſtringentibus vaginæ orificium frequentiori coitu relaxatum ac dilaceratum mulierculæ ita coarctare norint, ut ſponſum alioſque decipiant, Dicendum ergo quod licet vaginæ orificij coarctatio in virginibus haud neceſſariò repeniatur, eam tamen ut plurimum adeſſe, atque in iſtud fortiori dilatatione vaſorum ſanguineorum contextus rumpi ac ſanguinem effluere, quare lex *Deuteronomij* ex eo quod plurimum evenit conflata videtur, nec propterea declarat coarctationem illam ideirco neceſſario apud virgines reperiri debere.

Externa virginitatis argumenta à vocis, mammarum, pilorum mutatione, colli commenſuratione, apum rentamine &c. collecta vere inutilia ac infida ſunt, nec tanti facimus falſos urinarum ſtrepitus, ut ideo temere de puellarum pudicitia ſuſpicemur, Experimenta & ex potionibus, ſuffitu & alijs deſumpta, figmentis accenſemus. *Graef de viror. org. cap.* 8.

27. *Membrana*) Facilior quidem eſt curatu quam coalitus vel caruncula, difficillime tamen curatur ſi vitium intus eſt reconditum, quo Chirurgica inſtrumenta ſine periculo penetrare nequeunt. *Primiroſius.*

γ *In curatione 1. parte fomentis*) Et corpore prius per venæ ſectionem & purgationem præparato, ſi ætas & vires patiantur. *Primiroſius.*

28. *Parte fomentis tepidis humectata ſectio*) In uteri ſinus orificij nimis arcti diviſio larere ſectione facta illud ampliat, uti hoc ſæpe tentatum juvit, etſi hoc parvo cum dolore & labore fiat, quapropter nonniſi tutioribus præmiſſis priùs, ſi forte ea juvarent, rem aggredi decet. Fovenda igitur hæc loca admodùm relaxantibus, humectantibus & emollientibus *fotibus* & *balneis*; vel ungenda eadem præſtantibus *unguentis*, aut peſſariis intromiſſis, qualia conveniunt in cervicis uteri duritie & ſchiro: Quibuſdam utimur turunda craſſa, quæ orificium hoc adimpleat ex *rad. ſicca gentianæ*, vel *ſpongia* arctè ligata formata quæ illi immitti debet, ut dum in tumeſcit ſenſim foramen illud diducat, atque ſic ſi ſæpe repetatur, dilatet. *Platerus.*

29. *Sectio ſecundum* &c.) Si cilicet à primo ortu clauſura fuerit contracta ſectione ſimplici aperienda eſt, cujus modus ampla narratione à *Sennerto* deſcribitur capite primo.

30. *Cavendo ne collum veſicæ lædatur.*) In imperforatarum curatione etiam cavendum ne lædantur Carunculæ myrtiformes, parteſve illis connexæ quare ſeligendus apertionis primæ locus ubi videntur concurrere dictæ carunculæ; qua prima apertione feliciter ſuccedente vix difficultas ſupererit in curæ parte reliqua. *Idem capite 5.*

31. *Ab ulcere inprimis.*) Si inflammationes & vlcera præceſſerint, & mulier adſtrictionem inſolitam perſentiar, probabile eſt, vel carnem adnatam fuiſſe, vel labia ulceris coaluiſſe, & propterea per dioptram id cognoſci poteſt. *Primiroſius.*

32. *Aut latera cervicis coaluerunt.*) Tunc tentandum eſt ulcus novare & medicamentis carnem ſuperfluam tollere: Sin minus ſectio inſtituenda eſt eo prorſus modo quo naturalis cervicis uteri coalitus curatur. *Riverius.* ſi pars ex ulcere coaluerit, fovenda primùm emollientibus, fotibus, linimentis & peſſariis, ut *oleo amyd. dulc. irino.* & ſimil. Vlcus deinde renovandum parſque ſenſim diducenda, dein cannula plumbea imponenda eſt, ne coaleſcant; aut peſſis epuloticis ulcus curandum donec cicatrix inducatur. *Primiroſius.*

33. *Aut calloſa ſubſtantia adeſt*) Rarum eſt ut orificium ſinus Uteri coaleſcat, quod tamen mulieri cuidam ex partus difficultate hac parte læſæ accidiſſe vidimus, & cum curam illius, pudore impedita, naturæ committeret luxuriante carne, os illud cervicis uteri adeo occalluiſſe ut ne menſtruis quidem pateret effluxus, ex cicatrice ſpiſſa, ſicuti poſtea ſectione poſt mortem illius, quam viva ferre nolebat, deprehendi, profundè admodum & penitus obliteratum fuiſſe. *Platerus.*

33. *Aut calloſa.*) Quando à materia carnoſa fit coalitus, ut poſt ulcera, Curatio eſt difficilior quàm ſi membrana meatus claudatur.

34. *Quæ prius ſcalpello.*) Curationem quam ſectione, nummo acuto aliqui, alij inſtrumento utrinque ſecante, quod commodè intrudi & ſenſim dilatari poteſt inſtituenda, aperiendo vel dilatando. Ego *cauterio* meo ſine dolore in prædicta fœmina, jam alioſque facta, niſi mors ſupervenifſet, tandem perfeciſſem. Idem.

35. *Fungoſa & luxurians caro*) Si caro tantùm excreverit, tentandum eſt præmiſſis evacuantibus convenientibus, primum carnis augmentum prohibere ſiccantibus & diſcutientibus medicamentis. poſt modum carnem eandem imminuere medicamentis *ex thure*, *ariſtolochia*, *cortice thuris*, *roſis*, *balauſtiis*, *maſtiche*, *myrrha*, *aloe & ſimilibus*: Quæ ſi non ſufficiunt ad carnem abſumentia minus dolorifica transeundum eſt, ut *alumen uſtum*, *unguentum Ægyptiacum* & ſimilia; Ac tandem ſi nec hoc quidem modo conſumptio obtineri poſſit, caro in gyrum precidenda inſtrumento illo quo polypi tolluntur, Si à Tumore aliquo meatus uteri occludatur, propria remedia illi decernenda ſunt, qualia in Uteri inflammatione, Scirrho, & cancro proponuntur. *Riverius.*

Indurati tumores emollientia poſtulant & reſolventia; ex *decoctis parietar malvæ, chamam. ſem. lini, fænugr.* aut *peſſariis* ex *ungue reſumptivo, dialth.* & ſimil. Paulus præſcribit ex *oeſipo, nitro, reſina, terebinth.* In contumaci malo & inveterato ſuffitus aromatum commendat, *Primiroſius.*

De Amplitudine & Lavitate Pudendi muliebris Vteri.

Priori affectui (*cervicis Vteri anguſtia*) contraria videtur *Vteri Laxitas & amplitudo*, quæ variis de cauſis contingere poteſt, Ex coitu *nimis frequenti*, Ex *partu laborioſo*; ut ſæpe ſolet, aut *vitio membri* virilis craſſioris: In collo autem interiore uteri, ex inſigni illius debilitate contingit, ut ex longo menſtruorum profluvio, aut fluxu muliebri, aut poſt partum difficilem.

Hujus affectus pauci meminerunt, præter Hypocratem 2. de m. m. & 2. de n. m. & tamen ſatis frequens eſt: Inde matrix adeò redditur imbecillis ut fibræ ipſius relaxatæ vix contrahi iterum poſſint; malum conceptioni & fœtus geſtationi noxium, ſemen enim uterus continere nequit.

Digito obſtetrix illud dignoſcere poteſt, ſemen exceptum ſtatim dilabitur; præceſſit humorum ab Utero fluxus diuturnior, interdumque alia ſequuntur

ſymptomata, pro humoris peccantis natura, ut dolores in lumbis.

Simplex amplitudo curatur adſtringentibus ſolis, ſed poſtrema hæc etiam roborantia poſtulat & exſiccantia, Fotus conveniunt, Peſſaria, Unguenta & ſimilia.

℞. Gallar. ſchænant. cyperi, alum. ana. ℥j. *menthæ thymi. balauſt. ana, m*j. *caryoph.* ℈j. coque omnia pro Fotu, vel vaporem decocti excipiat.

℞. Cortic. granat. Sumach. fol. querc. & conſol. ana m. ij. alum. ℥j. *coque ad eundem uſum.*

Spongia & linteoli hoc liquore imbuti applicari poſſunt, & in uteri collum indi.

℞. Nuc. cupr. gallar. ana. ℥ß. *burſæ paſt. m.*j. *caryoph.* ℥j. *alipta moſch.* ℈ß. *Anet.* ʒiß. *coque in vino rubro pro Fotu.*

Aqua aluminoſa optima eſt. *Primiroſius.*

Cervicis uteri, vel *orificij exterioris amplitudo nimia*, ſi præternaturalis ſit, & per vim citra tamen rupturam inducta, præſidiis quibuſdam mulieres præſertim, illud moliri, in uteri externi orificio tentant, tum facilioris conceptionis reddendæ cauſa, tum interdum ſi corruptæ fuerint. Idque adhibitis frequenter huic regioni potenter adſtringentibus, unde tandem coarctari hæc loca exiſtimant: Uſurpaturque ad hanc rem Inſeſſio, vel Fotus, factus *ex Decocto gallar. cortic. granat. in aqua pluviali* vel *ferrata*, addito *vino rubro* vel *aceto & alumine*, Adduntur interdum & *rad. cons. fol. ſumach. gentia.* atque odorata, ut *cyperus*, Applicatum *atramentum* ſcriptorium cum pectus vehementer adſtringit; Ad *Naturalia conſtringenda* & ſimul *conceptum juvandum*, hæc *aqua* utiliſſima, non prætermittenda.

℞. Rad. ſymph. maj. galbani, vitriol. Rom. Gumm. pini, ammoniaci, amygd dulc. nuc. cupreſſi granor. ſumach. terræ ſigill. ana p. æqu. pulveriſata miſceantur cum aqua prunellarum, coque parum, hac linteo *in aqua* madefacto naturalia tepide madefiát & foveantur. Eſt & hæc *Aqua* ejuſdem, & ferè majoris virtutis.

℞. Fol. myrti, m. IV. *meſpil. omn. virid. prunellorum, pyror. ſilo. aſperrimorum, ana. p.* ijß. *ventricul.* gallinæ n°. xxx. *Deſtillentur in Balneo mariæ.* Aqua cum goſſipio naturalibus intrudenda & ad tempus retinenda. *Platerus.*

In hoc malo probat *Aëtius* medicamentum quod ceu medicina delectabilis *Aſpaſia* dicitur, eſtque in uſu communi apud meretrices, ſi enim fœmina ſe abluat frequenter hoc medicamento, veluti *virgo* videtur, Sumuntur *gallæ immaturæ, per octiduum in aqua macerantur, in hanc aquam lana immittitur* & ea non exprimitur, ſed ſiccatur & frequenter applicatur *Capivaccius Pr. l.* 4.

Appendix *de Uteri Levitate.*

Huic malo affinis Uteri lævitas, unde ſperma virile retinere nequit, ſed effluere ſinit. Natura enim Uterum ideo fecit aſperum, ut ſemen & fœtum ad conſtitutum tempus complecti poſſit, Quod ipſi accidit ex nimia humiditate, aut pituita, ſicut & lienteria ventriculo.

Huic non aliter ac intemperiei humidæ ſuccurrendum exſiccantibus & adſtringentibus.

*℞. Majoran. artemis. thymi. balauſt. ana. m.*j. *plantag. equiſeti, lupulor. gland. ana. m.* ß. *caryoph.* ʒß. *alum.* ʒij. *coque in vino* rubro, *aut aqua chalyb.* ad Fotum partis.

vel in prædicto decocto diſſolve Trypheram magnam vel Michletam Nic quæ bona eſt compoſitio ad omnes fluxus cum intemperie frigida & humida, Utatur per aliquot dies decocto ſudorifero. Mulier quæ ſine cauſa manifeſta abortit, habet acetabula nimis humida & lubrica. *Primiroſius*

Cap III.

De uteri Puſtulis Condylomatibus, & Hæmorroidibus.

Uteri Puſtulæ.

[1] *Puſtulæ uteri ſunt tubercula in cervice uteri exorta, quæ acrimonia* [2] *pruritum & dolorem accerſũt Signa* ſunt, pruritus, dolor, ſquamarum farinacearum delapſus, quibus ſpeculum matricis, ut meliùs affectus exploretur, addendum.

Cauſa ſunt [3] humores bilioſi, acres, & aduſti, craſſi: qui in loca humida & laxa evacuati, illis ſe inſinuant & immergunt.

Curatio [4] reſpicit cauſas, præmiſſis univerſalibus, ubi inter præparantia prævalent, ſyrup. *fumariæ Cichorii* cum decocto lupulor. [5] Topica humorem diſcutientia, imprimis Balnea & inſeſſus, quæ excipiat partis vino cum nitro elutio. Sæpius autem iſta iteranda.

Dividuntur in *Benignas*, & [6] *Malignas*, ſeu venereas, [7] quæ rebelles & contagioſæ. [8] Ablui debent *aqua*, ex *aloë* quantitate vnius ciceris, *flore æris* quantitate dimidii ciceris, pulveriſatis, & cum *vini albi* unc. j. *aqua plantagin. capitum roſar.* ana unc. j. permiſtis, & in phiala vitrea ſervatis, facta.

[1] *Puſtulæ Uteri ſunt Tubercula.*) In pudendi uterini oſculo earum preſertim fœminarum quæ lue Venerea ſunt affectæ, vel virorum eodem malo infectorum conſortio uniuntur, Puſtulæ exoriuntur, & ſunt Eminentiæ quæ ſchemate leviter extuberant, quarum varias deſcribit ſpecies *Celſus*, *A Caſtro.*

[2] *Humores bilioſi acres.*) Venerea etiam labe aliquando inquinati.

[3]. *Curatio reſpicit cauſas.*) Curantur quatuor remediorum generibus 1°. cibus boni ſucci, abſtinendo ab acribus. &c. 2° univerſalibus evacuantibus, ut *ſanguinis miſſione* & *purgatione* pro ratione plenitudinis, aut cacochymiæ, Præmiſſ. humorum *attemperatione per ſyrup. borrag. violar. fumar. cichor.* cum *aquis* vel *decocto lupulor. ſmilac. aſper. ac ligni guaiaci* Purgatio etiam inſtituenda per *pilulas fæt. de fumar.* &c. Quæ ſi non

ſi non proficiant, præſertim adhibitis Topicis, ſudores perneceſſarij ſunt & decocto *zarzæ* vel *ligni S.* Sæpiuſcule tamen tum cathartica; tum ſudorifica repetenda, ob mali contumaciam.

3°. Localibus, quæ valeant humorem diſcutere & malam ejus qualitatem domare. 4. Utendum fortioribus, ſi malignæ ſint puſtulæ &c. *A. Caſtro.*

4. *Topica humorem*) Si manſuetæ puſtulæ ſint, Balnea & Inſeſſiones conveniunt, ac poſtea abluere locum *vino calido* cum *nitro*, ac denuò *aqua cal.* Subinde puſtulam lenire *butyro* cum *ſulphure*, aut unguento *ex ol. roſat. & myrt.* cum *litharg. & cera*, vel *alumine cum melle & myrrha*, aut *amurca* cum *ſulph.* & *argenti ſpuma* vel *ovi vitello* cum *amurca*, in mortario ad coloris mutationem agitato, vel *malicorio cum myrrha* & *melle*. Inprimis valet unguentum ſequens quo utiliter utor ad puſtulas & ſcabiem.

℞. *Rad helen. pimpin. oxylap.* āā. ℥iij. *aq. fumar.* ℥vi. *aceti acerrimi* aut *vini optim.* pro affectibus uteri ℥ij. contuſa infund. per horas xxiv. bulliant, fortiter exprime, *expr. adde. tereb.* ℔ ß. *ol. roſar.* ℥ij. *Ceræ* ℥ß. coque ad medias, *adde, ſulph. citr.* ℥iß. *ceruſſæ* ℥v. *alumin. roch.* ℥ß. *ſal gemmæ* ʒij. *ob* ʒv. M. bene agitando, poſt lava *aq. fumar.* vſus tempore cuilibet unc. adde *unguenti lethar g.* ℥ß. ob odorem, & quia opus juvat. *A Caſtro.*

5. *Malignas ſeu Venereas*) In his partibus maligniores potiſſimum generantur, quæ *Epinyctides* dicuntur, qualitate magis quàm copia moleſtæ, quarum etiam dolor ſupra earum magnitudinem eſt, neque enim faba majores unquam viſuntur, ſæpe multo minores, ſcabræ, pruriginoſæ, ac furfuraceas ſquamas ex ſe proſpicientes, quales non rarò conſpiciuntur in voli manuum eorum qui jecore calidiori ſunt. *A Caſtro.*

6. *Quæ rebelles.*) Obſervandum ideò tutum non eſſe, eas omninò ſanare, niſi fonticulus in crure reſeretur, ac diu apertus ſervetur. *A Caſtro.*

7. *Ablui debent aqua.*) Si malignæ ac rebelles ſint puſtulæ, fortioribus utendum deſſicativis, & iis quæ puſtularum malitiam corrigant; quæ dum applicantur *ſyrupi ex h. Indico* utiliter exhibentur, aut per ejuſdem decoctum ſudores promoventur, qui diſſipent ac doment eandem malignam qualitatem. Utiliſſimúmque eſt, locum abluere *aqua Lanfranci*, quæ conficitur ex vino, aq. roſar, plantag. auripig. flore æris, omnibus mixtis ad formam collyrij: Mirificè enim confert malignis partium pudendarum ulceribus ac puſtulis. *A Caſtro,* ex quo deſumpta eſt Aqua in textu propoſita.

Condylomata uteri.

II. [1] *Condylomata ſunt* [2] *rugarum in cervice uteri,* [3] *cum ardore & dolore intumeſcentia.*

[4] *Signis* opus non eſt, quia oculis condylomata apparent, ſæpe, ſi plura ſint, [5] parvi racemi ſpeciem referantia. Rugæ nodorum inſtar, qui in pugno clauſo apparent, prominente magis, dum menſes profluunt, attoluntur.

[6] *Cauſa* ſunt craſſi & aduſti humores.

[7] *Curatio* in genere reſpicit. *Cauſarum ablationem*, & [8] *Repercuſſionem*, ac *Exſiccationem.* Quantum ad *Differentias*,

Alia ſunt *cum inflammatione*, in quibus dolor & ardor major eſt, condyloma eſt durum. In [9] *Curatione* [10] anodynis, inſeſſibus, perfuſionibus agendum eſt.

Alia *ſine Inflammatione*, quæ ſi *Recentia*, repellendum & exſiccandum: ſi *Antiqua* & Inveterata, emolliendum primò; mox digerendum & ſiccandum. [11] Habent hic locum, *pulvis ex teſtis ovorum uſtis*, unguentum ex *trochiſcor. de chalybe* dr. j. in pulverem redacta, & cum *oleo roſarum* ac cera miſta, addita unc. ſ. ſucci verbaſci, [12] *Vnguentum* pomi inſani, de quo à *Caſtro l. 2. c. 25. de morbis mulier.* Si his medicamentis non cedit, [13] volſella reſcindendum eſt condyloma, & pulvis adſtringens inſpergendus.

1. *Condylomata,*) Sic dicuntur à Condylon; quod eſt articulus, quia plicæ prominent ad ſimilitudinem nodorum, qui in digitis apparent pugno clauſo. *Rod. à Caſtro, de m. m. l. 2. c. 25.*

1. *Condylomata ſunt.*) Condyloma eſt eminentia, quæ tum fit, cum uteri ruga aliqua p.ſn. intumuerit, cùm enim ſinuoſæ ſint hæ partes, rugas coagmentatas duplicataſque habent, quæ ubi amplius tument Condyloma fit. *Rod. à Caſtro.*

2. *Rugarum in cervice Uteri,*) Ex inflammatione aut rimis induratis in plicis ſeu reduplicatis illis corporibus. *Rod. à Caſtro.*

3. *Cum ardore.*) Hinc *Celſus l. 6. c. 18.* dicit eſſe Tuberculum ex inflammatione ortum:

4. *Signis opus non eſt.*) Cum ardore, tumore ſeu potius ex creſcentia dolor, in pudendi clauſtris potius quam ſine exoritur, gravius affligens, ſi inflammatio, uti ſæpe fit, illi copuletur. Hic & in pudendo muliebri, & in podice tam in mulieribus quàm viris. *Platerus. vide plura de Condylomate in viris Cap. de Aff. Podicis.*

5. *Parvi racemi ſpeciem.*) Differunt à Thymis, qui ſunt eminentiæ. n. expertes doloris, auctæ, aſperæ, oblongæ, qui ſi magni fiant, Orcus appellantur, *A Caſtro.*

6. *Cauſa ſunt craſſi & aduſti humores.*) Fiunt ex craſſis humoribus, quales ſunt melancholici & pituitoſi invicem permiſti. Fiunt quoque ſæpe, poſt longos & fœdos fluores uterinos, coïtus immoderatos, partus vel abortus violentos, aut alias ob cauſas, quæ craſſos hujuſmodi humores in uterum præcipitare poſſunt, ſed ſæpiſſimè ex virulenta gonorrhea, & luis venereæ contagio. *Primiroſius, l. de m. m. l. 1. c. 4.*

Prognoſis.

Malum eſt curatu difficillimum, quod medicamentis non cedit, ſæpius repullulat & renaſcitur, maximè ſi ſit ex lue Venerea, *Primiroſius l. c.*

7. *Curatio in genere*) Obſervetur primum, an ſit inflammatum Condyloma, nec-ne; prius enim ſedanda eſt inflammatio: Pariter ſi à lue venerea fiat, illius cauſæ priùs omni artificio curantur, aliàs fruſtrà circa iſtos particulares affectus, laborabimus. *Primiroſius.*

7. *Curatio.* Fit 1°. victu ac purgantibus, quæ cauſam antecedentem reſpiciant & elidant 2. repercutientibus, & ſiccantibus 3. ſi inflammatio ſit, dolorē mulcentibus, 4°. ſi duri, mollibus & diſcutientibus. *Idem.*

8. *Repercuſſionem & Exſiccationem.*) Per inciſiones

& evaporationes ſi callus nuper genitus fuit, ex decocto verbenæ, folior. rubi, malicorij, acaciæ *& fol. hederæ*, additis ob dolorem *chamæ meli flor. A Caſtro.*

[9] *In Curatione.*) Sedata inflammatione, medicamentis repellentibus, adſtringentibus & exſiccantibus eſt utendum, Celſus laudat *Decoctum verbenæ*, *Enulæ camp.* lentium, *ſummit. rubi*, malicorij, *acaciæ*, *balauſtior*: quibus addi poſſunt diſcutientia quædam, ut *thymus*, *chamæm. hyſſopus*. Quod ſi hæc non ſufficiant, fortioribus eſt utendum, ex *tuthia*, *ceruſa*, *litarg. empl. diacalcith.* duplicatâ doſi *chalcitis Primiroſius.*

[10] *In Curatione*, *Anodinis*) ℞. *fol. melilot. malvæ, alth.* ãã *m.* ß. *ſem lini, foenugr.* ãã. ʒiij. *flor. chamæm. p.* ij. *Coqu. ad decocti* ℔ j. *Adde ol. roſac.* ℥ij. per ſiphonem infundito aut *lactis tepidi* tantundem: Vel applicetur *peſſus aureus*, aut conficiatur ex *butyro*, *æſipo*, *ovi vitello aſſo*, *cum ol roſato. A Caſtro.*

[11] *Habent hic locum.*) Ut admirandum remedium proponit *Aetius*, Miſy aſſatum, & terebinthina exceptum: Eſt autem Miſy minerale cujus vires vitriolum uſtum gerit. Ego expertus ſum trochiſcos de chalybe &c. valet & hoc.

℞. *Ceruſſæ* ʒiß. *alum. ſciſſil.* ʒj. *ſpumæ arg. loti* ʒiijß. *thur.* ʒß. terantur affundendo aqu. roſ. ac vinum, & *cum oleo roſac. f. ungu.* Hoc etiam celebre eſt

℞. *Cadmiæ*, (*tutiæ*) *ter uſtæ ac lotæ*, *Ceruſſæ lotæ*, *ſpumæ argenti lotæ*, ãã ʒij. *ovor. aſſat. vitell.* ij. *ceræ*, *ſapon. ol. roſat.* ãã ℥ij. *f. ung.* Aut *Ind. Illyr.* ℥j *excipe terebinth.* ʒß. adde ſi vis, *chartæ combuſtæ* ʒß. A Caſtro.

[12] *Unguentum pomi inſani*) Quo Dux Complutenſis magno cum fructu utebatur.

℞. Pomum inſanum n°. j. in partes minutiſſimas conſciſſum, *oleo cappar.* incoquatur quoad exſiccentur, tunc adde *viridis æris* ℥j. Ex ſimul *contuſis fiat unguentum. Pomum* autem illud inſanum, alias *Melongena* creſcit in tota Hiſpania, Gallis ferè incognitum. *A Caſtro.*

[13] *Volſella reſcindendum*) Vide Operis hujus partem Chirurgicam.

Hæmorroides uteri.

III. [14] *Hæmorrhoides uteri*, [15] *ſunt tubercula hæmorroidibus ani ſimilia, in uteri cervice ob affluxum ſanguinis fæculenti excitata.*

[16] *Subjectum* eſt cervix uteri. Nam ibi fiunt, ubi venæ deſinunt, ut in hæmorrhoidibus ani: & hæ ex affluxu attolluntur.

[17] *Signa* ſunt manifeſta. Nam viſu ſi ſpeculum matricis adhibeatur, depræhenduntur, mulieres palleſcunt, & laſſitudine tentantur.

[18] *Cauſa* eſt ſanguis fæculentus, qui cum interdum tempore non debito ad has venas confluit, ibidem ſubſiſtens craſſior redditur, ut penetrare orificia non poſſit.

Curatio inſtituitur I. [19] *Revulſione*, per venæ in brachio ſectionem.

II. *Derivatione*, per ejuſdem in talo vulnerationem [20]. *Dividuntur* bifariam.

I. Aliæ ſunt *Dolorificæ*, quæ ipſo dolore [21] à menſibus diſtinguuntur, & [22] mitigantibus eundem, inſeſſibus inprimis, nec non [23] *Cataplaſmate Caſtrenſis l. 2. c. 26.* de morbis mulier. [24] ſed & opio, quod tamen in hæmorroidibus ani ſecurius eſt, nec non pinguedine anguillæ in veru aſſatæ & cum pauxillo croci illitæ: & ſebo hircino inuncto, curantur.

Aliæ *ſine Dolore*, quibus & dicta & dicenda applicari debent.

II. Aliæ [25] ſunt *Apertæ*, quæ fluunt *vel* moderatè, ac *tum* naturæ res debet committi: *vel* nimium, ita ut vires dejiciant, & metus ſit ne malus corporis habitus inducatur;

Et [26] *tum*, ad revellendum ſanguis ex vena brachii partitis vicibus demendus eſt Purgationi *Myrobalani*, *Tamarindi*, *Rhabarbarum* inſerviunt. Sanguinem [27] ſiſtentibus tandem agendum.

Aliæ ſunt *Cacæ*, in quibus nihil planè ſanguinis effluit.

Curatio perficitur, ſanguinis evacuatione.

Partis per emollientia & venarum orificia aperientia ac [29] materiam diſcutientia, emollitione & fomentatione.

Earundem arte [30]. apertione: de quibus vide caput de Hæmorroidibus ani.

[14] *Hæmorroides*) Veteres fluores ſanguinis per venas ani duntaxat proprie Hæmorrhoides appellarunt, Et ad earum ſimilitudinem etiam venæ quædam circa muliebres locos eodem nomine à Medicis indigitantur; Conſiſtunt autem illæ in oſculo uteri & in collo, aut in ipſo utero, aut in pudendo, ac ſua incommoda, ſicuti ani hæmorroides habent; nam ut ad venas inteſtini, ſic ad has craſſior fæculentuſque ſanguis defertur, à quo replentur, intumeſcunt & eminentias generant, quas Uteri eminentias dicunt. *A Caſtro.*

[15] *Sunt Tubercula*) Si fluant, Symptomata ſunt ex genere eorum quæ p. n. excernuntur, Si non fluant, ſed tumeant, morbus eſt inſtrumentarius in via & cavitate, & inter Tumores præter Naturam connumerantur. *A Caſtro l. 2. c. 26.*

[16] *Subiectum eſt cervix uteri*) Loco differunt Hæmorroides uteri, quod aliæ in *oſculo* conſiſtant, aliæ in *collo*, aliæ in pudendo; rarò in ipſo uteri *ſinu*. Nam ad omnes haſce partes venas (vaſa) terminari non contemnendas in confeſſo eſt. Verumtamen *in Harmon. Græc.* rarò in Uteri ſinu hæmorrh. contingere ex *Cleopatra & Moſchione* legimus, æquius *mercurialis* ſuſcepit: *Aetius* & *Paulus* idipſum affirmant, ſed *Aetius* rarius adhuc in pudendo muliebri oriri aſſerit, quod mihi non admodum probatur, quin potius, quia ex reliquis partibus menſtruus fluxus fit, ideo cum venæ pudendi muliebris aperiuntur aut intumeſcunt tum potiſſimum hæmorrhoides fieri exiſtimo, alias nulla eſſet differentia inter menſium profuſionem & fluentes hæmorrhoides. *A Caſtro.*

[17] *Signa ſunt*) Malum dignoſces, quia fœminæ ſic affectæ laſſæ ſunt, tenſionem & imbecillitatem ſentiunt ac pon-

ac pondus in illis partibus, & colorem habent abundanti humori perſimilem, ac ſi in alto conſiſtant, nec ſanguinem profundant, dioptriſmo explorabis; nonnunquam ſubrubra adeſt excretio, & in declinatione livida ac fœculenta: Porro, ſi hæmorrhoides ex ſanguine fluunt fœculento & craſſo, formam habent *mori*; ſi ex melancholia, *verruca* fiunt, *thymi* ſeu ficus; Si ex pituitoſo humore, *uvam* aut *veſicam* referunt; Si ex flava bile aduſta & craſſa, virulentiam cum fœtore ex ſe effundunt; Inflammationem prodit rubor, tenſio, renixus, febris; Nec tamen ex humoris fluxione continuo hæmorrhoidas ſubeſſe colligas, ſæpe enim ex ulceribus, aut alias ob cauſas effluit. Reliqua oculis ſunt conſpicua. *A Caſtro.*

Tactu deprehendi poſſunt, melius tamen per dioptram inſpiciuntur; Turberculum eminet ſubtubrum & cruentum, ſanguiſque guttatim exit ſine ullo ordine, ſine periodo &c. *Primiroſius l.2.c.4.*

18. *Cauſa eſt ſanguis*) Fiunt ex rhagadiis & condylomate, evocato ſanguine ad eas partes; Sed præcipue ac tanquam ex proxima cauſa, ex humore craſſo ac fœculento ad uteri *vaſa* decumbente, aut ex inordinato menſtrui ſanguinis defluxu ad eaſdem venas; Quippe ſi ante debitum tempus hæ venæ repleantur, nec ſanguinem profundant, quin nec dum tempus excretioni aptum eſt, fit ut caleat & incraſſeſcat, nec permeare poſſit, ac ſubinde tumorem elevet, quia caleſcentes venæ ex vicinis aliis ſanguinem trahunt, & vbi replentur tument, ac capita earum ſupereminent & cum jam ab humore coacervato coguntur, ſanguinem ejaculantur, ſin minus dolore infeſtant moleſtiſſimo, *A Caſtro ex Mercato.*

Sanguis fœculentus) Quemadmodum ut ex *Hippocrate* conſtat *lib. de* Hæmorrhoidum humoris alicujus copia ad venas recti inteſtini decumbit, ſanguinem qui in venis eſt calefacit, caleſcentes autem venæ ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt, & ubi replentur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarum ſupereminent: Sic pari prorſus ratione in uteri oſculo ac cervice, venæ (vaſa) quæ in has partes deſinunt, dum craſſiore ſanguine adeo replentur, ut intumeſcant, eminentias non parvas aut hæmorrhoidibus perſimiles efficiunt, *Mercatus lib. 2. de m. m. c. 26.*

Prognoſis.

Eas moderate fluere bonum eſt, à multis enim morbis præſervare poſſunt; Cæcæ autem, dolentes, malignæ, duræ, aſperæ, grandes, curatu ſunt valde difficiles: *Aetius* varicoſas & malignas dimittere ſuadet, reliquas non aliter curare, quam quæ in ſede ſunt *Primiroſius.*

Vteri veſicæ, pudendique affectibus proſunt; quibuſdam etiam prægnantibus utiliter fluere notavit Hollerius. Intempeſtive cohibitæ Epilepſiam, deterioraque vitia pariunt; Sic nimium ſanguinem effundentes Cachexiam, Hydropem, alioſque graves morbos invehunt, *A Caſtro.*

19. *Revulſione per venæ in brachio ſectionem*) Quando à ſanguine oppidò eas venas implente dolor provenit, conſiderandum an à liene malum ortum ducat, & tunc baſilica ſiniſtra; an ex toto corpore ac jecore, tunc dextra tundenda eſt; copioſéque ſanguis, ſi vires conſtent detrahendus; ex brachio, ſi plenitudo adeſt; deinde ex pede ſi menſes ſint ſuppreſſi aut hæmorrhoides, *Cucurbitulæ* inſuper hepati & partibus ſuperibus affigantur; *ligatura, frictiones* &c. *Mercatus, A. Caſtro.*

20 *Dividuntur*) Harum differentiæ plures ſunt ſicut & hæmorrhoidum ani, nam aut *cacæ* ſunt, aut *apertæ*, vel *ſine* vel *cum inflammatione*; differunt inſuper magnitudine, numero, figurâ; aliæ dicuntur *morales* aliæ *uvales*, *verrucales*; *veſicales*: aliæ ſunt in *oſculo uteri*, aliæ *in collo*, more etiam differunt, aliæ *mites* ſunt, quæ ut plurimùm humidę, molles, breves, ac lenes, alię malignę, duræ, aſperæ, grandes curatu difficilimæ. Adhuc aliæ per breviſſima intervalla ſanguinē fundunt; aliæ per longiora, interdum, licet rarò, per ſtatuta tempora, *A Caſtro.*

21. *A Menſibus diſtinguuntur*) *Aetius* illarum tria facit genera, ſolo ſitu differentia; nam vel in collo, vel in pudendo conſiſtunt; Sed proprie ita vocari debent, quando ſunt in pudendo; aliàs fluentes hæmorrhoides à fluentibus menſtruis non diſtinguerentur; cum etiam menſtrua virginibus ex cervicis venis profundantur, vnde non potuit *Mercurialis* hæmorrhoides à menſtruis ſecernere; ſcribit enim fluxum menſtruorum habere periodos & eſſe ſine dolore: At hoc non eſt perpetuò verum; ſæpe enim menſtrua fluunt inordinatè & cum dolore, nec tamen vocari poteſt fluxus ille hæmorrhoidalis; Si igitur pudendi venæ intumeſcant & ſanguinem ſtillatim cum dolore profundant, ſunt hæmorrhoides uteri; ut *R. à Caſtro rectè* docet. *Primiroſius*

22. *Mitigantibus eundem*) Fotibus ex decocto *malvæ, verbaſci, parietariæ, violar. chamæm. ſemin. lini, fœnug.* Unguento ex oleo *ſem. lini. violac. nymph. amygd. dulc. de vitellis ovor.* cum *axungia anatis, gallinæ, cera & croco*: Cataplaſma ex *mica panis* in lacte cocta, etiam confert, vel

℞. *Mucilag. ſem. cydon. alth. ana* ℥j. *olei violar. & de vitell. ovor.* āā ʒß. *croci* ℈j. *ceræ* ℥ß. *farin. hordei* ʒj. *f. Cataplaſma Primiroſius.*

Si inflammatæ ſint, remediis ad plegmonem utendum, revellentibus, evacuentibus, Topicis initio repellentibus, poſt reſolventibus *Idem.*

23. *Cataplaſmate Caſtrenſis*) Eſt mirificum, *inquit*, ſequens Catapl.

℞. *Rad. alth.* ℔.ß. *lilior.* ℥j. *fol. malvæ, hyoſcyami,* āā *m. j. flor chamom. pug.* ij. *melilot. m* ß. *ſemin. lin. fœnugr. hordei* āā ʒj. *ſem. anethi.* ℥ß. *olei. ſeſam. vel de ſem. lini* ℥iij. *Opij* ℈j *m.*

24. *Sed & opio*) Si dolor inflammationi & diſtenſioni junctus ſit, narcoticis abſtinendum & ſolis relaxantibus vtendum. Peſſus ex philonio diſſoluto in oleo roſaceo, dolorem lenit.

℞. *Olei nenuph. de papav. ungu. popul* āā ʒß. *vitell. ovi n°. j. croci* ℈j. *ceræ parum* f. Linimentum, *Primiroſius.*

24. *Sed & opio*) Si dolor ſit intenſiſſimus, Cataplaſmatis additur *ſemin. hyoſcyami* aut *mandragoræ* vel *opij.* ℈j. Peſſus etiam ex ſolo *philonio* diſſoluto in *vino* & aqua roſ. dolorem lenit. Verum *narcotica* hæc ſecuriora ſunt in hæmorrh. ani quàm uteri. *A Caſtro*

25. *Aliæ ſunt apertæ &c. aliæ cæcæ*) Cæcæ dicuntur, tum quæ intus latent, neque videri poſſunt; tum quæ nullum emittunt ſanguinem. Apertæ è converſo, aut in quibus ſanguinis fit profuſio, quanquam oculis non ſint ſubjectæ, ſed in alto poſitæ, Aut quæ viſui conſpicuæ extra tument *A Caſtro.*

26. *Tum ad revellendum*) Si nimium fluant, compeſcendæ ſunt iis quæ ad immoderatum menſium fluxum præcribuntur. V. S. in brachio, ligaturis dolorificis, cucurbitulis ſuperioribus partibus applicatis. *Primiroſius.*

27. *Siſtentibus tandem agendum*) Fotibus adſtringentibus ex *decocto roſar. balauſt. ſumach. alum. myrti in aqua chalyb. facto. linimentis ex oleo myrtill. bolo Arm. thure, ſangu. dracon.* &c. Iſtis nihil proficientibus, quidam eas *cauſticis* urunt, ſed iſte modus minus tutus eſt, ob exquiſitum partis ſenſum, quare potius adſtringentibus id præſtandum. *Primiroſius.*

28. *Quibus nihil planè ſanguinis effluit,*) Si tumentes, & ſiccæ fuerint Hæmorrhoides, vel per longiſſima intervalla ſanguinem fundentes, conſideret Medicus an *ſanguinem habeant ibidem concretum*, an vero

carnoſam quandam ſubſtantiam, fungoſamque ex vitioſo ſanguine genitam. Nam ſi primum ſit, eas reſcindere, ut veteres jubent, temeritate plenum eſſe exiſtimo; ob incompeſcibilem fluxum imminentem, aliáque pericula ex vicinitatis conſenſu: Quamobrem ex iis quæ adhuc ſanguinem continent, præſidia citra Chirurgicam manum, ea ſolum adhibenda eſſe cenſemus, quæ hæmorrhoides exſiccare apta ſunt, velut eſt *acacia vino auſtero* cocta, aut *terra lemnia*, cum *aceto* illita &c.

Verum quando eò miſeriæ deventum ſit, ut in fungoſam acfactitiam carnem totam excreſcentiam degeneraſſe comperiamus, majoribus auxiliis prius tentatis, ad ſectionem veniendum eſſe conſulit ipſa affectus natura; quippe in hac ſola hæmorrhoidum diſpoſitione ac ſtatu, ſectionem eſſe proficuam ac tutam exiſtimo: Ante tamen non erit abs re medicamentis excreſcentem carnem conterere: cujuſmodi eſt quod recipit *calcem vivam*, ac *mellis* q. ſ. ut formetur maſſa in furno exſiccanda, ut in pulverem redigi poſſit, admixtum ſuper partem inſpergerendum, primo tamen acceſſu aliquod ex mitioribus pharmacis addendo. *Mercatus*

[29] *Partis per emollientia &c. ac materiam diſcutientia*) Hippocrates medendi viam citra Chirurgiam proponit, docetque quomodo Hæmorrhoidas uteri exſiccare oporteat, *lib. de hæmorrh.* Initio locum fovet *aqua calida*, ut duritiem emolliat & dolorem leniat; In aqua illa calida res odoratas incoquit, ut uterum deorſum alliciat; tum medicamentum dat quod in uterum immittat, & hæmorrhoidibus ſuperponat, ut reſiccatæ decidant; fit autem ex myrrha, ſpuma argenti, galla, quibus contritis addit *vinum album*, *oleum*, & *adipem anſeris*: quod medicamentum vim habet deſiccandi, detergendi & adſtringendi; Si valde tument, ad vacuandum humorem, *Emollientia & diſcutientia* proſunt, ut fotus ex *malva*, *parietar*, *verbaſco*, *primula veris*, &c. *Primiroſius.*

[30] *Apertione*) Si emollientia & diſcutientia non ſufficiciant; aperiendæ ſunt, vel applicatis *hirudinibus* vel locum fricando *foliis ficus*, *cepa* aut *parietaria*, aut *panno aſpero* & aliis; Scalpello autem eas aperire periculoſum eſt, ne mala ulcera fiant, aut inſignis hæmorrhagia ſequatur. *Primiroſius.* Quando ſcalpello aut hirudinibus aperiendæ veniant, vide inferius Cap. de Hæmorrh. Gravidiarum, ut de Hæmorrhoidibus uteri.

[30] *Apertione*) Aëtius varicoſas & malignas dimittere ſuadet, reliquas non aliter curare, quàm quæ in ſede ſunt; Duras quidem & modicum ſanguinem fundentes, neque vaſis annexas, ſtatim amputare; Eas verò quæ multum ſanguinis emittunt, circa baſin undique ſcarificare & volſella elevatas funiculo conſtringere & paulatim reſecare, ac medicamentum ſiccum aſpergere; Sed hæ curandi rationes, in ejuſmodi parte valdè periculoſæ ſunt. *Primiroſius.*

Cap. IV.

De Cervicis uteri Ulceribus.

Ulcera *cervicis uteri* quid ſunt, non eſt opus definire. [31] *Signa* illorum ſunt, dolor & perpetua in eodem loco mordicatio, quæ ſenſim, præſertim ſi quid abſtergentium infuſum ſit, intenditur, ſanioſorum humorum & puris per intervalla, cum ſanguine interdum, ſi ulcus magnum vel menſes prodeunt, effluxus, mictio frequens & ardens, ſi veſicæ orificium, dolor ſyncipitis ad radices oculorum ſe extendens, ſi caput in conſenſum trahitur, febricula, quæ ſucceſſu temporis ſupervenit lenta, cum crebris horroribus, &c.

[32] *Cauſa* ſunt externa & interna omnia, de quibus in Differentiis.

[33] *Curatio* eſt *Difficilis*, quia in loco exquiſiti ſenſus, humido, & cum multis partibus conſenſum habente [34] *Inſtituitur* eo modo, quo libro primo in genere dictum eſt. [35] Dolori inhibendo *lac chalybeatum* infuſum conducit. [36] Exſiccationi [37] *Thermæ.*

[31] *Signa illorum*) Cum ulceris ſenſu lancinans dolor & pungens à morbo unde prodit, *Ulcus uteri*, & prout illud ſe habet, diverſimode appellatur Et vel *in pudendi interioribus*: aut in *ſinu cervicis uteri* evenit, atque *contactu* vel *immiſſis medicamentis*, maximéque ex concubitu exarcerbatur. In hoc affectu *ſanguis* &c. aliquando *pus*, idque nunc album, coctum, nodorum, nunc crudum & aqueum, alias viroſum, luteum, viride vel atrum: Cujus puris portiones, aliquando in tranſitu permiſtæ, ſimul emin guntur, ſed & per podicem illud idem redditum fuiſſe, & tunc ſtercora per uterum quoque prodiiſſe, aliquoties vidimus; & in veſicam & in abdomen quoque perveniſſe, à quibuſdam obſervatum fuit.

Verùm ulcus quale ſit, an *excoriatio* tantum, vel ulcus profundum, *ſerpens*, aut *labiis pretumidis*, *calloſis* vel *inverſis*, ut in *carcinomate* eſſe ſolet, & contactu & inſpectione, ſi in *pudendo* ſit, vel ſi profundius exiſtat, per *dioptriſmum* exploratur. Quibus alia ſymptomata functionum uteri nonnumquam copulantur. Et ſi ulcus in *pudendo ad veſicæ uſque orificium* ſerpat, mictio ardens ac frequens quoque accedit, ſi malignum ſit, vitales functiones debilitantur, uti & ſi morbi alii huic malo copulentur vel occaſionem præbeant, ſicut inter cœtera, lues venerea, plura tunc ſymptomata concurrunt.

Eo etiam plura, quo ulceratio eſt major deteriorque: Nam ſi ſit exulceratio ſimplex, abraſa tantùm pellicula in *pudendo extrinſecus*, dolor magis acerbus erit, tumque ſanguis quoque effluet; *ſi ulcus ſimplex*, dolor mitior, ſed cum puris effluxu, copioſioris ſi illud ſordidum ſit.

Si ulcera ſint exedentia & depaſcentia, quæ *nomas* vocant, Et ſi *profundiora*, *phagedanica* dicuntur, dolor diuturnior cum effluxu puris vitioſi futurus eſt. Quod ſi adeò invaleſcat ulcus, in *pudendo* præſertim natum, ut veſicæ cervicem quoque afficiat, tunc mictio cum dolore accidit; Quod ſi in *ſinu uteri* factum, adeò excedat, ut rectum inteſtinum illi adnexum perforet, per anum tunc pus emanat. & quæ per anum tranſire debebant, huc interdum feruntur, uti & illic natum ulcus ad veſicæ collum, vel in abdomem penetret, eo quoque pus interdum penetrat.

Si *cervicem uteri* amplius diuque depopuletur, tunc ipſius ſequitur omnimoda, vel ex parte corruptio, ſicut aut in quibuſdam mulieribus factum, atque in una

totum

totum uterum computruiſſe & exemptum fuiſſe cognovimus: Quod ſi verò *ulcus cancroſum* fuerit, *Carcinoma* dictum, vel *cancer exulceratus*, tunc cum dolore majore adhuc quàm in cancro non ulcerato & labiis cancri prætumidis & inverſis pus admodum vitioſum emanat; & interpolatis etiam vicibus ſanguis, quem quum menſium inſtat tempus adeò ſæpe effluere copiosè vidimus, ut in extremum vitæ periculum patiens inducta fuerit. *Platerus.*

32. *Cauſæ ſunt, externa & interna*) Hæ exulcerationes à læſionibus iiſdem à quibus inflammationes fiunt, quoque prodire poſſunt, ut *in partu difficili* & in congreſſu primo, vel alioquin violento, ſi per eum vas aliquod rumpatur, adeo ut ſanguis profluat, eo modo ſicuti cum devirginantur, aliquibus quoque ſanguis ob menſtruum fluxum, attritione hac venarum cervicis uteri commotum emanat (quod à rupto hymene fieri creditur, & pro virginitatis ſigno vulgo habetur, cum tamen hoc non ſemper in corruptis in primo coitu accidat, ſed illis tantum quarum venæ facilè aperiuntur, tenerioribus ſcilicet, & quibus jam menſtruorum tempus, quando nubunt propinquum eſt, unde etiam nullum inde ulcus ſequitur) niſi revera ob vas aliquod impetu hoc inſolito læſum vel orificium ſciſſum aut lacerum ſanguinem profundant, poſteaque exulceratio remaneat.

Quod & à læſione alia *extrinſecus illata* vulneratis hiſce clauſtris poteſt accidere, uti & uſu medicamentorum acrium, in ſinu uteri aliis de cauſis inditorum uteri cervix erodi & exulcerari; ſicuti ſiniſtro horum uſu cervicem uteri ulceratum, tandem computruiſſe penitus, ſuperveniente nihilominus, diu poſtea adhuc muliere, obſervavimus: Præter quas cauſas *inflammationes* & ulcus excitantes: inflammationes quoque in abſceſſum converſæ eo rupto in ulcus deſinunt; Et poſt abſceſſus alios *ulcera valde ſordida* nonnunquam remanent; *Fluor uterinus acris diu perſeverans*, ſinum uteri ac pudendum interdum erodit, interdum ulcera gignit.

Alij quoque perverſi & maligni humores cum ſanguine menſtruo per has vias expurgati, in corporibus cacochimicis & in variis morbis, uti & in lue venerea, imprimiſque ex impura *gonorrhæa* ichor; hoc idem poſſunt efficere, Quod & ex *virili ſemine* illuc effuſo vitiato, diu retento in ſinu uteri, aliquando fit.

Sed in gravidis *fœtus mortuus putreſcens* retentus, uterum inficit corrumpitque, ſicuti hoc in duabus mulieribus factum ſpectavimus, fœtum cum involucris & utero, vicinoque peritonæo, corruptis penitus, ſectione in abdomine facta exemptum fuiſſe, quod in una viva adhuc & diu poſtea ſuperſtite fieri vidimus, & ex alia mortua nos ipſi hoc modo eximimus. *Platerus.*

33. *Eſt difficilis*) Ulcera in uteri ſinu & pudendo omnia perverſa ob loci tenuitatem & humiditatem ſunt, adeo ut levis excoriatio diligentiam ut ſanetur, requirat: Deteriora adhuc ſunt depaſcentia & phagedænica, quæ ſi diu perſeveraverint, & profundas radices egerint, ſpatiumque amplum occupaverint; incurabilia fere ſunt, ut & *carcinomata*, quæ mortem plerumque, veluti & alia corruptionem afferunt, quæ aliquando totum uterum depopulantur: Venerea quoque vlcera non niſi ipſa lues auferatur, integrè ſanantur. *Platerus.*

34. *Inſtituitur eo modo*) In exulcerationibus omnibus (excepto Carcinomate & venereo ulcere) curandi ſcopus eſt, ſi impurum corpus ſit, aut plethoricum, ab ejuſmodi ſuperfluitatibus evacuare; cum hæc ſi redundent, & ad uterum tandem ferantur, continuo hæc loca humectando, Ulcera ſordida curatuque difficilia reddant; maximeque ſi hæc impuritas ulceribus occaſionem præbuerit, illaque ſimul foveat prius adimenda corrigendaque: Quod & victus ratione parva & decenti, & venæ ſectione, purgationibuſque pro humorum redundantia inſtitutis, ſudoribuſque quæ non ſolùm ab univerſo corpore, ſed & à loco affecto humiditates exhauriunt, perficitur; Eodem modo ſicuti in aliis ulceribus externis, in plethoricis & cacochymicis corporibus fieri ſolet.

Quod ſi ſanguinis nimius fluor vulneri vel ulceri quoque copuletur, is quoque, uti in menſium fluore revellendus erit; Et ſi in profundo ulcere pus in veſicam aut rectum inteſtinum illabatur, illud inde expurgandum. Quibus ante omnia obſervatis, quod ulceris proprie curationem attinet, ſi illud *Eroſio* tantum ſit, vel *ſimplex vulnus*, aut ulcus ſiccantibus tantum curatur glutinaturque, ſanguinem ſimul, ſi illud immoderate profluat adſtringentibus ſiſtendo, & dolorem, ſi intenſus ſit, *lenientibus* hanc ſedem & ſtupefacientibus quandoque mitigando: Si verò ulcus exiſtat *ſordidum* & *profundum*, primum abſtergentibus illud repurgabimus, poſteà *ſiccantibus* carne implemus ſanamuſque, Si *depaſcens* & *exedens* ſit *fortioribus* adhuc valideque *detergentibus* & ſiccantibus curare ſtudemus: Quæ & ſi putredo aut corruptio partis accedunt, ſimiliter illicque adhuc fortiora uſurpantur; Idque remediis diverſimodè adminiſtratis.

Exhibita per os quædam, quæ & in cæteris ulceratis internis procul diſſitis locis, ut *renibus, veſica*, aliquo pacto opitulari poſſunt, in utero quoque læſo, nonnihil proderũt; Uti & illa quæ in *externis vulneribus bibita* ea ſanare creduntur, in vulnerato utero aliquid preſtabunt; Obſervando ſemper interim locum affectum, & pro illius conditione remedia eligendo, dirigendoque. Decoctum hoc ad ulcera ſananda etiam diuturna exiſtit, quod.

℞. *Rad. conſolid.* ℥j. *fol. plantag. millefol. lauri ãã. m.* j. *ſemin. vitic.* ʒj. *vini albi menſ.* j. *mellis* ℔. j. *coque ſenſim deſpumando, ad conſumptionem mediæ partis*: *Detur bibendum aliquot vicibus*. Et loco affecto quoque applicetur.

Rhapontici & Centaur. min. radices bibitas dolores & eroſiones matricis ſanare docet, *Dioſcorides*.

Laricea, vel *Terebinth.* lota in aqua utero convenienti, ut *artemiſiæ, matricar.* vel *ulceri*, ut *plantag. roſar.* quandoque degluuita cum *melle* vel *ſaccharo roſar.* miſta, hæc ulcera ſanat, cui hiſſ[illegible]pi pulvis additus à quibuſdam probatur.

Lac ovillum recens cum *ſaccharo* vel *melle* dulcoratum ſuperbibitum leviora ulcera curat, & dolorem lenit; *Pilulæ de bdellio maj. Meſuæ* ad ʒj. vel paulò plus pro una vice exhibitæ, vel de illis indies alternis diebus ℈j. datus, ad ulcera uteri curanda valdè conferunt, & ſi ſanguis fluat eum compeſcunt: Trochiſci de *halicacabo* cum *vino* in dolore ingente, etiam ſoli pulveriſati propinantur. Pulvis hic præcipuè *ſanguinem ex læſione uteri fluentem* ſiſtit, & vulnus quoque ſanat, vel ſi hoc ex ulcere fiat, illud ſimul ſiccat.

℞. *Acaciæ, hypociſt. ãã.* ʒj. *ſangu. dracon. amyli, rad. plantag. ariſtol. rot. ãã.* ʒß. *terræ pinguis Arm.* vel *Lemnia* ʒj. *maſtich. ſarcocolla ãã.* ʒß. *f. pulvis, detur* ʒj. *cum lacte aut ſyrupo de plantag. aut cum aqu. plantag. burſa paſtor. roſar. vel aqu. chalyb.*

Injectiones in ſinum uteri ad ulcera illic ſananda tepidæ omnes fiunt, quæ prout vel abſtergere ſordes, pus aut putridam carnem volumus, dein ſiccare plus minus, quod ad ulcera conglutinanda, carne replenda, cicatrice obducenda, requiritur, variant; *Abſtergens* leviter Injectio ex *decocto hordei, lentibus, fabis non excort. & fol. apii. parietar. plantag.* paratur, addito melle, cum putredo adeſt.

℞. *Hydromel.* ℔ß. *ſucci apij* ℥ij. *myrrhæ pulv* ʒj. *miſce.* *Lixivium, urina vinum, maximeque acidiuſculum, ſapa*, Si prædictis addantur, ac modicum [illegible] fiat, vel ſi tantillum *aluminis* addatur *Succus urticæ* cum *urina pueri* miſtus mirifice abluendo injectus ulcera uteri ſanat; *Fella bovis, capræ, carpionis*, aliáve, cum æquali *mellis* quantitate, cum lacte caprino injecta, egregiè

ulcera ſordida ab abſceſſu relicta mundificant.

Vnguentum Apoſtolorum, omnium potentiſſimum Ægyptiac. diſſoluta in prioribus, itatamen vt ferre poſſint, in magna corruptione injiciuntur; vel alia ſimilia uſurpari poſſunt detergentia in ulceribus externis explicanda; eligendo ea, cum validioribus eſt utendum, quæ habita ratione partis eam minimè lædere poſſunt. Et exſiccantibus & conſolidantibus ſimiliter

Siccans ſeu *ſanans* ulcus *decoctum*, *fit* ex *rad.* & *fol. conſolid, utr. biſtort. h. plantag. agrimon. burſæ paſtor. caud. equ. ſaniculæ, piloſellæ, pyrolæ, millefolij, centumnod. petentillæ, rubi, myrti, oleæ, oleaſtri, ceterach, arbuti, ſumach. flor. ros. &c.* ſumendo de quibuſdam ad m. iij. vel iv. *ſemin. uvar. plantag. myrtill. ad* ℥j. & *decoquendo in menſura una* vel paulo plus *aq. ciſternæ vel chalybeatæ* pro injectione. Efficacius erit decoctum, ſi *nuces cupr. gallæ, cupulæ gland. malicor. balauſt. ad* ℥j. vel plus addantur, vel ſine prædictis decoquantur, quæ & ſi ſanguinis adſit fluor conveniunt: Potentius ſiccabit ſi *vinum rubrum ſtypticum decocto*, miſceatur, & *abſterſionis* cauſa, ſi ſordes adhuc adſint, aliquid *mellis ros. vel ſyr. de ros. rubr. ſiccis*

Decoctum quod bibitum tantopere prodeſſe ſuperius diximus, etiam injectum valdè prodeſt

Succi prædictarum plantarum aliqui quoque injici poſſunt, vel per ſe addito melle, vel cum decocto permiſti, ſuntque efficaciores quàm decoctum.

Pulveres quandoque cum decoctis, ſuccis vel utriſque ſubtiliſſime triti ad ℥ß. pro una injectione miſcentur, additis interdum & *ciner. cortic. arundinis, cucurb. & ſpong. maris, & teſtar. ovorum.* vel cum ſiccare admodum volumus *litharg. tuthiæ, ceruſæ, lap hæmat. calamin. boli pulveris ad* ʒij. vel plus, & *ſanguin. dracon. acaciæ, hypociſt. ad* ʒj. pro una vice injectionis.

Laricea vel *abiegna*, vel *terebinth.* lota cum *aqua plantag. ad* ʒij. diſſoluta *in melle & vitello ovi*, cum una injectione miſta, idem facit, eóque magis, ſi pulvis ſarcoticus quoque adjiciatur. Unguen. pompholig. de *ceruſa*, *de plumbo*, ſimul cum injectionibus quandoque ad ʒv. pro vna doſi miſta injiciuntur.

Fotus & *inſeſſiones*, ſi in pudendo ſint ulcera, vel eo vergant, præcipuè prodetunt; nam vires eorum quoque ad interiora ſinus pertingunt, ulceribuſque, ſi illic ſint, communicant: Paranturque ex decoctis quoque illorum ſimplicium ex quibus *injectiones* fiunt, eligendo prout detergere, vel ſiccare, vel dolorem lenire intentio, de illis quæ hoc præſtant Injectionibus; vbi & quando admodum ſiccare volumus, metallica quædam ſupradicta, uti & ferri ſcoriam addimus.

Peſſariis ex materia ſpiſſa formatis, vel in ſacculo, in ſinum uteri eroſum, vel exulceratum inditis ſi ferre ea poſſunt, quorum materiam & digito in ſinum indere poſſumus, idem præſtamus; Ad abſtergendum hoc inditur.

℞. *Laricea lota cum ſucco apij.* ℥ß. *myrrh.* ʒj. *rad. ariſtol.* ʒiſ. *Sacch.* ℥ß. *miſce f. Peſſus.* Si *fellis* parum addatur, vel *alum.* ulcera putrida abſterget.

Poſſunt & *unguenta deterſiva* in Injectionibus dicta indi, vel illis interna inungi: Ad *ſiccandum* unguenta dicta competunt, vel pulveres & ſucci dicti commiſti, quæ additis *mucilagin. cera.* aliiſve inſpiſſata, uſurpentur.

Fumi admiſſi, cum non ſolùm ad pudendi interiora, ſed & in ſinum uſque penetrare poſſint, ad ulcerũ ſiccationẽ uſurpantur, ſicuti in narium profundis ulceribus, tã odorati leviores, quam fœtidi, longeque potentiores, illis locis excepti plurimum prodeſſe poterunt. *Platerus.*

Joh. Fiengius Medicus Amſtelodamenſis nobilem ſe matronam hoc modo ab ulcere uteri reſtituiſſe dicebat dabat de quarto in quartum diem ℥v. *decocti ſennæ, Epithymi, roſ. rubr. myrobal. ind.* & clyſterem ſubinde in partem affectam injici mandebat *ex aquâ tepidâ decoction. ſennæ, epithym. fumar. flor. chamæmel. roſar. cui terebinthina exigua, mell. roſ. & hordei farina injecta erant*, deinde peſſos in uterum ſeu os uteri ponebat.

℞. *Mell. roſ.* ℔ß. *farin. lupin. Siligin. fœnugr. ſarcocoll.* ãã. ℥ß. f. peſſi. ſi pruritus aut dolor adeſſet, iiſdem addebat *ſemen papav. hyoſciam. & campb.* Foreſtus *obſ.* 48. *lib.* 22. *de morb. Mulier.*

His accedat victus ratio paululùm refrigerans, ſed magis exſiccans; *Aër* ſit in paſſivis *ſiccus*, in activis *temperatus*; nam ſicut frigus ulceribus mordax, ſin nimiùm calidus humores inflammat, & acriores reddit. *ſomnus* moderatus ſit, & ſuper latera, non ſupinis in lecto molli, ſed non nimiùm calido, metu inflammationis. *Quies* vtilior eſt motu & exercitatione, niſi fortè frictiones partium ſuperiorum ad revellẽdum inſtituantur. *Animi pathemata*, ita præcipuè & mœrores vitentur, quia humores nimis agitant & commovent. *Cibus* ſit exſiccãs, eupeptos, & oligotrophos, niſi ſimul corpus cõtabeſcat. Vitentur omnia dyſpepta, cacochyma, acria, ſalſa, piperata, frixa, acida; nam ſi acetum utero ſemper nocet, maximè quando exulceratur: Ideo omnia aceto condita vitanda ſunt, ſicut & *cæpe, allia, braſſica, caſeus acrior, vinum generoſum*, cujus loco *aqua* bibatur, aut decoctum *liquiritiæ, acetoſæ*, & ſimilium. Conveniunt autem carnes delicatæ juniorum animalium, elixæ potiùs, quàm aſſæ, *Cremor ptizanæ, ova recentia, lac, paſſulæ, amygdalæ, piſtaciæ, Piſces* autem & *juſcula*, quia nimis humectant relinquantur. *Alvus* ſit moderatè fluida, omnes excretiones naturales provocentur præter *menſtrua* & *vrinas*; quæ ſi ſponte vi naturæ profluant, bonum eſt; medicamentis autem provocari non debent, quia calida ſunt & humores ad partem affectam ducunt. Omnia munda ſint, lintea, veſtes. *Balnea* humida vitanda, ne pars nimium relaxetur, niſi adſit tabes. *Sudorifera* tamen imperamus, ad humorem exſiccandum. *Primiroſius de morb. mulier. l. 2. c. 12.*

35. *Dolori inhibendo*) Dolor primum ſedandus eſt, tum ob moleſtiam, tum quia humorum fluxum commovet, ideo detergentia in hoc caſu ſine morſu eſſe debent, ut aquæ tepidæ frequẽs profuſio & injectio, aut *ſeri lactis*, aut decocti *hordei & roſarum* cum pauco *ſaccharo & melle roſato.* Prodeſt *ol. de vitell. ovor.* ex *Avenz.* ſicut & ſyrup. refrigerantes *de nymph, de papav. Endiv.* conveniunt, *lac* infunditur & apponitur, ſicut & *album ovi* agitatum cum mucilagine *ſemin. pſyllii*, & emulſionibus *ſemin. frigid.* & *papav.* aut *aquâ hordei* cum *ſucco hyoſciami*, nam in extremo dolore *opio* & *narcoticis* uti, non erit inutile, ſterilitatem quidem inducere poſſunt, non autem mortem, ut docet *Mercurialis.* Scio non ſemper ſterilitatem facere, poſſunt tamen longo uſu. *Paulus* præſcribit medicamentum ex Croco, ovis, oleo roſaceo, adipe anſerino, Cervi medullâ, ſed hæc pinguia dolorẽ quidem ſedare poſſunt, ſed ulceri nocent. *Primiroſius.*

35. *Dolori inhibendo*) Si dolor adſit, is primò ſedandus, cùm non ſolùm ægræ moleſtiam pariat, ſed & humores verſus partem affectam trahat. Cùm autem dolor ille præcipuè à ſordibus & ſanie pravâ proveniat, & plerumq; inflammatio conjuncta ſit, ſimul detergendi vim aliquã & inflammationi reſiſtendi, habeant medicamenta dolorem lenientia. In hunc uſum *lac* infuſum utiliſſimum eſt præcipuè *chalybeatum*, vel *ovorum albumina* tria vel quatuor conquaſſata & cum *mucilag. ſemin. pſyllii*, vel emulſione *ſemin. papav.* miſta, vel emulſiones *ſem. papav.* & 4. *frigid. major.* cum *ſero lactis*, & *lacte caprino.* Si dolor ſit major, aqua hordei cum ſucco ſemin. hyoſcyami uſurpari poteſt, vel etiam ipſum opium aliis admiſcendum.

Vel ℞. *Radic. alth.* ℥j. *ſemin. aneth.* ʒj. *hordei* pj. *ſemin. lini, fœnugræc.* ãã. ℥j. *ſemin. pſyllii, papav.* ãã. ℥ß. coque in aqua vel lacte. *Sennertus.*

[35] *Dolori inhibendo lac*) Ad dolorem leniendum, quando ille admodum affligit, ſequentia, etiam ulcus ſimul reſpicientia uſurpantur, Lac omne injectum dolorem ſedat, abſtergit & glutinat; præſertim mulieris, caprinum & ovinum. Siccabitque amplius ſi *ſilices igniti* in eo extinguantur. Anodynum magis fiet ſi *mucilago pſyllij, lini, cydonior.* & infuſio *gummi tragac* & *arab. alb. ovi nonnunquam & vitellum* bene conquaſſata illi addantur; Sæviente autem dolore parum opij. Et ſi ſimul abſtergere velimus, *mel* vel *ſaccharum.*

Decoctum dolorem *lancinantem* & ardentem compeſcens fit ex *horde mundi* ʒvi. *ſem. lin.* vel *fœnigr.* ℥j. *pſyllij. papav.* ãã. ℥ß. iv. *ſem. fr. maj.* ʒvi. *rad. alth. malvæ*, ãã. *m. j. aneth. p. i. decoctis in aqua vel lacte*, addito *melle* vel *ſacchar.*

Huic ſi *portul. rec. m. j. flor. nymph. p. j.* addantur magis ardorem extinguet, ſenſumque pariter retundet, ſi *rad. mandrag.* ℥ß. *ſem. hyoſcy.* ʒij. recoquantur. *Succus portulac. lactuc. ſolani, plantag.* cum *lacte* vel *decocto* eo nomine quandoque permiſcentur, vel *aquæ* horum *deſtillatæ*, *Trochiſci albi Rhaſis cum opio* diſſol. in *lacte* vel *decocto* dicto dolorem compeſcunt & ſimul ſanant.

Olea neceſſitate urgente quandoque adduntur, ut *roſar. momord. papaveris*, inprimis *ſem. hyoſcyamj. liguſtrinum* adſtrictionis quoque cauſa aliqui commendant: Anodynum ex *adipe anſerino*, vel *gallinaceo* vel *porci* & *ſevo cervino* & *œſipo*, addita & cera alba, ſi ſpiſſior eſſe oporteat, fit addito *ovi vitello*, interdum & *mucilagine* & *croco*, cujus oleum alij miſcent potius, nonnunquam & *opio*: *Vebenacæ recta* fol. *cremorem ſem. hyoſcyami* & liquorem mandragoræ peſſariis addit Dioſcorides; Platerus.

Valeſcus utebatur *aqua frigida*, Novi, *inquit*, aliquas mulieres, quæ ſentientes ſe habere ejuſmodi ulcera, lavabant ea cum aqua frigida, mundabant, deinde cum pannis lineis exſiccabant, & in matricem mittebant frequenter, atque iiſdem præſidiis ſæpe mutatis, hæc ipſa ſæpius per ſe ad integram curationem ſufficiebant, Ablata intemperie ad abſtergentia & exſiccantia deveniendum, *Foreſtus.*

[36] *Exſiccationi*) Cui incumbendum ulcere ſufficienter deterſo; quare injectionibus detergentibus diſſolvimus *myrrham, aloen, iridem* & alia ſarcotica; *troch. alb. Rhas.* Demum ad unguent. partem deſſicante eſt veniendum, ut ad *ungu. pompholig. de ceruſa, de plumbo*, & aliis metallicis inſigniter reſiccantibus. Si medicamentis non poſſunt evinci, tentandum erit ſuffumigio partem reſiccare; faciendum autem id eſt ex ſarcoticis & fuliginem generantibus, ut lacrymis, reſiniſque, aliis quibuſdam permiſtis, ut *ſandaraca, auripigmento, cortice thuris, ladano, hypociſtide, v. g.*

℞. *Thuris, maſtiches, ladani puri, myrrh. ſtirac. rubr.* ãã. ʒiij. *marcaſitæ, lapid. pyr. auripigm rub.* ãã. ʒij. excipiantur terebinth. pro ſuffumigio, *Rondeletius.*

[36] *Exſiccationi*) Multum reſiccare oportet, tam ob partis naturam ſiccam, quam ob excrementa quibus pars illa abundat, *Rondeletius.*

[37] *Exſiccationi Thermæ*) Thermæ ſiccantes aluminoſæ, ſulphureæ, in ulceribus diuturnis uſurpantur, coque mulieres, in hoc caſu deſperatas, tanquam ad divinum remedium ablegamus. *Platerus.*

In omnibus his ulceribus uſus *ſtupharum* eſt utiliſſimus, quod corpus univerſum exſiccat, *Rondeletius.*

Differentiæ ſunt variæ.

I. Alia ſunt *à cauſis externis*; ut medicamentis, partu difficili, violento concubitu, &c.

Alia *ab internis*, ut ſunt, Secundina corrupta, Lochia retenta, Fluor uterinus. Gonorrhœa virulenta, [38] Lues venerea, Inflammationes in abſceſſum converſæ, Humores vel à toto, vel à parte affluentes, vel ibi geniti; [39] quæ omnia attendi in Curatione debent.

II. Alia ſunt *Superficialia*, in quibus parùm puris profluit, & medicamenta etiam illiniri poſſunt.

Alia *Profunda*, quæ ſe contrario modo habent, & medicamenta injici debent.

III. Alia ſunt *Mitia*, cum pure pauco craſſo nec fœtido, in quibus & abſtergentia leniora, ut *mel roſatum* cum aqua hordei, *ſerum lactis* cum ſaccharo vel decocto lentium, & adſtringentia benigniora locum habent.

Alia *Sordida*, cum pure copioſo, & [40] cum dolore effluente, in quibus [41] fortioribus agendum eſt. *Mundificativum apii*, aput *Caſtrenſem l. 2. c. 29.* hic laudatur.

Alia *Depaſcentia*, cum ſanie colorata, viridi, livida, fœtida, cum cruciatu effluente; in quibus *Aloë* & *Abſinthium* inter mundificantia primatum obtinent.

[38] *Lues venerea*) Si ab hac ulcera in pudendo vel Sinu uteri fiant, citra univerſam hujus luis curationem & ablationem è corpore, minimè ſanari poſſunt: In qua perficienda per varios modos; Si hæc per fumos Cinnabaris fiat, non ſolùm generatim hanc infectionem extirpando, ſed & ſi etiam ſinu uteri excipiantur, privatim hæc ulcera, ut citius ſanentur efficient; Quod eodem modo per curam, quæ per *hydrargyri inunctionem* fit, non ſolum exterius illa unguenta adhibendo, ſed & in loca hæc penitiora indendo, *Platerus.*

Vnguentis addatur *argentum vivum*, utili & fumigio, & cinnabari parato uti, *Rondeletius.*

[39] *Quæ omnia attendi*) Ante curationem diſtinguere oportet ulceris naturam, quam deprehendere poterimus ex cauſis quæ præceſſerunt, ex victus ratione, ex totius corporis natura. Num etiam à morbo Italico factum fuerit; Quæ poſt abſceſſus frigidos fiunt, ſordida eſſe ſolent: Quæ poſt inflammationem à ſanguine, & quæ poſt eryſipelas; virulenta & depaſcentia fiunt Si poſt ſchirrum, gangrænoſa. Quæ poſt morbum Italicum dyſepulotica, & Chironia. *Rondeletius pr. cap. 79.*

[40] *Cum dolore effluente*) Medicamenta detergentia ulcera, in quibus acrimonia puncturęque ſentiuntur ſine morſu eſſe debent; optimũ eſt in illis *ſerum lactis* injicere cum *pauco ſaccharo* vel *melle roſ.* vel cum *ſi ſyrup. de roſ. ſiccis*, vel *fol. plantag. myrth. oleæ* vel *oleaſtri, ceterach. agrimon.* aut aliarum herbarum amararum ſine magna calefactione, quare *abſynthium* & cæteræ herbæ calefacientes hac in cauſa convenire non poſſunt, *Rondeletius.*

[41] *Fortioribus agendum*) In ulceribus ſordidis & pituitoſis, Injectiones fieri poſſunt ex decoctione *apij, abſynth: centaur. min. fabar. lupinor: orobi* quæ multum detergent. In his parum Ægyptiaci diſſolvimus, vel *unguentum Apoſtol.* in principio cum ulcus obductum eſt multo pure & carne putrida. Sed poſteaquã illa caſtigata vel ablata ſunt mitioribus agendum eſt ob ſenſum partis, *Rondeletius.*

Rhagades uteri.

IV. Alia dicuntur [42] *Rhagades*, quæ ſunt ulcuſcula parva & longa, cutim cervicis uteri exedentia. [43] *Cognoſcuntur* tum ex dolore & cruore in congreſſu excitato: tum viſu, ſi cervix inſpiciatur: quin ſunt & illis ſimilia, quæ tempore hyberno in manibus oriri ſolent.

Oriuntur multis modis, 1. *Externè*, à partu laborioſo, coitu violento, & tum Clyſtere adſtringente utendum.

2. *Internè*, ab Inflammatione, [44] condylomatibus, [45] Humorum acrium affluxu, qui prius purgantibus tollendi, antequam ad topica accedatur.

[46] Laudatur in eis *pinguedo*, quæ ex cochlearibus ligneis ad coquendum in culina uſitatis, ſi aliquantulum igni admoventur, & torrentur, ediſtillat: nec non unguentum pomadæ.

Alia quæ [47] *Fiſtulam poſt ſe relinquunt*, quæ dolore caret, niſi ad partem nervoſam acceſſerit. Ad veſicam interdum & rectum inteſtinum tranſit, & tum per eam excrementa ejiciuntur.

Si *Antiqua* eſt, curæ palliativæ, in qua ſtatis temporibus corpus purgatur, relinqui debet. Callus verò, qui ei ſemper conjunctus eſt, ſi illa eſt ſanabilis, poſt exſiccationem partis, per potiones vulnerarias emollitus, abſumendus, vel ſectione vel uſtione.

[48] De *Cancro & [49] Gangrana* nihil ſingulare occurrit.

Ille à ſanguine menſtruo aduſto, & cum tumores ſcirrhoſi diu perſiſtunt, generatur.

Iſta hoc in loco, ex inflammatione, cancro, & ulceribus ibidem malè curatis oritur. Cum enim hæ partes ſint humidæ, & excrementis ſcateant, facilè eæ corrumpuntur & emoriuntur.

[42]. *Rhagades)* Hæ ſicut in ano, ita & in hac parte fieri ſolent, Fiſſuræ ſunt ſive rimæ, aut vlcuſcula oblonga, parva, iis ſimilia quæ in digitis manuum ac pedum poſt ingentia frigora ſupervenire ſolent. Fiunt inter rugas partis illius, cum pauca aut nulla ſanie, quæ ſi fricentur ſanguinem fundunt, ſuntque interdum ſuperficiariæ, interdum profundæ, & calloſæ, ubi diuturnæ fuerint; & ſæpe tumori cuidam, aut inſigni elevationi conjunctæ. *Primiroſius.*

[43]. *Cognoſcuntur)* Cauſæ ſi externæ fuerint, ut coitus (unde cutis diſrumpitur) & partus laborioſus ac fœdus, relatione cognoſcitur; pariter ſi inflammatio adſit, aut condyloma, ſuis ſignis innoteſcunt, alias ſolus humorum affluxus accuſandus eſt. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Rebelle malum eſt præſertim antiquum, quod nec cédit, ſed ſæpius repullulat, *Primiroſius.*

[44]. *Condylomatibus)* Ab eorum inflammatione & diſtenſione rupta cute.

[45]. *Humorum acrium affluxu)* Tum à longis & fœdis fluoribus uterinis.

[46]. *Laudatur in eis)* Conveniunt ad earum curationem Fotus & decocta *ſcabioſæ, fumariæ, lupuli, roſar. tapſi barb. myrti, malvæ, alth. hordei, lapat.* tum quoque *butyri rec. ſine ſale, pomata, ol. roſ. violat. de ſemine lini* aut *de vitellis ovor.* ductum in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo ad mellis craſſitudinem; licet *œſypum* Addere, *ſuccum portulac.* cum *pulv. gallar.* Tum etiam *unguentum roſat. diapomphol. de ceruſſa, de plumbo, de litharg.* & ſim.

℞ *Succor. plantag. portul. conſol.* āā ℥j. *ſucci ſempervivi, ſolani, lactuc.* āā ℥ß. *ol. roſat. myrtill.* āā ℥ij. *litarg.* ℥ß. *ceruſſa lota* ʒiij. *plumbi uſti, antimon. tutiæ, boli Armen.* āā ʒj. agitentur in mortario plumbeo, piſtillo pl. ad formam Nutriti, vel decoquantur prædicta in oleis ad ſuccorum conſumptionem. & cum cera fiat unguentum.

Vitellum ovi aſſatum cum lacte, mal. & cerato roſac. ſubactum, & ubi fervor & cancri ſuſpicio eſt.

℞ *Vngu. citr.* ℥j. *aloes, mirrhæ, thur. maſtich.* āā ʒj. *balauſt.* ℈j. *cum oleo roſac. fiat ungu.* in mortario plumbeo.

Vngu. Pomphol. vel *divinum* diſſolutum *in oleo roſac.* cum pauco *alumine*, vel.

℞. *olei ovor. de ſemine lini* āā ʒx. *adip. hircini, terebinth.* āā ʒiij. *thuris, maſtich.* āā ʒß. *reſin. pini.* ʒj. *aloes* ʒij. *ſucc. tapſi barb. plant. ig. caudæ equin.* āā. ℥j. coque ad ſuccorum conſumptionem, tum adde *litharg.* ℥ß. *ceruſa* ℥j. *plumbi uſti, tutiæ* āā. ℥ß. m. in mortario plumbeo per horas duas ad coloris mutationem.

Sed præterea ad curationem notandum eſt, utrum ſint *profunda an ſuperficiales* tantùm, *calloſa* an *ſine duritie, recentes* an *inueteratæ*, nam *recentes ſanguinolenta* aut *à cauſis externis* & partu laborioſo excitatæ, ſolis adſtringentibus & glutinantibus adſtringentur, & fotu *ex decocto plantagin. roſar. ariſt.* cum *bolo Arm. ſang. drac. cortice thuris* ex quibus cum *album. oui, lana uel bombyce* exceptis, fiant Peſſaria; Fit ungu. ex *melle, uino rubro auſtero & vitellis ovorum* coctis in pulticulæ formam; lenit enim dolores, deterget, modicè adſtringit.

Si verò non ab extetna cauſa, ſed ab *humorum acrium* affluxu fiant, victus ratio & humorum idonea catharſis præcedere debent topicorum adminiſtrationem.

Si adſit *Condyloma* prius curari debet.

Si *pruritus* adfuerit & ſiccitas, fovendus eſt locus humectantibus, ut *decocto malvar. ſem. lini, juſculo capitis vervecis, mucilag. ſemin. pſyllij, cydon. pomata, butyr. rec.* Si *ardor* conjungatur, addi poterunt *ungu. popul. album camph.* aut *diapomph.*

℞. *Vngu. popul.* ℥j. *camph.* ℈ij. *ceruſſæ lotæ* ℈ij. *cum album. ovi* aut *lacte* f. ungu.

Pomata etiam valdè prodeſt.

Si ſint *calloſa* curantur emollientibus, ut *oleo lilior. medulla cervina, terebinth.* & aliis quæ dicta capite de Condylomate: deinde atterendus callus eſt, vel ferro, vel cauſticis medicamentis, deinde renovato ulcere ejus curatio procuranda, quod in hujuſmodi parte valdè difficile eſt ob exquiſitum illius ſenſum, nervoſam naturam & excrementorum continuum affluxum.

Si metus ſit *Cancri*, prædicta conveniunt ex ſuccis *portulacæ, plantag. pſyllij. ſolani*, & aliis cancro convenientibus.

Si verò ſint *maligna ex lue venerea*, adde prædictis

pulverem

pulocrem *Ioh. de* Vigo, aut *ſublim.* vel tangantur *aqua Fernelij* ad ulcera *Primiroſius.*

De Fiſtula Vteri

47. *Alia quæ Fiſtulam poſt ſe relinquunt.)* Ex inveteratis, difficillimis, depaſcentibus & perperam ac negligenter curatis ulceribus uteri (ſed præcipue ex tumore qui difficulter rumpitur, ac viroſum pus effundit) facile fiſtuloſa; ulceroſa & cavernoſa fiunt. Inter eas corporis particulas quæ fiſtuloſis ulceribus maximè obnoxiæ ſunt, non infimum habent locum *os uteri* & *pudendum* ipſum; nam præter plurimas acres & erodentes humiditates (quibus hæ partes abundant, quas ſcimus eſſe hujus affectus potiſſimas cauſas) carnis ſubſtantia & molliſſima compago facile monſtravit à quavis cauſa poſſe exedi, ac poſtea difficulter coaleſcere, quod calli eſt potiſſima occaſio.

Fiunt itaque in utero fiſtulæ, cum pus in abſceſſu aliquo, qui promptè non rumpatur, ſic excoriat prædictas partes, ut continentia à ſubjectis deducat ac ſeparet, deinde, eo utcumque vacuato, diſtantia inter ſe priſtinum ſtatum recuperare nequeunt, ut ex *Galeno* conſtat lib. *de Tum. p.n.*

Quia ærumnoſam vitam & multis periculis obnoxiā hujuſmodi affectiones accerſunt, ſi quidem ad inteſtina & ad veſicam adeo profundè aliquando permeant, ut urina & alvi excrementa per fiſtulam facilè inſtillent, antequam natura aſſueſcat per partem à recrementis partium prædictarum aut totius corporis expurgari, curandum eſt, fiſtuloſa ulcera ad coalitum ducere.

Corpore Diætà & univerſalibus præſidiis præmunito, ad localia pervenire poteris, In quibus adminiſtrandis *prima indicatio* quatenus ad effectum pertinet, docet *callum* prius obterere, nam cum ea quæ diſſoluta ſunt uniri minimè poſſint, callo in medio exiſtente, curandum primò eſt eum extirpare: Verùm quia peculiaris Fiſtulæ conditio eſt oſculum ſumme arctum & anguſtum obtinere, ipſum primo dilatabis, cautè tamen, ne veſica, aut rectum inteſtinum, quæ prope ſunt damnum perſentiſcant, & ſubinde convulſio, aut aliquid gravius, nova fluxione concitata, ſubſequatur: Primò itaque id tentabis immiſſo aliquo collyrio, quod conſtet ex *rad. gentianæ, ariſtol.* aut *brioniæ*, ſed probo magis *ſpongiæ elychnium* immittere, ſinendum 8. aut 10. hor. ſpatio.

Orificio ſatis patulo, callum uno è tribus modis extirpare poteris, medicamentis nimirum acribus & callum conterentibus; ſciſſione ac avulſione calli, vel partis uſtione; Si recens fuerit Fiſtula in qua callus non induruerit, aut flexuoſa non extiterit, vel plurimum maligna non fuerit; ſordida ac virulenta, ſolum quidem *medicamentis acrioribus* curari deſiderat, ſicuti dum calloſa eſt, ſinuoſave *ſciſſione*, ac dum ſordida vel maligna, *inuſtione*, Ergo ſi recens fuerit Fiſtula, callum conteret *radix gentianæ*, rad. *helleb.n.* rad. *ſpondilij* circumraſa & in collutione cum modico pulvere *Ioh. de Vigo* immiſſa &c. At ſi laborans non admodum imbecilla fuerit, nil facilius callum conteret, quam *penicillus aqua roſar.* madidus & modico *arſenico* intinctus: Si tamen fiſtula ſinuoſa fuerit, omnia hæc decocto aliquo liquefacito, & per metrenchyten injicito.

Verùm ſi Fiſtula antiquior, durior & calloſior fuerit, laborans tamen ſectionem vel uſtionem formidaverit, ad efficaciora veniendum E. g.

℞. *Vng. Ægypt.* ℥ß. *ſublimati* ʒß. *arſeni.* ℈j. *lixiv. & aq. plantag.* āā. ℥iv. *aqu. roſar.* ℥iij. *bulliant ad conſumptionem 3. partis*

Ejus medicamenti puſillum infundito, foramen obturando ne refluat; In eaſdem quoque & in ſinuoſas fiſtulas, ex aridis medicamentis per fiſtulam aliquid inſufflabis. Sunt etiam qui audeant *aquam argentariorum* in fiſtulas immittere, quod cautè in uteri ac pudendi malis efficere oportebit, ac nonniſi dum corruptionem veremur; Cum hoc tamen ſi in *pudendo* malum extiterit, facilius & tutius valida q[illegible] qu afferre poteris, Verum ſi in uteri oſculo debilioribus utere, reliqua verò pars citra damnum non admittit.

Quod ſi nec hæc quidem omnia ſufficere videantur, ad ſecundam curandi rationem deveniendum eſt; vel prænunciato periculo diſcedendum. Fit autem hæc inciſione uſque ad Fiſtulæ finem facta, & callo unguibus aut ſcalpro radicitus avulſo, ſeu excoriato, Quo facto ulcus detergentibus curato. &c.

At dum eò miſeriæ Fiſtula devenerit, ut non ſolum calloſa exiſtat, ſed virulenta quoque & maligna ſit, ad uſtionem venire nos cogit rei difficultas & imminentis mali timor: Fieri id ſolet, vel *candenti ferro*, vel *cauſtico medicamento*, quorum neutro in Fiſtulis oris uteri utendum eſt, ſed in iis tantum quæ *Pudendo* inſunt; Verùm ubi opus eſt, hac lege fieri debet: Scindes 1. univerſam fiſtulæ cavitatem, ſectionem arteriarum cavens; quo facto, ſpecillo prius per fiſtulam immiſſo, cujus ductu fiſtula diſcindatur, ellichniis partem firmabis, donec undique diſciſſa labia disjungantur; altera tamen vel tertia die *cauſticum* immittes, vel *ferro candenti*, ſi urgens ſit neceſſitas, *partem inures*, circumpoſitis quæ reppellant ac refrigerent medicamentis. Facto ulcere, mitigatorio uteris, ut *ol. cum ovi vitello*, tandem ad ea quæ cruſtas dejiciunt devenies, ulcus ſuperſtes ex arte tractando.

Hoc in hac curatione præ oculis habeto, quod ſi affectio ex *morbo Hiſpanico* originem habuerit, verendum minimè eſſe efficaciſſima admittere præſidia, quale illud eſt quod *argentum vivum* & *arſenicum* recipit. Verùm ſi ex alia cauſa prodierit, mitioribus ſemper utendum, *Mercator*, *l. 2. c. 25.*

De Cancro Uteri.

Definitio.

48. *De Cancro*) Cancer Vteri eſt tumor durus ac renitens in uteri corpore vel cervice dolorem acerbiſſimum punctorium ac lancinantem præ ſe ferens.

Cauſa.

Fit ab humore atrabilario in ea parte collecto, vel à ſcirrho male curato, qui facile in cancrum degenerat, in ea præcipue parte; ob ſanguinis copioſum affluxum, qui in venis ſcirrho vicinis retentus, nec ſufficienter per menſtruas purgationes evacuatus aduritur & malignam corruptionem acquirit. *Riverius Pr. l. 15. c. 10.*

In partibus quæ ſcirrhum patiuntur, ſi materia uratur, in cancrum vertitur. ſcirrhus ob materiæ ſimilitudinem: Fiunt enim iſti duo affectus à materia melancholica, *Cancer* ab aduſta, Scirrhus à craſſa frigida, nondum aduſta, & à pituita craſſa. Cognoſcimus ſcirrhum mutatum in cancrum, ſi cum prius eſſet ſine dolore ob materiæ frigiditatem, ſiccitatemque, dolorem ſentiat ob caliditatem & humoris acrimoniam facientis cancrum. Sentitur durities in utero, qualis erat in ſcirrho, & citra magnam uteri molem.

Cancer autem duplex eſt *ulceratus* & *non ulceratus*. Non ulceratus magna ex parte fit in corpore uteri, ulceratus in collo, vel in orificio ſuperiori; *Rondeletius Pr. cap. 74.*

Diagnoſis.

Diagnoſis ex definitione propoſita facile elicitur, ſi enim tumor durus ac renitens in uteri corpore aut

cervice percipiatur, qui dolorem punctorium ac lancinantem efficiat; Cancrum eſſe pronunciare poſſumus: Evidentius tamen diſtinguitur, ſi oculis perſpici poſſit, ut quando eſt in uteri cervice, ſpeculo matricis adhibitò; apparebit enim tumor inæqualis ac tuberoſus, liveſcens aut nigreſcens, venarum propaginibus, quaſi radicibus circumſeptus: ſi verò *ulceratus ſit*, ſaniem quandam emittit fulvam aut nigram, aut graviter olentem, interdum etiam ſanguinem ob eroſionem venarum quæ in partem decurrunt, tantâ copiâ interdum, aperto vaſe aliquo inſigniore, ut ægra vitæ periculum incurrat; His accedit febricula, anxietas, nauſea, pudendorum ardor & ſimilia, *Riverius.*

Cum incipit negligitur, quia magnam moleſtiam non affert, quo tempore poſſet prohiberi incrementum, medicamentis & optima victus ratione. *Rondeletius.*

Prognoſis.

De *Prognoſi* hoc tantum pronuntiare licet, Cancrum eſſe incurabilem, ſive ulceratus ſit, ſive non ulceratus. Quod quidem & de omni cancro, etiam partes externas obſidente verum eſt, ſic jure potiori de eo qui uterum obſidet, ſentiendum eſt, ob continuam ſuperfluitam illuviem quæ ad eam partem decurrit. *Riverius.*

Curatio.

Cum igitur *Curatio* integra ſperabilis non ſit, ad alteram quæ *Palliativa* dicitur, confugiendum eſt, eaque eò dirigenda, ut Cancri non ulcerati ulceratio prohibeatur, Et ne ulceratus majus incrementum ſuſcipiat. Et in utriſque doloris atrocitas temperetur. Quod fiet primum univerſalibus corporis evacuationibus, & aliis remediis quæ humorem melancholicum alterent, evacuent, ejuſque generationem impediant, è quorum numero ſunt miſſio ſanguinis, ex brachio, malleolis, hæmorrhoidibus, Potiones, apozemata, julepi, juſcula, lac, ſerum lactis, aquæ minerales, frigidæ & alia hujuſmodi, quæ ad cujuſliber cancri, in quālibet parte ſiti, curationem à Practicis vulgò præſcribi ſolent, Et Purgationes præſertim frequenter iterandæ ſunt, ut antecedens Cancri materia ſubtrahatur. *Riverius.*

Prohibemus Cancri generationem, ſanguinis miſſione è brachio vel ex poplite, apertione hæmorrhoidum, ut avertamur in partem proximiorem melancholicum ſanguinem; Purgatione frequenti, quæ non multum calefaciat & evacuet atram bilem aut craſſam pituitam.

Extrinſecus & Intrinſecus frigidis medicamentis & adſtringentibus ejus incrementum prohiberi poteſt, vt *oleo roſac. omphac. myrrh.* vel *ſuccis ſolatri & plantag.* cum pauco *aceto*: Permiſcentur ſucci cum oleis & fiunt *Embrocationes* vel *Unguenta*, vel excipiuntur farina & applicantur; Aquæ vel ſucci plantarum prædictarum injiciantur.

Si autem *exulceratus* fuerit, metallicis eſt utendum & *ungu. diapomph. Empl. de ceruſa*, nigro, & quæcumque parata ſunt *ex Antimonio, plumbo, ceruſa, tutia* vel *pompholige, &*, ut breviter dicam, quæcunque citra morſum refrigerant & exſiccant; Quare neque lacrymæ, neque alia medicamenta, aut attrahentia, aut digerentia adminiſtranda ſunt, ut *thus, myrrha, galbanum, aſa fœtida, ammoniacum, ſpica* & hujuſmodi.

Sunt diligenter læviganda ut collyria, deinde abluenda diligentiſſime, & ex illis unguenta paranda cum *ſuccis, oleo*, & *cera alba* vel *ſero hirci*, nam aliæ axungiæ putrefaciunt. *Oleum ovorum frequenter ductum & agitatum in mortario plumbeo* donec ſpiſſius reddatur, & plumbi colorem contrahat, efficaciſſimum eſt medicamentum.

Cinis cancrorum fluv. lotus in *aqua ſolani* permixto *pulv.* ex *plumbo* vel *antimonio*, ulceratum cancrum curare dicitur & creditur. Quod ſi non curat, ſaltem mitigat, exſiccat & depaſcentem cohibet: Nam difficillimum eſt partem eam induratam emollire & pritinæ ſanitati reſtituere; ſed metallica omnia partim repellendo, partim digerendo, citra morſum morbum leniunt; Hæc eſt cura quam *Palliativam* vocant. *Rondeletius. Pr. c. 74.* è, quo *Foreſtus* quædam deſumpſit.

Sequens Injectio Ulcerato cancro maximè convenit.

℞. *h. Roberti, verbaſci, ſcabios. chelid. minor. aneth. ſterc. hum.* ℔ā *q. v. comburuntur*, *de cinere accipiantur.* ℥ij. *aq. ſolani* ℥vj. excepta in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo agitentur; dein in uterum injiciantur. *Foreſtus* obs. 47. l. 2.

Inter topica ſequens cæteris præcellit.

℞. *ol. ex vitell. ovor.* ℥ij. *ſucci ſolan. & veron. vel ſemperv.* āā. ℥ß. *mercur. crudi* ʒij. *agitentur in mortario plumbeo donec craſſitiem linimenti acquirant.*

In uterum immittatur hoc linimentum cum turundis oblongis. Injectiones multò facilius immittuntur.

℞. *aq. hordei toſt. aqu. ſolan. & plantag.* āā ℥ij. *veron.* ℥j. *troch. alb. Rhaſis* ʒj. *ſacchar. ſaturn.* ʒj. f. Injectio.

Si dolor atrocior urgeat, adde ℥iv. *ſyr. papav.* ℥j.

Foveatur etiam pars affecta *aq. ſolani & plantag.* vel eorum decoctis, quibus addi poterunt *fol. nymph. papav. alb. roſ. rub. & camph.* Quod etiam decoctum injici frequenter poterit in uterum; quod efficacius fiet, ſi in mortario plumbeo agitetur, vel ſacchar. Saturn. admiſceatur.

Inter ſpecifica commendantur *ranæ lotæ & coctæ* appoſitæ, vel earum decoctio per injectionem adhibita; Tum etiam *decoctum* aut *ſuccus cancror. fluv.* in uterum injectus & *h. Roberti* ſumpta vel admota.

Cogimur aliquando, ob immanem dolorem ad *Narcotica* recurrere, quæ in hoc affectu, ob intenſum humorum fervorem minus nocent; vidimus mulierem, Cancro in mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus per iv. menſes *laudani* gr. ij. vel iij. innoxiè & cum magno ſolatio ſumebat.

Si ex cancro ulcerato multus ſanguis prodeat, ut ſæpe fit, injiciatur in uterum *ſuccus plantag.* cum tantillo *thuris* Lazarus *Riverius Pr. lib. 15. c. 10.*

Affectus iſte utplurimum inſanabilis eſt, ob craſſitiem enim humoris nec repelli nec diſcuti poteſt, nec purgationi cedit, Impoſita verò medicamenta mitiora contemnit, fortioribus exaſperatur; Quod autem inſanabilis ab *Hippocrate* iudicatus fuerit, inde facile elici poteſt, quia nec ejus curationem eſſe tentandam monuit *6. Aph. 38.* cui, licet contrarius videatur *Galenus 2. ad Glauc. c. 10.* qui incipientem cancrum ſe ſæpe ſanaſſe aſſerit, attamen ab Hippocrate non diſſentit, qui locutus fuit de curatione per partis amputationem, Galenus verò de factâ per purgationem, vnde & ipſe *6. Aph. 38.* carnifices medicos illos appellabat, qui cancros in palato, in ſede, in ſinu muliebri aut ſecuerunt, aut uſſerunt; Parvos autem & incipientes curare non prohibet *Hippocr.* ſine Chirurgia & manuali operatione. Paulus etiam aſſerit purgatiouibus incipientes ſaltem prohiberi poſſe. *Rod. Fortis Tr. de Morb. Mul.* cap. ult

Helleborus nig. inſignem in hoc morbo habet prærogativam, de quo narrat *Oribas. 3. de Morb. c. 48.* ſe mulierem quandam vidiſſe à Cancro etiam ulcerato liberatam à Medico in Inſula Coo, ſola ex Helleboro potione; Sic *Hiera* cum *veratro* laudatur à *Paulo* Infuſio hellebori

hellebori in vino ab *Avicenna*, Pomum hellebori à *Geſnero*. E. g.

℞. *Caſſ. recent. extr.* ℥ß. *extr. veratri nigr.* ʒß. *m. f.* boli, hora poſt præbendo *ſeri depurati* ℔. ij præmiſſa humorum præparatione.

Et quoniam atra bile evacuata, ejuſdem nova generatio inhibenda eſt, ideo jecoris & totius venoſi generis (*maſſæ ſanguineæ*) fervor contemperandus: In quam rem aliqui *ſuccos depuratos endiv. ſonchi* & *borrag.* proponunt. Alii *ſerum caprinum* aut *aſininum*, Aliqui *Aquas villenſes* aut *Nocerianas*. Quidam lac aſininum. Ætius præſcribit lac in quo ebullierint *cancri fluviat.* aut *gammari* noſtri, Nec abs re, cum alterans ſit eligendum humiditate alimentali, non excrementitia præditum. Quare *ſucci* primò, mox *lac* propinari debent, progreſſu namque temporis Patientes emaciari ſolent.

Dum autem jam dicta peraguntur, *Topica* ſunt ſemper parti admovenda, quæ ab initio quidem *reprimentia*, mox parum *laxantia* & *reſolventia*, Sed præ omnibus *dolores demulcentia* deſiderantur. Initio præſtantiſſimus eſt *ſuccus ſolani* injectus ex *Galeno* & *Paulo*. Secundo loco *lac chalyb.* cum *ol. roſac.* in mortario plumbeo agitatum. *Succo ſolani* utiliter commiſceri poterit ſuccus *Cancror. cont.* Idem, ibid.

Cancer curatur per *ranam effoſſam*, quam gluten de aqua nominant. Ranam alligant baculo & eam radiis ſolaribus exponunt, ut ſic tetrahatur in primam quaſi materiam, forma quidem ranam, ſed velut tragacanthum liquatum referens. *Oſv. Grembs, p. 323.*

Probatiſſimi uſus eſt medicamentum quod

℞. *Succi ſolan. aut pulver. aut aqu. ejus deſtill.* ʒ v. ß *tutiæ preparatæ, plumbi uſti* āā ℥ iß. *Campb.* ʒ vi. moveantur piſtillo diutiſſime & projiciantur in uterum. *Mercatus.*

Perutilis eſt & à me multoties probata Aqua ſequens.

℞. *ſtercor. bub.* ℔. iv. *H. Roberti, plantag. ſemperv. hyoſcyam. portul. lattucæ, endiv.* āā *m. j. cancr. fluv. n°.* xii. *piſtentur omnia ſimul, deſtillentur per alembic. plumb.*

Servetur liquor & de eo fiat Injectio frequens in uterum, *Ambroſ.* Paræus, Ch. l. 6. c. 40.

De Gangræna Uteri.

Cauſæ & Subjectum.

49. *Et Gangræna.*) Contingit interdum ut inflammationi, ulceribus, aliiſque affectibus gangræna ſuccedat, unde totus etiam uterus corruptus fuit & ſponte excidit, aut ſectione ablatus fuit; ut *Roſſetus l. de Partu Cæſar.* & *Schenckius in Obſ. narrant.*

Facile autem hæc pars ob caliditatem & humiditatem, ac excrementorum, quorum receptaculum eſt, copiam putreſcit, & quoniam libere non perſpirat, Gangrænam incurrit, & procedente malo etiam *ſphacelum*, ſive abſolutam mortificationem.

Fit autem ex *Cauſis* omnibus, quæ calorem partis nativum extinguere valent, quales ſunt. I°. magna humorum calidorum ſive frigidorum copia, eaque tanta, ut partis inſitum colorem obruat & ſuffocet; ut in magnis inflammationibus, tumoribus, abſceſſibus, cum plus ad partem affluit, quam coquere ac permutare poſſit, ſed maximè ſi aliquis in curatione admiſſus fuerit.

II. Venenata humorum maligna qualitas, ut in cancro & ulceribus mali moris, maximè ſi importunis remediis curentur.

III. Aëris frigida intemperies, nam frigidum nervoſis partibus inimicum, unde uterus procidens, aëris appulsu alteratur, nigreſcit & tandem emoritur.

IV. Medicamenta aut narcotica quæ calorem extinguunt, aut nimium calida, ut cauſtica & ſeptica quę eundem deſtruunt.

V. Contuſio, obſtructio, arctior ligatura verrucarum clitoridis; quando hæc curatio contingit, ſpiritus vitalis influxum prohibent, unde ſenſim innatus perit & exolvitur: Potiſſimum autem *in collo pudendi* provenit ex inflammatione, cancro & ulceribus malè curatis.

Signa.

Signa ſunt calor primò inſolitus, cum febre lenta, partis color l vidus, nigrescens, mollis, cadaveroſus, cum ſenſus deperditione; Adſunt quidam horrores & tremores corporis, animi deliquia, partis fœtor.

Prognoſis.

Malum graviſſimum, cui niſi citò ſuccurratur, vicinas primum partes, dein univerſum corpus putrefacit & extinguit, mortemque affert.

Curatio.

Ad *Curationem*, Siſtenda primum putredo eſt, & quod corruptum eſt, auferendum, & ſymptomata mitiganda; Arctior ligatura ſolvenda eſt; materia venenata alexipharmacis corrigenda, dein pars decoctis calidis abluenda, ex *meliloto, chamam. abſynth.* & *theriaca cum aqua vitæ*, non omiſſis interea levibus inciſionibus; Humoris copia *purgatione* aut *venæ ſectione* tollenda, deinde abluatur pars *decocto plantag. ſolani*, aut earum *Succo cum aceto*: Ad evacuationem autem humoris in parte contenti, & partis difflationem, ſcarificetur uſque ad partem ſanam, & poſtea abluatur vel *aqua ſalſa*, vel *decocto abſynth. lupinor. myrrh.* in lixivio facto; vel *ægyptiaco* cum *aqua vitæ* vel ſola *aqua vitæ*, in cujus ℥ iß. cholcotaris ℈ß. diſſolvatur, vel ℈ j. Dein ſcarificationibus ſuperponatur *ægyptiacum* linteolis exceptum; aut cataplaſma ex *farinis fabar. orobi, lupinor* coctis *in oxymel.* quod efficacius erit; Si addamus *aloen, maſtichen, myrrham, ſal comm. mel roſat.* aqu. vitæ; nam putrefactionem prohibet, exſiccat, dolorem ſedat, partem roborat.

Si malum contumax eſt, uti poterimus *Trochiſcis Androm* vel *ſublimato* diſſoluto in *vino* aut *melle roſato*, ſemper imponendo *Catapl. ex farinis*

Verum in ejuſmodi parte acria minus conveniunt, præſtat prioribus uti, quibus ſi malum non cedat, pars corrupta amputanda eſt, aut ſectione aut uſtione, uſque ad carnem ſanam: Demum cor cardiacis roborandum, ut *theriaca, mitridatio pulv. diamargar.* de gemmis & ſimil. internis & externis. *Primiroſius.*

Cap. V.

De Morbis Uteri. & 1. De Intemperie uteri.

2. Morbi uteri ſunt, *Intemperies, vaſorum anguſtia, Inflatio, Inflammatio, Scirrhus, Hydrops, Procidentia, Vulnera & Vlcera.*

Intemperies uteri eſt ejuſdem à temperie ſua naturali [3] *ad præternaturalem intemperiem, à cauſis externis & internis exorta, deflexio.*

Dividitur bifariam.

I. Alia eſt [4] *Calida*, quæ.

[5] *Cognoſcitur* [6] ex pronitate in venerem, menſtruorum paucitate, flavedine, nigredine, aduſtione, acredine, difficili & inordinato fluxu: unde progreſſu ætatis hypochondriacæ evadunt, pilorum in pube tempeſtivo exortu, faciei rubedine & labiorum ſiccitate, dolore capitis frequente, & bilioſi ſanguinis in corpore abundantia.

Oritur [7] vel *ab ortu*, unde viragines & ſterilitas: vel *poſt Ortum*, à cauſis externis, inter quas calidor. uſus, nimia venus, medicamenta, quæ calorem & ſanguinem ad uterum concitant.

Curatur I. [8] *Diætâ oppoſitâ*.

II. *Medicamentis* [9] *refrigerantibus*, tam internis [10] quam externis, quæ lumbis & dorſo applicantur: ſed [11] illis moderatis, ne calor ad conceptionem neceſſarius debilitetur, ſubſtantia uteri frigida, [12] quia membranoſa, violetur, vaſa quæ ob fluxum menſtruorum patere debent denſentur, & nervi qui in lumbis & dorſo, lædantur.

III. [13] *Evacuantibus*, Rhabarbaro nempe, ſyrupo roſarum ſolutivo: Manna, &c. *Flores vitrioli Veneris & Martis* à gr. iii. ad vj. aliquo ſyrupo, appropriatum eſt in utero purgans.

[1]. *Intemperie vteri*) Vterum variæ intemperies occupant, de quibus agendum, quoniam ipſius facultates lædunt, aut menſtruorum vacuationem, aut conceptionem aut fœtûs geſtationem; Sunt autem variæ, ſimplices vel compoſitæ, ſolitariæ aut cum materiâ. *Primiroſius.lib. 2. c. 6.*

[2]. *Morbi vteri*) Vterus, cùm ſit centrum muliebrium affectuum, qui omnes virtutes ejus debilitant, quæ in eo alioquin maximæ ſunt, vnde plurimùm etiam cum ſpiritibus influentibus, quorum beneficio natura id quod vitioſum eſt, ac vtero contrarium, extinguere geſtit, materia humiditatis excrementitiæ accurrit, Ideoque cùm in vtero plurimum virtutis adſit, in eo etiam plurimùm eſt vitij, quocirca infiniti fermè morbi eum afficiunt, phlegmone, abſceſſus, vlcus, cancer, ſcirrhus, mola, inflatio, hydrops, calculus, in cervice ejus rhagades, &c. *P. Ioh. Faber Path. ſpag. cap. 60.*

De vtero hoc ſufficienter claret, quòd in toto corpore humano nullibi, quàm in generationis aulâ virtutum & vitiorum certamina ſint atrociora, Imò hoc ipſum eſt, quod & Phyſici, & moralis ſcientiæ Magiſtri in genere ſuggerunt; Illi dicunt, v. g. ex optimo vino fieri optimum acetum, quod nihil aliud eſt, quàm manifeſtum vini vitium; Hi docent illud, quòd maximam virtutem habet, ſi eâ carere incipiant, & virtutis ſtimuli obſtupeſcant, aut exorbitent, confeſtim peſſimarum rerum paſſionibus abundare, adeò vt maximæ virtutes degenerent ſæpiùs in maxima vitia.

Quum ergo vterus maximas multaſque poſſideat virtutes, neceſſum eſt, vt habeat nobiliſſimum & planè virtuoſum, ac validiſſima authoritate, aut dominio pollentem Archeum, ſeu ſpiritum inſitum, adeoque ejus vis, ejus magnetica & attractiva exiſtat, maximéque inſignis, vt nempe convocando copiam ſpirituum influentium functionem præſtabiliſſimam, decenter feliciterque in hac generationis officinâ expedire poſſit, vnde *Paracelſus* etiam totius mundi naturam in ſe continere matricem haud abſonè affirmavit.

Sed magis appoſita eſt adhuc matricis cum arbore conſpiratio, quam itidem *Paracelſus* inſtituit; Vt arbor, *ait ille*, potenter è tellure, cui implantata eſt, de omnibus elementis aliquid, & quicquid ipſi neceſſarium eſt attrahit & abſorbet, ita etiam & comparatum eſt cum vtero & corpore muliebri, quorum hoc terræ, ille autem arboris vices ſuſtinet, ac proinde ex terrâ hac muliebri, vt ſic loquar, ſanguinem & ſuccum fortiter aſſugit, & allicit, vt fœcunditatis lac benignitatis ſuæ beneficia in pignus ſibi concreditum, debito modo transferre, atque ſic generationis negotio præeſſe queat.

Si igitur contingat (vti totâ die accidere ſolet) vt corpus muliebre cacochymiâ ſit inquinatum, & excrementitiarum humiditatum abundantia ſcateat, ſtatim evidens eſt cauſa, vnde vterus omnes propemodùm totius corporis morbos concipere & fabricare ſoleat ac queat, Nempe vitia ſub virtutum nomine obrepunt, & humorum excrementitias impuritates ac ſuperfluitates ſub titulo ſpirituum influentium, atque cum vniverſali illo corporis nutrimento, ſeu ſanguine accurrunt, vt ait *Faber. in Pathol.*

Hinc illa quoque comparandi ratio egregiè quadrat, quâ *Paracelſus* vtitur; Vt mare, *ait*, eſt aquarum omnium, quæ huc confluere debent, quædam matrix, ita vterus quoque eſt mare earundem humiditatum, & ſuperfluitatum, & quarum cauſâ tantæ exæſtuationes, turbæ ac tumultus in vtero fieri poſſunt.

Si menſtrui fluoris neceſſitatem, quæ ſequiori ſexui à naturâ impoſita eſt, conſulamus & juxta ponderemus, quàm facili negotio juxta hoc expurgandi negotium, errores contingere queant, res multò luculentior evadet, ſicuti ex doctrinâ de menſium ſuppreſſione id conſpicuum eſt.

Si perpendamus etiam œconomiam generationis, conceptionis & formationis fœtus in vtero ineſſe, illamque ſine validâ & ſedulâ impuri à puro, & inutilis ab vtili ſegregatione fieri non poſſe, ſubſumere non difficulter poterimus: quâ ratione in hoc quaſi ſacco humiditates excrementitiæ congerantur, illæque in putredinoſam & virulentiſſimam non rarò naturam, (cujus rei vel ſola purpura, illa puerperarum truculenta furia, teſtis eſſe poteſt) abire conſueverint; præmiſſis hiſce, concluſio ſponte ſuccedit, ex vtero, tanquam perenni fonte, morbos emanare monſtroſos, lernæos, & ſæpenumero Herculeâ etiam clavâ inſuperabiles, imò tam horrendos aliquando, vt vterina hæc mala, vix ab incantamentis diſcerni poſſint; aut iſtis non adeò abſimilia exiſtant: Atque ſic capere inſimul poterimus, quomodo juxta *Helmontium*, vteri cum corpore commercium, ac ſingularis conſenſus ſit hoſtis vnitatis & diſcordiæ infinitæ fomes evidentiſſimus, potentiſſimus, & quomodo vterus tantas & tam magnas tragœdias concitare valeat. *Chriſt. Langius Pathol. Anim. c. 60.*

[2]. *Morbi vteri*) *Quorum noxa ad reliquum corpus ſæpè diffunditur*, hinc illud veriſſimum, etſi primâ fronte dubium videtur, *Fœminam omnem morbum bis pati*; Hinc verè *Helmontius l. Aſthma, Tuſſis &c. §. 17.* inquit, *ſexus muliebris ſemel omnes propemodum morbos*

morbos patitur ex vtero, Vterumque eoſdem quatenùs ex vtero: Si enim ex Hippocrate vterus omnium morborum cauſa eſt: *l. 2. de N. M. in principio.* Si idem juxta *Democritum* apud eundem. *l. de N. H. t. 77. Vehemens malum, infinitarum ærumnarum in* muliere cauſa, æquè tamen expoſitum corpus communibus cum viris ægritudinibus, merito duplici jure fœminæ morbos omnigenos ſuſtinent.

Vterus quoddam centrum morborum conſtituit, ex quo omnes quaſi lineæ quædam ducuntur, omneſque illuc ex toto corpore confluunt; Claves vniverſales gerit ad omnium viſcerum fermenta, & ſeorſim morbos fabricat, in totum redundantes & ſibi proprios ac domeſticos. Longum foret in ſingulis culinis hujus viſceris ſcrutari & recenſere imperium, actionemque regiminis, cui partes in corpore clientelam debeant, *Febres* ex vtero ſpirare damno ſuo experiuntur ægræ: *Caput ab vtero dolere, vertigine rotari, motus convulſivos* pari, non minùs ac corpus totum reliquum, imò & *Furores* inde enaſci, quotidiana docet praxis. *Cor palpitare, exolvi animum* ex eodem fonte inter conceſſa eſt. *Aſthma* & ſuffocationes inde oriri notum: Ventrem verò infimum *vomere, nauſeare, tumere, dolere, convelli, conſtringi* ex vteri afflatu non minùs eſt, quàm veriſſimum.

Sin ſeorſim animo perpendamus, quantas claves ſuomet in nido parturiat, vix recenſendis iis parem invenire licebit orationem; Quod omnes in vniverſum experiuntur partes, hic ſeorſim habitat morborum genus, Hîc intemperiem, obſtructiones, fluores, tumores, dolores, vlcera, quin & flatus ſtabulantur, & ſe produnt.

Facilè hinc patet, *multùm differre muliebrium morborum ac virilium curationem*, vt denuò loquamur cum *Hippocr. 1. de m. m. ex. 48. Neque.* hinc pro communibus habendi veniunt, qui muliebres ſunt omninò, (quod vel hodiè non pauci contendunt *Sylvius, Willis, Etmuller*) nominatim in hyſtericis morbis, omnia ferè aliunde malunt arceſſere φαινόμενα, quàm ab vtero; vidiſſe ſe in viris eadem ſymptomata aiunt, vt ovum ovo ſimilia; neque tanti eſſe illud diſcrimen, vt aliam inde notionem concipere neceſſum ſit.

Ab vno extremo ad alterum præcipitandæ non ſunt cogitationes, ſed ſuum cuique tribuendum, etiam in morboſarum cauſarum claſſe: Vulgus ſæpè fallitur, quòd promiſcuè vterum pari clamitat, aſt vulgò contrà medici pejus labuntur ſæpè, qui in manifeſtis ſenſum dimittentes, ſublimiùs librare ſuſtinent iſthæc, & vterum omni vacare culpâ indiſcriminatim adſeruerunt.

Subit in mentem Platonis in Timæo locus; laudatur etiam *Galen. lib. 5. de l. aff.* vbi ζῶον animal vocat vterum, quod paſſim per corpus oberrans, meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtiis, morbis denique omnibus premit: Non ζῶον quidem eſt ille, at motu tamen juxta ac ſenſu præditus, quo jucunda veſtigando affectat, contra infenſa ſibi averſari & refugere, indeque indignari queat. &c. Wedelius Exerc. vj. Dec. 1.

Intumeſcentia vteri, ventris Tumorem inducens, à ſanguine in venis circa illum coacervato.

2. *Morbis vteri*) Adde his ventris extumeſcentiam citra conceptum, aliquando contingentem, cùm vt in gravidis ille augetur, ita vt & mulieres ipſæ, atque inter eas etiam aliquæ, quæ priùs vterum quoque geſtarunt & pepererunt, ſe gravidas eſſe putent; Eadem de virginibus, ſi hoc illis accidat, ſuſpicio, tum ventris excreſcentiæ cauſâ, tum quia menſes illis ſubſtiterunt, tum quia nullo alio morbo illiuſque accidentibus gravioribus, quæ aliàs menſium ſuppreſſioni juncta eſſe ſolent; vti nec hydropis aliorùmve ventris tumorum ſymptomatibus, ab initio præſertim infeſtantur; Ex quorum etiam ſignorum defectu, hanc ventris exuberantiam ab illis tumoribus ventris in morbis illis natam facilè diſtinguimus.

Ab illo verò Tumore ventris, qui ex conceptu tam legitimo quàm depravato prodit, hunc internoſcimus, ſi ætatem habilem ad conceptum annis fœmina ſuperarit, vel nondum attigerit, licèt niſi juvenes admodum ſint, aut ætate provectiores, hoc quoque judicium nos poſſit fallere, vti minimè, ſi virgo ſit; quod tamen cognoſcere, ſi conſuetudinem cum viro occultare velit arduum: Interea tamen; quia illarum ventris tumor non adeò collectus, durus & æqualis, vt in gravidis & molam geſtantibus exiſtit; deinde & quia illis mammillæ non ſic augentur, nec motum qualem fœtus edere ſolet, percipiunt, & ſigna plethoræ, vel alioquin malæ conſtitutionis, in languore, cõpreſſivo circa regionem ventriculi dolore, pallore, cordiſque palpitatione, vrinarumque in pejus mutatione, ſe proferunt; atque aliquando aliis inſuper accidentibus ſupervenientibus, tumor ventris vlteriùs ſe extendens, totum ferè attollit, murmuraque & rugitus edit, hiſce indiciis non à conceptione fœtus, ventris hunc tumorem proveniſſe, nec mulierem gravidam eſſe, aliquo modo poſſumus colligere.

Vti neque *molam* eſſe graviora hæc in hoc caſu, quàm in illo vitia ſuborta demonſtrant, ſicuti & quando tempore partus alioquin deſtinato præterito, de *mola* vel de hoc caſu ſuſpicio eſt, potiſſimumque & indubitanter, quando hæmorrhagia ſubſequente per vterum, citra carneam aliquam molam, quod aliàs citiùs ante legitimum pariendi tempus, aliàs poſt illud demum accidit, venter vel ſenſim, vel ſubitò rurſum ſubſidet, quod cum largiſſima ſanguinis, ſi fiat effuſione, vires exhauriendo ægrum ſummè debilitat, noxaſque poſt ſe relinquit, vel eam penitùs conficit.

Hanc *vteri intumeſcentiam* à *ſanguinis copiâ & collectione* illic proficiſci, vel hoc ſatis demonſtrat; quòd menſtruus fluxus in illis diù ſubſtiterit, tumorque ille non poſt partum aliquem fœtus aut molæ, vel alterius humoris excretionem, ſed hæmorrhagiam copioſam ſupervenientem ceſſet & ſolvatur; Hunc autem ſanguinem, non quòd ſe in vteri cavum inſinuet, vterumque adimplendo dilatet, in tumorem ſic eum attollere inde patet, quòd cùm carnoſus & nervoſus ſit, non ita ac ſi membraneus eſſet, ex repletione alicujus humoris, diduci; nec niſi vnà cum fœtu aut molâ excreſcendo augeri atque ampliari queat, & quòd ſi ſanguine impleretur, ille tam longo tempore quin effluerer, retineri minimè poſſet; vel ſaltem eum concreſcere & corrumpi, interea neceſſe eſſet, quod tamen non fieri, cùm fluidus adhuc eum prorumpit, exiſtat, & licèt aliqui grumi cum eo prodeant, hi in morâ portionis alicujus illius inter effluendum primùm nati ſunt, ſufficienter comprobat: quibus moti, hoc pacto potiùs *vteri hanc intumeſcentiam* gigni putamus, quòd ſanguis longo temporis ſpatio in vteri *vaſis*, quæ eum implicant, retentus & congeſtus non ſolùm extrinſecùs in ambitu uteri, ea dilatet, atque vti de tumoribus dictum tumida, fortè & varicoſa, reddat, ſed in ipſâ craſſâ vteri ſubſtantiâ, venæ illæ intextæ, quæ aliàs minimæ ſunt & vix apparent, tunc impletæ ſenſimque dilatatæ, vteri ſubſtantiam quoque nonnihil attollant, ampl oremque efficiant; & ſic illius hic tumor, & venarum illum ambientium dilatatio, intumeſcentiam illam ventris proferat; quæ & proin fluxu menſtruo redeunte, poſtquam venæ illæ inanitæ ſunt, ſubſidentque, iterum evaneſcit; niſi alio affectu inſuper accedente, veluti cachexia aut hy-

BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

dropis initio, à flatibus vel aquâ venter ampliùs diſtenſus, (ſicuti hoc etiam illis quæ ex fœtu gravidæ ſunt, accidere ſæpe vidimus) tumor ille aliter ſe offerat, nec per hæmmorragiam integrè ſolvatur.

Talem ſanguinis in venis vteri ſuppreſſionem & collectionem, & hinc natum ventris inferioris tumorem, cum inflatione aliquâ & diſtenſione mamillarum, perinde ut in gravidis fieri ſolet, conjunctum, in duabus mulieribus plethoricis obſervavi, quibus ego primus prægnationis, quam vnice ſperabant & optabant, opinionem conceptam exemi & quæ paulò poſt largiore menſium fluxu ſubſequente, & à mamillarum inflatione, & à ventris tumore liberatæ ſunt. *Platerus.*

3. *Ad præternaturalem*) Omnes intemperies, vt docet *Hippocr. 5. aph. 62.* ſterilitatem inducere poſſunt, & præterea etiam alia plurima incommoda, circa menſtruorum purgationem & fœtus geſtationem: nam *Calidæ* menſes habent pravos, difficiles, inordinatos; furore vterino interdum corripiuntur, fiunt tandem hypochondriacæ: *Frigidæ* verò menſium obſtructiones ſæpè patiuntur, & fiunt ſteriles: ſicut *humidæ* & *nimiùm ſiccæ*: Difficillimè autem ſiccitas emendatur, reliquæ minùs curatu ſunt difficiles, quamvis quælibet illarum, ſi diù duraverit, ægrè curetur. *Primiroſius.*

4. *Calida*) A calida ducemus initium, quæ ad omnes vteri actiones promovendas & conſervandas efficaciſſima eſt, quamdiù naturæ limites non excedit; aliàs conceptioni nocet, ſeminis calorem diſſipando. *Primiroſius.*

5. *Quæ cognoſcitur*) Signa intemperierum vteri à quatuor fontibus deſumenda, menſtruorum diſpoſitione, veneris appetitu, conceptione, & pilorum naturâ. *Primiroſius.*

6. *Cognoſcitur ex pronitate &c.*) Et ex habitu virili ac robuſto, qualis in viraginibus exiſtit facie rubicundâ, pilis ac ſuperciliis nigris, voce forti ac virili: his addatur frequens iracundia, ad omnes actiones promptitudo nimia, ſitis inexpleta, vrina flava, menſtruorum acrimonia, vt ſæpe pudenda exulcerent, pruritus genitalium, magna ad venerem proclivitas, prompta & celer ſeminis in coitu excretio, pollutiones frequentes, ac libidinoſa inſomnia *Riverius.*

Pili in pectine & cruribus multi ſunt, craſſi, venæ ſunt amplæ, pulſus magnus; *Primiroſius.* menſtruorum paucitas, caliditas, acredo, nigredo, inordinatus fluxus. *G. Blaſius.*

Si calida fuerit intemperies vteri, illius in corde & hepate ſigna elucebunt, quoniam totius corporis conſtitutio ſequi ſolet temperiem lecoris & cordis, (*hæc autem ſequuntur temperiem maſſæ ſanguineæ*!) bilis copia magna eſt &c. *Primiroſius.*

7. *Oritur vel ab ortu*) Intemperies calida *nativa* vt ſeminis ſanguiniſve menſtrui conditioni debetur, ita *poſt ortum* adveniens *ſanguinis caliditati excedenti*, quandoque medicamentis externis vtero adhibitis, aut ſemine virili admiſſo. *G. Blaſius. Ther. ſp. p. 257.*

7. *Oritur vel ab ortu*) Quibuſdam naturalis eſt, aliis autem vſu rerum calefacientium, alimentorum & medicamentorum contingit, vt vini generoſioris, ciborum calidorum & piperatorum, exercitiis, laboribus, venere multâ, & aliis ejuſmodi. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Magnum ſatis malum, ſterilitatis ſæpè author, hypochondriacique affectus, necnon furoris vterini; Diuturnos inter morbos vix recenſeri meretur: rariſſimè lethalis ex ſe. *G. Blaſius.*

8. *Diæta oppoſita*) Victus ratio talis ſit, Aër calidus, *vigiliæ* longiores, *cibi* potius aſſi quàm elixi; *carnes* avicularum montanarum, perdicum, caponum, &c. vitentur piſces, legumina, lacticinia, fructus horæ; & recentes, conveniunt paſſulæ, ficus, *ſemina* aniſi, carvi, fœnic. apij, coriandr. cinnam. caryoph. & quæcunque vterum calefacere poſſunt. Potus ſit vinum generoſum. *Primiroſius.*

9 *Medicamentis refrigerantibus*) Cavendo ſemper ne nimium refrigeremus, quia vterus cùm ſit nervoſus, frigidis valdè offenditur. *Primiroſius.*

10. *Quàm externis*) Extrinſecùs Balneis aquæ dulcis vtatur, Renes ungat *cerato refrigerante Galeni vng.* roſacco &c. *Primiroſius.*

11. *Sed illis moderatis*) Notandum tamen remediis eſſe vtendum diù & conſtanter; nonniſi intemperies omnis longo tempore introducitur, ideò nonniſi temporis diuturnitate emendatur. *Primiroſius.*

12. *Quia membranoſa*) Quapropter in uteri affectibus noxium eſt acetum, vt docent *Hipp. & Galenus 3. acut.* (*quod ideò* ὑστεραλγὲς *audit*) Cur autem acetum ventriculo, minùs quàm vtero noceat, rationem reddit Avenzoar, 1. quia ventriculus longo tempore, & ciborum aſſuetudine contrahit callum quendam, vnde minùs offenditur, vterus verò minùs aſſuetus læditur 2. quia ſtomachus magis carnoſus eſt, quàm vterus, vnde minus percipit aceti acrimoniam, 3. quia ventriculus humoribus craſſis oblinitur, qui aceti punctionem retundunt: Verùm tamen, forſan, ſi acetum merum ipſi vtero inderetur, vt pars ejuſmodi nervoſa & valdè ſenſilis maximè læderetur; at ex ipſis medicamentis, in quibus parùm aceti admiſcetur, non ita læditur, quia ventriculo primùm excepta, aceti vires retunduntur, antequam ad vterum perveniant. *Primiroſius.* Præterea aceti vis ad vterum priùs non pertingit, quàm maſſæ ſanguineæ remiſceatur, in qua plurimùm illius vires retunduntur.

13 *Evacuantibus*, Quibus tamen opus non eſt, vbi ſola adeſt intemperies: At ſi ſanguis redundet, venæ ſectio adminiſtranda ex baſilica dextri lateris vel ex ſalvatellâ, ſi minor ſit copia; vel etiam ex pede, ſi id fieri expediat. *A Caſtro.*

14. *Cognoſcitur ex minore*) Adde ſtupidum ſenſum circa pectinem, lumbos & crura; crudi ac tenuis ſeminis excluſionem, & cum exigua voluptate: Accedit prægreſſa victus ratio refrigerans, in fructuum & olerum vſu diuturno & largo frigidæ potu conſiſtens. *Riverius.*

Alia eſt *Frigida*, calida frequentior, quæ.

14. *Cognoſcitur* ex minore veneris appetentia, & exigua in ea voluptate, menſium ſubſiſtentia, mucoſitate, pituitoſitate, & inordinato fluxu propter ſimilium humorum in utero collectorum copiam: unde obſtructio, flatuum in utero copiâ, ſeminis cruditate & aquoſitate, unde iſtius ſine voluptate fluxus, faciei colore pallido, & cæteris ſuperiori oppoſitis.

15. *Oritur* & à cauſis iiſdem contrariis.

16. *Curatur.*

I. 17. *Diætâ oppoſitâ.*

II. *Medicamentis calidis*, utero applicatis inter quæ excellunt *Internè. Radices Ariſtolochiæ, Cariophyllata*

riophyliatæ, Angelicæ, Eryngii, Folia Mercurialis, Meliſſæ, Dictamni Cretici, Pulegii, Salviæ, Roriſmarini, Artemiſiæ. Flores Cheiri, Calendulæ, Salviæ, Anthos, Borraginis. Aromata, Nux moſchata, Cubebæ, Crocus, Cinnamomum.

18. Ex *Compoſitis ol.* Macis, ſuccini, de Myrrha, Cinnamomi, *Fæcula* Brioniæ, *Aqua* vitæ mulierum, *Extractum* Zedoariæ.

19. *Externè* eadem in ſuas formas redacta.

14. *Cognoſcitur ex minori.*) Vt plurimùm pituitoſi humoris magnus eſt proventus; Eſtque hæc magna ſterilitatis cauſa; non enim concipiunt quæ frigidos & ſpiſſos habent vteros. 5. *aph. 62. Primiroſius.*

15. *Oritur & à cauſis.*) Cauſam habet ſanguinem frigidum, ſuis à cauſis dependentem; adjuvant tamen hic medicamenta applicata aut injecta, Aër externus, &c. *G. Blaſius.*

16. *Curatur*) Si pituita ſimul admiſta ſit, vacuari poterit *phlegmagogis*, *vomitus* quoque convenire poterit, & hæc, quoties opus erit, repetantur. Poſt redeat ad vſum calefacientium & exſiccantium.

Conſerv. flor. anthos. Zinzib. cond. cortic. citri & ſatyr. cond. ãã. ℥ß. *conſ. meliſſæ* ℥j. *pulv. aromat. ros. diamoſch. diambræ*, ãã. ʒjß. *ſem. fraxini, ſeſel.* ãã. ℈j. *galangæ, nuc. moſch.* ãã. ʒß *ras. eboris* ʒj. *cum ſyr. conſerv. cort. citr. f. elect.*

Sed præterea laudantur Sudorifica, ex decoctis *ligni guajaci, chinæ, ſaſſafras &c. Primiroſius.*

Radices) *Et calami arom. pimpinellæ, galangæ, cyperi, biſtortæ, coſti imperat. leviſtici, quæ etiam vterum roborant.*

Folia) *Betonicæ, majoranæ, melanthij, lauri.*

Flores) *Romarini, lavendulæ.*

Aromata) *Caryoph. macis, ſpica nardi, ſchænanth. Zedoar. benzoin.*

Inter quæ excellunt) Adde recenſendis ex ſimplicibus, *Gummi ſtyracem, thus, maſtichen.* Ex animalibus, *moſchum, Zibet. caſtor.* marina, *ſuccinum, corall. ambram.*

Ex compoſitis) Aquæ ex prædictis ſimplicibus, *cæleſtis, imperialis, mariæ, ſpir. caſtorei*, Conſervæ, *flor. betonicæ, anthos, ſalviæ.* Condita, *acorus cond. nux moſch, nuces vir. myrobal. ſatyrion, eryng.* Confectiones, *Triphera* magna *ſine opio*, Elect. *diamoſch. diambr. aromat. roſat. de gemm. diagalanga*, Trochiſci, *galliæ & aliptæ moſch.*

17. *Diæta oppoſita.* Victus ſit refrigerans & humectans, ſed maximè vitet venerem, quæ vterum calefacit: *Primiroſius.*

18. *Ex compoſitis*) Ex ſimplicibus fieri poſſunt variæ medicamentorum formulæ, & 1. *Aquæ.*

℞. *Zedoar. macis, cinnam. galangæ, nuc. moſch. cubeb. cardami* ãã. ℥j. *caryoph. Zinzib. piper.* ãã. ℥ß. *fol. menth. meliſſæ, ſalv. majoran. matricar. artemis. roſmar. puleg.* ãã. *m. j.* contundantur omnia, & infundantur in *vini Hiſpan.* ℔vj. per dies IV. dein deſtillentur lento igne ad medias; Sic enim totus ſpiritus extillabit, Reliquum effundatur, & lento igne exſiccetur ad melleam craſſitudinem, & fiet *extractum hyſtericum.*

In eundem finem fieri poſſunt. *Syrup.* & *apozemata.*

℞. Radic. *valerianæ, fœnic. rubiæ, eryngii, enulæ, cyperi, galangæ* ãã. ℥ß. *angel.* ʒij. *folior. chamedr. majoran. puleg. calaminth. origani, ſabinæ, matricar. ſumm. thymi, lavend.* ãã. *mj. artemis. m.* ß. *ſemin. aniſi, ſeſel. liguſt. dauci, petros.* ãã. ℥j. *cicer. rub. p.* ß. *flor. ſtæch. lavend. anthos.* ãã. *p. j. f. decoctio ad* ℔ij. *Colat. adde ſyr. de artem.* ℥iij. *ſacch.* ℔ß. *f. Apozema. Doſis ad* ℥iij. ter in die.

℞. *Schænanth.* ʒij. *coque in aqua artemis.* fiat Potio in ij. dozes.

℞. *Granor. junip.* ʒij. *angel. matricar. m. j. pulegii; majoran.* ãã. *m.* ß. *ſem. aniſi, carvi, dauci, petroſel.* ãã. ʒß. *nuc. moſch. Zedoar.* ãã. ʒß. contundantur omnia, & includantur ſacculo raro, infundantur in *vini albi*, aut *cereviſiæ* q. ſ. per dies aliquot, ſumat hauſtum ſingulis diebus, Aut ex prædictis fiat Decoctio, cujus bibat colaturam.

℞. *Syr. de artemis.* ℥iij. *mellis anthos.* ℥j. *decocti origani, rubiæ,* ℥iiij *aqu. cinnam.* ℥j. fiat Iulep. doſis ſit ℥iß. *Primiroſius.*

19. *Externè eadem in ſuas formas redacta*) Topicis adhibitis, *Balneis, Suffitibus, Inunctionibus, Peſſarijs,* vterum calefacere, *exſiccare, roborare*, interdum *relaxare* ſi *durus, adſtringere*, ſi nimis *laxus*, & humidus ſtudebimus: *Balnea, Inſeſſiones*, præcipuè conveniunt, vt illis per dies quinque, ſex vel octo, abſolutis menſtruis purgationibus, antequam maritum admittat, vtatur, horam vnam aut alteram ante introitum lecti, vel ante cœnam, aut etiam manè, in eo ventris inferiora immergendo, vel omnino in eo ſedendo, repetendo illorum vſum ſequenti menſe, & tertio & quarto quoque ſi interea non concipiat, quod ex eo; quòd menſes ſiſtantur, cognoſcimus: Si itaque ex calefacientibus & ſiccantibus, vterumque roborantibus; Balneum concinnare volumus, ex pluribus paucioribuſue hoc modo fieri poterit.

℞. *Rad. lilior. albor. Valerianæ, ireos, herb. matricar. artemis. pulegij, nepet. origani, calaminth. major. fol. lauri, ſumm. ſabinæ & juniperi. flor. chamom. ſambuc. roſmar. lavend.* ãã. *q. ſ. adde baccar. laur. & junip.* ãã. *p. j. ſem. ſiler. mont.* ℥ß. *alum.* ʒiij. *vel plus, aut ſalis, coqu. in aqua pluviali, addendo lixivium, aquam ferr. & vinum: vel ſi magis adſtringere & exſiccare* velis, dictis adde *gallar. balauſt.* ãã. *p. j. fol. rubi, quercus* ãã. *m. j. alum.* ℥ß. *coqu. vt ſuprà, augendo menſuram aquæ extinctionis ferri.*

Cùm relaxare potiùs volumus.

℞. *Rad. lilior. alth. malvæ, cum toto, parietar* ãã. *q. ſ. addendo paulò minùs matricariæ, pulegij,* & de aliis vterum roborantibus, item *ſem. lini, fœnugr.* ãã. *p. j. flor. chamom. melilot,* ãã. *p.* ij. *pro Balneo.*

Si expurgare vterum ab humiditatibus præcipuè ſtudemus, adde balneo calefacienti *rad. bryon. herb. mercurial. & perſicariam*; vt reliqua quantitate exſuperent. Iiſdem præſertim quæ efficacia ſunt *vterum fovere*; ſi in Balneo multoties ſedere tædioſum ſit. Vel ſi *tota mulieris conſtitutio humidior* balnei vſum diuturnum requirat, eo corporis inferiora immergendo per menſis ſpatium vti poterit. Vide alias formulas inferiùs. §. *multùm faciunt*)

Vnctiones poſt *Balneum & ſuffitum* peractæ, in *pectinis regione*; & vmbilici fieri debent; Probatur imprimis ol. *muſchatum*, ſeu *moſchelinum* dictum, Linimentum hoc efficaciſſimum eſt.

℞. *Ol. majoran. & caryoph. per deſtillat.* ãã. ℈j. *ol nuc. moſch. per expreſſ.* ʒj. *Zibetti & moſchi gr. aliquot ceræ albæ q. ſ. f. Linimentum*, quo vmbilicus & introitus ſinûs vteri illinatur duobus poſtremis balnei diebus ante concubitum. *Platerus.*

Alia eſt *Humida*, quæ frigidæ plerumque conjungitur.

[20] *Cognoſcitur* ex menſtruorum copioſitate, tenuitate & aquoſitate, [21] locorum muliebrium ob excrementorum humiditatem, madore, & [22] fluoris uterini, ubi & ſemen, excernitur paſſione, nulla ex venere delectatione, ad abortum fœtu grandiore pronitate.

Oritur ab iiſdem cum frigida cauſis, & illis præſertim quæ ſunt vitæ otioſæ & ſedentariæ accidit.

[23] *Curatur* ut ſuperior. Obſerva tamen, Clyſma ex *urina muliebri putrida* cum vel ſine *nitro* factum prodeſſe. *Raſuram eboris* & decocti ſalviæ in vino & aqua in [24] fumum per infundibulum ante cœnam admiſſum, [25] laudari *Thermas ſulfureas* palmam obtinere. In [26] externis ab adſtringentibus, ne humores excrementitios detineant caveri debere.

20. *Cognoſcitur ex menſtruorum)* Eam præterea arguunt laxus fœminæ habitus, & mollis, vita ſedentaria, coïtus inappetentia, lumborum gravitas, vrinæ copioſæ, & victus ratio humidior. *Riverius.*

21. *Locorum muliebrium ob excrementorum humiditatem, madorem)* Genuinum fontem detexit Clariſſ. *Bernardus Valentinus, In miſc. cur. med. German. & med. n. ſeptentr. volum. 2. cap. 1. p. 1.*

Vteri vaginam, *inquit*, ſcalpello leviter vulnero, & ecce mirando prorſus ſchemate erumpunt *conglomerationes* plurimæ *botryformes*, ex indefinitis ovalis figuræ glandulis conſtantes, & ad levem quemvis contactum neſcio quid liquoris ſpumoſi albicantis fundentes &c. Diſſecto hinc paulatim vaginæ ductu, ſuperficies interna *racemis* illis *glanduloſis* tota obſita erat, altiùs tamen in utroque latere protuberantibus, ſuique veſtigia ad externum vſque orificium ſequentibus, donec maritentur *carunculis*, quæ fortè nihil aliud ſunt, quàm glandularum iſtarum productiones, eodem cum illis officio fungentes; Id tamen notari velim majores longè apparituras eſſe haſce glandulas, ſi vagina ſitui ſuo naturali relinquatur, aliàs enim, ſi violenter forte diſtendatur, obliterantur ferè, & quaſdam quaſi rugas formant, quæ fortè cauſa eſt, quòd aliorum obſervationem fortaſſe ſubterfugerint, &c.

Quid eſt, quod tot noxis hactenus obnoxius fuerit vterus, potiores tamen ejus vſus & affectus in obſcuro ſemper manſerint, quæve obiter inſpecta textura ejus glanduloſa expediri facilè poterant? Neminem latet, quantum ſe maceratint omnes ferè Anatomici in perquirenda *liquoris* illius naturâ, quem ſexus ſequior, non tantum in ſtatu ſ. n. ſed & p. n. in *fluore muliebri albo* copioſè profundere dicitur, quænam eius origo, quæ officina, & per quæ feratur vaſa, Plurimi, cùm manifeſtis carerent viis, ad occultos & cæcos confugere meatus: Alij ligamenta vteri rotunda huic muneri alligare ſatagunt, certum quidem eſt, illa nobiliori munere fungi, quàm ligamentorum, certi tamen quid determinare non audet *Franciſcus Boyle Tract. de conſ. vteri, &c.* Propiùs veritati acceſſiſſe videtur *Gaſpar Bartholinus*, qui neſcio quam Glandulam, non ſolùm in Brutis, ſed & in mulieris cadavere ſe obſervaſſe, ait, &c. At hic inſufficiens partium enumeratio; non enim vna vel altera glandularum tantum humoris imbrem facilè plorare poterit, ſed totum glandularum vaginalium contextum, ſymbolum quoque ſuum efficere inficias nemo iturus eſt, qui rem penitiùs conſideraverit.

Heic ergo latet fons & ſcaturigo liquoris illius genitalis, qui tantùm exercuit Anatomicorum ingenia, Hâc enim ſive callo, ſive aliâ quavis ratione obturata ſiccelcere penitùs ſolent illæ partes, quas alias continuo madore irrigari ſolent, in nonnullis.

Glandularum nempe munus eſt ſecernere, quod fuſè docent *Warthonus*, *Steno*, & alij, non nuda ſaltem & mechanicâ colaturâ, ſed formali inſuper alteratione, à fermentis cuilibet glandularum ſpeciei ſpecificis, non enim vna liquorum inde ſcaturientium facies eſt, ſed diverſa planè pro diverſitate glandularum ſecernentiũ, hircum olent glandularum ſubaxillarium ſudamina, aurium cerumen fellis ſapit ſaporem, ſudor ſalſedinem, vrina lixivium; quæ omnia non caloris vnivocè ſemper agentis vim, ſed altioris puncti transmutatorem, vel digitis oſtendunt, qui communem ſibi ex vaſis arterioſis laticem, juxta indolem ſuam, motum & figuram variè alterare, in ſerum ſui generis convertere, & per vaſa excretoria in deſtinatas cavitates diſpenſare novit.

Materiæ quidem intuitu *Liquor* hic ferè participat cum virorum ſpermate, neutiquam tamen ejuſdem eſt cum eo excellentiæ, & divinum quid latet in ſemine maſculino, generationis nempe principium, & quoddam Archei centrum, quod de *liquore muliebri* pronuntiari nequit, cùm ne ſeminis quidem nomen mereatur; ſed omnium medicorum conſenſu eò tantùm deſtinatus ſit vi ſubleſtiin generationis negotiom quoddam inde mollimentum, & illecebrarum argumentum habeat; &c.

Cùm jam conſtet *glandulas* noſtras *vaginales* œconomiæ genitali inſervire, vnius autem plures ſint ſubinde fines, nullus dubitat quin & aliis eædem vſibus deſtinatæ ſint; Poſtquam enim hoc pœnæ genus ſexui ſequiori dictatum ſit, vt in dolore ventris ſui parturire debent, hinc natura de variis ejus lenociniis ſollicita, non tantùm humores in amnio contentos, tanquam præcurſores quoſdam partui præmittit, ſed & fortè fœtus ipſe in tranſitu preſſione ſuâ ex his quoque *glandulis* lentorem quendam emungere ſolet, quò vias magis lubricas ſuperare queat.

At verò, nec ab omni noxâ ſunt immunes, ſed & ſuos patiuntur manes, idque commune habent cum reliquis corporis *humani* partibus, vt & variis infeſtentur morbis: Nam verum eſt *Helmontii* ſancitum, *mulieres omnem his pati morbum*, id certè *vtero* ejuſque partibus adſcribendum erit, cùm enim multa ejus ſubſtantia glanduloſa ſit, quid mirum, ſi & eis, queis glandulæ ob laxiorem ſui ſtructuram obruuntur, morbis obnoxius ſæpè fiat? variis nimirum *catarrhis*, *lympha effuſionibus*, *ſtagnationibus*, *corruptionibus*, *&c.* ita quidem, vt nulla ferè ſit vteri labes, in quâ non aliquid *catarrhoſi* ſubſit; Speciatim verò *racemi* noſtri *vaginales* verus nidus atque focus ſunt, quo Morbona muliebris tragœdias ſuas variè ludit, exceptâ ſaltem menſtruorum œconomiâ, in qua tamen & ſuas ſæpe vices obeunt.

Quod ſi enim liquor inibi genitus quovis modo abundet, turgeſcentiâ ſuâ virgines miſerabiles, aliaſque in viduitatis ſtatu viventes juniores variè vexare ſolet; hinc illæ lacrymæ *tentigo*, *furor uterinus*, *clitoridis inſania*, *inſomnia venerea*, & inde prodeuntes *pollutiones nocturnæ*, & alia manare ſolent.

Imò ſi vel copioſior, vel juſtò ſeroſior glandulas haſce nimio ſuo pondere inundaverit, hæ in æquilibrio ſuo & ſtatione contineri neſciæ, extùs erumpere, fictumque illum, & eruditis dudum exploſum *vteri prolapſum* mentiri ſolent.

Quod

Quòd ſi verò vlteriorem corruptionis notam ſubeat ſuæque fracedinis fermento m. ſ. craſin perve[illegible]; tandem *chloroſin* eniti quoque ſolet, quâ non omnino modo viſcerum fermenta, ſed totus inſuper corporis habitus in tantùm alteratur, vt cadaverum inſtar palleſcant.

Præter verò ea, *ſexcenta* quoque *Hippocratica*, variosque ſapores morboſos induit liquor hic, *ponticum acerbum*, *ſalſum*, & qui glandulæ ſubſtantiæ inimiciſſimus eſt, *acidum*; hinc varij partium illarum *pruritus*, *excoriationes*, *ſpaſmi*, & ipſa ſæpe *paſſio hyſterica* his in glandulis furere, atque reliquas, non abdominis modò, ſed & præcordiorum, imo & τῆ ἐγκεφάλȣ quoque partes in cenſuales convulſiones rapere ſolet; non quod quidem inde vapores ſurgant, vt antiquata *Galeni* dogmata ferunt, qui, prout *Helmontius* ludit, illis quaquaverſum penetrandi quendam ſalvum conductum dare novit; ſed id admirabili fit nervorum texturâ & criſpaturâ plexus meſenterici magni, vnde ramos ſuos mutuatur ipſe vterus: Etſi verò *paſſio hyſterica*, vt plurimùm ſuas in primis viis ſedes habeat, ipſique viri ſimilia hinc patiantur tormina, negandum tamen non eſt, eam in vteri quoque ſubſtantiâ glanduloſâ ſæpiſſimè primas radices agere, idque tum potiſſimùm ſi frigori extùs irruenti id acceptum ferat; ſi enim quicquam eſt, quod glandulis inimicum, id certè frigus eſt, cujus cauſas hactenus neglexere Phyſici, &c. at certum eſt id quovis modo ad extra ſuſceptum, m. ſ. & lympham ita diſponere, vt coagulum promptiùs ſubeant, & quendam acorem contrahant, qui nervoſis locis adeò eſt infeſtus, vt *Helmontius* rectè ſcholas increpet, *neſciunt*, inquiens, *an neſciunt acidum venis hoſtile?* Hinc peſſime agitur cum ſexu ſequiori, quòd non paulò meliùs contra externas injurias aëris ſe muniat: Quin fortior eſt aëris per inferiora latus elater, cùm ob incumbente deſuper atmoſphæra continuò prematur, ſicut id *Ill. Boyle* oſtendit, & quotidiana in furnis anemiis experientiâ ad oculum demonſtrari poteſt.

Vltima tandem eaque peſſima *liquoris ſeminalis* corruptio eſt in affectu, ſi quis alius nauſeoſo, *Fluore muliebri albo*, qui glandulis his magis proprius, (de quo proximè) Morborum muliebrium prædictam ætiologiam confirmant, & illa quæ pro curâ eorundem militant remedia, eò vnicè collimantia, quò vel *liquoris ſeminalis* redundantiam, vel corroſivam ejus aciditatem corrigant & cohibeant: Præter enim vniverſalia, & *martialium* ſubinde curam opem ferunt omnia, quæ ex *alkalium* ſunt proſapia, atque ſale vrinoſo, ſeu fixo, ſeu volatili, eoque vel manifeſto vel occulto turgida ſunt, Tum & omnia *balſamica catarrhalia*, *myrrha*, *camphora*, *ſuccinum*; Eminent inter compoſitiones *Trochiſci de Carabe*, in omnibus vteri fluoribus catarrholis & gonorrhœis: *Opium* & inibi ſuas partes agit, quod non tantùm in ſeroſis fluoribus, ſed & omnis generis hæmorrhagiis mira præſtare experientia loquitur. Cum opio in effectu conſpirat *Crocus*, non pulmonum ſaltem, ſed & vteri anima. In Gonorrhæis incomparabilis eſt *Balſamus de Copayva*, de quo rerum Indicarum ſcriptores. De *Caſtoreo* res pariter certa eſt; ſunt & vegetabilia varia vtero ſacra, omnia *ſale alkalino* volatili turgida; Quibus omnibus palmam eripit vrinoſiſſimus *ſpiritus ſalis armoniaci*, per ligneum *Glauberi tubulum*, aut per phialam longioris colli carbonibus ardentibus impoſitam, quo vapor profundiùs in vteri concamerationes penetrare queat: Quod ſi certò conſtiterit vitium in glandulis vaginalibus hærere, ſuffitus ſubtus exceptus fortè vtilior erit, v. g. ex *mixtura ſalis armon* cum *ciner. clavell. ſale tartari*, vel *calce vivâ*, Item ex liquoribus variis *ſcoriis ferri* candentibus infuſis; Aut etiam *lixivio ſcoriarum reg. antimon.* quod ob copioſum alkali in vteri affectibus nobile eſt remedium. Quoad Diætam in omnibus mulierum morbis, nil æque noxium ac *ſalſa* nimis & *acida*.

[21]. *Et fluoris vterini*) *Fluor muliebris albus* glandulis prædictis magis proprius eſt, & revera nihil aliud eſt, quàm quædam *vteri coryza* ex continuo humoris nutritii abſceſſu, & fœtidiſſima in *glandulis vaginalibus* corruptione propullulans; Neque mirum videri debebat iis, qui veterum Humoriſtarum Adamum exuere ſive nolunt, ſive neſciunt, vnde tanta excrementorum copia hinc ſcaturire queat: Fur enim eſt tyrannus ille morboſus in partibus glanduloſis ſtabulans, qui non vicinas modo, ſed omnes inſimul C. H. partes ſuo defraudans nutrimento, id putrida hæc liquamina præcipitat: oſtendit id habitus corporis, oculi concidunt, malæ labeſcunt, cæteraque membra ſolito graciliora fiunt; hinc quoque eſt, quòd affectæ huic tandem jungatur quædam cachexia, quatenus nutrimento ſuo defraudata viſcera tariſcunt, eorum que fermenta vitalia quandam patiuntur eclipſin, inprimis ſtomachus, qui foco carens & igne, nec cibos ſubigere, nec volatilizare novit, ſed in putridam convertit mucilaginem, quæ nulibi correcta, vt inutile venarum pondus, quâ datâ portâ ruit: Exaſperantur hæc omnia, ſi liquor hic malignitatem quovis modo contrahat, & aciditatem corroſivam induat, in lue ſcilicet venereâ. *Bernardus Valentinus med. ſept. vol. 2. p. 2.* De hoc affectu vide plura inferiùs cap. proprio.

[22]. *Curatur vt ſuperior*) Curatur eadem ferè ratione quâ frigida, ſed rariùs *Balnea* conveniunt, niſi ſulphurea, frequentiùs *ſuffitus*, & ea quæ ſiccant. vt *ſacculi*, *frictiones*; iſte igitur *victus* ſiccus ex *paſſulis*, *amygd.* leviter toſtis, *pullis aſſis*, *pane bis cocto*; *potu* parco; laborioſis *exercitiis*, *frictionibus* partium ſuperiorum, &c. Deinde vtendum *præparantibus ſyrupis* calidis; Dein confectâ *purgatione* per *pilulas de agaric.* &c. Poſt hæc refectâ nonnihil naturâ lentus humor per epicraſin educatur, ſumptâ ſingulo mane ʒj. ſequentis pulv.

℞. *Hieræ ſimpl. rad. Chinæ, rubiæ*, ãã. ʒß. *ſingula per ſe pulveriſentur, dein miſceatur*; detur cum vino per plures dies.

Aut conveniens aliquod Apozema exhibeatur; cujus ℔j. addantur *agar.* ʒj. *& fol. ſennæ* ℥j.

In eundem vſum *vomitus* convenit bis in ſeptimanâ, præſertim, ſi à ventriculo uterus compatitur, aut ipſe ventriculo humiditatem retribuat.

Clyſma) Subinde adminiſtrentur *Clyſteres vterini*, maximè ſi ex humiditate vterus lubricitatem contraxerit; Fiant autem ex *decocto rad. Chinæ, ſimil. aſp. & ligni Ind. cujus* ℔ß. *adde mellis deſpum.* ℥j. *A Caſtro.*

[24] *Fumum per infundibulum*) Suffitus vtero excepti idem quod *Balnea, ſemicupia & Fotus* poſſunt, qui ex Decocto ferventi excitati, atque à muliere, dum in ſtupha ſedet, vel quandocunque Balneum humidum egreditur, aliquandiu admittuntur. *Calefaciens* potiſſimùm & *roborans* ex odoratis plantis efficacioribus fiet, vt Decocto *matricar. puleg. calam. orig. ſalv. hyſſopi, ocymi, majoran. roſmar. chamom.* addendo *fumariam* & *pimpinellam*, quæ privatim hic commendatur; Item *rad. imperat. valerianæ*, & *acori veri* ãã. *q. ſ. in aquâ & vino decoquendo* Vel ſi magis *adſtringendum & ſiccandum*, addimus *rad. biſtortæ, agrimon. glandium cupulas*, *nuces cupreſſi*, Decoctionemque addito *vino rubro ſtyptico* facimus.

Fumum, injectis *pulveribus*, vel *Trochiſcis* ſupra accenſos carbones excitatum mulier quotieſcunque ab inſeſſione ſurgit, excipiat. *Platerus* vide infra §. *multum facient*

[25] *Laudari*) Ad potentiſſimè exſiccandum, reliquis non conferentibus, laudatur *Fonticulus* in altero vel vtroque crure. *A Caſtro.*

[26] *In externis*) Exſiccantia conveniunt, vt *Fomenta* ſicca ex *artemiſiâ, chamam. aneth. mentaſtro, hyſſopo, ſem. & rad. angel. bacc. lauri*, &c. peculiariter conveniunt *ſuffumigia* ex ſeq. Trochiſcis.

℞. *Ladani puri* ℥ß. *ſtirac. calam.* ʒij. *ligni aloës. ſabinæ ſiccæ* ãã. ʒß. *ambræ & moſchi* ãã. *gr. V. m. f. A Caſtro.*

[26] *In externis ab adſtringentibus*) Remediis internis topica erunt adjungenda, In quorum vſu diligenter erit obſervandum, priusquam de exſiccatione, adſtrictione & corroboratione cogitemus, vt attrahantur priùs & expurgentur ſordes in illius cavitate contentæ, ne vel in partes nobiles refluant, vel illius ſubſtantiæ magis affigantur. Prius igitur *vterum expurgantia* immittenda ſunt. in hunc modum compoſita.

℞. *Diaphan. & hiera picra* ãã. ℥ß. *terebinth. & mellis mercur.* ãã. ℥j. *caſtor.* ʒj. *m.* & ad convenientem conſiſtentiam artificioſe reducantur, & fiant Peſſaria in vterum immittenda. Vel

℞. *Hiera picr.* ℥ß. *agar. troc. pulver. ireos Flor.* ãã. ʒj. *mithridat. vet. & diaphan.* ãã. ʒij. *cum ſucco mercur. fiat Peſſarium linteo obvolutum, quod immitti debet horâ ſomni, & per duas aut tres horas detineri.*

Si vterus magnâ excrementorum copiâ luxuriet, Peſſarium validius immittendum erit, præmiſsâ Injectione.

℞. *Fol. abſinth. artemis. mercur. & rutæ* ãã. *m.* jß. *pulpæ colocynth.* ℈j. *agar. trochiſc.* ʒß. *zz. & myrrhæ* ãã. ℈j. *Fiat Decoctio in aquâ & vino albo ad* ℔j. *in quâ diſſolve mell. roſat.* ℥ij. *injiciantur hujus Decocti* ℥iij. *in vterum, continuando per tres vel quatuor dies, mane, & dum ibit cubitum, poſt fluxum menſtruorum, poſt immittatur Peſſarium ſequens,*

℞. *Hieræ picr. & bened. lax.* ãã. ℥j. *pulpæ colocynth. agar. trochiſc.* ãã. ʒß. *ſpic. nard. ſemin nigellæ Rom. fol. ſabin. pulver.* ãã. ʒj. *incorporentur cum melle anthos. & includantur panno ſerico: Fiant Peſſaria, quorum vnum immittatur in vulvam, cùm ibit cubitum, & ibi maneat per horas duas; deinde abluatur pars vino albo.* Riverius.

Alia eſt *Sicca*, quæ.

[27] *Cognoſcitur* ex ſeminis & menſtruorum paucitate, ad venerem tarditie, oris uteri ſiccitate, labii inferioris colore è rubro nigricante, cum perpetuis fiſſuris.

Oritur, interdum *ab ipſo ortu*, unde ægræ temperies ſicca, & corporis conſtitutio gracilis. Interdum *propter ſenium*, unde parere deſinunt. Interdum *ab ipſis morbis*, inflammatione nempe, &c. Interdum ex *defectu ſanguinis*, qui cum humectare debebat, *ſive* quod per ipſum propter venarum anguſtiam & obſtructionem non evacuetur; *ſive* quod per cervicem evacuatus ad fundum non perveniat.

Curatur I. [28] *Diæta oppoſita*, in qua nimii labores vigiliæ, inedia, mœror ſunt vehementer vitadā.

II. *Humectantium uſu*, inter quæ excellunt, *Borrago, Bugloſſa, Mercurialis, Althaæ, violæ*, inter [29] externa *Balnea aquæ dulcis*, & inunctiones ex *oleo Amigdalor. dulcium, lilior. alborum, pingued. gallinæ, medullæ crurum vituli*, &c. *Difficilis* eſt *Curatio*, ſi ſit ſiccitas diuturna & hectica.

II. Alia eſt *Simplex*, ad quam ſuperius dicta ſpectant.

Alia *Compoſita*, frigida & humida frequentiſſima, quæ

Cognoſcitur ex ſuperioribus inter ſe comparatis. *Oritur* ab humoribus pituitoſis, ſive à toto deductis, ſive à toto progenitis.

Curatur I. [30] *Præparatione* materiæ per [31] hyſterica calefacientia. II. *Evacuatione*, & quidem [32] *Vniverſali* totius corporis per phlegmagoga.

[33] *Particulari* ipſius uteri, cujus maxima eſt habenda ratio, ſi nec à toto, nec à partibus quicquam proveniat. Et [34] hic peſſaria [35] multum faciunt, [36] nec non *Thermæ* ſulfureæ, & exſiccantes. [37] *Sudoriferis*, quæ [38] hic maximè laudantur. *Decocto* nempe *ligni ſancti, Chinæ. Salſaparillæ*, Ligni *lentiſcini*, &c.

III. *Diætâ oppoſitâ.*

[27] *Quæ cognoſcitur ex ſeminis*) Adde paucam in coitu ſeminis excretionem, ex nimio coitu moleſtiam, corporis gracilitatem, *Riverius.* cōceptio rarior eſt aut nulla, menſium ſubſiſtentia, flatus vterini, gonorrhęa aquoſa *Blaſius*

Cognoſcitur ex ſeminis) Adſunt cauſæ exſiccantes, vt labores, vigiliæ, vacuationes, exercitationes, inflammationes illarum partium; Pulſus velox eſt, vrina coloratior, corporis vividus color, *Primiroſius.*

[28] *Diæta oppoſita*) *Victus* ſit euchymus, eupeptos, humectans; *Aërem* vitet nimis fervidum, curas, vigilias inediam, animi pathemata, labores immoderatos: Sed *aër* ſit humidus, ſomnus longior, *carnes* ſint juniorum animalium, pingues, vt hœdorum, agnorum, porcellorum, vitulorum, gallinarum, & ſimiles, ex quibus juſcula fieri poſſunt alterata *malvâ, althæâ, violis, paſſulis, borragine*, &c. ova recentia, & omnium maximè lac, caſeus recens, fructus horæi: & etiam amygdalæ, pineæ, dactyli: *Potus* ſit *aqua hordei*, vinum tenue, aquoſum, cereviſia tenuior, & aliis vtatur, quæ hecticæ conveniant: nam huic intemperiei macies conjuncta eſt. *Primiroſius.*

Sed coitus maximè prodeſt (niſi calida adſit intemperies) nam vterus humectationis ejuſmodi defectu oberrans, in corpore plurimorum ſymptomatum cauſa evadit. Idem.

[29] *Inter externa*) Extrinſecus conveniunt Fotus Inſeſſiones, Balnea tepida, quibus incoxerint *malva, borrago, bugloſſum, branca vrſina, ſemen lini, fœnugr. arietum capita* vel *inteſtina*, Poſt inungatur *oleis amygd. dulc. violar. butyr. rec.* & aliis humectantibus. *Primiroſius.*

[29] *Inter externa*) His accenſe Peſſaria, quæ in *viraginibus*, & quibus *vterus ſiccus & durus eſt*, eum dilatare debent hoc modo.

℞. *Axungiæ anſer. gallinæ, mucilag. ſem. fœnug. extr. cum vino, vitell. ovi* ãã. ʒß. *reſin. laricea, coaguli hædi.* ãã. ʒij. *rad. ireos* ʒiij. *ſtorac. calam.* ʒij. *ceræ albæ q. ſ. addendo parum moſchi vel caſtor. f.* Peſſaria. *Platerus.*

[30] *Curatur* I. *præparatione* Ante omnia generatim hoc modo mulier evacuabitur; Purgamus primùm illas, in quo *corporis conſtitutionem, humorum redundantiam*, & præcipuè *an menſes non rectè fluant*, vti fit, & *albo fluore vterino* laborent, obſervamus: In genere autem ſic procedimus.

℞. *Cathol. ſol.* ℥j. *ſyr. roſ.* ℥ij. *aq. borrag. & artem* ãã. *q. ſ. f. potio: venam* dein *aperimus*, ſi plethora ſit: Dein *Præparationis* nomine.

℞. *ſyr. de artemis. capill. ven.* ãã. ℥jß. *aq. borrag. meliſſæ, nepeth.* ãã. ℥j. *m. f. Iulep. aromatiz. cinnam.* Capiat tribus matutinis: Hujus loco hoc Decoctum ſumi poteſt.

℞. *rad.*

℞. Rad. aper. temperat. in vino āā. ℥ß. *rad. eryngij.* ℥j *rad. enul. valerianæ, imperat.* āā. ℥ß. *h. artemis. matricar. nepet. puleg. chamædri. alchimill. majoran.* āā. *m.* ß. *bugloſſi utr. cum toto, cichor. endiv. fumar.* āā. *m.* ß. *flor. leucoij, geniſtæ, roſmar. borrag. cicer. rub.* āā. *p. j ſem. aniſi fœnic.* āā. ʒij. *ſem. petroſ. ſiler. mont. paſtin. ſylv.* āā. ʒj. *conquaſſentur, decoqu. clarif. arom. cinnam. cum ſacch. f. Apozema pro 3. doſib. 4 aut 5.* vel, ex infuſis *in vino* & decoctis in duplici vaſe *vinum* exhibeatur.

Si ſimul *purgare* velimus, requirente illud corporis impuritate, præcedentibus addimus, *rad. liquir.* ℥ij. *rad. aſari* ʒij. *mercur. rec. m. j. paſſul. par. xxx. fol. ſennæ, rad. polypod.* āā. ℥iß. *ſem. cartham, conquaſſ.* ʒvj. *prædicto modo, cum aquâ vel vino decocta* exhibemus. &c.

Purgamus dein hac potione. *℞. Rhabarb.* ℈iv. *cinam.* ℈j. *infundantur in vino diluto & parùm aqu. endiv. exprimantur, diſſolve Elect. de citro ſol. vel diaphan.* ʒij. *ſyr. roſ. ſol.* ℥ij. *f. Potio.*

Si Pilulas malit.

℞. Pil. coch. aggreg. ſine qu. āā. ℈j. *cum vino albo, f. Pilulæ.*

Abſolutâ Purgatione *Tryphera magna ſine Opio ad* ʒj. *mane* ſequenti propinamus: ut per vices evacuetur *Pilulis uſualibus*, vel *Elect.* aliquo *laxante* illud efficimus; quæ tunc dantur ſingulis menſibus, antequam *Balneis* aliiſve *Topicis* utantur. *Platerus.*

Præparatione materiæ, Conveniunt quæ pituitoſos ac frigidos humores concoquere & calefacere valent, ut *rhodomel, ſyr. de menthâ*, de *abſynth.* de *hyſſopo*, de 2. & 5. *radic.* cum duplâ quantitate aquar. *hyſſopi, ſalviæ, menthæ, beton. pulegij* aut pari copiâ decoctionis *ſeq.*

℞. v. Radic. aperient. gram. āā. ℥j. *folior. majoran pulegij, nepeth. gallatrici, calaminth. origani, ſabinæ* āā. *m.* ß. ſem. *cartham. aniſi, fœnic. petroſel.* āā. ʒj. *f. decoctio in ſ. q. aquæ ad* ℔ij. *colaturæ.* ℥iij. adde convenientis *ſyrupi* ℥ij. pro dozi. *A Caſtro p. 346.*

[31] *Per Hyſterica*) Uterina magnam quidem cum aliis *Medicamentis* habent convenientiam, attamen ſeorſum attendi merentur, & tantò quidem magis, quòd ipſe uterus quaſi ζῶν ἐν ζώῳ, & multas in corpore turbas & ſymptomata excitat: Reſpiciunt verò *Hyſterica* 1. vel *vaſa & vias*, quæ exituro ſanguini debent patere, Vel ii. *contenta vaſorum* ſeu *ſanguinem.* vel. iij. *Nervoſum genus*, & ipſam *uteri ſubſtantiam*, ceu notum eſt eam eſſe membranoſam, cum capite maximum habere conſenſum, & nervis maximè irrigari; Ideo conveniunt *nervina* ſub cephalicis enumerata, ſulphura balſamico volatili pollentia, *ſpirituoſa* ſuavia, ut *meliſſa, roſmar. ſalvia, &c. caſtoreum, ſuccinum*, utraque ſale volatili oleoſo fœta: & præ omnibus aliis *cinnabarina*, uti certum eſt experientia practica, *cinnabarin* nativam Hungaricam maximè ſolari affectus hyſtericos, & motus uteri convulſivos; item *ſecundina humana* præparata, *ebur ſine igne*, & ex c. c. parata, aliaque: Ex quo patet canonem medico-practicum, *omnia cephalica eſſe quoque uterina*, ſive in ſpecie, *omnes herbas cephalicas etiam uterum reſpicere*, & vice verſâ, hoc ſenſu potiſſimùm valere, ob ſocietatem ſubſtantiæ, ac convenientiam & analogiam partium nervoſarum. *Wedelius ſ. m. F. cap. 10. ſect. 3. lib. 1.*

[32] *Univerſali totius corporis per phlegmagoga*) Vacuatio inſtituenda iis quæ prædictos humores educere valeant, ut agarico, diaphœnic, mechoacanna, pilulis maſtich. aloëphang. &c.

[32] *Univerſalis totius corporis*) Si ex ventriculi vitio, aut indebitâ vivendi ratione uterus compatitur, utilis eſt *vomitus* bis in ſeptimanâ, cum *decocto thymi & origani*, ante, vel poſt cibum, vel ʒiij. *diaſari Fernel. cum* ℥vß. *mulſæ*, aut prædicti decocti. Quibus vomitoriis poſt primam confertam purgationem utendum. *A Caſtro pag. 347.*

[33] *Particulari ipſius uteri*) Peculiariter ſi quid in utero frigidi ac pituitoſi humoris redundare compertum ſit, educendum per ea *peſſaria*, vel *naſcalia* quæ ſimul purgent, calefaciant, roborent ipſum uterum: ut.

℞. Artemiſ. ſabinæ, majoranæ, dictamni, abſinth. āā. ʒj. *aniſi, ameos, rutæ, Cortic. thur.* āā. ℈j. *f. Pulv.* excipiendus ſucco mercurial. ac linteo molliuſculo locis indatur, vel.

℞. Macis, bdell. gall. moſch. āā. ʒj. *pulv. hieræ* ℈ij. *agar.* ʒß. *mellis q. ſ. f. Peſſus ſerico exceptus.*

Allium hortenſe tritum cum *oleo de ſpica* linteo exceptum, maximè celebratur, quia menſes promovet & uterum mirâ voluptate afficit. *A Caſtro.*

[34] *Peſſaria*) Notandum Suffitus præſertim prodeſſe iis quibus ob craſſitiem menſtrua deficiunt, aut diminutè prodeunt, *Vaporationes & Balnea* iis quibus os uteri ob frigiditatem conſtipatur; *Peſſaria* quibus in utero pituita, aut aquoſus humor redundat: hiſce tamen, neque colocynthidem, nec validiora medicamenta admiſcenda; Et inſuper cavendum, ne calidorum uſu nimio major humorum copia attrahatur. *A. Caſtro.*

[34] *Et hìc Peſſaria*) Quæ *ſinui uteri admoventur* proximè *Naſcalia*, vel quæ profundè intruduntur *Peſſaria*, ad uterum ab humiditatibus expurgandum, ſi illis redundet, inſtituuntur, purgato priùs generatim corpore, & tranſactis menſibus, quo tempore alba uteri excrementa fluere ſolent, ante Balnei uſum, vel dum eo utitur, una vel duabus, aut tribus noctibus ea continuando, vel ſi menſes non rectè fluant, etiam paulo ante ipſorum adventum illis utendo, hoc modo.

℞. Fol. mercur. rec. contundantur, atque in ſacculo ſericeo butyro illito ſupponantur: Quod ſi nimis mordicant, melle & vitellis ovorum potius ſubacta uſurpantur, vel ſic.

℞. Pulv. ben. ℥ß. *agar.* ʒiij. *ſem. nigellæ* ʒj. *fell hirci* ʒiß. *far. cicer.* ℥ß. *cum ſucco mercur. vel betæ, f. Peſſaria.*

Ad *calefaciendum* uterum, cumque ad conceptum diſponendum, alia ſubjiciuntur cum *balneo* uſa eſt & ſuffitu, ſeque in lectum compoſuit mulier, tribus poſtremis Balnei diebus, totam noctem relinquendo, ut ſic abſoluto balneo, viro ſe committens, ad conceptum fiat idonea. E. g.

℞. Tryph. magnæ ſine opio ℥j. *maſticis* ℥ß. *ſtyrac. liqu.* ʒj. *coaguli hædi vel lepor.* ℥ß. *Zibetti vel moſchi* ℈ß. *impleantur ſacculi pro Peſſariis. Plater.* Vide §. [35] *multum faciunt.*

[35] *Multùm faciunt*) Ad uterum adſtringendum, roborandum, & exſiccandum ſequentia uſurpari poterunt.

℞. Rad. ariſtol. rot. ℥ß. *ligni aloës* ʒiij. *nuc. cupr. & rad. cyperi* āā. ʒij. *calam. arom.* ʒj. *fol. dictamni cret. ſatur. & fol. myrt* āā. *m. j. myrrh. el. ſtirac. calam. benzoin.* āā. ʒijß. *flor. ſtæch. anth. majoran.* āā. *p j. coqu. in ſ. q. vini albi gener. In colat.* ℔jß. *diſſolve troch. de aliptâ moſch.* ʒij. *ambr. gr. & moſch.* āā. *gr. vij. zibett. gr. v. Fiat injectio m. & v. per aliquot dies.*

Ante vel poſt *Injectionem ſuffumigium* ſequ. valet.

℞. Troch. gall. vel aliptæ moſch. āā. ʒij. *ſtirac. calam. benz. & ladani puri* āā. ℥ß. *ligni aloes & rhod.* āā. ʒj. *ſuccini, g. tacamah.* āā. ʒjß. *macis* ʒß. *Fiat omnium Pulvis, ex quo cum aquâ flor. arant. in quâ eliquatum fuerit g. tragac. formentur Troch. quorum unus aut alter ſupra prunas injiciatur, & fumus excipiatur per infundibulum.*

Pauperes ſuffumigentur cum æquis part. *myr. thuris, ligni aloes, ſtorac. benzoini, cinnam. caryophil.*

Poſt Injectionem & ſuffumigium ſequens immittatur *Peſſarium.*

℞. *Thur. maſtich.* ãã. ʒij. *trochiſc. gall. & alipt. moſch.* ãã. ℈iv. *rad. biſtort. nuc. cupr. raſur. ebor. & roſar. rubr.* ãã. ʒj. *ſtirac. benzoin. & ladani* ãã. ℈ij. *calam. arom. cyperi* ãã. ʒß. *malaxentur cum aquâ flor. arant. deinde cum panno lineo raro formentur Peſſaria duo debitæ magnitudinis, quorum vnum immittatur in introitu lecti, illito illius apice oleo nuc. moſch. cum zibetta permixto.*

Ante Injectiones roborantes & ſuffumigia, poteſt vſurpari ſemicupium per horam ante lecti introitum, E.g.

℞. *Rad. bryon. imperat. valerian. ireos, enul. camp.* ãã. ℥iij. *fol. major. artemis. nepet, puleg. mercur. ſalv. lauri.* ãã. *m.* iv. *baccar. lauri, junip* ãã. ℥j. *coqu. pro ſemicupio.*

Poſt Balneum & ſuffitum, regio pubis & perinæi inungatur, E.g.

℞. *Ol. nard & moſchat.* ãã. ℥iß. *cheirini,* ʒß *pulv. elect. diambr. & diamoſchi* ãã. ʒiß *ſtyr. liqu.* ʒj. *zibett.* ℈ß. *moſchi, ambr gr.* ãã. *gr.* vi. *ceræ albæ parum m. f. Linim.* quo dictæ partes inungantur, & interiùs inungatur zibeta, aut *balſamo Ind.* naturali, vel tempore coitus viri penis *zibeta* inungatur. Tandem *Emplaſtra* perinæi & lumborum regioni applicentur, continuò geſtanda, vel ſingulis menſibus vſque ad vltimam, qua menſes erumpere ſolent, ſeptimanam. E g.

℞ *Maſſæ Empl. pro matr.* ℥iv. *maſſæ Empl. de maſtiche,* ℥ij. *g. tacamah. & caranne,* ãã. ℥j. *pulv r ad torment. & biſtortæ,* ãã. ℥iij. *pulv. myrrh.* ʒij. *pulv. arom. roſat.* ℈v. *malaxentur, cum oleo cydonior. admixta* ʒj *ol. nuc. moſch. Extendatur ſuper alutam, & formentur duo Empl. vnum rotundum, pectini admovendum, alterum quadratum pro lumbis.* Riverius.

36. *Necnon Thermæ)* Externis etiam vtendum, & primò quidem *Balneis ſulph.* Aut arte paratis ex decocto *artemis. rutæ, ſalviæ, enul. camp. roriſm. hyper. chamædr. chamæpyt. chelid. fol. lauri, majoran pulegij, ſem. carvi, cumin. ſiler. mont. anet. anis. lini, cinnam. cyper. origani, acori, rad.* ac ſem. *angelicæ*, &c. Ex quo etiam decocto fiant *Evaporationes, Injectiones, Fomentationes* imi ventris, qui poſteà inungatur ol. calido *Irino, lilior* de *angelica, rutaceo, naphæ,* de *ſtirace,* de *baccis lauri*, vel *macis, cinnam. piperino, nuc. moſch. caryophill,* de *aniſo*, præſertim arte chymica paratis. Ex quibus etiam poſtremis, guttæ aliquot cum pauco vino ſumi poſſunt. Valent & ſuffitus, ſacculi. *A Caſtro.*

37. *Sudoriferis)* Sudores in humidioribus, ſi frequenter provocentur, cum ab vniverſo corpore evacuent, valde erit vtile; Quo nomine *Decoctum guajaci*, adhibita cibi *parcimoniâ* more viſitato, interdum bibant: qua dum quædam ex meo præſcripto vtebatur, gravida antequam abſolveret, facta eſt. Item *Balneo ſicco humidoque* eos eliciant. *Platerus.*

37. *Sudorifera quæ hîc)* Hoc primum obtinet locum ad moleſtas humiditates exſiccandas, & conſumendas, *ſudorem* promovere ex Decocto *rad. chinæ, ſalſepar, & ligni Ind.* His *præſidiis*, adjutus inſitus calor, humores ſuperfluos plurimùm populatur ac diſſipat; Nam etſi calore liquant, tenuitate tamen incidunt & attenuant, adeò vt exhinc, vel ſponte ſuâ vaporem abeant, & facilè diſſipentur, vel per vri nas evacuentur; Et quanquam multa ſint quæ id ipſum efficiant, vt ramenta *junip. fraxini, ebeni*, &c. tamen hæc tria, vt celebriora, ſic efficaciora experientia demonſtravit. *A Caſtro p. 250.*

38. *Hic maximè laudantur)* Vtendum tandem iis quæ contemperant, attenuant, & digerunt humoris reliquias, quas operationes complent *frictiones*, exercitia, vſus aromatum, aut ſingulo mane accipere ʒj. *theriacæ, mithridatij, triphere, pliriſarch. diambræ*, vel *diaſatyr. cum vino*, vel.

℞. *Cortic. mali citr. condit. conſer. anthos.* ãã. ℥j. *rament. eboris, ſemin. mercurial. coaguli & matr. leporis* ãã. ℈ij. *pliriſarchont.* ℈j. *moſchi gr.* j. *ſacch. diſſol. in aqua meliſſæ, & bugl.* ãã. *q. ſ. f. morſelli pond.* ʒij. A Caſtro.

Cap. VI.

De Vaſorum Vteri anguſtia.

[1] **V***Aſorum uteri* [2] *anguſtia, eſt eorundem à cauſis ſuis interceptio.*

Signa ſunt, tum menſium retentio, quod fluere nequeant; tum conceptionis, propter interceptum ſanguinis allapſum impedimentum.

Cauſa & *Curatio* in Differentiis exponentur.

Dividitur bifariam.

I. Alia eſt *ab externis cauſis*, ut medicamentis & balneis adſtringentibus, quæ cognoſcitur ex relatione ægræ.

Curatur faciliùs, & humectantibus ac emollientibus agendum eſt.

Alia *ab Internis:* de quibus in ſequente Differentiâ.

II. Alia à *Cicatrice, carne, aut membrana, orificiis vaſorum annata*, vel *orificiorum venarum, poſt violentam ſecundinarum extractionem coalitu:* quæ ferè eſt incurabilis: tentari tamen aliquid emollientibus poteſt.

Alia *ab* [3]. *obſtructione,* [4]. quam craſſi, viſcidi & copioſi humores, *ſeu* illiè reliquo corpore, calore ipſos extenuare non valente, affluant; *ſeu* in ipſo utero propter caloris in eo debilitatem cumulentur, inferunt.

Cognoſcitur ex eo, quod ſigna intemperiei frigidæ adſint, humiditas mucori ſimilis interdum ex utero prolabatur.

[6]. *Curatur*, prout aliæ obſtructiones. Revulſio locum habet, ſi materia affluit. Inter [7]. Deobſtruentia, medicamenta [8]. acria & [9]. amara, [10]. menſes moventia, [11]. *Chalybeatum vinum*, balnea emollientibus & aperientibus caſtigata, laudantur.

Alia *à compreſſione*, quam infert Vel *tumor* & ſcirrhus, in utero extra ipſum conſiſtens: & *tum* ſigna tumoris adſunt. Malum ferè eſt incurabile. *Vel* pinguedo partium vicinarum nimia; & *tum* ſenſui id totum manifeſtum eſt. Extenuantibus agi debet.

1. *Vaſorum*

[1]. *Vaſorum vteri*) Arterias & venas habet vterus plurimas, illas tamen numeroſiores quàm has; nam valde paucæ ſunt venæ reſpectu arteriarum, eæque per exteriora vteri maximè diſperſæ; Arteriæ quæ ſuperiorem ejus regionem perreptant, à vaſis ſeminalibus, antequam conſtituant præparantia, deſcendunt; quæ verò mediam & inferiorem, vt & cervicem perreptant, ab arteriæ magnæ deſcendentis cruralibus ſuppeditantur; Venæ ſuperiores ad cavam aſcendunt, in eamque prope Emulgentes ſe exonerant, inferiores verò ingrediuntur hypogaſtricas; Hæ arteriæ ſuperiores cum venis inferioribus, & inferiores cum ſuperioribus, per varias anaſtomoſes coire vulgò traduntur: verùm ego iſtas anaſtomoſes hactenus animadvertere non potui, ſed hoc ſolummodò notavi, venulas ex vteri ſubſtantiâ emergentes inter ſe ſe miſceri, & in ſe mutuò aperiri, verùm nullas cum arteriis per anaſtomoſes conjungi, ſicque etiam arterias anaſtomoſibus hic illic inter ſe coire: ſubeunt enim arteriæ finibus ſeu oſculis ſuis vteri ſubſtantiam, in quam ſanguinem effundunt, qui in eâ quaquaverſum diſtribuitur, per anfractuoſos canales & tubulos, (hos nonnulli cotyledones & acetabula eſſe putarunt) quibus in conceptione hepar vterinum adhæret, in quod tunc temporis hiant, eique ſanguinem pro nutritione fœtus præparandum infundunt, atque ipſi etiam fungoſæ vteri ſubſtantiæ, inter vtramque membranam ſitæ, ſanguinem alimentarem copioſiorem conferunt; à quo vterus tunc in majorem magnitudinem excreſcit, atque ſic dum creſcit fœtus, ſimul increſcit ejus domicilium vterus. Hunc in finm eo tempore vaſa admodum magna & turgida conſpiciuntur, à copiâ ſanguinis quam tunc deferunt, & continent. Extra imprægnationem verò, qui ſingulis menſibus redundat ſanguis, ſtatis periodis cum fermentatione, ſeu efferveſcentiâ quadam copioſiùs per arterias ad veterum propellitur. cumque in ejus ſubſtantiâ interiore admodum paucæ ſunt venæ per quas tanta copiæ circulario commodè fieri poſſit, & orificia modò dictorum tubulorum ſint laxa ac mollia, hinc fit quòd redundans ſanguis, qui ob copiam ſatis circulari nequit, per dehiſcentia & aperta tubulorum orificia, nec non per fines vaſorum in collo vteri dehiſcentium, vt ſupervacuas, & naturæ ſuâ copiâ moleſtus foras fluat: In quibus verò dicti tubuli firmiùs occluſi ſunt (vt cùm in gravidis anguſtantur ab adhęrente placenta vterina, in quam nonniſi minimis oſculis hiant, aut cùm poſt ſecundinâ violentiùs cum hepate vterino avulſam obducuntur cicatrice; aut alia quacunque de cauſâ obſtruuntur, in illis menſtrua ſolummodo profluunt per fines vaſorum in vteri collo, ſeu vaginâ dehiſcentium, vel planè ſubſiſtunt; *De Diemerbroëck Anat. l.1. c. 25.*

[2]. *Anguſtia eſt eorundem à cauſis ſuis*) Laborare poteſt vterus morbis in conformatione, qui ſunt varii & multiplices, & ideò ſanguinem ſupprimunt, quia *vaſorum anguſtiam* inducunt; quæ *anguſtia* interdum eſt à primâ conformatione, 2. de ſympt. c. c. 4. vti in illis mulieribus quæ pectus amplum habenr, ſed alia ſtricta & anguſta; In illis, ex *Aëtio* & *Avicenna*, vteri vaſa ſunt anguſtiora; *Vitia vteri*, quæ ejuſmodi compreſſionem & anguſtiam faciunt, ſunt 1. *ſubſtantia vteri durior* denſior, quàm naturæ illius conveniat; quod vitium fieri poteſt à naturâ & ortu, aut deinceps & tractu temporis; ſi ſit *naturalis*, conjunctam haber vaſorum anguſtiam, ſi ſit p. n. tunc etiam, docente *Avicennâ*, ſimul fit collum vteri brevius, 2. *Compreſſio vteri* à tumore p.n. partium circumjacentium, vt *recti inteſtini vel veſicæ tumores* & *grandiores calculi*, *muſculorum rectorum inflammationes*; Sed præcipuè *omenti pinguedo*, vt in obeſis mulieribus, in quibus deſcendit omentum vſque ad os vteri, vnde aph. 65. §. *mulieres denſos vteros habentes non concipere* ſcribit *Hippocr. Et* 46. *Quæcunque p. n. craſſæ non concipiunt, iis vteri os ab omento comprimitur.* Negat *Veſalius* omentum ad os vteri poſſe deſcendere; vtcumque, ſi non omenti, ſaltem reliqui *abdominis pinguedo* vteri vaſa coarctat, vt ſanguis exire nequeat; 3. *vteri ipſius tumor p. n.* inflammatio, ſcirrhus, callus aliquis, pinguedo, vel caro adnata ſupprimere menſtrua poſſunt, donec curentur, quamvis, niſi valde magni fuerint prædicti affectus, omnes venas obſtruere nequeant; Tum præterea poteſt effluere ſanguis per vaſa ad vteri collum pertinentia; quod ſæpiùs contingit, vnde ſi prædicti affectus fiant in vtero ipſo, non neceſſariò ſanguis ſupprimetur. 4. ſi *vterus* non fuerit *pervius*, aut *apertus*, vt in iis quæ *imperforatæ* ſunt, aut membrana; *hymen* dicta per excellentiam adeſt, ſanguinis fiunt ſuppreſſiones. 5. *Malus vteri ſitus*, vt ſi prolabatur, aſcendat vel in latera diſtorqueatur, vel pervertatur, ſimilive in conformatione vitio laboret, menſes ſupprimuntur 5. aph. 28. (*tunc enim anguſtia* vaſis vterinis infertur.) 6. vaſa vter *obſtructionem* patiunrur &c. *Primiroſius. l.1. de m. m. c.2.*

[3]. *Obſtructione, quam craſſi, viſcidi*) Si concipiamus obſtructionum γένεσιν ſine dubio debentur, inter alia *tartaro* ſeu *particulis terreis* ſubſalinis & aqueis contentis, limoſis, ad quietem quàm motum magis aptis, ſeu ex neceſſitate materiæ, vitio alimentorum groſſiorum: ſeu ex fermento vitiato viſcerum generatis & accumulatis: Id verò videmus manifeſtò in vrina, quæ à naturâ educitur, partes nempe tartareæ, limoſæ, & aqueæ, ad motum & corporis vſum minùs inſervientes; Cùm igitur certum ſit vtrumque, & *adeſſe tartarum*, hoc ſenſu *in corpore*, & cumulari vltra quam par eſt, & ad motum minùs aptum, adeoque inde obſtructiones, ſeu remoras tales in motu, hinc inde fieri, facilè quoque patet, quantùm hiſce contra eanr aperientia.

Notandum verò *tartarum*, alium eſſe fluidum, alium *concretum*, alium *in fieri*, alium *in facto*; omnem verò obſtructionum eſſe authorem; Hinc, cùm concretum præſupponat fluidum, regula eſt enata noſtra, *omnes nephriticos eſſe etiam hypochondriacos*: Item *omnes podagricos eſſe etiam hypochondriacos*, licèt non vice verſâ, ſeu in hypochondriacis abundat tartarus fluidus, qui in podagricis & nephriticis concreſcit facilè: *Wedelius A.m.m.p.65.* vide §. *Curatur prout alia obſtructiones*) & §. *obſtructione quam craſſi, viſcidi.*)

[4]. *Quàm craſſi, viſcidi & copioſi humores*) Vaſa vteri obſtructionem patiuntur à multis, craſſis & viſcidis humoribus, quæ frequentiſſima eſt ſuppreſſæ iſtius vacuationis cauſa, in frigido & cacochymo corpore; quam cauſam à ſanguine craſſo diſtinctam facit *Galenus*, quia ſi liberi ſunt & patentes meatus, ſanguis craſſus effluet, & excernetur, contra, obſtructis meatibus, tenuis ſanguis ſubſiſtet, fit enim obſtructio interdum ſine craſſo ſanguine, quamvis ab ipſo frequentiſſimè ſanguinis ſuppreſſio contingat, vnde *Galen. 5. aph. 36.* ad excitandas menſtruas purgationes, duos ſcopos deſcribit, apertionem vaſorum vteri, & ſanguinis extenuationem. *Primiroſius. l.1. c.2.*

[5]. *Seu illi è toto corpore, ſeu &c.*) Obſtructiones, menſium obſtructorum, vel ſuppreſſorum, cauſæ ſunt; vel communes, vel propriæ; *Communes*, quæ alibi quoque, v. g. liene, meſenterio, hepate & aliis locis viſuntur à ſanguinis lentore, fixitate, ſtatu acetoſo; *proprias*, quæ ſoli vtero, quoad vaſa & poros competunt; *Wedelius Am.m.m.p.395.*

[6]. *Curatur, prout alia obſtructiones*) Nempe per ἀναςομωτικὰ Græcis dicta, quaſi dicas, oſcula, ſeu quod ora vaſorum reſerantia; quæ etiam audiunt ἐκφρακτικὰ; quod obſtructiones expediant; ſeu motui humorum; tum alimentariorum, tum excrementitiorum impedito debeantur Aperientia; Poſito enim vel mobiles, ſeu

ſecundum naturam *humores* v. g. maſſam ſanguineam, bilem, chilum, vrinam, &c. eſſe indiſpoſitos, ac otiari quaſi nec moveri, ſeu ob caloti nativis, & particularum activarum defectum, ſeu fixitatem, lentorem, coagulum & viſcoſitatem; vel *vias* indiſpoſitas eſſe, venas, ductus, canales, ob humores, flatus, partes ſolidas extraneas, facilè patet Aperientia eſſe propriè quæcunque motum reſtituunt humoribus, & remoras viarum tollunt.

Adeoque Aperientia in genere expediunt obſtructiones viarum, vaſorum, ductuum, meatuum & pororum; vt quandocunque in his motus ceſſat, vel remora quædam accidit, auxilium ferant, vt & ſanguinis & ſeri circulus indeſinenter & irrequietè fiat & excernenda vbivis naturaliter, decenter promoveantur, menſes, ſudor, vrina, bilis &c.

Vaſa huc ſpectant communia venæ, arteriæ nervi, & vaſa lymphatica, quæ itum & reditum largiuntur, & quidem horum alia eſt totalis, alia partialis. Non illa ſemper, ſed hæc potiſſimum innuitur, quando non ſufficiens ſpatium conceditur tranſeunti humori, id quod exemplo mechanico aquæductuũ illuſtratur, in quibus limus ſenſim ſenſimque ſe affigit parietibus: hinc per mechanicam etiam citiùs moveri poterit, quæ anguſtiori quàm quæ largiori continentur & vehuntur ſpatio; & hinc videmus ob hanc ſolam cauſam ſæpè fieri hæmorragias, & quidem κατ' ἴξιν, illo latere quo viſcus affectum recumbit, non altero. Hinc obſtructis vaſis lymphaticis fiunt hydatides, & facilè hydrops: Subtiliſſima inter hæc vaſa ſunt *nervi*, vnde & magis vniverſaliter ſolent obſtrui in paralyſi; idque ſæpenumero, ſi obſtructio meſenterij redundet in nervos, vnde pareſis ex colica nota eſt. Wedelius Am.m.m.p.64.

7. *Deobſtruentia, medicamenta acria, & amara, menſes moventia) Reſolventia* ſeu Aperientium claſſe militantia, ſunt divina remedia omnium morborum tartareorum, quorum pars non eſt exigua, & quæ talia ſunt, polychreſtorum meritò nomen merentur, Adeoque hoc fine amurcam venarum abſtergunt, ſanguinis & reliquorum humorum motum reſtituunt, promovent, cuncta pervadunt, flatus incarceratos concretosque humores, & ſcirrhum minantes tartareos, ſucceſſivè colleſtos & impactos reſolvunt, vnde & ex vniverſalibus purgantia, diaphoretica, & diuretica huc faciunt.

Aperientia incidunt & attenuant craſſos, viſcidos, tenaces humores, ad motum minùs aptos λεπτυντικὰ ſcilicet, & hiſce affinia τμητικὰ, *attenuantia* & *incidentia*, meritò ſub aperientibus comprehenduntur; eodem etiam gaudent vſu, fine, & materiâ quoque: Dicuntur verò ita quòd humores ſpiſſos, & tenuitatis modum non ſervantes attenuent atque dividant, fundant & fluxiles reddant, vt hinc in motum, quo carent cieantur promptiùs; Conſtat enim infallibile axioma, per αὐτοψίαν, ſpiſſa & denſa, viſcida, minùs eſſe fluida.

Attenuant & diſſolvunt v.g. mucum pituitoſum in primis viis & ventriculo, vnde μόλυνσις fit ciborum, vnde præparant humores craſſos ad eductionem, Fluxilem reddunt *bilem*, ſi iners reddatur, ſubſiſtat, nec ſtimulo ſuo excretioni humorum inteſtinalium velificetur, Attenuant *humorem pancreaticum* itidem ſtagnantem & ſpiſſeſcentem, indeque vappeſcentem & ſæpè aceſcentem, Extergunt *glandulas inteſtinales*, vt pori magis hient, Hinc & *ſanguinem ſpiſſiorem*, tum revera talem, quando ſerum ſanguini, vel æqualiter magis, vt in maniâ & hecticâ; vel inæqualiter, vt in febribus malignis ardentibus, incoctum reſolvunt, & diſſolvunt; tum quaſi talem, vt in ſcorbuto & affectu hypochondriaco.

Faciunt ad *craſſam lentamque pituitam*, tum alibi, tum in bronchiis pulmonum hærentem incidendam tuſſique reiiciendam; pituita enim nihil aliud eſt, quàm ſerum ſpiſſeſcens, & coagulatum.

Aperientia *abſorbent, edulcant, ſaturant, fixos, acidos, auſteros*, & ad motum ineptos humores: *Abſorbentia* ſub Aperientibus jure comprehendimus: Hæc tangit *Salomon Albertus m. ſ. ſ. de materiâ medicâ*, qui ordine quaſi procedit hoc, vt humores frigidi, pituitoſi, ſeroſi & lenti, quavis parte corporis collecti, faciliùs evelli, attrahi, diſſiparique poſſint, priùs emolliendos indicat, deinde extenuandos, idque vel vtraque ſeorſim facultate, vel ambabus pariter confuſis; Hujuſmodi enim auxilia alternanda eſſe i. e. nunc emollientia, nunc ſiccantia vſurpanda, dum humore omni abſumpto, tumor totus ſubſideat: Adeoque præmittit Abſorbentibus emolientia & tenuantia, tanquam humores illos contumaces priùs apparantia, ita vt *Abſorbentia* hinc vocentur ipſi, *quæ præter incidendi attenuandique vim, etiam ſiccitatem validam adepta ſint, & quicquid humoris p. n. in corpore attigerint, præmiſſa dicta emollitione, aliiſque apparationis modis, citra diſſolutionem validè exſiccando prorſus abſorbeant:*

Verbo, hoc ſenſu Abſorbentia audiunt externa topica partim diſcutientia, integrâ cute exiſtente, in tumoribus variis aquoſis corporis, partim, & propriè magis *traumatica*, cute diviſa in vlceribus: Quæ ſignificatio, vt fundamentum habet in re, eſſe nempe Abſorbentia *externa*, non minùs ac incidentia, ita ſunt genuina hoc ſenſu, etiam *interna*, quæ aliàs etiam *præcipitantia* frequentiſſimè hodie & *ſaturantia, Edulcantia* item *Invertentia* audiunt, vt vt de Acidis quoque prędicentur, præcipitantia, quatenùs contrarietate ſuâ alkalinos humores invertunt; vſus tamen obtinuit, vt hæc communiùs dicantur Incidentia potiùs, & κατ' ἐξοχὴν abſorbentia, terrea, alkalina, quo nomine & interna & externa gaudent; ita tamen, vt & acida quædam, ſed terrea ſimul, præcipitantia, abſorbentia audiant, v. g. *alumen vſtum, vitriol. calcinatum*, quod idem de internis, vt *martialibus, vitriolatis, ſulphuratis, cinnabarinis* &c. verum eſt, ita vt de natura alkalinorum, ceu potioti, ſingula hæc & ſimilia eſſe, certiſſimum ſit, vi ipſius effectus.

Hæc itaque Abſorbentia vna optima ſunt Aperientia, quatenùs conſtat in melancholicis, hypochondriacis, ſcorbuticis, & horum affinibus ſubjectis aliis, *Acidum ligare ſanguinem*, obtuſo ſulphure, fixato ſale volatili, mercuriali, & mobili; Quo ſenſu aliàs etiam tenuiores viſi humores in dictis affectibus, in receſſu craſſi ſeu torpidi potiùs dici merentur, quatenus fixiores ſunt, & hinc ϛάσιν facilè patiuntur, & in ſe tartarum copioſum condunt; vnde non ſunt contradictoria melancholicos eſſe ſputatores, illoſque laborare obſtructionibus enormibus, vrinas illorum eſſe tartareas &c.

Dictis taliſmodi remediis præcipitantibus *edulcantur* quaſi humores, & fixitatem ſuam amittendo ſub motum archei redeunt & vocantur. *Edulcatur chylus* acido fixo irretius, minùs evolutus, vnde conſtrictæ erant glandulæ inteſtinales, nec ſatis hiabant, *Edulcatur* inde *ſerum*, ſive *lympha*, vnde & efferare ſanguinem deſinit, & fluere, moveri, ac nutrire, vt par eſt, reoccipit; *Edulcatur* bilis in ſtatu atrabilario, quatenùs ab acido fixiori, in & extra maſſam ſanguinam mirè pervertitur in colore, in qualitatibus, acrimonia, ſiccitate, qui humores cùm ſint fundamentales, quaſi columnæ, corporis, juncto vnà ſanguine, itidem ſuos manes inde patientes, facilè patet quantus ſit vſus aperientium.

Gaudent verò hæc ipſa duobus quaſi elementis, 1. partibus ſalinis, ſeu alkalinis, ſeu refractis etiam ac refuſis irretitis ſive inviſcatis acidis; quæ ipſæ particulæ incidunt, abſorbent, ac præcipitant alienas peregrinas

in

in humoribus, ac in motum cient, ij. Partibus terreis, quæ illorum virtutem adaugent; vnâ verò villos, fibras & parietes roborant. *Wedelius Am. m. m. p. 68.*

Medicamenta acria) Si Acrium in ſpecie viſantur effecta in corpore noſtro, vis illorum præ reliquis ſummè activa eſt in ſanguinis & ſeri alteratione præſtanda: ſunt quippe *acria ob prædominium* ſalis, vel refractè acidi, tenuium partium penetrantia, liquantia, fundentia omne coagulum: Neque verò quæ *Aſclepiadis*: & hinc *Carteſij* fuit hypotheſis, hæc ipſa acria, alkalina, ob externam ſolùm configurationem particularum ſunt talia, effectuſque edunt, ſed magis interna particularum conſtitutio eſt ſpectanda, cujus rei vel *vrtica* teſtimonium præbet, & ex liquidis exemplum poteſt eſſe ſequens; Infundantur in aquam ſimplicem, diverſis vitris exceptam, è liquidorum genere 1. *dulcia*, ſolut. *ſacch.* vel mell. 2. *acida, acetum diſtill. ſpir. ſal. vitriol. aqua fortis*, 3. *lixivioſa, ol. tart. p. d. ſpir. ſal. armon.* lixivia quæcumque 4. *ſalſa* vel *nitroſa, ſal comm. nitrum, alum. vitriol. mercur. ſublim. ſ. ſpirituoſa, ſpir. vini*, vel cum his parata quæcunque, vt alia non inquiramus ſimile præſtantia, manifeſtò ad oculum patet, ab omnibus illis & ſingulis vniformem texturam proficiſci, rotundam ſcil. fluxilem, ſtrioſam, cohærentem, ramoſam, cùm tamen effectu ſint diverſiſſima, & contrariis frontibus, ſi confundantur è vaſculis efferveſcentiam excitantia: Vnde efficitur particularum quidem theoriam & conſiderationem, non ſolùm non negligendam, verùm quoque magni habendam meritò ſuo eſſe: ſi tamen id fiat citra internam διάθεσιν nec conjunctim principia Chimica ſpectantur, curta & inſufficiens eſt ſuppellex.

1. Acria igitur, contradiſtincta Acidis, quæ & ipſa ſunt acria, ſed ſimul acida, exaltant, rarefaciunt, & in motum & orgaſmum cient humores, ſerum, ſanguinem, bilem, 2. vt diximus, fundunt, liquant, reſolvunt, diſjiciunt 3. pungunt, vellicant, & majoris gradûs erunt, exedunt membranas & cutim attrahunt &c. vnde effectus patent in purgando, vrinam ciendo, *menſes movendo*, ſudorem pellendo, ptarmicâ & aliis, *Wedelius Am. m. m. p. 25.*

9. *Amara*) Singula vt ſapida ſunt eximiè, & de ſano hinc principio teſtantur, ita fixitatem obtinent, vt acria volatilitate magis gaudent, ſeu abſoluta, ſeu reſpectiva; Hinc ſublimari & deſtillari per aſcenſum conſtante amaritie renuunt; extracta verò largiuntur præcipue: Hinc ſal principio ſulphureo & terreo fortiùs implicatum notant: Hinc *amara* de natura alkalina vim aperientem, incidentem quaſi diviſam habent, ſeu 1. incidunt & aperiunt, quidem; ſed 2. ſimul roborant inprimis ventriculum & hepar, 3. præcipitant, & detergunt, 4. putredini reſiſtunt, quatenùs humorem abſorbent, & calorem vigorant; vnde ſunt anthelmintica, & corruptionibus partium *gangrænoſis reſiſtunt. Wedelius Am. m. m. p. 27.*

10. *Menſes moventia*) Reſpiciunt vel *vias*, vel *ſanguinem* ipſum; hujus ratione, vel 1. impedimenta illum quaſi figentia & coagulantia auferunt; quæ duo ſunt humores, acidi & pituitoſi; vel 2. ejus rarefactionem promovent & ſtimulant, vt excitatis ac exaltatis particulis ſulphureis & ſalinis volatilibus activior fiat, & lentore ſuo torpido exuto, amplius affectet ſpatium, qualitate & motu. Vel 3. ſtimulant, & vtrumque expediunt, vias ſcil. reſpiciunt, & ſanguinem rarefaciunt & fermentant; Vel 4. ipſum ſanguinem reſtaurant, reficiunt, adeoque fluxilem reddunt. *Idem L. de ſ. m. p. 190*

11. *Chalybeatum*) *Higmorus l. de Aff. hypoch.* diſquirit. An chalybs in affectionibus hypochondriacis vtilis ſit, & quâ ratione. Varias communiter adducunt hypotheſes, aliis in primis qualitatibus rationem quærentibus, vt ſiccitate, aliis in ſecundis quatenùs pondere ſuo partes obſtructas permeet, & ab infarctu vaſa liberet. Alii ob abſtergendi & aperiendi vim conducere ſtatuunt; In quibus omnibus hypotheſibus, partim contradictoria abſervantur, partim petitiones ejus quod in principio eſt, ſive idem per idem probatur.

Higmorus verò ſtatuit agere ob ſtypticitatem vitriolicam, cujus proprium ſit conſtringere, adeoque per accidens adſtringendo aperire, non aperiendo vaſa obſtructa agere, quæ in his affectibus, quibus *Mars* debetur, re aliquâ extraneâ non ſemper occludi judicat. Quem in finem concipit, cùm vaſa accidenti aliquo levi reſtricta, naturæ impulſui non obedientia, excretioni aut circuitui non facilè præbeant exitum, ad interiora repulſum recurrere ſanguinem, & ad vaſa retrahi majora, dilatata inde magis, nec ad exteriora circulum æquè admittentia. Hinc cùm adſtringat *Mars*, ſive vitriolica ſtypticitas partes relaxatas & contrahat, æqualiter iterum ſiſtit ſanguinem, quod latiùs ipſe explicat.

Sed per mechanicam genuina agendi *Martialium* ratio patet, quatenùs humores fixi, acetoſi, auſteri, hoc modo edulcantur, ſaturanturque, vnde ſtatim & chylus dulcedinem ſuam recipit, evolvi aptior hinc redditus ſimul, & fixitas lymphæ iuxta ac acrimonia tollitur, quibus ablatis neceſſum omnia vegetius moveri & munere ſuo fungi; tolli verò ſymptomata inde producta varia. Wedelius Am. m. m. p. 70.

Caput VII.

De Vteri inflatione.

1. *Inflatio uteri eſt* 2. *eiuſdem* 3. *à flatibus ex materia frigida, pituitoſa & flatulenta, vitio caloris imbecillis genitis diſtentio.*

Dicitur & 4. *Mola flatuoſa*, propter falſam conceptionis ſpem.

5. *Signa* ſunt, 6. diſtentio uteri è regione abdominis conſiſtens, quæ nunc augetur, nunc minuitur. 3. interdum ad latera, interdum ad umbilicum, lumbos & diaphragma extenditur

Diſtinguitur 7. ab *Hydrope* minori magnitudine, ſitis carentiâ, tumoris incremento & decremento, minore ſuperiorum partium macie.

8. Ab *Hydrope Vteri*, cauſarum flatus generantium prægreſſu, ſonitu, minore gravitate, majore tenſione, doloris extenſivi & in partibus vicinis punctorii perceptione.

9. Ab *inteſtinorum inflatione*, quod hîc nec ſint dolores, nec alvus ſupprimatur; quod menſes ſupprimantur, pedes ac cava occulorum intumeſcant, & corporis color mutetur; quod

mulier anhelet, anxia ſit, & cum expergiſcitur è ſomno, recta cervice anhelet.

[10] A *Mola*, carentia gravitatis & duritiei in ventre cum pondere, de latere in latus ſe cum moventur, movente.

A [11] *Conceptione*, ſonitu & tumoris incremento & decremento, [12] carentia motus motui infantis ſimilis: ſi enim abdomen comprimatur vehementius, flatibus ad vicina compulſis, motus quidam palpitationis in toto abdomine ſentitur.

Cauſa in definitione eſt [13] Materia ipſa *vel* gignitur [14] in ipſo utero, ſeu propter menſium ſuppreſſionem: ſeu [15] purgationis [16] poſt partum interceptionem. *Vel* aliunde provenit, ſeu per venas, ſeu [17] per vaſa ſeminalia. *Caloris* vero *imbecillitas*, plerumque ab aëre externo, in puerperis impuritates, quæ exitum quærunt frigiditate ſua ſiſtente, à partu difficili, abortu, menſibus ſuppreſſis, &c. oritur.

1. *Inflatio vteri) Affectus iſte à Græcis ἐμπνευμάτωσις nuncupatur.* Inſignis eſt ejus intumeſcentia à flatibus in ejus cavo collectis: Dubitant autem Practici quidem, (vt *Platerus* an poſſint contineri flatus in cavo vteri? Verum eſt, quia quædam, poſt remedia copioſos flatus ex vtero emiſerunt; vterus ergo inflatus intumeſcit, & tumor in abdomine inſtat ingravidationis ſenſim ſenſimque augetur, imo menſes ſupprimuntur, & parciùs fluere incipiunt, quandoque lac in mammis generatur; fit enim in mulieribus habitioribus, ut mediô geſtationis tempore, lac in mammis generetur; Interim tamen nihilominus vltra ſolitum partûs tempus adannum integrum ſe in vtero geſtaſſe videntur, & poſtmodum, vel medicamentis, vel ſupervenientibus partus doloribus, excluſerunt quaſdam flatulentias ex vtero, vnde venter iterum detumuit; Hinc dictus affectus, à quibus dicitur *malo ventoſa* ſeu *Flatulenta*: Et ſi flatus confertim erumpunt, certum eſt quod falſa fuerit conceptio; ſi verò ſenſim & ſenſim, mulier neſcit quid ſecum factum ſit. *Etmuller. Pr.p.3.p.40.*

2. *Ejuſdem à flatibus*) Si in ventriculi inteſtinorumque capacitate flatus generari poſſunt, quid impedit quominus idem accidere queat etiam in matrice? cum vterus æquè ac ventriculus & inteſtina, membranoſus ſit, & debilem habeat calorem, & multas ſæpe ſordes, ſeminis corrupti, ſanguinis vitiati, aliorumque humorum labefactatorum cauſas in ſe contineat; Nec obſtat quòd vterus parvus adeò ſit, vt extra prægnationis tempus manu comprehendi poſſit: quod etiam craſſus ſit & denſus, vt diſtendi magnoperè nequeat; quòd denique probabile minimè videatur, adeò illius orificium internum claudi, vt ne flatus quidem erumpere valeant: Nam quamvis vterus ſit parvus atque anguſtus, ita tamen extendi poteſt, vt infantem juſtæ magnitudinis, vnà cum ſecundinis, aquis & flatibus continere queat, vt nihil de fœtu gemino & tergemino dicamus. Licet etiam ſit craſſus atque denſus, tamen membranoſus eſt, adeoque facilè diſtendi poteſt: Et niſi os vteri in graviditate occluſum eſſet, contenta ſane exciderent, nulluſque hydrops aut Inflatio fieri poſſent. *Sebiſius man. p.1493.*

2. *Ejuſdem à flatibus*) Denegare hos vtero legitur *Helmont. l. de Flat. Flatus*, inquiens, internè in vtero non ſuſcitantur, quia vterus materiâ flatulentâ deſtituitur, ejuſque digeſtio non eſt opportuna creandis flatibus: Illos tamen, in cacochymica fœmina xl. annorum, obſervavimus frequenter per hanc viam inſolitam exploſos, citra vllum aditum patentem, ex inteſtinis huc conceſſum, quæ etiamnum in vivis eſt; Imo, quòd magis mireris, ex pudendo virili quoque eoſdem ſenſibiliter exeretos notavimus in viro primario: In dicta muliere in infimo ventre flatus alebat colicus, quoties id contingebat, illa in tumidiore ventre eoſdem condebat, vt arguendum videatur gas ſylveſtre, ſi non loco excretionis generatum, illuc tamen per poros vaſorum cum circumflua lympha fuiſſe deportatum. *Wedelius* Exerc. vj. Dec. 1.

3. *A flatibus ex materia frigida*. Ex interiori cauſa Flatus generantur ex humoribus frigidis, pituitoſis, ab imbecillo calore in halitum ſolutis, ſive vterus per idiopathiam, ob intemperiem frigidiorem, aut per conſenſum aliarum partium laboret: Interdum enim jecoris, lienis, ventriculi frigidior intemperies, aut depravata victus ratio plurimos flatus generat, qui deinde facilè vtero communicantur; cum autem in virginibus rarius hic affectus contingat, etiam inter cauſas commodè recenſeri debet *vitioſa conceptio*, vnde quidam *molam flatuoſam* vocant, ſemen morboſum & infœcundum ab vtero in flatus vertitur, & affluente aliqua ſanguinis portiunculâ fovetur, cum ob imbecillitatem virtutis plaſticæ, in partes corporis mutari non poſſit, in flatum ſolvitur, menſes enim hic, etiam, vt in vero conceptu ſupprimuntur, Cauſa igitur generalis eſt vteri calor debilis, aut victus ratio flatuum parens. *Primiroſius.*

Cauſas ferè eaſdem habent *Emphyſema* & *hydrops vteri* ac tympanites & aſcites: Hic enim eſt lymphæ particularis extravaſatio & flatuum concentratio: Eſſe ergo plerumque pituitam acidam in vtero latentem, inque flatus ſpiritus plaſtici (ope) reſolutam nulli dubitamus, aqua pituita ita inundatur, vt officio ſuo impar ſit: ſi verò loco flatuum Lympha viſcida ac craſſa adſit, & præceſſit vaſorum lymphaticorum obſtructio, vel compreſſio, neceſſario lympha ſtagnare & hydropem producere debet. *Ioh. Dolæus Encyc. p. 861.*

4. *Mola flatuoſa*) A *flatu* ſeu *vento* Molam non prodire, quam ventoſam ſeu flatulentam vocant, inde liquet, quòd ille vtero incluſus hæreret. Inflationem potius illius, quàm molam, cum qua hæc nihil habet, quia tunc nihil novi procreatur, ſimile progigneret. *Platerus.*

4. *Dicitur & mola Flatuoſa*) Vide ſupra §. *A flatibus ex materia flatuoſa.*)

5. *Signa ſunt*) Si flatibus excitetur Hydrops, imus venter percuſſus ſonum edit, venter doloribus premitur, qui interdum per ſeptum transverſum, ventriculum, lumbos, vmbilicum, aliaſque partes excurrunt nonnunquam ſtatus per vteri cervicem ſenſibiliter erumpunt: ſentiunt quoque ſæpenumero mulieres vterum ad ventriculum inſtar globi cuiuſdam efferri; Reſpiratio interdum difficilis eſt, & ægra à ſomno excitata ſæpè cum anxietate ſpiritum ducere cogitur: & cibo & potu quocunque malum exacerbatur; Frequenter eructant, & à ructu melius habent; Suffocationem vteri ſæpe incurrunt; Dolorem interdum in regione hypogaſtrica percipiunt, vt admotam manum ferre nequeunt: Hæc ſigna communia ſunt hydropi vteri, & ejus Inflationi, qui duo affectus duratione tantùm differunt, quæ hic brevior eſt, hic longior. *Riverius.*

Præterea ex *Hippocrate* pedes intumeſcunt, calor vitiatur, mulier anhelat, & ſi ambulaverit, recta cervice ſpirare cogitur, Et quidam interdum motus quaſi palpitantis

palpitantis infantis ſentitur, vnde plurimæ ſe gravidas eſſe crediderunt; & vix in principio diſtingui poſſunt, In Inflatione tamen percuſſus venter tympani ſonum edit, interdum creſcit, & decreſcit veræ graviditatis ſigna omnia non adſunt, contra quam fit in vera conceptione; *Primiroſius*.

Diſtenſio vide an his vteri conſtitutio in Graviditate) Celeberrimi fere quique Anatomici pro certo venditant vterum (inſigni miraculo) eo craſſiorem evadere, quo magis *diſtenditur & expanditur* à conceptionis die ad ipſum vſque partum: At qui rem accuratè examinaverit, occaſione natâ, contrarium procul dubio obſervaturus eſt: hoc enim tanquam exploratum habendum, quò magis in impprægnatione diſtenditur vterus, eò magis attenuari: vt enim rectè monet *Galenus* diſertis verbis l. 8. de Diſſ. vteri, *Iam verò vulva in principio conceptus craſſa, cùm prope pariendi tempus accedit, major quidem, ſed tenuis evadit, craſſitudo enim in longitudinem extenſa abſumitur: in reliquo intercedente tempore pro ratione magnitudinis craſſitudine habet*: Idem repetit *l. 4. c. 4. de vſu Part.* Conſentiunt *Avicenna l. 3. f. 21. tr. 1. c. 1. Aetius tetr. 4. ſerm. 4. c. 1. Veſalius, Carolus Stephanus.* Idem quippe vtero accidit ac veſicæ vrinariæ, quæ etiamſi lotio depleta craſſitudinem ſemi tranſverſi adæquare videatur craſſitudinem illam ſenſim deponit quò magis admittit vrinam in eam influentem, adeò vt omnino repleta & diſtenta, ad tantam tenuitatem deducitur, vt ferè pellucida evadat? quæ demum depleta, priſtinam craſſitiem adipiſcitur quò magis in ſe ſe contrahitur: Itidem vterus admodum craſſus cùm vacuus eſt, paulatim craſſitiem illam deponit, prout adimpletur & diſtenditur in graviditatate: hinc ad tam inſignem tenuitatem perducitur per graviditatem, vt poſtremis menſibus non minùs ferè quàm veſica tenuis fiat quàm veſica diſtenta, ſi exceperis partem cui ſecundina adhæret, quo loci paulò revera craſſior eſt & ſpongioſa; ſed illicò à partu ad priſtinam craſſitiem redit, contractis & ad invicem adductis membranis, in graviditate admodum diſtentis & expanſis, quinimo illo tempore craſſior apparet quàm alias, quia tunc multo humore extraneo imbuta eſt, qui cum lochiis ſenſim effluit, quapropter ſolitam craſſitiem reſumit: Duo verò, vt cenſeo, Auctores omnes in hunc errorem pertraxerunt, aſſerentes quò magis vterus in imprægnatione diſtenditur, eò craſſiorem fieri illius ſubſtantiam, 1. quòd aliorum fidem ſequuti ſunt, re ipſâ ritè nequaquam explorata. 2. Quòd adapertis cadaveribus mulierum illicò à partu mortuarum, perpetuò revera ſe exhibuerit vteri ſubſtantia vnum aut alterum tranſverſum digitum craſſitie adæquans aut ſuperans; aut anatome factâ quarundam aliarum mulierum prægnantium vterum admodum craſſum deprehenderunt, eventus cauſam minimè indagantes aut perpendentes: At verò etiamſi vterus craſſitie revera donatus appareat ſtatim à partu. Eapropter colligendum eadem craſſitie illum præditum fuiſſe, cùm fœtus & aquæ in illo contentæ vnà cum placenta, diſtenſionem ſummam inducebant; craſſitiem enim illam ideò ſolum induit à contractione vaſtæ latitudinis ipſius ſubſtantiæ, quæ citò condenſatur, ac prout in ſe ſe redit, id quòd immediatè à partu accidit: At verò, vt faciliùs conſequi liceat quænam eſſet illius craſſities ante partum, in manus veniat ceræ maſſa, aut alia quæpiam materia extenſionis capax, ejuſdem magnitudinis & figuræ cum vtero illico à partu (pugnum ferè adæquans aut paulo ſuperans) diducatur & diſtendatur materia hæc, adeò vt idonea fiat & capax fœtus, & inſimul placentæ, necnon aquarum [illegible]tero contentarum: nam poſtmodum nemo no[illegible]icaturus eſt ex craſſitie iſtius materiæ, ea ratione expanſæ in inſignem circumferentiam, quænam futura ſit vteri ſubſtantia ante partum. Neque præterea inferendum eſt vteri ſubſtantiam craſſiſſimam eſſe in cunctis mulieribus gravidis, quia talem ſe præbuerit diſſecantibus, cadaver earum, quia *rara non ſunt artis*, ejuſmodi enim diſpoſitio tunc naturalis non eſt; Id quod ſecundum naturæ leges accidit, frequens eſt, non rarum, ſicuti diſpoſitio hæc quæ nunquam taliſmodi apparet, niſi per morbum, inflammationem, influxum humorum, in illam partem, ſed frequentiſſimè ob divulſionem particulæ ſecundinæ, aut dolores ac agitationes in partu laborioſo per plurimos dies; à quibus cauſis intumeſcere ſolet ſubſtantia vteri in tantum, vt nonnunquam craſſitiem attigerit quatuor tranſverſorum digitorum, præſertim circa fundum præ copia aquarum ibidem concluſarum; At verò vt de rei veritate apertè conſtet, neceſſe eſt cultro anatomico ſubjici mulierem gravidam, defunctam citra vllum iſtius partis affectum & aquarum fœtum ambientium effluxum; ſi enim hæ evacuatæ eſſent, tunc vteri ſubſtantia paulò craſſior appareret, quia videlicet contractior facta eſſet ab iſtiuſmodi evacuatione: At verò cùm raro occurrant caſus mulierum ſimiliter mortuarum, interim alia experimenta per diſſectionem animalium viventium agere licet, exempli gratiâ ovium; ſi enim prægnantis ovis venter diſſectus fuerit, & partui proximæ, tunc illicò matrix tantam tenuitatem oſtendet, vt quodammodo fœtus illius viſendum ſe exhibeat; id quod in muliere non abſimilii ritu accidit, nam plerumque vteri ſubſtantia poſtremis menſibus ad tantam tenuitatem & debilitatem adducitur, vt in nonnullis ab obitu fœtus in cavitatem abdominis delapſus deprehenſus ſit, media inter inteſtina omnino egreſſus vterum, vno impectu diſruptum præ nimia diſtenſione: Si quis objiciat diſparem eſſe rationem mulieris & cæterorum animalium, animadvertat is & conſideret rationem motûs in omnibus gravidis, admota ventri manus vltimis graviditatis diebus, deprehenſurus enim eſt proculdubio vterum prætenuem eſſe; ſiquidem non obſtante craſſitie omnium integumentorum interjectorum, ac muſculorum ventris, proximus fœtus adparet, adeò vt membra infantis interſtinguere liceat, dum ſe ſe variè commovet; quod nequaquam futurum, ſi tunc craſſitiem duorum aut trium digitorum tranſverſorum obtineret. *Mauriceau de morb. Prægn. l. 1. c. 4.*

6. *Ab hydrope*) Vide infra §. 6. *Ab hydrope ventris.*)

7. *Ab inteſtinorum inflatione*) Et quod inteſtinorum inflationes, rugitus & murmura ſæpe hîc audiantur, dolores ſentiantur acerbi, non in una, ſed diuerſis abdominis regionibus, ventris emittuntur crepitus: *In vteri* verò *inflatione* tam atroces dolores non ſunt; ſoni quidem interdum percipiuntur, non autem in locis diverſis vti in ἐμπνευματώσει inteſtinorum, quæ totam penè abdominis regionem occupant, & multis gyris ſunt implicita, in quibus flatus multa reperiunt obſtacula, vt promptè exire nequeant, *Sebiſius*: At hic ſyndrome ſignorum neceſſaria eſt, ſi enim vterus flatibus turgidus, inteſtinis incumbens & accumbens, ea poteſt comprimere, quidni hinc negato flatibus exitu, inde murmura & rugitus in abdomine obaudiri poſſunt? non vno, ſed pluribus locis?

8. *A mola*) Quandoque tamen cum mola ipſa flatus conjunguntur. *Primiroſius.*

9. *A conceptione*) Nam factâ verâ conceptione in pleriſque cibi faſtidium, vomitiones matutinæ, menſium ſuppreſſio, ventris & mammarum paulatim facta augmentatio, lactis procreatio, fœtus motio, initio obſcura, progreſſu temporis manifeſta, & ſenſibilis, aliaque accidentia ſuperveniunt, quæ in vteri inflatione aut non pari ratione eveniunt. *Sebiſius.*

Diſtinguitur in eo 1. quòd Inflatio vteri pro ratione

flatuum, nunc magis dilatatorum, nunc magis condenſatorum vi eorum elaſticâ, nunc major, nunc minor appareat; ſecus ac fit in vera ingravidatione, vbi tumor æqualis eſt, ſucceſſivè accreſcens. 2. ſi præceſſerint ſigna alia, in ſpecie cauſæ antecedentes, quæ ad conceptionem diſponunt; quando etiam obſervat mulier medio geſtationis tempore motum infantis, ſed hoc faciat cautè; nam etiam flatus, ſi imponatur manus abdomini, vt incaleſcat, poſſunt mentiri motum fœtus. 3. Inflatio vteri magnam abdominis diſtenſionem, leve verò pondus infert, & manu percuſſa inſtar tympani renititur; verùm in conceptione moles eſt minor, pondus verò majus, vterus & abdomen compreſſa primò cadunt, deinde ſucceſſivè attolluntur iterum. *Etmuller.*

[10] *Carentia metus*) Fit tamen aliquando, vt cùm hydrops à flatibus exoritur, palpitatio quædam in vtero ſentiatur, ſed illa à motu infantis facilè diſtinguitur, qui magis æqualis eſt, & plures ventris partes occupare ſolet. *Riverius*

Quædam juvenis poſt diuturnam menſtruorum emanſionem iterum eadem ſentit, & quidem rubra apparuerunt ſigna nonnulla, quæ primis menſibus in gravidis ſolent apparere; putat ſe eſſe gravidam, quicquid dicatur contrà de *motu infantis*; ventre enim intumuerat, & motum aliquem perceperat; Ita nonus menſis & dies expectabatur; Conſulebantur obſtetrices, conſenſerunt omnes, Ego contrarium ſentiens expectavi tempus partûs: At cùm tranſiit decimus menſis, venter iterum ſuâ ſponte ſubſedit, ſpeſque cum prole nulla fuit.

Falſa ingravidatio fit à mola, vel à monſtro, vel ab aqua, vel à flatu: A flatibus gravidam hanc fuiſſe non dubito; ſunt qui negant flatus tanto temporis ſpatio in vtero contineri poſſe, vt *Platerus*, ſed poſſibilitatem confirmat *Riverius in Praxi*, rationibus, exemplis & *Hippocratis* authoritate. *Dan. Wincler. m. ſ. v. 2. p. 68.*

[11] *Materia ipſa vel gignitur*) Cauſa Inflationis eſt gemina, materialis & efficiens: *Materialis* vel aquoſa eſt, vel craſſa & phlegmatica, *Efficiens* eſt calor vteri debilis: materialis continetur, vel *in vteri cavitate*, vel vaſis uterinis. *Sebiſius.*

[12] *In ipſo vtero*) Hoc licet quidam inficientur, verum tamen eſſe experientia docet, compertum enim quibuſdam quæ credebantur gravidæ, magno cum ſonitu flatus erupiſſe, vterumque illicò ſubſediſſe, imique ventris tumorem diſparuiſſe. *Sebiſius*: vide ſupra §. *Ejuſdem à flatibus,*

[13] *Purgationis poſt partum*) Fit interdum vnà cum lochiorum ſuppreſſione, interdum etiam poſt lochiorū fluxum, in ſecunda poſt partum ſeptimana, ſi mulier aërem frigidum ſinu pudoris excipiat, quod obſervat *Salmuth. cent. 2. obſ.* 57. Præterea in menſium fluxu vberiori, jam ceſſante nonnihil, mulieres aëri frigido ſe exponentes Inflationem vteri incurrunt. *Etmuller.*

[14] *Poſt partum*) Nihil frequentius eſt quàm quod ex puerperio adhuc habeant ventrem, quaſi eſſent gravidæ, quæ mox ab abortu vel partu incautius aëri frigido ſe exponunt; tunc enim vterus inſigniter tumidus, & à flatibus turgidus fieri ſolet, *Etmuller.*

[15] *Seu per vaſa ſeminalia*) A cauſa externa rarò obſervatur vteri inflatio, & ferè ſequitur conceptionem falſam, videturque fieri occaſione genituræ maris ſine conceptione in vtero contentæ. *Etmuller.*

[16] *Caloris verò imbecillitas*) Cauſa mediata Inflationis vteri, (vt & hydropis) eſt caloris nativi imbecillitas, quæ vel in hepate & liene reſidet, & ex iis partibus flatus, pituita, aut ſeroſi humores in vterum tranſmittuntur, vel in ipſo vtero, vnde prædictæ materiæ in eadē parte per congeſtionem cumulantur: Cauſæ autem, quæ calorem nativum debilitare valent, vel per ſe, vel per accidens, plurimæ ſunt, ex rebus præſertim non naturalibus petitæ: ſic *Aer* frigidior, præſertim poſt partum imprudenter in vtero receptus, graviſſima eſt hujus affectus cauſa: quem etiam producere poteſt, ſi fluentibus menſtruis importunè occurrat, demerſio frequens in aqua frigida, præcipuè fluentibus menſibus, idem præſtat: Tum etiam *ciborum* frigidorum; aut flatulentorum, vt fructuum, olerum, leguminum, & aceti vſus diuturnus, Aquæ frigidæ potus copioſus & intempeſtivus; ſomnus longior & profundior; partus vel abortus laborioſior, iſque frequenter recurrens; menſium fluxus immodicus, calorem nativum exhauriens, vel ſuppreſſio eorundem, calorem ſuffocans: His adde peculiares vteri morbos, tumores, vlcera & ſimilia, quæ calorem partis reſolvunt; vel etiam oſculum vteri occludunt, & ſanguinis menſtrui, atque excrementitiorum humorum exitum impediunt. *Riverius.*

Prognoſis.

Per ſe nihil habet in receſſu, ſed quando adjunctam habet, vel ſuppreſſionem lochiorum, vel menſium, per accidens ſolet nocere. *Etmuller.*

Cum vterus quampiam ob cauſam aërem frigidum recipit, ſterilitas ſæpe conſequitur, quia aër frigidus ingrediens condenſat tunicas vteri, & orificia venarum claudit. *Ench. med. Pract. p. 308.*

[18] *Curatio*, ſi methodum ſpectes, ab aliarum inflationum curatione non differt, [19] modicæ partis ratio habeatur. *Obſerva* inter purgantia *Species hieræ, & diaphœnicon cum caſtoreo* laudato

Ad [20] ſuffitus *Nucem moſchatam*, cujus portio igni injici, & fumus per infundibulum utero immitti debet [21] Ad emplaſtra, *emplaſtrum de baccis lauri* cum Theriaca; ad hauſtus *nucem moſchatam* tuſam, radicibus matricariæ decoctam, & ex ſenis vini unciis cum ſacchari dr. ii. ebibitam. [22] Sunt qui aquam *ceraſorum nigrorum* è ceraſis exſiccatis ſine additione factam commendant.

Differentiæ à parte ipſa ſumuntur.

Alia eſt, [23] *quando flatus ſunt in cavitate* & *tum* os uteri ita clauditur, ut nihil ejus exire queat, cum vel mulier movetur, vel manu abdomen comprimitur, ſonus & ſtrepitus percipitur. [24] *Contineri* autem eos *in cavitate poſſe* certum eſt, tum quia uterus diſtendi poteſt, quamvis craſſus, ut in conceptione, & retineri ut in mola: tum quia alteratrix & retentrix, facultates nunquam otioſæ ſemen morboſum in flatus mutant.

Alia, [25] *quando ſunt in tunicis ejuſdem*; & *tum* etiam os uteri apertum eſſe poteſt, propter flatuum in anguſto loco concluſionem, ſonitus eſt, & dolores fiunt majores ac latius extenduntur: malum difficilius quàm in cavitate curatur.

[17] *Curatio ſi methodum ſpectes &c.* Quoties Flatus ex Pituita glutinoſa, in tenui præſertim inteſtino geniti, & per inteſtinorum fiſtulam verſus anum [illegible]i, aut per lacteas venas, tum ad cor, tum inde quaquaverſum-

ſum, & ad vterum quoque propulſi, quocunque modo dolores *Vterinos* ſi non producant, augent ſaltem, toties Flatus tam geniti diſcutiendi ac diſſipandi, ac eorundem productio nova impedienda.

Diſcutientur Flatus in craſſo inteſtino hærentes commodiſſimè per *Enemata*, Carminantia dicta, additis ſemper emollientibus: horum enim ope ſubſidunt ex parte flatus in Enematum liquore aquoſo, ſimulque educuntur cum ipſo denuò excreto.

Laudantur hi meritò à quibuſdam *Enemata* ex *vrina puerorum*, quippe quæ flatus potenter diſcutiunt educuntque ob ſalem volatilem in vrina exiſtentem.

Conveniunt Decocta ex ſimilibus carminantibus emollientibusque parata, & ſubinde ad ℥iv. vſurpata: Vbi commodum eſt quædam addere *ſudorifica*, promoto blando ſudorê, cum quo quaquaverſum ſolent ſimul expelli flatus: conducent proinde talia in primis, quando ad vterum quoque ac quovis propulſi notati Flatus.

Decoctorum loco vſurpari poſſunt à delicatioribus, & longas iſtas potiones faſtidientibus miſturæ idem præſtantes, additis *oleis aniſi, fœnic. maceris, cortic. arantiorum, carvi, cumini, Iunip. ſuccini*, aliiſve puerperis haud ingratis, non neglecto interim *opio*, à quo non tantùm dolores leniuntur, ſed flatus quoque diſſipantur: Flatuum generatio nova impedietur *Pituitam glutinoſam* alterantibus ac educentibus non omiſſis, quoties *Bilis* peccat quoque copioſa vel acris, cholagogis, & ipſam temperantibus ſubacidis, ac inprimis *ſpiritu Nitri* flatibus quoque conducente.

Pituitam glutinoſam corrigunt, tum *Acida*, tum *ſalia lixiva, fixa & volatilia*, tum *Aromatica* omnia: Eandem ex parte ſaltem, correctam inciſamque vacuant phlegmagoga, tum vulgaria, tum chymica, inter quæ primas hic tenent mercurialia.

Bilem acriorem temperant Acida omnia, vnde quoties hæc quoque peccat, meritò Acidis vtemur, quippe quæ pituitam ſimul incidunt, attenuant, fluidioremque faciunt.

Bilem vacuant *cholagoga*, inter quæ primum locum dare ſoleo Scammonio, blando tutóque remedio: Sed & præveniendus pituitæ ſimilis proventus, flatuum generationi occaſionem præbens: Diæta & Pharmacia conveniente, cavendum ab Alimentis craſſis & viſcoſis; Aëre frigido humidoque, Animi mærore, ac ſimilibus, Aër ſit calidus & ſerenus, ſtudendo hilaritati, ac quandoque iræ: Alimenta ſint boni ſucci, ac in primis condimenta aromatica, ſinapi, raphanus ruſticanus, majorana, toriſmar. ſalvia & aromata pleraque, piper, caryophilli, cinnamomum.

Pharmacia prævenietur Pituitæ proventus, tum *Alterantibus*, qualia ſunt omnia Aromatica potentiora, & condimentorum vix vſurpanda, tum etiam ſpirituoſa, quin ſalia, tum fixa, tum volatilia, & ipſa quandoque Acida alibi recenſita. Tum *Purgantibus*, inprimis phlgemagogis pituitam augeri cœptam per alvum vacuantibus.

Vbi non putem temerè concedenda *Vomitoria*, niſi facilè vomentibus aut nauſeabundis: Conveniunt etiam *ſudorifica*, ſed magis aromatica, & pituitam præterea potenter alterantia, incidentia, ac emendantia, meritò laudantur radices *fœniculi, apii leviſtici, ſalſapar. Chinæ*, &c. Ligna quercus, Guajaci, ſaſſafras, Iunip. Buxi, &c.

Vbi notandum talia ſudorifera, ſudore blandè ſubſequente, potentiùs alterare ac emendare pituitam in corpore noxiam: ſicuti vice verſa ſudores faciliùs promoventur in corpore pituitoſo conjunctis aſſumptiſve aromaticis.

Inter vacuantia non infimum locum tenent *Diuretica*, quippe cum minore corporis moleſtia ſolent pituitam accreſcentem per vrinas expellere, quam ſudorifera per corporis poros; vbi opus eſt corpus magis quovis modo incaleſcere; quod minimè neceſſarium ad diureticorum vim percipiendam, quamvis & caloris quoque aucti ratione feliciùs opus ſuũ abſolvant: Quia verò ad Flatuum productionem concurrunt ſemper Bilis & Pituita, prudentis erit Medici attendere ad humorem vtrumque, quo talia vſurpentur remedia, quæ humori vtrique tunc peccanti conveniant, neutri noceant, arte paranda, ſi à naturâ non fuerint conceſſa. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 9.*

In Hydrope flatuoſo *Fotus ſicci* magis erunt proficui, ex ſacculis paratis ex *milio, ſale, cumino, furfure*, in ſartagine torrefactis & *vino* irroratis.

Vtiliter admovetur *Cucurbitula* vmbilico cum multa flammâ; flatus enim egregiè diſcutit.

Si *à partu Inflatio* contingat, non opus eſt aliâ purgatione, quàm eâ quæ per vterum fit; quæ ſi non ſatis procedat, juvanda eſt peſſariis *attrahentibus*, & *cucurbitulis* femoribus affixis, aliiſque remediis in menſium ſuppreſſione deſcriptis: Et ſi flatus adfuerint, ſuffitus ex *nuce moſchata*. Riverius,

Ad vteri dolorem, in hoc caſu ſæpe contingentem commendat *Amatus Luſitan.* aquam vel decoctum florum chamomillæ, ad ℥iv. vel v. exhibitum. *River. ex Rondelet.*

18. *Modo partis ratio habeatur*) Et ventriculi; cùm enim frequenter concurrant ſimul ſigna digeſtionis primæ læſæ, propterea debitis alterantibus & laxantibus ſtomacho & primis viis proſpiciendum.

Carminativa, præter generalia, ſunt in ſpecie *Caſtoreum* & omnia *caſtorina*, radix *zedoar.* & *gentianæ*; item *matricaria* & *flor. chamom.* quorum decoctum; aut *chamom. ol. deſtill. ſapphir* eſt egregium. *Etmuller.* Tragema ex *Zedoar.* & *cardamomo*, quibus adde *elæoſacch. caryophill. macis &c. Idem.*

19 *Ad ſuffitus*) *Balneis* hunc affectum curavit *Oſcv. Grembſ. de Rnin. hiſt. p. 359.*

Ego, *inquit*, reliquis nihil juvantibus hoc *Balneo* in muliere quadam fui vſus, & penitùs adjuta fuit.

℞. *Herb. betonic. malvæ, alth. melil. verbaſci, chamom. paralyſ.* ãã. *m.* iij. *ſalv. m.* ij. *agrimon. m.* iv. *rad. lil. alb.* ℥ij. *alth.* ℥ij.

Ex quo quinque diebus ſe lavabat 3. horis poſt prandium, vſurpato iſto Balneo per quinque dies aliud parabat.

℞. *Beton, malv. alth. ſalv. meliſſ. heder. calamint. origani, melilot. ivæ, anth. verbaſci* ãã. *m.* ij. *flor. lavend. m.* ß. *rad. enul.* ℥ij. *oſtrutij, baccar. lauri* ãã. ℥j.

Ex quo balneo paulatim detumeſcebat illa vteri inflatio. Tertium Balneum erat.

℞. *Salviæ, meliſſ. chamom. melilot.* ãã. *m.* iij. *origani, fol. lauri, majoran. roriſmar.* ãã. *m.* j. *rad. acori, balauſt. caryophillat.* ãã. ℥iij. *flor. balauſt. m.* ß.

Ex quo Balneo vterus robur acquirebat, & ſic præter ſpem patiens ex vſu Balnei herbacei convaluit.

Aquam ex junip. ſabina, helenio, hedera, aut baccis junp. cum vino deſtill. illitam in hac re magni unimomenti fore cenſeo *Mercatus.*

20. *Ad ſuffitus, nucem moſchatam*) A *Solenandro* maximè commendatus, Puerpera, *inquit*, ſe ante tempus debitum ventis committens, & aëri, incidit in intolerabiles dolores neque potuit reſtitui: Tandem obſtetrix juſſit ſibi afferri nuces tres myriſticas craſsè contuſas; Tum ſupponebat teſtam fictilem cum carbonibus accenſæ mulieri, & ſtatim inſperſo nucum pulvere, teſtam ita ſuppoſuit, vt inſperſi pulveris ſuffitum exciperet pudendis per infundibulum inverſum; Per ſuperiora eodem tempore eundem ſuffitum excepit, qui vbi penetraſſet, mulier ſtatim exclamat; Neceſſario mihi reddenda alvus, quâ voce vix editâ, auditus eſt ſibilus & ſtrepitus, qualis eliditur cùm pulvis tormentarius alicui pyxidi anguſtæ incluſus accenditur, in ipſo

protinùs momento mulier ſanitati reſtituta eſt. Iſtâ experientiâ monitus in ſimili caſu aliquoties poſtea idem remedii genus admorum vtile & proficuum inveni.

[21] *Ad Emplaſtra.* Poteſt inungi *cerato ſtomach. Galleni.* Olea ſola etiamſi calfaciant & conſtringant, minùs conveniunt, quia ventrem laxant ob lentorem: Quare optimum erit vel *acetum*, vel vinum malvaticum illis adjungere vt magis proſit: Acetum enim penetrare facit vim medicamentorum, & partes extenuat ventris conſtringendo; flatus propellit abſumitque; Eligenda ſunt itaque olea quæ minùs relaxant, & quæ facilitatem concoctricem juvent, flatus diſcutiant, qualia ſunt *rutaceum*, *nardinum*, de *abſynth.* & *abrot.e.g.*

℞. Ol. de *abſynth. rutæ*, ãã. ℥iij. *aceti vel vini* ℥j. vngatur tota regio ventris.

Acetum ſupra ventrem minùs convenit, ob id *vinum* tenue erit ex vſu vel aqua vitæ: *Sacculi* ex *milio* & *ſale* torrefactis flatus abſumunt & diſcutiunt, aut ſi admiſcentur *ſemina calida maj. aut min.*

Fiant Emplaſtra efficaciſſima ex *ſtercore ovis*, vel *vaccæ*, vel *capræ*, additis quibusdam flatus diſcutientibus. E. g.

℞. *Stercor vaccæ* ℔j. *cymini unc.* ij. *ſem. apij*, *petroſel.* ãã. ʒiij. *mellis cocti parum*, *vini malvat. q. ſ.* miſce *f. Catapl. Rondeletius.*

Externè conveniunt Fomenta imprimis abdomini inſinuata, *Emplaſtrum*, nempe ex *galbano* & *tacamah.* malax. cum *oleo deſtill. chamæm.* vel cum *ol. fœnic. cumini* & *ceræ. Etmuller.*

[22] *Ad hauſtus.* ℞. *Rad. angel. torment. zedoar. pimpin. enul. dictamni* ãã. ʒi. *cinnam.* ʒß. *ſantal. rub.* & *lutei*, *cortic. citri* ãã. ʒi. *theriac.* & *mitrid.* ãã. ʒi. *muſci* ʒiß. *macerentur*, & *bis deſtillentur.* Hujus aquæ in fœminarum frigidis flatulentiſque affectibus vſus magnus eſt. *Mercatus l. 2. c. 15. de m. Aff.*

Mirè prodeſt *ſudor* ex decocto *chinæ, ſalſæ* aut *ligni Indic.* quia flatus diſcutit, & ventriculum & vterum roborat, *Weickardus Th. p.* 358.

[22] *Ad hauſtus*) Ratione ſtomachi, præ cæteris conveniunt remedia *ſaſſafrata*, decoctum nempe *ligni ſaſſafras* cum carminativis hauſtum, & ab omni paſtu aſſumptum. *Etmuller.*

[23] *Sunt qui aquam &c.*) In omnibus cauſis maximè conferunt *Pulveres* flatus diſcutientes & reſiccantes, ſi poſt eorum aſſumptionem parum *vini malvatici*; hauriatur bibatur autem potiùs ante paſtum quàm poſt. *Rondeletius.*

[24] *Quando Flatus ſunt in cavitate.* Vide Infra Artic. 2. Tit. 12. De vteri dolore §. *Flatus*, ex *Platero*, qui hanc cauſam reiicit.

[24] *Quando flatus ſunt in cavitate*) Flatuum in cavitate vteri contentorum exempla referuntur à *Sennerto Pract. l. 4. part. 1. ſ. 2. c. 10.* 1. mulieris quæ cum prægnantem ſe eſſe putaret, eo tempore quo partus ſperabatur, magna flatuum copia excluſa; vterus detumuit, 2. mulieris apud *Solenandr.* quæ ex uſtitu *nucis moſch.* flatum emiſit cum ſtrepitu ex vtero. Alia reperiuntur apud *Dodonæum*, *Thadd. Dunum*, & alibi. An aliquid in vteri cavitate contineri poſſit.

[25] *Contineri autem eos in cavitate*) Vide ſupra §. *Ejuſdem à flatibus*) & §. *In ipſo vtero*)

[26] Quando ſunt in tunicis eiuſdem) Vide caput *de Hydrope vteri.*

Capvt VIII.

De Inflammatione vteri.

[1] *Inflammatio uteri* [2] *eſt ejuſdem à ſanguinis in ſubſtantiam ejus elapſi putredine tumor, multis ſymptomatibus infeſtus, & modò in ſcirrhum, modò in abſceſſum faceſſens.*

[3] *Signa* ſunt varia. Tumor ipſe in regione uteri apparet, cum ardore & dolore, [4] uteri occluſione, & verſus interiora retractione; tota verò cervix rubicunda apparet, venulis undiquaque inſtar telæ aranearum ſanguine tumentibus. [5] Reſpirationis adeſt difficultas, cum ſpecie pleuritidis, quia extenſa exteriore uteri tunica, quæ à peritonæo oritùr & firmatùr, partes etiam quibus illa cohæret, tenduntur. [6] Alvi & [7] veſicæ excrementa ob calorem & alvi ſiccitatem, meatuum compreſſionem detinentur. Ventris moles vacua interdum apparet, & alvus aquâ impletur, & umbilicus prominet, & oſculum gracile fit: & derepente menſes pauci ac pravi ingruunt. [8] Febris continua & ardens propter uteri cum corde per arterias & vaſa magna conſenſum, interdum lipyrias ob humorum verſus interiora motum, affligit. Dolor adeſt Mammarum, cum earundem inflatione ob conſenſum inguinum, coxarum, ſepti tranſverſi, clavicularum, ſyncipitis, qui ad radices oculorum extenditur, & à vaporibus à ſanguine putreſcente per arterias ad caput elatis, quæ per collum ab utraque vocati infundibuli parte in ſynciput diſcurrunt, oritur.

[9] *Cauſa* eſt ſanguis, [10] qui interdum eſt purus, interdum bile miſtus, interdum atrâ bile tinctus. [11] *Allabitur*, vel elabitur, propter cauſas communes, detentionem nempe tempore menſtruorum, vel [12] poſt partum ex aëris frigidi occurſu. *Attrahitur* ob calorem vel dolorem, qui fit: *Vel* ex abortu, partu difficili, ſecundinarum violenta extractione, longiore menſibus inſtantibus ambulatione: *Vel* ex moleſta geſtatione, ſi fœtus vel eſt grandior vel malè collatus.

[1] *Inflammatio*) Inflammationis nomine non phlogoſin, ſed Tumorem intelligimus ſyſtrophycum à ſanguine incaleſcente & putreſcente genitum, ſive humor eſt ſincerus, à quo phlegmone exquiſita, ſive aliis humoribus permiſtus. *Primiroſius.*

[2] *Et ejuſdem a ſanguinis in ſubſtantiam ejus elapſi putredine &c.*) Phlegmone tumor eſt in vtero adnaſcens ab excrementis alimenti, quæ pravâ ſuâ qualitate vterum inflammant, inflammato ſcil. hinc ſpiritu vteri, ſanitatis ipſius cuſtode, qui dum ab excrementis

vterinis

vterinis irritatur & excandeſcit, febrem, ardorem, tumorem, diſtenſionem atque gravitatem imi ventris lumborumque parit. *P. Ioh. Faber Path. cap. 60. §. 3.*

Circa cauſam nil peculiare occurrit quod non in aliarum partium viſcerúmve inflammationibus adſit; Niſi fortè adjicere hîc allubeſcat, quòd ob exuberantis ſanguinis & humiditatum in corpore fœminino ſuperfluarum aſſiduas ad vterum accuſationes; item ob retenta p. n. menſtrua, cumprimis verò ob corruptionis & putrefactionis vehementiam, quæ in genitali hoc hoſpitio totâ die contingit, nec non propter ſpongioſam vteri ſubſtantiam, qua vel promptè ſuperfluas humiditates abſorbet, praviores & periculoſiſſimæ inflammationes præ reliquis partibus hîc ſubjiciantur; Quæ omnia ſi ponderemus, facili conjecturâ adſequi poterimus, vnde in vtero tam pravæ & malignæ impuritates, ac venenatam proprietatem redolentes ſcaturiant; aut inde tam impetuoſæ fermentationis, quæ præſentiſſimum explicandæ nequitiæ inſtrumentum eſt, & animatæ putredinis perniciosiſſima ferocia, præſertim in ſpermaticâ hac tabernâ, ſeu vtero proveniat. *Chriſt. Langius Path. Anim. p. 524.*

3. *Signa ſunt varia*) Vel ſunt ipſius affectus, vel partis affectæ, vel temporum: Dignoſcitur autem Inflammatio ex tumore, diſtenſione, gravitate & dolore pubis, imi ventris & lumborum; ardor, febris acuta; multa præterea ſequi poſſunt, quoniam conſentit vterus omnibus partibus per vaſa & nervos. Sequi igitur poſſunt capitis dolores, colli, maxillarum, ſincipitis, oculorum, maximè in ipſorum radicibus, digitorum, brachii, cervicis convulſiones, extremorum perfrigerationes, deliria, inquietudines, ſtomachi afflictiones, ſingultus, pulſus parvi, denſi, animi deliquium, vrinæ & ſtercorum ſuppreſſio, ob magnitudinem inflammationis partes vicinas conſtringentis, lingua arida, nauſea, vomitus, & alia, quæ non morbum, ſed ipſius magnitudinem oſtendunt: Adſunt autem in omni ventris inferioris, coxarum, lumborum, inguinum, femorum, tumor, ardor, diſtenſio, gravitas, dyſpnœa &c. *Primiroſius*

4. *Vteri occluſione*) Invenitur os vteri durum, clauſum & retractum, ardenſque, *aph.* 54. §. In gravidis quidem clauditur, ſed ſine duritie & dolore, aph. 51. §. v.

5. *Reſpirationis adeſt difficultas*) Si magna eſt inflamatio, interdum ob ſepti tranſverſi compreſſionem, ſequitur ſuffocatio; ſi minor illa ſit, magna ſpirandi difficultas, vnde pleuritidem imitatur, ob conſenſum vteri cum ſepto & claviculâ; peritonæo enim vterus tegitur, & eo ſolo firmatur & retinetur à parte ſuperiore; quare ſi in magnam molem accreſcat, & vehementiùs diſtendatur, trahit peritonæum & pleuram ob vnionẽ illam peritonæi & pleuræ, quæ fit in diaphragmate *Primiroſius.*

6. *Alvi & veſicæ*) Difficile eſt ab affectibus inteſtini recti & veſicæ hunc affectum diſtinguere; adeò ſunt inter ſe omnia ſimilia; verùm vtero affecto ipſius actionis magis læduntur; menſtrua vel ſupprimuntur, vel diminutè prodeunt, cum dolore, anxietate, torminibus, imò quidam fœtidi ichores ſolent ex vteri phlegmone profluere, & genitalia irrigare. *Primiroſius.*

7. *Veſicæ*) Stranguriam addit *Hippocr.* aph. 58. *5.*

8. *Febris continua*) Febris acuta eſt, de naturâ lipyriæ, cum horrore inæquali & inordinato, propter retractionem caloris ad interiora, vi inflammationis, maxime ſi ſuppuret, tunc enim augeri ſolent omnia ſymptomata; obſervandum autem ſymptomata illuſtriora eſſe in illa phlegmone, quæ totum corpus vteri occupat; minùs autem in illâ quæ eſt in cervice, aut partibus lateralibus: quamvis enim vterus per arterias ſatis amplas facilè cor in ſui conſenſum trahat; ſi tamen inflammatio parva ſit, & in cervice, ardorem quidem & tumorem in parte faciet, non autem febrem ardentem, vt docet *Hippocr. 2. Prorrh.* minor quoque febris erit, ſi phlegmone ſit œdematodes, aut ſcirrhodes, ſicut & eadem fortior redditur, ſi ſit eryſipelatodes. *Primiroſius.*

9. *Cauſa eſt ſanguis*) Affluens è vaſis vel apertis, vel rupis, vel exeſis, qui ſubſtantiam invadit in eaque putreſcit & incaleſcit: *Attrahitur* is ab vtero, vel aliunde ad ipſum derivatur, vel in eo detinetur, cùm vacuari deberet; Attrahitur ob calorem vel dolorem. *Dolet* ex percuſſione, caſu, vehementi diſtenſione, à flatuum copiâ &c. *calet* ex medicamentorum calorificorum impoſitione aut immiſſione; ſanguinis menſtrui fervidioris accurſu, motu & excitatione corporis nimiâ: *Derivatur* aliunde ad vterum in plethorâ, & tum potiſſimùm cùm ſanguis eſt tenuis & fervidus, cùmque accedunt cauſæ illum moventes & impellentes: *Detinetur* cùm fluere prohibetur, vt cùm in puerperis lochia ſupprimuntur, vel cùm poſt partum frigidus aër admittitur, vel cùm fluentibus menſibus craſſa alimenta viſcida &c. aſſumuntur. *Sebiſius.*

10. *Cauſa eſt ſanguis*) Humor qui partem replet, in eadem colligitur de novo, qui antea non aderat, & quidem ob humoris motum trans partem impeditum, vnde ejus ſtagnatio, eſtque hæc humorum ſtagnatio, & inde natus tumor, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid morboſa; Illa eſt in tumoribus vulgaribus hæc habet locum in tumoribus criticis; hiſque ſimilibus vbi promiſcuè hæret tumor tranſiens; hic ſecretione quadam factâ, partes quædam adhærent, aliis adhuc tranſmiſſis, hinc illa ſtagnatio propriè dicta, hæc congeſtio dici poteſt: Iam in ſpecie ex ſtagnatione morboſa ſimpliciter fiunt Inflammationes, contuſiones, eryſipelas, & ſimilia, & quidem hæ omnes ex *ſanguine*, ſicut ex *lymphâ* ſtagnante tumores ſeroſi, hydropes particulares &c Pertinent huc lochia circa vterum contenta &c. *Etmuller Part. 3. Pr. p. 118,* Vide plura in Parte chirurgicâ, vbi *de Tumoribus p. n.*

11. *Qui interdum eſt purus*) Tunc phlegmone ſimpliciter appellatur; ſi bilis illi commixta ſit, phlegmon vocatur erypelatodes: Iis ſi jungatur pituita aut ſi melancholia, phlegmone œdematodes aut ſcirrhodes.

Interdum purus, interdum bile &c.) Si ſit à ſanguine puro; omnia ſymptomata ſunt mitiora; ſin bilem admixtam habeat, febris eſt ardentior & omnia ſymptomata ſunt vehementiora; ſi verò ſanguis pituitoſus ſit, aut melancholicus, febris erit minùs acuta, ſed morbus diuturnior, ac contumacior: Tum etiam ad hanc diagnoſim referenda erunt ſigna humoris in toto corpore prædominantis. *Riverius.*

12. *Allabitur*) Cauſæ ad hunc affectum producendum aut promovendum idoneæ variæ eſſe poſſunt; Temperamentum ſcil. ſanguineum, plethoricum aut bilioſum; naturalis vteri laxitas & viarum amplitudo; Aër impenſè calidus humores inflammando; vel frigidus conſtringendo; & profluentia menſtrua, vel fluere parata coërcendo, vehemens exercitatio, coitus immoderatus, ictus vel caſus ſupra regionem vteri; Animi pathemata graviora, præſertim iracundia, Alimenta acriora & calidiora, & quæcunque alia aſſumpta acrimonia inſigni atque erodendi vi prædita, vt de cantharidibus authores referunt, quas non ſolùm veſicæ, ſed etiam vtero valde infenſas aſſerunt; Peſſaria acriora diutiùs vſurpata, medicamenta cathartica, aut alterantia valentiora, qualia plerumque vſurpantur à ſterilibus mulieribus vndecunque exquiſita, menſium retentio plethoram augendo, vel nimia profuſio vias relaxando, & motum humorum à toto corpore in hanc partem promovendo: Cucurbitulæ etiam pubis regioni admotæ attrahere poſſunt violenter ad regionem vteri, in eaque cohibere ſanguinem & alios humores: Inducitur

aliquando ob contrectationem violentam partium genitalium ab obſtetrice imperita &c. *Riverius.* Fit ſicut & aliæ inflammationes ex affluxu tenuioris & fervidioris ſanguinis, non in vteri capacitatem, ſed in illius ſubſtantiam effuſi, qui illic collectus inflammationem parit, &c. Arabum quidam ex ſemine retento fieri voluerunt, ſed malè: ſperma enim ſemper effunditur in vteri vel vaginæ cavitatem, non in ſubſtantiam, quòd ſi retentum putreſcat, ſuffocationem potiùs, quam inflammationem parit: Niſi dicamus ſemine putreſcente & incaleſcente, vicinas partes, & vterum phlogoſin concipere, vt in furore vterino interdum contingit, & ex calore ſanguinem allici, qui tumorem facit, non ipſum autem ſperma partem illam in tumorem elevare. *Primiroſius.*

[12]. *Poſt partum*) Frequens eſt in puerperis, cùm lochia ſupprimuntur, cui niſi ſtatim occurratur, mors conſequitur, abſceſſu in ventre rupto & ſuffocante. *Ench. med. Pr. p. 301.*

Curatio [13]. eſt *Difficilis*, ſi præſertim vel totus occupetur, [14] vel ſuppuretur. Ulcus enim ſordidum exinde exortum, lenta febre tandem ægros conſumit. [15]. *Nulla*, [16]. ſi ſit Eryſipelas, [17]. quia & fœtus ipſe propter inſignem calorem emoritur, unde abortus, qui matrem jugulat, ſequitur. ſi in gangrænam lethalem faceſſat. [18]. *Inſtituitur*, ut in aliis inflammationibus, ubi *nota.* [19]. Ad *revulſionem* non ſecandam eſſe in cruribus venam, cum hæ venæ ſanguinem ad uterum trahant; ſed in cubito, cum ſanguis ex epate & venis ei vicinis confluat. [20]. Ad derivationem venam poplıticam ſecari poſſe, niſi ægra ſit gravida, ne abortus concitetur. [21]. Topica refrigerantia & humectantia [22]. abſque ulla adſtrictione adhiberi debere. Putatur eam proprietate quadam ſiſtere *Decoctum ſerpilli cum aqua chalybeata paratum*, & extrinſecus cum ſpongiis applicatum.

[13]. *Eſt difficilis*) Omnis vteri inflammatio morbus eſt acutus & lethalis & quò major, eo deterior, vt ſi totum vterum occupet, aut magnam ejus partem minùs periculoſa quæ eſt in cervice, quàm quæ in profundioribus partibus, eſt enim cervix carnoſior & minùs gravibus obnoxia ſymptomatis, & remedia faciliùs admittit: Pariter quo graviora ſymptomata, eò deterior morbus, & cōtra.

Si vrina alvuſque fluant, multum demitur de periculo, ſicut ſi alia ceſſent ſymptomata; nam quando contingunt ephidroſes, pulſus parvi, denſi, animi deliquium, exolutio, in propinquo mors eſt.

Solvitur autem, vt reliquæ inflammationes, diaphoreſi, quæ commodior & tutior eſt, propter materiæ & loci calorem: Interdum abſceſſum parit.

Tandem nonnunquam in ſcirrhum vertitur, & duritiem, *Primiroſius.*

Inflammatio vteri facilè in gangrænam degenerat, quia vterus veluti totius corporis cloaca, excrementorum illuviem excipit, à quibus calor nativus facilè ſuffocatur. *Riverius.*

Febres validæ admodum, atque ut plurimùm maligniſſimæ cum lethalibus ſymptomatis hinc ſuccedere protinus ſolent, quæ experientiâ teſte, ad interitum plerumque afflictiſſimum ſexum deducunt. *Chr. Langius.*

[14]. *Vel ſuppuretur*) Si in ſuppuratum abeat, dolor & febris augetur, horrores ſæpe ſine ordine oriuntur, plerumque tamen circa veſperam recurrunt, omnia etiam reliqua ſymptomata intenduntur, Suppuratione factâ omnia miteſcunt, & tumor magis attollitur, ex quo interdum alvus aut vrina ſupprimitur. Si verò inflammatio ſine ſuppuratione diſcutiatur, tumor imminuitur, ſymptomatis miteſcentibus. *Riverius.*

[15]. *Nulla ſi ſit eryſipelas &c*) In muliere gravidâ, ſicut & eryſipelas, lethalis eſt aphor. 43. 5. Eryſipelatoſa autem inflammatio periculoſior eſt, ob fervorem, & ſymptomarum gravitatem, ſed faciliùs patitur diaphoreſin.

[16]. *Si ſit eryſipelas,*) Eryſipelas quoque etiam vtero contingit, ex affluxu bilioſi humoris, ob cauſas illum copioſiùs generantes; ſuntque omnia accidentia ſæviora, quàm in phlegmone, febris, horror, ſitis, linguæ nigredo, corporis inquietudo & jactatio, partium exteriorum refrigeratio, dolor pungens & lancinans, qui capiti, lumbis & præcordiis etiam communicatur, ſuccedunt que interdum reſpiratio difficilis, animi deliquium, ſudatiuncula, tremor, phrenitis, & alia hujuſmodi, quæ ſi contingant, exitialem affectum denunciant, morbus naturâ ſuâ in quibuſlibet lethalis, ſed maximè in prægnantibus *Aph. 43. 5.*

Curatio eadem ferè quæ inflammationis, aut febris ardentis; nam vena ſecanda eſt, humor purgandus & temperandus julepis & aliis: Sed gravidæ minùs ferunt purgationes, phlebotomiam & inediam, quare hæc omnia tunc erunt moderanda: *Topica* ſint refrigerantia, vt *Fotus* aut *Semicupia* ex decocto *ſolani & plantag.* & ſim. quibus, ſi dolor valdè vrgeat, addi poſſunt *hyoſcyamus, papaver, mandragora, coriandr.* fiantque ex ejuſmodi decoctis *Injectiones* in vterum; Sed ſemper cavendum, ne vterum nimis refrigeremus: *Lin. menta* & *Peſſaria*, ejuſdem virtutis fieri poſſunt, Fervore ſedato, *reſolventibus* vti optimum, facilè enim Eryſipelas reſolutione terminatur, vt Decocto *chamæmeli, anethi, melilot. ſem. lini* & ſimil. Quod Decoctum Inſeſſibus, Injectionibus, & ſuffumigiis idoneum eſt: *Peſſaria* fiant ex *mucilaginibus ſem. lini, fœnugr. alth. cum pingued. porci, anatis, gallinæ*, & aliis in phlegmone recenſitis. *Primiro.*

[17]. *Quia & fœtus.*) *Si mulieri gravidæ in vtero ſit eryſipelas, lethale, aph. 43. 5.* fœtus enim propter inſignem inflammationem emoritur, vnde ſequitur abortus, qui in graviſſimo morbo accedens, matrem jugulat; *Galenus* in comm. dubitat num hæc ſententia de omni inflammatione pronuntianda ſit, & num vtero inflammationem patiente, fœtus poſſit aliquando vivere. *Riverius.*

[18]. *Curatio inſtituitur vt in aliis inflammationibus*) ſi ex ſuppreſſione Lochiorum inchoata fuerit in vtero *inflammatio*, excitatuſque dolor cum inflammatione & pulſatione, curetur remediis internis & externis: Convenient *Enemata* ex *emollientibus* & *carminantibus* parata, & ſubinde injecta quo 1. alvi excrementa in tempore eluantur, ne ipſis ſubſiſtentibus augeatur notatus dolor & inflammatio. 2. ab elevatis ex enemate halitibus & ad vterum penetrantibus temperetur acrimonia acida in quavis inflammatione peccans: quin 3. demulceantur partes ab inflammatione diſtentæ, & hactenùs quoque dolentes. Valent & *ſudorifera* ex *oculis cancr.* antimonio diaphoret & ſimilibus præſertim parata; quippe quæ in ſpecie inflammationi tum præveniendæ, tum curandæ præ omnibus aliis conveniunt, additis ſemper *Opiatis* quodvis acre temperantibus, doloréſve quoſvis ſedantibus: conveniunt & *Fotus* ex *plantis emollientibus aromaticis* parati, factâ in aquâ decoctione, Adhibeantur ex ſpongiâ magnâ, vel panno laneo, ſatis calentes infimæ ventris regioni & pudendo mul. quò citius in vterum [illegible] penetret ipſorum vis: Poſſunt & iidem fieri ex veſica bubula, ad dimidias repleta.

Quod

Quòd ſi prædictis remediis, & ſimilibus impediri nequeat Inflammatio, danda opera, vt quamprimum *ſuppuratio* promoveatur, quod fiet, tum *Fotibus* dictis, tum *cataplaſmatis* ex iiſdem *emollientibus*, additis *lilior. alb. bulbis*, *cæpiſque* priùs aſſis & contuſis: Vbi æſtus magnus vrget in abdominis parte infima, decoqui poterunt Cataplaſmata in lacte eburyrato, à quo æſtus commodè compeſcitur: Quod ſi dolores magis vrgeant, in lacte dulci: *Farinæ* quoque *hordei*, *ſemin. lini*, *fœnugr. fabar.* quin panis cujuſvis mica vſurpari poſſunt in cataplaſmatis laudatis: Olea quoque vnguentaque emollientia admiſceri poſſunt cataplaſm. aut venter priùs illis inungi, quoties pinguia ferre poſſunt puerperæ: aliàs ab iis cavendum ſedulò, poſtquam puſtulas & eryſipelas moleſtum in multis producere ſolent. *Injectiones* quoque in vterum adhiberi poſſunt ex Emollientibus paratæ cum lacte dulci. *Sylvius Prax. l.3.c.9.*

18. *Inſtituitur vt in aliis inflammationibus*) Curatur hic affectus malignus, purgatis menſtruis & miſſo ſanguine ex ſaphena pedis dextri ſecundum vires &c. Provocantur menſtrua *ſale martis veneris*, quòd vterum ſummopere expurgat; *Vitrioli* autem *Veneris ſpiritu* ſæpius propinato cum *aquâ roſac.* febris & ardor extinguitur vterinus, qui phlegmonem iſtam comitari ſolet *P. Ioh. Faber.*

Commendare Author phlebotomiam videtur eam ob cauſam, vt provocentur menſtrua, ex quorum retentione, quæ hanc vteri inflammationem ſolenniter comitatur, partim inflammatio oriri, partim exaſperari ſolet. Id quòd ex ſequentibus adhuc patet, quando *Faber ſal vitrioli Veneris* (in cujus defectu *ſal vitrioli comm.* bene purificatum tutò ſubſtitui poteſt) ad cienda menſtrua, & vteri à corruptis humoribus ſufficientem expurgationem non immeritò laudat; Doctioribus nempe Chymiatris notum eſt, in virtuoſis vomitoriis, in quorum claſſem *ſal vitrioli* ad cryſtallinam puritatem redactum reponitur, egregium tam in partûs difficultate deliteſcere ſubſidium, quàm ad menſium contumacem ſuppreſſionem ocyus tollendam potens deprehendi arcanum, Et hac ipſâ ratione, in curandâ vteri inflammatione hoc ſal optimè convenit, quod cauſam materialem hujus mali radicaliter exterminare, vterumque certò ab hoſtili ſaburra vindicare valeat.

Cur autem *vitriolum Veneris* ab ipſo cumprimis extollatur, expoſit. in *Par. chymico*, vbi docet, quòd *vitriolum martis* ad viros, *vitriolum veneris* ad fœminas (hoc enim turget ſpiritibus à muliebri planetâ inſpiratis ſpectet) Vnde etiam ex hoc *vitriolo veneris* multa medicamenta ad omnes mulierum morbos devincendos parari; potiſſimum verò *ſal* tam *album*, quàm *rubeum*, inde factum ſtupendas in curandis propemodum morbis omnibus obtinere ſtatuit.

Cum etiam febris ſatellitio vt plurimum vteri phlegmone ſtipari ſoleat, hoc ipſum quoque pharmacum in curanda hac febre, & mitigandâ perituſque extinguenda corruptarum putridarumque in vtero ſtagnantium, vel in ſubſtantiâ ejuſdem impactarum impuritatum efferveſcentiâ præſentiſſimum præſtat auxilium: Quòd *ſpiritus* autem & *olei vitrioli* vſus internus & quotidianus valeat, in emendandis inflammationibus, reſerandis obſtructionibus, & ſanandis vlceribus malignis, notiſſimum eſt. Cumprimis tamen *acidum*, ſeu *ſpiritus vitrioli veneris* hîc appropriatus erit.

Tandem nobiliora ſudorifica, cumprimis verò *mercurium dulcem diaphoreticum*, tam inflammatione, & febre hinc orta quavis, quam in vterina convenientiſſimum obtinere locum in aperto eſt. *Chriſt. Langius in Not.*

18. *Inſtituitur vt in aliis*) Curatur 1. affluxum humorum prohibendo, quod fit revellentibus, derivantibus, repellentibus, temperantibus, 2. id quod affluxit vacuantibus, quod fiet, vel diaphoreſi, vel ſuppuratione. *Primiroſius.*

19. *Ad revulſionem non ſecandam*) Præmiſſo clyſtere emolliente & refrigerante, mittatur ſanguis è baſilica lateris magis affecti, vel ab vtraque, ſi totum vterum tumor occupet; Et phlebotomia reiteretur bis, ter, quater pro ægræ viribus & phlegmones magnitudine. Ad revulſionem etiam conveniunt *frictiones* & *ligaturæ* partium ſuperiorum, & cucurbitulæ ſcapulis, lumbis, & dorſo admotæ. *Riverius.* Ratio id ſuadet; nam initio inflammationis revellendum eſt ab vtero, ergo ſunt venæ ſuperiores, 2. In vteri Inflammatione non ſunt movendi menſes, ergo non oportet ſecare venas inferiores, docente *Galeno* 13. m.m. vbi vult, revellendum eſſe ad partes diſtantes: nam periculoſum eſt vtero inflammato ſanguinem ad locum affectum ducere: Idem ſtatuunt *Paulus*, *Aetius*, *Avicenna*: ſi Quòd *Galenus* alibi docet ſecandas eſſe venas pedum, intelligi debet de affectibus vteri, in quibus non eſt opus revulſione: Etſi enim ex venis pedum magna etiam vacuatio fieri poſſit, tamen non vacuationem ſolam, ſed etiam revulſionem facere oportet, vt docet *Galen. 2. ad Glauc. c. 3. Primiroſius.*

19. *Ad revulſionem*) Solent veteres numerare tres venæ ſectiones ſcil. Evacuatoriam, Revulſoriam, & Derivatoriam; *Revulſoria* ipſis eſt, quâ ſanguis ad partem aliquam affluxurus, vel affluens ad aliam notabiliter diſtantem avertitur; *Derivatoria* eſt, quâ ſanguis ad aliquam partem affluxurus, vel jam recenter illi impactus, ad aliquam vicinam avertitur; *Evacuatoria* eſt, quâ demitur ſanguinis copia: Sed ſalvâ illorum pace, dico duas priores ſpecies non conſiſtere cum indeſinente ſanguinis circulatione: Nam quantum ad Revulſoriam, intelligi debet de ſanguine jam fluente vel fluxuro, Si de fluente, quo modo eſt poſſibile; vt qui jam v. g. aortam aſcendentem intravit, per ſectionem alicujus venæ in pede revocetur ad aortam deſcendentem? aut ſi jam ſit in arteriis carotidibus, quomodo venæ ſectione in brachio ex illis revocabitur in arteriam axillarem? Sanguis enim ab altero proximè ſequente continuo protruditur, neque dantur duo contrarij motus ſanguinis in eodem vaſe, quod tamen fieri deberet, ſi ſanguis ita à fluxu ſuo jam ad certam partem inſtituto, ad contrarium revocaretur: Si verò intelligitur de fluxuro, is impropriè revelli dicitur, nam revulſio motum ſupponit, quem ſanguis fluxurus necdum habet; Vnicam ergo admitto noſcoque *venæ ſectionem*, & ea eſt *Evacuatoria*; ac ſub tali conſideratione præſtat omne ſolitum ipſi attribui; nam evacuando partem maſſæ ſanguineæ, reliquum melius intra vaſa, & debitam viam circuli continetur, vnde vlterius præcavetur affluxus aut inflammatio, v. g. in parte dolente, contuſâ, læſâ &c. Item evacuando partem maſſæ ſanguinæ, venæ proportionatè ſunt depletæ, ſicque ſanguis in parte præter naturam extravaſatus, vt in anginâ, peripneumoniâ, aliiſque inflammationibus, necdum tamen concretus, aut ſaltem medicamentis diſſolutus, faciliùs in venas regreditur. *Zipæus fund. med. p. 361.*

19. *Ad revulſionem non ſecandam &c.*) Convenit ſanguinis per ſectam in brachio vel pede venam miſſio, in primis vbi concurrit ejus plethora, vel notabilis æſtus: In brachio juvat quatenùs allabentem continuè ad vterum ſanguinem avertit: In pede qua ab vtero eundem derivat, & ne ad ipſum feratur, educit; In plethora bonū eſt in brachio, deinde in pede quoque inſtitui v. ſ. In ſolo

D 2

ſanguinis æſtu ſufficit ſæpe ſanguis ex brachio tantùm eductus. *Sylvius ibid.*

20. *Ad derivationem*) Poſt ſufficientem revulſionem, & tranſacto morbi augmento, vbi nulla ampliùs eſt ſuſpicio fluxionis adhuc fientis, venæ inferiores aperiendæ ſunt ad derivationem à parte affecta: Quo ſenſu audiendus eſt *Galenus* l. de ſ. m. & 13. m. m. cùm docet: In vteri inflammationibus venas poplitis & malleoli eſſe aperiendas; Attamen quandiu aliqua revellendi indicatio perſeverat, ſatiùs eſt venas brachij aperire. *Riverius.* In principio Baſilica, poſtea, ad vacuationem & derivationem *ſaphena* ſecatur: Sed ſi nulla ſanguinis plenitudo adfuerit, ſitque inflammatio parva, à ſaphena auſpicari non erit inutile: Quòd ſi aut vires, aut ætas, aut aliud quidpiam ſ. m. repugnet, *Cucurbitulæ* apponantur mammis ad majorem revulſionem, Poſtea coxis, natibus, ad derivationem. *Primiroſius.* Scarificatio in femore facta, adhibitis *cucurbitulis*, vel *cucurbitulæ* ſine ſcarificatione illic affixæ revellunt, vti ſi in *natibus* hoc fiat: Quòd ſi verò menſes nimium fluant, in ſuperioribus hæc potiùs facienda. *Platerus.*

Alterantia interna.

Propter inſignem febrem refrigerantia medicamenta vſurpanda ſunt, vt Iulepi & Emulſiones, quibus ſi vigiliæ immenſæ, dolor & inquietudo vehementer afficiant, Narcotica erunt permiſcenda, quæ etiam ſeorſim exhiberi poterunt. *Riverius.*

Ad temperationem dari poſſunt ſerum *lactis*, *ſyr. violac. de acetoſa* cum *aquis frigidis*, *decocto hordei*, fiantque Iulepi & ſimilia bili frænandæ dicata, & ſi vigiliæ nimiùm vrgeant, leviora addi poterunt ſomnifera, vt ſimul dolores conſopiant. *Primiroſius.*

Purgatio.

Si vitioſi humores, præcipuè bilioſi in corpore abundant, qui reliquorum humorum in fluxu quaſi vehiculum ſunt, ii levibus medicamentis evacuandi, vt *ſyrupo roſac. & violac. ſolut. manna*, *rhabarbaro*, *catholicone*, vel *Electuario lenitivo*: fortiora enim humores nimium commovendo fluxionem excitarent.

Vomitoria autem, licet præſcribantur ab *Avicenna*, minimè convenire videntur: ſi enim blanda & mitiora ſint, nihil penè evacuant: Si fortiora, magnam corporis agitationem efficiunt, vnde humores commoti magis in partem irruere poſſunt. *Riverius* ex *Varandæo.* Inclinante affectu purgatio iteranda eſt blandioribus catharticis. Idem.

A catharticis ore ſumptis, donec fluxio conſtiterit, abſtinendum, ne in partem affectam humores attrahantur cùmque iis locus erit, *caſſiâ* potiùs aut *cathol.* quàm validioribus vtendum: Interim, ſi alvus eſt dura, remollienda eſt *clyſteribus* blandè purgantibus, iiſque comparatis, ſine oleis. Ench. med. Pr. p. 302.

21. *Topica*) Poſt primas evacuationes, Topica admoveantur imo ventri, inter vmbilicum & pectinem, & circa renes, primò repellentia & refrigerantia, in forma Linimenti, Epithematis & cataplaſmatis.

Linimentum fit ex *oleo roſaceo* loto in *aceto*, vel *vngu. roſaceo*, *cerato ſantal. refriger. Galeni*, addito pauco *aceto*; *Epithema* fiet ex *aquis* vel *decocto plantaginis*, *acetoſæ*, *ſolani*, *ſummit. papav. albi*, & *roſar.* addendo *boli armen. ſanguin. dracon. vel terræ ſigill.* tantillum. *Cataplaſma* parabitur ex micâ panis albiſſimi, cum *lacte* cocta, cui parùm *olei roſac.* ſucci *hyoſcyam* vel *ſolani* cum *vitellis ovor.* addatur, vel ex *far. hordei*, *ſem. fænugr.* cum *oleo roſac.* quibus etiam prædictæ plantæ contuſæ addi poterunt: *Injectiones* in vterum fieri debent, ſic compoſitæ.

℞. *Fol. plantag. nymph. ſolani, endiv.* āā. *m. j. roſ. rub. p. j. coqu. ad tertias, adde ol. myrt.* ℥j. *f. Injectio.*

Ex iiſdem herbis contuſis cum *oleo roſac. & aceto* fiant peſſaria, in vterum immittenda. Interim ſi alvus eſt dura, emollienda eſt blandè purgantibus: Imò verò ad temperandam inflammationem Clyſteres refrigerantes frequenter injecti plurimùm prodeſſe poterunt, cùm vterus recto inteſtino incumbat; Eorum autem minima ſit quantitas, vt diutiùs retineantur, & ne vterum comprimant.

℞. *Rad. alth.* ℥j. *fol. malv. violar. lactuc.* āā. *m. j. ſolani m.* ß. *flor. roſar. violar.* āā. *p. j. prun. acidor. n°. x. coqu. in aqua hordei. In colat.* ℥vj. *adde ol. roſ.* ℥ij. *f. Clyſt.*

Si dolor valdè vrgeat, addi poterunt *vitelli ovor. axung. gallinæ*, *lac muliebre*, *mucilago*, *ſem. fænugr. lini* vel *malvæ*, imò & tantillum *opii* cum pauco *croco*: Tum etiam fiant *Injectiones* in vterum ex *lacte caprillo*, vel *ovillo*, *cum opii & croci* āā. *gr.* iij. *vel* iv. & pauca aqua roſar.

Vel *peſſariis* addetur *opii* modicum cum pauco *croco*, *vitell. ovor. & ol. roſac.* vel etiam fiant *Peſſi* ex philon. Rom. cum cotone; vel Fotus anodynus, E. g.

℞. *Alth. cum rad. malvæ, violar.* āā. *m. j. chamom. mel. roſar.* āā. *p. j. coqu. pro Fotu.* Affectu ad *reſolutionem* vergente (quod ex remiſſione ſymptomatum & minori partis gravitate dignoſcetur) diſcutientia majori copiâ prædictis addantur; vel fiat hoc Cataplaſma.

℞. *Pulv. rad. alth.* ℥j. *flor. chamom. melilot.* āā. ʒij. *fol. artemis. farin. hordei & fabar.* āā. ℥ß. *Coque parùm in vino auſtero, adde pingued. porcinæ rec. olei chamom. & lilior. alb.* āā. ℥j. *f. Catapl.*

Fotus & *Inſeſſus* reſolventes hîc etiam conferre poterunt, *Reverius.*

In morbi incremento *Lac muliebre* cum *album. ovi* in vterum injiciatur: Si virgo fuerit, ex materia decoctorum fieri poterit *Balneum* in quo ſedeat ad vmbilicum vſque: In ſumma doloris acerbitate aliquid *opii* Peſſariis addi poteſt, cum *vitello ovi* & pauco *croco*, vel cum *Philon rom.* excepto cotone, quòd tamen calidiùs, quàm par eſt, mihi videtur. *Primiroſius.*

22. *Abſque vlla adſtrictione*) Repellentibus & refrigerantibus diutiùs non eſt vtendum, ne tumor indureſcat, & in ſcirrhum degeneret; Ideoque cum repellentibus emollientia & reſolventia permiſcenda, eâ cautione, vt quò longiùs phlegmone à principio diſtat, major ſit quantitas digerentium: Sic prædictis remediis *malva*, *althea*, *artemiſia*, *fænugr. chamom. melilot.* (auctâ vel imminutâ eorum dozi) admiſceri poterunt. *Riverius.*

Topicis vtendum primò refrigerantibus & temperantibus, non autem valdè adſtringentibus & repellentibus, nam ejuſmodi repellentia partibus externis admota, tantum abeſt vt à parte affectâ repellant, quin potiùs in illam humores detrudant; ſint igitur modicè repellentia & anodyna: Vbi advertit *Varandæus* ſolere interdum mulieres decip & flatus accuſare qui dolorem ejuſmodi concitent, ad quos diſcutiendos calefacientibus vtuntur, quibus malum exaſperatur, cùm potiùs contraria methodus inſtituenda foret. *Primiroſius.*

Differen-

Differentiæ [23] à parte ſumuntur.

I. Aliæ eſt *totius Vteri*, in qua ſuperius dicta ſymptomata evidenter affligunt & paucæ planè evadunt. Alia [24] *alterutrius lateris*, in qua calor in coxam, propter ligamenta uteri quæ cò usque feruntur, tranſit, crus quòd è regione eſt ægrè movetur, inguina ejus loci inflammantur.

II. Alia eſt *partis poſterioris*, in qua alvus ſupprimitur, dolor magis lumbos & ſpinam affligit. Alia *Anticæ*, in qua, quia veſicæ cohæret. urina ſupprimitur aut difficulter redditur, dolor magis verſus pubem abit. Alia *ipſius fundi*, in qua imus venter ita dolet, ut ne contactum quidem ferat, & dolor ad umbilicum magis extenditur.

III. Alia quæ *in ſcirrhum abit*, in qua evadunt omnia mitiora, pondus & gravitas in vicinis partibus percipitur, malum fit diuturnum, & in hydropem uteri ſæpe terminatur. Alia [25] quæ *in abſceſſum*, in qua omnia augentur, donec [26] ſuppuratio facta fuerit, horrores ſine ordine circa veſperam plerumque invadunt, rupto abſceſſu (rumpitur autem vel in vteri cavitatem, quod tutius, vel effunditur in alias partes) modò urina, modò alvus ſupprimitur, cum pubis intumeſcentia, & fluctuantis rei ſenſu.

[23] *Differentiæ à parte*) Vterus inflammatur totaliter & particulariter, modò in hac, modò in illa ſui parte: Frequentiùs autem in cervice quàm in fundo, idque propter multitudinem valorum, & quòd menſtruus ſanguis ferè per venas cervicis vacuetur. *Sebiſius mam. p.* 1488.

[24] *Alterutrius lateris*) Parte vteri aliquâ inflammatâ, dolor in ea percipitur; *Anteriore* parte affectâ: ſi ſit in fundo, dolor partes vtero vicinas & pubem occupat, cum tumore, ita vt contractum formident; vrinæ ſtillicidium & difficultas preſſa veſica conſequuntur: In *poſteriore* parte, lumbos & renes dolor vexabit, ſtercus, compreſſo recto inteſtino, retinetur: *Lateribus* inflammatis, tenſio circa inguina, gravitas circa crura cum motûs difficultate ſupervenit: Claudicant enim & in coxam è directo gravans, dolor incidit. *6. l. aff. c. 4.* Si *in vteri ore* inflammatio fuerit, tactu percipi poterit, immiſſo in cervicem digito; quæcumque pars prematur, vehementer dolet, atque durum, clauſum & fervidum os deprehenditur, & retractum in eam partem quæ inflammatur, ob quam cauſam os & collum ejus pervertitur. *Primiroſius.*

[25] *Alia quæ in abſceſſum*) Interdum in pus & ſaniem vertitur, Abſceſſumque parit, tunc omnia ſigna, dolor, pulſatio, febris invaleſcunt; febres fiunt inordinatæ cum horrore; & omnia ſymptomata intenduntur; facto autem pure miteſcunt, ſed vomica erumpente, dolores acres, lancinantes; & pungentes redeunt, vrina & alvus ſupprimuntur, nonnunquam tumor in pube eminet, & veluti exundationis ſenſus adeſt, cùm abſceſſus major fuerit ex *Paulo*. Quòd ſi factus abſceſſus verſus exteriora, pus effundetur in capacitatem ventris & abdomen diſtendet: Sed ſi parte internâ in ipſam vteri cavitatem rumpatur, per collum vteri vacuari poterit; ſed remanebit in vtero vlcus magnum & ſordidum, cui vel hydrops, vel tabes ſuccedet: In cervice autem diſruptus abſceſſus interdum per illam expurgatur, interdum per veſicam, interdum per rectum inteſtinum, tuncque ſimul fæcis aliquid per vterum vacuatur, fitque vteri fiſtula. *Primiroſius.*

[26] *Suppuratio facta fuerit*) Si tumor reſolvi nequeat, ſed ad ſuppurationē vergere videatur, adjuvanda eſt. E. g.

℞. *Pulv. rad. alth. flor. chamom. melil. far. ſemin. lini, fœnugr.* āā. ℥j. *ficuum pingu. n°.* viij. *coqu. ad pultis conſiſtentiam: adde vit. ovor. n.* iv. *croci* ℈ß. *ol. lilior.* & *butyr. rec.* āā ℥j. *f. Catapl.*

Confecto pure, quod ex caloris remiſſione, ac quadam inundatione tangendo dignoſcitur, Abſceſſus diſruptio procuranda eſt motu corporis, tuſſi, ſternutatione, cucurbitulis admotis, injectionibus detergentibus & attenuantibus, vel Peſſariis rumpendi vim habentibus. E. g.

℞. *Adip. anſerin.* ℥ß. *tereb.* ʒj. *pulv. ſem. rutæ, nitri, rad. irid.* āā. ʒß. *miſce* & *cum lana fiat Peſſarium.*

Rupto abſceſſu puris expurgationi, & vlceris deterſioni ac conſolidationi incumbendum eſt. *Riverius.*

Pure facto, Abſceſſus aperiendus eſt ſcalpello quidem, ſi ſit in orificio vteri, remediis verò, ſi intùs lateat, quod fiet ſi præſcriptis remediis *ſtercus columbinum* & *fermentum* addantur,

℞. *Decocti caric. rutæ q. ſ. contund* adde. *fermenti treos, ſtercor. columb.* āā. ℥ß. *nitri* ʒj. adip. *anſer.* ℥ß, *f. Catapl.*

Si per vrinas pus expurgetur, ſuccurrendum erit *lactis* potu, Emulſione iv. *ſem. frig. mai. cum aqua hordei* & *ſyr. violat.* ad detergendum & exulcerationem impediendam, ſi per inteſtina exeat juvandus motus clyſteribus detergentibus, ex *hordei decocto, ſero lactis, cum melle roſat. ſacch. rub. vitell. ovor.* vitatis ſemper oleoſis, Si per ſinum vteri expurgetur, commodiſſimum illud eſt, ſed dum vlcus detergen- injectione *mell. roſat. decocti hord. ſeri lactis, melicrati* cum *ſyr. roſar, ſiccar.* dein conſolidetur: Si verò inter peritonæum & inteſtina abſceſſus rumpatur, tumor vel ſcalpello, vel cauterio apetiatur ex *Aetio*, & humore excreto, curatio, vt in reliquis vlceribus perficiatur. *Primiroſius.*

Diæta.

Victus tenuis ſit, refrigerans, & facilis digeſtionis; *Aer* ſit temperatus, ne frigidior humores ad interiora repellat, & diaphoreſin prohibeat & calidior inflammet, humorum fluxiones concitet, ſit odoratus & obſcurior, lux enim humores agitat, nimia obſcuritas ad interiora ciet, vnde fluxio major: In principio minùs *dormiendum*: nam ſomno retrahuntur humores ad partem affectam, quòd omnibus internis inflammationibus commune eſt: *6. Epid. comm. 4. t. 77.* ſit ſumma *corporis* & *animi tranquillitas*: Nam exercitia partium inferiorum, vt crurum maximè nocent, ſicut & ira, mœror, triſtitia: Parte tamen ſuperiores commodè perfricantur, vt fluoris ad vterum impetus revellatur: *Cibus* ſit initio morbi tenuiſſimus, virium tamen habitâ ratione, vt natura genio ſuo defraudata ſanguinem avidius retineat, ita vt quidam ſolam inediam per triduum præſcribant: Alii Ptiſanâ tantùm vtuntur, ſed noſtra ætas illas veterum abſtinentias ferre non poteſt, itaque minus tenuis victus eſſe debet, & eupeptos, vt ſunt *cremor ptiſanæ, avenatum, amygdal. Iuscula carnium herbis refrigerantibus* alterata, vt *oxalide, lactuca, portulaca, borrag. atripl. endivia* & *ſim. carnes ipſa pullorum, aviculorum,* cum *omphacio, ſucco limon. granat.* &c. *vinum* non bibat, ſed *aquam hordei. cerevisiam* tenuiorem *ſyr. violat. granat.* cum *aquis acetoſæ, endiv.* & ſim. quæ tamen nimis frigidæ non bibantur; nam frigus humorum diaphoreſin prohibet, eoſque magis impingit in partes

Quare etiamſi ratione febris frigida convenire videatur, in internis tamen inflammationibus, vt pleuritide hepatitide, eam meritò formidamus: *Alvus* libera ſervetur clyſteribus refrigerantibus & emollientibus, vt *decocto comm.* & *emolliente* juſculo pulli herbis refrigerantibus alterato, *ſero lactis* aut *decocto hordei*, in quorum ℔j. diſſolve *caſſia extr. ſacch. albi* ana ℥j. *ol. violac.* ℥ij. *f. clyſter.* Primiroſius.

Cap. IX.

De Scirrho Vteri.

[1] *Scirrhus uteri eſt* [2] *ejuſdem tumor durus ac citra dolorem renitens, à craſſo, terreſtri & fæculento humore procreatus.*

[3] *Signa* ſunt, præter generalia alia, nempe, Menſes initio ſupprimuntur aut diminuti fluunt; creſcenre malo, magnus ſanguinis per intervalla fluor, ſeu apertis plus juſto venarum oſculis, ſeu nequeunte utero conſuetam ſanguinis copiam vel recipere, vel retinere. *Diſtinguitur* [4] à *Mola*, quia in hac menſes ſi fluunt, inordinatè fluunt, mammæ quoque [5] lacte turgent, quæ in ſcirrho extenuantur, &c.

[6] *Cauſa* eſt humor terreſtris & fæculentus, ſanguis nempe craſſus, interdum pituitoſus, interdum, quod ætate inclinante accidit, illas, quæ picâ, aut bulimo laborant, infeſtat, melancholicus, ſæpe [7] ex malè curata inflammatione ob nimium vel refrigerantium, vel diſcutientium uſum.

Curatio [8] eſt *Difficilis*, tum quia longo tempore exſiccata emolliri nequeunt; tum quia calor nativus in partibus ſcirrho affectis exhauſtus eſt; tum quia dum humor emollitur, facilè in cancrum putredine conceptâ, abire poteſt. [9] *Proceſſus* curationis non variat ab aliis. Tumor tenuioris ſubſtantiæ emollientia & humectantia exigit, cum moderatè cale facientibus & diſcutientibus, inprimis ſi ex immoderato vſu calefacientium exortus.

Deviditur ratione ipſius membri affecti.

Alius eſt [10] *in ipſa ſubſtantia.* in quo uterus in coxam & dorſum decumbit, ibique dolorem excitat. Alius *in Cervice*, qui digiti contactu exploratur, faciliùs quàm prior curatur. Si in ſuperiore cervicis parte eſt, fœmina in venere offenditur, & veſica à tumore comprimitur: ſi in inferiore exiſtit, inteſtinum rectum laborat.

[1] *Soirrhus vteri*) Scirrho vterus obnoxius eſt, tum quia ejuſdem caro craſſa eſt, tum etiam quia ſemel admiſſas fluxiones tenaciter ſervat. *A Caſtro lib. 2.c.23.*

[2] *Ejuſdem tumor durus*) Scirrhus tumorem durum in qualibet parte ſignificat, qui interdum in vtero contingit, atque vel illum totum, vel partem ejus quampiam occupat, tantuſque interdum eſt, vt humanum caput æquaſſe, abſervatit *Paraus*: Eſtque vel exquiſitus, & indolens, vel ſpurius cum aliquo dolore: Et huc referri debet *Scleroma*, de quo *Paulus & Aetius* Eſtque vteri quædam durities ſine tumore & dolore; Sub ſcirrhorum genere, inquit Paulus, *comprehenditur durities circa vulvæ cervicem, tumorem quidem repræſentans, ſed minùs quàm ſcirrhus tactui renitentem, & cum mediocri dolore* quæ videtur eſſe ſcirrhus non exquiſitus. *Primiroſius.*

[3] *Signa ſunt*) Durities à renitentia in vteri regione illius circumſcriptionem referens, Gravitas in eadem parte, & ponderis ſenſus, præcipuè quando ægra ſtat, quaſi vterus prolapſurus ſit in pudenda, ſedentibus verò aut decumbentibus gravitate ſuâ rectum inteſtinum premit; febris carentia & doloris, quibus diſtinguitur à inflammatione; aut ſaltem dolor eſt exiguus in ſcirrho non exquiſito, cùm in vtero nullus ſit; ſi inflammationi ſuccedat, ceſſat febris & dolor, manente duritie & renitentia: Si in ipſo corpore vteri ſit, regionem pubis contrectando facilè dignoſcitur, ſi verò in cervice digiti contactu explorari poteſt. *Riverius.*

Ambulatio fit difficilis, crurum, totiuſque corporis ſegnities adeſt; venter tandem intumeſcit, extenuantur crura, inquit *Avicenna*; Et ſi præcedente inflammatione tumor remaneat; ſedato dolore & febre extinctâ ſcirrhoſis facta ſit, menſes ſupprimuntur, etſi abſque ordine interdum redeant: Et quæ de dignotione partium affectarum in vteri phlegmone dicta ſunt, huc referri poſſunt. *Primiroſius.*

[4] *A mola*) Diſtinguitur ex cauſis præcedentibus, &c. *River.* A mola vix diſtingui poteſt, niſi quòd in ſcirrho mulier magis extenuatur, neque dum ſtat mulier, devolvitur tumor ad os pubis, neque enim decumbit, movetur de latere ad latus, vt mola, quæ ſi firmiter vtero annexa ſit, hæc ſigna incerta ſunt. *Primiroſius.*

[5] *Turgent*) Imo lac aliquando in iis apparet. *Riverius.*

[6] *Cauſa eſt*) Fit ex inflammatione malè curatâ, vel primariò ex humore melancholico craſſo & terreſtri, per ſubſtantiam vteri effuſo & illic concreſcente: vnde quæcunque hunc humorem generant hujus morbi occaſio eſſe poſſunt, vt temperamentum melancholicum, ætas inclinans, prava victus ratio, vt in iis quæ Picâ laborant, mœrores diuturni, labores in partu magni; & abortu, hepatis, lienis, meſenterii obſtructiones: Quod ſi humor quiſpiam bilioſus vel ſanguineus ſimul permiſceatur, ſcirrhus, erit nothus, qui aliquem dolorem admiſtum habet. *Primiroſius.* Inter *cauſas antecedentes* hæc vteri ſcirrho propria eſt, eaque ſatis frequens, dum mulieres fluxum menſtruorum aut lochiorum patientes, ſe ſe imprudenter aëri frigido exponunt, aut aquam frigidam potant, vnde ſequitur fluxus cohibitio, ſanguiſque retentus craſſeſcit & condenſatur, ac tandem in parte tumorem ſcirrhoſum producit. *Riverius.* De ſcirrhi generatione ab Acido, ex recentiorum mente, vide cap. de ſcirrho Lienis.

[7] *Malè curatâ inflammatione*) In ſcirrhum degenerantis ſigna ſunt febris, doloris & aliorum ſymptomatum imminutio, tumore perſeverante & duritiem majorem adipiſcente; Tum etiam pondus, & gravitas

permanet

permanet, non ſolum in vtero, ſed & in partibus circumjacentibus, vt ægra corpus difficulter movere queat. *Riverius.*

8. *Curatio eſt difficilis* Magnus & contumax hydropem tandem accerſit: circa collum tamen facilius curatur quàm in fundo, inquit *Aetius*. Scirrhus vteri rariſſimus eſt, ſed & quum evenit, difficillimè aut nunquam curatur, quoniam reſolventia neque tutò applicari poſſunt, neque, ſi poſſent, totum vterum attingunt: Poſſunt quidem nonnulla tentari, ſed quo profectu, tandem res ipſa loquitur. *Hartmannus. pr. Chym. c. 214.*

9. *Proceſſus curationis*) Corpore decenter priùs repurgato & diſpoſito exhibentur quędam ex illis quæ in duritie & ſcirrho hepatis & lienis comperunt, veluti *Pilulæ ex Ammoniaco* aliaque varia in Cachexia inde profecta deſcripta: *Extrinſecus* vètris ſedi, vbi ſcirrhus tumoreſce manifeſtat, vel tangitur, variæ *applicationes*, quales *ſcirrho* conveniũt *externo*, præſertim *ſcrophulis*, vti ſunt *Fotus* ex *oleis* adhibiti, vel ex decoctis parati: addendo etiã quæ matricem reſpiciunt, veluti rad. *alth. lilior. iridis, bryon. malv. ſem. lini, fœnugr. ficus,* flores *chamom. violar. meliloti*, aliaque emollientia & digerentia, *artemis. nepetam*, flores *parthenij ſambuc. ebuli, lupuli,* atque in decimatione etiam *calamintham, pulegium, flor. anthos, ſtæchad.* Inunctiones, Emplaſtra & Catapl. ſcirrho externo convenientia hic quoque ventris regioni tumenti impoſita moliuntur, vt ſunt illic recenſitæ pingues illæ mucilaginoſæ & gummoſæ: Item ex plantis paratæ applicationes, vti & catap. illic tradita: Quibus Cataplaſmatibus & matricem reſpicientia ſupradicta in *Fotu* addi poſſunt, vt & *rutam & abſinthium*; Præter quæ *mandragoræ radix, hyoſcyami fol.* vel *papav.* aut *cicuta*, ſi decoquantur in *vino, oleo, axungia*, & contundantur, efficacia admodum ſunt, quibus *gummi* diſſoluta, aliave addi poſſunt.

Abſinthium, rutam, farinam lupinorum cum *myrrha* admovere jubet *Dioſcor. ſanguis anſerinus*, cum *farina fœnugr. incorporatus*, vel *lupinor.* Galenus: Ex vſitatis Empl. *Diachyl. Ireat. compoſitumque:* Item in alia in Nodis expoſita *cerata*, œſypata. Injectiones in ſinum vteri quoque fiunt, quales in declinatione vteri inflammationis, ne in ſcirrhum vergat, traduntur: vel aliæ ex *oleis, decoctis*, in *Fotu* expoſitis. adde ad efficaciam *ol. myrrhæ, ſtiracis*, item ex *balſamina cucurbitulis* factum: *Peſſaria* item in inflammatione vteri, quę ſcirrhum minatur, expoſita, additis interdum prædictis quoque oleis; ad quæ & fœnigræci ſuccum, item *panacem hercul.* referre licet, quæ ſubdita juvant, *Suffitus* item illic recenſitus: Agerati ſuffitum *Dioſcorides* commendat. *Platerus.*

9. *Proceſſus Curationis*) Curatio ad duo dirigenda eſt, ad cauſam antecedentem & conjunctam: Illius cauſa *v. ſ.* inſtituenda eſt, primùm è venis brachii, ſi affectus non fuerit admodum inveteratus: Poſteà verò ex venis inferioribus, quando ſuppreſſa ſunt menſtrua.

Hæmorrhoidum apertio hîc etiam vtiliſſima eſt; nam & ſanguinem fœculentum evacuant, & ab vtero derivant, propter venarum communionem quam habent cum vtero.

Purgatio etiam neceſſaria eſt, per intervalla repetita, ex medicamentis melancholiam educentibus, vſurpando primùm mitiora, mox ad fortiora tranſeundo.

Purgantibus autem præmittenda erunt.

Preparantia, & aperientia in forma apozematis, juleporum aut juſculorum, juxta diſpoſitionem ægræ.

Ac præter aperientia vulgaria, etiam remedia ex *chalybe* vſurpanda ſunt, quibus validiſſimi iſti infarctus rebellium & craſſorum humorum in vtero aliiſque partibus diſſolvuntur; vt verò humores ſuperflui *ab vtero deriventur*, vtiliter admoveri poterunt *cauteria cruribus*, tamdiu geſtanda, donec purgationes menſtruæ (quæ vt plurimùm in hoc affectu ſupprimuntur) ad conſuetum ordinem, ratione temporis, quantitatis & qualitatis redierint.

Ratione *cauſæ conjunctæ Emollientia* & *Reſolventia* medicamenta exteriùs admovenda.

℞. *Rad. alth. & lilior.* ãã ℥ij. *fol. malvæ, alth. violar. branc. vrſinæ* ãã. *m. j fol. artemis. nepet.* ãã *m.ß. ſem. lini & fœnug.* ãã. ℥j. *flor. chamom. & melil.* ãã. *p. j. F. decoctio*, quâ foveatur regio pubis & inguinum, cum ſpongia in ea imbuta & expreſſa.

Ad magis emolliendum, fieri poteſt decoctio in *aqua* & *oleo* dulci, vel in decocto *inteſtinorum vervecis*: Poſſunt etiam addi decocto, vt magis potens evadat, *rad. bryoniæ*, & *cucum. agr.* nam à mitioribus incipiendum eſt, validiora progrediendo: Ex eodem Decocto, aucta doſi ſimplicium, poteſt parari *ſemicupium* Fotu potentius. Clyſteres etiam frequentes, tum *Injectiones in vterum, ex eodem* decocto erunt parandæ, quibus *olea lilior. chamamel.* aut *amygdal. dulc.* addi poterunt.

℞. *Olei lilior. amygd. dulc.* ãã. ℥iij. *mucilag. ſem. fœnugr. extracta cum vino albo* ℥j. *pingued. gallinæ, anſer anatis* ãã. ℥j. *butyr. rec. axung. porci* ãã. ℥ij. *ceræ, tereb. q. ſ. f. vngu.*

Sequens in omni ſcirrho probatur, à Rhaſib. 7. deſcriptum.

℞. *Bdell. ammon. galban.* ãã. *p. æq.* terantur in mortario cum *oleo de been, & lilior. adde mucilag. ſem. fænugr. lini & ficuum, parem quantitatem.* f. vngu.

Ex eadem materia, additâ *cerâ* f. Empl. efficaciſſimum admovendum regioni vteri ante & retrò, vel admoveatur *Empl. diachyl. ireatum.*

Cataplaſma fiet ex reſidentia decoct. Fotûs prædicti contuſa, per ſetaceum trajecta, addendo *far. ſem. lini fœnug.* ãã. ℥j. *ficuum nº.* vj. *pulv. rad. iridis* ʒij. *croci* ʒß. *pingued. gallinæ, olei amygd. dulc.* ãã *q. ſ. f. Catapl. Lutum bituminoſum thermarum ſulphurearum & bituminoſarum* vtiliter admovetur. *Suffitus* ex *lapide pyrite* candente in *aceto* extincto, miris laudibus effertur, à *Galeno*, ad omnes tumores ſcirrhoſos diſſolvendos, ita vt inſtar incantamenti operetur: In dicto *aceto ſatureia & parietaria* incoqui poterunt: Advertendum tamen eſt, ne *lapis pyrites* ſit plumbarius, qui maximè nociturus eſſet. Ac denique omnia remedia, tam interna, quæ in hepatis & lienis ſcirrhi proponuntur, hîc locum habent.

Hæc tamen medicamenta toto curationis decurſu ſummo judicio ac prudentiâ moderanda ſunt, vel ne induretur ſcirrhus vel (quod multò pejus eſt) in cancrum degeneret; Quod omnes practici verentur, ex incauta vel diuturniore auxiliorum adminiſtratione: A qua meliùs eſt per intervalla deſiſtere, vt eorum ſucceſſus advertantur: fruſtra enim pugnatur, quando ſcirrhus omnino indolens lapideam naturam adeptus eſt. *Riverius.*

Non inutile fuerit vomitoria ex *croco metallorum* præſcribere, & helleboriſmum &c. *Topica* quod ſpectat non debent eſſe repellentia, ne humorem magis impingant, nec ſimpliciter emollientia, metu putredinis; nec valdè attenuantia & reſolventia, ne humor magis exſiccetur aut accendatur, ſed ſimul emollientia & reſolventia; vnde hujuſmodi remedia, vel ſimul permiſceri, vel alternatim vſurpari debent. Fiant igitur Fotus, Linimenta, Emplaſtra, Injectiones. Peſſaria, Suffitus, admiſtis ſemper hyſtericis, vt *quatuor remollientia, artemiſia, matricaria,* cum *omaſo* bulliant & decoctum ſæpe injiciatur, in quo diſſolvi poterunt *olea lilior. amygd. amar. de myrrha, de ſtyrace. vngu. de alth. Valet Peſſus aureus* dictus.

℞. *Ceræ, olei nardin. medull. cerv.* ãã. ℥j. *butyri, nitri,* ãã. ʒiij. *galban. myrrh. thuris,* ãã. ʒj. *tereb.*

picis ammon. ãã. ℥ij. *m. f. Peſſarium* ex Aëtio.

Si ſcirrhus pituitam admiſtam habeat, tutiùs digerentibus vti poſſumus; ſi verò ſit bilis vel ſanguinis particeps, temperatiora eſſe debent Topica: fiat *Catapl. ex far. fabar. & hord.* incoctis in *oxymel. addito ol. violac. & roſac.* & ſedada priùs inflammatio eſt, antequam validis reſolventibus vtamur. *Primiroſius.*

10. *In ipſa ſubſtantia)* Adfui aperturæ mulieris demortuæ, hanc, dum viveret, quia ſemper rubicunda, & pergrande abdomen geſtabat, gravidam primo intuitu eſſe exiſtimabam, ſed cum per plures annos in eodem ſtatu perſiſteret, opinionem ſepoſui: Aperto mortuæ abdomine, tumor ſcirrhoſus pergrandis in epigaſtrio, & in meſenterio vomica &c. ſeparatis integumentis, vterum in hanc molem excreviſſe advertimus, tamque duræ ſubſtantiæ, vt novaculæ aciem vix admitteret: Cavitas in illo fermè nulla: niſi quòd vagina pro excernendis neceſſariis ſervaretur aperta: *Simon Aloyſius Tudecius Med. ſep. vol. 2. p. 16.*

Vidua ann. 44. gravi dolore dorſi, & ingenti ſiti vexata vrinę ſuppreſſione præcedente fit hydropica, &c. ſectione mortuæ facta, ingens copia aquæ effunditur &c. proceſſimus ad vterum, qui primò totus lapidoſus à nobis putabatur, quantitate quidem parvus, ſed nimis durus, Tandem vi diſſectus, totus vterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relictâ cavitate internâ ad amplitudinem nucis juglandis &c. *Andreas Cnoffelius med. ſept. vol. 2. p. 26.*

CAPVT X.

De Hydrope vteri.

1. HYdrops vteri eſt ejuſdem ab aqua in ipſo ſeu 2. proprio, ſeu 3. aliorum partium vitio collecta, impotentia.*

4. *Signa* ſunt, Tumor imi ventris laxus, ſecundùm formam vteri extenſus, menſium paucitas, pravitas loturæ quia carnis ſimiles, ante tempus defectus, uteri oſculi gracilitas & humiditas: mammarum mollities, & lactis carentia, rigor ac ſæpe febris.

5. *Diſtinguitur* ab *Inflammatione* febris carentia & mollitie, ſymptomatibus aliis, de quibus ſupra.

Ab *Inflatione* tenſionis & ſonitus defectu.

6. A *Mola*; quia in hac pondus majus in imo ventre percipitur. mammæ tempore partus inſtante turgens.

A 7. *Conceptione* quia in hydrope tumor vteri juxta uteri & ventris amplitudinem extenditur; in conceptione acuminatus eſt. In gravidis menſtrua non effluunt; hic humor quidam ſanguinolentus, pravus, nullo ſervato ordine effluit, & citò finitur.

8. Ab *Hydrope ventris*, facie patientis colorata, niſi epar laboret, ſitis carentiâ, tumoris à parte inferiore ad ſuperiorem adſenſus.

Cauſa eſt aqua ibidem 9. ſeu *vitio* lienis vel Epatis, vel latente ſtillicidio ſeri ex vena cava, in quo gr. j. *vitrioli Martis* cum gr. ij. *ſacchari* in *aqua meliſſæ* ante ſomnum ſæpius uſurpata, laudatur de quibus propria capita conſulantur;

Seu ob 10. *Debilitatem* ipſius vteri, propter quam nec bene concoquit, nec bene excrementa expellit; & quam.

Aut ex abortu frequenti & partu laborioſo.

Aut ex menſium nimio fluxu calorem ejus difflante.

11. *Aut* ex ipſorum ſuppreſſione calorem eundem ſuffocante.

12. *Curatio* exigit Aquæ eductionem, & 13. Uteri roborationem, habitâ ipſarum cauſarum ratione: 14. Hartmannus *pillulas Antimoniales* laudat.

15. *Differentia* à parte ſumitur.

Alius eſt, *quando aqua* 16. *in cavitate colligitur*; 17. in quo, orificium vteri ſi tangatur, 18. clauſum deprehenditur, tumor major eſt, fluctuatio quædam percipitur, ſi conceptum ſequitur. 19. aqua illa citrina & fœtida intra duos ut plurimum menſes fœtum perdit, qui tunc cum ea eiicitur.

Alius, 20. *quando aqua in ſubſtantia* 21. *& veſiculis agnatis reſidet*, 22. in quo orificium contrectatum apparet, majores dolores exoriuntur, 23. difficilior evadit curatio. *Hydropem in tuba Vteri* vide apud *Tulpium* l. IV. obſerv. 44.

---

1. *Hydrops vteri)* Vteri Inflammatio & Hydrops ab omnibus propemodùm authoribus confunduntur, ita vt Inflationem vocent illum Hydropem, qui fit à flatibus, cùm Hydrops ſimpliciter dictus ab humore aquoſo generetur, Diſtinguuntur tamen, & datur quædam Inflatio quæ Hydrops dici non debet, quando nimirum à flatu ſubitò irruente vterus inflatur ac diſtenditur, vnde dolor intenſus excitatur, quemadmodum in colico dolore contingit: atque adeò ſi illa Inflatio non diù perſeveret, ſed brevi diſcutiatur, hydropis nomen non meretur; talis ſæpe ſolet accidere in hyſtericis affectibus.

Duplex igitur Hydrops vteri ſtatuendus eſt, vnus à *flatibus*, qui Tympatiti aſſimilatur, alter verò à ſeroſo humore, qui Aſciti analogus eſt Quidam tertium addunt à Pituita, vt etiam Leucophlegmatiæ ſimilem ſpeciem conſtituant, quæ in vſu practico rarò contingit. Nos tamen mulierem vidimus, quæ vnâ die inſignem pituitæ craſſæ copiam excrevit, quæ proculdubio diutiùs retenta Hydropem vteri producere potuiſſet. *Riverius.*

2. *Seu proprio)* Si toto corpore ſatis bene valente,

Tumor

Tumor iſte acciderit, & particularibus ipſius vteri affectibus ſucceſſerit, quales ſunt partus laborioſi, ſuppreſſiones menſium, vel nimię eorum profuſiones, vlcera, tumores phlegmonoſi, vel ſcirrhoſi, conjiciendum erit Hydropem vteri à particularibus iſtis affectionibus dependere, & materiam illum perducentem per congeſtionem ex depravata illius omoioſi cumulari. *Riverius.*

2. *Seu proprio, ſeu aliarum partium*) Hydropis vteri primus, quod ſciam, *Aetius* facit mentionem; Loquor autem de affectu proprio, non cum in Aſcite impletur hæc etiam pars: Affectum hunc proprium puto eſſe duplicem, pro duplici intemperie, calida & frigida; Calida eſt cùm colliquatur ſanguis ille qui plurimus ad vterum fluit: ſunt enim fœminæ πολύαιμοι hæc præcipuè parte: Frigida eſt cùm renes pigriores negligunt officium ſuum, & detruditur huc collecta aqua. *Hoffmannus Inſt. l. 3. c. 71.*

3. *Seu aliarum partium vitio*) Si apparentia ſint totius corporis malè affecti indicia, vt per febres acutas vel diuturnas, hæmorrhagias immoderatas, fluxiones à capite graviores, ventriculi imbecillitates, lienis vel hepatis tumores aliosque earum partium affectus contumaces, cum quibus vteri hydrops inceperit, & cum iis incrementum ſuſceperit, maxima erit conjectura vterum ab illis partibus per viam rheumatiſmi materiam hydropis ſuſcipere. *Riverius.*

4. *Signa ſunt*) Si vteri Hydrops *ab humore ſeroſo* fiat; regio illa mollis & flaccida apparet, cùm flatus tenſionem efficiant: Gravitas maior adeſt in parte, & ſonitus veluti fluctuantis aquæ, aliquid aquæ nonnunquam è pudendis exſtillat: Si à *pituita* oriatur, major erit mollities & flacciditas partis, quæ indies incrementum ſumit; & partes circumſtantes, nempe hypogaſtrij, pubis, petinæi ac lumborum, tumore œdematoſo affectæ conſpiciuntur. *Riverius.*

5. *Diſtinguitur ab inflammatione*) Diſtinguitur hydrops vteri à tumoribus ejuſdem partis phlegmonoſis, vel eryſipelatoſis, ex eo quòd in hiſce febris adeſt, & dolor ad leviſſimum contactum ſe ſe exaſperans: tum inflammatio vſque ad partes genitales exporrigitur: A tumoribus verò ſcirrhoſis & cancroſis diſtinguitur, quòd in eo non ſit tanta durities quæ digitis comprimentibus reſiſtat, ſed potiùs cedat, ac veluti in foveam deprimatur. *Riverius.*

6. *A molâ*) Et quando ægræ decumbunt in alterum latus, pondus percipitur in illud latus devolvi. Deinde fluxus menſium eſſænes per intervalla 3°. ſcilicet aut 4°. menſe contingunt, quod in hydrope vteri non fit. *Riverius.*

7. *A conceptione*) Aliquando etiam hydrops vteri cum graviditate complicatur, vt de propria vxore narrat *Fabritius Hild.* cujus venter in monſtroſam magnitudinem intumuerat, & tempore partûs primùm aquæ libras xviij. excrevit, poſt ſemihoram verò iterùm libras ix. & conſequenter puellum ſanum & robuſtum peperit: ſimilis caſus habetur apud *Scenckium*, ſed eventu contrario, mulieris, quæ à partu fœtûs vivi, ventris tumorem retinuit, qui ſucceſſu temporis magis ac magis increſcens, ægram de medio ſuſtulit, & vtero aperto, ingens aquæ copia in eo reperta eſt. *Riverius.*

Priori ſimile exemplum præbuit annus 1654. Vxor viri Conſularis Genevæ diſceptandi anſam Medicis præbuit per menſes ſex & amplius: In varias abibant illi ſententias: ſed illa vicit, quæ hydrope vteri ipſam laborare ſtatuebat; Eapropter validiſſima remedia præſcribuntur, *Sabinæ decoctum*, Peſſaria acerrima, ſemicupia, &c. tandem nihil minùs quàm de partu cogitantibus medicis, maſculum robuſtum enixa eſt, profluente poſt inſigni aquarum colluvie: Cùm de nomine infanti imponendo anxii eſſent Parentes, *Moſis* illi convenire dixi, quia ſcil. ereptus eſſet aquis.

7. *A conceptione*) N. poſt ſuſceptam ex conjugio primo ſobolem numeroſam, ab obitu mariti iterum vxor gravida redditur, læto conjuge; ſed tandem quod vltra geſtationis ſuetæ terminos extenderetur partus futuri anxio, mittit eam ad medicos crebro. *Th. Bartholinum* & me inquietat vti remoram amoveamus, Nos fœminarum querelis aſſueti, ſed non ſemper creduli oſtendimus videri tumorem illum menſtrui potius infantem quam offerre, temporique exitum commendamus: Ille contra proprium infantis motum ſe jurat agnoſcere, & cætera omnia pati, quæ futuræ puerperæ ſolent: His nihil moti fœminam dimittimus; Illa poſt menſem vnum alterumque reverſa eadem ine[illegible] leat, nobis ad ſuſpectas preces obſurdeſcentibus; Inter hæc labitur biennium, maritus monſtrum vxorem alere viſceribus vociferatur: Nos ad hydropicum ventoſumque humorem exigendam operam pollicemur; Illa perſiſtere gravidam ſe eſſe, calcitrantem experiri infantem &c. Tandem pondere inviſo fatigata poſt finem anni tertii iterum me adit, poſtulat opem, Ego, quod tempus D. Iohanni ſacrum à fonte Helenæ auxilium ægris promitteret, illuc patientem amando; vbi hauſtis liberaliter aquis peperit, non infantem quidem, ſed infinitos borborygmos, quibus vegeta & valens. *Olaus Borrichius.*

7. *A conceptione*) D. N. conjux gravida fuit eo vſque ad v. menſem, interea tumor acceſſit in ſuperiore parte ventris, ita vt tandem longè major eſſet inferiore; itaque dubitare cœpit, fœtus adſit necne, præſertim cum motum nullum ſentiret; Acceſſerunt maximæ hypochondriorum diſtenſiones & punctiones, præſertim nocte, dolor etiam dorſi, calor febrilis, tumor pedis dextri, ita vt de vita deſperaret; Tandem peperit duos filios circa finem quinti menſis, eosque mortuos, præceſſit partum magna copia ſeroſi humoris, vt hydria magna impleretur, ſtatim melius habuit.

Hydropem vteri ſimul cum fœtibus adfuiſſe nullus dubito; Nam *Hildanus c. 2. Obſ. 56.* ſimile exemplum refert, & ideò mirabilius, quia fœtus erat vivus & robuſtus: vterus enim valde dilatari poteſt, ita vt ſecundum obſervationem *Schenckii*, puer x. annor. facilè in ejus cavitate deliteſcere poſſit. *C. 6. Vincler.*

Mulier ruſtica filium edidit, & (vt colligere licebat ex eventu) in hoc ipſo puerperio reddita fuit hydropica, fortè ob ſuppreſſas purgationes puerperii; Elapſo trimeſtri, abdomen infaſtigiatum attollitur tumore, non ſecus aque ſolet fieri in ingravidatione quo tumore conſpecto ab obſtetrice, manu leviter abdomen comprimit, & ex obſcuro aquarum hydropicarum motu decepta, exclamat reſtitare adhuc fœtum in vtero ſuperfœtatione conceptum: Interim moritur hydropica: Simulac corpus diſſectum, ſtatim poſt primam inciſionem tam fœtida humorum colluvies proſilit, vt adſtantes abire coacti fuerint. Hinc contra *Hippocratem* concludo 1. mulieribus fidem de partu, vel ſuperfœtatione omnino eſſe denegandam (l. de ſept. Partu §. 72.) 2. contra communem, ſigna ingravidationis certa nobis nondum conſtare; ſi enim motus in dubium vocatur, quid certitudinis ampliùs reſtabit? *Paulus Ammannus m. ſ. vol. 2. p. 2.*

7. *A conceptione*) Ante omnia neceſſe, vt cognoſcat Medicus diſtinctionem Hydropis vteri à vera conceptione, vtvt res ſit ardua, nempe ex eo ferè ſuſpicio eſt eſſe hydropem vteri, quando 1. tumor æqualiter diſtenditur &c. 2. ſi alia ſigna mulieris gravidæ abſint, & vterus tamen intumeſcat, ſuſpicio eſt de hydrope vteri: 3. ſi geſtet mulier vltra decem menſes, tunc ſuſpicio adeſt non eſſe veram conceptionem: Confirmatur, ſi nullus motus fœtus vnquam perſpectus fuerit; ſi mulier ſub primo geſtationis tempore Commodè ſe habeat, ſine ſymptomatibus digeſtionis, vel ſi patiatur

ſymptomata, & hæc poſt medium tempus geſtationis non ceſſent, ſignum eſt adeſſe hydropem vteri *Etmuller.*

In graviditate poſt aliquot menſes, mulieres meliùs ſe habent vt plurimum, quia grandior fœtus majorem humorum partem abſumit, qui primis menſibus laborem faciebant; At hydrops quò vlteriùs progreditur, eò majores procreat moleſtias. Deinde, in graviditate fœtus commotio manifeſte percipitur poſt tertium menſem vel quartum, quod in hydrope non contingit. Demùm in graviditate mammæ intumeſcunt, in hydrope verò extenuantur, ac graciliores evadunt. *Riverius.*

7. *A conceptione*, Quædam mulieres pituitoſi temperamenti, gravidas ſe eſſe exiſtimant, fœtus loco aquas tantùm emittentes in vtero collectas; Affectus iſte non rarò fraudem Medicis, Chirurgis & obſtetricibus fecit, ſecuſ ac ipſis ægris, quæ ſpem fœtûs concipientes, aquas tantùm limpidas pepererunt, ſicut accidiſſe memini mercatrici cuidam, quæ exactis decem menſibus enixa eſt inſignem copiam dictarum aquarum, toto illo tempore vtero incluſarum; Exemplum ſimile affert. *Guillem. de Partu c. c. l. 1.*

Revera vtrobique venter tumet, cum ſuppreſſione menſium, ſed multa, ab invicem dirimunt; nam in hydrope mammæ ſunt flaccidæ, molles, & concidentes, lac deficit, nullus motus fœtus proprius percipitur tempore ſtatuto, ſed tantùm vndulatio aquæ fluctuantis, major erit ventris gravitas cum dolore; qui etiamnum æqualem magis ex circum ferentia extenſionem obtinebit, neque parte anteriore in acumen exſurget, ſicuti in geſtatione fœtûs; color præterea faciei magis fœdus erit quàm in vera graviditate. *Mauriceau. l. 1. c. 23.*

8. *Ab Hydrope ventris*) In hydrope vteri tumor fundum ventris magis occupat, hydrops verò vniverſalis abdomen vniverſum æqualiter diſtendit. 2. In priori non tam citò apparet pallor & extenuatio totius corporis, ſicut in vniverſali, in quo etiam plerumque ſitis & linguæ ſiccitas conſpicua eſt, non autem in hydrope vteri, tum etiam reliqua omnia ſymptomata ſunt longè mitiora: Durities etiam & renitentia, cùm fit à flatibus, aut fluctuatio quando ab aqua generatur, tantum ſpatium non occupat, ſicuti in vniverſali: Ac denique in eo aliquid flatus per intervalla ex vtero erumpit, aut tantillum aquæ effluit, quæ manifeſtè oſtendunt flatum vel aquam in vtero contineri. *Riverius.*

9. *Seu vitio lienis vel epatis*) Si apparentia ſint totius corporis malè affecti indicia, vt per febres acutas, vel diuturnas, hæmorragias immoderatas, fluxiones à capite graviores, ventriculi imbecillitates; lienis vel epatis tumores, alioſque earum partium affectus contumaces, cum quibus vteri hydrops inceperit, & cum iis incrementum ſuſceperit, maxima erit conjectura vterum ab aliis partibus per viam rheumatiſmi materiam hydropis ſuſcipere. *Riverius.*

10. *Seu ob debilitatem vteri*) Steriles huic affectui magis ſunt obnoxiæ quàm quæ pepererunt; Iiſdemque orificium vteri internum minus & anguſtius eſt quàm in cæteris. *Mauriceau.*

10. *De[illegible]tem ipſius vteri*) Si toto corpore ſatis bene valente, tumor iſte acciderit, & particulariter vteri affectibus ſucceſſerit, quales ſunt partus laborioſi, ſuppreſſiones menſium, vel nimiæ eorum profuſiones, vlcera, tumores phlegmonoſi vel ſcirrhoſi, conjiciendum erit hydropem vteri à peculiaribus iſtis diſpoſitionibus dependere, & materiam illum producentem per congeſtionem ac depravatam omoiſin cumulari. *Riverius.*

11. *Aut ex ipſorum ſuppreſſione calorem ſuffocante*) Hydrops vteri interdum oritur ex *lochiis ſuppreſſis*, idque vel plane non, vel parcè fluentibus, vt ſanguis quidem primariò effluxerit; ſed quando poſtmodum debet effluere menſes, aqua limpida in ſpecie in non lactantibus, dum coërcetur, ſucceſſivè congeſtum vterum in tumorem attollit, & hydropem conſtituit qui nimis materia coërcita fermantendo flatus producit, & cum hydrope *vteri inflationem* infert: In talibus Hydropem talem patientibus ordinariò fluunt poſt modum menſes. Imo obſervatum fuit quòd tales denuò pepererint, à partu copioſa lochia habuerint, cum ventre & vtero detumeſcente.

Fit quoque interdum, vt ex *ſuppreſſione lochiorum, ſanguis* coacervatus in aliam partem per meſtaſin congeratur, & ibi *liquefiat in materiam ſeroſam.*

Rariùs fit hydrops vteri ex collectione aquæ in vtero, idque ſponte, & ſubinde ex cauſa interna, quod tamen vt plurimum ſequitur occaſionem menſium ſuppreſſorum, aut impedito lymphæ ex vtero egreſſu, & ſimil. Facit huc obſervatio *Tulpii* &c. Etmuller p. 42.

Prognoſis.

Simplex vteri Inflatio, quia diuturna non eſt, periculo vacat, ſi tamen citò non curetur, in verum hydropem degenerare poteſt.

Hydrops vteri, ſi ab humore benigno fiat, & minimè corrupto producatur, ſolet quidem malum eſſe diuturnum, ſucceſſu tamen temporis curationem recipere poteſt, imò interdum ex vtero aqua ſponte effluit, & mulier convaleſcit: Si verò humor pravus ſit, acer aut putridus, quod ex ſymptomatis gravibus innoteſcit, morbus periculoſus eſt & plerumque lethalis, Si enim à proprio vteri vitio affectus dependeat, integram denotat functionum naturalium iſtius partis ruinam, vnde vniverſalis hydrops tandem accerſitur: ſi verò vterus per conſenſum aliarum partium patiatur, hepatis nempe, lienis, aut ventriculi, eò major erit labes, & inde totius corporis ruina impendet; Hinc rectè *Aetius*, qualis eſt vterus in muliere, tale eſt vt plurimùm reliquum corpus.

Si aqua, aut flatus in vteri cavitate contineantur, faciliùs curatur quàm intra membranas aut veſiculas contineatur. *Riverius.*

Conceptum impedit, Et ſi quandoque hydropica ſimul & gravida quæpiam reperiatur, qualem memini vidiſſe: priùs gravida facta eſt, quàm hydrope correpta, quia in aquoſo vtero ſemen extinguitur; atque etiam fœtus genitus ab aqua putreſcente enecatur, vnde ſequitur abortus, & ſæpius matris interitus, quamvis mulierem viderim, quæ cum hydrope fœtum ad legitimum tempus geſtarit, quæ ſuperveniente partu, hydrope liberata, paſſa eſt poſteà recidivam. *Primiroſius.*

12. *Curatio exigit*) Vbi concluditur per conjecturam addeſſe aquam in vtero, conſideret Medicus, an ſit *ſine fœtu*, an *cum fœtu*: Si hoc ſit, relinquatur mulier, aut ſaltem blandis hydragogis ſerum nonnihil evacuetur: *Diuretica* non ſunt tuta, quia ſtimulant menſes, & metus eſt abortus. Si verò *ſine fœtu*, maturè *purgantibus validis* ſtimuletur vterus & partes vicinæ, & aqua evacuetur: in ſpecie remediis fortioribus fœtum pellentibus vrgeatur vterus ad excludendas aquas; hinc *Elaterium* cum *mercurio dulci* poteſt propinari, *vomitoria*, propter niſum quem exſerunt, aut etiam *clyſteres* fortiores vaginæ vterinæ injiciendi ſunt proſtimulando vtero, ad reddendas aquas: Internè eadem quæ fortiùs purgant, vel vterum valde ſtimulant, vſurpanda. *Etmuller.*

Hujus affectus curatio iiſdem ferè remediis perficitur, quibus curatur hydrops & chloroſis: Quibus etiam peculiaria quædam huic affectui magis appropriata ſubnectenda ſunt; Ac primum quòd ad *phlebotomiam*

ſpectat

ſpectat, in affectu recenti, à ſuppreſſione menſium producto, & plenitudine aliquâ adhuc apparente, illa convenire poterit, alioqui noxia futura eſt, cùm calor nativus admodum debilitatus & imminutus ſit, & contumaces obſtructiones, ab humore frigido productæ, hydropis vniverſalis metum incutiant. *Purgatio* verò omnino neceſſaria eſt, eaque crebriùs repetita. Poſt ſufficientem purgationem *aperientia*, *diuretica*, & *menſes moventia* erunt vſurpanda. E.g.

℞. *Rad. apii & rub. tinctor.* āā. ℥ß. *fol. ſabinæ*, *matricar. pulegii* āā. *p. j. ſem. dauci* ʒj. *coqu. in juſculo pulli columb.* colaturam capiat mane per plures dies.

Ante juſculi aſſumptionem vna è ſequentibus Pilulis deglutiatur.

℞. *Caſtor. opt. myrrhæ*, *rub. tinctor* āā. ʒß. *croci* ℈j. *cum ſucco limon.* formentur Pilul. IX.

A quibus medicamentis valido exercitio vtendum eſt, quo quidem non ſolùm excrementa in viſceribus & in corporis ambitu concepta, calore mediante diſſipari poſſunt, verum & totum id quod in vtero continetur, ruptis exercitii vehementiâ pelliculis, foras evocari poteſt.

Si mulier facilè vomat, bis in ſeptimana *vomitus* vtiliter provocabitur, quo non ſolum humores ad vterum confluentes revocabuntur & educentur; ſed etiam dictæ *pelliculæ* vtero inhærentes, & interdum aquoſum humorem continentes, motu & agitatione vehementi diſrumpi forſan poterunt, vnde humoris noxii fluxus conſequetur.

Ad dictum humorem in vtero contentum diſcutiendum, Bolus ſequens erit efficaciſſimus.

℞. *Borac. miner.* ʒß. *croci* ℈ß. *cum ſucco ſabinæ fiat Bolus*, bis ſeptimana ſumendus. *River. ex Zecchio.*

Sudorifica etiam in hoc affectu non parum proficua ſunt, iis enim humores ſeroſi & pituiroſi, ſive in vtero, ſive in toto corpore contenti diſcutiuntur & evacuantur.

Interim innatus ventriculi calor robotabitur tam aſſumptis quàm admotis remediis ibi deſcriptis.

Exterius verò Topica remedia admovenda ſunt ad vterum roborandum, & humores in eo contentos diſcutiendos idonea.

Ac primùm parari poterunt *fomenta* & *Semicupia* ex decocto *rad. bryon. cucum. agr. fol. ebuli*, *mercur. Sambuci*, *origani*, *calam. abſinth. rutæ*, *ſalv. majoran. thymi*, *lauri*, *puleg. artemiſ. ſemin. geniſtæ*, *dauci*, *cumini*, *milii*, *fœnic. baccar. lauri & junip.* flor. *chamom. meloti*, *roriſmar.* ex quibus parari poterunt etiam *ſacculi* decocti in *vino albo*, vel decoqui prædicta, aut eorum nonnulla in *lixivio ciner. ſarmentorum.*

Vt autem meliùs operentur prædicta Fomenta, applicanda ſunt antè & retrò, ægraque ſudare debet, ſi poſſit, in lecto, vel *ſtupha* commodè parata; Quod quidem *ſemicupii* beneficio præſtari etiam poterit.

Injectiones in vterum, humoribus in eo contentis evacuandis plurimum conferre poterunt, E.g.

℞. *Rad. aſari* ʒiij. *fol. pulegii*, *calaminth.* āā. *m* jß. *ſabinæ p.* j. *mechoac.* ʒj. *ſem. aniſi*, *cumin.* āā. ʒß. *coqu. & in colat.* ℥vj. *diſſolve olei irini & ſambuc.* āā. ℥j. *m. f.*

Ad eundem finem Peſſaria conducent.

℞. *Colocynth. & mechoac.* āā. ʒij. *ſalis nitri* ʒß. *mell. cocti q. ſ.*

℞. *Elater.* ʒß. *caricar. contus. q. ſ. m. f. River. ex Maſſaria.*

Cauteria cruribus admovenda, vt per eos *fonticulos* vteri ſentina ſenſim educatur.

Thermæ ſulphur, & nitroſæ à pleriſque laudantur, tam potu, quàm balneo, dummodo inſignis fervor jecoris aut totius corporis non conjunctus ſit.

Ad *vteri dolorem*, in hoc affectu ſæpè infeſtantem, commendat *Amatus Aquam* vel *decoct. flor. chamom.* ad ℥iv. vel v. exhibitum. *Riverius.*

Hoc mirificè vterum reſtituit.

℞. *C. c. vſti*, *fol. lauri ſ. myrti* āā. ʒj. *m.* & cum *vino auſtero* propinetur. *I. C. Claudinus Emp. rat.*

Curatio exigit) Iiſdem ferè remediis perficitur, quæ ad hydropis & chloroſeos curationem fuere propoſita: Quibus adpropriata quædam ſubnectenda ſunt, ac 1°. *Phlebotomiam* in affectu recenti, à ſuppreſſione menſium producto, & plenitudine aliqua adhuc apparente illa convenire poterit: Alioqui noxia futura eſt, cùm calor nativus admodum debilitatus atque imminutus ſit, & contumaces obſtructiones ab humore frigido productæ, hydropis vniverſalis metum incutiant. *Purgatio* verò omnino neceſſaria eſt; eaque frequenter repetita: Poſt ſufficientem purgationem, aperientia, diuretica, & menſes moventia erunt vſurpanda, prædictis locis deſcripta, vel

℞. *Rad. apii & rub. tinct.* āā. ℥ß. *fol. ſabinæ*, *matricar. pulegii* āā. pi j. *ſem. dauci* ʒj. *coqu. in Juſculo pulli columb.*

Colat. capiat manè per plures dies.

Ante Iuſculi aſſumptionem vna ex his Pilulis deglutiatur.

℞. *Caſtor. opt. myrrh. rub. tinct.* āā. ʒß. *croci* ℈j. *cum ſucco limon. formetur maſſa.*

A quibus medicamentis valido *exercitio* vtendum, quo quidem non ſolùm excrementa in viſceribus, & in corporis ambitu, calore mediante diſſipari poſſunt, verum & totum id quod in vtero continetur, ruptis exercitii vehementiâ pelliculis foras evocari poteſt.

Si mulier facilè vomat, bis in ſeptimana vtiliter *vomitus* provocabitur, quo, non ſolùm humores ad vterum confluentes revocabuntur & educentur; Sed etiam dictæ pelliculæ vtero inhærentes, & interdum aquoſum humorem continentes, motu & agitatione vehementi diſrumpi forſan poterunt, vnde humoris noxii fluxus conſequetur.

Ad dictum humorem in vtero contentum diſcutiendum, valet Bolus ſequens.

℞. *Boracis miner.* ʒß. *croci* ℈ß. *cum ſucco ſabinæ* fiat Bolus bis in ſeptimana ſumendus.

Sudorifica etiam non parùm proficua ſunt, iis enim humores ſeroſi, & pituitoſi ſive in vtero, ſive in toto corpore contenti, diſcutiuntur & evacuantur, Interim calor ventriculi innatus roborabitur, tam ſumptis quàm admotis: *Clyſteres* etiam frequentes injiciendi ſunt ex *decocto abſinth. origani*, *pulegii*, *rutæ*, *centaur.* & ſimil.

Vel ex *oleo rutæ*, *nucum*, *aneth. & vino albo* aut *Hypocr.* aut *malvatico.* In quibus diſſolve *bened. laxat. diaphœn. hieram diacolocynth. terebinth. confect. è baccis lauri*, *mel anthos. & ſimilia.*

Injectiones in vterum, humoribus in eo contentis evacuandis plurimùm conferre poterunt. E. g.

℞. *Rad. aſari* ʒiij. *fol. puleg. calaminth.* āā. *m.* ß. *ſabinæ*, *p. j. mechoac.* ʒj. *ſemin. aniſ. cumin.* āā. ʒß. *coqu. & in colat.* ℥vj. *diſſolve olej irini*, *& ſambuc.* āā. ℥j. *f. Injectio.*

Ad eundem finem *Peſſaria* conficientur. E.g.

℞. *Colocynth. & mechoac.* āā. ʒj. *nitri* ℈ß. *mellis cocti q. ſ. f. Peſſarium*, vel.

℞. *Rad. cyclam. ebuli.* āā. ʒj. *ſem. nigell. Rom.* ʒß. *mellis q. ſ. f. Peſſarium*, vel.

℞. *Elater.* ʒß. *caric contuſ. q. ſ. f.* Peſſarium.

Cauteria etiam cruribus admovenda, vt per eos fonticulos vteri ſentina ſenſim exhauriatur. Sic etiam Thermę ſulphureæ & nitroſæ laudantur, tam potu quàm balneo, dummodo inſignis fervor jecoris aut totius corporis non ſit illi conjunctus. *Riverius.*

Aquam ex vtero cōmodè educunt *Diuretica, ſem. dauci, petroſel. rad. gentianæ, rubiæ, dialacca, diacurcuma, &c.*

℞. Rad. ireos ℥ß. *aſari* ʒij. *gentianæ* ʒj. *ſem. dauci, ſmyrnii, ameos, milii ſolis* ãã. ℥j. *fol. ſabinæ, matricar. calaminth. pulegii, orig. ſaxifrag. hyſſopi* ãã. *m. j. ſpicæ nardi* ʒß. *f. decoctio ad* ℔ißß. *adde ſacch. vel mellis. q. ſ. ſalis abſinth.* ʒß. *f. Apozema.*

Hæc vterum calefaciunt, exſiccant, roborant, humores, vel per vrinas, vel etiam inſenſibiliter vacuant, ſicut & ſudorifica, quæ colore ſuo humores reſolvunt. Quidam teſtantur ʒß. *helleb. albi*, lanâ exceptam, & vtero impoſitam, aquas ducere. *Primiroſius.*

Exteriùs Topica remedia admovenda ſunt, ad vterum roborandum, & humores in eo contentos diſcutiendos idonea: Ac primùm parari poterunt *Fomenta*, & *Semicupia*, ex decocto *rad. bryon. cucum. agr. fol. ſambuc. ebuli, mercurialis, origani, calament. abſinth. rutæ, ſalv. major. thymi, lauri, pulegii, artemiſ. ſem. geniſtæ, dauci, cumin. aniſ. fœnic. baccar. laur. juniper. flor. chamom. melilot. roriſmar.*

Ex quibus etiam fieri poterunt ſacculi decocti in *vino albo* vel decoqui prædicta, aut eorum nonnulla in *lixivio cinerum ſarmentorum.*

Vt autem melius operentur prædicta Fomenta, applicanda ſunt antè & retrò, ægraque ſudare debet, ſi poſſit, in lecto, vel ſtupha commodè parata; Quod quidem *ſemicupii* beneficio præſtari etiam poterit; Poſt Fotum *liniatur* imus venter *oleo aneth. rutaceo, abſinthij, abrotoni*, Quæ, ſi arte chymicâ fuerint elicita, multo efficatiora futura ſunt.

A *litu* admoveatur *Empl. de baccis lauri*, vel *catapl.* ex ſtercore *vaccino, ovillo, ſemin. apii, petroſel. cumini, & melle coctò*; In eundem uſum commendatur *pellis recens ovis mactatæ*, vino meraciori calido irrorata, & ventri calidè amota *Riverius.*

Topica externa varia ſunt, *Thermæ ſulphur.* & *nitroſæ*, quæ *inſeſſu, iniectione, balneo* prodeſſe produnt: *B tſne a* artificioſa calentia & ſiccantia ex *decocto laureolæ, ebuli, artemiſ. fol. & bacc. lauri, & ſim.* quæ coqui poſſunt in lixivio ex cineribus *ſarmentorum*, & cum filtris applicari: Poſt fotum litus, &c. Emplaſtra, *ex fol. & rad. ebuli, cucum. aſin. far. lupinor. ſtercòre bubulo* &c. quibus quidam addunt canthar. aquam vitæ: Sed *Empl. de baccis lauri* inſignem habet prærogativam: Quidam etiam *Dropaces* laudant & *ſinapiſmos*: Alii *fonticulos* in cruribus & brachiis, ut humor iſte paulatim exhauriatur, qui etſi ex vteri cavitate humorem vacuare nequeant, prohibent tamen, ne novus aliunde affluat. *Primiroſius.*

[13] *Vteri roborationem*) Roborandus eſt Exercitiis, frictionibus, ſuffitibus, Linimentis, Fomentis, Balneis & ſimilibus dictis: *Theriaca, mitridatio, dianiſo, diacinnamomo*, cum *conſerv. anthos, eryngii, acori*, & *oleis diſtillatis, aniſi, caryoph. &c.* Quidam probant *aquam diſtill. Nicotianæ*, per aliquot dies cum *ſacch.* ſumptam, aut *vinum chalybeatum. Primiroſius.*

Habitâ cauſarum ratione) Si eſt à latente ſtillicidio ſeri ex vena cava convenit, quod in quibusvis affectibus vterinis ſummum arcanum eſt, *vitriolum martis*, Siquidem cum duplo ſacchari mixtum ſumatur toto menſe & quotquot diebus pondere trium granorum ex *aqua meliſſæ* & ante ſomnum, vel *vitrioli martis* ℈j. & *magiſterii corrallor.* ℈jß. miſce cum duplo *ſacchari aquâ meliſſæ* ſoluti, & finge tabellas: Hoc modo Illuſtrem Comitiſſam curavi feliciter. Hartmãnus. Pr. c. 218.

Habitâ cauſarum ratione) Si hydrops vteri complicatus ſit graviditati, optimum remedium eſt, vt expectetur tempus partûs, obſervato interim victûs regimine deſiccante, At ſi ſolæ aquæ intra vterum contentæ ſint, ſemicupium convenientiſſimum eſt ad illius reſerationem; Idonea etiam ſunt ea remedia quæ menſes ſubſiſtentes provocant: Poteſt etiam inſtitui venæ ſectio in pede, eò ſemper proſpiciendo, vt idoneis purgationibus cauſa generationis ejuſmodi ſuperfluitatum ſubtrahatur; Sin remedia ordinaria parùm profuerint, nullum ſalubrius eſt, quàm vſus aquarum mineralium, cujuſmodi ſunt Borbonenſes, quarum Balnea admodum conducunt in hoc affectu. *Mauriceau.*

[14] *Hartmannus Pilulas*) Vxor N. putabat ſe annos duos gravidam fuiſſe, ac vtero geſſiſſe, omniaque ſigna ad partum jamjam enitendum habebat, vocatus, dubius eram quid facerem, Dedi vncias aliquot *ſpir. c. c.* cum *tinctura croci*, quâ mixturâ ſingulis diebus vterebatur; Poſt 6. aut 7. dierum vſum per muliebria aqua ſtillabat idque continuò; Iubebam tunc, vt *allium lacte coctum* quotidiè ſumeret, quod faciebat, & intra 4. aut 5. hebdomadas ſanitati priſtinæ, nullis viribus deperditis, nec vllis aliis medicamentis reſtituta eſt: Supremo anno eodem modo mulierem anaſarca laborantem, iiſdem medicamentis reſtitui. Steph. Blancardus Id. novæ Pr. §. 249.

[15] *Differentia*) *Nec hæc prætermittenda, quod Hydrops vteri aliquando graviditati conjungitur; ſæpiùs citra eam accidit*: Notandum autem hydropem vteri poſſe ſuccedere conceptioni factæ; at contra generationem infantis neqnaquam fieri poſſe in vtero hydropico, quia tunc aquæ vtero contentæ ſtatim effluerent, aut omninò ſemen corrumperent ſemel admiſſum. *Mauriceau* Vide §. *A conceptione*) & §. *Aqua in cavitate colligitur.*)

[15] *Differentia*) *Sumitur & à materiâ Hydropem committente, quæ eſt, vel Flatus, vel Aqua, vel Pituita*; Si à flatibus excitetur, imus venter percuſſus &c. (*Vide ſupra Artic. 3. de vteri Inflatione §. Signa ſunt.*)

Si verò Hydrops ab *humore ſeroſo* fiat, regio ventris imi mollis & flaccida apparet, cùm flatus tenſionem efficiant; gravitas verò major adeſt in parte, & ſonitus veluti fluctuantis aquæ aliquid aquæ nonnun quam è pudendis extillat.

Si à *pituita* oriatur, major erit mollities & flaccid itas partis, quæ in dies incrementum ſumit, & partes circumſtantes, nempe hypogaſtricæ, pubis, perinæi ac lumborum, humore œdematoſo affectæ conſpiciuntur, *Riverius.*

Differentia) Cauſæ antecedentes proximæ ſunt in *duplici differentia*, nempe conjunctus eſt interdum *vteri hydrops* cum *vera conceptione*, ideoque cum fœtu vero; videatur *Hild. Salmuth cent. 2. obſ. 59.* obſervavit mulierem gravidam cui plus libræ aquæ effluxit, qui fluxus aliquandiù continuavit, donec ſex menſibus poſt fluxum fœtum ſanum enixa eſt 1. Talis Hydropis cum graviditate juncti cauſa eſt abundantia *liquoris chyloſi nutritivi*, ad nutrimentum fœtus deſtinati, qui non totus in alimentum fœtus cedens, talem molam conſtituit; Forſan etiam *vitium eſt in vaſis lymphaticis*, quibus obſtructis lympha vberiùs congeſta molam hanc conſtituit. ij. Hydrops vteri interdum oritur ex lochiis ſuppreſſis &c. vide infra §. *Aut ex ipſorum ſuppreſſione*) *Etmuller.*

[16] *Aqua in cavitate colligitur*) Sicuti iſte hydrops ſolitarius aliquando colligitur, ita etiam nonnunquam ſupervenit mulieri reapſe prægnanti, aquis collectis extra membranas fœtum involventibus in ipſa vteri capacitate; Etiamſi enim multæ colligantur intra dictas membranas, non propriè tamen dicitur illa collectio Hydrops vteri, quia ſemper naturaliter ibi continetur aqua, intra quas fœtus hoſpitatur; at nihilominùs tam inſigni copiâ inibi includuntur, adeoque inibi intumeſcit gravidæ venter, vt fœtus geſtare videatur mulier binos vel ternos, etiam ſi vnicus adſit, ſed infirmus admodum, quia maxima nutrimenti portio in ejuſmodi aquas diſſolvitur, à quibus ferè ſuffocatur paucus qui ſuper eſt calor innatus, viſæ ſunt mulieres quæ tres quatuorve pintas (*ſextarios minores*) bimeſtri ante partum

tum excluſerunt. Id ſi quando accidit, tunc intra vterum continentur, extra fœtus membranas, aliàs neceſſe eſſet fœtum prodire è latebris prægreſſa hac vacuatione; Si viz aquæ, quæ naturaliter intra membranas continentur, egrederentur, id quod fieri nequit ante illarum lacerationem.

Ante quadriennium eduxi fœtum vxori mercatoris, à triduo mortuum in vtero; iam à menſe effuderat vltra quatuor ſextarios Gallicos aquarum ex vtero, proculdubio ob dictum hydropem, vt crederem hæc ratio me impulit, quòd vt pattus ſuccederet, membranas lacerare neceſſe habuerim, quas adimplebant adhuc aquæ, quibus fœtus innatat. *Mauriceau. c. 23. lib. 1.*

16. *Incavitate colligitur*) De cavitate vteri eſt aliqua dubitatio, quomodo humores & flatus in ea contineri valeant, cùm facilis pateat exitus per vteri oſculum & cervicem? Reſpondemus orificium vteri internum pluribus modis occludi poſſe, vel à pituita craſſa illi parti impacta & indurata, vel à tumore ſcirrhoſo, vel aliqua alia cauſa; *Mercatus* cenſet piſtuitam mucoſam excerni per orificia venarum, quæ purgationi menſtruæ deſtinatæ ſunt, & ex illa pituita fieri quandam pelliculam totam vteri ſuperficiem internam obducentem, in qua pellicula ſerum & flatus continentur. *Aetius* putat ex illa pituita, per venas vteri tranſmiſſa quoſdam produci folliculos, in quibus ſeroſus humor contineatur: *Fernelius* verò putat ſine oſculi vitio, & ex ſimplici illius conſtrictione aquam in vtero contineri poſſe; Omnes iſti modi recipi poſſunt & exemplis confirmari: Aquæ ſeu ſeroſæ materiæ collectæ exemplum habet *Rhaſes*, qui vidit fœminam ex cujus vtero xxv. corylæ aquæ effluxerunt: *Veſalius* fœminam diſſecuit, in cujus vteri cavitate ſeroſæ materiæ pluſquam ſex menſuræ Auguſtanæ, quæ ſingulæ tres capiunt libras, repertæ ſunt; Os verò vteri mirum in modum occalluerat. Interdum aquam in veſiculis contineri in vtero plurimi teſtantur authores, *Aetius*, *Vallériola*, *Chriſt à Vega*, *Mercatus*, *Platerus*, *Fabritius Hildanus*. Ex ſola vteri conſtrictione, ſine peculiari illius vitio aquæ in vtero retentæ exemplum dat *Fernelius 6. path.* c. 15 mulieris vteri hydrope correptæ, quæ quoties appetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum illuviem ex vtero profundebat, pelvesque ſex vel octo complebat aqua citrina ferventiſſima, dum vterus totus ſubſideret, collecta proximo menſe par colluvies, ſtato tempore profluebat. *Riverius.*

16. *Quando aqua in cavitate colligitur*) In vteri capacitatem ſe ex vena cava inſinuantem aquam, eumque dilatantem, tumorem ventris quandoque, qualis hydropicarum exiſtit, gignere docent, *Hydropemque vterinum* vocant: verum non tantam vteri fundi eſſe capacitatem, vt tantùm aquæ capere queat; nec adeò dilatari poſſe, niſi quando cum fœtu ſimul excreſcit, in *vterinus doloribus* fuit expoſitum: Fieri tamen poteſt, vt & ex ſero in abdomine collecto, per vteri orificium exterius, ex parte vel penitùs effuſo, ventris tumor ſubſideat; quod vt & in vtero eam collectam eſſe crederent, occaſionem fortè præbuit.

Verùm hoc cùm fit, tunc venis quæ vteri cervicem potiùs quàm fundum implicant, ſanguinemque menſtruum in eam, vel aquoſum quoque humorem in fluore muliebri effundunt, ſe inſinuando ſerum, per anaſtomoſin, naturâ operante, vt quod eam gravat expellat, vti in dicto fluore, per hanc viam excretionibus deſtinatam effunditur, vt non opus ſit in vteri fundo hanc aquam delituiſſe, indeque ventrem intumuiſſe ſtatuere.

Fieri etiam poteſt, vt ventre nondum ſero repleto, illud tamen in leucophlegmatia & cachexia, per vteri cervicis venas exitum quærens excernatur, & ita aliquandiu hydropem aſciten avertat, ſicuti jamdiù illud obſervavi in muliere cachectica, quæ ſæpiùs menſtruo immoderato fluxu obruitur, hoc vero ceſſante, copioſum ſerum ſemper per orificium vteri excernit. *Platerus.*

Sed refragatur anatome, ſiquidem *Veſalius* refert ſe cadaver mulieris aperviſſe, in cujus vtero vltra ſexaginta menſuras aquæ deprehendit, vnamquamque tres libras pendentem: *Schenckius obſerv. lib. 4.* plurimas ejuſmodi adducit hiſtorias, ac præſertim cujuſdam mulieris, cujus tam inſigni aquæ copiâ refertus erat, ac in tantam extenſus magnitudinem, vt decennem puerum excipere potuiſſet.

17 *In quo orificium &c. clauſum deprehenditur*) Ex ſola oſculi vteri conſtrictione, ſine peculiari illius vitio, aquæ in vtero retentæ exemplum habet *Fernelius lib. 6. Pathol. cap. 6.* cujuſdam mulieris hydrope correptæ; quæ quoties apparebat menſtrua purgatio, omnem aquarum illuviem ex vtero profundebat, pelveſque ſex vel octo complebat aqua citrina ferventiſſima, dum vterus totus ſubſideret; collecta proximo menſe par colluvies ſtato tempore profluebat. *Riverius.*

17. *In quo orificium &c.*) Si quædam veſiculæ aquâ repletæ ex vtero rejiciantur, ſignum erit certiſſimum ſeroſum humorem in veſiculis contineri. *Riverius.*

18. *Aqua illa citrina &c.*) Ejuſmodi excretionis meminit *Fernelius. Pathol. lib. 6. c. 15.* Mulier, *inquit*, quædam hoc hydrope correpta, quoties appetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex vtero per cervicem profundebat, pelveſque ſex aut octo implebat, *aquâ citrinâ* ferventiſſima, dum venter totus ſubſideret; mox dein menſes inſequebantur ex naturæ præſcripto, collecta proximo menſe par colluvies, ſtato dein tempore profluebat; Hæc tandem perſanata vterum geſtavit, pepericque bene vitalem fœtum.

19. *Quando aqua in ſubſtantia & veſiculis*) Aquarum generatio vel in vtero accidit, vel aliunde in eum influunt: Si aliundè influunt, tunc nunquam membranis propriis includuntur, ſolummodo coërcentur ob occluſum vteri orificium internum, quo reſerato protinùs elabuntur. At cùm in vtero generationem habuerunt (id quod accidit præſertim à coitu, ſi ſemina frigidiora fuerint, & aqua corrupta) tunc nonnunquam aquæ intra membranas includuntur, quo in caſu non tam mulier liberatur, ac non breviori tempore citò aliquando geſtat, quàm ſi foret infans, imò aliquando diutiùs

Hydrope iſto tentata mulier aliquando initio gravidam ſe eſſe exiſtimabat, ſed in valetudine diutiùs perſtante, & vltra geſtationis terminos, tunc conceptam ſpem deponit, quo porrò pertinacior iſte affectus, eò majus eſt vitæ diſcrimen: Nam nonnunquam eo vſque progreditur, vt nonnullæ mulieres pluſquàm quindecim aquæ ſextarios effuderint, in vtero contentæ: *Veſalius* dicit ſe cadaver aperuiſſe mulieris, in cujus vtero vltra ſexaginta aquæ menſuræ continebantur, vnaquæque ponderis trium librarum: *Schenckius* plurimas ſimiles hiſtorias adducit, ac præſertim fœminæ, cujus vterus adeò aquis refertus inventus eſt, atque adadeò inſignem extenſionem devenerat, vt capax eſſet pueri decennis. Ibidem meminit quorumdam hydropum vteri excitatorum ab inſigni copia veſicularum, vel hydatidum, omnium diſtinctarum ab invicem intra ejus cavitatem. *Mauriceau.*

Et veſiculis aqnatis reſidet) Confuſio Practicorum eſt vitanda, quia Hydropem vteri propriè ſic dictum diſtinguunt à *mola vteri aquoſa*, ille rarior eſt, In *illo* limpidæ aquæ flaveſcentis in vteri cavo contentæ coërceri ſolent; In *hac* liquor nonnihil ſubinde viſcidus & aquoſus membranis incluſus, & quidem nunc vnà, nunc pluribus diſtinctis coacervatus, varias ve-

ſiculas repræſentare ſolet: Hinc vocatur vterus veſicalis: Talia exempla proſtant in *Tulpio l. 3. obſ. 1, 39. Schenckio l. 4. obſ.* Et eſt quædam conceptio, oviq́ue vterini infœcunda generatio: ſed in quo fuit læſa conformatio debita, affluente adhuc ſucco nutritivo, qui in membranis coërcitis talem conſtituit. *Etmuller. Pr. p. 3. p. 41.*

[22] *Difficilior evadit curatio*) Si veſiculis humor contineatur, vix propoſita prodeſſe poterunt, niſi rumpantur, vt aqua effluat, Eas autem rumpunt vomitus, ſternutatio, violentum exercitium, violenta purgatio, emplaſtra valde aperientia & alia hujuſmodi; Quibus ruptis, præcedentia remedia convenire poſſunt. Dolor, ſi adſit, leniendus eſt decocto *chamameli*, quod commendant *Amatus* & *Foreſtus*, tum fotu anodyno ex *malva, alth. chamam.* ſem *lini, fanugr* & aliis. *Primiroſius.*

Diæta

Victus ratio ſit qualis frigidis affectibus convenit, vitatis aquoſis, frigidis, dyſpeptis, cælo frigidiori, pluvioſo, auſtrino, ſomno diuturniori, & aliis Cap. de vteri frig. intem. propoſitis. *Primiroſius.*

Cap. XI.

De Vteri procidentia.

[1] *Vteri* [2] *procidentia* [3] *eſt ejuſdem extra locum ſuum* [4] *deſcenſus vel propendentia*, [5] *à ſoluta ligamentorum ejus unitate procedens.*

[6] *Signa* generalia ſunt, dolor lumborum, hypogaſtrii, pudendi, oſſis, quibus uterus annectitur; & quidem in principio, in proceſſu, mitigatur is ob aſſuetudinem, & ſolius ponderis moleſtus ſenſus, & in ambulando impedimentum adeſt. *Specialia* [7] pro ratione *majoris* vel *minoris* [8] extra vel intra vulvam procidentiæ variant. In *illa* uterus [9] ad dimidium coxarum & genua deſcendit, tumorem ovi anſerini inſtar, in cujus ima parte foramen apparet, exhibet. In *hac* [10] Tumor quaſi extenſæ pellis, & [11] veluti ovi majoris pondus circa pudenda percipitur.

[12] *Cauſa* [13] quicquid ligamentorum unitatem ſolvere poteſt. Vide in ſequentibus.

De vteri procidentia) Inſcribitur præſens hic affectus Grecis προχώρησις vel πρόπτωσις τῆς ὑστέρας, exitus, prolapſus vteri, ἀπὸ τοῦ προπίπτειν, ſeu ab ipſo prædicato, quod eſt *procidere*, prolabi, propendere, & ſubjecto, ἀπὸ τῆς ὑστέρας, vtero, ceu parte affectâ. Dicitur verò ὑστέρα, quia poſtremum inter viſcera obtinet locum, ſi non præciſè, aliquo ſaltem modo, *Matrix* appellatur, quia juxta nonnullos, mater eſt infantum ex ſe natorum. *Wedelius*, *Diſput. de iſto affectu.*

Procidentia) Latinis notat *vteri procidentiam, prolapſum, exitum, dislocationem*, Barbaris audit *Præcipitatio*, cùm extra ſitum naturalem prolabatur: A Recentioribus *Prolapſus, ſinus muliebris* ſalutatur, eò quòd prominens extra pudenda corpus ſæpiùs interior ſaltem vaginę rugoſa tunica conſtituat, nec incommodè, ſed admodùm convenienter dici poteſt *Hernia vterina.*

Circa vocis ambitum adhuc notandum, quòd procidentiam vteri dictam nonnulli velint ſolùm quando fundus inverſus marſupii inſtar coriacei plicabilis extra ſinum pudoris: Impropriè autem ibi tunica vaginæ vterinæ interior rugoſa prolabitur. Vide *Rod. à Caſtro 2. de m. m. c. c. 16.* quo tamen vix opus eſt cùm magis & minùs ſpeciem non variet, nec vaginam vteri ejus partem eſſe quis negaverit: Nec prolabente vaginâ, vterus ipſe planè culpæ expers ſit, vnde latior & ſtrictior vocis acceptio patet, Longè magis verò ſarcomata ex vtero propendentia vocantur, hoc nomine vix venientia *Idem.*

[1]. *Vteri*) Fœmina ſola vtero, matrice illâ communi, quaſi omnium matre appellata gaudet, quamdiu fœtum conceptum in ſe continet matris vices in alendo & conſervando teneat. Vterus primum & commune noſtrum omnium diverſorium: Hic in medio hypogaſtrii, ſitum obtinet ſuum in robuſta pelvi, ex oſſibus ilii, coxendicis & ſacro extructa, vbi inter veſicam & inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria collocatur, tum ideò vt firmior & tutior ibi eſſet geſtatio, quamobrem capacior longe locus hic in ſceletis muliebribus, quàm in virilibus viſitur, tum ſi moraliter id ſpectare liceat, vt homines ex fluxa & peritura materia, inter ſtercus & vrinam nati, quoties ſuperbiæ alis inflantur memoriâ ortus ſui primi, & manſionis priſtinæ eaſdem demittere dicant.

[1]. *Vteri*) Procidentia vteri *ſubjectum*, vt quod eſt ſexus fœmininus, ordinariè in conjugatis, rariùs & extraordinariè in virginibus.

Vterus quamvis plura admiranda ſecum contineat, hoc tamen loco ſaltim conſiderandus eſt, partim quoad partes elabentes, partim quoad firmitudinem præſtantes: Illas aſſerimus vaginam frequentiùs, & ipſum quandoque fundum.

Doctrinæ enim gratiâ vterus commodè dividitur. 1. *in fundum* globoſam & clariorem partem. 2. in *Cervicem* quæ eſt pars, ex fundo ſenſim anguſtiore reddito conſtituta, atque os ſeu orificium vteri internum. 3. in *Vaginam* aliis collum appellatam, quæ eſt ſubſtantia mollis, laxa, receptioni & dimiſſioni dicata, expandi & dilatari apta, cujus interior ſuperficies multis rugis orbicularibus inæqualis, ideò vt expandi poſſit tempore partûs fœtum dimittere.

Notabile quippe ſingulas (id quod quoque ſupponendum) haſce partes contractioni & dilatationi eſſe adaptatas, vnde & ipſa ſubſtantia membranaceò nervea eſt, fibris carneis variè inter ſe modificatis contexta, vt vaſa omnis generis non memoremus.

Ideo verò, ne dilatando noxam capiat, vel extra ſuam ſedem exulare cogatur, firmantes partes largiter adſtant, Robur ipſum hoc tuentur.

[1]. Fibræ laudatæ carneæ, fruſtra à quibuſdam negatæ; ab his enim tonus potiſſimùm dependet, vnde villorum nomine venire poſſunt.

[2]. Membrana adeſt communis peritonæi, quæ vt omnia in abdomine contenta inveſtit, involvit, & involvendo corroborat, ita etiam vterum circumſepit, vt tutiorem illius molem reddat, teſte *Archang. Piccolomineo Anat. Præl. p. 104.*

[3]. Ligamenta geminata, tum latiora, tum teretia, quæ inſtar corculorum alligant partibus vicinis oſſeis, vterum adeoq́ue ſuſpendunt, ſuſpenſumq́ue firmant & detinent, ne ſitum mutare, & extra pudendum ferri & prolabi, poſſit; Non alio fine hæc facta eſſe putandum, eſt niſi

vt

vt firmam ſtationem eidem aſſerant, ne provolvatur facilè foras.

Addi poteſt 4. ipſum oſſium vallum, quo circumſcribitur anguſtioribus terminis vterus, ne tam promtè feratur deorſum: Confirmat hoc ipſum remedium inferius laudandum, obturans cavitatem hanc & meatum globus inditus.

Si itaque hæc applicemus ad morbum ipſum, *Subjectum principale & proximum* ſtatuimus *vterum* juxta *Hippocratis* effatum. *l.2.de m.m.c.1.* omnium morborum quicunque mulieribus obvenire ſolent, ſcaturiginem, quatenùs ſecundum dictas partes & dimenſiones, ſitum ſuum genuinum mutare cogitur.

Afficitur vterus in procidentia vt diſſimilaris, accidit enim, vt interdum fundus orificio illapſus, foras detrudat, & corpus aliquod carneũ æmuletur, vel vagina vteri nunc tota, nunc quoad partem interiorem rugoſam (quod frequentiùs fit) relaxata, atque ab humoribus affluentibus variè diſtenſa, hincque foras pendula, corpus ſphæricum repreſentet vel curcurbitinum.

a Subjectum adæquatum) totũ hypogaſtricum ac reliquæ corporis totius partes, in primis nervoſæ & membranoſæ ſororiantes conſtituunt, quatenùs vel fomitem morboſum in ſe fovent, alunt, atque ſic ad vterum tanquam publicam cloacam demandant, vteri tenacula lubricando, aliiſque variis modis damnum inferendo, vel inde coafficiuntur, & ſymptomata pariuntur ex hoc fonte oriunda. *Wedelius.*

[1]. *Vteri procidentia*) Ita dicitur, quia communiter vterum extra ſitum naturalem foras progredi putant, ita vt obſervetur per pudenda prodire corpus quoddam carneo colore, in medio perforatum, nunc magis, nunc minùs: Hanc molem dicunt eſſe vterum: Si verò conſideremus firmam iſtam connexionem circa os ſacrum, cum inteſtino recto & partibus vicinis, ita vt planè immobilis ſit vterus, patet hanc hypotheſin eſſe falſam, quòd ſcil. fiat à cauſâ interna; ſed neceſſe eſt accedat inſignis violentia externa, & ſit potius *vterus extractus* quàm prolapſus, quæ protractio fit interdum in partu difficili, in ſpecie à coaleſcentia ſecundinarum cum vtero, propter quam mulieres ab obſtetricibus malè ſæpè tractantur; quod tamen citra ingens vitæ periculum nequit fieri, vt hinc tales mulieres propter vaſorum ruptionem & lacerationem partium, vt inflammationem gangrænescentem vix ſalvari poſſint, ſed ſemper neceſſe ſit intereant; Ex quo patet quid habendum ſit de iis qui dicunt vterum prolapſum fuiſſe exſectum, remanente vitâ,

Hoc corpus abſcindi poſſe à veteribus traditum fuit, imò cùm ſubinde aliqua æqualitas tactui ſe repræſentet, factum eſſe teſtantur, verùm hoc refellit modernorum experientia Chirurgica, *Iob Von Mettern in obſ.c. 55.* habet mulierem quæ cum aliis affectibus complicatis habere procidentiam vteri inſignem putabatur; Mulieres tandem jubent vt abſcindatur vterus propendens, quod faciunt Chirurgi, & injectâ ligaturâ, totam iſtam ſubſtantiam propendentem, abſcindunt, relicto filo intùs intruſo, paucis interjectis diebus mulier interiit: Aperitur cadaver, & vterus percipitur in ſuo ſitu naturali, filum verò alligatum firmiter cuidam loco in vagina vterina, vbi relaxatæ quædam rugæ collum iſtius tumoris conſtituunt: Interdum etiam Excreſcentiæ, nunc rugoſæ, nunc carnoſæ, extra vaginam vterinam enatæ prolapſum talem mentitæ ſunt, quarum abſciſſione curatæ fuerunt. Videatur *Kerkringius in ſpic. Anat. obſ. 53.* qui refert exempla ſarcomatum, nunc in orificio vteri interno, natorum, nunc propendentium ex vagina vteri, quæ pro prolapſo vtero habita ſunt. *Etmuller Pr. P. 3. p. 36.*

Hanc vteri procidentiam ab omnibus Medicis decantatam, ſtrenuè etiam negat *Theodorus Kerkringius*, qui *obſ. Anat. 20.* falſè invehitur in *Laurentium. Veslingium & Bartholinum*, dicitque laxitatem quandam colli, quæ extra pudendum prominet, hæc ludibria facere: Verum reſipiſcat vir doctiſſimus, nam quia nunquã vidit vterum prolapſum temerè irridet alios iſtius rei oculatos teſtes, *Carpus in* Iſagoge Anat. narrat hiſtoriam mulieris, cui non tantum vterus foras prolapſus, verum etiam exſectus eſt. *Par. lib. 23. c. 41.* affert exemplum vteri prolapſi & à *Paræo* exciſi, & poſt mulieris mortem in vtero non inventi: *Heidanus cent. 4. ob. 60.* à viro fide digno tria iſtius prolapſus habet exempla.

Quibus certè viris, multiſque aliis, qui illud ipſum teſtati ſunt, non fuerunt cucurbitina capita, nec oculi tanto glaucomate offuſcati, vt vterum prolapſum non cognoſcerent; His denique addo meum teſtimonium, qui ante ſexennium ipſemet vidi in concubina Satrapæ Leerdammenſis, vterum ad duorum digitorum latitudinem è ſinu propendere, quem ego ipſemet, (quia nullos Chirurgos admittere volebat) manibus tractavi, & convenienre inſtrumento verſus interiora in ſuum locum retruſi, & ægrum ita perſanavi, vt poſtea nunquam illa pars procideret. *De Diemerbroeck Anat. l. 1. c. 24.* videatur *Barbette* Chirurg. cap. 8. qui prolapſum etiam pernegat.

[2]. *Procidentia*) Affectus iſte à Græcis πρόπτωσις, à Latinis vteri *prolapſus*; *procidentia, præcipitatio, & prominentia* appellatur; Eſtque vteri extra rimã pudendi ejus majore minoreve magnitudine conſpicuus, qui foris penſilis; Eſt autem *deſcenſu* malum gravius. *Sebiſius man. p. 1522.*

Prolapſum integrum tuetur Regn. de Graef de mul. org. c. 10. ac præter authoritates poſſibilitatem ex ligamentorum vteri conſtitutione demonſtrat. Ligamenta, *ait*, quibus vterus ſuo in loco detinetur, quatuor ſunt, quorum duo Lata, alia Rotunda dicuntur. Ligamenta Lata, à peritonæo proficiſcuntur, quæ non vteri tantùm ac vaginæ lateribus alligantur; ſed cum præcipua illius parte, vaſa, teſticulos, & tubas quodam modo amplectuntur, & in ſe recondunt.

Horum ligamentorum beneficio, licet vterus non oſſibus illis alligetur, vt perperam creditum eſt, equidem firmiter in ſuo loco detinetur.

Subſtantiam obtinent membranoſam, laxam ac mollem, vt commodè contrahi ac dilatari poſſint, hinc *Aretæus* alis veſpertilionum illa aſſimilavit, & quia fibris quibuſdam carnis ſpeciem referentibus intertexta ſunt, nonnulli ligamenta illa muſculos eſſe putaverunt, ſed minus rectè, quandoquidem præter rubedinem, quam in cadaveribus diutiùs aſſervatis acquirunt, nullam ſpeciem carnis præ ſe ferunt.

Laxantur aliquando ligamenta illa propter vim partus, nimiam corporis humiditatem &c. vt vteri oſculum in ſinum pudoris decidat, & inverſa vagina extra propendeat; vide exempla apud *Platerum, Bartholinum* & alios

Reperiuntur tamen, qui ob ſarcomata, aut alias vaginæ excreſcentias, aut protuberantias quandoque à ſe obſervatas vteri prolapſum omnino negant, aut adeò rarum pronuntiant, vt vt vix aut ne vix quidem eum vnquam contingere credant; Quorum tamen opinioni calculum noſtrum non apponimus, quandoquidem ratio dictet humores à toto corpore defluentes ligamenta vteri humectare ac relaxare poſſe; Et experientia confirmet in locis humidioribus hunc morbum ſatis familiarem eſſe. Meminimus namque nos vno tempore ad quatuor diverſas filias, quarum virginitas innoxia habebatur, vocatos fuiſſe, quæ vteri prolapſu laborabant, quibus partim fomentis adſtringentibus, partim annuli cerei in pudenda immiſſione non vulgare attulimus auxilium.

Si nobis objiciant non vteri, ſed vaginæ prolapſus fuiſſe, Petemus an vtero in ſua ſede permanente, vagina in tantum prolabi potuit, vt extra pudendum propendeat? Si verò vterus ſimul è naturali ſuo loco deſcendat, deſcenſum huc vteri prolapſum vocamus, qui prout major vel minor eſt, ſic vterus aliquando ad mediam vaginam, interdum ad vſque vulvæ orificium nonnunquam denique totus extra vulvam prolabitur, ac variis modis afficitur, ita vt eum aliquando extirpare coacti fuerint. Sed cur, quæſo, ligamentis, membranoſiſque partibus quibus naturaliter detinetur, relaxatis non tam facilè deſcenderet, quàm breviori peni tempore coïtus (vt in confeſſo eſt) obviam venit.

Sed altera & major difficultas eſt. An vterus ipſe inverti poſſit? Ego exiſtimo in difficili partu, dum placenta ei fir-

minùs adhæret,& ab imperitis obſtetricibus nimium attrahitur,id aliquando contingere poſſe,rariſſimè,licet eveniat In virginibus (niſi aliquando incredibilia contingerent) impoſſibile judicaremus, propterea quòd craſſa ac mèbranoſa colli vterini ſubſtantia in illis tantùm exiguo foramine pervia ſit.

Ad confirmationem,ſequentem obſervationem addo.

Diſſecui anno 1671. mulierem procidentiâ vteri laborantem,in cujus vteri vagina nulla ſarcomata, nullaſque alias excreſcentias,ſed tantum ingentem cereum globulum invenimus,cujus immiſſi beneficio,vagina(quæ aliàs ob vteri ligamenta nimis relaxata inverrebatur, ac foris propendebat) cum vtero intus detinebatur:vteri cervix autem naturalem conſtitutionem retinebat, adeoque minime inverrebatur. *Graef. de mal. org. c. 10.*

Accidit anno 1682. vt in Xenodochio Schaphuſiano vidua decumberet,ex diuturna & gravi vteri procidentiâ laborans,primùm quidem ante plusculos annos , cùm vxor adhuc marito frueretur,leve malum fuit , nihilque aliud quàm vaginæ laxamentum ; poſteà verò conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit,vt vagina omnis inverſa prominerer,ac inter femora nutaret ; Procidentiam ægra ſibi identidem ipſa repoſuit, & pila cerea vtcunque firmavit,donec noviſſimè difficulter parturienti vterus,edito fœtu,in vaginam dependulam prolaberetur: Penſilis maſſa carnis,ſpithamam æquavit longitudine,craſſitiem vtraque manus facilè complecti non potuit,tantumque doloris & moleſtiæ ægræ creavit procidentia potiſſimum oambulaturæ,ac rem familiarem curaturę, vt ſubinde mortē præoptaret.Infernè per patulū vteri orificium mēſtrua ſtatis temporum intervallis promanarunt ; matricem autem extra pudenda delapſam manibus noſtris aliquoties palpavimus,quę tamen inverſa haud erat,vt oculis conſpici poſſet; ſed latens intra vaginam propendula tractari potuit, & comprehendi manibus: Illa ſurſùm aliquando compulſa nativam ſedem cum ſaltu reperiit;aſt vaginam in priſtinum reſtituere locum non licuit: Tandem cùm nihil remedii ſupereſſet , & alia atque alia imminerent hanc amputare viſum eſt:Eventu autem ſpem non implente,ægra occubuit mortem.Docuit poſt Anatome vterum revera procidiſſe, vaginamque totam fuiſſe everſam;Adhæc , quod magis mirum,cum vtero veſicam vrinariam ſimiliter mutatâ ſede, procubuiſſe annotavimus, cum inclyto *Wepfero*: Nec tamen rupta fuerunt vteri & veſicæ vincula, ſed tantùm laxata.

Reſipiſcant ergo *Kerkringius* , *Ronhuſius* , *& Beckeran.* ſententiamque ſuam erroneam (ſiquidem adhuc in vivis ſint)& pernitioſâ moniti retractent;Cæteri demùm quotquot hæc lecturi ſunt , & quorum iſta noviſſe intereſt, vel noſtro exemplo diſcant ſcrupuli ſe ponderare omnia,ac vbique magnam adhibere diligentiam cautionemque, ne cùm delinquant ipſi, tum ſeducant incutiſſe alios aut ſeducantur. *Ioh. Conradus Peyerus med. Sept. vol. 1. obſ. 29.*

Barbette & alij ſcribunt vulgò dictas vteri procidentias videri non eſſe veras,vt plurimùm,ſed aut flatulentum vel ſarcomati quid ſimile:At vterum procidere poſſe , vti certiſſimum eſt,aliàs ita notavi poſt partum ipſum quandoque ſe explicuiſſe vteri globum , & propendiſſe. *Th. Bartholinus ibid. Obſerv 32.*

Deſcenſus vel procidentia)Dari apparentem oſtendit exemplum ſequens. Vxor N. 34. annorum *multarum molarum parens*:Ex difficilis ſubſequenti decimo partu,prolapſu vteri ſatis periculoſo,non corrigibili ſe laborare credidit & obſtetrix confirmavit , vt abſque ligamentis huic malo aptis,nec ſtare,nec incedere per v. annos valeret;quo ſpatio temporis elapſo, ipſam inviſens ſemianimem reperio: Et originem hujus mali ex impuro vtero itidem provenire judico:Interim ob vrgentia ſymptomata cordialia,hyſtericis nupta propino;his ſymptomata paulatim cedunt , ob adſtrictam alvum,clyſterem applicandum ſuadeo,quem cùm renueret, externè ſaltem fomentationes ex emollientibus, & carminativis;præprimis herba *mercurialis* toti abdomini ad pubem vſque applicari:*Interne eſſentiam caſtorei.& ſpiritum ſecundina*(ob præſentis molæ ſuſpicionem) *in ſyr. de artemiſia* propinari juſſi,quibus præſtitis, elapſo bihorio,acerbiſſimi iterum dolores,& conatus parturientium oborti , brevique poſt *molam* capitis infantis ad inſtar peperit, tantæ tenacitatis,vt vix ſecuri dividi potuerit , abſque tamen putredinis & cadaveroſi odoris moleſtiâ;& quod magis miremur,ſine omni ſanguinis veſtigio Hoc facto *Prolapſus vteri quinquennis* evanuit,& molæ molem , non in vtero,ſed extra eum in vagina vterina,circa externi pudendi orificium tādiù latitaſſe eventus docuit, vteri ſitu inculpato invento continuatis per menſem medicamentis ſanguinem & vterum purificantibus cōvaluit,&c. *Ioh. Ianiſch.*

3. *Vteri procidentia eſt ejuſdem &c.*Procidentia vteri eſt ejuſdem ex ſede ſua naturali,ſeu quoad fundum,ſeu quoad partem vaginæ deſcenſus,modò verſus pudenda,modò extra eadem,dependens à laxatione, tenſione vel ruptione villorem & ligamentorum. *Wed.*

4. *Eſt ejuſdem ex ſede naturali*)Ratio formalis,quæ generis loco eſt,cùm vix cōmodiùs ſuppetat, conſiſtit in deſcenſu ex ſede naturali,qui per explorationem & autopſiam anatomicā nunc minor,nūc major deprehenditur:Nam accidit vt vterus interdū verſus inguina moveatur;non tamē extra muliebria propendeat , ſed contineatur adhuc intra ſinus cavitatem, nonnunquam everſus foras propendens; corpus globoſum pyriforme,inſtar cucurbitæ inflatum repræſentet pro vt authorū obſervationes teſtātur. *Wedelius.*

5. *Deſcenſus vel propendentia*) Hinc nemini non parere poteſt affectum hunc ſpectare ad morbos *confirmationis in ſitu vitiato*:Aſt cùm hîc latiùs pateat,meritò etiam hîc repetendum venit vterum,etiam nonnunquam loco ſuo ex eadem cauſa dimoveri,& ſymptomata inferre, quamvis non exeat foras,vel procidat ; Adnotavit id dudum *Senex 5. aph. 47 & l. 2. de m.m.* paſſim,quando modo in obliquum verti vteros ſcrib t,modò ad latus allabi , ad coxas, vreteres,inguina,modò ad ſedem converti, cum difficultate alvi,imo in genere προσωτέρω allabi quoque innuit,neque conſpicuum fieri. *Wedelius.*

6. *A ſoluta ligamentorum ejus*) A *diſſolutione* vel *diviſione cervicis vteri*,à partibus quibus annectitur *Vteri Procidentia* accidit ; cùm enim vterus ab illius cervice , cui innititur,& ſuâ baſi ſe inſerit , & in ambitu firmiter connaſcitur , potiſſimum ſuſtenretur , reliqua verò ſede vt promptiùs in conceptu ſe dilatare augerique poſſit ab omni connexu,præterquam quod in lateribus tantùm vtrinque membranarum & vaſorum beneficio , admodum tamen laxè peritonæo copuletur, liber exiſtat, fieri minime poteſt, vt ille in ſinum vſque toto corpore prolabatur, niſi collum illi adnatum,atque ita continuatum , vt ab eo ſeparari nequeat,ſimul ſequatur;Quòd cùm citra divulſionem connexus fibroſi , quem cervix cum vicinis ſedibus cōſtituit,fieri nequeat,(*vteri procidentiæ cauſa proxima hæc illius cervicis connexus* diſſolutio erit:Quæ ſi in vtero vicino tantùm loco fiat, vterus in ſinu cū parte ſaltem aliqua colli inverſa adhuc permanebit:ſin verò toto ductu collum à ſubjectis liberetur partibus,tunc & vterus cum collo inverſo extra corpus provolutus dependebit , vterusque in fundo ipſius non inverſus vti collum , cùm hoc fieri nequeat , ſed ea forma vti cùm in ventre adhuc latebat, erat ſuſpenſus & incluſus,baſi & orificio illius in imo ſolùm patente hærebit ſecum membranas illiſque annexum peritonæum,cum vaſis & teſtibus aliquo vſque trahens ; Quod & citra rupturam, ob laxitatem harum membranarum, quæ cedere & dilatari admodum poſſunt, vti peritonæum in ventre hydropicorum tumente, in immenſum ſe extendere videmus , fieri poteſt , eaque vaſa minime abrumpi, etiamſi vterus longo ſpatio è ventre receſſerit, ex eo patet , quòd in locum ſuum repoſito, nihilominus mulieres poſſint concipere, quòd ſi vaſa hæc ab vtero ſepararentur, fieri nequiret.

Hanc autem *ſeparationem cervicis vteri à fibroſo nexu*, quo vicinis ſedibus , alicubi ſaltem, nec ita firmiter adhære

adhæret, & proin citra graviorem læſionem & hæmorrhagiam faciliùs abſcedere poteſt, vteruſque ipſe plerũque perficit, ſi ille per vim deorſum detruſus adeò impellatur, vt ad natam illic cervicem ſimul trahendo, vel impetu quodam ſubito, vel ſenſim, ſi minori vi, ſed frequenter illud fiat, à fibris primùm vtero proximis avellat, & ſi vlteriùs procedat, reliquas quoque divellendo, *collumque* invertendo ſecum deorſum aliquo vſque, vel etiam extrorſum detrahat; vbi ſimul appenſa pondere ſuo, vt magis magiſque tandem delabantur, afficiunt. *Platerus.*

7. *Ligamentorum*) Fundus vteri ſubſtantia ſuperius nulli parti annectitur, vt liberior ſit ejus extenſio; A lateribus verò duobus ligamentorũ paribus ſuſpenſus tenetur: horum *primum* quod ſuperius, figura alas veſpertilionum referens, eſt validum, latum, membranoſum, molle & fibris carneis intertextum (hinc vnamquamque lateris partem ſingulos muſculos eſſe putant *Veſalius & Archangelus*) à peritonæo illic duplicato proficiſcitur, & tubis, teſtibus, fundique protuberantiis attenſum, matricem oſſibus ilii alligat, eoque immodicè laxato, vel rupto, vterus in ſinum deſcendit, & interdum foras prolabitur, ſi modò ipſa vteri ſubſtantia aliquibus de cauſis etiam laxa evaſerit, quæ etſi in ſanitatis ſtatu denſa & compacta ſit, nonnunquam tamen in ſtatu morboſo laxatur, vt ſcrotum virile. *Alterum* ligamentorum par inferiùs teres inſtar lumbricorum, ſubrubens, inſtar muſculorum, (vnde illud cremaſtere muſculo obvolvi putat *Riolanus*) poroſum ac concavum, præcipue in fine, à lateribus fundi vtrinque prodit. *De Diemerbroeck. Anat l.1.c.24.*

8. *Signa generalia & ſpecialia*) Signa conſideranda ſunt ſecundum affectum ipſum, partem affectam, & cauſas: Quæ priora deſignant ſenſibus patefiunt; ſi vterus diſlocatus, non tam antrorſum ac propenſive quàm lateraliter & interne extra ſinum pudoris non prorumpat, ſed intra eundem permaneat, digito explorante levem ſaltem tumorem in centro pudendorum perſentiſcunt: Sic etiam afflictæ erecto corpore ſtantes, ponderis quandam moleſtiam circa inguina percipiunt, adeſt vrinæ difficultas, & alvus ſupprimitur.

Vteri *prolapſum extrorſum* manifeſtant ſigna. 1. *Eſſentialiter inhærentia*, prominens, erecto inprimis corpore, è pudendis corpus globoſum, cucurbitinum, pyriforme, molle & glabrum, cum tumore ſenſim & ſenſim adacto, ita vt in quibuſdam etiam ex orificio interno, vnà longè provoluto menſes manifeſtè & ordinariè exundent, quod obſervavit *Primiroſius*, idque etiam vidi, & alii, In leviori caſu moles quædam moleſta, intra clauſtra adhuc conſiſtens obſervatur, gravans & inceſſum impediens.

Eſſentialiter conſequentia, ſunt varia concurrentia ſymptomata, vt ex *actionibus læſis vitalibus*, febris ſuperveniens, ſiquidem violentia adfuerit major, & cardialgia; *Ex animalibus* cõvulſio, tenſio abdominis, & motus impedimentum, dolor lumborum, vnde & in cæca procidentia Iſchiade laborare putantur, teſte *Rolfinkio P.2.de Part.gen.p.245.* ſingula hæc conſenſum teſtantur nervoſi generis, accedente inprimis frigore ambientis inimico, & pondere tendente expreſſum magis.

In *Excretis* ac *Retentis* tumor à ſupino decubitu recedit, vt in hernia quoque, (qua cum in pluribus cõvenit) quatenus in cavitatem, ex qua elapſus vterus, põdere ſuo & glabritie recipitur, invitatus illo ſitu, vti ſurgenti mox recidit, mole & pondere deorſum, more gravium, vtrobique juvante; A tuſſi & excernendi conatu magis provolvitur, propter inſignem motum fibrarum & peritonæi periſtalticum continuatum, per quem alvi & veſicæ & vteri ipſius archeus cietur. Hinc & ſæpè conjungitur vrinæ incontinentia, à cauſa communi, partu difficili potiſſimum, quod non ſemel notavi, & *Bartholinus l. 2. H. A.n.2.* vt menſes ſcaturientes non reptamus, infallibile provolutionis vteri argumentum.

Ex fonte *cauſarum* huc faciunt prægreſſa varia, quorum cognitio ex diligenti indagatione petenda: Præceſſit error in ſex rebus non naturalibus, & temperamentum phlegmaticum, ſi à *laxitate ligamentorum* ſuborta fuerit: Sin à *tenſione*, prægreſſus eſt partus difficilis, oneroſa fœtûs vnius vel gemelli geſtatio &c. ſi à *ruptione* tenaculorum adſunt dolores atrociſſimi cum ſubitaneo prolapſu, comite hæmorrhagia, quod confirmant cauſæ antecedentes violentæ. Si ab *eroſione* & exulceratione dolores acerbi infeſtant, & fluor albus immodicus, menſes acriores, roſivi, item materia purulenta teſtes eſſe ſolent.

Ratione *ſubjecti* ſigna præſentia facilè detegunt tangenti & videnti; vtrum pars vaginæ laxata, an ipſe vterus propendeat; Inverſi planè per orificium ſuum internum ſigna ex antecedenti partu laborioſo, vel extractione patet: *Scirrhus* ex duritie & reponendi difficultate, duratione etiam longiori; quamvis non ſemper ante fores, propendente vtero, & aliis colligitur.

Signa *cauſarum* non minùs obvia eſſe queunt ex relatione ægræ, ſive ex partu, lapſu, contuſione, &c: vt & corporis laxiori ſtatu cacochymico, fomitem & ortum nactum fuerit modum *Wedelius.*

8. *Signa*) Licet vterum extra Pudenda revera procidere poſſe ſtatuam, non tamen nego, quòd etiam eſſentia carnea, aliaque vteri prolapſum ita mentiantur, vt & oculatiſſimis imponere poſſint, (*à quibus procidentia ſecernenda eſt*) Vidua temperamento melancholico prædita, ætatis 47. ann. viduitatis 8. poſtquam aëri frigidiori ſe expoſuiſſet, primum quidem in hypogaſtrio leves quoſdam ſentit dolores, quos tamen ab externo frigore obortos eſſe ſuſpicabatur; Dolores excepit exiguus in Pudendo tumor, qui quotidiè creſcens ægram eò adegit, vt medicatricem in conſilium adhibuerit, primò, poſtea Chirurgum, qui offendit extra pudoris ſinum propendentem ſubſtantiam quandam ſphaceloſam, maximè fœtentem, & duos pugnos magnitudine ſuperantem: Affectus raritate atque gravitate premitur, Medicum, *D. D. Chr. Meisnerum* ſibi in ſubſidium dari petiit; Ex cujus conſilio abraſit de prominente ſphaceloſa ſubſtantia vltra libram, reliquum defenſivis munivit, Accerſitur & ego cum D.D. *Simone Schulzio*, quando quidem autem *Meisnerus* illud quod extra pudendum propendebat, nil niſi Excreſcentiam fungoſam: Chirurgus verò vterum inverſum atque prolapſum eſſe contenderent, placuit ipſum affectum propriis luſtrare oculis, mox ſub hypocauſti ingreſſum moleſtiſſimus nos excepit fœtor; Aegram verò ipſam deprehendimus nimis debilem, attamen ſectionem omnino exoptantem: Detectâ parte affectâ ambigebamus quid ſphaceloſum illud eſſet, quod extra pudoris ſinum conſpiciebatur: Nam B. *Meisnerus* vterum, ob ligamenta inprimis latiora, ita excidere poſſe pernegans, illud pro fungoſa habuit excreſcentia: Nos vterum inverſum propendere arbitrati ſumus: Neque non ligamentorum vterinorum vſus de opinione noſtra dimovere potuit, cùm tantùm valeat in eorum cõſtitutione naturali, non verò p.n. vbi aut rupta aut ſaltem ob continuum humorũ affluxum nimi laxata ac reſoluta officium ſuum minime præſtare poſſunt, prout etiam in aliis procidentiis, & in primis oculis cõtingere ſolet: Confirmarunt noſtram ſententiam exempla à *Bauhino*, *Roſſeto*, aliiſque annotata, Et tandem ipſe Chirurgus non leve pondus addidit, vbi digitum in ſinũ immiſit, & vndique ad latera colli vterini cavitatem explorans; vbique ſibi obſtare ſubſtantiam membranoſam retulit, vnde vteri fundum inſtar ſacci inverſum propendere collegimus, Quandoquidem autem totum illud quod propendebat ſphacelo corruptum erat, ſepoſitâ controverſiâ in eo omnes conſenſimus, vt ſubſtantia illa ſphaceloſa, ſive vterus ſit, ſive non, quantocyus, & antequam vires omnes proſternantur, reſcindatur, ne partes adhuc ſinceræ inficiantur.

Quare facto ad ſectionẽ debito apparatu, injecit Chirur-

vinculum parti ſanæ, non longè à veſicæ vrinariæ orificio, per quod nullo negotio ſtylum in ipſam veſicam immiſit, vinculo colligato, dum ægræ poſitus ſectioni adaptatur, leipothymiam inſtare colligentes mutato conſilio ſectionem diſtulimus, &c. Remoto vinculo ſanguis vndique ſtillabat, & ſimul quoque dolores minuebantur; ſubſequentibus diebus, quotidie plures particulas corruptas abſtulit Chirurgus, ita vt excreſcentia jam vix vnum pugnum æquaret, & fœtor in dies minueretur; Et nos ipſi quoque, cum abraſâ tantâ parte, nedum quidem in medio illius cavitas aliqua appareret, non jam pro corpore vterino, ſed pro excreſcentia quadam fungoſa ac ſphaceloſa propendentem illam ſubſtantiam cum D. *Meiſnero* habuimus. Neque aliud docuit eventus; nam mortuæ abdomine reſerato, vterus omni ex parte ſanus in pelvi, ceu debito & naturali ſuo loco hæſit, nec licet propendens ſubſtantia variè traheretur, quicquam movebatur: Sphaceloſa autem illa ſubſtantia, nihil aliud fuit niſi Excreſcentia fungoſa ex vteri collo majori & hujus antica parte prope veſicæ orificium enata: Verbo, ipſa vterini colli ſubſtantia rugoſa, ſpongioſa, à menſium & corruptorum humorum affluxu ampliata & dilatata. *G. Segerus Med. vol.* ij. *Obſ. 33.*

9. *Pro ratione majoris vel minoris*) Vti ſenſus teſtatur propendere frequentiùs ex ſinu pudoris corpus tale albidum, molle, membraneum, figura globoſa, ſeu pyriformi, ita non conſentiunt Authores ſit ne hoc ipſe vterus propriè dictus, extra locum ſuum motus, & alienum affectans; an verò ejuſdem anticamera, vagina dilatata, quæ mentiatur eundem.

Nos vt breviter rem decidamus, dicimus, Nec ſemper verum vterum, id eſt illam vteri partem, quam fundum Anatomici vocant, propendere in Procidentia hac, Nec nunquam, vtrumque verò vitium prolapſum dici poſſe, partem pro toto accipiendo: Aſſerere ſiquidem haud planè, licet impoſſibilem prorſus veri vteri prolapſum eſſe, cùm ligamentorum ejus, vel ruptura vel tenſio, aut laxatio parietum tanta concipi & dari poſſit, quanta ad hanc diſlocationem neceſſaria: Imo ejus rei exempla afferunt authores varij.

Non tamen concedendum æquè frequentem vteri ipſius prolapſum contingere, prout id nonnunquam confunditur, cùm 1. poſt reſectionem & extirpationem illius corporis prolabentis; ſeu vteri ſpurii mulieres non ſaltem ſuperſtites & incolumes evaſiſſe, ſed prolem quoque concepiſſe & peperiſſe nonnulli authores teſtantur. ii. poſt eandem extirpationem in cadavere vteri corpus integrum, & in ſede ſua naturali deprehenſum, adeoque illud quod reſectum, ſæpe nihil aliud quàm partem vaginæ rugoſam fuiſſe. *Iob. Van Meckeren obſ. Chir. 51. annotaverit.*

Hæc Authorum diſſonantia non ita difficulter in harmonicum ſenſum reduci poterit, modò diſtinctio, quæ ex dictis ſponte fluit, adhibeatur inter Procidentiam vteri *Veram* ſeu *Exquiſitam*, & *Notham*, ſeu *ſpuriam*. Poſteriorem ideò dictam volumus, cùm prominens extra muliebria corpus, quod etiam allegata autopſia confirmat, ſæpiſſimè ſaltem ſit interior vaginæ tunica rugoſa inæqualiter extenſa, ſubinde deceptrix, inſidias oculis faciens & ludibria, quam vel rudis obſtetricis manus cum ſecundinis revulſit, vel fœtus gravior protruſit, vel humorum affluentium copia tumidam & extra vulvam pendulam effecit. *Wedelius,* Uide §. *Differentia.*

9. *Pro ratione majoris vel minoris*) Hinc tres prolapſus differentias authores faciunt, *Prima*, cùm cervix prolabitur in orificium exterius, & ſecum vteri corpus paulatim trahit, *Secunda*, quando vterus labitur in vaginam pudendi, ejuſque cervix & oſculum prominet, tunc collum glandis virilis formam refert, *Tertia*, cùm vterus ipſe invertitur inſtar chirothecæ, & foras prominet è ſinu pudoris, ovi anſerini, interdum ſtruthiocameli magnitudine: naturaliter tamen vterus non eſt major ovo in puellis ſterilibus, & quæ diù non pepererunt. *Primiroſius.*

10. *Extra, vel intra vulvam*) Ideo neceſſaria diſtinctio inter *Completam*, æqualem, vniverſalem, & inter *Incompletam*, inæqualem, particularem: *Hanc* vocamus, ſi *vel* ad inguina ſaltem & infimas abdominis partes vſque deſcendat, ac locum ſuum naturalem, hoc eſt, pelvis cavitatem mutet, *vel* quoad vaginam ſaltem ejuſque tunicas fiat diſtenſio & protuberãtia: *Illam* verò, ſi totus extra vulvam devolvatur, vterus, ita vt vel inverſus planè ipſe orificio ſuo excidat & propendeat inſtar ſacci, vel marſupii, vel ejus orificium internum provolutum extrorſum in conſpectum prodeat; quod certiſſimum & demonſtrativum prolapſus veri in vivis argumentum eſt, non minùs ac in demortuis ocularis inſpectio, qualem celebravit *Peyerus* &c. vide inferiùs §. *Vteri procidentia*, & §. *Differentia.*)

11. *Vterus ad dimidium coxarum*) Totum vterum procidere poſſe negant *Paulus* & *Aëtius*, ſed *Andernacus* in comm. affirmat ſe bis vidiſſe, totum vterum extra ſinum prolapſum, ex cornibus tantùm, & quibuſdam adhuc ligamentis ſuſpenſum, vidit quoque *Riolanus* ad genu vſque prolapſum, & quod prominebat ovo ſtruthiocameli erat ſimile *Primiroſius.* Vteri omnimodam procidentiam negant, *Kerkringius*, *Barbette* & alij; at poſſibile eſſe ex diſſectionibus cadaverum oſtendunt *Reg. de Graaf*, *Gerardus Blaſius*, *Paræus*, Vide ſepulchretum noſtrum pag. 1320.

12. *In cujus ima parte foramen*) Vterus procidens oculis cerni poteſt, magnitudine ovi anſerini, in cujus ima parte, ſi appareat foramen, quaſi eſſet glans virilis, internum vteri orificium eſt depreſſum verſus cervicem, è quo etiam menſes profunduntur: Quando verò tota matrix pervertitur, ejuſmodi foramen non apparet, ſed corpus inſtar cucurbitæ rotundum, ſcrotum virile repræſentans, habetque τὸ δίχρυν. *Primiroſius.*

13. *In hac tumor quaſi*) Si extra vulvam non prominet, exiguus tumor intùs percipitur, & ſi laborans rectâ ſteterit, grave quoddam pondus in pudendum incumbit, ſi ſedeat, ſupina jaceat, alvum exoneret, rectum inteſtinum premitur; Si prona jaceat, vrinæ difficultas naſcitur. *Primiroſius.*

14. *Tumor quaſi extenſa pellis*) Gravis parturientium niſu, & incautâ ſecundinæ extractione, alij nobiſcum fundum vteri in pube planè inverſum viderunt, adeò vt pars intima extrema eſſet; Etiam experti ſumus (præſertim in illis quæ alvi duritie & ventris dolore vexabantur) membranas pubis ſe eouſque extendere, vt homines Chirurgiæ imperiti, eas pro ipſo vtero ſumpſerint, & etiamnum ſumant. *Barbette Chir. c. 8.* Impoſuit & quibuſdam Excreſcentia fungoſa ex vteri collo propendens, & ſarcoma totam vaginam vteri occupans foraſque propendens; Vide ſepulchr. p. 1325.

15. *Veluti ovi majoris pondus circa pudendum*) Etiamſi dixerim vterum mulieris gravidę vt plurimum adeo non procidere, vt extra promineat, prohibentibus illius amplitudine & magnitudine, id intelligendum eſt de poſtremis graviditatis menſibus; nonnullas enim novi quibus prioribus menſibus excidebat, ac inter duas, quæ jam à quinque menſibus vtero geſtabant, quibus illa pars vteri qua orificio interno proxima eſt, pudendum ad pugni magnitudinem excedebat, vnde perpetuum abortus periculum imminebat, comite intenſo dolore & dyſuria, quod declinare, eandem ob cauſam in multis aliis præcedentibus impregnationibus non potuerant idem ſubire paratæ, cum cauſę preſto eſſent niſi peſſario immiſſo obviam iviſſem, cujus ope vterus reductus eſt, atque ad partus vſque tempus

legi

legitimum coercitus; præcipiens vt id ſolum inſtante partu removeretur. *Mauriceau*,

[16]. *Cauſa eſt quicquid*) *Aetius Tetr. 4. ſem. 4. c.76.* & *Paulus l. 3. c. 72.* varias tradunt cauſas, nimirum *caſum ab alto*, qui vincula, quibus vicinis partibus vterus connectitur diſrumpit, *violentiam ſecundinæ extractionem*, vt in abortibus contingit, *ſubitam validamque fœtus extractionem*; *fortem ſpiritus cohibitionem*; *immenſi oneris elevationem*, *plagam & percuſſionem*, *plurimi lentique humoris affluxum*, *partuum frequentiam*, quæ ligamenta vteri laxat & ſolvit; *vehementia animi pathemata*, quæ vel amiſſio & iactura thori pignorum, vel periculoſa navigatio, vel hoſtium incurſus, vel aliud aliquod infortunium annuntiatum excitavit, Has enim ob cauſas, aiunt mulieres toto exolvi ſolere corpore, ita vt vterus ſimul prolabatur. Addunt inſuper partes aliquando citra vllam ejuſmodi cauſam debilitari, vt ob pelliculatum ac muſculorum vterum ſuſtinentium reſolutionem hæc affectio eveniat, quod tamen inclinata maximè ætate fieri ſoleat *Sebiſius*.

[16]. *Cauſa eſt quicquid ligamentorum*) Cauſæ ſunt ruptio aut relaxatio ligamentorum quibus ſuſtinetur & annectitur vterus inguinibus, oſſi pubis & aliis partibus: Oportet affici vtrinque omnia ligamenta, & etiam peritonæum, alias vno incolumi non deorſum, ſed ad latera ferretur vterus. *Primiroſius*.

[16]. *Cauſa eſt quicquid ligamentorum vnitatem ſolvere*) Aſſignamus *cauſam immediatam & proximam*, laxationi, extenſioni, & ruptioni partium ſuſpendentium & firmantium vterum, inprimis ligamentorum & villorum, ſeu fibrarum, tum propriarum, tum communium quoque à peritonæo illic duplicato proficiſcentium, vaginam vteri vicinis partibus connectentium, itemque tunicæ internæ rugoſæ ipſius vaginæ, prout variat procidentia, Ceſſante enim hoc fibrarum & ligamentorum robore, rugis exolutis & complanatis, ipſa vteri membranea ſubſtantia dilatationem patitur modo inæqualem, quoad partem, vaginam ſilicet, modo æqualem magis quoad totum, imo & modo in longum, modo ad latus quandoque, cum autem hæc non vno modo contingant, nec ſponte ſua, vel ſecundum naturam, viſendæ ſunt cauſæ aliæ, hanc principem inferentes læſionem.

Cauſæ mediatæ proximioris vicem ſupplent omnia illa quæ vel activitate ſua tendere plus juſto norunt, & irritare vel laxare; Facit huc intemperies modo calidior, modo humidior, ſeu intrinſece humorum affluentium ac diſtendentium nimia colluvies, in ſinuoſis vteri anfractibus ſubſiſtens (*de humorum vitiis vide* inferius §. *Humoris pituitoſi affluxu.*)

Non minimum momentum contribuit fœtus moles &c. hinc quoque nocet violenta corporis concuſſio in ſternutatione fortiori poſt partum, & vociferatio, aliique conatus laborioſi priusquam ſubſederit extenſio priſtina facti: Ad hæc multum conferunt, qui quidem omnium frequentiſſimus eſt caſus, *Extrinſece*, *partus* antecedens laborioſus: His accedit longior in *Balneis* humidis vel aquis aliis mora, Frequentior ſupra *lapidem frigidum ſeſſio*, vnde nervi reſoluuntur, fibræque infirmantur & laxantur.

Cauſas externas alias *Hippocrates 2. de m. m. t. 61.* proponit, omnis *inquit*, occaſio vteros propellere poteſt, ſi quid mali habeant, Nam & frigore pedum ac lumborum & à ſaltatione & terrore, & lignorum ſectione, & curſu ad acclivem & declivem locum & ab aliis multis propelluntur; Sic à violenta percuſſione, ad ſiniſtrum inguen, cum mulier quædam maritum in incurvanda pertica, ex qua vinculum dolii parandum erat, juvaret, prolapſum vteri mirandum paſſa eſt, apud *ſennertum Inſtit. med. l. 2. p. 1. c. 9.*

Ex *mediatis & remotioribus naturalibus*, eſt *Temperamentum* phlegmaticum, quod ad humores in corpore ſeroſos ac pituitoſos particulis heterogeneis cacochymicis variis imbutos, pro varia corporis diatheſi diætæque erroribus cumulandos, & vteri partes laxandas valde aptum natum, Sic & *ſtatus plethoricus* & *habitus corporis laxior* huc facit. Quoad *Res non naturales*, multum conferta *Aer externus*, vti enim alias corpus noſtrum ambiendo, vel per ſpirationem, vel per tranſpirationem ſe ſe inſinuando diverſimode afficit, ita ad malum hoc quoque diſponit, & præſens adauget, dum frigidus & vidus nimis, incaute admiſſus conjunctam humiditatem fovet, viſcidos ac ſeroſos humores acres, vteri partes membrano-nerveas enervantes generandi anſam præbet, Eſt enim nervoſo generi inſenſiſſimus, atque inprimis vtero incongruus; Experiuntur id magno ſuo damno ægræ procidentia vteri laborantes, ſimul enim paulo frigidiorem aërem admittunt, illæ pura quæ gravius laborant, ſtatim ſtringi velut abdomen cum cardialgia experiuntur.

Notabile eſt hunc morbum quibuſdam in locis paludoſis eſſe endemium, quod teſtatur *Graef de mul. org.* & *Rondeletius*, qui noviſſe ſe ſcribit pagum in quo omnes fere mulieres procidentiâ vteri laborant, & tamen concipiunt, *Pr. p. 583.*

Succedit *victus* durior, frigidior ac tenuior flatuum promuſcondus, *motus* violentior, ſaltus, niſus in elevatione ponderis, præprimis poſt partum; quem ob finem conſulto etiam ligatur abdomen exanilato partu: *otium* etiam nimium & vita ſedentaria nocent, quatenus humiditates excrementitiæ ac ſuperfluæ per debitam tranſpirationem non excutiuntur: partes autem vteri membranoſæ nervoſæ ac fibroſæ, effœminata quadam mollitie, laxitate, atque interna lubricitate corripiuntur.

Somnus nimius calorem obtundendo & humorum colluviem accumulando, *Vigiliæ* immoderatæ ſanguini & ſero fervorem quendam & acrimoniam inurendo, affectui viam ſternunt.

Inter *animi* pathemata eminet Veneris appetentia ſingularis, ab materiam ſeminalem turgeſcentem vaſaque vterina diſtendentem, ſic ab ὑστερομανία acri materiam expultricem ſtimulante, ortæ καταῤῥοπίας vterinæ meminit *Harveus* de *Gen. anim. p. 520.*

Quoad *Excreta*, *menſes ſeroſiores*, acres, frequentes, vt pote qui crebrioribus excurſionibus non ſolum valde enervant, ſed etiam partibus per quas tranſeunt, laxando atque excoriando non leve damnum efficiunt: Hinc ab enormitate menſtruorum vteri prolapſus à juventute mentionem facit *Peyer*, Item à *fluore albo immodico*, quem non raro acrem & mordacem eſſe *Sylvius pr. med. l. 3. c. 4. §. 10.* ſcribit; In *Retentis* ipſi *menſes ſuppreſſi* & circa vterum ſtabulantes, vaſa dilatando & extendendo, vicinaſque vtero appendices, humectando, vteri partes labaſcere faciunt.

Alvi durities, quæ vi quaſi cogi ſolet, & debet, quantùm conferat niſus hic & parturientium, vel inde patet quod globi intruſi, eodem expelli prompte & cum impetu poſſint: Ex *Cauſis præternaturalibus*, inprimis attendi meretur partus difficilis &c. Facit huc *Tuſſis*, propter conſenſum conſpirativum & inſignem motum fibrarum periſtalticum continuatum, per quem vteri ipſius Archeus ſimul cietur, *paralyſis* item, affectus hypochondriacus, catarrhi, inflationes aliæ &c. inprimis verò morbi vterini, fluor albus, paſſiones hyſtericæ, menſium fluxus immodicus, lochia retenta, caſus ab alto. &c. *Wedelius*.

[17]. *Quicquid ligamentorum vnitatem*) Relaxationi & Ruptioni, addunt quidam eorundem putredinem, quam inflammationes, vlcera & aliæ cauſæ invexerunt; quam alii ad Ruptionem referunt, quæ cauſa quoniam vt plurimum incurabilis eſt, relinquenda. *Primiroſius*.

[18.] *Curatio* eſt *Difficilis*, *ſi* eſt major. *ſi* adultas affligit. *ſi* febris, convulſio, vel alia ſymptomata accidunt. Imò *ſi* id fiat, lethalis eſt in puerperis: & interdum ab ambiente aëris alteratione, aut violenta repulſione corrumpitur, & gangrænâ corripitur.

[19.] *Conſiſtit* I. In [20.] *uteri ipſius* [21.] *repoſitione*, vbi *nota.* [22.] ſiſtendam eſſe primò inflammationem, ſi acceſſit. Si tumor ab aëre frigido utero impreſſus urgeat, decocto *malvæ*, *altheæ*, *flor chamæmel. baccar. lauri*, &c. primò [23.] membrum eſſe fovendum. Si [24.] flatus vel ſtercora in inteſtinis adſunt, [25.] clyſterem eſſe præmittendum. [26.] Antequam [27.] reponatur, [28.] glutinantibus & adſtringentibus eſſe fovendum, adſpergendum. [29.] Laudatur [30.] *ſuffitus* [31.] *ex pelle Anguillæ ſalitæ* & in fumo ſiccatæ, & pulverizatæ. [32.] *Balneum adſtringens* pete ex *Guilielmi Rondeletii* Curationibus. Modum reponendi vide apud Authores.

II. In [33.] *ejuſdem retentione*, [34.] & *tum* Mulier in lecto reclinata cruribus extenſis, ita ut unum alteri incumbat, ponenda. [35.] Alvus nec pigra, ne in fæcum egeſtione uterus præcipitetur; nec laxa, ne membranæ uterum ligantes laxentur, habenda. [36.] Medicamenta agglutinantia & [37.] adſtringentia adhibenda, [38.] ex quibus [39.] *medulla Guajaci.* [40.] Huc faciunt [41.] Peſſi, formâ pyri vel uteri facti, & *lana vino auſtero imbuta* involuti, [42.] pulvereque *ſanguinis draconis*, *boli Armeni* &c. conſperſi, admotâ interim umbilico [43.] curcurbitâ cum multa flammâ abſque ſcarificatione. [44.] Fomentationes, ex decocto *cortic. cydonior.* cum *ſemine ſumach*, *& radicib. tormentillæ*, cum vino rubicundo. [45.] Injectiones per ſyringem, [46.] & alia, [47.] ſed cave menſes iis ſupprimas.

[18.] *Curatio eſt difficilis*) Quod ad *prognoſin* attinet, Affectus per ſe periculoſus non eſt, valde tamen turpis & moleſtus, progreſſionem ac deambulationem liberam, conceptionem & convenientem menſtruorum expurgationem impediens. Interdum tamen mortem inferre poteſt, ſi dolor, febris, converſio, aut alia quædam gravia ſymptomata accedant.

Interdum etiam ab aëris intemperie, aut violenta impulſione corrumpitur & gangræna afficitur, quæ partem amputare cogit.

Recens affectus, & in quo vterus non valdè prominet, facilius curatur quam ſi inveteratus ſit & magis egrediatur: In junioribus facilius quam in adultioribus vterus in proprium locum reſtituitur, Quæ à ruptione ligamentorum orta eſt procidentia incurabilis eſt. *Riverius.*

Adde quod non poteſt prolabi ſine affectione ligamentorum, quinetiam purgatio naturalis vtplurimum intercipitur, vnde varias corruptiones humor retentus excitat. Itaque niſi ſtatim vterus reſtituatur, ex appulſu aëris frigidi mulier ſterileſcit, & ſi diutius pe penderit, corrumpitur, ſicut & aliis membranis internis accidit ſi aëri exponantur. In membranis cerebri, epiploo, lithotomia id ordinarie contingit, niſi aëris frigidioris appulſus prohibeatur, Itaque vterus cito reſtitui debet: Quod ſi gangrænam concipiat, nec malum aliis partibus communicetur, reſecari debet, quod fieri poſſe ſuperſtite muliere ſcripſerunt *Paulus*, *Rouſſetus*, & alii recentiores medici, cum tam facile ſit vtero carere mulieri, quam viro teſtibus. *Primiroſius.*

Procidentia vteri facilius curabitur in puerpera quam in gravida, onere enim excuſſo, robur priſtinum ligamentis facilius reſtituetur, Adde quod eo tempore vtilior eſt peſſariorum vſus ad reſtitutionem, quam in graviditate, quod tunc temporis vt plurimum à gravitate vteri foras propellantur. *Mauriceau.* major ſpes ſanationis, ſi vterus nondum prociderit, ſed in ſinu incluſus perſiſtat maximeque ſi in profundo adhuc perſiſtat, cùm minor tunc facta ſit fibrarum ſeparatio. *Platerus.*

[19.] *Conſiſtit*) Ad curationem vterus in ſuum locum naturalem retrudendus eſt, ibidemque continendus, & ligamentorum vitium corrigendum, ſi nempe diſrupta fuerint agglutinantibus; ſi relaxata exſiccantibus, adſtringentibus & roborantibus: *Riverius.*

Symptomata etiam, vt dolor, febris, convulſio, hæmorrhagia ſi adſint, mitiganda & removenda, etiam relicta principali cura. *Primiroſius.*

Primo itaque quo vterus in ſuum locum facilius reponatur, alvus & veſica exonerandæ ſunt, ne cervicem vteri comprimendo illius reductionem impediant, ſiquidem cervix vteri recto inteſtino incumbit, ſibique incumbentem habet veſicam. *Riverius.*

In cura ſequentes attendendi ſunt ſcopi 1. partem laxatam in ſtatum naturalem reponere, 2. Adſtringentibus commode in debito ſitu firmare, vel *vere*, vel *palliative*: Si vero *alterata* aut corrupta fuerit, eandem abſciſſione tollere convenit, *Etmuller.*

Ad curationem hanc perficiendam, tum perfectam qua partes ab invicem disjunctæ vniuntur, vel imperfectam, ſi hoc fieri nequeat, vt ſaltem prolapſus ille vitetur, primum illæ cauſæ, dein morbo accommodanda, *Cauſæ* quæ vterum propellit, ratione, cura inſtituitur, ſi illa ante omnia avertatur, Quod fiet, ſi quietæ maneant, aut leviora ſaltem munia obeant, A coitu immoderato ſibi temperent; Occaſiones quæ eas ad ſternutandun, tuſſiendum, & vociferandum adigunt, vitent; Et ſi gravidæ ſint, quæ partum facilitent, cum tempus inſtat, vſurpent.

Dein & omni tempore, vt *alvus* ſine magno conatu reſpondeat, & victu & medicamentis eam ſolventibus procurent; Quo nomine potius hiſce Purgationibus vtemur, quam vt hæc humiditatibus illis, à quibus ligamentis vteri irrigatis laxioribuſque inde redditis procidentiam naſci poſſe voluerunt, expurgandis accommodemus.

Niſi forte ſi mulier hiſce in ſinu abundet, aut vterino fluore ſimul laboret, ad lubricitatem hujus viæ, quæ vt promptius vterius exeat, cauſam præbet emendandam, catharticis fortioribus etiam vti neceſſe ſit: Qualia quæ non ſolum purgando, ſed & valide ſiccando illud præſtant, in fluxus vterini cura traduntur.

Alias enim niſi ob hanc cauſam, vt corpus mundum & purum redditum rectius tractari queat, minuſve curatio illuvie excrementorum impediatur, in cauſa procidentiæ tollenda, evacuationes hæ per purgationes, aut ſanguinis miſſionem, aliôve modo factæ *parum prodeſſe queunt.* *morbo*, qui duplex hic occurrit, ipſiuſque *cervicis ſitus dislocatio*, atque *continuitatis* ſeu *connexus* cum *partibus vicinis*

diſſolutio

accommodabitur cura, ſi hæc prolapſa in priſtinum locum reponantur, repoſitaque illic retineantur, Et vt rurſum cum illis à quibus avulſa ſunt vniantur, efficiatur. *Platerus.*

20. *Vteri ipſius repoſitione*) Quæ fiet ſi mulier in dorſum ſupina recumbens, divaricans cruribus, genibuſque ſurſum attractis, manibus uterum introrſum premat, ſurſumque in cervicem trudendo ſicque invertendo adigat, donec in ſinum vſque omnia remearint. Vel ſi ægre ſuccedat, obſtetricis opera id peragat, vt bacillo craſſiori obtuſo linteis obvoluto id faciat, quo & in ſinum profundius, quam ſolis manibus poteſt repelli; Aut, vt minus lædatur, peſſarium ex panno lineó ſæpius convoluto, filoque ſtricte ligato paretur, & huic vſui accommodetur.

Rod. à Caſtro ſcribit ad vteri repoſitionem plurimum conferre, ſi Medicus, vel Chirurgus, cauterium actuale, aut aliud ferrum candens manu oſtentet, & in vterum inferre velle fingat, Ita enim natura contrahitur, & cum ea vterus ipſe, tum etiam quæcunque alia pars extra prominens: Refert enim Chirurgum inteſtina per vulnus abdominis exeuntia, hac induſtria repoſuiſſe, cum reliqua remedia non profuiſſent, candens enim ferramentum magnum coram patiente manu geſtans vulneri applicaturum ſe finxit, cujus rei ſubito terrore inteſtina è veſtigio in ſuum locum redacta fuere.

Avenzoar. 2. Theiſir. tract. 5. cap. 4. Quidpiam non abſimile proponit, *In principio*, inquit, *quando apparet hæc ægritudo, Medicus eam leniter poterit curare, Et reducitur omnibus iſtis modis, videlicet manu, ſi vis, & ſi non, fac eam ſupinam jacere, & fac quod aliquis ſedeat ſuper pectus ſuum & alius ſuper crura, & fac tam eam terrere, ponendo circa pedes ejus aliqua reptilia, ſicut ſunt mures & lacertæ, ex quibus multum terreſiat, & velit fugere trahendo pedes & crura ad ſe & inde omnia membra & corpus totum ſimul contrahantur, Et hac de cauſa matrix intro redibit ad ſuum locum.* Illum ſequutus *Zacutus*, in muliere quæ à ſeſquianno vterum habebat prolapſum, laborioſe luctatur, cum nihil proficeret, ſuppoſuit mulieris cruribus mures alligatos, quibus per femora vagantibus, metu incuſſo repente vterus illi in locum reductus eſt. Hoc facto, Emplaſtrum contra rupturam vteri regioni & inguinibus appoſito, à malo, *inquit*, in poſterum tuta remanſit, obſerv.86.l.2 *Riverius.*

Reductionem juvant & promovent *Cucurbitulæ* vmbilico affixæ, jucundi odores naribus admoti, graveolentes vulvæ ſuppoſiti, ſequitur enim gratos odores & fœtidos refugit.

Sunt qui ovum ſub gallina corruptum, fractum & agitatum, linteis exceptum apponunt vulvæ, vt *Nicol. Florentinus.*

Ferunt, *inquit Ætius.* Torpedinis corium recens detractum parti prolapſæ obvolutum ipſum repellere; tum paſtinacæ marinæ aculeum, cum ſucco hyoſcyami illitum. Quidam cucurb. domeſticæ, aut betæ decocto cum vrina graveolente, aut acri aceto, vterum proluunt, aut alia fœtida admiſcent. Prolapſam vteri partem obſtetrix manu inuncta *ol. roſar. maſtich. amygd. dulc.* vel *axungia gallinæ* leviter in proprium locum reponat. Sed prius pars ipſa foveri debet decocto aliquo molliente, aut *oleo lilior.* tepente, ſi à frigore induruerit; Alias decocto adſtringente foveri debet & poſt Pulveres adſtringentes conſpergendi, ex *myrto, balauſtiis, roſis, acacia, &c.* ſic enim repoſitus facilius retinetur. *Primiroſius.*

20. *Vteri ipſius repoſitione*) Reponi debent ante omnia in ſinum vteri ea quæ ex eo exciderunt, & quoad fieri poteſt, rurſum vterus ſurſum adigi: Quod vt facilius fiat, alvi fæces atque vrina prius exonerandæ erunt, ne hæc cum cervice vteri recto inteſtino incumbat, ſibique incumbentem habeat veſicam haſce ſedes implendo, ſicque viam hanc anguſtiorem reddendo, vteri repoſitionem impediant. Quo facto mulier in dorſum A ſupina recumbens, cruribus diſtentis, genibuſque ſurſum attractis, manibus baſin ſacci provoluti introrſum premat, ſurſumque in cervicem trudendo, ſicque invertendo, donec in ſinum vſque omnia remearint, adigat. Vel ſi ægre ſuccedat *obſtetricis* opera hoc peragat, vel *bacillo* craſſiore obtuſo, pannis involuto hoc faciat; quo & in ſinum profundius quam ſolis manibus poteſt repelli. Aut vt minus lædatur, dolorque inferatur, *pittacium*, aut potius *peſſarium*, ex *panno ſæpius convoluto*, filoque ſtricte ligato paretur, & huic vſui accommodetur; qua ratione toto biennio vterum propendentem, qui reponi aliis artibus minime poterat, ſurſum pellendo; cervice ſic vt lanii bacillo inteſtina ſolent inverti, cuidam repoſui, quæ adhuc vivit, & nihilominus aliquoties interea peperit; Ego jam aliquot vicibus felici ſucceſſu, opera obſtetricum à me edoctarum, *cervicis vteri* inverſionem, & aliquoties etiam *vteri prolapſum*, ex *difficili partu votum*, ſacculis lanugine goſſipii infarcta, inſperſo pulvere ex radicibus, herbis & ſeminibus odoratis, confectis, atque in lacte coctis, vi in vteri ſinum intruſis, ibique aliquandiu retentis curavi, vt promptius intromitti queat, *butyro, oleo* & *pinguibus* inungatur; Quod ſi vero neceſſitas non exigat, ſatius erit ab illis abſtinere, ne vncta citius rurſum excidant. Ad quod præcavendum potius adſtringentibus, quæ aſperiora hæc loca reddendo, vt firmius hæreant efficiant, etiam antequam reponantur, vtendum. *Platerus.*

Pro ſcopo *repoſitionis* & *firmationis* (quæ debet fieri cito, partim ne alteretur ab aëre, vel vrina; partim, quia ſic facilius curari poteſt) conveniunt omnia quæ in ano prolapſo, aut inteſtinis prolapſis commode vſurpari poſſunt. *Etmuller.*

21. *Repoſitione*) Si excreſcentia p. n. repoſitionem impediat, ipſeve vterus ſcirrhoſus, vel quaſi talis propendeat ob decubitum ſanguinis, extremis nigricantibus, imprimis altero caſu, quando inverſus extat, & orificium internum inferius non viſitur, ſed ſuperiori loco hæret, & velut radicem tuberis conſtituit, pondus vero moleſtum eſt, nec vllo modo reducibile, ægræ ætas vireſque conſentiunt, & reliqua non juvant, nihilque impedit, excreſcentia extirpanda, ſcirrhoſum corpus, abſcindendum eſt audacter, id quod his ipſis diebus in vicino pago factum eſt. *Wedelius.* Vide cap. de vlceribus vteri.

22. *Siſtendam eſſe primò*) Si prolapſus vterus intumuerit, ita vt ſinum denuo ſubire non poſſit, tumor ante omnia erit tollendus, & ſi *inflammatio* ſit, quæ huic ſanandæ competunt, erunt adhibenda. Si alia inflamatio, quæ eam diſcutiunt vſurpanda, fotus, inſeſſus, inunctiones emollientes & reſolventes, *Rod. à Caſtro* tumentem vterum *betæ decocto* abluit, deinde *aceto* & *ſale* ſubinde inſperſo, ac ſic imminuto tumore reducit. *Riverius.*

Si tumor vel aliud quippiam reductionem impediat, illud idoneis remediis erit auferendum, vt Inflammatio V. S. & oxyrrhod. deinde fotu remolliente & reſolvente, ex *malva, alth. parietar. ſalvia; beton. majorana, ſemen. lini, fænugr. flor.*

chamom. melilot. roſar. & ſimil. Si muco ſordeat, detergendus erit *oenomelite*, vel tantummodo *vino* calente, vel decocto *guaiaci*, *ſalv. beton. ſtoech. anthoſ. ſampſuc. baccar. lauri*, *hederæ*, *roſar. & ſimil.* Primiroſius.

Si alia *inflatio*, quæ eam diſcutiant vſurpanda, qualia in tumore hernioſo, ſi ille ob eandem cauſam reponi nequeat, conveniunt. *Platerus.*

23. *Membrum eſſe fovendum*) Inungi quoque debet *oleo lilior. alb. butyro rec. adipe gallinæ*, &c. *Sebiſius.*

At hæc faciliorem quidem repoſitionem faciunt, ac præcipuo ſcopo, qui retentio eſt, obſunt, ad quam glutinantia & adſtringentia requiruntur, non laxantia, & emollientia.

24. *Si flatus*) Cum arcenda ſint tenſiva, in primis tormina ventris hyſterica vel colica, peritonæum verſus inferiora, vel partes laxiores multum ſtringentia, optime his ſuccurritur per carminativa partim deglutita, partim exteriùs appoſita, quæ vt in hernia in genere, ſic & hoc loco ſunt laudatiſſima, v.g. *rad. zedoar. galangæ*, *ſem. 4. cal. maj. cortices citri, caſtor. ſpiritus ſuccini, caſtor. &c.* VVedelius.

24. *Si flatus vel ſtercora*) Quia vterus ſitus eſt inter veſicam & inteſtinum rectum, expedit vacuas eſſe partes; Repletæ namque viam, per quam vterus tranſire neceſſe habet, anguſtiorem reddunt & renituntur. *Sebiſius.*

25. *Clyſterem eſſe præmittendum*) Uti Lenientia, & blande alvum ſubducentia conducunt, quibus *caſtorina* tantilla dozi admiſceri poſſunt, aut ſimilia nervina, Sic *Vomitoria* exeſſe jubemus, quicquid etiam nonnulli de revellente eorundem virtute ſcripterent, ſiquidem conatus iſte laborioſus verſus τὰ ἄνω non ſine anxio conatu contracti abdominis peragi poteſt, vnde præſentanea noxa. *Wedelius.*

26. *Antequam reponatur*, *glutinantibus*) Foras propendentis *vteri baſi* cum *ſuo collo*, quædam applicantur, quæ poſtquam hæc reducta, & in ſuam ſedem repoſita ſunt, inter ipſa & partem unde divulſa ſunt intervenientia, hæc loca utrinque adſtringendo & corrugando, ut minus prompte relabantur efficiunt, præcipue vero ſi hæc ſimul vi ſiccante & glutinante prædita ſunt, in conſolidando iterum hac diviſione, pluſquam vlla alia, cum glutinis inſtar hiſce ſint interpoſita, præſtabunt. *Fovendo* Procidentiam illam antequam reponatur, hoc poſſumus efficere, cum *decocto fotus* (Vide §. *Fomentationes ex decocto*) cui ad *conſolidandum* radicem *conſolidæ major*, *narciſſi* & alia vulnerum conſolidationi convenientia addi poſſunt, Vel ex hiſce ſolis, coquendo ſimul & *thus*, *maſtichen* aliaque gummoſa fotum parare. Cum magis adſtringere volumus, nullaque ſpes conglutinationis ob inveteratum malum, *ſpongia* in *aceto rubro*, aut *lixivio*, vel *ſalſa aqua* aut *aluminoſa* intincta fovemus. Vel linteolum in *aqua nucum*, aut *conorum pyri ſylv.* extillata immerſum madefactumque applicamus. *Pulveres* ſacco huic propendenti prius madefacto, vel inuncto *mucilag. radic. conſolidæ*, vel *infuſion. g. tragacanth.* vel *glutine* ex *farina* cocto aſperguntur, qui aſperitatem nullam, ne cum collo repoſito ſub eo hæreant, eum lædant, habere debent, & proin vi glutinandi potius quam adſtringendi prævalere, qualis hic eſt Pulvis

℞. *Thur. vel maſtich.* ʒiß. *ſarcoc. nutr. in lacte* ʒj. *mumiæ*, *g. arab. acac. vel hypoc.* āā. ʒß. *redigantur in pulverem tenuiſſimum*

Inungi poterit hic Pulvis, exceptus dictis mucilag. vel *ſem. cydon.* aut *oleo hyper.* aliove loca divulſa conſolidante. *Platerus.*

26. *Antequam reponatur glutinantibus*) Prius inungendus eſt *mucagine rad. conſolidæ*, vel *infuſione gumm. tragac.* Poſtea aſpergendi pulveres qui aſperitatem nullam habeant, ne vterum aut illius cervicem lædant, ſed glutinandi magis quam adſtringendivi polleant, E.g.

℞. *Thuris maſtich. ſarcocoll. lacte mul. nutr.* āā. ʒj. *mumiæ*, *gum. arab. acaciæ hypocyſt.* āā. ʒß. *f. Pulvis tenuiſſimus.* Idem Pulvis ad formam vngu. admoveri poterit, ſi cum dictis mucilagin. aut *oleo hyperic.* aliove conſolidante permiſceatur. *Riverius.* Vide §. *Vteri ipſius repoſitione.*)

27. *Reponatur*, *glutinantibus*) Curioſe id obſervandum, nedum firmitudinem procurare intendimus vtero, idem in ſitu illo non exacte repoſitus, ſed in medio vaginæ agglutinetur, ſicque malum aliud, adſtrictio & anguſtia gravior emergat, quale exemplum recenſetur *Dec. 2. Ann. 1. Eph. Germ. Obſer. 62. Wedelius.*

28. *Reponatur*, *glutinantibus*) Cum geminus hic ſeſe morbus offerat, vteri ejuſque cervicis dislocatio, & continui quædam ſolutio, quatenus vincula illa membranoſa, à peritonæo orta, quibus vteri cervix lumbis; oſſi ſacro, veſicæ, & oſſibus pubis annectitur & quatuor deſcripta vteri ligamenta, vel rupta ſunt, vel exeſa, ſeu corroſa, ideo & gemina curatio adhibenda, *Repoſitio* ſcilicet, & *Glutinatio*, vt cervix vteri rurſus cum illis partibus, à quibus avulſa eſt vniatur. *Sebiſius.*

29. *Laudatur*) Vix datur remedium præſtantius quam *Caſtoreum ad* ʒj. *ex vino* vel *cereviſia*, vel *aqua artemiſ.* &c. *Henr. Petraus Noſol. T. 2. Diſſ. 44.*

29. *Laudatur Suffitus ex pelle anguillæ, &c.*) Repoſitionibus firmandæ, aliiſque dictis indicationibus præcipue velificantur *Topica* varii generis, Talia ſunt pro hoc ſcopo obtinendo *Suffimenta*, non tam ex *pelle anguillæ*, *ſtercore vaccino vel equino*, quæ à nonnullis commendantur, quam quævis fœtida, & ſale volatili oleoſo diſſipativo fœta, vnde etiam ex *ſuccino*, *thure*, *maſtiche*, *g. junip.* &c. fieri poſſunt, Ex compoſitis *ſuffitus de hypociſt Mynſichti*, egregius eſt pro arcano euporiſto habetur *ol. olivar.* lateri candenti ſucceſſive inſtillatum, vt vapor inde elevetur ad vterum; ſubtiliatur enim ſic magis oleum hoc, vt facilius intra abdomen penetret, quo ſæpiùs cum ſucceſſu vſus ſum. Loco ejus compoſiti Suffitus alii fieri poſſunt *ex oleo maſtich. momord. verbaſci*, *chieri*, *caſtorei*, *cum g. bdellio*; *tacamabaca*, *&c.*

Suffitus fit per inſtrumentum *Glauberi* ligneum, vel optime, ex conſilio *Etmuller*, per parvam phiolam, aut retortulam vitream, longioris paulo colli, vſurpari poſſunt, dum harum orificium, linteis tenerioribus munitum, ſinui pudoris applicatur, fundus vero vaſis, cum remedio fluido vel ſolido, igni carbonum leni propius admovetur, ut concitatis hinc effluens vterus locaque vicina roborentur; Valet tamen hoc magis ad reſerandum & mundificandum vterum, quam ad procidentiam. *Wedelius.*

29. *Laudatur Suffitus*) Intromittuntur in ſinum, eoque excipiuntur *Suffitus* ab eodem decocto pro *Fotu*, dum adhuc fervet exhalantes, qui cum penitus ſubeant, atque vndique ſe inſinuent, multum proderunt; vti & illi qui ex decocto *conſolidæ. biſtortæ*, *caulium ſtipit.* ſummit. *buxi* cum *fol.* exhalant. *Fumi* admiſſi potentius adhuc ſiccando. & *fuligine* quæ ſe affigit operantur, excitati à *thure*, *maſtiche*, *ſuccino*, *ladano. aſphalto*, ſeu *bitumine nativo*, *pice*, *colophonia*, Quibus & *fœtida*, quorum odore vterum refugere exiſtimant, miſcent; veluti *galbanum*, *caſtoreum*, nonnunquam & abominabili odore præditam *aſam fœt.* quibus & alia ex adſtringentibus

pulveribus

pulveribus addi poſſunt, & *reſina* aliqua in trochiſcos redigi: *Sandaracham græcorum* aliqui miſcent, quam *auripigmentum* vocant; Verum cum noxius ſit illius fumus, tutius *ſandaracha Arabum*, quæ *gummi* eſt, quod *Vernicem* vocant, vti.

A *ſtercore bubulo* exſiccato, carbonibuſque injecto fumum excitatum exceptumque multum efficere *experientia* compertum: Et ſi exuberans in *vngula mulæ tuber* vratur illiuſque *fumus* admittatur, mira præſtare ajunt. *Platerus.*

Fumum lanæ arietis nigri quidam probant. *Primiroſius.*

Non incongruum eſt, vt inſtituantur *Suffitus ex ſtercore vaccino & equino*, qui egregie convenit, loco hujus ex *aceto, ſuccino, thure, maſtiche, g. junip.* & ſim. forſan magis proficui. *Etmuller.*

30. *Suffitus*) Quædam mulier poſt abortum exeuntem vterum cum dolore intolerabili hoc ſolo reduxit.

℞. *Aſphalti* ʒij. *ſterc. bov.* ʒj. m. f. Suffumigium vteri, Experimentum certum eſt. *Joh. Fr. Rulandus Ph. N. p. 52.*

A *ſtercore bubulo exſiccato*, & *pennis perdicum* carbonibus injectis fumum ſuſcitatum & exceptum multum efficere experientiâ compertum eſt. Et ſi ſegmenta de *vngula equi* aut *mulæ* vruntur, illorumque fumus per embotum admittatur, mira præſtaret aiunt. *Arn. Weickardus Th. p. 355.*

31. *Ex pelle anguillæ*) Qui continuandus eſt; nonnulli hunc valde commendant. *Sennertus:* Eum in finem

Experimento conſtat *ovum gallinac.* vetuſtum mire conferre, qûo nihil gravius olet; nupto cortice, lana excipiatur & apponatur, mire corrigit procidentiam vteri, Sed cave, ne odor ille gravis nares feriat. *Foreſtus l. 28. obſ. 35. David Herlicius de curâ Gravid. p. 342.* In momento, *ait hoc*, vterum retrahit.

32. *Balneum*) *Aquæ naturales thermarum atramentoſæ, aluminoſæ, ſalſæ*, vel in quarum ſtillicidio tophi multi gignuntur, cumque decoquuntur multum calcis vaſis adhæret; ad menſem, vel vltra, vt ſolent, continuatæ, plurimum ſæpe proſunt, cum licet madore ſuo humectare videantur, tamen non ſolum potentia, ſed & ſudores movendo, humoreſque abſumendo, exiccare eas tandem & adſtringere effectus doceat, atque corrugatio cutis, & aſperitas quę indeſequitur, ſatis oſtendant. *Platerus.*

32. *Balneum adſtringens*) Vide §. Fomentationes.)

33. *Ejuſdem retentione*) Quo conferunt *alterantia* & *roborantia*, tum vniverſalia, tum particularia, ſeu ſpecifica, quæ parti de tono ſuo dejectæ primum ſuum ſtatum reſtituunt, & humorum δυσχρασίαν corrigunt; Inter interna nominanda *traumatica, carminativa*, & *vterina nervina*, Cum enim laxitas vinculorum & parietum tollenda ſit, ac villi roborandi plurimum opis conferunt *traumatica*, quæ ſanguinis vim balſamicam tutantur, & acidum ac laxans obtundunt, ac corrigunt, v. g. ex radic. *tormentillæ*, herb. *betonica, herniaria, piloſella, plantago, bellis. agrimon. ſanic. flor. hyper. balauſtia, ſem. 4. calid. maj. cortic. granat. auranti, cinnam.*

Utriſque pondus addunt *vterina nervina*, & *adſtringentia*, quantum viarum libertas neceſſaria concedit, quæ & diſſipant & roborant, è ſuis loculis petenda, & ſeorſim quandoque exhibenda, & cum aliis miſcenda, vt *elix. vterin eſſentia traumat.* Wedelii *carminat.* ejuſdem *eſſentia lignor. Tinctura Martis adſtring. ns, balſamus terræ catechu, tinctura corall. eſſentia ocul. 69. flores hyper. ſuccini, ſanguis ſymph. &c.* Sic & conveniunt *alkalina terrea præcipitantia*, cum *opiatis* debito modo permixta, ut *ebur ſine igne, c. c. vſtum, bolus Arm. terra ſigill. bezoart. mart. cachect. lapid 69. pulvis ſtypticus Heurnii, pulvis adſtringens Riverii lib. 15. cap. 13.* cum debito vehiculo vel vino rubente mixtus. *Wedelius.*

Sin contingatur vrinæ incontinentia, acrimoniam ſeri refrænantia, & firmantia, potius locum habent, ex *terra japon. agrimon. pellicula ventr. gallinæ* & aliis. *Si caſus ab alto prægreſſus*, traumaticis, diaphoreticis, & reſolventibus ſuccurrendum. *Idem.*

33. *In ejuſdem retentione*) In prædicto ſitu per aliquot dies maneat, immiſſo etiam lanæ, aut bombacis, aut ſpongiæ fruſtulo in ſinum vulvæ, irrigatum vino auſtero, aut *aqua roſacea*, in quibus *acacia* aut *hypocyſt.* diſſoluta fuerit; Juvant & *cucurbitulæ* ſub mammis & umbilico cum multa flamma frequenter admotæ, ut & beneolentia naribus, & fœtida genitalibus admota, niſi mulier hyſtericæ ſuffocationi ſit obnoxia. Item Fœtus adſtringentes, &c. *Riverius.*

33. *In ejuſdem retentionem*) Ad eum retinendum cum ſuo *collo* in ſuo ſitu, tum quando repoſita ſunt, tum etiam antequam exciderunt, ſed cadere minari videntur, atque etiam cum partibus vicinis coaleſcant, variis medendi modis utimur, quorum alii *adſtringendo, ſiccandoque* & *glutinando* utrumque præſtant, unde perfecta cura ſequitur. Alia vero tantum hæc retinent, curamque *imperfectam* aut *palliativam* relinquunt: Perficiuntur hæc cum illis quæ ore *exhibentur*, tum hiſce quæ extrinſecus *applicantur*, vel *collo* cum utero, dum adhuc foris ſunt apponuntur, vel per ea *quæ ſinum vteri ſubeunt*, aut etiam olfacienda proponuntur. *Platerus.*

34. *Et tum mulier*) Caveat ſibi quantum licet à vehementi ſternutatione, tuſſi valida, vomitione, vociferatione, ſaltu, cantu, riſu effuſo, ira, & excandeſcentia, item ab alvi conſtipatione, illa enim laxa, & lubrica eſſe tenetur, quoniam in conatu egerendi laborioſo ligamentorum uteri conſolidatio impeditur, & uterus iterum foras præcipitatur. *Sebiſius.*

35. *Alvus ne pigra*) Vide inferius §. *Curatur.*)

36. *Medicamenta agglutinantia*) *Exhibita* quædam, uti in Herniis ad relaxationem, vel rupturam peritonei ſanandam, & in vulneribus ad ea conſolidanda aſſumpta quæ juvant, an hic quoque in hac continuatis diſſolutione aliquid præſtent, tentare licet. Præter quæ & hic Pulvis ſæpe ſumptus huic affectui præcipue accommodatur.

℞. *Rad. thapſi barbati* ʒij. *fol. myrti, ſem. paſtinacæ domeſt.* ā ā. ʒj. *raſ. c. c.* ʒß *cin. oſtraceor. vel conchar.* ℈j. *coral. rubr.* ℈ij. f. Pulvis. *Platerus. Riverius.*

Dentur quæ ad Herniam præſcribuntur.

℞. *Fol. lauri, myrtill.* ā ā. ℥ß. *ſem. paſtin. dom.* ℥iij. *macerentur & coqu. cum vino generoſo, dozis ad* ℥iv. *repetenda*, ex Quercetano.

℞. *Ocul. cancr. rad. zedoar. ſem. paſtin. dom.* ā ā. ʒj. *nuc. moſch.* ʒß. *myrrha* ℈j. *baccar. laur.* ʒß. *c. c. vſti* ʒj. *m. f. Pulvis dandus ex vino rubro adſtringente.* Primiroſius.

37. *Et adſtringentia adhibenda*) Quo conducunt *Thermæ* aluminoſæ, ſtaluminant enim vincula laxata, firmant ac roborant; cavendum tamen itidem ne in harum uſu excedamus, & exceſſum hunc quoque in exceſſu ſentiant ægræ, provt infelicem uſum ex thermis Badenſibus ad menſtruorum enormitatem uterique prolapſum, à invente moleſtum obſervavit. *Joh. Conr. Peyerus.* Wedelius.

37. *Et adſtringentia adhibenda*) Extrinſecus uteri regioni, dum adhuc in ſuo loco eſt, ante, retro, & ſubtus, varia adhibentur, quæ *adſtringendo uterum*, ne facile labatur, contineant, & *ſiccando* an forte collum divulſum, rurſum ſic coaleſcere queat, aliquid præſtent,

addendo quæ utero appropriata illi robur addant; quod *Fovendo* frequenter haſce ſedes, uel *Balneo immergendo* per multos dies efficere ſtudebimus. *Unguen.* vel *Emplaſtr.* vteri regioni, circa pubem aut lumbos applicanda, ex ſequentibus ſunt

℞. *Rad. biſtorta* ℥ij. *rad. cyperi, herniar. vſnea*, ãã. ʒj. *flor. roſar. rub. balauſt.* ãã. ʒß. *gallar. vel cortic. granat.* vel *capular. gland.* ℥ij. *nuc. cupreſſi, oſ:um dactilor.* vel *myrobal. vſtor.* ãã. ʒj. *ſem. myrtillor.* ℥ß. *thuris*, vel *maſtich. acacia, vel hypociſt.* ãã. ʒj. *ſpica* ʒß. *corall. rubr.* ʒj. *f. pulvis ſubtiliſſim.* qui excipiatur *ol. myrtill.* vel *myrthino*, aut *maſtich.* addendo tertiam partem *olei laurini, reſina liqu. alicujus & cera q. ſ. f. ungu.* vel addita *reſina ſicca, pice & coloph. f. Emplaſtrum.*

Uſitata unguenta & Emplaſtra ad alias fluxiones matricis, etiam ad uteri prolapſum cohibendum juvant, veluti *ungu. comitiſſa, Empl. de maſtiche, contra ruptur.* & *ſimilia.*

Cataplaſmata ex reſidentia *Decocti* (Vide §. *Fomentationes ex decocto*) contuſa, additis jam dictis *oleis* appoſita ſimiliter juvabunt. *Urticam* admotam probat *Dioſcorides*, quæ recens contuſa applicanda : *Sacculis* pro *fotu* remanentiis impleri poſſunt, & hoc modo vſurpari. *Cucurbitula* majores, vel ſi minores ſint, 3. vel 4. affixio ſub umbilico, in hypogaſtrio ſæpe repetita, ad retinendum vterum in ſuo loco, aliquod adjumenti afferre forte poterit. *Platerus.*

38. *Ex quibus*) Nec Emplaſtra & vnguenta ſua laude defraudanda, iidem roborandi adſtringendique virtute conſpicua, quæ climati hypogaſtrico aut dorſo applicari queunt, ut *Empl. barbar. contra ruptur. matricar. magnet. Rhumelii*, aliaque ex *opopan, galbano, tacamah coloph.* & ſimil. malaxanda, cum *oleo momord. ovor. balſami Peruv.* Ex Linimentis prodeſt *ungu. Comitiſſa diapomph. cum croc. martis, adſtring pulv. ſtypt. & oleo maſtich.* q. ſ. pro linimento. *VVedelius.*

38. *Ex quibus medulla*) Pilulæ ex duabus partibus *limat. eboris*, & tertia parte *ſpodii* cum *ſucco plantag.* conficiuntur, & in aurora vel ante cœnam per duas horas exhibitæ hoc malum efficaciter removere ſolent. *D. Leo Art. m. ſ. 3. l. 6. c. 11.*

39. *Medulla guajaci*) Ego in vteri prolapſu ex nimiis vteri madore, aut ex albis uteri purgamentis, aut ex frigore, aut ex humiditate externa, orta, nullum aliud vtilius & tutius præſidium inveni quam decoctum *radicis china, ligni ſaſſafras vel ſalſapar.* ut corpus diu & lente ſudet. *Mercatus l. 2 c. 11.*

40. *Huc faciunt*) *Globo* ſeu *pila rotunda* in ſinu uteri geſtata, mulieres, quo minus vterus exeat, communiter ſolent prohibere; quæ hujus magnitudinis eſſe debet, vt ſinum adimpleat, & tamen orificium ipſius externum ſubire poſſit, ac citra vim majorem intrudi. Item levis & lubrica, ſeu polita, ne aſperitate ſua, aut pondere tenera hæc loca lædat vel gravet, ſed dura interim, vt vterum melius ſuſtineat, & ſicca, ne ſi mollis eſſet, vel diffluerent, aut ſi humorem conciperet, minime ſubſiſteret, ſed facile iterum elaberetur; Paraturq; hoc modo ex *cortice* leviſſimo *ſuberis*, vel *betula*, duo ſegmenta, ſi vnum non ſit ſatis craſſum conglutinando, & in formam globi tornando. Vel ſumendus *glomer*, qui ex filo convoluto formari ſolet; Taliſque globus corticeus, vel ex filo glomeratus, in *cera* diſſoluta tam diu volutetur, donec planus & æqualis fiat, ceraque aliquovſque obducatur: Quem appenſo ligamento, vt rurſum eximi queat, mulier ſinui vteri indat, eumque interdiu, quamdiu erecta manet, vel etiam noctu decumbens, ne opus ſit ſæpius factum iterare, geſtet, & ne vterus prolabatur, retineat, nec facile, niſi cum ſe viro conjungere vult, eximat, quod tracto ligamento promptè fiet; Quæ ratio vterum cohibendi, etſi moleſta nonnihil ſit, minus tamen impedimenti, quam ſi vterus prolabatur, affert. Hanc vteri prolapſi repoſitionem glomo cera imbuto & obducto, aliquoties felici ſucceſſu afflictis quibuſdam mulieribus monſtravi; è quarum numero vna, vtero ſic repoſito, denuo, cum prius diu ſe cum marito miſcere non potuerat, concepit, glomo ſimul in vtero concluſo, & ad partus vtque tempus retento, quem poſtea cum fœtu maſculo, vna cum ſecundina in partu iterum edidit. *Platerus.*

41. *Peſſi*) Peſſaria in deploratis vteri procidentiis vtiliſſima ſunt, quæ à nonnullis componuntur ex ſubere ſatis oblongo & cera ſuperinducta. Alii ex ſola *cera* conficiunt, Et ex iis nonnulli forma rotunda, alii ovali, quadrata, aliave forma, quæ in ipſam vteri cavitatem inducuntur, & nunquam eximuntur, atque vterum in ſuo loco retinent, ita tamen vt mulieres omnia munia conſueta exerceant, cum viris ſine incommodo coeant, concipiant, vtero gerant, & pariant; quod exemplis confirmatur à *Roſſeto ſect. 6. c. 5.* Riverius.

Peſſitia fiant ex *goſſipio* in decoctione adſtringente cum ſucco *acacia* aut *hypoſcitid.* immerſo, cui pulveres adſtringentes *maſtich. thuris. gallar.* aliique ejuſmodi inſpergantur. Vel magdaleon Empl. alicujus adſtringantis, Peſſarii forma in vterum immittatur. *Primiroſius.* Si ejuſmodi Peſſi moleſtiam exhibeant, & minus commode diutius poſſint retineri, alii minoris digiti craſſitie & longitudine, more conſueto, qui noctu retineantur, ex prædictis parentur; Vel *Lana* madefacta in *albumine ovi* & *aceto* pulveribus conſperſa inditûr. *Platerus.*

In applicatione *Peſſorum* & *globulorum* cauti ſimus, ne Peſſi tales nimis magni ſint, & irritent vaginam vterinam, metus enim eſt ne excitetur fluxus albus, qui tunc ſolet malum ſubinde exaſperare. *Etmuller.*

41. *Peſſi*) Ex bombace, vel linteo confecti decoctis adſtringentibus (Vide §. *Fomentationes ex decocto*) madefieri & vaginæ immitti queunt. Cavendum, tamen ne nimis magni aut longi ſint, vaginamque vterinam irritent, & hinc menſes aut fluxum album excitent, qui tunc malum ſolent exaſperare. *Wedelius.*

41. *Peſſi, forma pyri*) Huc pertinet Globuli in deploratis vteri procidentiis vtiliſſimi, ex ligno buxeo, aliove tornati, vel ſubere ſolum cera ſimul, vel cerato quodam vterino roborante intincti, qui reliquis ſuccenturiantur; & ſi reliquis omnibus adhibitis firmari ſinus recte non poſſit, topica ſunt præcipua. Hi vaginæ uterinæ intruſi geſtandi ſunt, etiam citra funiculum, in alterutra extremitate extra pudoris labia pendulum, quo alias nonnunquam extrahi poſſunt. In annoſis, & malum hoc diutius paſſis, aut in quibus alias incurabile, Globuli illi pro cura palliativa per totum vitæ tempus commendari ſolent. *Wedelius* De his in Chirurgia.

42. *Pulverque ſanguinis draconis*) Quibus etiam poteſt addi aliquid *aluminis*, eo nempe in caſu quando partes non ſunt excoriatæ, & quando ſunt indolentes, alias talia acria intermittenda ſunt. *Etmuller.*

43. *Cucurbita cum, &c.*) Pro certo experimento habetur à quibuſdam *vrtica* contuſa & ventri puerperæ impoſita, *Item*, Cucurbitæ non ſcarificatæ, vna vmbilico, reliquæ duæ pubi, vtrinque vna impoſitæ, vterum retrahunt. *D. Herlicius de cur. grav. p. 345.*

44. *Fomentationes*) Foveantur dictæ partes decocto adſtringentium in *vino rubro* & *aqua ferrata* parato. *Semicupium* etiam ex eodem decocto à Practicis vſurpatur, quod tamen cautione indiget, periculum enim ne ex illo ſitu vterus denuo provolvatur extra ſuam ſedem, præſertim initio, dum adhuc recens eſt affectus,

Ubi

Ubi autem diutius ægram detinuerit, eaque convenienti ſubligaculo præmunita fuerit, non parum conferre poterit. *Riverius.*

44. *Fomentationes ex Decocto*) Quæ ex Decocto ſequentium fieri poſſunt, facta in *aqua ciſternæ*, vel *fabrorum extinctionis ferri*, addito, ſi præſertim pro Fotu eo uti velimus, etiam *vino*, nonnunquam & *aceto*: Sumimuſque pro hoc Decocto coquendo, radices *biſtortæ*, *tormentillæ*, *pentaphilli*, ſummitates *quercus*; *pyri & pruni ſylv. meſpilor. rubi*, *myrtit. lentiſci*, *ciſti folia*, *pini*, *cupreſſi*, *lauri*, herbæ, *burſæ, paſtor. verbenacæ, verbaſci*, *millefol. ſanguinariæ*, *hederæ*, *polygoni*, *herniar. abſinth. centaur. artemiſ. matricar. rutæ. beton. lavendulæ* (quam *Caſſiæ* nom. *Dioſcoridem* in hoc caſu commendare putant: Item cortices *granator. capular. gland. gallas*, *ſpongiam bedegar. nuces cupr. ientes*, *cicer. rubr. baccas myrtill. rhois obſonior. lauri*, *flor. roſar. rubr. balauſtia*, *pſidia*, flores *ſtæchad. atr. ſalv. & roſmar.* *muſcum pulmonar.* quem *uſneam* vocant, Horum plurium pauciorumve decocto, ſi efficacius efficere velimus, *alumen* vel *ſal* addimus aut parum *chalcanthi*, vel *bolum* aut *gypſum* incoquimus vel *ſcoriam ferri*. Platerus.

44. *Fomentationes ex decocto*) Ut ſuffitus eminus, ſic cominus magis *Fomenta* varia applicata conveniunt, v. g. ex adſtringentibus (niſi menſtruorum aut lochiorum fluxus id impediat) ut rad. *ariſtoloch. rot.* herb. *millefol. alchim. fol. quercus*, *agrimon. plantag. ſanic.* flor. *balauſt. roſ. rubr. cheiri*, *gall. nuc. cupreſſi*, *cortic. granat.* ligni *fraxini*, *ſantâl. rubr. maſtich. thuris*, *thyamem.* & ſim. ſacculo incluſis, & in *aqua ferrar.* vel *vino rubro* decoctis: Ex oleoſis commendanda ſunt *ol. maſtich. cheir. momord. ovorum.* Wedelius.

45. *Injectiones per ſyringam*) Injectiones efficaciter operabuntur ex iis remediis quæ exterius admoventur, quæ componentur ex decocto Fotus aut ſemicupii. *Riverius.*

46. *Et alia*) *Vomitu* uterum ſurſum trahi exiſtimarunt, Verum cum & ille magno conatu perficiatur, non minus atque ſternutatio, premendo eum cum inteſtinis potius propellet: De *cubitu* uterus, quo minus procidat, retinetur, & quamdiu decumbit mulier, maxime ſi corpus non admodum erigat, uterus in corpore manet: Poſtremo per *conceptum* uteri Procidentia etiam cavetur; quamdiu enim uterum mulier geſtat, tamdiu ille prolabi nequit; cum enim ille ſtatim poſt conceptum una cum fœtu augeatur atque increſcat, nedum quidem multo minus quando in molem jam excrevit, ventremque opplet, poterit in ſinum delabi, aut ulterius deſcendere, ſed tamdiu ſubſiſtit, donec, fœtu excluſo, uteroque iterum ſubſidente, priſtinam parvitatem adeptus denuo, uti prius in ſinum colli ſe iterum inſerere poſſit. *Platerus.*

47. *Sed cave menſes*) De adſtringentibus medicamentis, internis & externis, hoc obſervandum, caute eſſe uſurpanda, ſi menſtrua ſtatis periodis adhuc profluant, ne ſupprimantur, & graviora mala inde oriuntur, Tempus autem hujuſmodi remediis magis idoneum eſt ubi fluxus menſium præteriit. *Riverius.*

[48] *Differentiæ* [49] ſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt *propter* [50] *ligamentorum laxitatem*; quæ quatuor habet; [51] quæ ex eo.

Cognoſcitur, quòd ſenſim generetur, & [52] minore cum dolore affligat.

Oritur, vel à [53] partu difficili, [54] onerosâ fœtus geſtatione, [55] vel ab humoris pituitoſi affluxu.

[56] *Curatur*, longo tempore, inprimis in adultioribus, [57] quibus facile repoſitus uterus procidit, Evacuatione [58] humorum. Adſtringentium & roborantium uſu, ut ſunt, *Decoctum muſci querni*, *cornu Cervi*, *foliorum lauri*, [59] Emplaſtrum adſtrictorium. *Magnes* præparatus & appoſitus.

[60] Alia eſt à *ligamentorum ruptione*, quæ ex eo.

Cognoſcitur, quòd ſubitò malum exoriatur, majore cum dolore affligat, & à ſanguinis fluxu interdum excipiatur.

Oritur, [61] vel ab gravi fœtus geſtatione, [62] vel à partu [63] laborioſo, vel ab abortu, vel à violentâ ſecundinæ extractione.

[64] *Curatio* difficillima: imo rupta, ſi malum inveteratum & partes callo obductæ, [65] impoſſibile conſolidare.

Alia eſt *à ligamentorum eroſione*; & *tum* ulceris ſigna adſunt, puris aliquid effluit.

48. *Differentiæ*) *Sumuntur etiam à magnitudine affectus*, Deſcenſus enim uteri ſimpliciter dicitur quando deſcendit in vaginam, neque pudenda egreditur, alias Procidentia uteri vocatur, malum multo gravius: Hæc viſu deprehenditur, ſicuti Deſcenſus digito percipitur, in vaginam intruſo, ſtatim enim occurrit uterus, ejuſque orificium internum; quod pudendo proximum eſt præſertim ſtante muliere *Mauriceau l. 1. c. 22. de morbis Gravid.*

48. *Differentiæ*) *Deſcenſum* matricis vocamus quando ſolum modo prolabitur in vaginam, neque tamen omnino egreditur pudendum; alias enim procidentia aut *præcipitatio* dici debet, malum gravius & periculoſius, quod accidere non ſolet gravidis ob molem uteri, ratione cujus totus procidere non poteſt, at quidem devolvi & relaxari, adeo ut tunc temporis exterius conſpicuus non ſit: Præcipitatio oculis obvia eſt, Deſcenſus digitis exploratur, in vaginam immiſſis, illico enim occurrit uterus, ejuſque orificium internum, pudendo, proximum, ſtante præſertim muliere. *Mauriceau libr. 4. capit. 22.*

Dicitur à Medicis *prolapſus ſinus pudoris*, & fit 2. modis. 1. quando *vagina uteri tota nimis laxata*, aut extenſa foras propendet, quod fit interdum à partu difficili; poſtquam non raro digitos aliquot latos globoſe propendet, & in medio ſui foramen relinquit, quod falſo pro uteri orificio interno habetur: Sic ab alia quacunque cauſa ſi *relaxata* aut *extenſa* fuerit dicta *vagina uterina* facile foras propendere poteſt.

2. Quando *rugæ vaginæ uterinæ* in quadam ſaltem parte *laxatæ*, aut *exeſæ*, aut *eroſæ* nõnihil ſunt, tunc enim à ſanguine, aliiſq; humoribus, in parte relaxata coacervatis, ſucceſſive extra vulvæ labia propẽdet, ut repræſẽtet

corpus amplum, rotundum, anguſto collo annexum, quod collum interius intra ſinum pudoris ſe abſcondit, hoc corpus quandoque capitis infantis quantitatem acquiſivit, imo interdum uſque ad genua propendet; uno alteratum ab aëre externo, vel humoribus, pravum odorem exſpirat, & pondere dolorem infert, congreſſumque impedit. *Etmuller.*

49. *Sumuntur à cauſis*) Sumuntur & à genere, Alia eſt *vera*, alia *ſpuria*, alia *completa*, alia *incompleta* & inæqualis; Alia item major eſt, ita ut ad dimidium coxarum & genua fere devolvatur uterus, alia minor, ut parum extra pudenda promineat: Item alia eſt *cœca* & latens, alia *conſpicua*, alia *ſimplex*, alia *ſcirrhoſa*, alia *ſymptomatibus* ſtipata, Alia *perpetua*, alia *temporaria*, ſeu periodica, Alia *recens*, alia *inveterata*; ſumitur & Differentia à *Parte affecta*, quatenus alia eſt totalis magis, alia *particularis* &c. *Wedelius.*

50. *Ligamentorum laxitatem*) Mulieres hydropicæ conqueruntur plerumque ſimul de procidentia uteri, Inprimis duæ vetulæ ſummam inde patiebantur moleſtiam, ad mortem uſque: In quarum altera vidi propendens uteri corpus, quantum ob vaſtiſſimam tumentis corporis molem licebat; Cum ergo à ſero illo copioſo, intra abdomen p. n. collecto neceſſario laxantur ligamenta uteri, videtur probabile eſſe & laxari ab humore, & protrudi à copia & pondere eandem poſſe, ſicque veram tunc dari poſſe in hydropicis procidentiam, *Thomas Bartholinus Medic. ſept. vol. 2. obſ. 32.*

50. *Alia eſt à ligamentorum*) Cervicis uteri cauſa, præter eam qua ab utero tracta avellitur, etiam ob hanc uteri prolapſus evenire poteſt, Si ille ob vim aliam à ſubjectis ſeparetur, quod forte ob coitum violentum, vel multoties repetitum, in meretricibus per frictionem nimiam, & ſine fine continuatam poteſt contingere: Vel propter corruptionem & putredinem illic collum abſumentem, unde uterum quoque procidiſſe in quadam vidimus: *Platerus.*

50. *Ligamentorum laxitatem*) Ab aliis cauſis quam violenter agentibus, vix dum uteri procidentiam oriri poſſe cenſet *Platerus*, nam quod *relaxationem ligamentorum*, vel, ut alii voluerunt, *muſculorum*, quibus uterum ſuſpenſum retineri putabant, attinet, quam à vi, qua uterum impelli dicimus, vel humore copioſo membranas haſce irrigante proficiſci, uterique procidentiam gignere docent, *Ille*, cum muſculi ejuſmodi nulli ſint, nam liberum eſſe uterum oportuit, & membranas ita comparatas, adeoque laxas, ut & cum uterus procidit, eum ſubſequi poſſint, nec proin adſtrictæ uti eſſe eas, ſi uterum ſuſpendere deberent, oportebat, ab harum relaxatione uteri procidentiam accidere concedere non poteſt; Licet enim præter conſuetam ipſis laxitatem, ſi amplius relaxentur, uteruſque minus firmus retineatur, tamen per ſinum ferri & prolabi, ob hanc remiſſionem ſolam, minime poterit, niſi colli cervicis, unde præcipue uterus ſuſtentatur, alibi expoſita fiat ſeparatio.

Quod *humorem pituitoſum*, vel ſeroſum attinet, unde procidentiam uteri evenire interdum aſſerunt; uti ligamenta uteri irrigando id efficere non poſſe *ille* oſtendit, ſic & hoc inde comprobat, quod hydropicis mulieribus, quibus uterus cum adnatis membranis in aqua ſæpe longo tempore innatat, ille tamen nullo pacto ob eam cauſam prolabatur; Fieri tamen poteſt, ut cervice uteri continuo in fluore uterino humectata, atque ob id laxiore reddita, uterus aliis de cauſis impulſus facilius haſce ſubeat penetretque; cervixque promptius ſubeat atque invertatur. *Platerus.*

Cur vero hydropicis, cum adeo humoribus abundent, non procidat uterus, fieri ait *Primiroſius*, vel quia quæ hujuſmodi putredine ſalſę evadunt; ſicque potius ſiccant quam humectant; Vel quia etſi humor quidam in capacitate uteri vel abdominis abundet, aliarum tamen partium ſubſtantia humore deſtituitur, ut patet, quod contabeſcere ſoleant hydrope laborantes.

51. *Quæ ex eo cognoſcitur*) Si à cauſa primitiva non fiat, veriſimile eſt fieri ab humore plurimo relaxante vincula matricis, ut in ipſius paralyſi contingere poteſt, ſenſim & ſine dolore uterus decidit, præceſſerunt cauſæ relaxantes & humectantes, uterique & totius corporis adeſt humidior conſtitutio. *Primiroſius.*

52. *Minore cum dolore affligat*) Proculdubio à decubitu humorum vaſa æqualiter diſtendente, tonumque fibrarum laxante atque obtundente. *Wedelius.*

53. *Partu difficili*) In partu vel mox poſt partum, ubi omnia diſtenta magis, uterique ſubſtantia ita emollita & plicabilis, ut inſtar ſacci coriacei ſe habeat, adeoque inverſa ad pudenda tunc temporis amplior ad deſcendere valeat; *Wedelius.*

Multum confert Partus antecedens laborioſus, ob nimium matris niſum, & fortem in expellendo irritationem, Vel imperita obſtetricis manus in fœtu & ſecundinis (arcte nimis ac firmiter cum uteri lateribus cohærentibus,) extrahendis, dum validius atque imprudentiùs trahendo uterus ſimul propellitur, elongatur tunc magis, vel quoque ligamenta dirumpuntur, vel interior vaginæ tunica rugoſa ſimul dilaceratur. *Idem.*

53. *Partu difficili, oneroſa fœtus geſtatione*) *Quibus de cauſis præprimis procidere ſolet*: Illud vero mirum eſt, quod conjux N. quotieſcunque concepit, (contra morem alias affectus) procidentiam aliqualem uteri primis ingravidationis ſeptimanis experitur; hinc ſenſim is iterum contrahitur, & extra illum ſtatum nil tale patitur. *Thomas Bartholinus m. d. Sept. vol. 1. obſerv. 32.*

54. *Oneroſa fœtus geſtatione*) Non minimum momentum contribuit fœtus unius, vel gemini tempore geſtationis oneroſioris moles gravior, quæ uterum cum ſuis tenaculis diſtendendo in diſpoſitis ad inferiora detrudat; Evenit etiam aliquando, ut in prægnantibus ipſis uterus deſcendat, & vaginam ſecum abripiat, deorſumque trahat, id quod notabili exemplo docet *Harvæus Exerc. de Partu pag. 5 8.* ipſo fœtu ſic extra corpus geſtato, Idemque à me obſervatum, non procidiſſe fœminæ cuidam uterum niſi geſtationis tempore, Adeoque non implicat contradictionem procidentia uterum laborare, & concipere poſſe, quale quid proculdubio etiam contigit fœminæ apud *Bartholinum cent. 5.* Wedelius.

54. *Oneroſa fœtus geſtatione*) Uteri prolapſus plerumque cauſa eſt relaxatio ligamentorum uteri, præcipue latorum, quorum ope connecti debuit utrinque ad lumbos, ne deorſum procidat, quæ relaxatio cauſam habet aut pondus oneris in illo incluſi, quapropter extenduntur illa ligamenta ultra ſolitum protenduntur; aut caſus graviter uterum concutientes, eoque facilius quo gravius eſt onus; Eo quoque confert inſolitus & vehemens labor, aut partus difficilis graviditatem præſentem præcedens, *Mauriceau.*

55. *Vel ab humoris pituitoſi affluxu*) Relaxantur ligamenta vel pituitæ & excrementorum, quibus ſcatet Uterus perfuſione, aut eo relaxato & quaſi paralytico facto: Propterea pituitoſis, humidis, cruditatibus & catharris obnoxiis magis accidit, ſicut & iis quæ fluore albo tentantur, & ſemoribus, & ex iis quæ ex vitæ inſtituto nudos pedes in frigida conti-

continent, aut in balneis & aquis diu degunt, aut in frigido lapide ſedent, vel aërem frigidiorem excipiunt in puerperio & menſtruis fluentibus. Adde humidiora alimenta, largiorem potum, medicamenta emollientia tam ſumpta quam admota, otium, ſomnum, & alia quæ pituitoſos humores generant; quibus partes irrigatæ uterum amplius ſuſtinere non poſſunt. *Primiroſius.*

Cauſæ procidentiæ Vaginæ uteri, internæ ſunt relaxatio atque emollitio tunicæ rugoſæ in vagina uteri à nimio affluxu aut ſeri, aut ſanguinis, aut *liquoris cervicalis*, aut puris ſimiliumve aliorum humorum: *Joh. Dolæus Encyclop. p. 862.* (qui nullum alium *uteri prolapſum* agnoſcit quam interioris & rugoſæ vaginæ à ſua ſede & loco, quo ſecundum naturam contineri debet extenſionem) Quis autem ſit ille *liquor Cervicalis*, explicat *Mauriceau lib. 1. de Aff. Prægn. & Puerp. c. 6.*

Notandum eſt, *ait*, toto in vaginæ ductu, aut cervicis uteri, adeſſe plurimos exiguos poros, quorum maxime evidentes reperiuntur circa pudendum, qua in parte ſubſtantia prædictæ vaginæ maxime craſſa eſt & ſpongioſa, præſertim circa collum veſicæ, in ambitu meatus urinarii; E quibus porulis continua fit exſudatio ſeroſæ cujuſdam pituitæ, humectantis univerſum cervicis iſtius partem internam; quo meatus ille continuo pateat; qui humor tanta copia exprimitur & effluit in concubitu, à partis iſtius conſtrictione, ut vulgo haberi ſoleat pro muliebri ſemine, etiamſi revera ſemen non ſit: Propter abundantiam iſtius humoris (qui tempore coitus ubertim ſemper elabitur, vel eo peracto) *Ariſtoteles* cenſuit mulierem nullum ſemen ad generationem conferre, at ſolum ſanguinem menſtruum, &c. Id vero hic ſingulare eſt, quod meo judicio, ille humor, quem copioſe effluere obſervamus in mulieribus gonorrhœa affectis, tum ſimplicibus tum virulentis, procuidubio non ex ipſo uteri corpore profluit (quæ vulgari eſt opinio) ſed ex partibus collo veſicæ circumſitis, & ſpongioſa illa vaginæ ſubſtantia, quæ utcunque in mulieribus vices tenet proſtatarum glandularum virilium; quapropter tunc temporis mulieres his in locis gravius afficiuntur, quam in ipſa uteri ſubſtantia: E qua fluor albus quidem prodit, non prædictæ gonorrhœæ ſpecies: Id quod hoc ſigno luculenter deprehenditur (quo ambo hi affectus præciſe ab invicem diſcriminantur) quod videlicet humor qui per gonorrhœam elabitur, etiam menſtruo ſanguinis fluxus tempore apparet; id quod neutiquam in fluore muliebri contingit, qui tunc temporis ſupprimitur, quippe cum humor hic ex iiſdem vaſis exſudare ſoleat, quæ menſtruum ſanguinem eructare ſolent ex propria uteri ſubſtantia emanantem; unde manifeſtum fit, utrumque affectum diſtinctas ſedes affectas agnoſcere.

55. *Humoris affluxu*) Cauſæ utplurimum ſunt internæ ſubinde poſt *uteri hæmorrhagias nimias*, poſt *uteri fluorem album*, diuturnum inſequitur, dum laxatis rugis & fibris vaginæ uterinæ, ex altera parte tumor & laxitas ſupervenit, donec ſucci coacervati corrupti *acorem vitioſum* concipiendo dictas partes in ulcera vertant. *Etmuller.*

Procidit etiam ob relaxationem factam ex frequenti & diuturna mora in aquis: Novi pagum in Provincia, in quo omnes fere mulieres uteri procidentia laborant, & tamen concipiunt. *Rondeletius cap. 70. Pr.*

55. *Humoris pituitoſi affluxu*) Peccant humores vitioſi tum *ſubſtantia*, ſi nimis tenues & ſeroſi ſint, tum *quantitate*, collecti ibi per συναθροισμὸν, & ſtagnantes, Confirmante id ipſum in vera uteri procidentia, tumore pendulo ſenſim atque ſenſim adaucto, tum denique *qualitate & motu*, quando ſcilicet vel unctuoſi valde, (ut in obeſis,) & pituitoſi, vel acres, mordaces ſunt ac ſtimulantes, quorum illi ſubſiſtendo laxant villos quibus inhærent; *hi* ſtimulant & ad exitum invitant; Uterus namque ab acri aliqua materia ad expulſionem vehementer exſtimulatus, non ſolum delabitur, ſed etiam (inſtar recti inteſtini à teneſmo moleſtante irritanti) ſeipſum foras præcipitat, quæ ſunt verba *Harvæi Exerc. de Partu, p. 528.* ubi & exempla proponit, Irritatio hæc tenſiva eſt fibras tamen laxiores ſupponens, neque enim quævis irritatio id præſtat, ſed divulſoria quaſi ſimul, & reliquis conſentientibus. *Wedelius.*

56. *Curatur*) Quando ab humidiore vinculorum & uteri intemperie affectus proficiſcitur, aut ab humoris pituitoſi copia.

Victus ratio tenuis ſit & exſiccans, vitatis ſemper humidis & exſiccantibus; ut *juſculis*, *balneis*, *pedum lotionibus*, *aëre frigido & humido*, *paludibus*, *fluviis & locis uliginoſis*, vicino: Sed contra aër ſit calidior & ſiccior, & ibi calidi & ſicci, adſtringentes, euchymi, potius aſſi quam elixi, minime craſſi aut flatulenti: *Potus* ſit *decoctum cinnam.* bochetum ex *ligno S. china*, vel vinum *aqua chalyb.* aut decocto *coriandri* dilutum; In ſumma contineantur corporis & animi quiete; Coitus nocet, niſi ex ſummo illius deſiderio uterus procidat, ut ſcribit *Ariſtot. 2. h. a. c. 2.* Alvus ſit lubrica, nam fæcibus retentis uterus minus facile reponitur, inteſtina enim ſtercore tumida locum utero non faciunt, eumque magis expellunt; tum etiam in expellendis excrementis conatus uterum ad inferiora magis comprimit.

Reſtituto autem utero, non ſunt Clyſteres injiciendi ex *Hippocr.* ne pars magis relaxetur & humectetur: Si plethora adfuerit, menſium ſuppreſſio, aut inſignis hæmorrhagia, venam ſecare optimum erit: In copia vero pituitoſorum humorum, utendum phlegmagogis, quæ facile alvum dejiciunt & ſine magno conatu, quia dum magna contentione redduntur excrementa, etiam uterus procidit, aut etiam decurrentibus humiditatibus irrigatur & impletur: Tales ſunt *Pilul. de hiera de agar. aggregat. indæ, cochia.*

Vomitio frequens multo utilior quibuſdam videtur, quia non ſolum pituitam vacuat, ſed etiam uterum ſurſum trahit; Sed tamen præparandi prius ſunt humores iis quæ pituitam & uterum ſimul reſpiciunt: Purgato corpore etiam conveniunt roborantia, & quæ ſenſibiliter per ſudores, aut inſenſibiliter per halitum corpus exſiccant, ut ſunt *thermæ*, *laconica*, *decoctum ſudorificum*, ex *guaiaco* & ſaſſafras; fotus vel ſemicopia ex *ſalvia*, *origano*, *majorana*, *thymo*, *matricaria*, *tanaceto*, *abſinth. ruta*, *cypero*, *calamo aromat.* decoctis in *aqua fabr.* & ſimilia. *Primiroſius.*

Cauſæ antecedenti occurrendum eſt, iis quæ humores pituitoſos uteri ligamenta relaxantes evacuare & diſcutere valent.

Purgationes perturbantes non ſint & violentæ: Nonnulli *vomitum* probant, quod humorum fiat revulſio ad ſuperiora, ſed alia ratione eſt metuendus, quod ſcil. magno conatu perficiatur, & non minus quam ſternutatio uterum propellat, Imo vero docuit experientia, nihil eſſe efficacius ad partum difficilem, & fœtum cito excludendum quam vomitorium exhibitum. *Riverius.*

57. *Quibus facile repoſitus*) Ut à Procidentia, quæ facile iterum recurrit, fœmina ſecura ſit, aut ſi nulla perfectæ curationis ſpes ſit, *Subligaculum* adhibendum, quod vulgo *zona Hippocratis* nominatur: Hoc enim muniuntur mulieres

ſine prolapſus periculo ambulare, & munia quotidiana exercere poſſunt, Tum uterus ab externo frigore defenditur: Paratur autem ad eum fere modum quo faſciæ ad Herniam parari ſolent; *Riverius.*

58. *Evacuatione humorum*) Quibus etiam averſio debetur ac revulſio, quæ obtinetur per *diaphoretica*, humores divertentia, diſſipantia, & excutientia, quod præſtant, tum volatilia, tum fixa alkalina, cum nervinis uterinis ſociata, Talia ſunt *liquor c. c. ſuccinatus, ſpir. ebor. ſalis armon. aniſatus, caſtorin. ſpir. lignor. Tinctura bezoart. antimon. diaphor. bezoart. martiale, cachect. ebur ſine igne c. c. uſtum cinnabar. antimon. & nat. conchæ præpar. ſuccin. præpar. oculi cancr. & ſimil.* Egregie proſunt *decocta lignor. ex rad. china, ſalſapar. ligni ſ. ſaſſafras, cortic. eorundem, ſantal. rub. & flavi* blande exſiccandi ſcopo, atque affluxum humorum inhibendi, additis ſubinde ſpecificis carminativis & uterinis.

Porro ad refrænandam & imminuendam ſeroſam humorum colluviem, *Diuretica*, quoque excludenda non ſunt inprimis, quando hypochondriacæ affectionis, aliarumque obſtructionum, ut ſæpe fit, adſunt indicia, Hæc enim non modo ſerum ad ϛάσιν inclinans ex vaſis propellunt, ut in ordinem redeat, & alveis ſuis vectum locis debitis exitum inveniat, ſed etiam urinam ſubinde in veſica reſtitantem, archeum ejuſdem ſtimulando, provocant, Ejuſmodi poſſunt eſſe omnia *ex ſuccino* parata, *tinctura tartari, antim. tartariſata, malvat. juniper. balſam. ſulph. ſuccin. terebinth. arcanum tartari, ſuccin. tartari, & inprimis lap. 69.* præter virtutem eximiam diureticam, ſingularem vim vulnerariam poſſidentes, quo nomine & *herniaria* celeberrima eſt. *Wedelius.*

59. *Emplaſtrum adſtrictorium*) Quæ, ut & Linimenta, hic etiam conveniunt, qualia in fluxu menſium immodico, Fluore albo & abortu proponuntur.

60. *A Ligamentorum ruptione*) Et præceſſerunt in corpore alias ſano cauſæ diſrumpentes: Sin vero ob putredinem & corruptelam fiat, effluit ſanies virulenta, præceſſit febricula quædam, & uterus ſæpe ſuo loco repoſitus iterum procidit. *Primiroſius.*

60. *Ligamentorum ruptione*) *Membranarum* diſruptionem quoque procidentiam uteri efficere aliqui ſtatuerunt, ſed hanc cauſam eſſe non poſſe, vel hoc oſtendit, quod in muliere quadam, cui has membranas putredine prorſus abſumptas fuiſſe ſectio poſt mortem patefacit, diuque ante obitum hoc factum fuiſſe effluxus præcedens ſaniei fœtentis & putris comprobavit, uterus minime à ſua ſede receſſerit, ſed firmus & ſtabilis permanſerit. *Platerus.*

61. *Oritur vel à gravi*) *Ruptio* à cauſis fit violentis, contundentibus & concutientibus, ut cum imprudentis obſtetricis temeritas uterum cum ſecundinis arctius adhærentibus detrahit, Caſus ab alto, ſi mulier in lumborum vertebras decidat; rumpuntur enim membranæ uterum connectentes, unde ipſum labi neceſſe eſt, Eadem ratione ex ictu, gravioris oneris geſtatione, vehementi motu, curſu, ſaltu, tuſſi, ſpiritus compreſſione, vociferatione, magno in excrementis reddendis conatu, vincula rumpi poſſunt; Sternutatio quoque idem præſtare poteſt, tanta enim tunc fit compreſſio ut ad uterum repellendum in ſuffocatione hyſterica & ſecundinam excludendam nil æque valeat: vehementior quoque interdum pariendi conatus addi poteſt, quo uterus fœtum, forſan etiam graviorem, tanto cum impetu excludere nititur, ut illum conſequatur, ſeque ipſum præcipitet; ſicut & difficilis partus, & moleſta plurium fœtuum geſtatio, frequens cucurbitularum admotio in femoribus, violenter uterum detrudere poſſunt, præſertim in illis quæ ſunt debiliores & frequentes aborſus paſſæ ſunt. *Primiroſius.*

In conatu vehementi uteri ad expellendum aliquid ſibi moleſtum, ut fœtuum mortuum, molam aut ſecundinam, tunc id contingit utero, docente *Gal. 3. de fac. nat.* quod duobus athletis cum ſeſe mutuo dejicere conantur, uterque in terram prolabitur.

61. *Vel à partu laborioſo*) Hunc conſtat fieri matris vel fœtus cauſa, ubi ob horum immodicos conatus uteri retinacula nimium intenta rareſcunt & rumpuntur, uti hoc non inconvenienter exemplo luctatorum explicari poſſe videtur, ubi dum alter alterum proſternere conatur, ipſe quoque concidit. *Wedelius*

62. *Oritur vel à partu*) Etſi ab hoc, ſimilibuſque cauſis rumpi poſſint ligamenta, tamen etiam abſque illorum ruptione, ex ſola diſtenſione prolabi uterus poteſt; nam ſi rumperentur, vix poſſet uterus in priſtinum ſtatum reſtitui, nam difficilis partus, frequens uteri geſtatio & gravis, aliaque ejuſmodi, etiamſi non frangant, ſed ligamenta ſolum diſtendant, uterum poſſunt pervertere; ſunt enim ligamenta natura ſatis laxa & ſequacia, ut prolabentem uterum ſubſequi poſſint; unde animi pathemata, ira, terror, rei ingratæ repentina denuntiatio, magna coëundi libido, ſine ruptione affectum etiam hunc facere poſſunt. *Primiroſius.*

63. *A partu laborioſo*) Pellitur uterus deorſum maxime ab eo conatu quem in partu mulier adhibet; ſi præſertim is ob difficultatem pariendi magna vi peragatur, uteruſque cum fœtu in ſinum cervicis nimium detruditur; eoque citius ſi & fœtus cum difficultate per anguſtias illas tranſiens, cervicem valide etiam impellat, & ſic quoque à connexu liberetur: Vel ſi *ſecundina* adhærens adhuc utero, ab obſtetrice ita trahatur ut, & uterus cum ea in ſinum feratur, cervixque ſimul detrahatur; Quorum cauſa & frequentius poſt partum uteri procidentia ſolet contingere, illiſque mulieribus quæ crebro pepererunt, atque ejuſmodi vim ſæpe paſſæ ſunt, tandem hoc vitium vel mox vel jam ſeneſcentibus ſupervenire. *Platerus.*

64. *Curatio difficillima*) Quin & impoſſibilis cum pars quæ decidit, putruit & gangræna corripitur, Tunc placet *Paulo, Aetio*, &c. ut pars amputetur: Poſſe autem innoxie uterum adimi oſtendit *Roſſetus: Platerus* l. 3. p. 7. 8. habet hiſtoriam mulieris cui uterus corruptus ablatus, menſtruis poſtea per podicem conſtanter fluentibus. *Primiroſius.*

65. *Impoſſibile conſolidare*) Ideo *palliativa* ſolum cura uſurpanda, quæ non quidem glutinatio & conſolidatio, attamen retentio uteri in ſua ſede præſtari queat, Perficitur iis rebus quæ utero remoram injiciunt, eumque impediunt, quo minus foras cadere poſſit, Tales ſunt *ſubligacula*, qualia hernioſis parari ſolent, *Peſſaria, circuli, globi*, ſive pilæ, ea magnitudine ut citra dolorem effatu dignum, citraq; læſionem aliquam in uterum immitti, rurſuſque ex illo extrahi queant. *Sebiſius.*

Vide Chirurgiam.

Diæta.

Aër ſit temperatus, purus, magis ad ſiccitatem vergens; cibi ſint εὔχυμοι & εὔπεπτοι: vitentur duriores, viſcidi, flatulenti; *vini* præprimis rubri moderatus uſus non nocet; *Somnus* nimius proſcribendus, qui ſeroſitates cumulat; *Motus* vehementia omni ſtudio fugiatur, & *Quies* cordi habeatur; *Alvus* teneatur aperta, ne magno in excutiendis ſcybalis conamine opus habeat; & prolapſum cauſetur. *Venus* moderata non incommoda cenſetur, iis etiam quæ peſſariis utuntur, non obſtantibus quo minus fœmina concipiat, conceptumque retineat, utero gerat, & pariat, cujus rei extant exempla: Immoderata malum facile accefcere poteſt. *Animi pathemata* rationis frænum moderetur. *Wedelius.*

CAP.

Cap. XII.

De Vteri Adſcenſu, Vulneribus & Vlceribus.

I. *VTerum è ſuo loco* [2] *verſus ſuperiora & uſque ad ventriculum poſſe aſcendere,* [3] *quorundam eſt opinio; ſed falſa. Nam.*

1. Ligamentis quatuor ita connectitur, ut ſurſum moveri nullo modo poſſit.

2. Etſi naturalem motum per fibras habeat; tamen quia & recto inteſtino & pudendis annexus eſt, ſi animalem haberet, neceſſariò & illæ partes tenderentur.

3. Etſi à flatibus, ut ſuperiùs dictum, intumeſcat: tamen non ſequitur exinde, eum ſurſum moveri. Quod verò fœminæ interdum corpus & [5] globum quaſi circa umbilici regionem oberrantem ſentiunt; dicendum eſt, teſtes potiùs & vas illud cæcum eſſe, quam ipſum uterum. Cauſa hujus in ſuffocatione uteri [6] exponetur.

II. De *Vulneribus uteri* nota.

1. Difficulter uterum vulnerari; quia undique oſſibus obſeptus eſt; vulnerari tamen aliquando vel ſponte, ut in partu Cæſareo; vel caſu: [8] rumpi & in partu quandoque.

2. Si vulneratur, cognoſci id ex ſitu, dolore & pure, quod effluit.

3. Curari poſſe, quod ex partu Cæſareo apparet, [9] ſed propter partis cum aliis membris conſenſum periculoſa eſſe.

4. Vel [10] uteri fundo accidere, & tum dolor eſt minor, curatio facilior, vel cervici, & tum dolor eſt major, curatio difficilior, quod illa ſit magis membranoſa & continuò humiditatibus ſcatear.

[1] *Vterum è ſuo loco*) Vagabundos & errantes uteri motus Practici tradunt quatuor, 1. eſt *ἀναῤῥοπία*, *aſcenſus*, *καταῤῥοπία*, deſcenſus, 3. *περισπασμὸς, καὶ διαστροφὴ*, convulſio, cum is in alterutrum inguen contorquetur, alias *Inclinatio ad latus*, 4. *πρόπτωσις*, *procidentia*, ſive *prolapſus*, qui *deſcenſu* eſt gravior.

Aſcenſum & Deſcenſum concedunt *Hippocr. Fernelius*, & alii: Addit hic aſcenſum deſcenſumque iis potiſſimum accidere, quorum ligamenta uterina ſunt laxiora; Sic namque irritatus, uterus ſurſum, deorſum, aut in alterutrum inguen facile moveri poteſt; Irritari vero illum ait, vel à re interna quam in ſe contineat, vel ab externa, laceſſitum autem, & quaſi ſuccenſentem, de propria ſede ſecedere, & alias in aliam partem oberrare, ut quod eſt infenſum fugiat, quod gratum ſequatur.

Galenus 6. loc. affect. cap. 5. concedit quidem uteri motum exiguum, ſed quod totus locum ſuum mutet inficiatur, quia locis vicinis per ſua ligamenta valide ſit annexus; Oberrationis autem cauſam eſſe dicit tenſionem vaſorum & ligamentorum uteri, ob repletionem, inductam à menſium ſuppreſſione, probatque ex *aphor. 39. 6.* ubi *Hippocr.* convulſionem fieri ait vel à repletione, vel ab inanitione, Ideoque & iſtam uteri convulſionem, ſeu tractionem, fieri credit propterea, quod ob repletionem vaſa & ligamenta uteri evadant craſſiora, ideoque breviora: Talia autem facta uterum ſurſum trahere autumat, cum ſcil. ſuperiora magis fuerint repleta atque tenſa, Vel eundem convellere ad latus dextrum, aut ſiniſtrum, prout in alterutro latere repletio fuerit major, vel etiam ducere deorſum, cum inferiora tenſa tractave ſunt.

Recentiores, nonnulli *Galeno* catenus ſubſcribunt, quatenus dicit uterum quidem moveri, verum non uſque ad diaphragma, hepar, aut ventriculum, eo quod undique vicinis partibus ſit alligatus, ut libere moveri & tam alte aſcendere nequeat, Concedunt igitur utero aliquem motum, ſed non adeo ſublimem; Cauſam autem alii aliam proponunt.

Quidam arbitrantur uterum per ſe non moveri, ſed ab aliis trahi aut pelli; hocque in affectu uterum inflari, & ligamenta à copioſis flatibus repleta ob levitatem aſcendere, inter inteſtina ſe inſinuare, & ventriculum ac diaphragma petere; Largiuntur iidem uterum una cum teſtibus & vaſis locum mutare, & non ſolum extra pudenda cadere, ſed etiam aſcendere, ſic diaphragma ac hepar comprimere, unde ſuffocationis ſenſus.

At nòn patet à qua cauſa uterus ſurſum trahatur aut impellatur: Si dicas à flatibus, atqui in uteri inflatione magna eſt flatuum copia, neque tamen uterus aſcendit; diſtenditur quidem, & mole fit major, ſed ad ſuperiora non aſcendit: Prætereà, ſi aſcenſus cauſa eſt uteri laxitas, ratione flatuum, quæ cauſa erit ejuſdem deſcenſus? flatus enim, qui leves, minime deſcendunt: Adde quod fieri nequit, ut ligamenta flatibus impleantur, ſuprema namq; duo, quibus uterus oſſibus ilium alligatur, lata ſunt & membranoſa, expanſa, nulla cavitate prædita, in qua diſſipabilia, & hinc inde errantia illa corpora flatuoſa contineri queant: Interna vero duo ſunt proceſſus nervei, ſeu membranoſi, ſimiliter ſenſibilis cavitatis expertia: quare flatibus eum in modum impleri nequeunt ut illorum cauſa uterus ſurſum moveatur; quinimo uterum in loco inferiore detinere potius videatur; prodeunt quippe à lateribus uteri, aſcenduntque ad inguina, inter duplicem peritonæi tunicam, eo modo quo vaſa ſpermatica virorum feruntur, & tendines muſculorum obliquorum pertranſeunt, ac circa pubem in pinguedine ad pubis latera finiunt.

Quidam motum quidem naturalem uteri concedunt, localem autem negant, quouſque ad hepar & diaphragmais aſcendere dicitur; eo quod non ſolum quatuor ligamentis ſua in ſede firmari, ſed etiam membranoſis quibuſdam vinculis, à peritonæo enatis, recto inteſtino, lumbis, oſſi ſacro, veſicæ, & oſſibus pubis connecti, Addunt, Si uteri corpus verſus ſuperiora moveretur, fieri non poſſe, quin partes iſtæ, quibus alligatus eſt uterus, valde tenderentur, ac convellerentur, hancque obtenſionem dolor in illis excitaretur, quem tamen in laborantibus mulieribus non obſervari aſſeverant.

Nos arbitramur motũ uteri negari non poſſe, *Deſceſum* percipiunt obſtetrices, uterus enim pudendo obvius eſt, ut manu tangi poſſit, Laborantes, ſi erectæ ſteterint,

inquit Fernelius, gravitatis pondus in pudendum incumbere ſentiunt, ſi vero vel ſederint, vel ſupinæ jacuerint, vel alvum exonerarint, quaſi onere premi rectum inteſtinum ſentiunt, Sin jacuerint pronæ, urinæ difficultatem patiuntur.

Aſcenſum vero Medicis & obſtetricibus palpandum offerunt; conqueruntur enim de *globoſo quodam corpore*, quod in abdomine ſurſum ſe movere, aiunt, Et poteſt idem manu deprehendi; quoniam uterus deprimitur & manifeſto in propriam ſedem propellitur. Ex hoc motu animadvertunt mulierculæ quendam hypochondriorum dolorem, dyſpnœam, at ſine metu, ſine dolore, aut aliis gravioribus ſymptomatis, qualia in ſuffocatione ab utero obtingunt: minime vero credimus uterum ad hepar uſque & diaphragma aſcendere, eaque membra immediate attingere ac premere; ſed exiſtimamus aſcendere leviter, premere inteſtina, eorumque interventu partes etiam iſtas minus affligere, nam cum undique partibus vicinis alligatus ſit ſui inferiore portione, haud locum ſuum totaliter mutare poſſe putamus.

Obſervamus in partibus aliis vehementes & violentos quandoq; motus, cerebro, Pulmonibus, ventriculo, &c. quid ergo de validiore motu uteri dubitemus? cum conſtet eum parturientes quandoque ita urgere, & ad enixum impellere, ut quieſcere illas non ſinat, donec fœtum excluſerit. Nec obſtant ligamenta, ſiquidem illa, cum pleraque membranoſa ſint, laxari atque extendi, motumque uteri permittere.

Nec urget quod dicunt, neceſſe ut tenſa ligamenta doleant, cum tamen nullum dolorem ægræ ſentiant, hoc enim falſum eſſe ægræ confitentur, nam quo fortior validiorque eſt ligamentorum extenſio, eo magis quoque dolent, ſenſibilia quippe.

Obnoxiæ vero maxime ſunt illæ, quibus ligamenta uterina laxiora ſunt, & magis extenſibilia, in his enim quoties uterus irritatur, diverſimode ſeſe contorquet, laxiora autem fiunt variis à cauſis: Cauſa impulſiva ad hoſce motus, vel in utero conſiſtit, vapor aliquis aut humor. Vel extra uterum, hic enim naturali antipathia quadam averſatur. *Sebiſius man. p. 1508.*

1. *E ſuo loco verſus ſuperiora)* Id quod olim credebatur *uterum aſcendere*, omnino commentitium eſt: Porro *Uteri dislocatio* puerperis mox à partu interdum contingit, ſcil. cum uteri corpus capacius factum, & recens inanitum, non recto in loco, intra pelvim ſubſidet, verum ſuperius ad latus illi modo dextrum, modo ſiniſtrum declinat, ibidemque inſtar marſupii conſtricti in molem ingentem complicatur: Cujuſmodi moles juxta inguinis latus diu permanens, fœtus alterius, aut ſecundinæ relictæ, aut etiam tumoris ſcirrhoſi illic accreſcentis ſuſpicionem inferre ſolet: poſtea tamen, cum lochiis copioſe fluentibus, uterus ad debitam magnitudinem redigitur, tumor iſte ſenſim evaneſcit: Atqui dum illic perſiſtit, niſi forſan lochia propterea ſiſtantur, paſſiones hyſtericas minime producit: Huic parti in debitam poſitionem citius reducendæ, Fotus, Linimenta & Emplaſtra bene conducunt; Sæpiſſime tamen ſymptoma illud ſine ulteriori noxa ſponte evaneſcit. *Willis de morb. conv. c. 10.*

2. *Poſſe aſcendere)* Quidam uteri aſcenſum ad partes ſuperiores, quo ventriculus ac diaphragma comprimitur, ſuffocationis hyſtericæ, aliorumque ſymptomatum cauſam ſtatuunt: Hunc uteri aſcenſum propoſuit *Hippocrates* l. de N. m. his verbis. *Converſi uteri impetunt hepar; & ad præcordia irruunt, ſurſum enim ad humiditatem feruntur, à labore nimium reſiccati: Hepar autem gratioſi humoris fons eſt.*

Fernelius *vero lib. 6. Patholog.* cap. 16. hunc uteri aſcenſum ſe frequenter tactu deprehendiſſe affirmat, eumque inſtar globi cujuſdam in ventriculum elatum, ac graviter opprimentem, unde ſæpe manu depreſſus eſt, manifeſteque in propriam ſedem propulſus: Idem teſtatur *Euſt. Rudius lib. 2. Practic. cap. 51.* ſe nimirum propriis manibus uterum ipſum ad umbilicum, & nonnunquam ſupra ipſum elevatum contrectaviſſe, & in propriam ſedem paulatim propellendo deduxiſſe, (*Et huic ſententiæ aſſenſum præbere coactus fui, etſi contrariam ante rationem momentis evictus amplecti coactus fuerim) poſtquam in uxore mea (non quidem hyſtericis pathematis afflicta, quibus nunquam obnoxia vixit) ſed gravida, non ſemel, ſed multoties, uterum cum fœtu ad umbilicum uſque, & ultra, una cum fœtu perductum manibus palpavi, ſi quando jejunio illa indulgeret, inſigni enim cibi faſtidio ad octavum uſque menſem premebatur; Tunc temporis famelicus fœtus ad gratioſi humoris fontem ferebatur, ut ait Hippocrat. ſemper enim tumor ad dextrum latus vergebat, & umbilico elatius, adeo ut per jocum diceret uxor, vereri ſe ne, (quod verecundæ matres infantibus quærentibus viam per quam hi in lucem prodeunt, per aures aut os reſpondent exitum affectaret: In unaquaque autem uteri geſtatione, (prolifica enim fuit) fœtus umbilicalem* potius, quàm *hypogaſtricam regionem, occupavit.*

Galenus vero *6. de loc. aff. 5.* hanc ſententiam oppugnat, docetque, etſi uterus aliquomodo moveri poſſit, atque aſcendere, id tamen perexiguum eſſe, neque fieri ullomodo poſſe, ut uterus uſque ad Ventriculum aſcendat, tantum abeſt, ut illum prætereundo ad ſeptum tranſverſum pertingere poſſit.

Ratio firmiſſima ex Anatome petitur, ſiquidem uterus quatuor validiſſimis ligamentis in ſua ſede ita firmatur, ut ſurſum tanto ſpatio attolli minime valeat; Ad hanc tamen reſpondent hujus opinionis defenſores, In procidentia uteri ligamenta ita laxari, ut extra pudenda prodire ſoleat, atque adeo quantum deſcendit ad inferiora, tantum poſſe aſcendere ad ſuperiora, ligamentis ita relaxatis.

Reſpondemus uteri procidentiam fieri paulatim & longiſſimo tempore, per emollitionem & relaxationem ligamentorum, à diuturno humoris pituitoſi defluxu excitatam. Uteri vero Aſcenſum quem vocant, fieri in momento, & citiſſime reſtitui ac ceſſare, & omnino neceſſarium foret relaxata fuiſſe illa ligamenta, atque adeo uteri prolapſu laborarent omnes mulieres quæ huic aſcenſui obnoxiæ eſſent, quandoquidem ceſſantibus cauſis quæ illum aſcenſum promovere poſſunt, ſponte & proprio pondere uterus ad inferiora prorueret & continua procidentia laboraret, Difficilius eſt reſpondere autopſiæ à *Fernelio*, *Rudio* aliiſque propoſitæ, qui ſe manu propria uterum percepiſſe ajunt, globi inſtar ad umbilicum & ulterius aſcendentem, & compreſſione ad ſuum locum propulſum; Ad hoc reſpondet *Sennertus* corpus illud quod tactu deprehenditur, non ipſum uterum eſſe, ſed Teſtes, & vas illud cœcum quod *Tuba Fallopiana* dicitur, à *Fallopio* inventore; qui id Tubæ extremo orificio comparavit: Cum enim Teſtes uteri ſint penduli, & corpus Tubæ fiſtuloſum, laxum, & vagum, dum ſemine corrupto, & humoribus vitioſis ac flatibus replentur & turgeſcunt, hinc inde per hypogaſtrium moveri, & ad umbilicum uſque aſcendere poſſunt: Talem autem tumorem rotundum in teſtibus & tuba uteri poſſe contingere, qualis interdum in fœminis depre-

deprehenditur, docere poteſt *Riolani* obſervatio *Anthropogr.* ubi refert ſe in hyſtericis virginibus teſtes deprehendiſſe pugno grandiores, ſeroſo ſemine turgentes, quinetiam Tubam uteri amplificatam & valde diſtentam.

Veſalius vero ſimile quidpiam obſervavit in Nobili puella, uteri ſtrangulatu laborante, in qua alter teſtis inſtar majuſculæ pilæ protuberabat, croceo humore, ſimulque graviſſime olente, ac venenoſum quid ac tetrum ſpirante refertur, qui humor conterminas ſedes tingebat, non ſecus ac colon inteſtinum, qua ſub jecore fertur, in cyſtide fellea luteum reddi cernimus.

Verum non valde recedit *Sennertus* à prædictorum ſententia, poſito enim quod ille aſſerit, teſtes & tubam uteri, dum ſemine corrupto, & humoribus vitioſis ac flatibus replentur & turgeſcunt, per hypogaſtrium hinc inde moveri, & ad umbilicum uſque aſcendere poſſe, cum partes illæ utero ſint contiguæ, per hypogaſtrium & ad ipſum umbilicum moveri nequeunt, quin uterus ſimul moveatur, atque adeo toti utero ex partibus ſuis integrantibus eique connexis compoſito, motus hic facile tribui poteſt: Deinde ſi teſtes & tuba uteri dum vitioſis humoribus & flatibus replentur, varie commoveri poſſunt, quidni etiam uterus iiſdem humoribus aut flatibus refertur, iiſdem flatibus cieri poterit? Convincit quidem ratio Sennerti.

Galeno mutuata, Vterum quatuor ligamentis conſtrictum ad diaphragma non poſſe conſcendere, imo ne quidem ad ventriculum, ſed ad umbilicum uſque proferri poſſe, ubi authores prædicti globum illum perceperunt, negandum non eſt, tum quia ligamenta illa aliquantulum extendi poſſunt, à Materia turgente, tum quia uterus dum inflatur, locum ampliorem occupat, & verſus umbilicum percipi poteſt, Sive igitur totus uterus, ſive partes illi adnexæ, nimirum teſtes & tubæ ſurſum moveantur, ſemper aſcenſum uteri nominare poſſumus, & doctrinæ *Hippocratis* inhærere. *Riverius.*

3. *Quorundam eſt opinio, ſed falſa*) Videtur uterus potius aſcendere quam ut aſcendat revera, licet is ſi gravem & ferocientem fermentationem conceperit, valde intumeſcere, & inquietudinis moleſtiam, aut anxietatem inſignem hinc afferre ſoleat, adeo ut mulieres quaſi globum circa umbilicalem regionem ſe ſentire oberrantem conquerantur; Vterum itaque è ſuo loco verſus ſuperna & ad ventriculum uſque aſcendere poſſe abſurda & anatomicis fundamentis contradicens, atque nequaquam conformis eſt opinio. *Chr. Langius Pathol. Anim. c. 61.*

At ſi ſenſibus fides adhibenda.

qui niſi ſint veri oratio quoque falſa ſit omnis,

Si oculis & tactui non deroganda, uterum aſcendere & ad latera moveri certum eſt, non in affectu ſolû hyſterico, ſed etiam in gravidis, cum famelicus eſt fœtus; Contrarium credant ij quibus nullum, vel rarum cum mulieribus commercium, ἐκ βιβλῶ κυβερνῆ͂ας; Id tam manifeſte deprehendi in uxore mea gravida, præſertim cum fœtus vividos geſtaret; ut cum faſtidio alimentorum laboraret, ad partum uſque fere, ab iiſque abſtineret, fœtus aſſurgeret ultra umbilici regionem, calcitratu & rumore, etiam per veſtes moleſtiam ex inedia demonſtrans illi; Vix autem aſſumpto à matre cibo, natalem locum repetebat, nequaquam importunus; donec nova neceſſitate urgere, ad ἰκμαλέων gratioſi humoris fontem, ut *Hippocrates* loquitur recurreret: Oculis etiam & manibus meis oculatis credo: Matronarum præterea aliquot teſtimonium proferre poſſum.

4. *Nam 1.*) *Adde his rationibus*, quod uterus adeo parvus eſt (quippe qui non excedit ovi gallinacei parvi magnitudinem) ut ſe eouſque extendere nequeat, licet vel violenta manuum vi ad diaphragma protraderetur, vel in tenuiſſimam membranam per ſummam extenſionem attenuaretur: ij. In apertis cadaveribus earum quæ hyſterica paſſione extinctæ fuerunt, (diſſecui enim experiendi gratia varias) uterum nec detumuiſſe, nec ullo modo è ſede ſua dimotum fuiſſe (quamvis in vita, atque etiam inſtante jam morte, de ejus aſcenſu uſque ad diaphragma & fauces magnæ ac continuæ fuiſſent querelæ) multoties vidi; imò in dicta affectione raro vitium aliquod in utero, ſed plerumque in alterútro vel utroque teſte inveni. iij. In gravidis nonnunquam contingit hyſterica præfocatio, in quibus tamen uterum, una cum incluſo fœtu, uſque ad diaphragma aut fauces aſcendere, nemo ſanus dixerit. *De Diemerbroeck Anatom. l. 1. c. 24.*

5. *Globum quaſi*) Globus qui in ventre inferiore ſentitur uſque ad ventriculum aſcendere, ille non eſt uterus; neque enim (quod tamen putat *Riolanus*) ſunt teſtes & tubæ uteri à putreſcente ſemine turgeſcentes; & orgaſmo atque impetu, huc illuc violenter agitatæ (hæ enim partes neque tantam laxitatem, neque tantam magnitudinem habent ut ſupra umbilicum aſcendere & magnitudinis ovi gallinacei aut anſerini ibi ſentiri poſſint) ſed ſunt inteſtina quæ à maligno & acri vapore ex utero vel teſtibus elevato (ſicut interdum in epilepſia acris malignus vapor è pollice pedis ad caput aſcendit) feriuntur ac vellicantur; qua moleſtia cerebro communicata: ut ejus mali cauſam depellat & excludat, copioſos ſpiritus animales in eorum fibras emittit, à quibus inde intumeſcentibus contrahuntur inteſtina (ſicuti ab ejuſdem vaporis ulterius aſcendentis acrimonia vellicantur, & ſic contrahuntur diaphragma muſculi faucium aliæque partes) tuncque ſi forte aliqui flatus ſint in inteſtinis, ut plerumque ſunt, contrahuntur circum illos flatus, eoſque arcte cogendo & comprehendendo, globum iſtum effingunt. *Idem.* Vide *Graef de mul. org. cap. 10.*

Globum quaſi circa umbilici) Vide infra artic. 2. *de Suffocatione* uteri §. *Cauſa eſt vapor.*

6. *Exponetur*) Nulla mentio hujus aſcenſus loco allegato, Ibi enim ſuffocationis hyſtericæ cauſas rejicit in ſemen, ſanguinem menſtruum, & humores corruptos, prætermiſſa *Hippocratis* ſententia, qui illi uteri aſcenſui cauſam aſſignat uteri ad ſuperiora motum.

7. *Rumpi & in partu quandoque*) N. temperamenti frigidi & hum. ætatis 35. ann. quatuor jam antea proles robuſtas feliciter peperit tandem de dolore uteri ſubinde querebatur &c. cum quinta prole ad nonum menſem naturale pariendi tempus pervenit, quatuor diebus laborioſo partu miſere torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab obſtetrice adjuvati, nec à conatu matris protrudi potuit, quinta tandem die fœtu jam extincto & illa expiravit. Aperto abdomine puer robuſtus extra uterum omnis involucris ſolutus, pedibus in ſiniſtrum hypochondrium extenſis, Lienem contingens, Capite cum manu exporrecta intra oſſa pubis & cervicem uteri hærebat. *S. Aloyſius Tudecis MedSept vol. 2. p. 21.* Vide hiſtoriam ſimilem ex Hildano Cap. de Partu, difficili.

Iuvencula bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertium gravida tempore partus inſtante, doloribuſque urgentibus fœtum fruſtra excludere laborat; Ego vocatus inveni ſatis vegetam, obſtetrices interrogatæ dicunt Os uteri apertum eſſe, reliquaque bene conſtituta, ſitum autem infantis malum, manu tantum dextra extra vergente, capite vero & reliquis membris imperveſtigabilibus &c. corroborantia & fœtus expulſionem promoventia præſcripſi, omnia tamen eodem in ſtatu permanſerunt, manu infantis uſque ad ſcapulam fere exerta, & jam emortua immobili manente, donec natura in totum deficiente, poſtridie obiit,

Cadavere aperto *inferius* uterum invenimus laceratum, & quaſi ex ulcere perforatum, fœtu maſculino perfecto cum ſecundinis extra uterum inter inteſtina latitante, manu tantum dextra partim extra uterum prominente; Vterus quoque in fundo diſſectus ad palmæ craſſitiem, *Scirrhoſa* duritie tumidus apparuit. *Simon Scolzius ibid.*

8. *Si vulneratur cognoſci*) Vteri vulnerati ex *Celſo l.5.c.26.* ſigna ſunt dolor in inguinibus, coxis & femoribus, ſanguinis pars per vulnus, pars per naturale deſcendit; Bilis vomitus inſequitur, quædam obtumeſcunt, quædam mente labuntur; quædam ſui compotes nervorum, oculorum, dolore vrgeri ſe confitentur, morienteſque tandem eadem, quæ corde vulnerato patiuntur.

9. *Sed propter partis cum aliis &c.*) *Celſus l.5.cap.26.* Vteri vulnera pro vix ſanabilibus habet, Rationes ſunt. 1. propter ſubſtantiam membranoſam, 2. propter ἐναισθησίαν quam habet ratione ſubſtantiæ iſtius, ab aliquibus nervoſæ appellatæ, Vnde doloribus, & inflammationi, & hinc febri quoque expoſitus. 3. propter inſignem ſymphoniam quam habet cum pluribus partibus. 4. propter officium & ſitum, per uterum enim ſingulis menſibus totum expurgatur corpus, Vterus quoque in aqualiculo eſt repoſitus, quo ſordes confluunt, nempe inter rectum inteſtinum & veſicam: Locus ergo humidus eſt, & proinde δυσίατος. *Suevus capit. 16.*

9. *Propter partis*) Videntur tamen uteri vulnera ſanabiliora quam veſicæ, quia ejus corpus craſſius eſt atque carnoſius, & minus ſenſile; Hinc plures teſtantur quod viderint ejus portiones effatu dignas, per abſceſſu, tum per vulnera citra vitæ diſpendium ablatas, Imo *Ant. Benivenius de Abd.c.10.* mulierem quandam ad annos X. poſt curationem abſque utero vixiſſe refert; Et *Avenzoar l.2.tr.5. c.4.* utero extracto mulierem vivere poſſe ſcribit; neceſſaria enim, *ait*, non eſt matrix ad vitam individui, Et multas fœminas caſtratas, uterumque integrum exſectum eſſe *Schenchius* multis exemplis declarat. *Idem.*

10. *Vel uteri fundo accidere &c.*) Contra *Vidus Vidius de Curat. membratim cap.15.* Vulnera, *ait*, ad uteri ſubſtantiam pertinentia celerrime interitum inducunt; Imminuitur tamen periculum, ſi intacto utero ad ejus duntaxat cervicem, ſive etiam ad externum pudendum pertineant; quamvis hæc quoque difficulter ſaneſcant, ob propriam naturam ejuſmodi partium quas occupant; quæ ad excrementa repurganda fuere inſtituta, quæ pariter cauſa eſt, cur ulcera quæ forte in eaſdem partes incidunt: difficile, tardeque conſolidentur, & ſæpe depaſcentia, maligna & cancroſa, præſertim inter uteri cavitatem efficiantur, idque eo magis, ſi forte pravis ſuccis univerſum corpus abundet. *Suevus de Inſp. vuln. c.16.*

Vlcera uteri.

III. De [11] *Vlceribus* nihil dignum occurrit, quod non ſuperiùs attactum fuerit, niſi fortè addatur [12] ita interdum putreſcere, [13] ut & excindatur, & ſuperſtite muliere excidat.

Conſolidationi *Balſamus ſulfuris & ejuſdem Emplaſtrum* (de quibus vide *Hartmanni chymiatriam* capite de Tabe) inſerviunt.

Differentia.

11. *De Vlceribus nihil dignum occurrit*) In Vtero fieri poſſunt ulcera ſicut & in aliis partibus, quamvis ſæpius in collo quod carnoſum eſt, quam in ipſius fundo fieri ſoleant.

Sunt eorum variæ differentiæ, nam vel levia ſunt & ſuperficiaria, parum à ſcabie & pruritu differentia, quæ tantum interiorem pelliculam corradunt, & ad aphthas referuntur ab *Hippocrate*: Vel ſunt profunda, ſordida, inflammata, depaſcentia & cancroſa, ac fiſtuloſa, Sæpe autem in utero ſordida fiunt, quia locus ille excrementis & putredini patet.

Illis competere poſſunt aliæ ulcerum differentiæ, ut quod ſit vel *primarium*, quod nullo prægreſſo morbo in parte illa exoritur; Vel *ſecundarium*, quod aliis morbis ſuccedit. ij. Vel eſt *rotundum, ſinnoſum, oblongum* aut alterius figuræ. iij. Vel *ſolitarium*, vel cum cauſis ſuis *complicatum*, ut phlegmone, veneno, contagio, humorum affluxu, aut cum ſymptomatibus, convulſione, dolore &c. iv. Vel orificium & cervicem, vel fundum occupat; vel externam ſuperficiem; vel internam, Abſceſſus enim uteri in varias partes diſrumpuntur; in inteſtina, veſicam, cavum abdominis, vel in coxam, & inguina; *aphor.47.5. Si uterus in coxam vergens ſuppuretur, neceſſe eſt ἔμμοτον fieri*, id eſt profundum, ſinuoſum, in inguine, quod per μότους, ſeu turunda, curari poſtulat. *Primiroſius l.2.c.12.*

Ulcus quod in fundo reſidet rarius contingit, frequentius internam uteri ſuperficiem obſidés, aliquando, ſed rarius, externam invadit, unde fit nonnunquam, ut pus ab hujuſmodi ulceribus emiſſum per veſicam vel inteſtina vacuetur: Vel ſi in cavitate abdominis ſubſiſtat, abſceſſus circa inguina appareant, de quibus *aph.* 45.5. Magna & gravia, ac velut depaſcentiã, ab *Hippocrate Noma* dicuntur. Ratione complicationis cum aliis affectibus dicuntur phlegmonoſa, cancroſa, ſcirrhoſa, dolorifica, ſanioſa, virulenta & contagioſa. *Riverius. l.15.c.8.*

Cauſa.

Fiunt vel poſt alios morbos, ut inflammationem in abſceſſum converſam, quo diſrupto ulcus remanet ſordidum: Vel primario ex humorum acrium affluxu, ut poſt fluxus muliebres acres: poſt gonorrhœam, partum difficilem: violentam partus extractionem, aut ejus in utero corruptionem, lochiorum ſuppreſſionem, menſtruorum in utero putrefactionem, unde uterus peſſima ulcera incurrit, maxime ſi cacochyma ſit mulier; & excrementis bilioſis, exuſtis, ſalſis, acribus, plena; ex quibus in uterum confluentibus fiunt varii fluxus diuturni; male olentes, à quibus uteri ſubſtantia corroditur.

Externis quoque de cauſis fiunt, ut violento & ſæpius repetito concubitu, ut in meretricibus ſolet ex attritu harum partium, aut puellis tenerioribus per vim defloratis; aut ex contagione luis venereæ, aut acri & erodenti peſſario, vel injectione, diuretico, vehementioribus, aut menſes moventibus: *Avicenna* addit caſum, contuſiones; Verum non immediate, ſed tantum quia ſanguinem & humores acres alliciunt, inflammationem, & abſceſſus pariunt, quibus diſruptis ulcus remanet. *Primiroſius.*

Vlcera inducit nonnunquam Fluor uterinus, qui ſive per vaginam, ſive per uterum prodeat, ſubinde acris evadit, ut loca per quæ tranſit, mordicando & exulcerando mortem inducat; Matrona diuturniori Fluore detenta, præ pudore medicorum auxilia detrectat, huic

huic fluoris illius acrimonia ita adaucta, ut præ nimio dolore incedere aut quieſcere non valeret; hinc vehementiori febri coacta tandem imploravit auxilium, Examinatis ſymptomatibus, affectiſque partibus perluſtratis, pudendi labia mirum in modum tumefacta & exulcerata comperimus; medicamentis internis & externis brevi temporis ſpatio labiorum tumorem ac ſordidiſſima eorum ulcera ſuperavimus, febri nihilominus & dolore in hypogaſtrio manente; quare vaginæ orificium tantiſper dilatare coacti, vidimus vaginæ latera materia concreti albuminis inſtar albi magis obſeſſa, quam dum blandius auferremus ſpatula, hæc momento temporis ex rubro nigricanti colore non alter obducebatur, ac ſi per tempus aliquod in igne detenta fuiſſet; tanta erat materiæ illius acrimonia, ut nec injectionibus fomentis, aut aliis medicamentis temperari potuerit, ſic ut tandem vitam finierit.

Aperto cadavere, uterum undique aut exulceratum aut ſcirrhoſum deprehendimus: Vagina vero virulenti iſtius humoris acrimonia & colluvie adeo putiis evaſerat, ut levi ſpatulæ attactu, ubique pertunderetur, patentique aditu cum inteſtino recto aliiſque vicinis partibus confunderetur. *Graef l. de mul. org. c. 9.*

Signa.

Cognoſcitur facile ex dolore acri & pungente, qui exacerbatur concubitu, injecto liquore detergente, aut peſſario acriori, 2. ex ſanie effluente, quæ varia eſt ſubſtantia, quantitate, colore, interdum fœtida, interdum doloris expers, quamque à muliebri fluore diſcernere difficile eſt; Proprie autem ulcus cognoſcitur ex cauſis antecedentibus, ſenſu doloris, qui ab acri injectione, qualis ex vino aut hydromelite eſt, refricatur; ægramque horrores inordinati ſæpe fatigant, Dolores adſunt inguinum, lumborum, ſincipitis, menſtrua ſi quæ fluant, purulenta ſunt & olida.

Simplex excoriatio percipitur ex ardore, punctione & ſeroſæ cujuſdam materiæ effluxu.

Benignum ulcus oſtendet pus paucum, album, læve & æquale; à quibus notis quo magis receſſerit, eo pejus eſt, ut ſi ſeroſum, viride, nigrum, putidum fuerit, Si dolor fuerit vehemens cum pulſatione, ſanieſque ſit ſimilis loturæ carnium & fœtens, ulcus *eſt virulentum.* Si ſit viridis, livida, mali coloris cum fœtore & cruciatu, ulcus eſt *depaſcens & malignum*, Si fuerit ſpiſſa, glutinoſa, fæci vini ſimilis, ulcus eſt *cancroſum*; Si ardor febriſque adfuerint, ulcus eſt *inflammatum.*

Cauſæ *externa*, ut acre medicamentum partus difficilis &c. ex ægræ relatione noſcuntur, Tum ſi præceſſerit inflammatio, fluor uterinus, gonorrhœa, lochiorum ſuppreſſio, ex interrogatione eluceſcit.

Si ex *lue venerea* contractum ſit malum gonorrhœa præceſſit virulenta, aut etiam perſeverat, & reliqua ejuſdem morbi ſigna adſunt.

Humorem pariter ſanies effluens, corporis conſtitutio, ac præcedens victus ratio patefacit, ut ſi ſit ſanies rubicunda cum ardore & febre, *ſanguinem*, citrina cum ardore & dolore magno, *bilem*, ſeroſa & tennis ſine dolore magno, *pituitam*; nigricans, viridis, aut livida *melancholiam* arguit.

Pars affecta ſi ſit *collum uteri*, facile per dioptram, aut immiſſo longo peſſario dignoſcetur; Si ſit *profundior*, ex ſignis prædictis, aut injecta in uterum quadam injectione dignoſcetur. *Primiroſius*

Si ulcus *cervicem uteri* occupet, ipſo viſu deprehenditur, immiſſo ſpeculo matricis, contactu, manu obſtetricis, vel in concubitu, in quo ægra dolorem percipit moleſtum: Si fuerit in uteri fundo, dolor percipitur verſus regionem pubis, excrementa profluunt copioſiora, Si penetret ad externam ſuperficiem, urinæ aut dejectiones purulentæ apparent, vel fluctuatio quædam in abdomine percipitur: Vel tumor verſus inguina adeſt, in quibus abſceſſum minatur, *Riverius.*

Prognoſes.

Omne ulcus uteri periculoſum eſt, nullumque contemnendum, ob partis affectæ præſtantiam, nervoſam naturam, & excrementorum affluentium copiam, unde ulcus difficulter conſolidatur. & ſæpe putredinem concipit malignumque evadit: Quo autem ulcus erit profundius & majus, majoribuſque ſymptomatis ſtipatum, eo deterius erit: In collo tamen interdum curari poteſt, difficilius vero ſi ſit ſordidum, virulentum, depaſcens & antiquum.

ij. In ſene difficilius, in iuvencula raro ſaneſcit, quia pars eſt ſpermatica, fluentibus excrementis continuo madens, hydropem immedicabilem tandem acceſſens.

iij. Ab ejuſmodi ulceribus mulier tandē fit ſterilis, quia uterus obducta cicatrice, neque ſemen excipere, neque complecti, neque fovere poterit, niſi forte exulceratâ parte ſiniſtra dextra concipiat aut contra *in iis quibus uterus bipartitus aut duplex obtigit alias uterus undiquaque in conceptione ſe conſtringit*

iv. Quamvis autem ut plurimum ejuſmodi ulcera curatu impoſſibilia ſint; habemus tamen hiſtorias quarundam, in quibus ejuſmodi ulcera ſponte & vi naturæ curata ſunt: Vide *Roſſetum de Partu cæſareo*, quare de ſanatione non eſt ſemper de ſperandum, *Primiroſius.*

Curatio.

Curatio eo dirigenda eſt, humorum acrium ulcus, vel generantium vel foventium defluxus prohibeatur, & ulceris deterſio ac conglutinatio procuretur. *Riverius.*

Ad Curationem conſiderandæ ſunt cauſæ omnes & ſymptomata, nam ſuperficiale ulcus, à cauſa externa genitum, ut violento coitu, ſolis glutinantibus curatur; Si autem adſit intemperies, inflammatio, humorum affluxus, hæc omnia prius tollenda, dolor demulcendus, antequam ad peculiarem ulceris curationem deveniamus: Sed maxime ſpectandum an à lue Venerea generetur, illi enim peculiaria conveniunt alexipharmaca. *Primiroſius.*

Primùm ſi corpus fuerit plethoricum, vel ulcus conjunctam habeat phlogoſin, venæ ſectio ex brachio celebranda eſt, eaque toties repetenda quoties novæ fluxionis periculum minari videbitur: Tum præcipue inſtante purgatione menſtrua maxime convenit, ut illa imminuatur, quæ ulceri materiam ſuppeditare ſolet, & aliorum humorum in uterum affluxum prohibere. *Riverius.*

Si ulcus fuerit plethoricum & ulcus inflammatum, vena ſecanda eſt baſilica aut mediana, ad revulſionem, deinde etiam ſaphena ad derivationem, (*eundem in finem hæmorrhoidum apertio per admotas ſanguiſugas conferre poteſt*) Tum etiam *fortiores* fieri poſſunt, & ligaturæ ſuperiorum partium: *Cucurbitulæ* quoque ſub mammis applicari ad revulſionem. *Primiroſius.*

Purgatio etiam maxime neceſſaria eſt, ut à cacochymia corpus liberetur, Eaque inſtitui debet ex benignioribus, *Senna, rhabarb. tamarindis, myrobal. catholicone, &c.* quæ frequenter iteranda eſt, ut vitioſi humores ab utero avertantur, Eaque tanto eſt hac in re momenti, ut teſtetur *Foreſtus lib. 28. obſ. 48. J. Tiengium* Medicum Amſtelodamenſem Nobilem Matronam ab ulcere uteri ſaluti reſtituiſſe, cui de 4. in 4. dabat ℥v. *decocti ſennæ, epithymi roſar. rubr. myrobalan. Indor. ſacch.* dulcorati, & Abſtergentia decocta in uterum

injiciebat. Ad uſum frequentem parari poteſt ſyrupus magiſtralis. *Riverius.*

Vitanda ſunt validiora cathartica, diagridiata, diuretica, & menſtrua provocantia, quia humores ad partem affectam commovent; Niſi diſruptus abſceſſus per alvum aut urinas expurgetur, tunc enim & diureticis & clyſteribus uti poterimus, ſed levioribus & refrigerantibus: quales ſunt emulſiones refrigerantes, *ex amygd. ſemin. papav. lactucæ frigid. maj.* & ſimilibus. *Primiroſius.*

Vomitus, ſi ægra facile vomat, purgationi præferendus, quia humores ab utero revellit.

In purgationum intervallis decoctum vulnerarium diu uſurpandum eſt, quod ſic parari poterit.

℞. *Fol. agrimon. pimpin. centinod. plantag.* ãã. *m.* ß.
Radic. chinæ ʒiij.
Semin. coriand. ʒj.
Paſſular. mundat. ʒß. *ſacch. rubri* ℈j.
Coque in jure pulli gallinacei, Colat. capiat m. & v.
Vel
℞. *Fol. artemiſ. plantag. millefol.* ãã. *m. j.*
Rhapont. ʒß.
Semin. viticis ʒj.
Coque in menſura vini albi, dulcora *ſaccharo*, Capiat ℥ij, vel iij. mane.

Si febris urgeat, & magna ſaniei copia excernatur, *ſerum lactis* erit utiliſſimum, mane ad ℥viij. vel plures exhibitum, addito *mellis roſac.* vel *ſacch.* parum.

Si corpus tabeſcere incipiat, cum veſtigio febris hecticæ, lac, præſertim *aſininum*, cum *ſacch. roſac.* per menſem exhibeatur.

Sudorifica, abſente inflammatione, & calidiori intemperie, etiam conferre poterunt ad ulcus exſiccandum, revellendoſque humores ſeroſos verſus habitum corporis. *Riverius.*

Oſtendir experientia decocta *Chinæ, ſalſepar. guajaci, ſaſſafras*, omnibus internis ulceribus exſiccandis valde prodeſſe, maxime ſi adſit luis Venereæ ſuſpicio; Tale *Juſculum* præſcribit *Varandæus.*

℞. *Rad. Chinæ per taleolas diſſectæ* ʒiij. *agrimon. pimpin. &c.* (*vide ſupra ex Riverio.*

His præmiſſis, ad particularem ulceris curationem veniendum, quæ fit detergentibus & exſiccantibus, multum autem reſiccantia hic affectus poſtulat, tum ob partis naturam ſiccam, tum ob excrementorum quibus obnoxia eſt, copiam; Sed quia multa poſſunt ulceris curationem remorari, ut dolor, inflammatio, excrementorum proventus, ea prius ſunt removenda.

Dolor primum ſedandus eſt, tum ob moleſtiam, tum quia humorum fluxum commovet, ideo in hoc caſu detergentia ſine morſu eſſe debent, *ut aquæ tepidæ* frequens *perfuſio & injectio*, aut *ſeri lactis*, vel *decocti hordei & roſar.* cum pauco *ſacch. & melle roſato:* Prodeſt *ol. ex vitellis ovor.* ex *Avenzoare*, Sicut & ſyrupi refrigerantes, de *nymph. papav. endivia*, *Lac* infunditur & apponitur, *album. ovi* agitatum cum *mucilag. ſyllii*, Emulſiones *ſem. frigid. & papav.* aut *aqua hordei* cum *ſucco hyoſcyami*, Nam in extremo dolore *opio & narcoticis* uti non erit inutile, ſterilitatem quidem inducere poſſunt, non autem mortem, ut docet *Mercurialis*, S io non ſemper ſterilitatem facere, poſſunt tamen lõgo uſu; *Paulus* præſcribit medicamen *ex croco, ovis, roſac. adipe anſerino, cervi medulla*, ſed hæc pinguia dolorem quidem ſedare poſſunt, ſed ulceri nocent. *Primiroſius.*

Terebinthina lota in aqua utero convenienti, ut *artemiſiæ, matricariæ*, vel ulceri idonea, ut *plantaginis, roſar.* cum *ſacch. roſac.* ſumpta per intervalla, ulcera detergit & conſolidat.

Pilulæ de bdellio ad ʒj. Pro una vice exhibitæ, vel ſingulis aut alternis diebus ad ℈j. valde etiam conferunt, & ſi ſanguis fluat, eum compeſcunt. In dolore vehementi tantillum *Opii* addi poteſt.

Troch. alkekingi cum Opio, dolore urgente, etiam ſoli uſurpari poſſunt; Ad dolorem etiam leni ndum uſurpari poſſunt eadem remedia, quæ in uteri inflammatione pro eodem ſymptomate fuere propoſita.

Pulvis ſequens ad ulcus exſiccandum non parum erit efficax.

℞. *Acaciæ hypocyſt.* ãã. ʒj.
Sangu. drac. amyli, rad. plantag. ariſtol. rot. ãã. ʒiß.
Boli Arm. ʒj.
Maſtich. ſarcoll. ãã. ʒß.
F. Pulvis tenuiſſimus, dozis ʒj. *cum aqua plantag. roſar.* vel *chalybeata.*

Ad ulceris deterſionem, exſiccationem, & conglutinationem variæ parantur Injectiones, quæ tamen prius uſurpandæ non ſunt, quam *Inflammatio* auferatur, cujus ratione, & acrimoniæ prius injicientur in uterum Emulſiones &c. *lac integrum* aut ſolum, aut cum *ſucco plantag. & burſæ paſt.* permixtum; Vel, ſi neceſſitas urget, *decoctum cap. papav.* & ſummit. *malvæ:* Quidam Practici ſolam *aquam tepentẽ*, plurimum juvare exſtimant, ſi frequenter injiciatur, nec immerito, ſic enim fervor & inflammatio temperantur, dolor demulcetur, & ſordes uteri adhærentes abluuntur: *Valeſcus de Taranta* etiam frigidam probat, *Novi*, ait, *aliquas mulieres ſentientes ſe habere hujuſmodi ulcera, lavabant ea aqua frigida, mundabant deinde, & cum pannis lineis exſiccabant, & in matricem frequenter mittebant; atque iiſdem præſidiis ſæpe mutatis, hæc ipſa per ſe ſæpe ad integram curationem ſufficiebant.*

Ablata intemperie calida, & ſedato dolore, aut ſaltem magna ex parte imminuto, ad detergentia veniendum eſt, à mitioribus ad fortiora progrediendo: Mitiora ſunt *ſerum lactis cum ſaccharo* vel *melle roſato*, majoris deterſionis gratia, vel *hydromel ſimplex.*

Paulo validior erit *decoctio ex hordeo, lentibus, fabis non excorticatis, & foliis apii, parietariæ, plantaginis*, addito *melle roſaceo.* Riverius.

Si ſola fuerit *excoriatio*, leviora adſtringentia ſufficiunt, Vt *decoctum balauſt. roſar. ſiccar. plantag. portulac. lentium* & ſimil. *Primiroſius.*

Vbi valde *ſordidum* eſt ulcus, *decoctum vulnerarium, aqua catapultarum* vulgo dicta principem locum obtinet; cujus compoſitio hæc eſt.

℞. *Rad. gentian. rhapont. zedoar. ariſtol. rot.* ãã. ℥i.
Vini albi ℔ vi. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, In colat. diſſolve *ſacch albi* ℔ß. Serva ad uſum.

Valet ſequens.

℞. *Hordei int. furfur. macri, roſar. rubr.* ãã. *p. j.*
Fol. agrimon. abſinth. caprifol. apii ãã. *m. j.*
Fabar. lentium ãã. ʒiij.
Liquir. raſæ, rad. irid. Flor. zedoar ãã ℥ij.
F. decoctio addendo circa finem parum vini albi.

Si ulcera admodum fœtida & putrilagine infecta fuerint, decoctioni addi poterit parum *Vngu. Ægypt. collyrii Lanfrancei*, Vel pulver. *Mercurii dulcificati. Riverius.*

Aquæ thermales potæ & injectæ admodum detergent & ſiccant; ſed ulcus non debet eſſe à lue venerea.

Si leviora non ſufficiant valentiora ſunt *urina pueri impubis, lixivium ciner. ſarment. ficus*, addito *melle roſato.*

Decoctum *lentium, ceterach, apii, abſinth. agrimon. centaur. min. fabar. lupinor. orobi, artemiſ.* & ſim.

Si adhuc magis detergendum ſit, parum *Vngu. Apoſtol.* vel *Ægypt.* diſſolvimus, cum viz. ulcus eſt obductum multo pure & carne putrida.

℞. *Apii cum toto m.* iij. *agrimon. abſinth. verbaſci roſ. ſicc.* ãã. *p. j.*

hordei,

Hordei, fabar. lent. ãã.p.ß. *Ireos* ʒij.

Fiat *decoctio, in cujus* ℔ j. *diſſolve mell.roſ.* ℥ij.

aloes, myrrhæ ãã.ʒ j. *ægyptiac.* ʒj. *mis.f. Injectio.*

Si ulcus remediis pateat, poterit leviter tangi *aqua Fernelii* ad ulcera, vel *aqua calcis*, quæ exſiccat & abſterget ſicut & *aqua aluminoſa.*

Applicari quoque poſſunt peſſarii forma unguenta detergentia, ut *mundific. de apio*, cum *thure*, *myrrha*, *aloë.*

℞. *Terebinth.* ℥ß *ſucci apii mell.roſat.* ãã.℥ij.

Pulv. ireos, croci, ãã. ʒj. ms.

Bombace excepta includantur linteo, fiat Peſſarium.

Si ulcus ſerpens ſit & nomodes, magis adſtringentia conveniunt.

℞ *Rad.ariſtol. irid centaur.* ãã. ℥j.

Symphyt. hyper.ped. Columb. herbæ Roberti, agrimon. plantag. ſolani ãã. *m.j.*

Sumach, *glandium*, *gallar. virid. baccar. myrti* ãã. ʒij.

*Roſar.rubr.balauſt.*ãã. *p.j.*

Flor. anthos p.ij.

Fiat Decoctio, in qua diſſolve mellis roſ. ℥iß. *alum.* ʒß. qua foveatur ulcus.

Superimponi poſſunt Emplaſtra, Catapl.&c.ejuſdem virtutis circa pubem vel perinæum, quorumvis ad interiora uſque ferantur.

Vlcere ſufficienter deterſo, quod cognoſcitur, ſi quod effluit paucum eſt, æquale, album, odoris expers, ad exſiccantia veniendum, quæ quidem multum exſiccent, ſed ſine morſu, nam acria valde uterus probe deterſus non ſuſtinet. *Primiroſius.*

Exſiccantium & ſolidantium formula talis eſſe poterit.

℞. *radic. conſol. maj. biſtort.*ãã. ℥j.

*Fol. plantag. caudæ equin.burſæ paſtoris, ſaniculæ, milleſol.*ãã. *man.* j. *roſ.rubr. man.*ß.

Coque in menſura aquæ pro Injectione.

Prædictæ, aut ſimili Pulvis ſarcoticus admiſceri poteſt.

℞. *Rad ireos. ariſtol. conſolid. maj.* ãã. ℥ß.

Myrrhæ ℥j. *aloes* ʒiij. ms. f. Pulvis cujus ʒß. cuilibet Injectioni addatur.

Terebinthina lota cum aqua plantag. ad ʒij. *& diſſoluta cum melle & ovi vitello* injectioni mixta valde prodeſt, idque magis ſi Pulvis ſarcoticus etiam addatur.

Vngu. *pomphol. de ceruſa, de plumbo* cum injectionibus quoque miſceri poſſunt, ad ℥vi. pro quaque dozi. Sed reliquis præſtat *oleum è vitellis ovorum in* mortario plumbeo agitatum.

Suffumigia ad ulcera profunda, verſus uteri fundum inhærentia penetrant, eaque deſiccant, e.g.

℞. *Thuris, myrrh. maſtich. ſtirac. calam. gum. juniper. ladani* ãã. ℥j. *tereb q.ſ.*

F. trochiſci pro ſuffumigio.

In ulcere contumaciſſimo *Cinnabaris* addita ſuffumigio omne fert punctum.

Thermæ ſiccantes, ſulphureæ, & aluminoſæ in ulceribus diuturnis uſurpantur, eoque mulieres deſperatas tanquam ultimum refugium Medici ablegare ſolent.

Si *Vlcus* ſit *in collo uteri*; linimentis inungendum detergentibus & exſiccantibus: Detergens hoc eſt.

℞. *Succi apii* ℥ij. *mell.roſ* ℥ ß. *terebinth.* ʒß. *farin. hordei vel croci q ſ.* leviter bulliant, fiat inſtar Linimenti.

Admovetur etiam *Vngu. diapomphol.* addendo *thus*, *maſtichen*, *myrrham*, *aloen*, prout ulceris ratio requirit.

Vlcere ſufficienter deterſo, *exſiccans & cicatricem inducens unguentum* admovendum eſt. e.g.

℞. *Tutiæ lotæ* ℥ß.

lithargyri, ceruſæ, ſarcocollæ, ãã. ʒij. *olei & ceræ q. ſ. f. Vnguent.*

Interdum contingit *Vlcera uteri ad rectum inteſtinum penetrare*, interdum ad veſicam, quod patet ex pure per illas partes excreto.

Si per *inteſtinum rectum* pus effluat, clyſteres lenientes, & exſiccantes uſurpandi ſunt, ex curatione dyſenteriæ petendi.

Si *per veſicam* convenient diuretica leviora & refrigerantia, quæ vacuant iſtas ſordes in veſicam tranſmiſſas, & ulceris curationem promoveant, v. g. Emulſiones *ſemin. frigid. maj.* quibus ſuccedet *terebinth.* aliaq; pro ulcere veſicæ præſcripta.

Si *à lue Venerea* fiant ulcera in Pudendo, citra univerſam hujus luis curationem curari minime poſſunt; In qua perficienda per varios modos, ille qui per *Suffumigia Cinnabar.* fit, maxime confert, non ſolum enim ea conducent ad luem illam è toto corpore auferendam, ſed etiam peculiariter ſi uteri ſinu excipiantur, ut hæc ulcera citius ſanentur efficient; Tum etiam in cura quæ per *Hydrargyri* inunctionem fit, *Unguenta mercurialia* in penitiora illa loca erunt demittenda. In quibuſvis uteri ulceribus, ſi *Pruritus* moleſtus illius cervicem affecerit, ut non raro ſolet contingere, ob humoris acris & ſalſi in eam partem defluxum, ad eum demulcendum conveniet Peſſarium imbutum. *Vngu. enulato cum Mercurio*, aut *ægyptiaco* diſſoluto *in aqua marina*, aut *aqua aluminoſa*, aut *butyro recenti*, in quo *hydrargyrum* extinctum ſit, *ſulphure* addito. *Riverius.*

Diæta.

Victus ratio ſit paulatim refrigerans, ſed magis exſiccans, *Aer* ſit in paſſivis ſiccus, in activis temperatus, nam ſicut frigidus ulceribus mordax, ſic nimium calidus humores inflammat & acriores reddit.

Somnus moderatus ſit & ſuper latera, non ſupinus, in lecto molli, ſed non nimium calido, metu inflammationis.

Quies melior eſt *motu*, & exercitatione, niſi forte *Frictiones* partium ſuperiorum ad revellendum inſtituantur.

Animi pathemata, ira præcipue & mœrores vitentur, quia humores nimis agitant & commovent.

Cibus ſit exſiccans, eupeptos & olygotrophos, niſi ſimul corpus contabeſcat; Vitentur omnia dyſpepta, cacochyma, acria, ſalſa, piperata, frixa, acida, nam ſi acetum utero ſemper nocet, maxime quando exulceratur, Ideo omnia aceto condita vitanda ſunt, ſicut & cæpe, allium, braſſica, caſeus acrior, vinum generoſum, cujus loco aqua bibatur, aut decoctum *hordei liquir acetoſæ* & ſimil. Conveniunt carnes delicatæ juniorum animalium, elixæ potius quam aſſæ, cremor ptiſanæ, ova recentia, lac, paſſulæ, amygdalæ, piſtaciæ; Piſces autem & juſcula, quia nimis humectant, relinquantur.

Alvus ſit modice fluida, Omnes excretiones naturales provocentur, præter menſtrua & urinas; quæ ſi ſponte, vi naturæ profluant, bonum eſt: medicamentis autem provocari non debent, quia calida ſunt, & humores ad partem affectam ducunt, Omnia munda ſint, lintea, veſtes.

Balnea humida vitanda, ne pars nimium relaxetur, niſi adſit tabes: *Sudorifica* tamen imperamus ad humorem exſiccandum. *Primiroſius.*

12. *Ita interdum putreſcere*) Uteri ulcera maligna & depaſcentia ſunt *Nome & Carcinomata*, *Nomæ* ſunt inæquales & exedentes, ſeu in dies magis magiſque depaſcentes, cæteris Ulceribus fœdiores, ſordidiores &

acerbiores; *Carcinoma* autem vel ulceratum, vel non ulceratum eſt; *In eo quod nondum eſt exulceratum*, moles gravis in utero percipitur, ac tumor durus colore ſublivido adeſt; Si vero *exulceratum* ſit, ipſa noma adhuc malignius exiſtit, & ſanies, eaſque tenuis & coloris nigri, aliquando etiam flavi, quæ hinc egreditur, graviter ac ſummopere fœtet: *Generatur* autem hoc malum tum in matrice, tum in mammis & aliis etiam partibus, tam maris quam mulieris, ab excrementis viſcoſis, tartareis, venenatam qualitatem habentibus, & naturam realgaris atque arſenici naturalis redolentibus. *P. Joh. Faber Path. Spag. cap. 60 §. 5.*

Uterum depaſcentis putredinis calamitatem concipere poſſe notum eſt; Vlcera quorum nomen ſemper putredinis nequitiam præſupponit, intelligimus, quibus non raro quoque infeſtatur uterus, quorum duæ hic deſignantur ſpecies malignæ & horridæ. De *Nomis* ſciendum eſt, quod earum voce ab antiquis Græcis Vlcera inæqualia fuerint indigitata, quæ vicinam carnem hoſtiliter depaſcuntur, & in dies magis magiſque pro ſerpendo exedunt, depopulantur, atque inſigniter putrefaciunt, cæteris ulceribus ſordidiora.

Quoad *Carcinomata*, illa à cancro ſic denominantur, quorum ferox eſt malitia, alia non ulcerata, alia ulcerata, quæ in ſuperlativo gradu vim ſuæ tyrannidis, fœtoris, doloris, ac malignitatis exiſtunt: Vera eorum cauſa in putredine abſurdiſſima & vehementer venenata conſiſtit, imo in utero eo facilius contingit, quo alioquin menſtrualis ſanguis p. n. retentus de pejori nota differtur, & pluſquam arſenicali malignitate temporis tractu ſuſpectus evadit.

Sic profecto comparatum cum hiſce venenatis cancroſiſque ulceribus eſt, ut miriora contemnant remedia, vehementioribus excandeſcant; Nomæ & Carcinomata hæc uteri nulla ratione ſanari queunt, niſi reputemus juxta Spagiricorum dogma, Similia ſimilibus curari; Quum itaque Vlcera illa maligna uteri realgaricam ſeu arſenicalem plane proprietatem obtinere probaverit *Faber*, non immerito quoque ex arſenicali ſeu realgarico ſtemmate medelam petendam is exiſtimat, mirum profecto quod è ſummo & præſentiſſimo veneno fieri ſumma & exoptatiſſima queat theriaca; Arſenici igitur eſſentiam, tanquam herculeam & unicam adverſus hoc virulentum malum, ſeu Cancroſa ulcera, clavam commendat *Faber*, quam præparandi rationem in ejuſdem *Myrothecio* deprehendere licet &c. *Chriſt. Langius in Not.*

Putredo uteri illæſo fœtu.

12. *In ita interdum putreſcere)* Paupercula toto difficilis geſtationis tempore ſemper doloribus in abdomine querula, juſto appropinquante partus tempore, inter ingentes conatus cum parere nequiret, exſpiravit, &c. Qui apeiuit Chirurgus recenſuit aperto abdomine à remotis integumentis parum effluxiſſe aquæ putridæ, mox in conſpectum veniſſe infantem omni ex parte liberum, in abdomine extra uterum ſitum, mortuum quidem, ſed cætera abſolutum, nulla parte contaminatum, ſub ipſo autem apparuiſſe uterum ſemiputridum, & ſphacelo ita abſumptum, ut fruſta ejus nigricantia fœtida exemerit.

Inquiſivi, annon quia fœtus illæſus, uterus forte in muliere continuis laboribus & geſtationibus victum quærente, fuerit ruptus, ſicque infans in abdomen prolapſus, id quod ſæpius fieri poſſe concedit *Veslingius ſyntagm. An.* & exempla comprobant, Sed ille revera uterum putrefactum, una cum obſtetrice & aliis conſtanter aſſeveravit: Similem prope caſum recenſet *Roſſetus de Par. Cæſ. s. 4. cap. 4.* Cæterum ex putrefacto utero etiam infectum fœtum computruiſſe, & perforata matrice hinc inde partes exiviſſe, vide *Roſſetum l. c.* & *Th. Bartholinum* de Inſol. Partus viis. *Carolus Rayger. Med. Sept. vol. 2 p 17.*

13. *Ut & exſcindatur)* Vterus nonnunquam totus extra vulvam prolabitur, ac variis modis afficitur, ita ut cum aliquando extirpare coacti fuerint, cujus rei notabilia exempla referunt *Ægineta, Langius, Mercurialis, Duretus, Fernelius, Pareus, Licetus Sennertus*, &c. ex quibus conſtat fœminas abſque utero (licet ejus ablatio ob multiplicia vaſa cum perreptantia periculoſiſſima ſit) vivere poſſe: Sed quod *Avenzoar, Zacutus, Platerus, Wierus, Benivenius*, aliique ſcribant tales adhuc concipere poſſe, omnino ridiculum ac impoſſibile nobis videtur. *Graef ibid.*

13. *Ut & exſcindatur, & ſuperſtite muliere excidat)* *Inferius Cap. de Gonorrhœa*, §. *Vomicam in Teſtibus)* *virginis aſſertur hiſtoria, cui teſtes per hymenem propendentes ablati fuere:* Dum tunc uterus valde tumens vi egredi cum ſummis circa inguina doloribus conaretur Chirurgo accerſito author fui, ut immiſſo per myrtifoliorum caruncularum circulum ſpecillo, antrorſum ſecundum longitudinem inciſionem faceret, ut via prorumpenti illi moli pateret, Ille ignarus talis ἐγχειρήσεως, ſpeculo matricis violentam tentavit divulſionem, remanente interim ſuumque in locum ſe recipiente utero; Ad quinquennium Virgo illa ab omni incommodo libera vixit, quo exacto tempore dentio graviter decumbere cœpit, & tenſivo circa pudoris ſinum dolore miſere adflicta, Se duratæ cuidam fœminæ commiſit, quæ ductui noſtro patens felicem ipſi opem attulit: Prominebat tandem pugni minoris magnitudine uterus admodum inflatus, in ſiniſtra regione introrſum vaginæ arcte adhærens, Fœmina aſſiſtens digito paulatim per aliquot dies ſeparare eundem ſtuduit, cui tunc à latere vaginæ divulſo funem injecit, & prope cervicem ligavit, in dieſque ſeticum fortiter conſtringens, paulatim tumorem iſtum diminuit; poſt 4. ſeptimanas corrugatam quaſi & demortuam iſtam maſſam, quæ ficus inſtar compreſſæ apparuit, deciduam fecit Formam uteri nondum defloratæ omnino referebat, ſed cavitate carebat, quæ ſuſpenſum, utrum id corpus vere uterus eſſet me tenuit.

Cum vero & loci, unde propendebat conditio, & præcedens utriuſque teſticuli amiſſio, & liber circa tumorem eminentem ambitus, miruſque qui ante prægreſſus fuit cum collo uteri male affecti conſenſus, ſiquidem circa laryngem conſimile, denuo ulcus æque fœtens hoc morbi tempore adfuit, in unum conſpirarint, tanto confirmatiorem me reddidere, naturam ſarcinam maturis inutilem maleque conformatam foras voluiſſe protruſam: Tamdiu ſtabit hæc ſententia, donec tandem è vivis abierit, quæ tunc diſſecta contrarium docere poterit: Longæviores autem alias uteri privatas ſæpe obſervavi fœminas, Et hæc ipſa poſt amiſſum ſexus fœmini characterem, ab anno ſatis vegeta & incolumis vivit, quæ citra culpam ſuam non amplius virgo; nec mulier, nec deflorata audit, ſexum alioquin meliorem ſemper averſata. *Georgius Volkamer Med. Sept. vol. 2. obſ. 33.* Legatur altera hiſtoriæ pars, loco allegato.

Fiſtulæ uteri.

Vteri ulcera neglecta, aut male curata, facile fiunt Fiſtuloſa, ſanies enim partes vicinas molliores facile erodit, unde fiunt Sinus, qui callo contracto fiunt Fiſtulæ modo duplices modo altius penetrantes & plures ſinus habentes, quod potiſſimum fieri ſolet in illo ulcere; quod ex ulcere in coxam diſrupto contingit, de quo *aph. 47. 5.*

Facile ex Vlceris profunditate & callo cognoſcitur dolor nullus adeſt, niſi ad partem nervoſam penetret, ſanies multo effluit, alba & tenuis, ſi *recens* ſit: Craſſi viſcida

viſcida & inæqualis, ſi *antiqua*; Pauca & nigra cum dolore ex *nervo*; Pallida, tenuis, oleaginoſa ex *oſſe vitiato*, veſicam & inteſtina quandoque perforat, vnde excrementorum alvi & vrinæ per fiſtulam exitus.

Malum eſt curatu valde difficile, & fermè impoſſibile, ſicut & omnes fiſtulas, ſed difficilius ſi ſit in fundo vteri atque ad veſicam vel inteſtinum rectum pene traverit, aut quæ eſt antiqua & anfractuoſa, quæ cartilaginiſ, os vel nervum quæ ſimplex eſt in corpore lædit, aut eſt in corpore ſimili & cacochimo: Facilius autem juvenili boni habitus, quæ oculis cerni poteſt, è qua eximi poteſt caro mortua, quamvis in vtero ob nervoſam illius ſubſtantiam id tentare periculoſum ſit, Interdum autem melius eſt ejuſmodi ſinum relinquere, maximè ſi antiquus ſit, & natura per illum excrementorum copiam vacuet ſufficit tunc corpus frequenter repugnare, injectionibus detergentibus & roborantibus vteri, *Empl. divinum* vt *diapalma* imponere, quæ vulgo *cura palliativa* dicitur, non autem cicatrizantibus vti, nam ſæpe oſculum exterius clauditur, remanente ſinu, vnde cohibitus humor majores agit cuniculos.

Si *curatio* ſperabilis eſt, præmiſſa optima victus ratione, & vniverſalibus remediis, ſudorifica & exſiccantia imperanda, vt.

Apozema ex *guajaci* ℥ß. poſt infuſionem per horas 24. *in aqua font.* ℔iij. addendo *rad. filicis*, *mar. gentianæ*, *ariſtoloch.* āā. ℥ß.

Fol. plantag. agrimon. beton. alchimilla, pertulaco ſcrophul. āā. *m.*

F. Decoctio ad medias, *colatur. adde ſacch. roſ.* q. m. ſ. f. Apozema.

Topica quod ſpectat. 1. orificium ſi anguſtius ſit, dilatandum, immiſſa, ſpongia, linteolis bene convolutis, *rad. gentian, ariſtoloch. medulla ſambuci* &c. Dein callus atterendus vt diſſitæ partes coaleſcere poſſint, ſed prius emolliatur *oleo lilior. amyg. d. d. butyr. r. oeſypo, cera, terebinth.* & aliis: Callum autem atterunt medicamenta, ferrum & ignis, qualia ſunt *rad. helleb. n. gentianæ. ægyptiac. pulvis de vigo, ſublimat. arſenic.* quæ vel infunduntur, vel per turundas immittuntur, *Aeruginem* cum *ſale ammoniaco vino* dilutam infunde, aut penicillo illitam immitte,

℞. *Sublimati gr.* xij. *aqua plantag.* ℥vi. coque ad medias, valde laudatura *Fernelio* ad omnia vlcera: Facta Injectione orificium obturetur *cera* vel *goſſypio*, vt callum facilius atterat.

℞. *Decoct. agrimon. oſmunda reg.* ℔ß. *diſſolve ægypt.* ʒß. *ſublim.* ℈ß. f. Iniectio.

Poſt obturetur Fiſtula *Empl. divino* vel de *gratia Dei diacalcith.*

Si acria ejuſmodi perferre mulier non poteſt, vt ſi Fiſtula ſit verſus fundum, benigniora ſufficient; Poſt horum vſum *butyro*, *ol. amygd. d. vngu. reſumpt. &c.* emolliri debet, vt per ſe decidat;

ij. Callus exſcindi poteſt per ſyringotomum, quod tantummodo locum habet in exteriori fiſtula, nam in profundiori non poteſt ſcalpellum commode adhiberi.

iij. Quidam vtunt, ſi virulenta, maligna & ſordida ſit Fiſtula, maximè ſi & parte ſit exteriore pudendi, non autem in interiore. Fit autem vſtio vel ferro ignito vel cauſticis.

℞. *Arſennii, calcis vivæ, mellis* āā. ℥ij. *ſucci aſphod.* ℥iij.

Coquiſe in fictili & pulveriſentur, quo pulvere turundæ conſpergantur.

Circa partem repellentia apponantur, vt *vngu. de Bola*, Eſchara digeſtivis emolliatur, vt decidat; poſtea ſi pus laudabile effluat, detergendum vlcus decocto *catapultarum*, *hydromel. aqua vitæ* cum *melle roſato*; Poſt ſarcoticis & epuloticis vtendum. *Primiroſius l. 2. de m. m. c. 12.*

Calculi in Vtero

Calculos in vtero, ſicut in renibus à veſica fieri poſſe ſcribit *Aetius tetr. 4. l. 4. c. 98.* Scribit *Schenckius l. 4.* mulieris cujuſdam vterum totum lapideum inventum fuiſſe, ponderis ℔ vij. Nota eſt hiſtoria Infantis in vtero in lapidem verſi: Famula *Dyſeridis* in Laryſſa 5. *Epid* lapidem aſperum fuſi verticillum æquantem excrevit: Similem refert *Hollerius c. 48.* ſe obſervaſſe in vtero mulieris cui diſſecandæ præfuit. Idem refert *Fœſius* in notis ad dictam hiſtoriam *Dyſeridis.* Idem ſe vidiſſe refert *Mercatus* in muliere lxx. annorum, vultque ejuſmodi lapides non eſſe ſolutos, & liberos, alias facilè excernerentur, nec diutius morarentur, vt in vtero famulæ Dyſeridis.

Neque mirum id eſſe debet, cum omnibus fermè in locis calculi concreſcere poſſint, inde male negat *Mercurialis* poſſe in vtero calculos fieri, tum quia non eſt in vtero materia quæ ſit apta in lapidem durari, tum quia neceſſitas eſt vt ex vtero exeat, ſicut ſemen, niſi fiat conceptus eiicitur: Verum hiſtoriis repugnare abſurdum eſt: quod vt fierent in vtero, ſicut & in aliis locis: adhærent autem vteri tunicis, vnde non ſemper excerni poſſunt.

Cauſæ ſunt eædem quæ calculi veſicæ, (*nam in veſica lapides, tunicis obvoluti, illique accreti reperti ſunt*) atque etiam pus in vtero concretum & exſiccatum libr. de ſteril.

Signa nulla certa ſunt quæ à mola, ſcirrho & aliis diſtinguere poſſint, gravitas quidem cum duritie percipitur, ſed num id ſit, etiam aliis commune nihil certi oſtendit.

Curatio per ſolam extractionem perficitur præmiſſis emollientibus & lubricantibus, clyſteribus, injectionibus, fomentis: Extrahendi modum tradit *Aetius* loco citato. *Primiroſius.*

Lumbrici in vtero reperti.

Lumbricos excretos fuiſſe refert *Benivenius. Aſcarides* quidem frequentius ſunt obſervati, nec mirum eſt eos interdum in vtero generari, cum etiam in aliis partibus fieri poſſint, ob cauſarum ſimilitudinem.

Signa illorum valde incerta ſunt, niſi exeant & ſic ſeipſos prodant: Pruritus adeſt ventris & vteri inquietudo moleſta, aliaque ejuſmodi inteſtinorum lumbricis communia, nulla ſpecialia, vnde reprehendi non debet medicus, ſi quando rari ejuſmodi affectus occurrunt in eorum diagnoſi decipiatur, Vnde erravit *Mercatus* quum ſcripſit non eſſe difficile vteri lumbricos noſſe, & ſigna profert valde incerta, vt ſudores, tabem, imbecillitatem, febres inordinatas, quæ nec omnia ſimul, nec ſingula ſeorſim ſigna ſunt lumbricorum.

Curantur autem ope eorum quæ vermes necant, modo per clyſteres vterinos & peſſaria ac fomentationes vtero indantur; alias quæ præſumuntur vix eo penetrare poſſunt, & interea partibus aliis poſſunt nocere, potum *ex ſucco hederæ* laudat *Cleopatra*, & peſſarium ex *radice iridis & rubi* contuſis, pulveriſatis, & cum *ſucco mali* granati permiſtis. *Primiroſius l. 2. cap. 13.*

Cap. XII.

De Symptomatibus Vteri.

De Vteri imbecillitate, & dolore.

SYmptomata Vteri, vel *ſunt mulieribus in omni ſtatu communia*, vel ſunt, aut *extra conjugium viventibus magis familiaria*; aut *conjugatis propria.*

Communia ſunt, *Vteri imbecillitas, Dolor, Menſium ſuppreſſio, ſtillicidium, fluxus nimius, difficultas, decoloratio, inordinatus fluxus, Fluor muliebris, Gonorrhœa.*

[1] *Vteri imbecillitas eſt ejuſdem in actionibus ſuis obeundis pigrities vel defectus, intemperiei, occultarum qualitatum, & caloris nativi vitio inducta.*

Signa ſunt, veneris appetitus languens, inordinatus menſtruorum fluxus, inſtantibus iiſdem in lumbis & pectine dolor, parva vel nulla in congreſſu voluptas, frequentior abortus, flatuum ex vtero eruptio. Scilicet Actiones uteri ſunt, veneris appetitus, ſanguinis menſtrui debito tempore excretio, ſeminis in actu venereo ejectio, & à viro ſuſcepti retentio, fœtus concepti ad debitum tempus detentio, ejuſdem jam perfecti in lucem excluſio.

Cauſarum ratio in differentiis exponetur.

[2] *Curatio* ad cauſas (de quibus ibidem) obvertenda erit.

Differentiæ ſumuntur à cauſis.

Alia eſt ab *Intemperie vteri*: quæ ſi eſt *Frigida*, vterus nec mediocrem alimenti quantitatem conficere poteſt, ideò non multa excrementa accumular: ſi *Humida*, nec ſanguis, nec ſemen, nec fœtus rectè continentur. Curationem vide ſupra.

Alia eſt ab *Occultis qualitatibus*, quas vterum habere vel exinde patet, quod ſingularem cum rebus variis habeat ſympathiam & [3] antipathiam, ſemen virile appetat, ſuavibus delectetur, &c. & tum à nulla evidente cauſa affectus exortus eſt, nullus humiditatis vel frigiditatis exceſſus deprehenditur. In *Curatione* medicamenta totâ ſubſtantiâ propria applicanda ſunt.

Alia à *Calore innato, vel ſuffocato, vel diſſipato*; & tum affectus eſt periculoſus, quia calor innatus amiſſus difficulter reſtauratur. In *curatione* reſtaurantibus agendum, qualia ſunt, *Cinnamomum, Nux moſchata, ſpecies diaxyloaloes, Aromatici roſati,* &c.

Vteri dolor.

[4] *Dolor uteri eſt triſtis ejuſdem ſenſus, à continui ſolutione à cauſis ſuis inducta, procedens.*

[5] *Signis* opus non eſt, cum ipſa fœmina dolorem patefaciat. Afficit mulieres tam liberas, quàm gravidas & à partu ſolutas, eâ ratione, quâ dolores colici in infimo ventre excruciat, cum ligamenta vteri ad coxas & lumbos ferantur, eò vſque etiam ſe extendit.

[6] *Cauſa* eſt [7] quicquid continuum ſolvere poteſt.

[8] *Curatio* reſpicit.

I. Doloris mitigationem per Anodyna, poteſtque teſta nucis vnguento ex *butyro, meliſſa verâ & ovis* repleta, cum cruſta panis toſta & butyro illita, umbilico apponi, & linteis calidis tegi, quod ſæpius iterandum.

II. Cauſæ remotionem, de qua in Differentiis.

Differentiæ ſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt *ab Eroſione*, quæ præcipuè in vlceribus, fluore muliebri, vitioſis menſibus, &c. accidit, & maximè cervicem vteri offendit.

[9] *Curatio* ad affectus iſtos dirigenda.

Alia à *diſtenſione*, quam inferunt.

I. *Grumus ſanguinis* in vteri cavitate hærens, & *tùm* ſanguinis fluxus copioſus ex utero proceſſit, dolor fixus eſt, & maximè circa orificium vteri percipitur, cum natura ob aſſiduum expellendi conatum rectum inteſtinum & veſicam in conſenſum trahat, cum teneſmo & frequenti mictione conjungitur. [10] In *curatione* reſpiciendum ad *Diſſolutionem grumi*, ad quam Theriaca cum vino illita, vel dr. ſ. doſi cum vino exhibita, ruta trita cum melle pubi impoſita, commendantur; & ad *Evacuationem*, quod ſi diutius ibidem hæſit, *ad malignitatem.*

II. *Sanguis menſtruum*, [11] quando vel vaſa minus patent, vel ipſe nimis craſſus eſt, quod etiam à frigido potu accidere poteſt, præcipuè ſi femina ab exercitio incaluit, & tum, cauſæ quæ occaſionem dederunt, anteceſſere, menſium ſuppreſſorum vel non rectè fluentium ſigna adſunt. *Curatio* ad eoſdem dirigenda.

III. *Humores*

III. [12] *Humores vitioſi* in vteri cavitate [13] vel vaſis hærentes: & tum [14] Evacuantibus, & Præparantibus agendum, & ſi ſunt acres vel maligni, Angelica, Scorzonera, mithridatum, aqua Zedoariæ, &c. adhibenda erunt.

IV. [15] *Flatus*, qui ex efferveſcentia vitioſorum humorum, quam interdum coitus cauſatur, oriuntur, & tum Evacuatio inſtituenda eſt. Flatus diſcutientibus, de quibus in Colica, agendum.

V. *Inflammatio vteri*, de qua ſuprà.

VI. *Vlcera* & alii *tumores* de quibus ſuis locis.

VII. [16]. *Semen retentum & corruptum*: & tum, ad ſuffocationem vteri reſpiciendum eſt.

[1] *Vteri imbecillitas*) Debilis dicitur Uterus quando actiones ſuas languidius perficit, nullo alio affectu in ipſo exiſtente. Non mirum ſiquidem, ſi cum inflammatur, vlceratur, aliove modo afficitur in operationibus ſuis etiam lædatur. Sunt autem illius actiones, vel *communes & ſimilares*, vt nutritio & quę illi ſubſerviunt; Vel *propriæ & organicæ*, vt menſtruorum expurgatio, veneris appetitus, conceptus, & partus. Quando igitur aliquas harum actionum vel non omnino vel ſegnius perficit, *Imbecillis* dicitur, vnde varia mulieribus ſymptomata contingunt. Si enim non attrahat alimentum, menſtrua ſupprimuntur, ſi validius proliciat, copioſe fluunt & inordinate; Si concoctrix langueat, multis humiditatibus vterus redundat, Si Retentrix imbecillis ſit, ſæpius menſtrua fluunt, ſemen aut non excipitur, aut ad partus vſque tempus non retinetur, ſed quibuſdam citius, aliis tardius effluit; vixque vnquam perfecte fœtus conformatur; Ex debilitate ejuſmodi proficiſcuntur vel fluxus muliebris, vel inordinata menſtruorum vacuatio, vel veneris faſtidium, vel conceptio abolita, aut ſaltem immaturi, nondumque perfecti fœtus excluſio.

Cauſarum ratio); Cauſas quod ſpectat, quamvis etiam à morbis organicis, aut ſolutæ vnitatis proficiſci poſſint, tamen *Imbecillitatis* nomine hoc loco illos non intelligimus, ſed ſolos *Intemperiei* morbos, quos *Similares* vocamus; ad quos Idioſyncraſiæ perverſionem referre oportet. Non enim ſolo calore ſuas operationes vterus perficit, ſed inſita quadam proprietate, qualis nulli alteri parti conceſſa eſt: Sed quoniam ſingularium partium vires calore tanquam inſtrumento vtuntur, illius tantam læſionem ſæpiſſime conſideramus cum partium debilitates inquirimus: Igitur pariter, hoc loco *vterum debilem* dicimus qui *Intemperie* laborat, nec tamen qualibet; Cùm enim debilitas partis ea dici debeat, in qua actiones aut imminuuntur, aut abolentur, ſane non quælibet intemperies id præſtat, quædam enim actiones potius intendit & auget, aut, vt alii volunt, depravat quam imminuit; vnde calida plus trahit quam conficit; maxime ſi ſiccitati conjungatur, quæ eſt lima caloris, & partis vires quodammodo potius roborat, quam labefactat. Solum igitur frigida aut humida, parti imbecillitatem conciliat, ſivè ſimul ſive ſeorſim partem afficiant. Humiditas quidem vterum reddit lubricum, vnde & ſeminis & fœtus retentionem lædit. Frigiditas quoque torpentis Veneris cauſa eſt, & ſterilitatis aut immaturæ fœtus excretionis, Has cauſas aliæ fovent, vt ſpirituum & caloris reſolutio, ex immodicis vacuationibus, frequenti partu vel abortu; Addunt quidam, vt *Roderius* à *Caſtro* & *Sennertus Laxiorem vteri ſubſtantiam*, ſed cum immediate ſequatur vteri humiditatem, fruſtra ab illa diſtinguitur, nam cum ea conjungi debet.

Signa ſunt) Veneris faſtidium, vteri humiditas, inordinatus menſtruorum effluxus, aut ſaltem, ſi per aliquod tempus retineatur, tandem ante perfectam conformationem præmature profluit, Aliaque interdum adſunt vteri ſymptomata, vt dolores pectinis, lumborum, crurum, interdumque etiam capitis, & ventriculi.

Cauſas quod ſpectat, intemperies frig. & hum. ſigna ſuo loco traduntur, menſeſq; adſunt decolores, aquoſi, lumborum & crurum languor, ſicut & totius corporis: quod ſi aut pariendi difficultas, aut abortus frequens debilitatem fecerint, aut cauſa quæpiam externa præceſſerit, ægræ relatione deprehenditur.

Malum eſt grave quidem, cui & abortus frequens, aut ſterilitas ſuccedit, ſicut & varia circa menſtruorum fluxum ſymptomata.

Curatio eadem eſt quæ intemperiei frigidæ & humidæ, nam calefaciendus vterus eſt & exſiccandus, quod præſtant *exercitia, frictiones*, partium inferiorum & ventris. Suus *thermarum ſulphurearum* tam potu quam balneo, vſus *aromatum* conducit & aliorum quæ ex materia medica repetenda, &c. *cibi* ſint calidi ſiccique, qui condiri poſſunt *ſale*, quod veteres *Sacerdotale* vocabant.

℞. *Sal.comm.* ℔ß. *cinnam.piper.ameos, ſileris mont. hyſſopi, orig. puleg.* āā.℥j. contundantur omnia in pulverem tenuiſſimum.

Huic ſali veteres maximas vires attribuunt, nam non tantum matricem roborat, & expurgat, ſed etiam caput, ſtomachum, &c. Exterius vnguenta conveniunt, Suffitus, Injectiones, Emplaſtra, &c. *Primiroſius.*

[2] *Curatio ad cauſas*) Omiſſis iis quæ adverſus qualitates pugnant, (*vide ſupra cap. de Intemperiebus vteri*) debilitati ex reſolutione ſpirituum, ac nativi caloris, quadruplici remediorũ genere ſuccurritur; 1. *Victu* largiori, facilis concoctionis & optimis nutrimenti, *Potu* vini generoſi, aqua vitanda, evacuatio nulla molienda.

2. Iis quæ evocato ſanguine calorem & ſpiritum ſuſcitare valeant, quod egregie prę̨ſtant exercitium, frictiones, partium infernarum & ventris inferiores, vſus aromatum & aromaticorum, &c. Inſuper inungantur partes dictæ *ol.napha.lavendulæ*, &c.

3. Iis quæ calor & ſpiritus effluvium impediant, ac ipſam matricis ſubſtantiam confirment, in quem finem vide quæ adducuntur capite de ſuffoc. ex vtero. Efficax ſequens eſt

℞. *Empl.ceronei* ℥ij. *ladani depurati* ℥ß. *gall.muſc. aliptæ muſc. pulv.cinnam.baccar.lauri* āā.℈j. *ol.de angelica q.ſ.* M.f.

4. Iis quæ non ſolum reficere & ſpiritus excitare, ac vterum odoris ſuavitate delectare valeant, ſed inſuper ipſum adſtringere ac firmiorem reddere, quæ præter id quod molliorem ac laxiorem ejus ſubſtãtiam emendant ac in ſolidiorem tranſmutant, etiam ejuſdem hiatum inprimis curant, quare valent localia omnia quæ ad ſiſtendos menſes adducuntur, &c. *A Caſtro l.2.c.11.*

[3] *Et antipathiam*) Inter hæc *Acetum* ὑστεραλγὲς prædicatur, quod duo ſecum habeat minus commoda, *acrimoniam*, nervoſis partibus inimicã, & *acorem* figentem, ac coagulantem ſanguinem, adeoque duplici hoc caſu minus eſt commodum. *Wedelius A.m.m.p.197.*

Acida *tamen* non omnia lædunt vterum, Alia ſunt ſulphurea magis, alia minus; vt acetum, quæ minus hinc vtero conveniunt: Videas hyſtericas quæ ab aceti vſu etiam leviori ſtatim corri-

piuntur, ſuis ſymptomatibus fixatis humoribus & irritatis membranis: Proſunt Acida quoque nonnunquam odoratu in lipothymiis hyſtericis, vt *aqua apoplectica mulierum acida*; *acetum flor Javendulæ*, *ſpir. vitrioli* naribus objectus. *Wedelius*.

Oxycrato exhibito ancillam hyſterico paroxyſmo prehenſam revocavit *Riverius*, vt patet ex illius obſervationibus: huncque imitatus viduæ hyſtericæ, cum cætera remedia eſſent irrita, illius cyathum proſpero ſucceſſu exhibui, à quo protinus reſtituta eſt, idque deinceps familiare habuit; coagulatis videlicet ejus vi aſſurgentibus vaporibus ac depreſſis.

De Dolore Vteri.

4. *Dolor vteri*) Uterum, quia pars eſt acutiſſimi ſenſus, etiam dolor interdum gravis occupat, quem à Colico diſtinguere non eſt facile, dolores autem nomine intelligimus illum, qui ſine alterius affectus complicatione contingit, vt ſine inflammatione, eryſipelate, inflatione de quibus ſuis locis; Sicut nec eum intelligimus, qui gravidas poſt partum interdum affligit, de quo poſtea, ſed eum qui ſine vllo alio morbo vterum corripit, & interdum ad lumbos & coxas vſque extenditur, ob ligamentorum communionem.

5. *Signis opus non eſt*) Quoad *ſigna*, De dolore ægra conqueritur in abdomine, qui ad lumbos & inguina pertingit, vnde à colico diſtingui poteſt, qui magis regionem ventriculi infeſtat, & tanquam zona cingit, quia colon ventriculo ſubſternitur.

Cauſæ vero cognoſcuntur, flatus quidem, ex tenſione, rugitu, & flatus exitu ex vtero; quæ tamen neceſſaria non ſunt, ſi flatus in vteri tunicis contineatur, nam tenſio quidem adeſt, ſed nec rugitus, nec flatuum exitus, quia arcte tunicis concluditur, ut agitari non poſſit. Dolent præterea lumbi, pubes, præcordia, mulier ſuffocatur, & quadam ſpirandi difficultate laborat, nec facile ſeſe movere aut inclinare poteſt: & ſi flatus, ſive halitus illi, ex pravo humore quopiam excitentur, cum pernitioſam qualitatem habeant, anxietates faciunt, jactationes, inquietudines, lipothymias, interdumque ſimul febricula quædam ſuccedit, ardorque non adeo gravis, ſed ἀνώδης, vnde præterea caput quoque dolet, anxia eſt, vt ſibi mortem optet, aliaque adſunt maligni humoris ſymptomata, de quibus *Hippocr. l. de ſter*.

Grumoſum ſanguinem, nec facile profluentem indicat ejuſdem ſtillicidium, teneſmus, frequens mictio, ob viciniam & conſenſum harum partium cum vtero, tum enim ejuſmodi moleſtia aſſiduo laceſſitur, flatuſque plurimi vterum diſtendunt, veſica & inteſtinum premuntur, & irritantur, vnde frequens ad egerendum & mingendum conatus; Quod ſi grumus in vteri cavitate contineatur, nec commode excerni poſſit, dolor fit acutus & fixus, quaſi parturientis. Quod ſi ſanguis ille diutius retentus corrumpatur, parva accidentia ſuſcitat, de quibus ſupra; Procatarcticæ demum cauſæ ægrotantis relatione cognoſci poſſunt.

Prognoſtica ejuſmodi dolorum ex gravitate, duratione & cauſarum natura depromuntur.

a. *Ea ratione quâ dolores Colici*) Fœminarum nonnullas vexat affectus hyſterici ſpecies quædam, colicam bilioſam ita ad vnguem referens, tam doloris acerbitate, quam ſitu, tum etiam humoribus coloris flavi viridiſque vomitu rejectis, vt mihi obiter tractanda veniat, ne à quopiam pro dicto jam morbo hæc habeatur.

Quæ habitu corporis laxo crudóque ſunt mulieres, cum hoc malo præ cæteris confli̇ctantur, quæque alio aliquo affectu hyſterico jampridem laboravere, aut (quod ſæpenumero fieri ſolet) quæ à partu difficili ac laborioſo, qui vires & naturam maternas nimis exhaurit, vix evaſere. Regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem dolor haud mitior, quam in paſſione colica iliacave primùm obſidet, quem vomitiones ſequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc vero flavæ. His accidit (quod ſæpe obſervavi) major animi dejectio deſperatioque quam in alio quocunque. Poſt diem vnum alterumve faceſſit dolor, qui poſt paucas ſeptimanas revertitur, nihilo lenius ſæviens, quam antequam ſolveretur paroxyſmus. *Icterum* quandoque ſatis ſpectabilem comitem ſibi adſciſcit, intra dies pauculos ſponte evaneſcentem, ceſſantibus jam ſymptomatis omnibus, vbi ægra ſibi ſatis valere videatur, leviſſima animi commotio, ſive ab ira, ſive à dolore, ea fuerit excitata (quibus hoc in caſu prompriſſimæ afficiuntur fœminæ) dolorem fere revocat, quod etiam & de ambulatione, & de alio exercitio quolibet præmature nimis ſuſcepto dicendum eſt, cum ab hujuſmodi cauſis eleventur vapores in habitu corporis laxo atque imbecilliori: *Vapores* cum vulgo dico cum ſive illiuſmodi ſint, ſive convulſiones particularum partium, vtrovis pariter modo ſolventur phœnomena.

Hi vapores, ſive convulſiones hæ, vbi hanc illamve corporis regionem invaſerint, pariunt ſymptomata ei quam invaſere parti accommoda, ac proinde licet vnum atque eundem vbique morbum faciant, pleroſque tamen quibus miſeræ cruciantur affabre ſimulant, quod vel ex eo liquet affectu, qui cum partes colo adjacentes inſederit, colicam bilioſam ad amuſſim imitatur; Neque minus id patet in multis aliis corporis partibus eodem modo tactis, e. g. nonnunquam renum alterum vehementiſſimo dolore afficit, vnde vomitus immanis, atque etiam per vreteris ductum perſæpe delatus, calculum ſimulat, & cum ab enemaris, medicamentiſve litontripticis exaſperatur, vno eodémque tenore diutiſſime affligit.

Vidi inſuper & ſymptomata ab eodem prognata, quæ veſicæ calculum omnino referebant. Nuper vocatus fui vt Comitiſſæ dolore in veſicæ regione admodum violento, & vrinæ ſuppreſſione derepente correptæ conſulerem, cum ego illam affectibus hyſtericis variis obnoxiam certo ſcirem, atque ex eo augurarer non iſto eam, quem putabat morbo laborare, Enemata injici non patiebar, ne ab iis creſceret morbus, ac horum loco, & aliorum quæ parabat Pharmacopola, *Narcoticum* exhibui, quod ſymptoma illud ſubito compeſcuit; Neque ſanè vel vna aliqua pars corporis, ab hujus mali inſultibus penitus eximitur, ſive ea interna ea fuerit, ſive externa, vt ſunt fauces, coxæ, crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem; atque vbi diſceſſerit, teneritudinem quandam quæ tangi recuſet relinquit, perinde ac ſi carnes multo verbere fuerint emollitæ.

In Curatione Nonnulla ad ſymptomatis, *doloris*, qui eam comitatur, curationem facientia, attingam, *radicalis* enim, quæ morbum ſublata cauſa tollit, alternis eſt ſpeculationis & loci.

Vena ſectio, & *repetitæ* purgationes, quæ in Colica bilioſa incipiente indicantur, hic locum non habent, niſi in caſu infra dicendo, docet enim experientia, & exaſperari dolorem, & invaleſcere ſymptomata alia omnia, à tumultu quem iſta cient, adjuta atque adeo plus ſemel animadverti, enèmatum, vel leniſſimorum repetitionem continuam ſymptomatum ſeriem invexiſſe. Experientiæ ratio etiam adſtipulabitur, quæ morbum hunc à ſpirituum potius ἀταξίᾳ, atque inordinato motu, quam humorum vitio aliquo produci

produci dictabit, ſi expendamus nempe circumſtantias illas quibus vtplurimum originem ſuam debet; Hujuſmodi ſunt magnæ atq; indebitæ ſanguinis profuſiones, motus animi vti etiam & corporis violentiores, & aliæ id genus, quæ omnia remedia illa ſuadent proſcribenda, à quibus major ſpirituum perturbatio poſſit excitari, atque eorum loco *anodyna* eſſe vſurpanda, licet viridis ac pravus materiæ vomitu rejectæ color contrarium indicare videatur; Subtilior enim eſt atque minutior colorum ſpeculatio, quam vt evacuationibus, quas ipſo facto nocentes deprehendimus, authoritatem conciliare valeat. Nulluſque dubito morbum hunc (qui licet acerbiſſimum dolorem, nullum tamen vitæ diſcrimen apportat) ob errores hoc nomine commiſſos lethalem ſæpenumero evadere: Adde quod ſi quis *Emeticum* vel fortiſſimum hodiè propinaverit, vt ſcil. eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, ægra poſtero die materiam æque viridem aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Obſervandum eſt tamen eam quandoque ſanguinis atque humorum copiam reperiri, quæ *Narcotici* operationi eo vſque obſiſtat, vt quamlibet ſæpiſſime repetatur, orgaſmum tamen cohibere nequeat, niſi ſectâ prius vena, aut alvo ſubducta; quod in fœminis temperamenti magis ſanguinei atque viraginibus ſubiit mihi notare; Si ita ſe res habeat, vel v.s. vel catharſi, forte etiam vtraque, anodyno via aperienda eſt, celebrata enim harum vtravis Narcoticum, quod prius ſumma licet dozi exhibitum nihil quicquam profecit, jam etiam in mediocri dozi effectum cui deſtinabatur, obtinebit; Raro autem hoc contingit, neque tum reiteranda ſunt hæc remedia; Quibus præmiſſis, vbi opus iis fuerit, in Anodynis ea methodo quam in Colica biliosa propoſuimus exhibendis, progrediendum eſt, quæ crebrius parciuſve ſunt exhibenda pro doloris recedentis ratione. *Sidenham obſ. in Acut. ſect. 4. c. 7.*

6. *Cauſa eſt*) Varias habet, *flatus* ſcil. vel *humores*, qui partem acutiſſimi ſenſus vellicant, & quidem flatus ſæpiſſime ab vtero excretos fuiſſe notum, taliſque dolor ſæpiſſime iis contingit, quæ vel à partu, vel inſtantibus & fluentibus menſtruis, quo tempore vterus apertior eſt, frigidi aëris non experiuntur.

Humores autem vel copia vel quantitate peccant, nam *grumoſi ſanguinis* plenitudo in vteri vaſis, dum commode ob vaſorum anguſtiam fluere nequit, dolorem parit, Unde *Aëtius* rectè inter ſtillicidii menſtrualis ſigna dolorem ejuſmodi recenſet, eique ferme ſoli remedia adhibet; quem cauſæ externæ, quæ vterum refrigerare ſolent, & menſtrua ſupprimere, accerſere poſſunt, vt frigidorum potuum vſus nimius, aquæ frigidæ, lactucæ, lactis, aceti, & aliorum ejuſmodi Interdum menſtruo ſanguini vitioſi humores, acres & mordaces admiſcentur, qui in halitus converſi vaſa vterique ſubſtantiam diſtendunt, quod etiam iis accidere poteſt, quæ menſtrua non amplius patiuntur, ſi cacochyma ſunt; natura enim ex veteri conſuetudine humores pravos ad vterum tranſmittere poteſt, qui humores, ſi incaleſcant & ferveant, aut fermententur, in flatus reſolvuntur, vnde dolores aliaq; ejuſmodi ſymptomata.

An autem in cavitate vteri, aut ſubſtantia & tunicis humores ejuſmodi flatuſque contineantur non immerito quæritur. Sane dolorem illum quem inflammatio aliique uteri morbi facere ſolent, non dubito poſſe & in vteri cavitate, & in ipſius ſubſtantia contineri, ſed de illo dolore hic non agitur, At cum experientia oſtendat vterum increſcente, fœtu in magnam molem ſine dolore diſtendi; idemque pariter fieri in ejuſdem hydrope & inflatione, quando in illius cavitate cauſæ hæ continentur, veriſimile eſt in dolore vteri intra membranas flatus hoſce conſiſtere, cum ſæpiſſime illorum exigua copia acerbiſſimos dolores conciet, quod fieri non poſſet, ſi cavitate ſola coercerentur.

7. *Quicquid continuum*) Frequenti obſervatione nobis compertum eſt, etiam ſi dolores vehementiſſimi ſint & graviſſimi, affectionem tamen ſeu *ſolutionem continui* leviſſimam, aut quam parviſſimam, doloribus ſolum proficiſcentibus ſæviſſimis ex partis dolentis natura, vel ex cauſæ malitia, quæ hac potius ratione, quam vi continuum dilacerante dolorem excitat, leviſſima facta ſolutione. Cui conſimilem dolorem in hemicrania, & aliis importunis capitis doloribus frequentiſſime reperimus, qui ſane ex levi humoris vel halitus portione, ſola ipſorum malitia, graviſſimos dolores excitat. Quod proculdubio in vtero frequentius adhuc contingere eſt æquum, nam & cauſæ maligniores & venenoſiores ibidem exiſtunt, & particula non obtuſioris ſenſus, *Mercatus de m. Aff. lib. 2. c. 14.*

8. *Curatio*) Vel cauſa, vel ſymptoma ſpectat, ſi nimium vrgeat, nam vires labefactat, & humorum fluxione, accerſit, Curatur autem anodynis, quæ temperata ſunt, vel primo ordine calida, ſimulque tenuium partium, ſicque partem blande foveat humores & flatus, in halitus reſolvunt, nam rarefaciunt, concoquunt, & attenuant, Et ejuſmodi anodyna maxime in doloribus à flatu conveniunt; tutius tamen corpore vacuato adhibentur, ne dum humores attenuant, partes affectas amplius diſtendant.

Tutior tamen & certior curatio eſt, quæ *cauſam* ſpectat, cum autem variæ cauſæ hunc dolorem faciant, ſingulis ſua remedia adhibeantur, Potiſſimùm autem *ſanguinis grumus, humores maligni*, & *flatus* hujus doloris cauſa ſunt, ſiquidem non alium dolorem hic intelligimus, quam eum qui ſine alterius affectus complicatione contingit.

Grumoſus ſanguis attenuantibus & calfacientibus ſolvendus eſt, aut iis quæ peculiari vi grumos attenuant, vt *oxymelite*, *coagulo hœdi*, *leporis*, *vituli*, *rhabarbaro*, *rub. tinctorum*, *aqua nucum*, *theriaca*, *&c.* Ejuſmodi medicamenta vel aſſumi poſſunt, ut

℞. *Theriac.* ℈j. *rad. angel.* ℈ß. *aqu. nuc. virid*, ℥j. *aqua hyſter. vel theriac.* ℥ß. *oximel. ſimpl.* ℥j. *m. f. Potio.*

Vel in vterum injici per metrenchyten, vel per evaporationem excipi, vel demum extrinſecus apponi. *Theriacam* vel *rutam cum croco* quidam commendant; Nec omittenda eſt in ejuſmodi affectu venæ ſectio, ex brachio, aut pede, prout menſes vel parcius fluunt, vel liberius, aut inſtant, vel non ita cito expectantur.

Humores autem ſi *acres* fuerint & *maligni*, purgandi primum ſunt blandis medicamentis, dein topicis anodynis demulcendi, vt *peſſo aureo*, vel *ungu. roſac.* cum *mucil. ſemin. lini*, *fœnugr. pſillii*, *cydon. alth.* quibus intincta lana peſſarii forma in vterum indi poteſt, Nec omittenda ſunt quæ ad humores acres temperandos per os aſſumuntur.

De Flatibus cap. de Inflatione vteri dictum, Specialiter tamen interna conveniunt & externa, Aſſumi poſſunt *theriaca, Androm. mithrid. theriaca diateſſ.* ſed maxime *aqua theriacales* & aliæ ex carminativis compoſitæ.

In ſumma doloris acerbitate, quæ remediis non cedit, vtendum eſt *narcoticis*, quæ vnguentis, fotibus, clyſteribus, admiſceri poſſunt, ſed maxime valet *laudanum*, cujus grana tria quatuorve blande & innoxie omnes dolores concipiunt. *Primiroſius lib. 3. cap. 1.*

Certum & probatum eſt in Colica matricis, *cornu cervi pulveriſ.* & in vino calido datum. *Joh.Th. de Bry Intr.in vit.Phil.to.2.c.31.*

♃ *Sanguinem, hepar, cor, & cerebrum anſeris, deſtilla per retortam*, Exibit aqua fœtida rubra; cui aliquot guttæ olei nigri innatant, Aqua vero ſucceſſu temporis fit clara, *cujus* ʒj. *cum juſculo carnis* ſumpta dolores vterinos potentiſſime brevi curat, præſertim ſi cum oleo nigro ſupra pubem illinatur. *Leon. Fioravant Phyſ. l.1. c.67.*

Radices lilior. coctæ in oleo roſac. ad dolorem valde conferunt, quod ſæpius expertus ſum.

Dolores pungitivos qui partum ſequuntur, mox tollit hic Pulvis.

♃. *Sem. ameos, apii, zinzib. carvi. piper. long.* āā. q.v *ſacch. q. ſ. m.f.* Pulvis, Doſis coch. j. cum vino. *Gul. Varignana ſecr.tr.16.c.5.*

Ad dolorem matricis dentur *ol. amygd. d.* ℥iv. *ſacch.* ℥ij. (ʒij.) in potu, optimè liberat à torminibus.

Mulier quædam ad dolorem matricis dedit, cepit *menthaſtr.* recens, laterem calefecit, & aſperſo vino calido applicavit loco dolenti, & convaluit, Atque etiam *ſpicæ* ℥v. *cum* ℥j *vini malvat.* exhibuit. Matricis motum ſedat, ſed mulier in lecto calide quieſcat. *W. Gabelchoverus cent.4.cur.96.*

In dolore vterino qui menſes inſtantes præcedere, partum vero ſubſequi ſolet, ſequens remedium omni pretio eſt pretioſius.

♃. *Spong. roſ. ſylv.* ℈ß. *mandib. cum dentibus trutta piſcis* ℈iß. *extr. caſtor. croci* āā.gr.j. *aqu. cinnam.* ʒß. *ſpir. roſar.* ℈j. *aqu. matricar.* ℥iß. *ol. rhod. gtt.j. vel alteram*, Efficaciam remedii admiraberis. *Roſenberg. Rhodol. pag. 388.*

Nihil quicquam huic magis profuit quam *caſtor.* ℈ij. cum *vini Rhenani* exiguo ſumpti: Alteri etiam mulieri cui cum dolore ventoſitas admixta erat, exhibui *pulv. rad. gentianæ* ʒj. *cum vino generoſo.* Nihil enim dolori æque ſubvenit, vt recte dicit *Bened. Veronenſis* quam *Caſtoreum*, ſi ex frigida cauſa fuerit, ſive potum, ſive illitum, Ita & *gentiana* trita mire prodeſt, ex vino calefacto potu, ſi ex vento fuerit, nam & imminentem arcet dolorem. *Foreſtus obſervat. 40. lin. 28.*

9. *Curatio ad*) Excoriatio exulceratiove ab humore acri pendens curabitur, poſtquam humor acris fuerit correctus, aut alio deductus, blandis exſiccantibus imprimis ſufficiendo vſurpatis, Humor peccans corrigendus medicamentis acres humores temperantibus. Alio deducetur peccans humor, tum per evacuantia vniverſalia, ſudorifica, diuretica, purgantia; Tum per evacuantia particularia, fonticulos, in cruribus præſertim excitatos, quorum ope multa mala ſæpe feliciſſimè curantur. *Franc. Sylvius Pr. lib.3. cap.3.*

10. *In curatione reſpiciendum*) Si ex grumoſo ſanguine concretove aut efficiente inæqualem plenitudinem vterus doleat, id in curatione ſemper eſt obſervandum, vt partes vteri laxentur, & viæ patentiores fiant, & ſanguis tenuior, ac plenitudo æquabilis reddatur. Quod fieri oportet, vt *Aetius conſulit l.4. S.4. c.63.* per ea medicamenta quæ cum vapore humido calefaciant, & modice attenuent; Ob id fœminam in loco calido reponi jubet, & femora ac vteri regionem vaporibus, fomentis, inunctionibus & balneis modicè calfacere; Cæterum ſi prædictæ plenitudini aliquid ſupereſſe cognoverimus, ſanguine prius miſſo, ad eadem auxilia confugiemus, conantes evaporationibus partes dilatare, laxareque eaſdem inunctionibus & modice attenuantibus pharmacis grumoſum ſanguinem attenuare & inſcindere. *Mercatus.*

11. *Quando vel vaſa minus patent*) Huc pertinet dolor qui accidit, ſi vterus à quacunque cauſa intumuerit: de quo *Mercatus l. c.* Nec minus dolore afficiantur mulieres quædam dum viro accedunt, *ſi vterus à qualibet cauſa intumuerit*; Quod *Moſchio* exprimit dicens, *Si mulieris loci doluerint, aut vulvæ per coitum punctiones ſenſerit, ſciat ſibi vulvam in tumore eſſe, magis tamen in interiore parte quam foris. Hujus rei ſignum eſt tale, Oculorum anguli dolebunt, & facies ignea plus quam pallida, & hoc vitium erubeſcunt Medico confiteri.* Quod ſane malum exiſtimo plerumque fieri in fœminis, quæ obſtructione vteri, præſertim colli ejus laborant, ob plenitudinem quidem pudendarum partium & vteri, ex ſanguine propter obſtructionem ibidem immorante: quippe dum quieſcunt partes illæ, etiam ſi plenitudine premantur, non dolent, cæterum motæ, coitus exercitio dolent, haud ſecus quam in laſſitudinibus, in quibus majores fiunt moto corpore cruciatus quam quieſcente: Sic enim in hujuſmodi fœminis plerumque ſanguis profluit, vt refert *Hippocr. lib. de ſteril.* dicens, *Si vero à coitu imus venter dolet, & ſanguis recens ipſi appareat, lini ſemen tuſum & muſcum mollem, & adipem anſerinum mixta, ac molli lana excepta* imponito: Quod vitium, dum ſanguis profilit, cenſeo in extimis corporis partibus eſſe potius quam intimis.

His ſubvenire oportet juxta naturam cauſæ dolorem, aut tumorem excitantis, Sic ſi ex *tumore intus recondito*, præter generalem providentiam, medeberis vt *Moſchio* docet *l. Gynæc.* mulieris lac quæ maſculum peperit, cum *oleo roſac.* æqualiter miſce, & calefacito, & hinc fac peſſarium de lana molli, & appone vſque ad caput vulvæ: verum ſi ſanguis à coitu exeat, ſequere conſilium *Hippocr.* ſupra adductum, Reliqua pro cauſę ratione adminiſtrabis, ſed nullum auxilium efficacius reperies, quam ſanguinis detractionem ex hæmorrhoidibus, vel ex talo, maxime cum ejus copia in vteri collo malo cauſam præbeat; à quo quæ emolliant & digerunt peſſaria adminiſtranda, vel quæ vterum leviter expurgent.

12. *Humores vitioſi in vteri cavitate*) Nec ſeroſus humor, nec alius, ſi in vterum influant, ob prædictas rationes (vide §. *Flatus*) dolorem vterinum inferre nequeunt; Etſi hi qui vterum quendam magnum, eumque amplum veſicæ inſtar ſibi fingunt, hoc fieri poſſe credant, *Inflationemque vteri ab aqua & flatu*, factam nominent & deſcribant, multaſque illius cauſas aſſignent, Licet enim vterus in quibuſdam amplior ſit mulieribus, vel natura vel humiditate multa relaxatus, tamen neque tunc adeo impleri aut diſtendi, vt dolor inde ſequatur, poteſt; cum ſi magna illius eſſet repletio, vt putant, ponderis tunc ſenſum & moleſtiam potius quam dolores præberet; Sicuti à fœtu grandi, ſi ille vterum nimium gravet, accidit, qui aliquando pondere ſuo, tractis ligamentis, vterinum aliquem dolorem, qui circa inguina potius aut lumbos ſe maxime offert, procreat. Ita vt *vterinus dolor diſtendens* præter hunc, qui partum ſequitur vix adeo illius corporis, ſicuti vero illius membranarum vaſorumque, quibus ſuſpenſus hæret cauſa eveniat. *Platerus.*

13. *Vel vaſis*) Uterinus dolor Diſtendens alius præter hunc qui poſt partum ſequitur, vix adeo illius corporis, ſicuti vero illius membranarum vaſorumque, quibus ſuſpenſus hæret, cauſa evenit, cum illic collectis retentiſque pravis humoribus, dolores vterini diſtendentes, & ad latera vſque protenſi, qui menſium eruptionem præcedunt, aut quando alias ſuppreſſi ſunt, vel non recte fluunt, accidunt; aut quando alias ſuppreſſi ſunt, vel non rectè fluunt, accidant; vel alias ob impuritatem mulierum, etiam

præterita

præterita ætate menſtruis deputata, ſæpe illis eveniant; Quæ illuvies illic à ſanguine vitioſo, aliſve humoribus permiſtis, à natura eo ad expurgationem menſtruam protruſis cumulatiſque, in mulieribus cachecticis, aut alioquin malignis excrementis ſcatentibus, ſuam originem trahit, illicque circa vterum ſedes haſce implendo, diſtendendo, irritando præſertim quando materia efferveſcit, dolores hoſce vterinos procreat; ſurſumque vapores emittendo, alia quoque graviora accidentia gignit. *Platerus.*

14. *Tum Evacuantibus & preparantibus*) Si vterini dolores à pravis humoribus circa vaſa ipſius & membranoſa ligamenta collectis geniti infeſtanti illi qui menſes præire, aut illos ſuppreſſos, vel alioquin non decenter fluentes comitari, vel etiam poſtquam per ætatem jam ceſſarunt, & nihilominus impuritas hæc circa vteri vaſa colligitur quoque accidere ſolent; Tunc ſi menſtruorum cauſâ hoc accidat, *illuvies* illa quæ menſes ſiſtit, vel impedit, imprimis repurganda; Et vt menſes rite procedant procurandum; Quæ præcipua ratio curandi vterinos hoſce dolores inde profectos exiſtit; Remedia quæ vteri doloribus accommodata, eadem fere ſunt cum illis, quæ in inteſtinorum doloribus, cum calefacere flatuſque diſcutere, ſedare dolores volumus; conveniunt; quod inde evenit, quia in inteſtinorum illorum dolores vterinos, idque in vtroque ſexu eſſe putant, ſicque nominant: & quia in inteſtinorum doloribus hæc profuiſſe obſervarunt, quos uterinos eſſe putarunt, vteri doloribus etiam hæc remedia adſcripſerunt.

Phlebotomia, niſi menſtruorum provocandorum cauſa in pede, aut evacuationis alterius occaſione requiſita, alibi fiat, hic parum proderit.

Purgantia eadem quæ in inteſtinorum doloribus præſcripta ſunt, hic exhiberi poſſunt, *Clyſmata emollientia, ſtimulantia, calefacientia*, flatus quoque pellentia, provt neceſſitas exigit, non ſolum alvum ſolvendo, flatuſque pellendo, vnde dolores etiam vteri mitigantur, ſed & quibus vtero vicino recto inteſtino vires ſuas communicant, hic quoque competunt, additis præſertim *herbis matricalibus*, quale illud vtero accommodatum.

℞. *Artemiſ. calaminth. pulegij* āā. m. j. *flor. chamom. melil. ſummit. anethi*, āā. p. j. *ſem. aniſi* ʒvj. *ſem. lini*, vel *fœnugr.* ℥ß. *furfuris p. j. f. Decoctio In colat. q. ſ. diſſolvit. mellis anthoſ.* unc. j. *ol. cheirini* unc. iij *ben. lax. hiera ſimpl.* āā. unc. ß. *ſacch. rub.* unc. j. *ſalis parum miſce*, Alius vtilis

℞. *Ol. amygd. amar.* ℥vj. *pingu. anſer.* ℥ij. *laricea diſſol. in vitellis duobus ovor.* ℥ß. *diſſolve cum jure pulli.*

Exhibita multa in inteſtinorum doloribus propoſita hic quoque proſunt, Laudatur imprimis *aqua artemiſiæ, ol. amygd. amar.* affatim bibita. Aliqui *ol. ſcorpion.* quoque exhibent, vt & *ſuccum ſtercor. equ. recent.* per ſe vel cum *vino* expreſſum & propinatum.

Decocta vtilia in vterinis doloribus, vti & illis qui poſt partum ſunt, calida bibenda per ſe, vel *ſaccharo* & melle dulcorata, & cinnamomo aromatiſata, fiunt talia, Primum

℞. *Schœnanthi* ʒij. *bulliat in aqua artemiſiæ* q. ſ. colatura detur calens duabus vicibus. Similiter ex *ſpica* factum decoctum prodeſt; Vel ex vtriuſque ʒij. pro iv. vicibus exhibendum: Aliud

℞. *Matricar.* ℥ß. *nuc. moſch.* ʒij. *coqu. in vino albo.* Tertium

℞. *Gr. junip.* ℥ij. *ſem. aniſi, carvi* āā. ℥j. *coq. in vino pro hauſtu*, Quartum

℞. *Rad. matricar.* ℥vj. *rad ſuccisæ* ℥ß. *gran. junip.* ʒij. *ſem. aniſi* ℥ß. *carvi, dauci* āā. ʒj. *nuc. moſch.* ℥ß. *ſchoen. ſpica* āā. ʒj. *Coq. in vino, colatura dulcoretur, aromatiſetur pro* iij. vel iv. dozibus.

Infuſiones prædictorum, ex quibus decoctio fit, in *vino malvat.* vel *aqua vitæ.* Et ſimiles in ventriculi imbecillitate propoſitæ. In *ſubſtantia* multa in inteſtinorum doloribus, & imprimis in imbecillitate ventriculi explicata, hic valent. Et ſequentia

Mentha, balſamita major, quam *mentham Græcam* vocant, in placenta, aut alio modo in cibis probatur, *Grana junip.* in condimentis: Pulvis radic. *imperat. zedoar.* & imprimis *gentianæ à* ʒj. *ad* ʒiß. cum *vino* generoſo, *aromat.* aliquando additis, vel materia ex qua *decoctum* parari diximus pulveriſata, hac forma detur: vel Elect. forma addito melle *Diacyminum* inter alia commendatur, Et cum ſimul adeſt imbecillitas *Diamargar. cal.* Ingratus, ſed efficax Pulvis.

℞. *Cymin. infuſi in aqua vitæ rurſum ſiccati* ʒj. *ſemin. ameos, zinzib.* āā. ʒß. *caſtor.* ℈j. *datur* ʒj. *cum vino.*

Maxillæ cum *dentibus Truttæ piſcis pulv.* ʒj. *cum aqua chamom. ſingulare eſt præſidium cum dolor ante menſtruorum adventum* vrget

Pilulæ ex ingratis potius formantur.

℞. *Gumm. opopan. ſagap.* āā. ʒj. *caſtor. rad. gentianæ* āā. ʒß. *ſpica.* ℈j. *croci* ℈ß. cum *ſyr. artemiſ. f. Pilulæ, Doſis* ʒß. *ad* ʒj.

Opiata in ſummo cruciatu dantur, præcipue *Tryph. magna cum opio*, vtero accommodata: datur ʒiß. *cum vino*, vel *aqua artemiſ.* addito interdum *pulv. macer.* ℈j. *croci* ℈ß. *Theriaca* & dari poſſet, Cum magis calefaciendum tantillum *Caſtorei.*

Fotus, Inſeſſiones, Lotiones pedum, quæ vtero valde conveniunt, ex *decocto herb. ſemin.* additis in fotu etiam *aromat.* addendo ob vterum *artemiſ. matricar. fol. lauri, meliſſam, nepeth. balſamit. botrim. ſabinam, chelidon. maj. rad. vincetoxi, flor. cheiri, viſcum qu. ſemen. dauci, &c.*

Invnctiones ex oleis. laurino, cheir. irino, lilior. nardin. ſambucino, Vnguenta varia, addendo oleis ſuccos prædictarum herbarum, aromata aliquando, & gummi quædam, quo pacto & Emplaſtra fiunt, valet *Emplaſt. de baccis lauri. Cataplaſmata* ex prædictis plantis, & *bulbis lilior. cæpar. contuſis*, additis *oleis* parata, Et quod ex *ſtercore vaccæ* cum *ſem. cymini, melle & vino* coctum: vrgente dolore adde *hyoſcyamum.*

Injectiones ex *decoctis* vel *ſuccis plantar.* dictarum, ſed quia in cervicem tantum perveniunt, nec circa vterum ſubſiſtunt, non adeo neceſſe eſt doloris cauſa illis vti; ſicuti nec peſſariis, niſi quatenus hæc, ſi menſtrua ſubſiſtant, locum habent. *Suffitus* cum altius ſubeant, & maxime ex *decoctis* ſuſcitati vtero excepti proderunt, vti & *odorata ex moſcho, ambra*, vterum recreant illi adhibita. *Frictiones pedum* à femore deorſum factæ, *Cucurbitulæ* coxis adhibitæ divertendo proſunt. *Platerus.*

15. *Flatus*) Diſtendens vterinus dolor, qui vteri corporis, ſeu fundi cauſa fit, ab aëre externo præcipue oritur, qui poſt partum, ſtatim poſtquam fœtus prodiit, dum vteri internum orificium adhuc amplum & apertum eſt, ſi non bene muniantur hæc loca, vteruſque ſenſim ſtringatur, in vterum irrumpens, cumque implebis, dilatatum & debilitatum alioquin ex partu, non ſolum diſtendendo, ſed & refrigerando, ſi frigidus ſit, dolorem in illo

excitat quem *poſt Partum dolorem vterinum* vocant: Alio tempore cum vterus ante conceptum parvus ſit & craſſus, cavitatiſque illius admodum anguſta, ab aëre externo hoc fieri vix poteſt; Uti neque à *flatibus intrinſecus genitis*, tum dictam ob cauſam, tum quia ſi in anguſtam illam vteri cavitatem ferrentur, aut illic generarentur, cum tam craſſus ſit vterus, eum adeo diſtendere, vt extendatur & doleat, minime poſſent. *Platerus*

[15] *Flatus*) Cùm illa calore ſuo, quo vterus inprimis delectatur, eum foveant, doloreſque ſic mulceant; ſi menſtruorum cauſa quoque dolores accidant, hac ratione, eoque magis quod & menſes ſimul moveant, prodeſſe tunc poterunt: Unde & factum cum calida remedia non ſolum vtero adſcriptis doloribus, qui tamen inteſtinorum erant, ſed & vtero vaſiſque illius proprii, convenire obſervarent, pleroſque vteri dolores à frigore proficiſci vulgus crederet, cum tamen illa ob cauſas dictas in ejuſmodi enarratis vteri doloribus competant: Eoque magis, ſi remediis illis quæ in inteſtinorum doloribus *calefaciendo*, *flatus diſcutiendo*, dolores compeſcendo juvare diximus, ea quæ potiſſimum vterum reſpiciunt adjiciamus: cum alioquin ab illis hæc remedia matricalia nihil vel parum differant, nec alia fere quam in inteſtinorum doloribus enarrata à Practicis deſcribantur. *Platerus.*

[16] *Semen retentum & corruptum*) Sunt fœminarum non paucæ, præſertim inter viduas, & eas quæ ante viro aſſuetæ, tunc ſe abſtinent, quibus dolores & cruciatus ex coitus privatione ſuccreſcunt, quippe ſemen præter conſuetudinem retentum corrumpi, & vaſa plus juſto dilatari ac triſtari, delectationis etiam defectu contingit, quod ſemen illud vterum lædere malitia & copia neceſſum ſit. *Mercatus.*

Cap. XIV.

De Menſium [α] ſuppreſſione.

1. **M**Enſium [2] ſuppreſsio eſt [3] ſanguinis [4] menſtrui, [5] ob viarum anguſtiam, vel ſanguinis ipſius vitium, [6] retentio.

[7] *Signa* fœminæ ipſius relatio ſuppeditat. Quod ſi fateri nolint, in [8] *virginibus* ex eo *cognoſcitur*, [9] quo ſanguis ſuppreſſus per venas hinc inde vagetur, & obſtructiones pariat, colorem corporis mutet, febrim inducat, &c. In *mulieribus*, quod ad vterum feratur, & vterinos morbos inferat.

Diſtinguitur à [10] *Retentione in graviditate*, quia gravidæ parum in animi affectionibus mutantur, nativum corporis colorem retinent, ſymptomata indies mitiora ſentiunt, motum & ſitum infantis tertio menſe percipiunt. Os vteri occluſum & durum habent.

α. *De menſium ſuppreſſione*) Nominatur *menſium ſuppreſſio* Græcis ἡ τῶν ἐμμηνίων ἐποχὴ, ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν, & ἐπέχειν, *inhibere*, *morari*, quod quovis menſe, quæ feminis quidem conceptui aptis, ſanguinis, ſeu καταμηνίων menſium excretio accidere ſolet, debetque, moras juſto diuturniores agat, vel circa hæc γυναικεῖα, vti *Hippocr. 5. aphor. dicuntur* quædam retardatio obſervetur, *floreſque* hi & *tempora*, quæ ſtatis temporibus prodire debebant, p. n. ſupprimantur. *Strauſſius Pal. m. P. 2. c. 16.*

[1] *Menſium ſuppreſſio*) Adeſſe dicitur, quando in fœmina ætate matura, quæ nec lactat, nec gravida eſt, ſanguinis per vterum evacuatio, quæ naturaliter ſingulis menſibus fieri conſuevit, rariùs aut parciùs procedit, aut omninò ſupprimitur. *Riverius.*

[2] *Menſium*) Menſes, ſeu menſtrua, voco ſanguinem illum qui in iis quæ generationi aptæ ſunt, ſingulis menſibus ſe oſtendit, niſi vel in vtero habeant vel lactent. Græcis ἔμμηνα ſunt ἢ ἐμμήνια καὶ καταμήνια, καὶ ἐπιμήνια, ſubintellige ἀποκρίματα *Hippocr.* ſæpe vocat τὰ γυναικεῖα, ſubintelligendo idem verbi: Vocat etiam vel ſimpliciter ῥόον ἢ ῥοῦν, vel ῥοῦν τῶν γυναικῶν, quamvis ad *Profluvium* muliebre trahatur etiam hæc vox. *Hofmannus Inſt. lib. 3. cap. 78.*

[2] *Menſium*) Cùm in omni fœminini generis affectu maxima ratio menſium ſit habenda, meritò de eorum ſtatu integro, ſeu reſtitutione per apta medicamenta eſt agendum, quæ vnica ſunt hæmagoga; De his priuſquam dicamus, pauca quædam, quæ de menſibus hic fiunt, ſupponemus, 1. Nunquam fluere menſes, niſi ſanguis ſufficienti quantitate in corpore inſit, vel reſpectivè abundet, & orgaſmo polleat & quidem maximè proportionato cum ſanguine, ſero. Quod prioribus ætatis annis ad corporis incrementum impendebatur, jam ad ſpeciei propagationem deſtinatur à naturâ, quo officio ceſſante, profunditur tanquam corpori onerosum & ſuperfluum, Ex quo ipſo argumentum capitur pro materiâ nutritionis illuſtrandâ & confirmandâ, Illud nempe ſine dubio nutrit corpus, quod nutrit fœtum, & quod corpori priùs augendo inſerviebat, illo verum finem conſequuto tanquam ſuperabundans excernitur; jam verò, non ſolus ſanguis, ſed ſanguis & ſerum id præſtant, non alius humor. *Wedelius Am. m. m. p. 394.*

Et quidem menſtruus fit, quod integro menſe colligi queat tantundem, quod abundet, & tum inclinatione propriâ, ſeu archei uteri motu, tum Lunari remoto nutu exitum affectet. Quod ipſum notat principaliter ſerum, adæquatè ſanguinem, velut magis excretionem moliri, non aliter ac in maribus loco menſium fiunt pollutiones nocturnæ dictæ, ſero tunc ad turgeſcentiam magis diſpoſito, & phantaſia ad objectum hoc intrinſecum inſomnium Venereum vel quaſi largiente. *Idem.*

[2] *Menſium*) Fluxus menſtruus vocari ſolet à periodo, Et quidem propria eſt hæc purgatio generi humano, nullum aliud animal eandem patitur, prout quidam dicunt in ſimiis ſimile quid obſervari; Revera etiam ſunt exempla virorum, qui in omni menſtruo ſpatio per *penem* certam ſanguinis quantitatem emiſerunt, de quo *Zacutus*, loco cujus viris frequentior adeſt *hæmorrhoidum fluxus* cum menſe fluens. Repetit hic fluxus omni menſtruo ſpatio,

exactè

exactè quatuor ſeptimanis, ita tamen, vt vnum vel alterum diem nunc anticipet, nunc poſtponat; hinc priores duodecim vicibus per annum purgantur, poſteriore, vndecim. Rarum eſt quaſdam mulieres cum menſibus fluentibus intermedio temporis ſpatio etiam fluxum hæmorrhoidum pati.

Incipit hic fluxus tempore pubertatis, idque frequenter circa annum XIV. ætatis, denuò ceſſat circa annum XLIX. Proſtant tamen exempla earum, quibus citiùs aut tardiùs prodierint; Propria in hoc caſu idioſyncraſia probe conſideranda eſt, nunc juniores, alacriores, ſpirituoſæ, vegetiores, diæta lauta vtentes, ſalaciores, citiùs patiuntur hunc fluxum; quæ verò ſe habent contrario modo iiſdem tardius erumpunt. *Etmuller Pr. P. 3. cap. 1. pag. 1.*

1. *Menſium*) Efficientem & proximam ac principalem menſium cauſam ſtatuimus eſſe Archeum vteri; *Mediatam proximiorem*, Sanguinis *turgeſcentiam & fermentationem*. Aſt in quonam ille impetus, ille ὀργασμὸς fermentatioque conſiſtat, & vnde ſit arceſſendus curioſum eſt Problema; Cùm verò certum ſit rarefactionem fieri magis à ſale volatili vel alkalino, fixitatem verò ab acido; cùm 2. ſanguis fœminarum ſeroſior, adeoque & ſale magis inſtructus ſit. 3. verò ſerum ſalinum vehiculum, & ſanguinis germanus individuuſque comes. 4. idem etiam ſtimulus in ſemine virili non aliunde, quàm à ſale ſit derivandus; ſtatuimus id quod à naturâ ſuper neceſſarium alendarum partium cenſum ſeri & ſanguinis generatur, & producitur, tum mole ipſa quidem ſuâ, ſeu quantitate, gravare paulò naturam, tum imprimis è ſale volatili, non autem adeo bilioſo ſimul in motum cieri magis, non excluſo quoque ipſo calore, vt limites quaſi & parietes alluvie ſuâ tranſgrediatur & excerni deſideret; Id verò in vtero tanquam parti poroſiori & ſeroſiori, ceu limitaneo portu, optimè accidit.

Hinc vt videmus ab heterogeneo, ſeu p. n. fermento, inducto ſanguini, vel febri, locis inſolitis pulſare arterias & inprimis in ipſorum digitorum quoque apicibus, rarefacto magis ſanguine, & minima [illegible] capillamenta, antea quaſi quieta, agitante, ob amplius quod affectat ſpatium, motum caloremque, &c. Ita ſanè credibile eſt hoc loco quoque contingere, vnde reſeratis oſculis blando impulſu excidit & evacuatur, neque tamen ſupra menſuræ ordinariæ pondus. Hinc in febribus ardentibus, variolis, dyſenteriâ, etiam in gravidis frequentiſſimè extra ordinem menſes recluduntur.

- *Mediatam remotionem* cauſam cenſemus eſſe *Lunam*, vti enim hæc terræ proxima intra menſtruum ſpatium ſeu XXVIII. dies circiter Zodiacum decurrit ita hoc tempus, hæc periodus, optimè quadrat cum menſium ordinato tempore. Hinc vti macrocoſmi vaſtum illud pelagus, aquam marinam, ſale plurimo fœtam, motu ſuo diurno, & vario acceſſu & receſſu diſponit & ad æſtum ciet, ita in microcoſmo ſerum & ſanguinem; hinc Archeus & hic cœlorum rithmum explicat, neque opus eſt, vt eodem momento æquè in ſingulis id fiat, ſi quidem & poſitus Lunæ diverſus in themate natalitio id variat ad illum omnino characterem motu regulatô. *Wedelius Phyſiol. Med. p. 212.*

Cauſa efficiens, ſecundum *Veteres*, eſt *Uterus*, conſideratus *quà* ſecundum omnes ſui partes, ſuamque ſtructuram admirabilem, *quà* ſecundum ſuas facultates, *attractricem*, *concoctricem* & *expultricem*, quâ ſanguinem qui crudior, & naturæ minùs diſſipabilis videtur, expellit. Niſi autem hæc facultatum nomina reali quopiam muniantur ſatellitio, parùm poterunt, vel proderunt; Etenim & ſanguis per vaſa arterioſa ritè pellitur, abſque præſidio attractricis, & quo loco facultas concoctrix latitet valde ambiguum eſt; Hinc ex *Recentioribus* quidam, prout in pleriſque, ita hic loco caloris fermentum ſubſtituunt, *Menſtruorumque* cauſam efficientem duplicem faciunt, Unam *proximam & principalem*, *fermentum vtero debitum & principale*, alteram *minùs principalem & remotam*, *fermentum viſcerum*, cordis in primis & totius maſſæ ſanguineæ; ſanguinem enim menſtrua periodo, majori quantitate cumulatum, natura fermenteſcere facit, vt hoc modo eo ad fluxum concitato, vaſculorum oſculis apertis, ab illo quod ſibi moleſtiam temporis tractu creare poſſet, ipſa liberius reddatur.

Fermentum vtero ineſſe probari poſſe credunt,

1. Quod ſingulæ partes corporis internæ ferè fermentis nutriendis & continendis ſint dicatæ, vt ventriculus, hepar, lien, pancreas, &c. quidni ergo & vterus, qui non tantùm fœtus regia ſedes, ſed à quo etiam fœminarum incolumis & ſana conſtitutio (fermento vid. ejus laudabiliter diſpoſito) plurimùm dependet.

2. Quia glandulæ in toto corpore fermento cuidam præparando ſunt deſtinatæ, vt glandulæ inteſtinorum, hepatis, mammarum, aliarumque partium. Jam autem *Warthon lib. de Glandul. c. 35.* placentam vterinam glanduloſam eſſe aſſerit.

3. Ex odore, quem fermentaceum & acrem Uterus in apertione ſpirare conſuevit. Ex chloroſi item morbo, qui fermento labefactato, vel vitiato, virginibus facilè obtingit.

Naturam hujus *fermenti hyſterici* dicunt eſſe *ſalino-ſulphuream* 1. quia partes genitales particulis fermentaceis maximè turgent, partes autem hæ ſunt præcipuè *ſpiritus, ſulphur. & ſal.*

2. Quia menſes tum demum fluere incipiunt, quando fermentum hoc ſe exſerere incipit, anno nempe XIV. ocyùs, ſeriùs, tum enim calore acriori reddito, & partibus quâ ſulphureis, quâ ſalinis, in maſſâ ſanguineâ auctis & excitatis, atque nimio, quo irretiebantur phlegmate, liberioribus redditis, fermentum exaltatur, calor copioſus & vegetus exiſtit, vox ſonora, vbera turgeſcunt, fœminæ ad conceptum habiles fiunt, hæc autem omnia ſpirituum cum ſulphure & ſale copiam, humidique abſumptionem denotant, Contra ſi hujus fermenti ſtatus naturalis turbetur, vel vitioſâ diætâ, vel ipſius naturæ vitio, neque ritè exaltetur, mulieres pallido colore inficiuntur, anheloſæ fiunt, & ad reliqua munia minùs habiles. Ab hac fermenti vitioſâ diſpoſitione chloroſin deducit. *Willis.*

Utilitas porrò ab hoc fermento redundare creditur haud exigua in vniverſum corpus, vtpote cùm ab illo vniverſus cruor volatilizetur, hinc facies nitens & florida exiſtit, qui color ſulphuri & ſali ſufficienter exaltatis debetur. Fermentum hoc ita conſtitutum vires ſuas menſtruantium exerendo, ſanguinemque ad vterum quaſi alliciendo, viciſſim fermentum cordis & totius maſſæ ſanguineæ ad actum proritare ajunt, unde junctis viribus fermentatione factâ, ſanguis crudior quam tum fieri poteſt ſubigatur, ſimulque copia majori peccans,

ad vias vrinarias pellatur, inque glandulas receptus exſtillet, & tum menſtrua fluere incipiunt.

3. Fermenti hujus ἐνέργειαν, vt & fermentationem in ſanguine probant horrores cum ſubſequente calore, quos fœminæ perſentiſcere ſolent: ardor item circa lumbos, capitis dolor, faciei nunc rubor, nunc pallor. febris, quæ comitari ſolet, Ephemera plerumque, hinc *Hippocrat. lib. de Nativ. Pueri. Vterus non geſtantibus, vbi menſes non prodierint, propterea dolor oboritur primum quidem ſanguis in corpore ſingulis menſibus turbatur ab hujuſmodi neceſſitate, quòd menſis à menſe multùm differat, & ſecundum frigiditatem & humiditatem, atque hoc percipit mulieris corpus; humidius enim eſt, quam virile, vbi ante turbatus eſt ſanguis & venas implevit, ab ipſo deſcendit, &c.*

Fermenti hujus *generationem* quod ſpectat, ajunt probabile eſſe, id primitus præparari in ſpongioſâ vteri ſubſtantiâ, vel in hujus glandulis, in quas arteriæ ſanguinem ſulphureo ſalinum, & nervi ſpiritum animalem copioſè advehentes propagantur; quæ vtraque ad hujus fomentum & conſervationem inſigniter faciunt; hinc magis magiſque elaborari ibidem loci, nullumque dubium eſſe, quin hoc ipſum ita in vtero latitans à reliquiis ſanguinis menſtruatim tranſeuntis, multùm accipiat incrementi & refocillationis, quemadmodum in ventriculo videmus, particulas chyloſas reſtitantes in ipſius fermenti fomentum cedere. *Joh. Jacobus Harderus Prodr. Phyſiolog. c. 9. p. 156.* & ſequ. vbi in generationis rationem ingenioſe inquirit.

[1] *Menſium*) De modo quo fiant res nota eſt ex Phyſiologiâ, quòd nempe adſit certa quædam *ſanguinis turgeſcentia* & *aucta fermentatio*, ratione cujus per *anoſtomoſin in vaſis vterinis* exitum invenit, Quòd verò circa vaſa vterina ſpeciatim aperiatur, fit quia dictis in locis certa eſt quædam vellicatio, vnde ibi ſanguis exitum quærit, Patet hoc quia mulieres nunquam ſunt ſalaciores, quàm inſtante menſium fluxu & ceſſante. *Etmuller Pr. Part. 3. c. 1.*

[2] *Suppreſſio*) Sive planè deficiat, ſive non in debitâ quantitate ſanguis fluat, vocatur menſium ſuppreſſio, meliùs *Emanſio*, Suppreſſio enim dicitur de humore actu fluente.

Emanſio ergo eſt vel *naturalis*, vel p. n. Naturalis fit varie 1. ratione ætatis, quando poſt 49. annum ceſſat, 2. ratione ſtatus mulieris, dum eſt gravida, vtvt quibuſdam habitioribus, Primis geſtationis menſibus ad medium tempus fluant; *lacteſcentes* verò ſentiunt ſemper eorundem defectum, 3. Illis quæ à graviori male revaleſcunt etiam fluxus ceſſare ſolet, deficiente ſanguine partim in quanto, partim in quali, naturaliter etiam deficit; 4. In iis quibus præceſſit aliqua alia evacuatio, ſive ſanguinis immediatè, ſive mediatè ſub formâ aliâ V. g. quidam patiuntur vlcera manantia, vel graviora vulnera, per quæ vbertim ſanguis effluat, In his & ſimilibus nihil tentandum pro curâ medicâ, niſi vt lautâ diætâ ſanguinis copia reconcilietur.

Obſervandum quòd mulieres quæ habent *Vlcera*, tunc temporis quando ſanguis debet effluere, acerbam patiuntur alterationem in loco vulnerato, vt vulnus ſoleat deteriorari, fœtidam ſaniem plorare, citiùs phlogoſi corripi, &c. Sic ceſſante tempore iſto etiam ceſſant. *Etmuller.*

[2] *Menſium ſuppreſſio*) Quemadmodum vrina immodicè fluit in diabete, prorſus ſupprimitur in iſchuriâ, ſtillatim guttatimque redditur in ſtranguriâ; ægre & difficulter mingitur in diſuriâ, alienis rebus infecta redditur pure, muco, &c. Ita quoque menſes vel nimium excernuntur, vel planè retinentur, vel aſſiduè ſtillant, vel cum dolore evacuantur, vel humoribus bilioſis, pituitoſis & ſeroſis infecti emittuntur. *Sebiſius Man. p. 1557.*

[2] *Suppreſſio*) Læditur menſtruus ſanguinis fluxus modis multis 1. cùm citra graviditatem aut lactationem. *Nullus* prodit. 2. cùm *minore*, quàm decèt quantitate. 3. cùm *nimius* eſt. 4. cùm haud ſemel in menſe fit, ſed aut *frequentiùs citiùſve, aut rariùs tardiùſve*, nam quibuſdam bis aut ter contingit quovis menſe, imò quibuſdam perpetuus adeſt, aliis ſemel intra duos treſve accidit menſes; 5. cùm vel *diutiùs* vel *breviùs* durat; tempus namque maximè conſuetum eſt 4. aut 5. dierum, quibuſdam verò vix per vnum vel duos, aliis ad 7. 8. pluresve dies durat, 6. Cùm conſiſtentiâ, colore, odore, calore, acrimoniâ, vel aliter vitioſus prodit ſanguis. 7. Cùm per alias præter vterum vias effluit, os, nares, &c.

Tot modis obſervamus lædi menſtruum ſanguinis effluxum, Ubi *Notandum*, tum demum pro vitioſo habendum, ſi cùm incommodo vniuſcujuſque fœminæ evenit, Niſi enim aliquid moleſtiæ aut noxiæ inde patiatur fœmina, non ſtatim pro præternaturali habendus erit fluxus in quibuſdam à generali regulâ recedens, cùm obſervamus, in dies pro peculiari cujuſque conſtitutione, vitæque genere, latitudinem notabilem in pleriſque functionibus, & quæ inde ſequuntur apparere. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 3.*

[3] *Eſt ſanguinis menſtrui Retentio*) Nullus apparet ſanguinis menſtrui fluxus duobus modis, 1. quando is conveniente tempore ac ætate non prodit, vnde puellæ fieri ſolent cachecticæ, 2. quando idem qui jam prodiit fluxus ampliùs prodire ceſſat, qui verè vocatur menſtruorum ſuppreſſio, à quo itidem Cachecticæ ſolent fieri fœminæ, ac plurima inſuper conſequuntur mala. *Idem.*

[4] *Menſtrui*) Proxima cauſa eſt vis quædam ciens atque impellens ſanguinem, ſed quærendane ſit ea in naturæ conſuetudine, quæ (vt eſt χρῆμα πεπηγμένον,) certis ac definitis analogiis atque periodis omnia exequitur, An in Lunæ ſiderumque ſempiternos immutabileſque referenda curſus ambituſve: An verò ſtatuenda in occultâ & peculiari humorum proprietate, aut in eorundem κράσει, συστάσει, copiâ ſeu proventu, licet ἐπέχειν. *Salomon. Albertus orat. de moſcho.*

[4] *Sanguinis menſtrui*) *De ſanguine menſtruo hæc vulgò efferuntur ex mente Galeni*, Mulieres ad concipiendum & ad nutriendum in vtero fœtum ad certos incrementi terminos deſtinatæ, debuerunt ita à ſupremo Conditore comparari, vt majorem ſanguinis copiam gignerent, quàm eſſe neceſſarium ad propriam corporis ſuſtentationem; ſic enim factum eſt, vt ſuperfluus ſanguis graviditatis tempore in fœtus alimoniam citra vllum matris incommodum impendatur, Inde etiam orta eſt menſtruæ purgationis neceſſitas in iis mulieribus quæ nec nutriunt, nec vtero gerunt, ne ſanguis, quem in aliena commoda cumulant, copiâ vires opprimens in ipſarum perniciem cedat: *Periodorum* autem cauſam dicunt cum *Galeno* eſſe Lunam, quæ variis ſuis phaſibus pro varietate temperamenti, aut ætatis mulieribus menſtruo quidem intervallo, ſed aliis alio tempore fluxum promovet, juxta illud

Luna Vetus veteres, juvenes nova Luna repurgat.

Hæc

Hæc ſigillatim ſunt expendenda; *Galenus* quidem proximam vacuationis cauſam plenitudinem aſſignat, cumulatam ob vitam deſidem, & vt gravidæ, quem continent in vtero fœtum ſuperfluo ſanguine nutriant, quem in otio cumularunt, &c. At quam bene Galenici aſſerant mulieres eſſe ad deſidiam natas, oſtendit Amazonum & Spartanarum exemplum, item ruſticarum & earum quæ caſtra ſequuntur, ab otio & deſidia maximè alienarum, quæ tamen menſtruo circuitu purgantur, concipiunt & pariunt. Unde manifeſtum fit, ad menſtruam vacuationem nullatenus opus eſſe eâ plenitudine, quæ per otium & deſidiam cumuletur. Adde quòd plurimæ ſtatas habent vacuationis periodos, quibus ſanguinis copia infra mediocritatem conſiſtit, Et aliquando plenitudo ipſa impedit conſuetam vacuationem, quæ non ante concitatur, quàm fuerit per venæ ſectionem ſanguinis multitudo imminuta.

At conceſſo ob plenitudinem moveri purgationem menſtruam, ratio reddenda eſt, cur potiùs ſanguis per vterum, quam aliam partem vacuetur, quam nequaquam ex poſitis principiis deducent; Etenim ſi ſanguis ideo profunditur, quia multitudine excedit, & vaſa diſtendendo eorum oſcula aperit, ſequitur ea vaſa quæ ſunt debiliora, citiùs à diſtendente plenitudine apertis oſculis exitum ſanguini eſſe datura; & eâ de causâ ante patebunt vaſa ſanguinea narium, pulmonum & aliarum partium (quod aliquando contingit) quàm vaſa vteri: ſanguis enim deponitur ab arteriis vteri in tubulis membranaceis, quorum oſcula plurima in cavitatem vteri vergunt; qui tubuli præterquam quod denſa vteri ſubſtantia firmantur, ipſi ſunt adeo valori, ut ſit ante metuenda ruptio majuſcularum venarum quam ipſorum dilatatio, niſi ab aliqua cauſa acceſſatur mollities, qua fiat, vt vel à ſanguine exitum quærente facile dilatentur, vel etiam ſponte laxentur, vnde patet plenitudinem non ſufficere, vt vacuatio per vterum perficiatur.

At vleriùs perpenduntur allatæ cumulandæ plenitudinis cauſæ neceſſitatis in mulieribus, ut ſcilicet in gravidis exceſſus ſanguinis cedat in fœtus nutritionem, &c, At quid dicent de vaccis, equabus, ovibus, &c. quæ non ſecus ac mulieres concipiunt & ſuos fœtus in vtero nutriunt? An vberiorem quàm opus ſit pro ſuſtentatione corporis opus ſit, ſanguinem gignunt? ſi negent, quomodo fœtum in vtero nutriunt? Si affirment, quo abit quæſo in non gravidis ille exceſſus? nec enim vllas patiuntur ſanguinis vacuationes menſtruas, aut alio quocunque circuitu; Nec dicant in pilos abſumi, nam equæ, & reliquæ animantes, cùm ſunt gravidæ, ſuos non minus retinent & nutriunt pilos, quàm reliquo tempore; ſed doceant cur ſimiæ, menſtruas purgationes non ſecus ac muliebre genus patientes, ſint hirſutæ?

Non feliciore eventu quid ſtatas efficeret periodos ejuſdem fluxus oſtenſum, docetque experientia quàm fœdè decipiuntur, qui aſſerunt illas menſtruo Lunæ motu ac influxu regi, & variis illius Aſtri phaſibus, pro varietate ætatis mulierum fluxum concitari, Cùm cujuſcunque ætatis mulieres, quacunque Lunæ phaſe vacuentur; cumque aliis mulieribus vacuationes periodi ſint xxx. dierum, aliis xx. aliis inter hos terminos mediæ, pauciſſimis longiore aut breviore ſpatio contineantur, quæ omnia, à communi ſententia ſunt prorſus aliena.

Hinc conſtat communem de menſtruo mulierum fluxu doctrinam nihil habere in quo poſſit mens conquieſcere, &c. *Franciſcus Bayle Differt. de menſtruo fluxu*: ac fermentationem ſanguinis, de qua ſuperiùs §. agnoſcit circa quam fuſe differentem lege. l.c.

Hanc etiam Fermentationem agnoſcit *Graef*, Arbitramur, *inquit*, menſtruorum colluviem ſtatis circuitibus per vterum excernendam à fermentatione potiùs, quàm Lunæ motu, aut ſolâ ſanguinis copiâ excitari, quandoquidem quotidianâ experientiâ conſtet, multis menſtrua fluere, quæ jejuniis ſe macerant magnas hæmorrhagias aut alium morbum, paſſæ ſunt; Neque exiſtimamus fermentationem illam in vteri vaſis tantùm, ſed in totâ maſsâ ſanguineâ contingere, quoniam videmus in mulieribus, quarum menſtrua fluunt, non vterum ſolùm affici, ſed caput doloribus infici, pedes laſſitudine detineri, ventriculum ac reliqua corporis membra his vel aliis moleſtiis infeſtari. Nec non ſanguinem illum per nares, pulmones, &c, ſubinde manare, quæ neutiquam evenirent, niſi integra ſanguinis maſſa fermentationis motu exagitaretur.

Ratio verò cur per inſuetas illas naturæ vias quandoque menſes expugnentur, potiſſima nobis videtur obſtructio, quatenus ſcil. ſanguis menſtruali fermentatione agitatur per vteri vaſa, propter polypos in illis quandoque à nobis obſervatos, aut aliam materiam pituitoſam, cicatricem, pravam conformationem, &c. erumpere non potens, per debiliora corporis loca prorumpit, eodem plane modo quo vinum, cereviſia, & alia vaſe firmiter incluſa, dum fermentantur, per debiliores dolii partes, qua data porta ruunt. *Graef demul. org. c. 9.*

4. *Menſtrui*) Menſtrui vocula, non à propriâ ſubſtantiâ, ſed ab accidenti indita eſt, quòd ſingulis plerumque menſibus natura, omnia certis legibus adminiſtrans, hujus excretionem provide moliri ſoleat; Ubi notandum, quòd licèt mulier primo intuitu *Sideris Lunaris* operationes experiri, & purgatio vterina cum Lunæ curſu coincidere videatur, nihilominus tamen indubitatum ſit Lunam ipſam nec accumulare, nec expellere hunc cruorem, alioquin ſi eſſet à Lunâ ipsâ menſtrualis hæc purgatio ſequeretur omnes fœminas eodem die menſtruatas eſſe debere, vel ſaltem omnes juvenculas cum novilunio hæc ſacra celebrare, & ſic porro, quod tamen manifeſtò experientiæ refragatur, & proinde lubricum penitùs minimeque conſtans eſt illud axioma:

Luna vetus Veteres, juvenes nova Luna repurgat,

Totâ enim die accidere experimur puellas quoque Lunâ veteri aut ſilente, vel etiam in ipſo plenilunio malam hanc ſeptimanam ſuſtinere; Et ex adverſo, creſcente Lunâ in ſenioribus ſæpiſſimè hanc conſuetudinem ſe oſtendere, adeo ne tempus hujus profluvii rectiùs ad vim Naturæ, ſive, loquente ſic *Helmontio*, ad monarchalem vteri *Archeum*, qui hanc menſtruorum collectionem, renovationem atque ſequeſtrationem primariò conſtituit, referri cenſemus, quàm vt fallenti regulæ perperàm inſiſtere pergamus. *Chriſt. Langius Pathol. Ann. cap. 60.* §. 2.

4. *Menſium ſuppreſſio, eſt ſanguinis menſtrui, &c.*) Definitio hæc eſt per cauſas, *Formalem* affert laudatus *Strauſſius*, Quòd ſit *abolita ſeu ceſſans p. n. ſanguinis menſtrui, in fœminis juſtæ ætatis, excretio, originem à fruſtratâ Vteri facultate expultrice ducens.*

4. *Eſt ſanguinis menſtrui*) Extra imprægnationem qui ſingulis menſibus redundat ſanguis, ſtatis periodis cum fermentatione ſeu effervèſcentia quadam copioſus per arterias ad vterum propellitur; Cumque in ejus ſubſtantiâ interiore admodum paucæ ſint venæ, per quas tantæ copiæ circulatio commodè fieri poſſit, & orificia tubulorum, ſeu anfractuoſorum canalium, ſint laxa ac mollia, hinc fit, quòd redundans ſanguis, qui ob copiam ſatis citò circulari nequit, per dehiſcentia & aperta tubulorum orificia, (quæ nonnulli acetabula & cotyledones eſſe putarunt) nec non per fines vaſorum in collo vteri deſinentium, vt ſupervacuus, & Naturæ ſuâ copiâ moleſtus, foràs effluat. In quibus verò dicti tubuli firmiùs occluſi ſunt (vt cùm in gravidis anguſtantur ab adhærente placentâ vterinâ, in quam nonniſi minimis oſculis hiant; aut cùm poſt ſecundinam violentiùs cum hepate vterino avulſam obducuntur cicatrice, aut aliâ quacunque de causâ obſtruuntur) in illis menſtrua ſolummodò profluunt per fines vaſorum in vteri collo ſeu vaginâ deſinentium; vel planè ſubſiſtunt, imprimis ſi fermentifica illa qualitas ad tantam perfectionem nondum pervenit, vt talem effervèſcentiam in ſanguine ſuſcitare poſſit. *Diemerbroek Anat. lib.1. cap.24.*

5. *Ob viarum, &c.*) In his tria conſidero, *Inſtrumentum*, ſcil. *vterum*, qui ſi frigidior & denſior eſt, nihil fit; & huc pertinet *vaſorum anguſtia*, à quacunque ſit causâ. *Materiam*, ſcil. *ſanguinem*, qui ſi craſſior eſt, non poteſt perrumpere; *Facultatem*, etſi enim ætas ſit talis, & corpus floridum, deeſt tamen tempus, & vt ita dicam, ἡ εἱμαρμένη Græcis dicta, ordo ſcil. naturalibus omnibus actionibus præſtitutus in ſingulis individuis; vidi hoc experientia, cum diu tentata fuiſſent omnia, ceſſantibus nobis vltro veniſſe. *Hoſmannus l. c.*

5. *Viarum*) Uterus quidem, ceu totum integrale, ex pluribus, iiſque diverſi generis partibus quantitativis conflatur, inprimis tamen *Vaſa* illius hic laborant; Sed quæ vaſa? forſan rogabis, *Venas*, antiqui accuſarunt, vti èx *Hippocr.* & *Galeno* conſtat; hos verò ſequuti nondum omnes conveniunt, inter ſe, vtrum *vaſis fundi*, an *cervicis* id officii adſcribendum: *Veſalius An. lib. 5. cap. 15.* ex fundo, non cervice vteri menſtruas purgationes deducit; *Columbus lib. 11. Anat. cap. 16.* videtur refragari, quando vaſa illa quæ à cavæ diviſione exoriuntur, quæve in vteri cervicem ad latera inſeruntur eligit; Interim recentiorum Anatomicorum hodie decreto, & ſuffragante ſanguinis περιδρομῇ, id muneris *arteriis hypogaſtricis*, & quidem non tam iis quæ vteri capacitati illabuntur, quàm quæ in cervicis ipſius angiportum excurrunt, adſcribi ſolet. Sic igitur Venæ ab hoc opere abſolvuntur, vt tamen ex apicibus ſuis, quâ ἐλάχιστα γινόμενα, cum arteriarum oſculis committuntur, ſimul emunere ſanguinem veriſimile indicat *Rolfincius Diſſ. Anat. lib. 6. cap. 28.* Confer *Schenckium Schol. Part. p. 112.* & alios. *Strauſſius Pal. Med. T. 3. p. 375.*

5. *Ob viarum anguſtiam, vel ſanguinis, &c.*) Ad menſium fluxum vt fiat duo requiruntur, ipſum *mobile* & *via* per quas illud movetur, teſtante *Galeno 5. ſ. med. cap. 22.* *Mobile*, ſanguis eſt in venis contentus, *Via* ſunt vaſa capillaria & pori, ſeu ad menſium Lunare tributum requiritur ſtatus vteri quoad vias & poros integer, & ſanguis ὀργασμώδης: Superfluitas vero hæc æſtimanda non abſolutè, ſed reſpectu vniuſcujuſque individui, vnde non obeſæ ſolum, ſeu plethoricæ & carnoſæ potiùs ſed & macriores patiuntur menſes, imò copioſo ſæpe. Ideoque poſſunt obſtrui menſes dato altersvtro, vel ſanguine indiſpoſito ad turgeſcentiam, vel viis obſtructis, Videmus enim toto die ſanguinem turgeſcere quidem, ſtato tempore ſymptomata cauſari cum fluxuro ſanguine communia, ſed ad ſuperiora magis ferri, quàm ad debitum locum.

Obſervandum autem Acida ſanguinis orgaſmum infringere, alkalia promovere. Illa figendo & obtundendo, hæc rarefaciendo ſulphur & ſal volatile ſanguinis: Hinc quibus magis aridus eſt ſanguis, minùs ferè patiuntur menſium, quibus verò alkalicus, nimis magis fluxum, orgaſmum autem omnem ſanguinis deberi ſalino volatili principio principaliter, ſecundariò ſulphuri, vnde ſeri fluxilitas, vehiculi ſalium promptior, vnaque calor poros dilatans rarefactionem majorem ſequitur & producit. Impedire verò eundem, præter acidum, lentorem, pituitam, viſcedinem. *Wedelius.*

Hinc prima in applicandis emmenagogis ratio habenda eſt ſanguinis, altera vteri. Sin verò ordo invertatur, fruſtrà erit curatio. Quid juverit alveum ſollicitare, vt humorem fundat, niſi rivus fontis radix in alveum derivetur reſtitans, vel impeditus? Par ratio eſt emmenagogorum, nunquam menſes fluere norunt, & orgaſmum pati in vtero, niſi redundaverit in corpore ſanguis & motu ſuo ὀργασμώδει huc feratur, pellas ergo empiricè quantùm voles vel ipsâ ſabinâ, aliiſque potentibus propinatis, fruſtra erunt omnia, niſi conſenſus ſanguinis acceſſerit vniverſalis. *Idem A. m. m. p. 405.*

5. *Viarum anguſtiam*) Loca quod attinet, ſunt quando vaſa in vtero ſpeciatim in vaginâ vterinâ obſtructâ, & à mucilagine pituitosâ infarcta ſunt. Item quando orificium externum non hiat, vel propter carniculas membranæ nimirum, denſæ vnitas, vel quando vaginæ vteri, alias læſæ, coaleſcunt parietes, vnde fluxus impeditur. *Etmuller.*

6. *Retentio*) Pertinere hunc affectum ad ſymptomata patet, actiones ſcil. læſæ ejuſque naturalis, & quidem abolitæ vel ceſſantis, Referri etiam ſolet ad ſymptomata eorum, quæ immodicè & ἀκαίρως retinentur, juxta *Galen. lib. 3. de cauſ. ſympt. c. 4.* & lib. de *diff. ſympt. c. vlt.*

7. *Signa*) Mulieres quibus p. n. menſes emanere, diſtinguendæ à mulieribus quibus naturaliter emanent; Quibus emanent p. n. præter obſervationes primas, ad vnam omnes conqueruntur de *difficili anhelitu*, quando nempe quodammodo moventur, mox *ſuffocatio* imminet; vlteriùs patiuntur *laſſitudinem* in omnibus artubus, hinc inde in ſpecie circa *lumbos dolores tenſivos graves* percipiunt: Pedetentim *color* corporis *floridus* perit, fiunt apparenter *cachecticæ*, *oculi* tument, ſupervenit *pica*, & tandem perfectæ cachecticæ evadunt, ſed res per ſe patet, magis attendendum ad differentiam cauſarum: an emanſio menſium vitio *vteri*, an *obſtructorum vaſorum*, vel ratione turgeſcentiæ ſanguinis. *Etmuller.* Vide inferius ſigna diſtinctiva in Differentiis.

7. *Signa*) Diagnoſis vt pleniore obtineatur voto, in prægreſſam Victus rationem aliaſque cauſas, ſtatim inquirat. Ne verò furtiva etiam Venus Medicum decipiat, omnes, circumſtantias defectum hunc à graviditate diſtinguentes (vnde *Hippocr. ſect. 5. aph. 39.*) probè ſubducat, neceſſe eſt; Dehinc ea quæ in genere hanc ægritudinem produnt, & à *Galeno lib. 6. loc. affect. cap. 5.* prolixè recenſentur accuratâ lance trutinanda

trutinanda venient, ubi quidem querelæ *de laſſitudine*, tum totius corporis, tum etiam variarum *partium* inter primas moveri conſueverunt; Accedit huic gravitati *Tumor*, qui ventrem & pedes, ſed ſine graviditate occupat: *Dolor* inſuper *capitis*, partem modò anticam, modò poſticam excruciat; aut quandoque ad cervicem & ſcapulas uſque ſe protendit: (*Sholzius conſ. 349.*) *Frons, oculi*, imo tota *facies* latitantem in Torpore cacochymiæ fontem colore ex viridi & flavo paleſcente non obſcure indicant, Malumque magis magiſque in apricum ſe prodit, dum jam *Lumborum*, *partiumque* inferioris corporis dolores, à decumbente humorum peccantium ad hos vel illos receſſus colluvie oriundi; à *nauſea*, *ſputationibus pituitoſis*, *ructuque* frequentiori excipiuntur; *Turbatam* ſic *chylificationem*, hincq; proficiſcentem vitiatam αἱμάτωσιν *urina* modò *craſſa*, modò *rubicunda*, & *turbida*, imò etiam *nigricans* quandoque non parùm confirmat; dum interim ægra toto hoc ſtatu difficulter reſpirat, & augeſcente morbo graviora quoque, & ſpaſmodica ſymptoma timere non modò, verum etiam perpeti cogitur.

Num verò uterus horum malorum radix, ſuo in ſinu hunc foveat anguem, an aliunde exceperit, cognitu reddetur facilius, ſi morbo illum aliquo, v.g. intemperie; inflammatione, Scirrho, &c. laborare ex propriis cognoverimus ſignis; aut ſympathiam ex ventriculi, vel alterius viſceris actionibus læſis artificioſâ conjecturâ elicere contigerit.

Cauſarum verò *ſigna* recenſere, res eſt primo intuitu laboris immenſi, ſi cum multitudine illarum comparare voluerimus: Sublevabitur tamen, ſi quis ſignorum fontes non tam in genere, quàm in ſpecie ſibi cognitos reddiderit; huic enim varias *Uteri intemperies, humorum prædominia*, aliaque id genus quamplurima, ad præſentem facientia ſcopum, prudenter deteget: Sic *Sanguinis defectum*, prægreſſa hujus per nares evacuatio, jecoriſque & cordis imbecillitas; & ſubſequuta totius corporis evacuatio oſtendunt: *Craſſitiem* verò *ſanguinis* alimenta craſſiora, errores in victu ſimiles, tumque hinc oborti *Menſes decolores* (*aph. 36. 3.*) indicant: Sputum ſanguinis, vel narium hæmorrhagia ſi præceſſerint, de p. n. ſanguinis ἀναῤῥοπίῃ manifeſtum præbebunt teſtimonium &c. *Strauſſius pagina 382.*

8. *In virginibus*) Puellis Segnius prodeunt Menſtrua, non tantùm imperforatis, & quarum coaluerunt carunculæ myrtiformes, quibuſque adeò coacervantur in collo uteri externo menſtrua, quod bis à me viſum; Sed ſæpius quibus non patent vaſa per uteri fundum Sanguinem deferentia, quæque maximè propriè dicuntur laborare, *Menſtruorum defectu*.

Quibuſdam ſegniùs prodit fluxus ille, quia ſunt *conſtitutione* corporis *Teneriore*, unde tardiùs exuberat Sanguis generationi deſtinatus, quo dum deſtituuntur ſolitis menſtruationis primæ annis, non mirùm ſi aliquot annis ſeriùs prodeat fluxus, qui nullo incommodo moram nectens, nullatenus dici poteſt læſus aut præternaturalis.

Quoties autem citiùs ſegniuſve conatus eſt in corpore ad Menſtruationem, illa verò haud procedente; poſt gravantes circa lumbos cruraque, & aliquando brachia quoque, dolores hinc & præcordiorum anxietates, aliaſque moleſtias plures, paulatim cachecticæ fiunt puellæ, toties dicitur verè vitiatus, ac p. n. *ceſſans* Menſtruorum fluxus.

Coalitus Caruncularum myrtiformium, non partialis per tenuem membranulam, hymenis nomine notam, & ſi perforatam, ſed totalis per eandem craſſiorem ac imperforatam, ſanguinem ad uterum, ac per uterum, ejuſque collum interius effluentem ſiſtens, atque in ejuſdem collo externo, Vaginæ nomine noto, ejuſdem itidem effluxum impediens, cauſa eſt inſuper collectionis ſanguineæ menſibus ſingulis auctæ, tandemque tum ſponte corruptæ, tum totam vaginam in immenſum expandentis, graviſſimos ibi dolores aliaque ſymptomata plurima parientis.

Neque diſtenſione ſolâ nocet, ſed inſuper acrimoniâ corruptus ſanguis, eandem vaginam admodum ſenſibilem mordens ac rodens, dolores excitat atroces: Quin utplurimùm neglectum, quia non intellectum hoc malum, euſque diſtendit dictas partes, ut à pleriſque pro *Uteri procidentiâ* habeatur, etiam à medicis: Hæc igitur eſt nonnunquam *non prodeuntium menſtruorum* cauſa, licèt frequentiùs illa hæreat in ipſo utero & uteri vaſis, per quæ tranſeundū eſt ſanguini menſtruatim ſ.n. evacuando. Non procedit autem iſta vacuatio, quando vaſa dicta & viæ non patent in uteri cavitatem; Non patent autem ſi vel ſanguis ad ipſa minus feratur, vel eadem obſtruantur. Eo namque tempore, quo menſtrua expectantur aperienda reſerandaque ſunt uteri vaſa; id quod imprimis contingit ab humoribus bilioſis, tunc temporis in corpore dominium capientibus, atque pubertatem hac ratione inchoantibus, exiſtimamus enim omnes in corpore noſtro mutationes naturales fieri ab humoribus ſ. n. dominium in cæteros ſucceſſivè obtinentibus, donec iterum aliis cedant. Bilis ergo cùm abundet ſale volatili oleoſo, vim habet blandè incidendi tenacem viſcoſamque pituitam, vim autem iſtam ubi exerit ſupra cæteros humores, ſanguinem quoque reddit rariorem; quæ ſi (ob conſtitutionem naturalem, vel diætam pravam, & pituitam viſcoſam imprimis producentem, hinc & bilem craſſiorem ac inertiorem præſtantem) minus ſit acris, non mirum, ſi ſola menſtruo fluxui promovendo haud ſufficiat, quin diutius, quàm expediebat, idem fluxus ceſſet ac deſideretur. *Franc. Sylvius Pr. libr. 3. cap 3.*

9. *Quod ſanguis ſuppreſſus per venas hinc inde*) Niſi enim ſanguis pubertate in fœminis præſente abundantior factus per uterum, aliamve viam vacuetur, ac minuatur, plethora producitur ad vaſa, quæ ſenſim magis aucta, minus commodè movetur univerſus ſanguis, & circa uterum ex parte ſtagnat plerumque, quare idem paulatim corrumpitur, & corruptionem ſuam reliquo ſanguini communicat, unde ſymptomata varia excitantur. *Idem.*

10. *Retentione in graviditate*) Quanquam plethoricis quibuſdam interdum uſque ad medium, & quibuſdam toto geſtationis tempore, abſque aliqua noxâ, menſes fluxiſſe obſervavit *Columbus lib. 12. de Form. Fœt.* quinimò niſi fluant, vel ſectâ cubiti venâ ſanguis detrahatur, cum periculo abortus malè habere oſtendit. *Verzaſcha centur. 1. obſ. 82. Strauſſius.*

10. *A Retentione in graviditate*) Quapropter *emmenagoga* pellentia nocent, ſicuti *nervina uterina* conveniunt; Hæc quatenus ſpem uteri ſolantur, & humores corrigendo, qui libem afflare fœtui queant, & irritationem, unde exturbari, vel excidere queat; Præcipitantia, ut *corallina*, *perlæ*, ſpirituoſa quoque ipſa, & acidulæ; *Pellentia* verò cavenda, ſeu ex univerſalibus petita, ex ſudoriferis *flores ſulphuris*, menſes moventes quoque, *theriaca*, *ſpiritus volatiles urinoſi*, Olea & balſama deſtillata varia; quippe quæ rarefaciendo ſanguinem facilè menſes provocant & abortum procurant; Ex purgantibus fortiora quævis, imprimis colocynthiaca, Vomitoria, V.S. quoque ipſa, & hinc Emmenagoga

cumprimis propriè dicta varia, Sic *ſabina* hoc nomine infamis eſt, ut *crocum* aliaque raceamus: Licèt enim non æque eriam ab hiſce ſequatur abortus, ob indiſpoſitionem & robur naturæ, unde novimus quæcunque ſæpe rentata, ſed abſque ullo ſucceſſu.

Illud tamen, Medicus rationalis damno ſuo, & fœtus, experiri & periclitari non debet, etiam in ipſo dubio caſu; Methodum tunc eandem ſervare par eſt, quam & extra hunc metum tenendum diximus, aperientibus utendum innoxiis, præcipuè *Martialibus*, maximum in hoc momentum conſiſtit famæ Medici novimus, qui Epilepticam curaturus radicetenus (ſolet verò in conſuetis affectus non rarò repetere, potiſſimùm circa hoc tempus) propinavit Vomitorium, & ex errore diagnoſeos conjunctæ graviditatis, ſimul abortum procuravit, aliaque mala plura, *Spiritnoſa* verò, modò intra terminos contineantur, itidem pro confortando officium faciunt: Cavendum modis omnibus, ne menſes moveamus in gravidis errore illo diagnoſeos. *Wedelius A. m. m. p. 201.*

[10] *A retentione in graviditate)* Si quidem emmenagoga ſunt ἐκβόλια, ſeu illa ipſa quæ fœtum exturbant conſulta & inconſulta adhibitione, non danda illa ſunt gravidis intentione primariâ, ut vel menſes eiecantur, vel fœtus exturbetur, quod contra conſcientiam eſt; & Medico Chriſtiano indignum: Ut verò hoc non faciendum ἐκπρεπαρίστως, licet, ut fit, aureos polliceantur montes, ita quoque falli non debet, aliis præteritis relationibus menſes eſſe obſtructos, ſive in virginibus, ſive conjugatis ipſis: Quandocunque enim menſes in conjugatis ceſſant, hoc indicium commune eſt imprægnationis, & cæteris paribus ſufficiens, ut molam adeſſe, vel hydropem uteri non temerè arguat, unde toto die abortiones contingunt deceptis Medicis: Idq; valet quoque de univerſalibus, purgantibus, vomitoriis, V. S. Sin caſus dubius adſit, unicè proſunt *Martialia* & *aperientia moderata*, hæc enim & hydropicum, ſi occupat, tumorem; avertunt, & menſes, ſi natura aliud intendat, reſerant & fœtum confortant, vel eidem non noxia ſunt, ſaltim. *Wedelius A. m. m. p. 403.*

[10] *Retentione in graviditate)* Signa utriuſque ſuppreſſionis diſtinctiva proponenda ſunt, ne Medicus à mulierculis graviditatem ex illegitimo concubitu contractã tegere conantibus decipiatur; neve remedia menſes provocãtia mulieri gravidæ temere præſcribat: 1. igitur Gravidæ utplurimùm naturalem retinent calorem, qui in aliis valdè immutatur, & pallidus ac fœdus efficitur: 2. ſymptomata quæ gravidis initio accidere ſolent, in dies paulatim miteſcunt; contrà in ſimplici menſium ſuppreſſione, quò diutiùs menſes ſubſiſtunt, eò magis ſymptomata augentur: 3. In Gravidis poſt iij. menſem motus & ſitus infantis ſenſibiliter percipitur, admotâ ventri inferiori manu: in aliis verò ſentitur quidem aliquis tumor, ſed œdematoſus, ac minimè durus, qui circumſcriptionem non habet ſemper cum utero limitato: 4. Si oſculum uteri interiùs à peritâ obſtetrice tangatur, non ita exactè clauſum ut in gravidis percipitur, ſed potiùs durum contractum, & quodam dolore affectum: 5. Gravidæ utplurimùm hilares ſunt, & parum in animi pathematis mutantur, contra verò in ſuppreſſione menſium plerumque mœſtæ fiunt, & triſtitiâ afficiuntur. *Riverius.*

[11] *Cauſæ* ſunt [12] Anguſtia [13] venarum, & [14] ſanguinis vitium: de quibus in Differentiis prolixiùs agetur.

[15] *Curatio* eſt *feſtinanda*, [16] quia [17] ſuppreſſio iſta [18] plurimos morbos, ut [19] febrem, [20] leucophlegmatiam, hydropem, ſanguinis vomitum, &c. producit. [21] *Difficilis*, ſi eſt diuturnior. [22] Sextum ſi ſuperaverit menſem, plerumque incurabilis putatur, ſi præſertim ex colli uteri perverſione accidat. Tum enim mulier animo linquitur & pituitam vomit, partes ventris & pectinis, ſpina dorſi dolent, ac febris accidit; excrementa alvi & veſicæ ſupprimuntur; laſſitudo totum corpus, ob ſanguinis retenti per totam diffuſionem, occupat; maximè crura & coxas, propter venarum harum partium cum venis uteri conſenſum, detinet. [23] *Boni eventus*, ſi per alia loca evacuetur, modò id per veſicam non fiat, quia in illa ſanguis maximè grumeſcit.

[24] *Reſpicit* I. [25] *Venæſectionem*, [26] Nam ſanguis, qui ſingulis menſibus ſubſiſtit, in corpore cumulatur, & in venis hærens ad uterum revocandus eſt. De ea *nota*. [27] Aperiendam venam [28] in talo, quia ſic & copia ſanguinis imminuitur, & motus eidem ad uterum conciliatur. Si repetenda eſt, una die ſanguinem ex uno crure, poſtridie ex altero detrahendum. Eam quæ evacuandi gratiæ inſtituitur, in principio aperiri debere; eam quæ in poplite vel talo aperitur, poſt purgationes, [29] diebus tribus, quatuor aut quinque ante tempus conſuetæ evacuationis ſecandam eſſe. [30] Cucurbitulas, [31] quæ venæ ſectionis vicariæ ſunt, prius locis remotioribus, cruribus nimirum, dein propioribus; coxis ſcilicet applicandas eſſe. [32] Huc pertinent ligaturæ, frictiones inſtante menſium tempore, poſt totius corporis evacuationem.

II. [33] *Materiæ præparationem* & [34] huic inſerviunt, *Cremor Tartari* [35] in juſculis cum *floribus borrag.* & *betonicæ* decoctis, *Tartarus vitriolatus*, [36] decoctum *ligni Guajaci* cum *dictamno Cretico* abſque ſudoris promotione, &c. III. [37] *Evacuationem* [38] quæ per vices inſtituenda, [39] ut per ἐπίκρασιν [40] materia ſenſim evacuetur. [41] Inter *Evacuantia* præcellunt, Elect. ex *hieræ picræ mellitæ Galeni* unc. iſ. *ſpec. diacarthami dr. j. tart. vitriol.* ſcr. j. *Cremor. Tartari* dr. j. paratum, quod alternis diebus ſumi debet, caſtaneæ magnitudine: *pillulæ* aureæ cum gr. IV. diagrydii, pillulæ, [42] ex *aloës ſuccotr.* dr. iij. *myrrhæ opt.* ſcr. j. *Extract. calami aromat. cardui ben. croci* ana gr. iij. *radic. gentianæ*, *dictamni* ana gr. v. cum ſyrupo de baccis lauri formatæ, & ſcr. j. pondere veſperi ante cœnam exhibitæ. Eſſentia hellebori, &c.

III. [43] *Deobſtructionem* per [44] illa quæ menſes movent. [45] Præcipua ſunt, *Interna*, Folia *beccabungæ*

bunga 7. vel 8. cum *ſale* jejuno ventriculo ſumpta;ita ut poſt horam ſuperbibatur aliquid vini generoſi; *dictamnus Creticus* : [46]. decoctum *roriſmarini* cum *floribus cheiri* in vino : *Spiritus Tartari*, ſingulis diebus bis per unam & alteram ſeptimanam uſurpatus. [47]. *Eſſentia Martis* de qua ſuperius : *aqua pulegii* bis deſtillata cum *aqua cinnamomi*, [48]. *Pulvis* lapidum *tuberonum* , *Manati*, *molochitis* cum pauxillo mellis, *Cachecticus*, de quo ſupra , *lapis Malacenſis* manu geſtatus. [49]. *Electuarium Chalybeatum Augenii* , ſi febris non adeſt. [50]. Pillulæ *de Ammoniaco aperientes* , quæ parantur ex *ſulfur.* [51]. *Martis* ſeu *chalybis* per triplicem extinctionem in aceto acerrimo factam & evaporatam cum ſpiritu vini extracto & exſiccato dr. vi. *fæculæ Aronis* , *Bryoniæ* ana dr.iii. *Gummi ammoniaci* in aceto ſcillit. diſſoluti & per ſetac. acti unc. iv. *Extr. rhabarbari & folior. ſenæ* ana dr. ii. *Tartari vitriol.* puriſſimi dr.i. *ſalis abſinth.* ſcr. iv. *ſpecier. diatrion ſantal. pulv. radic. ſcrophular.* ana dr.iſ. *Elixir. propriet.* unc. i. [52]. *ol. ſtillatitii aniſi, Cinnamomi*, ana gutt.vi. cum *ſyrupo roſar. ſolutivo.*

[53]. *Externa* [54]. *Peſſus Mynſichti.* ex *cyclamino*, *helleb. albo*, *ſcammonio*, *Colocynth. Caryophyll.* ana dr. iſ. *ſagapeni* dr.iii. paratus, ſed nonniſi aliis tentatis applicandus. Alius ex *medullæ cervi* dr. iii. ſyndoni albo involutis, intruſus. Alius, ex *hellebori nigri* ſcr.i. nodulo incluſo: vel *radice nucis jugland.* tenera, qui excitat ardorem. [55]. *Inſeſſus*, in quibus commendantur, *Radix Aſclepiadis* , *Eupatorium* ſeu *herba Kunigundis*, *Caltha*, *Calendula*, *Artemiſia*, *Mentha Saracenica*, *Beccabunga* , [56]. *Marrubium album* , additis emollientibus. [57]. *Suffumigia* vel ex uvis vini putridis prunis injectis & per oblongum canalem ſepties de die ſuffumigio adhibitis : vel ex [58]. *ſcoriis reguli antimonii* pulveriſatis, in lixivio cinerum fagi ad rubedinis extractionem coctis , & admiſta vini Malvatici p. j. cochlearis unius doſi, ſilicibus aſperſis. De [59]. *Emplaſtris* & [60]. *Vnguentis* vide authores.

V. *Reliquarum diſcuſſionem* [61]. per ſudorifera , inter quæ laudatur *Miſtura* ex *milii ſolis*, *aniſi*, *viſci quercini* , ana dr. iij. *dictamni* dr. j. *croci* ſcr. j. contuſis & per xxiv. horas in vino albo macceratis , cujus unc. iii. propinari debent : Decoctum *chalybeatum* cum *ſpiritu Tartari*, Rob. *ſambuci* , *&c.*

[62]. *Nota inſuper* , 1. Nunquam venam tali ſecandam præſente ſanguinis copia , a niſi prius brachii ad evacuationem & revulſionem ſecetur.

II. Poſſe & tum largiore manu diverſis vicibus venam ſecari, [63]. quando extenuatum eſt corpus, quòd ſanguis pravâ qualitate infectus alendo corpori ſit minimè idoneus, venæ verò multo pravo ſanguine plenæ, idque *Galenus* fecit.

III. [64]. In exhibitione medicamentorum [65]. menſes moventium obſervandum:

1. Vt [66]. nonniſi præmiſſis evacuationibus generalibus exhibeantur , [67]. ne humores ad venas uteri prolapſi infarctus augeant.
2. Vt [68]. leviora primò, poſt fortiora adhibeantur.
3. Vt in majore copia, quia vires in via retunduntur, dentur.
4. Vt vel [69]. horis matutinis jejunô ventriculo, vel etiam aliquando in [70]. ingreſſu vel egreſſu balnei.
5. [71]. Vt peſſi & [72]. clyſteres uterini nuptis, naſcalia, fomenta, inſeſſus , [73]. ſuffumigia virginibus præſcribantur.
6. Vt in bilioſis & melancholicis calidiora vitentur ; & [74]. aperientibus emollientia admiſceantur.

[11]. *Cauſa ſunt*) Cauſa ſuppreſſionis illius, vel ad *Vterum* referenda eſt, vel ad *vaſa illius* , vel ad ſanguinem qui per illas vias fluit aut fluere debet. *Riverius*. Hæ tres cauſæ dichotomia queunt comprehendi.

[11]. *Cauſa ſunt anguſtia &c.*) Adde vitium *Fermenti Vterini* , verum quid ſit, & quonam loco illud generetur; quod ſtatis menſtruis periodis iſtam ſanguinis effervescentiam inducit in mulieribus vacuis, at non, aut rariſſimè in gravidis, hactenus parùm inquiſitum eſt: Nos licèt propter rei obſcuritatem hac in parte judicium noſtrum adhuc pro tempore ſubſiſtamus, tamen quibuslibet conſiderandum relinquimus , Annon fermentacea materia in liene, hepate, pancreate, glandulis, aliiſve partibus genita, & cum ſanguine per arterias , aut per vaſa lymphatica ad uterum delata , atque ibi aliqua ſui parte depoſita, & paulatim coacervata (ſemper enim in diſſectis vacuarum uteris viſcoſum ſeu mucoſum quendam humorem invenimus) à ſpecificâ quadam uteri proprietate peculiarem quandam qualitatem nanciſcatur (ſicut eadem in ventriculo aliam peculiarem qualitatem adipiſcitur, qua chylus ex alimentis educitur) quæ (humore iſto, cui ut ſubjecto inhæret , in ſanis à calore loci menſis ſpatio ad illam volatilitatem perducto, ut ſponte ſuâ efferveſcat) talem ſpecificam fermentationem ſanguini introducat, quâ totum mulieris corpus, imprimis partes utero circumſtantes (in aliis magis, in aliis minùs) conturbantur, & ſanguis ſuperfluus inturgeſcentiâ ſuâ vaſorum orificia dilatans , foras proturbatur , eaque qualitate, aut dicti humoris fermentacei volatilitate juſta deficiente, (ut fit in gravidis, in refrigeratis , in longo morbo detentis , &c. item in brutis) iſta menſtrua evacuatio non procedit. *De Diemerbroëck Anat. libr. 1. cap. 24.*

[12]. *Anguſtia venarum*) Obſtructio plerumq; occurrit, Obſtructiones autem menſium imminutorum vel ſuppreſſorũ cauſæ ſunt vel cõmunes vel proprię, *Communes*, quæ alibi quoq; v. g. liene, meſenterio , hepate & aliis locis viſuntur , à ſanguinis lentore , fixitate , ſtatu acetoſo ; *Proprias* , quæ ſoli utero quoad vaſa & poros competunt ; Fatendum tamen eſt obſtructiones aliorum

viſcerum dictorum non ſemper menſium paucitatem vel ſuppreſſionem cauſari, ſed ſæpe ipſum menſium profluvium immoderatum. *Wedelius.*

12. In *Anguſtiæ venarum & ſanguinis vitium*) Fundamentum ſuppreſſionis utplurimùm in obſtructione viſcerum & vaſorum naturalium conſiſtit, quòd ſanguis mirùm quantùm ſic turpificetur, & multa craſſa, glutinoſa, ac viſcida, vel uno verbo, excrementitia humiditate contaminetur. unde cùm talis poſtea ſanguis ad clima matricis etiam perveniat, ac derivetur, liquet protinùs cur obſtructio & hic loci non difficulter oriri poſſit. Ideoq; excrementa, quibus partim ſcatet tota ſanguinis maſſa, partim ea ipſa etiam in ipsâ uteri ſubſtantiâ, ex mala ejus nutritione eo modo, quo excrementa in qualibet parte generari ac colligi poſſe conſtat, ibidem oriuntur, à *Fabro* quam rectiſſimè accuſantur. Atque eo faciliùs quidem in utero copiam viſcidorum ac corruptorum humorum cumulari poſſe ratiocinamur, quò certiùs eſt, ſic ordinante Naturâ, ſanguinem confertim ad loca muliebria confluere; Si ergò ſanguis ſit vitioſus, Archeus uteri gravatur deſubito, ac ita debilitatur, ut utile ab inutili, & purum ab impuro decenter ſequeſtrare; adeoque uteri ſubſtantiam laudabiliter nutrire non poſſit, Hinc & ſanguinis degeneratio ac depravatio, & excrementorum p.n. collectio ac redundãtia ulterius ſuccreſcit, cujus utriuſque ratione & vaſa graviter obſtruuntur, & ipſa uteri natura, facultas ſeu Archeus adeo infringitur, ut in expulſione ſuperflui & noxii hujus ſanguinis, ſuo ſatis officio facere non valeat. *Chr. Langius.*

13. *Venarum*) Uterus quidem, ceu totum integrale, ex pluribus, iiſq; diverſi generis partibus quantitativis conflatur, imprimis tamen *vaſa* illius hic laborant, Sed quæ? *Venas* antiqui accuſarunt: »Utrum *vaſis fundi* vel *cervicis* id adſcribendum? officio? *Veſalius An. l. 5. cap. 15.* Nunc non ambigo, *inquit*, ex *fundos*, non verò *cervicis venis* menſtruas purgationes ſanis alioquin evenire, etiamſi ſectione id nondum deprehenderim. Sed *Columbus l. 11. c. 15.* vaſa illa quæ à cavæ diviſione exoriuntur, quæve in uteri cervicem ad latera inſeruntur, eligit: Interim Recentiorum Anatomicorum hodie decreto, & ſuffragante ſanguinis περιδρομῇ id muneris arteriis hypogaſtricis, & quidem non tam iis quæ uteri capacitati illabuntur, quàm quæ in cervicis ipſius angiportum excurrunt, adſcribi ſolet: Sic igitur venæ ab hoc onere abſolvuntur; Ut tamen ex apicibus ſuis, qua ἐλάχισαι γινόμεναι cum arteriarum oſculis committuntur, ſimul emittere ſanguinem veroſimile indicet. *Rolfincius Diſſert. An. p. 1175.*

14. *Sanguinis vitium*) Sanguis quantitate, qualitate, vel motu peccans, cauſa eſſe poteſt ſuppreſſionis menſium, *Quantitate* peccat *aucta* vel *imminutâ*; *Qualitate*, Dum craſſior & viſcidior eſt, ex ſe, & propriâ naturâ, ob frigidam hepatis, aliarumq; partium intemperiem: Vel ex humorum craſſorum, pituitoſorum aut melancholicorum permixtione, unde plerumq; obſtructiones oriuntur: *Motu*, cum per alias vias excernitur, nares, vomitum, ſputum, urinas, hæmorrhoides, & multas alias vias: *Vidi puellam puſtulam habentem in capite, quæ ſingulis menſibus apertebatur, & ſatis copioſum ſanguinem fundebat*, multas verò vidimus ſanguinem periodice per pulmonem reiicientes, quæ evacuatio purgationis menſtruæ vices gerebat, *Riverius.*

14. *Sanguinis vitium*) In *qualitate*, dignoſcitur ex pravo corporis habitu, hepatis aut aliarum partium vitio, & præſertim ex ipſius ſanguinis conſideratione, ſi tantillùm ex eo effluat, *In quantitate*, Sanguis in venis redundans ſeſe evidenter profert ex venis admodum diſtentis in cruribus & brachiis, tum ſi fœmina carnoſior & rubicundior evaſerit, cibiſque levioribus ſeſe per multum tempus impleverit: *Defectus* erit coniiciendus, ſi fœmina obeſior fuerit, ſi febrem diuturnam, longam inediam aut cibi faſtidium paſſa fuerit: *Motus* præpoſterus, cum per alias vias effluit, per ſe ſatis ſenſibus manifeſtatur. *Riverius.*

15. *Curatio eſt feſtinanda*) *Hippocr. initio l 1. de m. m.* uterum, cujus vitio tam ſæpe ægrotare ſolent mulieres, non abſque causâ πάντων τῶν νοσημάτων, αἰτίαν, omnium morborum (muliebrium) cauſam (puta vel *efficientem* vel *materialem*.) *ſubjectum* pronuntiavit: Quandoquidem verò τῆς φύσεως ἄρουρα, illud naturæ arvum, (quo nomine uterum *Philoſophus l. 1. de gener. animal. c. 1.* inſignitur) multorum imprimis infortuniorum ſemina in totum corpus ſpargit, ſi in neceſſario Purgationis menſtruæ turbetur officio, ita ut, monente. *Galeno l. 5. loc. aff. c. 6.* in quovis mulierum affectu p.n. ad excretionem uteri, *Menſes* ſcil. ſemper diligenti ſtudio reſpiciendum, *Laur. Strauſſius Pal. Med P. iij. Gymn. 16.*

15. *Curatio feſtinanda quia ſuppreſſio iſta plurimos*) Unde tam gravia, tam atrocia, & contumaciſſima morborum & ſymptomatum monſtra ex menſtruorum ſuppreſſione, cumprimis diuturniore, ſcaturire ſolent? Eo ipſo nomine, inquit *Helmontius* ſanguis hic ſit moleſtus & nocivus, quod ſuperfluus, atque ideò magis quidem, quod tunc exuat, ſpiritus vitalis auram & cadaveris horridas proprietates adſumat, hinc enim cruor ille ſit excrementum, deinde cadaveroſum virus, & vires tandem in pejus quotidie acquirit.

Et rurſus is de tributo lunari eleganter dicit, Hic cruor, puta jam extravaſatus, & p.n. in uteri capacitate remanens, ſeu ſuppreſſus, depoſuit vitalis balſami favorem, & ſic per gradus ad liquaminis cadaveroſi ſummam malignitatem aſcendens, perniitioſiſſimi veneni indolem adſciſcit. Sigillo vitalis Archei non ampliùs potitur hic ſanguis, quo privatus ferociam fermentalem, potenti contagio plenam, & hoſtiles acerbitates ſuſcipit: Menſtruo (*inquit*) non ſecus ac ſalivæ canis rabidi ineſt fermentum furoris ſæviſſimi, & facultas ſigilli fera impetuoſiſſimæ malignitatis &c.

Hinc manifeſtum, cur concubitus cum menſtruatis ſit tam exitioſus; Cur ea quæ tanguntur, vel tractantur ab hujuſmodi fœminis deſubito corrumpantur, Et cur ex retentis menſtruis, per diverſos malitiæ gradus varia & ſtupenda ſymptomata, ita ut proinde illis affectibus, qui ab incantamentis proveniunt conſimilia plane habeantur, originem ſuam ducant.

Præſupponamus igitur uterum jam ſcatere peſſimi characteris cruore: eumque ſucceſſu temporis ob contumacem retentionem in dies magis magiſque corrumpi, *& in animatam putredinem* indubitato degenerare (prout ſemper unius rei corruptio eſt alterius generatio, veluti in officinâ generationis vivam illam gravioris & virulentæ putredinis ſobolem promptiùs, quàm alibi pronaſci poſſe, nulli inſuper dubitamus) facili poſtmodum negotio, & ex leviſſimâ naturæ turbatione contingere poteſt, ut malignum hoc virus, & funeſtę malignitatis plenum miaſmatis menſtruum, ad vaſorum uterinorum hoſpitia revertatur, atque retrogrado hoc revulſionis motu intra venæ & arteriæ magnæ caudices reſorbeatur, tunc ſane fieri aliter non poteſt, quam ut propter circulationis inevitabilem neceſſitatem, ad centrum vitæ perveniat, (ſicuti ſemper à partibus recedens ſanguis ad cordis atrium per hanc circulationis ſemitam denuo proficiſci ſolet, ut ſui inſtaurationem ibidem accipere, & ſic utiliter ad partes nutriendas redire queat) unde poſtea ſummos cordis angores, lipothymias ferales, horribileſque palpitationes, convulſiones & ſtrangulationes, certum exitium comminantes, hoſtiliſſimum hoc putrilaginoſi corruptique menſtrui virus efficit; Hinc ſtatim cauſa elucere poteſt, cur Puerperis purpura correptis V. S. præſtantiſſimum afferat interitum, &c. Vide Caput de Puerper. affectibus. *Chr. Langius.*

16. *Quia*

16. *Quia ſuppreſſio iſta plurimos*) An omnis menſium ſuppreſſio citra imprægnationem ſit vitioſa, ſeu morboſa? non immeritò quæritur) Plerique quidem adſtruunt; ſed *Hofmannus*, ſui Præceptoris *Scherbii* acumine fretus, hic rectè diſtinguit ac monet, Medicos parùm cautos ferme operam ludere in ciendis menſibus. Oportet enim, *ait ille*, in eâ copiâ ſit ſanguis, ut ſuperſit & effluere queat; Igitur in iis quæ, v.g. ſunt naturâ graciles, conſpicimus fruſtra aperientibus pugnare, quod in iis ſanguinis ſuperfluitas deſit, quapropter ſi in hujuſmodi fœminarum conſtitutionibus mẽſium fluxus non compareat, pro vitio habendum protinus non erit: Adeoq; ut fallaciam vitare valeamus, & conſuetudo & complexio, eſt attendenda, quæ ſi adſint, & poſtmodum deſtinato tempore, non reſpondeat lunaris hæc evacuatio, tunc menſium iſta ſuppreſſio pro morboſa demum eſt habenda, quod morbum in cavitate, hoc eſt obſtructionem, tam reliquorum viſcerum quam vaſorum utero implantatorum plerumque præſupponat. *Chr. Langius.*

16. *Quia ſuppreſſio iſta*) Menſium ſuppreſſio periculoſiſſima eſt, ex eaque multi atque graviſſimi morbi oriuntur & quidem alii in ipſo utero, ut tumores, abſceſſus & ulcera, Alii in toto corpore variiſque partibus: ut febres, obſtructiones, cachexiæ, cibi faſtidium, hydrops, cardialgia, tuſſis, difficilis reſpiratio, lipothymia, ophthalmia, mania, melancholia, capitis dolor, arthritis & alii nõ pauci: Progreſſum noxarum quæ ex ſuppreſſione menſium oriuntur, eleganter propoſuit *Hippocr.* 1. de m.m. his verbis, *Tertio menſe poſt ſuppreſſos menſes incipiunt ſentire ſuffocationes & horrores, lumborum gravitatem & quandoque febrim: Quod ſi diutius perſeverat ſuppreſſio, jam illis obdureſcit venter, urina copioſior mingitur, cibi faſtidium & vigilia ingraveſcunt, ita ut inter dormiendum dentibus ſtrideat, & ſi adhuc retineantur, quinto menſe his omnibus & maxime doloribus urgebitur gravius, ſed ſexto menſe morbus inſanabilis redditur, qui antea curari poterat, Et cum hoc anxia fit, & animo linquitur, pituitam vomit, ſiti magna vexabitur & quaſi balbutiet: Poſthac autem intumeſcunt crura, pedes, venter, & vrina mingitur rubra ſanguineaq; & dolor totum occupat corpus, maxime collũ, ſpinam & inguina, atq; ſic moriuntur. ſcil. ex hydrope.* Riverius.

16. *Quia ſuppreſſio iſta plurimos morbos*) *Sterilitatem poteſt inferre.* Hac *tamen* in regione vivit ruſtica temperamenti melancholici, quæ æſtimabat ſe nonnunquam menſes paſſam eſſe, ſingulis tamen annis gravidam fieri, *Joh. Doleus Med. Sept. vol.2. p. 50.* Vide ejuſmodi exempla apud *Schenckium, Donatum* & alios.

17. *Suppreſſio iſta plurimos morbos*) Menſtruarum evacuationum ſuppreſſio, haud ſcio an ullus morbus ſit cujus non poſſit eſſe cauſa, Quoſdam enim facit, quod ſanguis ſtatis temporibus, ut conſuevit, in venas uteri influat, ob earum autem obſtructionem, aut ejus craſſitiem non exeat: Aut quòd errore expultricis in alias partes refundatur, Aut quòd ne moveatur quidem: *Primo* modo facit uteri retractiones, aut in partem alteram diſtorſionem, & hinc præfocationes, coxarum dolores & convulſiones per conſenſum, aut totius corporis, ut epilepſias, aut quarundam partium, inter quas præcipuè ſolet lingua apprehendi, & aphonia fieri.

Secundo modo ſolet facere dolores articulorum, & aſthmata & dyſenterias, & innumera alia hujuſmodi: *Tertio* modo, febres putridas ſine ulla parte peculiariter affecta, & multa cutis vitia, efflo reſcentibus multis in cute maculis, aut papulis, aut ulceribus ob cacochymiã toto corpore diſperſam. *Valleſius com. in v. Ep. p. 556.*

18. *Plurimos morbos*) Quamvis in quibuſdam feminis *perpetuus menſium defectus* permanente iſtarum valetudine integrâ obſervatus apud *Rhodium c. 3. obſ. 47.* & alios, nihilominus tamen ſuppreſſio menſium præterquam quòd ſterilitatem inducat (licèt quaſdam concepiſſe narret. *Donatus H. M. l. 4. c. 23.*) plerumque graviſſimorum morborum cauſa exiſtit, teſte *aph. 57. 5.* & experientia; Hinc non leves tantum *Vertigines* & familiarem hyſtericis *cephalalgiam*, ſed etiam quando altiores egit radices, partes fere pleraſque aggreditur, & in *Pulmone* tuſſim difficilemque reſpirationem non ſine rabis metu infert, In *corde palpitationes*, & quandoque ſyncopen, In *cerebro* melancholiam & maniam, & in *toto nervoſo genere* motus convulſivos valde mirabiles concitat, ſicque miſeras ægras admodum diu quandoque affligit non modò, verùm etiam fractis hinc viribus, vel ſuperveniente *hydrope*, *vel febre hecticâ*, vel obortâ in ipſo *utero gangrænâ*, triſtem mortis cataſtrophen acceleret; niſi fortè periculi metum ſuperveniens hæmorrhagia narium, (quam *Hippocr. 5. aph. 35.* bonam pronuntiat, quod *Galenus* reſpective intelligendum vult) vel ſanguinis evacuatio per alia loca, (modo ne per veſicam, in qua ſanguis facilè grumeſcit) à naturâ inſtituatur, imminuant. *Strauſſius.*

18. *Quia ſuppreſſio iſta plurimos*) Menſium purgatio non eveniens, ſive retentio, plurimorum morborum eſt genitrix fœcundiſſima, ſicuti id præter experientiam quotidianam *Hippocr. 5. aph. 57. & Galen. in comm.* ac paſſim alibi teſtantur; Proſunt ergo ſpeciatim emmenagoga (1.) in menſibus ſuppreſſis curandis, præcipuè in puellis, etiam ſi nunquam fluxerint, nam & ille ſtatus in praxi toto occurrit die, ut ſeriùs ocyùs circa annum 14. & ſequentes eveniant ſymptomata non aliunde, quàm à ceſſante eruptione menſium. (2.) In iiſdem curandis & promovendis, curandis ſi remanſerint, præcipuè in productâ inde chloroſi, quæ tamen & priori accidit & competit, quacunque causâ externâ accedente, promovendis; ſi tardi, pauci, non ſufficientes, non ordinatiè, non εὐφόρως fluxerint, ſed dolorifici, cum doloribus capitis, dorſi, abdominis, imò uteri ipſius ὀδαξισμῷ, quod ſalino acetoſo principio debetur, unde & Coüs menſtruum hunc ſanguinem terram radere (profuſum) velut acetum ſcribit, *1. de m.m. c. 21. t. 14.* Taceo decolores, aquoſos, pituitoſos, nigros, ipſoſque actu frigidos, quod ipſum idem quoque jam notavi, & nos obſervavimus in Virgine hic loci, & arenoſos, Imò etiam in fluore albo ipſo conveniunt, ſi quidem hic diſtinctus quidem omnino eſt à menſibus, non facilè tamen fit, ſi menſes per omnia, ut decèt fluxerint. (3.) Speciatim quoque proſunt ad lochia ſeu purgamentâ poſt partum in puerperis & partu difficili. *Wedelius A. m. m. p. 401.*

19. *Vt febrem &c.*) Sæpenumero Phthiſin, vide qua ratione eveniat infra §. *Curatio ex.*)

20. *Leucophlegmatiam*) Per ſanguinis emanſionem ſolet inſequi *à cachexia*, non quòd effectus deficiẽtium menſium, ſed quòd cachexia incipiens redditur confirmata; Morbi quibus ſupervenit menſium emanſio, redduntur deteriores; in ſpecie chronici; non ſolent rectè curari, niſi ſimul promoveatur menſium fluxus. *Etmuller.*

21. *Difficilis*) Difficulter curatur quæ à ſuccorum gravitate, vaſorum obſtructione vel anguſtiâ dependet, quia rebellis iſte humor in penitiores illos meatus inſinuatus, non niſi multis remediis, & diuturnâ operâ, cujus mulierculæ ſunt valdè impatientes, educi poteſt. Sed ſuppreſſio quæ ex proprio uteri affectu proficiſcitur, omnium peſſima eſt, quia pars illa per idiopathiam læſa, difficulter curari poteſt, ob perpetuum excrementorum affluxum, quorum receptioni ea maximè diſpoſita eſt, ita ut totius corporis ſentina ac cloaca à nonnullis nominetur. *Riverius.*

22. *Sextum ſi ſuperaverit menſem*) Ex prçcedenti contextu *Hipp.* dubium oritur, quòd dicit ſextò menſe morbum eſſe inſanabilem; contrarium enim docetur experientiâ, Et *ipſe Hippocr. 4. Epid.* refert ancillam cui per

ſeptennium ſuppreſſa fuerunt menſtrua, illis tandem redeuntibus ſanitati fuiſſe reſtitutam: Conciliari poteſt *Hippocrat.* cum ſeipſo, dicendo ultra ſex menſes morbum eſſe inſanabilem, quando menſtrua in ipſo corpore aut cavitate ûteri retinentur; quia ibi putreſcunt aut ſupputantur, ut in retentis lochiis contingit, hoc tamen non de quacunque ſuppreſſione eſſe intelligendum. *Riverius.*

22. *Sextum ſi ſuperaverit menſem*) Cùm ſenex menſium ſuppreſſionem poſt ſextum menſem 1. *de m. m. c. 4.* Vel octavum, incurabilem definiverit, ſunt qui præſcriptionem hanc urgent, ſed id omne noſtro hoc ſenſu intelligendum eſt, Si motus naturæ urgens in ſextum vel octavum menſem non ſibi reddatur, facilè affricari poſſe inde corpori reliquo labem, & nominatim tabem ſeu phthiſin, vel hydropem, quibus datis, impoſſibile eſſe ut ſuperſit, *ibid. cap. 6. tit. 1.* Hæc urgentia naturæ ſæpe hæmorrhagiis miris; per vomitum cruentum, per alia ſe exſerit, teſtibus analectis medicis; vel ſi alia non ſit via ſe liberandi, in alios terminatur morbos. *Wedelius A. m. m. p. 443.*

23. *Boni eventus*) Minùs periculoſa eſt illa ſuppreſſio, quæ à multitudine ſanguinis laudabilis exoritur, vel à pinguedinis copiâ, hæmorrhagiâ & vacuationibus aliis, cautæ enim illæ, ſi non multùm invaluerint, tolli facilè poſſunt. *Riverius.*

24. *Reſpicit*) Curatio communem methodo medendi Indicationem, quâ *cauſarum remotio* ſolèniter inculcari ſolet, ad ſpecialiſſimos dirigat ſcopos neceſſe eſt; Hinc *ſanguis* ubi *in corpore cumulatur*, vaſiſque impactus fuerit, ad *Uterum* revocandus; *Copiâ* verò peccans imminuendus: Quòd ſi verò *cacochymia* malum foveat, *humores qualitate peccantes* primùm *præparare*, deinde vaſis ſic reſeratis, inſtitutâ per *epicraſin evacuatione*, educere, & iſtorum *reliquias* debito modo *diſcutere* conveniet, Quibus tandem quæ *uterum*, aliaſque *partes roborare* apta nata ſunt, ſubinde admiſceri, & *Victus* legitima ratione vires conſervari debent. *Strauſſius.*

24. *Reſpicit*) Ante omnia 1. *Ventriculi chyloſis eſt corrigenda*, 2. *Sanguinis cruditas volatilibus aromaticis emendanda*, 3. *humores viſcidi*, vaſa uterina obſtruentes, iiſdem incidendi; Hiſce ſimul conjunctis *appropriatis* fermentum menſium ſtimulandum, idque nunc internis, nunc externis. *Etmuller.*

24. *Venæ ſectionem*) Methodo ſequenti (Vide §. Deobſtructionem &c.) perfacili blandaque, abſque omni violentiâ plurimis puellis menſes movi, nullâ inſtitutâ in eum finem *Venæ ſectione*, niſi concurreret, quod rariſſimum, ſanguinis abundantia; quæ quidem aliquando in ſuppreſſis poſtea menſtruis obſervatur, Vix unquam in iiſdem nondum fluentibus, nec niſi ob grande in Diætâ erratum commiſſum, circa tempus imminentis primi eorum fluxus. *Franc. Sylvius, Pr. lib. 3. cap. 3.* Rationem vide *Indic. Med. Pr. pagin. 482. §. 5.*

25. *Venæ ſectionem*) Chirurgia nos ſtatim in limine invitare, ſuamque offerre videtur opem: Quæ licèt plerumque negligenda non ſit, nequaquam tamen ubique reperit locum, Aliàs in ciendis menſibus luditur opera, Hinc *C. Hofmannus Inſtit. pag. 409.* Oportet, *inquit*, ſanguis in eâ copiâ ſit, ut poſſit effluere: Et *Grulingius cent 1. obſ. 19.* Meritò arguit Medicum imperitum, qui in puellâ valetudinariâ & extenuatâ menſes evocare volebat: Vide & *Foreſtum lib. 28. obſerv. 5.* Quanquam contrarium notet. *Zacutus PP. M H. libr. 3. hiſtor. 1.* ubi ſuppreſſionem menſium in *extenuatiſſimâ*, ſanguinis miſſione à *Galeno* curatam oſtendit. Poſſe autem à *plethorâ* quoque hoc malum oboriri notum; Hoc igitur in caſu non opus medicamentis, ſed venæ ſectione. *Strauſſius.*

26. *Nam ſanguis qui ſingulis menſibus ſubſiſtit*) Convenit V. S. quando ſubſiſtunt menſes & diutiùs a fluxu ceſſarint, ſanguis ſcilicet coacervatur, & coacervatus tardiùs circulatur, & ſic mille mala infert; Si ergo ex menſibus ſuppreſſis adſit plethora, & dolor gravativus artuum, difficilis reſpiratio, neceſſarium eſt inſtituere ſanguinis evacuationem per S. M. *Etmuller.*

27. *Aperiendam venam in talo*) Ex actu agentibus præſidiis Venæ ſectio in pede facta, eo tempore quo inſtant, ad eos commovendos præcipuum & utiliſſimum eſt remedium, cùm enim ad inanitum ex inferioribus venis ſanguinem, alius ex ſuperioribus in locum vacuum mox ſequatur, concitato ſic ſanguine, qui priùs otioſus & ſegnis circa venas hærebat, viam illic naturalem potiùs, quàm aliam ſequutus, per oſcula cervicis uteri erumpens, fluxum conſuetum efficit; Ob quam cauſam non ſolùm in plethoricis (in quibus plethoræ cauſa è venis primùm brachii, antequam in pede aperiatur ſanguis mittitur) ſed & in macilentis, niſi quid aliud obſtet, hoc remedii genus uſurpari poteſt; Aperiturque ea communiter quæ ſub malleolo, ſeu talo interiore, diſperſa eſt, *Saphena* dicta, in eo pede ubi vena magis pateat, quem & prius in aquâ fervidâ, & poſtea quoque cum ſecta eſt, ut ſanguis citius fluat immergere, & tamdiu retinere debent.

Sed & in *poplitis regione* ſi ſecetur, æque proderit citiùſque ſanguis effluet: In utroque pede eodem tempore, vel in uno mane, alio veſperi facta, potentiùs adhuc operabitur; In quibus agendis, ſi faſciâ coxa tota interim ſtricte cincta ſit, cùm ſanguis deſcendere nequeat, majori impetu ad uterum præcipitabitur.

Sanguiſugæ talo appoſitæ, ſi ſanguinem ſugant copioſum, venæ ſectionem ex parte ſupplere poſſunt. *Platerus.*

28. *In talo*) Ubinam ſecanda vena? Reſpondet *Hofmannus*, In malleolis, Ita quoque *Galenus l. de C. R. per S. M. c. 11. & 17. In crure*, inquit, *non in cubito*; Sectæ enim in cubito venæ Purgationes menſtruas magis comprimunt, & ſanguinem, qui ad uterum fluere deberet, ad ſuperiores corporis partes retrahunt, non promovent; Quanquam autem res ita habeat, tamen non abſolutè debet intelligi, ſiquidem *in brachio* quoque interdum V. S. adminiſtrandam eſſe ratio & experientia confirmant; Quòd ſi itaque (ut paucis rem expediamus) *plethora* adfuerit, ſecetur *brachii vena*, ad totius vacuationem, idque in mediâ menſis periodo fiat, Pedis autem vena jamjam imminente menſium excretione, ſecetur, Nam aliàs evenire poſſet, quod robuſtæ ruſtici filiæ apud *Grulingium cent. 1. obſ. 2.* Strauſſius.

Melior eſt *Aetii* (quam *Galeni*) opinio, quæ & *Pauli*, repletis ſcil. primò copioſe ex cubito, mox ex talo ſanguinem educere, & ante ipſum, ſcil. detrahendum ſanguinem X jam à purgatione diebus, ſaltem ad ℔j. At præterito ſtato tempore, & nulla memorabili ſequuta purgatione, malleoli vena ſecetur. *Fortis Tr. de m. m. §. 1.*

28. *In talo*) *Saphena* vocari hæc vena ſolet, Sic *Riolanus m. m. gen. Part. 2. c. 4.* Vena, *inquit*, eſt in parte inferiori malleoli, & hinc Saphenæ nomen eſt inditum, quæ præcipue utero male affecto, vel menſtruis ſuppreſſis ſecta prodeſt, & ceſſantem fluxum iterum ciet, & concitat: Tuto autem ibi ſecari poteſt, quia comite arteria caret, Nervuſque ab eadem remotior exiſtit. *Strauſſius.*

29. *Diebus tribus, quatuor aut quinque*) De tempore non concordant *Galenus & Aetius*, *Galenus enim l. de S. m. capit. 18.* tribus aut quatuor diebus ante tempus conſuetum menſtruæ purgationis venam ſecat, Nos autem in praxi obſervavimus ex hoc *Galen.* præcepto, aut minorem aut nullam menſtruorum expurgationem fuiſſe ſequutam, factâ forſan diverſione.

Quare

Quare conſultiùs duximus naturæ opus relinquere, tranſacto verò tempore, & hiantibus adhuc uteri venis, defectum ſupplere venâ in talo ſectâ, ut ſentit quoque *Fortis Tr. de morb. mul.* §. *1.*

30. *Cucurbitulas*) Quas *Galen.* viii. *m. m. c. 19.* ad motum humorum in utero ſtabulantium pubi & inguinibus applicandis proponit.

30. *Cucurbitulas*) In *poplite, coxarum interiore ſede,* & in *pube* quoque adhibitæ ſanguinem eò rapiunt, præſertim ſi accedat ſcarificatio. *Platerus.*

31. *Quæ venæ ſectionis vicariæ ſunt*) *Galenus* in temperamentis calidis & hum. ſcarificationibus præcipuè ſolitus fuit uti, *l. de S. m. c. 11.* Alii quoque in affectu, confirmato *venas ſedales* reſerari jubent, derivant enim ab utero: Quam opinionem recentiores acceperunt ab *Aquapendente*, quam tamen & ipſe à *Galeno* deſumpſit *5 aph 33.* quod remedium præſertim convenit in provectâ ætate, & poſt alia adminiſtrata remedia; At tutior atque felicior ab utero repleto derivatio haberi poterit hirudinibus cervicis uteri venis applicitis; commodè namque ſanguis copioſe educitur; quam operationem in uſum ducere cœpit *Hier. Nigriſolius* de qua opuſculum edidit &c. *Fortis Tr. de m. m.* §. *1.* Uſus & hoc remedio *Zacutus.*

Vicem V. S. geret *Scarificatio*, quando iſtam vel *vires*, vel *carnoſior* pinguiorque corporis habitus non admittent, Hinc *Heurnius*, Cucurbitulæ, *inquit*, admoventur pedibus, duos vel tres dies ante ſolennem evacuationem menſtruam; Maxime id agimus, ſi mulier fuerit exilibus venis dotata, ut ſi alba & turgidula fuerit: *Galenus l. 13. m. m.* c. 19 cum menſes evocare in animo habet, *Cucurbitulam* in *inguine* & pube affigit.

In ambobus cruribus ſubtus genua, in parte interna, duo cauteria magnopere laudarem; quippe quæ & ratione & experientia compertum eſt magnam vim habere ad proliciendos menſes, & ad ſanguinem ab excrementis expurgandum; *Mercurialis, conſ. 8. tom. 1.*

Neque *Hirudines cruribus* admotas nullam afferre opem oſtendit, Nobilis illa diuturna menſium ſuppreſſione laborans apud *Aquapendentem Chirurg. P. 1. cap. 94.*

32. *Huc pertinent*) *Congreſſus*, ſi legitimè fieri poſſit, virginibus tempore virginitatis menſtruorum defectu laborantibus, pallidis & morboſis hunc fluxum ſi nubant, interdum prima nocte, ſicuti hoc etiam ſanis, ut citiùs quàm par erat fluant, quod pro virginitatis indicio certò habent, commovet, & in certum ordinem cum colore vivido & incolumitate reſtituit. *Platerus.*

33. ij. *Materiæ præparationem*) Omnium frequentiſſima eſt illa menſium ſuppreſſio, quæ fit ab Obſtructionibus venarum uteri, cujus ratio eadem propemodum cum ea eſt, quæ in chloroſi fuit propoſita, nonnullis tantùm additis, quæ uterum magis ſpecificè reſpiciunt; 1. ergo ea omnia ſigillatim uſurpari poterunt, quæ illic fuere deſcripta; Et utplurimùm contingit, ut reſeratis viſcerum Obſtructionibus, menſes ſponte profluant. *Riverius.*

34. *Et huic inſerviunt*) Præmiſſa alvi lenitione præparatur humor.

℞. *Syr. de artem. v. rad.* āā. ℥ ß. *oxym. ſimpl.* ℥i. *aquar. artemiſ. matricar.* āā. ℥iiß. *aq. pulegij, nepetæ* āā. ℥i. *f. Julep. pro 3. vel 4. dozibus, aromatiz. cinnamomo,* vel *aqua cinnamomi.* Vel hoc Decocto.

℞. *V. Rad aperit. in vino macerat.* āā. ℥ß. *rad. rub. mai. eryng.* āā. ʒvi. *rad. valerian.* ℥ß. *herb. artemiſ. puleg. matricar. meliſſæ. nepeth. chamædr. chamæp. thymi,* āā. *m.* j. *ſumm. lupuli, cicer. rub.* āā. *p.* j. *baccar. lauri* ℥ß. *ſem. aniſ. fœnic.* āā. ʒii. *ſem. petroſel. cuſcutæ* āā. ʒi. *flor. roſmar. ſambuc. bugl. utr.* āā. *p.* j. *rad. polipod.* ℥i. *f. Decoctio cujus colatura dulcoretur ſaccharo & aromat. cinnam.* pro diebus aliquot bibenda. *Platerus.*

Quo materia educenda minùs contumacem ſe exhibeat, præparantium uſus præmittatur, neceſſe eſt, Facient hunc ad ſcopum *Aqua hyſſopi, artemiſ. fœnic. puleg. petroſel. zedoar. vit. mul.* ſyrupi *de 2. & 5. rad. de artemiſ. Tinctura tartari, Eſſentia helenii,* magiſt. *tart. vitriol. ſal. artemiſ. meliſſæ, ſpir. ſalis dulc. Juſcula carnis* incoctis *rad. aper.* addita *Tinctura martis aperitiva, mixtura ſimplex.* Laur. Strauſſius.

Vſurpentur Pilulæ uſuales ex purgantibus & alterantibus compoſitæ (Vide §. *Inter evacuantia præcellunt*) Tempore intermedio uſurpentur *alterantia aromatica.* v. g.

℞. *Radic. angelicæ, leviſt. ana.* ℥i. *galangæ* ℥ß. *fol. roriſmar. matricar. ſabinæ ana. m.* ii. *baccar. junip. rec. unc. ß. cinnam.* ʒiii. *croci* ʒi. *ſal. tart.* ℥ß. *infundantur in vino.*

Pro ſcopo alterativo, adde *helleb. nigr. crudi*, ſingulariter in menſium affectibus, una cum *ſennâ* præter dicta, pro ſcopo alterandi conveniunt quæcunque *aromatica amaricantia* in morbis cachecticis & chronicis uſurpata: hiſce ſubjungantur *martialia* &c. *Etmuller.*

35. *In Juſculis*) Inter ea quæ in cibis ſumuntur Juſculum hoc ſæpe ſumptum convenit.

℞ *Cicer. rubr. p.* j *rad. petroſel.* ℥ii. *flor. borrag. p.* j. *porror. vel capar. mundat. n°* j. *coqu. ſumat jus butyro & ſale decenter conditum; croco & cinnam. aromatiſatum, ſingulis matutinis.*

Acetarium ex *naſturtio*, *addito raphano & cepis* comeſtum ſæpe in robuſtioribus conducet. *Platerus.*

36. *Decoctum ligni*) Guajaci aut Saſſafras decoctum in pituitoſis corporibus valde utile eſt, etiam cum *dictamno cret.* ſi per xii. aut xv. dies ſumatur ſine ſudoris provocatione: Illius experimentum refert *Jacchinus* in ix. *Rhaſ. c. 66. Ego* inquit, *lignum Indicum coxi, & adjunxi dictamnum, unde mulieri, quæ jam per v. annos nihil purgabatur, & ſterilis erat, & purgationem evocant & partum.* Riverius.

37. *Evacuationem*) Purgantia per alvum conveniunt, ſi à ſanguinis vitio & impuritate menſes ſubſiſtant, quæ etſi facultatem expultricem ſtimulando dejectiones promoveant, quia tamen ſimul uteri venarum vim ſolicitant, ea quoque ratione menſes provocant, ob quam cauſam etiam illis quibus fluunt, menſes, ne nimium fluant, & gravidis ne fluant catharticæ exhibere veremur; & in illis quibus ſubſtiterunt, plus ſæpe catharticis, præſertim ſi ea quæ menſes ſimul movent illis commiſceantur, quàm aliis, quæ tantùm menſes propriâ vi movent; efficiant: quæ nos prout pituitoſos, vel bilioſos, aut melancholicos humores redundare cognoſcimus, ſeligimus. Præmittitur autem alvi lenitio ex *catholico. tryphera, hiera* & ſimil. *Platerus.*

37. *Evacuationem*) Si *cacochymia* adſit, ex materiæ craſſæ viſcidæque & venas obſtruentis copiâ originem habens. *Evacuantibus* illa eſt educenda: Facem præfert *Hippocrates aph. 35. 5.* ubi *mulieri menſes decolores,* inquit, *nec per idem tempus ſemper venientes, purgatione indigere ſignificant,* Commendat quoque catharſin *l. de m. m. 11.* ubi *cum menſes fuerint occultati primum ventrem purgare oportet, ſurſum & deorſum*, Dices, At *Galenus* menſtrui Sanare intendens Retentionem, à ſanguinis miſſione illicò curationem orditur, nullâ *Purgationis* factâ mentione, Conciliationem vide apud *Zacutum l. 3. M. P. H.* ubi diſtinguit inter menſium ſuppreſſionem *recentem & antiquam*, & de illâ quidem *Galeni*, de hac verò *Hippocratis* doctrinam intelligendam eſſe, monet; *Strauſſius.*

37. *Evacuationem*) Eſt incipienda curatio à purgatione exuperantis humoris, cumque ſiniſtri hypochondrii tenſio occurrit, cathartica idonea infundantur in decocto ſplenetico; ut in hepatico, ſi in dextro hypo-

chondrio & toto meſenterio mali focus latet: Fere enim viſceribus & venis quæ illinc in uterum pertinent, obſtructione liberatis, maxima pars per conſuetam viam ſeſe expurgat. Danda autem 4. aut 5. quolibet die cathartica, ut expurgatis vitioſis humoribus, qui primas vias obſidebant, facilis ſit medicamentorum aperientium & menſes moventium in majores venas ingreſſus *Ench. m. Pr. p.312.*

38. *Quæ per vices*) Per vices purgantia menſeſque moventia ſimul, eâ ſeptimanâ quâ menſes inſtare conjectamur, commodè exhibentur: quæ etiam inter ea *quæ ſumuntur medicamenta* citius illud præſtant. *Platerus.*

39. *Vt per ἐπίκρασιν*) Ideo cum *Purgantibus Alterantia* quandoque maritanda, etiamſi non omnibus id probari neutiquam nos lateat, Experientiâ enim tum aliorum, tum propriâ, dudum nobis hance viam, ceu ſatis tutam, æquè ac compendiariam commendavit: Hinc vina medicata ex alterantibus in intemperie viſcerum, ſanguinem impurum generantem, & *Evacuantibus* quoque compoſita exercitatiſſimis Practicis etiam nunc probari conſtat; Si vina iſta non arrideant, decocta laxativa, (*Juſcula medicata*) vel Pilulæ, &c. in uſum vocari poterunt. *Strauſſius.*

40. *Materia ſenſim evacuetur*) Inter præſidia *ſenſim* materiam alienam evacuantia & derivantia, ſunt *Cauteria* tibiis admota, quæ in affectu inveterato plurimùm conferre poterunt, quamvis enim à *Sennerto* reprobentur, ex eo quòd ab utero potiùs derivent, & humoribus qui cum ſanguine ex utero fluere ſolent, aliam viam monſtrent, & inclinationem eorum ad uterum prohibeant; attamen maximè prodeſſe *Mercurialis*, *Varandæi* & aliorum frequentibus experimentis comprobatum eſt: per iſta enim uſcuſcula ſuperflui humores perpetuò vacuantur, & humorum curſus ad inferiora dirigitur: At tantùm abeſt, ut humorum ſuperfluorum derivatio ab utero fluxum menſtruum avertat, quin potiùs eum provocet, ſanguinem puriorem & Naturæ regimini magis obedientem efficiendo, qui cum dictis humoribus ad cauteria non retrahitur: Adde quòd iſti humores, niſi per has vias educantur, retenti in venis obſtructiones geminent, & ita obſtructionem augeant: Exiſtimamus tamen reſtitutis menſtruis purgationibus ad naturalem ſtatum cauteria eſſe occludenda, ut Natura per uterum ſuperflua excludere aſſueſcat. *Riverius.*

41. *Inter evacuantia præcellunt*) Si redundet non tantùm in ſanguine, aſt in capite etiam & inteſtinis pituita, bonum erit ac utile ipſam ſubinde minuere ac evacuare per phlegmagoga, inter quæ vulgo laudantur *Agaricus, Turpethum, Hermodactyli, Colocynthis* &c. Ex chymicis autem primum locum merentur omnia ex *Mercurio* parata, tum *præcipitata* tum *ſublimata*, & imprimis *dulce*. *Fr. Sylvius Pr. l.3. c.3.* Adde prædictis *Sennam*, quæ ſolitaria, addito *Sale Tartari*, vel ejuſdem cremore, in aquâ vel vino infuſa, craſſos humores & tenaces efficaciſſimè, ac citra tormina educit, conſule experientiam, nec *Sennæ* aliud purgans adde; à quo vis ejus vel immutetur vel retundatur. Quia amara menſes movent, in formâ Pilular. præcipuè dantur, Vel fit *Infuſio.*

℞. *Rad. cichor. petroſel. fœnic.* āā. ℥ß. *rad. aſari* ʒii. *abſinth. artemiſ.* āā. ʒiß. *fol. ſennæ* ℥i. *rhabarb.* ʒii. *ſpicæ* ℈i. *agar.* ʒii. *zinzib.* ʒi. *conquaſſ. pro vino, pro 2. aut 3. vicibus.*

Infuſio in *Vino* ex *amaris* & efficacibus prius ſiccatis, ſic fit.

℞. *Rad. aſari* ℥ß. *rad. cyclam.* ʒii. *rad. gentianæ* ʒiß. *herbar. abſinth. fumar. centaur. ſabinæ, marrub. card. be.* āā. ʒii. *majoran. puleg.* āā. ʒi. *flor. anthos, cheiri* āā. ʒii. *ſem. fœnic. apii* āā. ʒi. *fol. Sennæ unc.*ii. *agar. rad. bryon.* āā. *unc.*ß. *turbith.* ʒii. *zinzib.* ʒi. *pulv. infundantur in vino, ut ſuperemineat duobus digitis:* Vel uſurpetur ſyrupus ſequens ex fortioribus & ex pluribus concinnatis.

℞. *Rad. aperit. unc.*iß. *rad. liquir. pæon. rec.* āā. ℥ii. *rad. ireos, aſari, rubiæ mai. eryngii, dictamni albi ana.* ℥i. *rad. ariſtol. valerianæ, ana. unc.*ß. *cyclam.* ʒii. *h. artemiſ. matricar. pulegii, maioran. meliſſæ* āā. *m. j. h. ſabinæ, ſerpilli, marrub. card. ben. thymi* āā. *m* ß. *flor. roſriſmar. ſambuc. cordial.* āā. *p. j. flor. Cheiri p. j.* ß. *cicer. rub. p. j. baccar. junip. & lauri* āā. ℥ß. *ſemin. aniſ. fœnic.* āā. ʒii. *ſem. cuſcutæ, apii, petroſel. leviſt.* āā. ʒi. *paſſular.* ℥iß. *ficuum n.* x. *fiat Decoctio in aqua & vino, In colat. infunde rad. polyp. ſem. carth.* āā. ℥iiß. *Sennæ quart.* iß. *rad. bryon. ſicc.* ℥i. *iterum coquantur & colentur, Infunde Agar. turpeth. ana.* ℥ß. *& ſi validam operationem requiris, hellebori* ʒi. *zinzib.* ʒiß. *denuo bulliant, ſed leviter, colentur, adde ſacch. quart.* iß. *coquatur ad conſiſtentiam ſyrupi, de quo ſumat.* ℥i. *augendo vel minuendo dozin* prout operabitur cum *jure cicerum*, bis aut ter, inſtante tempore menſtruo, vel in plenilunio, quod idoneum ad hæc eſſe putant. *Platerus.*

Præmiſſis digeſtivis debitis præter vomitoria, *Purgantia* etiam uſurpari poſſunt, & cum *gummatibus* parata, v. g. ſint *Pilulæ* uſuales ex *purgantibus* & *alterantibus.*

℞. *Extr. panchymag. Croll.* ℈i. *g. ammon. in aceto ſol.* ʒß. *Extr. croci, caſtor.* āā. *gr.* v. *troch. alhand. gr.* iv. *cum ſ. q. olei ſuccin. m. f. Pilulæ.* de quibus aliquot capiat ægra omnibus 4. 5. vel 6. diebus.

Tempore intermedio uſurpentur alterantia aromatica. *Etmuller.*

41. *Inter evacuantia*) Si quidem ante omnia ventriculi chyloſis eſt corrigenda, pro hoc ſcopo obtinendo conveniunt *vomitoria*, ſed præmiſſis Digeſtivis uno nomine, cura talis affectus eadem eſt cum cura cachexiæ. *Etmuller.*

41. *Inter Evacuantia*) Faciunt Purgantia, fundendi ſanguinem virtute conſpicua, inprimis amaricantia, abs quorum ope, parum proficuus reliquorum uſus viſitur; Cumque αἱμαγωγὸν remedium non detur in naturâ, licèt id ex Galenicâ hiſtoriâ probare velint nonnulli, vel ſaltem non ſalutare, ſuccedaneum hujuſmodi, & optimum quidem præbent *Purgantia*, remoras auferentia illas, propter quas natura effundere ſupervacuum nequit. *Wedelius.* Vide *§. Curatio &c.)*

41. *Inter evacuantia*) Dum menſes moventia in uſum ducuntur, Clyſteres frequenter injecti maximè conveniunt, ob incumbentem recto inteſtino uterum, & ita componi poſſint.

℞. *Rad. lilior.* ℥j. *ireos, valerian.* āā. ℥ß. *Mercur. m.* ij. *artemiſ. ſabinæ* āā. *m.* j. *flor. chamam. lavend.* āā. *p. j. ſem. carvi. nigellæ* ana. ʒi. *coqu. ad* ℔i. *In colat. diſſolve Hieræ ſimpl. ben. lax.* ana. ℥ß. *ol. cheirini* ℥ii. *Elect. de baccis lauri* ℥ß. *m. f. Clyſter.*

Imò verò Purgationes per intervalla repetitæ erunt præſtantiſſimæ, quæ variè inſtitui poſſunt, Ac primùm laudantur maximè à *Galeno Pilulæ de Hiera ſimpl. & compoſ.* præterquam quod educunt convenienter humores ſuperfluos, habent etiam facultatem vias aperiendi & expurgandi uterum vel.

℞. *Aloes* ʒiii. *maſſ. Pil. coch. min.* ʒi. *cum ſucco ſabinæ fiant Pil.* xx. *dentur* iii. *ante prandium* 13. *quoque die.* vel.

℞. *Aloes* ʒi. *rhei el.* ʒiß. *diagr.* ℈i. *myrrh. rad. aſar. ana.* ʒß. *ſpicæ* ℈i. *cum ſyr. artem. f. maſſa Pil. dozis à* ℈ii. *ad* ʒi. Vel.

℞. *Maſſæ Pil. cochiar. min.* ʒß. *Mercur. dulc. gr.* xx. *cum ſyr. roſ. ſol. formentur Pilulæ* v. *vel* vi. *ſummo mane ſumantur.* Riverius.

42. *Ex aloes*) Quia amara menſes movent, In for-

formâ Pilularum præcipuè dantur, quales hæ ſunt.

℞. *Aloes* ʒ ß. *agar. rhabarb.* ana. ʒ i. *myrrhæ, g. ammon. diſſoluti in aceti, rad. gentianæ & aſari* ana. ʒ ß. *ſpicæ, cinnam. maſtich.* ana. ℈ i. *croci gr.* v. *cum ſyr. de artem. f. maſſa. Capiat* ʒ ß. vel ℈ ii. *Acuuntur interdum addito diagr.* Platerus.

43. *Deobſtructionem per illa quæ menſes movent*) Aperientia cum pellentibus non confundenda: Non ſtimulandum ſine aperientibus, utraque ſibi debitè interpolanda; Aperientia hinc magis intermedio tempore, vel ante tempus ordinarium ſtimulantia pro illo tempore conveniunt, Neutra verò ſine humectantibus danda, hæc quippe fluxilitatem concilianr ſanguini, qua ſine citari ſanguis in fluxum nequit: Hinc in priori claſſe, ſeu aperientium, in ſtatu imprimis corporis ſicciori & graciliori, tincturæ, infuſa, decocta proſunt, in poſteriori balnea; Soliti ſumus ipſo illo die novilunii dare pellens *ex borace, oleo ſabinæ*, 2. balneum ordinare ex emmenagogis. 3. poſt balneum *ſuffimentum ex colocynthide, vapore croci metallorum*, quo & alia referri poſſunt: Hoc pacto felix ſequutus effectus, ſi non prima vice, tamen ſecunda, vel tertia; id quod potiſſimum ſuccedir & fieri conſuevit tempore vernali, quo præ aliis ad orgaſmum pronus eſt ſanguis. *Wedelius Am. m. m. p. 201.*

44. *Per illa quæ menſes movent*) Præcipua & radicalis uteri actio eſt, per menſes ſecernere ſanguinem aliàs in nutrimentum corporis, vel nutrimentum fœtus ceſſurum; Ea autem quæ illos movenr dividimus in *communia* & *propria*, uti enim Emmenagoga nihil aliud ſunr, quàm reſerantia occluſas uteri vias, occluſum ſanguinem ad exitum deſtinatum, ita duplicia ſunt ipſa, Uterum ad ſecretionem diſponentia, & ſanguinem ad eandem aptantia; ſeu ut conſtent ſibi viæ per quas, liberæ, & humor, ſeu ſanguis, aptus ὀργασμώδης, exitum affectans: Si ergo ſanguis in culpâ fuerit, eundem aptant & exſuſcitant, quæcunque, (præſuppoſitâ ſufficienti, imò reſpectivè abundante quantitate ejuſdem) qualitatem vitioſam pituitoſam, acidam, ad motum ineptam corrigunt, ut ὀργασμὸν menſtruum, & lunarem recipiat, fermentatione & rarefactione conſimili torulis ſuis non contentus excidat, & anaſtomoſi naturali ampliorem viam affectans, excidat: *Emmenagoga* ergo ſunt hoc nomine quaſi ſpecialia, tum *ſalina*, tum *ſulphurea*, utraque volatilia, media, vel fixa; Inter *Salina*, ſunt *ſpiritus ſalis ammon. ſ. & comp. oleoſus, fuliginis, ſal. tartari, vol. c.c. cochlear. ſal ſuccini, volat. borax Ven. ſpec. diaborac. Minſichti, ſal artem. tinct. tartar.* & ſim. Inter *Sulphurea*, ſeu *volatilia oleoſa, Sabina, Crocus, angelica, camph. bacca lauri. myrrha, troch. de myrrha, Elix. propr. ol. zedoar. cinn. ſuccin. ſabinæ ſ. & crocat. Minſ.* & aromata omnia: *Caryoph. antophyll. coſtus Arab.* & plantæ aromat. amaricantes & acriuſculæ, v. g. *calam. cereſol. diptamn. Cret. roſmar. puleg. nepet. meliſſa, marrub. alb. matric. artem.* rub. *flores cheiri*, Ex ſemin. *cicera rubr. rad. rub. tinct. zedoar. ſuccin. flor. ſulph. aloetica, Elix. uter. Crollii, eſſent myrrhæ, ſuccini*, & mixta. Faciunt huc etiam ex generalibus *Purgantia*, &c. Nec abnuunr *Diaphoretica*, Præcipuè verò communia inter memoranda ſunt *martialia*; Proſunr hæc in menſium ſuppreſſione, & ex his productis ſymptomatis curandis, & hiſce affinibus menſibus rardis, paucis, inordinatis, decoloribus, dolorificis, & qui alii modi illorum ſunt corrigendi; in Chloroſi quoque, imprimis poſteriora communia: Item in movendis lochiis & purgamentis poſt partum, ubi pellentia mitiora ex *meliſſâ, flor. roriſmar. rad. zedoar. galanga, croc. antophyll. caſſiâ lign. rhabarb.* conveniunt, ad concretionem, ςάεω & grumeſcentiam illic tollendam, unaque ad dolores poſt partum, & ſymptomata hyſterica præcavenda & curanda. *Wedelius A. m. m. p. 192.* Vide infra §. *Curatio ex &c.*

44. *Per illa quæ menſes movent*) Ad menſium fluxum, ut fiar, requiruntur duo, Ipſum *mobile*, & *via* per quas illud moveatur: *Mobile* ſanguis eſt in venis contentus, *via* ſunr vaſa capillaria & pori, Seu ad menſium lunare tributum requiritur *ſtatus uteri* quoad vias & poros integer, & ſanguis ὀργασμώδης.

Hinc notandum poſſe obſtrui menſes dato alterutro, vel *ſanguine indiſpoſito ad turgeſcentiam* vel *viis obſtructis*, Videmus enim toto die ſanguinem turgeſcere quidem, & ſtato tempore ſymptomata cauſari cum fluxuro ſanguine communia, ſed ad ſuperiora magis ferri, quàm ad debitum locum.

Notandum & obſtructiones menſium obſtructorum, vel ſuppreſſorum, cauſas eſſe vel communes vel proprias, *Communes*, quæ alibi quoque, v. g. liene, meſenterio; hepate &c. viſuntur, à ſanguinis lentore, fixitate, ſtatu acetoſo, *proprias*, quæ ſoli utero quoad vaſa & poros competunt.

Notandum etiam *Acida*, ſanguinis orgaſmum infringere, *Alkalia* promovere, *Illa* figendo, obtundendo, *hæc* rarefaciendo ſulphur & ſal volatile ſanguinis: Hinc quibus *Acidus* magis eſt *ſanguis*, minùs fere patiuntur menſium; quibus vero *alkalicus* nimis magis fluxum.

Sciendum prætereà orgaſmum omnem ſanguinis deberi *ſalino volatili principio* principaliter, ſecundariò *ſulphuri*, unde fluxilitas ſeu, vehiculi ſalium, promptior, unaque calor dilatans poros rarefactionem majorem & ſequitur & producit; Impedire verò eundem, præter acidum, lentorem, pituitam, viſcedinem.

His præmiſſis dicimus 1. *Quæcunque impedimenta orgaſmi ſive turgeſcentiæ ſanguinis & ſeri menſtrua tollunt, ſunt emmenagoga:* Sunt hæc ipſa vel communia, vel privata, illa primam tuebuntur claſſem, uno verbo *aperientia*, Quamvis enim hæc propriè loquendo menſes, ſaltim principaliter, non moveanr. movent tamen mediatè & ſecundariò, diſponendo & ſanguinem & vias, unde utramque abſolvunt paginam, imò reliquis ſternunt aditum.

Talia ſunr *radices v. aperientes, Decoct. aperit. ſimplex* & miſtum cum uterinis ſpecificis. ipſiſq; *Martial.* Præcipuè enim decoctorum & infuſorum hic facit forma; Item *folia cereſolii. ſal artem. tinct. tart.* qua in ſymptomatibus inde productis feliciſſimè uſi ſumus; Et omniũ apex, ſeu præcipua *Martial. limatura ipſa cruda, crocus martis ſulphur*, imò *aperitivus* omnis, quo ſolo, inprimis cum *ol. diſt. cinnam.* vel *caryophyll.* momento lævigato, cum *Oculis cancr. præp.* vel aliis uti poſſumus: Item *Pulvis cachecticus maior & minor*, addditis *oleis deſtill. Tinctura martis tartarea, Tinctura martis pomata & cydoniata* fermentationi ſanguinis exſuſcitandæ, & humectandis corporibus optimè dicata, inprimis volatilis, acceſſione *ſpiritus ſalis armon* reddita: Hæc ſcilicer ſingula acorem & pituitam (duo ſanguinis rarefactionis, fermentationis ac orgaſmi impedimenta ordinaria) tollunr, & exſuperanr.

Notabile verò eſt præcipitantia & abſorbentia quidem hæc ſalina & martialia inſervire huic ſcopo, & eſſe emmenagoga, quatenus & acorem tollunr, & pituitam fundunt, & ſulphur unà ſanguinis rarefaciunt, non æquè tamen omnia huc quoque facere quæ ipſa, licèt per accidens, menſes potiùs obſtruunt quàm reſerant; Notum enim eſt, ſæpe ut palleant, cretam comedere puellas, unde per quod peccant, punitæ, hinc *chloroſin* reportant, quatenus fermentum ventriculi acidum volatile obtundunt nimis.

Tantoque magis hæc ipſa aperientia & martialia conducunt, quod ſalia tartarea ſylveſtria ſimul corrigant & reſpiciant; Obſervatum enim ſuppreſſione

menſium laborantes corripi & mori hinc phthiſi.

Excipiuntur ex hac claſſe acida & nitroſa, quæ aliàs inter aperientia & ſanguinem fluxilem reddentia militant, quia licèt pituitam incidant, orgaſmi tamen principia, ſal volatile figant, & ſulphur ſive calorem obtundant; hinc ab uſu aceti & acetariorum, ut & lacticiniorum placentarumque eſu obſtructio menſium acquiritur: hinc acetum ὑςεραλγὲς eſt, nec *Tinctura aperitiva acetoſa* huc facit; Acidum tamen ſub dominio reliquorum ſecundariò huc facere poteſt, ut in *miſtura ſimplici* vulgari & *antiſcorbutica*.

ij. *Quæcunque ſal volatile & ſulphur ſanguinis incendunt, expandunt & in motum cient magis, ſunt emmenagoga:* Factâ enim rarefactione, & ad dictum orgaſmum reſtitutione, ſanguis velut exſuſcitatur, & qualitate vitioſâ, & ad motum ineptâ correctâ, torulis ſuis non contentus exundat, & anaſtomoſi naturali ampliorem viam affectans excidit; Tenendum enim eſt ſanguinem, ut omne humidum quoque, eſſe rarefactivum, & calore ſive intrinſeco potiſſimùm, ſive extrinſeco expandi magis; Altera ergo hæc claſſis eſt emmenagogorum volatilium, & quaſi talium, quæ calorem torpidum exſuſcitant & ad expanſionem cirant.

Excitant ſal volatile ſale volatili inſignia quælibet, *plantæ antiſcorbuticæ*, *ſal ſuccini volat. ſpir. fuliginis, ſalis armon. c. c. ſimplex & ſuccinatus:* Hinc *ſpir. ſal. armoniaci ſimplex & oleoſus*, vel cum *elix. propri.* quoque commodè ad aliquot guttas manè & veſperi propinatur eo caſu. Excitant enim ſulphur & ſal volatile ſeorſim ſulphurea balſamica, conjunctim ſale volatili oleoſo fœta, licèt majori vel minori gradui minori plantæ amaricantes & fixiores; majori aromatica, magis vel minùs volatilia, plantæ aromaticæ, cephalicæ, uterinæ, ut rad. *zedoar. galangæ, rub. tinct. pæoniæ.* herba *artemiſ. rub.* quæ in decocto optima eſt, *marrub. alb.* cujus ſummitates in vino albo infuſar. per diem, triduo epotas, miræ ad provocanda menſtrua eſſe facultatis aſſerit *Borellus cent. 4. obſ. 14. Wedelius Amoen. m.m. l 2 ſect. 2. c. 11.* ubi plura de Emmenagogis; Vide & ſupra caput de Suppreſſione menſium.

44. *Per illa quæ movent menſes)* Quæ menſium provocandorum causâ per os exhibentur remedia, Vel quia Sanguinem augent in exanguibus fœminis, ut hic fluxus redeat, occaſionem præbent; quòd quæ corpus bene ſaginant efficiunt; vel quod calefaciendo & attenuando ſanguinem fluxui aptum reddunt; atque venarum oſcula aperiunt, eadem ratione ut diuretica, à quibus hæc non admodum differunt, id faciunt, Accedente fortè quoque proprietate aliquâ nobis incognitâ. *Platerus.*

Cùm à pituitâ viſcosâ & glutinosâ vel à ſanguine ſimili obſtructio producatur, facilè patet ad ipſius curationem menſtruorumque provocationem indicari & deſiderari humoris tenacitate peccantis inciſionem & abſterſionem: Incidunt quidem humores glutinoſos tum *Acida*, tum Aromatica, & ſale lixivo, tum fixo, quàm volatili abundantia, ipſaque adeo ſalia fixa & volatilia? quia verò *Acida* producendæ glutinoſitati ſerviunt, imprimis cùm vergunt ad auſteritatem, ideo merito præferuntur *Aromatica*, quæ teſte experientia, Acidis præſtant, ſive ſimul amara ſint, ſive minùs amara, ſed ſub varii ſaporis ſpecie *Aromatica* vocanda. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 3.*

45. *Præcipua ſunt Interna)* Ex ſimplicibus parari poſſunt Pulveres, Apozemata, Vino medicata, Tincturæ, Pilulæ, Tabellæ; Vini medicati formula.

℞. *Rad. enulæ camp.* ℥ii. *galangæ, curcumæ*, āā. ℥i. *Fol. pulegii, majoranæ, Sabinæ, artemiſ. rub. an. m. ß. Baccar. lauri, Sem. dauci, leviſtici* āā. ℥ii. *cinnam. ac.* ℥iii. *maceris* ℥ii. conciſa & craſſe contuſa includantur ſacculo, cui in cantaro lapideo *affunde vini albi* (pro perſonarum habitu vel conſuetudine) ℔ii. ſtent per noctem in cella; detur hauſtulus in prandio ac cœna: Si *Pilulæ* placent.

℞. *G. Sagapeni cum aceto præpar.* ʒß. *Chalyb. præpar. ſuccini albi* āā. ℈. *myrrhæ rub. caſtor. opt.* āā. *gr.* xv. *croci Britann.* ℈ß. *Borac. ven.* ℈. *ol. caryophil. gtt.* vi. *M. F. Pilul.* n°. xl. *deaurentur*, capiat ægra quotidie cubitum itura n°. v. Quiſquis autem in Chymicis rerum naturalium mutationibus verſatus fuerit, longe plura inveniet tum potentiora, tum uſurpatu faciliora, Salia putà volatilia, ex infinitis rebus parabilia, oſſibus omnibus, cornubus, ungulis, pilis, ſanguine, urinâ, carnibus & omnibus omnino animalium partibus: conducunt ſcilicet omnia ſalia volatilia, licèt cæteris præferam oleoſa, quippe quæ blandius faciliuſque opus ſuum abſolvant, Unde quoque patet. Salia fixa minoris facienda, nempe quæ puriora cùm ſint, vehementiùs quoque operantur: Præ cæteris autem, quoties ſubito ac nuper contingit ob corporis calefact. hinc mox refrigerati viciſſitudines, menſtruorum ſuppreſſio, omnibus commendo ſpiritum ſalis Armoniaci, cujus unius ope plures brevi ac commodiſſimè reſtitui, exhibendo ejus, prout potentior exiſtit, aut debilior, guttas iii, iv. v. vel vi. ex vini cochleari bis ter in die. Non ſolùm verò ſal volatile ipſum, ſed omnia quoque eodem abundantia vel ſudorifera, vel diuretica apprimè conveniunt, qualia etiam in ſuppreſſione ſenſim obortâ, adhibitis deobſtruentibus ſub finem addere utile erit, E. g. ſequens paretur Apozema.

℞. Rad. *apii, leviſtici* āā. ℥ß. *raſuræ l. guajaci* ℥iii. *Saſſafras* ℥ß. *baccar. Junip.* ℥ii. *lauri* ℥ß. *Herb. ſcordii, pulegii* āā. *man.* j. *ſummit. centaur. min.* m. ß. *Semin. milii* ℥i. *coqu. ex aquâ, ad colat.* ℥xxx. *adde ſyr. artemiſ. card. ben.* āā. ℥iß. *tinct. cinnam. & caſtorei* āā. ʒß. *olei ſuccini gutt.* viii. m. Hujus hauſtulum calentem aſſumat ægra ſummo manè, atque ſtragulis commodè tecta ſudorem expectet; quin poſt horulam ſi nondum prodeat, aſſumpto juſculo illum promoveat, idque ſæpius repetat, imprimis circa tempus conſuetum fluxus menſium, quo ſimul ad uterum propellatur denuo ſanguis: *Idem.*

45. *Præcipua ſunt interna)* Plus vice ſimplici inveteratiſſimas quoque obſtructiones intra paucas horas, vel eodem die ſoluta, fuiſſe vidimus (ſit venia verbo) linteaminum illâ menſtr. ad imperialis præter propter magnitudinem loturâ, inſciis datâ. *Dar. Ludovici, m. S. Vol. 2. p. 41.*

45. *Præcipua ſunt interna)* Si rebellis ſit affectis, & prædictis remediis non cedat, ad ea progrediendum eſt quæ peculiari vi menſes promovent, quæ ſub variis formulis uſurpari ſolent, Ac primùm Pulveres efficaciſſimi, & guſtui gratiores ita comparantur.

℞. *Cinnam. & ſuccini* āā. ℈i. *croci* ℈ß. *m. f. Pulvis ſumendus aliquot matutinis*, Vel.

℞. *Pulv. rad. rub. tinctor. ſacch. pulv.* āā. unc. i. *m. divide in* iij *partes, quarum una detur tempore menſium cum vino albo* ſummo manè in lecto, in quo maneat bene cooperta per horas v. Si non fluxerint menſes, rurſus in ſecundâ periodo exhibeatur altera pars: Si adhuc non apparuerint, rurſus in tertia, Vel.

℞. *Rad. ariſtol. rot.* ʒß. *fol ſabinæ ſiccor.* ℥iß. *dictamn. cret. & troch. de myrrhâ, ſine aſa fœt ob fœtorem* āā. ʒi. *cinn. ol.* ʒii. *ſal. artem. albiſſ.* unc. ii. *f. omnium Pulvis ſubtiliſſ. de quo capiat* ʒii. *manè* vel in ingreſſu lecti per aliquot dies, *Pilulæ* præſtantiſſimæ ſic parantur.

℞. *Troc. de myrrha* ʒi. *caſtor.* ℈ß. *cum ſucco artem. f. Pil. parvæ*, At maximè laudantur *Pilulæ Montagnanæ.*

℞. *Troch. de myrrha* ʒiß. *ſem. petroſ. caſtor. cinnam* ana ℈. *moſchi gr.* x. *cum ſucco apii formentur Pilul.* xii

deau-

deaurata. capiat duas manè, vel in ingreſſu lecti per aliquot dies, Vel.

℞. *Rad. rub. tinct. ariſtol. rot.* ana ℥iii. *agar. & cinnam.* ana ℥i. *croci* ℈i. *cum ſucco artemiſ. f. maſſa Pilul. dozis* ʒi.

Fermentum vetus à multis commendatur magnitudine caſtaneæ, cum pari ſacch. quantitate, per tres dies continuos exhibitum; magis tamen proderit ſi *Pulvis troch. de myrrha. dictamni*, aut ſimilis permiſceatur. *Decocta* uſitatiſſima ſunt; utiliſſima ſunt ſequentia.

℞. *Rad. petroſel. & rubiæ mai.* ana ℥ii. *cicer. rubr.* p. iii. *coqu. ad* ℔iß. *diſſolve Pulv. cinnam.* ℥i. *croci* ʒß. *mellis q. ſ. m. capiat* unc. vi. *calide, mane, bis in die antequam menſes prorumpant vel etiam iis fluere incipientibus, ſi lentè procedant*, Vel.

℞. *Rad. apii, aſparagi, fœnic.* ãã. unc. i. *fol. matricar. capill. ven. nepethæ, pulegii, ſabinæ* ãã. *m.* ß. *ſem. dauci & ſeſel.* ana ʒi. *dictamn. cr.* ʒiß. *cinnam. el.* ℈j. *f. Decoctio ad* ℥iv. *In colat. diſſolve ſyr. de artemiſ. de hyſſopo* ana unc. ß. *Fiat Julep pro dozi, alternis diebus exhibenda.*

Quercetanus in Pharmac. duo decocta valdè laudat, Primum.

℞. *Milii Solis, aniſi, viſci querc.* ana. ʒiii. *dictamn. Cr.* ʒi. *croci* ℈i. *contundenda contund. macerentur per* xxiv. *horas in vino albo generoſo, dein parùm bulliant, de hoc da* ℥iv.

Alterum Decoctum ita deſcribitur.

℞. *Splenem bovis integrum, hanc in fruſtra inciſum in phialem vitream capacem injice, ita ut ad medietatem uſque impleatur, addendo cinnam. craſſe contuſi unc.* i. *caryophyll. unc.* ß. *croci* ʒii. *vini albi opt. q. ſ. ad humectandam ſolum materiam. Vas probe clauſum ponatur. in* MB. *ferventiſſimo, adeo ut ebulliat per* xxiv. *horas, donec ſplen. in minutiſſimas particulas coctus & conſumptus fuerit, magnaque juris exquiſitiſſime cocti & fragrantiſſimi copia reſtet, dozis mane unc.* iv. *continuando per* iv. *aut* v. *dies, cum menſes fluere debent.*

Aquæ ſtillatitiæ cæteris liquoribus præferendæ ſunt, utpote guſtus gratiores, & quæ præ ſubſtantiæ tenuitate faciliùs ad vaſa uteri penetrant, Præ cæteris ſequens à *Mercato, à Caſtro & Sennerto* commendatur.

℞. *Panem ferè ad fermenti naturam redactum, mediocriter coctum & calidum, cui ablato cortice, adde mellis unc.* xii. *pulver. ſemin. urticæ, ameos, aniſi & fœnic.* ãã. ʒi. *trochiſc. gall. moſch, myrrh. rubr.* ãã. ℈i. *cotulæ fœt.* ʒß. *infundantur omnia in* ℔iii. *infraſcriptæ decoctionis, quæ recipit, phaſeol. rubr. cicer. rub.* ãã. *pug.* ß. *ſemin. junip.* unc. i. *rad. rub. ruſci, raphan. ſylv. aſpar. apii & petroſel.* ãã. *unc.* ß. *chamedr. rec. man. j. ameos, aniſi, fœnic.* ãã. ℥ii. *coq. omnia ſ. a. deinde in B. M. ſtillat. liquorem extrahes, cujus unc.* ii. *ſummo mane laboranti porriges: Addi etiam poteſt ſyrupus capilli ven. de 2. radic. de artemiſ.* Doſis etiam ſequentibus diebus augeri poteſt, ſi ventriculus non offendatur, *Aqua Theriacalis* ſequens mire eſt efficax.

℞. *Theriac. vet.* ℥v. *myrrhæ rub. Alexandr.* ℥iiß. *cinnamom. el. croci orient. ana* ʒß. *camphor.* ʒii. *affunde optimum vini ſpiritum, ad eminentiam trium digitorum, & leni calore tincturam extrahe, cui per inclinationem effuſæ adde ſpir. tartari. ſextam partem, Doſis cochl. j. cum vino aut aqua appropriata.* Riverius.

Myrrhæ trochiſci, cum *aloë* & *borace* certo menſes evocant. *Heurnius.*

Secretum & optimè expertum in apertione menſtruorum, & provocatione abortus, dare mulieri bis in die in ingreſſu lecti, & in duliculo ſequent. Potionem.

℞. *Aqu. pimpin.* ℥iv. *croci gr.* ij. *ſacch.* ʒii. m. f. dozis *Ben. Victorius.*

Menſes inſigniter evocat medicamentum quod habet *centaur. mi. rutæ, ſabinæ, rubiæ* ãã *m. j. amygdal. am. ariſtol. nigellæ,* ãã. ʒß. *ſi aqua ſtill. arter. macerentur, liquor emacerationis ſacch. dulcoretur, vel oxym. ſcill. quod vehemens* eſt ad menſes provocandos & urinam. Poſtea etiam liquor frequenti diſtillatione, medicamentorumque mutatione majorem vim acquiſiviſſe: Si medicamentum ſolidum cupimus, & ex *aloes, myrrh. ſagap. ammon.* ana. ℈i. *cum ſucco ſabinæ*, vel cum *theriaca, vel mithrid.* fiant Catapotia. *Nicol. Bieſius.*

45. *Præcipua ſunt*) Eſt nobis ſecretum ſingulare in menſium ſuppreſſione deſperata, in plurimis feliciter expertum, nempe *Syrupus de Sabina*, quem nos *ſyrupum hamagogum* appellamus.

℞. *Puleg. m.* iiß. *artem. m.* iß. *beton. calam.* ana *m.* ß. *ſabinæ m.* iii. *ſatur. meliſſæ, menthæ, abrot.* ãã. *m.* ß. *centaur. min. m. j. ſemin. aniſ. fœnic.* ãã. ʒiii. *rad. petroſ. aſpar. aſari* ãã. ʒvii. *polypod.* ℥iß. *helenii* ℥ß. *zedoar.* ʒiß. *dictamni* ʒi. *macis, nuc. moſch. ana.* ℈i. *caryoph.* ʒß. *aqu. beton. pulegii artem. ana.* ℔ii. *ſatur.* ℔ ß. *coq. ſ. a. colat. infunde rhei. el.* ʒvi. *ſtent. per noctem, mane fiat fortis expreſſio & cum ſacch. q. ſ.* coque in ſyrupum *H. Reuſnerus Obſ.* 194.

Moſchus hic valde convenit; cujus uſus internus menſes potenter movet, licèt ejus odor fœminis pleriſque noxius ſit: Quod autem quædam fragrantia naſo adhibita noceant, naturalibus admota proſint, (vide cap. de ſuffoc. hyſtericâ) *Pr. Med. Ref. p.* 402.

Ad menſtrua ſuppreſſa confert ʒi. *fermenti* cum *croci* momento quotidie incredibili ſucceſſu cum decocto *ſabinæ. S. Deodatus pant. Hyg. p.* 204.

Chymici felici ſucceſſu utuntur *eſſentia*, & *oleo croci, Flor. ſulph.* cum ʒi. *borrac. ol. & aqua cinnam. Idem.*

Magiſterium ſplenis bovis caſtr. præcipuum eſt in omni ætate. *Sal enim vitrioli* & *aqua cinnam.* mane data ad unc. i. cum ℥i. *ferri laminati* ſine ulla alia præparatione potentiſſime movet menſtrua, ut & *Eſſentia ambræ ad gr.* xii. cum *juſculo ex columbis* vel paſſeribus parato. *P. Joh. Faber. univ. ſap. p.* 319.

Præſtantiſſimum auxilium, & quod nunquam fallit, ubi ob humorum craſſitudinem menſtrua purgatio cohibetur, poſt purgationem.

Paſtinacæ condiantur melle, addicto *pipere & caryoph. mellis autem deſpumati ejuſdem conditi accipiat* unc. ii. *pulv.* cinnamomi tenuiſſime triti & cribrati ℥i. ſumatur iv. diebus ante diem purgationi definitum: Aut.

℞. *Pulv. calaminthæ tenuiſſimi* ʒß. cum *mellis deſpum. cochl.* iii. *Chriſt. à Vega.*

Arcanum duplicatum Minſichti in obſtructis menſibus probatiſſimum eſt cum aqua appropriatâ *Artem.* datum *Frid. Hofmannus m. m. p.* 144.

Secretum eſt quarundam mulierum, uti *conſervâ borrag.* diſſoluta in *vino albo* tenui. *Hollerius Pr. p. m.* 162. *Petræus.*

Ad cienda menſtrua remedium facilè & inauditum, eſt, *terra quæ in mineris ferri reperitur*, eam ſiccatam & ſubtiliſſimè pulveriſatam ægris offeras; mirabilem utilitatem percipies, ut ſæpius expertus ſum, *Zacutus Pr. hiſt. t. 1. lib. 1. obſ.* 56.

Ruta cum *vino, hyſſopo* & *aniſo*, cocta, menſibus ciendis hauſtu vel fotu mire opitulatur. *Mizaldus H. m. camp. 6. ar.* 3.

Ad menſium antiquam ſuppreſſionem; *Porrum* confixum undique *radic. helleb. nigr.* coctum, abjectis radicibus, aliquoties jejune, & menſtruo imminente eſitatum menſes ciet, Summum ſecretum eſt, *Prevotius Sel. rem. p.* 162.

Spir. ſalis armon. fugaciſſimus, in retentione men-

ſium in primis prodeſt *Schroderus Querc. Red. T. 2. p. 299.*

45. *Præcipua ſunt interna*) Poſt univerſalia accedendum ad *ſpecifica interna*, qualia ſunt *roſmarinus, baccæ juniperi*, herba ſabinæ, & ejus *oleum deſtill.* eſt potentiſſimum, *angelica, artemiſia, meliſſa, gentiana, crocus*, qui optimus, unde quæ patiuntur difficultatem menſium actu fluentium, ſolent veſci juſculis ex *croco, cinnamomo, myrrhâ*, & omnia cum *myrrhâ* parata hic conveniunt: unde *troch. de myrrhâ, Elixir propriet.* ſine acido, menſes promovent, *Colocynthis* præter evacuativam viſcidorum vim, ſpeciatim amaritudine ſua menſes promovet; unde ſi tollatur laxativa vis, poteſt parari ſimplex alterativum menſes movens, *Caſtoreum*, & ex eo parata *eſſentia caſtorei* cum ſale volatili ſunt egregia; Sic *Barbette* ſal volatile diſſolvit in *Spir. vini* quodam, affundit *myrrha, caſtorei*, & ſimil. fit ſic *eſſentia* optima; *ſplenis bovis eſſentia* & *decoctum Quercetani* ſunt optima, in menſium emanſione. *Borrax* potentiſſime ſtimulat; & aliis irritis ſaltem *borrax* cum *croco* vel pulvere *cinnam.* nunc ſolitaria, nunc in *decocto pulegii* menſes promovent. v. g.

℞. *Borrac.* ℈i. *cinnam.* ℈ß. *m. da int. dec. pulegii vel roriſm.* Salia tandem, primario fixa, hinc volatilia egregiè menſes promovent; uſurpentur eo tempore, quo menſes fluere debent, in ſpecie, ſi poſt hæc imperetur corporis motus, vel ut æger maneat in lecto, ut corpus madefiat, ſic enim promovetur ſanguinis circulus, & feliciter excitatur menſium recurſus. *Etmuller.*

46. *Decoctum*) Liquidâ formâ bibenda dantur *Aquæ, Succi, Decocta* & *Infuſa*, vel ſimplicia, vel permixta, additis interdum Pulveribus, Electuariis &c. in illis diſſolutis, *Aquæ* elicitæ laudantur præcipuè *Artemiſiæ, Sabinæ, Pulegii, matric. meliſſ. calam. menthaſtr. nepetæ, petroſel. fœnic. raphani, acori* & *cinnam.*

Succi conveniunt ab iiſdem plantis expreſſis, ſed magis grati ſunt *Succus raphani, eryngii, porri*; item ſuccus ex *virgultis ſalicum rubr.* expreſſus. *Vinum* item *album tenue*, quæ cæteris permixta ſumuntur: E. g.

℞. *Succi raph.* & *eryngii* āā. ℥ij. *ſucci rad. ireos* ℥i. *ſacch.* āā. *Detur* ℥ß. *cum vino.* Vel.

℞. *Iam enarratos ſuccos, vel adde ſucci artemiſ. puleg. petroſel.* āā. *unc.* i. *ſacch.* āā. *coq. in ſyr. Da unc.* iß. *aut plus cum vino vel per ſe.*

Decocta vel *Infuſa*, in *aqua, vino, alio liquore*, fiunt ex prædictis plantis: *Cicerum* decoctum valde commendatur, *Seminis junip. lupulor.* Item *phaſeolorum, pimpinellæ, flor. chamom.* & *hordei* quoque decoctum. *Vinum* amatum valde efficax, cujus dozis eſt ad unc. iii.

℞. *Rad. gentianæ, valerianæ, ſicc. aſari* āā. ʒii. *rad. rubiæ mai. unc.* ß. *ſcillæ præpar.* ʒi. *h. abſinth. card. ben. artemiſ. ſabinæ, rutæ ſiccor.* āā. ʒiij. *infundantur in vini menſ.* j. bulliant in duplici vaſe; dozis unc. iii.

Vinum ex infuſione aromatum & *mellitum* quoque menſium fluxum juvat, *Hippocrat.* vel *Claretum* dictum.

Syrupus ad uſum ſic paratur.

℞. *Rad. aperit.* āā ℥ii. *eryngii, rubiæ mai. ana* ℥i. *rad. aſari* ℥ß. *h. artemiſ. puleg. utr. ſerpilli, ſabinæ, meliſſæ, calaminth. nepet. rutæ ana m.* j. *flor. anthoſ. chamom. odor. cheiri, geniſtæ, hyperici,* āā. *p.* j. *ſemin. apii veri, leviſtici, fœnic. ana* ʒii. *cicer. rub p.* j. *gran. junip. p.* ß. *f. Decoctio* in *aqua* & *vino*, *In colas.* ℔iii. *diſſolve mellis crudi* ℥vi. *coqu.* & *deſpumentur, redige in formam ſyrupi.*

Syrupi *de artemiſia, de calam. 2. radic.* &c. *rad. oxymel ſimpl. compoſ. diuretic.* & *ſcillit.* uſitati aſſervantur.

Potiones aliæ ex horum omnium mixturâ, varie fieri poſſunt.

℞. *Syr. artem.* ℥iß. *aqu. puleg. meliſſæ* āā. ℥ii. *aqu. cinnam.* ℥ii. f. Julep. Vel ſic.

℞. *Rad. petroſel.* ℥i. *cicer. rubr. p.* j. *pulegii m.* j *ſem. fœnic. petroſel. ana.* ʒi, *f.* decoctio in vino, In colat. diſſolve *Trypher magnæ ſine opio, vel ther. diateſſaron.* ʒi. *ſyr. artem. unc.* i. *croci* ℈ß. *f. Potio.* Platerus.

Quædam menſium ſuppreſſione laborans, reliquis nihil iuvantibus, tandem præter rationem aſſumpto *decocto cortici granatorum cum cereviſia facto*, menſium fluxum recepit *Th. Bartholinus Epiſt. 63. cent. 3.*

Conſuevi parare ex *flor. matricar.* & *chamom.* cum tantillo *artemiſ.* decoctum, à cujus uſu lochia abunde fluere ſæpe comperio. *S. Pauli Quadr. Bot. cl. 3.*

Pro ſecreto habetur *bellid. hort. crudæ* decoctum ex vino albo Ioh. *Prævotius med. Præp. p. 125.*

47. *Eſſentia*) Inter ſpecifica menſes aperientia *Faber* præcipuè laudibus extollit Magiſterium (dubio ſine liquidum, quod idem plane eſt cum *Eſſentia*) *Splenis bovis caſtrati* & quidem junioris, qui roboris vigore & præſtabiliore pollet efficacia: Cur vero *ſplen bovis* menſium ſuppreſſionem tam potenter expediat, Autorum nemò tetigit quidem, attamen experientiæ (nobis verò ad ſalis balſamici, quo ut ipſe ſanguis, ita & viſcera ſanguinea abundant, efficaciam expulſivam recurrere placet) interim tuto fides adhiberi poteſt, ſicuti etiam fructuoſe magis uſurpabitur, ſi eſſentia iſta cum ſpiritu meliſſæ præparetur. *Chr. Langius.*

47. *Eſſentia Martis*) *Sale vitrioli*, & *aquâ cinnam.* ſummo manè propinata ad unc. i. quantitatem, cum *ferri limati*, ſine ulla alia præparatione ℈i. potentiſſimè menſtrua moventur, & omnes obſtructiones tolluntur ac reſerantur. *P. Joh. Faber Path. Spag. c. 61.*

In admirationem quem trahere poſſet *ferrum limatum crudum*, potentiſſimam menſtrua provocandi vim obtinere, quum contrarium potiùs hic ſibi locum vendicare videatur, convenire enim idipſum cum croco magis adſtringente h. e. per nudam calcinationem reverberationem, ſine ulla ſalis alicujus aut ſulphuris additione parato, qui obſtructivus omnino ac ſiccativus exiſtit, quiſpiam fortè ingeret, Verùm *limaturam martis crudam* à croco hoc adſtringente evidenter diſcrepare quilibet concedet, qui vim aperitivam martis (tam adſtringendi enim quàm aperiendi viribus dotatum eſt ferrum) in volatiliori potiſſimùm parte, quæ per ignem evaneſcit reſidere reputabit, ſicuti ex adverſo adſtrictoria virtus in terreſtri & magis fixâ latitat: Hanc igitur adſtrictivam facultatem Crocus martis per reverberationem factus habet, crudum verò ferrum volatile ſal adhuc obtinet, unde aperiendi quoque efficaciam exſerere valet.

Verùm ſcopo ſic propiùs hos acceſſuros exiſtimamus, Nempe *limatura martis* non tam primariò nec immediatè & per ſe menſes ciet, ſed mediatè, ſecundariò & per accidens, dum fermentationem menſium retentorum (unde uteri fundus diſtenditur nimis, & orificium ejus contrario conſtringitur) cohibet, necnon aciditatem (quam corruptionis ſemper primordium parit) excedentem ac uteri orificium vehementer adſtringentem efficaciter reprimit atque compeſcit, adeoque Archeum exorbitantem hactenus ſui juris, & ordinis priſtini cōpotem ſic facit, unde poſtea vel ſpōtè noxia expellit, atq; rempublicam ſuam ritè iterum tuetur ac gubernat.

Imò eatenus quoque immediatè aperiendi hoc negotium præſtare poterit hoc medicamen, quatenus *aquæ cinnamomi* tanquam vehiculum partes volatiles ex hac limaturâ chalybis extrahit, terrenas & craſſas in ventriculo aut primis viis relinquendo: Ad ℈i. autem porrigendam duntaxat jubet hanc limaturam, ne ſtomachum aggravet, aut compreſſionis dolorem conciret, ſi in majori quantitate porrigatur. *Chr. Langius, in Notis.*

47. *Eſſentia martis*) *Hartmannus Pr. cap. 169.* ſic parat, *martis* ſelibram candentem ſemel atque iterum extinguendo in *vini malvatici* ℔iv. Sic enim, *ait* martis eſſentia vitriolata vino communicatur, Quod à ſemunciâ ad uncias duas ex juſculo vel *aquâ* aut *infuſo cichorii*, (*meliſſæ, pulegii*) ſuaviſſimum eſt hepatis auxilium.

Margra-

Margravius aliam habet. ℞. *Limatur. martis* ſeu *chalyb.puriſſimi*, ʒii. *ſpiritus aceti* ℥iii. inde cucurbitæ vitreæ quam repone in arenâ, ac digere per diem & noctem, augendo ad ſecundum & tertium gradum; & ſpatio unius diei extrahes tincturam iucundiſſimam, quam filtra per chartam.

℞. Hujus Tincturæ q. ſ. redige eam cum *ſacchari* ſufficienti quant. ad conſiſtentiam ſyrupi, qui condiri poteſt *gtt.* j. *vel* ii. *olei cinnam. caryophill. aut nuc. moſch.* Vires eaſdem habet cum Tinctura (quæ temperat acrimoniam acidam, humores fundit, obſtructiones reſerat, unde in omnibus cachexiis conducit, inprimis in fluore mulíebri, menſium fluxionibus &c.) poteſtque per ſe accipi ex cochleari, doſis cochlear ſemis: *Sed hæc Eſſentia priori contraria, utilis potiùs in fluore menſium immodico, quam ad eoſdem ciendos.*

47. *Eſſentia martis &c.*) Chymici commendant *tartarum vitriol. ſpiritum tart. mixturam ſpiritalem, ſales artemiſ. meliſſæ, rad. chelid. valerianæ.*

Præcipuè inter communia memoranda ſunt *Martialia*, quæ univerſalia ſunt aperitiva, & potiſſimùm ac genuinum menſium obſtructorum remedium: Poſſumus ergo hæc Emmenagoga in *Pellentia* & *aperitiva* commodè dividere; *Pellentia* ſunt fortiora jam dicta; *Aperitiva*, tum mitiora eadem, tum *martialia* & alia dicta; *Crocus martis ſulphuratus*, qui vel ſolus cum *lapidibus cancror. rad. aſari, crem. tart. & oleo cinn.* ſufficit, *crocus martis aper.* quicunque pulveres cachectici, vel maioris vel minoris apparatus, itidem cum oleis maritata; non tam ad correctionem *Martialium* exhalationis nidoroſæ, quàm fortiora, aliquandò præſtant, vel ventriculi juvamen, ut eò meliùs ferrum quaſi concoquere poſſit, quàm ut ſanguinis rarefactioni & orgaſmo velificentur magis: Sic & *Tinct. martis aperitiva* quæcunque generoſior, imprimis *Tartarea*, ob fermentandi & humectandi vim, & *volatilis*, Item *vina martialia*, aliaque ex utriſque parata infuſa. *Wedelius A. m. m. p. 193.*

Martialia multùm habent in receſſu in menſium ſuppreſſione, & quidem *inveteratam emanſionem* citra *Martialia* curare impoſſibile eſt. Operantur quatenus abſorbent acida, convenit ergo *limatura martis cruda unc.* ii. *cinnam. unc.* i. infund. in vino, Aegra bibat hauſtum mane & veſperi ante paſtum, Conveniunt. *Tinctura martis Zuvelferi, ſal martis compoſ. liquor martis ſolaris.* Ettmuller.

48. *Pulvis*) Pulveres ſic fiunt, dandi per ſe, aut ex liquore idoneo. Primus.

℞. *Croci* ℈ß. *Maceris, cinnam.* ℈i. m. ſumat aliquot mat.

ij. ℞. *Sem. nigellæ* ʒß. *myrrhæ* ℈i. *cinnam.* ʒi. croci ℈i. m.

iij. ℞. *Troch. de myrrha ſine aſa fœt. ob fœtorem*, ʒß. *ſem. nigellæ, borac.* āā. ℈i. *fiat Pulvis. pro una dozi.*

iiij. *Rad. aſar. fol. ſabinæ* āā. ʒß. *ſemin. paludap. petroſel.* āā. ʒi. *cinnam.* ʒß. *croci* ℈i. *myrrhæ, ſuccini* āā. ʒß. *f. Pulvis, capiat* ʒi.

v. ℞. *Rad. aſari, dictamn. alb. rub. ireos* āā. ʒß. *rad. cyclam. fol. ſabinæ, pulegii, rutæ, flor. cheiri, ſemin. nigellæ, cortic. caſſiæ fiſt. & caſſiæ ligneæ, oſſ. dactyl.* āā. ℈i. *cinnam.* ʒi. *ſchoenant.* ʒß. *croci* ℈ß. *f. Pulvis, pro plurimis vicibus.*

vi. ℞. *Oſſ. dactyl. borac. ſem. lavendul.* āā. ℈i. *maceris* ℈ß. *croci gr. v. f. Pulvis pro una dozi.*

vij. Ex *ſplene* paratur, quod remedium ſingulare perhibetur, poteſt ſic parari.

℞. *Splenem bovis jun. caſtr. torre in clibano, cujus* ʒi. *addita cinnam.* ʒß. *& croci gr.* iii. *pulv. cum decocto cicer. vel piſor ſæpe propinetur.*

Paracelſus ipſius eſſentiam elicit & exhibet; Ejus *extractum* laudat *Crollius*, ut *& hepatis bovis*; *Platerus*. Vide §. *Præcipua ſunt interna*, ex *Riverio*.

Commendatur *Pulvis Dominarum* dictus.

℞. *Seſel. cumin. fœnic.* āā. ℥iß. *curcum.* ℥iij. *nuc. moſch. calam. arom.* āā. ℥ß. *galangæ, zedoar. caſſia lign. macis, caryoph. anthos*, āā. ʒij. *cinnam.* ℥ß. *croci* ʒj. *mſ.*

Sed & hoc modo ab aliis paratur

℞. *Cinnam. el. curcum. ſacch.* āā. ℥ij. *z. z. caryoph. mac. n. m.* āā. ℥ß. *baccar. junip. lauri, galang.* āā. ʒij. *ſemin. zedoar. croci* āā. ʒj. *m. f. Pulvis.*

Primus mihi magis placet, quo commode frequenter uſus ſum. *Foreſtus lib. 28. obſ. 2.*

Præmiſſis univerſalibus dedi ʒj. *Pulv. Domin.* cum *vino Rhenano* & aperti ſunt menſes, Hoc modo parabatur.

℞. *Semin. ſeſel. ammeos, cinnam.* āā. ℥iiß. *cumin.* ℥iij *ſemin. fœnic. apii, Carvi, nuc. moſch. calam. arom. galangæ*, āā. ʒß. *zinzib. mac. caryoph.* āā. ʒj. *croci* ʒiiß. (℈iiß.) *f. Pulvis. Idem obſ. 4. l. 28.*

Secretiſſimus, & hactenus inter arcana habetur hic Pulvis.

℞. *Ciner. ſtercor. columb. calc.* ʒj. *pulv. croci* ℈ß. *m. ſumatur* cum vehiculo appropriato. *Joh. Ferd. Hertodius Crocol. c. 20.*

49. *Electuarium*) Inter Electuaria *Theriaca diateſſaron. ad* ʒi. exhibita ad menſtrua provocanda probata eſt. Item *Tryphera magna ſine opio, ad* ʒiß. *Electuar. hæmagog.* præter quod alias ſanguinis evacuationes juvat, inprimis in ſanguine menſtruo evacuando valet, à ʒj. ad ʒß. Elect. *de ſcoria ferri*, vel *limat. ferri Rhaſ.* ad caſtaneæ quantitatem, valet præſertim in *cachecticis.* Aliud.

℞. *Rad. ariſtol. ireos rub* āā ʒj. *fol. ſabin. marrub.* āā. ʒß. *ſchœn. ſpicæ, xyloal.* āā. ℈j. *gum. laccæ* ʒß. *cum melle f. Elect.*

Efficaciſſimum hoc eſt.

℞. *Succi mercur. & mellis* āā. *p. aqu. coq. in formam ſyr. quo excipe pulv. ſem. nigellæ cum pauco cinnam. & croci* ℈ß *donec ſpiſſum fiat Elect. da cochleari.* Inſpiſſari poteſt in formam Pilular.

Conſervam borrag. cum vino pro ſecreto habent mulieres. *Platerus.*

Præſtantiſſimum auxilium; & quod nunquam fallit, ubi ob humorum craſſitudinem menſtrua purgatio cohibetur, purgato corpore.

Paſtinacæ condiantur melle, addito *pipere, zinzibere, & caryoph. mellis* autem *cocti & deſpumati ejuſdem conditi accipiat* ℥ij. *cinnamomi tenuiſſime triti & cribrati.* ʒj. ſumatur iv. diebus ante diem purgationi definitum: Aut accipiet *pulv. calaminth. tenuiſſ.* ʒiß. *cum mellis deſpum. cochl.* iij. *Chriſt. de Vega.*

℞. *Conſerv. roſar.* ℥iij. *ſal. beton.* ʒj. *ol. ſulph. cum cryſtallo parati gtt.* xii. *m. dozis* ℥ij. mane, Confectio hæc uterina certiſſime obſtructos meatus uterinos aperit. *Poterius Pharm. l. 1 p. 361.*

50. *Pilulæ*) His maximo cum ſucceſſu utor.

℞. *Aloës* ℥j. *myrrhæ, gentianæ, ariſtoloch. dictamni, croci*, āā. ʒß. *rubiæ maj. mithrid.* āā. ʒj. *cum ſyr. de artem. f. maſſa, capiat pro dozi Pil 4. vel 5.* quotidiè mane, x. aut xij. matut. continuis, ante ſolitum tempus purgationis menſtruæ. *Heurnius comm. ad aph 36. ſect. 5.* Commendantur ab *Hannemanno* tanquam probatæ, qui uſum ad xx. dies prorogari vult. vide §. *In exhibitione medicamentorum.*

50. *Pilulæ*) Ex *troch. de myrrhâ*, qui ad menſes movendos potiſſimum in uſu ſunt Pilulæ fiunt, qui aliter ob *aſæ* fœtorem ſumi nequeunt. Vel

℞. *Myrrhæ* ʒj. *aloes* ʒß. *ſem. lupin. & nigellæ, rad. rub. tinct. gentian.* āā. ʒß. *croci* ℈j. *borac.* ʒß. *cum ſyr. de artemiſ. f. maſſa doſis* ʒß. vel ex *lacrymis.*

℞. *Myrrhæ* ʒj. *galbani, aſæ fœt.* āā. ʒß. *caſtor.* ℈j. *croci*

℈ß. *ſem. nigellæ, rad. aſari*, ãã. ℈ii. *cum ſucco ſabinæ & melle fiat maſſa, capiat* ʒß. Vel ſic.

℞. *Agar. hermodact.* ãã. ʒß *ſimi caprar. ſylv. ſiccati* ℈i. *gummæ laccæ, myrrhæ* ãã. ℈ii. *cum ſyr. de artem. f. maſſa. da* ℈i.

In cachecticis virginibus.

℞. *Troch. de cappar. de rhab.* ãã. ʒß. *g. ammon. diſſol. in aceto forti* ℈i. *rad. gentianæ, ſem. apii petroſ. rad. aſari ana* ℈ii. *trochiſc. de myrrha* ʒß *cum ſyr. de arte miſ. vel de 5. rad. f. maſſa, capiat alternis diebus, vel triduo* ʒß. *vel* ℈ii. Platerus.

Pilulæ.

Sequentes tanquam ſingulare arcanum proſunt.

℞. *Extr. ex baccis lauri, Sabinæ, centaur. min. calendulæ, ana.* ℥i. *ſal. meliſſæ, Sabinæ ana* ℥ß. *olei ſabinæ* ʒß. *borrac. venetæ* ℥ß. *Croci*, ʒi. *maſſæ pilul. aloephang.* ℥i. *m. fiat* maſſa cum *oleo cinnam. doſis mane & veſp.* ℈i. *Agricola comm. in Poppium p. 34.*

Mulier *Pilul. ex chalibe & pulv. calam. cum ſyr. artemiſ.* parat. ʒj. mane cum exercitio ſumptis convaluit. *Zacutus Obſ. 109. l. 2.*

51. *Martis ſeu Chalybis*) Notandum Martialia ſicca dari conſultiùs in humidioribus, liquida in ſiccioribus: Ita aliquot curavimus *Pulvere cachectico* ſolo, alias *croco martis ſulphurato cum lapid. Cancr.* ad aliquot grana dato, facta continuatione: In aliis *Tinctura Martis tartariſata* profuit. *Wedelius Am. m. m. pag. 73.*

51. *Chalybis per triplicem extinctionem*) Chalybs hic mitè prodeſt, cujus hæc eſt præparatio.

℞. *Limat. chalyb. ſubtiliſſ.* aceti opt. ana. ℔i. coqu. in ſartagine ferrea lento igne ſemper ad conſumptionem aceti, tunc ſubtiliſſ. tere; adde *pulv. caryophyll.* ʒi. affunde *vini malvat.* ℔iv. pone clauſo vaſe ad Solem vel locum calidum, quotidie bis vel ter agitando, Doſis ʒß. ad ʒii. Juvenibus, bis ante novilunium; ſenibus bis ante plenilunium *I. V. Finckius Enchir. dogm. cap. 33.*

52. *Olei ſtillat.*) *Ol. Sabinæ à gtt. iv. ad v.* in *aquis ſabinæ, pulegii, artemiſ. meliſſ. & ſimil.* aut cochleari *vini* generoſi, *malvatici* præcipue, tempore convenienti propinatum, cito menſes ſolvit. *Platerus.*

53. *Externa*) *Quæcunque uterum immediatè abſtergunt poros dilatant ſtimulant, emolliunt, ſunt Emmenagoga:* Inter partes quæ *Topicis* juvantur, eximius eſt uterus, quia & extus hiat, & partes ibi ſunt delicatiores; poroſiores & molliores, unde faciliùs afficitur, adeo ut vel aëre frigido ſolo admiſſo, in puerperis mox lochia ſupprimantur, in aliis lipothymiæ obrepant: Emmenagoga ergo ſpecifica quoque ſunt, quæ contactu hoc ſuo actuali & virtuali tollunt impedimenta localia.

Suntque (1.) *Emollientia*, motum humorum blandè illuc invitantia, viis dilatatis, & reſeratis Archeum excitando, poroſque rarefaciendo; Sic faciunt huc *Balnea*, commodiſſimi uſus, ſi præmiſſis inprimis per aliquod tempus circa novilunium vel ordinarium tempus aliud, aperientibus, balneo inſideat ægra, præſumpto emmenagogo interno, ex emollientibus & uterinis dictis; hinc *ſuffimento* ex pomis *colocynthid.* vel alio.

ij. *Dilatantia, abſtergentia, & rarefacientia*, quibus reliqua externa complectemur, Sic inter halituoſa inprimis laudanda veniunt *urinoſa*, ſive ex ſolo *ſale ammoniaco*, cum *alkali* quodam, ſeu ex *ſcoriis croci metallor.* quod *Hartmanno* placet, fiat evaporatio; modò id admittant ægræ: Sic *Geſnerus cervinam medullam* ad ℥ii. vel iij. ſindone mundâ involutam, & filo appenſam, genitalibus inſertam, tanquam inſigne experimentum ad menſes ſuppreſſos laudat.

Tacemus quoſdam *anguillam vivam* commendare, quæ immiſſa utero pituitam exſugat ad corrigendam ſterilitatem, minùs practicabili, ut ita loquar, modo, Nec reperemus *peſſum hellebor. à Sala* pro certiſſimo experimento commendatum.

Imò & *clyſteres uterini* huc ſpectant, eodem fine adhibiti, vix tamen niſi in maritatis, & ubi id per Medici authoritatem liceat, vel morbi, ut ſterilitatis ſtatus id exigit. Hunc ipſum in finem ſæpe ad Thermas itur, tanquam ſterilitatis averruncum eximium, quod tamen minùs locum habet, niſi frigidus & humidus ſit uterus; ſiccioribus enim tum hæc, tum alia minùs, per dicta profecerint.

Summatim hæc ipſa aperientia, ſunt particularia magis, immediatè magis ad uterum derivando quæ particulis abſterſivis, amaris, acribus, aromaticis, volatilibus conſpicua, quorſum & *aſarum* ſpectat, valvorum uterinorum capillarium, & pororum inhærentem amurcam abſtergunt, pituitoſum mucum, lateribus ejuſdem adhærentem incidunt, ſordes eluunt, poroſque glandoſos penetrant, & reſerunt. *Wedelius A. m. m. p. 400.*

53. *Externa*) Medicamenta non tantùm per os aſſumi poſſunt, ac debent, ſed applicari quoque externè forma *Fotus*, *Suffitus*, *Halitus*, *Vaporis*; &c. via enim brevis eſt per collum uteri externum & internum, per quod vis plantarum aromatica & volatilis facile penetrat, & paulatim obſtruentem pituitam ſolvit, fluidamque factam diſponit ad effluxum: Poſſunt in eum finem *Unguenta*, *Olea & Linimenta aromatica* ventris parti inferiori illini, quo & ſic quoque ſolvatur faciliùs citiuſque pituita uteri vaſa obſtruens, Talia ſunt *Unguen. Martiatum*, *Ol. nardinum*, *Chamæmel.* &c. *Sylvius de le Boë.*

53. *Externa*) Exteriùs menſium ſuppreſſorum provocatio juvari ſolet Topicis ad vias dilatandas, humores attenuandos, & facultatem expultricem excitandam.

℞. *Rad. bryon. lilior. cyperi, valer. angel. aſari, ireos & petroſel* ãã. ℥i. *fol. artemiſ. lauri, rutæ, ſabinæ, thymi, roriſmar. puleg. nepet. malvæ, Mercur. ana. m.* j. *flor. ſambuc. cheiri, chamom. ana. p.* ii. *gran. junip.* ℥ii. *coqu. in aqu. & vino albo, Colatura foveatur venter & inguina cum Spongia.*

Eodem decocto, auctâ doſi, poteſt parari ſemicupium, in quo ægra umbilico tenus ſedeat, & herbæ coctæ ſacculo incluſæ ventri applicentur, Caveat tamen à Sudore, qui menſes potiùs ſiſtit.

℞. *Ol. lilior. aneth. & rutac. ana* ℥iß. *vini gener.* ℥iii. *junci odorat. radic. cyclamin. angel. ariſtol. utr.* & fol. *ſabinæ ana unc.* ß. *Bulliant ad vini conſumptionem, coletur. & exprimatur oleum, quo inungatur regio pubis & pudendorum calide poſt Fotum, vel ſemicupium.* Riverius.

53. *Externa*) Induatur induſium recenti menſtruo adhuc conſpurcatum, quod, teſte experientia probatiſſimum eſt *Frid. Hofmannus m. m. p. 360.*

Remediis aliis nihil juvantibus *umbilicalia ex troch. alhandal* & *ſabina*: Suffitus crebriores *ex colocynth.* adhibui, ſicque fluxum menſium feliciter elicui. B. *Timæus Sect. 4. caſu 7.*

54. *Peſſus*) ℞. *Fellis hirci, aut vaccæ* ℥i. *aſari, cinnam. agar.* ãã. ʒi. *ſucci Mercur.* ℥i. *cum pauco melle fiat ungu. coquendo*, Ex quo Peſſum confice, quem maximi momenti eſſe ſcio. *Mercatus de m. Aff. c. 9 lib. 1,*

54. *Peſſus*) Peſſaria in hunc modum fieri poterunt.

℞. *Fol. Mercur. contuſor. m.* j. *Pulv hieræ picr. & bened. lax. ana.* ʒii. *pulv. ariſtoloch. rot.* ʒi. *mellis & ſucci Mercurial. q. ſ. miſce*, Vel.

℞. *Agar. myrrh. ana.* ʒij. *galbani* ʒß. *croci* ℈i. *cum melle deſpumato, fiat Peſſarium quod linteo raro inducatur*, & non diu in utero relinquatur

metu

metu inflammationis. *Pilulæ cochiæ* min. in parvi Peſſarii formam redactæ menſes egregiè movent. *Riverius. Peſſaria* in cervicem uteri intruſa, vel Naſcalia admota in virginibus, extrema ſunt remedia, quæ uteri oſcula ſuo calore & acrimoniâ aperiunt, ne tamen nimium irritent aut exulcerent: *Raphanus* in formam peſſi ſectus ſubditus id facit: *Mercurial.* contuſa in ſacculo indita, ſi addis centaurii *flor.* efficacior erit: Idem facit *Scordium verum* vel *alliaria* contuſa.

℞. *Succi Mercur. & capar. fell. vaccæ āā. unc.i. mellis unc.ii. coqu. ad conſiſtentiam ſuppoſitorii.* Permiſceri poſſunt pulv. *myrrhæ, rad. aſari, cyclam. agar.* &c. Efficaciſſimum.

℞. *Myrrhæ ʒß. ſem. nigellæ ʒii. agar. ℈i. ſalis nitri ʒß. cum ſucco braſſicæ vel melle f. inſtar* paſtæ pro Peſſario: Si *addas troch. alhandal ℈ß. f. potentiſſimum.*

Injectiones.

Infuſiones in ſinum uteri ex decoctis pro Balneo ſi fiant longè validius, quàm ſi extrinſecus tantum adhibeantur, id præſtabunt. *Platerus.*

54. *Peſſus*) Ad menſes movendos maximè laudatur, ſi *allium* hortenſe teratur cum *oleo ſſicæ*, & in linteum rarum inſtar peſſi in vulvam profundè inſeratur, nam menſes potenter movet, uterum purgat & conceptum promovet *C. Caldera de Heredia Illuſtr. p. 115.* ex *Mercato de Recto Præſ. uſu l. 2. c. 15.*

Ægra per 2. vel 3. dies geſtet hoc Peſſarium.

℞. *Pulv. fol. perſicar. macul. Sole in Leone exiſtente collect. & exſiccat. ʒß rad. helleb. n. pulv. ℈ß. cum g. tragac. in vino albo infuſo f. Peſſarium:* Hoc ipſo ſanguis menſtruus cum multis uteri quiſquilus projicietur. *Ang. Sala Tern. Bez. c. 22.*

℞. *Theriac. vet. ʒi. ſuccin. ſabin. āā. ℈i. m. f. Pilule;* citiſſime apparebunt menſes aperti, ſi ori uteri imponatur, *Ben. v. Faventinus* l. 1. c. 37.

Peſſarium hoc potentiſſimum eſt.

℞. *Myrrh. rubr. ʒß. ſem. nigell ʒii. agar. ʒi. nitri ʒß.* cum *ſucco braſſicæ f. maſſa, adde troch. alhandal. ℈ß. digr. gr.* iv. miſce *A. Weikardus Pr. Pr. l. 1. c. 19.*

55. *Inſeſſus*) *Balnea* humida, vel pro *Inſeſſione* facienda, vel ad *Fotum* regionis uteri, ad menſtrua provocanda uſurpantur, Eo maximè tempore, cùm menſes inſtant; diebus aliquot repetitis, manè & veſperi per horam unam: quem tamen non adeo ut ſudores provocent, quibus menſes impedirentur, actu calefacere debent; Ob quam & cauſam non ſiccare aut adſtringere, ſed potiùs relaxare debent; unde & accidit, quòd quando *Thermas* ſiccantes eo nomine adeunt mulieres, harum uſu nullum emolumentum ſentiant; Parantur autem ex decoctis plantarum odoratarum aliarúmque calidarum variis modis, majore quantitate pro *Inſeſſione*, minore pro *Fotu*, & in aquâ addito vino coquendo; Paratu facile etiam hyemis tempore.

℞. *Fol. Sabinæ, rutæ rec. flor. lavend. m.* ii. *vel plures, baccar. lauri p.* ii. *coquantur pro Inſeſſione vel Fotu.*

Æſtatis tempore adde *Mercur. rec. m.* ii. Pro Pauperibus.

℞. *Capas, porros &*, niſi odor impediat, *allia cum toto*, decoq. per ſe, vel cum ſupra dictis quantitatem aliquam. *Aliud.*

℞. *Rad. lilior. Valerianæ, b. artem. ſabinæ, rutæ, meliſſæ, leviſtici, pulegii, calam. āā. m.* i. *vel* ii. *flor. chamom. ſambuc. āā. p. j. vel* ii. *ſem. lini, fœnugr. āā. unc. i. ſem. carvi unc. ß. bacc. lauri, junip. cicer. rub. āā. p. j.* coquantur.

Fotus, Lotiones.

Fotus ex efficacioribus ſic fit.

℞. *Rad. rub. aſari, ariſtoloch. cyclam. āā unc. i. fol. cucum. aſin. mercur. āā. m. j. myrrhæ unc. ß. coq. in vino & aqua, diſſolv. ſucci artemiſ. & ſabinæ āā. ʒi. fellis vaccæ ʒß.*

Iiſdem Decoctis, ſi crura calide, manè & ſerò, à ſummo ad imum pedem deſcendendo abluantur; vel aliàs pedes aliquandiu profundè in illis immergantur, idem quoque ſæpius repetita facere poterunt.

Clyſmata.

Et ſi per *Clyſmata* injiciantur, quia uteri cervix recto inteſtino incumbit non minùs, quàm extrinſecus operabuntur; Quod tunc maximè cùm alvus ſuppreſſa Clyſmatum uſum requirit faciendum, Cùm & clyſmata ſtimulantia alvum, ex *Mercuriali*, *benedictâ*, *hiera* parata, uterum quoque vicinum ad menſes ſollicitent; Quod & rectiùs præſtabunt, ſi prædictorum quoque ſimplicium decocta vel ſucci permiſceantur. *Platerus.*

Balneum ad cienda muliebria probatiſſimum.

℞. *Ivæ, calamenth. origan. puleg. artemiſ. meliſſæ, ſerpylli, abſinth. praſii, parietar. Mercur. ana m. ß. rad. vel fuſtium fœnig. m j. rad. apii, petroſel. aſpar. rub. tinctor. ana m. ß.* bulliant omnia in vaſe magno in aqua fluvior. qu. ut. ſuf. ita quod aqua fere ſit ad dimidium excocta; In hoc *Balneo*, vel *ſemicupio* deſideat uſque ad umbilicum per horæ dimidium, deinde recipiat ſe cubitum & exſiccetur, poſt inungatur cum *oleo calaminthite* ſeu *crinino* calido. *Leonellus Faventinus.*

Extrinſecus admoventur Balnea ex emollientium & attenuantium decocto, in quibus mador & ſudor leviuſculus erumpit: Hoc enim remedio non ſolùm colliquantur craſſiores humores venas obſtruentes, ſed etiam vaſa ad uterum pertinentia dilatantur & aperiuntur: At verò in Balnei ingreſſu commodè exhibetur medicamentum movendis menſibus deſtinatum; ut gemino balnei, & hujuſmodi medicamenti conatu, copioſa ſuccedat vacuatio; *Euch. m. Fr.*

Pertinent huc *Thermæ*, quarum *Inſeſſus* diuturnos menſium defectus ſolet levare & curare. *Etmuller.*

55. *Inſeſſus*) Vide §. *Externa.*

56. *Marrubium album*) Innumeris comprobari experientiis *Marrubii albi* ſummitates in vino albo infuſas, per noctem triduo epotas, mirè ad menſtrua provocanda, ſtomachum roborandum, & cachexiam ac fœdos virginum colores arcendos, appetitumque reſtituendum valere. *P. Borellus Obſ. 14. cent. 4.*

57. *Suffumigia*) Speciatim conferunt *Suffitus ex appropriatis* inſtituti; palmam præfert ſuffitus *Scoriarum reg. antim.* quæ diſſolvantur in ſpiritu vini; de hac ſolutione aliquot cochlearia affunde lateri candefacto, & ita exhalans fumus per infundibulum excipiatur utero; Loco hujus ſufficit, ſi *urina*, inprimìs antiqua, & nonnihil fœtens, affundatur *ſcoriis martis* candefactis; hinc excitatus fumus eſt egregius ad promovendum menſium fluxum; non enim ſolummodò penetrat in vaſa, ſed vellicat etiam uterum, ut promoveatur ſanguinis excretio. Cùm enim etiam *Suffitus colocynth.* per medium diſſect. in aquâ ſimpl. decoct. excitatus fumus excipiatur utero; huic decocto ſubinde ſilices candefacti injiciuntur. In uſu ſunt Trochiſci appropriati pro fumo, v. g. *zinzib. ſabina, colocynth. myrrha.*

℞. *Sabinæ m. ß. myrrhæ ʒii. aſphalt. troch. alhandal. āā. ʒi. m. f. f. Pulvis.*

Injice carbonibus, excitetur fumus, vel ex *pulvere* cum *balſamo ſulph. terebinth. & aceto fiant Troch.*

Horum uſus ratione perſonarum ſolet eſſe varius; & quia virginibus non æquè conveniunt, propterea applauſum meretur *inſtrumentum Glauberi*, quod eſt inſtar pollicis longum & craſſum, in ſuperiore parte eſt capitulum foraminibus pertuſum, quod poſſit deſumi; in illud injicitur *Sal volatile ammoniaci*, vel mixtura ex *calce vivâ* cum *ammoniaco*, irroretur ſpiritu vini, & in uterum immittatur, ſic particulæ exhalantes intra uterum menſes provocant. *Etmuller.*

Croci metall. ad ʒß. *vini albi vel aqu. menſ.* 4. exceptus, poſt lenem coctionem præbet lixivium, quod ferri laminæ ignitæ affuſum, vaporem fundit utiliſſimum muliebri ſinu exceptum. *Rolfinkius Epidem. l. 3. cap. 22.*

57. *Suffumigia*) Suffitus *humidi* fiunt ex vapore *decocti fotus & ſemicupij*, quod modicè calens operiatur patellâ perforatâ, cui annecti debet fiſtula oblonga, quæ collum matricis attingat, excipiatque fumum manè & ſerò veſtibus contecta: *Siccus* ſuffitus ita confici poteſt.

℞. *Caryophyll. cinnam. macis* āā. ʒii. *baccar. junip.* ʒß. *ſem. nigellæ* ʒi. *ſtirac. calam.* ʒii. *fiat Pulvis craſſior qui carbonibus injiciatur, fumuſque excipiatur, ut ſupra*, Vel.

℞. *Stirac. calam.* ʒii. *thur.* ʒi. *benzoini; aliptæ moſch.* ana ʒß. *caryoph. ligni aloes, cinnam.* ana ℈ii. *cum mucilag. g. tragac. extracta cum aqua cinnamom. fiant Trochiſci pro ſuffitu.* Riverius.

57. *Suffumigia*) Suffitus cervice uteri excepti per infundibulum, aut in ſella perforata, muliebria ducunt, ſi ex *aromat.* ut vult *Hippocr.* aliiſque calidis fiant, quibus & poſt *balnea* alioque tempore utantur: Si *oleum ſpicæ* vel *zibettum* pudendis apponas, vel illis ea illinas, ſubtili & vehementi expiratione, vehementer menſes cient. Fumus idem præſtabit ex *ligno Sabinæ bacciferæ & juniperi*, Validior hic erit, ſed fœtidus.

℞. *Mumiæ* ʒii. *galbani, bdellii, opop.* āā. ℥i. *thur. ſtorac.* āā. ʒiß. *raſ. aſar. ſchœn.* ana ʒi. *ung. aſini vel equi* ℈i. pulv. & cum *reſina laricea f. Trochiſci.*

Validiſſimus, & citò menſes provocans *ſuffitus* fit ex *ſtercoribus* omnis generis exſiccatis pulveratis, cum *croco* mixtis, carbonibus ardentibus injectis, embuba orificii lignei naturalibus excipiendus. *Platerus.*

58. *Scoriis reguli antimon.*) Ex iis *lixivium* laudat *Agricola* comm. in *Poppium p. 309.* Ex iiſdem ſuffumigium *Corbeus Cynæc. c. 2. lib. 1.* parat. *Joh. Ludov. Frundeck* tr. de Elix. *arbor. vitæ* utitur eo modo quem proponit *Jonſton*, unde hic deſumpſit, Adducit & *Hartmannus in Pr. chym. H. Petræus Noſ. l. 2. diſſ. 3.*

59. *De Emplaſtris*) Emplaſtra admoventur pectini, & ſupra pudendum.

℞. *Rad. lilior. ireos* āā. *unc.* ii. *bulbor porror.* ℥i. *h. artemiſ. Sabinæ, pulegii* āā. *m. j. ficuum n°. x. coqu. in vino, piſtentur, adde fimi capr. ſylv.* ʒii. *ol. lilior. & cheir.* āā. unc. i. *fiat Cataplaſma.* Vel.

℞. *Olei cheir. irini, moſchel* āā. unc. i. *ſtirac. galbani*, diſſol. *in aqua vitæ ana.* ℥ß. *ſalis nitri* ʒi. *reſin. laricea q. ſ. f. Empl.* Plateruſ.

59. *De Emplaſtris*) Ad menſium provocationem, & alvi quoque provocationem ac ſolutionem plurimum prodeſſet, ſi *malvam, parietariam* & *Mercurialem coquerent in aquâ*, & coctis herbis, ac probè comminutis affunderent *oleum olivarum* recens, vel *butyrum ſine ſale*, atque hoc quaſi cataplaſma inferiori ventri & pectini ſingulis diebus imponerent *J. Crato conſ. 99. l. 7.*

60. *Vnguentis*) Illinitiones in pubis ſeu pectinis regione & lumbis, poſt balneum præſertim factæ, illius operationem juvant, & ſine illo quoque proſunt: Qualia omnia ex relaxantibus & calefacientibus oleis & axungiis factæ proſunt; Appropriatum huic affectui hoc erit.

℞. *Oleor. cheirini, irini ana.* ℥i. miſce.

Oleum *moſchatum, moſchelinum* dictum idem præſtabit, vel hoc unguentum.

℞. *Ol. amygd. amar. lilior.* ana. ℥i. *ol. cheir. irini, è flor. geniſtæ* āā. ʒß. *axungiæ anſer. medullæ cruris vitr.* ana ʒß. *mucilag. ſem. fœnug.* ʒvi. *rad. aſari, ariſtol. cyclamin. ireos* āā. ʒi. *ceræ* q. ſ. f. Vnguentum. *Platerus.* Vide §. *Externa.*)

Conveniunt Litus externi, circa regionem iliacam & pubis illinendi, qui fiunt ex *oleo cheiri*, acuendi *decocto colocynth.* oleo *deſtill. ſabinæ, ſpicæ &c.* Etmuller.

60. *Vnguentis*) *Ex ſucco Mercurial. artemiſ. rubr. & ſummit. ſambuc.* cum *oleis cappar. & lilior.* addito modico *croci & ceræ* mirabile paratur unguent. ſi modicum vini addatur. *Mercatus de m. m. l. 1 c. 9.*

61. *Per Sudorifera*) Conveniunt Diaphoretica, volatilia & media, ita quidem ut non tam in ſudores æquè cogatur corpus, adeoque ſerum exhauriatur nimis coactivè, ſed ut magis fundendi & rarefaciendi ſanguinem fine id fiat. *Wedelius.*

62. *Nota inſuper*) Obſervandum Emmenagoga urgente Naturâ & aurigante, non quieta vel invita eſſe propinanda; Urget natura quando ſe his auxiliis opus habere innuit, per ſigna ſeu ſymptomata quibus gravatur; Vocatur id in Scholis Medicis Indicatio, ſeu prolectum ex corporis affecti circumſtantiis indicium, hoc agendum eſſe: unde ut alibi, ita & hic præſertim, perpetuò Medicus ſibi dictum putet, hoc age, tanquam Naturæ miniſter nimirum: Hanc in rem tenendum eſt ex praxi duobus modis; ut menſes moveantur, indicari, directè & indirectè, Directè, quando ipſi per ſe ſoli ceſſant, & primaria hæc eſt indicatio, poſito quòd urgeat id natura: Indirectè, ſi affectus adſit alius, ſeu fovens ſuppreſſionem, ſeu comitans, unde conſurgit indicatio ſecundaria: Utrobique inſtar regulæ eſſe poteſt ſequens, Ubicunque à menſibus ſuppreſſis nulla naturæ, vel actionum naturalium læſio, vel actu adeſt, vel ex hoc capite imminet, ceſſat indicatio menſes movendi, maximè ſi ſtato tempore motûs hujus intentati veſtigia à naturâ prodantur: *Wedelius A. m. m. p. 402.*

Notandum quoque non danda eſſe Emmenagoga intentione ſecundaria, alia nempe quàm movendi menſes, v. g. ſudandi, reſolvendi, in febribus ardentibus, variolis, minùs theriaca, ſpiritus c. c. & alia; in tuſſi flores ſulphuris, balſamum ſulphuris aniſatum, in aliis affectibus aromata, olea deſtillata, aliaque rarefactiva, niſi cautiſſimè; vidimus ſaniſſimam fœminam variolis mortuam, ſuccedentibus intempeſtivo naturæ motu menſibus, tanquam criſi a ſymbolica & contraria expulſione. *Idem.*

Non danda inprimis præſente diſpoſitione, vel concurrente affectu diſponente per ſe jam ad abortum, ut febre & ſimilibus; ut enim robur naturæ ordinariè fit in gravidis, ut non levis laboris ſit vel morbi quoque, vel ipſius dyſenteriæ exemplo, fœtum expellere, attamen ſunt etiam debiliores, rarioris texturæ, & uterum magis lubricum habentes, qui facilè ejicit fœtum quem cuſtodire debebat. *Idem.*

62. *Nota inſuper*) Eſt & obſervandum Emmenagoga juſto tempore eſſe danda, ut cùm natura non invita

ipſa

ipſa agamus: Tempus nempe eſt illud ipſum, quod vel natura jam ſolita eſt actu exprimere in conſuetis, Archeus quippe uteri cœlorum rithmum explicat: Vel ſi nondum fluxerint unquam, illud quod certis ſignis affectare eundem exitum docet, quodque præcipuè eſt novilunium. Hoc enim niſi obſervetur, fruſtra dantur utplurimùm medicamenta, & contra. *Wedelius.*

Fluente bene diſpoſito, pellentis facilis eſt efficacia, & contra: Optimum tempus movendorum per emmenagoga menſium eſt appetens ver, adæquatè reliqua: Hoc enim tempore verno ὀργασμὸς velut communis ſanguini inducitur, Lunâ cum Sole novas quaſi vires reſumente & conſpirante magis; Hinc ſoliti ſumus à Ianuario v. g. ad Maium uſque, unis ſolis diebus ſex octo ante menſium tempus, vel novilunium, propinare primò aperientia, præcipuè ſimul humectantia, pro diverſitate ſubjectorum, *Pulverem cachecticum, tincturam martis cydoniatam, pomatam, tartaream, volatilem*, quæ probatiſſima eſt in his aliiſque caſibus: Facto hoc uno alteroque menſe, *elixir proprietatis martiale*, vina emmenagoga purgantia, propinanda, cum vel ſine v. ſ. Sequentibus, ſi opus fuerit; quod rariùs, nec niſi in contumaciori & radicato quaſi malo fit, *ſpirit. ſalis armoniaci oleoſus*, pulveres ex *borace*, cum *oleo cinnam.* non omiſſis externis & moralibus aliis, quantùm licèt, adeoque non ſtimulandum ſine aperientibus, nec aperiendum ſine humectantibus; ſtimulantia magis ante tempus ordinarium, aperientia intermedio tempore, conveniunt; Ita & ſumptibus parcitur, & ægræ conſentiunt magis; natura non obruitur, ſed decenter potius incitatur ad ſtatum tempus. *Wedelius ibid. p. 406.*

62. *Nota inſuper*) Præterea, Emmenagoga juſto tempore data, etiam *repetenda*, feliciſſimè juvare obſervabile eſt, Stato tempore Archeus ſanguinis, & uteri ſpecialis, in glandulis ſuis ſeroſior, cœlorum explicat rhythmum, ſeu ſerum microcoſmi perpetuo etiam ſuo modo, præſertim in fœminino genere humidum macrocoſmi æmulatur: Ita tamen id fit, admodum receptivitatis ſubjecti, uti videmus in plantarum quoque genere diverſum influxum; Hic verò influxus nobis h. l. erit modificatio humidi diverſa; Tempus ergo menſium movendorum aliud eſt commune, aliud proprium; Proprium eſt quod unicuique individuo ſingulare accidit, ſive ſit novilunium, ſive plenilunium, ſive alia quadra intermedia: Commune eſt, tum quadraturæ Lunæ diverſa, tum præprimis novilunium. Hinc ut regula generalis eſt in Scholis Medicis, remedio ſpecifico & proprio non cognito locum habere commune; ſic quoque de tempore menſium hoc idem valet: Si itaque ægra referre queat hoc tempore vel illo menſes ordinarie fluxiſſe, illud merito in praxi ſequetur Medicus, ut nihil invita dicat faciatve Minerva; Sin minùs, ut in primo ordine occupatis, ſolemus in praxi attendere eo caſu novilunium, ut certo aſſueſiat natura tempori, ſimulque aſſurgat ad ductum communem. *Temporibus medicina valet, data tempore proſunt, & data non apto tempore vina* (emmenagoga) *nocent*: Repetita verò diximus, obſervavimus enim non uno ictu arborem cædi, ſeu non uno ſolo actu medendi abſolvi fabulam hanc: Fruſtrà verò fuerit alio quoque tempore perpetuò temerè irritare naturam, ad motum & fluxum ineptam; Satis ergo fuerit ſingulo menſe hoc octiduum circiter impendere; etiam quoad purgantia, emetica, v. ſ. balnea: quinimo videmus, & manu ducimus manifeſtò quaſi à naturâ ad hoc ipſum temporis punctum, quòd eodem exacerbari ſoleant prius latitantia ſymptomata, utplurimùm enim dolor capitis, laſſitudo, & alia φαινόμενα tunc temporis apparere ſolent magis, reliquo verò ſilere: Quemadmodum in febribus ſolemus febrifuga ante paroxyſmum propinare, ut natura magis in tempore juvetur, ita & hoc loco ſe res habet. *Wedelius A. m. m. p. 404.*

α. Niſi prius brachii ad evacuationem) A ſanguinis copiâ ita diſtenduntur vaſa, ut comprimi minimè poſſint, ideo illius quantitas imminuenda eſt, phlebotomiâ in brachio largâ manu celebratâ: Si enim venæ inferiores priùs aperirentur, traheretur magis ſanguis verſus uterum, ubi majorem obſtructionem & vaſorum diſtenſionem efficeret, cum ruptionis eorundem, aut etiam inflammationis uteri periculo. *Riverius.*

Quæritur de *loco*, an in brachio, an in crure vena ſecanda? Duplex conſiderandum tempus in fluxu menſium deficiente, nempe vel quando menſtrua inſtant; vel quando menſes fluunt, vel fluentes ceſſant; vena ſecanda eſt ad provocanda menſtrua ſuppreſſa, V. g. ægræ cuidam ſub menſium difficultate menſes inſtant, cui pro facilitando menſium fluxu ſecatur vena in brachio, nam ſi ſecetur in pede, periculum eſt ne ſanguis concitatiori fluxu ad inferiora tractus, ſtagnet circa vaſa uteri: & *ampliùs* menſes ſupprimantur: Si verò ex improviſo & refrigerio, v. g. terrore &c. tunc pro iiſdem revocandis vena ſecanda eſt in pede ſive crure, quemadmodum Iſchuria tollitur v. ſ. in brachio, ita in ſuppreſſione ſanguinis menſtrui tollitur v. ſ. in brachio, in ſpecie dum inſtat fluxus. *Etmuller.*

63. *Pacando extenuatum eſt corpus*) Si propter ſanguinis penuriam menſtrua non procedant, ut poſt febres diuturnas, magnas evacuationes, & in quavis corporis inſigni evacuatione, eorum provocatio molienda non eſt, priuſquam convenientibus alimentis, putà analepticis, corpus inſtauratum fuerit, & ſufficiens ſanguinis copia procreata, ac morbus omnis, qui extenuationis cauſa eſſe poteſt, debitè expugnatus: Quibus præſtitis, utplurimùm contingit menſtrua profluere ſpontè: Quòd ſi non fiat, & Natura muneris oblita ad priſtinum officium non revertatur, apertis venis inferioribus erit revocanda, aliiſque remediis; ita tamen ut quantitas ſanguinis, qui educetur, valde ſit moderata, metu virium jam dejectarum, & ne ægra in tabem præcipitetur: Hic autem diligenter eſt advertendum, quamvis corporis extenuationem penuriam ſanguinis non indicare, ſed eam tantùm quæ magnis evacuationibus, aliiſque cauſis conſumentibus ſuccedit: Fit enim interdum ut menſes ſuppreſſi, & in venis retenti, pravam accerſant qualitatem, ob quam alendis partibus minime idoneus ſanguis efficiatur, unde corporis macies & extenuatio ſuccedit, licèt venæ multò ſanguine, ſed pravo refertæ maneant, & tum temporis venæ ſectio, etiam larga manu celebrata, plurimum conferre ſolet; quod luculento Galeni teſtimonio confirmatur, qui *comm. 3. in lib. 6. Epidemic.* mulieri jam octo menſes purgationis menſtruæ ſuppreſſione laborantis, extenuatiſſima cum eſſet, haud exiguo detracto ſanguine, breviſſimo tempore proprium habitum reſtituit: Ex quo loco apparet, in mulieribus, menſium ſuppreſſione laborantibus, etiam extenuatis, ſanguinem larga manu interdum eſſe detrahendum, quamvis hujus ſeculi mulieres tantam ſanguinis evacuationem, quæ *Galeni* temporibus educebatur, ferre minime valeant. *Riverius.*

64. *In exhibitione medicamentorum*) Minimè probo illorum ægrorum morem, qui medicamentum, ſi ſtatim non ſatisfaciat, dum ſaltem illud guſtarint, illicò ad aliud tranſeunt, Hinc multa egregia medicamenta malè audiunt ob præpoſterum illorum uſum. Duæ Puellæ menſium ſuppreſſione laborantes, implorarunt auxilium meum, Utrique præſcripſi Pilulas *Heurnii aph. 36. lib.* v. tanto cum ſucceſſu, ut jam utraque lunare tributum juſte & bellè ſolvant. Illud verò notandum in contumaci obſtructione uſum dierum x. vel xii. parùm fuere, Ad xx. dies altera earum uſa eſt & hinc Dei gratia curata; *Joh. Ludov. Hannemannus M.S. vol. 2. pag. 44.*

64. *In exhibitione medicamentorum*) Hunc ordinem in uſu ſanguinis miſſionis, Purgantium & Aperientium ſervat *Wedelius*, In uſu, *inquit*, aperientium reſpiciendum ſimul ſemper eſt ad ſtatum humorum, in genere, ad totum; adeoque præmittenda univerſalia, & inprimis quoque V. S. obſtructionibus tollendis ſimul miniſtrat, quatenus nempe in motum ciet ſanguinem, ventilat eundem, ejuſdemque conſiſtentiam corrigit: Exempli loco ſit menſium ſuppreſſio, in qua commodum eſt aperientia dare, cumprimis *Martialia*, ſolidâ vel liquidâ formâ; hinc purgare corpus, & venæ ſectionem inſtituere in ſaphena circa novilunium, vel inſtans ordinarium aliud tempus: quo facto ſæpe illo ipſo die memini rediiſſe fluxum ordinarium. *Wedelius A. m. m. p. 73.*

Secundò notandum *Semper reſpiciendum eſſe ad totum viſcerum*, unde alterum poriſma ſequitur, Quicunque continuis *aperientibus urgentur*, *imprimis volatilibus, læduntur*; Volatilia ad primum impetum faciendum optima ſunt, ſed citiùs deſiſtunt, in virtute proſequenda; fixiora verò pigriora quidem videntur, attamen ideo non inefficacia: Hinc non eſt illis abutendum vel aperientibus & incidentibus in genere; Abuſus fit, ſi magis motum, quàm qualitatem attendamus humorum, ſi magis hanc & motum ſimul quam viſcerum ſtatum: Hinc aperientibus continuò interpolanda ſunt tonica roborantia, hinc martialia & amaricantia omnia ſunt optima: ſpeciatim ſpiritus ſalis armoniaci laudariſſimus quidem eſt in obſtructionibus expediendis, v. g. menſium, quartanis, verum ſi quis continuò eo, & plus quàm pareſt utatur, fit ut efferentur humores, & caliditas præternaturalis, ſeu æſtus ſuccedat, quin omnia alia pacatiora exaſperentur, fit ut dum acorem omnem tollere conantur Medici, fermentum ventriculi iners reddatur, appetitus emoriatur, corpuſque laſſum & torpidum evadat. *Wedelius Am. m. m. p. 74.*

De *Appropriatis* obſervandum quòd iſta nunquam in confirmato malo uſurpanda ſunt, niſi præmiſſis evacuationibus & *acidum abſorbentibus*, Et quidem ubi calculo facto deberent fluere menſes: aliàs enim quocunque tempore uſurpata ſunt fruſtranea; Si verò mulier non poteſt invenire tempus, monent Practici, ut circa Lunam creſcentem, præmiſſis præmittendis uſurpentur, quo tempore ſanguis magis turgeſcit. *Etmuller.*

65. *Menſes moventium, obſervandum*) Ad aperientia pertinent dulcia quædam, ſicubi fermentatione opus fuerit, qua mediante expediri obſtructiones queant; quod menſium obſtructorum exemplo imprimis clarum eſt, *ut radix polypodii*, *ſyrup. diaſer, de duabus & quinque radic. byzantinus*, *martialis*, Quæ quidem loco condimenti potiùs, & ſecundariâ magis, quàm primariâ intentione in uſum vocari queunt. *Wedelius Am. m. m. p. 73.*

65. *Illa quæ menſes movent*) Quidam ad menſes provocandos, tanquam arcanum & ſingulare venerantur *cranium caponis* pulveriſatum, *in aquâ pulegii* ſeu *meliſſæ* datum, quod ipſum num in praxi reſpondeat ſine ullo periculo probari poteſt. *Chr. Langius.*

66. *Nonniſi præmiſſis*) Aut valdè attenuati ad partes alias irruant & gravia mala producant: Sic narrat *Benivenius* Medicum Venetum mulieri menſium ſuppreſſione laboranti, non evacuatâ priùs pituitâ venas obſtruente, apozema dediſſe, quo paulò poſt illa in paralyſin incidit. *Riverius.*

67. *Ne humores ad venas uteri prolapſi*) Cùm nullâ viſcerum & præcordiorum ratione habitâ, in ipſo curationis initio attenuantia & menſes purgantia præſcribuntur, impuritas in primis venis ſtagnans in altiores venas deducitur, unde difficilior redditur morbi curatio. *Ench. m. Pr. p. 312.*

68. *Leviora primò*) Imbecillioribus & virginibus leviora etiam dentur. *Platerus.*

68. *Leviora primò*) In obſtructis menſibus proſunt omnia quæ ſanguini motum dant, ne tamen nimis ſint ſubtilia, ne potiùs caput ſuâ levitate petant quàm uterum, ſed modica, quorum notabilis portio ſanguinis motum deorſum ſequatur, & tamen aperiant; *Craanen Prax. med. ref. p. 89.*

69. *Ut vel horis matutinis jejuno ventriculo*) Salia volatilia, uſurpantur commodiſſimè quovis tempore, ac imprimis (quando ſanguis univerſus eſt glutinoſior) inter prandendum ac cœnandum, ex hauſtulo vini, cereviſiæ, Iuſculi, &c. Ubi verò univerſa ſanguinis maſſa non eſt glutinoſa & pituitoſa, licèt quoque poſſit paſtus tempore uſus eſſe dictorum ſalium volatilium, cum majori tamen fructu uſurpabuntur extra illud tempus, ac imprimis quando pituita corporis motu, aëris æſtu &c. ſupra notatis cauſis prius ſoluta, & ad Uterum propulſa, mox ibidem à ſubſequente frigore rurſus fuit coagulata, tunc enim bonum eſt ſtomacho vacuo laudata ſumere ſalia volatilia, quàm ad ſudorem corpus iterum diſponere, ſic enim penetrabit faciliùs vis medicamenti ad extremos vaſorum viarumque ſinus. *Franc. Sylvius lib. 3. cap. 3.*

70. *Ingreſſu vel egreſſu Balnei*) Ita enim in calidum ac ſolutum corpus illabens medicina, vires ſuas potenter exercet, & multo adhuc efficacius, ſi ante venarum inferiorum apertionem illa exhibeantur. *Riverius.*

70. *In ingreſſu vel egreſſu Balnei*) Menſes moventia exhibentur tempore quo menſes aliàs fluere ſolebant; jejunis: Aliquando etiam cum Balneum intrant, vel ex eo egrediuntur, ſic enim potentius operantur, & unum aliud adjuvat; uti & ante venæ ſectionem in pede. *Platerus.*

71. *Peſſi & Clyſteres uterini &c.*) Topica uterina cum prudentiâ Medicus ordinare debet & proponere; illa præcipuè, quæ vel non admittuntur à pudibundis, vel ſuſpicionem laſciviæ inferunt Medico: Balnea omnium admittuntur facillimè, poſt hæc ſuffitus, & ſimplices quidem, præ illis quæ majori apparatu conſtant: uti Glauberianum inſtrumentum p. 2. F. D. cap. 88. parandum ex ligno vel argento, cui indere jubet *ſal ammoniacum*, & ſal fixum (alkali) quodcunque, linteo obvolutum, utero applicandum, ut ſpiritus penetrans aperiat obſtructiones, idque bis de die, ad ſemihoram.

Idem hoc remedium dilaudat *Blumenſtrott* in *Pharmacop. portatili* p. 150. tanquam uteri deoppilativum egregium & præſtantiſſimum & ſterilitatis aliquando ſtrenuum averruncum: Sufficit loco illius tritorum: *Peſſi* verò & *naſcalia*, ut & *Clyſteres uterini*, minùs admittuntur, neque fermè niſi ab iis, quæ depuduere magis: Ut de his quædam dicamus, exempli loco ſit remedium ab *A. Sala*, commendatum l. de Eff. Veget. ſect. 4. cap. 3. cujus efficaciam in aliquot gravibus caſi-

caſibus à menſium retentione ſe expertum ſcribit; Nempe eo caſu, fœminis cujuſvis ætatis, temperamenti & conditionis ℈j. *helleb. nigr.* nodulo ſerico exceptum, per vices renovatum, muliebribus applicatum, quoad neceſſitas poſtulavit, geſtare præcepit, à cujus uſu mutatio, & quædam quaſi contractio, per totum corpus oborta eatenus duravit, donec menſes pedetentim promanare cœperint, (quod admiratione non caret) Clyſteres quoque uterinos, ex emmenagogis dictis ſpecialibus concinnandos, negandum non eſt egregiè eluttriare, mundare & abſtergere: Singula vi calefaciente & penetrante poros reſerant, humores liquant ac fundunt, unde commodiſſime menſtruus ſanguis in motum citatur, modo prudenter ordinentur iis quæ conſentiunt, minus virginibus, non gravidis. *Wedelius A. m. m. p 203.*

[72] *Clyſteres Uterini*) Injectiones in uterum fieri ſolent, alias metrenchytes, Abluunt enim ſordes uteri parietibus adhærentes & orificia vaſorum interna reſerant: Parantur autem ex decocto Fotus præſcripti, demptis acrioribus: Vel *pinguium ficuum cum artemiſiâ, pulegio, mercuriali*, vel ex ſolo ſucco *mercurialis* depurato, in quo parum *bened. lax.* ſit diſſolutum; ad acriora enim deſcendere nefas eſt metu inflammationis; Imò ab uſu iſtorum, quæ intus tantum per horam unam morari debent, utile erit decoctum *malvæ, hordei, & violar.* miſcere, vel parum *hydromelitis ſero caprino* diluti. *Riverius.*

[73] *Suffumigia*) Vegetabilia utero ſacra, omnia ſale alkalino, volatili turgida, quæ non varia modo dant decocta, & infuſa, ſed & externè non omninò incongrua ſunt, ſive balnea varia & inſeſſus inde parentur, perinde eſt, Neſcio tamen annon omnibus iis palmam eripiat urinoſiſſimus *ſpiritus* ſalis armoniaci, per *ligneum Glauberi tubulum*, ſubtus adhibitus, In cujus defectu felici olim ſucceſſu matronę difficulter menſtruanti, commendavi phiolam longioris colli, circa aſperas extremitates lanâ Hiſpanicâ linteiſque munitam, & carbonibus ardentibus impoſitam: hocque magis conveniet, ſi vapor ejuſmodi ſpirituoſus profundiùs in uteri concamerationem penetrare debeat, Quod ſi tamen certò conſtiterit vitium in glandulis vaginalibus hærere, Suffitus ſubtus exceptus fortè utilior erit, v. g. ex mixturâ *ſalis armon. cum cineribus clavellatis, ſale tartari*, vel *calce vivâ*, item ex liquoribus variis, *ſcoriis ferri candentibus*, infuſis, aut etiam lixivio *ſcoriarum reguli antimonii*, quod ob copioſum alkali, in uteri affectibus nobile planè eſt remedium. *Michael Bernardus Valentinus Med. Sept. vol. 2. pag. 6.*

[74] *Aperientibus emollientia*) Hinc non ſine ratione *Rondeletius*, in provocantibus menſes multum humiditatis eſſe debere ſcribit; Sic Nob. virginem, texturæ tenerioris & emaciatam, diu quidem, ſed fruſtra ab aliis intempeſtivo ἐμμηναγωγῶν uſu excruciatam, imprimis *Deſtillato ex Rad. cichor. ſylv. tarax. pimpinellæ, aſparagi*, Herbis *hepat. nob. ceterach. capilli ven. pulegii, floris. cheiri, matricar. borrag. calend. croci integr.* in *ſero lactis capr. brodio capon. & ſucco beccabungæ* infuſis l. a. parato, interpoſitis aliis pepticis feliciter curavimus. *Strauſſius.*

Differentiæ.

[74] *Differentiæ* à cauſis petuntur.

I. Alia eſt à [75] *Venarum uteri* [76] *obſtructione*; [77] per quam *cauſantur* [78] ſanguis frigidus & craſſus: humores viſcidi & craſſi ſanguini immixti, profecti *vel* ab uteri calida intemperie, quæ humores ſubtiles & acres diſſipat, craſſas & terreſtres partes relinquit: *Vel* [79] ab epatis & lienis conſtitutione frigida: vel ab [80] alimentis ſimilibus, præſertim ſi tempore menſtrui fluxus, quo ſanguinis impetus major eſt, diſſipentur: & [81] *tum*, inſtante purgationis tempore, dolores in lumbis & partibus vicinis percipiuntur; ſi quid effluit, mucoſum, ſubalbidum, & ſubnigricans eſt, totius corporis torpor adeſt, cum colore albo, pulſu raro, & urinis crudis.

[82] *Curatio* ex ſupra dictis petatur.

Alia à *Compreſſione*, quæ fit vel à *Cauſis externis*, [83] ut aëre aquilonio, [84] morâ in aqua frigida; & *tum*, Relatio ægri id aperiet, Sanguis ad inferiora frictionibus, vinculis, balneis retrahendus eſt.

Vel à *Cauſis internis*, nempe, pinguedine uteri, vel vicinarum partium tumoribus; & tum, Tumor convenientibus remediis tollendus eſt. Menſes aperientia locum non habent.

Alia à *Conſtipatione*, dum ipſius uteri ſubſtantia durior eſt, quæ fit vel [85] *primo ortu*, & tum non facilè tollitur.

Vel *poſt ortum*, [86] ab intemperie frigida & ſicca: de qua ſuperiùs.

Alia à *Coaleſcentia*, quam inducit.

1. *Cicatrix* poſt ulcus relicta.

2. *Caro aut membrana* vaſis uteri obnata. 3. *Abortus* frequens, poſt quem venæ illæ, quibus ſecundinæ adhærent, ita coaleſcunt, ut poſtea aperiri non poſſint.

II. Alia eſt à [87] *Sanguinis defectu*, *qui* aut *non generatur* ſeu propter cauſas externas, inediam nempe, nimiam evacuationem, fonticulos, &c. ſeu propter internas, ut frigidam partium principalium conſtitutionem, [88] ætatem ſenilem, β. febres.

Aut in [89] *alios uſus convertitur*, ut [90] ante pubertatem in augmentum corporis, [91] in gravidis in alimentum fœtus, [92] in lactantibus in lac, in obeſis in pinguedinem.

Aut *Abſumitur*, ſeu propter cauſas externas, exercitia nempe, nimios labores [93] terrores, mœrores, balnea, æſtuaria, quæ ſudores copioſos provocando, & ſanguinem verſus ambitum corporis rapiunt, & ſeroſam ejus partem, quæ fluxibilitatem præſtat, abſumunt.

[94] Seu propter internas, ut ſunt morbi calidi & ſicci. [95] evacuationes nimiæ per alias partes,

ut nares, hæmorrhoides factæ ſuperſedendumque in talibus caſibus menagogis.

[96]. Sunt verò & [97]. quæ raro menſtruantur, viſaque quinquies prægnans nunquam menſtruata.

Alia à [98]. *ſanguinis ſiccitate*, quæ fit [99]. ab aduſtione, cum tempore hyberno fœminæ incenſos carbones ad frigus arcendum inferiori ventri ſubdunt: & tum, [100]. Refrigerantibus ac humectantibus agendum eſt.

[74]. *Differentia à cauſis*) Caſus propter quos contingit Menſium ſuppreſſio frequenter ſunt duo 1. Ex *nimiâ Extremorum refrigeratione*, In tali caſu convenit in ſpecie *ſperma ceti* cum *caſtoreo*: Vide *Timæum conſ. pag. 91.* Sumatur in vehiculo calido, & ægra ad blandum ſudorem ſe componat, vel commodè poteſt uſurpari *ſal* quoddam *fixum, artemiſiæ, ſabinæ &c.* loco cujus etiam conveniunt *ſalia volatilia*, quorum uſu, & blando ſubſequente ſudore, ſanguis ad fluorem iterum diſponitur: In ſpecie addantur remedia ex *croco* & *cinnamomo*, In tali caſu ſupervenit interdum *graviſſimus uteri dolor* ex ſanguine coagulato ibidem hærente, ubi inter alia convenit *decoctum chamæmeli*, quod interne uſurpatum cum aliis optimum eſt; *Externe* imponitur regioni pubis, in forma cataplaſmatis, quoad calidè ferri poteſt, Cum his interdum neceſſe eſt, ut in graviori malo ſecetur vena in pede.

Secundus caſus, eſt *gravior animi terror* ſubitaneus, ubi *Foreſtus* uſurpavit decoctum *chæmel. ad* ℥iij. & addidit *oxymel. ſimpl.* ℥ij. *Salia volatilia* in hoc laudem merentur, quando poſt eorum uſum ægra ad ſudorem diſponitur: Hæc remedia conveniunt itidem in *paucitate menſium*, (de qua inferius.) *Etmuller.*

[75]. *Alia eſt à venarum uteri obſtructione &c.*) Sanguis ad uteri vaſa minùs fertur, quando univerſus occurrit craſſior & melancholicus, ipſeque puellarum animus triſtior exiſtit, & corpus minùs movetur ſomnoque nimium indulgetur, & alimenta uſurpantur pituitam multam & glutinoſam producentia, viviturque in aëre frigido humidoque: pituitâ tenaci & viſcidâ infarciuntur & obſtruuntur eadem vaſa, tum paulatim ob multam in ſanguine ſcatentem pituitam ſimilem, atque indies vaſis prædictis adhærentem, ibique cumulatam; tum ſubitò ob corporis univerſi præcedentem, ac præſertim uteri calorem notabilem, à Solis, vel ignis, balneive æſtu; à motu corporis diuturniore aut vehementiore; ab uſu liberaliore alimentorum ſpirituoſorum & aromaticorum, hinc ſubſequens grave, tum aëris ad uterum penetrantis, tum aquæ frigidæ, pedes ſaltem, aut uterum quoque attingentis, tum pavimenti lapidei, per inferiores artus ad uterum tranſiens, & ſolutam prius in corpore, atque quaquaverſum propulſam pituitam ibidem coagulans atque ſic *Obſtructionem* pariens: Idem accidit aliquando ab animi affectu gravi, metu imprimis, aut triſtitia inopinanter, ac præſertim inſtantibus fluentibuſve menſibus ſupervenieute, unde ſanguis ac cæteri humores, Pituita cumprimis, coagulari ac concreſcere ſolent; Adde his plurima ſanguinem alioſve humores incraſſantia, Cretæ, oryzæ &c. in Picâ uſurpatorum &c. *Franc. Sylvius Pr. libr. 3. cap. 3.*

[75]. *Venarum uteri*) Nos exiſtimamus menſtruam eluviem naturaliter per uterum expurgari, & non per vaginam, pudendum, aut alias corporis partes, per quas perperam ejus fluxum derivari quidam autumant; Quod rationibus & experimentis oſtenſuri ſumus: Videmus enim fœtus nutrimentum, quod toto geſtationis tempore à ſanguine materno deſumitur, per nullas alias vias, quàm per uterum tranſire, Item illum, qui enixo jam fœtu lochiorum nomine forâs eliminatur, eadem via forâs erumpere, uti id puerperarum diſſectionibus quandoque nobis obſervare licuit, nec dubitamus quin idem quoque notabunt ij qui inflatis hypogaſtricis vaſis, vel præparantibus, ad oſcula in uteri fundo hiantia diligenter attendunt, quorſum igitur menſtruorum fluxus, qui ejuſdem plane naturæ exiſtit, per alias vias erumpere niteretur? Hujus opinionis probatio à ſanguineis vaſis facilè deſumitur, quoniam longè plura ac majora ad uterum, quàm reliquas ejus loci partes excurrunt.

Idem quoque confirmare videtur lumborum dolor, quem inſtante menſtruorum fluxu plerumque à vaſorum hypogaſtricorum diſtenſione mulieres perſentire ſolent; Atque tandem evincit ocularis inſpectio, refert enim *Hygmorus* in menſtruatis internam uteri membranam à prominentibus venarum orificiis aſperam eſſe: Adſtipulatur *à Caſtro lib. 2. de mul. cap. 11.* dum inquit, teſtari mulieres ſe vidiſſe uteri procidentiâ laborantes, quibus ex uteri oſculo ſanguis evidenter promanabat, Si enim naturaliter fluxus per uteri vaginam & non per uterum erumperet, vanus atque ſuperfluus eſſet abortionis metus, cùm ille in gravidis ſanguineis, atque alimentari ſucco repletis ſponte excitaretur, ſiquidem natura faceret id quod ejus miniſter per V. S. aliquando præſtare tenetur, ne ſuperabundantis ſanguinis copia, fœtus de ſuffocatione periclitetur; Etenim mulieres ſunt, quæ ad juſtum tempus fœtum geſtare nequeunt, niſi per V. S. in brachio inſtitutam earum ſanguis minuatur; At videmus in dies in prægnantibus quoque plethora laborantibus tantum abortionis periculum imminere, ut *Hippocrates* effatus ſit, *Mulieri utero gerenti, ſi purgationes procedant, impoſſibile eſſe fœtum ſanum permanere.*

Objicies, Si per uterum in gravidis menſtruorum fluxus expurgetur, quare non ſemper abortiant hoc profluvio, infeſtari ſolitæ? R. Id poſſe fieri ſi menſtrua moderata ſint, & per illam uteri partem evacuentur, quæ omnino à placenta libera eſt; Non enim illa omnibus uteri partibus, ſed tantùm alterutri ejus lateri (quod demonſtrabimus) adhæreſcit; Si verò fluxus immoderatus exiſtat, aut per placentæ locum erumpat, placenta in totum, aut eo uſque diſſolvetur, ut fœtus ſuperſtes manere nequeat; Idem quoque continget in modicâ menſtrui purgatione, cùm ſcilicet illa ob uteri oſculum pituitâ valentiſſimè obturatum expurgari non poſſit, Placentam uteri diſtenſione reſolvet, aut pravis quibuſdam qualitatibus, à ſtagnante menſtruo provenientibus fœtum perimet.

Objicies iterum, Quorſum propagines illas venarum, quæ juxta os Ilii à diviſione venæ cavæ oriuntur, & in uteri vaginam utrinque implantantur, Natura fabrefeciſſet niſi per eas menſtruus ſanguis expurgaretur, & quare tanta eſt inter vaginæ & uteri vaſa communio? Reſpondemus illas primariò naturæ fine tam copioſè ibi deſtinatas eſſe, ut vaginæ erectio, quæ membro virili correſpondere debet, felicius excitetur, communionem vero tantam inter utriuſque vaſa deſiderari, ut in venereo congreſſu, ubi ſimul agunt, una quoque incitarentur.

Non tamen ſic Vaginam excludendam volumus, ac ſi nunquam per illam prodirent menſtrua, videmus enim, & plurimorum teſtimonia comprobant, illa per vomitum, alvum, urinam, oculos, nares, aliaſque inſuetas corporis partes interdum promanare, potiori jure per proximum utero locum. *Graef de mul. org. cap. 9.*

[76]. *Obſtructione*

76. *Obſtructione*) Obſtructio venarum, hæmorrhagiarum naturalium defectuum cauſâ interdum exiſtit, imprimis in viſceribus & vaſis majoribus, vel illis quæ ad partem per quam ſanguis fluere debebat, pertinent facta; Idque quòd illius naturalis diſtributio & derivatio ad partes, per quas illum excerni oportebat, impedita ſit; Sicuti videmus per cucurbitam viſceribus admotam retracto ſanguine, aut aliàs per venam ſectam revulſo, quia curſus hic illius ſiſtitur, hæmorrhagias ceſſare: contrarioque motu, in pede ſanguine detracto, eo ad inferiora commoto menſes moveri; Hincque cachecticis, non tam quòd impuro ſanguine redundent, quam obſtructionum harum causâ menſtrua ſupprimuntur; Verum & in ipſis partibus quæ ſanguinem effundunt, ſi hæc obſtructio fiat, fluxus illius intercipitur menſtruus, ſi venæ cervicis uteri, vel quæ poſt partum fit expurgatio; ſi etiam venæ uteri obturatæ ſint; hæmorrhoidalis aut narium hæmorrhagia, ſi illis in locis hoc fiat: Idque vel ipſo ſanguine craſſo, tenaci, illic ſubſiſtente, ſibique viam præcludente, alioquin concreto & grumoſo, qui poſt partum purgationes ſolitas frequentius præcludit: aut ab aliis humoribus. *Platerus.*

77. *Quam cauſantur*) Cauſa eſt cruditas, & hinc ſuperveniens craſſities ſanguineæ maſſæ, ac viſciditas, ratione cujus cruditatis ſanguis ineptus eſt ad fermentationem: hujuſmodi cruditas utplurimùm ducit originem ab acido maſſam ſanguineam coagulante, aut ejus fermentationem impediente, malum eſt eo pejus, ſi *acidum peccans* eſt radicatum in materiâ viſcidâ, nam tale *acidum* eſt ferè ſemper unicus fons, ex quo oritur defectus menſium. *Etmuller.*

78. *Sanguis frigidus* Non obſcurum frequentem fruſtrationis facultatis expultricis anſam à *Sanguine* ſuppeditari, quoties vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccat: De *quantitate* quidem res dubia videri poſſet, ſiquidem illa tam *copiam* quàm *inopiam* innuit, *copia* autem excedens ſanguis contrarium potiùs effectum edit; At excedentem ſanguinis quoque copiam in cauſâ eſſe poſſe, ut ſupprimatur, *Galenus l.m m.cap.13.* docet, dum obſtructionum cauſas ad *humorum multitudinem & craſſitiem* reducit, quam ſententiam hiſtoria illuſtrat *Riverius centur.1.obſerv.2.* quamvis neutiquam inficiemur ſanguine ibidem diu reſtagnante, tandem naturam molis ferendæ impatientem, iſtum quâ datâ portâ protrudere, cùm præſertim hac morâ ſanguini facilè acrimoniamque ſtimulumque conciliat. *Strauſſius.*

78. *Sanguis frigidus & craſſus &c.*) Crudus ſanguis, aut aliàs quoque impurus, & cacochymicus, non ſolùm ob craſſitiem, ſi modò craſſus ſimul ſit (ſicuti aliquando è venâ ſectâ, ſanguine extracto & concreto, in ſuperficie illius ejuſmodi tenacem & craſſam, in cutem veluti condenſatam materiam extenſam videmus) ſed & quia laudatus minimè eſt, ſed vitioſus, ut à naturâ minimè menſtruatim evacuetur in causâ eſt; quæ ut fœtui proſpiceret, laudatum & purum potiùs ſanguinem ad uterum, quam uterum, quo minimè fœtus frui potuiſſet: & proin cùm talis non eſt, natura in eo propulſando minimè ſolicita; ut menſtrua non fluant; accedentibus præſertim aliis quoque impedimentis, ut obſtructione; occaſionem præbet; Quæ & cauſa, quòd cachecticis, leucophlegmaticis virginibus menſtrua, quamdiu vitioſo ſanguine ſcatent, retenta ſint donec rurſum ſanguine repurgato, coloreque vivido redeunte, ad menſtruas priſtinas expurgationes redeant: Ex quo patet, menſtruum hunc fluxum naturalem non, uti communis eſt opinio, ad vitioſi ſanguinis evacuationem, cùm ſi is ſuperabundet, fluxus hic potiùs ceſſet, à naturâ inſtitutum eſſe, & proin, non quòd qualitate peccet ſanguis, ſed quantitate redundet evacuari: aut ſi ejuſmodi redundantia per hæmorrhagias uteri, vel menſtruo tempore, aut extra hoc expurgetur, etſi eo quod corpus purgat, juvet; præternaturalem tamen, ſicuti & tunc immoderatiùs plerumque nulloque ordine fluere ſolet, exiſtere; qualem & mulieribus, quibus jam ob ætatem menſes deſierunt; nihilominus frequenter accidere obſervamus: Nec nos movere debet, quòd hæc ſanguinis impuritas hæmorrhoidibus ut fluant occaſionem præbet, cùm hujus fluxus longè alius quàm menſtrui ſit uſus & ratio: Qui &, licèt per eum craſſus fæculentuſque ſanguis expurgetur, niſi quid aliud obſtet, & à naturâ ad venas hæmorrhoidales derivetur, facilè tamen in conſuetis per illas expurgabitur. *Platerus.*

79. *Vel ab hepatis & lienis*) A *causâ internâ*, origo hujus *acidi* eſt ex ſtomacho; oritur nempe ex chylo non ritè digeſto, unde nil magis diſponit mulieres ad defectum menſium, quàm cruditas acida ſtomachi, ratione cujus turgeſcentia ſanguinis fermentativa impeditur, & conſequenter menſium fluxus ceſſat. *Etmuller.*

80. *Vel ab alimentis ſimilibus*) Cauſæ externæ ſunt *Aer* frigidior & ſiccior, ut aquilonia tempeſtas, ingreſſus præceps in aquam frigidam, aut nimia in eâ mora, præcipuè dum fluunt purgationes menſtruæ, *Cibi* pauciores vel copioſiores, craſſiores & frigidiores, vel adſtringendi vi præditi: calidiores etiam id faciunt, ut nimius ſalis uſus & aromatum, exſiccando hepatis aliarumque partium ſubſtantiam & ſanguinem ipſum abſumendo, atque exaltando, unde craſſitiem acquirit, obſtructionibus efficiendis idoneam, *Exercitationes* vehementes, & vigiliæ immodicæ ſanguinem valde abſumentes: *Somnus diuturnus & otium* immodicum calorem nativum enervans & cruditates multiplicans; *Excreta & Retenta* naturæ limites excedentia, hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidum, diarrhœæ, evacuationes diuturnæ per vomitum, urinas, ſudores: *Animi pathemata* graviora, iracundia vehemens, terror ſubitus, Zelotypia &c. *Riverius.*

Facit imprimis *frigus aëris* improviſè ſuſceptum, hoc enim diſponit ſanguinem ad coagulationem & grumeſcentiam, idque in ſpecie ſolet nocere, quando vel inſtat excretio menſtrua, vel quando excerni ſolet; Quando inſtat, nocet ſubinde ſtomachi vel pedum refrigeratio, quæ ſolet ceſſare facere menſes, Si mulieres ſub fluxu menſium lotionibus in aquâ frigidâ indulgent, ſolet menſium fluxus ceſſare, & vel imminens vel fluens ſupprimi.

Præter *frigus*, multùm conferunt *ingeſta*, in ſpecie *acida*, quæ maximè nocent; Pertinent huc *ingeſta viſcida*, ſanguinis *fermentationem* impedientia, obtundendo ſal fermentativum; hinc *lac* & omnia *lacticinia*, ſolent prohiberi mulieribus; *Caſeus*, & ſimilia viſcida, menſium fluxum impediunt; facit huc *panis* recens ex clibano extractus, qui maximè nocet mulieribus, quia promovet cruditatem ſtomachi acidam: hinc *Barbette* menſium ſuppreſſionem à cauſis externis in ſtomacho radicem habere aſſerit: Sic ſi poſt ſuppreſſionem menſium ſupervenit Pica, ratione cujus mulieres varia edunt, ſi fiat immodicè, ſuppreſſio menſium magis confirmatur: Alii affectus quicunque, qui ſanguinem exagitant, promovent fluxum, *Triſtitia*, *& metus*, *pavor*, *terror ſubitaneus*, menſes vel imminuunt, vel fluentes ſubinde ſupprimunt. *Etmuller.*

81. *Et tum inſtante*) Si emanſio menſium fiat ratione vaſorum uteri infarctorum, ſolent percipere pathemata, quæ oſtendunt adhuc ſanguinis impetum & motum excretorium, nempe in his ſtatis temporibus, quibus alias fluere debent menſes, frequentes ſunt dolores lumborum circa vaſa lumborum, & quæ ex ramis iliacis oriuntur; Conqueruntur ulteriùs de ſenſu cujuſdam tenſionis circa regionem pu-

bis; item percipiunt pulſationes hinc inde variis corporis locis, nunc circa *hypochondria*. nunc in *artubus*, adſunt *murmura*, *borborygmi*, *dolores lancinantes* in lumbis, qui oſtendunt ſanguinis tunc urgentem fermentationem & turgeſcentiam menſtruam, & propter impedimenta in vaſis non poteſt enniti, unde quandoque in talibus ſanguis per loca alia effluere ſolet. *Etmuller.*

[81]. *Curatio ex &c.*) Statuimus 1. quæcunque impedimenta orgaſmi, ſive turgeſcentiæ ſanguinis & ſeri menſtruæ tollunt, eſſe *Emmenagoga*, Sunt hæc ipſa ſine dubio vel communia vel privata; Illa primam tuebantur claſſem, uno verbo *Aperientia*: Quamvis enim hæc propriè loquendo menſes ſaltim principaliter non moveant, movendi tamen mediatè & ſecundariò, diſponendo ſanguinem & vias, unde utramque abſolvunt paginam, imò reliquis ſternunt aditum.

Talia ſunt principaliter v. *aperientes, Decoctum aper. ſimpl.* & miſtum cum uterinis ſpecificis, ipſiſque *Martialibus*, præcipuè enim decoctorum & infuſorum facit norma, Item *fol. cerefol. Sal artemiſ. tinctura tartar.* qua in ſymptomatibus inde productis feliciſſimè uſi ſumus, & omnium apex, ſeu præcipua *Martialia, limatura ipſa cruda, crocus martis ſulphuratus*, imò aperitivus omnis, quo ſolo, imprimis cum *ol. diſtill. cinnamom. vel caryoph.* momento lævigato, cum *ocul. cancr. præpar.* vel aliis uti poſſumus; Item *Pulvis cachecticus maj. vel min. additis oleis deſtill. Tinctura martis tartarea*, *Tinctura martis pomata & cydoniata* fermentationi ſanguinis excitandæ & humectandis corporibus optime dicata, imprimis volatilis acceſſione *ſpir. ſalis armoniac.* reddita, Hæc ſcilicet ſingula acorem & pituitam, duo ſanguinis rarefactionis, fermentationis ac orgaſmi impedimenta ordinaria tollunt & exſuperant.

Notabile verò eſt *præcipitantia & abſorbentia* quidem hæc ſalina & martialia inſervire huic ſcopo, & emmenagoga eſſe, quatenus & acorem tollunt, & pituitam fundunt, & ſulphur unà ſanguinis rarefaciunt; non æque tamen alia omnia quoque huc facere, quæ ipſa, licet per accidens, menſes potius obſtruunt quam reſerant: Notum enim eſt ſæpe ut palleant, cretam comedere puellas, unde per quod peccant puniti, hinc chloroſin reportant, ſeu pallorem cum virore, quatenus fermentum ventriculi acidum volatile obtundunt nimis.

Tantoque magis hæc ipſa Aperientia & Martialia conducunt, quod ſalia tartarea ſylveſtria ſimul corrigant & reſpiciant, amurcam venarum vocat *Helmontius*, obſervatum enim eſt toto die ſuppreſſione menſium laborantes corripi & mori hinc phthiſi, etiam alias non adeo macras, vel ad phthiſin diſpoſitas, quatenus ſalia peregrina ad cor tanquam fontem delata, inde ad pulmones regurgitant magis, ibique teneras veſiculas erodunt, unde & reſpiratio difficilis ordinarie ipſas fatiget, cum ob ſanguinis hanc ſtagnationem, tum ejuſdem lentorem & torporem, Ex eadem ratione pulſus frequens evadit.

Pertinet huc quod ad cienda menſtrua remedium facilè & in auditum deprædicat. *Zacutus P. M. H. libr. 3. obſervat. 3. terram, quæ in mineris ferri* reperitur ſiccatam, & ſubtiliſſimè tritam eadem dozi ac chalybs propinatam, quam incredibilis utilitatis dicit.

Tacemus aperientia alia ſub ſpleneticis & ſcorbuticis expoſita, unde & cochlearia menſes movet, & aliæ plantæ antiſcorbuticæ omnes. Excipiantur verò ex hac claſſe Acida & Nitroſa, quæ aliàs inter aperientia & ſanguinem fluxilem reddentia militant; quia licèt pituitam incidant, orgaſmi tamen principia, ſal volatile figant, & ſulphur ſive calorem obtundant; Hinc toto die ab uſu aceti & acetariorum, ut & lacticiniorum; placentarumque uſu obſtructio menſium acquiritur: hinc acetum ὑστεράλγης eſt, nec *tinctura acetoſa aperitiva* huc facit: Acidum tamen ſub dominio reliquorum ſecundariò huc facere poteſt, ut in miſtura ſimplici vulgari & antiſcorbutica.

ij. *Quæcunque ſal volatile & ſulphur ſanguinis intendunt, expandunt & in motum cient, magis ſunt Emmenagoga*. Factâ enim rarefactione & ad ipſum dictum orgaſmum reſtitutione, ſanguis velut exſuſcitatur, & qualitate vitiosâ, & ad motum ineptâ correpta torulis ſuis non contentus exundat, & anaſtomoſi naturali ampliorem viam affectans exit; Hoc ut illuſtremus amplius, tenendum eſt ſanguinem, ut omne humidum quoque, & quaſi tale, ut *Mercurius vivus*, eſſe rarefactivum, & calore ſive intrinſeco potiſſimum, ſive extrinſeco expandi magis.

Altera ergo hæc *claſſis Emmenagogorum eſt*, *volatilium* & quaſi talium, quæ calorem torpidum exſuſcitant, & ad expanſionem citant: Excitant Sal volatile, Sale volatili inſignia quælibet, dictæ plantæ antiſcorbuticæ, *Sal ſuccini volatile, ſpirit. fuliginis, ſalis armoniac. ſ. & oleoſus, vel cum elix. propriet.* quoque commode ad aliquot guttas mane & veſperi propinatus eo caſu: Excitant enim ſulphur & ſal volatile ſeorſim ſulphureâ balſamicâ; conjunctim ſale volatili oleoſo ſocia, licet majori vel minori gradu; minori plantæ amaricantes & fixiores, majori aromatica, magis vel minus volatilia, plantæ aromaticæ, cephalicæ, uterinæ, rad. *Zedoar. galangæ. rub. tinct.* imo & *radix pæon.* huc relata à quibuſdam: Herba *artemiſia rubr.* quæ in decocto optima eſt, *calament. dictamnus Cr. marrub. album* cujus ſummitates in vino albo infuſas per noctem, triduo epotas mirè ad provocanda menſtrua eſſe facultatis innumeris comprobavit experimentis, *Borellus centur. 4. obſervat. 14.*

Abrotanum, licèt externè magis *matricaria*, *meliſſa, pulegium, nepeta*; *roſmar.* & decantatiſſima *Sabina*, adeo enim pellere creditur, ut & fœtum exturbare queat, verùm id eſt commune ipſi cum omnibus emmenagogis fortioribus, neque valet niſi in diſpoſitis:

Ex flor. *Cheiri & Calendulæ*, item *baccæ lauri, juniperi, cicera rub. antophylli* & aromata alia, *myrrha, flores ſulphur. ſuccinum, coſtus arab.* laudantur: Potentiſſimè idem facit *Crocus*, & ex his parata v. g. decocta, infuſa cum vino, *Eſſentia myrrhæ ſ. & balſamica, cum ſpiritu ſalis ammon.* vinoſo parata, *croci, elixir propriet. antiſcorbut. uterinum Crollii, Tinct. bezoart. Mich. camphorata*, qua exhibita in ſucculentis vidimus extraordinariè quoq; menſes motos fuiſſe, Item *Pilulæ de trib. troch. de myrrhâ* ut olea deſtill. *juniper. meliſſæ, ſuccini, cinnam. Caryophyll. Sabinæ ſ. & crocatum* M. quæ potentiſſimè id præſtant.

iij. *Quæcunque & ſanguinem fundunt, & Archeum uteri exſtimulant, ſunt emmenagoga*: Duobus modis officii ſui admonetur Archeus, partim ſubminiſtrando adminicula debita, h. l. ad ſanguinis orgaſmum reducendum, & tollendo impedimenta quæ id fieri prohibent; partim addendo calcar & ſtimulum, ut & humoribus activior motus imprimatur, & partes membranoſæ uteri, & glandoſæ papillares exſtimulentur, ut promtius de ſe mittant humorem onerantem; Stimulant ex generalibus *Diuretica*; quæ licet deficerent, in humidioribus tamen, ſeu non ex ſuccis penitùs, emmenagoga quoque ſunt; neque enim ipſa urina ſolicitari poteſt, deficiente largius humore. Faciunt id tum ob viciniam & conſenſum, tum ob fundendi ſerum vim & abſtergendi.

Stimulant *Purgantia* intus propinata, & *Vomitoria*, Utraque quatenus fundunt humores & ſtimulum addunt ὀργασμώδη, tum mitiora tum fortiora; Ita *aloe* ad pallidos colores ſpecifica eſt multis nominibus indeque

que paratus, pulvis *Schroederi, Sibironii Heerio* tantoperè dilaudatus; item *Elect. hiera picra*, *elixir propr. &c.* Hinc in genere fruſtrà eſt menſes reſerare velle citra purgantia, In ſpecie verò cholagoga & phlegmagoga, tanquam magis deterſiva & acria, vel amara, nominatim *Gialapium, ſcammon. troch. alhandal. Pil. tartar.* non omiſſis tartareis fermentativis, Præprimis verò *Fomitoria*, etiam compreſſoriâ ſuâ virtute, quam habent conjunctam, ſanguinem ad inferius eliminavitant magis, uti etiam ſuo modo ſanguinis miſſio in ſaphenâ facta, idem præſtat cum ſucceſſu.

Laudant ſpeciatim *ſal vitrioli* cum *aqua cinnam.* ipſo ſæpe illo die quo purgans vel emeticum dantur, menſes redire ſunt viſi: Stimulantes laudata jam ſecundâ ſub claſſe *volatilium, ut balſam. Sulphur. ol. ſuccin. juniperi*; quæ cæteris partibus potenter ſtimulant & pellunt, tum menſes, tum urinam: Stimulant etiam ſeorſim *myrrha, crocus*, hinc ad partum facilitandum quoque commendata, & communis cum his uſus *borax*, tanquam ſal uterinum longe commendatiſſimum, mixta cum aliis dictis oleoſis: Stimulatio hæc ut internè convenit per recenſita, ita & externa ſeorſim conſideranda.

Non ſtimulant verò, vel menſes cient quæ *Lac augent*, *Langius miſc.* cur ſtatuit menſes cientia lac minimè augere; Vi contrariorum vero noſtra opinio omnino vera erit, *Galenus* quidem *5. ſimpl. 22* Emmenagoga ſimilia eſſe iis ſcribit, quæ lactis materiam ad mammas promovent, quod nempe utriusque eadem ſit materia, ſanguis, ex ipſius hypotheſi, eædem etiam viæ, commutes utero & mammis, quod ex conſenſu utriusque probat: addit tamen medicinas quæ ſanguinem ad mammas promovent pro lactis generatione, etiam deficientes & imperfectas uteri purgationes juvare, prorſus verò ſuppreſſas nullo modo juvare.

iv. Quæcunque uterum immediatè abſtergunt, poros dilatant, ſtimulant, emolliunt, ſunt emmenagoga, &c. Vide ſupra §. *Externa.*)

v. *Quæcunque ſerum reſtituunt, ſanguinem depauperatum refocillant, & utrique novum vigorem conciliant, ſunt Emmenagoga*; Niſi enim, quod diximus, turgeſcat ſanguis, menſes non fluunt; Niſi verò ſerum reſpectivè abundet, non turgebit idem, unde humectantia hæc talia, vehiculum quaſi organini largientia, utiicè ſunt neceſſaria. Hinc obſervavimus quaſdam fœminas & virgines per totum vitæ tempus, etiam conſeneſcentes, menſes non vidiſſe penitus; ob ſolam hanc idioſyncraſiam uteri, in ſiccitate, ſeu ſeri minori abundantiâ, ſaltim quoad hunc actum, & uterum fundatam, quod rarum eſt, idque citra ulla inconvenientia: Aliam notavimus ſeptem liberorum matrem; quæ quadragenaria nonniſi ter menſes vidit.

Præcipuè verò febres, ut de aliis morbis non dicamus, ſeri & ſanguinis ſunt deprædatrices, unde ſi paulò diutiùs affligant corpora prorſus emanent menſes, dubiis non rarò Medicis, an febrim magis, an menſes reſpicere debeant: Satis fuerit Medico attendere menſium ſuppreſſionem ſub conditione abundantiæ. Spectant huc non alia quàm hac ratione commendanda *Dulcia*, quæ v. g. ſyruporum formâ ad menſes ciendos inſigniùs laudantur, Conveniunt hæc ſcilicet non præſenti majori viſcerum obſtructione, ſicubi vel nutrimentum deficiat, vel fermentatio & turgeſcentia ſanguinis ſit debilior, nec ſtomachus abnuat: plurimum enim hæc nutrire certum eſt. *Wedelius A. m. m. pagina 194. &c.*

82. *Curatio ex ſupradictis*) Ad humores viſcidos vaſa uterina obſtruentes incidendos, conveniunt imprimis *gummata, mercurius dulcis. Etmuller.*

83. *Ut aëre aquilonio*) Qui partim poros cutis occludendo, partim venarum ora denſando, noxam non levem inferre ſolet; Idem efficit aër craſſus, turbidus: Interim calidus quoque & ſiccus, ille quidem ſanguinem adurendo, hic autem humores condenſando, uterum huic malo obnoxium reddit. *Strauſſius pag. 380. Pal. Med*

84. *Mora in aquâ frigida*) Sic pedum lotio, vel in aquam frigidam immiſſio, ſicuti lotricibus, ancillis, aliiſque fœminis ſervitio deditis eſt admodum familiaris, ita quoque non minùs frequenter menſium hinc ſuppreſſione corripi ſolent, præſertim ſi inſtantibus menſibus aquam frigidam ingrediantur. Vide *Foreſtum l. 28. obſ. 2. Strauſſius.*

85. *Vel à primo ortu*) Credidi olim cum *Galeno* poſſe etiam à vitioſâ conformatione eſſe, cùm vaſa ad uterum hiantia ſunt cœca: Nunc reſilio, quòd neceſſe ſit uterum nutriri. *Hofmannus l. c.*

86. *Ab intemperie frigida*) Ab intemperie uteri frigidiore, (uti volunt, & mulieres ſibi potiſſimùm perſuadent, & proinde adeo à frigore ſibi cavent, & à frigidis cibis abſtinent, & ſi illis menſtrua ceſſent, quod certis cibis, frigidioribus imprimis uſæ ſint, inde accidiſſe credunt,) ſi fiat menſtruorum defectus, cùm adeo hæ partes, ut venarum adſtringantur orificia, diuque conſtricta maneant, refrigerari difficulter poſſint, vix hoc poteſt evenire? Niſi hoc eâ ratione, quòd frigiditas, ut ſanguis minùs aptè fluat efficit, contingat, aut ſi frigiditas ea dicatur, quæ calore partis nativo debilitato ſupervenit, quod tunc facultate expultrice languidiore exiſtente, menſtrua rarius fluant, accidit. *Platerus.*

87. *A ſanguinis*) Menſes aliquando & *ſæpe*, emanent, vitio *ſanguinis* non turgeſcentis debitè, Evidens teſtimonium eſt, quando mulieres nullam patiuntur alterationem iis temporibus: Verùm cùm interdum mulieres an ſint gravidæ, an p. n. menſes deficiant, ſubinde ſolent interrogare Medicos de hac re. *Etmuller.*

87. *Sanguinis defectu*) Sed fierine poteſt à plethorâ quoque? Ita, ut enim de veſicâ utraque dixi, non poteſt uterus comprimere ſe ad expulſionem; In his non eſt opus medicamentis, ſed venæ ſectione in malleolis, Quorſum enim plus ſanguinis ducas ad uterum? *Hofmannus l. c.*

87. *Sanguinis defectu*) Purgatio ſanguinis menſtrui quantitate, qualitate, periodo excludendi modo definitur: *Quantitas* ad propriam cujuſque naturam eſt definienda, & vitæ legem: quibuſdam enim mulieribus, ut plethoricis, copiotior, aliis ut pinguibus, parcior fluit: *Qualitas* ea eſſe debet, qualis eſt ſanguis naturalis, colore rubeus, conſiſtentia medius inter craſſum & tenuem: *Periodus* pro ætate varia eſt, tum adoleſcentes prima Luna, veteres poſtrema purgantur, ut mediæ ætatis media, quod non eſt tamen uſquequaque verum, *Ratio* excludendi naturalis eſt, ſi non guttatim, ſed copioſe fluat, idque intra modum, ſi quid horum deſideretur menſes ſunt in vitio. *Euch. Med. Pr. pagina 311.*

87. *Alia à ſanguinis defectu*) Illud moneo, quod *Scherbius* ſæpiſſimè, cur Medici parùm cauti fere ludant operam in ciendis menſibus? Oportet ſanguis in eâ copiâ ſit, ut poſſit effluere: Hinc quædam concipiunt etiamſi menſes non habeant; tantum ſcil. adeſt illis, quantum fœtui nutriendo ſatis ſit, non autem ſupereſt, ut quid vacuari poſſit; Tales ſunt viragines quædam, quæ ob caliditatem diſcuriunt ſanguinem, & difficulter concipiunt, difficiliùs ad perfectionem ferunt, aut, ſi id fiat, vitales fructus non ferunt: Idem accidit laborioſis quibuſdam, ut ruſticis, Ident & frequentius gracilibus naturâ, pinguibus: In his omnibus quia ſanguis deeſt, quid fruſtra pugnas aperientibus? *Hofmannus l. c.*

88. *Aetatem ſenilem*) Fruſtra dantur in iis, quibus per ætatem non fluunt, ut in provecta ætate, ſeriùs

ocyùs pro diverſitate temperamentorum ceſſantibus jam iiſdem per naturam, quod ſuperfluitate non gaudeat: Vidimus hinc tortas fœminas 40.44. annorum externis & internis talibus, ad cachexiam inclinantes cum damno. *Wedelius.*

88. *Ætatem ſenilem*) Uterus, in muliere potiſſimùm, prout fœta aut vacua fuerit, tam temperie quàm iis quæ eam ſequuntur,(utpote ſitu, magnitudine, figurâ, colore, craſſitie, duritie & denſitate) mirè variat, Puellæ impuberes ut mammas non habent, quam pueri majores, ita uterus illis eſt perexiguus, albus, cutaneus, venis deſtitutus, digitique majoris apicem aut fabam majuſculam magnitudine non excedens; Similiter vetulæ, ut collapſa ubera, ita uterum retractum, flaccidum, vietum, pallidum, venis & ſanguine carentem habent, Quam etiam cauſam arbitror, cur ſeneſcentibus mulieribus menſtrua non fluant, ſed vel in hæmorrhoidas abeant, vel præmature ſupprimantur, non ſine ſanitatis diſpendio; Cùm enim uterus frigidus, & quaſi emortuus reddatur, venaſque omnes atque arterias abolitas habeat, ſuperfluus ſanguis efferveſcens, vel reſtagnat, vel in hæmorrhoidas vicinas divertitur. *Harveus Exercit. de Partu p. m. 374.*

88. *Ætatem ſenilem*) Durat iſte fluxus plerumque uſq; ad ſeptimum ſeptenariū, & poſt quinquagenarium; annum utplurimum ſubſiſtit: rarum enim eſt, quod refert *Hildanus obſervat. 61. cap 2.* cuidam ſanguineæ robuſtæ, & parùm morbis obnoxiæ, ſterili tamen menſtrua ad annum uſque lxxviii. ætatis ordine profluxiſſe: Alteri ad annum 75. & tertiæ cuidam ad 100. uſque, ut ex *Gregorio Horſtio* idem *Hildanus* citat. *Timæus Caſ. Med. 14. lib. 4.* menſtrua uſque ad 76. annum ætatis ordine fluentia annotavit. Ego novi inter plebeias Viduam Operarii, quinque liberorum matrem, vegetam laborioſamque mulierem, cui adhuc anno ætatis 59. fluxus ille duravit, qui fortaſſe diutiùs continuaſſet niſi eodem anno mulierem iſtam peſtis ſuſtuliſſet. Novi & alteram matronam quæ fere uſque ad 70. ſcilicet ad finem vitæ eundem fluxum naturaliter experta eſt: Frequenter autem inter noſtrates, præſertim ſanguineas ultra 50. annum protrahitur. *Simon Schulzius Med. Sept. vol. 2. pag. 50. Vide ib. obſ. 13. ex Ioele Langelot. pagin. 33.*

88. *Ætatem ſenilem*) *Quam aliquando antevertit Menſium ceſſatio innoxiè*. Viduæ fere quinquagenariæ anno ætatis xxxvi. menſes fluere deſierunt abſque ullo valetudinis incommodo, Neque in conjugiis hæc fuit ſterilis; Hæc verminationi continuæ ab infantia obnoxia fuit; Conſtitutio corporis ejus eſt ſicca, color faciei fuſcus, temperamentum melancholico bilioſum. *Idem ibid. p. 31.*

Maria Obſtetrix Thoranenſis poſtquam quater pepererat, deſiit anno ætatis ſuæ 27. menſtrua pati, nec ab eo tempore amplius concepit, Nullum autem incommodum tum ſenſerat, niſi quòd abdomen aliquantulum intumuerit, quod tamen & ipſum ſenſim detumuit, menſes verò nullis remediis provocari potuerunt, Vivit adhuc. *Georgius Segerus ibid. p. 132.*

Vxor chartarii 76, ann. fonticulo ex conſilio meo in crure dextro excitato, ſenſit præter expectationem noſtram, menſtrualem fluxionem poſtliminio redire juſtamque ſervare periodum, tanto equidem cum effectu, ut exinde juveneſcere videatur. *P. Pruckelius M. S. vol 2. p 34.*

β. *Febres*) In exhauſtis à morbo; ſiquidem depauperato ſanguine ut nunquam fiunt menſes; ita nunquam citantia illos exhibenda tunc ſunt. *Wedelius.*

89. *Convertitur*) Fit & aliquando motus ſanguinis præpoſterus, unde ſuppreſſio menſium contingit, cum is per narium hæmorrhagiam, aut ſputum: aut hæmorrhoidas, aliaque loca non naturalia excernitur; Ejus curatio perficitur repellendo ſanguinem à partibus per quas fluit præternaturaliter, eundemque retrahendo ad uteri vias: Primum perficitur,(dum ſanguis per ſuperiora loca erumpit) lotione brachiorum capitis & faciei ex aquâ frigidâ, & privatione exercitii earundem partium, præcipuè cantus & vociferationis: Secundum verò abſolvitur venæ ſectione partium inferiorum, facta biduo aut triduo antequam ſanguis erumpat, cucurbitulis femoribus & ſuris adhibitis, interdum ſiccis, ſæpe etiam cum ſcarificatione, provocatione hæmorrhoidum, frictionibus, ligaturis, deambulationibus, fomentis, ſemicupiis ex herbis aperientibus, inunctionibus, peſſariis, clyſteribus uterinis, &c. præcipuè verò commendatur balnei naturalis uſus, ſulphurei ac bituminoſi, quod laborans pluries ingrediatur longè à paſtu, dummodo aqua hypochondriorum regionem non ſuperet; eodemque tempore ſuperiores partes flabello refrigerandæ ſunt; ne calido balnei aëre etiam incaleſcant: Si per *Hæmorrhoidas* fluat ſanguis, & ab utero avertatur, difficillima erit curatio, Sive enim trahentibus ad inferiora utaris, eadem ad ſedem trahent: Si vero adſtringentia ſedi adhibeas, ea etiam propter viciniam repellent, quæ feruntur ad uterum: Hæc igitur una medendi ratio conferre poterit, ut poſtquam trahentibus ad inferiora uſus fueris, localia utero adhibeas, quæ humorem commotum magis ad uterum alliciant. *Riverius.*

90. *Ante pubertatem*) Communiter ſtatuunt DD. ab anno 14. ad 50. fluere, Sed quotidie in praxi obſervamus aliis effluere 16. 17. 18. 19. immò 20. & 21 annis, aliis verò ſiſti (expertus loquor) 39. 40. 42 44. & ita porro; nempe pro temperamenti, regionis, vitæ generis, quantitatis vel qualitatis ſanguinis &c. diverſa ratione; Habemus vero rariora exempla juſto citiùs menſtrui; nec ſufficiunt earum quæ anno æt. xii. *Hildanus, cent. 2. obſerv. 60. Fernelius Path. 6 16.* aut anno xi. *Hildanus ib. Sennertus, Timæus, lib. 4. caſ. 13.* Anno x. qualem *Corbejus Gynæc. lib 1.* *Quinquennem* menſtrualem memorat Celeb. *Joh. D Horſtius literis ad me* Talem vidit *Saxonia 4. 23.* cui quinto anno fluxerunt, dein ſingulis menſibus ordinatim, modice tamen, *Quarto* ætatis anno puellam menſtruam novit *Tulpius l. 3. c. 36.* Indicant puellam v. anno menſtrualem, ſexto v. puerperam habet. *Mandeſlo Ep. ad Olearium:* De puella *ælidua menſtruata* Louiſe Bourgeois. *l. 2. obſtet. obſ. 17.* Et quod fidem fere excidere videtur recens nata menſes effudit, Exempla notarunt, *Jonſton Thaumat. ogr. ex Schench. &c. Med. Sept. vol. 2 p 30.*

Kerkringii obſervatio 87. facie eſt nova, quæ hiſtoriam menſium à prima nativitate fluentium complectitur, ſed ut apparet, infelici vitæ auſpicio, ex Fidelis viri ore habeo puellam, quam habebat, trium annorum; jam tum fluentibus, ſaltem fluore uterino, nam intempeſtivius prodibant, divexatam, mox præcocis naturæ impetu lento deficientem, ipſo ætatis anno v. interiiſſe. *Nic. Pechlinus ib. p. 31.*

Hac in vicinia degit Matrona valde plethorica, quæ jam patitur fluxum hæmorrhoidum unà cum menſtruo, quam vis gravida duorum menſium, Eadem annum nondum egreſſa quintum, paſſa eſt menſtruum fluxum, & eſt mater trium liberorum. *Joh Dolæus ibid.* Vide plura exempla præmature fluentium ex *A. Hermanno Cummeno p. 32.*

90. *Ut ante pubertatem*) Emmenagoga ſunt danda, tum quibus jam fluxerunt menſes, ſubſiſtunt verò jam, tum quibus nunquam adhuc fluxerunt, puellis, fluere tamen debebant, adeoque id ſymptomatibus variis, pallore, laſſitudine, macie, lipothymiis demonſtrant. *Wedelius.*

Fruſtra dantur in iis quibus per ætatem non fluunt, ut puellis tenerioris ætatis, niſi extraordinariè natura

id

id urgeat, quod aliquando fit, vidimus nempe aliquas x. ætatis anno menſtruatas, quod aliàs in orientalioribus non infrequens ſed ordinarium quaſi eſt. *Idem.*

91. *In gravidis, in alimentum*) Haud tamen perpetuum eſt Gravidas ac Nutrices penitus carere menſtruis; quædam enim ex mulieribus ſunt, quæ ſua, ut ſic loquar, tempora celebrant, præſertim primis menſibus, & tamen in utero habent, Adeoque hoc ipſum hortatur Medicum, ne nimis præcipitem & incautum in judicio ac præſagio inſtituendo ſe præbeat, adeoque certior factus fluere in hac vel illa muliere menſes, non ſtatim ingravidationem perneget, & proinde venæ ſectionem aut purgationem &c. (hæc enim præſidia primis menſibus imprægnationis provocare abortum valent) tutò admitti poſſe ſuadeat, ſed reliquas circumſtantias perpendat: Gravidis enim quandoque promanare menſes mirum haud eſt, ſiquidem vaſa illa in cervice uteri præſentia aperiri in mulieribus plethoricis ſanguineiſq; tutò ac ſine omni embryonis periculo poſſunt; Dein primis etiam menſibus tenellus adhuc conceptus tanto ſanguinis apparatu non indiget, unde natura proinde etiam, ubi opus eſt, præcavere ſolet, ne ſanguinis copia opprimat fœtum, aut illi noceat. *Chr. Langius.*

92. *In Lactantibus*) Conjux noſtra, 33 annos nata, ab eo, quo lactat, (quod integrum jam biennium eſt) menſes ſtatis diebus excernit, in quantitate prorſus incredibili, corpore nihilominus florido ac ſucci pleno, nec inde deteriùs valente filiola. Notus aliàs aphor. *39. 5. Joh. Petrus Pruckelius Med. Sept. vol 2. p. 34.*

93. *Terrores, Mœrores*) Vix quicquam eſt, quod æquè temperamenta corporis, aliàs laudabilia, activumque calorem evertat, quàm *graves animi ſollicitudines*; Videas hinc frequentiſſimè ab irâ, amore; luctu, terrore ſubitaneo, tum virgines, tum viduas, imò & maritatas hoc in mali genus præcipites dari. *Confer MS. curioſa anni 9. obſerv. 58. Gabelkof. Cent. 1. p. 155. Strauſſius. p. 381.*

93. *Terrores*) Quomodo ſuccurrendum menſium ſuppreſſioni ab hac cauſa inductæ, vide ſupra §. *Differentia à cauſis.*

94. *Seu propter internas*) Vide §. *Curatio ex.*

Menſes per aliena loca fluentes.

95. *Evacuationes nimiæ per alias partes, ut nares, hæmorrhoides*) Sanguis menſtruus aliquando per alias, præter uteri collum, vias effluit, per Os nempe (aut è faucibus, aut è ventriculo) Nares, Oculos, Aures, veſicam urinariam, Alvum, imò Cutim ejuſque poros, quod factum vidimus in capite inter capillos, unde magnus contingebat fœtor: Hujuſmodi vitioſi Fluxus cauſa duplex conſideranda, Prima, propter quam non effluat per uterum, Altera cur nunc per hanc, nunc per aliam viã: Non effluit per uterum ſanguis, non ſui culpa, (poſtquam per aliam viam effluit,) ſed uteri vitio: Vitia uteri in Suppreſſione menſium enumerata hic habent locum, ac imprimis Obſtructio vaſorum uteri à pituitâ craſsâ, lentâ & viſcosâ, & quidem ob frigus externum inſtantibus, ac præſertim fluentibus menſibus in uterum admiſſum, atque pituitam cum ſanguine fluentem coagulans, ipſiuſque uteri ſubſtantiam plus minus afficiens & condenſans: Impeditâ proinde naturali hac menſibus viâ, quoties ſanguis non tantùm redundans producitur in corpore, aſt conveniente tempore exitum naturalem quærens, ipſum non invenit, nec circa uterum diu ſubſiſtit, verum in maſſam reliquam revertitur, & cum eadem circulatur, quin ubique circa vaſorum orificia extrema, & ad corporis ſuperficiem appellens, ipſaque vaſa diſtendens, quâ priùs datâ portâ ruit effluitque. Effluit autem per vaſa tenuiora tenerioraque, utpote ipſius diſtentioni faciliùs cedentia, exitumque ipſi permittentia, Unde videas fœminas hæmorrhagiæ narium ſubjectas, per nares fluxum menſtruum patientes, & ſic porro, In quo autem conſiſtat illa diſpoſitio peculiaris ob quam per poros cutis, nunc in capite, nunc in latere, nunc alibi erumpat ſanguis menſtruus, fateor me aſſequi non poſſe: Non patitur tamen hactenus magnum detrimentum ægra, cùm ſufficiat ad ejus curationem vias ordinarias per uterum aperiri Medicorum arte, quia tunc ſponte in totum reſtituuntur: Aperientur autem viæ iſtæ, Fotibus Linimentiſve aromaticis, infimæ ventris regioni applicatis, præſertim aliquot ante fluxurorum menſium tempus: quo ſpectant, cæteriſque palmam præripiunt, Salia volatilia odorem potentem ſpontè exhalantia & oblongi colli vaſis infuſa, uterique orificio applicata, quorum ope feliciſſimè & faciliſſimè ſolvitur uteri obſtructio: Quòd ſi Sanguis univerſus multâ ſcateat pituitâ lentâ, incidatur illa; minuaturque medicamentis idoneis. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 3.*

α. *Superſedendum in talibus*) Humores deficientes ſemper ſimul reſtituendi, & ſemper aptanda aperientia ſpeciali eorundem vitio; Niſi enim ſufficienti quantitate abundet ſanguis & ſerum, ſucci vides; fruſtra fuerit pellere eoſdem & in motum citare; Cujus rei exemplum præbere poſſunt menſes deficientes: Omnis enim motus humorum per rei naturam humorum præſentiam requirit; nec ad fluendum aptari poteſt quod non adeſt; hinc & alimentis & medicamentis reſtaurandus humor; hinc illo caſu fruſtra ſunt omnia pellentia, etiam fortiſſima; fruſtra ſunt martialia ſiccantia & ſolida, ſæpe præſtant liquida & humectantia; *Wedelius Am. m. m, pag. 76.*

96. *Sunt verò & quæ rarò*) Vide §. *Curatio ex, n°. 5.*)

97. *Quæ rarò menſtruantur*) Contingit aliquando *ut menſes nunquam neque in virginitate, neque matrimonio apparuerint citra valetudinis incommodum*, Anna, uxor *J. Steiners* civis Poſnanienſis 37. annos nata, mulier egregiæ formæ, ſana atque vegeta, nunquam tam in virginitate, quàm matrimonio menſes paſſa eſt, ſed nunquam etiam prolem habuit, quamvis diverſis medicamentis ad promovenda menſtrua uſa fuerit: *Simon Schultzius Med. Sept vol. 2. p. 31.* Hildanus *cent. 5. obſ. 41.* hiſtoriam affert de menſibus perpetuo ſine noxa retentis, in muliere quadragenaria, ſeptem tamen liberos peperit.

98. *Sanguinis ſiccitate*) Fruſtra dantur Emmenagoga, in quibus adultis per ἰδιοσυγκρασίαν menſtrua non fluunt, ſeu illa ſit uteri ſiccioris, unde etiam aliquando partes genitales flaccidius ſubſident, pro frigidis quidem vulgo habitis, ſed revera calidioribus & ſiccioribus, unde & hæc ſterilitas fere eſt incurabilis, ſeu ſanguinis cumprimis, in quantitate & qualitate minus ad hunc motum diſpoſiti. *Wedelius.*

99. *Ab aduſtione cum tempore hyberno*) Unde uterus exuritur, menſtrua arefacta ſiccioraque reddita detinentur, & ſtrangulatũ uteri, ac pleraque alia mala concitant, ſive utero ad ſuperiora recurſante; aut menſtruis ipſis, quanquam citra putredinem, calorem quendam concipientibus, à quo uterus facile incandeſcit.

Cauſam hanc fuiſſe ex fœminæ relatu percipies, Signa ſunt quod huc illuc ſe jactat, animo deficit, pituitam cum bile vomit, ſitit vehementer, dum nimirum venter æſtuat, ad contactum dolet, febricitat interdum, urina ſupprimitur, & alvus, dolet ſpina & dorſum, turbatur lingua, ac voce aliquando privatur, ventriculi morſus adeſt, ac ſpiritus offendens ex flavâ bile, quæ caloris eſt ſoboles; Unde

etiam poſtmodum urinam habent rubram, dolet univerſum corpus, maxime collum, lumbi & inguina.

Curationis duplex eſt ſcopus, *Primus* ſanguinem & uterum contemperare: Secundus defectum evacuationis ſupplere. 1. Eſto *cibus* frigidus & humectans. 2. Vtendum potionibus contemperantibus & humectantibus. 3. Evacuantibus, quod primo ſtatim initio fiet, *ſanguine* copioſe ex utroque pede miſſo: deinde *ſalvatella*, diſtante jam menſium ſtatuto tempore: Deinde præmiſſâ per ſyrupos attemperatione leviter purgetur mulier potione aut bolo; Vel capiat per plures dies ſingulo mane unc. vi. *ſeri caprini*, aut *vaccini*, in quo per noctem maduerit unc. ß. *fol. ſennæ cum flor. cord. p.* ij. cum *ſacch. q. ſ.* Hic etiam Clyſter alvum lenit, partes utero vicinas contemperat & humectat.

℞. *Fol. malvæ, lactuc.* āā. *m.* j. *hordei p.* iij. *prun. n°.* xx. *coqu. in ſ. q. aquæ, Colat.* ℥x. *adde ol. violac. roſac. ſacch.* āā. unc. iß. *f. Clyſter.*

Subinde inungenda inguina, & loca muliebria ac totus inferior venter *ol. roſ. violac. amygd. d. de ſem. cucurb. melon.* addito etiam *ungu. roſato. Rod. à caſtro l.* 1. *cap.* 10.

[100] *Refrigerantibus*) Conſiderandum diligenter ne nos cauſa decipiat, nam aliis ex cauſis, ſuppreſſis menſtruis aut corruptis, frigida urplurimum nocent, quia magis impinguntur materiæ ex illis: Omnibus tamen ſanguinem per hirudines ex hæmorrhoidibus detrahere mirificum ſemper præſidium fuit. *Idem. ibid.*

[100]. *Refrigerantibus ac humectantibus*) Valent humida aperientia & aquea, quæ diluunt, abſtergunt & temperant, modo non ſint inertia, ſed particulis activis inſtructa; hinc & hic ſalia aperiendo non agunt, niſi ſoluta, ſoluta verò optimè. *Wedelius am. m. m. pagin.* 76.

[100]. *Refrigerantibus & humectantibus*) Si acredo adſit in ſanguine, tunc ab acribus abſtinendum eſt: Si verò auſteritas in ſanguine ſit, tunc multùm proſunt chalybeata, Si verò non adſit, tunc præſtat ſumere chalybem alteratum, ut *ſale martis* & ſimilia, & vinum in quo mars ſæpe ſit extinctus, *Prax. Med. Reform. cap.* 100.

Diæta.

Diligenti quoque cura & ſolicitudine *Diætam*, & quidem attenuantem, juxta *Galenum comm. ad* 36. *aph.* 1. obſervandam eſſe ex dictis in *αἱμολογίᾳ* liquet.

Sit itaque *Aer* purus & temperatus, vitetur frigidus, qui adſtringit, & craſſus atque nebuloſus qui obſtruit.

Cibi eligantur εὐπεπτοι, & condiantur *cinnamomo, croco, herb. roriſmar. thymi, ſalviæ, meliſſæ*, &c. Frequenter uſurpentur juſcula carnis, in quibus *radices petroſel. aſparagi, fœnic. cappar.* decoctæ fuerint; Fugiantur alimenta craſſum ſanguinem generantia, fumo indurata, lacticinia, fructus ὡραῖοι.

Potus ſit cereviſia bene defæcata, in qua dum adhuc fermentat herba *ſcolopendr. ceterach, meliſſa, flor. borrag. calend. aurant.* infundantur, Confert etiam *vinum Rhenan.* ſimplex, vel ex hujuſmodi herbis medicatum, additis *radicibus helen. flor. centaur. min. vinum abſynth.* commendat *Cæſalpinus lib.* 4. *de morb. gen. c.* 4. Confert etiam *decoct. cicer. rubr.* vitetur *frigida potus*, præſertim menſibus fluentibus, ne cum ſuppreſſione menſtrua uteri quoque dolores excitentur.

Somno utatur ægra pauco, ſed *Exercitio* frequentiori.

Aſſumptis reſpondeant *Excreta*, Sin minus *alvus adſtrictior* clyſterum uſu celeretur, vel *prunis laxat.* aut *Elect. de tamarind.* cum *fol. ſennæ* vel alio ſollicitetur.

Animi pathemata, præſertim mœror, timor, terror que & curæ edaces atque exſiccantes cane pejus & angue fugiantur, &c, *Strauſſius.*

Menſes per nares exeuntes.

Vt nares Nob. poſt annum ætatis XL. admonente ſanguinis menſtrui impetu, jam in mammis, ſæpe in gingivis, non rarò in extremitate narium pruritus inviſos experta, partem odioſâ titillatione moleſtam crebrò manibus perfricare ſolebat, inprimis nares, ut injuriæ huic magis expoſitas: Quo effectum, ut evacuatio menſtrua vicibus ſtatis in veſtibulo narium diu exerceretur, donec per iteratas venæ malleolos pedum allabentis ſectiones in alveum ſuum humor ſolennis revocaretur. Nec difficile fiat in illo corpore ſanguinem huc illuc promovere, ob ſummam quâ æſtuabat mobilitatem, qua impellente ſæpe notavi præſens maculam in brachio, manu, crure, ſubito, & ſine evidenti cauſa obortam, & minutam illam, ante quadrantis horæ lapſum in eam excreviſſe amplitudinem, ut volam manus æquaret, initio rubens, mox livida, tandem varia. Adeo ut Medici non aſſueti his mutationibus pronuntiarent ſtatim nihil illa Domina morboſius & ſcelotyrbe afflictius reperiri. Interea quoties ſectâ venâ ſanguinem mittebar, nihil eo purius integriuſque deprehenſum, Erat enim ſanguinis ejus ingenium, ut (quemadmodum vinum recentius, & cereviſia adhuc calens) deſpumando fæces ſuas extra ſe protruderet, ipſe inautaminatus.

Libuit accuratiùs recognoſcere, unde tam ſubitò erumperent maculæ illæ, demumq; notatum mihi, quoties inſtabat iſtiuſmodi phænomenon, pattis ſubjectæ vaſculum aliquod ſanguineum, licet tenuiſſimum, ampliari rantillum, & mox per diapedeſin guttulam cruoris extra alveum ſuum propelli, quæ denique in anguſtiis carnis cutiſque luctata, quaquaverſum ſeſe diffundens, & mox addenſata hanc ſenſim varietatem coloris invexit: Id in labris, & ubi tenuitas cutis patiebatur, id in reliquis ſubinde partibus obſervarum: Sed quid vaſcula illa ita ampliavit? frequentior in ſanguine, niſi decipit augurium, acidi & ſalſi pugna in flatus deſinens. *Olaus Borrichius. M. S. vol.* 2. *p.* 36.

Menſium per Os exeuntium curatio, ſeu per Vomitum.

Virgo 21. ann. plethorica, corripitur aliquando poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem improviſo vomitu ſanguinolento per 3. dies continuante: Ex conſilio vicinorum ad compeſcendum vomitum *aquâ menthæ ſimplici* utitur, cum ſucceſſu; At menſe elapſo eodem vomitu redeunte, illum ſimiliter ſiſtit, idque toties quoties ab hoc vomitu affligitur: Tandem virium exquiſitus languor, appetitus planè depravatus, Capitis dolor continuus, lumborum & crurum extrema gravitas, reſpiratio maximè difficilis & alia quæ circa ſuppreſſionem menſium contingunt, accedunt.

Cùm viderem vomitum hunc ſingulis menſibus ſemper circa novilunium & conſuetum tributi lunaris perſolvendi tempus accidiſſe, Virginem eſſe plethoricam & ſuppreſſioni menſium obnoxiam, Vomitum hunc cruentum non à ventriculo, non ex pancreate, non hepate aut liene provenire, ſed nihil aliud eſſe quàm menſium in utero ſtagnantium & per os exeuntium expurgationem à naturâ vegetâ. & ſanguini ſtagnanti exitum quærente inſtitutam ſignificavi, hinc de præſcribendis aperientibus anſam cepi.

℞. *Rad. valer.* āā. ʒj. *cichor. filic.* āā. ʒß. *bryon* ʒij. *irid. noſtr.* ʒv. *gialapp. ſpir. vini irror* ʒj. *herb. Cuſ. ut. meliſſæ, puleg ſcolop.* āā *m.* j. *fol. ſenn. el.* ℥ ß. *ſumm. abſynth. pont. m* ß. *Flor. geniſtæ, cheiri* āā *m* ß *centaur min. m.* j. *Semin. aniſi, fœnic.* āā. ʒii. *cartham. probe contuſi* ʒi.

Cinnam.

Cinnam. maceris, ãã. ℨj. *ſalis tartari* ℈iv. *Ex concisis contuſis.* f. vinum medicatum.

Hoc cum officio ſuo deeſſe non videretur excepit V.S. in talo, tribus ante novilunium diebus, quam ſequuta eſt ſequ. Elect. & ſubſequ. miſturæ præparatio.

℞. *Conſerv. rad. ſcorzon. cichor. ãã.* ℥iß. *fumar. meliſſ. borrag. ãã.* ℥ß.
Condit. cortic. aurant. citri ãã. ℨiii.
Spec. diarrh. abb. diapler. archont. ãã. ℨi.
Pulv. *rad. cichor. cortic. capp. ãã.* ℨii.
Limat. martis ſubtiliſſ. ℥ß.
Brod. rad. cichor. cond. ℥ii. *f. Cond. it. MS.* ℨi. *hora q. matut. & quarta veſp. corpus modice movendo.*
℞. *Eſſent. Mart. aper. cum ſale Arm. parata* ℥ß. *tinct. Tart.* ℨii. *Elix. Propr.* ℨß. *f. miſtura, Doſis gtt. ſ. hora 6. matut. & ſ. veſpert.*

His adhibitis, & per intervalla repetitis purgantibus diætâ exquiſitâ obſervatâ, vomitus cruentus unicâ duntaxat vice rediit, & exiguâ quantitate, poſtea planè emanſit, *Benjamin. Scharfius M.S. vol. p.35.*

Menſtrua per apoſtema in genu excitatum exeuntia, Et per vomitum.

Virgo 18. ann. in ſiniſtro genu duplex apoſtema, ex utraque parte unum, à primâ juventute à naturâ effictum geſtans, anno æt. 19. menſtrui fluxus ſuppreſſione laborare cœpit, ſed mox præfinito menſtruorum tempore per apoſtematis interioris foramen, ſanguinem in ſufficiente copiâ effluentem percipit, dein & vomitum ſanguineum; quem fluxum jam ſingulis menſibus per loca iſta inſolita redeuntem totius anni ſpatio experitur. His acceſſit tumor pedum, inflatio hypochondriorum, diarrhœa, atrophia, fluxione tamen ſanguineâ per dicta loca menſtruatim continuante, At inſignis languor miſeræ quotidie mortem minitatur. *Simon Schultzius.*

Menſtrua per poplitem prodeuntia.

Fœmina agreſtis, opulenta, anno æt. 34. tertium gravida, poſt primam ſtatim menſium retentionem pati incipit ſanguinis profluvium ex poplite ſiniſtro periodicum; Primis menſibus tanto impetu ſanguis erupit, ut de eo vel potentiſſimis remediis ſiſtendo ob effluxus metum cogitaret; ſed poſt tertium geſtationis menſem citra ullum impetum & fere guttatim ſanguis manabit? Sanguis autem fluebat continuè noctu ac interdiu, donec periodus, quæ tribus primis menſibus trium dierum naturalium, & ſex horarum ſpatio terminabatur, poſt 2. dierum & aliquot horarum ſemel tantummodo unius diei & x. hor. ſpatio durabat, abſolveretur; A me monita profluvium hoc in beneficium convertere naturam, quo ſoleat à ſuperfluo onere ſe liberare, deſiit ampliùs ejus ſuppreſſionem moliri, Naturaliter multo ſanguine abundabat, eoque volatili, acri, fervido & bilioſo, vitam etiam ſedentariam agebat, Legitimo tempore filiolum ſanum enixa eſt. *Alardus Hermannus Cummius M.S. vol. 2. p. 37.*

De menſibus per Podicem effluentibus.

Ab *ulcere ſinnoſo à cervice uteri rectum inteſtinum permeante*, ſanguinis menſtrui fluxus per podicem, præternaturaliſque omnino hæc illius excretio fieri poteſt, Nam quòd circa illud ſanguinem menſtruum ſuppreſſum, quo minùs per uteri ſinum poſſit effluere, natura per vicinum podicem expellat, illicque ſibi viam faciat, uti aliqui docent, haud credibile; cùm nulla continuatio venarum menſtrualium, quæ à venâ Cavâ, & hæmorrhoidalium quæ à Portâ deſcendunt; illic appareat, & proin ſanguis eo minimè niſi per apertam viam, ulcus ſcilicet, aut vulnus, poſſit tranſmeare. *Platerus.*

Fœminæ poſt dyſenteriam indolentem, ordinariè menſes per alvum fluxerunt, ſummè cachecticæ; Cauſata ſeu malè olim in partu tractatam, unde novâ viâ menſes eruperint, relictâ veteri. *Thom. Bartholin.*

Fœminæ XLI. ann. Medicinam feci quæ ab viij. annis menſes per uterum non viderat, ſed ſemper per Anum. Ajebat ſe à partu exantlato primitùs hoc præpoſtero fluxu tentatam, & adhibitis medicamentis quaſi reſtitutam fuiſſe: Sed cùm ingravidata denuò eſſet, iterum priſtina legiſſe ſanguinem veſtigia, quod quidem tolerabile eſſet, niſi immodico exeuntis ſanguinis diſpendio vires labaſcerent, & diarrhœa utplurimùm ſimul jungeretur, Adhibitis *Martialibus anticachecticis,* leve quidem ſentiebat levamen, ſed diuturnitate *affectus* fractis viribus occubuit anno ſequente.

Sanguinem quo fœminæ exſolvuntur, varias p. n. & extraordinarias vias interdum ſibi quærere notum eſt, adeo nempe rata & ſtata periodo, ad uterum decumbit, & exitum affectat, ut obſtructis ibidem viis, qua data porta, fermentantis ſui ſucci depletionem urgeat, neque locis licet inſolitis erumpens, niſi id nimio fiat impetu, ullo ſe patitur adſtringi modo, Hinc ſubſiſtentes menſes in virgine, lacrymis ſanguineis prodeuntes *Dodonæus obſ. 15.* Curavit ſanguinis è talo miſſione; aliis denique locis, erumpentes quantum licet ad uterum ſunt revocandi, quo nomine ſæpe peccant medicaſtri & Agyrtæ: Matrona ante paucos annos vomitu cruento laborans, ſubſiſtentibus menſibus à Tonſore accepit medicamentum ſiſtens & adſtringens, quo hauſto reſtitit quidem ſtatim ſanguis, ſed intra pauciſſimas horas vitam cum morte commutavit, quæ ſaniſſima videbatur.

In noſtro caſu poſſet quidem in partum morbi occaſio referri; ſed cùm denuo poſt conceperit, dubium hæſit an exulceratione quadam, vel via manifeſta ab utero potuerit ſanguis ad anum derivari: Quare licèt concedi id poſſit, à conformatione læſâ menſes non reperiſſe vias ut ante patentes: attamen cùm ægra ſalſis, acribus humoribus valde abundaret, credibile eſt potiùs reſtagnaſſe primum in corpore ſanguinem, hinc acredine ſalis ſtimulata eſſe vaſa inteſtinorum, ut tandem illuc ordinariè confluxerit excretioni dicatus ſanguis, quod & exinde patet, quia non modò olim, adhibitis commodis medicamentis reſtituta fere fuit, verùm etiam noſtris aſſumptis levamen aliquale ſenſit, diarrhœa conjuncta eidem ſalis ſtimulo ſuam debet originem. *Wedelius.*

Menſes cum inſolitis ſymptomatis prodeuntes &c.

Veſiculæ pone aures ante fluxum orientes.

Matrona 38. annos nata, conſtitutionis tenerioris, melancholiæ hypochondriacæ ſubdita, ſemper ante fluxum menſtruû ordinarium, à naturâ ſat paucum, xviii. ætatis anno initium ſumentem, binas veſiculas poſt ſingulas aures, prævio capitis dolore, levique vertigine percipit, quæ ſponte aperiuntur, effluente tantillo ſeroſo humore citrini coloris, qui cum fluere deſinit menſtrua incipiunt, ſed pauca. Sunt iſtæ veſiculæ ordinarii appropinquantis fluxus prodromi. *Cor. Franc. Paulinus M.S. v. 2. p. 34.*

Sudor in menſtruatis.

Nihil tam in medicinâ perpetuum, quin variet pro perſonarum temperamentorumq; diverſitate, Regula communis eſt, Menſes vel impediri vel retrahi oborto ſudore, quippe vehiculo per ſudorem ſublato, ſanguinis fluxum ſiſti; Aliter tamen evenit duabus Matronis, quib. ſudores copioſi prodeũt, quoties mẽſiũ fluxus vel adeſt, vel

inſtat, quos ſudores ſi cohibeant, ſeriuſque excipiant, dolores capitis febreſq; ſubſequuntur: Nonnunquam parciùs alteri fluentes, per vomitum exeunt; Utriuſque autem humoris melancholici, quo ſeu naturali propenſione, ſeu mœſtitiâ accidentali abundant, copia ſanguini defluit, ut liquidior ſit, & pro fluxu menſtruo, & ſudoris evacuatione ſufficiens, Melancholicos vero & ſpleneticos ab ſero ſeroſo. *Hippocr.* notat. *Th. Bartholinus.*

Menſes frigidi.

Quam miranda circa menſes contigerint ſymptomata & phænomena latiùs hinc inde legere, Quoad ipſum verò effluxionis ſenſum, calidi, acres, dolorifici, frequentiùs obſervantur; quin & nigricantes obſervavimus, aſt rariores paulò & inſoliti magis actu frigidi: Virgo xxii. ann. habitus corporis aljàs ſqualidi & ſiccioris, ultra annum hactenus menſes quidem ordinariè experitur, aſt cum moleſto actualis frigoris in exeundo ſenſu, & ſæpiùs quoque non tam de horripilatione, quàm frigoris quoque conſimilis in corpore moleſtia conſecuta eſt. Conſultus miratus ſum inauditum fere de ſanguine caſum; Neque enim pituitoſus fluxus unquam fuit, ut ad pituitæ vitreæ exempla referri potuerit, Si quid dicendum, vix videtur alia melior aſſignari cauſa poſſe, quàm quæ ab inæquali humoris acidi cum ſanguine intimiùs remixti occurſu ad partes membranoſas petitur, unde cùm averſetur illam lationem Archeus, ſub ſenſu frigoris illam concipit, Et niſi remedium adferatur naturæ, vix diutiùs ſufferre potuerit iſtum ſtatum, fotum ſine dubio à cruditatibus acidis circa inteſtinalium glandularum poros ſtagnantibus.

Propinatum hoc fine fuit *Elixir uterinum & propriet.* uuà cum *ſpir. ſalis armon. & ol. caryoph. gtt.* j. *vel* ij. illo cum effectu, ut in meliùs verſum fermentum vitioſum jam extinctum appareat; Hoc verò cum abſorbente pulvere ad gtt. 25. fuit remedium præcipuum.

Meminit menſium frigidorum, καταμηνιῶν ψυχρῶν *Hippocr. 1. de m. m. cap. 22.* phænomenon hac ad ſterilitatis cauſas indagandas adhibens: Statui poſſunt eo caſu abundare humores acidi, vel nitroſi; qui & alia patitent, & ſenſum hunc frigoris particulis ſuis quadratis & peregrinis in corpore adhibent. *Wedelius.*

Appendix de Menſtruorum Paucitate.

Parciùs ac cum Sanitatis detrimento, fluunt quibuſdam fœminis menſtrua, cùm vel quovis menſe minori quantitate profluunt, vel aliquando tantùm id evenit: Neque novum menſes profluentes ſiſti, qui proinde tunc minori quantitate profluxiſſe dicendi ſunt.

Sicut autem hæc ſpecies poſterior convenit in Cauſâ & productione cum eorundem *Menſium ſuppreſſione*, ita eodem curari debet modo, uſurpando ſcil. quantocyus *aromatica* vel *ſalia volatilia*, & componendo corpus ad ſudorem promovendum, continendo ſaltem ipſum, ac præſertim uterum in loco, quo ad ipſum quamprimùm penetret vis medicamenti, & ſolvat obſtructionem factam; vel ad ipſum propellat denuo ſanguinem ab utero in terrore aut triſtitia retractum.

Agimus verò hic præſertim de ſanguine quovis menſe parciùs effluente, cujus cauſa vix unquam in ſanguine ipſo quærenda, utplurimùm invenienda in *uteri vaſis*, & cavernosâ ſubſtantiâ.

Nam ſi ſanguis eſſet glutinoſior, paulatim ceſſaret ipſius effluxus; productâ in ejus vaſis obſtructione, quod tamen rariſſimè obſervatur factum, niſi ab aliis in diætâ commiſſis erratis.

Exiſtimo igitur ſi non ſemper, utplurimùm ſaltem in *Cavernosâ uteri ſubſtantiâ, & ſui generis vaſis quærendam Parciùs fluentium menſtruorum cauſam*; & quidem, ſi rectè conjecto, in uteri ſubſtantiâ ſtupidiore, atque circa meſtruorum tempus minùs cavernas ſuas & vaſa expandente, & imprimis propter pituitam copioſiorem ac ſæpe viſcoſam in ipsâ hærentem.

Pituita enim partibus quibuſvis adhærens facilè eaſdem in motu ſuo qualicunque torpidiores ac ſegniores: quod idem accidit utero, qui fluxu menſtruorum inſtante ſingulari ſenſu concitatur, atque ad cavernoſam corporis ſui ſubſtantiam explicandam excitatur.

Quod ſi à pituitâ nimiâ undecunque tandem in ipſo reſtitante obtuſior reddatur, ad notatum illum ſtimulum perficiendum Vterus, non mirum ſi præterea minùs ſuccedat peculiaris partium ipſius motus, in cavernularum ſuarum expanſione manifeſtus.

Sed nec mirum, ſi non tantùm minùs explicentur, aperianturque ductus in utero cavernoſi, ſed iidem inſuper concidant, claudanturque iterum ſolitò citiùs: Vnde utroque nomine accidit, parcior evenit menſtruorum effluxus, & ratione Viarum minùs patentium, & ratione viarum citiùs clauſarum.

Quòd ſi Pituita quævis, ac imprimis glutinoſior, uteri ſubſtantiam obſidens, cauſa eſt Fluxus menſtrui parcioris, ad hujus *Curationem* opus erit, ut inde non tantùm removeatur Pituita, verùm prætetea utero introducatur conſtitutio pituitoſa, ſi non plane, contraria certè tantillum ſaltem diverſa, ipſaque excitetur à ſuo ſtupore: Vtrumque autem obtinebitur per medicamenta, in ſuppreſſione menſium laudata, tum aromatica, tum Sale volatili & oleoſo conſtantia, interne, ſed externè imprimis uſurpanda, ſic enim citius & potentius penetrabit eorum vis ad interiora, excitabitque obtuſum uteri ſenſum, & pituitam ſolvet ac educet per ipſius collum & pudenda.

Quòd ſi præterea univerſum corpus & ſanguis glutinoſâ pituitâ fuerit obſitum, ejus quoque tum emendatio, tum diminutio per evacuationem, per alvum & urinam erit molienda. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 3.*

Eadem remedia conveniunt in *Paucitate menſium*, quæ in ſuppreſſione à ſubito terrore inducta, (*vide artic.* iij. *de menſ. ſupr. §. Differentia à cauſis*) Si parcius illi fluunt, cujus ſignum eſt, quòd mulieres tales patiantur ſub fluxu *anxietates*, Si non conſuetâ quantitate fluant menſes, ſi conquerantur de *palpitatione cordis, difficili anhelitu, de dolore pulſatorio circa* lumbos, tunc curanda venit, & conveniunt omnia ea, quæ aliàs appropriata ſunt ad menſium fluxum promovendum; Et quidem ſi magis urgeat malum, conjungenda *venæ ſectio in* pede &c. convenit e. g.

℞. *Tinctur. vitrioli martis zvvelferi* ℥ij. *Eſſentiæ croci, caſtor.* āā. ℥j. *m. detur ad 30. vel 40. guttas aliquoties in die in vehiculo calido.*

Mulier nonnihil corpus exerceat blando motu. Vel

℞. *Spir. ſalis armon. liquoris cornu cervi, ſuccin.* āā. ℥j. *MS. dentur guttæ 30. vel 40.*

Eſſentia ſplenis bovis compoſita etiam optima eſt.

℞. *borac.* ʒß. *myrrhæ gr.* xv. *cinnam.* ʒß. *M. f. pulvis* in iij. *partes dividendus.*

Quandoque etiam loco *venæ ſectionis* in tali caſu, *cucurbitulæ* ſine ſcarificatione poſſunt applicari *cruribus* vel *femoribus* in regione ſuperiori internâ.

Zacutus Luſit. applicavit *hirudines* orificio uteri externo. *Etmuller.*

CAP.

Cap. XV.

De Menſium ſtillicidio, & difficultate.

1. *Menſium ſtillicidium eſt ſanguinis menſtrui, vel* [2] *plurium dierum, vel continua,* [3] *guttatim tamen facta eruptio.*

[4] *Signis* opus non eſt, cum vitium mulieris relatione pateſiat.

[5] *Cauſa* vel in externis, vel in ſanguine, vel in vaſis conſiſtit.

[6] *Curatio* rationem Cauſarum ſequitur.

[7] *Differentia* à Cauſis ſumitur.

Alia eſt à *Cauſis externis*, Exercitio, calidis medicamentis & aliis ſanguinem fundentibus, & vias aperientibus: & tum, major eſt ſanguinis profuſio.

Alia à *Sanguinis feculentia*, viis non ſatis patentibus; & tum, cum dolore accidit. In Curatione venæ in brachio apertio locum habet. Purgatio per ἐπίκρασιν urgeri debet.

Alia à *Retentricis imbecillitate*, accedente ſimul ſanguinis copiâ, tenuitate, & ſeroſitate: & tum, nullus dolor urget, medicamentis adſtrictione & ſiccitate uterum roborantibus agendum.

II. *Menſium difficultas eſt eorundem cum dolore & moleſtia, gravibuſque ſymptomatibus, ob venarum vel ſanguinis vitium* [8] *fluxus.*

α. *Signa* ex ipſius ægræ relatione ſumuntur. Dolores illi ſunt, capitis, ventriculi, lumborum, & [9] infimi ventris. Fluxus vel fit confertim, vel [10] tantum per modum ſtillicidii, & [11] interdum inſtantibus menſibus, interdum fluentibus, ſymptomata accidunt, [12] magiſque virgines & ſteriles, quod venæ uteri minus in ipſis pateant, quàm eas quæ peperere, quòd eædem poſt partum ſint dilatatæ, affligunt.

De *Cauſis* in Differentiis agetur.

Curatio reſpicit, I. *Symptomata*, quæ mitiganda ſunt. II. *Cauſas*, quæ tollendæ.

Differentia ſumitur à Cauſis.

Alia eſt à *Venarum anguſtia*: de qua ſatis de Menſium ſuppreſſione actum eſt.

Alia à [13] *ſanguinis vitiis*, id eſt.

I. *Craſſitie & feculentia*: & *tum* [14] ſanguis dum evacuatur, in grumos concreſcit, dolores longè ante evacuationem: ob expultricis conatum ingraveſcunt.

[15] *Curatio*, præmiſſis univerſalibus, per attenuantia, & fundendi vim habentia perficitur.

II. *Acrimonia, ab humorum acrium permiſtione profecta*; & *tum*, partes genitales pruriunt, ſanguinis excreti natura, & modus doloris morbum prodit. [16] Acrimoniam temperantibus, ut ſunt ſemina quatuor majora, violæ, flor. nenupharis, agendum.

III. *Flatulentia*; & *tum*, dolor per intervalla redit, ſubitoque exacerbatur, hinc inde vagatur excreto flatu ceſſat.

Curatur Evacuatione materiæ, & diſcuſſione flatuum.

---

1. *Menſium ſtillicidium eſt ſanguinis &c.*) Eſt fluxio diuturnior, qua ſanguis parce ac ſenſim illabitur, interdum quidem purus, interdum grumoſus, interdum ſeroſus, & quadam ſaniei ſpecie idque aliàs aſſiduo, aliàs ex brevioribus intervallis. Rarius junioribus, ſæpiùs ætate provectis contingit, antequam omninò ceſſent menſtrua. *Primiroſius l. 1. c. 8.*

2. *Vel plurium dierum*) Diutiùs ſolito perdurat Fluxus, aliquando ob ſanguinis laudabilis abundantiam, viaſve anguſtiores, quandoque ob ſanguinis fluiditatem ac ſeroſitatem auctam, viaſque ſimul anguſtas: Et aliquando ob vias uteri patentiores, nec ſat citò denuo ſe contrahentes & coarctantes: Uterumque adeo debiliorem: Aliquando ob animi affectum gravem Aëris æſtum præſertim humiditati junctum; nimium corporis motum, vigilias; Alimenta nimis aromatica, vel abuſum medicamentorum menſes potenter moventium &c. *Franc. Sylvius Pr. lib. 3. cap. 3.*

3. *Guttatim tamen facta*) Comparat hunc affectum *Aetius* urinæ ſtillicidio, ſtranguriæ ſcilicet & dyſuriæ, in quibus urina ſtillatim profluit, aut ſine aut cum dolore. Ideo *Platerus.*

3. *Guttatim tamen facta*) Nonnulli perſuaſũ habent diminutos menſes, & eorum ſtillicidium eundemque eſſe affectum, ſed falluntur, ſtillicidium enim menſium potiùs ad nimium eorum fluxum pertinet, quia licèt guttatim ſolùm ſtillent, tamen cum dies fluunt, longoque tempore mulieribus moleſti ſint, nimii magis quam pauci cenſendi ſunt. *Sebiſius manu. p. 1557.*

4. *Signis*) Affectum ipſum mulier patiens indicare poteſt, cauſas autem hæc indicia oſtendent, Plenitudinem; (quamvis raro ſtillicidium pariat) indicant gravitas, totius corporis laſſitudo, lumborum graviſque rerum dolor, præſertim inſtante fluxu, capitis dolor, manuum torpor; crurum ſtupor. ob ſanguinem partes circa uterum nimis replentem; cùm autem excernitur, purus, tenuis, ruber apparet.

Imbecillitas facultatis cognoſcitur, ſi excretio ſit citra moleſtiam, & interdum etiam citra fœminæ ſenſum, ſi calorificis auxiliis major ſanguinis profuſio contingat, agitato à calore ſanguine; & oris reſeratis.

Sanguinem pituitoſum oſtendit ipſius color, nam albicans eſt, craſſus, mucoſus; fœmina ipſa alba eſt, pigra, tarda ad motum, ſomnolenta, pudendumque habet humidum, madens, mucoribus plenum.

Fœculentus vero *ſanguis* eſt craſſus, niger, interdum tamen quidam tenues ichores ſimul effluunt, & acres, ut ſolet melancholicorum ſanguis aduſtus eſſe ichoroſus, Fœmina ipſa eſt ſubnigra, mœſta, hirſuta, & interdum valde iracunda.

Tenuis ſanguis ex conſiſtentiâ cognoſcitur, tum quia mordacitatem, dolorem, & quandoque pudendorum exulcerationem parit, Præceſſit victus ratio calefaciens, corporiſque habitus ad calorem inclinat; Poteſt tamen eſſe tenuis ſine acrimoniâ, ſi ſeroſo multo humore diluatur, humorumque in corpore dominantium ſigna adſunt.

Quòd ſi paucus ſanguis, & quaſi guttatim cum dolore excernitur, impurus, ſanioſus, purulentus; *eroſionis* certum eſt indicium; aliquando etiam ulceris ſimplicis, aut maligni.

Si craſſus fæculentus, ſimulque acris fuerit ſanguis, ſtillicidium cum dolore eſt, ſanguiſque grumoſus interdum excernitur. *Primiroſius.*

5. *Cauſæ*) Secundum *Aetium* cauſæ ſunt quinque, *cap. 63. tetr. 4. ſerm. 4. Prima eſt meatuum anguſtia*, non totalis, hæc enim ſuppreſſionem facit, ſed imperfecta, per quam libere & liberaliter ſanguis fluere non poteſt.

Secunda eſt *virium debilitas*, quæ continere ſanguinem non poteſt, unde ſenſim effluit, nec in vaſis ad conſuetum tempus uſque conſervatur, ut mulieribus natu grandioribus, & tunc ſine conatu, dolore, & irritatione, imò etiam citra ſenſum plerumque contingit; eſtque ſanguis ſeroſior, & fieri poteſt in iis, quibus jam naturæ lege ceſſarunt menſtrua, ex naturali corporis imbecillitate, aut partis alicujus vitio.

Nec debent ejuſmodi mulieres credere ſe adhuc eſſe menſtruales; non enim quilibet ſanguis ex utero prodiens menſtruus eſt; ſicut hoc modo, eademque cauſa viris hepaticus fluxus contingit; Poteſtque ſanguis non ſolum eſſe ſeroſus, ſed etiam rutilus, grumeſcens, interdum fœtens, niger, ſanioſus, ut in fluxu hepatico etiam contingit, quandoque ſanguis retentus in utero alteratur.

Tertia cauſa eſt ſanguinis multitudo, qui vias excretioni deſtinatas obſtruit; quæ tamen cauſa non mihi videtur probabilis; ſi enim ſanguis rectè ſeſe habeat in ſubſtantia & qualitate, viæ non ſint obſtructæ, ſimulque ſit copioſus, vel conſuetum tempus anticipabit, vel ſi illud expectet, immodicum menſium profluvium excitabit.

Quarta cauſa eſt *ſanguis pituitoſus.*

Quinta eſt feculentus, quia enim ejuſmodi ſanguis lente fluit, paulatim exit, obſtructionem, etſi non omnimodam parit; unde quod tenue eſt tranſcolatur, quod craſſum eſt intus manet. Verum hæc cauſa non eſt illius profluvii, quod aut aſſiduo, aut brevibus ex intervallis fatigat, ſed illius quod conſuetum tempus expectat; vel poſtponit.

Probabiliter tamen etiam alii alias cauſas addunt, ſcilicet *venæ eroſionem*, modo ſimplicem, modo ulceri conjunctam, quæ nonnunquam in utero, modo in ejus cervice conſiſtit; Vel *ſanguini craſſitiem cum humorum acrimonia* conjunctam, inde ſanguis irritat expultricem: & quoniam ob craſſitiem libere fluere nequit, guttatim & cum dolore excernitur. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Malum grave eſt, curatu difficile, periculoſum, nam febres, hydropem mortemque inferre poteſt, & ut quibuſdam pudendorum exulcerationem ſi ſanguis acrior fuerit. *Primiroſius.*

Affectus mulieribus gravis, qui eas & ſteriles reddit, & viris ingratas, tabi aliiſque affectibus obnoxias; quibus etiam mors ab exhauſto ſuccedere poteſt. *Primiroſius.*

6. *Curatio rationem cauſarum*) Vaſorum anguſtia pro diverſitate cauſarum varianda eſt, Et quoniam ut plurimùm ab humore craſſo dependet, vena primùm erit ſecanda, dein attenuantibus & incidentibus erit utendum, cibis, potibus, medicamentis, balneis, inſeſſionibus, cavendo à nimium reſiccantibus, ne ſanguinem craſſiorem reddant; *Peſſarium ex aloë* commendatur, quia vias rarefacit & ſanguinem fundit; quod non eſt verum, nam potiùs ſupprimit; *Clyſteres uterini* proſunt, ſicut & *unguenta emollientia & attenuantia.*

Si *facultas* ſit *imbecilla* S. m. & purgationem rectè prohibent omnes: Sed *Mercatus*, quem *R. à Caſtro* ſequitur, naturam præterea irritant clyſteribus uterinis, ex *ſucco Mercurialis* cum *fermento & aloë*, tum iis quæ menſes movent, interius & exterius: Verùm hæc eadem curatio eſt cum priori causâ, nam expultrix ſemper agit ſi ſanguis ad fluendum paratus eſt; & viæ patentes, quinetiam prædicta facultatem non roborant, ſed ſanguinem fluxilem reddunt, vias aperiunt: Retentrix autem imbecilla roborantibus emendatur; quæ ſiccant & adſtringunt juvant, ſiccitas enim retentionem juvat, quam humiditas labefactat.

Plenitudo ſanguinis ſi adfuerit, ea demenda eſt victu parciori, & V. S. in brachio, non in partibus inferioribus, ne ad uterum ſanguis magis attrahatur, *Cacochymia*, quæ ſanguinem inficit, levioribus medicamentis ſæpius repetitis per epicr. ſin tollenda; *Pituita incidenda*, dein pharmaco *evacuanda*, tum demum *diuretica*, *ſudorifica ex guiaco. ſalſâ. chinâ*, uſurpari poterunt, ac etiam *thermæ ſulphureæ*, ſi prioribus malum non ceſſerit: *Fæculentus* verò ſanguis emendatur probâ victus ratione, hæmorrhoidum provocatione, purgatione melanagoga, & aliis quæ atræ bili conveniunt.

Acrimonia ſanguinis temperatur blandâ humorum catharſi, cum decoctis & ſyrupis refrigerantibus, ex *malva, alth. violar. portulac. cichor. borrag. lactuca, papav. &* ſimil. commendatur *ſyrup. de mucilag.* Quæ demum urinæ difficultati, aut calidæ intemperiei conveniunt, huc referri poſſunt.

Exulcerationis & Eroſionis remedia ſuo loco proponuntur.

Sanguinis craſſities & acrimonia V. S. purgatione blanda, refrigerantibus ſimulque attenuantibus emendatur in *ſero lactis*, in quo *fumaria*, *borrago, cichor.* & alia coxerint.

Si diutiùs ſanguis fluxerit, corporiſque vires jam ſint labefactatæ, adſtringentibus utendum. *Primiroſius.*

7. *Differentia*) Ejus affectus variæ ſunt differentiæ, nam vel conſuetum tempus expectant, tunc autem non ἀθρόως, ſed ſenſim & lentè, ac forſan etiam diutiùs profluunt, donec quicquid ſuperfluum eſt, ob viarum anguſtiam, obſtructionem aliquam & ſanguinis craſſitiem vel ſtillant ſimul, & parciùs etiam profunduntur, & ad *Paucitatem menſium* referuntur: Vel tempus conſuetum non expectant, nullumque obſervant, ſed quoties fluunt longo tempore durant corpuſque tandem abſumunt, & potiùs ad *menſium fluorem* immodicum referri debent, quàm ad parcum; aſſiduo enim fluxu non ſolum quod ſuperfluum, ſed etiam quod corpori neceſſarium eſt, tandem evacuatur. Profluunt autem vel indolenter, vel cum gravibus ſymptomatis, *Primiroſius l. 1. c. 3.*

8. *Fluxus*) Ratione *excreti* videtur actio diminuta: Ratione *modi excernendi*, depravata; Similis

planè

planè affectio ſtranguriæ, in quâ cum dolore urina prodit. *Primiroſius.*

⁸. *Signa ex ipſius ægræ*) Nam ante menſium eruptionem per dies aliquot patitur lumborum, imi ventris, capitis dolores, ventriculi morſus, palpitationes, inquietudines, animi deliquia.

Concretus ſanguis cognoſcitur ſi grumoſus exit, tunc dolores levantur, iterumque redeunt, & longe ante excretionem exacerbantur, quoniam natura per anguſta vaſa ſanguinem expellere nititur.

Si *flatus* adfuerint, dolor erit tenſivus, rediens per intervalla, ſubitoque exacerbatur, flatuque excreto ceſſat; vagi in lumbis & ilibus dolores fiunt, & varia ventris inferioris murmura.

Humoris acrimonia cognoſcitur colore excreti humoris, pruritu genitalium, dolore ulceroſo, conſtitutione corporis, & antecedente victus ratione.

Ulcus adeſſe oſtendit ſanies cum ſanguine miſta, dolor fixus, aliaque ulceris ſigna. *Primiroſius.*

Corpus eſt inquietum ob dolores excitatos; Cor afficitur à tetris halitibus, qui ortum ducunt à ſanguine commoto; Ab iiſdem etiam aſcendentibus infeſtatur caput, Lumbi & femora præcipue cruciantur, quoniam ſanguis deorſum ad uterum tendit, Et quia copioſus eſt ſuâ copiâ lumborum crurumque vaſa diſtendit doloremque efficit. *Sebiſius.*

⁹. *Infimi ventris*) Solet interdum adeſſe dolor quaſi colicus & nephriticus, quia ſanguine craſſo tota inferior abdominis regio ſcatet, non ſolùm uterus, ſed etiam renes, unde eodem tempore renes compatiuntur, arenulas gignunt, ſimulque ſanguis liberè non fluit. *Primiroſius.*

¹⁰. *Tantùm per modum ſtillicidii*) *Aetius cap. de ſtillic. Uteri*, in cura ſolum dolorem curandum ſibi proponit, At non omne ſtillicidium eſt cum dolore, nec ſemper dolor cum ſtillicidio, Interdum enim menſes ſuo tempore & copioſè, ſed difficulter & cum labore erumpunt, ſicut & ſtillicidium ſæpe etiam dolorificum eſt, quando ſcil. ſanguis prodit guttatim, & cum dolore ſine ordine, & per intervalla & cum gravibus ſymptomatis. *Primiroſius l. 1. c. 4.*

¹¹. *Interdum inſtantibus menſibus*) Adeſt dolor vel inſtante fluxu vel in ipſo fluore, *Dolores lumborum & femoris in menſes deſinunt*, inquit *Hippocrates 2. Epid.* dum natura per arctas vias ſanguinem fæculentum & craſſiorem expurgat. Sicque prodeunt menſes vel citra ordinem; intermittent enim per aliquot dies, poſt redeunt, interdum continuè fluunt, interdum per intervalla longiora aut breviora. *Primiroſius.*

¹². *Maximeque virgines*) Ejuſmodi menſtrua patiuntur potiſſimum quæ nondum pepererunt, & quidem vel diebus aliquot ante fluxum, vel jam fluente ſanguine, ſed ſtillatim duntaxat, & paulatim exeunte, quoniam venæ internæ in iis minus patent. *Sebiſius man. pag. 1564.*

¹³. *A ſanguinis vitiis*) Fit potiſſimùm à ſanguine craſſo, fæculento, concreto & grumoſo, ſimulque etiam acri, qui cùm non poſſit liberè profluere, excretricem tamen valde ſtimulat, ſic ut vaſis exeuntis dolores graviſſimi concitentur, tum etiam flatus interdum ex craſſo ſanguine elevantur, qui uterum & partes vicinas diſtendentes cruciatus pariunt, donec ſanguis fluidus vel grumoſus, ſtillatim vel confeſtim effluat, & ſæpiſſime ſine ordine ejuſmodi affectio edit, Adde prædictus humorum acrimoniam, cum ſanguinis craſſitie, quia enim craſſior, difficulter; quia verò acris, cum cruciatu & dolore erumpit, Fit præterea ab ulceribus & tumoribus dolorificis in utero & partibus vicinis, quæ à ſanguine aut in vaſis commoto, aut præterlabente exacerbantur. *Primiroſius.*

¹⁴. *Sanguis dum evacuatur in grumos concreſcit*) Hæc cauſa non ſufficit, (vide ſupra §. *A ſanguinis vitiis*) ſæpe enim non parcè, ſed profuſè nimis & violenter, cum gravi dolore ſanguis in grumos concretus emanat, ut ſæpius obſervavi doloreque vacuato ſanguine ceſſat, quamvis corporis vires labefactentur; donec redeant ejuſmodi dolores ex brevibus intervallis, ſanguiſque iterum profundatur, *unde* hic affectus ad immodicum ſanguinis profluvium, non autem ad ſuppreſſionem referri debet, Propterea cauſas eaſdem habet quas fluxus nimius, ſanguinis ſcil. nimium irritantis acrimoniam, & ſimul aliquam vaſorum exulcerationem.

Credere autem concreſcere in venis ſanguinem, & ob craſſitiem dolores concitare, abſurdum eſt, hæc enim venarum facultas eſt, ut in iis ſanguis à concretione immunis ſervetur; qui ergo grumoſus vacuatur, à vaſis priùs exciderat antequam concreſceret; Si igitur in capacitatem ipſius uteri, ob anaſtomoſin, aut eroſionem, quarundam venarum effundatur, illic concreſcit primum & tetros interdum ad ſtomachum & cor vapores tranſmittit, unde inquietudo & cardialgia in dictis mulieribus: Cum autem naturaliter ſemper conniveat uterus, ſi ipſius expultrix robuſta ad ejuſmodi ſanguinis grumoſi vacuationem inſurgat, aperitur, ſed cum maximo cruciatu, & dolore quaſi parturientis; Si autem in cervicem ſanguis effunditur, cum via patens ſit, concreſcere interdum poteſt, ſed ſine dolore gravi effunditur, Unde credo naturaliter menſes, non ex uteri, ſed ex cervicis venis elabi. In prædicto igitur caſu dolor, non ex ſanguinis prolapſu, ſed ex uteri apertione contingit, & non ad ſuppreſſionem, ſed ad immoderatum profluvium affectus referri debet. *Primiroſius.*

Sanguinem non in venis ſolùm, ſed arteriis etiam concreſcere, (particulariter, aliàm, nam totaliter citra interitum animantis fieri nequit) oſtendunt polypi, cum ſanguine circum gyrati; dolorem autem mulieribus iſtis accidentem ex aſſignata cauſa oriri certum eſt reclusione ſcilicet violenta cervicis uteri; non autem ex diſtenſione venarum à repletione, inde enim potius ſuppreſſio menſtruorum, quam effluvium ſequi deberet.

¹⁵. *Curatio, præmiſſis univerſalibus*) Humores craſſi attenuandi ſunt & evacuandi, itaque commodè *ſanguis mittitur* ex brachio, ad revulſionem, Purgatio inſtituitur ex *rhab. epithymo* &c. Dein utendum iis, quæ vias aperiendi & humores atte nuandi vim habent internis & externis.

℞. *rad. aper.* ãã ℥ ß *fol. capill. ven agrim. beton. cichor. ceterach fumar.* ãã m. j *paſſular.* ℥ i. *cicer. rub.* p. ß. *flor. ſambuc. hyperic* ãã p. j. *f. decoctio ad* ℔ iß. *Colat ſyrup. v. rad. bizant.* ãã ℥ ß. *crem. tart.* ʒ ß. f. Apozema in iij. dozes.

In ingreſſu lecti *theriaca* prodeſt cum *aqua meliſſæ*, aut *coaguli leporis* ℈ j. *cum aqu. meliſſæ* ℥ j. *ſyr. artemiſ.* ʒ ß. *coagulum vituli* facilius invenitur, nec minus efficax eſt. Neutrum illorum admodum prodeſt (*maximè valet ſperma ceti à quo ſanguinis grumi diſſolvuntur.*)

Extrinſecùs ſunt Fotus, Inſeſſiones Balnea ex relaxantibus & incidentibus, ut *decocto alth. malva. aneth. rutæ, artemiſ. matricar. ſem. lini fœnugr. flor. cham.* Dein uteri regio inungitur *Oleo lilior. lini, croci, amygd. d. de vitell. ovor. rutac. &c.* hæc enim cauſam tollunt, vias relaxant, dolorem ſedant, quibus addi poſſunt *axungia & butyr.* Quidam laudant *Peſſarium* ex theriaca utero inditum: *Victus ratio* ſit attenuans, ne craſſus ſanguis generetur, *Exercitia* moderata & *Balnea* tepida mirè proſunt; *Cataplaſma ex lacte*, in quo bulliunt *farina ſem. lini*, & *panis tritici medulla*, *Aetius* prædicta coquit in *mulſâ*, addique *terebinth.* liquatam, In contumaci malo, & ſæpius redeunte, *cucurbitulæ* pectini & inguinibus apponit, & hirudines, Et ſi opus ſit *dropaces*, *phoenigmos*, *bal-*

naturalia, & aſſiduas locorum frictiones cum oleo &c. *Primiroſius.*

[16] *Acrimoniam temperantibus*) Si humor acris ſit & erodens, proderunt attemperantia & refrigerantia, ut *Emulſiones ex ſemin. frigid. papav. albi, facta in aqua hordei:* Et per *clyſterem uterinum* infundi poteſt *cum ſacchar.* aut decoctum *malva, portul. lactuc. papav. albi* cum *troch. alb. Rhaſ. & ſimil.* In ſumma doloris acerbitate *Narcotica* leviora præſcribi poterunt; *Extrinſecùs* foveatur ventus *aqua tepida*, aut *decocto malvæ, ſemin. lini*, & inungatur *ol. violat. amygd. d. cucurb. unguento reſumpt.* & *ſimil. Primiroſius.* Vide cap. de ulceribus & de Dolore uteri.

CAP. XVI.

Menſium Decoloratio.

1. **M**Enſium decoloratio eſt eorundem [2] *cùm rubea eſſe deberent*, [3] *ad pallorem, albedinem, viriditatem, flavedinem, vel livorem, vitio ſanguinis, declinatio.*

Signa [4] ſanguinis ipſius aſpectus ſuppeditat. Accedit fœtor, inordinata excretio, ſæpe & febres erroneæ, acutæ, horror, cibi faſtidium, ſtomachi dolor, & cætera: de quibus apud *Hippocratem.*

[5] *Cauſa* in ſanguinis vitium conjicitur: de quo, ut & de ejus cauſis, videatur in Differentiis.

[6] *Curatio* attendit Cauſas, ideo pro ratione illarum variat.

Dividitur dupliciter.

I. Alia eſt, *quando* [7] *ſanguis vitium contrahit*, vel propter præcipuæ alicujus partis, intemperiem, quarum ratio in curatione habenda eſt.

Alia, [8] *quando ſanguis laborat*, vel quia ſuppreſſus & retentus eſt; & *tum* Menſium ſuppreſſio præceſſit, dolores in pectore & pulſationes fortes ſentiuntur, ſi melior habitus eſt, menſes erumpunt, & profluit ſanguis & pus graveolens ad octavum aut nonum diem: *Vel* quia ab utero excrementis ſcatente inquinatur; & tum, uteri inquinati ſigna adſunt.

Alia, *quando* [9] *ſanguis à permiſtione excrementitiorum humorum inquinatur*; & *tum*, Curationem ſi ſpectes, præparandum eſt; ſed ita, ut cùm humores craſſi attenuatione indigeant, & verò nimis attenuantia humores ſeroſos colliquent, & ad uterum moveant, validioribus abſtineamus, & Acetum caveamus. Evacuandum, &c.

II. Alia eſt, *quando menſes declinant ad albedinem*, quæ.

Oritur vel *à pituita*, cujus ut & ventriculi imbecillis ſigna adſunt.

[10] Vel *à Pure*, & *tum*, *aut* ulcera in utero excitantur, & ſterilitas inſequitur.

Aut menſes per ſeptem aut octo dies effluunt, & mulier liberatur.

Aut iidem ad partes ſupra inguen prorumpunt citra tumorem, & juxta hypochondria foras prodeunt, & mulier rarò ſuperſtes manet.

Aut poſt dies aliquot tumor ſuper inguen œdematoſus, magnus, rubeus, ſine capite, quia ibi caro impletur, exſurgit & difficulter ſecatur.

Alia, *quando* [11] *ad flavedinem vel viriditatem*, quæ à bile procedit.

Alia, *quando ad livorem*, quæ à melancholia oritur.

[1] *Menſium decoloratio*) Talia menſtrua *Hippocrates aph. 3. §. 5.* ἄχροα καταμήνια vocat, quoniam rubra non ſunt, ſed modò alba, modò pallida, modò loturam carnium recens mactatarum referentia, &c.

[2] *Eorundem cum rubea eſſe deberent*) Sanguis ex utero profluens rubeus eſſe debet, citò concreſcens, quaſi à victimâ, qualis ſi non excernatur, vitioſus cenſendus eſt.

[3] *Ad pallorem, albedinem &c.*) Peccat vel ſubſtantiâ, vel qualitate, *Subſtantia* quidem, ſi ſeroſior ſit, aduſtus, putris, *Qualitate* verò, ſi albus ſit, nigricans, luteus, viridis, graveolens; quinetiam ſæpe utrumque vitium ſimul conjungitur; de quibus pauca dicenda ſunt, ut facilior de *Fluore muliebri* fiat tractatio, ſub quo omnes iſtos affectus Veteres plurimique Recentiores complexi ſunt. *Primiroſius.*

[4] *Signa*) Vide inferius §. *Sanguis a permiſtione.*)

[5] *Cauſa in Sanguinis vitium*) Corrumpitur à cauſis internis & externis; *Externa* ſunt aëris intemperies & impuritas; cibi potuſque in qualitate, quantitate & tempore, quo aſſumuntur, peccantes: Errores in quantitate & tempore ſomni, vigiliarum, motus & quietis commiſſi: *Interna* ſunt diuturna menſium ſuppreſſio, luctus & mœror chronicus, ulcera & immunditiei uteri, cacochymia corporis reliqui; quæ ſi ſanguini menſtruo permiſceatur illum vitiare ſolet: denique viſcerum, præcipuè ventriculi, hepatis, ac lienis mala conſtitutio. *Sebiſius man. p. 1566.*

[6] *Curatio attendit cauſas*) Pro variâ humoris ratione inſtituenda eſt, humores præparantibus & vacuantibus; nam *ex aph. 36. 5. menſes decolores, nec eodem ſemper modo procedentes, purgationem indicant eſſe neceſſariam:* Ergo bilis refrigerantia & humectantia. blandaque ex cholagogis catharſis conveniet: *Pituita* attenuantibus & incidentibus præparanda; vitatis ſemper iis, quæ menſtrua potentiùs cient, ſed mediocribus & imbecillioribus uti commodum eſt; poſtea ad phlegmagoga veniendum, quorum uſus etiam in contumaci malo debet eſſe diuturnior: Si *menſes* ſunt *ſuppurati*, niſi ſpontè prodeant, evocandi ſunt purgationibus frequenter repetitis, clyſteribus uterinis, aut etiam inditis peſſariis, ex *Mercuriali* & aliis ſimplicibus: Poſt hæc ad reliquiarum vacuationem jubent quidam, ut redundante bile, balnea aquæ tepidæ imperentur; ſed ſi pituita dominetur, *balnea* conveniunt naturalia & artificialia: tum etiam *ſudorifica* ex *theriacâ*, *mithridatio*, aut deco-

decoctis *angelicæ, chinæ, ligni S.* & ſimilibus: Proderunt quoque in brachiis fontanellæ, quæ ſenſim humores pituitoſos evacuant. *Primiroſius.* In cruribus ad derivationem utiliores ſunt.

7. *Sanguis vitium contrahit*) Interdum ex intemperie calidâ, aut calidorum uſu multo, ſanguis aduritur & excreſcit, ut ex ſuffitibus & fumis inferius ſubditis, Tunc ardorem in corpore & febrem concitat, ſitit mulier, inquieta eſt, animo deficit, vel ex utero ſtrangulatur, ex ipſius ad ſuperiora recurſu, venter æſtuat, urina rubet, bilem interdum vomit, dolent lumbi, inguina, ſpina, & dorſum, variiſque malis ex ſanguine retorrido conflictatur.

Ad *curationem*, refrigerandum & humectandum, tum ſimili victus ratione, tum medicamentis, julepis, apozematis, emulſionibus, inunctionibus ex *ol. roſat. violat. amygd. d.* & aliis; dein ſanguinis miſſione, blandâ purgatione, & frequenti clyſterum injectione (*vide cap. de calidâ uteri intemperie*) cavendo ſemper ne refrigerantium uſu menſtrua ſupprimantur; ideo optimum erit, ſi ſimul ſint aperientia: *Primiroſius, l.1.c.7.*

Seroſior ſanguis jecoris generantis, aut alimentorum vitio ſæpiſſime ſuccreſcit, unde talis per uterum ſæpe expurgatur. *Idem.*

8. *Quando ſanguis laborat, vel quia &c.*) Putreſcit præterea ſanguis menſtruus, & interdum etiam ſuppuratur, quod gravius malum eſt, idque vel quia ob ſuppreſſionem prohibitâ tranſpiratione putreſcit; aut in ipſo utero, aut etiam in venis, à quibus in uterum corruptus amandatur: Vel quia putridi humores alii in viis excretioni dicatis ipſi admiſcentur, Sæpe enim uterus putridis humoribus ſcatet, qui in cavitate, tunicis, cornibus, aut aliis partibus continentibus, & ſanguini ad uterum accedenti permiſcentur, ipſumque ſimili labe inficiunt: Sanguis enim menſtrua in utero morâ ſæpiſſime labefactatur: Quòd ſi diutiùs ſanguis ſupprimatur, ac per duos treſve menſes, non tantùm corrumpitur, ſed etiam interdum ſuppuratur; interdum etiam talis ab uteri ulcere & inflammatione, magnam puris copiam eructante, evenit, quod frequentius eſt, quàm ut ſponte ſine ulcere ſuppuret. *Primiroſius.*

9. *Sanguis à permiſtione*) Frequentius corrupti menſes, decolores fiunt, albi, pallidi, virides, lividi, nigri, flatulenti, fœtidi, ob *vitioſos humores ſanguini permiſtos*, quos vel prava victus ratio, vel totius corporis, aut partium principum nutritioni dicatarum intemperies & cacochymia procreavit; Aut uteri vitium inquinavit, Aut ſuppreſſa quædam conſueta vacuatio in corpore cumulavit: Et quidem *albi* ex pituita fiunt, aut ventriculo imbecilliori; *pallidi & flavi, fulvi, lutei*, ab exurente jecoris calore, eademque cauſa, *virides, cum ſplendore nigricantes* parit. *Nigri* autem fiunt vitio lienis; quod non eſt neceſſarium; poteſt ſanguis vitio jecoris & cordis nigricare.

Cognoſcuntur autem excreti ſanguinis colore, qui à naturali differt: Iubet *Hippocrates*, ut linteo excipiantur, aut arena quæ poſt exſiccationem colorem ſanguinis prodent, album, flavum, lividum & nigrum; Sed præterea infeſtante *bile*, acrimonia, calor, cibi faſtidium, anxietas, vigilia, partiumque muliebrium exulceratio fatigant, menſeſque ſæpius & copioſè ac feſtinanter prodeunt: Si *melancholia* admiſceatur, anxia ſimul & ſubtriſtis mulier eſt, & lienis quodam vitio laborat; Si *pituita* adfuerit cognoſcitur ex ſtupore, frigiditate, flatibus, & quia menſes tardius prodeunt: *Suppuratus* autem excreti puris colore cognoſcitur, dolores in pectine & pulſationes fortes ſentiuntur, & tactum non ſuſtinent, poſtea pus cum ſanguine miſtum excernitur: Omnibus commune eſt, quod vix ordinem ſervant, ſed vel anticipant, vel poſtponunt; Perſeverante malo, *inquit Hippocrates*, erraticæ febres occupant, cum horrore, anorexia, ſtomachi dolore, atque etiam circa inguina, lumbos, coxendicem, & interdum, ſanguine ſurſum aſcendente, caligo, vertigo, ſtrangulatio contingit. *Primiroſius.*

10. *Vel à pure, & tum &c.*) Fuſiùs *Rod. à Caſtro lib.1. c.10.* unde hæc deſumpta.

Si menſes ſuppurati fiant, ſigna erunt dolores pectinis, pulſationes validæ, & contactum non ſuſtinent: Ac ſi ſuppurati tripliciter terminantur; aut enim erumpunt in pudendum, & egreditur ſanguis, & pus graveolens, quæ terminatio optima erit; Nam ſi ulcus in utero non fiat, & ad 7. 8. aut 9 dies perpurgetur mulier, liberatur, Si verò ulcera magna in uteris relinquantur, etiamſi melius habebit, tamen ſterilis fiet mulier; Quòd ſi in pudendum non procedant ſuppurati facti, ad partes ſupra inguen erumpent citra tumorem, & juxta hypochondria foras prodeunt, quo caſu fœmina aut ſuperſtes non manet, aut ſterilis ſaltem evadet, ut ait *Hippocr. l. de Nat. m.* Aliis, (quæ tertia terminatio eſt) poſt 2. 3. aut plures menſes ſupra inguen elevantur in tumorem magnum, rubeum ſine capite, quia caro ibi impletur, & aſſurgit ac eminet; eſtque talis œdematodes tumor ſoboles pituitoſi ſanguinis, qui per univerſam carnem eſt diſperſus, Quem tumorem ignarum Medicorum vulgus interdum ſecat, ſed non citra periculum, melius enim fuerit ſi os uteri eo incumbens ad pudendum convertatur, & menſes prodeant; ſic enim id quod eminebat facilè ſedatur, attamen ſi non convertatur os uteri, & ibi menſes ſuppurentur, ſuperius relata pericula fiunt.

11. *Quando ad flavedinem*) Nota mihi Matrona Nob. quæ ſingulis menſibus ordinatiò non ſanguine, ſed materia ſerosa *crocea* purgatur; Hæc materia linteamina ſi tangit nulla lotura delebilis exiſtit: Cæterùm bene valet, nec ullum incommodum ſentit, niſi quòd ſterilis exiſtat; Lochia aliàs flava eſſe rarum non eſt, præſertim ſi puerperæ crebriùs in cibis & condimentis croco utantur, exinde enim Lochia ſemper flaveſcere obſervavi. *Al. Herm. Cummenus Med. Sept. vol.2. p.46.*

Prognoſis.

Malum ſanè grave eſt, curatu difficillimum, & quod ſæpe uterum vitiat, in eoque obſtructiones & ulcera, ſæpiſſimè ſterilitatem inducit, Sed perículoſiſſimi ſunt menſes ſuppurati, qui tamen ſi per pudendum per aliquot dies effluant, ſpes eſt mulierem curari poſſe, niſi magnum in utero ulcus ſuccedat, quod ſterilitatem parit, ſed utplurimùm remanet incurabile; Quòd ſi per uterum non effluant, aut illum corrumpant, aut ad inguina & hypochondria à naturâ tranſponantur, unde ſæpe abſque periculo non poſſunt evacuati. *Primiroſius.*

CAP. XVII.

De Menſium inordinato fluxu.

1. *MEnſium inordinatus fluxus duo includit, Menſium nempe ante debitum tempus anticipationem; & Eorundem ultra conſuetum tempus ſubſiſtentiam.*

2. *Anticipatio menſium* pro ratione Cauſarum dividitur.

Alia eſt à *Cauſis externis*, Caſu nempe, ictu, & aliis venas aperientibus. Curationem vide inferius.

Alia ab *Expultrice uteri irritata*, I. [3] A *ſanguinis copia*, quæ.

[4] *Cognoſcitur* ex eo, quod ſanguis à toto corpore ad uterum mutatur, fluidus & naturalis fit, ſigna plethoræ adſint.

[5] *Curatur* venæſectione, ſi copia eſt major; Diæta, & frequentiore exercitio, ſi minor.

II. A *ſanguinis tenuitate & acrimonia*, quæ.

[6] Ex eo *cognoſcitur*, quod temperies totius corporis ſit calidior, victus ratio talem generans ſanguinem anteceſſerit, ſanguis ipſe ſit dilutior, decolor, flavidior.

[7] *Curatur* Evacuantibus, *Rhabarbaro* inprimis. Temperantibus: de quibus ſupra.

Alia à [8] *Retentrice uteri languida*, quæ ex eo [9] *cognoſcitur*, quod vaſa uteri ſint laxa, habitus corporis etiam laxus & humidus. [10] Curatio prohibet nimis adſtringentia. Acidulæ & thermæ vim ferri habentes laudantur, tum quia humorum acrimoniam temperant; tum quia intemperiem calidam viſcerum & uteri corrigunt: & ſic quoque acrimoniam demulcent.

[1] *Menſium Inordinatus fluxus*) Quandoque menſtruus fluxus haud ſemel in menſe contingit, verùm aut *frequentiùs, citiùs* ſaltem, aut *rariùs* tardiùſve accidit; Nam quibuſdam, & quidem cum ſanitatis ſuæ detrimento evenit fluxus hic, nunc bis, nunc ter quovis menſe, aut tertiâ redit ſeptimanâ, quin aliquibus ferè adeſt perpetuò, ut vix uno altero diéve ceſſet; Aliis contra quintâ ſextâve demum redit ſeptimanâ, vel poſt ſecundum tertiumve tantùm menſem.

Notandum autem quibuſdam abſque ſanitatis detrimento redire hunc fluxum quavis tertiâ vel quintâ demum ſeptimanâ, qui tunc minimè habendus pro præternaturali, quoniam parùm deſciſcit ab ordinario termino, qui aliquam ſolet habere latitudinem: Vbi autem poſt ſecundam, ſextamque redit ſeptimanam, omnino pro præternaturali videtur habendus, quamvis nullum notabile afferret fœminis incommodum: affert tamen ſemper forſan aliquod, unde illæ fere quidem imbecilliores obſervantur, hæ magis anxiæ: Non poteſt enim jactura ſanguinis tam frequens non minuere fœminarum vires. Uti tamdiu circa uterum vel univerſum ſtagnans ſanguis ſuperfluus non aliquam concipere corruptionem, utut exiguam, ſemper tamen noxiam, & moleſtias parientem: Vbi autem quovis octiduo, aut fere continuè fluunt menſtrua, tunc tam ſolet manifeſta eſſe ipſorum noxa, ut nullum de præterna turali fluxu ſit dubium: uti quoque quoties poſt ſecundum demum tertiumve recurrit menſem, anxietates graviores idem evincunt, accedente fere Cachexiâ, graviore levioréve: *Fr. Sylvius Pr. lib. 3. cap. 3. §. 196. & ſeq.*

[1] *Menſium inordinatus fluxus duo includit*) Solent menſtrua ſingulis menſibus redire, unde ipſis nomen, contingit tamen interdum, ut conſuetum tempus anticipent, vel tardius erumpant, idque vel ordinare vel ſine ordine; *Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo procedentes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.* Eſtque hujuſmodi excretio actio depravata, in qua natura debitam & ſolitam periodum non ſervat. *Primiroſius lib. 1. c. 5.*

[2] *Anticipatio*) *Galenus* actionis anticipantis triplicem facit cauſam. *Prima* eſt materiæ vitium in tenuitate, calore, copia, acrimonia, mordacitate, *Secunda* eſt facultatis retentricis imbecillitas, *Tertia* eſt expultricis robur.

[3] *Sanguinis copia*) Sanguis ſi copioſus ſit, natura ante conſuetum tempus, ad illius expulſionem inſurgit: Talis generatur ex alimentis euchymis, polytrophis, ſi fœmina hepar calidum habeat & humidum; ſit boni habitus, vitamque ſedentariam & otioſam degat; *Primiroſius.*

[4] *Cognoſcitur ex eo*) Multitudo cognoſcitur ex habitu carnoſo, corporis gravitate, ſenſu ponderis, vitâ ſedentariâ, ſuppreſsâ vacuatione aliquâ, urina turbâ, pulſu pleno, &c. *Primiroſius.*

[5] *Curatur venæ ſectione*) Si ſit à plenitudine, ſomnus, cibus, potus ſint mediocria, Sanguis è baſilicâ mittatur, aut antequam fluant menſes, aut etiam ipſis fluentibus, vinum evitetur, & quicquid plenius nutrit ſanguinemve calefacit. *Primiroſius.*

[6] *Ex eo cognoſcitur*) Acrimoniam & tenuitatem humoris oſtendit habitus mulieris: & temperies calidior, victus ratio præcedens, ſanguinis excreti natura, ſi fuerit dilutior, ſeroſior, flavus, bilioſus, & cum calore, dolore & eroſione quadam prodeat, ſi ſanguis cum impetu prorumpat, excretrix vel copia vel acrimonia ſtimulatur. *Primiroſius.*

[7] *Curatur evacuantibus*) Sanguinis acrimonia retundetur refrigerantibus, lenientibus, mucilaginoſis, *internis*, ut apozematis, julepis, ſyrupis, cap. de calidâ uteri intemperiei adductis: vel *externis*, ut fotibus, ex decocto *malvar. hordei, violar. nymph. roſar. unguen. roſac. cerato refrig. Galeni*, & ſimilib. Cavendo ne dum ſanguinem emendamus, eum ſupprimamus; Tum *purgandum* erit blandis catharticis, ut *rhabarb. myrobal. epith. ſennâ, mannâ, caſſiâ, tamarind. & ſimil.* Si Jecoris adſit caliditas, *ſanguis* quoque *mitti* poterit, & utilis erit *aquar. ferrear.* potus, nam viſcerum temperiem emendant, & vaſa roborant. *Primiroſius.*

[8] *A Retentrice uteri languidâ*) Vteri laxioris culpâ, qui ſicuti copioſiori ſanguinis fluxui dare poteſt anſam, ita ſic facile iterum patulus frequentius redeuntis & anticipantis cauſa erit; fere enim concurrunt fluxus copioſior & frequentior. *Sylvius de le Boe.*

[9] *Cognoſcitur quod vaſa uteri*) Si abſque impetu & fluxionis ſenſu profluxerit, retentrix debilis eſt, ſoletque laxior eſſe corporis habitus. *Primiroſius.*

[10] *Curatio*) Si facultas fuerit imbecilla roborabitur per ea quæ intemperiem imbecillitatis cauſam emendant, ut ſi frigida fuerit intemperies & humida, conveniet catharſis ex *diaphoen. agar.* &c. Tum calefacientia ungu. ex *oleo lilior. chamæm. aneth. rutac. ceræ, balſamo, cerat. pro matrice*, cum *ſtirac. benzoino, ladano*, ſacculi ex *angelica, ruta, thymo, chamæm. aneth.* &c. *Primiroſius.*

II. *Menſium* [11] *ultra conſuetum tempus ſubſiſtentia* [12] *pro ratione quoque Cauſarum diſpeſcitur.*

Alia eſt, quæ *ab* [13] *Expultricis fruſtratione procedit*, quàm infert.

I. *Sangui-*

I. *Sanguinis paucitas*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod fœmina nullam moleſtiam ob protractionem menſium percipiat, & quod nimium exercitium, aut victus tenuior anteceſſerit.

II. *Sanguinis craſſities*, quæ [14] ex eo *cognoſcitur*, quod Cacochymiæ ſigna adſint, ſanguis albidior ſit & viſcidus.

In *Curatione*, Purgandum antequam multum ſanguinis colligatur. Attenuandum menſtrua purgatione finita. *Calamintha* palmam obtinet & *Mercurialis*. Aliquot ante menſtruam purgationem diebus aperiendum. Scarificatio talorum hic locum habet.

Alia, *quæ ab Expultricis imbecillitate* oritur, quam inducit.

I. *Vteri* [15] *Intemperies frigida*; de qua ſuperiùs.

II. *Ejuſdem ſtupor*, qui ex eo *cognoſcitur*, quod morbi ſtuporem inducentes adſint, vel nimius refrigerantium uſus præceſſerit, poſt debitum purgationis tempus, ſanguinis etiam præſente copiâ, nulla gravitas à fœmina percipiatur.

[16] In Curatione ad Morbum & illius cauſas reſpiciatur.

11. *Vltra conſuetum tempus ſubſiſtentia*) Menſtrua interdum ultra conſuetum tempus remorantur, & ſæpe ullo certo ordine revertuntur; Idque vel ob ætatem cum deſinere incipiunt, quibus curatio non debetur. *Primiroſius.*

12. *Pro ratione quoque cauſarum*) Præcedenti affectui cauſas contrarias habet, ſcil. *ſanguinis paucitatem*, qui naturam ſingulis menſibus non irritat; vel ejuſdem *craſſitiem & feculentiam*, *viarum* obſtructionem, aut aliud *ſignet vitium*, unde ſanguis facilè vacuari non poteſt, donec natura humorum, ſarcina graviter oppreſſa viam ſibi cum impetu faciat, Vel *facultatis impotentiam*, vel *ſenſum hebetem* ex temperamento frigidiori, cum humorum abundantia. *Primiroſius.*

13. *Ab expultricis fruſtratione*) Fluxus ſegniùs eveniens agnoſcit uteri conſtitutionem nimis arctam, & ſanguinis conſiſtentiam firmiorem craſſioremque ac viſcoſum, quæ utraque cauſa agnoſcit pro causâ ſui antecedente, omnia quæ tum pituitam tenacem ac glutinoſam, tum humores auſteros & melancholicos in corpore producunt; de quibus cauſis ubi de ſuppreſſione menſium. *Sylvius ib.*

14. *Quæ ex eo cognoſcitur*) Et ex temperie calidâ ſiccâ, habitu virili, vacuationibus immodicis prægreſſis, morbis.

14. *Ex eo cognoſcitur quod cacochymiæ*) Sanguinis *vitium* cognoſcitur, ſi albus ſit, craſſus, viſcidus, lentè diutiuſque fluat, & deſinant menſes in quoſdam mucores & purgamenta pituitoſa; ſi mulieris habitus ſit plumbeus, mollis, & obeſus, victuſque, vita præceſſerit ſedentaria & pituitæ ferax, *Primiroſius.*

15. *Vteri intemperies frigida*) Quæ oſtenditur ex ſanguine diutius retento, moleſtia & gravitate, quæ etiam ſunt ſigna obſtructionis. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Malum naturâ ſuâ non adeo periculoſum eſt, niſi immodicum ſit ſimul ſanguinis profluvium, unde conceptionis ſequi poteſt impedimentum, & perſeverante malo totius corporis imbecillitas. *Primiroſius.*

Moleſta magis, quàm periculoſa & detrimentoſa eſt ejuſmodi vacuatio, quamvis interdum, etiam conceptionem impedire queat: Placitum namque eſt *Hippocr. aph. 62 5.* in humido utero genituram extingui, non ſecus, ait *Galenus in comm.* ac cerealia ſemina in paluſtri ſolo. At quibus menſtrua anticipant, & ſingulis menſibus bis fluunt, & quidem copioſe ſatis humidum habere uterum conſueverunt. *Sebiſius man. p. 1568.*

16. *In curatione ad morbos*) Si *paucitas* adſit *ſanguinis*, victus analepticus convenit, eupeptos, polytrophos, & humectans, vitatis laboribus, exercitiis longioribus, ira & aliis, quæ corpus exſiccant.

Si *ſanguis craſſior* ſit (quæ potiſſima cauſa eſt iſtius affectus) attenuantibus & incidentibus utendum erit, cavendo ſemper ne corpore pleno, cum inſtar purgatio menſtrua, exhibeantur, ne obſtructiones augeant, ſed iis utendum ſtatim à purgatione menſtrua; vacuata ſcil. vaſorum plenitudine, tutius præſcribuntur. Talia diuretica ſunt, & menſes moventia, *artemiſ. calamint.* &c. Poſtea purgatio humorum pituitoſorum valde utilis eſt, ex *diaphœn. agar.* &c. quæ in affectu contumaci per epicraſin repeti poteſt, per vices corpus præparando & purgando, Nec inutile fuerit paucis ante futuram purgationem menſtruam diebus, *ſanguinem ex pede mittere*, *cucurbitulas* admovere, crura *fricare*, *balnea* & *fotus* imperare, ex decoctis aperientibus; Tum ventrem *inungere ol. cappar. lilior.* & aliis calefacientibus; ac etiam, ſi malum id exigat, *ſuffitus*, *peſſaria*, *clyſteres* uterinos, & alia præſcribere interna & externa quæ ſuppreſſioni conducunt.

Si ob *facultatis imbecillitatem* & *ſenſus hebetudinem* ſanguis mittendus non eſt, ſed prædicta conveniunt, quoniam calefaciunt, exſiccant, & facultatem irritant. Vide caput de frig. & hum. Vteri intemp.

Organicorum morborum curatio ex propriis capitibus repetenda. *Primiroſius.*

De menſtruo Fluxu breviùs durante, citiuſque deſinente.

Et de curatione Affectuum à Terrore inductorum.

Breviùs durantis, ac citiùs deſinentis Menſtrui fluxus cauſa, nunc in corpore ſita eſt ac permanet, nunc res non naturalis eſt, Fluxum in motu ſuo ſiſtens, Præexiſtens tum in ſanguine quærenda, tum in utero ejuſque viis vel vaſis: Sanguis glutinoſior & pituitoſior cauſa ſolet eſſe fluxus menſtrui citiùs deſinentis: Uteri vaſa, quavis de causâ ſi ſint anguſtiora, ut citiùs ſiſtuntur cauſa erunt: Inter res non Natur. ſunt Aër frigidus, improviſe durante fluxu in uterum admiſſus: Aqua frigida pedes aut manus tantùm afficiens; frigus pavimenti; Inter res non naturales, id faciunt Animi motus vehemens, ut Terror inopinatus, ac triſtitia excedens.

Sed dicet aliquis, Si à Terrore per ſe coaguletur, ineptiorque ad naturalem ſuum motum ſervandum reddatur ſanguis, quidni tunc uſurpantur potiùs medicamenta coagulatum ſanguinem ſolventia, e. g. aromatica & ſale volatili abundantia, quàm venæ ſectio nihil tale præſtans? R. bonum eſſe in tali caſu dare turbatis terrefactiſque ea quæ ſanguinis coagulationem tollunt, ut aromatica dicta, quæ ſi negligantur à nonnullis, in uſu tamen ſunt apud peritos, quin non ignota plebi, cùm exhibetur hauſtus vini generoſi, cujus ope infringitur vis acidi & auſteri ac diluitur ſanguis ad coagulationem tendens: Venæ ſectio tamen non culpanda, cùm certum

ſit per experientiam pleriſque profuiſſe.

Neque novum pertusâ tunc licèt grandi venâ nullum effluxiſſe ſanguinem, unde nullum commodum ex apertâ venâ, quia Terrore ſummo plus minuſve ſolet coagulari, ac præſertim in corde, Unde ſi apertâ in tempore venâ potenter trahatur ad partes externas ſanguis, non tam *facilè* coagulabitur ſanguis, quia ejus eductione magis movebitur reliquus: Nec tam *potenter*, quia ſuccus auſterus ipſum coagulans, ſimul trahitur ulterius, nec proinde in corde permanet, Neque tam *noxiè*, quia minus in corde hæret, ubi maximâ cum hominis noxâ coagulatur ſemper: Inde namque vitæ periculum imminet, quia valdè coagulatus in corde ſanguis non poteſt rarefieri commodè, ſatiſve non poteſt accedenti locum facere, unde ſiſtitur idem in venâ cavâ utraque, ſuffocaturque facilè non excitatus ampliùs ignis vitalis: Ubi autem ſuccus haliturve auſteriuſculus ad cor veniens unà cum ſanguine trahitur inde foras, quæ inde fit ſanguinis coagulatio, non exiſtit in vitæ foco, cordis ventriculis, ſed alibi, nec proinde tantum urget vitæ periculum: Coagulatio verò ſanguinis alibi exiſtentis paulatim corrigi poteſt.

Atque eo modo cenſeo ſiſti valdè perterritis menſtruum ſanguinem: Idem à Triſtitiâ gravi & valdè angente, quòd à metu expectandum, reddatur ſcil. ſuccus melancholicus auſterior, hinc ſanguinis coagulatio mox ſequatur, ac ad motum ineptitudo & ad uterum confluxus: adde quòd à Triſtitiâ omni, anxiâque ſollicitudine, omnes corporis partes ſegnius moveri obſervantur, & quaſi conſtrictæ immobiles fieri.

Inter Res non natur. citiùs Deficientis menſtrui cauſas, præter aërem, aquam & animi affectus graves poni poteſt iij. *Aſſumptum* quodvis, alimentum, medicamentum, imò venenum, ſanguinem quovis modo ad motum ineptum reddens, qualia ſunt præſertim auſtera & acerba quævis majore quantitate ſumpta; nec ſatis fracta, ideo ſanguinem coagulantia; Etſi autem omnia penè Acida vim habeant coagulandi ſanguinem, habent tamen ipſam potentiorem omnia, quæ ſimul ſunt plus minùſve auſtera.

Si ergo i. Sanguis univerſus glutinoſior ac pituitoſior cauſa ſit Fluxus citiùs deſinentis (habito priùs reſpectu ad cauſas antecedentes) paulatim emendandus is erit, tum per acida temperata, tum præſertim per aromatica & ſale volatili prædita, paulatim non crebriùs aſſumpta.

Si ij. uteri vaſa & ductus nimiam patiantur anguſtiam, adhibeantur tam internè, quam externè ſalia volatilia, ob vim eorum egregiam diſſolvendi ſanguinem pituitamvè in vaſis quibuſvis hærentem; promovendique motum ſanguinis ejuſque rarefactionem.

Si iij. Aer frigidus in uterum admiſſus, vel aqua frigida immediatè, aut per medios pedes, fluxum inhibuerint, vitatis ejuſmodi cauſis, diligenter ac continuè aromatica ac ſalia volatilia uſurpentur, quippe quæ ſola vim habent reparandi noxam utero vel ſanguini illatam. Quòd ſi corpus ſimul ad ſudorem blandum diſponatur, promovebitur cura.

Si iv. id accidat ob animi affectus, motumque vehementem, danda opera ut ſedentur, ac noxæ humoribus introductæ emendentur.

Si v. Aſſumpta fuerint vitioſa, imprimis auſtera vel acerba, uſurpanda erunt quævis aromatica, ſed acriora, & imprimis ſalia volatilia, ſed puriora & acriora, quippe quæ duplex beneficium præſtant, immutant enim ac emendant dicta aſſumpta, ipſorum noxam & coagulationem; tum conſiſtentiam ſanguinis auctam tollunt minuuntve. *Sylvius.*

De menſium fluxu ultra ſtatutum tempus, ratione ætatis, durante.

Alienus & à menſtruo fluxu differens, ſi tempore quo menſes deſierunt, jam Seneſcentibus, uti ſæpè fit, contingat, cum nullo ordine, aliàs copioſiùs, aliàs parciùs accidat, ſæpe quàm diutiſſimè durans; unde hunc *fluxum menſtruorum*, ut aliàs faciunt, minimè, ſed *Hæmorrhagiam per uterum immoderatam* potiùs appellamus.

Haſce menſtruas, aliaſve præternaturales, ſanguinis nunc puri, nunc impuri, per uterum purgationes, languor corporis. pallor, cachexia, & interdum hydrops ſequuntur, Etſi ſubitò magna fiat ſanguinis profuſio, ſicuti poſt diu ſuppreſſos priùs menſes, nonnunquam accidit, vires admodum proſternuntur, & nonnunquam penitus extinguuntur.

Ego in tribus mulieribus, quæ tempus menſtrui fluxus jam ſuperarunt, ejuſmodi hæmorrhagiam per uterum obſervavi, Et quidem in unâ ultra biennium, In reliquis per longum tempus, & quidem in unâ ex illis cum ſummis doloribus uterinis, fere per annum integrum excruciantibus, nullis medicamentis cedentem, ſine intervallis, ad mortem uſque continuantem.

Cum præternaturalis omnino ſit hæc hæmorrhagia, nec citra læſionem diutius perſeverare queat, Cura huic debetur, eoque magis, ſi vel immodicè, vel ſæpe contingat, vel diu duret. *Platerus.*

Menſtruus fluxus poſt duas ſeptimanas ordinariè revertens.

Menſes poſt 14. elapſos dies ordinariè jam per annum fluxiſſe, & quidem decenti copiâ & quantitate, in puellâ plebeïâ Catharinâ conjugi meæ ancillante ab anno ætatis xiv. ad xv. & ultra teſtor, cujus mater nuper me propterea conſuluit nihil: Sed quandoquidem illa p.n. patitur, ſana eſt, muniaque debite obit, naturalem hunc morum nullo modo cohibere ſuaſi. *Simon Schultzius M. S. Vol. 2. p. 33.*

CAP. XVIII.

De nimio Menſium fluxu.

1\. N*imius* [2]. *menſium fluxus eſt* [3]. *eorundem vel* [4]. *copioſior vel diuturnior quàm competit purgatio*, [5]. *vel ſanguinis, vel uteri, vel venarum vitio exorta.*

[6]. *Signis* multis opus non eſt, ſi [7]. præſertim ſequatur inappetentia, cruditas, fœdus faciei color, pedum ac reliqui corporis tumor, atrophia, cachexia & cætera.

[8]. *Cauſam* [9]. in ſanguinem, [10]. uterum, vel venas conjecimus: unde verò horum ſint vitia, in Differentiis exponetur.

Cura.

1. *Nimius*) Menſium fluxus moderatâ quantitate ac debito tempore procedens naturalis eſt, Si verò quantitatis modum excedit, vel frequentiùs redeat, vel diutiùs perſeveret, immodicus ac præternaturalis cenſendus eſt. *Riverius.*

Sanguinis immodica excretio hæc conſiderari poteſt, 1. *abſolutè* dum excedit heminas duas, 2. *reſpectivè* dum vires proſternit & plenitudinis rationem ſuperat. Excreta autem cum ſimpliciter poſſint eſſe talia, authore *Galeno 1.ſympt.d.c.6.* quantitate, qualitate & ſubſtantiâ, hic ſciendum ſolâ peccare multitudine eodem aſſeriore *Gal. 3. ſympt. c. cap. 2.* Præter eam *ait*, quæ mulieribus per vterum erumpit, cæteræ ſanguinis, (pluſculæ) vacuationes, toto genere præter naturam ſunt, illa verò ſolâ multitudine. *Riverius.*

Ad id virium pertinet 1. quando frequentiùs fluunt, 2. quando non expectant tempus menſtruum, ſed omnibus 2. vel 3. ſeptimanis redeunt. *Etmuller.*

2. *Menſium fluxus*) Nominatur à Philoſopho ῥοῦς γυναικεῖος, 3.h an. c. 19.

3. *Eſt eorundem, &c.*) Definitur *Immodicus fluxus ſanguinis per vterum, ortus ab imbecillitate retentricis vteri facultatis* · Ad ſymptomata Excretorum referri commodè poteſt, annuente *Philoſ.* dum 1. de *gen. an. c. 19.* menſtrua nomine τῶν περιττωμάτων notat; ſunt tamen non excrementum inutile, ſed certo fini, fœtus nutritioni deſtinatum. Poteſt etiam referri ad ſymptomata actionis læſæ; Actio læſa eſt ſymptoma primarium, Excretum ſecundarium. *Rolfincius.*

5. *Eorundem vel copioſior vel diuturnior*) Menſura non eſt omnibus eadem, ſed quibuſdam parcior, aliis copioſior, pro varia mulierum naturâ, conſuetudine & viribus. Quæ humidiores ſunt, victu vtuntur liberaliore, & vitam in deſidiâ tranſigunt, copioſiora ſolent habere menſtrua, quapropter non ſolùm quantitatem, ſed euphoriam vel dyſphoriam ægræ ſpectare debemus. Illa ſiquidem nimis vacuantur quibus virium imbecillitas & alia fluxus immodici ſymptomata ſuccedunt. Idem autem prorſus eſt, eademque corpori noxa infertur, ſi ſemel conferrim & profusè ex eant, aut ſi pluribus diebus perſeverent, ſicut multas dicimus pluvias, quæ aut largiùs decidunt, aut diutiùs durant. Huc igitur refertur tum inſignis quantitas præter conſuetudinem circa ſolitam periodum profuſa, tum quando alieno tempore bis terve in menſe, aut denique quando perpetuo guttatim affluit, quod ſtillicidium vocatur, quando paucum & paucis diebus ſtillat, ad ſuppreſſionem magis pertinet.

Diſtinguit autem *Pereda*, Sanguinis per vterum vacuationem, etiam immodicam, à nimiâ menſtruorum eruptione, quoniam hæc conſueto naturæ tempore fit, & in his ſolùm quæ ſunt menſtruis aptæ poſt annum 14. & 50. Illa verò quolibet tempore contingere poteſt, etiam in puellis, cujuſcunque ætatis, non ex inſtituto naturæ, ſed ex violentâ cauſâ, vt vulnere, aut venæ alicujus ruptione, quia tamen horum curatio eadem eſt, à nobis non diſtinguentur. *Primiroſius lib.1.c.9.*

4. *Copioſior*) Humanum genus inter animalia perfecta eſt πολυσπερματώτατον, vnde & vitia patitur ſeminis omnibus aliis contra. *Wedelius.*

5. *Vel ſanguinis, vel vteri, vel venarum vitio*) Notandum *Galenum* inter cauſas Profluvii iſtius 3. *de ſympt. cauſ. 2.* nec meminiſſe *diapedeſis*, nec *copiâ ſanguinis*, nec *læſionis facultatum*, ſed tantùm *apertionis vaſorum* & *tenuitatis ſanguinis*; Non *diapedeſis*, quia forſan cauſa hæc nulla eſt. Refert *Foreſtus* ſe eam obſervaſſe in muliere biliosâ, quæ per menſes purgationem hac de cauſa paſſa eſt, ſed diapedeſin fuiſſe non eſt neceſſarium, potuit eſſe anaſtomoſis aut aliud vitium, cum bilioſam fuiſſe dicat. Non meminit pariter *quantitatis*, quia ſola ejuſmodi profluvium non facit, niſi ſimul ſanguis balneis ſimul, exercitiis, victu calidiori ſupra modum incaleſcat; Sic nec *Athletis* vaſa diſrumpebantur niſi quapiam de cauſa intemperiem ſanguini conciliaſſent, Et ratio eſt, quia ſi ſola ſanguinis copia, abſque qualitatis vitio expultricem proritet, vbi ea ſanguinis moles effluxit, vt quod ſupereſt naturam non gravet, ceſſat expultrix ab officio; vt ſanis mulieribus ſingulis menſibus contingere ſolet. Reticuit pariter *læſiones facultatum*, vel quia rarum eſt, vt ea de cauſa ſanguis vacuetur vel potiùs quia ad vitia ſanguinis & vaſorum facultarum læſiones ſequuntur. Acrior ſanguis impellit expultricem, vaſis exeſis, ruptis, relaxatis, retentrix fit imbecilla. *Primiroſius,*

6. *Signis multis, &c.*) Quamvis generis ratione malum hoc ſignis diagnoſticis non opus habere videatur, vt pote quod ſenſus incurrat, ipſiuſque Ægræ, hanc excretionem quoad quantitatem, qualitatem ac modum difficiliùs ferentis confeſſione optime innoteſcat; Attamen cùm non omnis menſtruus fluxus largior ſtatim p. n. ſit, vel dici debeat, ſiquidem etiam à ſolo expultricis rectè operantis robore provenire poteſt, tumque inſuper muliebre ſilentium intempeſtivæ verecundiâ morbum ſæpe diſſimulet, ſicque ægrè curabilem quandoque reddat, proin cognitione vlteriori ſtatus ſic affectæ mulieris, vt examinetur oportet; oſtendent verò ſymptomata varia fluxum non eſſe *criticum* idque dum in dies ingraveſcent, prorſus confirmabunt; Talia ſunt corporis habitus decolor, Cephalalgia conſtitutio οἰδηματώδης, cum ſubitaneâ virium proſtratione, quam expultu & actionum vitalium atque animalium læſione, haud difficulter colligere licebit: Sic mulieri apud *Smetium Miſc.lib.10.pag.538.* quoties ipſi menſes fluebant, dolorem inter vmbilicum & pubem ſimulque in lumbis patiebatur.

Inprimis autem differt hoc Profluvium immodicum à Profluvio muliebri, quod in hac materia, quæ excernitur, vel pituitoſa, vel alia, ſanguinem ſuperet. In illo autem ſit ſanguinea, vel ſaltem alii materiæ exeunti prædominetur. *Strauſſius.*

7. *Si præſertim ſequatur*) Signa enim illa caloris nativi exolutionem conſequantur.

8. *Cauſam*) Inter cauſas *mediatas*, eaſque *remotiores*, primò occurrunt *Res naturales*, ac in his *Temperamentum* contemplandum, in quo plerumque vel *plethoram*, vel *ſerum acre* & *bilioſum* prædominari fœminarum, quæ præ cæteris quidem hoc fluxu corripi conſueverunt exempla confirmant, Vide *Foreſtum* & alios. Hinc *Ætatem* juvenilem & mediam huic moleſtiæ frequentius obnoxiam eſſe docet, experientia. *Res non naturales* frequens admodum conferre ſymbolum ſolent, *Aër* calidior ſanguinem ſolvit & attenuat; hinc *Hippocr. 3. aphor. 20.* in genere *fluxiones ſanguinis* verno tempore frequentius contingere docuit. Ex accidenti *frigidus* quoque anſam præbere poteſt, 5. *aph.24.* Plenior *victus* ratio, ciborumque qui vel calidiores ſunt vel facile fermenteſcunt, crebrior vſus, inprimis vero generoſi *vini* generoſioris *potus* largior ſæpius hunc fluxum proritare ſolent.

Vigiliæ immodicæ, ſi in corpus plethoricum, quod rarioris eſt habitus, irruant, tunc viæ aperiuntur, agitantur humores, calor nativus diſſipatur, vt exinde tandem βραδυπεψία & ἀδιαπεψία, teſte *Hippocr. de rat. v. acut. ſ. 56.* excitentur, Vide exemplum apud *Foreſtum l. 28. obſ. 15.*

Vehementior *motus*, vt curſus, ſaltatio, ponderoſarum rerum geſtatio, &c. ejuſdem ſunt ponderis, *Excreta* p. n. retenta, tamque inprimis impedita *diaphoreſis* ſymbolum huc non rarò conferunt; dum hinc aucta ſanguinis moles, ob cohibita effluvia, facilè turgeſcit. Nimia *veneris* veneratio huc refertur. Hinc eo magis dignũ notatu eſt, quod refert *Willius in Actis Hafn. vol.3.obſ.70.* in quadam Heroinâ, multos per annos profluvio menſium nimio laborante, συνουσίαν matrimonialem vnicum probatum remedium extitiſſe. *Affectus animi* vehementiores, præſertim ira, lætitia, terror, nimius amor, in quo mox bellum, pax rurſum eſſe ſuevit. idem efficere valent.

Neque ſilentio involvenda *medicamenta acria*, adſtringentia, aliaque ἀκαίρως adhibita, ſiquidem conſtat crebriore *aloes* vſu, vel vſurpatis intempeſtive emmenagogis, fluxum hunc impetuoſius excitatum eſſe. Pertinent huc *Peſſaria* acria.

Tandem *Res* p. n. ſicut fœminas de ſtatu naturali dejicere aptæ natæ ſunt, ita quoque fluxum hunc non rarò excitare ſolent; Has inter numerari merentur percuſſio, caſus, vulnera, vlcera, catarrhi, febres variæ. Ex immodicâ *ſternutatione* Matrona apud *Hild.* in graviſſimum atque periculoſiſſimum menſium profluvium incidit. *Strauſſius.*

8. *Cauſam in ſanguinem, &c.*) Cauſa *proxima* eſt imbecillitas Retentricis, cujus robur ſuppreſſionem juvat; Robur Expultricis ſuum etiam confert ſymbolum. *Mediatæ cauſæ proximiores à Galeno 5. aphor. 57.* referuntur ad tres claſſes, dum inquit, *Poteſt &, vaſorum ad vterum pertinentium oſculis nimium patentibus, & tenuiore aut calidiore ſanguine, & toto corpore propter aliquam cachexiam,* i.e. pravam corporis habitudinem ſanguine gravato, (etſi nondũ is convenientem naturæ ſymmetriam ſuperet) atq; propterea ipſum in vteri venas protrudente (vt rheumaticis affectibus alias in aliam aliamque partem ſolet mittere) poteſt inquam immodica fieri menſium vacuatio. *Uterus* cum *vaſis* ſuis laborat nonnunquam κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, eſſentiæ ratione, morbo intemperiei, Calida intemperies vel ſiccitati juncta attrahit, & expultricem vteri ſtimulare poteſt, Frigida imbecillem dum reddit vterum, ſymbolum ſuum confert, Adeſt nonnunquam morbus conformationis, anaſtomoſis, diapedeſis, diairesis vel planè ſoluta vnitas poſt laborioſum partum. Sanguinis vitium cum conſiſtit in plethorâ & quantitate vi perrumpit per anaſtomoſin cùm in qualitate tranſſudat per diapedeſin, qualem obſervavit *Foreſtus lib. 28. obſerv. 18.* Cacochymia & impuritas orta ab imbecillitate Jecoris, conſiſtit in vitio non ſolùm *Qualitatis* accidentalis peccantis ſive primæ ſive ſecundæ (quia huic peccato alteratio debetur, non evacuatio, verùm etiam in qualitatis eſſentialis formâ & ſpecie, quia ad propriam ſubſtantiam & naturam humorum pertinet. *Rolfincius.* Vide Caput de Hæmoptyſi, vbi adducuntur vaſorum apertionis cauſæ.

9. *In ſanguinem*) Cauſæ quærendæ primario in *ſanguine,* cujus triplex vitium eſt ad nimium menſium fluxum diſponens. 1. *Nimia ſanguinis turgeſcentia,* ratione cujus tenuior fluxiliorque evadit, adeoq; promprius per vaſa vterina effluit, hoc vulgò dicitur de *ſanguine bilioſo.*

ij. Eaque frequentior eſt *nimia ſanguinis fluxilitas ſeroſa*, aut nimia ejuſdem *aquoſitas*, ratione cujus ſanguis copioſiùs ſolet per vaſa vaginæ vterinæ erumpere.

iij. Quando *vehiculum ſeroſum acrius* eſt & *acido ſalſum*, ſic enim faciliùs eroduntur *vaſa vterina*, & ſanguis penetrantior exiſtit, vt conſequenter copioſus menſium fluxus ſoleat concitari. Diſponunt ad hæc edulia acria copiosè aſſumpta, vt nihil dicam de acrimoniâ ſuccorum in primis viis, *Etmuller.*

10. *Uterum vel venas*) Subjectum denominationis eſſe mulierem docuit *Ariſtoteles 1 de Gen. an. cap. 19.* Subjectum *Principale* oſtendit definitio, Partem ſcil. iſtam quæ ὑστέρα, quaſi viſcerum poſtrema dici ſolet, ſitu intellige, non v'ù quem *Aretæus 1. de Diut. c.11.* duplicem facit, ἐς πόκον ἢ ἐς κάθαρσιν. Qui in fluxione terminos, Phyſicorum more, *aquo, per quem* & *ad quem* attendendos præcipiunt; Partes hic *mandantes* à *tranſmittentibus* & *excipientibus* diſtinguere ſolent. Unde autem ſanguis menſtruus potiſſimùm, & per quas *vias* mittatur, diſſentiunt Anatomici; ſunt enim qui non ex ipſo vtero derivant, ſed ejus tantùm vaginâ & collô; Interim communi naturæ curſu ex ipſa vteri cavitate exſtillare rationibus & experimento confirmat *Regn. de Graaf Tr. de org. mul. gen. c. 9.* licet & hic diverſis experimentis ſuffulti alii contrarium aſſerant, vt *Columbus Pinæus,* Bene interim *Scrœckius Schol. ad obſ.91. Helvvigii p.384.* vtrumque locum fluxus iſti eſſe expoſitum dicere licere arbitratur, ita vt is modò ex ipſo *vtero*, modò ejuſdem *collo*, modò ex vtroq; accidatr, povt natura huc vel illuc magis inclinat, viaſque laxiores & patentiores hic vel ibi reperit.

Cæterum ſicuti hinc patet *Vterum* ſecundum *vaſa* affici, ita ſtante *circulationis* doctrina, *Arterias* potiùs quàm *Venas* eſſe, per quas ſanguis à corde ad partes reliquas, adeoque ipſum vterum diffundi ſoleat, conſequitur; provt *cap. de menſ. ſuppr.* dictum; Quemadmodum verò ibi *venis* hoc officium non prorſus denegandum eſſe monuimus, ita quoq; hoc in affectu idem repetendum remur; Imò verò plus dicendum videtur, Cùm enim ſponte iterum vaſa coaleſcant facilè, veroſimilè cenſemus in Fluxu menſium nimio *venas* magis, quàm arterias pati redeunte quippe per venas ad cor ſanguine, non tam vigebitur facta iſta apertio, quàm ſi in *arteriis* contigiſſet, vbi ſanguis ſemper novus quaſi ſubſequitur, & diaſtolen arteriarum continuare ſolet. Sed cuique liberum reliquimus judicium. *L. Strauſſius Pal.m.P.3.pag.597.*

II. *Curatio* eſt *Difficilis*, [12] ſi fluxus eſt diuturnior; [13] excipiúntque eum aliquando fœdus color, pedum tumor, [14] virium debilitas, tabes, &c. ſi convulſio aut animi deliquium aut ſingultus ſuperveniunt, quia cor, cerebrum & ventriculus in conſenſum trahuntur. *Nulla* ferè, *ſi* ſeneſcenti mulieri accidit; *ſi* à mala diſpoſitione uteri oritur: *ſi* ora venarum occalluere, quia nec adſtringentibus, nec agglutinantibus curari poſſunt.

III. *Expoſcit* [16] *cohibitionem*, per [17] *Revulſionem, Interceptionem*; [18] *ſanguinis incraſſationem*; *Vaſorum per adſtringentia & alia occluſionem.*

IV. Nota verò, 1. [20] Siſtendum pedetentim, ſi [21] magna ſanguinis copia adeſt & [22] per modum criſeos accidit, quod tamen rarò evenit.

2. Topica non pubi ſolum, ſed & [23] lumbis & renibus adhibenda eſſe, quia venæ per eas partes ad uterum derivantur.

3. [24] Non

3. [24]. Non applicanda frequenter extrinſecus utero frigida, qui ſolent plærumque majorem fluxionem concitare.

4. Sed & frigida quæ vtero injici debent, calidis leviter temperanda, ne virtus vteri debilitetur.

5. Deveniendum quandóque & [25]. ad Narcotica. [26]. Ex Adſtringentibus laudantur maximè ſequentia. [26]. Pulvis *Heurnii ex ſemine hyoſcyami albi, papaveris albi ana dr.* j. *Hæmatit. Corall. rub. ana dr. ſ. Caphuræ ſcr. ſ. pandere dr. ſ. exhibitus.* Pulvis ex *ſuccini*, *ſanguin. Dracon. lapid. hæmatit. Corallor. rubr. ſemin. portul. ana dr. j. Balanſtior. ſcrup. ij. Boli Armeni Orient drag. ij à dr j. in Aquæ* [29]. *plantag. unc. iij. exhibitus.* Pulvis *ligni fraxini aucupariæ* conſtellati. Pulvis *cortic. mori cum vino nigro* ſingulis matutinis exhibitus: nec non ex *urticæ mortuæ* radice: & acinis granatorum, dr. j. pondere, pulvis ex *hippopotami dentibus* cum *aqua plantaginis.* [30]. Lac *aſininum chalybeatum.* Aqua *mirabilis Ferdinandi* Hiſtor. 33. Trochiſci *de Carabe*, *oſſa hominis fortiter calcinata* [31]. Pillulæ *Zacuti l. 9. Praxis Hiſt. pag.* 185. Emplaſtrum *Zacuti* ibid. Saxoniæ *ex fuligin camini, farina volat.* &c. paratum. [32]. Suffitus ex ſtercore ovillo cum cineribus calidis. [33]. Peſſus *ex* [34]. *ſtercore ſuillo & aſinino cum ſucco plantagin. & mucilag. ſemin. cydoniorum formatus.* [35]. *Clyſterus* è [36]. ſucco *millefolii*, *plantaginis*, cum *bolo Armena.* [37]. Specifica ſunt, *Intra*, [38]. Pulvis *Turturis Foreſti* l. 28. obſerv. 10. Sal *ex ejuſdem cineribus*, *cuticula pedum anſerinorum exſiccata, & à dr. ſ. ad ſcrup. ij. exhibita.* [39]. *Extra*, [40]. *cingulum* [41]. *ex foliis helleboraſtri contuſis*: de quibus *Renealdus* obſerv. 41. Iaſpis ruber femori alligatus: & [42]. *linteum in ſanguine intinctum menſtruo*, & ſub calidis cineribus poſitum. Cuidam [43]. *cataplaſma* ex *ſucci vrticæ* vnc. v. cum *farinâ tritici* ſubacti, & hypogaſtrio applicati profuit.

Prognoſis.

[11]. *Curatio eſt difficilis*) Prognoſin quod attinet, Omnis hæmorrhagia copioſior, vel diuturnior periculoſa eſt, præcipuè ex vtero, qui non ſolùm individuo, ſed etiam ſpeciei noxia eſt.

Diapedeſis omnium minimè periculoſa eſt, quia minorem efficit caloris & ſpirituum jacturam, diutiùs tamen perdurat, ob crudioris & ſeroſioris ſanguinis proventum; *Rixis* & *Anaſtomoſis* majus offerunt periculum, quia magnam ſubitò profundunt ſanguinis copiam, citiùs tamen curantur, quia in corporibus benè ſanis & plethoricis, vtplurimùm contingunt,

Diabroſis omnium difficillima eſt, quia in viſcere fit ſubſtantiæ deperditio, quæ novum iſtarum partium coalitum impedit. Si virium debilitas, & ſymptomatum vehementia nullomodo minuatur, ſed in dies augeatur ægræ interitum portendit.

In ſeneſcente muliere menſtruorum nimius fluxus plerumque incurabilis & lethalis eſt. *Riverius.*

Licèt in fœminis minùs timenda ſit ſanguinis etiam largior profuſio, quod ob ſanguinis ſeroſiorem ſtatum, illam præ maribus ferre magis innoxiè poſſint, attamen id non negligendum, tum propter ſymptomata, lipothymias præſertim vrgentes ſæpiſſimè, tum in futurum, propter inde exorturos morbos, niſi præcaveamus. *Wedelius.*

Vertigo aliquando adeſt & videtur oriri à ſpirituum animalium paucitate ob ſanguinis diminutam copiam, qui ſpiritus pauciores non ita promptè poſſunt aperire poros cerebri, hinc ſpiritus reflexi in circulum aguntur & ſic vertiginem excitant; Si accedat frigus externum, poſſet quoque aliquid facere, quia poros cerebri magis claudit.

Periculoſus morbus eſt, ſi diù duravit, quia pori tempore fiunt conformati ad tranſmittendum ſanguinem ſub forma ſanguinis. *Craanen Pr. Reform. c. 97.*

[12]. *Si fluxus eſt diuturnior*) Per ſinum vteri factæ hæmorrhagiæ, in fœmineo ſexu naturales, etſi paulo à mediocritate recedere videantur, ſicuti pro naturarum varietate plus minuſve fluere ſolent, nondum tamen graviores affectus inducentes non temere aut per vim erunt ſupprimendæ: Quod ſi vero noxæ graviores, inter quas & hydrops exiſtit, metuantur, aut jam inſtent, tunc mature ſuccurrendum, veluti ſi immoderatius aut frequentius, quam par erat eveniat, Vel diu prius ſuppreſſis menſibus, cum tumore ventris, vel ſine eo, tandem hæc cum magna ſanguinis profuſione, ſummoque virium & vitæ diſcrimine erumpant. *Platerus.*

[13]. *Excipiuntque eum*) Menſtruis immodicè fluentibus accidunt ægritudines, Non fluentibus pariter ab vtero fiunt morbi *aph. 57. 5.* Sicut enim ex ſuppreſſis menſibus, ob caloris oppreſſionem fit hydrops, ita quoque ex diuturniori profluvio idem contingere ſolet, diſſipato calore nativo tabes, anorexia, color pallidus, cachexia, pedum tumores, virium languor, animi deliquium, imo ſyncope & mors, ſterilitas ſaltem & vteri imbecillitas, interdumque etiam, ſi ſanguis ſit acrior vlcera. Unde non eſt abſolutè verum, quod ſcribit *Galenus in comm.* ſuppreſſis quidem menſibus fieri ex vtero morbos, vt inflammationes, eryſipelata, &c. Immodice autem fluentibus lædi corpus, ſed non vteri, verum fluxionis ratione, ſicut idem contingere poteſt vndiquaque profuſo ſanguine. Videmus ex hujuſmodi fluore excitari in vtero vlcera, vnde etiam ex ipſo vtero corpus laborat. *Primiroſius.*

[13]. *Excipiuntque eum aliquando*) Notandum ſanguinis per vterum vacuationem interdum eſſe criticam, quæ mulieres acuto morbo laborantes perfectè judicare ſolet. In *Coaca aphor. 152.* profluvium menſtruale criticum ſtatuitur, vt ex hiſtoriis mulieris *Thaſiæ* & *Lariſſeæ* in *Epid.* conſtat, Et *1. Epid.* ſanatas ait omnes *Hippocr.* quibus die critico menſes profluxerunt, & ſe neſcire ait an vlla perierit. Ejuſmodi fluxus non eſt cohibendus quamdiu vires conſtant, nam quæ indicantur movere non oportet, ſed ſinere. *Primiroſius.*

[14]. *Virium debilitas*) Partium debilitas in eo ſæpe conſiſtit, quod vaſa capillaria ſint obſtructa, aut ſanguine rubicundo non ampliùs ſunt diſtenta. *Craanen.*

[15]. *Tabes*) Atrophia metuenda eſt, quia ſanguis diminutus minorem impetum habet, quàm vt particulæ ad nutritionem aptæ, per poros arteriarum in partium nutriendarum poros ſatis alte poſſint protrudi. *Regius in Praxi.*

[15]. *Expoſcit cohibitionem*) Methodus curandi menſium immodicum fluxum hæc eſt præcipua, vt orgaſmo deplendo vena ſecetur; deinde ſerum acrius purgante

educatur; ante, & poſt hæc verò *martialia* temperantia, & acrimoniam edulcantia, imò deobſtruentia pro re natâ propinentur, m. s. *antiſcorbutica Martialis, Tinctura martis adſtringens cum coralliis, Tinctura martis Zvvelferi, antimon. martiale cachecticum*, In paroxyſmo item ſtyptica cum anodynis dentur, quandoque & *traumatica, pulvis abſorbens* & alia. Adeoque è contrario adſtringentia cum temperantibus, ipſisve aliquando aperientibus non ſunt confundenda. Et hæc quidem extra graviditatis ſtatum, quo dato, & ſimul menſium fluxu, ſeriùs ocyus eveniente, deplentia & roborantia magis proficua erunt: *Deplentia* quidem, præſervandi & curandi intentione, vt ſanguis vena ſecta emittatur è brachio.

Sereniſſima Perſona, ſexto menſe gravida, cum choreis ducta longiùs incaluiſſet, hinc ſentit menſes extraordinariè profluere; adhibentes roborantia, ſtyptica, fruſtra omnia, donec tandem ad V.S. tanquam Sacram anchoram fieret refugium: Præter v.s. verò ſi in Gravidis fluxus hic contingat, roborantibus fœtum magis fere fidendum, quàm ſolis adſtringentibus, ſeu ipſa quoque ſpirituoſa, ſaltem externè, non omittenda, & quicquid ad fœtus confortationem facit. Inſtar regulæ enim tenendum eo caſu fœtum aut debilem eſſe aut futurum; Si ſit, roborandus, ſi futurus, non minùs id agendum, Verus enim eſt aphoriſmus *Hippocr. 5. n. 60. Si prægnanti menſes prodeant, impoſſibile eſt fœtum bene valere*, Addimus & hoc, in ſingulis cavendum ne ſtypticis illis alvus obſtructa majus hinc faceſſat negotium, nec omittantur ſiccantia. *Wedelius A.m.m.p.202.*

15. *Expoſcit*) Illam duabus rationibus perficiemus 1. caventes ne ſanguis feratur ad vterum. 2. locum per quem fluit claudentes, &c. Notando ſemper non eſſe ſubitò reprimendam ejuſmodi fluxionem, præſertim in plethoricis, ne refluat in partem nobilem, aut ſaltem in corpore grumeſcat ſicut neque poſt partum, aut abortum. *Primiroſius.*

1. Sanguinis fervor & turgeſcentia blandè acidis coërceatur. 2. ejus fluiditas & conjuncta acrimonia ſeroſa corrigatur & temperetur. 3. viæ in vagina vterina læſæ conſolidentur aut firmentur. *Etmuller.*

15. *Expoſcit cohibitionem per &c.*) Curatio eadem ferè eſſe debet quæ ad immodicum hæmorrhoidum fluxum fuit propoſita. 1°. enim *phlebotomia* revulſionis gratiâ in brachio celebranda eſt, partitis vicibus & digito per vices foramini admoto; magna copia ſanguis detrahendus eſt, quantùm vires ferre poſſunt, Teſtatur enim *Hollerius comm. aphor. 50. ſect. 5.* ſe multas vidiſſe mulieres, quæ multo ſanguine detracto è vena convaluerunt, cum nullis aliis remediis poſſet reprimi fluxus ſanguinis.

Frictiones, Ligatura & *Cucurbitulæ* ad Revulſionem etiam conveniunt.

Purgatio pariter eadem vt in dictâ curatione, convenire poteſt, eaque ſemel aut bis in hebdomadâ erit repetenda, donec impuritati viſcerum & venarum ſit ſatisfactum. Sublatis enim bilioſis & ſeroſis humoribus, qui ſanguinem fluidum reddunt, ipſe ſponte conſiſtit. Si ſerum magis abundare videatur, radix *mechoacana* cum *rhabarbaro* conveniet.

Purgatio etiam per *Vomitum* potenter revellit, & ab *Hippocr.* laudatur 2. de m. m. Blanda autem debent eſſe vomitoria, & frequenter iterata, aut etiam digito in os immiſſo vomitus provocari poterit. Imò verò ſufficiet eritque vtiliſſimum, ante prandium vomitum ciere, attamen non vomere, ſed ſolùm id tentare.

Poſtmodum Julepi, Pulveres, Opiatæ, Pilulæ, aliaque remedia incraſſantia in dicta curatione propoſita, hic etiam convenient; additiſque *Narcoticis* ſi neceſſitas vrgeat. *Riverius.*

16. *Cohibitionem per revulſionem, &c.*) Sed & toto morbi decurſu, dum alia remedia vſurpantur *viſcerum roborationi & correctioni ſanguinis*. Sedatoque ſymptomate, prophylaxi incumbendum. *Riverius.*

17. *Revulſionem*) Sudorifera & Diuretica non convenire ſcribit *Primiroſius*, eò quòd *illa* ſanguinem calefaciant & accendant, *hæc* verò etiam menſes movere poſſint, Nos tamen vbi ſerum valde abundaverit *Diaphoretica* temperata concedi poſſe arbitramur. De vſu autem *Diureticorum*, ob rationes à *Sennerto* allatas, dubitamus, & ſaltem illa his longè tutiora eſſe cenſemus. *Materiam* quòd attinet, ſufficiat jam laudaſſe *c. c. ſine igne, calcinatum, Eſſentiam diaphor. ex lignis*, quæ cum *aqua flor. ſambuc.* & *ſpir. terr. ſigill.* propinari poterunt. *Strauſſius.*

18. *Sanguinis incraſſationem*) Conducunt hunc in finem, *Lactuca*, tam in juſculo cocta, quàm in acetario ſumpta, à quâ ſimul ſomnus inducitur, omni arte promovendus: *Emulſiones hordei* mundati ad crepaturam cocti, *Amygdal. dulcium* & *ſemin. papav. albi*, vbi hæc non ſufficiunt, recurrendum ad Opium confectioneſque opiatas, inter quas meritò præfertur *Diaſcordium Fracaſtorii*, præſertim ex præparatione Amſtelodamenſium, in quo Opii quantitas aucta; quia plura illud Electuarium ingrediuntur, quæ vi pollent ſanguinem incraſſandi, ac fluidiorem corrigendi; Si ob ſaporem ingratum ſit, ſumantur mixturæ gratæ, adſtringentes tamen, addito Opio vel laudano. *Franciſcus Sylvius.*

18. *Sanguinis incraſſationem*) Menſes ſiſtunt quæ ſal volatile & ſulphur ſanguinis incenſum, rarefacta & expanſa, quantùm licèt deprimunt, & ſerum concentrant: Faciunt id *acida, auſtera*, & *nitroſa* quoque, habito ſaltim ad vteri fibras reſpectu, præcipuè in *nitroſis*, nam flexilem magis reddunt ſanguinem. Sic vſurpavimus cum ſucceſſu *Tincturam martis* adſtringentem, vel ſolam, vel cum *tinctura corall.* remixtam, interpolatam cum pulvere ſtyptico anodyno, quæ duo vel ſola ſatisfecerunt vt plurimum.

Sic infuſa quoque locum habent ex concentrantibus ſimilibus; qualè deſcribit *Rolfincius in ord. & m. comm.* Sic & *tinctura antiphthiſica ad xv. xx. gtt.* data adſtringit menſes; Hæc enim & dictam exequuntur intentionem, & ſerum concentrant, quod in omnibus ſanguinis fluoribus neceſſarium eſt. Interim tamen exterius vires refocillandæ ſunt ipſis excitantibus, vt *balſamo hyſterico, ſpir. ſal. ammon. aqua apoplect. amara, acida & ſpirituoſa*. cum *caſtoreo, pennis* perdicum accenſis & ſim. ſi lipothymiæ, vt in graviori caſu ingruant, contra ea vitanda ſunt ſtrenue quæcunque ſal volatile & ſulphur ſanguinis adaugere vel rarefacere magis poſſunt, vt vinum, aromata, adeoque tenuium partium, motus ipſe, quæ frequentiſſimè & exſuſcitant & propagant affectum.

Addi prioribus etiam poſſunt potiones diluentes & temperantes, qualis eſt *Sylviana* ad omnes hæmorrhagias communis, ex aqua v. g. *centinod. burſa paſt. torment. plantag. cum corall. pr. lap. hæm. ſang drac. laud. op. & ſyr. myrtin.* ſubinde cochlear. vnum vel alterum dando. *Wedelius Am. m. m. p. 412.*

18. *Sanguinis incraſſationem, Vaſorum per adſtringentia*) Menſes ſiſtunt quæ & ſanguinem concentrant, & Archeum, tonum & villos vteri roborant placantque. Certum enim eſt & menſes immodicos fieri, non ſolùm ſanguinis, ſed & *vteri culpâ*, quatenus non retinet, ſed plus juſtò hiat, & anaſtomoſis ejus naturalis pluſquam par eſt continuatur, Tum *ſanguinis*

tranſeuntis

tranſeuntis culpâ antecedente, tum debilitate conſequente majori: Patiuntur fluxum menſium immodicum Scorburicæ & hypochondriacæ frequentiſſimè, quarum ſerum acrius eſt, ſanguis verò minùs γλιχεὸς & glutinoſus, vnde ἀθρόως tranſit, nec propriis illis particulis viſcidis aditum ſibi, vti alias ſolet, præcludit. *Idem.*

Menſes ſiſtentia duorum ſunt generum. 1. quæ motum ſanguinis refrænant, orgaſmum concentrant humorum, & rarefactionem, tenuitatem, fluxilitatem coercent, & acrimoniam ac impetum tollunt, adeoque figunt & congelant: Talia ſunt refrigerantia, adſtringentia, opiata, aliis quoque fluxibus communia, maxime antiſcorbutica? quin & ipſa v.§. in plethoricis inſtituenda. (2.) *Obſtruentia vias*, quæ vaſa nimis patula, laxa, hiantia, eroſa, conſtringunt, glutinant, & firmant, vtrique Archeum vna roborant, quorſum & topica quædam ſpectant; hæc tamen præ prioribus illis fere ſtant poſt principia. *Idem ibidem p. 155.*

18. *Sanguinis incraſſationem, Vaſorum per adſtringentia*) *Alterantia* exhibemus quæ incraſſando ſanguinem, illiuſque fervorem contemperando, viaſque adſtringendo ſanguinem ſiſtunt; Qualia multa in aliis hæmorrhagiis traduntur, Inprimis verò in hiſce vteri fluoribus ſequentia commodè exhibentur.

Cibentur craſſiorem ſanguinem gignentibus, ex *farinis cerealium fructuum* & *leguminibus* vſitatis paratis, Et *carne glutinoſa*, *caſeo recenti*, quibus & *lac acetoſum* addunt, *ovis*, &c.

Fructibus vtantur adſtringentibus crudis vel coctis, vel condimentis variis ex hiſce paratis, *cydoniis*, *pyris* auſteris, *cornis*, *ſorbis*, *meſpilis*, *prunis ſylv.* *berberis*, *ribes*. Ex oleribus conveniunt *portulaca*, *lactuca*, *endiv.* *cichor.* *acetoſa*, *plantago*, cocta in juſculis, vel cruda in acetariis.

Decocta vel vnâ vel pluribus vicibus bibant; quæ ſi diutiùs aſſervari debent, in formam ſyrupi prius rediguntur; E quibus ſyrupis vſitatis confert inprimis *myrteus*, vel *myrtillor. de roſis rub. ſiccis.*

Succi aliqui propinantur, vel crudi, vel cocti in formam *ſyrupi* aut rob. *cydonior. granat. ribes*, *berberis*. Qui & ſucci citra coctionem ſi addito *ſacch. in* ſole efferveſcunt, vinoſum ſaporem & odorem adipiſcentes, gratiores fiunt. In *Tabulas* quoque cum *ſaccharo* rediguntur, valde ſuaves & elegantes, addendo *aquam roſar. plantag.* &c. *Succi citri* & alii vſurpari eodem modo poſſunt.

Plantarum quarundam *ſucci*, per ſe, vel cocti, valent, *plantag. acetoſæ, portulac.* in ſyrupos redacti, vt & *burſæ paſt. millefol.* Et vt docet *Dioſcor. clymeni*, *barbæ hirci*, *perſicariæ*. *Aqua*, quæ bibuntur, vel aliis miſtæ ſumuntur, *plantag. roſar. rubr.* illarumque cuſpidum, *burſæ paſt. portulacæ, acetoſæ*, *Limacum* aliqui probant.

Aqua extinctionis ferri convenit. *Mucilaginoſa* à quibuſdam exhibita probantur, *album. ovi*, *mucilag. ſemin. cydonior. infuſio g. tragac.* *Conſerva roſar.* antiqua & *morſelli ex roſar. rub. pulvere cum ſaccharo cocto.*

Conditum vel conſerva rad. conſolidæ, *conſerva ex flor. mali Punicæ* efficax. *Platerus.*

Matronæ quæ fluxum mulierum & ita copioſos menſes patiebatur, vt in ſyncopen quaſi incideret, nec vllis modis reſtringi poſſent, mulier exhibuit *tria cochlearia aquæ plantag. cum iij. cochl. vini rubr.* adjiciendo *vitellum vnius ovi*, leviter ebulliendo, ſingulis diebus ſumebat ſuperdormiendo, vix tribus diebus ſumpſit & fluxus ille ceſſavit. Plures eodem modo à me liberatæ ſunt. *Foreſtus Sil. ad obſerv. 18. lib. 28.* Vide §. *In adſtringentibus laudantur.*

19. *Nota verò*) Notandum menſes ſiſtere non tam adſtringentia, quàm aperientia, licèt impropriè & per accidens, Aperientia ſcil. in ſuâ latitudine, quatenus & amurcam venarum fracidam abſtergunt, erodentem ac findentem acrimoniam ſcorbuticam, & limo abſterſo anguſtatum prius ſpatium dilatant, vt liberius in alveis decurrens ſanguis non cogatur ad exundandum, exceptis aloëticis, & quæ menſes propriè movent, myrrhatis, crocatis, elixirio propriet. &c. Non raro enim ab obſtructionibus vaſorum meſaraicorum ſanguis ferocit magis, & exitum per loca aliàs conſueta affectat; Hinc in graviori & ſolenniori malo, vtile & neceſſarium deprehendimus (1.) vt martialibus in formâ ſiccâ & humidâ, *pulvere cachectico*, M. S. *anti-ſcorb. mart. cydoniat. arcano tart. martiali*, *tinctura martis ſolari* dicta, & aliis antiſcorbuticis temperantibus; (2.) Adhibuimus *purgantia* ipſa, ad ſerum ὀργασμῶδη deplendum, niſi enim ſerum corrigatur, fruſtra eſt curatio omnis: vna cauſa præcipua morbi eſt in ſero acriori, in hoc mitigando, concentrando, divertendo & evacuando, Nec timendum eſt purgantibus hiſce fluxum excitatum iri, modo extra tempus paroxyſmi dentur, nec ſeu hæmagoga, colocynthiaca, &c. 3. quin & *ſudorifera* vtiliſſima eo caſu ſunt, ex *antimonio martiali*, *cachectico*, *bezoard. martiali*, *antimon. diaphor. bezoard. min. terra lemn. c. c. philoſ.* &c. hoc niſi fiat, fruſtra ſunt adſtringentia, non ablata ſcilicet, cauſa materiali, & ſtimulo iſto perpetuo. 4. Nec *Fonticuli*, eo caſu ſunt de nihilo, exitum ſero quantitate & motu cumprimis peccanti largientes. *Wedelius.*

20. *Siſtendum pedetentim*) Diligenter obſervandum in affectu inveterato multum adſtringentia & incraſſantia non eſſe diu vſurpanda; periculum enim eſt, ne meatus offarciant, occludant & conſtringant, atque ita generent obſtructiones, & viſceribus præcipuis, (quæ inſigne damnum in hoc affectu recipere ſolent) plurimum officiant. Sed multo præſtabilius eſt in hepar roborantibus inſiſtere, quæ quidem adſtringunt, attamen ita moderate, vt adſtrictione obeſſe nequeant. *Riverius.*

21. *Magnâ ſanguinis copiâ & per modum criſeos*) Notandum duplicem occurrere in praxi menſium fluxum immodicum, vnum continuatum, & velut ordinarium, productum, vbi tempus longiùs & quantitas major egeritur, alterum impetuoſum; Vidimus inter alias, & curavimus fœminam jamdum ſeneſcentem, quæ ſæpiùs, plurium tamen menſium intervallo, menſibus non viſis, hinc ſimul & ſemel vaſtiſſimam quantitatem ſanguinis profundebat, vnde totum corpus, facies, manus & pedes albiſſima omni quaſi ſanguine exhauſta apparebant. Idque iterum fiebat quando onerabatur ſuperfluitate regenerata corpus, ſaltem reſpective. Proſunt in hunc finem, præter adſtringentia, ſimul traumatica, vnde inſtar omnium eſt *pulvis ſtypticus* noſter. Propinari etiam poteſt vtiliter *eſſentia traumatica*, & *vngu. Comitiſſæ* ad pubem & dorſum applicatum; prodeſt & *fragariæ* pubi applicata: Valet & euporiſton ad menſes immodicos ex *centinodio*: Cumque *martialia* inſigniter ſanguinem roborant, præ aliis ex vſu ſunt; Hæc nempe ſingula Archeum roborant, vaſa nimis hiantia, laxa, eroſa, patula conſtringunt, glutinant & firmant, Spectant huc & *Balnea*, roborantia & exſiccantia, ſed infidum præſidium, niſi præſervandi fine extra tempus fluxus: quod fere magis valet de diutius interpolatis menſibus, quam alio caſu: Solet enim fere repetitioni citiori hoc profluvium eſſe moleſtum; ita vt & ſingulis menſibus quaſi bis revertatur, & longius ſive per plures dies duret; Uſi etiam ſumus aliquando liquore ſtyptico ipſo, loco peſſi cum linteamine adhibito. *Wedelius.*

22. *Per modum criſeos*) Vide ſupra §. *Excipiuntque eum aliquando.*

23. *Et Lumbis & renibus.*) Hepatis etiam ſedi, præſertim ſi id calidius ſit & imbecillius, epithemata, vnguenta, cerata, refrigerantia, corroborantia, ad ſanguinis fluxum nonnihil moderandum etiam aliquid adjumenti conferent, vſitatum hoc *Ceratum ſantalinum* Platerus.

24. *Non applicanda*) circa Topicorum adminiſtrationem hoc etiam advertendum, ne Adſtringentia, ſaltem fortiora, admoveantur priuſquam revulſiones ſufficienter celebratæ fuerint, præſertim illa quæ v. ſ. perficitur; Periculum enim eſt, ne tumores in vtero aut graviores alios affectus concitent; ideo ſemper quantum morbus dare inducias poterit, tum revellentibus, tum incraſſantibus, atque adſtringentibus internis curatio tentanda eſt, priuſquam ad topica illa deveniatur. *Riverius.*

25. *Et ad Narcotica*) Hæc vti alias multas hæmorrhagias, ſic & menſium hiſque ſimiles remorantur, & quia ſomnum inducunt, illeque omnes excretiones ſiſtit præter ſudores, eo nomine quoque conveniunt, Dando eas compoſitiones quæ præter ea quæ ſanguinem ſiſtunt, etiam *opium recipiunt*; Veluti *Trochi de terra ſigillata*, de *ſuccino* cum *opio* paratos, Et *diacorallum Galeni*, *Philonium Perſicum*, aliavè quæ *terram ſamiam*, *Lemniam*, *bolum*, *corallia*, *amylum*, *hypociſtidem*, *balauſtia*, *ſuccum plantag.* atque ex narcoticis *ſemen hyoſciami & opium* continent; præter quæ & aliis narcoticis, vt *ſyr. de papav. decocto cap. papav.* &c. ſi ea quæ fluxum ſiſtunt, vt *ſyr. myrtillor. bolum*, *acaciam &c.* addas, accommodata ſic reddes, inprimis ſi *ſem. hyoſcyami* ℈i. miſcueris. *Platerus.*

Stupefaciendi vim aliquam habentia olea, circa vteri regionem inuncta, etiam prodeſſe putant, quæ hiſce viribus quibus ſenſum minuunt, vti cum aſſumuntur narcotica, hac ratione quoque fluxum ſiſtere diximus, potius quam refrigerando vti putant, illud præſtabunt, Sicque oleum *hyoſciami*, vel aliud in quo *opium* diſſolutum, vel cortex mandragoræ aliave narcotica incocta fuerint, inungitur. *Idem.*

Præſtant hic operam non contemnendam *Opiata*, v. g. *pulvis anodinus D. Mich.* cum *croco Martis adſtring. ſpern. croll. vel conſerv. ſymph. & laud. Op.* vel *aqua torment. centinod.* cum *ſyr. corallor. papav. errat.* & *laud. Opiat.* Sic *Binningerus cent. 2. Obſ. 33.* fœminæ ex fluxu menſium immodico fere exanimi, *Potionem ex aqua roſar. cum theriac. rec. & laud. Op.* paratam felici ſucceſſu exhibuit; Vide *Horſtium Dec. 9. Probl. 2. Grulingium cent. 3. cur. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Strauſſius.*

Nunquam omittenda ſunt *Opiata*, quæ inter excellit *Diaſcordium Fracaſtorij*, cum vehiculo acido aſſumptum, *Etmuller.*

Ex Adſtringentibus laudantur) Qualia ſunt omnia auſtera & acerba; talia ſunt plerorumque fructuum immaturorum, Succi expreſſi aut inſpiſſati, *omphacium*, *Acacia*, &c. quæ quantitate parva, ſæpiuſque vſurpata, ſanguinem paulatim incraſſant, ſuntque cæteris præferenda. *Sylvius. de le Boe.*

Succus plantag. recens extractus ad ℥iij. vel iv. commendatur à *Galeno*. *Solenander* dicto ſucco colophoniam addit, *Ad conſtringendum*, ait, *menſtruum rubeum antiquum*, *Accipe ſucci plantag. cyathum vnum*, *impone* ʒj. *colophon. pulver. quater tribue ægræ & erit curata infallibiliter Deo dante.*

Efficax *ſuccus millefolij* datus ad ℥ij. vel iij. cum *ſyr. corall.* aut alio convenienti. Succus *vrticæ* efficacior, qui exhiberi poteſt ſolus, vel cum aliis permixtus, vel ex iis poteſt fieri ſyrupus ad vſum frequentem: *Aqua* ex tenerrimis & rubentibus *quercus foliis* extracta prædictum profluvium ſiſtit.

Mercatus ſequentem Aquam deprædicat.

℞. *Panem ex amylo, farina hordei & oryza confectum*, *affunde aquæ chalib.* ℔vij. *affunde roſar. rubr. ſiccar. p.* iij. *ſucci plantag.* ℔j. *rad. conſolid. mai. vir. & conquaſſ.* ℥ij. *caudæ equi. m.* ß. *carnis cydon. pyror. agr.* ãã. ℥ij. *portul. m.* ij. *boli Arm.* ℥j. *balauſt.* & *ſantal. omn.* ãã. ℥ß. *deſtillentur omnia per alemb. hujus aqua capiat* ℥iij. *cum ſyr. de portul. aut de roſ. ſicc.* ℥ß.

Pro *Potu* vtatur ægra decocto maſtiches vel *millefolii*, vel lentiſci ſicci; In vino etiam *lignum* lentiſcinum infundi poterit, eoque nigro & auſtero, quo maximè viſcera roborantur & fluxiones cohibentur. Chymici tincturam corallorum valde commendant, tum etiam vitriolum martis.

Ludov. Septalius 7. Animadv. art. 144. Decoctum *cortic. arant.* tanquam remedium certum commendat: Accipit *aquæ* ℔vij. *in qua* incoquit cortices *trium arantiorum acidorum aliquanto adhuc ſubviridium*, *in philyras incidit*, *excoquit ad duarum partium conſumptionem*, *Colatura* ℥viij. *vel* ix. *mane exhibet. Validius reddit medicamentum addito man.* j. *herbæ piloſellæ in fine excoquendo, quod validius redolebat in aqua Villenſi excoquendo, aut in libris octo aquæ, cujus duæ tertiæ partes coquendo abſumptæ fuerint, & excolatum reliquum chalybe ignito indito ſæpius.*

Aquæ minerales acidulæ, *vitriolatæ*, *ferratæ*, *vel aluminoſæ*, in fluxu diuturno cohibendo, cauſis ejuſdem auferendis, & viſceribus roborandis plurimum conferunt.

Ad omne ſanguinis profluvium Practici vtuntur *Oxycrato*, largo hauſtu per os exhibito; quod hic pertimeſcendum, quia vtero parti membraneæ, inimico. *Riverius.*

In hæmorrhoidum nimio fluxu quædam vſitata etiam hic competere poſſunt, *Pilulæ de bdellio*, *micleta*, *Elect. de baccis myrthi*, *confectio Rhaſis*, *de ſcoria ferri &c. Platerus.*

Mulieri ad extrema redactæ profuit hic Iulepus mirum in modum.

℞. *flor. chamæleont ſpicæ nardi*, *ſanguin. dracon. ſubtiliſſime tritor.* ãã. ℈j. *aqu. plantag. & roſ.* ãã. ℥jß. hujus cochl. duo dabantur bis in hora.

Extr. coralli cum *aqua plantag.* profuit etiam non parum. *Riverius obſ. 32 cent. 2.*

Ad conſtringendum menſtruum fluxum hoc probatum ſæpiſſimè.

℞. *Aquæ plantag. in qua lavatus ſit lapis hæmatites* vſque ad rubedinem aquæ, poſtea cum illa aqua miſce *Elect. Athanaſiæ magnæ* ʒß. & da patienti mane, reiteretur. *Solenander.*

Ad conſtringendum menſtrum rubeum antiquum, accipe *ſucci plantag. cyathum vnum*, *impone coloph. pulv.* ʒj. & da ægræ, id fiat quater & erit curata infallenter. *Solenander.*

Expertum eſt & ſecretum, ſi mane & in ingreſſu lecti mulier capiat tres [illegible] infra ſcriptis pilulis, & ſuperbibat hauſtum *vini* [illegible].

℞ *Troch.* [illegible] *karabe. de terra ſigill. de ſpodio* ãã. ʒj. *m. cum ſucco* [illegible] *f. Pilulæ* nº. xviij. *Bened. Victorius.*

Vniones [illegible] ſua menſes retinere ſum expertus *Conr. Geſnerus*, Terantur in mortario marmoreo, ne aliquid vel coloris, vel ſubſtantiæ, vel ſaporis ingrati à metallico contrahant, Poſſunt *& aceti* acerrimi aſperitate, vel uvæ acerbæ, vel citri pom. ſucco diſſolvi. Idem.

Da patienti infra ſcriptum ſuccum, optimam videbis operationem.

℞. *Succi millefol.* ℥ij. *ſacch. albiſſ.* ʒß. m. ſ. da patienti diluculo *Ben. Victorius.*

Pulv. cortic. mari ʒi. cum *vino auſtero* ſingulo mane *Cl. Deodatus Pant. H. p. 98.*

Chymici *vitriol. vener. ſpir.* commendant præſtantiſſimum

ſimum remedium prædicant ad omnes vteri affectus. *Idem.*

Quinta eſſentia ferri immodicos vteri & alios fluxus nimios ſiſtit, Doſis ℈i. cum *aqua acetoſæ*, *P. Ioh. Faber. Myroth. l.3.c.4.* vbi præparatio.

Quinta eſſent. corallor. ſiſtit omnem fluxum muliebrem immodicum a ʒß. ad ʒi. cum *aqua plantag. Idem c. 22.* Ibi præp.

26. *Ex adſtring. laudantur*) In ſpecie conveniunt omnia quæ in Hemorrhagiâ in genere, tamen palmam præferunt *martialia*, excellit *liquor martialis Solaris*, nam vt vt menſes ſtimulet, tamen & lochia ea tunc nimiùm fluentia ſiſtit; Scilicet per ſe ſemper adſtringunt *martialia*, & tunc præcipitato acido vi adſtringendi optime conveniunt; Iuxta hæc *Tinctura ſulphur vitrioli*, aut *Tinctura adſtringens martis* eſt optima, *Lapis hæmatites in ſucco granat*, vel *cydon.* menſes ſiſtit; Egregius eſt *ſuccus plantag.* tamen tè *interne* quam *externe* injectus, nempe in vaginam vterinam: vide *Foreſtum ſtercor. aſinini ſuccus* morabile remedium. E.g

℞. *Succi ſtercor aſinini* vel *ſuilli*, *ſyr. myrtill.* ãã. ʒß. *m. cum aq. plantag. & bibat.*

Laudatur *caninum ſtercus*, quod optimum vel per ſe, vel cum aliis.

Si oritur *fluxus* ex *nimia turgeſcentia*, eundem ſimpliciter ſiſtit *ſpir. vitrioli in aqua plantag.*

Præter *acida martialia*, aliaque conveniunt in ſpecie talia, quæ adhuc *ſeroſitatem abſumunt*, *acrimoniam temperant*, & partes laxatas vi ſtyptica firmant, qualia ſunt *ſuccinum*, *oſſa*, *cornua animalium calcinata*, *mumia*, *corallia* &c. nunc ſolitaria, nunc cum opiatis propinanda, eminent *Troch. de carabe à* ʒß. *ad* ʒj.

Mulieri plethoricæ, ſed ſanguine ſeroſiore præditæ & ſcorbuticæ, cui ob abortum quodam temporis ſpatio ſupervenit inſignis vteri hæmorrhagia.

℞. *Conſerv. roſ. ant.* ʒvj. *corall. rub. ſanguin. dracon. oſſ. human. calcin.* ãã. ʒß. *trochiſ. de carabe, alumin. crudi, ſemin. plantag* ãã. ℈ij. *laud. op. gr.* iij. *vel* iv. *cum ſ. q. ſyr. corall. f. Elect.*

Quod ſub prima mixtione propter alumen aliquantulum ſemper fermentat, ſed mox deſinit. *Etmuller.*

26. *Ex adſtringentibus*) Mirum præbet hoc auxilium, *Gallina infarcibatur coriandr. ſicco & rad. conſol. optimè coqu. in aqua chalyb. ad dimidias*, *de* juſculo ſumat ægra ℥viij. *Zacutus.*

Hoc fidiſſima obſervatione poficuum habeo.

℞. *Bol. Arm.* ʒij. *coque in aqua chalyb. cola, da* ℥ij. Item.

Hoc inter omnia auxilia veriſſimum reperies, etiam deſperatis fluxionibus, *Pulvis ex rad. mori* conficitur, da cum vino adſtringente. *Mercatus.*

Sal prunellæ dilutum *aqua* vel *ſucco plantag.* remedium efficaciſſimum eſt *Primiroſius.*

Succus acaciæ, hypocyſt. lycii ſeu omphac. *ex vino adſtringente* epotus, Egregiam vim habet *Vidus Vidius.*

26. *Ex adſtringentibus*) Veluti *cortex ſuberis, granator. involuc palmular. lanugo in fruct. roſar. bedeguar. in rubis, glandes caſtaneæ toſtæ, baccæ virgæ ſanguineæ, teſtæ nucum, oſſa dactylor. vſta, cineres vrticæ mortuæ, fructus ſiccati cum nucleis moror. ſorbor. cornor. meſpilor. ſemina limonij, mumiæ, coagul. hædi leporis, pellis anguillæ, lapides pretioſi, Iaſpis, conchacea. nuces cupreſſi, gallarum, grana myrti. vel myrtillor.* folia. *plantag. agrimon. equiſeti, myrti, quercus, ſyr. roſar. balauſt. ſemin. plantag. acetoſæ, lapatij, portulac. coriand. pr. cymin. torrefacti, berberis, ſumach. nucleor. granator. vvarum* cortices inter. rubr. *avellan. caſtan. gland. ſantal. rubr.* Ex quibus Pulveres fiunt, & ex his miſturæ diverſi modæ, *ſcoriam ferri* alii addunt. *Platerus.*

℞. *Lentiſci ſicci conciſi* ℥ij. *coq. in aqu.* ℔viij. bibat per multos dies, poteſt etiam infundi in vino nigro. *Rod. à Fonſeca Tom. 1. conſ. 55.*

Præ cæteris æſtimatur egregium remedium, *Aqua acid. ſulphur.* Doſis. ʒiv. in aqu. portulac. ℥iv. *Idem conſ. 83.*

Experimentum hoc ſupra omnia valet.

℞. *Succi plantag. mucilag. tragac. g. Arab.* Pars vna ſumatur per os, altera injiciatur in matricem. *Gordonius lib. m. p. 7. c. 9.*

Aqua hæc mirè commendatur.

℞. *Panis ex amylo far. hordei, oryza rec. cocta. q. ſ. projice in* ℔iv. *aqu. chalyb. flor. bugl, roſar.* ãã. *p.* iiii. *ſucci plantag.* ℔i. *rad. conſol. mai. vir.* ℥iij. *caud. equ. m.* ß. *medull. pyror. cydon. agr.* ãã. ℥ij. *portul m.* ii *boli. Arm.* ℥j. *ſantal. omn.* ʒß *deſtilla in B. M. doſis* ʒß. *cum magiſt. corall. Oſivv. Grembſ. p. 525. Arb. ru. int. ex Mercato.*

℞. *Vini rub. ſtypt. in quo pluries extinctus chalybs*, ℥ij. *g. Arabic tragac.* ãã. ʒß. *m. da mane. Grulingius. Obſ. 40. cent. 2.*

Sequenti remedio multæ liberatæ.

℞. *Aqu. plantag. vini rubri* ãã. ℥ij. *vitell. ovor. n.* ii. leniter bulliant, ſumatur tribus matutinis: Hoc eſt præcipuum ex arcanis. *Grulingius.*

27. *Pulvis*) Pulveres per qui ſe, vel cum additione *ſacchari roſae.* ſumuntur, vel cum *vino* aut *aquis* bibuntur, aut Electuariis, aut potionibus miſcentur. ex vſitatis ſunt *Trochiſc.* quorundam ſequ. Pulveres, de *charabe* vel *ſuccino*, *qui.*

℞. *Succinum g. arab. tragac. maſtichen, thus. lactam. acac. hypociſt. c. c. vſtum. corallia, balauſt. ſem. papav. n. crocum, mucilag pſyll.*

Trochiſci de terra lemnia, qui.

℞. *Terram lemniam, bolum, hæmat. corallia, margar. c. c. vſtum, ſpod. ex ebore, ſuccin. g. arab. tragac. thus, acaciam, hypociſt. ſangu. dracon. roſas, balauſt. ſem. portul. roſar. papav. n. gallas, amyl. aſſum, aqu. plantag.* Trochiſci de ſpodio.

℞. *Spod. g. arab. ſem. acetoſ. portulac. coriandr. granor. ſumach. berberis, amylum torrefactum, Omphacium. Platerus.*

Romana quædam longo tempore ex hoc malo decubuerat, nec ſanari poterat, donec. tandem conſilio vetulæ, nonis vicibus ʒi. *pulu. oſſium human.* ex *vino rubro* aſſumpta ſanata eſt. *Foreſtus lib. 28. obſ. 10.*

Adhibeatur Experimentum illud Guainerii quo matronam curavit, quæ ob elevationem gravis oneris, diu talem fluxum patiebatur. Dabat illi tribus vicibus ſtomacho vacuo, *cineris ſtercor. caprar.* ʒj. cum *aqua pluviali.*

Aliam etiam curavit *aſinino ſtercore*, quod à proprietate ſanguinem ſtringere ſcribit: Succum ex eo recens excreto ſumebat expreſſum, & dabat cum ſyr. *myrtino & aqu. plantag.* aliquot vicibus *Idem.*

Nos hunc pulverem magno ſucceſſu propinamus.

℞. *ſem. hyoſciam albi. ſem. papav. albi* ãã. ʒi. *lap. hæmat. corall. rubr.* ãã. ʒß. *camph.* ℈ß. m. f. ſumat. m. & v. ʒß. *Heurnius ad aph. 50. 5.*

Exhiberi iubeo inopia aliorum remediorum ʒi. *pulv.* ex *putam. ovor.* in juſculo, Fluxus imminutus eſt intra paucas. horas, ac ſequenti die iterato remedio ſuppreſſus eſt. *Sim. Iacoz Obſ. 86. cent. 4. inter Riverianas.*

℞. *Pellic. interior. nucum avellan. ſylv.* ʒj. *terra ſig. troch. de carabe, pulv. lepor. vſti, thur. maſt.* ãã. ʒi. *ſucci milleſ. q. ſ.* F. *Pilulæ, detur mane* ʒß. Idem facit *ſuccus milleſol. cum ſacch. datus. Mercatus.*

27. *Pulvis*) Sequenti multas mulieres hoc affectus ſatis antiquo curatas fuiſſe teſtatur *Ioh. Michael Paſchalius.*

℞. *Cortices duorum ovorum rec. vſtos, thuris, maſtiches* ãã. ʒß. *margar. præpar. corall. r. præpar. carabes,*

vata fuit, *Ioh. Schmidius m. ſ. vol. 2. p. 40.*

35. *Clyſteres)* Scil. vterini, injectiones fiunt in vterum per metrenchytem ex *ſucco plantag.* ſolo, qui valde efficax; vel ex *ſucco polygoni*; Iiſdem ſuccis addi poſſunt *mucilag. g. tragac.* ℥j. *amyli* ʒj. *aq. peculi roſ.* ℥iii. vel.

℞. *Fol. polygon. plantag. millefol. burſæ paſt. caudæ equ.* āā. *m.* ß. *coqu. ad* ℔ß. *in colat. diſſolve acaciæ* ʒiii. *ſangu. drac. boli arm. lap. hæmat.* āā. ℈i. *m. f. clyſter vterinus.* Riverius.

In ſinum vteri injecta vel indita, cum venarum menſtrualium illic pateant oſcula, ea occludendo vi adſtrictoriâ aut emplaſticâ multùm in fluxu hoc ſiſtendo poſſunt efficere, vti & alio ſi à fundo vteri ſanguis profluat; nam etſi injectiones eum minimè ſubintrent, tamen vires eouſque extendunt: *Platerus.*

Clyſteribus vterinis ego felici experimento immiſceo *ſucci ſtercoris equini vel aſinini* ℥iv. *Zacutus.*

℞. *Succi polyg.* ℥iiii. *mucilag. gummi comm cum prædicto ſucco extr. q. ſ. aquæ roſar. ſæpius chalybeatæ* ℥iii. *amyli.* ʒi. Infunde in vterum, *Mercatus.*

36. *Succo millefolii.)* Hæmorragiâ vterinâ inſigni laborabat vidua N. annor. 47. temperamenti cal. hum. quæ internis exhibitis remediis pluribus, decocto præprimis *millefol. & cortic. arant. immat*, *Iuſculo* etiam *ex part.* ii. *aquæ millefol.* & parte j. *vini Alikanti* dicti multum allevabatur: In hæmorrhagiâ ipſa autem vehementi ſuillum ſtercus celerrimè omnium ſanguinem ſiſtebat. *Ioh. Schmidius.*

37. *Specifica ſunt intra)* Mulieri ſuaſi *vt ſucci vrticæ depurati* ℥iv. manè & ſero ſumeret per biduum: Bis aſſumpto remedio, ſanguinis fluxus valde imminutus eſt & ante xxiv. horas omnino cohibitus: eodem tempore admovebat vteri regioni Fotum ex *ſpongia in aceto & vino rub. auſtero* madefacta. Hoc remedium pari ſucceſſu à me in aliis vſurpatum. *Simeon Iacoz. Obſ. 86. cent. 4. inter Riverianos.*

Dioſcorides hoc in caſu exhibet x. vel xii. *rubentia grana paon. mar.* & menſtruum profluvium iſtis ſiſti compertum eſt; Advertendum ne pro his ſemina pæon. ſubſtituantur, ſunt enim grana illa rubentia quæ in *peoniæ maris* ſiliquis, ſemina amplexu ſuo vndique ſtipant & firmant; quæque dehiſcentibus ſiliquis malum granatum recluſum æmulantur. *Solenander conſ. 4. ſect. 4.*

Dixit mihi mulier fide digna, quòd in conſtringendo menſtruo ſumebat *h. polytric. m.* ß. coquebat in *optimi vini* ℔iii. *ad medias*, dabat de *eo vino tepido* mane ℥iii. & in tribus diebus curabatur, Expertu ſum, & ita inveni ſicut mihi dixit. *Idem.*

Ad conſtringendum menſtruum expertum.

℞. *Stercora caprarum montan.* combure, da bibere cum *vino rubro ſtyptico, dozis* ʒß. *ad* ʒi. & curabitur optime.

Ad conſtringendum menſtrua rubra & alba, Experimentum verum.

℞. *Stercor aſini rec. torculati* ʒiii. cum *ſyr. myrtino & aqua plantag. f. pro* mane, & continua per aliquot dies, & curabitur.

Ad conſtringendum menſtrua rubra & alba, da pro vino ʒiß. *pulv. oſſium dactyl.* & dicitur expertum. Item.

℞. Vnam bonam *pullaſtram* magnam, exenteratam imple *cumino*, bulliat donec caro ab oſſibus ſeparetur, juris colati capiat mediam ſcutellam, mane & ſero per ſeptimanam & curabitur optimè, Experimentum eſt ad conſtringendum menſtrua, maxime alba. *Item.*

Comedat omni die vnum ovum recens crudum, & poſt mediam horam bibat ℥i. *ol. comm. dulc.* & ſic continua per novem dies, Et eſt expertum ſæpe.

Experimentum pluries probatum ad conſtringenda menſtrua.

℞. *flor. nucum* quando ſunt maturi, & cadere incipiunt *cochl.* i. *vel* ʒi. in forma pulv. cum vino optimo calido jeiuno ſtomacho per plures dies exhibeatur; Ex hoc medicamine omnes habentes fluxum menſtruorum ſanantur: *Specifica* etiam vi ſuffocationibus vteri medetur. *Solenander.*

Obſtetrix Cæſarea conjugi meæ ſecundinam exſiccatam & pulveriſatam intra corpus exhibuit, cum poſt abortum menſes tam violenter fluerent, vt nulla arte cohiberi potuerint, & ſic paulo poſt reſtitere: Sed ſi ejus nimium quæpiam ſumpſerit, aiunt eam ſterilem omnino fieri *Wolf. Hœferus H. M. l. 7. cap. 1.*

Iecur leporis cum *lamia terra*, ex aqua potum, profluvium cœli intenſum ſanat. *Alex. Benedictus. l. 26. c. 8.*

Sequens tantæ eſt efficaciæ vt ſæpius adhibitum nunquam fallat, niſi fluxus ab vlcere veniat, *Ex ſucci ſtercor. aſinini, ſyr. myrtini*, āā. ℥ß. *aqu. plantag.* ℥i. m. da neſciæ mulieri. *R. a. Caſtro.*

Pulvis flor. vrticæ mortuæ ſiſtit omnem ſanguinis fluxum, & commendatur à multis, vt & *pulvis ſpongiæ lotæ. H. Corbeus Gyn. c. 2.*

Quædam mulieres pro arcano habent in fluxu poſt abortum, *carnem fumo induratam* vnius anni, minutiſſime conciſam, torrent, exſiccant, pulveriſant, dant *cum vino rubro*, vel alio adſtringente, feruntque hoc remedio deploratas mulieres ex fluxu enormi poſt abortum reſtitas. *Idem.*

37. *Specifica ſunt)* Murium majorum ſtercora novem deglutita aliquæ mulieres pro ſingulari experimento habent *Platerus. Weikardus.*

℞. *Cranij hum.* ʒj. *pulver.* cum vino albo per noctem infundatur, mane bibatur, alternis diebus, tertia vice fluxus ſiſtetur *Digbæus Exper.* p. 103,

Mirabilis eſt *caro ranarum* comeſta. Ex carne earum paratus cibus albus perſuavis mire fluxionem coercet; Eſtque mirabile auxilium *earum Aqua deſtillata*, ſi vivæ triduo in aqua pura dulci ſerventur, & bene lotæ per Balneum deſtillentur, *P. Michael de Heredia op. T. 4. l. 2. c. 1.*

Specifica ſunt *cuticula pedum anſerin. exſiccat. & ad* ʒß. *vel* ʒj. exhibita, *Ionſton Ideæ m. pr. p. 102.*

Experimentum quid omnia alia ſuperat, eſt *radic. filipendulæ* ʒj. quotidie in *ovo ſorbili* ſumpta, Incredibili efficacia omnem ſanguinem ſiſtit. *Mercatus.*

Radix Nymph. albæ vino cocta & pota menſium abundantiam ſiſtit efficaci remedio. *H. Petræus.*

Mirum quidam ſcripſerunt, Si ſanguinis illius, qui vltimò mulieri profluit guttulæ aliquot patienti inſciæ in vino aut cereviſia propinentur, ſtatim ſiſti profluvium. *Primiroſius.*

37. *Specifica ſunt intra)* Noſtrates mulieres vulgare habent remedium ex *flor. chamæleontis*, quibus lac condenſare ſolent, Exhibent cum Iuſculo, aut alio liquore.

Aliæ vtuntur *coagulo hœdi* vel *leporis* ad ℈ß. quod & ſanguinem fluentem ſiſtit & concretum in vtero diſſolvit Radix *filipendulæ* vt & *cortic. mori*, pulver. exhibentur ad ʒj. ex liquore idoneo. *Flores nucum* quando ſunt maturi, & cadere incipiunt, collecti & in pulverem redacti exhibeantur ad ʒj. cum vino albo mane per plures dies: Ex hoc medicamine omnes habentes fluxum menſtruorum ſanantur, vt refert *Solenander*: Specifica etiam vi vteri ſuffocationibus medetur.

Spica nardi tenuiſſime pulverata & ſumpta ad ʒj. cum liquore idoneo menſtrua cohibet, tum etiam ſi ex ea Naſcale componatur. *Riverius.*

38. *Pulvis Turturis Foreſti)* Sequentem is commendat, quem dicit eſſe vnum ex arcanis *Helidei*, Accipit Turturem moderatè pinguem, ab inteſtinis depurgatum & lotum *vino rubro adſtringente* & *aqua roſacea*, deinde *maſtiches* ℥j. in ventre ponit, & aſſuit, atque ita veru ad ignem rotat, & inter aſſandum loco butyri aceto roſaceo aſpergit, pinguedinemque defluentem colligit & vſui ſervat: Poſt perfectam aſſationem Turtu-

rem in ollam novam vitream conjicit, luto Philoſophico obturatam, & in furnum calidum demittit vt tuttur perfecte exſiccari poſſit, quem poſt in pulverem redigit, Ejus cochlear vnum exhibet omni mane cum *aqua plantaginis* aut decocto adſtringente: *Pinguedine* reſervata regionem renum, pubis & inguinum inungit.

38. *Extra*) *Extrinſecus* Inunctiones, & Applicationes fiunt circa lumborum, renum & pubis regionem, quæ idem vti ea quæ exhibentur præſtando ſanguinē ſiſtant; *Olea* inunguntur hiſce ſedibus ex vſitatis *Roſac. ſimpl.* vel *omphac. myrtill.* vel *myrtinum cydon. maſtich.*

Vel oleum in quo fructus auſteri non plane maturi, ſiccati, vel recentes, aut *ſucci* eorum cocti fuerint, *pyrorum, prunor. ſylv. meſpil. cornor. ſorborum*, vel *ſucco plantag. burſæ paſt. polygoni* fol. *rubi, quercus* &c. addendo & *acetum rubr.* pari cum oleo menſura, & decoquendo ad ſuccorum conſumptionem vſque:

Vnguenta inunguntur ex vſitatis, præcipue illud quod *comitiſſ.* vocant, præ cæteris efficax eſt, quod fit ex ſequentibus, decoctis in *aqua plantag.* vt *cortex medien. glandium quercus, caſtan. cortic. fabar.* rad. *biſtortæ aut torment.* fol. *caudæ equ, cappar. prun. ſylv.* fruct. ſicc. *meſpilor. ſorbor. capul. gland. gallar. bacc. myrti. vvar. acinis*, miſcend. hiſce *pulveres cortic. med.* prædictorum & *gallar. baccar. myrti. vvar. acinor. hypociſt. cineres oſſ. cruris bubuli, trohc.* de *Karabe*, *oleum myrtill.* & *ceram.*

Alia ex vnguentis vſitatis ſunt *Roſac. Refrigerans renes* quæ renibus potius, vt refrigerando ſi calidiores ſint, illorum calorem retundendo, & ſanguinis, qui ab emulgentibus copioſe illis infunditur fervorem impetumque compeſcendo, ſic minus fluxilem reddant, inunguntur.

Dein & *Emplaſtrum pro Ruptura* vteri regioni ante pubem admotum admodum adſtringendo hunc fluxum cohibet.

Convenient hæc amplius ſi vtrinque, anterius poſteriuſve ſimul applicentur, quæ & *plantis pedum* admota juvare creduntur, multa adſtringentibus adduntur quæ cum invalidiora ſint extrinſecus admota; ſtudio omittimus, vti *troch. de carabe*, de *terra ſigill. ramich*, ſimileſque, qui dum aſſumuntur rectius quam cum foris admoventur, operantur. *Riverius.*

Externe regioni pubis applicatur *ſpongia aceto roſ. ebria*, ſeu orificio vteri externo.

Etiam *Injectiones in vrethram* ex *ſucco ſtercor. aſini* vel ex *ſucco, plantag.* vel ſolo vel dicto ſtercore imprægnato, egregia ſunt.

Præterea *Suffitus* ex *thure, maſtiche.* vel ex vapore *aceti deſtill. ſuper ſcorias ferri ignitas* injecti ſuſceptus vſu in ſunt.

Accedit *Cataplaſma* ex *hyocyamo aceto* imprægnato, lumbis aut oſſi ſacro applicatum.

Si ſimul adſit dolor ardens, aut rodens, in vagina vterina, commode fiunt *injectiones* ex decocto ſimplicium adſtringentium, quibus *hyoſcyamus* & *papaver* additur.

Ad Fluorem ſiſtendum faciunt *lintea ſanguine imbuta*, ſub cineribus calidis poſita, Eſt experimentum Panaroli.

Neque fefellit me hoc *Euporiſton Helv.* Eſt *Induſium per* octiduum à viro geſtatum, à muliere tali fluxu laborante indutum. *Etmuller.*

Ruſtica fluxu immodico laborabat, exhibui *ſucci urticæ* ℥v. *aut* vi. Et iuſſi admoveri hypogaſtricæ prædictum *ſuccum cum farina* tritici ſubactum, circa mediam noctem vtrumque iterari jubeo; poſtridie fluxus cohibitus eſt & ægra ſenſim convaluit. *Sim. Jacoz. Obſ. 7.*

Millefolij herba viridis adhuc tuſa & impoſita ſuperfluos mulierum menſes ſtringit. Eſtque hæc ſecreta mulierum experientia. Hier. *Tragus.*

℞. *Rad. eryngij m. ij. coqu. cum vino*, Lavetur probe patiens mane & veſperi, linteis calidis poſt ablutionem impoſitis, Initium vero ablutionis fiat pone aures, tum in cervice, hinc per totam ſpinam vſque ad os ſacrum, poſtea inungantur etiam ilia vſque ad vulvam, Hoc remedio quaſdam intra tres dies ſanatas vidi, quæ nullis aliis remediis curari poterant *Louyſe Bourgeois p. 4. c. 3.*

Pulvis ex matrice Gallinæ orificio pudendi intruſus nimium menſium fluxum egregiè ſiſtit. *Oſv. Crollius Baſ. p. 4.*

Iaceat mulier in *polygono mai. ſ. centumnod.* mirificam enim in ſiſtendo ſanguine vim habet: Eadem ſacculo impoſita & mulieri ſuppoſita mirifice juvat. *Cl. Deodatus Panth. p. 98.*

Vngu. Comitiſſæ adhibitum ſumini, & parti poſteriori dorſi mire prodeſt *Iac. Fontanus* Pr. 3. c. 44.

Fiat fumus, Balneum decoctionis alumin. eſt efficaciſſimum auxilium, ſi quater repetatur. G. *Caldera de Heredia. prompt. p. 336.*

In externa vteri hæmorrhagia nullum hoc Emplaſtro efficacius auxilium inveni.

℞. *Ol. cydonior. myrtin. ablutorum decocto rad. biſtortæ.* āā. ℥iv. *ceræ rubr.* ʒvi. *ſangu. drac. boli Arm. acaciæ, hypociſt.* āā. ʒj. *cortic. mediani caſtan. cortic. gland. arbor. myrtill. ſumach. terræ ſigill. ſpod. gallar. cortic. fabar. ſorbor. meſpil. rad. biſtortæ chelid. troch. carab. ciner. oſſ. bovis* āā. ʒß. *ceruſſ.* ʒij. *terebint. lota ſucco burſæ paſtor. q. ſ. Fiat Empl.* admovendum pubi & oſſi ſacro. *Idem.*

Conſentientibus viribus & ætate, ſedeat ægra in *aqua frigida*, nam eſt mirabile in menſibus ſuperfluis, cave tantum ne vitima inſequatur refrigeratio; nam difficilis datur regreſſus ad priſtinum colorem. *Dom. Leo Pr. l. 6. c. 8.*

Inſeſſus in *aqua frigida*, in qua prius cocta ſunt *poma cupreſſi, myrtus*, tolæ &c. ſumme juvant. *Zacutus.*

Mala cydon. ſub prunis cocta, pulvere *boli Arm.* & *myrtill.* inſita, inque cervicem vteri *immiſſa*, mire conferunt. *A. paræus.*

39. *Extra*) Balnea adſtrictoria quidam adhibent quæ minus ſunt fida vnde demulcendi roborandique fine quidem adhiberi poſſunt Thermæ, In vteri ſqualore & inde oriente ſterilitate cum ſucceſſu, ſed in menſium fluxu immodico, etiam prælervative minus: Quæcunque enim adſtringentia particulas habent laxiores, vel acriores, minus tuta ſunt quibus fidere poſſis: Quin ſi prælervative, adſtringentibus Balneis vtaris, cauto opus eſt ne menſes ordinarie fluxuri impediantur; quod illæ hinc expertæ ſunt cum ſuo damno, quæ vt virginitatem mentirentur adſtrictoriis curarunt Balneis. *Wedelius Arm. m. m. p. 62.*

40. *Extra cingulum*) *Amuleta* ad ſanguinem ſiſtendum corpori appenſa, aut manibus retenta, vtilia eſſe creduntur, *Lapis hamat. corall. rub. carniola, onyx, jaſpis*, Item *chelid. mai. potentilla, phoenix, acetoſa, clematis, pervinca*, femoribus aut cruribus alligata; *Ova conquaſſata* cum bombace inuncto plantis pedum appoſita, & cum ſiccantur denuò repetita. *Platerus.*

40. *Extra Cingulum*) Fac cingulum *ex pilis* vel lana *aſini* & eo cingatur mulier & ſtatim ceſſabit fluxus & ſi ponatur ſuper caput, ſtringit fluxum narium.

Ad idem ſuccus porri valet mirabiliter, & ſtringit etiam hæmorragiam. *Solenander.*

Ancilla, cum fluxu menſtruorum ita laboraret per aliquot dies, vt nullo modo ſiſti poſſet, *jaſpidem rubr.* femori juſſi alligari, quo facto ſubito menſium fluor ſubſtitit, nec redut. Anſelmus Beotius *lib. 2. de Lap. ſi & G. c. 102.*

41. *Cingulum ex fol. hellebori*) Externe in hoc caſu mira-

mirabiliter & ſingulariter prodeſt, ita conſutum cingulum, vt folia recentia aſſuantur faſciâ, & circa lumbos nudo corpori applicentur. *Ioh. Hartmannus pr. p.176.*

[42]. *Et linteum in ſanguine*) *Schroderus Pharm. l. ſp 288.*

[43]. *Cataplaſma*) Hoc hiſce ſedibus quibus Fotus apponi poteſt.

℞. *Plantag. burſæ paſt. herniar. menth. ãã. m. j. coqu. in vino rub. contund. adde far. lentium* ℔ß. *ſterc. capræ aſini* vel *porci in furno exſicc.* ℥ii. *acaciæ vel hypociſt.* ℥ß. *ſangu drac. thuris, ãã.* ʒij. *gypſi vſti. boli ãã.* ℥j. *miſce. omnia, & portio excipiatur album ovi coctlo, & ſic. vteri ſedi* appoſitum, donec ſiccetur retineatur; vel miſce *ol. roſar. myrtiollr. aliud ve. Platerus.*

Ex *ſucci vrticæ*) Specifica vt potius quam adſtrictione operatur: coquitur in targine & pubi admovetur.

Differentiæ ſumuntur à [44]. *ſanguine, utero, & venis uteri.*

I. A [45]. *ſanguine.*

I. Vel [46]. *derivato* ex *fundo*, qui etiam nigrior eſt, & plerumque grumoſus: vel [47]. ex *cervice* qui eſt rubicundior & fluidior.

II. Vel [48]. *copioſo* qui [49]. ex eo *cognoſcitur*, quod fœmina ſit vividior, coloratior & habitus boni, vaſa vel aperiantur, vel rumpantur, in fœminis præſertim, quibus menſes diu ſubſtiterunt, & poſt copioſiùs erumpunt; ſigna plethoræ adſunt, ſanguis qui exit eſt ruber & facilè in grumos concreſcit.

In *Curatione* reſpiciendum 1. [50]. ad *Venæ ſectionem*, quæ ſi evacuationis gratia inſtituitur, venam in cubito, hepaticam imprimis concernit: ſi vires ſint debiliores, in ſalvatella utriuſque manus inſtituitur: ſi revulſionis gratiâ fit, quia repetita potentius revellit, partienda eſt.

2. [51]. Ad *Cucurbitulas*, quæ ad evacuationem, cuivis parti, ut dorſo, ſcapulis, inferiores ſi exceperis, & quidem cum ſcarificatione applicari poſſunt, ad revulſionem mammis ſine ſcarificatione imponi debent, & difficultate reſpirationis oborta, removeri.

3. Ad [52]. *ligaturas, frictiones brachiorum*, &c.

III. Vel [53]. *acri*, qui [54]. ex eo *cognoſcitur*, quod eroſio vaſorum conjungatur. [55]. bilis ſigna adſint, ſanguis in utero detentus & corruptus ſit. majore copiâ elabatur.

[56]. In *Curatione* [57]. Purgatio per ſyrupum roſarum ſolutivum, & [58]. folia ſennæ adminiſtretur. [59]. Incraſſantia videantur ſupra.

IV. Vel [60]. *ſeroſo* & *aquoſo*, [61]. qui ex eo *cognoſcitur*, [62]. quod vel epar imbecillitate peccet, vel renes ob debilitatem ſerum non attrahant, ſanguis copia minore effluat, nec facilè in grumos mutetur, qui effluxit ſi linteo excipiatur & in vmbrâ ſiccetur colore ſe prodat. [63]. *Curatio* morbos ipſo attendit.

II. Ab [64]. vtero [65]. humido nempe & laxo &c. de quo in intemperie.

III. A [66]. *venarum vteri vitio*, nempe [67]. *Anaſtomoſi* in ejus Curatione quæ facilia obſerva. [68]. *Localia* præſtantiora illis quæ per os ſumuntur: Frigidis calida admiſceri debere, ne venas obſtruantur, ventilatio caloris prohibeatur & febris inducatur. Peſſis, ſi apertio eſt in vaſis cervicis, adiberi poſſe, vbi *folia quercus & vnguentum Comitiſſæ* valent. [69]. Balnea nonniſi frigidiora, aut in quibus vis aſtringendi caliditatem vincat, vſurpanda eſſe.

II. [70]. *Diapedeſi*, quæ rariſſimè accidit, ſtatim topica aſtringentia repoſcit; lethalis, Si negligatur.

III. à *ruptione*, quæ vel à plethorâ vel à cauſis ſanguinem agitantibus, partu præſertim laborioſo accidit, & præmiſſâ, ſi opus, venæ ſectione, conglutinantibus medicamentis curatur.

IV. Ab [72]. *Eroſione*, quæ exinde *cognoſcitur*, quod ſanguis paucus, purulentus interdum, interdum ſeroſus fluit, *Oritur* à ſanguine acriore & corrupto, interdum à medicamentis acrioribus. Inter [73]. *Aſtringentia* laudatur *radix filipendulæ*, vel ejus *decoctum.*

De Hæmorragia vterina.

[44]. *Differentiæ ſumuntur à ſanguine vtero & venis vteri*) *Vteris cervicis* venæ à cava prodeuntes, ſiper *anaſtomoſin* aperiantur, ſanguinis effuſiones frequenter prodeant, ſicut enim hiſce ſtatuto tempore ſe aperientibus, ſanguinemque profundentibus, naturalis fœminino ſexui fluxus menſtruus oritur, Ita & præternaturalis immodicus hic fluxus, vel alii ejuſmodi, extra tempus menſtruum ſe offerentes, menſtruis tamen nonnihil correſpondentes inde naſcuntur.

Quando ob *copiam* ſanguinis, eo à natura perpulſo in plethoricis, oſcula hæc patefacta citius, & frequentius, & proin intempeſtive, vel ipſo menſtruorumt empore, ſed immoderate ſanguinem profundunt, vel cum ſanguis ob *tenuitatem* aut *fervorem* eo delatus, oſcula permeans, inordinatas vel immodicas ejuſmodi fluxiones parit: Aut quando natura ſuperfluitates corporis per hanc viam cum ſanguine, vel conſueto menſtruorum tempore, vel aliò evacuans, inconſuetas aut profuſas alia; hæmorrhagias progignit:, In quibus ſanguis, nunc ſeroſus admodum, vel alioquin vitioſus & impurus emanat. Profuſiſſimè autem hic fluxus fere accidit, ſi magna ſanguinis, vel puri aut impuri quantitas circa vteri venas, ob ſuppreſſa diu menſtrua congeſta, ſubito venas aperiens, magna vi erumpat, oſculaque hoc illius impetu adeo diducat, vt cum ſe tam cito recolligere, huicque impetui reſiſtere nequeant, non ſolum ſanguinis ex vteri ſed & ex aliis majoribus vaſis in locum illius exhauſti ſuccedentis ſequatur effuſio, corpus veluti exangue reddatur.

Quod vti in venis vteri cervicem implicantibus fieri plerumque ſolet, ſic & in illis quæ vteri fundum ſubeunt, ſi & illæ in mulieribus, quibus venter ob menſtruorum diutinam retentionem, ſanguine in vterum ſe tum ingerente, eumque vt in molem excreſcat, infarciente, ſicuti in mulieribus quæ ſe gravidas eſſe falſo putant, cervicis vteri venis dehiſcentibus, *Hemorrhagia* periculoſa ſæpe & vitioſa ſequitur.

Alias etiam à vi aliquâ, per quam vteri cervicis oſcula ſolum aperiuntur, nec dum continuum vteri alio modo ſolvitur, hæmorrhagia ſuboritur Idque frequentius

& fere conſuetim in prima commiſtione, non ob hymen, uti vulgo creditur, diſruptum, cum membrana ſit exanguis, & ſi eveniret, potius quia evellitur, accideret: Sed quod veriſimilius eſt, quia per ſubitam illam & validam orificii vteri dilatationem, vel confricationem illam inſuetam cervicis vteri, venarum menſtrualium oſcula nonnihil reſerantur, menſtrui fluxus inſtar ſanguinem præfundunt, vel ſaltem cruoris aliquas notas proferunt.

A medicamentorum, oſcula venarum aperiendo, fluxum menſtruum concitantium vſu, maximè ſi violenta ſint, atque ex illis præcipue quæ vteri ſinui induntur, *peſſaria, Hæmorrhagia* copioſa quoque excitari poteſt.

Ab iiſdem cauſis à quibus menſium immoderatum fluxum evenire oſtendimus, etiam expurgatio illa ſanguinis poſt partum fieri conſueta, immoderata fit, ſicuti naturaliter hoc in partu diductis & ſeparatis ad invicem oſculis vaſorum ſecundinæ cum vteri, apertiſque, ſic & præternaturaliter ob nimiam ejus quantitatem, vel tenuitatem nimia illius evacuatio.

In *vteri cervice vena læſa* ſanguinis effluxum ex ea etiam concitant, veluti in *Partu difficili* frequentius accidit, ſi ob ſecundinæ ab vtero poſt partum attractione, aut alia vi avulſæ, oſculis venarum divulſis, aut ſciſſis ſanguis immoderatius profluat, vel etiam ob fœtum, dum per haſce anguſtias tranſit, continuum ſolventem hoc eveniat, vel per abortum vaſis fœtus vteri vaſis connatis, nec ſponte ſecedentibus, vti in fœtu iam maturo in partu accidit, ſed impetu hoc violento abruptis contingat. *Vide ſupra. Platerus.*

Vxori N. 62. ann. cum per aliquot ſeptimanas male ſe haberet, cum gravi capitis dolore, reſpirandi difficultate laſſitudine, quadam loquendi impotentia &c. tandem menſes qui per aliquot annos ſubſtiterant fluere cœperunt, tam per ductum ordinarium quam extraordinarium, os ſcil. ita vt per duos dies continuos ſanguinem ſputando eiicere, & hoc ipſo imminentem ſuffocatione, periculum avertere neceſſe habuerit; hinc per totam corporis ſuperficiem ἐγχυμωμάτα plurima, à ſanguinis impuri ſtagnatione comparverunt, quæ convenientibus diaphoreticis, interiectis aliis medicamentis, ſymptomatibus vrgentioribus ſuccurrentibus iterum diſcuſſæ integrum patienti ſanitatem reſtituerunt, *Ioh. Iac. Febr. med. Sept. vol. 2. p. 32.* Hoc in caſu omne tuliſſet punctum v. ſ. in pede inſtituta, ſiquidem plethora tam luculenta indicia.

Matrona ſeptuagenaria hoc anno hæmorrhagiam vterinam potius quam fluxum menſtruum, quia periodice non eſt reverſus, paſſa eſt; Ad annum 50. evacuata eſt illa menſtruatim tanto exceſſu, vt procidentiæ vterinæ leipothymiæ &c. metus immineret, Februario anni 1679. correpta eſt vertigine, cephalalgia, labiorum tremore, linguæ difficultate, lateris dextri impotentiâ, adeoque affectu quadamtenus apoplectico, Reſtituta eſt exhibitione *ſpecifici cephalici ex cinnabari antim. ſpir. ſal. armon aniſato eſſentiæ ſuccin. Sale vitrioli* (emetico in apoplexia præſtantiſſimo; teſte *Langio miſc. p. 8.*) menſe maio redire Apoplexiæ prodromi periculum majus quam nuper minitantes, quos præter ſpem mitigavit *Hæmorrhagia vterina* copioſiſſima, quæ vix cohibita, *tum bufone ſiccato* cum *muſco terreſtri* ſindon. incluſis, vmbilico admoto; vndè ſtatim ac incaluiſſet, fatente ęgra & torminum & fluxus remiſſio, ita vt non excerneretur poſthac ſanguis floridus, ſed tantum, & quidem ſenſim, qui jam extravaſatus erat, nigricãs & grumoſus *Tum*, vrgente periculo excretionis tam copioſæ, in tanta ætate, ad ſimul placandum archei urorem conſulebatur miſtura cochleatim vrgente malo ſorbillanda, quæ habebat *extracti anodyni gr. iij. in ſyr. corall.* ℥j. & *ſucci cidon.* ℥viij. *ſoluti*, id quo monitu *Ballonii l. 2. Epid.* & *Eph. p. 206.* In *morbis mulierum vterinis præſertim cum dolores adſunt, maxime vtendum ſtupefacientibus quod & primo quoque tempore fecerit Hip. l. 2. de m. m.* Sitim profluviorum comitem ſolabatur *Emulſio ex amygd. d. ſem. papav. albi. &c.*

Vivit jam ſine quetela vllius ſymptomatis, ita vt longævitatem & valetudinem proſperum Hæmorrhagiis vterinis ad ſcribere poſſit.

Medicos, naturæ miniſter, in caſu recidivæ indubiæ metuendæ non erraret, ſi v. ſ. artificiali, quæreret revulſionem, monitus non tantum hoc naturæ auſu, ſed etiam *ecchymoſi* quæ fere ſemper ſequitur apoplecticorũ obitum, vt ita medicis evidentiſſime exprobrare videatur natura venæ ſectionis neglectum. Præterea experimenta feliciter tentata, medicorumque multorum authoritates. Sed quis audeat in tanto ſenio reclamantibus præſertim, vt fieri ſolet adſtantibus? &c. Hoc in caſu natura mole onerata, viam conſuetam per vteri venas feliciter repetiit, & quaſi v. ſ. quadam revulſoria ſe cerebrũ ex oneravit *Sigiſmundus Graſſius M. S. vol. 2. p. 33.*

45. *A ſanguine*) Cauſas mediatas proximiores in ipſa *maſſa ſanguinea* quærendas eſſe manifeſtum eſt. Hinc *Galenus 4. m. m. c. 2.* cauſas apertionis vaſorum oſtenſurus, ad duplex ſanguinis vitium, *plethoram* & *cacochymiam* nos deducit; *Illa* quidem hujus mali exiſtit cauſa quando *ſanguis* adeo *augetur*, vt in vaſis contineri amplius nequeat, ſed turgeſcens iſtorum repagula perrumpat, ſive orificia reſeret; *Cacochymia* vero non vna ſpecie lædit, inprimis vero *acrimonia ſanguinis ſalina* & ichoroſa in erodendis vaſis multum efficaciæ obtinet; Neque diſſentiunt quoad rem ipſam Recentiores, dum *ſanguinem*, vel *ſeroſiorem* vel *lympham acriorem* imprimis *craſſam* (quæ ſtagnatione ſua acrimoniæ dat anſam) inculpant.

Interim tam ad *plethoram* quam ad *cacochymiam*, peccans quoque ſanguinis motus (abſque quo forſan vtraque parum alias efficeret) concurrit Hunc autem quidam ὀργασμὸς concitat & vrget, vel, juxta modernos, *Effervescentia & Fermentatio* quædam p. n. excitata, dum nempe particulæ ſanguinis ſulphureæ & inflammabiles copioſius collectæ in alias paſſivas vehementiori impetu agunt illaſque ſic variè movendo, & ſubigendo, acriores reddunt, & ferventem quaſi ichoroſitatem ipſis conciliant. *Strauſſius.*

46. *Vel derivato ex fundo*) Vide ſupra §. *vterum vel venas.*

47. *Vel ex cervice &c.*) An ex cervice aut cavitate vteri effundatur diſtinguendum eſt, Nam ſi ab *uteri cavo* proficiſcitur pondus aut dolor circa regionem pubis percipitur thrombi generantur, qui poſt computreſcentes gravia inducunt ſymptomata, febriculam, cardialgiam, cachexiam, vteri & abdominis inflationem, ſuffocationes, deinde magna copia cum maximo dolore in grumos erumpunt, interdum ex mora nigricantes, graveolentes, Si vero ex *venis cervicis*, rubicundior eſt & fluidior, vnde patet in ſanis mulieribus ex venis colli non fundi; emanate ſanguinem, quia vterus naturaliter occluſus eſſe ſolet. *Primiroſius.*

48. *Vel copioſo*) Menſtrui ſanguinis naturam perpendentes plurimi, non quantitate ſolum, ſed & qualitate peccare exiſtimarunt, quia ſive cum moleſtiâ poteſt, ac mulier mirires cruciatibus affligit: præterea ſanguinis illius contactu penis cum menſtruata concumbentis excoriatur; Si novella vitis eo tangantur in perpetuum læditur. Steriles fiunt tactæ fruges, moriantur ſata, exaruntur hortorum germina; Si mulier prægnans alterius menſtrua ſupergredinius, aut illis circumbinatur, abortum fuit ex autem quæ vterum rexgeſtat concipiendi ſpem adimit: Purgantis ſpiritur vapor ab ore ſpecula atque cloris nitorem obſcurat *memini cum aliquando*

vxo

uxor mea fructus conditos, pateris vitreis impoſitos, menſa ut refrigerarentur impoſuiſſet, antequam charta cooperiantur, advenientem Matronam, tunc proculdubio menſtrualem, pateram unam arripuiſſe, de legitima coctura indicatura, vix tranſacta ſemihora, pateram illam tantam putrilaginem ab afflatu concepiſſe, ut non minus quã ſterquilinium nauſeam moveret) Guſtatus hic ſanguis canes in rabiem agit, homines verò diris cruciatibus affligit, comitialem morbum, pilorum effluvium, aliaque elephanticorum vitia infert, idcirco à veteribus inter venena relatus, pari malignitate atque ſanguis elephantici potus ex ſtimatur.

Alii contrarium ſentiunt, quia ſi menſtruus ſanguis qualitate peccaret, mulieres toto tempore, quo naturaliter aggregatur, mirabiliter afficeret, & ejus augmentatione ſymptomata quoque augeſcerent, quæ inſtante menſium profluvio terribilia evaderent; Dicunt prætera, cum fœtus illo retento ſanguine nutriri oporteat, neutiquam illum, qualitate noxium, multoque minus veneficum (ut quidam volunt) exiſtere.

Sed probabilior nobis videtur poſteriorum opinio, quæ ſtatuit ſanguinem menſtruum naturaliter conſtitutum ſola copia peccare, & effectus pravos modo enumeratos, illi non quatenus tali competere, ſed quatenus ſtagnatione vitiato; ex ea enim putreſcit facile, & à putredine æſtum auramque pravam concipit, tantoque facilius, quanto jugiter confluunt ad uterum, veluti ad ſentinam undique corporis muliebris ſordes & excrementa, quibus immiſtus confluens ſanguis facile corrumpitur, intenditque ex alieno miaſmate propriam putrilaginem: Natura enim ſpeciei propagationis admodum ſolicita (quantum poſſibile eſt) fœtui nutriendo bonum atq; laudabilem ſuccum ſuppeditat; cujus qualitates deſcribens *Hippocrates*, dicit illum in ſanis mulieribus velut à victima procedere, & cito congelari: Cui ſententiæ ſubſcribens *Ariſtoteles 7 de P. An. 22.* his verbis ſuſcribit; *Et quæ menſtrua vocantur erumpunt, quod ſanguis quaſi recens occiſi* animalis eſt. *Graef. c. 9.*

48 *Copioſo, qui ex eo cognoſcitur*) Qui *anaſtomoſin* vel *ζῆν* efficit; hæc oſtendunt, vulnera, caſus, aut contuſiones prægreſſæ, ſaltus, clamores, & geſtatio ponderis inſoliti in corpore plethorico & multo ſanguine referto, vel ingens æſtus, frigus immodicum, coitus immoderatus, iracundia inſignis & ſimilia; Idem contingit poſt partus laborioſos, vel ab imperita obſtetrice miniſtratos, poſt aborſus, vel diuturnam menſium ſuppreſſionem, quæ collectum nimia copia ſanguinem confertim deinde effluere facit: *Riverius.*

49. *Qui ex eo cognoſcitur*) Ex plenitudinis ſignis deprehenditur, ut ſunt tumor venarum, univerſi corporis gravitas, faciei rubedo, victus plenior præcedens &c. Tum quod mulier magnam patitur vacuationem antequam vires labefactentur; & ſi fluxus ſupprimatur pejus habet mulier, & venter intumeſcit, valetudinaria redditur. *Primiroſius.*

50. *Reſpiciendum 1. ad venæ ſectionem*) Curatio in omnibus menſtruis, & aliis per uterum factis hæmorrhagiis, inſtituitur per ea quę ſanguinem *evacuant*, & ab utero alio *retrahunt* & *derivant*; Quæ eum *puriorem*, *craſſiorem* minúſque fluxilem reddunt, Et *vias* per quas eo defertur, intercipiunt; vel *proprietate* quadam incognita agunt: Vno ex his mediis ſequentibus exhibitis admotiſve, vel pluribus ſimul pro ratione cauſæ in cura procedendo: Cauſaſque ante omnia, quæ hiſce fluxionibus occaſionem præbuerunt, quales ſunt viis adhibita ciborum calidorum & acrium uſus, motus corporis vel animi nimius, aliaſque tollendo. Venæ ſectio, antequam hæmorrhagiæ ejuſmodi ſuperveniant, in iis quæ ob plethoram obnoxiæ ſunt, evacuationis gratia in brachio inſtituenda, quæ & in gravidis, ſi in partu prius illas paſſæ fuerint, concedenda, cum conſtet, eam tunc non ſemel ſaltem factam, ſed & repetitam, in hoc aliove à plethora nato caſu, plurimum contuliſſe, neque fœtui alimoniam, uti putabatur, ſubtraxiſſe. In ipſo etiam paroxyſmo, ad ſanguinis fluorem hunc, per illius emiſſionem hanc *revellendo*, ſiſtendam, vena in ſuperioribus locis aperta, competit: Exigua autem ut ritè fiat, quantitas emittenda, & ſucceſſive per vices, cum alius quod corpus per hæmorrhagiam exhauriatur. *Platerus.* Menſes ſiſtentia ſunt quæ orgaſmum ſive turgeſcentiam tollunt ſanguinis & ſeri, ſive menſtruam, ſive aliam extraordinariam quoque: Præſtant ergo id generatim & proprie talia quæ motum ſanguinis refrænant, acrimoniam & impetum exundantem coërcent, tenuitatem, fluxilitatem & turgeſcentiam tollunt, adeoque figunt & coagulant, uno verbo adſtringentia: Cum vero orgaſmus hic ſupponat quantitatem ac reſpectivam copiam, ſive in ſe & reſpective talem, ſive effective quoad qualitatem, unde expanſus & rarefactus alveis & poris ſuis exundat, nec è viis communibus in proprias recipi poteſt, notandum eſt in genere hæc ipſa adſtringentia magis deberi poſteriori caſui minus, priori, unde obſervavimus in praxi, ad immodicum menſium fluorem pro orgaſmo illo, ſine quo nunquam fiunt, nimio tollendo, opus eſſe depletione quantitatis onéroſæ: Depletionem vero optime præſtare venæ ſectionem in brachio, non in pedibus, quæ & divinum tunc eſt remedium, & niſi adminiſtretur hæc ipſa, tantum abeſt, ut adſtringentia ſola proſint, ut potius non raro majorem fluxum cieant, quatenus conſtringendo vaſa, vias minores reddunt, impetum vero quantitati debitum retundere neſciunt: Ut non menſes promoveri niſi præſente quantitate ſanguinis ſufficiente, ita non ſiſti niſi abſente, quod cuivis experientia liquidum erit. *Wedelius Am. m. m. p. 412.*

50. *In curatione reſpiciendum*) Cum ſanguis abundantior eſt, ac viæ medio modo ſe habent, hinc *diutius* durat *fluxus*, nec tamen notabile ſanitati affert incommodum, non habendus pro præternaturali, etſi hactenus moleſtus ſit fœminis, quem proinde patienter ipſas ferre oportet, cum periculum ſit, ne ſi mutari tentetur, cum majori potius detrimento id fiat quam commodo.

Nam vel minuendus erit fluxus per *ſanguinis miſſionem*, per quam in brachio factam, non raro ſiſtitur inſtans fluxus, vel nimium promovetur ſi fiat in pede, Aut *viæ* ſunt *aperiendæ* magis per *incidentia* vel *emollientia*; ac per illa tentata viarum apertio major, periculum eſt ne ſanguis redditur ſimul tenuior & fluidior, hinc fluxus nimius: Per hæc, periculum ne ſimul labefactetur uteri robur, & graviora conſequantur incommoda: Satius ergo eſt moleſtiam illam ferre, quam incurrere diſcrimen ob mutationis optatæ incertitudinem.

Si ij. *Viæ* uteri ſint ita anguſtæ, ut ſegnius per ipſas fluere poſſit ſanguis mediocriter, tum in quantitate tum in qualitate ſe habens, Fluxuſque diu perſeverans non tam eſt noxius quam moleſtus, nec tunc is cenſendus p. n. ideo ad patientiam hortandæ fœminæ ob eventus incertitudinem: Nam ſive aperientibus, ſive emollientibus agamus, periculum memoratum imminet.

Si iij. *Sanguis* ſit *ſeroſior*, concurrentibus viis anguſtioribus (alias enim per ſatis patentes vias efflueret ſanguis abundantius, ac proinde citiùs quoque, copia ſui exſuperante) tunc Fluxus diutius durans curabitur, tum per medicamenta ſanguini *conſiſtentiam* debitam reſtituentia, tum vias blande magiſque aperientia.

Conſiſtentiam ſenſim augent, tum quæ humiditatem ſuperfluam in ſanguine minuunt, tum quæ incraſſant: minuunt humiditatem hydragoga, hidrotica, diuretica: Incraſſant ſubauſtera ſæpius ac minore quantitate ſumpta.

Vias blande lenteque aperient Externa potius quam Interna, ab his enim ſanguinis fluiditas peccans magis augeretur; Externa vero erunt tum incidentia, tum emollientia, ſimul jungenda, quia pleraque incidentia ſunt ſimul aromatica, hinc uterum roborantia, quem emollientia quodam modo infirmant; Forma, Fotus aut Balnei commodiſſima eſt, quæ illæſis partibus cæteris recta pergunt ad Vterum: Tempus commodum eſt in ingreſſu lecti, quia ab illo tum uſu facile excitatur levis ſudor.

Si iv. *viæ uteri patentiores*, nec ſat citò *ſe coarctantes*, uſurpanda quæ ſenſim uterum cum vaſis roborent & adſtringant, imprimis Externa.

Si v. *Animi affectus* gravis fluxus diuturnioris ſit cauſa; tunc animus ad tranquillitatem ducendus, & ſimul ſanguis acrior & fluidior factus corrigendus, uteruſque ideo debilitatus roborandus, uſu auſterorum ſæpius & quantitate minore datis.

Si vi. adſit *æſtus magnus* cum humiditate conjunctus, ſicut uno duntaxat durat is tempore, ita ferè mutata conſtitutione aëris, deſinit amplius urgere; is autem emendandus alterantibus, ſive transferatur ægra in locum frigidiorem Septentrioni obverſum, vel in locum domus inferiorem, quod faciendum perdurante æſtu magno, intermediis pluviis, ac ventis meridionalibus, una cum occidentalibus magis æſtuante, corporaque flaccidiora reddente: Vnde ob corporis univerſi, ac uteri præſertim robur fractum, dari poſſunt etiam interne quædam ſubauſtera ſimulque aromatica, e. g. roſæ rubræ &c.

Si vii. *motus multus*, cum defatigatione ac vigiliis, diuturnioris fluxus ſit cauſa, curetur quiete ſubſequente, partium omnium, uteri ac ſpirituum animalium recreatione, ſomnoque blande moto: Recreantur partes aromaticis, uterus iiſdem roborandus additis ſubauſteris, Animales ſpiritus reficientur ſpirituoſis, vino generoſo, &c. Somnus conciliabitur Emulſionibus, imo opiatis, modica copia ſumptis.

Si viii. à *condimentis* vel medicamentis aromaticis; ab ulteriore illorum uſu abſtinendum, ſimul uſurpando quæ ſanguinem acriorem, ideoque fluidiorem blande temperent & incraſſent, id quod præſtant acerba & auſtera blandiora minore quantitate uſurpata, à quibus etiam uterus nimis patens, roborabitur conſtringeturque addendo auſteris aromatica, ſed minus acria, nucem moſchatam &c. *Sylvius.*

50. *Reſpiciendum ad venæ ſectionem &c.*) Vide §. *Expoſcit cohibitionem per &c.*)

51. *Ad Cucurbitulas*) Si obſervetur virium imbecillitas, vel ob ætatem aliaſque circumſtantias venam incidere haud liceat, *Cucurbitulæ* cum vel ſine ſcarificatione commode ſubſtituentur, Ad vel infra mammas Cucurbitulam apponit *Hippocr. 5. aph. 50.* quæ, docente *Galeno in comm.* maxima eſſe debet, & cum multa flamma applicari: Quod ſi vero, *dices*, reſpiratio hinc impediatur; tunc conſilio *Riverii* mos geratur, ſubitoque removeatur oportet. Vide *Foreſtum l. 28. obſ. 13. Bonningerum cent. 1. obſ. 33. Strauſſius.*

51. *Ad Cucurbitulas*) Cucurbitula magna, vel plures parvæ, ſub mammis appoſitæ, admodum revellendo proſunt, cum venæ harum cum uteri venis magnum conſenſum habeant, quæ & dextro hypochondrio, ſcapulis item affigi poſſunt. *Platerus.*

52. *Ad ligaturas*) Quibus laus ſua denegari non debet, ſiquidem artubus ſic conſtrictis prolabentis ad uterum ſanguinis impetus evidenter intercipitur: Dum vero *Maſſaria l. 4. Pr. c. 3.* præter ligaturas brachiorum, etiam mammarum, & quidem ad animi deliquium uſque commendat, temere id imitandum non eſſe, cenſemus: Bene *Rolfinkius in conſ. 1. lib. 4.* Ligaturæ fortes tam in brachiis quam femoribus convenire quidem ait, ſupremas tamen fortius ligandas & poſtremo ſolvendas eſſe monet, ut ſi quem motum habiturus eſt ſanguis, in ligamentorum ſolutione, hunc potius ad ſupremas quam infernas partes habeat. *Strauſſius.*

53. *Vel acri*) Hujus evacuationis exuperantia dependet à veneno quodam martiali quod ſanguinem infeſtat, quodque fluxuum omnium fons eſt & origo: Hoc niſi tollatur, aut vis ejus in ſanguine muliebri extinguatur, totus evacuatur ſanguis & vita extinguitur: *P. Joh. Faber Path. ſpag. c. 61.*

Nos confundere non debet loquendi ratio qua *Faber* uſus eſt, dum à martiali veneno immodicum hunc fluxum deducit, per hoc enim nihil aliud intelligit, quam virulentam ac quaſi realgaricam quandam acrimoniam, & adurentem veluti proprietatem quæ in mineris martialibus, nimium adhuc immaturis, & ſulphureæ realgalicæque naturæ propinquioribus deprehendi ſolet. Talem autem virulentiam ex corrupto menſtruo non difficulter ſcaturire pauco ante (cap. de ſuppreſſ. menſium) ex fundamento perſpeximus: Ideoque in curatione obſervandum, ut non tantum ea porrigantur quæ ſanguinem impetuoſe prorumpentem reſtænant & compeſcunt; verum etiam ut iſta venenata qualitas ſanguinis, hanc profuſionem efficiens edometur ac tollatur. *Chr. Langius in Notis.*

53. *Vel acri*) Sanguis, qualitate peccat vel quantitate: Qualitate ſi tenuior, calidior, acrior, vel ob naturalem ægræ temperiem, vel ob victus rationem, vel ob corruptionem & humorum acrium & ſalſorum permiſtionem, & ſic prompte ora venarum patefacit & reſerat, tantoque fertur impetu, ut vix poſtea poſſit à natura coerceri. *Primiroſius.*

54. *Qui ex eo cognoſcitur*) A quo *diabroſis* ſeu ulceratio vaſorum in utero; quam factã indicant, ſanguis paulatim exſtillans cum ſenſu doloris & acrimoniæ, humores ſalſi & acres in corpore redundantes: Sanguis vero primo effluens ſanioſus, ichoroſus, nigricans aut flavus profunditur: poſtmodum vero, ſi ulceratio augeatur, fruſtula quædam partis deradantur, à quibus deinde ſequitur magna ſanguinis effuſio quam ſiſtere difficile eſt; Præceſſere cauſę cacochymiam generãtes, ut uſus ciborum acrium, ſalſorum, putridorum & ſimilium. *Riverius.*

54. *Acri, qui ex eo cognoſcitur*) Et ex temperie & habitu ægrotantis, victu præcedente & cauſis externis, adſunt ſitis, calor, tenuitas, acrimonia & interdum color pravus, præcipue ſi ſanguis corruptus ſit; Sanguis floridus & purus primum effluit, poſt etiam craſſus & fæculentus, ut obſervavit. *Avicennas, Primiroſius.*

55. *Bilis ſigna adſint*) A conſueta ejus evacuatione ſuppreſſa, idcirco ante tempus menſium educatur; imprimis Rhabarbaro, in ſubſtantia ſumpto, quo ejus vis adſtringendi ex parte ſaltem conducat ſimul menſium fluxui nimio coercendo; Conducunt quoque Tamarindi, qui præterea bilem aciditate ſua temperant, ac ſanguinem incraſſant. *Sylvius.*

56. *In curatione*) Tollitur illud venenum martiale, *eſſentia martis pura* & nitida ad guttulas x. propinata cũ *aqua plant.* ℥i. *Eſſentia* etiam *vitrioli*, ſeu *oleũ* ejus *acidũ* ad gratam aciditatem cũ *aq. plant.* aſſumpta: Idem præſtat *Magiſt. Magnetis* cum *aq. burſæ paſtor. & matricar. Laudan. Paracel. corall. & perlatũ, Amarant.* in *vino albo* potus menſium exuperantiam cohibent. *P. J. Faber.*

Quod

Quod concernit *Eſſentiam martis* puram ac nobilem, h.e. rubini inſtar fulgentem, eam parandi modi conſpiciuntur varii, quos *Schroderus* congeſſit; Illa tamen præparationis ratio magis philoſophica eſt, quæ cum *ſale martis* fixo, adeoque proprio inſtituitur, cujus beneficio repagula martis, crudi reſerari poſſunt, atque anima ejus, ſeu tinctura ex voto eruitur.

Eſſentia vitrioli pariter hoc laudari meretur, quum obtineat præſentiſſimam adſtringendi, & enormes fluxus quoſvis cohibendi efficaciam; Paratur illa ex *terra vitrioli dulci*, cui quo nobilius menſtruum adhibeatur, eo etiam præſtantior impetrabitur eſſentia: *Oleum vitrioli* dum fervorem & acrimoniam ſanguinis emendare admodum valet, jure merito hic quoque adſcribitur.

Laudano Paracelſi *perlato & corall.* magni valoris, & præparationis abſconditæ ſubſtituatur *Laud. Opiat.*

Florum amaranthi uſus, ut in fluxionibus cunctis, ita & hic valde probatur, habent enim vim refrigerandi, ſiccandi & adſtringendi, &c.

Remedia ex *magnete*, eodem titulo hic competunt, quo ea quæ ex *Marte*, ſunt enim ambo unius ejuſdemque naturæ, unde magna illa utriuſque ſympatheia; imo non differunt niſi puritatis ratione, ſiquidem ferrum ſubſtantiam habet puriorem, quam magnes qui multo lutulentior eſt ferro; Et hæc forte etiam cauſa eſt, quod magnes ferro armatus ſit præſtantior & potentior, & cur vegetior ſit ille qui ferri colorem habet: In medicina viribus hæmatitis pollet, adeoque fortiter adſtringit, ſtringitque ſanguinem & potenter ſiſtit: magiſterium exinde parari poteſt, ut ex reliquis lapidibus &c. *Chr. Langius in Not.*

57. *Purgatio*) Vide §. *nota verò.*

57. *Purgatio*) Purgantia exhibentur ſi ſanguis, quia ſero nimium abundat, vel bile perfuſus eſt, hunc fluxum concitet; ad eum ab hiſce repurgandum: Quod commodius ad præcavendum, antequam ille fluor oboriatur perficitur, cum tunc etiam paulo fortioribus uti, eaque aliquandiu continuare liceat: Quod hæmorrhagia jam urgente tuto facere minime poſſumus, cum tunc non ſolum vires nonnihil dejectas amplius proſternerent, ſed & corpus accendendo, irritando & commovendo fluxionem augerent: Itaque ſi tunc alvi quædam lenitio, aut purgatio, ob conſtipationem, aut illuviem in primis viis potiſſimum collectam requiratur, levioribus laxantibus id moliendum, illiſque quæ adſtrictionem aliquam poſt ſe relinquant, ut *rhabarbaro, myrobalanis* ſimilibuſque in dyſenteria expoſitis: Compoſitiones acres, *Scammon. agar. turbith.* &c. excipientes exhibere non tutum cum ſtimulando menſes evocent. *Platerus.*

Purgatio per ſyrupum Valet ſequens Potio.

℞. *Tamarind. prun. acidul.* āā. ℥vi. *cortic. myrobal. citr.* ℥ß. *f. decoctio in aqua &* iij. *parte vini rub. in colat infunde rhab.* ʒß. *ſpicæ* ℈i. *f. expreſſio adde ſyr. roſ. rubr. ſiccar.* ℥i. *f. Potio.*

Si *folia ſennæ* decocto addantur, fortius operabitur; nec dum adeo naturam irritabunt, cum ſuccus horum decoctione elicitus, cum ſucco *rhabarb.* & colore croceo & odore adverſo magnam habeat ſimilitudinem; ex quo & viribus non adeo differre colligimus, uti & ex eo quod tantopere in variis affectibus, uti & bilioſis, æque ac rhabarbarum uſurpentur; *Triphera Perſica ad* ℥ß. ſumpta, cum adſtringentia multa & fervorem ſanguinis contemperantia recipiat, idem præſtabit.

Poteſt talis hauſtus fieri.

℞. *Cortic. myrobal. citrin. pulver.* ʒij. *ſpicæ* ℈i. *in f. in vino rubro expreſſioni adde ſyr. roſ. rubr. ſimpl.* ℥i. *rhabarb. ſubtil. pulv.* & bene *permiſti* ℈ii. *vel* ℥i. f. Potio. *Platerus.*

58. Et *folia Senna*) Vide §. *Purgatio.*

59. *Incraſſantia*) Ad incraſſandum ſanguinem poterit fieri Juſculum *ex aqua roſar.* pura & *vitellis ovorum* recentibus: Pro delicatioribus Juſcula ex decocto *pedum vituli & fol. plantag. vel ſanguinariæ.* Iiſdem confert conſerva flor. *fructus cynorrhodi* frequenter exhibita, præſertim ſi calida hepatis intemperies adfuerit. *Riverius.*

60. Vel *ſeroſo & aquoſo*) Aquoſus ſanguis, qualis in cachecticis eſt, quoniam non quantitate, ſed qualitate peccat, fluxum potius muliebrem conſtituit. *Avicennas* illum inter cauſas adducit, ſed præter *Galeni* mentem, cui ſolius acrioris & copioſioris meminit, qui ſolus vaſa dilatare poteſt & rumpere. *Primiroſius.*

60. *Vel ſeroſo & aquoſo*) Quo in caſu ſudorem frequenter movere, balneo ſicco, aliiſve *ſerum* exhauriendo, ſi illud in ſanguine redundans nimio huic fluori occaſionem præbeat, plurimum ad præcautionem juvabit; cum dum hoc affectu laborant, eos ad ſudores adigere, & ſic corpus accendere, humoreſque commovere noxium ipſis potius, quam utile eſſet *Platerus.*

61. *Aquoſo, qui ex eo cognoſcitur*) Nullus aderit calor, nulla mordacitas, vixque concreſcit; Signa aquoſi humoris in corpore dominantis aderunt. Si *permiſtio aliorum humorum* adfuerit, aderunt indicia dominantis cacochymiæ ex colore, conſiſtentia, & aliis qualitatibus effluentis humoris cognoſcenda, & linteolorum inſpectione, nam bilioſus flaveſcit, melancholicus nigreſcit, & ſic de reliquis. *Primiroſius.* Vide §. *Venarum uteri vitio.*

61. *Aquoſo qui ex eo cognoſcitur*) Facile in linteis detegitur, ac per diapedeſin exit, quam oſtendunt rarus corporis habitus & carnium mollities, ciborum & potuum ſerum multiplicare idoneorum uſus. *Riverius.*

62. *Quod vel hepar*) Monendum hic uterum non ſemper hic laborare per eſſentiam; ſed ſæpenumero per viſcera αἱματοποιοῦντα, cor, pulmones, jecur, lienem (quo meſenterium & pancreas pertinent) tanquam per partes mandantes συμπαθητικῶς affici; dum iſtorum vaſa impurum corporis ſanguinem ad uterum propellunt, unde etiam Fluxus uterinus vocatur. *Strauſſius p. 398.*

62. *Quod vel hepar &c. vel renes*) Fundamentum fere eſt in *ſtomacho*. Si hic enim alimenta nimis colliqueſcere cogit, & in chylum nimis ſeroſum tranſmutat, ſanguis etiam ſeroſior redditur; Sic etiam *Barbette* dicit quod fundamentum nimii fluxus menſium ſit in *ſtomacho & renibus* In *illo* non rite chylum elaborante; in *renibus*, non rite ſerum evacuantibus: Serum itaque, in ſpecie ſcorbuticis inſigne, coacervatum, frequenter menſes ſolet inferre, & quæ omnes copioſe purgantur per menſtrua. *Etmuller.*

63. *Curatio morbos ipſos attendit*) Interim ſanguinea maſſa liberanda humore ſuperfluo, excremento ſcil. aqueo, à quo laxior eſt factus uterus, iteratis ſæpius ejuſdem evacuationibus, tum per alvum, tum imprimis per Sudores aut urinas.

Dico *imprimis per Sudores*, quoniam omnis per alvum corpus magis turbat debilitatq; quam evacuatio per ſudores, imprimis quando; Aqua eſt evacuãda, quippe quæ ſponte alvũ petere non ſolet, aſt Renes, ac proinde facilius per Cutis quoque poros effertur: Sicut enim Bilis nulla via evacuatur commodius quam per alvum & vomitum, non item per urinas vel ſudores ita, humores aquei commodiſſime expelluntur per urinas & ſudores, non item per vomitum vel per alvum.

Humores autem *pituitoſi & acidi* utraque via gemina, per alvum & vomitum, tum per urinas & ſudores videntur commode poſſe ejici: Bilem quod attinet, idcirco & commodius & facilius & felicius per vomitum & alvum educitur, quam per urinam & ſudores, quia ipſa pura effunditur, ac pervenit tantum ad tenue inteſtinum, non item ad cor & ſanguinem uni-

verſum, unde facile tum ad ventriculum ſurſum, tum ad inteſtinum craſſium deorſum propelli poteſt ac proin evacuari.

Eadem Bilis autem quatenus ſanguinis maſſæ eſt miſta, unde ſecerni debet, ut per ſudores urinaſque excernatur, penitius illi adhæret, nec pura poteſt amplius ab illa maſſa ſejungi.

Quoad Humores aquoſos, ſicuti prædictæ ſanguinis maſſæ laxe confuſi potius ſunt, quam intime permiſti, ita facile ab eadem poſſunt ſeparari, ac tam per urinas quam ſudores excludi; quia vero ſecundum naturam redundans in ſanguine aqua excerni ſolet cum urina, non item per alvum, mirum quoque non eſt quòd artificiosè facilius expellatur eadem una cum urinis aut ſudoribus, quam per alvum vel vomitum. Quoties ergo à redundante in ſanguinis maſſa humore aqueo uteri ſubſtantia cavernoſa reddita eſt laxior, hinc ad nimium menſium fluxum pronior, toties aqua illa ſenſim ſeparanda eſt à ſanguine, ac educenda è corpore, ac imprimis per ſudores & urinas. Ideo conducunt & Interna, ſudores moventia, blande inſuper adſtringentia, pleraque ligna & radices, & *Externa* præſertim Laconicum & ſtupha ſicca; minus aquæ dulcis balneum, niſi plantæ aromaticæ & blande adſtringentes incoquantur: His remediis ſæpius & blande uſurpatis, non modo excitabitur ſudor aquas minuens, ſed inſuper recreans & robotans fœminas multa humiditate aquea oppreſſas, uterumque laxiorem ideo habentes. *Sylvius.*

64. *Ab utero, humido, laxo &c.*) Si fluxus menſtruorum nimius debeatur *uteri conſtitutioni laxiori*, Cauſæ externæ nocentes vitentur, ac noxa in utero reperta laxitaſque nimia corrigatur; Vitentur aquea & fructus horarii, imprimis menſibus inſtantibus; Cavendum à balneo aquæ dulcis & fotibus cæteriſque emollientibus: Uſurpentur cum alimentis condimenta, tum aromatica, tum blande auſtera & adſtringentia, ſed grata.

Extus valent *Suffitus* blande adſtringentes, quos præfero Fomentis: quæ tamen cum vino rubello & adſtringente ſi parentur ex adſtringentibus plantis, non incommoda erunt, ſed aliquot diebus ante ac poſt menſtruorum fluxum: *Suffitus* parari poſſunt ex maſtiche, thure, roſis rubris &c. Conferunt ſimiliter *Interne* medicamenta leniter adſtringentia, & quidem quantitate parva, & vicibus repetitis uſurpata, ne nimirum noceant potius quam proſint, ſi unâ vice ſumantur quantitate notabili: quod imprimis notandum in alterantibus potentioribus, qualia ſunt adſtringentia, quæ facile vaſa exigua conſtringunt & claudunt, ſi majore uſurpentur quantitate, quæ ſi minore quantitate ſumantur, & blanda, tota ſanguinis maſſa reddetur paulatim craſſior firmiorque, ipſeque adeo uterus conſiſtentiam acquiret firmiorem ac denſiorem. *Sylvius libr. 3. capit. 3. §. 140.*

65. *Humido nempe, laxo*) Veteres imbecillitatem retentricis vaſorum, quæ humorem ſibi commiſſum retinere nequit, accuſant, uti apud *Hippocrat. 2. de m. m. ſectio. 51. & Galenum 3. de cauſ. ſymptomat.* videre eſt, Horum mentem explicaturus, *Maſſaria 4. Pr. capit. 3.* ad fluxum menſium immoderatum facere ait, ſi facultates, quæ omnibus membris inſunt ſuo officio non probe defungantur, præcipue ſi *contentrix*, ob intemperiem uteri frigidam, vel humidam, vel utramque, retinenda non quandiu decet retineat; Pariter ſi *expultrix*, quæ & quando non ſunt expellenda; ob uteri intemperiem calidam, vel ſiccam, vel utramque nimium expellat. Ex quibus patet Expultricem quoque ſuum hic ſymbolum conferre: Hanc Antiquorum doctrinam non omnes admittunt Recentiores: Sed licet *vaſorum apertionem* cauſæ proximæ & immediatæ vicem gerere aſſeramus, nihil tamen prohibet quominus læſam *Uteri Retentricem* atque *Expultricem*, ſuo quidem quamlibet modo concurrere ſtatuamus, cum hoc pacto ea quæ ſalva facultate, ob errorem duntaxat externum fiunt, ab iis quæ læſa facultate eveniunt, adeoque proprie *ſymptomatica* & morboſa dici debent, tanto evidentius diſtingui poſſint; Dices *Galenum* in reddenda hujus affectus cauſa proxima ſanguinis & vaſorum vitia accuſare; ſed reſpondemus cum quandoque more Practicorum, ad mediatas proximas magis reſpicere, tumque de cauſarum primatu in ordine ad effectum minus eſſe adeo ſolicitum, Ubi vero principatum cauſarum attendit, *læſæ facultati* hunc tribuere, & tum *Retentricem per ſe*, tum *Expultricem per accidens* accuſare, ſicuti *ex libr. de diff. ſymptomat.* patet. *Strauſſius.*

66. *Venarum uteri vitio*) Si *vaſorum* accidat *vitio*, vel quia aperta, rupta, aut eroſa ſunt, ſanguinis fluentis copiam conſiderare convenit, *inquit Aetius*, nam amplioribus vaſis fractis aut apertis magna ſanguinis copia defluit, ab anguſtioribus vero oppoſitum accidit.

Ab *apertione* ſive per anaſtomoſin, ſive per ruptionem fiat, purus, copioſus, ſine dolore profluit, facile grumeſcit, & repentino quodam impetu proſilit, & præceſſere cauſæ externæ ſanguinem accendentes, ut choreæ, exercitationes, vel vaſa diſtumpentes, ut ſaltus, ictus, caſus, inſoliti clamores, abortus, partus laborioſi &c.

Eroſio cognoſcitur, quod non confertim, ſed ſenſim & cum dolore delabitur, interdum purus, interdum ſeroſus & ſanie permiſtus: Humor acris primum vaſa leviter erodit, unde ſanguis diſtillat, ſed aucta corroſione major effuſio ſuccedit.

Si *retentrix* fuerit *imbecilla*, uterus humidior eſt & laxior, cauſæ præceſſerunt humectantes, mulieri flatibus plena eſt, menſes ſunt aquoſi, ſtomachus male concoquit, ſigna adſuntque uteri imbecillioris.

Eadem *diapedeſin* oſtendunt, quia aquoſus ſanguis prodit, mulier eſt habitus corporis mollioris, hepatis imbecillitate laborat, aut cachectica eſt, decolor, imbecilla; Sed hæc etiam non ſunt neceſſaria, nam etiam ſine diapedeſi ejuſmodi ſanguis poteſt effluere. *Primiroſius.*

Cauſa ut diſtinguatur, conſiderandus eſt ſanguis qui excernitur, Nam ſi oritur hic fluxus ex *nimia apertione vaſorum*, vel turgeſcentia, vel impetu fermentativo maſſę sãguineæ, ſanguis ſolet eſſe floridus, naturaliter conſtitutus, qui nõ ſtatim in grumos abit, uno nomine, adſunt ſigna ſanguinis boni: Ubi *vaſa* ſunt *nimis biantia*, ſanguis quidem naturaliter excernitur, ſed brevi grumeſcit; Si eſt aquoſior, effluit confertim tenuis, qui in grumos tarde abit, ſimilis loturæ carnis, vel etiam ſi ſanguis linteo exceptus ita appareat, ut linteum habeat circulum pallidum; Si adſit conatus quidam ejiciendi, ſimul ſi percipiatur ſenſus pruriginis & toſionis, oſtendunt ſanguinem ſimul acriorem peccare. *Etmuller.*

67. *Anaſtomoſi*) Anaſtomoſeos, & *Ruptionis* cauſa eſt vaſorum imbecillitas quæ ſanguinem continere diutius non poſſunt, Sanguis igitur copioſior & calidior ora vaſorum laxat & aperit, interdumque ipſas venas diſrumpit, unde athletis vaſorum ruptiones erant familiares, ſicut & iis qui alicui vacuationi jam pridem aſſueti, hujus ſuppreſſionem patiuntur: Sic quoque juvenes ad annum 35. hæmoptyſi obnoxii habentur, 3. *aphor. 29.* ob magnum ſanguinis fervorem. Huc referri debent omnes cauſæ externæ, quæcunque calefacere

& agitare

& agitare ſanguinem, venas aperire & menſes movere poſſunt, ut ſunt quæ contundunt, vulnerarunt, caſus ab alto, ictus, aër calidior, exercitationes nimiæ, acriorum ciborum & potuum uſus, balnea & fomenta humectantia & calefacientia, animi pathemata, medicamenta anaſtomotica, ut *aloë*, abortus, partus laborioſus, frequentior coitus, præſertim ſi mentula ſit grandior, ut in puellulis devirginatis contingit, atque alia id genus à quibus rumpuntur venæ uteri, aut dehiſcunt, ut idcirco immoderatus ſanguis emanet. *Primiroſius.*

68. *Localia*) Exterius Topicis medicamentis fluxus menſium immodicus cohiberi ſolet, per *Fomenta*.

℞. *Rad. biſtortæ, torment. cortic. granat.* āā. ℥i. *fol. plantag. centinod. burſæ paſt. equiſ.* āā. *m. j. nuc. cupreſſ. balauſt. granor. myrti, ſumach, ana* ℥i. *Bulliant in aqua ferrata & vino auſtero, Colatura Foveatur regio pubis ſubtepide.*

Spongia marina in *aceto forti* bulliat, hæc pubi appoſita menſtrua potenter ſiſtit.

Semicupium ex priori decocto Fotus paratum, aucta dozi.

Linimentum, vel *unguentum* poſt fotum, vel ſemicupium, admodum eſt pubi, perinæo & lumborum regioni E. g.

℞. *Ol. myrtin. maſtich. cydon* āā. ℥i. *boli arm. ſanguin. dracon. carabes* āā. ʒi. *aceti cochl.* j *f. Linim.*

Valent *Ungu. Comitiſſæ*, *ungu. de Bolo* rec. diſpenſatum, vel.

℞. *Picis naval.* ℥ß. *thuris maſc. unc.* i. *maſtiches* ℥ß. *terebinth.* ℥i. *ſangu. drac. roſ. rubr.* āā. ʒii. *f. Ceratum renibus applicandum, ſumme efficax.*

Emplaſtra umbilico & lumbis admoventur, ex maſſa Empl. *contra rupt. pro matrice, de maſtiche, ſolis aut mixtis*, vel ex maſſa *Empl. de Vigo pro fracturis*, quod præſtantiſſimum & abſque calefactione operatur. *Cataplaſmata* efficaciora ſunt, & in larga hæmorrhagia, unde vitæ periculum, multum poſſunt; Paratur ſi vel *bolus arm.* cum *ſucco plantag & pauco aceto* incorporetur, Vel.

℞ *Pulv. gypſi* ℔ *. g. arab. torrefacti* ℥v. *cum ovor albumi* iv. *incorporentur, cum placentulis goſſipii emplaſtrentur partes dictas.* Hoc Catapl. uno die omnem fluxum ſiſtere ait *Solenander.*

69. *Balnea*) *Inſeſſiones* ad hæc uſque loca perringentes (vel etiam *Fotus* ſupra pubis ſedem, vel ſupra ipſa pudenda) fiunt ex decocto ſequentium, rad. *biſtortæ, torment. pentaph. acori pal. ſymph. mai cum fol. cortic. granat. herb. plantag cum rad. burſæ paſt. polygoni, rubi, equiſ. ſumach, verbaſci, tamariſci*; quibus & *ſalviam, mentham*, quam menſtrua ſiſtere docet *Dioſcor.* addunt & flor. *roſar. rubr balauſt. pſidior.* item *gallas, capul. gland. nuces cupr. grana myrtill. ſumach. pruna ſylv.* & alios auſteros fructus, *acaciam*, *hypociſt.* addendo ſi validius reddere velimus in decoctione *gypſum uſtum*. *bolum*, *alumen*, aut *vitriolum*, & decoquendo in *aqua ferrata* & *vino rubro* ſtyptico, vel etiam addito pauco *aceto*. *Epithema* iiſdem ſedibus adhibitum, ex *aqu. plantag. burſæ paſtor.* part. ij. *aceti* j. utile eſt, Quod & *plantis* pedum admotum cum ſpongia convenit. Uti & ſi ex aceto in quo *alumen* decoctum fuerit hoc fiat. *Platerus.*

69. *Balnea nonniſi*) Vide §. *Magna ſanguinis copia, & per modum criſeos.*

70. *Diapedeſi, quæ rariſſime accidit*) Diapedeſis cauſam habet vaſorum raritatem, mollitiem, laxitatem. ſanguinis tenuitatem & aquoſitatem, unde effluit per tunicas ſanguis tenuis, ichoris ſudoriſve modo tranſcolatus; quæ cauſa valde rara eſt, & in doctrina *Galeni* forſan non admittenda, quamvis enim per atrophias, obſtructiones, viſcerum imbecillitates aquoſas dilutuſque ſanguis generetur, qui ex naribus, veſica & utero prodire poteſt, non eſt tamen neceſſe ut per vaſorum tunicas tranſcoletur; poteſt enim ex orificiis effluere, aut per ruptionem venarum. Talis in lienoſis, è naribus ſæpe effluit, per ſolam anaſtomoſin venarum in nates deſinentium. *Primiroſius.*

71. *Aruptione*) Vide ſupra *Anaſtomoſis.*

72. *Eroſione*) Quam pariunt humores acres ſalſi, putrefacti, ſanguini permiſti, qui tunicas vaſorum erodunt: aliquando etiam ab externis cauſis, ut medicamentis & peſſariis acribus, venenis cauſticis & exulcerantibus, ſumptis vel admotis. *Primiroſius.*

73. *Inter adſtringentia*) Curatio inſtituenda eſt prout in ulceris uteri curatione. *Riverius.*

Diæta.

Victus ratio incraſſans ſit & refrigerans: *Aër* temperatus paulo tamen frigidior & ſiccior, nam valde frigidus vaſa rumpit, *aph. 24. 5.* Sit quoque obſcurus, nam lux humores agitat; *Somno* indulgeat, & *quieti* tam corporis quàm animi, omnes enim fluxiones ſiſtit excepto ſudore: *Motus* vero humores exagitat & fluxiles facit; *Balnea & venus* omnino fugienda, In lecto ita decumbant, ut inde renes non nimium incaleſcant, unde culcitratum plumearum uſus minime convenit: Sed ſi ſuſpicio adfuerit *grumeſcentis ſanguinis* paululum deambulent, ut grumos iſtos excutiant. Pariter dum durat ejuſmodi vacuatio quidam prohibent ne alvus ſolicitetur, quamvis pigrior, ſed male, huic enim affectui valde convenit blanda purgatio.

Cibus ſit moderatus, adſtringens, refrigerans, glutinans, Conveniunt *oryza*, *milium*, *amylum*, *punicum*, ex *Hippocr.* Ex herbis *plantago*. *portulaca*, *acetoſa*, *lactuca*, *conſolida*, ex fruct. *cydonia granata*, *meſpila*, *mora*, *limones*, *arantia*, *poma*. Carnes eupeptæ, aſſæ vel elixæ, cum prædictis herbis, *ova ſorbilia*, *cerebrum*, *inteſtina pedeſque animalium*, ob viſciditatem, *caſeus recens*, *lac acetoſum*, *piſces* ſquamoſi aut glutinoſæ ſubſtantiæ, ut *tincæ*, *anguillæ*, *murenæ* & ſimil. & ferme omnes piſces eupepti proſunt elixi cum *aceto* modico: *Vinum* vitandum eſt, ſed *aqua pura* aut *chalybeata* convenit, aut cum *ſucco granatorum*, *limonum*, permiſta, *aut lora*, aut decoctum *oxalidis plantag.* cum pauco *aceto & ſaccharo.* Primiroſius.

Potus ſit cereviſia probe defæcata, vel *decoctum plantag.* cum *maſtiche* &c. *Alvus* lubrica uſu *diaprun.* vel *paſſular.* ubi opus fuerit, ſervetur, *Animi pathemata* præſertim vehementiora, diligenti ſtudio vitentur: Quamvis enim *Maſſarias Pr. l. 4 c. 3.* *Animi deliquium*, per triſte nuntium, *terrorem* injiciens, approbare non dubitet, ipſi tamen ſubſcribere neutiquam poſſumus, cum ut ægra ſic perterrita à mortis periculo iterum certo vindicetur, in Medici poteſtate neutiquam ſitum eſſe conſtet *Strauſſius.*

Ab hæmorrhagia invincibili eo pacto ægrum ſe liberaſſe narrat *Cardanus* Vide §. *Sanguinis incraſſationem, viſcerum per adſtringentia.*)

De menſtruorũ Fluxu Rubro, Sanioſo, Fulvo, Luteo.

Tamerſi ex, iis quæ capite de menſtruis Decoloribus, de Fluxu immoderato, & Fluore muliebri traduntur, huc aliquatenus pertineant, tamen quia *Hippocrates* olim, & nuper *Martinus Akakia* de Fluxu rubro, fulvo, & luteo peculiariter diſſeruerunt, iiſdem etiam fluxionibus ſingulare caput deſtinavimus.

Fluxus Ruber.

Is eſt cum ſanguis ex utero fluit, qualis ex victima recens mactata, & grumi pellucentes, Hujus rei cauſæ

ſunt febris, abortus, partus laborioſus, & à menſtruorum interceptione ſubita eruptio; Febris enim ſanguinem inflammat & ad motum reddit agiliorem, venas uteri & totius corporis reſerat: In abortu & partu laborioſo cotyledones violenter abrumpuntur; In ſubito vero fluore menſtrua quæ ſuppreſſa, derepente erumpunt, tanto impetu interdum natura ſuperfluum expellit, ut una laudabile profundat.

Signa ſunt, quia mulier impotens fit & attenuatur, venter imus attollitur, indureſcit, & ad contactum dolet, veluti ulcere præſente, dolor etiam ipſa pudenda pertingit, & pubem, & hypochondria, & lumbos, quinetiam in pectus & ſcapulas irruit, & febris adeſt, quia bilis ſuo fræno deſtituitur, & putreſcit, & dentium fremitus fit: quinetiam purgatio excitatur à bilioſo humore per partes ſentientes delato, & ſudor multus diffunditur, ventriculi morſus vexat, & eadem die ſæpe rigent, & rurſus ſubinde ſudant, & ſitis premit, & lingua aſpera eſt, & interdum per nares ſanguinem fundunt; Quin & procedente morbo mulier puſillanimis fit, & magis debilitatur, ac pedes intumeſcunt, & cavitates oculorum, & color corporis immutatur, Sed adhuc magis ingraveſcente malo urinæ adeſt ſtillicidium, irritata veſica à bilioſo humore, aut certe retracta à partibus, quæ jam ob ſiccitatem convelluntur.

Eo cum pervenerit affectio, periculi plena eſt & fere intra quatriduum perimit, non tolerante natura longiori tempore tenſionis laborem, ut *Hippocrates* & *Galenus* docent *ſect. 2. aphor. 6.* Hæc affectio ſenioribus magis quam junioribus accidit, quia plus ſanguine abundant: Egit de hoc affectu *Hippocr.* in lib. *de m. m.*

Curatio peragitur contemperatione humoris per cibos refrigerantes & glutinoſos, atque iis quæ citra magnam adſtrictionem putredinem inhibent; poſtea expurgatione & adhibitis iis quæ ſanguinem omnino ſiſtant; *Roder. à Caſtro lib. 1. c. 12.* Vide caput de Hæmorrhagia uterina ex *Platero.*

Fluxus Fulvus.

Eſt alius Fluxus in quo veluti à carnibus aſſatis humor & veluti muria fluit, quem *Hippocrates 2.* de m. m. *13. & 15.* & poſt eum *Akakia*, ſanioſum vocant, *Nos ſanioſum* ſub *rubro* comprehendimus & hunc alterum *Fulvum* nuncupamus.

Oritur ex abortu, aut partu laborioſo, quoties de fœtu, aut de utero ipſo, quiddam dilaniatum fuerit, aut intus computruerit, aut cum plurimo evacuato ſanguine reſiduum bileſcit, nec expurgatur, ſed potius à calore extraneo exaſſatur.

Indicia ſunt, horror, rigor, febris acuta, dolores in laterum mollitudine, lumbis & femoribus uterus exulceratur circumcirca, & femora, & aliæ partes, & ſi humorem linteo excipias, fulvum refert colorem, & ægrè elui poteſt; inſuper impotenria adeſt, virium debilitas, ac procedente morbo tota intumeſcit infra umbilicum, & in cruribus, & color fit morbi arquati, ex effuſa bile. *Idem ibid.*

Fluxus Luteus.

Eſt alius Fluxus in quo quod expurgatur ſubluteum eſt & viſcoſum, veluti ex ovo, & fit ab iiſdem fere cauſis à quibus ſuperior; niſi quod humor non ita eſt exaſſatus.

Notæ ſunt, quia cum fœmina mingit morſum percipit & lancinationes, Uterus ulceratus, & febris corripit acuta, calor magnus, ſitis, vigilia, ac menſis perturbatio, Et ſi incedat feſtinanter anhelatio & membra exolvuntur, ac temporis progreſſu, uti *Hippocr. 2. de m. m. 13.* refert, venter imus intumeſcit, ac durus fit, & ſi contingas dolet, & dentibus ſtridet, animi deliquium, anxietas, & perfrigerationes adſunt; pulſus celer ac debilis, ſudor multus, Morbus eſt acutus, & ex quo plures cito, præſertim ſeniores ſuccumbunt: Junioribus ſi contingant diuturnæ utplurimum ſunt hæ affectiones.

Curantur ut capite de menſtruis corruptis dictum eſt, & de ſanguinis fluore immodico ab humore bilioſo, *Idem ibid.*

Menſes vitioſi Decolores, Fœtidi, Purulenti Acres.

Menſium Decoloratio eſt eorundem &c.) Sanguis menſtruus nonnunquam Colore peccat, ut & Odore, Calore, Acrimonia; aliquando Purulentus prodit, aut in ſui generis pituitam corruptus.

Color ſanguinis menſtrui mutatur, quando nunc Atrior & nigricantior, nunc flavior, vel pallidior emanat; *Atrior* fit ab humore Acido ipſi admiſto copioſius, ſive idem ſimul auſterus fuerit, vel ſimul volatilior & acrior.

De Humoris Acidi ortu & correctione alias dictum; *Flavior* redditur ſanguis à ſero ſimili ipſi admiſto; quæ flavedo non raro obſervatur in ſanguine per V. S. emiſſo: Sero autem color flavus non tam accidit à Bile admiſta, quam à quibuſdam partibus ſanguinis poſt efferveſcentiam vitioſam ſecedentibus à reliqua maſſa, & ſero junctis: A bile non oritur, quia nullus conjunctus amaror, in bile manifeſtus, ſed à partibus quibuſdam ſanguinis, ut dixi ſecedentibus, ac ſero junctis, quia flavedo talis in ſtatu naturali non obſervatur, nec ab ullo admiſtorum cum ſanguine produci poteſt, cum à bile non pendeat, Evenit autem id ratione partis ſalinæ exuperantis, hinc ſerum ſalſum præſtantis.

Etſi autem omne ſerum ſanguinis ſalſum, non ſit ſemper ſimul flavum, ut nec flavum ſemper valde ſalſum, novimus tamen Tincturas ſimiles vix elici unquam niſi à ſalſis; quamvis temperati poſſit aliquando ab aliis concurrentibus illa ſalſedo, ita ut poſtmodum non percipiatur amplius, quod norunt attenti mutationum Chymicarum obſervatores.

Notandum præterea colorem Flavum in ſero obſervatum non ſemper aut ſequi aut comitem habere calorem corporis manifeſtum, ſed quandoque ſine ipſo exiſtere; quocirca in cauſa ejuſdem quærenda merito præterimus caloris cauſas.

Color præterea menſtrui ſanguinis aliquando eſt *Pallidior*, imprimis quando multo diluitur ſero, i. e. aquoſior exiſtit: Talis eſt poſt multum potum diutius ſumptum, qui penitius ſanguini ſe jungit, nec ſufficienter ſecernitur in renibus ac per urinas excernitur, unde dilutior & pallidior redditur ſanguis; Imo in vaſis ſubſiſtens, ac per venas lacteas obſtructas & ruptas erumpens hydropem gignit: Fit & *Aquoſior* ſanguis poſt hæmorrhagiam qualemcumque grandem, quia chylus ex alimentis, more quantitateque ſolitis aſſumptis prodiens, non poteſt brevi tempore ſanguinem multum generare, ideo ejuſdem pars aquea, ſeroſaque vaſa vacuata replens minus ſecernitur in urinam, reliquumque ſanguinem diminutum diluit proinde, ipſumque facit Pallidiorem.

Menſes Fœtidi. *Odor ſanguinis* menſtrui mutatur cum Fœtet, ſicut id quibuſdam evenit: Vix autem unquam obſervatur ſanguis fœtens, niſi cum ex utero effunditur: Id quidem certum eſt corrumpi ſanguinem, ut fœteat; quia vero quævis corruptio fœto-

fœtorem non habet, conjunctum, videndum qualis corruptio & unde orta fœtorem inducat in ſanguinem: Acidum certe ſanguini affuſum ipſum coagulat & corrumpit, at ſine fœtore; Salſum quoque lixivum ſanguinis conſiſtentiam diſſolvit & hactenus ipſum corrumpit, at itidem ſine fœtore.

Sed ſi quis conſideraverit. 1. Odorem omnem pendere ab oleoſis & pinguibus, ideoque fœtorem ab iis petendum. 2. Mutationes primarias noſtro ſanguini contingentes, Acido & ſalſo lixivo confluentibus, & ſimul efferveſcentibus deberi, à quibus ſingulis docui nullum fœtorem deducendum. 3. In rebus artificialibus manifeſtum fœtorem produci, cum oleoſis ſalſo lixivio diſſolutis & junctis affunditur liquor acidus, E. g. ſolutioni ſulphuris per lixivium factæ, ſi affundatur acetum, vinum acidiuſculum &c,

Si quis, inquam, hæc omnia conſideraverit, ſuſpicabitur ad fœtorem ſanguini conciliandum opus eſſe, ut partes ejus oleoſæ intimius junctæ ſint partibus ſalinis, atque accedente parte acidâ efferveſcentia inde ſequatur cum fœtore conjuncta: niſi omnia iſta artificialia colorem tunc nanciſcerentur album, dum ſanguis ille fœtens, prodit ſæpenumero ater.

Obſervandum autem Fluorem album plus minus fœtidum, acremque ſæpius exiſtere, unde in hoc caſu faveret argumentum experimento ſuperius adducto: Cum vero ſanguis menſtruus fœtens nigricat, nec albet, non videtur aliquid probare, niſi forſan dici queat, corrumpi quidem partem ſanguinis aliquam, quæ albeſcat, & ſanguini reliquo magis copioſo affluenti admiſta, colorem ipſius non planè mutet, fœtorem tamen impertiat.

Obiicies, Erit ſaltem ſanguis menſtruus talis ob admiſtam partem ſanguinis albicantem, pallidior, non item atrior, ſicut teſtatur experientia? R. verum id eſſe niſi alia forſan concurrat cauſa quæ ſanguinem illum reddat nigricantem, ſitque potentior ſanguine corrupto & albicante: Ex allatis vero, juxta experientiam multiplicem ac certam, liquet ab Acido expectandum colorem in ſanguine nigricantiorem.

Quod ſi ad Fœtorem ſanguini conciliandum deſideretur ſimiliter Acidum vitioſam in ipſo excitans efferveſcentiam, cum talis non ſit ſanguis univerſus, ſed iſte tantum qui tunc per uterum effluit, opus eſt ut in utero, aut ſaltem circa uterum, ejuſque vaſa reperiatur illud Acidum corrumpens, ac quidem cum fœtore ſanguinem per uterum proditurum. Quod ſi Acidum illud corrumpens ſit in utero, corrumpetur ab ipſo ſanguis ad uterum delatus, & propter ſinuoſam ejus ſubſtantiam ſegnius inde ad cor refluens, qui ibidem collectus ſanguini admiſcebitur menſtruorum tempore copioſius allabenti, atque ipſi fœtorem ſuum conciliabit,

Eidem autem nihil obſtat etiam admiſceri partem Acidi humoris; à quo non tam albeſcet quam nigricabit ſanguis ob copiam ſuam majorem, Acido magis reſiſtens: Adde quod videatur in corruptione ſanguis ab Acido nigredinem primum, alborem poſtea conſequi: Hoc effatum meum comprobare videtur uterus Cancro præ aliis partibus omnibus, ſi Glandulas excipias, ſubjectus, Cancrum autem ab Acido habere ortum, probant non tantum lancinationes in ipſo graves, aſt *Cura* quoque facilis ac felix per Salia volatilia cæteraque Acidum temperantia.

Vt proinde tandem concludamus, non videtur Rationi aut Experientiæ contrarium aſſerere *Sanguini menſtruo fœtorem conciliari ab acido humore in uteri ſubſtantia hærente, ac ſanguinem ad ipſius nutritionem accedentem paulatim ex parte ita corrumpere, ut quamvis non abeat ſemper in pus*, abeat tamen in humorem albicantem, & fœdæ pituitæ haud diſſimilem, qui menſium alborum nomine continue fere effluat, & imprimis ceſſante fluxu menſtruo ſanguineo ſentiatur moleſtus, atque dicto ſanguini menſtruo junctus fœtorem ipſi conciliet, dum aliquando ab eodem acido nigredo duntaxat ipſi confertur, non albedo, quod evenit, quoniam nec moram longam ibi nectit ſanguis menſtruus, ut albedinem adquirat, nec quantitate tanta ibi adeſt ſanguis corruptus, ut tantam ſubeat mutationem copioſior menſtruus.

Quoties namque Acidum illud quantitate adeſt tanta, ut manifeſte corrumpat univerſum ſanguinem ad uterum allabentem, toties fere ſolet purulentus ac multum fœtidus prodire ſanguis: Notandum autem tum Alba dicta menſtrua, tum fœtentem fluxum menſtruum obſervavi ſemper in mulieribus triſtibus, in quibus cum Acidum noxium continue exuperet, hinc confirmari videtur ſententia noſtra, Acidum illud noxium tendere quoque ad uterum, ibi hærere, ac ſanguinem allabentem, ac morantem imprimis corrumpere, atque tum menſibus albis nominatis, tum menſtruo fluxui fœtenti cauſam præbere.

Menſes p. n. Calentes.

Obſervatur porro Sanguis menſtruus aliquando peccare *Calore moleſto*, adeo ut fœminæ ſubinde de ardore conquerantur ſummo, in partibus externis & internis obſervabili. Etſi autem acrimonia omnis ſenſum caloris producere videatur in partibus ſenſibilibus, ex curatione tamen apparet diverſam occurrere acrimoniam, & aliam quidem cum calore conjunctam, aliam vero eodem deſtitutam; Cum vero non tantum duo nobis innotuerint Acria, quæ in corpore noſtro reperiuntur aliquando graviter ipſi noxia, ſed ex illorum confluxu, ob alia ipſis conjuncta, Efferveſcentia obſervetur produci gemina, calida & frigida, non tamen ſenſui manifeſta, ideo ab invicem diſtincta, ſed diverſis remediis cedens, quæritur qualis Calor moleſtus comitari ſoleat ſubinde fluxum meſtruum an qui ortum habeat ab efferveſcentia calida duntaxat, an etiam frigida? an vero ab alterutro acri abſque tali efferveſcentia peccante? Cum à diverſis cauſis produci poſſit calor ille, curandus quoque erit pro cauſæ diverſitate diverſimode; Nam ſi Acre primario & tunc peccans non agnoſcatur, nec curatio inſtituetur conveniens.

Fateor quidem utrumq; Acre poſſe ab iiſdem leniri ac temperari medicamentis, tum ſpirituoſis, tum oleoſis, at tamen non æq; cito ac potenter poſtquam oleoſa, tum facilius, tum citius, tum potentius temperant ſalem lixivum; uti contra ſpirituoſa volatilia Spiritum Acidum; Adeo ut etſi utiliter ſemper exhibeantur omnia utrumque Acre temperantia, imprimis cum deſint ſigna quæ demonſtrent utrum primario peccet; maxime tamen uſurpanda ſint medicamenta convenientia illi quod peccare deprehenſum eſt ex ſuis ſignis & ſymptomatibus: Calor ergo à menſtruo ſanguine in viis per quas effunditur, productus, habet ſæpius ortum ab Acido humore in utero exiſtente, atque una cum ſanguine prodeunte, ſive nullam ſive calidam inſtituat cum ipſo efferveſcentiam: Si nullam inſtituat cum ſanguine menſtruo efferveſcentiam, humor acidus in uteri ſubſtantia præter naturam repertus, roſio potius moleſta, quam verus in partibus affectis ſentietur calor: Quod ſi calidam cum ſanguine menſtruo inſtituat idem ſuccus acidus efferveſcentiam, tunc calor & rubor etiam excitabitur ſæpius, etiam

in partibus externis: Exiſtimo ergo ſemper in ardore fluxum menſtruum comitante peccare Acidum cui aliquando copulatur ſanguis magis vel minus bilioſus, unde diverſimode ſolet tunc idem mutati ac ſentiri ardor.

Menſes Purulenti.

Prodit quoque vitioſus ſanguis Menſtruus cum *Purulentus* exiſtit, quod evenit cum Apoſtema in utero fuerit productum & apertum, è quo effluens pus ſanguini ſe jungit menſtruo: Sequitur Apoſtema inflammationem, atque hæc rarius ſanguinem in vaſis ſubſiſtentem, ſæpius eundem extra ſua vaſa effuſum ac corruptum: Non tamen opus, ſemper ut præcedat inflammatio puris excretionem, cum ſufficiat excoriatio, aut exulceratio ab humore, acri & acido præſertim producto, in qua pus corrumpitur ſanguis ad partis affectæ nutritionem accedens.

Quoties igitur cum ſanguine menſtruo effunditur pus, à quo purulentus exiſtit ſanguis, toties uterum male affectum rite concludimus, ſive adſit exulceratio, quæ ſuperficiaria, ſive ulcus, quod magis profundum: Idem de Sanie dicendum, gradu tantum differente, cum ex pure diutius ſubſiſtente ampliuſque corrupto habeat originem.

Curationem prædictorum vitiorum quod attinet, Et 1. *Colorem ſanguinis menſtrui atriorem*, quem deduximus ab acido copioſiùs ipſi addito, non difficulter emendatio petetur ex iis quæ alias dicta de Acidi temperatione, dummodo obſervetur diſtinctio Acidi purioris & acrioris, ab auſtero magis compoſito, & minus quidem acri, at ſimul magis acerbo & adſtringente; Sicut enim in Acidi acrioris correctione uſurpari poſſunt quandoque *ſanguis drac. lapis hæmatites, creta* & ſimilia adſtringentia terrea; ita noxia ſunt eadem ſi auſterum ſimul eſt Acidum peccans: docuimus proinde in ſuperioribus ad *Acidi auſteri correctionem* conducere imprimis Salia volatilia, ſed puriora & minus fracta, vel oleoſa: Sic enim facilius & potentius penetrant in auſterum, & ipſum efficacius alterant emendantque; quod fruſtra quis expectaverit ab illis terreis, aut potius mineralibus adſtringentibus, quę nil agunt niſi forſan patiendo prius, atque tunc demum reagendo in ſuum agens.

Quærenda ergo medicamenta quæ & tutò & citò abſolvant operationem: Cum ergo humores peccantes valde acres ſunt ac efficaces, conducunt præ aliis medicamenta blanda tum obtuſa, & in operando ſegnia, quo in ipſa dum agunt humores noxii, nulla noxia excitetur efferveſcentia, ſed blanda lentaque, Naturæ amica: Si contra humores peccantes ſunt inefficaces ac obtuſi auſteri aut glutinoſi, uſurpetur medicaméta efficacia, non tamen violenta vehementiaque, quæ poſſint ſuperare quam citiſſime humores quovis modo rebelles, ac viſcoſos vel auſteros, ſegniuſve mutabiles: A vehementioribus tamen cavendum, ne dum morandum eſt diutius ipſis in humorum peccantium emendatione, noceant ſimul illis partibus abſolvenda eſt illa mutatio; Ne præterea alio quoque properantia corrumpant alicubi humores bonos. Id quod verum eſt & quoad alterantia & quoad purgantia, ſi educendi humores acres valde, aut etiam tenaces auſterive.

Humores ergo *Acidi*, tum puriores & acriores, tum Auſteri præmiſſa correctione educi quoque debent, imprimis ſi peccant quantitate notabili. Eductionem, ac præſertim circa uterum exiſtentium, aut in ipſo utero hærentium, optime fieri poſſe exiſtimo tum per Sudorifera, tum per diuretica, aliquando etiam per cathartica, ſi præſertim iidem redundant in toto: *Sudorifica* laudo quævis aromatica, vel ſale volatili abundantia, ut & diuretica ſimilia; Intereſt vero ſcire qualia ſeligenda ſint tum ſudorifera tum diuretica; conducunt enim ea imprimis quæ ſimul vim habent corrigendi humorem peccantem, hoc eſt, aromatica vel ſalia volatilia, non item quæ ipſum vitiabunt amplius, qualia ſunt in humore auſtero peccante Terræ ſigillatæ omnes & ſimilia: Inter purgantia ſeligenda in Acido puriore Hydragoga: In acido auſteriore phlegmagoga.

Colorem ſanguinis menſtrui *Flaviorem* deduximus à ſero ſanguinis, tum copioſo, tum ſalſo, hinc curatio perficitur & diminuendo illud ſerum per hydragoga, diuretica & hidrotica dicta, & corrigendo illius ſalſedinem muriaticam pilulis de ſtyrace de cynogloſſâ ſimilibuſve medicamentis ſalſedini corrigendæ aptis, qualia ſunt Succinum, maſtiche, thus, myrrha, opium, liquiritia, ejuſque ſuccus inſpiſſatus, gummi tragacantha, radix althææ, hordeum, oryza & ſimilia. Inter Chymica conveniunt in hoc caſu Salia volatilia oleoſa, ut & ſulphura metallorum vel mineralium fixa, quo eferendum antimonium diaphoreticum quodvis.

Colorem ſanguinis pallidiorem deduximus à ſero ſanguinis copioſo; Curabitur proinde illud minuendo per hydragoga, ſudorifera ac diuretica: Sudores movendi per interna & externa, imprimis per Balneum ſiccum, ſolo igne, aut una cum ſpiritu vini paratum, cujus ope ubertimus elicitur ſudor, minuiturque ſanguinis ſerum.

Sanguinis menſtrui Fœtorem deduximus à ſanguine ad uteri nutritionem eo tranſmiſſo, ibidemque ex parte ſaltem, ita corrupto ut abear in humorem fœdæ pituitæ haud abſimilem, ac menſium alborum nomine notum, qui continuè fere effluens, imprimis ceſſante fluxu menſtruo ſentiatur moleſtus, ac eidem junctus fœtorem ipſi concilier, cum & alio tempore ſimiliter ſit fœtoris particeps: Fœtorem illum deberi putavimus Acido humori in uteri ſubſtantia hærente ac notatum ſanguinem ad uterum continue accedentem per vitioſam efferveſcentiam cum inſequente fœtore corrumpente: Quare credimus ad curationem iſtius fœtoris. 1. Acidum illum in utero humorem corrigendum; aut inde ſaltem tollendum: 2. Sanguinem univerſum contra corruptionem iſtam muniendam: 3. Sanguinem jam corruptum emendandum: Quia vero cenſemus hoc malum, ſi non conſequatur ſemper Fluorem album, pendere tamen à cauſa ſimili, ideo recurrendum in curatione ad Caput de Fluore muliebri, *Artic.8. ſequ.*

Interim monebimus ſanguinem univerſum contra futuram in utero ex fluoris albi admiſtione corruptionem ac fœtorem, muniendum aromaticis & ſalibus volatilibus, poſtquam corruptio hæc ortum habuit ab Acido, quod illorum ope non tantum emendatur, ac ne ulterius in corruptione ſua pergat impeditur; ſed inſuper ita corrigitur, ut fœminæ non raro ex ſterilibus fiant fertiles, quod experientia me docuit: Advocari quoque poſſunt externa, quæ odore ſuo aromatico, tum ægras, tum adſtantes adverſus fœtoris ejus noxas muniant; qualia ſunt ſuffitus ex maſtiche, ſtorace, thure, Benzoino, Ladano, garyophyllis &c. Huc refero cinnamomum, vel alia aromata gratiora pulverata & unà cum aceto, vel vino, Vel Spiritu vini quandoque miſta & in vaſe vitreo prunis impoſita, vaporemque ſuaviſſimum & aromaticum promentia.

Ad *ſanguinem menſtruum qualitate vitiatum* revocavimus quoque ipſum, quoties *purulentus* vel *ſanioſus* effluit: Docuimuſque *Purulentum* prodire ſanguinem menſtruum, & *poſt abſceſſum* in utero viciniſque admodum partibus cum ipſo communicantibus ruptum & poſt *excoriationem*, *exulcerationemve* ſuperficiariam ab humore acri & calente in utero, ejuſve collis factum: uti *ſanioſum & a pure diutiùs in apoſtemate manente, ampliuſque corrupto & ab humoribus aliis pravis puri admiſtis*, atque ipſum in ſaniem mutantibus.

Curatio

Curatio proinde *ſanguinis menſtrui purulenti*, pendebit à curatione *ulceris* poſt abſceſſum recti, aut *exulcerationis*, *excoriationiſve* ab humore acri productæ.

Hæc omnia verò, quia ex *univerſalis* cujuſvis *inflammationis* curatione peti poſſunt, eò remittimus lectorem, ſi priùs monuerimus, conducere hic etiam *ſuffumigia* ex *Ladano*, *Maſtiche*, *Olibano*, *ſuccino*, *Bitumine*, *lapide gagate* & ſimilibus, cùm ad partem affectam intimè acciò penetrent, atq; noxam ibi exiſtentem potenter emendente longè potentiùs namque operantur quævis tum in *Fumum*, tum in *Halitum*, tum in *Vaporem* ignis ope redacta, quàm cancroſa & conſiſtentia id non ſemel oſtendimus exemplo Cornu Cervi, quod in ſubſtantiâ ſuâ & raſurâ ſumptum, vel in aquâ etiam coctione diutinâ ſolutum, parùm efficaciæ habet; Vbi autem ignis ope utitur, aut diſtillatur, vires ejus elegantes ac potentes manifeſtantur.

Id verum eſſe teſtantur omnia ſuffitui inſervientia medicamenta, quorum multa nullum, aut lenem duntaxat per ſe ſpirant odorem: Vbi autem accenduntur, aut prunis imponuntur, potentem ac multùm efficacem. Sic ſuccinum, Maſtiche, Thus, &c. ſe habent. *Sylvius De le Boë Prax. Med.l.3.c.4.*

De Menſtruorum cum Morbis complicatione.

Ex Roderico à Caſtro.

Menſium cum Morbis complicatio ſolicitos ſæpe tenet Medicos, tum exercitatos, tum imperitos; Ea autem ſex potiſſimum modis contingit.

I. Cum morbus invadit menſtruis imminentibus.

II. Si ob morbi invaſionem menſes debitum tempus antevertunt & inopinato irruunt.

III. Si menſtruationis & morbi tempora complicantur, ita ut menſtrua purgatio concidat cum morbo.

IV. Si menſtruis ſuppreſſis, remoratis, aut diminute ſtillantibus affectio aliunde ſuperveniat.

V. Si præexiſtente morbo ſuppreſſio, aut remoratio menſtruorum cauſam præſtet, qua affectio & ſymptomata augeantur.

VI. Si exiſtente morbo menſes deſtillent.

I.

Si menſes immineant incipiente vel procedente morbo, conſiderandum eſt ſitne affectus ex iis qui ex utero enaſcuntur, quo in caſu ſi morbus ſanguinis detractionem poſtulat, citra ullam cunctationem ex talo mittendus eſt, minime vero ex brachio, ut per convenientem regionem evocetur, & evacuetur uteri redundantia, mali cauſa.

Verum ſi ex corpore univerſo, vel aliquo ex præcipuis membris affectio ortum ducat, eam brachii venam tundendam eſſe plerique affirmant, quæ partem primario affectam reſpicit; quæ tamen ſententia, ſi in univerſum accipiatur, mihi quidem periculoſa videtur; potiuſque diſtinguendum de numero dierum, de acutie morbi & corporis plenitudine, nam ſi morbus non ſit acutus, ex pede ſanguinem eſſe trahendum cenſeo: idque ipſum faciendum, ſi fœmina per triduum aut quatriduum duntaxat à menſtrua purgatione diſtet, etiamſi morbus ex acutorum numero ſit; idque tum ratio probat, tum exercitationis confirmat experimentum, quoniam jam natura eo inclinare incipit, & per locum quo natura vergit, ſi conveniens ſit, evacuandum eſt. E converſo ſæpius vidimus ſanguine è gibbero detracto raptum fieri ad ſuperiores partes, unde deliria, vigiliæ, ſopores, difficultates anhelitus, & tandem mors ipſa ſequuta.

Cæterum ſi per octiduum, aut circiter conſuetum adhuc menſtruationis tempus diſtet, & plenitudo maxima ſit, nec fœmina poſſit tolerare ex pede confertam evacuationem, quam morbus poſtulat, tum ſtat eorum ſententia, ſanguiſque è brachio detrahendus eſt prius revulſionis gratia, præſertim ſi morbus fuerit acutus: Purgantia tamen medicamenta, vomitum aut ſudorem prolicientia in poſterum ſuſpendenda, donec menſtrua purgatio prætereat, ne natura diſtrahatur, & præpediatur ab opere, aut ſaltem leviſſimis utendum, quibus nec corpus commoveatur, nec menſes ſupprimantur, ne motui paratus ſanguis intempeſtive detentus, aut alio avocatus in partem principem inopinato irruat, & malum augeat, aut aliud gravius accerſat; quod intelligendum, niſi fœmina ſit ex iis quibus menſes procraſtinari contingit, in his enim urgente neceſſitate purgare licet, quippe non raro vidimus adhibita purgatione menſes prorumpi & morbum ſolvi, dummodo quatriduo ſaltem ante xxix. à menſtruatione prætet ita diem id fiat; in quibus etiam per id tempus ſudoriferis, aut vomitum cientibus uti libitum erit, prout affectus poſtulaverit; Cucurbitulæ autem & crurum ſcarificationes ſemper locum habent; At ſi morbus chronicus ſit, utilius erit purgationem exercere octiduum aut circiter poſt tranſactum menſtruationis tempus.

II.

Si debitum tempus menſes in morbis antevertant, nihil profecto in curandis fœminarum morbis gravius, ac periculoſius reperies, præſertim initio morbi, dum adhuc univerſalia remedia non ſunt adhibita; in aliis enim temporibus, cum alias nihil agendum fuerat, minor perplexio: initio vero ſanguinem ſi demis, aut cathartico uteris, impedis menſtruam purgationem; neutrum ſi præſtas, augmentum morbus capeſſit, quippe auxilia morbo proficua menſes renuunt, quia inde remorantur, & nihilo ſecius ſi fluant, parum de morbo ſublevant, quia tunc menſes evacuationis ſymptomaticæ rationem habent, quæ fere ſemper ſymptomatica eſt ratione morbi, in quo natura raro utilem ullam evacuationem ſolet promovere.

Quocirca diligenter conſiderandum quid boni vel mali ſecum afferat, & à quibus cauſis menſtruorum in morbis anticipatio proficiſcatur; nam initio & in augmento periculi res plena eſt propter adductas cauſas; in ſtatu vero & declinatione, ſi cum tolerantia menſtruorum irruptio fiat, utilis eſſe ſolet ob temporum ad evacuationes aptitudinem, dummodo non complicetur cum alia naturæ evacuatione, tunc enim magnam copiam ſignificat, & naturam nimis proritatam, & ob diſtractionem nullam vacuationem perfecturam, ideoque ſubvertendum, ne ab irritamento, & duplicato labore ſuccumbat.

Porro menſtruorum anticipatio cauſas habet quatuor, 1. eſt materia copioſa, acris, mordax, tenax & à natura aliena, 2. efficiens, id eſt expultrix facultas irritata, aut retentrix collapſa, 3. inſtrumentum ſeu vaſa laxa, aperta, vel rupta. 4. & ultima, ſine qua non, exquiſitior partium ſenſus, quia rebus, etiamſi ſecundum naturam exacerbatur; Igitur ex quacunque cauſa fiat, ſi copia adeſt, aut affectio talis eſt, quæ S. m. deſiderat, curatio inchoanda eſt à S. m. ex pede, inſpecto tamen fluentis ſanguinis impetu, nam ſi cacochymia adſit; & menſtrua purgatio conſuetam quantitatem adæquare videatur, aliâ ſanguinis miſſione opus non erit; ſin minus naturæ partes ſuppletis: Sanguine prius, ut dictum, ex pede miſſo.

Sunt qui deinde venam brachii tundendam ſentiunt præſente plenitudine, quod nunquam fui auſus, neque ſuadeo, niſi maxima fuerit plenitudo, & affectio urgentiſſima, ut apoplexia, angina, pleuritis, potiſſimum vero ſi redundantia in utero extiterit, ſanguinis miſſionibus ex pede mittendum pro redundantiæ quantitate, non ter duntaxat, ſed pluries, præſertim ſi ſit affectio ex iis quæ caput invadere ſolent, ut febris ardens; Quod ſubinde in mediocri plenitudine faciendum cenſeo; licet affectio inter alas & inguina exiſtens ſ. m. ex brachio poſtulare videatur, ut ardentiſſima febris, nam ſciſſa vena pedis, aut cruribus ſcarificatis, quod adhuc magis probo, plenitudo etiam deponitur; Morbo inſuper ſubvenimus, & raptum humorum ad ſuperiora præcavemus.

Secus de reliquis vacuationibus ſentiendum, pro quibus expectare oportet, donec natura acquieverit, vel remiſſius egerit, quo tempore ſtillantibus aut fluentibus ſanguinolentis, ſed albidioribus jam uteri purgamentis, carthartico medicamento utendum erit, quod laceſſentes humores contemperet ac propellat, ſed id nonniſi maxima impellente affectus urgentia, & pronuntiato prius nocumento ex pharmaco & periculo ex dilatione, quod ſi morbus inducias prætiterit, differre purgationem tutius fuerit: At ſi menſtrua purgatio fuit diminuta, & morbus magnum calorem conjunctum non habet, ea etiam medicamenta uſurpanda quæ menſes ulterius moveant, maximè ſi anticipatio fuit procedente morbo; nam ſi in principio, magis ſanguinis miſſionibus quam aliis pugnandum, quia, juxta medicorum dogmata, ſanguinis miſſio initio morbi, purgatio in ſtatu aut declinatione magis convenit; niſi etiam iis temporibus ſanguis redundet, vel prætermiſſa initio fuerit, quæ tamen omnia cum magna præmeditatione exequenda.

III.

Si vero menſes ſtatâ periodo fluant, & cum aliquo ex morbi temporibus coincidant, ſi quidem id in morbi principio contigerit, expectato primo naturæ impetu, hoc eſt tranſactis xii. horis, ſi fluxus in præſentia non ſit, vel in poſterum fore non videatur ſufficiens, ex pede ſanguis mittendus erit, ad complendam naturalem evacuationem, ac id inſuper evacuandum quod morbus exigit, quippe & conſuetudini & morbo ſatisfaciendum eſt.

Quanquam autem id de urgentiſſimis morbis intelligi etiam poſſit, tamen in levioribus potiſſimum locum habet, per quos ne graviores fiant, menſtruationi omnino providendum lavacris, ligaturis, frictionibus, ſuppoſitoriis, clyſteribus atque aliis quæ partes utero vicinas valeant proritare, ac ſi morbus à cauſa frigida ortum ducat, iis præterea quæ menſes proliciant, & ſubinde morbum reſpiciant; purgationem tamen, ſi forte neceſſaria ſit, ſuſpendentes quoad menſes deſierint, ne turbato commotoque ſanguine graviora pullulent mala.

Verum ſi affectio ſit ex magnis, veluti angina, pleuritis &c. aut acuta febris &c. prima una ex pede, aut crurum ſcarificatione ſanguine detracto, poſtea eadem die, ſi menſes non procedant, gibberi vena aperiatur, ligatis interea fortiter cruribus dum ſanguis fluit. Hoc in bona praxi ſequendum eſſe ratio omnino convincit, urgentioris enim mali indicatio illam quæ à menſtruatione ſumitur perpetuo ſuperat.

Eadem ratione in reliquis morbi temporibus te geres, in quibus etiam purgationem, vomitum ac ſudorem, ſi forſan hæc morbus requirat, ſuſpendere oportet, quoad menſtruorum præſentia non impediat; eorum ſiquidem indicatio illorum auxiliorum indicationes antecellit, niſi ultra ſtatutos dies ſanioſa purgamenta duraverint, quæ non tam plenitudinis, ac naturæ actionis, quam irritamenti indicia, tunc temporis cenſenda ſunt; & hoc in caſu urgente purgandi indicatione, pharmacum porrigere licet, ad expurgandos humores mordentes ac proritantes.

Cum his tamen ubi menſes in morbis conſueta periodo fluunt, caute & nonniſi jam deſinentibus inſtillantibuſve opus aliquod prudens Medicus tentabit, præſertim ſanguinis miſſionem aut purgationem; ut enim Hiſpanicum fert proverbium, Feriata eſt dies cum hoſpites adſunt, & periculoſum admodum fuerit à conſueto & utili fluxu ac debito, tempore commodo naturam divertere; ſiquidem judicantur & quæ judicata ſunt movere aut novare tutum non eſt.

At quoniam qui methodum in omnibus nimis pertinaciter requirit, pariter cum morbo ægrum plerumque de medio tollit, ideoque præcepta artis interdum urgente neceſſitate evertere neceſſe fuerit, hæc omnia diligenter timari & exequi oportet, in quibus Medici prudentia imprimis requiritur, ut id aſſequatur quod *Avicenna* intra ſcripta, & traditæ artis præcepta, incomprehenſibile eſſe dixit.

IV.

Quartus erat caſus, *quando menſtruis ſuppreſſis morbus aggreditur*, qua in re ſciendum eſt una è quatuor cauſis menſes ſicuti alias evacuationes remorari ac detineri, à materia, à facultate, ab inſtrumento, & à cauſa ſine qua non; A *materia* nimirum craſſa, vel copioſa, *facultate* debili vel oppreſſa; *inſtrumento* impedito & *ſenſu partis* hebetiori: ab eorum contrariis anticipari, uti dictum ſupra.

Igitur penſitandum prius erit, an natura nunc primum menſes remoretur, an vero ſuppreſſi diu fuerint; & ulterius, an à prædicta ſuppreſſione morbus ortum ducat; ſi enim inde ſuboriatur, à ſanguinis detractione ex pede proculdubio auſpicanda curatio eſt; neque antea purgandum, vomendum, aut ſudandum, ſed ſanguine ex pede miſſo, pro conſuetæ menſtruationis copia ad ſciſſionem venæ gibberi, aut ejus loci erit veniendum quæ morbum reſpiciat, potiſſimum ſi à conſueto tempore per quatriduum diſtet, tametſi menſes remediis provocati non fluxerint.

Verum ſi recentes fuerint ſuppreſſiones, & morbus non urgens, priuſquam ad alia auxilia devenias, eorum fluor expectandus erit, maxime ſi de natura morbi nondum conſtet, quippe ſecurius eſt menſtruis ſuppreſſis ſanguinem mittere ex pede quam purgare, vomere aut ſudare, nam ſanguinis miſſio cuilibet morbo conducit, reliqua nonniſi à cauſa frigida ortis, aut urgentibus.

Si tamen menſtrua purgatio lente procedat, ſanguine ex pede detracto, ea medicamenta exhibere oportet, quæ menſes moveant; idque etiam antequam prorumpant exequi abs re non fuerit, ſi ſuſpicio ſit naturam opus non completuram, aut tardius aggreſſuram; veluti ſi fœmina de more habeat, ut debitum tempus purgatio prætergrediatur, aut ſi jam prætergreſſum ſit, & non fluxerint, quo in caſu ſanguinem ex ea vena Practici emittunt, quæ è directo affectionem reſpicit nulla vel levi de menſtruo facta conſideratione. Ego vero tranſacto quatriduo id exequendum cenſeo, cum jam natura alio eſt retenta, intra quatriduum ex pede mittendum, & menſtruorum habendam omnino rationem, in levioribus affectibus, de quibus hypotheſis eſt; quam quidem diſtinctionem ſemper ante oculos habere oportet, ne errores committas exitiales.

V.

At dum menſes remorantur, & affectus ex alia cauſa ingra-

cauſa ingraveſcit, plerique aſſeverantiſſime affirmant curationem ab eo auxilio eſſe auſpicandam quod morbus & cauſa poſtulat, citra reſpectum ad venas pedis, quibus ego accedere nunquam potui; in levioribus enim affectionibus, & quæ inducias præbent venam pedis potius ſcindere diuturna experientia me docuit (nam indicatio à menſtruis remoratis, levem indicationem uti diximus ſuperat) deinde frictionibus, lavacris, ligaturis, cucurbitulis, & iis potiunculis utendum quæ menſtrua proliciant, poſtea morbo providendum, quia ſemper eo tempore cauſa morbifica per eum locum convenienter evacuatur, nam quantumcunque menſtrua ſint ſuppreſſa, ſemper tamen natura eò tendit.

Verum ſi morbus ſit urgens, veluti angina, pleuritis, tunc certe ea remedia adhibenda quæ morbus exigit, citra conſiderationem venarum pedis, quippe eorum indicatio eam quæ à menſtruis deſumitur ſuperare ſolet, tametſi venas pedis reſpicere etiamnum tutiſſimum ſemper fuerit.

In menſtruis vero tempore morbi venturis, ſed deficientibus, ita ut vero ſimile ſit eorum retentionem morbum & cauſam fovere, nil dubium eſt ſanguinem ex pede eſſe detrahendum, quantum uteri plenitudo poſtulat, vel quoad menſes prorumpant; deinde, ſi opus ſit, blande purgare concedimus, iis tamen medicamentis quæ naturæ motum convertunt, & utilem moliuntur evacuationem.

VI.

Denique *ſi præſente morbo menſes inſtillant*, ſin quidem ante tempus ſtatutum fuerit, te geres ut ſupra in ſecundo caſu de menſtruorum in morbis anticipatione; aut ſi debito id fiat tempore; ut in tertio, quando menſtrua cum morbi temporibus coincidunt, niſi quod ſtillantes menſes majorem ſignificant naturæ oppreſſionem & majorem requirunt ſanguinis miſſionem. *A Caſtro l.1.c.15.*

Cap. XIX.

De Fluore [1] muliebri & Gonorrhœa.

2. F*Luor muliebris*, [3] *qui alborum menſtruorum nomine alias exprimitur, eſt* [4] *humoris excrementitii* [5] *totâ naturâ* [6] *à ſanguine alieni vitio vel totius vel partis alicujus collecti*, [7] *inordinata* [8] *ex utero excretio*.

[9] *Muliebris* dicitur, [10] quia mulieres afficit, & quidem [11] virgines etiam [12] cum in illis cauſæ locum habeant, & [13] exempla adſint. *Adultiores* tamen frequentiùs, ſi præſertim humida & frigida conſtitutione præditæ ſint, delicatam & otioſam vitam agant, & alimentis frigidis ac humidis veſcantur: *ſenes* denique, & quidem ad mortem, ob pituitæ copiam, & facultatis coctricis debilitatem.

[14] *Signa*, non eſt quod inquirantur. Ex ipſius ægræ relatione affectus innoteſcit. *Differt* [15] à *Gonorrhœa*, quod in iſta materia ſeminalis albidior, craſſior, & longioribus intervallis effluit, & in minore quantitate excernitur.

A [16] *Pollutione* nocturna, quia hæc cum imaginatione rei venereæ conjungitur, & per ſomnum ſaltem accidit.

A [17] *Menſibus decoloribus*, quia iſti periodum ſuam etſi non ſemper exactè, obſervant, gravidis, & menſium ſuppreſſione vexatis non accidunt, rubrum colorem in ſe exhibent.

A α. *Pure ex ulceribus uteri*, quia tum ſigna ulceris proſtant, pus ipſum craſſius & albidius eſt, ſi ſanioſum eſt, cruore perfunditur, & cum dolore excernitur.

[18] *Cauſam* in [19] Humorem excrementitium conjeci, qui interdum à medicamentis catharticis, excitata eorum uſu ad moliendas excretiones naturâ, [20] interdum à Thermis, eadem excrementa quæ per ſudorem depelli non poterant, per hanc viam deponente, concitatur: fluitq; hic humor [21] per venas cervicis uteri frequentiſſimè, per ipſius uteri quandoque & prout ſenſim affluit, ita ſenſim evacuatur.

[22] *Curatio* eſt [23] *feſtinanda*, nam [24] fœminas plerumque ſteriles reddit, [25] niſi fortè per vaſa cervicis uteri evacuetur, [26] eaſdem in atrophiam, tabem, melancholiam, hydropem, uteri prolapſum, [27] animi deliquia & convulſiones conjicit. Hinc quamvis [28] in principio haud difficulter curetur: tamen poſt difficilius. Nam [29] totum corpus per illam viam excrementa deponere aſſueſcit; & uterus debilior redditus excrementa colligit.

[30] Variat pro ratione cauſarum.

[1] *De Fluore muliebri & Gonorrhœâ*) Hos affectus uno capite concludit Author, & rectè, etiamſi cauſis diſcrepare videantur, ſiquidem Recentiorum plurimi pro uno eodemque affectu habent, ut patebit ex inferius adductis.

[2] *Fluor muliebris*) Prædicta menſtruorum vitia ſub fluxu muliebri comprehendere ſolent plurimi, qui muliebres morbos explicant: Depravantur ſiquidem menſtrua, quando vel copioſiùs feruntur, vel quando qualitate peccant: Sanguis menſtruus vel ipſe corrumpitur, vel plurimorum excrementorum permiſtione inquinatur, quorum vacuatio *Fluor muliebris* vel *uterinus* appellatur, quia illis peculiaris eſt & propria: Omnis quidem *menſtruorum fluxus* muliebris vocari poteſt, quoniam mulieribus ſolis convenit, Sed *Galenus*, *Paulus* & *Aetius*, ita reſtrinxerunt, quod hæc non ſanguis ſincerus, ſed varia prodeant excrementa, idque vel continenter &

aſſiduo, vel nullo ordine & circuitu. *Primiroſius libr. 1. cap. 8.*

3. *Fluor muliebris qui alborum menſtruorum*) Affectus ille varias ſortitus eſt appellationes; Vocatur à Græcis ῥοῦς γυναικεῖος, *fluor* ſive effluxus muliebris, quia mulieribus peculiaris & proprius, Ῥοῦς τῆς ὑστέρας, *fluxus uterinus*, quia per uterum fertur, A Latinis *Fluor albus*, non quòd omnis colore ſit albus, ſed quod talis utplurimùm, & in pleriſque appareat; Adhæc *menſtruum album*, non quòd menſtruum ſit revera, ſed quòd menſtrui in modum per uterum fieri ſoleat. *Sebiſius man. pagin. 1572.*

Vulgus *Flores albos* nuncupat, quamvis ſæpiſſimè album non ſit, quod inde effluit: A quibuſdam *uteri catarrhus* & rheumatiſmus appellatur. *Primiroſius.*

4. *Humoris excrementitii*) In hoc fluore humor interdum *ſeroſus aqueus* effluit, copioſeque plerumque, nunc *limpidus ſine morſu*, nunc *acris* vel *ſalſus*, alias *flaveſcens*, aut *nigricans*, nonnihil aliquando & *ſanioſus*, interdum *inodorus*, alias fœtidus ei copulatur, Huic *pituitoſus* etiam miſcetur, aliquantum *glutinoſus, inodorus & frigidus, pauciore* vel eadem, aut etiam *majore* quam ſerum quantitate. *Platerus.*

5. *Tota natura alieni*) Fluor muliebris omnino eſt p. n. cum ſenis, adeoque ſ. n. is nullis eveniat, quin ſemper cum aliquâ moleſtiâ mulierum obſervetur conjunctus, concurrentibus fere tum virium dejectione ac laſſitudine ſpontaneâ, tum aliquando cachexiâ & doloribus in regione lumbari atque viis per quas fluit humor vitioſus, & tunc ſimul acer. *Sylvius Pr. lib. 3. capit. 4.*

6. A *ſanguine alieni*) Quod citra cruoris permiſtionem humor ille venas permeet, hoc ideo quia fluxus ille extra tempus, quo natura eas ad fluxum menſtruum excitandum, ſanguine implere ſolet, & proin eo veluti deſtitutæ ſunt, evenit; uti & quia natura ſanguinem ab impuritate hac ſegregans, ipſum tanquam utilem retinet, excrementa verò hæc tanquam vitioſa atque præternaturalia ejicit. *Platerus.*

7. *Inordinata ex utero excretio*) Typum, ſeu periodum obſervat nullum, cùm incipit menſes comitari ſolet, & vel iiſdem conjungitur, vel iiſdem ceſſantibus aliquandiu perſtat, continuari verò ſolet ſine typo, aut intermiſſione, continuò effluendo, nunc parciùs nunc copioſiùs; utut etiam tunc circa menſium tempus uberiùs effluere ſoleat. *Etmuller.*

8. *Ex utero*) In utero generantur iſti humores excrementitii, quia proprium alimentum commutare nequit, ob debilitatem retentricis aut concoctricis, ideo illud majori parte in excrementitium humorem faceſſit, cùm imperfectè conficiatur, vel potiùs corrumpatur, Imperfectâ conficitur in frigidâ uteri intemperie, corrumpitur in calidiore; Et cùm uterus ex concoctionis defectu nutritione ſuâ fruſtretur, novum alimentum continuò attrahit, quod in excrementum converſum ab eo tanquam inutile, reiicitur, ac nova continuò fit attractio, unde continuus & copioſus fit pravi illius humoris per uterum effluxus: Debilitatur uterus, & horum excrementorum receptioni magis idoneus redditur à graviditate, partu, abortu, contuſione, inflammatione, abſceſſu, aut exulceratione. *Riverius* Vide plura inferiùs §. *Alius ab utero*) ex *Sylvio de le Boë.*

9. *Muliebris dicitur*) Ex uteri ſinu pituitoſa hæc excretio in fœmineo ſexu admodum eſt frequens, eamque *fluorem muliebrem*, ſeu *Uterinum*, vel *Purgationem uteri* vocant, & quia ejuſmodi Fluores mulieribus, poſtquam menſtrua ceſſarunt, plerunque ſupervenire ſolet, & ad aliquot dies perſeverare, *Menſtrua* quoque ſed *alba*, ad differentiam *ſanguineorum* rubrorum appellantur, verùm non eo ordine, ſed inordinatè, mulieribus menſtrua habentibus contingere, & ſæpe diu, aliàs breviùs perdurare ſolent; Atque etiam eas quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt aliquando infeſtare, uti & illas quibus *menſtruorum tempus* præteriit, & ne *vetulis* quidem parcunt; & *virgines* quandoque invadens; *Gravidaſque* hunc quoque fluxum paſſas obſervavimus. *Platerus.*

10. *Quia mulieres afficit*) Evenit incipitve frequentius circa tempus inſtantium menſium primùm, atque ad ætatem ſatis decrepitam in multis perſeverare ſolet, adeo ut nulla ætas, niſi prima obſervetur immunis ab ipſo, nullus fœminarum ſtatus eas ab ipſo liberet, cum & virgines & uxores, & viduæ & juvenculæ, & conſiſtentes & ſeneſcentes, & fertiles & ſteriles ipſum patiuntur ſæpe ſatis moleſtum, Sed ne Gravidis quidem parcit, verùm quaſdam tunc ſolet magis infeſtare, quaſdam minùs. quinimo quædam toto geſtationis uteri tempore immunes ſunt ab hoc fluxu, quæ tum priùs tum poſtea eodem urgentur maximè: Contrà aliæ idem fluor, quamdiu gravidæ ſunt exiſtit moleſtior: *Sylvius de le Boe.*

Mulieres quas affligit, non ſolùm extra graviditatis tempus, ſed etiam dum gravidæ fuerint: Sic mulieres dum gerunt gemellas, fluore hoc continuò corripiuntur, Quod obſervandum contra eos, qui dicunt ex utero effluere eſſe impoſſibile. Item quòd affligat mulieres menſtruoſas, & quibus menſes deficiunt, obſervandum, ut pateat non idem eſſe cum ſanguine menſtruo, nam imprimis vetulæ magis, raro puellæ eodem corripi ſolent. *Etmuller.*

11. *Virgines cùm in illis cauſa locum habeant*) Notandum ad fluoris albi productionem aſſici aliquando uterum immediatè à frigore externo, tum in Puberibus fluxum menſtruum ſiſtente, aut ſaltem minuente, tum nondum Puberibus, nec proinde fluxum illum adhuc paſſis, uterum ipſum ita vitiante, ut faciliùs copioſiuſque quàm decebat ſecedat, ſiſtaturque in ipſo pars ſanguinis acidior; quæ ibidem fermenti pravi naturam inducens, ſanguinem ad uteri nutritionem continuè allabentem paulatim poſtea corrumpat, & in Fluorem pituitæ ſimilem immutet, qui nutriendo utero inutilis effluat plerumque, dictumque fluorem inducat. *Sylvius.*

12. *In illis cauſæ lateant*) Perperam nonnulli aſſerunt Virgines ab hoc affectu eſſe immunes, viarum anguſtiam accuſantes, & temere pronuntiantes illas eſſe corruptas, quibus albi fluores promanant, Etenim ſi virgines ſatis amplas habeant uteri venas, ut per earum ductus menſes ordinarii fluere valeant, quidni etiam fluores albi per eaſdem vias ſtillare poterunt, cùm ſæpe materia illius fluoris ipſo ſanguine tenuior & fluidior ſit, utpote ſeroſa vel bilioſa: Id ipſum confirmat experientia, & teſtatur *Fernelius* ſe puellam vidiſſe octavo ætatis anno hoc malo obſeſſam, ac diu poſtea graviter afflictam. *Riverius.*

12. *Cum illis cauſæ locum habeant, & exempla adſint*) Albi fluoris, & quidem ſeptenario primo erumpentis rara hactenus & obſervata memoria. *Fernelius 6. de P. m. & S. capit. 16.* puellam fluore albo obſeſſam octavo ætatis anno ſe vidiſſe refert, ſed diu poſtea graviterque afflictam; Cognita mihi eſt hiſtoria Illuſtr. Perſonæ quæ vij. ætatis anno fluorem experta eſt album, & ſeroſum, magno virium caloriſque diſpen-

pendio; quæ tamen diligenti medicorum curâ ſervata adhuc dum degit incolumis; Vidi nuper Puellam xv. annorum, vegetam nunc atque ſanguineam, Hæc, matre referente primo ſeptenario fluxum ſuſtinuerat album, tamque copioſum, vt periculum quod ominabamur fore magnum, ægrè evaſerit.

Vtrum ceu in pluribus evenit, hic quoque ſeptenarii quædam ſit prærogativa, & xiv. indicia tum erumpant, incertum eſt, Si arcanorum naturæ aliqua eſt veneratio, vt profectò eſſe debet, non ambigam tum temporis aliquem fermentationis velutque præparatorium motum oriri, quandoquidem ad primum ſeptenarium fœtus etiam in vtero aliquid etiam moliatur, orgaſmo humorum ſpirituumque excitatur, Attamen vbi natura tam præproperè & mature agere, ſeque ipſam quaſi anticipare videtur, multùm futuræ valetudini roboreque decedere, vel hoc ipſo indicio neceſſe eſt. *I. N. Pechlinus med. ſept. vol. 2. p. 31.*

13. *Et exempla adſint*) Puella octennis, habitus corporis gracilioris corripiebatur per tres menſes albo menſium fluxu (qui referente *Hœſterrero* Auguſtanis puellis, etiam parvulis virginibus familiaris eſſe ſolet) ex nimio neque continuo ſacchari vſu, & ſomno, cui indulſit hactenus, contracto, cum pallore faciei & labiorum, cephalalgiâ gravi, reſpiratione anheloſâ, palpitatione cordis, laſſitudine gravativâ appetitu penitùs proſtrato, ac metu ne malum hoc in cachexiam aut atrophiam degeneret, idque ob depravationem nutrimenti ſanguinis, Ordinavi varia quæ aliàs felici cum ſucceſſu in hoc affectu adhiberi ſciebam, imprimis ad humores crudos præparandos, obſtructiones reſerandas, &c. præſcripſi vinum medicatum, *tincturam corall. cum ſpiritu vini preparatam*, & ægram optime reſtitui. *Ioh. Matthias Neſterus m. ſ. vol. 2. p. 46.*

Filia N. 6. annos nata, corpore erat cachectico; inquirenti in cauſam iſtius cachexiæ, narratum emanare ex pudendis materiam albicantem, quæ fluori muliebri ſimillima erat, vlcus enim adeſſe nulla ſigna denotabant: Purgavi illam per epicraſin *infuſo rhei*, deinde *tinctur corall.* in liquore convenienti per aliquot dies exhibui; his feliciter reſtituta. *Caſpar Kolichen ibid.*

14. *Signa non eſt quod*) Affectus ipſe ex ægri relatu facilè dignoſcitur cumque non rarò varia ſymptomata conſequuntur, nempe color faciei pallidus, appetentia dejecta, nauſea, ſpirandi difficultas, virium dejectio, oculorum tumor & inflatio, mœror & triſtitia, vrinæ craſſæ & turbidæ, aliaque non pauca quæ pro humoris peccantis diverſitate varia eſſe ſolent, Humorem verò fluxum iſtum efficientem produnt imprimis colores humoris effluentis, qui in linteis apparent, quibus ille excipitur, ſi, vt docet *Hipocr.* 2. de m. m. lintea illa aefuſa ſimplici aquâ laventur, ac in vmbra exſiccentur; Tunc enim manifeſtè colorem referunt humoris in excrementis dominantis; quibus addi poſſunt ex ſemeioticâ generalis ſigna humoris in toto corpore redundantis. *Riverius.*

quædam adſunt ſymptomata, vt vitioſus corporis color, ciborum faſtidium, motus tarditas, ſpirandi difficultas, oculorum pedumque tumor, marcor & macies cum vulvæ perpetuo madore & perſeverante malo mœſtitia, melancholia, lipothymia, convulſio, pulſus vermicularis, vrina turbida; oculorum tumorem quod ſpectat, ſcribit *Altimarus* ex *Paulo* & *Avicenna*, cum eſſe vel cum vel ſine dolore, quod tamen falſum eſt nam in hydrope, cachexiâ, chloroſi tument oculi ſine dolore, verùm, vt rectè advertit *Mercurialis*, ad oculos retulerunt, quod de affectu ipſo ſcribit *Paulus*, nam reverâ interdum doloriſicus eſt, ſi ſit acris, erodens, ſalſus, vnde exulcerationem & eroſionem interdum parit; inde fœminæ viri congreſſum non ferunt, maximè ſi in vteri collo vlcus fuerit.

Cæterum notendum eſt ſæpe fluore albo & indolente quaſdam corripi, quales quaſdam novi quæ tamen nullis ejuſmodi ſymptomatis conflictantur & præter moleſtiam non magnam inde noxam ſentiunt Accidunt enim pioræ potiùs immoderato & diuturno fluxui, quàm vt affectum ipſum ſua natura ſequantur, nam & in chloroſi & aliis morbis ad eſſe ſolent. *Primiroſius.*

15. *Gonorrhœa*) Notandum eſt in toto vaginæ ductu, aut cervicis vteri, adeſſe plurimos poros exiguos, quorum grandiores occurrunt circa pudendum; ibi enim loci colli vterini ſubſtantia craſſior eſt magiſque ſpongioſa, præſertim juxta veſicæ collum, circumcirca meatum vrinarium, è quibus porulis feroſa quædam pituita continuò exſudat, vtilis humectandæ vniverſæ parti interiori prædictæ cervicis, quò meatus ille ſemper liber ſit: exprimitur autem inſigni copia coitus tempore à conſtrictione illius partis, adeo vt ex omnium judicio pro ſemine muliebri habeatur etſi revera ſemen non ſit: effluentis ejuſmodi humoris copia (quæ coitus tempore extra ſemper profluit aut ſaltem eo peracto) opinionem intulit *Ariſtoteli* mulierem nullum ſemen ad generationem conferre, at ſolùm ſanguinem menſtruum qui vivificam vim acciperet accedente ſemine virili: Eadem etiam procul dubio ratione inductus *Herophilus* quem plures ſequuntur, credidit vaſa ſpermatica muliebria collo vteri inſeri, non ſecus ac virilia; & ſemen per hanc viam mulierem excernere, quod demum ab vtero, virili commixtum abſorberetur; quem errorem egregiè refellit *Gallenus*, l. 2. de *Semine*: Id verò hic ſingulare eſt, quòd, ex meâ ſententiâ, humor ille qui continuò & multus in mulieribus Gonorrhœâ affectis effluit, tum ſimplici tum virulentâ (cui non ſecus ac viri obnoxiæ ſunt) procul dubio originem ducit, non ex ipſo vteri corpore (quæ communis eſt opinio) ſed ex circumſitis colli veſicæ partibus & prædictâ vaginæ ſpongioſâ ſubſtantia; quæ in mulieribus quædam modo glandularum proſtatarum virilium munere fungitur, quamobrem tunc temporis mulieres graviùs ibi loci, quam in ipſâ vteri ſubſtantia affliguntur; è quâ profluit quidem fluor albus, nequaquam autem gonorrhœæ illæ ſpecies: Id quod comprobare licet ex indicio per quod præcise ambo hæc ſymptomata ab invicem diſtinguuntur; quod vix. Gonorrhœæ humor etiam tempore menſtrui fluxus elabitur, id quod nequaquam contingit in fluore vterino, qui tunc ſupprimitur, quia ſolum ortum trahit ab exſudatione humoris ex iiſdem vaſis per quæ menſtrua erumpunt, effluentis ex ipſâ vteri ſubſtantiâ emergentia: Vnde eluceſcit duos hos diverſos affectus ſedibus differre, diverſaſque ſupponere partes affectas. *Mauriceau de morbis Gravidarum & Puerp. cap. vij. De org. Gener.*

15. *Differt è Gonorrhœâ*) An fluor ille ſi continuus exiſtat, à Gonorrhœâ eſt diſtinguendus? Ita namque inter ſe conveniunt, vt niſi mentem adhibeat medicus, præ ſimilitudine facilè in errorem abeat, quamquam à diverſis partibus procedant, & per diſtincta loca excernantur, ſiquidem fluor iiſdem quibus menſtrua fluunt, ductibus ejicitur, quod vel ideo indicamus, quia menſtruum fluorem ita ſubinde immutari cernimus, vt qui primò, veluti à victima, referente *Hippocrate* prodibat, nunc minùs floridus, poſtea pallidus, ac ſenſim albus appareat Fluoremque muliebrem *album* dictum efficiat: Gonorrhœam verò ex glandoſo corpore prodire, &

per lacunas circum, & in meatus vrinarii exitu collocatas erumpere, cadaveris cujuſdam mulieris hoc vitio infectæ diſſectio palam fecit, nam vtero ejuſque vaginâ innoxiis, corpus glandoſum ſive proſtatas vrethræ circumpoſitas, ſolùm malè affectas compertimus.

At dicet aliquis, quomodo illa Medicus internoſcere valebit, ſi mulier affecta ſe caſtam, honeſtam, & ab omni virili conſortio alienam profiteatur.

Utcunque dijudicare poterit, ſi ad prolabentem materiam, ægræque querimonias diligenter attendat, materia namque fluoris alteram in Gonorrhœâ manantem longè quantitate ſuperat; Querelas ſi conſideret, fluore fœdatas lumbari cruciari dolore aliâs verò Gonorrhœâ laborantes de obortâ circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet. Sin minùs his contentus certior eſſe velit, Genitalia inſpiciat, ſiquidem meatus vrinarii exitum circum ſiſtentes partes (in quibus lacunarum exitus terminantur) mucoſâ quadam materiâ obſeſſas, ac interdum exulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter ſeſe habentibus, cujus contrarium in fluxu albo fieri aſſolet.

Sed hæc vulvæ inſpectio non ſemper neceſſaria eſt, cùm Medicus haud ſit culpandus, ſi medicamenta ſecundum ægræ quærimonias præſcribat; ſi verò illum eludat, nec optatum præſcripto medicamine ſucceſſum contumax mulier conſequatur, id ſibi imputet, digna enim talis eſt, vt nequitiæ ſuæ debitas pœnas luat. *Graef de mul. org. c. ix.*

15. *A Gonorrhœa*) Duo ſunt affectus ipſi ſimiles, Gonorrhœa & vlcus vteri; Ab illâ diſtinguitur, quia ſemen minoris eſt quantitatis, & longis intervallis emanare ſolet, quia paucum illud eſt ex quo ſemen generari ſolet; *1. de gen. anim. cap. 18.* quia reſiduum eſt vltimi alimenti partium, vnde cùm pauca ſit materia ſeminis, neque à vaſis ſuis diutius retineatur, magna ipſius copia ſimul cumulari non poteſt contra quàm in *Pollutione nocturnâ*, in qua ſemen copiâ turgens expultricem; & per longa intervalla profluens ſenſim in vaſis cumulatur; Hic malè ait *Mercurialis* fieri poſſe, vt in Gonorrhœâ ſemen copioſum effluat, 1. ſi pituita à capite defluens ſemini miſceatur; At non erit propriè dictum ſemen quod effluit, potiuſque pituita per alias partes excretioni dicatas effluere poteſt, quàm vt à capite ad teſtes veniat; quicquid *Hippocr.* de ſemine à cerebro fluente dixerit. ij. Quia vaſa ſpermatica intemperata vehementiùs attrahunt à toto, & ſic ſemen multiplicant, Quæ potiùs eſt cauſa ſalacitatis aut pollutionis nocturnæ, quam gonorrhœæ, in quâ ſemen invitis & ſine ſenſu effluit. Ad hæc ſemen non fluit aſſiduò & quotidie, vt in fluore vterino, ſed quibuſdam intervallis, non ab vteri venis, ſed à vaſis ſpermaticis, eſtque album craſſiùs, omnis expers graveolentiæ & acrimoniæ, corpuſque ex eo fluore citiùs contabeſcit, quàm ex muliebri: Si verò virulenta fuerit Gonorrhœa, eam præceſſit fœdus concubitus, continuus adeſt dolor, vt in vlcere, cum ardore & acrimoniâ vrinæ. Sed præterea hoc certo ſigno dignoſcantur, quod quoties fluunt menſes fluor muliebris ſubſiſtit, quoniam ab iiſdem vtplurimum vaſis prodeunt, perſeverat nihilominus Gonorrhœa virulenta. *Primiroſius.*

Tum & rariſſimè fœtet, Tum ſi ſit virulenta ex impuro concubitu contracta, ex ardore vrinæ, pudendi vlcuſculis, aliiſque ſignis malignitatem indicantibus. *Riverius.*

Fluor albus per ſe patet, ſaltem obſervet Medicus, vt diſtinguat *Gonorrhœam veram à nothâ*, Nempe ſi ſaltem interdum, nunc ſtatis, nunc vagis temporibus, evacuatur humor craſſiuſculus, glutinoſus, ſeroſus, & in moderata quantitate, eſt *verus*, Si verò in habitu cachectico, cum dolore in *lumbis* & circa *os ſacrum*, cum junctâ febre lentâ, evacuantur copioſa acria liquamina, virideſcentia, fœtida, tenuia, &c. oſtendunt *fluorem album nothum*, Prior aliquandiu durat, ſine inſigni mulierum detrimento. Poſterior verò ſolet conjunctum habere proſtratum appetitum, tumores pedum, ructus, debilitatem, quandoque etiam febrem ex genere febrium lymphaticarum. *Etmuller.*

16. *A Pollutione nocturna*) Vide ſupra §. *A Gonorrhœâ.*

a. *A pure ex vlceribus vteri*) Tum & pus minoris eſt quantitatis, ſi ritè concoctum ſit; ſi verò ſanioſum & ichoroſum, quodam cruore perfuſum eſt, & interdum filamentis partium; & cum inſigni doloris ſenſu exire ſolet, tum etiam mulieres vlcera patientes in vtero aut illius cervice, non admittunt coitum, niſi cum moleſtia quæ affectum ipſum exaſperat. Quæ vero muliebre profluvium patiuntur, liberè & patienter venereos amplexus ſuſtinent. *Riverius.*

17. *A menſibus decoloribus*) Menſes decolores ad hoc vitium propriè non referuntur, quoniam periodum ſuam obſervant, quamvis non adeo conſtanter, ideo propriè, ad menſes pertinent etſi depravati ſint. At fluxus muliebris à prædictis ſubſtantia & calore diſtinguitur, tum quòd nullam habet certam periodum, ſed quolibet tempore fluit, ante & poſt menſes, interdum quoque etiam iis quibus menſes ſuppreſſi ſunt & gravidis. *Primiroſius.*

18. *Cauſam in humorem excrementitium conjeci*) Præſupponitur hoc mulieres in coitu materiam quandam cum voluptate effundere; quòd ſi ergo lympha, quam effundunt, non ſit ſemen muliebre (quod propriè loquendo non habent) ſed loco hujus prodant ova, ſequitur materiam huius non eſſe ſeminalem, ſed hujus vſum eſſe, vt ſtimulet mulieres ad coitum.

Quæritur ſaltem, Unde erumpat hæc materia? Primus, glaciem fregit *Regn. Graaf in Anat. part. genit. mul. cap. 6.* dicens, quod meatus vrinæ in mulieribus vbique ſit circumdatus *ſubſtantiâ membranaceâ, glandulosâ, analoga proſtratis glandoſis virorum*, ex quibus, circa meatum vrinarium ſitis, obſervatæ ſunt lacunæ, ſive apertiones, quæ hiant in orificium vteri extremum. Has lacunas obſervavit etiam *Rhodius obſerv. 13. cap. 6.* Item dicit *Bartholinus* ex his effluere liquorem limpidum, tam in, quam extra coitum,

Fluor ergo *albus mulierum*, nihil aliud eſt quam *Gonorrhœa muliebris*, nempe analoga Gonorrhœæ virorum; ita vt hæc *Gonorrhœa mulierum* nunc ſit *vera*, quando liquor ſeminalis ex proſtratis glanduloſis effluit; Nunc *notha*, quando alius ichor, ſeu liquamen ſeroſum, variis quandoque coloribus effluit.

Obſervanda autem eſt *differentia* in hoc *fluore*, nempe alius eſt *levior* in quo *lympha ſeminalis pauca*, non adeo frequenter glutinoſa, mitis, ſine ſenſu doloris aut roſionis, & *ſine gravi corporis* vitio, aut tabe, eſtque ſaltem gonorrhœa, in quâ dicta proſtratæ leviter ſunt affectę.

E contra obſervatur alius fluxus, *copioſus, continuus*, vbi varia *ſeroſa, tincta, acria* excerni ſolent, concurrente totius corporis cachexia, tumore pedum, torpore actionum, flacciditate membrorum, & ſimil. Qui fluor eſt Gonorrhœa notha, & oritur vitio maſſæ ſanguineæ cachectico, *Item, vitio chylificationis*;

Præ

Præ cæteris hos fluores diſtinguit *Heurnius*, dum priorem vocat *Profluvium vterinum*, poſteriorem *Profluvium muliebre*, id quod ex tota muliere effluit.

Cauſa *prioris Fluoris* ſaltem eſt copia & turgeſcentia *liquoris* illius *ſeminalis*, conjuncta cum aliquali glandularum iſtarum proſtatarum laxitate, ſeu flacciditate, vnde facile dilabi permittunt dictam materiam, &c. Ad hoc diſponunt *coitus* per aliquod tempus *intermiſſio*, *vita ſedentaria*, *laudabilis victus*. Facit huc quod virginibus ſalacibus, & quæ propter humiditatem vaſa ſpermatica habent laxa, & ſemen aquoſius emittunt, hi fluores ſolent eſſe familiares.

Poſterioris cauſa inveſtiganda eſt, partim in maſsâ ſanguineâ, Nempe in hac Gonorrhœâ *nothâ* frequenter peccat materiæ effluentis *nimia acrimonia* eaque primitus nitroſa, poſtmodum acido ſalſa; ratione cujus non tantùm relaxantur, ſed & erodantur dictæ proſtratæ glanduloſæ, vt continuò effluat tale liquamen. Scilicet vitium nunc eſt in *maſsâ ſanguineâ*, nunc in *glandulis*, ſi ſcilicet glandulæ proſtratæ nimis flaccidæ, molles & laxiores fuerint, vt tanquam per emunctorium quoddam vniverſale maſſæ ſanguineæ, ex cruditatibus ſtomachi cachecticæ redditæ mucus talis chyloſus, & liquor crudus evacuetur, & tranſcoletur: confirmat hoc *Graaffius* qui dicit in mulieribus talibus *glandulas proſtratas exulceratas* repertas fuiſſe.

Præter has in Glandularum flacciditate & eroſione cl[illegible]uſas, accedit *materia acris*, *ſalſa*, *ſeroſa*, tam proprio vitio, quàm *vitio fermenti*, dictarum proſtatarum, à quo vbi tale liquamen elaboratur, ibi conficiunt & excernunt; Quod concurrat maſſæ ſanguineæ vitium, oſtendit ſtatus corporis *plethoricus*, *cachecticus*, tumores pedum *œdematoſi*, *appetitus veneris extinctus*, *&c.* Quod verò per *Proſtratas* excernatur, fit propter *laxitatem earum*, *flacciditatem*, *eroſionem*, & ſimilia.

Nihil eſt quod huic theoriæ obſtare poſſit, ſaltem reſtat hoc dubium, vnde nempe tanta ſit *ubertas liquaminis* hujus, cùm per dicta, proſtatas non poſſit tanta copia continuò emitti? Sed quando modo conſideremus quantùm materiæ ſubinde per nares effluat, quantùm ex oculis, quantum ſaniei plorent vlcera, & facilè poſſumus concipere, quòd per has proſtatas vitioſas ex maſsâ ſanguineâ cacochymicâ copioſiùs tale liquamen effluere poſſit, *malo inveterato*.

Simul tandem notandum, quòd vlteriori ſcrutinio habet *Horn in Prodromo de Part. gen. in muliere*, Orificium nempe vterinum eſſe glanduloſum, ex quo ſuccus ſeminalis ſoleat emitti. Vid. *Ven de Becke in meditat. circa princ. rer. nat. pag. 193.* vbi refert *Vaginam vteri eſſe poroſam*, & continuò quandam lympham ſolere tranſſudare, & humectare genitalia viri in congreſſu. Interim *Sylvius* aſſerit totum vterum eſſe conſtitutionis & *naturæ membranaceæ glanduloſæ*, quod effatum quamplurimis dubiis ſatisfacit. *Etmuller.*

[18] *Cauſam in humorem excrementitium*) In fluore albo fibræ nerveæ ſunt læſæ, & vaſa lymphatica, vnde ichorem extravaſatum fundunt. *Wedelius A.m.m. pag. 197.*

[19] *Qui interdum à medicamentis catharticis*) Excrementa in ſanguine contenta, quæ fluxus huic materiam præbent (atque ab illis quæ aſſumuntur, ac à viſcerum concoctione deſtinatorum imbecillitate dependent) ſi naturam gravent, hæc illa expellit, eoque citiùs, ſi vteri ſimul adſit imbecillitas, vtvarii de cauſis, ita & hujus fluoris, ad hasce ſedes alluentis, & humectantis & refrigerantis cauſa exorta; Uti etiam ſi natura ad horum propulſionem alio modo quoque excitetur, ſicut mulieribus quæ nunquam hunc fluxum paſſæ fuerunt, hunc poſtquam *Cathartica* ſumpſiſſent, quia natura eorum vſu ad alias excretiones moliendas excitata fuerat, ſuperveniſſe obſervavimus. *Platerus.*

[20] *Interdum à Thermis*) Multas dum Thermis aliquandiu inſediſſent hoc vitium contraxiſſe obſervavimus, non ob contagium, quia cum aliis quæ eo laborabant in eodem Balneo ſederint, vti verò ſibi perſuadent, ſed quod vſu horum continuo, ſicuti per ſudores Natura excrementa deponit, ſic & per hanc excretionem eadem, maximeque quæ ob craſſitiem ſudore exhauriri nequibant, expellit. *Platerus.*

[21] *Per venas cervicis vteri*) A cervicis vteri venis, vt menſtrui fluorem oriri exiſtimamus, ita & fluor vterinus ab iiſdem procedit; Neque enim ex vteri fundi cavitate, vti vulgò putant, in cavum illius effluit, indeque poſtea expurgatur, cùm tam anguſtus in vtero ſinus tantam copiam humoris quantam plerumque emanare videmus capere minimè poſſet, nec in eo congeri, multò minùs per venas quæ exiles ſunt, nec donec mulier vterum geſtat amplientur, in illum influere valeret; vti verò per cervicis illius venas manifeſtiores ex eadem effluit, &c. vti & in gravidis hoc aliquando contingit, in quibus cùm orificium internum penitus occluſum ſit hunc fluxum non è cavo vteri promanare potuiſſe, ſed ex illius collo ſatis demonſtrat, atque in illis quæ vtero non gerunt ſimiliter evenire idem etiam comprobat; Verùm quod citra humoris permiſtionem humor ille venas haſce permeet, hoc ideo quia fluxus ille extra tempus, quo natura eas ad menſtruum fluxum excitandum ſanguine implere ſolet, & proin eo veluti deſtitutæ ſunt, evenit, uti & quia natura ſanguinem ab impuritate hac ſegregans ipſum tanquam vtilem retinet, hæc verò excrementa tanquam vitioſa atque præternaturalia eo modo ejicit. *Platerus.*

[22] *Curatio*) Quædam magno cum commodo fluxum hunc experiuntur, modò ſit moderatus, ex *Ariſtot. 3. de gen. an. cap. 4.* Excrementorum enim mole corpus liberatur, vnde temerè non eſt ſupprimendus hic fluor; nam ſuppreſſione intempeſtivâ quædam in hydropem, aliæ in paralyſin, alioſque affectus inciderunt, humore alio refluente, Perſeverans tamen hydropem, tabem alioſque affectus facere poteſt. *Primiroſius.*

In eâ obſervandum, ſi ſingulis menſibus biduo, vel triduo durat, & poſtmodum ceſſat, hinc ſuo tempore redit, non eſt cohibenda; ſi verò perpetuò durat, maturè eſt ſiſtenda. *Etmuller.*

[22] *Curatio*) Scopus curandi in eo conſiſtit, vt *proventum* horum *excrementorum*, proſpiciendo etiam *ventriculo* impediamus, eáque *è corpore educamus* atque abſumamus, & ab *vtero revellamus*, *vterumque exſiccemus* ac *roboremus*, Quæ omnia hujus ſolius Fluoris cauſa ſunt; Quòd ſi verò alii affectus huic fluori complicentur, qui illi cauſam præbuerunt, vel eam ſequuntur, veluti cachexia, hydropis principium, tunc ſimul & hiſce ante omnia proſpiciendum, *viſceráque* concoctioni deſtinata, quæ labem aliquam contraxerunt, erunt corrigenda; Si ſterilitas inde quoque ſequatur, vtriſque cura accommodabitur. *Platerus.*

Indicationes curativas ex fundamento Sylviano, Vide inferiùs §. *In curatione*) & Infra §. *vteri affectu.*)

Si ex ictu, caſu laborioſo partu, contigerit, vtero imponendum *Emplaſtr.* ex *ſangu. dracon. thure, maſtiche*, & aliis adſtringentibus, additis aromaticis & calidis medicamentis.

℞. *Sangu. dracon. thur. maſtich.* ãã. ʒß. *pulv. roſar. balauſt. myrtill. conſol. maj.* ãã. ʒiß. *benzoin.* ʒij. *tereb.* ℥j. *cum ladano & cera fiat ceratum*, Aut cum *album. ovor.* & *farina cataplaſma*, &c. *Primiroſius.*

23. *Eſt feſtinanda*) *Prognoſis* hujus affectus ex vna parte bona eſt, ex alterâ verò mala, Bona dici poteſt quatenus vitæ periculum non infert, mala verò quatenus eſt contumax ac diuturnus & curatu difficillimus, ſi quidem humorum ſuperfluorum effluxus, qui ſemel hanc viam affectavit, difficillimè avertitur, cùm vterus ſit ſentina totius corporis, per quam etiam in ſtatu naturali, humores ſuperflui ſingulis menſibus expurgantur.

Fluxus lividus, cruentus, aut fœtidus, deterior eſt albo, pallido & minime fœtido. Vetulas hoc malum plerumque ad mortem comitatur, ob pituitæ copiam, & facultatis concoctricis Imbecillitatem. *Riverius.*

Huic fluori ſi moderatè ſe habeat, nulla aliàs ſuperveniunt graviora accidentia, & ſine noxa tam mulieres, quam virgines hunc incolumes, alioquin ſæpe multis menſibus, vel etiam annis ferunt. Alias verò ſi immoderatus ſit, malus corporis habitus, ſeu cachexia eum comitatur. Item languor corporis atque functionum quarundam imbecillitas. *Sterilitas* item in quibuſdam mulieribus, licet in aliquibus in conceptu nullum impedimentum afferat; Pruritus, mordicatio & ardor in pudendo & circa illud, ſi vitioſa ſit hæc materia, eas divexat; Atque inprimis ipſis, ſi hæc excrementa fœteant, turpitudo hæc moleſtiam & maritis tale faſtidium, vt ab ipſorum conſortio abſtineant, parit. *Platerus.*

Notandum ex *Ætio* juvenes rubra, ſeniores alba fluxione ſæpius tentari. Si reſpondeat ætati morbus facilius curari. Si verò non ſit ætati congener, vt ſi vetula rubro, juvencula albo fluore tentetur, difficilius, & cum majori vlceris periculo emendari. *Primiroſius.*

Purgatio.

Curatio hujus affectus incipienda eſt ab vniverſali humoris peccantis evacuatione, quæ illius naturæ conveniat, Et quia hujuſmodi fluxus à pituitoſis & ſeroſis humoribus plerumque fieri conſuevit, illos humores Purgantia medicamenta erunt præcipuè vſurpanda; iiſque cholagoga aut melanagoga erunt admiſcenda, provt bilioſi aut melancholici humores illi admixti fuerint. Præſcribi ergo poterit Apozema conveniens, alterans ſimul & purgans, pro iv. aut v. dozibus, pro ſolenni evacuatione; hoc continuò advertendo medicamentis purgantibus quædam adſtringentia & roborantia eſſe permiſcenda, ne humores commoti verſus vterum magis præcipitentur.

Ac præter Purgationem vniverſalem jam propoſitam, vſuales etiam adminiſtrandæ ſunt, & frequenter repetitæ, vt magis illa excrementorum colluvies ſenſim educatur & Natura aſſueſcat humores per alvum expurgare, qui ante ad vterum confluebant. In hunc finem ſyrupi magiſtrales, Pilulæ & opiatæ vſuales componi poterunt, ægrotantis temperamento & humoribus peccantibus congruæ; In affectu pituitoſo laudat *Mercatus* Syrupum ex decocto *ligni guajaci*, cum *ſenna, turpetho, & agarico*, Vel Pilulas ſequ.

℞. *Pilul. de agar.* ʒj. *agar. trochiſc.* ʒiß. *cum melle roſac. fiant Pilulæ, quarum ſummo manè ſumantur vi. aut vii. 3°. quoque die. Poſtea verò earum tres tantùm 5. aut 6. quoque die.*

Vel ad magis adſtringendum ſimul & purgandum, in quocunque temperamento.

℞. *Rhabarb. el. ſucco roſar.* frequenter irrigati ʒij. *myrabol. citr. chebulor. indor. infuſor. in ſucco roſar.* ãã. ʒj. *maſtich.* ℈j. *ſpicæ* ℈ß. *cum ſyr. roſac. f. maſſa Pilul. cujus dozis* ʒj. *bis in ſeptimana.*

In fluxu ſeroſo *radix Gialapa* præſtantiſſima eſt, E. g.

℞. *Rad. Jalapæ ſubtiliſſ. pulverata* ʒj. *cinnam. pulv.* ℈ß. *m. & cum jure pulli f. Potio*, in aurora ſumenda.

Ptiſana laxans, per menſem quotidie exhibita, contumax vteri profluvium curavit quod aliis remediis non ceſſerat. *Riverius.*

Elaterium in his caſibus ad gr. iij. cum ℈j. *Pil. aloephang.* egregiam præſtat operam. *Saxonia Pr. l. 4. cap. 21.*

Ptiſana laxans qua vſus eſt *Riverius* hæc fuit *Obſ. 81. cent. 3.*

℞. *Senn. mund* ʒj. *ſem. coriandr. præpar. liquir. raſ.* ãã. ʒiß. *aqu. fontis in qua tamarind* ℥iij. *ligni lentiſc.* ʒj. *bullierint, cyathum vnum*, Infundantur frigide per noctem, colaturam capiat mane 2. horis ante paſtum.

Vomitus

Vomitus etiam in hoc affectu maximè commendatur, in iis præſertim quæ faciliè vomunt, quia humores crudi qui circa ventriculum cumulari ſolent evacuantur, tum etiam ab vtero potenter revelluntur: Inter idonea Emetica laudatur *Diaſarum Fernelii* cujus ℥ß. data cum *aquâ mulsâ*, vel cum *oximel.* ℥j. *& jure pulli* tepido, ſine vllo labore ter vel quater vomitum movet. *Riverius.*

Vomitu ante cibum facto, cum crudorum & pituitoſorum humorum, vti & bilioſorum magna fiat & ſubita evacuatio, corpora quæ eum ferre poſſunt, valdè expurgantur; vti & eo qui poſt cibum fit, quo tempore faciliùs vomunt, & vel cum cibo, vel etiam ſine illo; vti ſæpe obſervatur, nihilominus multa excrementa ejuſmodi evomuntur, Fit quoque in concuſſione hac per vomitum facta aliqua excrementorum ab inferioribus ad ſuperiora revulſio. *Platerus.*

Diuretica.

De *Diureticis* non levis eſt difficultas, an ſcilicet huic affectui conveniant? Illa enim non ſolùm vrinas, ſed etiam menſtrua provocant, excalefaciendo nempe & attenuando humores in venis contentos: Attamen ab omnibus authoribus approbantur, & à *Galeno* ipſo qui iis vſus eſt in vxore *Bœthi*, Et ratio eſt, quia diuretica vrinas primario provocant, menſes vero ſecundario & quaſi ex accidenti, Deinde renes continuò ſeroſam materiam attrahunt; Uterus verò excipit tantùm, vnde credibile eſt maximam iſtarum humiditatum partem ad vias vrinæ profecturam. Diureticum autem in dicta muliere à *Galeno* vſurpatum eſt *decoctum aſari & apii* in aquâ communi, attamen magis temperatum efficitur in aquâ *cichorei*, Vel compoſitum ſic,

℞. *Rad. aſari, apii* ãã. unc. j. *fol. calam. ſoldan.* ãã. *m. j. fol. ſambuc. m. ſ. polypod. ſemin. carth.* ãã. unc. ß. *coqu. ad* ℔j. *colatura dentur* ℥v. *mane*; Et ſi purgans efficere volueris, adde decocto aliquid agarici vel *turpethi* in ligatura incluſi. *Riverius.*

Pro

Pro ſcopo *diuretico* conveniunt *terebinthina* & *terebinthinata*, *terebinthina in ovi vitello* ſoluta, *balſamus ſulphuris terebinthinatus*, Item quod commendat *Fonſeca*.

℞. *Terebinth. cum aq. roſ. lote* ℥ß. *pulv. corall. boli arm.* ãã.ʒß. m. ſumatur bis in ſeptimana. Vel, ad imitationem *Riverii*, *Pilulæ ex tereb. cum rhab.* hæc vna cum appropriatis vſurpanda ſunt. *Etmuller.*

Diuretica etiam commendat *Hippocr. 1.* de m. m. Hinc axioma *Svvalbii* egregium, *Uterus albo fluore fœtens, diureſi mirificè mundificatur*, quo nomine *ſuccinum album præpar. eſſ. ſuccini*, cum *tinct. bezoardica* & *anodyna* omne ferunt punctum. *Wedelius.*

Qui Diuretica prohibent, eò quòd menſes etiam moveant, errant omnes, ſupponunt enim menſtruorum provocationem eſſe huic morbo noxiam, qualis ſive per ſe, ſive per accidens, provocentur perinde eſt, Nec vlla ſunt medicamenta quæ per ſe moveant menſes, ſed tantùm per accidens humores attenuando, obſtructiones ſolvendo, quæcunque id præſtant menſes ſimul & vrinas ciere poſſunt, menſtruorum fluxus in hoc fluxu non eſt noxius, quin ſalutaris, *Avicenna* ea probat quæ menſes movent, modò ulcus non adſit in vtero, nec corroſio, neque retentrix ſit debilis: vbi notandum Fluorem muliebrem vel eſſe cum menſtruorum ſuppreſſione, vel cum iis conſueta periodo fluentibus, aut etiam anticipantibus; Eumque vel excrementorum alborum, vel flavorum, viridium, aut alterius coloris, In his vix ſolent eſſe ſuppreſſi menſes, ob humoris tenuitatem & calorem; potiùs ſolent eſſe copioſiores, aut ſæpius repetere quam neceſſe ſit; in quibus tantùm abeſt, vt prædicta diuretica conveniant, quin potius nocent; humores enim accendunt & acriores reddunt; Albi autem & pituitoſi ſæpius cum ſuppreſſione menſtruorum contingunt, aut ſaltem illorum retardatione. Tunc poſt præviam catharſin diuretica iſta maximè conveniunt, quia humores attenuant, ſecant, menſes movent, viſcera roborant, & calefaciunt, & propterea ſive vrinas, ſive menſes moveant, ſive corpus ſolummodo calefaciant, ſemper cum ægri commodo ſimuntur, & maximum ex illis commodum eſt menſtruorum provocatio, vti enim probè curari ejuſmodi affectus ſolent, niſi menſtruis redeuntibus, vt in pallidis coloribus. *Primiroſius.*

Diæta.

Vivendi ratio idonea ſimul adhibebitur, quod fiet ſi verſetur in *aere* ſicciore, viteťque frigidum & vdum: *Cibo* parce vtatur, coque minimè excrementitio, cum multam humiditatem gignente. *Potu* admodum moderato, *Vinoque* potiùs quàm aquâ. *Otia* vitet *ſomnumque* nimium durantem. *Platerus.*) Plura vide §.

Nam fœminas plerumque ſteriles) Quia cùm perpetuò madeat vterus, ſemen vel corrumpitur vel elabitur; quòd ſi fortè concipiant, partus edunt morbidos, & parùm vitales; Sed id tamen non eſt ſemper verum, vt annotavit *Hippocr. 4. Epid.* Et refert à *Caſtro* ſe vidiſſe prægnantes albo fluore affectas, quæ fœtus pepererunt, ſed puellas: Vidi autem & ipſe quaſdam quæ ſæpius pepererunt, & fœtus alacres ediderunt, eoſque etiam mares, quia ex venis cervicis, non vteri, effluere ſolet hic humor. *Primiroſius.*

25. *Niſi forte per vaſa cervicis*) Si fluxus ille continuus evadat, mulier fit triſtis, oneroſa, puſillanimis, ſegnis imbecillis, atque conſumpta, nec non ſæpe ſterilis redditur, quia ſi materia per vteri cavitatem deducatur, illum tam debilem reddet, vt ſemen continere nequeat, vel ipſum ſemen corrumpet, vel alia quadam ratione conceptui officiet; Dico ſæpe, quia ſi præter naturam fluxus ille per vaginam deturbetur, vterus ipſe & excipere & retinere ſemen poterit, ita vt conceptio nequaquam impediatur, aut fœtus ab ejus ſuppreſſione lædatur, cujus rei exempla quandoq; vidimus. *Graef.*

26. *Eaſdem in atrophiam, &c.*) Imo nonnunquam tam acris evadit, vt loca, per quæ tranſit mordicando & exulcerando mortem inducat. *Graef.* Exemplum vide cap. de *Vteri* vlceribus, ex eodem.

27. *Animi deliquia & convulſiones*) Scribit *Hippocr. 5. aph. 56. In fluxu muliebri, ſi convulſio & animi defectus advenerit, malum*, quod de omni immoderato fluxu alibi pronuntiavit. Dicit *Galenus* in comm. id contingere, aut cum validior fuerit alvi fluxus, aut diu duraverit; Nam defectus animi ex nimiâ ſpirituum evacuatione fit, Convulſio quoque ab inanitione; Atque id tantùm dicit *Galenus*, Sed tamen aliquid majus dixit *Hippocrates*, nam etiam fluxui moderato, ſi prædicta ſuccedant, malum: Fiunt enim ex affectus gravitate, & humoris malitia, quæ tetros vapores ad cor & ſtomachum mittit, unde animi defectus ſequitur. Sic pariter ab vtero putris, acris, & vapor malignus in cerebrum ſublatus convulſionem hanc acceſſit: Tum quoque fieri poteſt vt ejuſmodi virulentus humor intempeſtivè ſuppreſſus ſubito recurrat in cerebrum & nobiliora viſcera. *Primiroſius.*

28. *In principio*) vt plurimùm hic fluor initio morbi ſolet eſſe mitis, pedetentim magis magiſque accreſcit, vt etiam ſubinde excoriationem genitalium inferat. *Etmuller.*

29. *Totum corpus per illam viam*) Cur per vterum, non per alvum ejuſmodi fluxus fit: varia ratio eſſe poteſt, 1. quia naturæ lege & conſuetudine ſanguis menſtruus eò fertur, vnde contingit vt etiam totius corporis humores eò inclinent, Sic videmus in iis qui fontanellas & fiſtulas habent naturam adeo aſſueſcere vacuationi per illas partes, vt ſine noxa non poſſint occludi, ne materia evacuari ſolita nobilem partem petat.

ij. Poteſt eſſe vteri aut nativa, aut adventitia imbecillitas, in partes ſiquidem imbecilliores ſolet natura ſarcinam ſuam deponere.

iij. Poteſt eſſe aliarum partium obſtructio, vnde in vterum fit magnus harum humiditatum concurſus.

iv. Eſt vteri attrahentis validum robur, ut ſi calidior ſit quam par eſt, totius corporis excrementa, aut ſaltem quamplurima ad ſe prolicit, ſicut idem faciunt renes in diabete.

Non eſt autem credendum per ſolum vterum ea deponi, cùm in mulieribus hoc fluxu laborantibus etiam aliæ per alvum, vrinam & ſudores vacuationes non ceſſent, ſed fieri poſſunt ac etiam ſæpiſſime fiunt ſi magnus ſit in corpore excrementorum proventus.

Mirum autem eſt, ſi vaſa vteri ſint patentia, cur ſolos humores vitioſos non autem ſanguinem natura non ſimul profundat, nam quæ hoc fluxu laborant ſæpe menſtrua habent conſtanter ſingulis menſibus redeuntia. An id fit quia ſanguinem natura ſervat tanquam familiarem, donec copiâ ſuâ gravis eſſe incipiat; reliquos autem humores, vtpote valde noxios, ſicut ſenſim affluunt, ſine ſenſu evacuat, Idem fit in alvi fluxibus, vomitibus, ſudoribus, in quibus materia è vaſis ſine ſanguine profluit. *Primiroſius.*

Cauſam quære ſuperius §. *Cauſam in humorem excrementitium conjeci*, ex Recentiorum mente.

31. *Variat pro ratione cauſarum*) Hinc ſi humores bilioſi & acres in vito fuerint, non ſolum exhibenda ſunt purgantia cholagoga, ſed etiam alterantia, refrigerantia, incraſſantia & leniter adſtringentia E.g.

in partibus externis: Exiſtimo ergo ſemper in ardore fluxum menſtruum comitante peccare Acidum cui aliquando copulatur ſanguis magis vel minus bilioſus, unde diverſimode ſolet tunc idem mutari ac ſentiri ardor.

Menſes Purulenti.

Prodit quoque vitioſus ſanguis Menſtruus cum *Purulentus* exiſtit, quod evenit cum Apoſtema in utero fuerit productum & apertum, è quo effluens pus ſanguini ſe jungit menſtruo: Sequitur Apoſtema inflammationem, atque hæc rarius ſanguinem in vaſis ſubſiſtentem, ſæpius eundem extra ſua vaſa effuſum ac corruptum: Non tamen opus, ſemper ut præcedat inflammatio puris excretionem, cum ſufficiat excoriatio, aut exulceratio ab humore, acri & acido præſertim producto, in qua pus corrumpitur ſanguis ad partis affectæ nutritionem accedens.

Quoties igitur cum ſanguine menſtruo effunditur pus, à quo purulentus exiſtit ſanguis, toties uterum male affectum rite concludimus, ſive adſit exulceratio, quæ ſuperficiaria, ſive ulcus, quod magis profundum: Idem de Sanie dicendum, gradu tantum differente, cum ex pure diutius ſubſiſtente ampliuſque corrupto habeat originem.

Curationem prædictorum vitiorum quod attinet, Et 1. *Colorem ſanguinis menſtrui atriorem* quem deduximus ab acido copioſiùs ipſi addito, non difficulter emendatio petetur ex iis quæ alias dicta de Acidi temperatione, dummodo obſervetur diſtinctio Acidi purioris & acrioris, ab auſtero magis compoſito, & minus quidem acri, at ſimul magis acerbo & adſtringente; Sicut enim in Acidi acrioris correctione uſurpari poſſunt quandoque *ſanguis drac. lapis hæmatites, creta* & ſimilia adſtringentia terrea, ita noxia ſunt eadem ſi auſterum ſimul eſt Acidum peccans: docuimus proinde in ſuperioribus ad *Acidi auſteri correctionem* conducere imprimis Salia volatilia, ſed puriora & minus fracta, vel oleoſa: Sic enim facilius & potentius penetrant in auſterum, & ipſum efficacius alterant emendantque; quod fruſtra quis expectaverit ab illis terreis, aut potius mineralibus adſtringentibus, quę nil agunt niſi forſan patiendo prius, atque tunc demum reagendo in ſuum agens.

Quærenda ergo medicamenta quæ & tutò & citò abſolvant operationem: Cum ergo humores peccantes valde acres ſunt ac efficaces, conducunt præ aliis medicamenta blanda tum obtuſa, & in operando ſegnia, quo in ipſa dum agunt humores noxii, nulla noxia exciteтur efferveſcentia, ſed blanda lentaque, Naturæ amica: Si contra humores peccantes ſunt inefficaces ac obtuſi auſteri aut glutinoſi, uſurpētur medicaměta efficacia, non tamen violenta vehementiaque, quæ poſſint ſuperare quam citiſſime humores quovis modo rebelles, ac viſcoſos vel auſteros, ſegniuſve mutabiles: A vehementioribus tamen cavendum, ne dum morandum eſt diutius ipſis in humorum peccantium emendatione, noceant ſimul illis partibus abſolvenda eſt illa mutatio; Ne præterea alio quoque properantia corrumpant alicubi humores bonos. Id quod verum eſt & quoad alterantia & quoad purgantia, ſi educendi humores acres valde, aut etiam tenaces auſterive.

Humores ergo *Acidi*, tum puriores & acriores, tum Auſteri præmiſſa correctione educi quoque debent, imprimis ſi peccant quantitate notabili. Eductionem, ac præſertim circa uterum exiſtentium, aut in ipſo utero hærentium, optime fieri poſſe exiſtimo tum per Sudorifera, tum per diuretica, aliquando etiam per cathartica, ſi præſertim iidem redundant in toto: *Sudorifica* laudo quævis aromatica, vel ſale volatili abundantia, ut & diuretica ſimilia; Intereſt vero ſcire qualia ſeligenda ſint tum ſudorifera tum diuretica; conducunt enim ea imprimis quæ ſimul vim habent corrigendi humorem peccantem, hoc eſt, aromatica vel ſalia volatilia, non item quæ ipſum vitiabunt amplius, qualia ſunt in humore auſtero peccante Terræ ſigillatæ omnes & ſimilia: Inter purgantia ſeligenda in Acido puriore Hydragoga: In acido auſteriore phlegmagoga.

Colorem ſanguinis menſtrui *Flaviorem* deduximus à ſero ſanguinis, tum copioſo, tum ſalſo, hinc curatio perficitur & diminuendo illud ſerum per hydragoga, diuretica & hidrotica dicta, & corrigendo illius ſalſedinem muriaticam pilulis de ſtyrace de cynogloſſa ſimilibuſve medicamentis ſalſedini corrigendæ aptis, qualia ſunt Succinum, maſtiche, thus, myrrha, opium, liquiritia, ejuſque ſuccus inſpiſſatus, gummi tragacantha, radix althææ, hordeum, oryza & ſimilia. Inter Chymica conveniunt in hoc caſu Salia volatilia oleoſa, ut & ſulphura metallorum vel mineralium fixa, quo e ferendum antimonium diaphoreticum quodvis.

Colorem ſanguinis pallidiorem deduximus à ſero ſanguinis copioſo; Curabitur proinde illud minuendo per hydragoga, ſudorifera ac diuretica: Sudores movendi per interna & externa, imprimis per Balneum ſiccum, ſolo igne, aut una cum ſpiritu vini paratum, cujus ope uberrimus elicitur ſudor, minuiturque ſanguinis ſerum.

Sanguinis menſtrui Fœtorem deduximus à ſanguine ad uteri nutritionem eo tranſmiſſo, ibidemque ex parte ſaltem, ita corrupto ut abeat in humorem fœda pituitæ haud abſimilem, ac menſium alborum nomine notum, qui continuè fere effluens, imprimis ceſſante fluxu menſtruo ſentiatur moleſtus, ac eidem junctus fœtorem ipſi conciliet, cum & alio tempore ſimiliter ſit fœtoris particeps: Fœtorem illum deberi putavimus Acido humori in uteri ſubſtantia hærente ac notatum ſanguinem ad uterum continue accedentem per vitioſam efferveſcentiam cum inſequente fœtore corrumpente: Quare credimus ad curationem iſtius fœtoris. 1. Acidum illum in utero humorem corrigendum; aut inde ſaltem tollendum: 2. Sanguinem univerſum contra corruptionem iſtam muniendam: 3. Sanguinem jam corruptum emendandum: Quia vero cenſemus hoc malum, ſi non conſequatur ſemper Fluorem album, pendere tamen à cauſa ſimili, ideo recurrendum in curatione ad Caput de Fluore muliebri, *Artic. 8. ſequ.*

Interim monebimus ſanguinem univerſum contra futuram in utero ex fluoris albi admiſtione corruptionem ac fœtorem, muniendum aromaticis & ſalibus volatilibus, poſtquam corruptio hæc ortum habuit ab Acido, quod illorum ope non tantum emendatur, ac ne ulterius in corruptione ſua pergat impeditur; ſed inſuper ita corrigitur, ut fœminæ non raro ex ſterilibus fiant fertiles, quod experientia me docuit: Advocari quoque poſſunt externa, quæ odore ſuo aromatico, tum ægras, tum adſtantes adverſus fœtoris ejus noxas muniant; qualia ſunt ſuffitus ex maſtiche, ſtorace, thure, Benzoino, Ladano, garyophyllis &c. Huc refero cinnamomum, vel alia aromata gratiora pulverata & unà cum aceto, vel vino, Vel Spiritu vini quandoque miſta & in vaſe vitreo prunis impoſita, vaporemque ſuaviſſimum & aromaticum promentia.

Ad *ſanguinem menſtruum qualitate vitiatum* revocavimus quoque ipſum, quoties *purulentus* vel *ſanioſus* effluit: Documuſque *Purulentum* prodire ſanguinem menſtruum, & *poſt abſceſſum* in utero viciniſque admodum partibus cum ipſo communicantibus ruptum & poſt *excoriationem*, *exulcerationemve* ſuperficiariam ab humore acri & calente in utero, ejuſve collis factum: uti *ſanioſum & a pure diutiùs in apoſtemate manente, ampliuſque corrupto & ab humoribus aliis pravis puri admiſtis*, atque ipſum in ſaniem mutantibus.

Curatio

Curatio proinde *ſanguinis menſtrui purulenti*, pendebit à curatione *ulceris* poſt abſceſſum rectili, aut *exulcerationis*, *excoriationiſve* ab humore acri productæ.

Hæc omnia verò, quia ex *univerſalis* cujusvis *inflammationis* curatione peti poſſunt, eò remittimus lectorem, ſi priùs monuerimus, conducere hic etiam *ſuffumigia* ex *Ladano*, *Maſtiche*, *Olibano*, *ſuccino*, *Bitumine*, *lapide gagate* & ſimilibus, cùm ad partem affectam intimè acciò penetrent, atq; noxam ibi exiſtentem potenter emendent longè potentiùs namque operantur quavis tum in *Fumum*, tum in *Halitum*, tum in *Vaporem* ignis ope redacta, quàm cancroſa & conſiſtentia id non ſemel oſtendimus exemplo Cornu Cervi, quod in ſubſtantiâ ſuâ & raſurâ ſumptum, vel in aquâ etiam coctione diutinâ ſolutum, parùm efficaciæ habet; Ubi autem ignis ope uritur, aut diſtillatur, vires ejus elegantes ac potentes manifeſtantur.

Id verum eſſe teſtantur omnia ſuffitui inſervientia medicamenta, quorum multa nullum, aut lenem duntaxat per ſe ſpirant odorem: Ubi autem accenduntur, aut prunis imponuntur, potentem ac multùm efficacem. Sic ſuccinum, Maſtiche, Thus, &c. ſe habent. *Sylvius De le Boe Prax. Med. l. 3. c. 4.*

De Menſtruorum cum Morbis complicatione.

Ex Roderico à Caſtro.

Menſium cum Morbis complicatio ſolicitos ſæpe tenet Medicos, tum exercitatos, tum imperitos; Ea autem ſex potiſſimum modis contingit.

I. Cum morbus invadit menſtruis imminentibus.

II. Si ob morbi invaſionem menſes debitum tempus antevertunt & inopinato irruunt.

III. Si menſtruationis & morbi tempora complicantur, ita ut menſtrua purgatio concidat cum morbo.

IV. Si menſtruis ſuppreſſis, remoratis, aut diminute ſtillantibus affectio aliunde ſuperveniat.

V. Si præexiſtente morbo ſuppreſſio, aut remoratio menſtruorum cauſam præſtet, qua affectio & ſymptomata augeantur.

VI. Si exiſtente morbo menſes deſtillent.

I.

Si menſes immineant incipiente vel procedente morbo, conſiderandum eſt ſitne affectus ex iis qui ex utero enaſcuntur, quo in caſu ſi morbus ſanguinis detractionem poſtulat, citra ullam cunctationem ex talo mittendus eſt, minime vero ex brachio, ut per convenientem regionem evocetur, & evacuetur uteri redundantia, mali cauſa.

Verum ſi ex corpore univerſo, vel aliquo ex præcipuis membris affectio ortum ducat, eam brachii venam tundendam eſſe plerique affirmant, quæ partem primario affectam reſpicit; quæ tamen ſententia, ſi in univerſum accipiatur, mihi quidem periculoſa videtur; potiuſque diſtinguendum de numero dierum, de acutie morbi & corporis plenitudine, nam ſi morbus non ſit acutus, ex pede ſanguinem eſſe trahendum cenſeo: idque ipſum faciendum, ſi fœmina per triduum aut quatriduum duntaxat à menſtrua purgatione diſtet, etiamſi morbus ex acutorum numero ſit; idque tum ratio probat, tum exercitationis confirmat experimentum, quoniam jam natura eo inclinare incipit, & per locum quo natura vergit, ſi conveniens ſit, evacuandum eſt. E converſo ſæpius vidimus ſanguine è gibbero detracto raptum fieri ad ſuperiores partes, unde deliria, vigiliæ, ſopores, difficultates anhelitus, & tandem mors ipſa ſequuta.

Cæterum ſi per octiduum, aut circiter conſuetum adhuc menſtruationis tempus diſtet, & plenitudo maxima ſit, nec fœmina poſſit tolerare ex pede confertam evacuationem, quam morbus poſtulat, tum ſtat eorum ſententia, ſanguiſque è brachio detrahendus eſt prius revulſionis gratia, præſertim ſi morbus fuerit acutus: Purgantia tamen medicamenta, vomitum aut ſudorem prolicientia in poſterum ſuſpendenda, donec menſtrua purgatio prætereat, ne natura diſtrahatur, & præpediatur ab opere, aut ſaltem leviſſimis utendum, quibus nec corpus commoveatur, nec menſes ſupprimantur, ne motui paratus ſanguis intempeſtive detentus, aut alio avocatus in partem principem inopinato irruat, & malum augeat, aut aliud gravius accerſat; quod intelligendum, niſi fœmina ſit ex iis quibus menſes procraſtinari contingit, in his enim urgente neceſſitate purgare licet, quippe non raro vidimus adhibita purgatione menſes prorumpi & morbum ſolvi, dummodo quatriduo ſaltem ante xxix. à menſtruatione præterita diem id fiat; in quibus etiam per id tempus ſudoriferis, aut vomitum cientibus uti libitum erit, prout affectus poſtulaverit; Cucurbitulæ autem & crurum ſcarificationes ſemper locum habent; At ſi morbus chronicus ſit, utilius erit purgationem exercere octiduum aut circiter poſt tranſactum menſtruationis tempus.

II.

Si debitum tempus menſes in morbis antevertant, nihil profecto in curandis fœminarum morbis gravius, ac periculoſius reperies, præſertim initio morbi, dum adhuc univerſalia remedia non ſunt adhibita; in aliis enim temporibus, cum alias nihil agendum fuerat, minor perplexio: initio vero ſanguinem ſi demis, aut cathartico uteris, impedis menſtruam purgationem; neutrum ſi præſtas, augmentum morbus capeſſit, quippe auxilia morbo proficua menſes renuunt, quia inde remorantur, & nihilo ſecius ſi fluant, parum de morbo ſublevant, quia tunc menſes evacuationis ſymptomaticæ rationem habent, quæ fere ſemper ſymptomatica eſt ratione morbi, in quo natura raro utilem ullam evacuationem ſolet promovere.

Quocirca diligenter conſiderandum quid boni vel mali ſecum afferat, & à quibus cauſis menſtruorum in morbis anticipatio proficiſcatur; nam initio & in augmento periculi res plena eſt propter adductas cauſas; in ſtatu vero & declinatione, ſi cum tolerantia menſtruorum irruptio fiat, utilis eſſe ſolet ob temporum ad evacuationes aptitudinem, dummodo non complicetur cum alia naturæ evacuatione, tunc enim magnam copiam ſignificat, & naturam nimis protitatam, & ob diſtractionem nullam vacuationem perfecturam, ideoque ſubvertendum, ne ab irritamento, & duplicato labore ſuccumbat.

Porro menſtruorum anticipatio cauſas habet quatuor, 1. eſt materia copioſa, acris, mordax, tenax & à natura aliena, 2. efficiens, id eſt expultrix facultas irritata, aut retentrix collapſa, 3. inſtrumentum ſeu vaſa laxa, aperta, vel rupta. 4. & ultima, ſine qua non, exquiſitior partium ſenſus, quia rebus, etiamſi ſecundum naturam exacerbatur; Igitur ex quacunque cauſa fiat, ſi copia adeſt, aut affectio talis eſt, quæ S. m. deſiderat, curatio inchoanda eſt à S. m. ex pede, inſpecto tamen fluentis ſanguinis impetu, nam ſi cacochymia adſit; & menſtrua purgatio conſuetam quantitatem adæquare videatur, aliâ ſanguinis miſſione opus non erit; ſin minus naturæ partes ſuppleris: Sanguine prius, ut dictum, ex pede miſſo.

Sunt qui deinde venam brachii tundendam ſentiunt præſente plenitudine, quod nunquam fui auſus, neque ſuadeo, niſi maxima fuerit plenitudo, & affectio urgentiſſima, ut apoplexia, angina, pleuritis, potiſſimum vero ſi redundantia in utero extiterit, ſanguinis miſſionibus ex pede mittendum pro redundantiæ quantitate, non ter duntaxat, ſed pluries, præſertim ſi ſit affectio ex iis quæ caput invadere ſolent, ut febris ardens; Quod ſubinde in mediocri plenitudine faciendum cenſeo; licet affectio inter alas & inguina exiſtens ſ. m. ex brachio poſtulare videatur, ut ardentiſſima febris, nam ſciſſa vena pedis, aut cruribus ſcarificatis, quod adhuc magis probo, plenitudo etiam deponitur; Morbo inſuper ſubvenimus, & raptum humorum ad ſuperiora præcavemus.

Secus de reliquis vacuationibus ſentiendum, pro quibus expectare oportet, donec natura acquieverit, vel remiſſius egerit, quo tempore ſtillantibus aut fluentibus ſanguinolentis, ſed albidioribus jam uteri purgamentis, cathartico medicamento utendum erit, quod laceſſentes humores contemperet ac propellat, ſed id nonniſi maxima impellente affectus urgentia, & pronuntiato prius nocumento ex pharmaco & periculo ex dilatione, quod ſi morbus inducias præſtiterit, differre purgationem tutius fuerit: At ſi menſtrua purgatio fuit diminuta, & morbus magnum calorem conjunctum non habet, ea etiam medicamenta uſurpanda quæ menſes ulterius moveant, maximè ſi anticipatio fuit procedente morbo; nam ſi in principio, magis ſanguinis miſſionibus quam aliis pugnandum, quia, juxta medicorum dogmata, ſanguinis miſſio initio morbi, purgatio in ſtatu aut declinatione magis convenit; niſi etiam iis temporibus ſanguis redundet, vel prætermiſſa initio fuerit, quæ tamen omnia cum magna præmeditatione exequenda.

III.

Si vero menſes ſtatâ periodo fluant, & cum aliquo ex morbi temporibus coincidant, ſi quidem id in morbi principio contigerit, expectato primo naturæ impetu, hoc eſt tranſactis xii. horis, ſi fluxus in præſentia non ſit, vel in poſterum fore non videatur ſufficiens, ex pede ſanguis mittendus erit, ad complendam naturalem evacuationem, ac id inſuper evacuandum quod morbus exigit, quippe & conſuetudini & morbo ſatisfaciendum eſt.

Quanquam autem id de urgentiſſimis morbis intelligi etiam poſſit, tamen in levioribus potiſſimum locum habet, per quos ne graviores fiant, menſtruationi omnino providendum lavacris, ligaturis, frictionibus, ſuppoſitoriis, clyſteribus atque aliis quæ partes utero vicinas valeant proritare, ac ſi morbus à cauſa frigida ortum ducat, iis præterea quæ menſes proliciant, & ſubinde morbum reſpiciant; purgationem tamen, ſi forte neceſſaria ſit, ſuſpendentes quoad menſes deſierint, ne turbato commotoque ſanguine graviora pullulent mala.

Verum ſi affectio ſit ex magnis, veluti angina, pleuritis &c. aut acuta febris &c. prima una ex pede, aut crurum ſcarificatione ſanguine detracto, poſtea eadem die, ſi menſes non procedant, gibberi vena aperiatur, ligatis interea fortiter cruribus dum ſanguis fluit. Hoc in bona praxi ſequendum eſſe ratio omnino convincit, urgentioris enim mali indicatio illam quæ à menſtruatione ſumitur perpetuo ſuperat.

Eadem ratione in reliquis morbi temporibus te geres, in quibus etiam purgationem, vomitum ac ſudorem, ſi forſan hæc morbus requirat, ſuſpendere oportet, quoad menſtruorum præſentia non impediat; eorum ſiquidem indicatio illorum auxiliorum indicationes antecellit, niſi ultra ſtatutos dies ſanioſa purgamenta duraverint, quæ non tam plenitudinis, ac naturæ actionis, quam irritamenti indicia, tunc temporis cenſenda ſunt; & hoc in caſu urgente purgandi indicatione, pharmacum porrigere licet, ad expurgandos humores mordentes ac proritantes.

Cum his tamen ubi menſes in morbis conſueta periodo fluunt, caute & nonniſi jam deſinentibus inſtillantibusve opus aliquod prudens Medicus tentabit, præſertim ſanguinis miſſionem aut purgationem; ut enim Hiſpanicum fert proverbium, Feriata eſt dies cum hoſpites adſunt, & periculoſum admodum fuerit à conſueto & utili fluxu ac debito, tempore commodo naturam divertere; ſiquidem judicantur & quæ judicata ſunt movere aut novare tutum non eſt.

At quoniam qui methodum in omnibus nimis pertinaciter requirit, pariter cum morbo ægrum plerumque de medio tollit, ideoque præcepta artis interdum urgente neceſſitate evertere neceſſe fuerit, hæc omnia diligenter rimari & exequi oportet, in quibus Medici prudentia imprimis requiritur, ut id aſſequatur quod *Avicenna* intra ſcripta, & traditæ artis præcepta, incomprehenſibile eſſe dixit.

IV.

Quartus erat caſus, *quando menſtruis ſuppreſſis morbus aggreditur*, qua in re ſciendum eſt una è quatuor cauſis menſes ſicuti alias evacuationes remorari ac detineri, à materia, à facultate, ab inſtrumento, & à cauſa ſine qua non; A *materia* nimirum craſſa, vel copioſa, *facultate* debili vel oppreſſa; *inſtrumento* impedito & *ſenſu partis* hebetiori: ab eorum contrariis anticipari, uti dictum ſupra.

Igitur penſitandum prius erit, an natura nunc primum menſes remoretur, an vero ſuppreſſi diu fuerint; & ulterius, an à prædicta ſuppreſſione morbus ortum ducat; ſi enim inde ſuboriatur, à ſanguinis detractione ex pede proculdubio auſpicanda curatio eſt; neque antea purgandum, vomendum, aut ſudandum, ſed ſanguine ex pede miſſo, pro conſuetæ menſtruationis copia ad ſciſſionem venæ gibberi, aut ejus loci erit veniendum quæ morbum reſpiciat, potiſſimum ſi à conſueto tempore per quatriduum diſtet, tametſi menſes remediis provocati non fluxerint.

Verum ſi recentes fuerint ſuppreſſiones, & morbus non urgens, priuſquam ad alia auxilia devenias, eorum fluor expectandus erit, maxime ſi de natura morbi nondum conſtet, quippe ſecurius eſt menſtruis ſuppreſſis ſanguinem mittere ex pede quam purgare, vomere aut ſudare, nam ſanguinis miſſio cuilibet morbo conducit, reliqua nonniſi à cauſa frigida ortis, aut urgentibus.

Si tamen menſtrua purgatio lente procedat, ſanguine ex pede detracto, ea medicamenta exhibere oportet, quæ menſes moveant; idque etiam antequam prorumpant exequi abs re non fuerit, ſi ſuſpicio ſit naturam opus non completuram, aut tardius aggreſſuram; veluti ſi fœmina de more habeat, ut debitum tempus purgatio prætergrediatur, aut ſi jam prætergreſſum ſit, & non fluxerint, quo in caſu ſanguinem ex ea vena Practici emittunt, quæ è directo affectionem reſpicit nulla vel levi de menſtruo facta conſideratione. Ego vero tranſacto quatriduo id exequendum cenſeo, cum jam natura alio eſt retenta, intra quatriduum ex pede mittendum, & menſtruorum habendam omnino rationem, in levioribus affectibus, de quibus hypotheſis eſt; quam quidem diſtinctionem ſemper ante oculos habere oportet, ne errores committas exitiales.

V.

At dum menſes remorantur, & affectus ex alia cauſa ingra-

cauſa ingraveſcit, plerique aſſeverantiſſime affirmant curationem ab eo auxilio eſſe auſpicandam quod morbus & cauſa poſtulat, citra, reſpectum ad venas pedis, quibus ego accedere nunquam potui; in levioribus enim affectionibus, & quæ inducias præbent venam pedis potius ſcindere diuturna experientia me docuit (nam indicatio à menſtruis remoratis, levem indicationem uti diximus ſuperat) deinde frictionibus, lavacris, ligaturis, cucurbitulis, & iis potiunculis utendum quæ menſtrua proliciant, poſtea morbo providendum, quia ſemper eo tempore cauſa morbifica per eum locum convenienter evacuatur, nam quantumcunque menſtrua ſint ſuppreſſa, ſemper tamen natura eò tendit.

Verum ſi morbus ſit urgens, veluti angina, pleuritis, tunc certe ea remedia adhibenda quæ morbus exigit, citra conſiderationem venarum pedis, quippe eorum indicatio eam quæ à menſtruis deſumitur ſuperare ſolet, tametſi venas pedis reſpicere etiamnum tutiſſimum ſemper fuerit.

In menſtruis vero tempore morbi venturis, ſed deficientibus, ita ut vero ſimile ſit eorum retentionem morbum & cauſam fovere, nil dubium eſt ſanguinem ex pede eſſe detrahendum, quantum uteri plenitudo poſtulat, vel quoad menſes prorumpant; deinde, ſi opus ſit, blande purgare concedimus, iis tamen medicamentis quæ naturæ motum convertunt, & utilem moliuntur evacuationem.

VI.

Denique *ſi præſente morbo menſes inſtillant*, ſin quidem ante tempus ſtatutum fuerit, te geres ut ſupra in ſecundo caſu de menſtruorum in morbis anticipatione; aut ſi debito id fiat tempore; ut in tertio, quando menſtrua cum morbi temporibus coincidunt, niſi quod ſtillantes menſes majorem ſignificant naturæ oppreſſionem & majorem requirunt ſanguinis miſſionem. *A Caſtro l.1.c.15.*

Cap. XIX.

De Fluore [1] *muliebri & Gonorrhœa.*

2. F*Luor muliebris*, [3] *qui alborum menſtruorum nomine alias exprimitur, eſt* [4] *humoris excrementitii* [5] *totâ naturâ* [6] *à ſanguine alieni vitio vel totius vel partis alicujus collecti*, [7] *inordinata* [8] *ex utero excretio.*

9. *Muliebris* dicitur, [10] quia mulieres afficit, & quidem [11] virgines etiam [12] cum in illis cauſæ locum habeant, & [13] exempla adſint. *Adultiores* tamen frequentiùs, ſi præſertim humida & frigida conſtitutione præditæ ſint, delicatam & otioſam vitam agant, & alimentis frigidis ac humidis veſcantur: *ſenes* denique, & quidem ad mortem, ob pituitæ copiam, & facultatis coctricis debilitatem.

14. *Signa*, non eſt quod inquirantur. Ex ipſius ægræ relatione affectus innoteſcit. *Differt* [15] à *Gonorrhœa*, quod in iſta materia ſeminalis albidior, craſſior, & longioribus intervallis effluit, & in minore quantitate excernitur.

A [16] *Pollutione* nocturna, quia hæc cum imaginatione rei venereæ conjungitur, & per ſomnum ſaltem accidit.

A [17] *Menſibus decoloribus*, quia iſti periodum ſuam etſi non ſemper exactè, obſervant, gravidis, & menſium ſuppreſſione vexatis non accidunt, rubrum colorem in ſe exhibent.

A *a. Pure ex ulceribus uteri*, quia tum ſigna ulceris proſtant, pus ipſum craſſius & albidius eſt, ſi ſanioſum eſt, cruore perfunditur, & cum dolore excernitur.

18. *Cauſam* in [19] Humorem excrementitium conjeci, qui interdum à medicamentis catharticis, excitata eorum uſu ad moliendas excretiones naturâ, [20] interdum à Thermis, eadem excrementa quæ per ſudorem depelli non poterant, per hanc viam deponente, concitatur: fluitq; hic humor [21] per venas cervicis uteri frequentiſſimè, per ipſius uteri quandoque & prout ſenſim affluit, ita ſenſim evacuatur.

22. *Curatio* eſt [23] *feſtinanda*, nam [24] fœminas plerumque ſteriles reddit, [25] niſi fortè per vaſa cervicis uteri evacuetur, [26] eaſdem in atrophiam, tabem, melancholiam, hydropem, uteri prolapſum, [27] animi deliquia & convulſiones conjicit. Hinc quamvis [28] in principio haud difficulter curetur: tamen poſt difficilius. Nam [29] totum corpus per illam viam excrementa deponere aſſueſcit; & uterus debilior redditus excrementa colligit.

30. Variat pro ratione cauſarum.

1. *De Fluore muliebri & Gonorrhœâ*) Hos affectus uno capite concludit Author, & rectè, etiamſi cauſis diſcrepare videantur, ſiquidem Recentiorum plurimi pro uno eodemque affectu habent, ut patebit ex inferius adductis.

2. *Fluor muliebris*) Prædicta menſtruorum vitia ſub fluxu muliebri comprehendere ſolent plurimi, qui muliebres morbos explicant: Depravantur ſiquidem menſtrua, quando vel copioſiùs feruntur, vel quando qualitate peccant: Sanguis menſtruus vel ipſe corrumpitur, vel plurimorum excrementorum permiſtione inquinatur, quorum vacuatio *Fluor muliebris* vel *uterinus* appellatur, quia illis peculiaris eſt & propria: Omnis quidem *menſtruorum fluxus* muliebris vocari poteſt, quoniam mulieribus ſolis convenit, Sed *Galenus*, *Paulus & Aetius*, ita reſtrinxerunt, quod hæc non ſanguis ſincerus, ſed varia prodeant excrementa, idque vel continenter &

aſſiduo, vel nullo ordine & circuitu. *Primiroſius libr. 1. cap. 8.*

3. *Fluor muliebris qui alborum menſtruorum*) Affectus ille varias ſortitus eſt appellationes; Vocatur à Græcis ῥοῦς γυναικεῖος, *fluor* ſive effluxus muliebris, quia mulieribus peculiaris & proprius, Ῥοῦς τῆς ὑστέρας, *fluxus uterinus*, quia per uterum fertur, A Latinis *Fluor albus*, non quòd omnis colore ſit albus, ſed quod talis ut plurimùm, & in pleriſque appareat; Adhæc *menſtruum album*, non quòd menſtruum ſit revera, ſed quòd menſtrui in modum per uterum fieri ſoleat. *Sebiſius man. pagin. 1572.*

Vulgus *Flores albos* nuncupat, quamvis ſæpiſſimè album non ſit, quod inde effluit: A quibuſdam *uteri catarrhus* & rheumariſmus appellatur. *Primiroſius.*

4. *Humoris excrementitii*) In hoc fluore humor interdum *ſeroſus aqueus* effluit, copioſeque plerumque, nunc *limpidus ſine morſu*, nunc *acris* vel *ſalſus*, alias *flaveſcens*, aut *nigricans*, nonnihil aliquando & *ſanioſus*, interdum *inodorus*, alias fœtidus ei copulatur, Huic *pituitoſus* etiam miſcetur, aliquantum *glutinoſus*, *inodorus & frigidus*, *pauciore* vel eadem, aut etiam *majore* quam ſerum quantitate. *Platerus.*

5. *Tota natura alieni*) Fluor muliebris omnino eſt p. n. cum ſenis, adeoque ſ. n. is nullis eveniat, quin ſemper cum aliquâ moleſtiâ mulierum obſervetur conjunctus, concurrentibus fere tum virium dejectione ac laſſitudine ſpontaneâ, tum aliquando cachexiâ & doloribus in regione lumbari atque viis per quas fluit humor vitioſus, & tunc ſimul acer. *Sylvius Pr. lib. 3. capit. 4.*

6. A *ſanguine alieni*) Quod citra cruoris permiſtionem humor ille venas permeet, hoc ideo quia fluxus ille extra tempus, quo natura eas ad fluxum menſtruum excitandum, ſanguine implere ſolet, & proin eo veluti deſtitutæ ſunt, evenit; uti & quia natura ſanguinem ab impuritate hac ſegregans, ipſum tanquam utilem retinet, excrementa verò hæc tanquam vitioſa atque præternaturalia ejicit. *Platerus.*

7. *Inordinata ex utero excretio*) Typum, ſeu periodum obſervat nullum, cùm incipit menſes comitari ſolet, & vel iiſdem conjungitur, vel iiſdem ceſſantibus aliquandiu perſtat, continuari verò ſolet ſi ne typo, aut intermiſſione, continuò effluendo, nunc parciùs nunc copioſiùs; utut etiam tunc circa menſium tempus uberiùs effluere ſoleat. *Ettmuller.*

8. *Ex utero*) In utero generantur iſti humores excrementitii, quia proprium alimentum commutare nequit, ob debilitatem retentricis aut concoctricis, ideo illud majori parte in excrementitium humorem faceſſit, cùm imperfectè conficiatur, vel potiùs corrumpatur, Imperfectâ conficitur in frigidâ uteri intemperie, corrumpitur in calidiore; Et cùm uterus ex concoctionis defectu nutritione ſuâ fruſtretur, novum alimentum continuò attrahit, quod in excrementum converſum ab eo tanquam inutile, rejicitur, ac nova continuò fit attractio, unde continuus & copioſus fit pravi illius humoris per uterum effluxus: Debilitatur uterus, & horum excrementorum receptioni magis idoneus redditur à graviditate, partu, abortu, contuſione, inflammatione, abſceſſu, aut exulceratione. *Riverius* Vide plura inferiùs §. *Alius ab utero*) ex *Sylvio de le Boë.*

9. *Muliebris dicitur*) Ex uteri ſinu pituitoſa hæc excretio in fœmineo ſexu admodum eſt frequens, eamque *fluorem muliebrem*, ſeu *Uterinum*, vel *Purgationem uteri* vocant, & quia ejuſmodi Fluores mulieribus, poſtquam menſtrua ceſſarunt, plerunque ſupervenire ſolet, & ad aliquot dies perſeverare, *Menſtrua* quoque ſed *alba*, ad differentiam *ſanguineorum* rubrorum appellantur, verùm non eo ordine, ſed inordinatè, mulieribus menſtrua habentibus contingere, & ſæpe diu, aliàs breviùs perdurare ſolent; Atque etiam eas quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt aliquando infeſtare, uti & illas quibus *menſtruorum tempus* præteriit, & ne *vetulis* quidem parcunt; & *virgines* quandoque invadens; *Gravidaſque* hunc quoque fluxum paſſas obſervavimus. *Platerus.*

10. *Quia mulieres afficit*) Evenit incipitve frequentius circa tempus inſtantium menſium primùm, atque ad ætatem ſatis decrepitam in multis perſeverare ſolet, adeo ut nulla ætas, niſi prima obſervetur immunis ab ipſo, nullus fœminarum ſtatus eas ab ipſo liberet, cum & virgines & uxores, & viduæ & juvenculæ, & conſiſtentes & ſeneſcentes, & fertiles & ſteriles ipſum patiuntur ſæpe ſatis moleſtum, Sed ne Gravidis quidem parcit, verùm quaſdam tunc ſolet magis infeſtare, quaſdam minùs, quinimo quædam toto geſtationis uteri tempore immunes ſunt ab hoc fluxu, quæ tum priùs tum poſtea eodem urgentur maximè: Contrà aliæ idem fluor, quamdiu gravidæ ſunt exiſtit moleſtior: *Syvius de le Boë.*

Mulieres quas affligit, non ſolùm extra graviditatis tempus, ſed etiam dum gravidæ fuerint: Sic mulieres dum gerunt gemellas, fluore hoc continuò corripiuntur, Quod obſervandum contra eos, qui dicunt ex utero effluere eſſe impoſſibile. Item quòd affligat mulieres menſtruoſas, & quibus menſes deficiunt, obſervandum, ut pateat non idem eſſe cum ſanguine menſtruo, nam inprimis vetulæ magis, raro puellæ eodem corripi ſolent. *Ettmuller.*

11. *Virgines cùm in illis cauſæ locum habeant*) Notandum ad fluoris albi productionem athci aliquando uterum immediatè à frigore externo, tum in Puberibus fluxum menſtruum ſiſtente, aut ſaltem minuente, tum nondum Puberibus, nec proinde fluxum illum adhuc paſſis, uterum ipſum ita vitiante, ut faciliùs copioſiuſque quàm decebat ſecedat, ſiſtaturque in ipſo pars ſanguinis acidior; quæ ibidem fermenti pravi naturam induens, ſanguinem ad uteri nutritionem continuè allabentem paulatim poſtea corrumpat, & in Fluorem pituitæ ſimilem immutet, qui nutriendo utero inutilis effluat plerumque, dictumque fluorem inducat. *Sylvius.*

12. *In illis cauſa lateant*) Perperam nonnulli aſſerunt Virgines ab hoc affectu eſſe immunes, viarum anguſtiam accuſantes, & temere pronuntiantes illas eſſe corruptas, quibus albi fluores promanant, Etenim ſi virgines ſatis amplas habeant uteri venas, ut per earum ductus menſes ordinarii fluere valeant, quidni etiam fluores albi per eaſdem vias ſtillare poterunt, cùm ſæpe materia illius fluoris ipſo ſanguine tenuior & fluidior ſit, utpote ſeroſa vel bilioſa: Id ipſum confirmat experientia, & reſtatur *Fernelius* ſe puellam vidiſſe octavo ætatis anno hoc malo obſeſſam, ac diu poſtea graviter afflictam. *Riverius.*

12. *Cum illis cauſæ locum habeant, & exempla adſint*) Albi fluoris, & quidem ſeptenario primo erumpentis rara hactenus & obſervata memoria. *Fernelius 6. de P. m. & S. capit. 16.* puellam fluore albo obſeſſam octavo ætatis anno ſe vidiſſe refert, ſed diu poſtea graviterque afflictam; Cognita mihi eſt hiſtoria Illuſtr. Perſonæ quæ vij. ætatis anno fluorem experta eſt album, & ſeroſum, magno virium caloriſque diſpen-

pendio; quæ tamen diligenti medicorum curâ ſervata adhuc dum degit incolumis; Vidi nuper Puellam xv. annorum, vegetam nunc atque ſanguineam, Hæc, matre referente primo ſeptenario fluxum ſuſtinuerat album, tamque copioſum, vt periculum quod ominabamur fore magnum, ægrè evaſerit.

Vtrum ceu in pluribus evenit, hic quoque ſeptenarii quædam ſit prærogativa, & xiv. indicia tum erumpant, incertum eſt, Si arcanorum naturæ aliqua eſt veneratio, vt profecto eſſe debet, non ambigam tum temporis aliquem fermentationis velutque præparatorium motum oriri, quandoquidem ad primum ſeptenarium fœtus etiam in vtero aliquid etiam moliatur, orgaſmo humorum ſpirituumque excitatur, Attamen vbi natura tam præproperè & mature agere, ſeque ipſam quaſi anticipare videtur, multùm futuræ valetudini roboreque decedere, vel hoc ipſo indicio neceſſe eſt. *I. N. Pechlinus med. ſept. vol. 2. p. 31.*

[13] *Et exempla adſint*) Puella octennis, habitus corporis gracilioris corripiebatur per tres menſes albo menſium fluxu (qui referente *Hæcſterrero* Auguſtanis puellis, etiam parvulis virginibus familiaris eſſe ſolet) ex nimio neque continuo ſacchari vſu, & ſomno, cui indulſit hactenus, contracto, cum pallore faciei & labiorum, cephalalgiâ gravi, reſpiratione anhelosâ, palpitatione cordis, laſſitudine gravativâ appetitu penitùs proſtrato, ac metu ne malum hoc in cachexiam aut atrophiam degeneret, idque ob depravationem nutrimenti ſanguinis, Ordinavi varia quæ aliàs felici eum ſucceſſu in hoc affectu adhiberi ſciebam, imprimis ad humores crudos præparandos, obſtructiones reſerandas, &c. præſcripſi vinum medicatum, *tincturam corall. cum ſpiritu vini præparatum*, & ægram optime reſtitui. *Ioh. Matthias Neſterus m. ſ. vol. 2. p 46.*

Filia N. 6. annos nata, corpore erat cachectico; inquirenti in cauſam iſtius cachexiæ, narratum emanare ex pudendis materiam albicantem, quæ fluori muliebri ſimillima erat, vlcus enim adeſſe nulla ſigna denotabant: Purgavi illam per epicraſin *infuſo rhei*, deinde *tinctur corall.* in liquore convenienti per aliquot dies exhibui; his feliciter reſtituta. *Cappar Kolichen ibid.*

[14] *Signa non eſt quod*) Affectus ipſe ex ægri relatu facilè dignoſcitur cumque non rarò varia ſymptomata conſequuntur, nempe color faciei pallidus, appetentia dejecta, nauſea, ſpirandi difficultas, virium dejectio, oculorum tumor & inflatio, mœror & triſtitia, vrinæ craſſæ & turbidæ, aliaque non pauca quæ pro humoris peccantis diverſitate varia eſſe ſolent, Humorem verò fluxum illum efficientem produnt imprimis colores humoris effluentis, qui in linteis apparent, quibus ille excipitur, ſi, vt docet *Hipocr.* 2. de m. m. lintea illa affuſa ſimplici aquâ laventur, ac in vmbra exſiccentur; Tunc enim manifeſtè colorem referunt humoris in excrementis dominantis; quibus addi poſſunt ex ſemeioticâ generalis ſigna humoris in toto corpore redundantis. *Riverius.*

quædam adſunt ſymptomata, vt vitioſus corporis color, ciborum faſtidium, motus tarditas, ſpirandi difficultas, oculorum pedumque tumor, marcor & macies cum vulvæ perpetuo madore & perſeverante malo mœſtitia, melancholia, lipothymia, convulſio, pulſus vermiculatis, vrina turbida; oculorum tumorem quod ſpectat, ſcribit *Altimarus* ex *Paulo* & *Avicenna*, cum eſſe vel cum vel ſine dolore, quod tamen falſum eſt nam in hydrope, cachexiâ, chloroſi tument oculi ſine dolore, verùm, vt rectè advertit *Mercurialis*, ad oculos retulerunt, quod de affectu ipſo ſcribit *Paulus*, nam reverâ interdum dolorificus eſt, ſi ſit acris, erodens, ſalſus, vnde exulcerationem & eroſionem interdum parit; inde fœminæ viri congreſſum non ferunt, maximè ſi in vteri collo vlcus fuerit.

Cæterum notendum eſt ſæpe fluore albo & indolente quaſdam corripi, quales quaſdam novi quæ tamen nullis ejuſinodi ſymptomatis conflictantur & præter moleſtiam non magnam inde noxam ſentiunt Accidunt enim piora potiùs immoderato & diuturno fluxui, quàm vt affectum ipſum ſua natura ſequantur, nam & in chloroſi & aliis morbis ad eſſe ſolent. *Primiroſius.*

[15] *Gonorrhœa*) Notandum eſt in toto vaginæ ductu, aut cervicis vteri, adeſſe plurimos poros exiguos, quorum grandiores occurrunt circa pudendum; ibi enim loci colli vterini ſubſtantia craſſior eſt magiſque ſpongioſa, præſertim juxta veſicæ collum, circumcirca meatum vrinarium, è quibus porulis ſeroſa quædam pituita continuò exſudat, vtilis humectandæ vniverſæ parti interiori prædictæ cervicis, quò meatus ille ſemper liber ſit: exprimitur autem inſigni copia coitus tempore à conſtrictione illius partis, adeo vt ex omnium judicio pro ſemine muliebri habeatur etſi revera ſemen non ſit: effluentis ejuſmodi humoris copia (quæ coitus tempore extra ſemper profluit aut ſaltem eo peracto) opinionem intulit *Ariſtoteli* mulierem nullum ſemen ad generationem conferre, at ſolùm ſanguinem menſtruum qui vivificam vim acciperet accedente ſemine virili: Eadem etiam procul dubio ratione inductus *Herophilus* quem plures ſequuntur, credidit vaſa ſpermatica muliebria collo vteri inſeri, non ſecus ac virilia; & ſemen per hanc viam mulierem excernere, quod demum ab vtero, virili commixtum abſorberetur; quem errorem egregiè refellit *Gallenus*, l. 2. de *Semine*: Id verò hic ſingulare eſt, quòd, ex meâ ſententiâ, humor ille qui continuò & multus in mulieribus Gonorrhæâ affectis effluit, tum ſimplici tum virulentâ (cui non ſecus ac viri obnoxiæ ſunt) procul dubio originem ducit, non ex ipſo vteri corpore (quæ communis eſt opinio) ſed ex circumſitis colli veſicæ partibus & prædictâ vaginæ ſpongioſâ ſubſtantia; quæ in mulieribus quædam modo glandularum proſtatarum virilium munere fungitur, quamobrem tunc temporis mulieres graviùs ibi loci, quam in ipſâ vteri ſubſtantiâ affliguntur; è quâ profluit quidem fluor albus, nequaquam autem gonorrhϾ illæ ſpecies: Id quod comprobare licet ex indicio per quod præcipue ambo hæc ſymptomata ab invicem diſtinguuntur; quod vix. Gonorrhææ humor etiam tempore menſtrui fluxus elabitur, id quod nequaquam contingit in fluore vterino, qui tunc ſupprimitur, quia ſolum ortum trahit ab exſudatione humoris ex iiſdem vaſis per quæ menſtrua erumpunt, effluentis ex ipſâ vteri ſubſtantiâ emergentia: Vnde eluceſcit duos hos diverſos affectus ſedibus differre, diverſaſque ſupponere partes affectas. *Mauriceau de morbis Gravidarum & Puerp. cap. vij. De org. Gener.*

[15] *Differt è Gonorrhæâ*) An fluor ille ſi continuus exiſtat, à Gonorrhœâ eſt diſtinguendus? Ita namque inter ſe conveniunt, vt niſi mentem adhibeat medicus, præ ſimilitudine facilè in errorem abeat, quamquam à diverſis partibus procedant, & per diſtincta loca excernantur, ſiquidem fluor iiſdem quibus menſtrua fluunt, ductibus ejicitur, quod vel ideo indicamus, quia menſtruum fluorem ita ſubinde immutari cernimus, vt qui primò, veluti à victima, referente *Hippocrate* prodibat, nunc minùs floridus, poſtea pallidus, ac ſenſim albus appareat Fluoremque muliebrem *album* dictum efficiat: Gonorrhœam verò ex glandoſo corpore prodire, &

per lacunas circum, & in meatus vrinarii exitu collocatas erumpere, cadaveris cujuſdam mulieris hoc vitio infectæ diſſectio palam fecit, nam vtero ejuſque vaginâ innoxiis, corpus glandoſum ſive proſtatas vrethræ circumpoſitas, ſolùm malè affectas compertimus.

At dicet aliquis, quomodo illa Medicus internoſcere valebit, ſi mulier affecta ſe caſtam, honeſtam, & ab omni virili conſortio alienam profiteatur.

Utcunque dijudicare poterit, ſi ad prolabentem materiam, ægræque querimonias diligenter attendat, materia namque fluoris alteram in Gonorrhœâ manantem longè quantitate ſuperat; Querelas ſi conſideret, fluore fœdatas lumbari cruciari dolore aliàs verò Gonorrhœâ laborantes de obortâ circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet. Sin minùs his contentus certior eſſe velit, Genitalia inſpiciat, ſiquidem meatus vrinarii exitum circum ſiſtentes partes (in quibus lacunarum exitus terminantur) mucoſâ quadam materiâ obſeſſas, ac interdum exulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter ſeſe habentibus, cujus contrarium in fluxu albo fieri aſſolet.

Sed hæc vulvæ inſpectio non ſemper neceſſaria eſt, cùm Medicus haud ſit culpandus, ſi medicamenta ſecundum ægræ quærimonias præſcribat; ſi verò illum eludat, nec optatum præſcripto medicamine ſucceſſum contumax mulier conſequatur, id ſibi imputet, digna enim talis eſt, vt nequitiæ ſuæ debitas pœnas luat. *Graef de mul. org. c. ix.*

15. *A Gonorrhœa*) Duo ſunt affectus ipſi ſimiles, Gonorrhœa & vlcus vteri; Ab illâ diſtinguitur, quia ſemen minoris eſt quantitatis, & longis intervallis emanare ſolet, quia paucum illud eſt ex quo ſemen generari ſolet; *1. de gen. anim. cap. 18.* quia reſiduum eſt vltimi alimenti partium, vnde cùm pauca ſit materia ſeminis, neque à vaſis ſuis diutius retineatur, magna ipſius copia ſimul cumulari non poteſt contra quàm in *Pollutione nocturnâ*, in qua ſemen copiâ turgens expultricem; & per longa intervalla profluens ſenſim in vaſis cumulatur; Hic malè ait *Mercurialis* fieri poſſe, vt in Gonorrhœâ ſemen copioſum effluat, 1. ſi pituita à capite defluens ſemini miſceatur; At non erit propriè dictum ſemen quod effluit, potiuſque pituita per alias partes excretioni dicatas effluere poteſt, quàm vt à capite ad teſtes veniat; quicquid *Hippocr.* de ſemine à cerebro fluente dixerit. ij. Quia vaſa ſpermatica intemperata vehementiùs attrahunt à toto, & ſic ſemen multiplicant, Quæ potiùs eſt cauſa ſalacitatis aut pollutionis nocturnæ, quam gonorrhœæ, in quâ ſemen invitis & ſine ſenſu effluit. Ad hæc ſemen non fluit aſſiduò & quotidie, vt in fluore vterino, ſed quibuſdam intervallis, non ab vteri venis, ſed à vaſis ſpermaticis, eſtque album craſſiùs, omnis expers graveolentiæ & acrimoniæ, corpuſque ex eo fluore citiùs contabeſcit, quàm ex muliebri: Si verò virulenta fuerit Gonorrhœa, eam præceſſit fœdus concubitus, continuus adeſt dolor, vt in vlcere, cum ardore & acrimoniâ vrinæ. Sed prætereà hoc certo ſigno dignoſcantur, quod quoties fluunt menſes fluor muliebris ſubſiſtit, quoniam ab iiſdem vtplurimum vaſis prodeunt, perſeverat nihilominus Gonorrhœa virulenta. *Primiroſius.*

Tum & rariſſimè fœtet, Tum ſi ſit virulenta ex impuro concubitu contracta, ex ardore vrinæ, pudendi vlcuſculis, aliiſque ſignis malignitatem indicantibus. *Riverius.*

Fluor albus per ſe patet, ſaltem obſervet Medicus, vt diſtinguat *Gonorrhœam veram à nothâ*, Nempe ſi ſaltem interdum, nunc ſtatis, nunc vagis temporibus, evacuatur humor craſſiuſculus, glutinoſus, ſeroſus, & in moderata quantitate, eſt *verus*, Si verò in habitu cachectico, cum dolore in *lumbis* & circa *os ſacrum*, cum junctâ febre lenià, evacuantur copioſa acria liquamina, viridéſcentia, fœtida, tenuia, &c. oſtendunt *fluorem album nothum*, Prior aliquandiu durat, ſine inſigni mulierum detrimento. Poſterior verò ſolet conjunctum habere proſtratum appetitum, tumores pedum, ructus, debilitatem, quandoque etiam febrem ex genere febrium lymphaticarum. *Etmuller.*

16. *A Pollutione nocturnâ*) Vide ſupra §. *A Gonorrhœâ.*

α. *A pure ex vlceribus vteri*) Tum & pus minoris eſt quantitatis, ſi ritè concoctum ſit; ſi verò ſanioſum & ichoroſum, quodam cruore perfuſum eſt, & interdum filamentis partium; & cum inſigni doloris ſenſu exire ſolet, tum etiam mulieres vlcera patientes in vtero aut illius cervice, non admittunt coitum, niſi cum moleſtia quæ affectum ipſum exaſperat. Quæ vero muliebre profluvium patiuntur, liberè & patienter venereos amplexus ſuſtinent. *Riverius.*

17. *A menſibus decoloribus*) Menſes decolores ad hoc vitium propriè non referuntur, quoniam periodum ſuam obſervant, quamvis non adeo conſtanter, ideo propriè, ad menſes pertinent etſi depravati ſint. At fluxus muliebris à prædictis ſubſtantia & calore diſtinguitur, tum quòd nullam habet certam periodum, ſed quolibet tempore fluit, ante & poſt menſes, interdum quoque etiam iis quibus menſes ſuppreſſi ſunt & gravidis. *Primiroſius.*

18. *Cauſam in humorem excrementitium conjeci*) Præſupponitur hoc mulieres in coitu materiam quandam cum voluptate effundere; quòd ſi ergo lympha, quam effundunt, non ſit ſemen muliebre (quod propriè loquendo non habent) ſed loco hujus prodant ova, ſequitur materiam huius non eſſe ſeminalem, ſed hujus vſum eſſe, vt ſtimulet mulieres ad coitum.

Quæritur ſaltem, Unde erumpat hæc materia? Primus, glaciem fregit *Regn. Graaf in Anat. part. genit. mul. cap. 6.* dicens, quod meatus vrinæ in mulieribus vbique ſit circumdatus *ſubſtantiâ membranaceâ, glandulosâ*, *analoga proſtratis glandoſis virorum*, ex quibus, circa meatum vrinarium ſitis, obſervatæ ſunt lacunæ, ſive apertiones, quæ hiant in orificium vteri extremum. Has lacunas obſervavit etiam *Rhodius obſerv. 13. cap. 6.* Item dicit *Bartholinus* ex his effluere liquorem limpidum, tam in, quam extra coitum,

Fluor ergo *albus mulierum*, nihil aliud eſt quam *Gonorrhœa muliebris*, nempe analoga Gonorrhœæ virorum; ita vt hæc *Gonorrhœa mulierum* nunc ſit *vera*, quando liquor ſeminalis ex proſtratis glandulosis effluit; Nunc *notha*, quando alius ichor, ſeu liquamen ſeroſum, variis quandoque coloribus effluit.

Obſervanda autem eſt *differentia* in hoc *fluore*, nempe alius eſt *levior* in quo *lympha ſeminalis pauca*, non adeo frequenter glutinoſa, mitis, ſine ſenſu doloris aut roſionis, & *ſine gravi corporis* vitio, aut tabe, eſtque ſaltem gonorrhœa, in quâ dicta proſtratæ leviter ſunt affectę.

E contra obſervatur alius fluxus, *copioſus, continuus*, vbi varia *ſeroſa, tincta, acria* excerni ſolent, concurrente totius corporis cachexia, tumore pedum, torpore actionum, flacciditate membrorum, & ſimil. Qui fluor eſt Gonorrhœa notha, & oritur vitio maſſæ ſanguineæ cachectico, *Item*, *vitio chylificationis*;

Præ cæteris hos fluores diſtinguit *Heurnius*, dum priorem vocat *Profluvium vterinum*, poſteriorem *Profluvium muliebre*, id quod ex tota muliere effluit.

Cauſa *prioris Fluoris* ſaltem eſt copia & turgeſcentia *liquoris* illius *ſeminalis*, conjuncta cum aliquali glandularum iſtarum proſtatarum laxitate, ſeu flacciditate, vnde facile dilabi permittunt dictam materiam, &c. Ad hoc diſponunt *coitus* per aliquod tempus *intermiſſio*, *vita ſedentaria*, *laudabilis victus*. Facit huc quod virginibus ſalacibus, & quæ propter humiditatem vaſa ſpermatica habent laxa, & ſemen aquoſius emittunt, hi fluores ſolent eſſe familiares.

Poſterioris cauſa inveſtiganda eſt, partim in maſſâ ſanguineâ, Nempe in hac Gonorrhœâ *nothâ* frequenter peccat materiæ effluentis *nimia acrimonia* eaque primitus nitroſa, poſtmodum acido ſalſa; ratione cujus non tantùm relaxantur, ſed & erodantur dictæ proſtratæ glanduloſæ, vt continuò effluat tale liquamen. Scilicet vitium nunc eſt in *maſſâ ſanguineâ*, nunc in *glandulis*, ſi ſcilicet glandulæ proſtratæ nimis flaccidæ, molles & laxiores fuerint, vt tanquam per emunctorium quoddam vniverſale maſſæ ſanguineæ, ex cruditatibus ſtomachi cachecticæ redditæ mucus talis chyloſus, & liquor crudus evacuetur, & tranſcoletur: confirmat hoc *Graaffius* qui dicit in mulieribus talibus *glandulas proſtratas exulceratas* reperras fuiſſe.

Præter has in Glandularum flacciditate & eroſione cauſas, accedit *materia acris*, *ſalſa*, *ſeroſa*, tam proprio vitio, quàm *vitio fermenti*, dictarum proſtatarum, à quo vbi tale liquamen elaboratur, ibi conficiunt & excernunt; Quod concurrat maſſæ ſanguineæ vitium, oſtendit ſtatus corporis *plethoricus*, *cachecticus*, tumores pedum *œdematoſi*, *appetitus veneris extinctus*, *&c.* Quod verò per *Proſtras* excernatur, fit propter *laxitatem earum*, *flacciditatem*, *eroſionem*, & ſimilia.

Nihil eſt quod huic theoriæ obſtare poſſit, ſaltem reſtat hoc dubium, vnde nempe tanta ſit *ubertas liquaminis* hujus, cùm per dicta, proſtatas non poſſit tanta copia continuò emitti? Sed quando modo conſideremus quantùm materiæ ſubinde per nares effluat, quantùm ex oculis, quantum ſaniei plorent vlcera, & facilè poſſumus concipere, quòd per has proſtatas vitioſas ex maſsâ ſanguineâ cacochymicâ copioſiùs tale liquamen effluere poſſit, *malo inveterato*.

Simul tandem notandum, quòd vlteriori ſcrutinio habet *Horn in Prodromo de Part. gen. in muliere*, Orificium nempe vterinum eſſe glanduloſum, ex quo ſuccus ſeminalis ſoleat emitti. Vid. *Ven de Becke in meditat. circa princ. rer. nat. pag. 193.* vbi refert *Vaginam vteri eſſe poroſam*, & continuò quandam lympham ſolere tranſſudare, & humectare genitalia viri in congreſſu. Interim *Sylvius* aſſerit totum vterum eſſe conſtitutionis & *natura membranaceæ glanduloſæ*, quod effatum quamplurimis dubiis ſatisfacit. *Etmuller.*

[18.] *Cauſam in humorem excrementitium*) In fluore albo fibræ nerveæ ſunt læſæ, & vaſa lymphatica, vnde ichorem extravaſatum fundunt. *Wedelius A.m.m. pag. 197.*

[19.] *Qui interdum à medicamentis catharticis*) Excrementa in ſanguine contenta, quæ fluxus huic materiam præbent (atque ab illis quæ aſſumuntur, ac à viſcerum concoctione deſtinatorum imbecillitate dependent) ſi naturam gravent, hæc illa expellit, eoque citiùs, ſi vteri ſimul adſit imbecillitas, vtvarii de cauſis, ita & hujus fluoris, diu haſce ſedes alluentis, & humectantis & refrigerantis cauſa exorta; Uti etiam ſi natura ad horum propulſionem alio modo quoque excitetur, ſicut mulieribus quæ nunquam hunc fluxum paſſæ fuerunt, hunc poſtquam *Cathartica* ſumpſiſſent, quia natura eorum vſu ad alias excretiones moliendas excitata fuerat, ſuperveniſſe obſervavimus. *Platerus.*

[20.] *Interdum à Thermis*) Multas dum Thermis aliquandiu inſediſſent hoc virium contraxiſſe obſervavimus, non ob contagium, quia cum aliis quæ eo laborabant in eodem Balneo ſederint, vti verò ſibi perſuadent, ſed quod vſu horum continuo, ſicuti per ſudores Natura excrementa deponit, ſic & per hanc excretionem eadem, maximeque quæ ob craſſitiem ſudore exhauriri nequibant, expellit. *Platerus.*

[21.] *Per venas cervicis vteri*) A cervicis vteri venis, vt menſtrui fluorem oriri exiſtimamus, ita & fluor vterinus ab iiſdem procedit; Neque enim ex vteri fundi cavitate, vti vulgò putant, in cavum illius effluit, indeque poſtea expurgatur, cùm tam anguſtus in vtero ſinus tantam copiam humoris quantam plerumque emanare videmus capere minimè poſſet, nec in eo congeri, multò minùs per venas quæ exiles ſunt, nec donec mulier vterum geſtat amplientur, in illum influere valeret; vti verò per cervicis illius venas manifeſtiores ex eadem effluit, &c. vti & in gravidis hoc aliquando contingit, in quibus cùm orificium internum penitus occluſum ſit hunc fluxum non è cavo vteri promanare potuiſſe, ſed ex illius collo ſatis demonſtrat, atque in illis quæ vtero non gerunt ſimiliter evenire idem etiam comprobat; Verùm quod citra humoris permiſtionem humor ille venas haſce permeet, hoc ideo quia fluxus ille extra tempus, quo natura eas ad menſtruum fluxum excitandum ſanguine implere ſolet, & proin eo veluti deſtitutæ ſunt, evenit, uti & quia natura ſanguinem ab impuritate hac ſegregans ipſum tanquam vtilem retinet, hæc verò excrementa tanquam vitioſa atque præternaturalia eo modo ejicit. *Platerus.*

[22.] *Curatio*) Quædam magno cum commodo fluxum hunc experiuntur, modò ſit moderatus, ex *Ariſtot. 3. de gen. an. cap. 4.* Excrementorum enim mole corpus liberatur, vnde temerè non eſt ſupprimendus hic fluor; nam ſuppreſſione intempeſtivâ quædam in hydropem, aliæ in paralyſin, alioſque affectus inciderunt, humore alio refluente, Perſeverans tamen hydropem, tabem alioſque affectus facere poteſt. *Primiroſius.*

In eâ obſervandum; ſi ſingulis menſibus biduo, vel triduo durat, & poſtmodum ceſſat, huic ſuo tempore redit, non eſt cohibenda; ſi verò perpetuò durat, maturè eſt ſiſtenda. *Etmuller.*

[22.] *Curatio*) Scopus curandi in eo conſiſtit, vt *proventum* horum *excrementorum*, proſpiciendo etiam *ventriculo* impediamus, eaque *è corpore educamus* atque abſumamus, & ab *vtero revellamus*, *vterumque exſiccemus* ac *roboremus*, Quæ omnia hujus ſolius Fluoris cauſa ſunt; Quòd ſi verò alii affectus huic fluori complicentur, qui illi cauſam præbuerunt, vel eam ſequuntur, veluti cachexia, hydropis principium, tunc ſimul & hiſce ante omnia proſpiciendum, *viſceráque* concoctioni deſtinata, quæ labem aliquam contraxerunt, erunt corrigenda; Si ſterilitas indè quoque ſequatur, vtriſque erit accommodabitur. *Platerus.*

Indicationes curativas ex fundamento Sylviano, Vide inferiùs §. *In curatione*) & Infra §. *vteri affectu*)

Pro ſcopo *diureitco* conveniunt *terebinthina* & *terebinthinata*, *terebinthina in ovi vitello* ſoluta, *balſamus ſulphuris terebinthinatus*, Item quod commendat *Fonſeca.*

℞. *Terebinth. cum aq. roſ. lotæ* ℥ß. *pulv. corall. boli arm.* ãã.ʒß. m. ſumatur bis in ſeptimana. Vel, ad imitationem *Riverii*, *Pilulæ ex tereb. cum rhab.* hæc vna cum appropriatis vſurpanda ſunt. *Etmuller.*

Diuretica etiam commendat *Hippocr.* 1. de m. m. Hinc axioma *Suvalbii* egregium, *Uterus albo fluore fœtens, diureſi mirificè mundificatur*, quo nomine *ſuccinum album præpar. eſſ. ſuccini*, cum *tinct. bezoardica* & *anodyna* omne ferunt punctum. *Wedelius.*

Qui Diuretica prohibent, eò quòd menſes etiam moveant, errant omnes, ſupponunt enim menſtruorum provocationem eſſe huic morbo noxiam, qualis ſive per ſe, ſive per accidens, provocentur perinde eſt, Nec vlla ſunt medicamenta quæ per ſe moveant menſes, ſed tantùm per accidens humores attenuando, obſtructiones ſolvendo, quæcunque id præſtant menſes ſimul & vrinas ciere poſſunt, menſtruorum fluxus in hoc fluxu non eſt noxius, quin ſalutaris, *Avicenna* ea probat quæ menſes movent, modò ulcus non adſit in vtero, nec corroſio, neque retentrix ſit debilis: vbi notandum Fluorem muliebrem vel eſſe cum menſtruorum ſuppreſſione, vel cum iis conſueta periodo fluentibus, aut etiam anticipantibus; Eumque vel excrementorum alborum, vel flavorum, viridium, aut alterius coloris, In his vix ſolent eſſe ſuppreſſi menſes, ob humoris tenuitatem & calorem; potiùs ſolent eſſe copioſiores, aut ſæpius repetere quam neceſſe ſit; in quibus tantùm abeſt, vt prædicta diuretica conveniant, quin potius nocent; humores enim accendunt & acriores reddunt; Albi autem & pituitoſi ſæpius cum ſuppreſſione menſtruorum contingunt, aut ſaltem illorum retardatione. Tunc poſt præviam catharſin diuretica iſta maximè conveniunt, quia humores attenuant, ſecant, menſes movent, viſcera roborant, & calefaciunt, & propterea ſive vrinas, ſive menſes moveant, ſive corpus ſolummodo calefaciant, ſemper cum ægri commodo ſimuntur, & maximum ex illis commodum eſt menſtruorum provocatio, vti enim probè curari ejuſmodi affectus ſolent, niſi menſtruis redeuntibus, vt in pallidis coloribus. *Primiroſius.*

Diæta.

Vivendi ratio idonea ſimul adhibebitur, quod fiet ſi verſetur in *aere* ſicciore, viretque frigidum & vdum: *Cibo* parce vtatur, coque minimè excrementitio, cum multam humiditatem gignente. *Potu* admodum moderato, *Vinoque* potius quàm aquâ. *Otia* vitet *ſomnumque* nimium durantem. *Platerus.*) Plura vide §.

Nam fœminas plerumque ſteriles) Quia cùm perpetuò madeat vterus, ſemen vel corrumpitur vel elabitur; quòd ſi fortè concipiant, partus edunt morbidos, & parùm vitales; Sed id tamen non eſt ſemper verum, vt annotavit *Hippocr.* 4. *Epid.* Et refert à *Caſtro* ſe vidiſſe prægnantes albo fluore affectas, quæ fœtus pepererunt, ſed puellas: Vidi autem & ipſe quaſdam quæ ſæpius pepererunt, & fœtus alacres ediderunt, eoſque etiam mares, quia ex venis cervicis, non vteri, effluere ſolet hic humor. *Primiroſius.*

25. *Niſi forte per vaſa cervicis*) Si fluxus ille continuus evadat, mulier fit triſtis, oneroſa, puſillanimis, ſegnis imbecillis, atque conſumpta, nec non ſæpe ſterilis redditur, quia ſi materia per vteri cavitatem deducatur, illum tam debilem reddet, vt ſemen continere nequeat, vel ipſum ſemen corrumpet, vel alia quadam ratione conceptui officiet; Dico ſæpe, quia ſi præter naturam fluxus ille per vaginam deturbetur, vterus ipſe & excipere & retinere ſemen poterit; ita vt conceptio nequaquam impediatur, aut fœtus ab ejus ſuppreſſione lædatur, cujus rei exempla quandoq; vidimus. *Graef.*

26. *Eaſdem in atrophiam, &c.*) Imo nonnunquam tam acris evadit, vt loca, per quæ tranſit mordicando & exulcerando mortem inducat. *Graef.* Exemplum vide cap. de *Vteri* vlceribus, ex eodem.

27. *Animi deliquia & convulſiones*) Scribit *Hippocr.* 5. *aph.* 56. *In fluxu muliebri ſi convulſio & animi defectus advenerit, malum*, quod de omni immoderato fluxu alibi pronuntiavit. Dicit *Galenus* in comm. id contingere, aut cum validior fuerit alvi fluxus, aut diu duraverit; Nam defectus animi ex nimiâ ſpirituum evacuatione fit, Convulſio quoque ab inanitione; Atque id tantùm dicit *Galenus*, Sed tamen aliquid majus dixit *Hippocrates*, nam etiam fluxui moderato, ſi prædicta ſuccedant, malum: Fiunt enim ex affectus gravitate, & humoris malitia, quæ tetros vapores ad cor & ſtomachum mittit, unde animi defectus ſequitur. Sic pariter ab vtero putris, acris, & vapor malignus in cerebrum ſublatus convulſionem hanc accerſit: Tum quoque fieri poteſt vt ejuſmodi virulentus humor intempeſtivè ſuppreſſus ſubito recurrat in cerebrum & nobiliora viſcera. *Primiroſius.*

28. *In principio*) vt plurimùm hic fluor initio morbi ſolet eſſe mitis, pedetentim magis magiſque accreſcit, vt etiam ſubinde excoriationem genitalium inferat. *Etmuller.*

29. *Totum corpus per illam viam*) Cur per vterum, non per alvum ejuſmodi fluxus fiat: varia ratio eſſe poteſt, 1. quia naturæ lege & conſuetudine ſanguis menſtruus eò fertur, vnde contingit vt etiam totius corporis humores eo inclinent, Sic videmus in iis qui fontanellas & fiſtulas habent naturam adeo aſſueſcere vacuationi per illas partes, vt ſine noxa non poſſint occludi, ne materia evacuari ſolita nobilem partem petat.

ij. Poteſt eſſe vteri aut nativa, aut adventitia imbecillitas, in partes ſiquidem imbecilliores ſolet natura ſarcinam ſuam deponere.

iij. Poteſt eſſe aliarum partium obſtructio, vnde in vterum fit magnus harum humiditatum concurſus.

iv. Eſt vteri attrahentis validum robur, ut ſi calidior ſit quam par eſt, totius corporis excrementa, aut ſaltem quamplurima ad ſe prolicit, ſicut idem faciunt renes in diabete.

Non eſt autem credendum per ſolum vterum ea deponi, cùm in mulieribus hoc fluxu laborantibus etiam aliæ per alvum, vrinam & ſudores vacuationes non ceſſent, ſed fieri poſſunt ac etiam ſæpiſſimè fiunt ſi magnus ſit in corpore excrementorum proventus.

Mirum autem eſt, ſi vaſa vteri ſint patentia, cur ſolos humores vitioſos non autem ſanguinem natura non ſimul profundat, nam quæ hoc fluxu laborant ſæpe menſtrua habent conſtanter ſingulis menſibus redeuntia. An id fit quia ſanguinem natura ſervat tanquam familiarem, donec copiâ ſuâ gravis eſſe incipiat; reliquos autem humores, vtpote valde noxios, ſicut ſenſim affluunt, ſine ſenſu evacuat, Idem fit in alvi fluxibus, vomitibus, ſudoribus, in quibus materia è vaſis ſine ſanguine profluit. *Primiroſius.*

Cauſam quære ſuperius §. *Cauſam iu humorem excrementitium conieci*, ex Recentiorum mente.

31. *Variat pro ratione cauſarum*) Hinc ſi humores bilioſi & acres in vitio fuerint, non ſolum exhibenda ſunt purgantia cholagoga, ſed etiam alterantia, refrigerantia, incraſſantia & leniter adſtringentia E. g.

℞. Fol. cichor. cum rad. endiv. borrag. lactucæ, portulac. ãã. m. ſ. *jujub. & ſebeſten rec.* ãã. n. vij. *ſemin. iv. frigid. maj papav. albi* ãã. ʒß. *roſ. rub. p. j. coqu. ad* ℔. j. *In colat. diſſolve ſyr. cydon. vel de roſis ſiccis* ℥. iij. *f. Julep. pro iij. dozib.*

Si verò humores melancholici redundent, remediis etiam illos reſpicientibus alterandi & expurgandi ſunt. Viriq; autem cauſæ maximè conferre poterint *Lacti chalybeati vſus* per xl. dies exhibiti mane ad ℥ iv. vel v. cui addi poterit circa finem tantillùm *boli Armenæ*, aut *terræ ſigillatæ*: In toto etiam curationis decurſu advertendum eſt, an aliqua pars corporis vitio aliquo laboret, an poſſit eſſe pars mandans illius fluxionis, atque, ita illi parti erit medendum. *Riverius.*

[31] *Differentiæ* à parte mandante, & [32] ſanguinis colore ſumuntur.

I. Alius eſt [33] à *Toto*, [34] qui ex eo *cognoſcitur*; quod cacochymiæ in toto corpore ſigna adſunt, fluxus eſt copioſior.

In [35] *Curatione*, 1. [36] Fugienda *vena ſectio*, tum quia humores ad inquinamentnm ſanguinis in venas revocari non debent; tum quia vires affectu hoc diuturno dejiciuntur, & corpus contabeſcit.

2. [37] *Diſcuſſio* optimè [38] per decocta *Guajaci & Chinæ*, *ligni lentiſcini*, &c. perficitur.

3. [39] Ad exſiccationem [40] *radix filipendulæ* plurimum commendatur. [41] Stringunt, *pulvis oſſium humanorum, cum ſtercore caponum in aqua pluviali.* Pulvis *auricular. leporis* combuſtarum, *anſerinæ* ſiccæ farina ex ſua aqua pota, quæ laudatiſſima [42] cutis aſelli ſicca exſiccata, & in pulverem comminuta, [43] *Vitellus ovi* crudus, in vino rubro diſſolutus & aliquot diebus bibitus: *decoctum nucis pineæ* cum pauco *viſci querni* in potu; ſed inprimis *amianthi in ſpiritu vini ſoluti & ſaccharo* permiſti exigua portio. [44] Emplaſtrum *Zacuti lib. 9. c. 11. Praxis Hiſtoriar.* quod renibus apponi debet.

4. Somnus ſupinus fugiendus eſt, ne calore lumborum humores verſus vterum ferantur.

5. Frictiones partium ſuperiorum ad averſionem ſunt vtiles.

31. *Differentiæ, &c.*) Si quis humorem affluentem conſideraverit, obſervabit eum plerumque Pituitoſum, ſatiſque craſſum ac viſcoſum exiſtere; rariùs verò ſeroſum ac tenuem. Idem copioſior, parcior effluit; Aliàs acris & mordax, alias blandus minimè acer: Sæpius plus vel minùs graveolens; rariſſimè fœtoris expers, vt plurimùm albicans vel flaveſcens, rariùs vireſcens aut nigricans, rariſſimè ſanioſus vel purulentus, *Sylvius.*

32. *Et ſanguinis colore*) Albus eſt vtplurimùm *humor effluens*, nam progreſſu temporis etiam varius color confluit, vt *flaveſceat* interdum, *nigreſcat*, in maligno ſtatu *vireſcat.* Etmuller.

32. *Et ſanguinis colore*) Illi humores excrementitii modò albi ſunt, & pituitoſi, ſerò lactis, aut hordei cremori perſimiles, modò pallidi aut flavi, aut virides ex bilis permixtione, modò aquoſi ex ſeroſis humoribus; modò ſubnigri ex humore melancholico admixto; modò acres & erodentes, vt partes vicinas exulcerent, modò tetri & graveolentes, modò nullo odore moleſti. *Riverius.*

33. *A toto*) Si à toto corpore profluant iſti humores, vel ex pravo alimento, vel ex vitioſo & habituali totius corporis temperamento generantur, & ad vterum confluunt, tanquam totius corporis ſentinam, ac veluti cloacam ad quam reliquæ partes ſeſe exonerant. *Riverius.*

Colliguntur humores ejuſmodi vel in *toto corpore*, vel partium nobilium, vel ipſus vteri vitio, Sed rarior poſtrema hæc cauſa eſt. *Galenus* enim *6. loc. aff.* docet accidere interdum vtero nihil laborante, muliebre vocatum profluvium, cum vniverſum corpus per ipſum expurgatur, quemadmodum internum quoque per renes vacuatur, contingitque in iis fœminis quæ pituitoſo ſunt corporis habitu, quas per remedia non vterum, ſed totum corpus alterantia ſanaviſſe ſe dicit, vt etiam de vxore *Boethi* conſularis viri, refert, quam Romæ cum omnium admiratione curavit. Idem docet 3. *de ſympt. cap. 4.* fieri has fluxiones expurgato per hanc partem corpore vniverſo; ſicut ſæpe per alvum totius corporis cacochymia naturæ robore vacuatur, alvo tamen nihil patiente. Ideoque non omnium quæ ex vtero prodeunt cauſa ab vtero repetenda eſt, cum ſæpius natura totius corporis impuritatem in vterum derivet & per eum expurget.

Fiunt iſta excrementa, vel ob totius corporis, vel ob partis alicujus ad vitam neceſſariæ inſignem labem, vel ob diætæ errores. *Primiroſius.*

34. *A Toto, qui ex eo cognoſcitur*) In toto corpore materiam iſtam generari indicant laſſitudo ſpontanea & gravativa, à quâ levatur ægra, copiâ humoris excretâ, & rurſus gravari incipit nova collecta materia. Venarum plenitudo, torpor pedum, manuum ac crurum, quæ ſigna Plenitudinem præcipuè oſtendunt. Cacochymiam verò in corpore redundantem ſignificant pravus corporis totius habitus, manuum & pedum inflationes, pruritus & mordacitas in toto corpore, ſi humor acrimoniæ ſit particeps, & alia non pauca. *Riverius.*

35. *In curatione*) Primarium in *Gonorrhœâ nothâ* (vide ſupra §. *cauſam in humorem excrementitium conjeci*) eſt vt *ſtomachi chylificationi* proſpiciatur. (2.) vt *ſanguinis cruditas cachectica* corrigatur. (3.) ipſi *fluori*, & partibus à fluore læſis, appropriatis, hinc nervinis adſtringentibus ſuccurratur. Quoad *primum* præmittantur *Vomitoria*, præmiſſis *digeſtivis*, hinc vſurpentur appropriata *ſtomachica*, inprimis *aromatica*,

Quoad *ſecundum*, conveniunt *ſalia volatilia oleoſa & aromatica*, quæ, ſecundum *Sylvium* præſervant à fluore albo, vnde etiam eundem jam præſentem corrigunt, *ſanguinis vitium*, radicem fluoris albi, eradicando & corrigendo, (*quorum ſuccedaneus eſt eſus viperarum per pluſculos dies, eundem, quin certiorem effectum praſtantium.*

Purgantia in fluore jam parum aut nihil juvant, quin potius malum exaſperant.

Vomitoria verò ſunt optima. Loco vero Purgantium ſpeciatim conveniunt *Sudorifera*, & hinc *Diuretica* cum *appropriatis*, *Vena ſectio* nullum hic habet locum. *Etmuller.*

Ad evocanda ab vtero ad alias partes recrementa, tria valde profutura præſidia occurrunt. *Diureticorum*

vſus;

vſus; Repetita ex *rhabarbaro* purgatio. & *ligniguaiaci* Decoctum. *Zecchius conſ. 35.*

35. *In Curatione*) Curatio rationalis abſolvetur correctionibus artificioſis *Fermenti*, Sanguinis & cauſatum antecedentium: Danda ergo eſt opera. i. Ut cauſæ antecedentes vitentur, aut ſaltem corrigantur, ipſarumque noxa emendentur; Ab *Acidorum* abuſu caveat quiſquis noxam inde ſibi contingere animadvertit; *Aeris aquarumque* frigus noxium quantum licet vitetur: vterus præſertim inferioreſque partes ab illorum injuriis defendantur. ij. *Fermentum*, cum in genere ſtatuerimus Acidum, patet indicatio, ſcilicet *Acidi* correctio, quæ ſæpius alibi propoſita. Quin verò addidi non vniuſmodi eſſe illud Acidum, ſed aliàs Auſterum, aliàs Acre, ideo ſecundum illud varium, ex comitibus ſymptomatibus determinandum, variandum quoque correctorium. Ubi locum habere debent Salia volatilia puriora, e. g Spiritus ſalis Armoniac. cunctis præferendus in *Acido auſtero*; ſicut oleoſa & magis temperata in *Acido acriore*.

Sanguinem ipſum, peculiari corruptione inquinatum, nunc Fluori anſam præbentem, nunc eundem graviorem facientem quod attinet, pro vitii & cachexiæ varietate varianda, tum Alterantia, tum vacuantia. *Alteranda* quippe tum tota maſſa; tum humores cæteri ſanguinis corruptionem producentes, foventes vel augentes. Evacuanda autem ſive diminuenda, tum tota maſſa ſanguinea, tum humorum aliorum ſanguinis maſſæ confuſorum permiſtorumve.

Sanguinis vniverſi correctio feliciter perficitur per medicamenta brevibus intervallis exhibita; ſic enim paulatim contingit mutatio deſiderata; idemque dicendum de cæteris humoribus maſſam ſanguineam paulatim corrumpentibus. Evacuatio & diminutio maſſæ ſanguineæ fit aperta in brachio vena, Sicut reliquorum humorum per vomitum, Alvum, Urinas, Sudores, Salivationem: Quamvis blandiſſima & tutiſſima humorum evacuatio fiat per *Alvum*, opus eſt tamen vt aliquando eadem contingat per *Vomitum*, præſertim humoris bilioſi, vt & pituitæ, præſertim cum per nauſeam obſervantur ſurſum vergere. *Sylvius de le Boe.* Vide infra §. *vteri affect.*

35. *In curatione*) Mulier mediæ ætatis Fluore albo laborans diuturno& copioſo ſic curata eſt

℞. *Pil.aſſareretb.& fœtid.* āā.℈j. *cum ſucco artemiſ. f. Pil. v.*

℞: *Pulv. aromat. roſ.* ʒj. *raſ. ebor. & c.c.*āā.℈j. *cortic. citr. ſic. diamarg. cal.* āā. ʒß. *galangæ, cyperi*, āā. ℈j. *ciner. ſpong. comb. & lotæ aqua pecul. roſar.* ʒß. *ſacch.* vnc. j. *f. Pulvis*, capiat cochl. j. mane ante ingreſſum *Balnei*, quod tale parabatur.

℞. *Rad. biſtort. lapath.* āā. ℔j. *gallar. malicor.* āā. ʒij. *flor. chamom. melil. roſ. rub. fol. abſinth.* āā. *m. j. alum.* vnc. ij. *ſalis* unc. j. *tartari p. j:* Fiat Decoctio pro Inſeſſione in Balneo. Utatur in dies hora vnâ in hypocauſto calido. Et ſic fuit pulchre ſanata. *Platerus obſ. p. 781.*

Quædam jam aliquot annis conflictata hac ratione convaluit, Accipiebat *cineres ſarmentorum vitium*, & aquæ injiciens, pedes fomentabat veſperi immediatè antequam cubitum iret, Primoque die degluttiebat *grana juniperi iij.* altero v. tertio vij. *ſeminque* præterea *vrticæ* aſſumebat. *Hier. Reuſnerus obſerv. 103.*

36. *Fugienda venæ ſectio*) Si tamen dum in Alterantium vſu verſatur Medicus, inſuper deprehendat copia laborare ſanguinem, per intervalla curabit eandem aperta vena minui; Sed notandum ſatius eſſe parum ſanguinis educi repetitis vicibus, quam ſimul ac ſemel multùm evacuari, ob noxas notabiles, imo ipſam mortem ſupervenientem ex copioſi ſanguinis emiſſione ſimul factâ, nunquam ex eodem minore, quantitate educto, licet iteratis ſanguinis miſſionibus eadem quantitas fuerit tandem educta. *Sylvius de le Boe.*

De *venæ ſectione* dubitatur, an conveniat? cùm enim hic fluor à cacochymia dependeat, & illa per phlebotomiam ad venas attracta maſſam ſanguinis inquinare poſſit, nullus videtur eſſe v. s. locus: Adde quòd, cùm in chronico hoc affectu vires valdè dejiciantur, & corpus non rarò ad tabem perducatur, v. s. ampliùs labefactandum & alimento ſuo fraudandum non videtur. Ita tamen decidicitur, quòd ſi fluor iſte non ſit purus & ſolitarius, ſed ſanguini aliquo modo permixtus & ſubruber appareat, tunc locus eſt S. m. Tum etiam ſi inſignior ſit Jecoris caliditas, & bilioſi ſucci acrimonia huic fluxui conjuncta; In aliis verò caſibus, præſertim quando hic affectus inveteravit, meliùs eſt à V. S. abſtinere. *Riverius.*

Sanguinis imminutio, cùm vnà cum illo excrementorum portio quoque aliqua educatur, in plethoricis, vel nondum emaciatis corporibus, locum habere poterit? Quæ per V. S. & ſcarificationem, vti & menſium provocationem, ſi illi ſubſtiterint, cum per hos vna cum ſanguine excrementa fluorem gignentia aliquando penitus, aliàs ex parte, ita vt ille fluor vel non ſequatur, vel parcius ſe exhibeat, repurgentur. *Platerus.*

37. *Diſcuſſio optime, &c.*) Scorbuticæ Matronæ fluore albo fatigatæ, & variorum vſu, propoſitum Electuar. ab Abbate Italo acceptum; quod diſſuadere non potui, quod ex aperientibus ventriculumque roborantibus compoſitum viderem

℞. *Limat. chalyb. prapar. & nutritæ in aceto comm. per ix. dies* unc. iij. *myrobal. chebul. Indor. Bellir. Embl. nuc. moſch.* āā. ʒv. *ſem. naſturt. Ind. ameos, herb orig. piper. oliban.* z z. *pulpæ tamarind. ſpic. n. ſcœnanth. rad. cyper.* āā. ʒiij. *prapar. ſ. a. myrobal. contundantur cum ol. amygd. dulc.* quod deinde prorſus abſtrahatur, vt ſicca ſint, & in pulverem reducantur, *m. f. Elect.* In *mulſo*, vel *vino* alternis diebus exhibendum quantitate nucis, multorum experientia probatum, non malè ceſſit matronæ, vſitatis medicamentis præparatæ.

Aliàs non vnam Fluore albo afflictam reſtitui vino medicato ex apperientibus & vterinis, demique *Decocto rad. chinæ.* Inter rara experimenta, & ſæpe feliciter probata hoc accepi in Italiâ *Cremorem ſemin. lactucæ prius macerati in aqua extinctionis chalybis*, addito pulvere *eboris* in tenuiſſimum pollinem redacti. *Thom. Bartholinus Medic. Septentr. volu. 2. pag. 40.*

37. *Diſcuſſio*) Serum per cutem poteſt vacuari *frictionibus* aſperioribus, *decoctis hidroticis, balneis, vaporariis*, vt reliquiæ diſcutiantur & fluxio in halitum digeratur. Hæc autem bilioſis non conveniunt, ne humores exaſperati acriores evadant: *Balnea* tamen *aquæ dulcis* illis prodeſſe poſſunt, humores enim temperant & per habitum corporis evacuant. His remediis contentus fuit *Galenus*, quia putavit abſque vteri vitio fieri fluxum muliebrem, Et revera in pituitoſo & ſeroſo fluore hæc methodus obſervanda eſt; nam adſtringere & cohibere ejuſmodi fluxionem, nec facile

facile eſt tutum, Vxor *Boëthi*, referente *Galeno* pejus inde habuit, quoties enim iis vtebatur, venter retentis humoribus intumeſcebat; At in *fluxo bilioſo adſtringentia* vtilia ſunt, quia ſimul acrimoniam temperant *Primiroſius*.

38. *Per Decocta*) Poſt ſufficientes purgationes ad diſcutiendas humoris ſuperflui reliquias, ſudores excitari poterunt, quibus etiamnum fiet conveniens revulſio humoris ad vterum decumbentis: Huic-rei conveniet *Decoctum guajaci & ſaſſafras* in pituitoſis, vel *Chinæ* & *ſalſaparillæ* in bilioſis & melancholicis, additis etiam herbis refrigerantibus, vel temperatis, ne magis illi ſucci exaſperentur & acriores evadant; vel promovebuntur ſudores herbarum calidarum decocto, *vt nepeta, calament. fœnic. hyſſopi, enul. chamom. anethi*, & ſimil. cujus evaporatio in ſolio idoneo recipiatur: Ex quo etiam Decocto Balneum fieri poterit, àquo ſudores excitentur, & in calidioribus naturis ſufficiet *balneum aquæ dulcis* tepidæ, in quo modici tantum ſudores & blande, provocentur.

Thermæ etiam *ſulphureæ* ſudores potenter excitant, & hujus morbi reliquias abſumunt, harumque vſu nonnullas mulieres curatas vidimus, quæ aliis remediis reſtitui nequiverant. *Riverius*.

Ratione ſudoriferorum, in vſu ſunt ligna *ſaſſafras*, *Decoctum lignorum, eſſentia, Tinctura lignorum ſaſſafrata. Etmuller*.

Ad reliquias per ſudorem diſcutiendas, & corpus œdematoſum ſiccandum nil præſtantius eſt Decocto *ligni S.* per aliquot dies mane ſumpto. *Frambeſarius*.

Appropriata.

39. *Ad exſiccationem*) Huc pertinent *Appropriata*, ſuntque ex his *roſmarinus*, affirmat *Lindanus* ſe ſolo decocto *roſmarini* continuato crebiò fluorem mulierum curaſſe, Laudatur etiam *mentha, meliſſa*, juxta hæc ſpeciatim convenit *viſcus quercin.* tam in ſubſtantia, quam in decocto, Vide *Panarol. Pent. 2. Obſ. 48. ſclarea*, tum propriè dicta *galeopſis* flore albo ſunt optima: Adde *millefol. album, rad. filic. melilot. flore albo*.

Iſta ex vegetabilibus primatum obtinent, Item hæc conveniunt *mandibula lucij piſcis, ebur, ſuccinum & omnia ſuccinata, cryſtalli præpar. putamina ovor. calcinata oſtiocolla, oſſa ſepiæ, pumex; antimon. diaphor. priapus cervi*, Horum omnium vis eò collimat, vt deſtruat *acidum* aut *ſalſum* quæ in gonorrhœa primariò peccare ſolent; *Putamina ovorum calcinata*; ex quibus excluſi ſunt pulli, dozis ʒß. maximè laudantur; item *pumex, creta pulveris.* vel calcinata; *Lapis oſtiocollæ* eſt ſpecificum *Timai*.

℞. *Magiſter. oſtiocollæ, carneoli præpar.* ʒiij. *corall. albor.* ʒij. *ſmaragdi* ʒß. *m. f. Pulvis. Doſis* ʒi. *in aqua vel conſerva roſmar.*

Os ſepiæ eſt optim. *Priapus cervi ad* ʒß. quandoque ad ʒi. præmiſſis præmittendis eſt egregius, Ex his varia fieri poſſunt compoſita; *Pulvis expert. Timai.*

℞. *C. C. uſti* ʒij. *limat. ebor. præpar.* ʒiß. *corall. r. præp. ſuccin. præp. boli arm. maſtich. āā.* ʒi. *ſem. cinnam. caryoph. āā.* ℈j. *xylo aloe.* ℈ii. *ambræ, moſchi āā. gr.* iv. *cum ſ. q. ſacch. f. Pulvis dozis* ʒß. *ad* ʒi. Etmuller.

Magiſtralia ſunt ſequentia.

Conſerva flor. lamij albi. cum *pulv. corall. albor.*

Pulvis corall. alb. cum *aqua meliſſæ.*

Aqua ex flor. purpurei trifolij pratenſis ſepius pota.

Cynosbata ſiccata in vino decocta & bibita.

Pulvis arillorum mali granati cum *conſerva. roſ. rub.*

Aqua ſtillatitia tenellorum *fol. quercus.*

Interior *Caſtanear. membrana* rubens cum *ſcobe eboris* & *aqua nymphæa.*

Cymbalaria in acetis vſurpata.

Conſerva flor mali granati.

Camphora cum *ſuccino* & *aqua nymph.* pota.

Pulv. oſſium dactylor. cum *ſangu. dracon. aqua* portulhauſtus. *Infuſio rad. caryophyll.* pota.

Arilli granat. cum *polline thuris* & *aqua roſar.*

Roſmarini infuſio, diu vſurpata.

Succus cynosbati inſpiſſatus, & exſiccatus, & in pulverem redactus, cum *vino* vel *conſerva roſ. rub.* aſſumptus.

Sebiſius man. p. 1582.

Omni mane *ſemina Citrullorum edant*, & lac ſuperbibant, optimum eſt ad menſtrua alba. *Louyſe Bourgeois.*

℞. *Camph.* ʒß. *ſcob ebor.* ℈ij. *aq. roſ. nymph. āā.* ℥ß. miſce & repetat ſæpius. *Hæferus H. M. l. 7. c. 1.*

40. *Radix filipendulæ*) Experimento comprobatum eſt quotidie ʒi. *radicis filipendulæ* virentis cum vino nigro exhibere. *Corbeus Gynoe. l. 1. c. 3.*

41. *Stringunt*) Corpore præparato, & morbificâ materiâ magnâ ex parte vacuatâ vel derivatâ, ad *roborantia* & *adſtringentia* veniendum eſt; quæ tamen nunquam ſunt adhibenda, donec antecedens materia probè evacuata & derivata ſit: alioqui humores illi retenti ad partes nobiliores ruunt & graviora ſymptomata excitant: Sicut ſcribit *Galenus* vxor *Bœth.* contigiſſe, cui ab vſu adſtringentium præpoſtero venter intumuerat, retentis, ſeroſis humoribus, qui antea evacuari ſolebant. Illud etiam advertendum, vt dum vtimur adſtringentibus, materia antecedens aliò divertatur, illiuſque generatio prohibeatur remediis prædictis.

Inter præcipua roborantia *Theriaca* recenſetur, in corporibus pituitoſis vſurpanda, cui *conſerva roſar. & abſinthij* admiſceri poterit. vel

℞. *Conſerv. anthos.* ℥j. *conſ. rad. acori vulgar.* ʒij. *ſpecier. diarrhod. abb. & aromat. roſ. āā.* ʒi. *corall. r. præp.* ʒß *theriac.* ʒij. *cum ſyr. condit. cortic. citri f. Opiata.* vel

℞. *Conſerv. roſ. antiq. rad. ſymph. bugl. & cort. citri. āā.* ℥j. *corall. r. uſti, raſ. ebor. boli Arm. terræ ſigill. ſangu. drac. āā.* ʒj. *cum ſyr. roſ. ſicc. f. opiata.*

Pulvis ex *ſalvia, ſalſapar. & balauſt.* ſumptus mane ſingulis diebus cum juſculo, eſt remedium aulicarum mulierum: *Zecchius* ſequ. opiatam commendat.

℞. *G. arab. tragac. āā.* ʒii. *corall. utr. cinerum putamin. ovor. c. c. ſem. aneth. ſuccini āā.* ℈iv. *mell. roſ. q. ſ. Fiat Opiata cujus* ℥ß. *horis 2. ante cibum ſumatur*, ſuperbibendo *ſtatim aq. plantag.* ℥iv. *cum vini rubri* ʒii.

Iulepi fieri poſſunt ex *aqua roſar. centinod. plantag.* cum *ſyr. myrtino roſ. ſicc. & ſimil. adiectis quibuſdam pulveribus* ex ſupradictis.

Mercurialis decoctum *fol. quercus* cum *coagulo* leporis ſe in frequenti vſu habere teſtatur, eoque multas mulieres curaſſe, E. g.

℞. *Decocti fol. quercus* ℥v. *vel* vi. *coaguli leporis* ʒj. *miſce capiat per viij. vel x. dies.*

In affectu bilioſo valet hic ſyr. roborans, refrigerans, adſtringens.

℞. *Aqu. roſ.* ℔iv. *ſpir. vitr. q. ſ. vt aqua reddatur acidula, ac vix talis ſentiatur ad guſtum roſ. rub. ſiccar. p. iij. infundantur frigide per biduum, Colat. adde ſacch. roſ. q. ſ. f. ſyrupus.*

Pro *Potu* ordinario conveniet *Bochetum* ex *rad. Chinæ* vel *ligno lentiſcino cum vino adſtringente. Riverius.*

Alteran-

Alterantia exhibentur quæ humiditates corporis exſiccent & abſumant, eoque validius ſi *aqueus* & *pituitoſus* ſit hic *fluor*, addendo illis ſi immodicus ſit, quæ adſtrictione in ſuper prædita illum etiam nonnihil cohibeant, Qualia multa in curatione menſium fluoris traduntur, aſſumenda, atque adſtringendo illos ſiſtunt, hic quoque ſi nimius adſit fluor, poſſunt competere, cum alioquin, quia per illum illuvies ea expurgatur, non vtilis ſanguis, vt in menſtruis, nec corpus ab eo vti ab illorum fluore, aut non tam citò debilitatur, non ſtatim fluor ille ſit compeſcendus, Ob quam & cauſam hic potiùs hæc *remedia ſiccando* quam *adſtringendo*, ſecus ac in menſibus prævalere debent, quibus & quæ calore ſito vtero ſimul amica ſunt permiſcentur, Danturque variis formis, *Pulverum* forma efficatius illud præſtat, Danturque hi vel *per ſe* cum *vino* rubro *ſtyptico*, vel *chalybeato*, aut alio liquore, vel addito *ſacchar*o, forma *pulveris* aut *Tabellarum*. Primus.

℞. *C. C. vſti* ʒij. *raſ. ebor.* ʒj. *corall. r. vſti* ʒiß. *miſce*

ij. ℞. *Succini puri* ʒii. *thur. vel maſt.* ʒi. *gumm. arab. vel tragac.* ʒß. *f. Pulvis.*

iij. ℞. *Oſſ. dactyl. toſtor.* ʒii. *nucl. granat. acid vel roſar.* ʒi *cortic. inter. lanugin. caſtan. vel avellan.* ʒß. *f. Pulvis.*

iv. ℞. *Pulv. ſuber. vſti.* ʒij. *granor.* ʒj. *acaciæ vel hypociſt.* ʒß. *f. Pulv.*

v. ℞. *Baccar. exſiccat. berber. rubi. humil. vel idæi, vel mororum, myrtillor.* ãã. ʒi. *ſem. viticis*, ʒß. *f. Pulvis.*

vi. ℞. *Fol. conſol. mai.* ʒii. *fol. alchim. vel millefol.* ʒi. *menth.* ʒß. *fiat Pulvis.*

His ſingulis ad gratiam de ſequenti pulvere ʒß. addi poteſt.

℞. *Rad. cyperi. galangæ*, ãã. ʒiß. *cortic. citri ſicci, cinnam.* ãã. ʒj. *ſem. aniſi* (quod in fluore albo prodeſſe docet *Dioſcor.*) ʒß. *ſem. coriandr. torrefacti* ʒi. *ſpicæ.* ℈i. *miſce*, vel hujus loco tantundem. *ſpec. aromat. roſ.* vel *diagalangæ* aliarumvè ſiccantium addi.

Si ad modùm adſtringendum in Fluore nimio, poteſt de hoc Pulvere prioribus aliquid addi.

℞. *Gallar. vel cortic. granat.* ʒj. *balauſt.* ʒß. *boli præpar.* vel *terræ alicujus* ʒj. *lapid. hæmat.* ʒß. *acaciæ, vel ſangu drac.* ℈ß. *f. Pulvis.*

Decocta ex prædictis plantis, vel *vina* ex aridis illis in vino infuſis vel coctis fieri poſſunt.

Polygoni decoctum in vino admodum probatur. Valent & *Succi* earundem, *Syrupivè*, *Aquæ*, *plantag. millefol. potentill. fol. querc. pecul. roſar. nymph. albæ, menthæ, ſorbori.* Conſervæ *roſar. antiqua, balauſt. cytrinor. acori. anth. ſtæch.*

Pilulæ de bdellio ſæpe ſumptæ commendantur, Chymici pro ſingulari ſpecifico prædicant *vitriolum martis*, & quotidie cubitum ituris per menſem integrum exhibent gr. j. in *aqua plantag.* aut *vino rubro ſtyptico* ſolutum: Parant quoque *Rotulas* ex *magiſter. corall.* Platerus.

Interior caſtanearum membrana rubens, qua albicans pulpa circumveſtitur, ex vino auſtero data, ʒij. pondere, ſiſtit valenter immodicos omnes alvi fluores, & ſanguinis rejectiones: Quinetiam cum pari pondere ramentorum *eboris*, alba fœminarum profluvia cohibet, ex *aqua albæ nymph.* hauſt:. *Matthiolus.*

41. *Stringunt*) Ad conſtringendum menſtrua alba *aqua plantaginis* bibita mane per aliquot dies eſt res probata; quâ multæ curatæ ſunt.

A didem herba *umbilicus veneris* quocunque modo ſumpta, vel in pulvere vel in aquâ, vel alio modo incomparabile eſt in contringendo menſtrua. *Solenander.*

Tinctura corallor. magnas vires habere ſolet, ſi ſumatur, & *crocus martis* ſi gr. 4. vel 6. in *aqua plantaginis* ſumantur. *Fonſeca. Tom. 1. conſ. 4.*

Singulare præſidium eſt *vinum lentiſcinum* per infuſionem & levem ebullitionem, in prandio &, cœna per multos dies, *Idem T. 2. conſ. 52.*

Ego cum *decocto fol. quercus.* ℥iv. vel vi. cum ʒi. *coaguli leporini* per 8. vel 10. dies vſurpato, inveteratos fluxus curavi. *Mercurialis. Mercatus*

Sæpius hunc morbum curavi præmiſſis præmittendis, *nucis pineæ decocto* cum *viſco ligni querci* portione in potu datum mirabile remedium eſt. *Panarolus.*

Experimentum hoc reperi vtilem eſſe vſum lactis recenter cocti, vſtulatione auri ad 3. vel 4. partis conſumptionem *Solenander.*

Præcipuè prodeſt hic pulvis, quo multæ matronæ ſanatæ ſunt.

℞. *Faucium lucij piſcis, capitis caponis in furno exſiccati* ãã. ʒß. *oſſ. dactylor.* ʒii. *coriand. præpar. ſem. aniſi. torrefacti* ãã. ʒi. *rad. nymph.* ʒß. *ſacch. roſ.* vnc. iij. *detur* ʒi *cum vino rubro. Foreſtus.*

Mulier quæ integro biennio fluxu albo laboraverat, accepit *nucem moſch.* ejus aſſatæ partem ſemis mane, alteram veſperi ſumpſit, ſicque continuando ſanata eſt, *Hieron. Reuſnerus Obſ. 101.* Hoc remedio vtebatur *Th. Eraſtus* in ſiſtendis menſibus nimiis & fluore albo.

Proderit multum ſi ægra quotidie ex ovo ſorbili ſumat *electri & raſ. eboris* ãã. ℈i. *Primiroſius.*

Ptiſanam ex *milio Mercatus* valde commendat, quia vehementer exſiccat, Quam etſi ſolummodo in vterum injiciat, poterit tamen commodè per os ſumi: Et Hippocr. ſæpius *milium* & *panicum* ad fluxus exſiccandos ſorbere iubet: Eſt enim *milium* optimum ad id medicamentum, atque etiam ad gonorrhœam, eamque virulentam, vt interdum, expertus ſum. Idem.

Proſunt conſerva *roſ. & berber.* cum *maſtiche. Idem.*

Oleum martis viride valde prodeſt, *Agricola comm. in Poppium.*

Alchymillæ aqua diſtill. epota, & in vulvam indita, mulierum alba profluvia mirè ſiſtit. *P. Mich. de Heredia.*

Aqua roſar. albar. meliſſæ. Artemis. alchimill. anſerinæ, millefol. bibantur, vel cum pulvere *ſuccini albi, corall. eboris, Sebiſius man. p. 1483.*

Electuario hoc mihi hoc in caſu ſæpe felici cum ſucceſſu vſurpato vtatur.

℞. *Gum. Arab. tragac. corall. bur.* ãã. ʒij. *cinerputam. ovor. c. c. ſem. anth. ſuccini* ãã. ℈iiij. *mellis. roſ. q. ſ. f. Electu.* cujus vnc. ß. horis duabus ante cœnam devoranda exhibeatur, ſuperbibendo *aqu. plantag. vnc. iv. vini rub. vnc. ii. Zecchius conſ. 97.*

℞. *Fimi aſin. m. iv. macerentur aq. roſac. magma trajiciatur & cum ſacch. f. ſyrupus* cujus in hoc affectu admirabilis vis eſt.

Paretur etiam *ſirupus ex ſucco vrticæ mollis.*

Commendatur hoc facile paratu, Accipitur *ebur* tenuiſſime *in lapide porphyrio pulveratum*, ex *aqua chalybeata propinatur. Ballonius l. 2. conſ. hiſt 2.*

co præſertim quercino.

Inceſſio ex eo fiunt *decocto rad. ebuli* , *Sebiſius man p.1483.*

Suffimigium ex thure, maſtiche, ſandaraca, ſuccino, ſtyrace, benjoino, garyophyllis, nuce moſchatâ,& roſis rubris , per infundibulum exceptum , manè & ſero per longum tempus commendatur à *Riverio cent.2.obſ.LV.*

Extrinſecus lumbis hoc linimentum eſt valde efficax.

℞. *Bol.armen.lot.* ℥ß. *terræ ſamiæ, ſangu.drac.maſtic.* ãã.ʒij. *nucum cupreſſi* ʒiij. Ceræ parùm miſce & fiat linimentum molle. *Raym.Joh.Fortis de morb. Mulierum.*

Efficax quinetiam eſt eruca agreſtis in vino decocta & in ſacculo ſubdita;ſed omnium efficaciſſimus eſt pulvis *Aetii*, ex cremore gallarum lanâ excepto, quæ per octo dies in aquâ polygoni, aut vino auſtero maceratæ fuerint adeò enim exſiccat & adſtringit, vt vterum veluti virgineum reddat. *Idem ibidem.*

Efficax eſt ſuffimigium ex Embeto factum ex aceto decoctionis corticum Pinearum in quo pluries Marcaſita ignita fuerit extincta. *Jul. Caſ. Claudinus Empyric. ration.l.4.tr.2.part.priore membro cap.8.*

Ferunt pro ſecreto ſuffitum ex Salvia mirum in modum omne profluvium muliebre ſiſtere. *Leslius à Fonte conſult.Med.conſ.7.*

Inter auxilia maximè proficuum cenſetur pannus linea infuſa decoctione ex vino factâ ſcoriæ ferri parùm expreſſæ & ſuppoſitis medefacta in vino ſtyptico decocti aluminis. *Idem conſ.119.121.*

Oleum ex radice dauci cretici diſtillatum poſt balneum Vulvæ illitum , menſes albos miraculosè curat & iterum calefacit. *Leonh. Furnheuſerus.*

℞. *Cumini, macis, maſtichis, vernicis, thuris* ãã. ℥ß. fiat pulvis, vngatur tota ſpina dorſi *melle* & *pulvis* inſpergatur , continuet per quindecim dies ; Mirum & probarum eſt remedium. *Joh.Fontanus.*

℞. *Rad.biſtort. tormentill.& cortic. granator.* ãã.℥j. *fol.plantag. centino. burſ.paſtor Equiſeti* ãã. m. *nucum cupreſſi, balauſt. granor. myrthi, Sumach.* ãã.℥j. bulliant in aquâ ferratâ & vino auſtero,colaturâ foveatur regio pubis valdè tepidè.

Item ſpongia marina in aceto forti bulliat , & ſupra pubem mulieris poſita fluxum potenter ſiſtit.

Linimentum vel vnguentum poſt fotum admovendum eſt pubi, perinæo & lumborum regioni , in hunc modum compoſitum.

℞. *Ol.Myrtini, de maſtich. & cydoniorum* ãã.℥j. *bol. armena, ſang. dracon. & carabes* ãã.ʒj. *aceti cochl. ij.* Miſce, fiat linimentum. *Riverius Pr. Med.lib.15.c.4. de fluore muliebri.*

Antequam autem adſtringentia hæc Topica in vſum revocentur , vterus probe detergendus eſt , alioqui impuritates illæ in eo retinerentur , quæ ſurſum remeantes graviorum morborum cauſa eſſent.

In detergendo autem ratio eſt habenda humoris morbifici ; alia enim detergentia debentur humori pituitoſo , alia bilioſo ; Si humor ſit bilioſus , fiant *Injectiones* ex *aquâ hordei , ſero lactis, aquâ ſaccharatâ* Si verò pituitoſus , ex *hydromelite*, vel *decocto abſinth. matricar.* & ſimilium.

Peſſarium detergens etiam fieri poterit ex *theriacâ* & *terebinth.* vel ex *fol.mercur.* contuſis & panno lineo raro involutis. Hiſce vtetur ante adſtringentia , donec vterus probe deterſus fuerit:quod cognoſcetur ex nullo aut pauco humorum per eam partem tranſitu. *Riverius.*

[45] *Frictiones*) Fiunt ex linteis primùm mollioribus, mox aſperis,quibus quotidie *Galenus* vtebatur in vxore *Boethi*, quam intra xiiij. dies curavit, vt refert l. de *Præcogn.* ad Poſth.c.8. *Ligaturæ* item in ſuperioribus partibus, & *cucurbitulæ* ſcapulis & dorſo ad revulſionem erunt vtiliſſimæ. *Riverius.*

Alius eſt à [46] *parte aliqua* [47] *præter vterum:* & [48] *tum* ſigna affectæ partis adſunt. In Curatione [49] ratio ipſius habenda.

II. Alius *ab Vtero.*

Qui [50] ex eo *cognoſcitur* , quod [51] ſigna uteri affecti adſint ; fluxus fit minus copioſus.

Oritur ab intemperie ipſius ; cujus in curatione ratio habenda erit.

[52] *Suffumigationes è thure , ladano , maſtiche , ſantalis* [53] bene adhibentur. A quacunque verò cauſa oriatur. *Thermæ* maximè proſunt.

[46] *A parte aliqua præter vterum*). Partes peculiares quarum conſenſu in hoc morbo vterus afficitur potiſſimum ſunt *Cerebrum, ventriculum, hepar, lien, meſenterium & veſica*, quæ ſua excrementa ad partes debiliores & receptioni magis idoneas amandant. *Riverius.*

[47] *Parte aliquâ præter vterum*) Vt ſi labefactata ſint viſcera ventriculus, lien ,hepar, ſi nimium refrigerata aut ferventiora, aut obſtructa, vel ſcirrhoſa, cruditates, malû habitum, humores, corruptos acres, aut ſeroſos & tenues ſubminiſtrant, qui ſæpe naturæ robore in vterum feruntur , & per illum effluunt , ſicut & quibuſdam per renes , frequentius per alvum ferri contingit; Et qualis eſt corporis conſtitutio talis eſt excrementorum proventus, nam ſanguis tenuis, ſeroſus vel pituioſus , fit ventriculi imbecillitate , ex coctionis defectu , aut ob errorem externum , vt in iis quæ ſedentariam & otioſam vitam degunt , vnde ruſticæ raro ejuſmodi morbo tentantur &c. *Primiroſius.*

[47] *Præter vterum*) Quæri poteſt an hic Fluor muliebris , ex vniverſo ſanguine modo peculiari corrupto, An vero ex aliqua ejus parte à reliquo ſanguine ſecreta & corrupta proficiſcatur ? cenſeo omnino ipſum adſcribendum maſſæ ſanguinis vniverſæ modo ſingulari corruptæ non item alicui parti, & reliquis ſecretæ ac alabenti.

Etſi enim non negem in quibuſdam obſervari hunc fluorem viſcoſiorem adeoque pituitoſiorem, in aliis fluidiorem ac tenuiorem, adeoque magis ſeroſum , id tamen fieri facilè colligent omnes operi attenti , quatenus vel ſanguis vniverſus exiſtit in talibus pituitoſus , vel ſeroſior : Vel ita corrumpitur idem, vt abeat nunc in ſubſtantiam viſcoſiorem , nunc in fluidiorem ; adeo vt illa viſcoſitas , major vel minor debeatur aliquando ipſi ſanguini corrumpendo , aliquando vitio in vtero exiſtenti ſanguinemque corrupturo.

Hoc facilè deducturus eſt qui laborantium fœminarum conſtitutionem , aut antequam fluore corriperentur, tum poſtquam affectæ ſunt : Si namque corporis vniverſi conſtitutio fuerit ſatis laudabilis nullum dubium eſt ſanguinem ſimiliter exiſtere laudabilem , ac proinde conſtitutionem fluoris nominati variam ipſi ſanguini tunc minime adſcribendam , ſed cauſæ ipſum *corrumpenti* ac *efficienti* dictæ.

Quod ſi contra corporis vniverſi conſtitutio exiſtat vitioſa priùs quàm obſervetur ille fluor albus fœminam infeſtare, ſive conſtitutio iſta vitioſa corporis ſequatur menſes ſuppreſſos , ſegniuſve aut parciùs prodeuntes , ſive illa præcedat diu tempus menſium fluxurorum , vel comitetur menſium fluxum , quis du-

bitabit tunc ipſi ſanguini adſcribere fluoris albi varietatem, inprimis quando illa convenit cum cachexiæ vrgentis varietate? Fr. *Sylvius*.

48. *Et tum ſigna affectæ partis*) In aliquâ parte peculiari materiam peccantem oſtendunt ſymptomata & excrementa cuique parti propria & peculiaria, v. g. *Iecoris* dolor, calor, aut tumor, cum excrementis biliosis, id affectum eſſe indicant, Eadem verò ſymptomata in ſiniſtro hipochondrio apparentia, cum excrementis humorem melancholicum referentibus ex liene fluxum procedere oſtendunt: Pituitoſa excrementa, nauſea, inappetentia, & aliquando ingens fames, frequens ciborum corruptio & ructus acidi, vel nidoroſi certa ſunt affecti ventriculi indicia: Dolor capitis, ſpumoſa excrementa, conſueta per os & nares evacuatio ſuppreſſa, à capite humores effluere teſtantur. *Riverius*.

Novimus matronas quibus gratioſo arteriarum ad nares pituitam evehentium deſtitutis beneficio, continua à partibus hymenæo ſacris dependet ſtiria, alburnque moleſtum eſt profluuvium *Rolfincius Diſſert. Anat. p. 1260*.

49. *Ratio habenda*) Sic ſi à *cerebro* fluentes humores huic morbo originem dederint, remedia ad eam partem dirigenda ſunt, præcipue fluxionem revellentia & derivantia, vt cucurbitulæ ſcapulis & dorſo admotæ fræquenter, errhina, maſticatoria veſicantia & cauſtica occipiti vel brachio inuſta, quorum vicem, & multo efficacius ſubeunt ſetacea: Refertque *Fabritius Hild. curat. 5. cent. 3.* ſe mulierem quandam diuturno fluxu muliebri laborantem, & inde ortam ſterilitatem, adhibito ſetaceo curaſſe; Dubitatur verò de *Cauſticis tibiæ* admovendis, cum enim humores alliciant ad inferiora, fluorem illum vterinum augere poſſunt: Attamen in diuturnis affectibus convenire experientia docuit, quòd per hæc emiſſaria inutilis materiæ portio educatur.

Si à *ventriculo*, *hepate*, aut alia quavis parte humores defluant, illi remedia appropriata decernenda ſunt. *Riverius*.

50. *Alius ab vtero*) Hujus Fluoris cauſam primariam ſemper in vtero quærendam inveniendamque arbitror, ſecundariam & ipſum augentem in ſanguine aliisve humoribus vitioſis ſanguini confuſis & vna cum ipſo ad vterum tendentibus.

Primariam, inquam, in vtero cauſam quærendam arbitror, quia citra aliam noxam notabilem in reliquo corpore obſervabilem conſiſtere poteſt aliquando, quod minime fieret, ſi à vitio ſanguinis qualicunque penderet, cùm tertium dari non poſſit à quo deduci queat, quicquid enim ad vterum tendit aut ſanguis eſt aut ſpiritus animalis, aut ſemen.

A ſpiritu animali per ſe blando, parteſque omnes recreante deduci non debet, cum quoties aliqua noxa læſave functio ipſi eſt adſcribenda, toties id accidit cum majori copiâ delati ad muſculos illos nimiùm contrahunt, ac pariunt convulſionem, aut inordinatè confuſeve accedentes, motum convulſivum quod minimè poteſt dici de hoc fluore; adde quod mala illis tribuenda, per intervalla certa vel incerta recurrunt, quod minime locum habet in hoc fluore,

A *Semine* minime poteſt deduci cùm eveniat fœminis ante & poſt ſeminis productionem; adde quòd hujus profluvium multum differat ab hoc fluore, cum quo ſubinde jungitur, adeoque pro eodem haberi nequit,

Denique *Sanguini* adſcribi non debet, quia obſervatur ſubinde in fœminis quarum ſanguis eſt laudabilis ſanitaſque reliqua integra; quod minime fieret ſi vitiata eſſet ſanguinis maſſa, vnde dubio procul plures quoque vitiarentur Functiones, *Silvius*.

51. *Qui ex eo cognoſcitur*) Si nulla partis alicujus læſæ ſigna appareant, ab ipſo vtero fluxum procedere conjiciendum eſt: Præterea fœmina boni eſt coloris materia fluens pauca eſt, cum ſolius vteri ſit excrementum: Præceſſerunt cauſæ vterum labefactantes, vt partus laborioſus, vel abortus, caſus ſupra ventrem aut dorſum, coitus immodicus, præſertim ſi fœmina nimis juvenis coniugio tradita ſit; Tumores, vlcera aliique affectus vterum obſidentes: *Riverius*.

52. *Vteri affecti*) Cùm ſanguis vitioſus non *cauſa primaria* (vide §. *Alius ab vtero*) & *adæquata fluoris albi* aliquando tamen hujus vel illius fluoris (vide §. Humorum excrementitiorum) aut viſcoſioris, aut tenuioris, verum illius cauſa efficiens, ſanguinemque in Fluorem album corrumpens in vtero ipſo quærenda veniat, quæritur *quomodo ſit affectus vterus*, Aut Quidnam exiſtere poſſit in vtero, à quo illa pendeat corruptio ſanguinis in fluorem album? Hoc vt determinetur.

Obſervandum 1. *Fluorem album nunquam, vel rariſſime circa initia eſſe Acrem*, talem tamen vt plurimum fieri tandem. 2. *Sanguinem tum* naturaliter mutari in *ſanguinem album, quando convertitur in Lac*; Tum p. n. *corrumpitur in pus*: Vtramque mutationem hanc, docuimus deberi *Acido*, vel in mammarum glandulis præparato, & ibidem ſanguini allabenti admixto, vel in ſanguine exiſtenti, atque propter ſanguinis extra vaſa ſua effuſi motam & quietem ſpirituumque volatilium in auras tuuc abeuntium jacturam ſe magis magiſque manifeſtanti, vireſque ſuas exerenti, cæteraſque ſanguinis partes, vti dictum in pus album ſenſim convertenti.

Sicuti vero ſanguis mutatur ſecundum naturam in fœminarum vtero gerentium mammis poſtremis geſtationis menſibus in *Lac*; Idemque ſanguis extra vaſa effuſus collectuſque, quin idem ad partes vlceratas delatus p. n. corrumpitur in pus, ita idem mutari poteſt in vteri vaſis cavernoſis, itidem p. n. in *humorem, album* quidem, multum tamen tum à pure, tum à lacte differentem ideò *ſingularem fluoris albi* nomine donatum; Differt plurimùm à Lacte, quoniam perfectionem novam obtinet ſanguis quando in Lac mutatur, à qua perfectione ſuâ is deficit, quoties in album abit fluorem.

Differt *Pure*, quia hoc ex ſanguine puro rite confectum magis albeſcit ac æquale exiſtit quam *fluor muliebris* ad pituitæ colorem conſiſtentiam & naturam magis accedens, Sicuti verò *Pus* diutius in Abſceſſu retentum paulatim *Acrius* evadit, ita *Fluor albus* ſenſim acrimoniam, & tantam quæ partes per quas fluit exulcerare, vel excoriare poteſt, adquirit. Hæc autem *Acrimonia vlceroſa* ſola evincit ſe in *Aciditate* conſiſtere, poſtquam experimentis conſtat *Salis lixivi acrimonia cum nigredine morticina corrumpi partes* affectas, & ab Acida exedi conſumique partes in quas vim ſuam exſerit noxiam, mutareque in *ſubſtantiam albicantem*.

Cum proinde hactenus *duplex* tantùm innotuerit *acrimonia* quæ in corpore humano poſſit habere locum, Et corruptio ſanguinis ad vterum accedentis, & in Fluorem album mutati, non tantum nequeat deduci à *lixivi ſalis acrimonia*; ſed commodiſſimè poſſit ab *Acido*, meritò huic corruptionem adſcribimus quæſitam, Huic noſtræ opinioni favent *Cauſæ* hujus fluoris antecedentes ac foris advenientes, nam potiſſima frequentis ſimaque cauſa eſt *Animi mœror gravis & diu protractus*, *Acidi*, *noxi*, & imprimis *auſteri* productor aſſiduus, producit etiam & auget non raro eundẽ *Terror inopinatus & grandis*, *Acidi & Auſteri* cauſa certiſſima & potentiſſima, Non parum facit ad *fluoris* generationẽ *Aëris* vel *aquæ* forinſecus quo vis modo ad vterum penetrantis *frigus*, comitiſve frigoris cauſa, vnde Acidũ

vbivis

ubivis augeri in nobis tum alia plura, tum imprimis *Gravedo* evincit; Eundem ſi non producit, fovet ſaltem augetq́; manifeſte *Acidorum abuſus*, unde non mirum ſi forſan in Belgio ideo frequentior, quam alibi Fluor.

Cauſis prædictis annumerari poteſt *Fluxus menſtruus tam ſegnius accedens*, quam *parcius prodiens*, aut *plane ſuppreſſus*, ſubſiſtens namque in cavernoſis *uteri vaſis ſanguis plus minus corrumpitur*, unde *noxam ſuam utero communicat*, & ita quidem ut in *eo hærens*, atque *ſedem figens*, *Sanguinem poſtmodum accedentem ſimiliter corrumpat*, & in *humorem albicantem* ac *pituitæ ſimilem* convertat; h. e. *Fluorem album* producat.

Sicuti enim *uteri ſubſtantia* proxime *accedit ad Glandularum naturam*, ideoq; maxime ſuſceptibilis eſt *Acidi*, hoc p.n. in corpore muliebri quavis de cauſa redundans, & quaquaverſum delatum ſiſtetur facilius & abundantiùs, & arctiùs in utero, ibidemque modo ſuo vitiabit corrumpet neceſſario ſanguinem ad ipſum delatum, ſicut evincit experientia frequens.

Sicut vero à cauſis *Non natur.* vel *for̃initis Acidum* in corpore noſtro vel *producentibus* vel *augentibus*, vel *foventibus* afficiuntur primario *Glandulæ*, & imprimis *pancreatica*, ita ab iiſdem afficiuntur ſecundario in fœminis tum frequentius *uterus*, tum aliquando *mammæ*: Quamvis proinde putemus à cauſis notatis deducendam Fluoris albi generationem, non putamus tamen immediatè ac primariò malè affici ab ipſis uterum (niſi forſan à frigore, ejuſve cauſa immediate ad ipſum penetrante) ſed ſecundario tantum ac mediate, atque poſtquam priùs malè affectæ fuerint Glandulæ Pancreaticæ.

Notandum porrò ad Fluoris albi productionem affici aliquando etiam uterum immediate à frigore externo, tum in puberibus fluxum menſtruum ſiſtente, aut ſaltem minuente, tum nondum puberibus nec proinde fluxum dictum adhuc paſſis, uterum ipſum adeo vitiante, ut facilius copioſiuſque quam decebat ſecedat ſiſtaturque in ipſis pars Sanguinis Acidior, quæ ibidem *Fermenti* pravi naturam induens, ſanguinem ad uteri nutritionem continue allabentem paulatim poſtea corrumpat, & in humorem pituitæ ſimilem mutet, qui nutriendo utero inutilis effluat plerumque, notatumque Fluorem producat, Quoties igitur à cauſà externâ ſimul afficitur immediatè uterus, ita ut inde ad Fluorem album producendum ſimul diſponatur, toties tum faciliùs, tum citiùs, tum graviùs laborant fœminæ.

Quoties contra nullo concurrente immediato uteri affectu, ſecundariò duntaxat, & poſt affectas demum & tantùm Pancreatis, aliarumque partium glandulas, vitiatur tandem ipſe quoque uterus, ita ut hinc Fluor conſequatur albus, toties idem tum ſegniùs, tum leviùs ſolent affici, mulieres: Hujus autem *diverſitatis* ratio eſt manifeſta, poſtquam ubi plures concurrunt eundem effectum producẽtes cauſæ, ibi effectus neceſſariò & faciliùs, & citiùs & potentiùs, obtinetur; Vbi contra pauciores ſunt iſtæ cauſæ, ibi neceſſariò expectandus effectus idem tum difficilius, tum ſegnius, tum imbecillius ſecuturus: Sive igitur tantum *mediate*, aut *immediate afficiatur uterus* ad Fluorem album producendum; ſive afficiatur idem tum mediate tum immediate, affici tamen debet ipſius ſemper ad notati Fluoris productionem, ita ut idcirco corrumpatur in ipſo ſanguis in humorem pituitæ ſimilem, qui pro vitii uterini varietate variet non parum, tam coloris quam odoris & acrimoniæ copiæque ratione, quamvis non negem poſſe illum humorem variare quoque ratione ſanguinis varii, aliorumque affectuum corpori obvenientium; Sicuti enim *fermentum* illud *uterinum*, & quidem *Acidum*, prout magis aut minus eſt *auſterum*, vel *acre* vel alio modo varie vitioſum, ita diverſimode corrumpi ſanguinem ad uterum accedentem, ſic etiam ſanguis propter alios affectus in corpore exiſtentes; aut præcedentes, variis modis affectus, in humorem diverſum corrumpetur ab eodem fermento: adeo ut diverſitas humoris in fluore albo effluentis pendeat nunc à diverſitate fermenti corrumpentis, nunc à diverſitate ſanguinis corrumpendi, nunc ab utroque. *Franc. Sylvius.*

52. *Suffumigationes*) Suffitus & Fumi, uteri ſinu excepti, cum alte penetrent, illique undiquaque ſe affigant, admodum ſiccando, adſtringendo, roborandoque uterum, cum ſi odorati ſint, illis uterus delectetur, operantur, Qui ſuffitus è *decocto plantarum quarundam*, dum fervet ſuſcitari, & in vaſe utero ſupponi, ac per infundibulum, vel veſtes circumductas admitti poſſunt: Vel *Fumus* ab injectis ſupra carbones, *pulveribus* vel *trochiſcis*, in ſterilitate propoſitis, excitatus eo modo excipi, Vel ex hoc Pulvere.

℞. *Maſtiches* ʒii. *thuris ladani* ā̄ā. ʒj. *ſuccini, hypociſt. ſtorac. benzoini* ā̄ā. ʒß. *f. Pulvis.*

Bdellium additum probant aliqui. *Platerus.*

Efficax eſt ſuffumigium cum emboto factum, ex *aceto decoctionis cortic. pinearum* in quo pluries *marcaſita* ignita fuerit extincta *J. C. Claudinus.*

Tanquam ſecretum ferunt *Salviæ ſuffitu* profluvium muliebre mire ſiſti, *Corbæus Gynacei lib. 1. cap. 3. L. à Fonte.*

℞. *Sulphur. antimon.* de hoc fruſtum carbonibus ignitis injiciatur, & fumus per infundibulum utero excipiatur, Cum admiratione operabitur. *Dygbeus Exper. p. 65.*

Pro ſuffitu plurimùm valet *raſura eboris* carbonibus injecta. *Ballonius.*

53. *Adhibentur*) His peſſis ſæpe uſus ſum ad expurgationem illuviei.

℞. *Fell. vaccæ* ℥j. *rad. azari*, *agar. cinnam.* ā̄ā. ʒj. *ſucci mercurial.* ℥i. coque cum *melle* pauco reliquiſque permiſtis, f. inſtar ungu. ad ſacculos implendos. *Platerus Obſ. p. 782.*

54. *Thermæ maximè proſunt*) *Aquarum naturalium thermarum*, ad plures dies vel ſeptimanas continuatus uſus, prægreſſa corporis evacuatione, & per vices repetitus, adhibitoque decenti regimine, tum exſiccando, tum ſudores promovendo, plurimum juvat, eoque nomine mulieres quæ hunc fluxum patiuntur, maximeque ſi ſteriles ſimul ſint, eas adire ſolent, Conveniuntque quæ *vi ſiccante* præditę ſunt, *aluminoſæ, nitroſæ. ſalſæ*, vel ſuâ natura actu calidæ, aut arte calefactæ; Nec non *ſulphureæ*, quarum uſu mulieres aliquas hunc fluxum, quo prius carebant, primum contraxiſſe, nec ab eo donec uſum illarum rurſum repeterent, liberatas fuiſſe, aliquoties obſervavimus.

Artificialia Balnea, quibus immergere inferiorẽ corporis regionem ad umbilicum uſque debent, idem præſtabunt, vel diu continuata, vel per intervalla uſurpata; Paranturque interdum ut Thermis correſpondeant, ex *Sale, alumine, ſulphure*; decoctis in *aqua pluviali*, ciſternæ aliave ea quantitate ut *ſalſedinem* aliquam, vel *odorem ſulphuris* aqua contrahat: Addendo, ſi adſtringendum, etiam *Chalcanthum*, vel *chalcitin*, aut *ſcoriam ferri*, Valet & aqua *extinctionis ferri*: *Gypſum uſtum* permiſtum vim ſiccandi auget.

Ex *Plantis Balnea* parata etiam competunt, ſi fiant ex *Decocto* facto in aqua prædicta, addendo quandoque & *aquam extinctionis ferri fabrorum*, vel *lixivium* aut *vinum rubr.* incoquendo *rad. biſtortæ, lapath. rubiæ, valerianæ, cyperi*, herbas *clematin, diaphnoidem, artemiſiam, betonic. tamariſc. ſabinam, hederam*; Si magis adſtringendum, *gallas gland. Cupulas, cortic. granat. ſuberis, ſumach, roſas, balauſt. muſcum qu. baccas myrti &c.*

In frigidis mulieribus odoratæ calidæ plantæ adduntur, *pulegium, origan. calaminth. menthaſtrum, meliſſa, ſalvia, nepeta, majorana, roſmarin.* Ex ſemin. 4. *cal. maj.*

rutæ, urticis, magis ſiccabit decoctum & abſtringet ſi ſupradicti terræ ſucci ſalſi & nitroſi, vel atramentoſi addantur, aut alia terrea, ut *bolus lapis hæmatites*. *Platerus*. Præſentiſſimum præſidium ſunt *aquæ thermales ſalſæ* ut *Tepucianæ*, & ſimiles. *Septalius*.

De [55] *Gonorrhœa* ſi quæ ſciri debent, ex iis [56] quæ de Gonorrhœa virili dicta ſunt, petantur. Laudatiſsimæ in ea *pilulæ*, quæ componuntur, ex *cupular. glandium, ſemin. viticis, ſemin. cannab.* par toſtis, *gummi Arabici, tr. agacanthæ*, [57] *Carabes, mumiæ, boli Armeni, mandibul. lucii piſcis* præp. ana q. voluerit cum *ſyrupo de roſis ſiccis*, & ſumuntur per aliquot dies dr. j. pondere. [58] Gonorrhœa à *lue Venerea*, infert aliquando [59] vomicam in teſtibus, ſi aſsidua illa, diuturna & cum cruciatibus atrociſsimis.

55. *De Gonorrhœa*) Vrethra muliebris tenui membranâ cingitur interius, propè meatus urinarii exitum in inferiori parte, magnos ductus ſive lacunas, admittens, per quos materia pituitoſo ſeroſa quandoque copioſè erumpit; Inter membranam hanc tenuiſſimam, & fibras carneas ſtatim reperitur ſecundum totum urethræ ductum ſubſtantia membranoſa, albicans, unius fere digiti tranſverſi craſſitiem habens, quæ totum urethræ canalem cingit, & hæc eſt ſubſtantia quam perreptant. & in qua terminantur ductus illi, qui in principio urethræ, & in inferiori antica vaginæ parte reperiuntur, quemadmodum inflatis ductibus illis non obſcure cernitur; ita, ut non adeo male ſubſtantia illa, mulierum *Proſtata*, ſive *corpus Glanduloſum* poſſit appellari, de quo etiamnum agere nobis videtur *Galenus 14. de V. P.* qui ex *Herophili* decreto, perinde ac in viris, fœminis etiam glanduloſas Proſtatas ineſſe ſcribit.

Proſtatarum illarum uſus eſt pituitoſo ſeroſum ſuccum generare, qui acrimoniâ & ſalſedine ſua mulieres ſalaciores reddit, pudendaſque partes cùm jucunditate in coitu lubricat, neutiquam verò ad urethram humectandam (ut quidam opinantur) illum liquorem à naturâ deſtinatum eſſe, vel inde patet; quia ita in ejus exitu collocantur ductus, ut erumpens urethram non attingat, quod non fieret, ſi ad humectandam urethram liquor ille deſtinatus foret.

Gonorrhœam, latè ſumptam in mulieribus ex illis Proſtatis provenire poſſe probatur, cum in viris Proſtatarum fluxus Gonorrhœa vocetur, cur non etiam in mulieribus eodem nomine nuncuparetur; cùm in utroque partium & ductuum eadem ferè ſit ſubſtantia? Præterea cum fœminæ ſemen fluidum, ut viri, in teſtibus non habeant, neceſſariò illarum fluxus, Gonorrhœa dictus, vel ex tubis, vel ex utero, vel ex vagina, aut meatu urinario derivandus eſt, Sed in Tubis nihil eſt quod tanto profluvio anſam dare poteſt: In vaginâ verò, utero, ac præſertim ejus cervice aliqui quidem ductus ſunt, ſed non tam patentes quam illi qui ex Proſtatis derivantur, quapropter ex his potius quam ex illis mulierum Gonorrhœam derivandam judicamus, Eoque magis cùm in muliere Gonorrhœâ laborante poſt mortem Proſtatas exulceratas invenerimus. *Graef de Mul. org. cap. 6.*

56. *Ex iis quæ de Gonorrhœa virili*) In Gonorrhœâ *verâ* eodem modo procedendum eſt atque in Gonorrhœâ virorum, *abſumendo materiam ſeminalem, & adſtringendo* partes laxiores; Optimum remedium eſt copula cum viro, ſi verò non eſt conſultum propinetur ſuccus citri ad ℥ii. & continuetur; *Mala citri* aut *limonum*, tum ſuccus exſtillans *ex ſurculis ſalicum*, verno tempore aliquandiu uſurpata: *Trochiſci de Carabe, de terra ſigillata, pulvis mandibular. lucii piſcis, Balnea blanda adſtringentia*, quæ fluidiores paraſtatas coerceant. *Etmuller.*

57. *Carabes*) Succinum in ſubſtantia album, cum *caſtoreo & ebore*, facit officium; nam ichoreſcentiam ſeri corrigit, Ichoreſcens autem ſerum occurrit in Fluore albo, item in Gonorrhœa ſimplici & virulentâ, Ibi verò Diuretica, ichoreſcentiam ſeri hanc auferentia ſunt ſpecifica & optima, Sunt verò hæc ſpeciatim & præ aliis, quæ partes oleoſas roborant, ſeroſas abſtergunt & mitigant, ut nominatim *ſuccinata & terebinthinata*, Curavimus plures tales affectus feliciſſimè *eſſentia ſuccini* tum ſimplici, tum cum *tinctura bezoardica & anodynâ* miſta vix dici poteſt quàm egregiè ſucceſſive ichoreſcentia hæc deſierit, Ichoreſcentia verò obiter eſt quando ſerum balſamicum ſulphureum amittit vigorem, ſalia verò extravertuntur magis, unde in glandulis ſtagnat, non revehitur, & velut fonticulum parit. *Wedelius.*

58. *Gonorrhœa à lue*) Eſt fluor muliebris Gallicus, oriundus ex reiterato coitu cum maribus lue Venereâ inquinatis, & exulceratione tam proſtatarum glandularum, quàm vaginæ uterinæ, ſi quidem *Fanarolus obſ. 14. Pent. 1.* tradit quòd in tali muliere teſtium ſubſtantia exulcerata reipsâ fuerit: Talia enim ulcera plorant ſaniem, cum inſigni dolore & moleſtiâ; Et curatur eodem modo ac gonorrhœa maligna virorum, *terebinth.* remediis *ex lignis* & ſeruo. Inveterata verò curari nequit niſi per modum curandi luem veneream, tam per ſudorifera, quàm per ſalivationem, cum *melle, aloe, mercurio dulci*, Item *linim. mercuriale*, quod turundis illitum intrudunt in vaginam internam, ut mortificetur ulcus jam factum. *Etmuller.*

59. *Vomicam in teſtibus*) Teſtibus muliebribus licet omnes illi morbi qui in partibus ſolidis, & maximè glandulis locum habent, obvenire queant, quia tamen eos dignoſcere, adeoque curare non videtur medico poſſibile, fruſtraneum omninò in deſcriptione particulari plurimum occupari. *G. Blaſius Therap ſpec. pag. 313.*

Monſtroſorum Teſtium muliebrium Figuram exhibent Acta Hafnienſia, adducta. *Medic. Sept. vol. 2. p. 17.*

Virgo ætatis 45. in naturalibus magno tentari cœpit dolore, unde illi ex rima caruncula, duobus funiculis adhærens, propendit: Chirurgi dexteritate ſectione ſemiputris illa maſſâ ablatâ ſummum exhalavit fœtorem, quæ calidæ injectâ aquæ *Teſticulum* vaſis ſuis annexum præſentavit, Dolore illo interim nil minus ſæviente, atque eruptionem mali majoris minitante, author fui ut Chirurgus coalitum hymenis prævio ſtilo laxaret, quo facilior malo urgenti exitus pateret, Subſequitur & alter exitus, æque fœtens, vi interim excretrice nonnihil acquieſcente: Dum huic incumbimus curæ, tumor in collo paulo infra pharyngem, cum exquiſito ſatis dolore, febre comite hectica, tuſſique continua, ad juglandis magnitudinem exoritur, &c. tandem adapertus, & ille, ſimilem tetri odoris mephitim expirabat, & ad inferioris affectus conſtitutionem ſe conformabat, ut melius ſe circa uterum habente ægra, benigniùs & colli ulcus ſe præbuerit, novo interius emergente incommodo recruduit & malum ſuperiùs; Dei tandem gratia convenientibus remediis utrumque malum expugnatum, ulcuſque conſolidatum fuit, Virgine etiamnum vivente & bene valente, gracilique ejus corporis habitu in ſatis obeſum mutato. *J. G. Volkamerus ibid. obſ. 8.*

CAP.

De Symptomatibus extra conjugium viventibus magis familiaribus.

Cap. XX.

De Morbo vigineo.

SYmptomata viventibus extra conjugium magis familiaria ſunt, *Morbus virgineus, Suffocatio uteri, Furor uterinus, & Melancholia mulierum.*

Morbus virgineus (*alias* [1] *χλώρωσις, icterus albus,* [2] *febris alba,* [3] *virginea: pallida, amatoria*) *eſt* [4] *coloris naturalis in facie in vireſcentem* [5] *& pallidum mutatio;* [6] *à nutritione depravatâ, &* [7] *humorum crudorum copia* [8] *viſcerum vitio genitâ proveniens, &* [9] *multa ſymptomata inferens.*

[10] *Virgineus* dicitur, quia virginibus maximè competit, [11] & quidem pulchrioribus, colore albò præditis, [12] inde facilior à crudis humoribus tinctura.

[1] χλώρωσις) Cùm corporis ipſius color vividus nitet ac floret, Græcis χλωερόχρωμα λαμπρόν, alimentum corporis à ſuâ non deſciviſſe naturâ argumentum eſt: Sin coloris in deterius mutatio deturpatioque cutis contigerit, ſuccos alioqui alendo idoneos labem concepiſſe declarat. *Ballonius l. de v. & m. morbis l.7.*

Vox χλώρωσις eſt ἀπὸ τοῦ χλωερός, quæ non rectè interpretatur *pallidus* aut *viridis*, ſed *pallidus cum virore*, qualis eſt foliorum ab arbore caducorum: *Hofmannus Inſt. l.3. c.66. §.3.*

χλώρωσιν quoq; vocat *Hippocr.* quoniam utplurimùm color eſt ex albo vireſcens, pro humorum inter ſe varia commiſtione, & prout jecur aut lien compatitur, unde ſpeciem quandam Icteri quidam eſſe volunt. *Primiroſius.*

Hippocrates frequentiſſimè ad decolorationem faciei exprimendam utitur voce χλωρῦ, nec ſemel & in abſtracto χλωρότης vox occurrit, ut *6. Epid 3.57.* per quam *Galenus* ὠχρὸν ſeu pallidum notari innuit: Sæpe quidē, ἀχροίαν vocare amat paſſim, rariùs δυσχροίαν meminit, Hinc aſſerendum videtur eundem per χλωερόν, ſeu quod hodiè magis in uſu, χλώρωσιν, ceu generali vocabulo omnem latitudinem decolorationis comprehendere: Patet id ex derivatione vocis, dicitur enim ἀπὸ τῆς χλόης, ab herbis, quo non ſaltim herbaceus, viridis color exprimitur, quæ propria eſt ſignificatio, ſed & areſcentium herbarum, & vividum nativum virorem exuentium, unde elegantiſſima metaphora pallidus faciei color notatur, iſque non minus ac in herboſo genere multis modis varians, (Galli dicunt, *Couleur de feuille morte.*

Utut vero latiori iſto ſignificatu gaudeat per dicta *Chloroſis* uſu tamen inoluit ut ſpeciatim exprimat variam illam faciei & reliquarum partium quoad colorem mutationem in fœminis imprimis virginibus puberibus ac viro maturis, ejuſq; latitudinem innuat, modo enim pallorem contrahunt cadaveroſum, modo lutea aut ſubviridis tinctura pallori ſe adſociat, modo aliter color vitiatur. *Sebiſius Diſſertatione de hoc affectu.*

[2] *Febris alba, virginea*) Non quia ſemper febricitant, ſed quia quaſi febricitarent ipſis adeſt pulſus celeritas & frequentia, non ob caloris incrementum, ſed ob prohibitam ventilationem, cum tamen affectus ſit naturâ ſua frigidus. *Primiroſius l. de m. m.*

[3] *Virginea, pallida, amatoria*) Quamvis mulieres nuptas, viduaſque hoc affectu tentari videre liceat, quia tamen virginibus viro maturis magis familiaris eſt, ideo *Virgineus morbus* appellatur, Et etiam *Amatorius*, quod credantur virgines, ut viris reddantur gratiores hunc colorem rerum abſurdarum uſu ſibi conciliare. *Primiroſius.*

[4] *Coloris naturalis in facie in vireſcentem & pallidum*) Non ſolùm *pallor, ſed viror* quoque, *livor*, aliiq; *fœdi colores* ſæpius apparent, Serum enim ſalium in corpore fluitantium continuum eſt vehiculum unde, hoc corrupto illa quoque variè vitiari, & pro varia natura ſulphuris adhuc præſentis texturam mutare poſſunt, Sic acidum ſeroſo coagulo conjunctum livoris; Bilis autem, tum ab eodem acido, tum ab alio Salino principio corrupta, viroris aliorumque vitioſorum colorum cauſa exiſtit, quando nempe tinctura hacce ſua reticularem ſuccum imbuat; Quid vero ſpirituum animalium defectus, qui chloroſi ob vitales ſpiritus ſuppreſſos ac deficientes jungi ſolet, & ex vitiumm languore patet, huc confert, patet, ex dictis § *Coloris naturalis in facie &c.*

[4] *Eſt coloris naturalis in facie*) Sic definitur à *Riverio, vitioſus corporis habitus, ab obſtructione venarum hepatis, lienis ac meſenterii, ac præcipue earum quæ ſunt circa uterum quem ſequitur plerumque gravitas membrorum palpitatio cordis, difficultas ſpirandi, rerum abſurdarum appetitus, & alia ſymptomata.*

Melius noſtro calculo poteſt deſcribi, quod ſit *Affectus uterinus à ſpiritus plaſtici oppreſſione & ſanguinis craſſitie ac aciditate, vaſa uteri capillaria obſtruente, & ſpirituum animalium torpitudine productus.* Ioh. Dolæus p. 975 Encyclop,

Realem definitionem hanc ſiſtimus, *Chloroſis eſt coloris partium corporis externarum & imprimis teneriorum ac faciei, è vivido in pallidum aliumve fœdum mutatio, à liquoribus vitalibus ob menſes obſtructos corruptis, & in cute reſtagnantibus producta, quam ſymptomata alia plurima comitantur.*

Ex definitione hac facile patet, cui rerum p.n. claſſi accenſenda ſit Chloroſis, nempe ſymptomatum, & quidem qualitatis mutatæ, nempe in colore: Hic enim omnium primo in conſideratione hoc malo laborantium in oculos incurrit, dum ξανθὸν illud faciei ἄνθος mire defœdatum formæque adeo gratia plane ablata primum hujus mali indicium præbet, cum omnium oculis ſeſe ingerat, ægraſque de auxiliis quærendis admoneat.

Cum vero ſymptomata iſta dicta qualitatis mutatæ juxta Inſtitutionum Doctores non immediate à morbo quodam, ſed alio etiam ſymptomate, & imprimis actione læſa dependeant, hunc quoq; affectum talem cauſam agnoſcere neceſſē eſt, Nullam autem aliam quam Nutritionis depravationem, ſeu potius ſucci nutritii læſam conſtitutionem ac diſtributionem accuſare poſſumus. *Wedelius.*

[4] *Coloris naturalis in facie in vireſcentem &c.*) Si non tantum intenta viſus acie, ſed armato oculo ſuperficiei, corporis examen aggrediamur, docente *Malpighio de Tactus organo c.59.* occurrit *1. Cuticula*, quæ tenuem pelliculam repræſentat, igne actuali facilè ſeparandam, quæ ſtriis ſuis ſubjecto corpori reſpondet, innumeraque ſudoris oſtia valvulis quaſi munita tranſmittit; *cuticula* hæc ſibi relicta coloris omnis expers eſt, non opaca, ſed pellucidiſſima, unde etiam coloris ſubje-

6. *A Nutritione depravata*) Vide ſub finem capitis Appendicem. *De Cachexia mulierum.*

6. *Nutritione depravata*) Imo juſtæ defectus eſt, qui pauci humores pro nutritione ex arteriis expelluntur: deinde etiam aliquando humores ipſi acredinem contrahunt, quibus toto ſanguine infecto tumores & ulcera in corpore producuntur, & humores illi acres ad nutritionem inepti ſunt. *Craanen.*

7. *Multa ſymptomata inferens*) Præcipua enarrat *Aetius c.54. lib. ult. Sunt* inquit, *ſomnolentiores, ad motum pigriores, coloris albi ſive plumbei, venis ſubnigricantibus, urina aquoſa, pituitam etiam aſſiduo exſcreant, & pituitoſos humores evomunt.*

8. *Humorum crudorum copia viſcerum vitio genita*) Fortaſſe malus iſte qui apparet color, non tam forte eſt ob cruditatem aut cacochymiam, quàm ob caloris naturalis oppreſſionem, qui non habet ſuam effulgeſcentiam ut idem hic contingat quod iis animo linquuntur ob caloris & ſpirituum afflictionem palleſcunt omnino. *Jac. Thevart. Annot.3. in c.7. l.de v. & m. m. Ballonii.*

9. *Multa ſymptomata inferens, Quorum origo præſertim ab utero deducenda eſt*, Nemini (inquit *Harveus Ex. de Partu p.m.375.*) paulò ſaltè exercitato; ignotū eſt quam prava ſymptomata uteri, aſcenſus, deſcenſus, perverſio, & convulſio concitent, quàm ſtupendas animi aberrationes, deliria, melancholias & furores, tanquam incantamento faſcinatis affectus uteri præternaturales concitēt: Quot etiam morbos ægre curabiles menſtruorum depravatum profluvium, aut Veneris uſus diu nimis intermiſſus, valdeq; deſideratus inducant; Nec minùs notum quanta virgini alteratio contingat, increſcente primùm, & tepefacto utero, pubeſcit nempe, coloratior evadit, mammæ protuberant, pulchrior vultus tenitet, ſplendent oculi, vox canora, inceſſus, geſtus ſermo, omnia decora fiunt, morbique graviores hoc ipſo tempore, vel nunquam curantur. E contra vero virginibus pallidis, & febre lenta laborantibus (quibus uterus exilis eſt, & menſes reſtitant) *à coitu maris* (inquit *Ariſtot. de gen. anim. l.3. c.2.*) *detrahitur menſium excrementum, trahit enim humorem uterus tepefactus, & meatus aperiuntur*, Unde ſummum illis ægritudinis levamen, quippe, ab utero ſui officii immemore, multa obveniunt univerſo corpori mala, Eſt enim uterus pars principalis quæ facile corpus totum in conſenſum trahit.

10 *Virgineus dicitur, quia virginibus*) Subjectum hujus affectus in genere eſt corpus fœmineum, imprimis verò virgineum illibatum, ſub adoleſcentiæ annis; hinc enim ſolis hoc morbi genus peculiare eſt, cum ab utero male affecto originem ducat; unde quod *Borellus cap.4. obſ.64.* chloroſin in puella octo annor. vidit, inſolitum & vel ad pallorem illi contra diſtinctæ referendum, vel ad ἰδιοσυγκρισίαν, quæ maturius ſolito ſanguis orgaſmum concepit, exitu tamen per menſes, ob teneritudinem vaſorum minus conceſſo. *Wedelius.*

10. *Virgineus dicitur*) Hæc chloroſis male confunditur cum *Cachexia mulierum*, quæ *menſium ſuppreſſionem* ſecum trahit, & quæ communis ſexui muliebri, item communis tam *maritatis* quàm *non maritatis*: Chloroſis verò *propria eſt mulieribus nondum maritatis*, aut *mulieribus* quibus mariti non ſatisfaciunt, Tales *pallent*, ſublivido nonnihil colore tinctæ ſunt, ſub oculis coronam quandam quaſi ſubrubeſcentem habent, anxiæ ſunt ſine manifeſta cauſa, triſtes, menſes non ſemper ſunt ſuppreſſi, ſed fere ordinarii circa ſtatas periodos fluunt, utut malo ulterius procedēte, ſupprimi ſoleant. *Etmuller Pr. Part.3 p.22.* vide infra §. *A menſium ſuppreſſione*) *Et* §. *Cauſa eſt.*) De chloroſi, quomodo de ea agit Author, vide in fine capitis, §. *De Cachexia mulierum.*

11. *Et quidem pulchrioribus, colore albo*) Eo citius inquinatio liquoris vitalis contingit ac deprehenditur in corporum extremis, qui exactior eſt ejuſdem mixtura ac proportio, Id quod in pulchrioribus videre eſt, in quibus, dicente *Mercato*, pro cæteris omnium maxime fœdi colores obſervari ſolent. *Wedelius* §.9.

12. *Unde facilior a crudis humoribus tinctura*) Proximè colorem in partibus fœdum producit liquor ſanguineus in partibus cutis imprimis vaſculis ſanguiſluis reſtitans, qui pro vari a ſua conſtitutione & tinctura, liquorem etiam ſubcuticulare inficit, ac totam corporis ſuperficiem tingit, Eſt verò ſanguinis ſubcuticularis diſpoſitio in chloroſi ſeroſa, lentā & viſcidā, adeoq; in circulo impeditā; Cùm enim in tota reliqua maſſa ſerum nimis congeſtum ſit, & quantitate peccet, in ſubcutaneis quoque partibus copioſiùs, quam par eſt cumulabitur, ut ſulphureæ partes obvolutæ ſui veſtigia colore vivido in cute non amplius exhibere poſſint; Et ob hanc nimiam copiam motum quoque circularem tardiorem contingere neceſſe eſt, quam ſtatim craſſities, cohæſio, viſcoſitas comitatur, ut non tam prompte per canales ſanguiferos, imprimis in extremitate corporis, trajici poſſit, Sicuti enim legitima ſanguinis circumrotatione, & in corde factā cōquaſſatione, ſanguineæ particulæ magis evolvuntur, exaltantur, & reliquæ omnes attenuantur; ita illa quovis modo tardata aut imminuta, hæ ſubjugantur, reliquæ coëunt, craſſeſcunt, maxime in locis à fonte caloris remotioribus, & ubi ſanguinis motus localis ordinariè minor ob vaſorum anguſtiam eſſe ſolet: In glandulis ergò ſubcutaneis, æque ac vaſis cutis capillaribus coagulata quaſi ſubſiſtit ſeroſa maſſa, lentorem majorem contrahit, ſuiq; colorem in ſuperficie exhibet, ſublato priori vegeto & florido, Non aliter fere ac in demortuis cernimus, quibus ob utrumque ſanguinis motum ceſſantem, ſpirituſque omnes deficientes & abactos, pallor proptius eſt. *Wedelius D. ſ.* §.8.

13. *Signa* facies ipſa ſuppeditabit, cui 14. adde ſymptomata alia, ut eſt. 15. Dolor capitis, interdum inſania, β. humoribus & vaporibus eò delatis, & melancholiæ permiſtis. 16. Reſpirationis difficultas cum 17. cordis palpitatione, ſi moveantur arteriarum pravo ac frequenti in collo, dorſo, ac temporibus 18. pulſu, ob vaporum ex ſanguinis craſſi incaleſcentis ſublationem. 19 Febres 20. inordinatæ & erraticæ, ob humorum putredinem. 21. Ventriculi multiplices affectus; inter quos 22. faſtidium ciborum, ob minus fœlicem chyli diſtributionem. Pica, ob pravi humoris in ventriculi tunicis abundantiam, vomitus, ob maximam crudi humoris copiam. 23. Hypochondriorum tum tenſio, ob ſanguinis menſtrui ad majora vaſa refluxum; tum 24. rugitus, ob flatuum tumultuationem, intumeſcentia, tam corporis totius 25. cum laxitate & mollitie ob humoris copiam, quàm vel 26. palpebrarum præcipue manè poſt ſomnum, cum per noctem calor plus vaporum ac ſeroſorum humorum elevaverit, quam diſcuti potuerit; vel crurum & pedum præcipuè circa malleolos ob humorum ſeroſorum abundantiam.

13. *Signa facies ipſa*) Faciei & totius corporis color pallidus eſt & ſubalbidus, interdum vero plumbeus, lividus, aut vireſcens. Cum enim in hoc affectu humores crudi, pituitoſi aut ſeroſi abundent, & ad habitum corporis deferantur, colorem toti corpori inducunt, & ſi pituitæ, bilis, aut melancholia permiſceatur, color inde ſubflavus, vireſcens aut lividus efficitur. *Riverius.*

[13]. *Signa facies ipſa ſuppeditabit*) Sanitatis ſpeculum eſt Facies, in quâ legere eſt ictèrum, animi deliquium, phrenitidis, peripneumoniam, furores, phthiſis, ſanguinis, vitæ ac mortis inſtantis ſtatum: Qualis ſanguis talis facies, qualis facies talis ſanitas, adeo & in proverbium abiit facies Hippocratica, ſeu cadaveroſa; à *Coo* deſcripta *Pranot. cap. 2.* Vultus ſignum pathognomonicum hominum eſt, quo diſcerni hominem ab homine voluit rerum conditor, Speciatim verò & ſignum ſanitatis ac morborum conſtituit, Quis non vel è plebe colligit id, male eſſe corpori ſi faciem intueatur, ſi pallere eandem, ſi inflari, ſi ζωτικὸν ἄνθος, vividum colorem & florem immutatum viderit? Medicum vero Naturæ miniſtrum longe magis monuerit obverſans tale quid, ut ab externis de interioribus indicium formet.

Neque fallere hunc facile eſt, modo rerum gnarus probè ſit, etiamſi adblandiri roſea purpura videatur & floridus color pingere genas obſervetur: Pallidus color depauperatum ſanguinem notat, vel refugum ad interiora penetralia deſerere ſtationes ſuas: Non æque tamen rubellus fidum valetudinis intemeratæ argumentum eſt; Corpus præ ſe fert in facie œconomiæ conſtantem florem, putrilagine nihilominus conſumptis pulmonibus, vel alio hoſte inteſtino viſceribus obſeſſis. *Wedelius Exerc. 3. Decad. 1.*

[14]. *Cui adde ſymptomata*) Quæ cauſam habent menſtruorum ſuppreſſionem, quam humoris craſſities, lentor & frigiditas induxit, unde remeans ſanguis in viſcera, ipſa obſtruit, illorum calorem ſuffocat, & ſimilibus humoribus corpus replet, Ejuſmodi coloris fœdatio inſignem cacochymiam, humorum pravitatem; præcipuorum viſcerum vitium, aut crudi ſucci coacervationem indicat: Ex his omnium ſympromatum, quæ in hoc affectu contingunt cauſas explicare poſſumus, cùm enim ſanguis virginibus effluere nequit ob illius craſſitiem, aut viarum anguſtiam, vel refluit in viſcera, vel circa uterum putreſcit, unde vapores in reliquas partes ſuſcitantur, ob crudos enim humores *color vividus faciei* perit, Eſt enim color ſimilis humoribus niſi retroceſſerint, Inde *facies* etiam *inflatur & turgida* redditur, præſertim mane, poſt ſomnum, quia noctu plurimos vapores calor elevat, qui nondum diſcuſſi faciem inflant: Sic quoque *laxæ ſunt & molliores externæ corporis partes*, præſertim *crura*, ob humorum copiam, qui corpori animo ſegnitiem inferunt, unde etiam *vix ambulare queunt*. *Crura tenſa* habent *& debilia*, *ſub noctem inflata*, humoribus gravitate ſua in crura ob ſitum declivem defluentibus: Pariter *difficultate ſpirandi* laborant, maxime cum ipſis aſcendendum eſt, tuncque etiam ipſis *cor palpitat*; Vapores enim agitantur quo dyſpnoeam cordis palpitationem inferunt, non tam ob inſpirandi quam exſpirandi neceſſitatem; ob multorum vaporum copiam, à quibus etiam *febricula capitiſque dolor* ſæpe contingunt: *Pulſus* quoq; parvus frequenſque adeſt, quia arteriæ dilatari ob imbecillitatem commode nequeunt, defectus hic pulſus frequentia compenſatur; Adſunt *cibi faſtidia, pica*, rerum abſurdarum deſideria, ob pravos humores ventriculum obſidentes, *vomitus & nauſea* propterea etiam infeſtant, *ſitis* vexat, *rugitus* in ventre perſentitur, & interdum *principes facultates* depravantur. *Primiroſius.*

Triſtitiam quoque & *animi defectionem* à lymphâ & ſpirituum animalium fixatione, quæ ſucceſſu temporis in melancholiam terminare poſſunt.

Vrina quoque *tenuis & aquea* eſt in Chloroſi, ob retentionem partium terrearum craſſiorum in viſcerum culinis, quæ aliàs per renes ſecerni ſolebant, & urinæ contenta conſtituebant.

Et hæc omnia tandem cum *menſium defectu* accidunt, quo ſolo chloroſis à cachexia, tanquam ſpecies à genere diſtingui poteſt, reliqua enim ſymptomata in hac æque ac illa contingunt, à diverſis licet cauſis producta. *Wedelius* §. 13.

[14]. *Symptomata alia*) Inter quæ primas tenet Laſſitudo, unde & febris hujus comes vocatur Laſſitudinaria (vocant *les Fievres Laſſes*. Gallicæ mulieres) eaque totius corporis ſpontanea, quo oritur à ſpirituum animalium torpore ac paucitate, quapropter non ſufficiunt ad multa exercitia. Vel eadem oriri poteſt à multis tubulis muſculorum ubivis in toto corpore obſtructis, adeo ut ſpiritus animales poſſint tantum in pauciores multorum tubulos influere; hinc difficulter poſſunt retrahere & flectere membra movenda. *Craanen.*

[15]. *Dolor capitis* In fœdis coloribus cum febre quadam lenta & obſtructione junctis immedicabiles capitis dolores oriuntur, quibus tollendis medicorum opera nihil planè contulit; illi à vapore claro & à febrili calore ſuſcitato ſurgunt: *Hippocrat.* loquens de diuturnis doloribus capitis ibidem: ait *ſi caput purgaveris magis affliges* hoc autem evenit cùm materia adhuc cruda eſt: nam ſi dantur pilulæ, aut alia medicamenta valida & validè humores è capite abducere ſolita, dum movetur humor, pote crudus, magis ferocit atque irritatur, itaque expectandum donec manſueſcat, ita enim medicamento trahenti patebit: de iis *Hippocrat. lib. de loc. in hom.* dixit *febricitanti caput ne purgato alioqui furioſus fiet*: quod diligenter notandum eſt, ne fruſtra in fœdis coloribus pilulatum cephalicatum uſu, capitis dolorem rebellem profligare tentemus: nos enim aſſerimus id fruſtra ſæpe tentatum à medicis, qui non habita ratione doloris capitis virgines affligere ſoliti, ad pilulas confugerunt, dolorem auxerunt, nedum ſuſtulerunt, imò ne lenivere quidem. *Ballonius ibid. p. 83.*

[15]. *Dolor capitis*) Liquores vitales, ſanguis ac ſerum, viſcoſiores, craſſiores, in capitis partibus externis, & internis moras nectentes, vaſa ac membranas diſtendere & cephalalgiam inducere apti ſunt. *Wedelius.*

[15]. *Dolor capitis*) Qui gravans eſt ac diuturnus. & interdum in occipitio dum uterus compatitur: In ſincipite vero ac fronte, dum ab hypochondriis magis vapores elevantur. *Riverius.*

β. *Humoribus (& vaporibus eò delatis)* Vnde & ſomnus exoritur gravis & profundus, ita ut ad meridiem uſque ſomnum producant, niſi expergiſcantur, à craſſitie & copiâ dictorum vaporum, ex illuvie pituitoſâ elevatorum. *Riverius.*

[16]. *Reſpirationis difficultas cum cordis palpitatione*) Reſpiratio maxime læditur, & difficulter procedit, fortiùs paulò moto corpore & aſcenſu locorum acclivium, ut ſcalarum, & Palpitatio cordis ſimul adeſt, aucto enim per motum corporis cordis motu & circulatione, ſanguinis maſſa crudior, viſcoſa ac cohærens tam promptè per pulmonum minutiſſima vaſcula traiici non poteſt, ſed in illis ſubſiſtit, veſiculaſque pulmonales comprimit, ut ſufficiens aëris quantitas admitti nequeat, In ventriculis autem, imprimis dextro, tum ob craſſitiem, & lymphæ refluæ acorem, tum tardiorem per pulmones morum, ſanguis facile grumeſcentiam patitur, unde oppreſſum hoc modo cor, ab onere & moleſtia ſeſe liberare ſtudens crebriores pulſus inſtituit & palpitat. Sin fortior adſit grumeſcentia, *lipothymia* quoque loco palpitationis ingruere facile poteſt. *Wedelius.*

[16]. *Reſpirationis difficultas*) Hæc non ſemper indicat malum eſſe in Pulmonibus, ſed ſæpius diaphragmate; aut in muſculis intercoſtalibus, quorum nervi, aut tubuli, impediunt ſpiritus animales ut tantâ copia influant in diaphragma: & hinc humores ſegnius quoq; per illud moti, obſtruunt tandem ejus tubulos, & ſic reſpirationis difficultas augetur: *Craanen Pr. Med. Reform. c. 99.*

[16]. *Reſpiratio-*

16. *Reſpirationis difficultas)* Tunc enim craſſus incaleſcit ſanguis, ex eoque multi vapores elevantur, qui difficultatem ſpirandi pariant: *Riverius.*

Difficilis eſt Reſpiratio, quæ ab exercitiis augetur, quia tunc humores magis incaleſcunt & dilatantur; ſic quoque vapores in abdomine concluſi magis rareſacti, majus ſpatium occupare debent; hinc magis diſtendunt abdomen & fortiùs premunt diaphragma. *Ioh. Dolæus.*

17. *Cordis palpitatione)* Hæc & Pulſatio in arteriis temporum &c. accidit propter dictam evaporationem quæ ab humoribus craſſis excitatur, aucto per exercitationem calore. *Riverius.*

17. *Cordis palpitatione)* Frequentiſſima eſt palpitatio, non cordis ſolum, ſed & temporum & aliarum partium, præſertim per ambulationem & motum corporis vel minimum, Crudus enim humor levi occaſione in flatum craſſum reſolvitur; qui arterias implens,& prava qualitate cordi moleſtus, illud proinde atque arterias ad pulſandum ſtimulat. *Enchir. Med. Pract.*

18. *Pulſu)* Hic celer eſt & frequens, ut febris adeſſe videatur, & ideo hic affectus dicitur *Febris alba*, ob illam pulſus frequentiam, quæ talis efficitur, quia cum facultas vitalis debilis ſit, unde Pulſus parvus emergit, Natura parvitatem frequentia cogitur compenſare. *Riverius.*

19. *Febres inordinatæ &c.)* Quod febrilem ſtatum conjunctum attinet, unde & febris nomen imponitur vulgò, id eatenus locum omnino habet, quatenus, confirmato inprimis malo, ob cumulatas in maſſa ſanguinea partes recrementoſas, pituitoſas, & bilioſas, vitioſa fit rarefactio, adeoque febris lenta vel hectica, cum pulſu frequenti accedit. De eſſentia vero morbi febrem eſſe omnino negamus. *Wedelius.*

19. *Febres inordinatæ)* Vide inferiùs §. *vaſa obſtruit &c.*

19. *Febres inordinatæ)* In fœdis coloribus neſcio quæ febris ſpecies apparet, non ſymptomatica, non eſſentialis, ut ad ſe medentis curam trahat, & quam non poſſis nominare, fit autem ob peculiare vitium, aut lienis, aut hepatis aut alius partis internæ; non tamen ſymptomatica dicenda eſt, cùm per ſe ſymptomatica curanda non ſit, & habeat aliquam intermiſſionem: nulla autem ſymptomatica propriè dicta intermiſſionis particeps eſt: ac veteres quidem practici cùm inflammatio eſt in parte aliqua, febrem continuam ſymptomaticam appellaverunt, ſed cùm aliud peculiare vitium eſt in parte, quod febrem quandam lentam foveat, eam non dubitarunt lienoſam meſentericamque appellare, ut eo nomine nos invitent ad dicandam illi parti operam, tollendumque vitium quod morbum tamdiu fovet; & hæc febris verè eſſentialis non dicitur, cùm febrium eſſentialium fundamentum in humoribus maximè ſtabiliatur, qui ſi fuſi ſunt per majora vaſa, ſynochos continuáſque febres efficiunt, ſin per minora, ut habitum corporis, ferè contingant periodicæ. *Ballonius l de v. & m. m. cap 8.*

20. *Inordinatæ & erraticæ)* Difficile judicatur in quo febris hæc virginalis conſiſtat; Si eſt obſtructio, cur aliæ febres ab obſtructione non habent eadem ſymptomata, greſſum difficilem & alia? cur non color olivalis in aliis febribus? ſi allegatur virginum ætas (nam & 7. anno & ſeq. morbus oritur) Cur mares juniores, quibus debet eſſe hæmorrhagia iis virginalibus ſymptomatis non prehenduntur, aliqua quidem experiuntur mala, ſed quæ cum fœdorum colorum incommodis, gravitate & vehementia non auſint contendere: An quia inſtat tempus menſtruum, & natura, quia vellet intendere excretionem iſtam, nec poteſt, inteſtinum quoddam & cœcum fit bellum, omnium malorum author: An quia marium & mulierum morbi longo diſtant intervallo? Non videtur iſte morus menſium causâ, nam & ſeptennes virgines decolores fiunt, celerius virgines quàm mares ægrotant iſto morbo, ut extra uterum facilius creſcunt & adoleſcunt, ut ſanguis non requiratur ad incrementum, cum jam ſatis idoneum habeant: Quidam morbi ſunt nervorum, venarum alii, muſculorum alii, carnium alii, alii arteriarum, Sic morbus, i.e. ea febris virginalis, fœdo colore comitata, in arteriis ſedem potius habet, & iis, quæ ad ſplenem pertinent, unde lienoſum cor habere dicuntur, & ſaliens, & καρδιωγμὸν i. e. celerem motum cordis & palpitationi ſimilem, ſæpe ob ſanguinis φθορὴν, λύσιν ϗ ἔκςασιν: ſic Hipp. in coacis ait decolorem faciem cum greſſu difficili ſpirandique difficultate & deſiderio rerum alienarum, ſignificare ſanguinis corruptionem & exolutionem, φθορὴν ϗ λύσιν. *Ballonius l. 3. conſ. 7.*

21. *Ventriculi multiplices affectus)* Primarum viarum vitia ſtatim in affectu hoc præſto ſunt, *Ciborum faſtidium, ructus, nauſea & vomitus*, quæ ob depravatum & corruptum menſtruum ventriculi, ordinariè menſium ſuppreſſionem ſequi ſolent: Quæ omnia in Diæta commiſſi errores & hinc productæ chylificationis læſiones maximè augere poſſunt, cumulando in ventriculo inteſtiniſque vitioſos humores: *Wedelius.*

22. *Ciborum faſtidium)* Præſertim euchymorum, ob maximam crudorum in ventriculo ac vicinis partibus collectionem; qui humores tandem deteriorem conditionem adepti, Picam & rerum abſurdarum appetitum inducunt. *Riverius.*

23. *Hypochondriorum tum tenſio)* Tumor & inflatio eorum (quæ caſu tantum adſunt) oriuntur à flatibus cavitatem abdominis diſtendentibus, qui ſurſum premendo diaphragma difficilem faciunt ejus motum deorſum, adeoque difficilem inſpirationem, quæ ab exercitiis augetur, quia tunc humores magis incaleſcunt, & dilatantur; Sic quoque vapores in abdomine concluſi magis rarefacti, majorem locum occupare debent, hinc magis diſtendunt abdomen, & fortia, premunt diaphragma ipſum. *Craanen, in Med. Reform.*

Hypochondriorum tenſiones ac dolores oriuntur ab acribus ſuccis, membranis infixis, viſcerum interaneorum, hepatis, lienis, infarctu producti. *Wedelius.*

24. *Rugitus)* In Omenti duplicatura veluti in marſupio detentus vapor craſſus, ex conſimili chylo & pituitoſo genitus, continuum fere rugitum excitat; ſicuti enim in hydrope ſolet aliquando colligi ſeroſitas in hac Omenti cavitate, ab *Hippocrate in aphor.* propoſita, *Quibus hepar aqua repletum in Omentum erruperit, his venter aqua repletur*, ità & faciliùs flatulenta materia in flatus converti poteſt, *Silvaticus cent. 1. conſ. 65.*

25. *Cum laxitate)* Laſſitudo totius corporis ſpontanea adeſt ob ſpiritus plaſtici torporem ac ſpirituum animalium paucitatem & viſciditatem; qui ſæpe in uteri luto hærent, nec ſe extricare valent, quare non ſufficiunt ad multa exercitia: Sic etiam oriri poteſt hæc ſpontanea laſſitudo à multis tubulis muſculorum, ubivis in toto corpore obſtructis, adeo ut ſpiritus animales poſſint tantùm in pauciores muſculorum tubulos influere, unde difficulter poſſunt retrahere & flectere membra movenda; Et inſuper etiam hi ſpiritus animales hic ſunt torpidiores & minùs agiles: Si adſit vellicatio, uti ſæpe adeſſe ſolet, ſanguini craſſiori aliqua conjuncta eſt acrimonia, fibrillas arteriarum vellicans, & ſpaſmodice vibrans. *Ioh. Dolæus.*

26. *Quam vel palpebrarum &c. vel crurum ac pedum)* *Faciei ac palpebrarum tumor* adeſt à copioſiori ſanguine ſeroſo, tenerioribus hiſce partibus reſtagnante, productus, quod eo facilius contingit quo magis illæ externis aëris frigidioris injuriis expoſitæ ſunt, Idem *tumor in extremis artuum*, circa *malleolos* præprimis obſervatur, ob ſanguinis lymphæque refluum ad ſuperiora motum prohibitum, tum ob craſſitiem & viſciditatem, cujus robore alias in venis etiam urgeri ſanguis

ad principium ſuum ſolet. Quin ex eadem cauſa totum corpus laxius & ſubtumidum evadit, quam tenſiva laſſitudo comitatur. *Wedelius §. 13.*

[27] *Cauſa* eſt [28] Humorum cruditas & copia, orta vel à [29] menſium ſuppreſſione, [30] ſeu propter nativam vaſorum anguſtiam; ſeu propter acquiſitam, ab [31] eſu tritici, [32] calcis, cretæ, terræ, [33] nucis moſchatæ, [34] potatione aceti, &c. vel à [35] viſcerum aliorum [36] obſtructione. [37] Nam ſanguis menſtruus viis non patentibus, ad venas majores & viſcera regurgitat, [38] vaſa obſtruit, & calorem obruit. [39] Hinc mala in viſceribus coctio exoritur, & humores ad habitum corporis deferuntur.

[27] *Cauſa eſt humorum cruditas*) Generalior, nec inepta, ſi rectè interpreteris eſt illorum ſententia, qui ab intemperie frigida in genere virgineum morbum deducunt, Hæc enim cum non partes tantum quaſdam elaborantes vel recipientes, ſed utraſque, & totam una ſanguinis maſſam concernat, nihil poteſt notare aliud quam partium ſeroſarum, aquearum, adeoque inertium & frigidarum abundantiam, volatilium autem ſulphurearum & ſalinarum defectum, à quo hinc caloris defectus & frigoris ſenſus tactui occurrens oritur. *Wedelius §. 9.*

[27] *Cauſa eſt*) Pendet hic affectus immediatè ab obſtructionibus partium infimi ventris, præcipuè earum venarum quæ ſunt circa uterum, quæ liberum ſanguinis affluxum ad uterum impediunt, unde ille copia luxurians in virginibus, quando menſtruæ purgationes apparere incipiunt, ſi ab illis obſtructionibus impediantur, ſanguis refluit ad partes ſuperiores, cor, hepar, lienem, diaphragma, aliaſque partes opprimit; earumque calorem nativum obruit, & vaſa obſtruit, unde vitioſa fit in viſceribus concoctio, & hinc crudi humores in toto corpore cumulantur, qui ad habitum corporis delati Cachexiam excitant; in reliquis vero partibus varia ſymptomata producunt, In hypochondriis enim viſcerum intumeſcentiam parit, à quâ diaphragma comprimitur, unde difficultas ſpirandi emergit; Quia verò ſanguis craſſus & flatulentus ſpiritus per venæ cavæ & magnæ arteriæ ramos ad cor deferuntur, quorum noxam excutere contendens ne ſuffocetur, frequenti arteriarum motu eluctatur, unde *palpitatio cordis* emanat, quam etiam *temporum pulſationes* frequentes conſequuntur: Præterea *cibi faſtidio* corripiuntur ob malam concoctionem & diſtributionem, hinc ventriculus magna crudorum excrementorum copia refercitur, Quæ excrementa vitioſam ex peculiari quadam corruptela, qualitatem adepta, pravorum eduliorum, quin & rerum abſurdarum minime alibilium appetentiam inducunt, ut ſalis, aromatum, gypſi, carbonum &c. qui affectus Pica & Malacia dicitur. *Riverius.*

Noſtro judicio hic affectus oritur aliquando à pituitâ tantillò acidiore & viſcidiore, ſæpe verò à liquore ex glandulis uteri vaginalibus prodeunte vitioſo & corrupto maſſæ ſanguineæ craſin perturbante, & ſpiritum plaſticum opprimente & quaſi obruente; hinc tota maſſa ſanguinea ad fermentationem concipiendam iners redditur, aliquando vero acris, uti facile ex ſymptomatibus morbum hunc concomitantibus demonſtrari poteſt, cum miſellæ hæ cadaverum inſtar palleſcant. *Joh. Dolæus.*

Vitium oritur ex *liquore ſeminali ſuppreſſo alterato*, & tandem plus minus *corrupto*, mediante quo, tanquam fermento maſſæ ſanguineæ communicato, alterantur & ſecernuntur ab hoc ſucci inquinati, unde talis color, febris lenta, & ſimul ſupervenit tandem *menſium ſuppreſſio*, Nam uti ſemen ſub pubertatis annis vigorem corpori communicat, ita p. n. corruptum corporis habitum paſſandat, donec per coïtum excreto iſto liquore corrupto, & ſpiritu genitali maris novo fermento partibus genitalibus inſpirato de novo efferveſcat, & ſic redditur corpori color floridus; Hinc virgines pallentes ſæpe dant mulieres pulchras, Et certe *Panarolus Pentec. 3. obſ. 14.* quod ſi talis febris alba oriatur à mediis hiſce per conjugium medicandam ſuadet: Ex *liquore* ergo *ſeminali* & *coacervato* & alterato oritur hoc malum, præter quæ etiam mala alia oriuntur ex inquinatis ſuccis corporis ſuperveniunt: *Etmuller. Pr. P. 3. p. 22.*

[27] *Cauſa eſt humorum cruditas & copia &c*) Puellæ fructuum & crudorum alimentorum uſu aut aquæ potu in graviſſimas viſcerum obſtructiones incidunt, appetente præſertim menſtruorum purgationis tempore; ac tantam inſiti caloris jacturam faciunt, ut fruſtrata in jecore & ſingulis partibus concoctione nonniſi ſerum in corpore ſuccreſcat, Sed & ſanguis ante morbum in venis coadſervatus brevi tempore in ſerum totius degenerat, aliàs pituitoſum, aliàs bilioſum; Unde facies omnibus decolor evadit, aliis tamen albidior, aliis lividior, aliis flaveſcens pro humoris ratione in iis dominantis, unde vulgus hunc affectum Pallidos colores vocat, Medicus autem Cachexiam pituitoſam, bilioſam, melancholicam, Eſtque pituitoſa aliis frequentior, Leucophlegmatiæ principium, in quem affectum in ſenibus facile tranſit, in juvenibus ægrius, In his tamen acceſſit œdematoſos humores in pedibus, in tibus, in facie: Neque vero tantum ex menſium ſuppreſſione & in ſanis humoribus oritur hæc affectio, hoc argumento quòd puellas 6. aut 8. annos natas, nihil ejuſmodi cogitantes, ac fœminas viri conſuetudine utentes invadit: Mœror & mœſtitia, & frigidus victus ac humidus frequentiſſime hunc affectum acceſſit, Ex his enim cauſis fiunt viſcerum obſtructiones, quas hoc ſymptoma comitatur. *Enchir. Med. Pract. p. 184.* Chloroſin tunc demum affectum vocandam cenſet *Wedelius in Diſſert.* cum menſium defectus accedit: quo abſente Cachexiam vocat.

[28] *Humorum cruditas & copia*) Cauſa hujus morbi conſiſtit in nimiâ ſanguinis pituitoſitate, & craſſitie, unde in variis partibus obſtructiones factæ ſunt, ut in vaſis uteri capillaribus; Hinc menſium obſtructio; quæ etiam hanc cauſam habet, quòd ſanguis propter ſui terreſtreitatem, vel etiam viſciditatem, ineptus factus ſit ad fermentationem concipiendam à certa phaſi Lunæ. *Craanen.*

[29] *A menſium ſuppreſſione*) Tales vulgò putantur laborare menſium ſuppreſſione, quod non ſemper verum eſt, ſed menſium ſuppreſſio ſupervenit tanquam effectus, Et poſito quod adſit, quæritur, Cur reſtituantur tales per coitum, quod non fit in ſuppreſſione menſium laborantibus? certe congreſſus, qua talis, ad cachexiam ſanguinis, aut menſium ſuppreſſionē parum valet; Hinc *Lindanus* dicit, Tales fœminæ quæ pallent, non ſemper hoc patiuntur ex menſium ſuppreſſione, ſed volunt cohabitare viro: Nempe vitium oritur ex liquore ſeminali ſuppreſſo, &c. *Etmuller.*

[29] *Menſium ſuppreſſione*) Quæ affectus ſæpè exiſtit, illumque provectum ac quaſi confirmatum oſtendit, inquit, *Riverius.*

[29] *Menſium ſuppreſſione, ſeu propter nativam vaſorum &c.*) Si quidem Chloroſis accidere ſolet ob menſtrus

ſtrui ſanguinis fluxum impeditum,in hujus fluxus ſubjectum eſt inquirendum, eſt verò illud *Uterus*, circa quem id ſaltem notabimus,ad promovendum generationis opus naturam uterum pluribus vaſis ſanguifluis, adeoque majori ſanguinis præ reliquis partibus copia inſtruxiſſe, quo fœtus conceptus ac formatus ad ſufficiens robur nutriri poſſit? Sanguinis illa quantitas exuperans ſtatim ab annis pubertatis impletus, quamdiu nullus geſtatur fœtus, ſingulis menſibus excernitur; Circa cauſas id ſolùm dicimus, orgaſmo quodam naturæ efferri ſingulis menſibus maſſam ſanguineam, adeoque ab auctâ ejus mole oſcula arteriolarum reſerari, ſive iſta turgeſcentia à Lunæ motu, ſive alia cauſa procatarctica contingat.

Neque vero quorundam modernorum aſſenſum meretur qui peculiare quoddam fermentum ſulphureo ſalinum in uteri partibus conſtituunt, à quo bene habente non tantùm fluxus menſium legitimus, ſed color quoque faciei in fœminis lætus dependeat; malè vero illo affecto, aut deficiente, menſes ſubſiſtant, & faciei deſœdario præſto ſit, utut enim quot viſcera tot fermenta, adeoque etiam utero vis ſua immutandi ſanguinem deneganda non ſit, illa tamen non tam publica (*privata*) eſt, ita ut unice menſes ab utero diſpenſentur, quam privata (*publica*) Satis eſt nobis duas generales eſſe cauſas menſium reſtitantium in utero,ſeu viis, & extra uterum, in ſanguine ipſo, & viſceribus illum materialiter elaborantibus, & depurantibus, Sola itaque uteri vaſa ſanguiflua, in primis arterioſa, oſculis ſuis in cavitatem hiantia, quoad uterum, menſium obſtructionis ſubjectum conſtituunt, quatenus à variis cauſis vel obſtructa, oppleta, vel quocunque tandem modo coarctata ſanguini tranſitum denegant, ſed eum reſtagnare in iiſdem, & ad cor & totum corpus uterum redire cogunt. *Wedelius §.7.*

3º. *Seu propter nativam vaſorum anguſtiam, ſeu propter acquiſitam*) Quidnam Obſtructionem menſium efficere poteſt, à quâ chloroſis dependeat? Hic ſtatim notandum Cauſas Obſtructionis ejus magis poſitivas huc ſpectare, privativas verò minùs, præterquam remotè, quatenus depauperatus undecunque ſanguis organum hinc recip. te non æque poteſt, unde in chloroſi magis copiam humorum deprehendimus: Quamvis enim à nimiâ profuſione ſanguinis, per hæmorrhagias ipſoſque menſes immodicos pallor taliſmodi oriatur, ille tamen chloroſis proprie non eſt, aliamque expoſcit curationem, Neque obſtat videri poſſe inde ruborem potiùs in corpus redundare debere, quando obſtructis menſibus ſanguis cumulatur, non enim ſibi relinquitur tunc ſanguis, ſed conſpurcatur, figitur, ſpurceſcit, adeoque à naturâ ſuâ abit, Supprimuntur verò, ſeu obſtruuntur menſes, ſive nunquam adhuc fluxerint, ſive fluxus hactenus ordinarius ſubſiſtat, à cauſis poſitivis duplicis generis, quarum altera, ut diximus, in ſanguinis maſſa latitat, altera verò in ipſâ uteri ſubſtantia exiſtit, utraque verò viarum, per quas excerni ſolent menſes, legitimam conſtitutionem vitiat ac lædit.

Quæ in ſanguine latitat cauſa, ſunt partes ejuſdem groſſiores, craſſiores, terreæ, tartareæ, quocunque tandem mo[illegible] in ipſo genitæ, vel eo traductæ, quæ craſſitie ſuâ & mole vaſorum circa uterum anguſtias replent ac refarciunt, quo[illegible] reliquæ liquidæ ex oſculis in uterum depluere poſ[illegible] originem verò ſuam dictæ obſtruentes particu[illegible] [illegible]m internis viſcerum læſionibus, tum ext[illegible] [illegible]ſſimùm cauſis utriſque veliſicantibus debent, erroribus ſcil. *in ſex rebus non naturalibus*, commiſſis, quorum mentionem facere non de nihilo erit.

Sic *Aer*, tum frigidus, tum humidus, ſæpius iiſdem anſam præbet, ſive quiete ſolummodo in corpora ſubjecta agere credatur, ut nonnulli volunt, ſive poſitivo quodam ſale nitroſo aut ammoniacali polleat, ut aliis placet; Si enim prius, nimia iſta aëris preſſura motum ſanguinis utrumque maxime poteſt impedire, & craſſities ac cohæſio partium ſanguinis prompte conſequentur, Sin poſterius, acido iſto aeris occulto ſanguis non poteſt non coagulari & in grumos præcipitari, ut ab omni acido alio toto die contingere videmus. Efficere autem illud valet Aer frigidus, tum inſpiratione in pulmones & conſortium ſanguinis admiſſus, tum corpori circumfuſus poriſque illapſus, ubi ſanguinem ſubcutularem cò citiùs afficere & alterare poteſt; Huc referendæ lotiones lineamimum, aliæque ex aqua frigida, immiſſio pedum in frigidam, inprimis inſtante vel durante menſium fluxu.

Nihilporrò magis partes craſſiores in ſanguine generat, quàm *Cibi ac Potus*, ſeu potius in genere, Aſſumptorum vitia, qualis enim chylus ex aſſumptis in primis viis confit, talis hinc ſanguis in corde ut emergat neceſſe eſt; Sic cibi crudiores, craſſiores, coctuque difficiliores, quales ſunt fumo induratæ carnes, piſces groſſiores, marini, muriâ conditi vel exſiccati, item humidiores, frigidiores, facileque putreſcibiles maxime accuſandi, qui ventriculo negotium faceſſentes non reſolvuntur ſufficienter, ſed crudior indigeſtaque moles in ſanguinem transfertur: Par ratio eſt viſcidorum omnium & irreſolubilium, non ritè fermentati panis, placentarum adhuc à furno calentium, ſimiliumque eduliorum, nec minùs humiditate nimiâ laborantium corruptibilium fructuum horariorum, melonum, cucumerum, & inprimis lacticiniorum: Quo ſpectant ea quæ virtute ſtypticâ pollent, meſpila, ſorba, caſtaneæ, ipſaque medicamenta adſtringentia incautiùs uſurpata. Quin Virguncularum quarundam abſurdus appetitus, his nondum contentus, alia abſurda, & cibi aliàs minùs apta arceſſit, quo cruditates cumulet, calcem, cretam &c. quibus albicantem colorē, formęque adeo gratiam conciliari poſſe ineptè ſibi perſuadent.

Inprimis verò huc pertinent *Acida*, & ex iis parata omnia *acetarſia*, quibus præter modum delectari ſolent virgines, Acida quoque ſanguini admixta eundem promptiſſimè coagulant & in grumos cogunt, quo facto in ductibus ſanguifluis viſcerum ſubſiſtere cogitur; Neque alius effectus oritur ab aquæ frigidæ potu, quo ſemel [illegible] nihil nocentius aut ſiſtendo menſium profluvio aptius eſt, teſte *Langio Ep. 51. lib. 2.*

Motus corporis tum excedens tum deficiens, ſeu *Quies nimia* ad generationem crudioris ſanguinis plurimum confert, maxime autem motus nimius noxius eſt ſi à paſtu inſtituatur, & chylus crudus in vaſa chylifera urgeatur, quod in choreis ducendis virginibus ſolenne eſſe conſuevit, unde & ab ejuſmodi ſaltationibus ſæpius ſtatim menſtrui fluxus defectum ſentiunt; *Quies* verò nimia, vitaque deſes ac otioſa, cumulando omnis generis excrementa per motum tempeſtivum alias diſcuti ſolita, crudiorem ac vappidum reddit ſanguinem obſtructionibus generandis aptiſſimum.

De *ſomno* longiori idem eſto judicium quo nihil magis auget in corpore colluviem in coagulum.

Affectuum tandem *Animi* in ſiſtendis menſibus vis maxima eſt, præcipuè illorum qui ſpiritus animales concentrando ſanguinis circulum turbant, & adeo motum ejus à circumferentia ad centrum procurant, ut ira, terror, metus, Non ſemel enim obſervatum fluentes menſes inopinato terrore inc[illegible] [illegible] ſubſiſt[illegible].

In ipſâ verò uteri ſubſtantia quæ latitant obſtructionum cauſæ ſunt vaſorum & pororum circa uterum indiſpoſitiones variæ, Sic quandoque in juvenculis quæ nunquam adhuc menſes expertæ ſunt, vaſa p.n. ſunt occluſa, ut exitum licet affectet, non invenire tamen poſſit ſanguis, ſed regurgitare cogatur: Et hæc cauſa ſine dubio eſt, cur primis pubertatis annis

ſæpius hoc affectu laborent virgunculę antequā ſanguis ſibi viam paraverit, qua liberè exire poſſit ſtato tempore In aliis morbis uteri alii, ut ſcirrhi, tubercula, tumores pororumq; nimia ſtrictura in cauſa eſt, cur excerni non poſſint menſtrua; Hæc autem vel naturaliter adſunt, ab internis cauſis producta, vel externis erroribus originém debent, Balneis enim adſtrictoriis, qua virginitatem ſibi conciliare ſtudent defloratæ, injectionibus; aëre frigidiori improvide admiſſo, talis vaſorum & pororum conſtrictio promptè excitari ſolet; Huc ſpectat etiam ipſa oris uteri interioris & vaginæ p. n. occluſio, ſive ab ortu adfuerit in atretis ſive quibuſcunque de cauſis, vulnere, ulcere, lacerationibus inducta. *Wedelius* §. *10. 11. & 12.*

31. *Eſu tritici*) Quod copioſè aſſumptum, & per ſe, obſtructiones generat, & gravitates cum torminibus cum reſpirandi difficultate, quod etiam coctum & elixatum caliginem oculorum & oppreſſionem parit, ex *Galeno l. de Alim. fac. Ranchinus Tract. de morb. virg. p. m. 385.* Vis tritici oppilativa patet ex ejus pulte, ex qua gluten efficaciſſimum paratur; & obſtructionibus quibus obnoxii infantes, qui eâ veſcuntur.

32. *Calcis, Creta, terga*) De Calce & de Gypſo dubitare licet an & quomodo Chloroſin inferant, cùm calidiſſima ſint, & ulcerativa ob igneam utriuſque facultatem; Dicendum tum calcem, tum gypſum, in duplici ſtatu conſiderari poſſe, ante ſcilicet & poſt extinctionem, *ante*, credendum non eſt virgines devorare, quia exurerent earum viſcera atque ulcerarent; *Poſt* verò, depoſitâ igneâ illâ acquiſititiâ facultate, & refrigeratione introductâ, dolorem ventriculi, ſingultum, ſuffocationes, dyſpnœam, refrigerationes & obſtructiones, ac proinde chloroſin inferre concedimus.

Sic pariter *cineres* & *carbones*, eadem præſtant ob ſubſtantiæ craſſitiem, gravitatem naturæ infenſam, & partibus naturalibus adverſariam: Si quis obiiciat ſalis dominium, in cineribus obſtructionum generationem impedire, cùm in ſale vis aperitiva præcellat, Dicendum illud verum eſſe poſt ſeparationem ſalis à ſubſtantiâ terreſtriori, non autem antea, cum ſit per mixta, nulliuſque activitatis, aut ſenſus in cineribus. *Ranchinus.*

33. *Nucis moſchata*) Hujus immoderatum uſum hepar nimium calefacere & exſiccare, bilioſique humoris proventum juvare cenſeo, neque enim omnes cauſas externas eodem modo chloroſin inducere cenſeo. *Idem*

34. *Potatione aceti*) Quomodo acida concurrant ad chloroſis productionem, vide §. 30. *Seu propter nativam vaſorum anguſtiam, ſeu propter acquiſitam.*)

35. *Viſcerum aliorum obſtructione*) Cauſæ obſtructionum, quæ in venis hypochōdriorum & uteri contingūt, ſunt humores craſſi, viſcidi, & crudi, ex pravâ plerumque victus ratione geniti: Virgines enim iſtæ largo aquę frigidæ potu, horâ ſomni, vel mane jejuno ſtomacho utuntur; aliæ acetum, olera, fructus immaturos, vel ipſam nivem & glaciem avidiſſime devorant, Unde calor partiū nativus obruitur, & magnus ſit crudorum excrementorum proventus: Aliæ nimio ſomno indulgent, aliæ otio immodico, ut quæ ſuendi gratia pulvinaribus toto die affixæ, maximo ſæpe frigore torquentur; aliæ intempeſtivis vigiliis & exercitationibus utuntur, ut choreis ſtatim à paſtu, quas in longam noctem cum amaſiis producunt; quibus utplurimùm accedunt graviſſimæ curæ, & varia animi pathemata, ex quibus coctiones ordinariæ plurimum evertuntur, & multa cacochymia inducitur. *Riverius.*

36. *Obſtructione*) An obſtructio habet rationem morbi principalis? Qui negant duo obiiciunt, 1. palleſcere poſſe virgines citra obſtructionem, atque hoc conſtare ex molli hypochondriorum & laxâ tractatione, 2. non febricitare chloroſi laborantes, quod non contingeret, ſi adeſſent obſtructiones, præſertim contumaces, cùm ſine febre ex *Galeno* diu non poſſint perſeverare ob prohibitam tranſpirationem, Nos contra obſtructionem habere hic morbi rationem cenſemus, ſive enim ab impedita ſanguinis menſtrui vacuatione, ob vaſorum internam anguſtiam pendeat, ſive à concurſu cauſarum externarum obſtructionis incrementum ſemper neceſſarium eſſe cenſemus; à refluxu ſiquidem ſanguinis venæ replentur, & partium etiam cavitates; ab uſu quoq; pravorum alimentorum refrigerantur viſcera, & crudi humores ſuccreſcunt, unde obſtructio.

Obſervandum autem hic obſtructionis iſtius naturam, ſive in venis ſit, ſive in viſceribus, differre à communi omnium corporum obſtructione, eò quòd frigidam inferat in toto corpore intemperiem, Nam, ut in aliis obſtructionibus, ob defectum ventilationis incaleſcunt viſcera & putreſcunt humores unde febris, ſic in iſtis recrudeſcunt, humores refrigerantur, & impactiores fiunt, atque univerſalem quaſi refrigerationem corpori inſinuant per oppreſſionem caloris nativi, ideoq; virgines hoc affectu laborantes torpent, & quaſi ad motum inhabiles & ad functiones evadunt, ob introductam frigiditatem unde patet ad ſecundam objectionem, Quod ad primam ſpectat: dicendum aliquando interiores obſtructiones, & in meſenterio vel venis latere, pręſertim ſi morbus levior ſit, & in ortu adhuc, Communiter autem apparent per contactum, tum etiam per urinarum aſpectum & per curationis ſucceſſum, ab uſu aperientium. *Ranchinus opuſc. p. 38.*

37. *Nam ſanguis menſtruus viis non patentibus advenas & viſcera*) Quæ menſiū ſuppreſſio, Chloroſeos cauſa remotior eſt, Hæc enim eſt quę toti ſanguinis maſſæ vitioſum iſtam diſpoſitionē inducit: Sanguis quippe fœminarum ſeroſior eſſe ſolet, unde ſingulis menſibus excernitur, quo menſtruo fluxu ſuppreſſo, ſeri copia nimis augetur & quæ jam ante reſpectivè pauciores aderant ſalinæ, volatiles ac ſulphureæ particulæ ulterius ab aqueis ſupprimuntur, motus uterque, inteſtinus ac circularis, imminuitur, totaque maſſa vappeſcit ac corrumpitur: Et hanc ob cauſam reliqua quoque viſcera imo ventris vim patiuntur in Chloroti, hepar inprimis, lien, pancreas, glandulæque meſentericæ, & plurimæ aliæ, ob reſtagnantem & coacervatum in ipſis ſanguinem crudiorem, vappidum, obſtructionum plurimarum autorem. *Wedelius* §. 9.

38. *Vaſa obſtruit & calorem obruit*) Eſt obſtructio vaſorum circa uterum, varia ſymptomata concitans; Cùm enim virginibus ſanguis ad uterum confluat, ſi obſtructis vaſis effluere nequeat, redit in præcordia, variaſque partes afficit, caput, hepar, cor, diaphragma, lienem, meſenterium, ſtomachum; Unde dyſpnϾ, cordis palpitationes, lypothymiæ, capitis dolores, vertigines, deliria, cibi faſtidia; cardialgiæ, picę, malaciæ, hepatis & lienis inflatio, pedum tumor, humore frigido & tenui ad pedes delabente.

Unde patet affectum hunc eſſe frigidum, non calidum, nam tumor pedum & faciei œdematoſus, cachectica faciei & corporis diſpoſitio, urinarū cruditas & tenuitas, frigidum humorem arguunt, unde etiam ad curam exercitationes præſcribimus & Venerem, & quæcunque calefacere, humores incidere, menſeſque movere poſſunt, ſicut rectè ſcripſit *Hippocr. 4. Acut. Sanguinis ſuppreſſiones morbos concitare.*

Hinc malè quidam cavillantur ſanguinis ſuppreſſiones potiùs ſanguineos calidoſque morbos inferre, cum ſane potius contrarium contingat, ſcilicet ſuppreſſum ſanguinem, quia calorem nativum opprimit, qui vix poteſt habere ἐκλαμψιν, corpus potius refrigerare, quàm calefacere: unde nec ſynochus febris illis contingit, ſed mitis quædā, levior & inordinata, quia vaſis majoribus ſanguis non continetur, ſed refluit ad viſcera: Unde

Vnde quamvis in ætate iuvenili, quæ calida eſt, cum febricula, ſiti, pulſuſque celeritate contingit, biliſque ſapor in lingua etiam interdum ſentiatur, affectum tamen calidum dicere non poſſumus, quia morbi etiam frigidi juvenibus contingere poſſunt ſi prava victus ratio, aliarumque cauſarum externarum concurſus accedat; Vnde ſi quæ adeſt febris, ea febricula tantum eſt; pulſuſque frequentia ob defectum ventilationis accidit, poſſuntq; & ſitis & bilis in ore ſapor cum frigidis craſſiſque humoribus affectuque frigido conjungi. *Primiroſius.*

[39] *Hinc mala in viſceribus coctio*) Vitia, ſeu viſcerum κακώσις, *modo* cauſæ vicem ſubit; altero caſu menſium ſuppreſſionis, quando ipſorum culpâ orgaſmum ſuum debitum ſanguis non ſubit: Modo comites ſunt ſocii coloris vitioſi in habitu corporis, ab eodem principio producti: Hinc virginibus cachecticis, febrique alba laborantibus, ut reliquo earum corpori, ita jecori etiam pallidus inhæret color penuriæ ſanguinis in corpore manifeſtum indicium, verbis *Harvæi Exerc. 50. p. 154. Wedelius* §. 9.

[40] *Curatio* [41] *Feſtinanda*, qui[a] ſterilitatem infert, aut partum infirmum reddit. [42] *Difficilis*, [43] *ſi* cor valdè afficitur: *ſi* humores caput petunt: [44] *ſi* hepar ſimul afficitur: *ſi* cibi pertinax faſtidium & abſurdorum ingens deſiderium adeſt. *Facilior, ſi* ſaltem [45] ab utero oritur: *ſi* [46] menſes fluere incipiunt.

[47] Abſolvitur I. [48] *Vena ſectione*, [49] præcipuè in talo, ſi malum recens eſt, [50] nec ſanguis in alium humorem abiit: ſi à vacuatione ſanguinis ſuppreſſa oritur.

II. [51] *Purgatione*, præmiſſis [52] præparantibus.

III. [53] *Deobſtructione*, [54]. in qua omnium [55] viſcerum habenda eſt ratio. [56] Menſium ſuppreſſio maxime attendenda. [57] Laudantur [58] *Chalybs præparatus, radix ſcorzoneræ, Lapis Bezoar, oleum cryſtallorum &c.* [59] *in Diæta acetum* fugiendum eſt.

[40] *Curatio*) Quicunque legitimam fœdorum colorum curationem inſtituere volet, ei multa conſideranda erunt, ut non tam in unius affectus curam incumbat, quàm multa ſymptomata inſpiciat quorum quodque medici conſilium ad ſeſe convertet; nec enim eam ſymptomatis quam morbi rationem præ ſe ferunt. *Ballonius Cap. 7. lib. de virg. & mul. morb. p. 111.*

Animadvertant quoque ij qui fœdatis virgunculis operam aliquam ſunt navaturi, cautos ſeſe hic gerere oportere, ac fortè ſequendum conſilium *Galeni cap. 3. lib. 12. meth. & cap. 7. lib. de ſang.* miſſione quod in ſuccorum crudorum abundantia proponit, ut nimirum & in frictionibus conſiſtamus & in unctionibus mediocriter calefacientibus & potibus craſſitudinem humorum incidentibus; ſed ita res ſunt temperandæ, ut nec valde calefacientia, nec impensè attenuantia uſurpemus. *Idem Id. p. 95. & 96.*

Et ut nocet plurimùm in arte medica exactam nimis methodum ſequi, quod agendorum cognitio ſit valde difficilis: ita in fœdis coloribus, eſt ubi ſecanda vena purgandumque eſt, eſt ubi negotium naturæ tradendum, & eſt ſæpe locus medicamentis aperientibus, detergentibus, rarefacientibuſque, idque pro re nata, *Ibid. p. 98.*

[41] *Curatio feſtinanda*) Sciendum primo, ſi ullibi hic principiis obſiſtendum, aliàs enim Cachexia adeo rebellis evadit; ut ſerò aut nunquam curari poſſit; Ac quamprimùm incipientis ſigna ſe produnt, in colore faciei mutato, curatio eſt ſuſcipienda. *Franc. Sylvius.*

[42] *Difficilis*) Affectus hic utplurimùm periculoſus non eſt, ad longum tempus perſeverat; Si tamen nimium negligatur, & altas radices agere permittatur, ita ut magna nutritionis depravatio contingat, partium naturalium graves affectus, ut ſcirrhi, aliique tumores, tum etiam propriæ ſubſtantiæ corruptiones contingunt, quæ per hydropem, febres longas, alioſque graves caſus ad interitum perducunt. *Riverius.*

Diuturnus utplurimùm ſolet eſſe affectus, præſertim ſi reliquorum viſcerum obſtructiones conjungantur, vel cauſæ menſium ſuppreſſionis ab uteri malâ conſtitutione dependeant, Sin ab aliis cauſis ſupra adductis, ſoloque vaſorum circa uterum infarctu, nec adeo diuturno, productus ſit, commodis adhibitis remediis non adeo difficulter cedit; Longitudinem hanc moderantur quoque ſymptomata alia conjuncta, prout iſta graviora & plura, aut leviora ac parciora adſunt.

Siniſter quoque eventus timendus, ſi pertinaces aliæ obſtructiones fuerint, & vel hydrops preſſo ſequatur pede, aut polypi indicia appareant, vel phthiſis conſequatur, à quâ evadendi nulla ſpes eſt, niſi præter alia ſigna bona menſes ſplendidè ac pure id eſt ad naturæ priſtinum modum appareant, teſte *Hippocr. l. 2. Prorrh. c. 12. t. 6. & 7.* Wedelius.

[43] *Difficilis ſi cor valde afficitur*) Affectus hic levis quidem primâ fronte apparet, periculum tamen non leve in receſſu gerit, cùm ſuppreſſionem menſium diuturnam ac graviorem utplurimùm ſupponat, quam reliquorum viſcerum, hepatis, lieni, obſtructiones, ſcirrhi, aliique morbi vel fovent vel promptè conſequuntur; Verbo, chloroſis, æque ac cachexia in genere via eſt ad hydropem; principia enim vitalia ſenſim alterantur, & calor nativus paulatim extinguitur.

Quin ſi vera ſunt quæ Authores practici fere omnes memorant, quandoque corde nimis oppreſſo mors ſubita accidit, Id quod tamen alio modo contingere vix poteſt quam ſi in cordis ventriculis forſan genitus polypus ſubito abrumpatur & ſuffocationem inducat. Generari verò hũc ab ejuſmodi ſanguine viſcoſo in virginibus diutina menſium obſtructione laborantibus, obſervationibus ſingularibus confirmat, *Malpighius Differt. de Polypo cordis p. m. 268.* ubi ſimul notat non in corde tantùm fibroſum ejuſmodi coagulum repertum. ſed pancreas quoque cæteraſque per abdomen & thoracem diſperſas glandulas, ex turgente concretaque materia inſignes & duriores redditas fuiſſe, quæ ſuperiùs dicta obiter ulteriùs confirmare poſſunt. *Wedelius.*

Iſto affectu liberata eſt quædam ſcabie multa oborta toto corpore, & præſertim in manibus, cum calore penè incredibili & intolerabili, *Ballonius Eodem cap. Annot. 17. p. 150.*

[44] *Si Hepar ſimul afficitur*) Affectus hic ſplenicum *potius* quid habet, videas enim maximam Virginum fœdis coloribus laborantium partem quidpiam in ſiniſtro hypochondrio dolitans habere, cum ex *Galeni* ſententia *capit. 2. lib. 5. K T.* viſcus hoc maxime indurari ſoleat ſanguine in iſto viſcere concluſo, qui exitum liberum cùm non habeat, facilè duritiem afferat, indeque tumorem. minùmne ſit de ea potiſſimum parte virgines queruntur, & quæ patiuntur aliquid ſplenicum

reſipiant: Sive enim congeſtio fiat, ſive refluxus ab imis ad ſuperas partes, ſive affluxus à ſuperis in inferas, ſplen alia incommoda perſentiſcit, hinc imbecillitas, hinc durities: quod à nobis dicitur ne temerè affingamus ſemper ſplenis tumorem eſſe aliquem, quoties quis de ſiniſtro hypochondrio queritur, quod factitant Eraſiſtratæi quidam noſtra ætate Medici, qui quū de dolore in alterutro hypochondrio audiunt, malè admodū cōminiſcuntur duritiem contractam: itaque ſi infirmitas in Liene contracta eſt, propterquam nequeat legitimè hepar repurgare, aut ſi durities eſt, aliud ineatur conſilium; item & aliud cum febris adeſt, aliud cùm eadem abeſt: ideo *Galen.* legitimæ Lieni medendi rationis ſumma attingens capita, primùm ſi incidere; tenuare, reſeraréque conſilium eſt, ita temperatos nos eſſe vult ut iis utamur quæ vim tenuandi citra manifeſtam qualitatem habent, ne vehementiùs ſuccus calefactus incraſſetur obturetq; magis: quoniam verò ſpongioſa pars eſt Lien, cujus attrahendi facultas (quam tamen validam eſſe oportet ut coloris ſuavitas concilietur, heparque defæcetur) facile hebeſcit ac molleſcit, ita nativi temperamenti ratio tenenda eſt, ut quicquid moliamur, robur concilietur, alioqui humore nigro non prolectò calor malus fœduſque, corpori inuritur. *Ballonius l. de v.m. p. 112.*

45. *Si ſaltem ab utero oritur*) Quando levior eſt affectus, & à venarum uteri obſtructionibus potiſſitiſſimùm ortum ducit, in juvenculis virginibus conjugio feliciter curatur. *Riverius.*

Chloroſis vitio uteri aut ſeminariorum vaſorum orta.

45. *Ab utero oritur*) Hic variis affligitur paſſionibus, iiſque ſaltem communibus cum aliis corporis partibus, v.g. nunc inflammatione, nunc tumore aquoſo, cancro, ſcirrho, quæ tamen pathemata non uterum ſolùm, ſed & alias corporis partes affligunt: De cætero, cum reliquis corporis partibus nullum habet commercium uterus niſi per plexus nervoſos; Vnde *quæ ex utero ſunt pathemata, per conſenſum fiunt per nervos*, & fiunt *ſpaſmi & pathemata convulſiva*, ut v.g. quando parturiunt, Quando ergo uterus accuſatur, minùs commodè fieri ſolet, ſed ſunt ſaltem *accuſationes uteri*.

Miſſo ergo utero, pathemata iſta quæ vulgò tribuuntur utero originem ducere *dicimus* ex liquoris ſeminalis plus minùs turgeſcentis & menſtruoſi ſuppreſſione, Nempe cùm videamus quotidie quod & aliquantum ſeminalis liquoris, etiam in naturaliter conſtitutis, his quibus abundat, totum corpus alteret.

Quod liquorem hunc attinet, in proſtatis glanduloſis; & forſan etiam in vagina uteri elaboratum, hic ibidem retentus & turgeſcens dat Satyriaſin: retentus enim & ſuppreſſus plus minùs alteratur, alteratus depravatur, unde inſignis in corpore univerſo oritur alteratio: Saltem conſideremus alterationes quæ mulieribus tempore pubertatis accidunt, ſimillimæ iis quæ viris obveniunt ex causâ eadem: multò magis ergo ex maſsâ ſanguinea alteratâ evenient ſymptomata, quia inquinata eſt ab hoc liquore ſeminali.

Difficile autem eſt negotium cognoſcere hos affectus, qui oriuntur ex vitio *liquoris ſeminalis retenti, corrupti & alterati*: Febris alba quidem ex pathematibus facilè dignoſcitur, v. g. in ſpecie oritur ex liquore ſeminali (ſuppreſſo innuitur,) cum citra errorem diætæ malum inchoavit, & fluentibus menſibus mulieres nubiles ſalaces hoc malo corripiuntur; Confirmatur conjectura, ſi virgo aut mulier nubilis fuerit, & aliàs fuerit petulans, facta verò poſtea triſtis, anxia, & in alium ſtatum mutata; Accedit ſi mulier ſit vidua, ſi adſit diæta lauta, vita ſedentaria, potus generoſus & alia liquorem genitalem augentia; His & ſimilibus confirmatur Medicus ut habeat ad hæc mala reſpectum, ex liquore ſeminali derivanda.

Cura, Nil faciliùs eſt, aut magis in promptu quàm congreſſu valido curare; Verùm ſi non liceat, ad remedia alia accedendum, Interim tamen pauca, vel nulla, horum apud Authores fit mentio, aut ſi fit mentio, ſunt *Anti-cachectica*, ſed malè; ergo omnibus viribus collimandum, ut *liquoris ſeminalis vitium* corrigatur, *maſſæ ſanguineæ dyſcraſia* emendetur, hinc variis inde natis ſymptomatibus appropriatis remediis poſtmodum ſuccurramus, *Symptomata* quæcunque obvia, eorumque truculentia ſiſtenda eſt *opiatis*, quæ tamen in talibus malum ſaltem palliative, non autem radicitus curant, Saltem nempe Symptomata mitigant.

Eminet ergo inter *remedia* ſemen *alterantia & corrigentia* hinc *maſſæ ſanguineæ dyſcraſiam*, & *ſpirituum animalium vitia emendantia*, *camphora*, His *opiata*, ſpecificis permiſta adjungantur, *ſuccinum & ſuccinata*, ſpeciatim quidem *ſal volatile ſuccini acidulum*, quæ ſunt ſingularia, quando etiam *hyſterica pathemata* & *convulſivos affectus* tollunt: His addantur *Myrrhata*, cujus balſamica vis corruptionem liquoris ſeminalis efficaciter emendat, in ſpecie *eſſentia myrrhæ*, & *ſpiritus ſalis dulcis*, aut *ſpiritus nitri dulcis*. Convenit etiam *caſtoreum* & omnia *caſtorina*: Tandem habemus *ſaccharum Saturni cryſtalliſati*, *mineram Saturni* paratam cum *ſpir. nitri*, acuatam cum *aceto*, quo menſtruo eliciuntur ex minerâ Saturni purâ cryſtalli, egregium hujuſmodi affectibus primariò, quando occaſione talium vitiorum delirium imminet, ſiquidem & vitioſum ſaporem humorum corrigunt, & maſſæ ſanguineæ efferveſcentiam ſiſtunt: His addantur *acida moderata*, nempe *citrus & citrata*, *cydoniata*, *granata*, omnibus addatur *nitrum* & omnia *nitrata*, utpote quæ mala ex *corruptione liquoris ſeminalis*, & ejus turgeſcentiam ſolent ſiſtere: Forſan & *terebinthinata* partibus & locis menſtruis mundandis dicata, hic ſuam merentur laudem: Tandem *venæ ſectio*, Item remedia ſeminis abundantiæ dicata, & ſimilia hic ſuum locum obtinent. *Etmuller.*

46. *Si menſes fluere incipiunt*) Magna ſalutis ſpes elucet cùm menſtrua ſtatas periodos repetunt; & debitâ quantitate ac qualitate donata progrediuntur, *Riverius.*

47. *Abſolvitur*) Curatio hujus affectus perficitur Obſtructionum apertione, vitioſorum humorum ex toto corpore vacuatione, & intemperiei viſcerum correctione eorumque roboratione, *Riverius.*

Curatio conſiſtit in ſanguinis quovis modo vitioſi correctione, obſervata vitii ſpecie atque cauſa vera, ſive una ſit ſive multiplex: Prout igitur hic vel ille humor primariò, hoc vel illo modo peccans, ab hoc vel illo in rebus naturalibus errato pendens ſanguinem vitiavit, eligenda quæ blande paulatimque tum notatum humorem, tum ſanguinem ipſum alterare, ac ad conſtitutionem naturalem reducere poſſunt; aut ſaltem quodammodo correctum ſenſim evacuent: Perſeverandum autem aliquandiu in medicamentorum convenientium uſu, præſertim ubi radices fixit, & quidem in proficientium uſu, ac ſi abſque faſtidio aſſumat æger; In diutinâ verò ſemper conveniunt Pituitam tenacem corrigentia & vacuantia, cum omnes affectus diuturni ab illa vel in totum, vel ex parte pendent. Sin illi copuletur humor Acidus, vel ſalſus muriaticus, quod frequentius contingit: aut ſalſus lixivus, ſive bilioſus, quod rariùs, conjungenda ſunt medicamenta utrique indicationi ſatisfacientia. *Fr. Sylvius.*

Noſtrum ſi rogites votum in hac curatione, hoc tale erit, Omni opera, & ſtudio innitendum erit ut ſpiritus Plaſticus à torpore excitetur; ſpiritus animales è luto ſuo excitentur, & Acidi viſcidi humores corrigantur, & correcti educantur, Et ſimul ventriculi habenda ratio. *Joh. Dolæus.*

47. *Ab-*

47. *Abſolvitur*) Curatio meliùs fieri non poteſt, quàm ſi methodo conſueta utamur, nimirum Indicatione tum *Curatoria*, qua primaria læſio cauſæque illam maximè foventes tolluntur, tum *præſervatoria*, qua cauſarum illarum generatio ulterior præcavetur, ſimulque quæ *Vitalis* eſt, vires tum vitales tum animales roborantur, Hoc modo enim ſuperflua illa ſeri copia in toto corpore reſtagnans non tantum alterabitur & evacuabitur, ſed menſium quoque obſtructione commode reſerata viſceribus tonus debitus ac vigor priſtinus reſtituetur. *Wedelius.*

47. *Abſolvitur*) Elegantem hujus morbi curationem affert *Aetius cap. 54. lib. ultim.* Hic *inquit*, plurimos labores imperabimus, & eduliæ calidiora, vinum fulvum, odorum, vetus, minime dulce, aqua marina dilutum.

Medicamenta calore ſuo ſanguinem diſſolvant, *thym. puleg. calaminth. dictamn. abrot. irid. apphodel. cortic. rad. mori, mercur. caſſiæ, carpeſ. ſchoen. ſpica Ind & Celticæ, acori, mei. phu, ſabinæ, azari*, & ſimil. decoctum. Hæc ſingula *in vino albo* coquantur, & vinum colatum calidum à balneo, jejunis bibatur: *Succus Cyren. ervi* quantitate potus, aut *opopan.* ℥j. aut *ſagapeni* tantundem, aut *myrrhæ* magnitudine fabæ, aut *caſtorei* ℥j. aut *angelica* pota & ſublita, Idem poſſunt ſeminum nobis familiarium decoctum veluti *cymini, fœnic. petroſel. laveris, dauci, ammi, cicerum.*

Eſt & hoc efficaciſſimum

℞. *Puleg. artemiſ. Salviæ, rutæ, anethi āā. m. j. piper. gr. xx. aquæ ſextar. duos: Piper contuſum cum herbis per noctem aqua maceratum mane coquatur ad dimidias, adde mellis q. ſ. & cyathi duo jejunæ exhibeantur.*

Ipſa vero ſenſim ambulare jubeatur, & lectica geſtetur: Tempus autem commodum eſt, aut inſtante purgationis tempore, aut ſtatim poſt unctionem, fomentum & balneum bibat; ita ut in calidum adhuc & ſolutum corpus illabens medicamentum vires ſuas efficacem declaret.

Si hæc nihil profuerint, alius potentior modus exquiretur, E' mulierem curavi *purgante pharmaco ex euphorbio & petroſelino*; Si redundans humor atra bilis fuerit, *epithymi* ℥v. exhibeto, cum *oxymel.* hemina pauco *ſale* adjecto.

Pleriſque etiam *vomitus* profuit, ſed ante vomitum ſumant *thymi*, aut *orygani*, aut *hyſſopi decoctum*: Deinde poſt vomitum *Centaur. aut abſynth. cremorem.*

Quin & Peſſis utendum, ſed non valentioribus, ex *elater. canthar. cyclam. felle bubulo veratro*, Periculum enim eſt ne ex ejuſmodi medicamentorum vehementia, inflammationes, ulcera. & febres exoriantur.

48. *Venæ ſectione*) De quâ dubium, an in uſum vocari debeat, necne, ab unâ enim parte illam ſuadet evacuatio per menſes ſuppreſſa, quæ nullo promptiori auxilio curari poteſt, quàm ſ. m. Contrà verò prohibere eandem videtur cachexia conjuncta, & particularum oleoſarum ac balſamicarum defectus, quæ ulteriorem illarum depauperationem omnino diſſuadent, Uti vero ſemper potioris habenda ratio eſt; in Chloroſi verò omni cachexia à menſium ſuppreſſione dependeat, nec niſi illâ ſublatâ commodè tolli poſſit, ita quoque in ejus curatione v. ſ. omnino locum habere poteſt, imò debet, menſibus enim ſuppreſſis, vel non ritè fluentibus, nullum ſub Sole utilius eſt remedium: Non tamen illud contradicens, planè negligendum, unde parcior eſſe debet V. S. in decoloribus: Præterea etiam videndum ſi illam permittunt vires, ſi nondum ſunt exhauſtæ, ſed, ut fieri ſolet, magis oppreſſæ quam reſolutæ. Tempus quoque eandem moderari poteſt, ſi enim menſes non adeo diu obſtructi fuerint, viriumque minor debilitas, circa curationis principium ſtatim in uſum vocari poteſt: Sin cachexiæ majori gradu adfuerit, & v. ſ. impedire queat; poſt aperientium uſum, alterataque prius ſanguinis maſſa, illa inſtitui demum poteſt. *Wedelius.*

48. *Venæ ſectione*) Sed primò Purgans exhibendum, laborantis naturæ & temperiei congruum, ex benignioribus compoſitum, ut primam tantùm regionem evacuet, idque præmiſſo clyſtere, ſi alvus non ſit libera: Sin puella fuerit exanguis, aut Cachexiam incliner, à V. S. abſtinendum. *Riverius.*

48. *Venæ ſectione*) An venæ ſectio ex uſu eſt? cùm in ea affectione, aut alimenti defectio ſit, aut ejuſdem, cum mole corporis, crudi aut corrupti & ſanguinis limites infra ſuprave excedentis, exceſſus aliquis, plenitudinem ad vires potiùs quàm ad vaſa inducens, non præter rem ea de re quæritur: pura plethora tutò ſectione tollitur, in impura cunctantiùs agendum, parciùs verò atque reſtrictiùs quò impurior fuerit: nam *Galenus, cap. 4. lib. 4.* de tuenda valetud. de laſſitudine ulceroſa diſputans rem definivit, *videndum. ait, an laſſitudo cum ſanguinis copia ſit, an cum crudis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor laſſitudinis author, nam ſi eſt cum ſanguinis copia, aut ſecanda vena, aut aliquid ſuppar agendum, ut provocanda hæmorrhois aut ſanguinis fluor. quodſi vitioſi tantùm ſucci, hique citra ſanguinis copiam, purgatio tentanda eſt: ſin crudi humores, mitificatione domabuntur*, cæterùm ſi corpus virginis probè ſit conſtitutum, ſed aut interno vitio, aut victus errore cacochymia contracta eſt, huc uſque tantùm demendus ſanguis, dum plenitudinis metus vitetur: calida bilioſáque plenitudo, tutò ſectione venæ minuenda, ob eam maximè quæ inde ſequitur refrigerationem: melancholica parciùs, quod verum quidem ſi refrigerationem ſpectes, quæ tanta non requiritur quanta in ſuperiore bilioſa, ſed ratione aut humoris fæculenti multi, calorem obruentis, aut aduſtionis modo geniti ſucci melancholici, ut in iis contingit, qui olim fuerunt floridi & prærubri, ſanguine prædominante, temporis autem ſucceſſu, corporis prohibita difflatione, melancholici redduntur: ſed inter cæteras in pituitoſa reſtrictiores eſſe oportet, cùm enim humor ſit frigidus, ſectione duplicatur frigiditas, hinc difficultas coctionis ſequetur: accedit quod huic maxima ex parte comes ſit virium imbecillitas, quæ vacuationem iſtam diſſuadet, & cùm morbus longus ſit, temporeque egeat ad mitificationem, aut ſectionem venæ differimus, aut eam parcè celebramus, quod autem in copia crudorum humorum vires langueant, manifeſtè *Galen. cap. 9. lib. de ſ. m.* explicat, docens illam impedimento eſſe quominùs ſanguis mittatur, idque ratione virium: non tamen quoties à copia gravantur vires, à phlebotomia deſiſtendum, ſed ſi humores ſunt laudabiles qui gravant, & pulſus inæqualitatem afferunt, neceſſariò ad phlebotomiam eundum, non item ſi oppreſſio ſit à crudis ſuccis: quanquam infirmitas omnis per ſe non diſſuadet phlebotomiam, ſed ea maximè quæ ab exhauſto eſt, quæ à ſuccorum pondere aut copia, nonniſi homonymως, in quo pulſus maximè ſunt obſervandi, nam ſi inæqualitas eſt, ut modò magnus, modò parvus, modò tardus, modò celer, frequens aut rarus, mollis aut durus, videndum an plures majores, frequentiores, duriores, ordinati, an contra; & his obſervatis de virium non præſentium, ſed potiùs futurarum ſtatu conjectari oportet: atque hic prudentia medicorum elucet, ac de cruditate & ejus ſignis, præſertim cùm redundant crudi ſucci, qui turgentes præ copia periculum fortè tranſlationis crearent, abunde *Galen. lib. 4. de ſan. tuenda, capit. 4. Sic ubi corpus albidius, pituitoſum humorem arguit: item videas ceu plumbi colorem vel miſtionem albi lividique vel lividum ſolum: ergo hi colores crudos dominari ſuccos ſignificant, qui cum de genere ſint*

pituita, minùs tamen humiditatis habent quàm ea quæ publicè nominatur pituita, plerumque eı nec lentor ineſt: ſanguis autem velut medius eſt inter bilioſos & hos crudos: illi ex ſanguine nimiùm cocto fiunt, hi ex eo nondum ſatis cocto: itaque de pituitæ natura participat: & quoniam variæ ſpecies ſunt, prout vel ſupra vel infra ſanguinem reſtitutum, vel ultra proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis: ubi plus, conſideratiùs agendum: ubi plurimùm, in his nullomodo mittendus ſanguis: inſpicies quantitatem, ut ſi bonus ſanguis paucus ſit, reliquus ſuccus multus, à ſectione temperandum: ſin bonus multus, ſuccus paucus, audacter ſecandum: hinc idem *Galenus partic. 43.* ſect.3. lib.6. Epid. *Quibus copioſus ſanguis, & nondum inſigniter in alterius humoris naturam verſus, audacter detrahendus: contra agendum ſi jam mutatus eſt*: Ibidem pag. 87.

49. *Præcipuè in talo*) At non initio, nam tunc vena brachii erit aperienda, quamvis menſtrua ſuppreſſa fuerint; Si enim ex pede tunc temporis ſanguis detrahatur, majores fient venarum uteri obſtructiones, aucta earum plenitudine: Ex brachio denique ſiniſtro dematur, Si lien magis obſtructus ſit, E dextro verò ſi hepar obſtructiones magis invaſerint. *Riverius.*

Poſtridie ultimi Balnei, ſi menſium ſuppreſſio adfuerit, aperiantur venæ inferiores, & emittatur ſanguis ad ℥iii. idque bis aut ter repeti poterit, eo tempore quo menſes fluere ſolebant; Aut ſi nunquam adhuc apparuerint, quo tempore ægra magis affici & gravius laborare ſolita eſt. *Idem.*

Secatur vena commode in partibus inferioribus, in ſaphenâ, tum in uno pede, tum in utroque, ut eò citiùs ac copioſiùs uterum verſus derivetur ſanguis, & oſcula obſtructa perrumpat. *Wedelius.*

Riverii ſententia locum habet in ſimplici menſium obſtructione, at in Chloroſi, in qua cachexia conjuncta eſt, dubium an repetita v. s. locum habere queat; adeo ut ſi ſ. m. locus ſit, is potiùs ex inferioribus locis demendus videatur, ubi præcipuè ſubſiſtentiam habet.

49. *Præcipua in talo*) Quibuſdam placet venam quæ inter minimum digitum & annularem decurrit, aperire, ut minor virium jactura fiat, nonnullis veterinariorum morem ſequentibus, videtur legitima aut apertio aut ſcarificatio venarum quæ ad lienis regionem ſitæ ſunt, hæc autem topica potius ſunt. *Ballonius ib.*

50. *Nec ſanguis in alium*) Mulieres decolores, (quibus etiam bonus ſanguis trahatur è venâ) & cacochymæ, malè habent à detractione ſanguinis, Ratio eſt, quia capillares venæ ſunt plenæ virulento & ſeroſo ſanguine, & eſt morbus in habitu corporis, eo modo quo in elephanticis; & incumbendum videtur in habitum ipſum; nam cùm peſtifera morbi vis in habitum ipſum ſit rejecta, toties demere ſanguinem è majoribus vaſis, calorem ipſum nativum eſt imminuere. *Ballonius Epid. lib. 1. p. 111.*

51. *Purgatione*) Eductâ eâ ſanguinis quantitate quæ neceſſaria fuerit, ſolennis, purgatio inſtituenda eſt Apozemate aperiente & purgante, quale in obſtructione Hepatis præſcriptum, cui addantur herbæ utero peculiares, *artemiſia, matricaria, pulegium*, Et ſi Lien obſtructus fuerit, addi poterunt quæ illum peculiariter reſpiciunt, *cortex cappar. ſcolopendr. ceterach.* Si verò bilioſum fuerit temperamentum, & calidioris ac ſiccioris hepatis indicia apparuerint, calidiora omnia ſimplicia ex apozemate erunt detrahenda, & aperientia frigida eorum loco ſubſtituenda: In puellis delicatioribus, loco Apozematis, Juſcula ibidem deſcripta uſurpari poterunt, ejuſdemque ſimplicia immutari: *Riverius.*

Quia verò non rarò adeo contumaces ſunt obſtructiones ut primis remediis non cedant, in hoc caſu *Syrupus magiſtralis* parari poterit ex materiâ Apozematis præſcripti, aucta purgantium dozi, quo utatur ægra bis aut ter in menſe.

Pilulæ etiam uſuales erunt utiliſſimæ, quales in obſtructionis Hepatis curatione fuerunt propoſitæ, quibus addentur remedia *ex tartaro, vitriolo* & chalybe compoſita ibidem deſcripta. *Riverius.*

51. *Purgatione*) Hippocr. 1. de morbis admonet ſplenicis alvum valde turbatam conferre, ſed addit, ſplenicis à pituita albâ detentis; hinc colligas fœdatas virgines agitandas medicamentis, ſed intelligit moderatos alvi fluores utiles eſſe, ad excretionem pituitæ albæ in venis contentæ, quæ prius hydropem accerſeret quàm coqueretur, *Ballonius Ibidem Annot. 9.*

51. *Purgatione*) Notandum initio morbi non probari uſum ſennæ Orientalis, quod craſſorum humorum proliciendorum vim habeat; at id initio facere non juvat: differatur ergo ejus uſus, atque exiſtimo maxima ex parte fœdatas virgines ut incuratas relinqui, quod temerè nullâque methodo morbi curatio ſuſcipiatur, at hic methodicos maximè eſſe oportet, *Ballonius Ibidem pag. 116.* Nec valde probantur ea quæ majore leniendi facultate pollent, ut ſunt caſſia & catholicon, hæc enim, præſertim caſſia; ſuo vitore ventriculum ſubvertunt ac molliunt. *Ibidem pag. 117.* Syrupus roſarum pallidarum in uſum venire non debet, niſi conſtet proventum eſſe ſeri, quod ἰχῶρα Græci vocant, quod utplurimû cutim defœdat & vix gratiam naturæ recipit: *Ibidem pag. 119.* Inter cætera purgantia laudatur *pulvis hiera & confectio ejus*, niſi forte febris impediverit; ſi ſymptomatica, non impediet: ſin eſſentialis, major cauta dubitandi eſſe debet: confectio autem ſuſpecta eſſe magis debet ſi dolores capitis adſunt, recipit enim multa aromata, quæ omnia penè gravitatem capiti afferunt; ex hieris autem ea laudatur quæ *Galenum* authorem habet, non quæ Nicolaum, *Ibid. pag. 118.*

51. *Purgatione*) Præ cæteris juvat frequens uſus enematum, quoniam enim malum contumax eſt, & nonniſi temporis ſucceſſu remediis cedit, tum ut ne in malam conſuetudinem corpus adducamus, ventriculum lædamus, de cujus dolore querulæ ſunt virgines, tum ut ne nimiùm ſimus ægris moleſti, hypoclyſmatis locus erit, atque id maximè fiet, quod in vitiis lienis & hypochondriorum eorum uſus ſit peropportunus. *Ibidem pag. 126.*

51. *Purgatione*) Pharmaciæ Diætam anteponimus, quod illius uſus vix commodius eſſe poſſit, nam cum vel extenuatio magna cum vitore adeſſe ſoleat, quandam ἀτροφίαν exprimens, vel tumor colórque plumbeus cacochymiam cachexiámque adumbrans, in neutro audacter medicationes uſu capiendæ ſunt: de cacochymia illud *Hippocr. aph. 36. lib. 2.* audiendum, qui pravo utuntur cibo per medicamenta evacuati citò exolvuntur, quod paucos bonos habeant ſpiritus & calorem imbecillum: deinde dum pravi humores exagitantur, tetros efferunt ex ſe fumos, â quibus leipopſychiæ inducuntur: 3. dum humores vitioſi per partes ſenſibiles deferuntur, pungunt feriuntque, unde verenda ſequuntur ſymptomata: minus verò extenuatum corpus pharmacis vexandum, impenſè enim corpora hujuſmodi à medicamentis calidis divexantur, unde major marcor inducitur & tabes: *Ballonius Ibidem pag. 77. 78.*

51. *Purgatione*) Cum non minus ea quæ ſolet adeſſe infirmitas cum quadam extenuatione, à Pharmacis nos debeat avertere, quàm ad eandem adducere tumida quædam moles cum pallore & cacochymiæ, aut potiùs cacoethiæ & cachexiæ ſignis copulata, videamus quid ea de re Hippocr. parte 115. lib. 4. acut. literis prodiderit, *cognoſcere oportet quam ob cauſam quidam dolore capitis teneantur, item decolores, raucos, lienoſos, exangues: item quibus contenta hypochondria, præterea morbo regio laborantes, quorum venter cruda egerit, deinde ſub-*

ſubdit, nulli horum medicamentum propinato: qui locus ad fœ latas virgines pertinebit, nam & hæ graviſſimis capitis laceſſuntur doloribus, præſertim verò ἐνεργχοργίη: ſunt lienoſæ, ut ſupra docuimus, decolores ſunt & exangues, diſtenta hypochondria maximè habent, ictericque, cum cruda ventris egeſtione, deturpantur, itaque, decreto Hippocr. purgatione interdici debent, multò magis & venæ ſectione. *Ballonius 22. lib. de virg. & mul. morbis c. 7, pag. 82. & 83.*

51. *Purgatione*) Vt in melancholicis morbis aliquando purgationes officiunt plurimùm, præſertim cùm in mala partium diatheſi potiùs quam in copia materiæ morbus conſiſtit, ita in fœdatis utrumque conſiderandum, nam aliquando neſcio quæ diatheſis & prava impreſſio in partibus ſpectanda eſt, aliquando humorum copia; fit enim aliquando ut & alvo ſint ſatis libera & humorum ſuperfluorum nulla ſit ſignificatio, cùm tamen graviſſimè laborent. hic purgare, movere, agitare nefas eſt, itaque ſi lienis malè affecti ſigna ad ſint, ſi alvus adſtrictior, de ea ſolvenda cogitandum eſt: ferè fit autem ut ſplenici alvum adſtrictiorem habeant, maximè verò ſi lien ipſe, aut vaſa ad eum attinentia, cujuſmodi eſt vena quæ à porta in lienem porrigitur, aut quæ à liene in ventriculum tendit, ſint inflammata, aut obſtructa aut anguſtiora reddantur & conniveant. *Ballonius ib. p. 116.*

51. *Purgatione*) Stimulant enim *Purgantia* intus propinata ut & *Vomitoria*, utraque quatenus fundunt humores & ſtimulum addunt ὀργασμώδη tum mitiora tum fortiora, Ita *aloe* ad chloroſin ſpecifica eſt, multis nominibus; hinc *Elect. hiera picra*, *elix. propr. &c.* Hinc in genere fruſtra eſt menſes reſerare velle citra purgantia, In ſpecie verò cholagoga & phlegmagoga, tanquam magis deterſiva & acria, vel amara, nominatim *Gialapam, ſcamon. troch. alhandal. maſſa pil. tartar.* non omiſſis tartareis fermentativis.

Præprimis vero *Vomitoria*, etiam compreſſoria ſua virtute, quam habent conjunctam ſanguinem ad inferius clyma invitant, magis. Laudant ſpeciatim *Sal nitr. cum aqua cinnam.* Ipſo ſæpe illo die purgans vel emeticum datum, menſes redire ſunt viſi. *Wedelius Am. m. m p 399.*

Aurifabri filia xxii. annos nata, ſexennio ferè fœdos colores patiebatur, nil actis remediis contra contumax malum proficitur: Dum peregrè profectura curru ſucceſſorio devehitur, nauſeabunda tandem vomuit incredibilem humorum variegatorum copiam, animam agere videtur; Intra 4. vel 5. dies deperditus faciei color recuperatur, nullâ ope medicâ, ſed ſolo vomitu ſpontaneo revocatus, ut mirum non ſit ſi tantopere in omni repletionis ſpecie vomitiones *Hippocrat.* commendavit: Atque credibile eſt à variis humoribus iiſdem corruptis malum hoc ali ac foveri. *Ballonius lib. de Virg. & mul. morb.*

52. *Præparantibus*) Cum ſit crudorum ſuccorum abundantia, ita res ſunt temperandæ ut nec valde calefacientia nec impensè attenuantia uſurpemus, nam ab illis febris aut acceſſitur aut acceſſita augetur, indeque major vis facultatibus infertur: ab iis verò periculum majoris obſtructionis affertur & tumultus violenti, & quod in pituitoſorum humorum copia *Galenus cap. 3. lib. 12. meth. & lib. 7. de S. M.* facit, abſtineas à diureticis & iis quæ ſanguinem fundunt ac liquant, id ipſum ſequendum eſt, cum iis quæ coquenda ſunt magna & ſubita agitatio non quadret. *Ballonius Ibid. pag. 96.* Probamus diuretica aut uretica potiùs, ne error contingat quem obſervat *D. Rondeletius* de cachectica & pallida virgine, quæ Paralytica facta & uſu diureticorum, non prius exactè liberatis obſtructionibus: *Conſil. 35. lib. 3.*

52. *Purgatione præmiſſis præparantibus*) Virgo febri alba laborans præmiſſo lenitivo & venæ ſectione, ita purgata.

℞. *Aq. ar. rhei ana* ℥i. *ſalis tartar.* ʒß. *f. Infuſio ſ. a. in decoct. ſennæ q. ſ. ut fiat Potio.*

Sal tartari præterquam quòd obſtructiones aperiat, hoc peculiare habet, quòd infuſionibus purgativis additus, vim medicamenti auget. *Rod. à Fonſeca, Tomo 1. conſ. 6.*

52. *Purgatione præmiſſis præparantibus*) Non alterati ſolum debent ſeroſi humores reſtagnantes, viſcoſitas & coagulum tolli ac groſſities partium comminui, ſed evacuandi quoque ſunt quodammodo correcti & ad exitum diſpoſiti. Eliminantur verò non per unam ſolummodo viam, ſed plures pro diverſis regionibus corporis: Prima Evacuatio eſt per primas vias, tam ἄνω, per os quam κάτω, per alvum.

Per os evacuant *Vomitoria*, quæ irritando ventriculi fibras, non ſolum pituitam lentam circa ventriculum hærentem exturbant, ſed & ex reliquis viſceribus peccantes humores eo alliciunt. Exhiberi hoc fine commode poſſunt *antimoniata*, quæ omnium optima & maximè fida ſunt vomitoria, e.g. *tartarus emeticus, oxyſacch. emet. Ludovici*, aliaque v.g.

℞. *Tartari emet. gr. ij. elæoſacch. aniſati* ℈ß. *miſce.*

℞. *Oxyſacchar. emet. Ludov.* ℥ij. *ſyrup. de artem.* ℥ß. *ms.*

Cavendus tamen eorum uſus in iis quæ debiliores ſunt, ad vomitum non uſque adeo diſpoſitæ, aut in quibus reſpiratio difficilior, vel pulmonum vitia alia adſunt.

Per inferiora educunt humores ſeroſos *Purgantia* καθ' ἐξοχὴν dicta quæ ſimul obſtructiones vaſorum, ſi quid aliud expediunt, & in noſtro hinc affectu, apprimè conducunt; Hæc autem vel pro una voce adhibentur, vel ſucceſſivè repetitis vicibus, & per ἐπίκρασιν evacuatio inſtituitur, quod in morbis lentis ac chronicis ex uſu eſſe ſolet; Laudem hoc nomine merentur aloetica, tum ſola, in extracto & pilulis minoribus inde paratis, per vices cum aperientibus præbita, tum cum aliis tartareis, uterinis, ipſiſque martialibus mixta, e. g.

℞. *Pilul. tartar. Schrod. Marocoſt. Minder* ā ā. ℈j. *croci martis vitriol. gr.* xviii. *Caſtor. opt.* ℈ß. cum elix. Pr. P. f. l. a. *Pilulæ, n. 40.*

℞. *Extr panchym. Crollii ſpl. bovis* ā ā. ℈ß. *maſſæ Pil. Ruffi gr.* xii. *diag. ſcamm gr.* vi, *ol. ſuccini gut. j. cum tinct. tart q. ſ. f. Pilul. 24.*

℞. *Pulv. lax. vegetab.* ℈j. *reſin. ſcamm. gr. v. antimon. diaphor. non edulc. gr.* vi. *ol. aniſi gtt. j. m. f. Pulvis.*

Huc etiam ſpectat *mercurius, dulcis*, qui omnium maxime ſerum glutinoſum ac viſcidum liquat ac evacuat, unde reliquis, imprimis Pilulari forma, addi commode poteſt; Infuſa Purgantia ex rad. & herbis aperient. aliiſque, cum *rhabarb. ſenna, mechoac. fibr. helleb. nig.* additis ſimul uterinis nullo negotiò confici queunt. *Wedelius.*

53. *De obſtructione*) Obſtructiones auferuntur iiſdem remediis quæ in Obſtructionum hepatis & lienis curationibus proponuntur; additis nonnullis quæ uterum reſpiciunt, & ad venarum ejus obſtructiones reſerandas magis ſunt appropriata. *Riverius.*

53. *De obſtructione*) Quæ & per *Externa* perfici poteſt, Fotus & Linimenta, capite deobſtructione Hepatis deſcripta, non ſolùm regioni hepatis, ſed etiam Lienis & uteri admotus; Sed, peracta ſolenni purgatione, ſequentis *Balnei*, ad vaſa aperienda & relaxanda, ac materiam Obſtructionum fundendam ac digerendam, tantæ eſt efficaciæ, ut aliquando viderimus quibuſdam ægris menſtruas purgationes in tertio aut quarto balneo profluere incepiſſe, quæ per longum tempus antea deliterant.

℞. *Rad. althææ lilior. enul. c. bryon. cucum. agr.* ā ā ℔ii

fol. malvæ, violar. mercurial. puleg. matricar. meliſſæ, ãã. m. iiij. *ſemin. lini & fœnugr. leviter contuſi ana* ℥ii. *coq. in aqua fontis pro Balneo, quod ingrediatur tepide, bis in die, ſine ſudore, longe à paſtu, per biduum, ſingulis diebus decocto renovato.*

Zacutus Obſ. 99. lib. 2. proponit hiſtoriam mulieris Chloroſi per decennium laborantis cum menſium ſuppreſſione, quæ irritis omnibus purgantibus, aperientibus, chalybeatis, *Conſerva artemiſiæ* per xxx dies ſumptâ, ſuperbibendo *aquam ſtillatitiam ſabinæ*, in quâ per noctem *Rhabarb.* maduerat, curavit. *Idem Obſ. 117. l. 3.* proponit hiſtoriam Virginis quæ ex ſalis quo ſeſe ingurgitaverat, diuturno uſu, in diarrhœam bilioſam cum tabe implicitam inciderat; hanc poſt totius providentiam, *lacte caprino chalybeato & frigidis applicitis ſanavit.*

In contumaciſſimis & diuturnis Obſtructionibus *Cauſticum* tibiæ dextræ vel ſiniſtræ (prout *hepar* aut *lien* afficitur) inuſtum, plurimum conferre poterit. *Riverius.*

Fonticulorum uſus in imminuenda ſeri quantitate eſt laudatiſſimus: Poſſunt hi applicari partibus crurum domeſticis.

53. *Deobſtructione*) Inter cætera in antiquis obſtructionibus in uſum vocetur *rad. enul. camp.* in taleolas ſectæ, cum *vino albo* maceratæ, miraculo enim creditur fœdos virginum colores tollere *Ballonius, l. de virg. & morb.*

Vocatus ad virginem nobilem ictericam, cachecticam, verminoſam, Catameniis olim fluere ſolitis deſtitutam, præmiſſis purgationibus, *decoctoque tartari, rubiæ tinctor. Mercurialis* &c. Saphenam aperui, tandem exhibito quem *Schyronii* vocant pulvere ad pallidos colores, menſes copioſe provocavi, quibus fluentibus Icterus & cachexia brevi ceſſere, Formula Pulveris quem ſæpe fidum expertus ſum, eſt hæc.

℞. *Rubiæ* ʒiß. *ſabinæ, muſcerdæ ana* ℈i. *croci* ℈ß. *lumbricor. vino lotor. & uſtor.* ʒj. (ego vermibus illis, quos jam tum ſuſpectos habebam, *boracem* ſubſtitui) *macis, fol. lauri, ana* ʒß. *ſpec. aromat. roſ.* ℈i. *limat. chalyb.* ℨiii. *rad. enulæ* ʒj. *ſacchari duplum omnium* Doſis ʒi. *cum vino albo* dulci, *Henricus ab Heers Obſerv. 6. lib. 1.*

Ad obſtructionem lienis utiliſſima eſt aqua quæ excurrit à lapide in quo acuuntur enſes, ſi centies extinxeris *limaturam chalyb.* candentem, qua ſcimus magnos lienes liquari *Mercatus lib. 2. cap. 6.*

Sequentes Pilulæ pro ſecreto à multis habentur.

℞. *Succi Mercur. mellis deſpum.* ãã. ℥i. *coque ad ſufficientem conſiſtentiam, adde ſem. nigell. Rom. pulv.* ʒiii. *f. maſſa, è cujus* ʒi. *f. Pil.* vi. capiat duas in ingreſſu lecti per tres dies. *Joh. Varandæus de m. m. cap. 1.*

Miraculo creditur fædos virginum colores tollere *radix enulæ camp.* in taleolas ſectæ & *vino albo* maceratæ, valétque inter cætera in antiquis obſtructionibus, *Ballonius lib. de virg. morb. cap. 7. p. 120.*

Diuretica.

Ex vaſis ſanguifluis proximius ſerum copioſius reſtagnans & ſuperfluum per renes evacuant *Diuretica*, eò magis hic laudanda quò magis ſimul particulas iſtas in ſanguine, peccantes invertunt, abſorbent & præcipitant, Ex horum claſſe ſunt ſalia *ononidis, juniperi, artemiſ. arcanum duplic. tartarus tartariſatus Ludovici, tartar. vitriol. Tinct. tart. ſimpl. & comp. Tinctura ſilic. Glauberi, arcan. tartari, eſſentia ſuccini, malvat. juniper.* &c.

℞. *Lapid. 6y. tartar. vitr. ſalis artem. ana* ℈i. *m. f. Pulvis.*

℞. *Eſſentia ſuccini, tinct. tart. comp.* ãã. ʒi. *MS.*

Sudorifera, Diaphoretica.

Per cutem tandem, glandulas ejus & vaſcula excretoria diſcutitur & evacuatur ſerum beneficio *Sudoriferorum*, quæ ideo maxime in Chloroſi laborantibus commendanda quod cauſam proximam in glandulis & vaſculis ſubcutaneis hærentem, ſanguinem ſeroſum, immediate eliminent, dictaſque cutaneas partes ad naturalem ſtatum reducant: Talia ſunt tum volatilia, *Tinctura bezoardi.* mea, *Michaelis, Ludovici, ſpir. ſambuci, ſpir. tartari, theriacal. ſimpl. & camphor. mixtura ſimplex*; tum fixa, *C. C. philoſoph. uſtum, antimon. diaphor. bezoart. mart.* antimon. *mart. cachect. unicornu foſſile, cinnab. nat. & antimon.* Ex quibus compoſ. 8. 9.

℞. *Aqu. ſambuc. aqu. typh. c.* ãã. ℥iß. *ſpir. tart.* ʒß. *malvat. ſambuc.* ʒij. m. f. Potio.

℞. *C. C. philoſ. antimon. mart. cachect.* cinn. nat. ãã. ℈i. M.S. fiat Pulvis. *Wedelius.*

54. *Viſcerum habenda eſt ratio*) Abſolutis hiſce remediis, (*præparantibus, purgantibus, v. ſ. &c.*) ad viſcera roboranda, & obſtructionum reliquias conterendas, conveniet *Opiata aperiens & roborans* cap. de obſtr. hep. deſcripta; cui utiliter *fæcula bryoniæ* & ſal artemiſ. ad ʒii. utriuſque addi poterit. *Riverius.*

54. *Viſcerum habenda eſt ratio*) Et quoniam ſæpe vitium in gibbis hepatis, ſæpe in ſimis, ſæpe in corpore ipſius lienis, ſtudendum iis partibus, atque ſequendum *Ætii* Conſilium, ubi ad ſimas hepatis decoctum laudat *Polypodii, mercurialis, chamælea* cum *abſynthio, rad cyclaminis: galli veter. decoctum*: ad Gibbas, *decoctum amomi, floris junci odorati, rad. gentianæ, cortic. rad. lauri. abſynth. comam, ſpicam nardi, quinquefol. Aſarum* &c. Ad lienem; *veratrum, epithymum, polypod. ſcolopendr. &c.* Et hæc remedia negliguntur à multis, quæ ab empiricis uſurpantur magna cum laude, *Ballonius eodem capite, annot. 25.*

In iis omnibus quæ propinabuntur, aromaton debet eſſe paulò crebrior uſus, tum quod naturam roborent, illuſtrent ac recreent, & ventriculo robur addant, *Idem Ibid. pag. 117.*

Maximè verò hic illius cura geri debet, quod ad ejus orificium dolorem ſentiant, ſæpe nauſeent, vomituriant, imò & iis quodammodo cor fatuum, ventriculuſque laxus & diſſolutus eſſe videatur. *Ibidem.* Illius quoque diſtributio ſæpe impeditur & coctio labefactatur, imminuitur, imò & corruptio fit chyli: cùm autem vel intemperies ſit, eaque calida aut frigida, aut ſicca aut inæqualis eoque (deterior) aut humorum excrementitiorum cumulus, ſive per propriam affectionem ejus, ſive ob venarum lactium obſtructionem, unde diſtributio alimenti prohibetur, quod in hypochondriacis uſu venit, ſive ob refluxum humorum aliunde, (quod ventriculo maximè convenit ob capacitatem, ſed etiam facilè depellit, niſi adhæſus fiat) cauti erit medici hæc diſcernere: magni enim intereſt ſcire an actio ejus læſa ſit per propriam affectionem, aut ex eventu: in fœdis coloribus maxima ex parte ventriculo ſua eſt prima vernaculaque integritas, ſed afficitur aut collectione aut affluxu colluviei humorum aut conſenſu Lienis. *Idem Ibid. pag. 123.*

55. *Menſium ſuppreſſio maximè attendenda*) Evacuantia excipere debent medicamenta quæ menſium profluvium majori ἐνέργεια procurant, illoſque fortiùs pellunt, Emmenagoga hinc in ſpecie dicta; Sunt verò hæc ejuſmodi quæ particulas volatiles ſalinas ſulphureas in maſſâ ſanguineâ magis augent & motum utrumque fortiorem reddunt. Dum enim legitimus orgaſmus ſanguini reſtituitur, & rapidius ille circumpellitur, promptius clauſa arteriolarum oſcula perrumpit & exitum invenit, Hujus generis ſunt *oleoſa vola-*

volatilia varia, galanga, zedoar. ruta, roſmar. puleg. ſabina, crocus, myrrha. antophylli, eſſentia, croci, myrrha, balſam. campb. concentratior, caſtor. ſuccin. Elix. uterin. menm, Croll. Ludov. ol. ſuccini, rutæ, ſabinæ angel. caryophyll. cinnam. ſalia volat. oleoſa, ex dictis oleis parata, vel ſibi etiam relicta, *ſpirit. ſalis armon. liquor c.c. ſuccinat. troch. de myrrha, ſpecies diaborac. Mynſichti*, & alia variè compoſita, e. g.

℞. *Spec. diabor. mynſichti* ʒj. *troch. de myrrha* ℈j. *ſalis volat. rutæ* ℈ß. m. f. Pulvis.

℞. *Aqu. meliſſ. puleg.* āā. ℥ij. *cinnam. cum vino* ℥ß. *ſalis volat. oleoſi ſylvii* ʒj. *Elix. hyſter. Ludovici* ʒß. m. f. Poo. *Wedelius.*

Externa Medicamenta.

Vti dictis medicamentis priori menſium obſtructionis cauſæ, infarctui nempe vaſorum, tum uteri, tum reliquorum viſcerum, à particulis ſanguinis craſſioribus ſuccurri, & deficiens liquoris vitalis fermentatio ac tonus reſtitui poterit, ita alia quoque ſubiicienda ſunt quæ poſteriorem vaſorum circa oſtia indiſpoſitionem, quoad fieri poteſt, tollunt: Hujuſmodi autem ſunt *Externa*, tum toti ventri infimo, tum genitalibus partibus applicata, in uterum admiſſa, Laudantur hoc fine *Balnea ex Emollientibus, aperientibus communibus & ſpecialibus uterinis*, ipſiſque *purgantibus* parata: Hæc enim per cutis ſpiracula, ipſaque pudenda ad uterum penetrando, ejus poros condenſatos rariores reddunt, & oſcula particulis ſuis blandè humectantibus calidis aperiunt, Nec ſemel tantum, ſed repetitis ex ordine vicibus Balnea hæc inſtitui poterunt, juncto ſubinde internorum aperientium & emmenagogorum uſu.

Parem cum Balneis effectum præſtant *Suffimenta & vapores* ad uterum per tritorium vel tubulos uterinos derivati, quo ſpectant *ſuffimenta de ſabina mynſ. & Timaeanum ex colocynth.* item *ex ſcoriis reguli antimon. vapor ex ſale armon.* additione alkali fixi excitatus, ex commendatione *Glauberi*, quamvis paucæ ad naſcalia ejuſmodi rite depuduerint. *Wedelius.* Vide ſupra §. *De obſtructione.*

Ad fœdos colores ex Lienis obſtructione ſumma ortos, medicus noſtras apprimè doctus, balneum inſtituit in quod recens mactati arietis inteſtina conjicerentur, *Ballonius lib. de virg. & mul. morbis cap. 7. p. 146.*

57. *Laudantur)* Reſeratis magnâ ex parte obſtructionibus, humores pituitoſi ac ſeroſi, tum in venis reſidui, tum præcipuè in habitu corporis ſtagnantes per *Sudores* reſolvendi ſunt, Cui uſui convenier *Decoctum Guajaci* in naturis frigidioribus, vel *rad. Chinæ ac ſalſapar.* in calidioribus per xv. aut xx. dies exhibitum; Hac cautione adhibitâ, ut 4. aut 5. quoque die, intermiſſo ſudore catharticum detur, quod humorem circa viſcera collectum, præparatum, ac concoctum (ad ſudores tamen ineptum) per alvum detrahat: alioquin intùs ſi reſtitet, ibi obdureſcens & putreſcens, febris & aliorum morborum occaſio erit.

In eundē finem *Thermæ ſulphureæ* uſurpari poterunt tam Potu, quàm Balneo, Potu enim iſtarum Aquarum, expeditis prius & liberatis viis, detergitur excluditurque humor in primâ & ſecundâ corporis regione contentus, per alvi & urinæ profluvium; tertia verò regio excitatis à balneo ſudoribus, ab humorum ſarcinâ liberatur. *Riverius.*

Congreſſus, Si legitimè fieri poſſit, poſt deobſtruentium remediorum uſum, erit utiliſſimus; Illo enim calor naturalis in partibus naturalibus multùm excitatur, quò uteri vaſa impensè dilatantur, Et docet experientia, interdum primâ conjugii nocte pallidis iſtis fluxum menſium excitari: alias verò quæ optima fruuntur valetudine, tempus conſuetum anticipati. *Idem.*

Quinta eſſentia nepetæ in fugandis fœdis & pallidis virginum coloribus nihil eſt præſtantius, nam menſes certiſſimè movet. *P. Johann. Faber Myroth. capite 74.*

Experimento comprobatum habeo *radicem ſcorzoneræ* per noctem maceratam & mane ſumptam, plurimas liberaſſe. *Mercatus lib. 2. cap. 6.* Mirabiles effectus in hoc affectu expertus ſum ex *pulv. Cachectico Querc.* cujus beneficio innumeras virgines & mulieres Chloroſi laborantes curavimus. *Riverius l. 15. c. 1.*

57. *Laudantur)* Primum locum meritò occupant, quæ generatim *Aperientia* vocantur, tam particulis acutis, penetrantibus, volatilibus, motum humoribus fixis procurant & vias aperiunt, tum fixis terreſtribus, coagult humores figentis cauſam, particulas acidas, ponticas abſorbent, imbibunt, & humores quaſi adeo edulcant, unde in alveis ſuis non reſtagnant, ſed promptè eunt ac redeunt, circulantur & excernuntur: Hoc modo enim & viſcoſitas reſtagnantis ſanguinis ac lymphæ tollitur, partes groſſiores, terreæ, tartareæ comminuuntur, & vaſa tum viſcerum infimi ventris reliqui, tum imprimis uteri ab infarctu liberantur.

Talia ſunt ex ſimplicium vegetabilium claſſe rad. & herb. ingens farrago, inter quas primas tenent *rad. ari, acori, cichor. rubr tinctur.* herbæ *abſinth. centaur. min. marrubii, & plantæ antiſcorb.* dictæ *cochlear. hepat. nub. trifol. fibr. roſmar.* Ex præpar. & compoſitis *eſſentia abſinth ſimpl. & compoſ. fumar elixir. Pr. P. ſpir ſalis armon, ſalis tartari, tinctura tartari. cap. 69. ſalia herb. fixa abſinthi cent. min. &c. Wedelius* § 16.

58. *Chalybs preparatus)* *Elect. de chalybe ſequens* in obſtructione, viſcerum præſertim in morbo virgineo, maximi uſus eſt.

℞. *Limat. ferri ſubtiliſſ. pulveriſ. trita cum aceto ſiccetur, hoc ſepties iteretur, hujus.*

℞. ℥vj. *cinnam nuc. cond* āā. ʒij. *rhab.* ʒij. *ſpec. aromat. roſat.* ʒvi. *mellis, ſacch.* āā. ℔j. *m. f. Electuar.* Præcedat autem purgatio univerſalis. *Joh. Crato Epiſt. 244.*

Inprimis huc ſpectant *Martialia*, quæ à *Mercato* quoq; *R. a Caſtro* & aliis mirum quantùm cōmendantur, & à Recentioribus meritò apex aperientium dicuntur, Ejuſmodi ſunt *limatura Martis* in ſubſtantiâ *croci Martis varii, niger, vitriolatus ſaccharinus, Vitriolum martis*, Laudatur *vinum malvat.* in quo *mars* ignitus ſæpius extinctus eſt, Item *eſſentia mart.* cum *vino malv.* Hartmanni *vinum mart. Poterii p 335. Acidulæ artificiales Williſii, ex marte & tartaro* invicem coctis, poſt filtrationem inſpiſſato liquore.

Hæc & ſimilia, primarum quoque viarum vitia & chylificationem læſam corrigunt & emendant, abſorbendo acorem & humiditatem nimiam, roborandoque nervos ac ſpiritus. *Wedelius.*

59. *In Diæta)* Hæc injuſto ſex rerum non nat. regimine cōſiſtit, ſit *Aer* purus, calidus, ſiccus, vitetur frigidus, humidus, nebuloſus, aliſque inquinamentis repletus; Abſtineant laborantes à tractatione aquarum imprimis frigidarum, lotionibus, ſimilibuſve operis.

Alimentis utantur calidioribus, cibis coctu facilibus, aromatibus conditis, citra tamen exceſſum; *Vini Potus*, à veteribus licet non conceſſus, nominatim *Platone*, noſtris, tamen ægris, teſte *Langio Ep. 51. l. 2.* non denegādus tam ad coctionem facilitandam quam vigorem ſanguinis recuperandum. *Cerevisia* ſit defæcata, calidior, hordeacea, *lupulo* quin & herbis convenientibus probè medicata, Vitandus omnis potus frigidus, imprimis frigidæ.

Motu tempeſtivo quotidiè corpus exerceatur, maximè ab uſu aperientium martialium, quò & hæc melius agant, ſanguinis motus & calor excitetur, ac

[13]. *Signa facies ipſa ſuppeditabit*) Sanitatis ſpeculum eſt facies, in quâ legere eſt icterum, animi deliquium, phrenitidis, peripneumoniam, furores, phthiſis, ſanguinis, vitæ ac mortis inſtantis ſtatum: Qualis ſanguis talis facies, qualis facies talis ſanitas, adeo & in proverbium abiit facies Hippocratica, ſeu cadaveroſa; à *Coo* deſcripta *Pranot. cap.2.* Vultus ſignum pathognomonicum hominum eſt, quo diſcerni hominem ab homine voluit rerum conditor, Speciatim verò & ſignum ſanitatis ac morborum conſtituit, Quis non vel è plebe colligit id, male eſſe corpori ſi faciem intueatur, ſi pallere eandem, ſi inflari, ſi ζωπικὸν ἄνθος, vividum colorem & florem immutatum viderit? Medicum vero Naturæ miniſtrum longe magis monuerit obverſans tale quid, ut ab externis de interioribus indicium formet.

Neque fallere hunc facile eſt, modo rerum gnarus probè ſit, etiamſi adblandiri roſea purpura videatur & floridus color pingere genas obſervetur: Pallidus color depauperatum ſanguinem notat, vel refugum ad interiora penetralia deſerere ſtationes ſuas: Non æque tamen rubellus fidum valetudinis intemeratæ argumentum eſt; Corpus præ ſe fert in facie œconomiæ conſtantem florem, putrilagine nihilominus conſumptis pulmonibus, vel alio hoſte inteſtino viſceribus obſeſſis. *Wedelius Exerc.3. Decad.1.*

[14]. *Cui adde ſymptomata*) Quæ cauſam habent menſtruorum ſuppreſſionem, quam humoris craſſities, lentor & frigiditas induxit, unde remeans ſanguis in viſcera, ipſa obſtruit, illorum calorem ſuffocat, & ſimilibus humoribus corpus replet, Ejuſmodi coloris fœdatio inſignem cacochymiam, humorum pravitatem; præcipuorum viſcerum vitium, aut crudi ſucci coacervationem indicat: Ex his omnium ſymptomatum, quæ in hoc affectu contingunt cauſas explicare poſſumus, cùm enim ſanguis virginibus effluere nequit ob illius craſſitiem, aut viarum anguſtiam, vel refluit in viſcera, vel circa uterum putreſcit, unde vapores in reliquas partes ſuſcitantur, ob crudos enim humores *color vividus faciei* perit, Eſt enim color ſimilis humoribus niſi retroceſſerint, Inde *facies* etiam *inflatur & turgida* redditur, præſertim mane, poſt ſomnum, quia noctu plurimos vapores calor elevat, qui nondum diſcuſſi faciem inflant: Sic quoque *laxæ ſunt & molliores externæ corporis partes*, præſertim *crura*, ob humorum copiam, qui corpori animo ſegnitiem inferunt, unde etiam *vix ambulare queunt*. *Crura tenſa* habent *& debilia*, *ſub noctem inflata*, humoribus gravitate ſua in crura ob ſitum declivem defluentibus: Pariter *difficultate ſpirandi* laborant, maxime cum ipſis aſcendendum eſt, tuncque etiam ipſis *cor palpitat*; Vapores enim agitantur quo dyſpnoeam cordis palpitationem inferunt, non tam ob inſpirandi quam exſpirandi neceſſitatem; ob multorum vaporum copiam, à quibus etiam *febricula capitiſque dolor* ſæpe contingunt: *Pulſus* quoq; parvus frequenſque adeſt, quia arteriæ dilatari ob imbecillitatem commode nequeunt, defectus hic pulſus frequentia compenſatur; Adſunt *cibi faſtidia*, *pica*, rerum abſurdarum deſideria, ob pravos humores ventriculum obſidentes, *vomitus & nauſea* propterea etiam infeſtant, *ſitis* vexat, *rugitus* in ventre perſentitur, & interdum *principes facultates* depravantur. *Primiroſius.*

Triſtitiam quoque & *animi defectionem* à lymphâ & ſpirituum animalium fixatione, quæ ſucceſſu temporis in melancholiam terminare poſſunt.

Vrina quoque *tenuis & aquea* eſt in Chloroſi, ob retentionem partium terrearum craſſiorum in viſcerum culinis, quæ alias per renes ſecerni ſolebant, & urinæ contenta conſtituebant.

Et hæc omnia tandem cum *menſium defectu* accidunt, quo ſolo chloroſis à cachexia, tanquam ſpecies à genere diſtingui poteſt, reliqua enim ſymptomata in hac æque ac illa contingunt, à diverſis licet cauſis producta. *Wedelius* §.13.

[14]. *Symptomata alia*) Inter quæ primas tenet Laſſitudo, unde & febris hujus comes vocatur Laſſitudinaria (vocant *les Fiévres Laſſes*. Gallicæ mulieres) eaque totius corporis ſpontanea, quo oritur à ſpirituum animalium torpore ac paucitate, quapropter non ſufficiunt ad multa exercitia. Vel eadem oriri poteſt à multis tubulis muſculorum ubivis in toto corpore obſtructis, adeo ut ſpiritus animales poſſint tantum in pauciores multorum tubulos influere; hinc difficulter poſſunt retrahere & flectere membra movenda. *Craanen.*

[15]. *Dolor capitis* In fœdis coloribus cum febre quadam lenta & obſtructione junctis immedicabiles capitis dolores oriuntur, quibus tollendis medicorum opera nihil planè contulit; illi à vapore claro & à febrili calore ſuſcitato ſurgunt: *Hippocrat.* loquens de diuturnis doloribus capitis ibidem: ait *ſi caput purgaveris magis affliges* hoc autem evenit cùm materia adhuc cruda eſt: nam ſi dantur pilulæ, aut alia medicamenta valida & validè humores è capite abducere ſolita, dum movetur humor, pote crudus, magis ferocit atque irritatur, itaque expectandum donec manſueſcat, ita enim medicamento trahenti patebit: de iis *Hippocrat. lib. de loc. in hom.* dixit *febricitanti caput ne purgato alioqui furioſius fiet*: quod diligenter notandum eſt, ne fruſtra in fœdis coloribus pilularum cephalicarum uſu, capitis dolorem rebellem profligare tentemus: nos enim aſſerimus id fruſtra ſæpe tentatum à medicis, qui non habita ratione doloris capitis virgines affligere ſoliti, ad pilulas confugerunt, dolorem auxerunt, nedum ſuſtulerunt, imò ne lenivere quidem. *Ballonius ibid.p.83.*

[15]. *Dolor capitis*) Liquores vitales, ſanguis ac ſerum, viſcoſiores, craſſiores, in capitis partibus externis, & internis moras nectentes, vaſa ac membranas diſtendere & cephalalgiam inducere apti ſunt. *Wedelius.*

[15]. *Dolor capitis*) Qui gravans eſt ac diuturnus, & interdum in occipitio dum uterus compatitur: In ſincipite vero ac fronte, dum ab hypochondriis magis vapores elevantur. *Riverius.*

β. *Humoribus & vaporibus eò delatis*) Vnde & ſomnus exoritur gravis & profundus, ita ut ad meridiem uſque ſomnum producant, niſi expergiſcantur, à craſſitie & copiâ dictorum vaporum, ex illuvie pituitoſâ elevatorum. *Riverius.*

[16]. *Reſpirationis difficultas cum cordis palpitatione*) Reſpiratio maxime læditur, & difficulter procedit, fortiùs paulò moto corpore & aſcenſu locorum acclivium, ut ſcalarum, & Palpitatio cordis ſimul adeſt, aucto enim per motum corporis cordis motu & circulatione, ſanguinis maſſa crudior, viſcoſa ac cohærens tam promptè per pulmonum minutiſſima vaſcula trajici non poteſt, ſed in illis ſubſiſtit, veſiculaſque pulmonales comprimit, ut ſufficiens aëris quantitas admitti nequeat, In ventriculis autem, imprimis dextro, tum ob craſſitiem, & lymphæ refluæ acorem, tum tardiorem per pulmones motum, ſanguis facile grumeſcentiam patitur, unde oppreſſum hoc modo cor, ab onere & moleſtia ſeſe liberare ſtudens crebriores pulſus inſtituit & palpitat. Sin fortior adſit grumeſcentia, *lipothymia* quoque loco palpitationis ingruere facile poteſt. *Wedelius.*

[16]. *Reſpirationis difficultas*) Hæc non ſemper indicat malum eſſe in Pulmonibus, ſed ſæpius diaphragmate; aut in muſculis intercoſtalibus, quorum nervi, aut tubuli, impediunt ſpiritus animales ut tantâ cop à influant in diaphragma: & hinc humores ſegnius quoq; per illud moti, obſtruunt tandem ejus tubulos, & ſic reſpirationis difficultas augetur: *Craanen Pr. Med. Reform. c. 99.*

[16]. *Reſpiratio-*

16. *Reſpirationis difficultas*) Tunc enim craſſus incaleſcit ſanguis, ex eoque multi vapores elevantur, qui difficultatem ſpirandi patiant: *Riverius*.

Difficilis eſt Reſpiratio, quæ ab exercitiis augetur, quia tunc humores magis incaleſcunt & dilatantur; ſic quoque vapores in abdomine concluſi magis rarefacti, majus ſpatium occupare debent; hinc magis diſtendunt abdomen & fortiùs premunt diaphragma. *Ioh. Dolæus*.

17. *Cordis palpitatione*) Hæc & Pulſatio in arteriis temporum &c. accidit propter dictam evaporationem quæ ab humoribus craſſis excitatur, aucto per exercitationem calore. *Riverius*.

17. *Cordis palpitatione*) Frequentiſſima eſt palpitatio, non cordis ſolum, ſed & temporum & aliarum partium, præſertim per ambulationem & motum corporis vel minimum, Crudus enim humor levi occaſione in flatum craſſum reſolvitur; qui arterias implens, & prava qualitate cordi moleſtus, illud proinde atque arterias ad pulſandum ſtimulat. *Enchir. Med. Pract.*

18. *Pulſu*) Hic celer eſt & frequens, ut febris adeſſe videatur, & ideo hic affectus dicitur *Febris alba*, ob illam pulſus frequentiam, quæ talis efficitur, quia cum facultas vitalis debilis ſit, unde Pulſus parvus emergit, Natura parvitatem frequentia cogitur compenſare. *Riverius*.

19. *Febres inordinatæ &c.*) Quod febrilem ſtatum conjunctum attinet, unde & febris nomen imponitur vulgò, id eatenus locum omnino habet, quatenus, confirmato inprimis malo, ob cumulatas in maſſa ſanguinea partes recrementoſas, pituitoſas, & bilioſas, vitioſa fit rarefactio, adeoque febris lenta vel hectica, cum pulſu frequenti accedit. De eſſentia vero morbi febrem eſſe omnino negamus. *Wedelius*.

19. *Febres inordinatæ*) Vide inferiùs §. *vaſa obſtruit &c.*

19. *Febres inordinatæ*) In fœdis coloribus neſcio quæ febris ſpecies apparet, non ſymptomatica, non eſſentialis, ut ad ſe medentis curam trahat, & quam non poſſis nominare, fit autem ob peculiare vitium, aut lienis, aut hepatis aut alius partis internæ; non tamen ſymptomatica dicenda eſt, cùm per ſe ſymptomatica curanda non ſit, & habeat aliquam intermiſſionem: nulla autem ſymptomatica propriè dicta intermiſſionis particeps eſt: ac veteres quidem practici cùm inflammatio eſt in parte aliqua, febrem continuam ſymptomaticam appellaverunt, ſed cùm aliud peculiare vitium eſt in parte, quod febrem quandam lentam foveat, eam non dubitarunt lienoſam meſentericamque appellare, ut eo nomine nos invitent ad dicandam illi parti operam, tollendumque vitium quod morbum tamdiu fovet; & hæc febris verè eſſentialis non dicitur, cùm febrium eſſentialium fundamentum in humoribus maximè ſtabiliatur, qui ſi fuſi ſunt per majora vaſa, ſynochos continuaſque febres efficiunt, ſin per minora, ut habitum corporis, ferè contingant periodicæ. *Ballonius l. de v. & m. m. cap. 8.*

20. *Inordinatæ & erraticæ*) Difficile judicatur in quo febris hæc virginalis conſiſtat; Si eſt obſtructio, cur aliæ febres ab obſtructione non habent eadem ſymptomata, greſſum difficilem & alia? cur non color olivalis in aliis febribus? ſi allegatur virginum ætas (nam & 7. anno & ſeq. morbus oritur) Cur mares juniores, quibus debet eſſe hæmorrhagia iis virginalibus ſymptomatis non prehenduntur, aliqua quidem experiuntur mala, ſed quæ cum fœdorum colorum incommodis, gravitate & vehementia non auſint contendere: An quia inſtat tempus menſtruum, & natura, quia vellet intendere excretionem iſtam, nec poteſt, inteſtinum quoddam & cœcum fit bellum, omnium malorum author: An quia marium & mulierum morbi longo diſtant intervallo? Non videtur iſte motus menſium causâ, nam & ſeptennes virgines decolores fiunt, celerius virgines quàm mares ægrotant iſto morbo, ut extra uterum facilius creſcunt & adoleſcunt, ut ſanguis non requiratur ad incrementum; cum jam ſatis idoneum habeant: Quidam morbi ſunt nervorum, venarum alii, muſculorum alii, carnium alii, alii arteriarum, Sic morbus, i. e. ea febris virginalis, fœdo colore comitata, in arteriis ſedem potius habet, & iis, quæ ad ſplenem pertinent, unde lienoſum cor habere dicuntur, & ſaliens, & καρδιωγμὸν i. e. celerem motum cordis & palpitationi ſimilem, ſæpe ob ſanguinis φθορὰν, λύσιν καὶ ἔκστασιν: ſic Hipp. in coacis ait decolorem faciem cum greſſu difficili ſpirandique difficultate & deſiderio rerum alienarum, ſignificare ſanguinis corruptionem & exolutionem, φθορὰν καὶ λύσιν. *Ballonius l. 3. conſ. 7.*

21. *Ventriculi multiplices affectus*) Primarum viarum vitia ſtatim in affectu hoc præſto ſunt, *Ciborum faſtidium*, *ructus*, *nauſea & vomitus*, quæ ob depravatum & corruptum menſtruum ventriculi, ordinariè menſium ſuppreſſionem ſequi ſolent: Quæ omnia in Diæta commiſſi errores & hinc productæ chylificationis læſiones maximè augere poſſunt, cumulando in ventriculo inteſtiniſque vitioſos humores: *Wedelius*.

22. *Ciborum faſtidium*) Præſertim euchymorum, ob maximam crudorum in ventriculo ac vicinis partibus collectionem; qui humores tandem deteriorem conditionem adepti, Picam & rerum abſurdarum appetitum inducunt. *Riverius*.

23. *Hypochondriorum tum tenſio*) Tumor & inflatio eorum (quæ caſu tantum adſunt) oriuntur à flatibus cavitatem abdominis diſtendentibus, qui ſurſum premendo diaphragma difficilem faciunt ejus motum deorſum, adeoque difficilem inſpirationem, quæ ab exercitiis augetur, quia tunc humores magis incaleſcunt, & dilatantur; Sic quoque vapores in abdomine concluſi magis rarefacti, majorem locum occupare debent, hinc magis diſtendunt abdomen, & fortiùs premunt diaphragma ipſum. *Craanen, in Med. Reform.*

Hypochondriorum tenſiones ac dolores oriuntur ab acribus ſuccis, membranis infixis, viſcerum interaneorum, hepatis, lienis, infarctu producti. *Wedelius*.

24. *Rugitus*) In Omenti duplicatura veluti in marſupio detentus vapor craſſus, ex conſimili chylo & pituitoſo genitus, continuum ferè rugitum excitat; ſicuti enim in hydrope ſolet aliquando colligi ſeroſitas in hac Omenti cavitate, ab *Hippocrate in aphor.* propoſita, *Quibus hepar aqua repletum in Omentum irruperit, his venter aqua repletur*, ità & faciliùs flatulenta materia in flatus converti poteſt, *Silvaticus cent. 1. conſ. 65.*

25. *Cum laxitate*) Laſſitudo totius corporis ſpontanea adeſt ob ſpiritus plaſtici torporem ac ſpirituum animalium paucitatem & viſciditatem; qui ſæpe in uteri luto hærent, nec ſe extricare valent, quare non ſufficiunt ad multa exercitia: Sic etiam oriri poteſt hæc ſpontanea laſſitudo à multis tubulis muſculorum, ubivis in toto corpore obſtructis, adeo ut ſpiritus animales poſſint tantùm in pauciores muſculorum tubulos influere, unde difficulter poſſunt retrahere & flectere membra movenda; Et inſuper etiam hi ſpiritus animales hic ſunt torpidiores & minùs agiles: Si adſit vellicatio, uti ſæpe adeſſe ſolet, ſanguini craſſiori aliqua conjuncta eſt acrimonia, fibrillas arteriarum vellicans, & ſpaſmodice vibrans. *Ioh. Dolæus*.

26. *Quam vel palpebrarum &c. vel crurum ac pedum*) *Faciei ac palpebrarum tumor* adeſt à copioſiori ſanguine ſeroſo, tenerioribus hiſce partibus reſtagnante, productus, quod eo faciliùs contingit quo magis illæ externis aëris frigidioris injuriis expoſitæ ſunt, Idem *tumor in extremis artuum*, circa *malleolos* præprimis obſervatur, ob ſanguinis lymphæque refluum ad ſuperiora motum prohibitum, tum ob craſſitiem & viſciditatem, cujus robore alias in venis etiam urgeri ſanguis

ſtui ſanguinis fluxum impeditum,in hujus fluxus ſubjectum eſt inquirendum, eſt verò illud *Uterus*, circa quem id ſaltem notabimus,ad promovendum generationis opus naturam uterum pluribus vaſis ſanguifluis, adeoque majori ſanguinis præ reliquis partibus copia inſtruxiſſe, quo fœtus conceptus ac formatus ad ſufficiens robur nutriri poſſit? Sanguinis illa quantitas exuperans ſtatim ab annis pubertatis impletis, quamdiu nullus geſtatur fœtus, ſingulis menſibus excernitur; Circa cauſas id ſolùm dicimus, orgaſmo quodam naturæ effecti ſingulis menſibus maſſam ſanguineam, adeoque ab auctâ ejus mole oſcula arteriolarum reſerari, ſive iſta turgeſcentia à Lunæ motu, ſive alia cauſa procatarctica contingat.

Neque vero quorundam modernorum aſſenſum meretur qui peculiare quoddam fermentum ſulphureo ſalinum in uteri partibus conſtituunt, à quo bene habente non tantùm fluxus menſium legitimus, ſed color quoque faciei in fœminis lætus dependeat; malè vero illo affecto, aut deficiente, menſes ſubſiſtant, & faciei defœdatio præſto ſit, utut enim quot viſcera tot fermenta, adeoque etiam utero vis ſua immutandi ſanguinem deneganda non ſit, illa tamen non tam publica (*privata*) eſt, ita ut unice menſes ab utero diſpenſentur, quam privata (*publica*) Satis eſt nobis duas generales eſſe cauſas menſium reſtitantium in utero,ſeu viis, & extra uterum, in ſanguine ipſo, & viſceribus illum materialiter elaborantibus, & depurantibus, Sola itaque uteri vaſa ſanguiflua, in primis arterioſa, oſculis ſuis in cavitatem hiantia, quoad uterum, menſium obſtructionis ſubjectum conſtituunt, quatenus à variis cauſis vel obſtructa, oppleta, vel quocunque tandem modo coarctata ſanguini tranſitum denegant, ſed eum reſtagnare in iiſdem, & ad cor & totum corpus uterum redire cogunt. *Wedelius §.7.*

30. *Seu propter nativam vaſorum anguſtiam, ſeu propter acquiſitam*) Quidnam Obſtructionem menſium efficere poteſt, à quâ chloroſis dependeat? Hic ſtatim notandum Cauſas Obſtructionis ejus magis poſitivas huc ſpectare, privativas verò minùs, præterquam remotè, quatenus depauperatus undecunque ſanguis organismum hunc recipere non æque poteſt, unde in chloroſi magis copiam humorum deprehendimus: Quamvis enim a nimiâ profuſione ſanguinis, per hæmorrhagias ipſoſque menſes immodicos pallor taliſmodi oriatur, ille tamen chloroſis proprie non eſt, aliamque expoſcit curationem, Neque obſtat videri poſſe inde ruborem potiùs in corpus redundare debere, quando obſtructis menſibus ſanguis cumulatur, non enim ſibi relinquitur tunc ſanguis, ſed conſpurcatur, figitur, ſpurceſcit, adeoque à naturâ ſua abit, Supprimuntur verò, ſeu obſtruuntur menſes, ſive nunquam adhuc fluxerint, ſive fluxus hactenus ordinarius ſubſiſtat, à cauſis poſitivis duplicis generis, quarum altera, ut diximus, in ſanguinis maſſa latitat, altera verò in ipſa uteri ſubſtantia exiſtit, utraque verò viarum, per quas excerni ſolent menſes, legitimam conſtitutionem vitiat ac lædit.

Quæ in ſanguine latitat cauſa, ſunt partes ejuſdem groſſiores, craſſiores, terreæ, tartareæ, quocunque tandem mo[illegible] in ipſo genitæ, vel eo traductæ, quæ craſſitie ſuâ & mole vaſorum circa uterum anguſtias replent ac refarciunt, quo[illegible] reliquæ liquidæ ex oſculis in uterum depluere poſ[illegible] originem verò ſuam dictæ obſtruentes particu[illegible]m internis viſcerum læſionibus, tum ex[illegible]ſſimùm cauſis utriſque vehiſicantibus debent, erroribus ſcil. *in ſex rebus non naturalibus*, commiſſis, quorum mentionem facere non de nihilo erit.

Sic *Aer*, tum frigidus, tum humidus, ſæpius iiſdem anſam præbet, ſive quiete ſolummodo in corpora ſubjecta agere credatur, ut nonnulli volunt, ſive poſitivo quodam ſale nitroſo aut ammoniacali polleat, ut aliis placet; Si enim prius, nimia iſta aëris preſſura motum ſanguinis utrumque maxime poteſt impedire, & craſſities ac cohæſio partium ſanguinis prompte conſequentur, Sin poſterius, acido iſto aeris occulto ſanguis non poteſt non coagulari & in grumos præcipitari, ut ab omni acido alio toto die contingere videmus: Efficere autem illud valet Aer frigidus, tum inſpiratione in pulmones & conſortium ſanguinis admiſſus, tum corpori circumfuſus poriſque illapſus, ubi ſanguinem ſubcutaneum eò citiùs afficere & alterare poteſt; Huc referendæ lotiones linteaminum, aliæque ex aqua frigida, immiſſio pedum in frigidam, inprimis inſtante vel durante menſium fluxu.

Nihil poriò magis partes craſſiores in ſanguine generat, quàm *Cibi ac Potus*, ſeu potius in genere, Aſſumptorum vitia, qualis enim chylus ex aſſumptis in primis viis conficit, talis hinc ſanguis in corde ut emergat neceſſe eſt; Sic cibi crudiores, craſſiores, coctuque difficiliores, quales ſunt fumo induratæ carnes, piſces groſſiores, marini, muriâ conditi vel exſiccati, item humidiores, frigidiores, facileque putreſcibiles maximè accenſendi, qui ventriculo negotium faceſſentes non reſolvuntur ſufficienter, ſed crudior indigeſtaque moles in ſanguinem transfertur: Par ratio eſt viſcidorum omnium & irreſolubilium, non ritè fermentati panis, placentarum adhuc à furno calentium, ſimiliumque eduliorum, nec minùs humiditate nimiâ laborantium corruptibilium fructuum horariorum, melonum, cucumerum, & inprimis lacticiniorum: Quo ſpectant ea quæ virtute ſtypticâ pollent, meſpila, ſorba, caſtaneæ, ipſaque medicamenta adſtringentia incautiùs uſurpata. Quin Virguncularum quarundam abſurdus appetitus, his nondum contentus, alia abſurda, & cibi aliàs minùs apta arceſſit, quo cruditates cumulet, calcem, cretam &c. quibus albicantem colorẽ, formæque adeo gratiam conciliari poſſe ineptè ſibi perſuadent.

Inprimis verò huc pertinent *Acida*, & ex iis parata omnia *acetaria*, quibus præter modum delectari ſolent virgines, Acida quoque ſanguini admixta eundem promptiſſimè coagulant & in grumos cogunt, quo facto in ductibus ſanguifluis viſcerum ſubſiſtere cogitur: Neque alius effectus oritur ab aquæ frigidæ potu, quo [illegible] nocentius aut ſiſtendo menſium profluvio aptius eſt, teſte *Langio Ep. 51 lib. 2.*

Motus corporis tum excedens tum deficiens, ſeu *Quies nimia* ad generationem crudioris ſanguinis plurimum confert, maxime autem motus nimius noxius eſt ſi à paſtu inſtituatur, & chylus crudus in vaſa chylifera urgeatur, quod in choreis ducendis virginibus ſolenne eſſe conſuevit, unde & ab ejuſmodi ſaltationibus ſæpius ſtatim menſtrui fluxus defectum ſentiunt; *Quies* verò nimia, vitaque deſes ac otioſa, cumulando omnis generis excrementa per motum tempeſtivum alias diſcutiſolita, crudiorem ac vappidum reddit ſanguinem obſtructionibus generandis aptiſſimum.

De *ſomno* longiori idem eſto judicium quo nihil magis auget in corpore colluviem in coagulum.

Affectuum tandem *Animi* in ſiſtendis menſibus vis maxima eſt, præcipuè illorum qui ſpiritus animales concentrando ſanguinis circulum [illegible], & adeo motum ejus à circumferentia ad centrum procurant, ut ira, terror, metus, Non ſemel enim obſervatum fluentes menſes inopinato terrore [illegible].

In ipſâ verò uteri ſubſtantia quæ latitant obſtructionum cauſæ ſunt vaſorum & pororum circa uterum indiſpoſitiones variæ, Sic quandoque in juvenculis quæ nunquam adhuc menſes expertæ ſunt, vaſa p.n. ſunt occluſa, ut exitum licet affectet, non invenire tamen poſſit ſanguis, ſed regurgitare cogatur: Et hæc cauſa ſine dubio eſt, cur primis pubertatis annis

ſæpius hoc affectu laborent virgunculę antequã ſanguis ſibi viam paraverit,qua liberè exire poſſit ſtato tempore In aliis morbis uteri alii,ut ſcirrhi,tubercula , tumores pororumq; nimia ſtrictura in cauſa eſt, cur excerni non poſſint menſtrua; Hæc autem vel naturaliter adſunt,ab internis cauſis producta,vel externis erroribus originem debent,Balneis enim adſtrictoriis, qua virginitatem ſibi conciliare ſtudent defloratæ, injectionibus ; aëre frigidiori improvide admiſſo , talis vaſorum & pororum conſtrictio promptè excitari ſolet ; Huc ſpectat etiam ipſa oris uteri interioris & vaginæ p.n. occluſio , ſive ab ortu adfuerit in atretis ſive quibuſcunque de cauſis, vulnere,ulcere,lacerationibus inducta. *Wedelius* §.10.11. & 12.

31. *Eſu tritici*) Quod copiosè aſſumptum, & per ſe, obſtructiones generat , & gravitates cum torminibus cum reſpirandi difficultate , quod etiam coctum & elixatum caliginem oculorum & oppreſſionem parit , ex *Galeno l. de Alim.fac. Ranchinus Tract.de morb. virg.p. m. 385.* Vis tritici oppilativa patet ex ejus pulte , ex qua gluten efficaciſſimum paratur ; & obſtructionibus quibus obnoxii infantes, qui eâ veſcuntur.

32. *Calcis, Cretæ, tergæ*) De Calce & de Gypſo dubitare licet an & quomodo Chloroſin inferant, cùm calidiſſima ſint,& ulcerativa ob igneam utriuſque facultatem;Dicendum tum calcem,tum gypſum,in duplici ſtatu conſiderari poſſe,ante ſcilicet & poſt extinctionem, *ante*, credendum non eſt virgines devorare , quia exurerent earum viſcera atque ulcerarent; *Poſt* verò,depoſitâ igneâ illâ acquiſititiâ facultate,&refrigeratione introductâ, dolorem ventriculi,ſingultum,ſuffocationes,dyſpnœam , refrigerationes & obſtructiones , ac proinde chloroſin inferre concedimus.

Sic pariter *cineres* & *carbones* , eadem præſtant ob ſubſtantiæ craſſitiem, gravitatem naturæ infenſam , & partibus naturalibus adverſariam : Si quis obiiciat ſalis dominium , in cineribus obſtructionum generationem impedire , cùm in ſale vis apetitiva præcellat,Dicendum illud verum eſſe poſt ſeparationem ſalis à ſubſtantiâ terreſtriori , non autem antea , cum ſit per mixta, nulliuſque activitatis,aut ſenſus in cineribus. *Ranchinus.*

33. *Nucis moſchatæ*) Hujus immoderatum uſum hepar nimium calefacere & exſiccare,bilioſique humoris proventum juvare cenſeo , neque enim omnes cauſas externas eodem modo chloroſin inducere cenſeo.*Idem*

34. *Potatione aceti*) Quomodo acida concurrant ad chloroſis productionem,vide §.30. *Seu propter nativam vaſorum anguſtiam, ſeu propter acquiſitam.*)

35. *Viſcerum aliorum obſtructione*) Cauſæ obſtructionum,quæ in venis hypochŏdriorum & uteri contingũt, ſunt humores craſſi,viſcidi,& crudi,ex pravâ plerumque victus ratione geniti: Virgines enim iſtæ largo aquę frigidæ potu,horâ ſomni,vel mane jejuno ſtomacho utuntur; aliæ acetum,olera,fructus immaturos,vel ipſam nivem & glaciem avidiſſime devorant,Vnde calor partiũ nativus obruitur,& magnus fit crudorum excrementorum proventus: Aliæ nimio ſomno indulgent, aliæ otio immodico,ut quæ ſuendi gratia pulvinaribus toto die affixæ,maximo ſæpe frigore torquentur;aliæ intempeſtivis vigiliis & exercitationibus utuntur,ut choreis ſtatim à paſtu,quas in longam noctem cum amaſiis producunt;quibus utplurimùm accedunt graviſſimæ curæ, & varia animi pathemata, ex quibus coctiones ordinariæ plurimum evertuntur,& multa cacochymia inducitur. *Riverius.*

36. *Obſtructione*) An obſtructio habeat rationem morbi principalis ? Qui negant duo obiiciunt, 1.palleſcere poſſe virgines citra obſtructionem, atque hoc conſtare ex molli hypochondriorum& laxâ tractatione,2.non febricitare chloroſi laborantes,quod non contingeret, ſi adeſſent obſtructiones,præſertim contumaces, cùm ſine febre ex *Galeno* diu non poſſint perſeverare ob prohibitam tranſpirationem , Nos contra obſtructionem habere hic morbi rationem cenſemus,ſive enim ab impedita ſanguinis menſtrui vacuatione , ob vaſorum internam anguſtiam pendeat,ſive à concurſu cauſarum externarum obſtructionis incrementum ſemper neceſſarium eſſe cenſemus; à refluxu ſiquidem ſanguinis venæ replentur,& partium etiam cavitates; ab uſu quoq; pravorum alimentorum refrigerantur viſcera,&crudi humores ſuccreſcunt, unde obſtructio.

Obſervandum autem hic obſtructionis iſtius naturam,ſive in venis ſit,ſive in viſceribus,differre à communi omnium corporum obſtructione, eò quòd frigidam inferat in toto corpore intemperiem, Nam, ut in aliis obſtructionibus,ob defectum ventilationis incaleſcunt viſcera & putreſcunt humores unde febris,ſic in iſtis crudeſcunt,humores refrigerantur,&impactiores fiunt, atque univerſalem quaſi refrigerationem corpori inſinuant per oppreſſionem caloris nativi , ideoq; virgines hoc affectu laborantes torpent , & quaſi ad motum inhabiles &ad functiones evadunt,ob introductam frigiditatem unde patet ad ſecundam objectionem, Quod ad primam ſpectat:dicendum aliquando interiores obſtructiones, & in meſenterio vel venis latere, pręſertim ſi morbus levior ſit, & in ortu adhuc, Communiter autem apparent per contactum, tum etiam per urinarum aſpectum & per curationis ſucceſſum , ab uſu aperientium. *Ranchinus opuſc. p.38.*

37. *Nam ſanguis menſtruus viis non patentibus advenas & viſcera*)Quæ menſiũ ſuppreſſio,Chloroſeos cauſa remotior eſt,Hæc enim eſt quę toti ſanguinis maſſæ vitioſam iſtam diſpoſitionẽ inducit: Sanguis quippe fœminarum ſeroſior eſſe ſolet,unde ſingulis menſibus excernitur, quo menſtruo fluxu ſuppreſſo , ſeri copia nimis augetur & quæ jam ante reſpectivè pauciores aderant ſalinæ , volatiles ac ſulphureæ particulæ ulterius ab aqueis ſupprimuntur,motus uterque, inteſtinus ac circularis, imminuitur, totaque maſſa vappeſcit ac corrumpitur : Et hanc ob cauſam reliqua quoque viſcera imo ventris vim patiuntur in Chloroſi,hepar inprimis,lien, pancreas,glandulæque meſentericæ,& plurimæ aliæ,ob reſtagnantem & coacervatum in ipſis ſanguinem crudiorem,vappidum , obſtructionum plurimarum autorem. *Wedelius* §.9.

38. *Vaſa obſtruit & calorem obruit*) Eſt obſtructio vaſorum circa uterum , varia ſymptomata concitans; Cùm enim virginibus ſanguis ad uterum confluat,ſi obſtructis vaſis effluere nequeat,redit in præcordia,variaſque partes afficit,caput, hepar, cor,diaphragma,lienem, meſenterium,ſtomachum; Vnde dyſpnœæ,cordis palpitationes, lypothymiæ,capitis dolores,vertigines,deliria, cibi faſtidia; cardialgiæ,picę, malaciæ, hepatis & lienis inflatio,pedum tumor, humore frigido & tenui ad pedes delabente.

Vnde patet affectum hunc eſſe frigidum, non calidum,nam tumor pedum & faciei œdematoſus , cachectica faciei & corporis diſpoſitio,urinarũ cruditas & tenuitas, frigidum humorem arguunt , unde etiam ad curam exercitationes præſcribimus & Venerem , & quæcunque calefacere, humores incidere, menſeſque movere poſſunt , ſicut rectè ſcripſit *Hippocr.4. Acut. Sanguinis ſuppreſſiones morbos concitare.*

Hinc malè quidam cavillantur ſanguinis ſuppreſſiones potius ſanguineos calidoſque morbos inferre, cum ſane potius contrarium contingat , ſcilicet ſuppreſſum ſanguinem , quia calorem nativum opprimit , qui vix poteſt habere ἐκλαμψιν, corpus potius refrigerare, quàm calefacere: unde nec ſynochus febris illis contingit,ſed mitis quædã, levior & inordinata, quia vaſis majoribus ſanguis non continetur, ſed refluit ad viſcera:

Vnde

Vnde quamvis in ætate iuvenili, quæ calida eſt, cum febricula, ſiti, pulſuſque celeritate contingit, biliſque ſapor in lingua etiam interdum ſentiatur, affectum tamen calidum dicere non poſſumus, quia morbi etiam frigidi juvenibus contingere poſſunt ſi prava victus ratio, aliarumque cauſarum externarum concurſus accedat; Vnde ſi quæ adeſt febris, ea febricula tantum eſt; pulſuſque frequentia ob defectum ventilationis accidit, poſſuntq; & ſitis & bilis in ore ſapor cum frigidis craſſiſque humoribus affectuque frigido conjungi. *Primroſius.*

39. *Hinc mala in viſceribus collio*) Vitia, ſeu viſcerum κακωσις, *modo* cauſæ vicem ſubit; altero caſu menſium ſuppreſſionis, quando ipſorum culpâ orgaſmum ſuum debitum ſanguis non ſubit: Modo comites ſunt ſocii coloris vitioſi in habitu corporis, ab eodem principio producti: Hinc virginibus cachecticis, febrique alba laborantibus, ut reliquo earum corpori, ita jecori etiam pallidus inhæret color penuriæ ſanguinis in corpore manifeſtum indicium, verbis *Harvæi Exerc. 50. p. 154. Wedelius* §. 9.

40. *Curatio* 41. *Feſtinanda*, qui ſterilitatem infert, aut partum infirmum reddit. 42. *Difficilis*, 43. *ſi* cor valdè afficitur: *ſi* humores caput petunt: 44. *ſi* hepar ſimul afficitur: *ſi* cibi pertinax faſtidium & abſurdorum ingens deſiderium adeſt. *Facilior, ſi* ſaltem 45. ab utero oritur: *ſi* 46. menſes fluere incipiunt.

47. Abſolvitur I. 48. *Vena ſectione*, 49. præcipuè in talo, ſi malum recens eſt, 50. nec ſanguis in alium humorem abiit: ſi à vacuatione ſanguinis ſuppreſſa oritur.

II. 51. *Purgatione*, præmiſſis 52. præparantibus.

III. 53. *Deobſtructione*, 54. in qua omnium 55. viſcerum habenda eſt ratio. 56. Menſium ſuppreſſio maxime attendenda. 57. Laudantur 58 *Chalybs præparatus, radix ſcorzoneræ, Lapis Bezoar, oleum cryſtallorum &c.* 59. *in Diæta acetum* fugiendum eſt.

40. *Curatio*) Quicunque legitimam fœdorum colorum curationem inſtituere volet, ei multa conſideranda erunt, ut non tam in unius affectus curam incumbat, quàm multa ſymptomata inſpiciat quorum quodque medici conſilium ad ſeſe convertet; nec enim eam ſymptomatis quam morbi rationem præ ſe ferunt. *Ballonius Cap. 7. lib. de virg. & mul. morb. p. 111.*

Animadvertant quoque ij qui fœdatis virgunculis operam aliquam ſunt navaturi, cautos ſeſe hic gerere oportere, ac fortè ſequendum conſilium *Galeni cap. 3. lib. 12. meth. & cap. 7. lib. de ſang.* miſſione quod in ſuccorum crudorum abundantia proponit, ut nimirum & in frictionibus conſiſtamus & in unctionibus mediocriter calefacientibus & potibus craſſitudinem humorum incidentibus; ſed ita res ſunt temperandæ, ut nec valde calefacientia, nec impensè attenuantia uſurpemus. *Idem Id. p. 95. & 96.*

Et ut nocet plurimùm in arte medica exactam nimis methodum ſequi, quod agendorum cognitio ſit valde difficilis: ita in fœdis coloribus, eſt ubi ſecanda vena purgandumque eſt, eſt ubi negotium naturæ tradendum, & eſt ſæpe locus medicamentis aperientibus, detergentibus, rarefacientibuſque, idque pro re nata. *Ibid. p. 98.*

41. *Curatio feſtinanda*) Sciendum primo, ſi ullibi hic principiis obſiſtendum, aliàs enim Cachexia adeo rebellis evadit; ut ſerò aut nunquam curari poſſit; Ac quamprimùm incipientis ſigna ſe produnt, in colore faciei mutato, curatio eſt ſuſcipienda. *Franc. Sylvius.*

42. *Difficilis*) Affectus hic utplurimùm periculoſus non eſt, ad longum tempus perſeverat; Si tamen nimium negligatur, & altas radices agere permittatur, ita ut magna nutritionis depravatio contingat, partium naturalium graves affectus, ut ſcirrhi, aliique tumores, tum etiam propriæ ſubſtantiæ corruptiones contingunt, quæ per hydropem, febres longas, alioſque graves caſus ad interitum perducunt. *Riverius.*

Diuturnus utplurimùm ſolet eſſe affectus, præſertim ſi reliquorum viſcerum obſtructiones conjunguntur, vel cauſæ menſium ſuppreſſionis ab uteri malâ conſtitutione dependeant, Sin ab aliis cauſis ſupra adductis, ſoloque vaſorum circa uterum infarctu, nec adeo diuturno, productus ſit, commodis adhibitis remediis non adeo difficulter cedit; Longitudinem hanc moderantur quoque ſymptomata alia conjuncta, prout iſta graviora & plura, aut leviora ac parciora adſunt.

Siniſter quoque eventus timendus, ſi pertinaces aliæ obſtructiones fuerint, & vel hydrops preſſo ſequatur pede, aut polypi indicia appareant, vel phthiſis conſequatur, à quâ evadendi nulla ſpes eſt, niſi præter alia ſigna bona menſes ſplendidè ac pure id eſt ad naturæ priſtinum modum appareant, teſte *Hippocr. l. 2. Prorrh. c. 12. t. 6. & 7.* Wedelius.

43. *Difficilis ſi cor valde afficitur*) Affectus hic levis quidem primâ fronte apparet, periculum tamen non leve in receſſu gerit, cùm ſuppreſſionem menſium diuturnam ac graviorem utplurimùm ſupponat, quam reliquorum viſcerum, hepatis, lieni, obſtructiones, ſcirrhi, aliique morbi vel fovent vel promptè conſequuntur; Verbo, chloroſis, æque ac cachexia in genere via eſt ad hydropem; principia enim vitalia ſenſim alterantur, & calor nativus paulatim extinguitur.

Quin ſi vera ſunt quæ Authores practici fere omnes memorant, quandoque corde nimis oppreſſo mors ſubita accidit, Id quod tamen alio modo contingere vix poteſt quam ſi in cordis ventriculis forſan genitus polypus ſubito abrumpatur & ſuffocationem inducat. Generari verò hûc ab ejuſmodi ſanguine viſcoſo in virginibus diutina menſium obſtructione laborantibus, obſervationibus ſingularibus confirmat, *Malpighius Diſſert. de Polypo cordis p. m. 268.* ubi ſimul notat non in corde tantùm fibroſum ejuſmodi coagulum repertum, ſed pancreas quoque cæteraſque per abdomen & thoracem diſperſas glandulas, ex turgente concretaque materia inſignes & duriores redditas fuiſſe, quæ ſuperiùs dicta obiter ulteriùs confirmare poſſunt. *Wedelius.*

Iſto affectu liberata eſt quædam ſcabie multa oborta toto corpore, & præſertim in manibus, cum calore penè incredibili & intolerabili, *Ballonius Eodem cap. Annot. 17. p. 150.*

44. *Si Hepar ſimul afficitur*) Affectus hic ſplenicum *potius* quid habet, videas enim maximam Virginum fœdis coloribus laborantium partem quidpiam in ſiniſtro hypochondrio dolitans habere, cum ex *Galeni* ſententia *capit. 2. lib. 5. K T.* viſcus hoc maxime indurari ſoleat ſanguine in iſto viſcere concluſo, qui exitum liberum cùm non habeat, facilè duritiem afferat, indeque tumorem mirum ne ſit de ea potiſſimum parte virgines queruntur, & quæ patiuntur aliquid ſplenicum

reſipiant: Sive enim congeſtio fiat, ſive refluxus ab imis ad ſuperas partes, ſive affluxus à ſuperis in inferas, ſplen alia incommoda perſentiſcit, hinc imbecillitas, hinc durities: quod à nobis dicitur ne temerè aſtingamus ſemper ſplenis tumorem eſſe aliquem, quoties quis de ſiniſtro hypochondrio queritur, quod tacitant Eraſiſtratæi quidam noſtra ætate Medici, qui quũ de dolore in alterutro hypochondrio audiunt, malè admodũ cõminiſcuntur duritiem contractam: itaque ſi infirmitas in Liene contracta eſt, propterquam nequeat legitimè hepar repurgare, aut ſi durities eſt, aliud ineatur conſilium; item & aliud cum febris adeſt, aliud cùm eadem abeſt: ideo *Galen.* legitimæ Lieni medendi rationis ſumma attingens capita, primùm ſi incidere; tenuare, reſeraréque conſilium eſt, ita temperatos nos eſſe vult ut iis utamur quæ vim tenuandi citra manifeſtam qualitatem habent, ne vehementiùs ſuccus calefactus incraſſetur obturetq; magis: quoniam verò ſpongioſa pars eſt Lien, cujus attrahendi facultas (quam tamen validam eſſe oportet ut coloris ſuavitas concilietur, hepatque defæcetur) facile hebeſcit ac molleſcit, ita nativi temperamenti ratio tenenda eſt, ut quicquid moliamur, robur concilietur, alioqui humore nigro non profecto calor malus fœduſque, corpori inuritur. *Ballonius l. de v. m. p. 112.*

45. *Si ſaltem ab utero oritur*) Quando levior eſt affectus, & à venarum uteri obſtructionibus potiſſitiſſimùm ortum ducit, in juvenculis virginibus conjugio feliciter curatur. *Riverius.*

Chloroſis vitio uteri aut ſeminariorum vaſorum orta.

45. *Ab utero oritur*) Hic variis affligitur paſſionibus, iiſque ſaltem communibus cum aliis corporis partibus, v. g. nunc inflammatione, nunc tumore aquoſo, cancro, ſcirrho, quæ tamen pathemata non uterum ſolùm, ſed & alias corporis partes affligunt: De cætero, cum reliquis corporis partibus nullum habet commercium uterus niſi per plexus nervoſos; Vnde *quæ ex utero ſunt pathemata, per conſenſum fiunt per nervos*, & fiunt *ſpaſmi* & *pathemata convulſiva*, ut v. g. quando parturiunt, Quando ergo uterus accuſatur, minùs commodè fieri ſolet, ſed ſunt ſaltem *accuſationes uteri.*

Miſſo ergo utero, pathemata iſta quæ vulgò tribuuntur utero originem ducere *dicimus* ex liquoris ſeminalis plus minùs turgeſcentis & menſtruorũ ſuppreſſione, Nempe cùm videamus quotidie quod & aliquantum ſeminalis liquoris, etiam in naturaliter conſtitutis, his quibus abundat, totúm corpus alteret.

Quod liquorem hunc attinet, in proſtatis glanduloſis; & forſan etiam in vagina uteri elaboratum, hic ibidem retentus & turgeſcens dat Satyriaſin: retentus enim & ſuppreſſus plus minùs alteratur, alteratus depravatur, unde inſignis in corpore univerſo oritur alteratio: Saltem conſideremus alterationes quæ mulieribus tempore pubertatis accidunt, ſimillimæ iis quæ viris obveniunt ex causâ eadem: multò magis ergo ex maſsâ ſanguinea alteratâ evenient ſymptomata, quia inquinata eſt ab hoc liquore ſeminali.

Difficile autem eſt negotium cognoſcere hos affectus, qui oriuntur ex vitio *liquoris ſeminalis retenti, corrupti & alterati*: Febris alba quidem ex pathematibus facilè dignoſcitur, v. g. in ſpecie oritur ex liquore ſeminali (ſuppreſſo innuitur,) cum citra errorem diætæ malum inchoavit, & fluentibus menſibus mulieres nubiles ſalaces hoc malo corripiuntur; Confirmatur conjectura, ſi virgo aut mulier nubilis fuerit, & aliàs fuerit petulans, facta vero poſtea triſtis, anxia, & in alium ſtatum mutata; Accedit ſi mulier ſit vidua, ſi adſit diæta lauta, vita ſedentaria, potus generoſus & alia liquorem genitalem augentia; His & ſimilibus confirmatur Medicus ut habeat ad hæc mala reſpectum, ex liquore ſeminali derivanda.

Cura, Nil faciliùs eſt, aut magis in promptu quàm congreſſu valido curare; Verùm ſi non liceat, ad remedia alia accedendum, Interim tamen pauca, vel nulla, horum apud Authores fit mentio, aut ſi fit mentio, ſunt *Anti-cachectica*, ſed malè; ergo omnibus viribus collimandum, ut *liquoris ſeminalis vitium* corrigatur, *maſſæ ſanguineæ dyſcraſia* emendetur, hinc variis inde natis ſymptomatibus appropriatis remediis poſtmodum ſuccurramus, *Symptomata* quæcunque obvia, eorumque truculentia ſiſtenda eſt *opiatis*, quæ tamen in talibus malum ſaltem palliative, non autem radicitus curant, Saltem nempe Symptomata mitigant.

Eminet ergo inter *remedia* ſemen *alterantia & corrigentia*, hinc *maſſæ ſanguineæ dyſcraſiam*, & *ſpirituum animalium vitia emendantia*, *camphora*, His *opiata*, ſpecificis permiſta adjungantur, *ſuccinum & ſuccinata*, ſpeciatim quidem *ſal volatile ſuccini acidulum*, quæ ſunt ſingularia, quando etiam *hyſterica pathemata* & *convulſivos affectus* tollunt: His addantur *Myrrhata*, cujus balſamica vis corruptionem liquoris ſeminalis efficaciter emendat, in ſpecie *eſſentia myrrhæ*, & *ſpiritus ſalis dulcis*, aut *ſpiritus nitri dulcis*. Convenit etiam *caſtoreum* & omnia *caſtorina*: Tandem habemus *ſaccharum Saturni cryſtalliſati*, *mineram Saturni* paratam cum *ſpir. nitri*, acuatam cum *aceto*, quo menſtruo eliciuntur ex minerâ Saturni purâ cryſtalli, egregium hujuſmodi affectibus primariò, quando occaſione talium vitiorum delirium imminet, ſiquidem & vitioſum ſaporem humorum corrigunt, & maſſæ ſanguineæ efferveſcentiam ſiſtunt: His addantur *acida moderata*, nempe *citrus & citrata*, *cydoniata*, *granata*, omnibus addatur *nitrum* & omnia *nitrata*, utpote quæ mala ex *corruptione liquoris ſeminalis*, & ejus turgeſcentiam ſolent ſiſtere: Forſan & *terebinthinata* partibus & locis menſtruis mundandis dicata, hic ſuam merentur laudem: Tandem *venæ ſectio*, Item remedia ſeminis abundantiæ dicata, & ſimilia hic ſuum locum obtinent. *Etmuller.*

46. *Si menſes fluere incipiunt*) Magna ſalutis ſpes elucet cùm menſtrua ſtatas periodos repetunt; & debitâ quantitate ac qualitate donata progrediuntur, *Riverius.*

47. *Abſolvitur*) Curatio hujus affectus perficitur Obſtructionum apertione, vitioſorum humorum ex toto corpore vacuatione, & intemperiei viſcerum correctione eorumque roboratione, *Riverius.*

Curatio conſiſtit in ſanguinis quovis modo vitioſi correctione, obſervata vitii ſpecie atque cauſa vera, ſive una ſit ſive multiplex: Prout igitur hic vel ille humor primariò, hoc vel illo modo peccans, ab hoc vel illo in rebus naturalibus errato pendens ſanguinem vitiavit, eligenda quæ blande paulatimque tum notatum humorem, tum ſanguinem ipſum alterare, ac ad conſtitutionem naturalem reducere poſſunt; aut ſaltem quodammodo correctum ſenſim evacuent: Perſeverandum autem aliquandiu in medicamentorum convenientium uſu, præſertim ubi radices fixit, & quidem in proficientium uſu, ac ſi abſque faſtidio aſſumat æger; In diutinâ verò ſemper conveniunt Pituitam tenacem corrigentia & vacuantia, cum omnes affectus diuturni ab illa vel in totum, vel ex parte pendent. Sin illi copuletur humor Acidus, vel ſalſus muriaticus, quod frequentius contingit: aut ſalſus lixivus, ſive bilioſus, quod rariùs, conjungenda ſunt medicamenta utrique indicationi ſatisfacientia. *Fr. Sylvius.*

Noſtrum ſi rogites votum in hac curatione, hoc tale erit, Omni opera, & ſtudio innitendum erit ut ſpiritus Plaſticus à torpore excitetur; ſpiritus animales è ſuo ſuo excitentur, & Acidi viſcidi humores corrigantur, & correcti educantur, Et ſimul ventriculi habenda ratio. *Joh. Dolæus.*

47. *Ab-*

47. *Abſolvitur*) Curatio meliùs fieri non poteſt, quàm ſi methodo conſueta utamur, nimirum Indicatione tum *Curatoria*, qua primaria læſio cauſæque illam maximè foventes tolluntur, tum *præſervatoria*, qua cauſarum illarum generatio ulterior prævacetur, ſimulque quæ *Vitalis* eſt, vires tum vitales tum animales roborantur, Hoc modo enim ſuperflua illa ſeri copia in toto corpore reſtagnans non tantum alterabitur & evacuabitur, ſed menſium quoque obſtructione commode reſerata viſceribus tonus debitus ac vigor priſtinus reſtituetur. *Wedelius.*

47. *Abſolvitur*) Elegantem hujus morbi curationem affert *Aetius cap. 54. lib. ultim.* Hic *inquit*, plurimos labores imperabimus, & eduliæ calidiora, vinum fulvum, odorum, vetus, minime dulce, aqua marina dilutum.

Medicamenta calore ſuo ſanguinem diſſolvant, *thym. puleg. calaminth. dictamn. abrot. irid. apphodel. cortic. rad. mori, mercur. caſſiæ, carpeſ. ſchoen. ſpicæ Ind & Celticæ, acori, mei, phu, ſabinæ, azari*, & ſimil. decoctum. Hæc ſingula *in vino albo* coquantur, & vinum colatum calidum à balneo, jejunis bibatur: *Succus Cyren. ervi* quantitate potus, aut *opopan.* ʒj. aut *ſagapeni* tantundem, aut *myrrhæ* magnitudine fabæ, aut *caſtores* ʒj. aut *angelicæ* pota & ſublita, Idem poſſunt ſeminum nobis familiarium decoctum veluti *cymini, fœnic. petroſel. laveris, dauci, ammi, cicerum.*

Eſt & hoc efficaciſſimum

℞. *Puleg. artemiſ. Salviæ, rutæ, anethi āā. m. j. piper. gr. xx. aquæ ſextar. duos: Piper contuſum cum herbis per noctem aqua maceratum mane coquatur ad dimidias, adde mellis q. ſ. & cyathi duo jejunæ exhibeantur.*

Ipſa vero ſenſim ambulare jubeatur, & lectica geſtetur: Tempus autem commodum eſt, aut inſtante purgationis tempore, aut ſtatim poſt unctionem, fomentum & balneum bibat; ita ut in calidum adhuc & ſolutum corpus illabens medicamentum vires ſuas efficacem declaret.

Si hæc nihil profuerint, alius potentior modus exquiretur, E[go] mulierem curavi *purgante pharmaco ex euphorbio & petroſelino*; Si redundans humor atra bilis fuerit, *epithymi* ʒv. exhibeto, cum *oxymel.* hemina pauco *ſale* adjecto.

Plerique etiam *vomitus* profuit, ſed ante vomitum ſumant *thymi*, aut *orygani*, aut *hyſſopi decoctum*: Deinde poſt vomitum *Centaur. aut abſynth. cremorem.*

Quin & Peſſis utendum, ſed non valentioribus, ex *elater. canthar. cyclam. felle bubulo veratro*, Periculum enim eſt ne ex ejuſmodi medicamentorum vehementia, inflammationes, ulcera, & febres exoriantur.

48. *Venæ ſectione*) De qua dubium, an in uſum vocari debeat, necne, ab una enim parte illam ſuadet evacuatio per menſes ſuppreſſa, quæ nullo promptiori auxilio curari poteſt, quàm ſ. m. Contrà verò prohibere eandem videtur cachexia conjuncta, & particularum oleoſarum ac balſamicarum defectus, quæ ulteriorem illarum depauperationem omnino diſſuadent, Vti vero ſemper potioris habenda ratio eſt; in Chloroſi verò omni cachexia à menſium ſuppreſſione dependeat, nec niſi illâ ſublatâ commodè tolli poſſit, ita quoque in ejus curatione v. ſ. omnino locum habere poteſt, imò debet, menſibus enim ſuppreſſis, vel non ritè fluentibus, nullum ſub Sole utilius eſt remedium: Non tamen illud contradicens, planè negligendum, unde parcior eſſe debet V. S. in decoloribus: Præterea etiam videndum ſi illam permittunt vires, ſi nondum ſunt exhauſtæ, ſed, ut fieri ſolet, magis oppreſſæ quam reſolutæ. Tempus quoque eandem moderari poteſt, ſi enim menſes non adeo diu obſtructi fuerint, viriumque minor debilitas, circa curationis principium ſtatim in uſum vocari poteſt: Sin cachexiæ majori gradu adfuerit, & v. ſ. impedire queat; poſt aperientium uſum, alterataque prius ſanguinis maſſa, illa inſtitui demum poteſt. *Wedelius.*

48. *Venæ ſectione*) Sed primò Purgans exhibendum, laborantis naturæ & temperiei congruum, ex benignioribus compoſitum, ut primam tantùm regionem evacuet, idque præmiſſo clyſtere, ſi alvus non ſit libera: Sin puella fuerit exanguis, aut Cachexiam incliner, à V. S. abſtinendum. *Riverius.*

48. *Venæ ſectione*) An venæ ſectio ex uſu eſt? cùm in ea affectione, aut alimenti defectio ſit, aut ejuſdem, cum mole corporis, crudi aut corrupti & ſanguinis limites intra ſuprave excedentis, exceſſus aliquis, plenitudinem ad vires potiùs quàm ad vaſa inducens, non præter rem ea de re quæritur: pura plethora tutò ſectione tollitur, in impura cunctantiùs agendum, parciùs vero atque reſtrictius quò impurior fuerit: nam *Galenus, cap 4. lib. 4.* de tuenda valetud. de laſſitudine ulceroſa diſputans rem definivit, *videndum ait, an laſſitudo cum ſanguinis copia ſit, an cum crudis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor laſſitudinis author, nam ſi eſt cum ſanguinis copia, aut ſecanda vena, aut aliquid ſuppar agendum, ut provocanda hæmorrhois aut ſanguinis fluor, quod ſi vitioſi tantùm ſucci, hique citra ſanguinis copiam, purgatio tentanda eſt: ſin crudi humores, mitiſicatione domabuntur*, cæterùm ſi corpus virginis probè ſit conſtitutum, ſed aut interno vitio, aut victus errore cacochymia contracta eſt, huc uſque tantùm demendus ſanguis, dum plenitudinis metus vitetur: calida bilioſaque plenitudo, tutò ſectione venæ minuenda, ob eam maximè quæ inde ſequitur refrigerationem: melancholica parciùs, quod verum quidem ſi refrigerationem ſpectes, quæ tanta non requiritur quanta in ſuperiore bilioſa, ſed ratione aut humoris fæculenti multi, calorem obruentis, aut aduſtionis modo geniti ſucci melancholici, ut in iis contingit, qui olim fuerunt floridi & prærubri, ſanguine prædominante, temporis autem ſucceſſu, corporis prohibita diflatione, melancholici redduntur: ſed inter cæteras in pituitoſa reſtrictiores eſſe oportet, cùm enim humor ſit frigidus, ſectione duplicatur frigiditas, hinc difficultas coctionis ſequetur: accedit quod huic maxima ex parte comes ſit virium imbecillitas, quæ vacuationem iſtam diſſuadet, & cùm morbus longus ſit, temporeque egeat ad mitificationem, aut ſectionem venæ differimus, aut eam parcè celebramus, quod autem in copia crudorum humorum vires langueant, manifeſtè *Galen. cap. 9. lib. de ſm.* explicat, docens illam impedimento eſſe quominùs ſanguis mittatur, idque ratione virium: non tamen quoties à copia gravantur vires, à phlebotomia deſiſtendum, ſed ſi humores ſunt laudabiles qui gravant, & pulſus inæqualitatem afferunt, neceſſariò ad phlebotomiam eundum, non item ſi oppreſſio ſit à crudis ſuccis: quanquam infirmitas omnis per ſe non diſſuadet phlebotomiam, ſed ea maximè quæ ab exhauſto eſt, quæ à ſuccorum pondere aut copia, nonniſi homonymως, in quo pulſus maximè ſunt obſervandi, nam ſi inæqualitas eſt, ut modò magnus, modò parvus, modò tardus, modò celer, frequens aut rarus, mollis aut durus, videndum an plures majores, frequentiores, duriores, ordinati, an contra; & his obſervatis de virium non præſentium, ſed potiùs futurarum ſtatu conjectari oportet: atque hic prudentia medicorum elucet, ac de cruditate & ejus ſignis, præſertim cùm redundant crudi ſucci, qui turgentes præ copia periculum fortè tranſlationis crearent, abundè *Galen. lib. 4. de ſan. tuenda, capit. 4. Sic ubi corpus albidius, pituitoſum humorem arguit: item videas ceu plumbi colorem vel miſtionem albi lividique vel lividum ſolum: ergo hi colores crudos dominari ſuccos ſignificant, qui cùm de genere ſint*

pituita, minùs tamen humiditatis habent quàm ea quæ publicè nominatur pituita, plerumque ei nec lentor ineſt: ſanguis autem velut medius eſt inter bilioſos & hos crudos: illi ex ſanguine nimiùm coƈto ſiunt, hi ex eo nondum ſatis coƈto: itaque de pituita natura participat: & quoniam variæ ſpecies ſunt, prout vel ſupra vel infra ſanguinem reſtitutum, vel ultra proceſſum eſt, audaƈter mittendus ſanguis: ubi plus, conſideratiùs agendum: ubi plurimùm, in his nullomodo mittendus ſanguis: inſpicies quantitatem, ut ſi bonus ſanguis paucus ſit, reliquus ſuccus multus, à ſeƈtione temperandum: ſin bonus multus, ſuccus paucus, audaƈter ſecandum: hinc idem *Galenus partic.* 43. ſeƈt.3. lib.6. Epid. *Quibus copioſus ſanguis, & nondum inſigniter in alterius humoris naturam verſus, audaƈter detrahendus: contra agendum ſi iam mutatus eſt*: Ibidem pag. 87.

49. *Præcipuè in talo*) At non initio, nam tunc vena brachii erit aperienda, quamvis menſtrua ſuppreſſa fuerint; Si enim ex pede tunc temporis ſanguis detrahatur, majores fient venarum uteri obſtruƈtiones, auƈta earum plenitudine: Ex brachio denique ſiniſtro dematur. Si lien magis obſtruƈtus ſit, E dextro verò ſi hepar obſtruƈtiones magis invaſerint. *Riverius.*

Poſtridie ultimi Balnei, ſi menſium ſuppreſſio adfuerit, aperiantur venæ inferiores, & emittatur ſanguis ad ℥iii. idque bis aut ter repeti poterit, eo tempore quo menſes fluere ſolebant; Aut ſi nunquam adhuc apparuerint, quo tempore ægra magis affici & gravius laborare ſolita eſt. *Idem.*

Secatur vena commode in partibus inferioribus, in ſaphenâ, tum in uno pede, tum in utroque, ut eò citiùs ac copioſiùs uterum verſus derivetur ſanguis, & oſcula obſtruƈta perrumpat. *Wedelius.*

Riverii ſententia locum habet in ſimplici menſium obſtruƈtione, at in Chloroſi, in qua cachexia conjunƈta eſt, dubium an repetita v. s. locum habere queat; adeo ut ſi ſ. m. locus ſit, is potiùs ex inferioribus locis demendus videatur, ubi præcipuè ſubſiſtentiam habet.

49. *Præcipua in talo*) Quibuſdam placet venam quæ in ter minimum digitum & annularem decurrit, aperire, ut minor virium jaƈtura fiat, nonnullis veterinariorum morem ſequentibus, videtur legitima aut apertio aut ſcarificatio venarum quæ ad lienis regionem ſitæ ſunt, hæc autem topica potius ſunt. *Ballonius ib.*

50. *Nec ſanguis in alium*) Mulieres decolores, (quibus etiam bonus ſanguis trahatur è venâ) & cacochymæ, malè habent à detraƈtione ſanguinis. Ratio eſt, quia capillares venæ ſunt plenæ virulento & ſeroſo ſanguine, & eſt morbus in habitu corporis, eo modo quo in elephanticis; & incumbendum videtur in habitum ipſum; nam cùm peſtifera morbi vis in habitum ipſum ſit rejeƈta, toties demere ſanguinem è majoribus vaſis, calorem ipſum nativum eſt imminuere. *Ballonius Epid. lib. 1. p. 111.*

51. *Purgatione*) Eduƈtâ eâ ſanguinis quantitate quæ neceſſaria fuerit, ſolennis, purgatio inſtituenda eſt Apozemate aperiente & purgante, quale in obſtruƈtione Hepatis præſcriptum, cui addantur herbæ utero peculiares, *artemiſia, matricaria, pulegium*, Et ſi Lien obſtruƈtus fuerit, addi poterunt quæ illum peculiariter reſpiciunt, *cortex cappar. ſcolopendr. ceterach.* Si verò bilioſum fuerit temperamentum, & calidioris ac ſiccioris hepatis indicia apparuerint, calidiora omnia ſimplicia ex apozemate erunt detrahenda, & aperientia frigida eorum loco ſubſtituenda: In puellis delicatioribus, loco Apozematis, Juſcula ibidem deſcripta uſurpari poterunt, ejuſdemque ſimplicia immutari: *Riverius.*

Quia verò non raro adeo contumaces ſunt obſtruƈtiones ut primis remediis non cedant, in hoc caſu *Syrupus magiſtralis* parari poterit ex materiâ Apozematis præſcripti, auƈta purgantium doſi, quo utatur ægra bis aut ter in menſe.

Pilulæ etiam uſuales erunt utiliſſimæ, quales in obſtruƈtionis Hepatis curatione fuerunt propoſitæ, quibus addentur remedia *ex tartaro*, *vitriolo* & chalybe compoſita ibidem deſcripta. *Riverius.*

51. *Purgatione*) Hippocr. 1. de morbis admonet ſpleniticis alvum valde turbatam conferre, ſed addit, ſpleniticis à pituita albâ detentis; hinc colligas fœdatas virgines agitandas medicamentis, ſed intelligit moderatos alvi fluores utiles eſſe, ad excretionem pituitæ albæ in venis contentæ, quæ prius hydropem accerſeret quàm coqueretur, *Ballonius Ibidem Annot. 9.*

51. *Purgatione*) Notandum initio morbi non probari uſum ſennæ Orientalis, quod craſſorum humorum proliciendorum vim habeat; at id initio facere non juvat: differatur ergo ejus uſus, atque exiſtimo maxima ex parte fœdatas virgines ut incuratas relinqui, quod temerè nullâque methodo morbi curatio ſuſcipiatur, at hic methodicos maximè eſſe oportet, *Ballonius Ibidem pag. 116.* Nec valde probantur ea quæ majore leniendi facultate pollent, ut ſunt caſſia & catholicon, hæc enim, præſertim caſſia; ſuo virore ventriculum ſubvertunt ac molliunt. *Ibidem pag. 117.* Syrupus roſarum pallidarum in uſum venire non debet, niſi conſtet proventum eſſe ſeri, quod ἰχῶρα Græci vocant, quod ut plurimû cutim defœdat & vix gratiam naturæ recipit: *Ibidem pag. 119.* Inter cætera purgantia laudatur *pulvis hieræ & confeƈtio ejus*, niſi forte febris impediverit; ſi ſymptomatica, non impediet: ſin eſſentialis, major cauta dubitandi eſſe debet: confeƈtio autem ſuſpeƈta eſſe magis debet ſi dolores capitis adſunt, recipit enim multa aromata, quæ omnia penè gravitatem capiti afferunt; ex hieris autem ea laudatur quæ *Galenum* authorem habet, non quæ Nicolaum, *Ibid. pag. 118.*

51. *Purgatione*) Præ cæteris juvat frequens uſus enematum, quoniam enim malum contumax eſt, & nonniſi temporis ſucceſſu remediis cedit, tum ut ne in malam conſuetudinem corpus adducamus, ventriculum lædamus, de cujus dolore querulæ ſunt virgines, tum ut ne nimium ſimus ægris moleſti, hypoclyſmatis locus erit, atque id maximè fiet, quod in vitiis lienis & hypochondriorum eorum uſus ſit peropportunus. *Ibidem pag. 120.*

51. *Purgatione*) Pharmaciæ Diætam anteponimus, quod illius uſus vix commodus eſſe poſſit, nam cùm vel extenuatio magna cum virore adeſſe ſoleat, quandam ἀτροφίαν exprimens, vel tumor colórque plumbeus cacochymiam cachexiámque adumbrans, in neutro audaƈter medicationes uſu capiendæ ſunt: de cacochymia illud *Hippocr. aph. 36. lib. 2.* audiendum, qui pravo utuntur cibo per medicamenta evacuati citò exolvuntur, quod paucos bonos habeant ſpiritus & calorem imbecillum: deinde dum pravi humores exagitantur, teтros efferunt ex ſe fumos, à quibus leipopſychiæ inducuntur: 3. dum humores vitioſi per partes ſenſibiles deferuntur, pungunt feriuntque, unde verenda ſequuntur ſymptomata: minus verò extenuatum corpus pharmacis vexandum, impensè enim corpora hujuſmodi à medicamentis calidis divexantur, unde major marcor inducitur & tabes: *Ballonius Ibidem pag. 77. 78.*

51. *Purgatione*) Cum non minus ea quæ ſolet adeſſe infirmitas cum quadam extenuatione, à Pharmacis nos debeat avertere, quàm ad eandem adducere tumida quædam moles cum pallore & cacochymiæ, aut potiùs cacoethiæ & cachexiæ ſignis copulata, videamus quid ea de re Hippocr. parte 115. lib 4. acut. literis prodiderit, *cognoſcere oportet quam ob cauſam quidam dolore capitis teneantur, item decolores, raucos, lienoſos, exangues: item quibus contenta hypochondria, præterea morbo regio laborantes, quorum venter cruda egerit, deinde ſub-*

ſubdit, nulli horum medicamentum propinato: qui locus ad fœdatas virgines pertinebit, nam & hæ graviſſimis capitis laceſſuntur doloribus, præſertim verò ἰκτερώδεις: ſunt lienoſæ, ut ſupra docuimus, decolores ſunt & exangues, diſtenta hypochondria maximè habent, ictero̊que, cum cruda ventris egeſtione, detur pandtur, itaque, decreto Hippocr. purgatione interdici debent, multò magis & venæ ſectione. *Ballonius 22. lib. de virg. & mul. morbis c. 7, pag. 82. & 83.*

51. *Purgatione*) Vt in melancholicis morbis aliquando purgationes officiunt plurimùm, præſertim cùm in mala partium diatheſi potiùs quàm in copia materiæ morbus conſiſtit, ita in fœdatis utrumque conſiderandum, nam aliquando neſcio quæ diatheſis & prava impreſſio in partibus ſpectanda eſt, aliquando humorum copia; fit enim aliquando ut & alvo ſint ſatis libera & humorum ſuperfluorum nulla ſit ſignificatio, cùm tamen graviſſimè laborent. hic purgare, movere, agitare nefas eſt, itaque ſi lienis malè affecti ſigna adſunt, ſi alvus adſtrictior, de ea ſolvenda cogitandum eſt: ferè fit autem ut ſplenici alvum adſtrictiorem habeant, maximè verò ſi lien ipſe, aut vaſa ad eum attinentia, cujuſmodi eſt vena quæ à porta in lienem porrigitur, aut quæ à liene in ventriculum tendit, ſint inflammata, aut obſtructa aut anguſtiora reddantur & conniveant. *Ballonius ib. p. 116.*

51. *Purgatione*) Stimulant enim *Purgantia* intus propinata ut & *Vomitoria*, utraque quatenus fundunt humores & ſtimulum addunt ὀργασμώδη tum mitiora tum fortiora, Ita *aloë* ad chloroſin ſpecifica eſt, multis nominibus; hinc *Elect. hiera picra*, *elix. propr. &c.* Hinc in genere fruſtra eſt menſes reſerare velle citra purgantia, In ſpecie verò cholagoga & phlegmagoga, tanquam magis deterſiva & acria, vel amara, nominatim *Gialapam, ſcamon. troch. albandal. maſſa pil. tartar.* non omiſſis tartareis fermentativis.

Præprimis vero *Vomitoria*, etiam compreſſoria ſua virtute, quam habent conjunctam ſanguinem ad inferius clyma invitant, magis. Laudant ſpeciatim *Sal nitr. cum aqua cinnam.* Ipſo ſæpe illo die purgans vel emeticum datum, menſes redire ſunt viſi. *Wedelius Am. m. in p. 399.*

Aurifabri filia xxii. annos nata, ſexennio ferè fœdos colores patiebatur, nil artis remediis contra contumax malum proficitur: Dum peregrè profectura curru ſucceſſorio devehitur, nauſeabunda tandem vomuit incredibilem humorum variegatorum copiam, animam agere videtur; Intra 4. vel 5. dies deperditus faciei color recuperatur, nullâ ope medica, ſed ſolo vomitu ſpontaneo revocatus, ut mirum non ſit ſi tantopere in omni repletionis ſpecie vomitiones *Hippocrat.* commendavit: Itaque credibile eſt à variis humoribus iiſdem corruptis malum hoc ali ac foveri. *Ballonius lib. de Virg. & mul. morb.*

52. *Præparantibus*) Cum ſit crudorum ſuccorum abundantia, ita res ſunt temperandæ ut nec valde calefacientia nec impensè attenuantia uſurpemus, nam ab illis febris aut accerſitur aut accerſita augetur, indeque major vis facultatibus infertur: ab iis verò periculum majoris obſtructionis affertur & tumultus violenti, & quod in pituitoſorum humorum copia *Galenus cap. 3. lib. 12. meth. & lib. 7. de S. M.* facit, abſtineas à diureticis & iis quæ ſanguinem fundunt ac liquant, id ipſum ſequendum eſt, cum iis quæ coquenda ſunt magna & ſubita agitatio non quadret. *Ballonius Ibid. pag. 96.* Probamus diuretica aut uretica potiùs, ne error contingat quem obſervat *D. Rondeletius* de cachectica & pallida virgine, quæ Paralytica facta & uſu diureticorum, non priùs exactè liberatis obſtructionibus: *Conſil. 35. lib 3.*

52. *Purgatione præmiſſis præparantibus*) Virgo febri alba laborans præmiſſo lenitivo & venæ ſectione, ita purgata.

℞. *Agar. rhei ana* ℥i. *ſalis tartar.* ʒß *f. Infuſio ſ. a. in decocti ſennæ q. ſ. ut fiat Potio.*

Sal tartari præterquam quòd obſtructiones aperiat, hoc peculiare habet, quòd infuſionibus purgativis additus, vim medicamenti auget. *Rod. à Fonſeca, Tomo 1. conſ. 6.*

52. *Purgatione præmiſſis præparantibus*) Non alterari ſolum debent ſeroſi humores reſtagnantes, viſcoſitas & coagulum tolli, ac groſſities partium comminui, ſed evacuandi quoque ſunt quodammodo correcti & ad exitum diſſoluti. Eliminantur verò non per unam ſolummodo viam, ſed plures pro diverſis regionibus corporis: Prima Evacuatio eſt per primas vias, tam ἄνω, per os quam κάτω, per alvum.

Per os evacuant *Vomitoria*, quæ irritando ventriculi fibras, non ſolum pituitam lentam circa ventriculum hærentem exturbant, ſed & ex reliquis viſceribus peccantes humores eo alliciunt. Exhiberi hoc fine commode poſſunt *antimoniata*, quæ omnium optima & maximè fida ſunt vomitoria, e. g. *tartarus emeticus, oxyſacch. emet. Ludovici*, aliaque v. g.

℞. *Tartari emet. gr.* ij. *elæoſacch. aniſati* ℈ß. *miſce.*

℞. *Oxyſacchar. emet. Ludov.* ℥ij. *ſyrup. de artem.* ℥ß. *m.*

Cavendus tamen eorum uſus in iis quæ debiliores ſunt, ad vomitum non uſque adeo diſpoſitæ, aut in quibus reſpiratio difficilior, vel pulmonum vitia alia adſunt.

Per inferiora educunt humores ſeroſos *Purgantia* καθ' ἐξοχὴν dicta quæ ſimul obſtructiones vaſorum, ſi quid aliud expediunt, & in noſtro hinc affectu, apprimè conducunt; Hæc autem vel pro una voce adhibentur, vel ſucceſſivè repetitis vicibus, & per ἐπίκρασιν evacuatio inſtituitur, quod in morbis lentis ac chronicis ex uſu eſſe ſolet; Laudem hoc nomine merentur aloetica, tum ſola, in extracto & pilulis minoribus inde paratis, per vices cum aperientibus præbita, tum cum aliis tartareis, uterinis, ipſiſque martialibus mixta, e. g.

℞. *Pil. tartar. Schrod. Marocoſt. Minder* āā. ℈j. *croci martis vitriol. gr.* xviii. *Caſtor. opt.* ℈ß. cum elix. Pr. P. f. l. a. *Pilulæ, n. 40.*

℞. *Extr panchym. Crollii ſpl. bovis* āā. ℈ß. *maſſæ Pil. Ruffi gr.* xii. *diag. ſcamm gr.* vi, *ol. ſuccini gut.* j. *cum tinct. tart q. ſ. f. Pil. 24.*

℞. *Pulv. lax. vegetab.* ℈j. *reſin. ſcamm. gr. v. antimon. diaphor. non edulc. gr.* vi. *ol. aniſi gtt.* j. *m. f. Pulvis.*

Huc etiam ſpectat *mercurius dulcis*, qui omnium maxime ſerum glutinoſum ac viſcidum liquat ac evacuat, unde reliquis, imprimis Pilulari forma, addi commode poteſt; Infuſa Purgantia ex rad. & herbis aperient. aliiſque, cum *rhabarb. ſenna, mechoac. fibr. belleb. nig.* additis ſimul uterinis nullo negotiò confici queunt. *Wedelius.*

53. *De obſtructione*) Obſtructiones auferuntur iiſdem remediis quæ in Obſtructionum hepatis & lienis curationibus proponuntur; additis nonnullis quæ uterum reſpiciunt, & ad venarum ejus obſtructiones reſerandas magis ſunt appropriata. *Riverius.*

53. *De obſtructione*) Quæ & per *Externa* perfici poteſt, Forus & Linimenta, capite de obſtructione Hepatis deſcripta, non ſolùm regioni hepatis, ſed etiam Lienis & uteri admotus; Sed, peracta ſolenni purgatione, ſequentis *Balnei*, ad vaſa aperienda & relaxanda, ac materiam Obſtructionum fundendam ac digerendam, tantæ eſt efficaciæ, ut aliquando viderimus quibuſdam ægris menſtruas purgationes in tertio aut quarto balneo profluere incepiſſe, quæ per longum tempus antea delituerant.

℞. *Rad. althææ lilior. enul. c. bryon. cucum. agr.* āā ℔ii

fol. malvæ, violar. mercurial. puleg. matricar. meliſſæ, ãã. *m.* iiij. *ſemin. lini & fœnugr. leviter contuſi ana* ℥ii. *coq. in aqua fontis pro Balneo, quod ingrediatur tepide, bis in die, ſine ſudore, longe à paſtu, per biduum, ſingulis diebus decocto renovato.*

Zacutus Obſ. 99. lib. 2. proponit hiſtoriam mulieris Chloroſi per decennium laborantis cum menſium ſuppreſſione, quæ irritis omnibus purgantibus, apertientibus, chalybeatis, *Conſerva artemiſiæ* per xxx dies ſumptâ, ſuperbibendo *aquam ſtillatitiam ſabinæ*, in quâ per noctem *Rhabarb.* maduerat, curavit. *Idem Obſ. 117. l. 3.* proponit hiſtoriam Virginis quæ ex ſalis quo ſeſe ingurgitaverat, diuturno uſu, in diarrhœam biliosam cum tabe implicitam inciderat; hanc poſt totius providentiam, *lacte caprino chalybeato & frigidis applicitis ſanavit.*

In contumaciſſimis & diuturnis Obſtructionibus *Cauſticum* tibiæ dextræ vel ſiniſtræ (prout *hepar* aut *lien* afficitur) inuſtum, plurimum conferre poterit. *Riverius.*

Fonticulorum uſus in imminuenda ſeri quantitate eſt laudatiſſimus: Poſſunt hi applicari partibus crurum domeſticis.

53. *Deobſtructione*) Inter cætera in antiquis obſtructionibus in uſum vocetur *rad. enul. camp.* in taleolas ſectæ, cum *vino albo* maceratæ, miraculo enim creditur fœdos virginum colores tollere *Ballonius, l. de virg. & morb.*

Vocatus ad virginem nobilem ictericam, cachecticam, verminoſam, Catameniis olim fluere ſolitis deſtitutam, præmiſſis purgationibus, *decoctoque tartari, rubiæ tinctor. Mercurialis* &c. Saphenam aperui, tandem exhibito quem *Schyronii* vocant pulvere ad pallidos colores, menſes copioſe provocavi, quibus fluentibus Icterus & cachexia brevi ceſſere, Formula Pulveris quem ſæpe fidum expertus ſum, eſt hæc.

℞. *Rubiæ* ʒiß. *ſabinæ, muſcerdæ ana* ℈i. *croci* ℈ß. *lumbricor. vino lotor. & uſtor.* ʒj. (ego vermibus illis, quos jam tum ſuſpectos habebam, *boracem* ſubſtitui) *macis, fol. lauri, ana* ʒß. *ſpec. aromat. roſ.* ℈i. *limat. chalyb.* ℥iii. *rad. enulæ* ʒj. *ſacchari duplum omnium* Doſis ℥i. *cum vino albo* dulci, *Henricus ab Heers Obſerv. 6. lib. 1.*

Ad obſtructionem lienis utiliſſima eſt aqua quæ excurrit à lapide in quo acuuntur enſes, ſi centies extinxeris *limaturam chalyb.* candentem, qua ſcimus magnos lienes liquari *Mercatus lib. 2. cap. 6.*

Sequentes Pilulæ pro ſecreto à multis habentur.

℞. *Succi Mercur. mellis deſpum.* ãã. ℥i. *coque ad ſufficientem conſiſtentiam, adde ſem. nigell. Rom. pulv.* ʒiii. *f. maſſa, è cujus* ʒi. *f. Pil.* vi. capiat duas in ingreſſu lecti per tres dies. *Joh. Varandeus de m. m. cap. 1.*

Miraculo creditur fædos virginum colores tollere *radix enulæ camp.* in taleolas ſectæ & *vino albo* maceratæ, valetque inter cætera in antiquis obſtructionibus, *Ballonius lib. de virg. morb. cap. 7. p. 120.*

Diuretica.

Ex vaſis ſanguifluis proximius ſerum copioſius reſtagnans & ſuperfluum per renes evacuant *Diuretica*, eò magis hic laudanda quò magis ſimul particulas iſtas in ſanguine, peccantes invertunt, abſorbent & præcipitant, Ex horum claſſe ſunt ſalia *ononidis, juniperi, artemiſ. arcanum duplic. tartarus tartariſatus Ludovici, tartar. vitriol. Tinct. tart. ſimpl. & comp. Tinctura ſilic. Glauberi, arcan. tartari, eſſentia ſuccini, malvat. juniper.* &c.

℞. *Lapid. oy. tartar. vitr. ſalis artem. ana* ℈i. *m. f. Pulvis.*

℞. *Eſſentiæ ſuccini, tinct. tart. comp.* ãã. ʒi. *MS.*

Sudorifera, Diaphoretica.

Per cutem tandem, glandulas ejus & vaſcula excretoria diſcutitur & evacuatur ſerum beneficio *Sudoriferorum*, quæ ideo maxime in Chloroſi laborantibus commendanda quod cauſam proximam in glandulis & vaſculis ſubcutaneis hærentem, ſanguinem ſeroſum, immediate eliminent, dictaſque cutaneas partes ad naturalem ſtatum reducant: Talia ſunt tum volatilia, *Tinctura bezoardi.* mea, *Michaelis, Ludovici, ſpir. ſambuci, ſpir. tartari, theriacal. ſimpl. & camphor. miſtura ſimplex*; tum fixa, *C. C. philoſoph. uſtum, antimon. diaphor. bezoart. mart.* antimon. *mart. cachect. unicornu foſſile, cinnab. nat. & antimon.* Ex quibus compoſ. 8. 9.

℞. *Aqu. ſambuc. aqu. typh. c.* ãã. ℥iß. *ſpir. tart.* ʒß. *malvat. ſambuc.* ʒij. m. f. Potio.

℞. *C. C. philoſ. antimon. mart. cachect.* cinn. nat. ãã. ℈i. M.S. fiat Pulvis. *Wedelius.*

54. *Viſcerum habenda eſt ratio*) Abſolutis hiſce remediis, (*præparantibus, purgantibus, v. ſ. &c.*) ad viſcera roboranda, & obſtructionum reliquias conterendas, conveniet *Opiata aperiens & roborans* cap. de obſtr. hep. deſcripta; cui utiliter *fecula bryoniæ* & ſal artemiſ. ad ʒii. utriuſque addi poterit. *Riverius.*

54. *Viſcerum habenda eſt ratio*) Et quoniam ſæpe vitium in gibbis hepatis, ſæpe in ſimis, ſæpe in corpore ipſius lienis, ſtudendum iis partibus, atque ſequendum *Ætii* Conſilium, ubi ad ſimas hepatis decoctum laudat *Polypodii, mercurialis, chamelææ* cum *abſynthio, rad cyclaminis: galli veter. decoctum*: ad Gibbas, *decoctum amomi, floris junci odorati, rad. gentianæ, cortic. rad. lauri. abſynth. comam, ſpicam nardi, quinquefol. Aſarum* &c. Ad lienem; *veratrum, epithymum, polypod. ſcolopendr. &c.* Et hæc remedia negliguntur à multis, quæ ab empiricis uſurpantur magna cum laude, *Ballonius eodem capite, annot. 25.*

In iis omnibus quæ propinabuntur, aromaton debet eſſe paulò crebrior uſus, tum quod naturam roborent, illuſtrent ac recreent, & ventriculo robur addant, *Idem Ibid. pag. 117.*

Maximè verò hic illius cura geri debet, quod ad ejus orificium dolorem ſentiant, ſæpe nauſeent, vomituriant, imò & iis quodammodo cor fatuum, ventriculuſque laxus & diſſolutus eſſe videatur. *Ibidem.* Illius quoque diſtributio ſæpe impeditur & coctio labefactatur, imminuitur, imò & corruptio fit chyli: cùm autem vel intemperies ſit, eaque calida aut frigida, aut ſicca aut inæqualis eoque (deterior) aut humorum excrementitiorum cumulus, ſive per propriam affectionem ejus, ſive ob venarum lactium obſtructionem, unde diſtributio alimenti prohibetur, quod in hypochondriacis uſu venit, ſive ob refluxum humorum aliunde, (quod ventriculo maximè convenit ob capacitatem, ſed etiam facilè depellit, niſi adhæſus fiat) cauti erit medici hæc diſcernere: magni enim intereſt ſcire an actio ejus læſa ſit per propriam affectionem, aut ex eventu: in fœdis coloribus maxima ex parte ventriculo ſua eſt prima vernaculaque integritas, ſed afficitur aut collectione aut affluxu colluviei humorum aut conſenſu Lienis. *Idem Ibid. pag. 123.*

55. *Menſium ſuppreſſio maximè attendenda*) Evacuantia excipere debent medicamenta quæ menſium profluvium majori ἐνέργεια procurant, illoſque fortius pellunt, Emmenagoga hinc in ſpecie dicta, Sunt verò hæc ejuſmodi quæ particulas volatiles ſalinas ſulphureas in maſſa ſanguineâ magis augent & motum utrumque fortiorem reddunt. Dum enim legitimus orgaſmus ſanguini reſtituitur, & rapidius ille circumpellitur, promptius clauſa arteriolarum oſcula perrumpit & exitum invenit, Hujus generis ſunt *oleoſæ*

vola-

volatilia varia.galanga, zedoar.ruta, roſmar.puleg. ſabina, crocus, myrrha.antophylli, eſſentia. croci, myrrha, balſam.camph. concentratior, caſtor.ſuccin. Elix. uterin. meum, Croll. Ludov. ol.ſuccini, ruta, ſabinæ angel. caryophyll. cinnam.ſalia volat. oleoſa, ex dictis oleis parata, vel ſibi etiam relicta, *ſpirit.ſalis armon. liquor c.c. ſuccinat. troch. de myrrha, ſpecies diaborac. Mynſichti*, & alia variè compoſita, e. g.

℞. *Spec. diabor.mynſicht* ʒj. *troch. de myrrha* ℈j. *ſalis volat.rutæ* ℈ß. m. f. Pulvis.

℞. *Aqu.meliſſ.puleg.* ãã.℥ij. *cinnam. cum vino* ℥ß. *ſalis volat. oleoſi ſylvii* ʒj. *Elix. hyſter.Ludovici* ʒß. m. f. Poo. *Wedelius.*

Externa Medicamenta.

Vti dictis medicamentis priori menſium obſtructionis cauſæ, infarctui nempe vaſorum, tum uteri, tum reliquorum viſcerum, à particulis ſanguinis craſſioribus ſuccurri, & deficiens liquoris vitalis fermentatio ac tonus reſtitui poterit, ita alia quoque ſubjicienda ſunt quæ poſteriorem vaſorum circa oſtia indiſpoſitionem, quoad fieri poteſt, tollunt: Hujuſmodi autem ſunt *Externa*, tum toti ventri infimo, tum genitalibus partibus applicata, in uterum admiſſa, Laudantur hoc fine *Balnea ex Emollientibus, aperientibus communibus & ſpecialibus uterinis*, ipſiſque *purgantibus* parata: Hæc enim per cutis ſpiracula, ipſaque pudenda ad uterum penetrando, ejus poros condenſatos rariores reddunt, & oſcula particulis ſuis blandè humectantibus calidis aperiunt, Nec ſemel tantùm, ſed repetitis ex ordine vicibus Balnea hæc inſtitui poterunt, juncto ſubinde internorum aperientium & emmenagogorum uſu.

Parem cum Balneis effectum præſtant *Suffimenta & vapores* ad uterum per iritorium vel tubulos uterinos derivati, quo ſpectant *ſuffimenta de ſabina mynſ. & Timaanum ex colocynth.* item *ex ſcoriis reguli antimon. vapor ex ſale armon.* additione alkali fixi excitatus, ex commendatione *Glauberi*, quamvis paucæ ad naſcalia ejuſmodi ritè depuduerint. *Wedelius.* Vide ſupra §. *De obſtructione.*

Ad fœdos colores ex Lienis obſtructione ſumma ortos, medicus noſtras apprimè doctus, balneum inſtituit in quod recens mactati arietis inteſtina conjicerentur, *Ballonius lib. de virg. & mul. morbis cap. 7. p. 146.*

57. *Laudantur)* Reſeratis magnâ ex parte obſtructionibus, humores pituitoſi ac ſeroſi, tum in venis reſidui, tum præcipuè in habitu corporis ſtagnantes per *Sudores* reſolvendi ſunt, Cui uſui conveniet *Decoctum Guajaci* in naturis frigidioribus, vel *rad.Chinæ ac ſalſæpar.* in calidioribus per xv. aut xx. dies exhibitum; Hac cautione adhibitâ, ut 4. aut 5. quoque die, intermiſſo ſudore catharticum detur, quod humorem circa viſcera collectum, præparatum, ac concoctum (ad ſudores tamen ineptum) per alvum detrahat: alioquin intùs ſi reſtitet, ibi obdureſcens & putreſcens, febris & aliorum morborum occaſio erit.

In eundẽ finem *Thermæ ſulphureæ* uſurpari poterunt tam Potu, quàm Balneo, Potu enim iſtarum Aquarum, expeditis prius & liberatis viis, detergitur excluditurque humor in primâ & ſecundâ corporis regione contentus, per alvi & urinæ profluvium; tertia verò regio excitatis à balneo ſudoribus, ab humorum ſarcinâ liberatur. *Riverius.*

Congreſſus, Si legitimè fieri poſſit, poſt deobſtruentium remediorum uſum, erit utiliſſimus; Illo enim calor naturalis in partibus naturalibus multùm excitatur, quò uteri vaſa impensè dilatantur, Et docet experientia, interdum primâ conjugii nocte pallidis iſtis fluxum menſium excitari: alias verò quæ optima fruuntur valetudine, tempus conſuetum anticipati. *Idem.*

Quinta eſſentia nepetæ in fugandis fœdis & pallidis virginum coloribus nihil eſt præſtantius, nam menſes certiſſimè movet. *P. Johann. Faber Myroth. capite 74.*

Experimento comprobatum habeo *radicem ſcorzoneræ* per noctem maceratam & mane ſumptam, plurimas liberaſſe. *Mercatus lib. 2. cap. 6.* Mirabiles effectus in hoc affectu expertus ſum ex *pulv. Cachectico Querc.* cujus beneficio innumeras virgines & mulieres Chloroſi laborantes curavimus. *Riverius l. 15. c. 1.*

57. *Laudantur)* Primum locum meritò occupant, quæ generatim *Aperientia* vocantur, tam particulis acutis, penetrantibus, volatilibus, motum humoribus fixis procurant & vias aperiunt, tum fixis terreſtribus, coaguli humores figentis cauſam, particulas acidas, ponticas abſorbent, imbibunt, & humores quaſi adeo edulcant, unde in alveis ſuis non reſtagnant, ſed promptè eunt ac redeunt, circulantur & excernuntur. Hoc modo enim & viſcoſitas reſtagnantis ſanguinis ac lymphæ tollitur, partes groſſiores, terreæ, tartareæ comminuuntur, & vaſa tum viſcerum infimi ventris reliqui, tum imprimis uteri ab infarctu liberantur.

Talia ſunt ex ſimplicium vegetabilium claſſe rad. & herb. ingens farrago, inter quas primas tenent *rad.ari, acori, cichor. rubr. tinctur.* herbæ *abſinth. centaur. min. marrubii, & plantæ antij orb.* dictæ *cochlear.hepat.nob. trifol. fibr.roſmar.* Ex præpar. & compoſit. *eſſentia abſinth ſimpl. & compoſ. fumar elixir.Pr.P.ſpir ſalis armon. ſalis tartari, tinctura tartari.cap.69. ſalia herb.fixa abſinthi cent.min. &c. Wedelius* § 16.

58. *Chalybs præparatus)* *Elect.de chalybe ſequens* in obſtructione, viſcerum præſertim in morbo virgineo, maximi uſus eſt.

℞. *Limat.ferri ſubtiliſſ. pulveriſ.trita cum aceto ſiccetur, hoc ſepties iteretur, hujus.*

℞. ℥vj. *cinnam nuc.cond* ãã.ʒii. *rhab.* ʒii. *ſpec. aromat.roſat.* ʒvi. *mellis, ſacch.* ãã.℔ j. *m.f.Electuar.* Præcedat autem purgatio univerſalis. *Joh.Crato Epiſt. 244.*

In primis huc ſpectant *Martialia*, quæ à *Mercato* quoq; *R. à Caſtro* & aliis mirùm quantum cõmendantur, & à Recentioribus meritò apex aperientium dicuntur, Ejuſmodi ſunt *limatura Martis* in ſubſtantiâ *croci Martis varii, niger, vitriolatus ſaccharinus, Vitriolum martis*, Laudatur *vinum malvat.* in quo *mars* ignitus ſæpius extinctus eſt, Item *eſſentia mart.* cum *vino malv.* Hartmanni *vinum mart.Poterii p 335. Acidulæ artificiales Williſii, ex marte & tartaro* invicem coctis, poſt filtrationem inſpiſſato liquore.

Hæc & ſimilia, primarum quoque viarum vitia & chylificationem læſam corrigunt & emendant, abſorbendo acorem & humiditatem nimiam, roborandoque nervos ac ſpiritus. *Wedelius.*

59. *In Diæta)* Hęc injuſto ſex rerum non nat. regimine cõſiſtit, ſit *Aer* purus, calidus, ſiccus, vitetur frigidus, humidus, nebuloſus, aliſque inquinamentis repletus; Abſtineant laborantes à tractatione aquarum imprimis frigidarum, lotionibus, ſimilibuſve operis.

Alimentis utantur calidioribus, cibis coctu facilibus, aromatibus conditis, citra tamen exceſſum; *Vini Potus*, à veteribus licet non conceſſus, non tamen *Platone*, noſtris, tamen ægris, teſte *Langio Ep. 51. l. 2.* non denegãdus tam ad coctionem facilitandam quam vigorem ſanguinis recuperandum. *Cerevisia* ſit defæcata, calidior, hordeacea, *lupulo* quin & herbis convenientibus probè medicata, Vitandus omnis potus frigidus, imprimis frigidæ.

Motu tempeſtivo quotidiè corpus exerceatur, maximè ab uſu aperientium martialium, quò & hæc melius agant, ſanguinis motus & calor excitetur, ac

excrementa ritè promoveantur; Abſit *Quies* nimiaque vita ſedentaria quam operæ Virginales deſiderant, dum in lanâ ac telâ occupatæ maximè delicatiores eſſe ſolent.

Somno minùs indulgeant, quo nihil magis ſerum in corpore cumulat, ſed vigiliis moderatis nec otioſis ſpiritus agitentur.

Quæ per naturam legitimo tempore *excerni* debebant excernantur, nec diutiùs quàm par eſt retineantur, Præprimis inſtans vel præſens *menſtrui ſanguinis fluxus* nullatenus turbetur aut prohibeatur, ſed potiùs quovis modo promoveatur.

Et cùm *Hippocraticum lib. de m. virg.* in noſtro affectu maximè commendatum remedium omnium optimum ſit, quo ſolo ſæpiſſimè ægræ perfectiſſime ſanitati reſtituuntur, nos idem præ reliquis ſuadere minimè veremur, Eſt verò illud quod Natura omnia animalia docuit, nempe Veneris uſus legitimus, hinc quantocyus connubio viris jungendæ virgines, niſi nimia cacochymia prohibeat, ubi remediorum hactenus dictorum commodæ uſurpationi & actuationi tempus concedi debet, ne in partu periclitentur, vel imbecillem fœtum producant.

Animi affectus rationis fræno regantur, maximè ij qui ſpiritus ligant, ut mœror, triſtitia, deſiderium nimium &c. vitentur, Ira verò & gaudium, ut frigidis morbis omnibus, ita & Chloroſi remedio eſſe poteſt. *Wedelius §. 18.*

De uſu juſculorum crebrò quæſtio eſſe poteſt, cùm ſanguis ſit ſeroſus; nam cùm tumeat caro & leucophlegmatiam minetur, frequens juſculorum uſus videtur abſurdus: ſic eſt quædam eo in caſu *ἀντένδειξις*, nam æſtus internus eſt: *Ballonius Conſ. 7 l. 3. ann. 2.*

De Cachexia mulierum vel Chloroſi ex vitio maſſæ Sanguineæ.

Inter affectus qui ſequuntur *menſium ſuppreſſionem*, primariò refertus *Cachexia muliebris* eadem cum *Cachexiâ* in genere, de qua ſuo loco, Saltem in mulieribus jungitur menſium ſuppreſſio quæ quidem habetur illius cauſa, ſed propriè loquendo eſt ſaltem effectus cachexiæ, Nam *habitus ſanguinis cachecticus*, aut *cacochymicus*, à naturali aut ſpirituoſa craſi degener factus, ineptus eſt, ut ſubeat fermentationem menſtruam, & ſic ſecum trahit excretionem menſtruorum læſam, Saltem ergo curetur cachexia more communi, per *vomitoria*, *Martialia*, & hinc *aromatica*, quibus poſtmodum menſes ſtimulantia ſunt addenda.

Cæterum præter hoc quod menſium ſuppreſſio mala cachectica ſoleat exacerbare, etiamſi ex quacunque causâ ſupprimantur, ſic enim non tantùm inflammationes partium eryſipelaceæ, ex acido ſanguinem coagulante, ut pleuritides, anginæ, verùm & interdum *Epilepſiæ* inducuntur, & in ſpecie omnis periodus menſtrua miram ſolet inducere tragœdiam, Superveniunt *picæ* diſponentes mulieres ad periculum paſſionis hyſtericæ, Superveniunt *epilepſiæ & motus convulſivi*, fiunt *melancholiæ*, quæ melancholia dicitur eſſe ex utero, cùm tamen ſit melancholia hypochondriaca. Interdum etiam *ſcirrhi & tumores viſcerum* ſpeciatim *lienis* ſupervenire ſolent, unde poſtmodum ex ſplene tam varia mala adducuntur, cùm *ſplen* affectus ſit conſequens menſium ſuppreſſionis, Ulteriùs *Cephalalgia inſana* & contumaces talibus mulieribus ſunt frequentes, *Palpitationes* & ſenſus palpitationis in variis partibus, primariò in lumbis & regione ſuperiore percipiunt.

Tandem depravatur etiam ſucceſſivè magis magiſque ventriculi fermentatio hebetata bile ſuperveniunt *leucophlegmatiæ*, hydrops & ſimiles utplurimum chronici affectus difficulter curabiles.

In his notandum eſt, quòd ſemper ſoleant exaſperari periodo menſtrua, utut tandem quando periodus menſtrua obliterata eſt, continuo, aut ſaltem erratico modo, ſymptomata talia ſoleant affligere.

Omnia ſuperveniunt, ſpeciatim ex vitio menſium ſuppreſſorum, idque imprimis ſi ex improviſo ſupprimantur, & quidem ex duplici ratione 1. Ex ſanguinis excernendi retenti *quantitate*, 2. Ex ſanguinis retenti vitioſa *qualitate*? Quòd attinet *quantitatem ſanguinis* excernendi, dum nimius eſt Sanguis, minus aptus eſt & æquali per vaſa circulationi, & debitæ in præcordiis fermentationi, unde à debitâ fermentatione & effervescentiâ cohibitus, minus ſpirituoſus, ſed vapidus, iners & glutinoſus evadit, unde anguſtiæ præcordiorum, palpitationes, cephalalgiæ, pulſationes inflammatoriæ, difficultas reſpirationis & ſimilia oriuntur.

Quoad *ſecundum* præmonendum, quòd licèt ſanguis ſub nomine *menſtruorum* excernendus ſit & naturæ & qualitatis ejuſdem cum ſanguine, qui poſt excretionem in corpore reſtitat, tamen eo ipſo quo tanquam ſecernendus per fermentationem menſtruam à reliquâ maſsâ ſanguineâ ſeparatur; certam alterationem induit, & proprietatem acrem eroſioni aptam, ſive Tincturam aluminoſam acquirit, unde ſanguis tali charactere inſignitus, & vitioſo acore inquinatus, reliquæ maſſæ ſanguineæ mixtus, eandem alterare & à naturali ſtatu deturbare ſolet, Unde etiam alteratis ſuccis reliquis *digeſtio prava*, *melancholia*, *tenſiones hypochondriorum*, *picæ &c.* originem ducunt, Nam in fœminis menſium ſuppreſſione laborantibus peccare ſolet inprimis *vitioſum acidum auſterum*, idque ludere tragœdiam, in ſpecie in abdomine, poſtmodum etiam in *nervoſo genere* & aliis locis, confirmat *methodus medendi*, *per acidum deſtruentia* inſtituenda.

Cura.

In curâ horum affectuum, duo ſcopi attendendi, nempe 1. corrigenda eſt *ſanguinis & reliquorum ſuccorum vitiata craſis*, ſpeciatim corrigendum eſt *acidum auſterum*. 2. Stimulandum eſt *ſanguinis menſtrui fermentum*, ut redeant menſes in debitum fluxum, & quidem præmiſſis præmittendis.

Remedia utrique ſcopo ſatisfacientia conjunctim uſurpanda veniunt, nam fruſtrà curantur *menſes* niſi ſanguinis dyſcraſia ſit curata; & hæc non poteſt curari niſi menſes incipiant.

Primo igitur ſcopo conveniunt *martialia*, ac ſimilia *vitioſum ſaporem abſorbentia*, & corrigentia; hinc *aromatica*, naturalem fermentationem ac volatilitatem ſanguini reſtituentia.

Poſteriori ſcopo ſatisfacientia ſunt *aromatica volatilia*, *ſalia* plus minùs *oleoſa* & aromatica, quæ talia ſint, ut menſium fluxum promoveant, ſeu *menagoga*, Uno nomine, methodo eadem, quâ cachexia & menſium ſuppreſſio curantur, etiam hi affectus curari debent.

Pro ſymptomatum autem varietate etiam ſpecifica ordinanda ſunt, v. g. ſi ſupervenit *Epilepſia*, vel *motus convulſivi*, præter *cinnabarina*, remedia ex *caſtoreo* & *Succino* ſunt optima: Sic in *palpitatione cordis* remedia ex *coralliis* ſunt admiſcenda; Si *cephalalgia* urgeat *ſalia volatilia & antiſcorbutica*, ut *liquor. c. c. ſuccinatus &c.* *Ettmuller.* Vide ſupra §. *Abſolvitur*) & §. *Deobſtructione*, & §. *Laudantur.*)

CAP.

Cap. XXI.

[1] *De Suffocatione Vteri.*

2. S*Vffocatio uterina* [3] *eſt ſymptomatum nunc actiones naturales*, [4] *nunc animales, nunc & ſæpius vitales*, [5] *per periodos oppugnantium* [6] *congeries, cum* [7] *refrigeratione totius corporis conjuncta* [8] *à vapore maligno ex utero elevato procedens.*

Vocatur & [9] *Suffocatio* [10] *mulierum, ſtrangulatus ab utero, Hyſterica paſſio*, &c.

[11] *Signa* ſunt vel [12] *Imminentis*, Totius corporis laſſitudo, cum crurum imbecillitate, [13] pallor faciei cum aſpectu triſti, nauſea, cui rarò ſuccedit vomitio, ſæpe tædium quoddam & cibi faſtidium, idque interdum cum murmure, & ventris rugitu, interdum citra hæc.

Vel [14] *Præſentis*, [15] in qua vapore ad cor ſublato & ſpiritus vitales inhibente, levis animi defectio inducitur; pulſus paululum immutatur, corpus ſpiritibus ad cor recurrentibus frigeſcit, metus & deſperatio ægram concutit: Eodem ad caput & fauces detruſo, interdum [16] fauces conſtringuntur, & [17] ægra ſuffocari videtur, [18] motus thoracis & diaphragmatis inhibitis ſpiritibus animalibus impeditur, & [19] reſpiratio ferè intercipitur, [20] viventibus interim per tranſpirationem ægris, interdum furor uterinus cum garrulitate & iracundia accedit, nonnunquam alia deſipientiæ genera oboriuntur, interdum ſopor ac veternus inducitur, quo mulier corruens velut attonita, jacet ſine motu, ſine ſenſu, reſpiratione tam parvâ, ut mortua credatur.

Vel *in paroxyſmo declinantis*; & tum, humor quidam è locis muliebribus effluit, [21] inteſtina obmurmurant, mox oculi attolluntur, malæ rubeſcunt, ſenſus & motus redit. [22] Interdum frigus tum temporis è capite per cervicem in ſcapulam & brachium illabitur, quod difficilem motum reddit, ſed mox diſcutitur.

[23] Non tamen omnia iſta ſigna in omnibus accidunt. Fuere [24] quæ continuo riſu, vapore in membranas thoracis ſeſe inſinuante vexabantur; fuere [25] in quibus ſerpentum ſibili, crocitatus corvorum, &c. pro viarum & ſpiritus erumpentis proportione effingi videbantur.

[26] *Differt* ab [27] *Epilepſia*, [28] quod in iſta [29] motus convulſivi [30] ſunt univerſaliores, nulla poſt paroxyſmum illorum, quæ circa ipſos accidere memoria, pulſus eſt major quàm antea, ſpuma circa os fluitat. Ab [31] *Apoplexia*, quod in iſta invaſio ſit ſubitanea ſine aliquâ ſignificatione, ſingularis in reſpirando ſtertor affligat, tanta ſit partium reſolutio, ut etiamſi pungantur, tamen non ſentiant. [32] A *Syncope*, quod in iſta nulla futuræ acceſſionis ſint præſagia, pulſus ad ſenſum ceſſet, ſudores frigidi affligant, brevi evaneſcat, cum hyſtericus affectus ad unum & alterum diem interdum perſeveret. [33] A *Mortuis* diſcernuntur ſternutatione per ſternutatoria excitata, & aliis mediis.

[34] *Cauſa* eſt [35] vapor [36] malignus, tenuis, & ſpirituoſus, uno momento totum corpus penetrans, & [37] materia in utero [38] peculiari modo. corrupta, & [39] ſive per ſe, [40] ſive per externa, ut ſunt [41] res odoratæ, terror, ira, agitata, elatus, & ſurſum non ſolum per venas & arterias, ſed & per occulta ſpiracula adſcendens. Quænam verò illa ſit, in Differentiis dicetur.

Curatio eſt [42] *Dubiæ interdum ſpei, ſi* [43] vetulas diutius affligat, quia virium imbecillitatem infert, & humorum copiam indicat: [44] *ſi* in puerperas incidat partu laborioſo, vel abortu antegreſſo: *ſi* [45] prægnantes adoriatur, quia metum abortus incutit. *Melioris, ſi* reſpiratio non nimium lædatur: *ſi* paroxyſmi non ſæpe redeant.

[46] *Reſpicit* 1. [47] *Tempus paroxyſmi*, [48] ubi ratio habenda.

1. [49] *Interceptionis*, [50] per ventris circa umbilicum cingulo ex *corio cervi* in ipſo coitu cum cervâ necati confecto, ligaturam.

2. [51] *Excitationis* per ligaturas & frictiones dolorificas, pilorum in pudendis præſertim vellicationem, [52] ſuffumigia ex *pennis perdicum*, [53] *callis equorum*, *corio anguillæ, facta. Aſæ fœtidæ*, *olei Tartari*, &c. [54] ad nares applicationem.

3. [55] *Revulſionis* per partium inferiorum [56] ligaturas & [57] frictiones, [58] clyſteres flatus diſcutientes, [59] cucurbitulas ſine ſcarificatione, cum multa flamma, primo ſuris & femoribus, mox inguinibus appoſitas, [60] ſuaveolentia [61] pudendis intruſa, ut ſunt ol. [62] *Zibethi ſcr. ſ. cum ol. nucis moſchatæ expreſſ. ſcr. j.*

4. [63] *Diſcuſſionis* & quidem [64] *Internè*, per [65] oleum *ſuccini albi* cum [66] pulvere flor. nuc. jugland. [67] caſtorei extractum [68] *lichenum*, [69] *ſpecificum diajovis Mynſichti*, Theriacam *mulierum* ejuſdem, Eſſentiam *granorum chamæ actes* Harrm. *in aquis pulegii, Theriacali*, & aliis appropriatis ut [70] *ſemine dauci ſaccharo incruſtato*, [71] *paſtinacæ domeſticæ* dr. j pondere. *Pachequus* apud *Rive*

rium laudat medicamentum ex *aſa fœtidæ* dr. ij. *Caſtorei, fæculæ bryoniæ* ana dr. 1. *ſemin. rutæ* ſcr. j. *croci* ſcr. ſ. *laudani Paracelſi* gr. VIII. cum *ſyrupo de artemiſia* compoſitum, & drachmæ unius doſi aſſumptum. [72]. *Pulverem* Riverio laudatiſsimum vide apud eundem. Prodeſt quoque mixtura ex *theriacæ* dr. ſ. *Philonii Rom.* gr. iij. *Caſtor.* gr. VIII.

[73] *Externè* per litum ex *axungia caſtorei, pinguedine gallinæ, caſtorei* grano uno vel altero, *ſevo hircino* liquefacto &c. per *unguentum* ex *ſevi hircini unc.* 1. *pingued. anguillæ dr.* ij. paratum olei *Iovis*, [74]. ſalis *ejuſdem à Crollio deſcripti* [75]. in umbilicum immiſsionem, [76]. Emplaſtrorum ex *adipe vaccæ nigræ herbis matricariis paſtæ, ſclarea in butyro coctæ*, addito *gummi Tacamahacæ & Carannæ*, factorum &c.

II. [78]. *Tempus extra paroxyſmum*, in quo 1. [77]. *Evacuandum*, per [78]. Extractum [79]. *Bryoniæ Grulingii*, de quo in Curationibus, per [80]. *vitriolum purgans Salæ doſi* à gr. V. ad VII. vel IX. [81]. per flores *vitrioli Veneris & Martis* Agricolæ, à me multoties probatos.

2. *Vterus per interna &* [82]. *externa* [83]. *malignitati etiam reſiſtentia* [84]. *roborandus.* [85]. Laudatur [86]. fæcula [87]. *Bryoniæ*, [88]. *Caſtoreum*, &c.

3. [89]. *Diæta*, in quà odorata, [90]. & dulcia, quæ uterum commovere ſolent, fugienda.

Ad [91] *præſervationem* vide *pillulas Hyſtericas Zacuti Prax. Hiſtor.* l. 9. c. 12.

[1]. *Suffocatione uteri*) Nominatur Græcis, & imprimis *Galeno 6. de loc. aff. cap. 5.* πνὶξ ὑστερικὴ, ἀπὸ τῦ πνίγειν, ſuffocare, à primario ipſique vitæ quaſi inſidiante ſymptomate; ſiquidem ita laborantes ægræ ſuffocari videntur, Et ἀπὸ τῆς ὑστέρας, ab utero ceu ſubjecto, Hinc *Hippocrat. 5. aphor. 35.* τὰ ὑστερικὰ κατ' ἐξοχὴν, quod nempe reliquorum affectuum uterinorum graviſſimus ſit atque atrociſſimus vocari ſolet: Eâdem quoque de causâ Latini *Suffocationem* aut *Præfocationem uterinam*, vel *Strangulationem uteri* appellitant: Sic ὑστερικαὶ, dicuntur mulieres quæ vel uteri ſtrangulatu jam laborant, vel aliàs huic paſſioni valdè ſunt obnoxiæ. *Laur. Strauſſius Palm. Part.* iij. *p. 416.*

[1]. *Vteri*) Vterum pro parte principaliter affecta habendum arbitramur, ita tamen ut *uteri* nomine non ſolum partem corporis in hypochondriis ſitam, in qua fit conceptio. ſtrictè acceptam, ſed cum medicis paulo latius ſumendo, omnes illas partes ſexui fœmineo proprias, quæ ad τῶν ἀφροδισίων uſum, conceptionem & partum, à natura fabrefactæ ſunt, & ſub *teſticulorum*, vel *Ovarii, Tubarum, Cervicis, Vaginæ, vaſorum ſpermaticorum &c.* nomenclatura ab Anatomicis proponi conſueverunt. una velimus intellectas. *Strauſſius*

[1]. *Vteri*) Propter mirum conſenſum quem uterus habet cum omnibus propemodum corporis partibus, inde varia accidunt ſymptomata, & ita diverſa, ut jurè dixerit Democritus *Epiſt. ad Hipp.* ſexcentarum ærumnarum, innumeratumq; calamitatum autorem eſſe Vterum, Et ipſe *Hipp.* ſcripſerit *l. de m. virg.* multis & incomprehenſibilibus fere affectionibus premi miſerrimas mulieres: Nos illas omnes affectiones hoc capite explicare aggredimur, & unico *Hyſtericæ paſſionis* nomine comprehendimus, Galenum imitantes qui 6. l. aff. c. 5. dicit Paſſionem hyſtericam unum quidem nomen eſſe, varia tamen & innumera accidentia ſub ſe comprehendere; Quamvis Neoterici fere omnes Paſſionem hyſtericam ſub titulo hyſtericæ Suffocationis explicent, ſymptoma peculiare generis nomine donantes, propterea quod omnium frequentiſſimum & moleſtiſſimum eſſe conſuevit: In hoc tamen maxime ſuperflui eſſe videntur, authores præcipui, quod diverſis capitibus varios ex utero affectus exponunt, nempe hyſtericam ſuffocationem, capitis dolores, convulſiones epilepticas, cordis palpitationes, arteriarum in hypochondriis & dorſo pulſationes, ventriculi, hepatis & lienis affectus ex utero oriundos, & varios in variis partibus dolores ab eodem concitatos, quod omnes illi affectus ab iiſdem cauſis oriantur, & iiſdem remediis curari debeant, ita ut authores prædicti in variis capitibus eadem ſæpius, non ſine lectorum tædio, repetere cogantur. *Riverius.*

[2]. *Suffocatio uteri*) Sympathia quæ occurrit inter plexum nervorum jugularem, & plexum nervi intercoſtalis, cauſa eſt ſuffocationis hyſtericæ: quia ubi detinet convulſio quæ inducitur nervo intercoſtali, tunc temporis in imo ventre, facile in fauces uſque progreditur, ac ſtatim occupat nervos octavi paris ac recurrentes qui movent aſperam arteriam, qui tunc evadunt quaſi totidem funes, ſua contractione ſtrangulationem inferentes. *Dan. Duncanus Tr. de motu Anim. capit. 17.*

[2]. *Suffocatio uterina eſt ſymptomatum*) Hyſtericarum affectionum ſuffocatio eſt præcipua & magis frequens, multiſque aliis, iiſque graviſſimis plerumque ſtipatur ſymptomatis: nam præter læſam reſpirationem, quæ interdum etiam abolętur, totius corporis refrigeratio, vocis & pulſus interceptio, imo interdum motus & ſenſus abolitio contingit, ut ægræ quaſi mortuæ jaceant, ſepulturæ deſtinatæ fuerint, cum tamen poſtea revixerint. *Riverius.* Vteri ſuffocatio varia habet ſymptomata, ut nauſeam, anxietatem cordis, dolorem capitis ingentem, ſoporem & motum quendam convulſivum. Proprie tamen loquendo eſt ſubitum reſpirationis impedimentum ab utero: Dico ſubitum, quia quando geſtatur fœtus, pedetentim difficultas reſpirandi. *Walæus Med. Pract. p. 204.*

[2]. *Suffocatio uterina*) Paſſio hyſterica inter morbos muliebres peſſimæ adeo famæ exiſtit, ut ſemi damnati inſtar plurimum aliorum affectuum culpas gerat, ſi quando enim ægritudo inuſitati moris, aut occultioris originis in corpore fœmineo occurrat, ita ut *cauſa* ejus lateat, & *indicatio therapeutica* ſit prorſus incerta, ſtatim *uteri* (qui plerumque inſons eſt) malam influentiam accuſamus, & in ſymptomate quovis inuſitato aliquid *hyſtericum* ſubeſſe pronuntiamus, proindeque ad hunc *Scopum*, qui ſæpe tantum ignorantiæ ſubterfugium eſt, intentiones ac remediorum uſus diriguntur. *Willis.*

Priſcis ab hinc ſæculis creditum fuit *Hyſterica* dicta *ſymptomata*, quæ in hac paſſione utramque paginam implent ad *Vterum*, unde nomen habent, primario pertinere: Interim Recẽtiores quidam ejuſmodi φαινόμενα, etiamſi hyſterica dici ſueverint, tamen *abſque vitio & culpa uteri oriri*, adeoque tam viris quam fœminis communia eſſe ſtatuunt, Sic jamdudum *Carol. Piſo Tr. de morb. à Sero* Caput primarium, hujus morbi ſubjectum & ſymptomatum aut authorem exiſtere: E neotericis multi hujus prementes veſtigia, uterum ab omni fere culpa vindicare conati ſunt, quamvis non eodem omnes explicandi modo utantur.

Verum enim v[illegible] procul dubio de ſingulis recte quis dixerit quod de W[illegible] indicat *Bruno in Lex.* hallucinatos eos eſſe quod in affectibus hyſtericis uterum f[illegible]-

ſo

ſo accuſari ſcripſerint, Et ſane ipſemet, *Williſius cap.10. pag.108.* tanquam *ab Adr.ſtea victus, quandoque affectum hunc ab uteri culpa dependere, plerumque tamen inſontem eſſe uterum* fatetur.

Non eſt itaque ut qui talia pathemata in fœminis uteri vitio imprimis excitari adhuc cenſent, irrideantur, quando etiam contrarium ſentientes, uterum, ſi non ſemper, ſaltem aliquando in culpa eſſe inficiari neutiquam poſſunt.

Neque nos movere debet illa, quam urgent, affinitas inter *affectum hypochondriacum & hyſtericum* intercedens, ob quam etiam unum ad alterius ideam non inepte revocandum cenſuiſſe *Higmorum* & alios indicat, *Velſchius Dec.7.curat.3.* præterquam enim quod in hac ipſa affinitate & ſimilitudine magnam adhuc eſſe diſſimilitudinem Medici in praxi verſatiſſimi quotidie obſervent, ne tunc quidem, ſi vel maxime iſta ſimilitudo exemplis certis & indubitatis eſſet demonſtrata, uterum in fœminis à culpa immunem pronuntiare liceret, ſed hoc tantum ſequeretur eadem ſymptomata quæ in fœminis vitio uteri oboriuntur, in viris quandoque aliis ex cauſis produci poſſe.

Jam vero ſi ea quæ circa uterum in feminis juxta leges naturæ fieri debent non modo, verum etiam his minus recte habentibus evenire ſolent, accurate ponderemus, næ, ſimilitudo iſta valde claudicabit, novaque hæc opinio tam ſponte corruet; ut vix alio ariete opus fore arbitremur.

In mulieris hyſterica paſſione extinctæ cadavere uterus, una cum teſtibus & vaſis deferentibus, materia ſeminali corrupta, quæ caſeo recenter coagulato haud erat abſimilis, turgidus repertus fuit, teſte *Mennagetta* in Miſcell. curioſis Anni 1. obſervat. 32. pagina 107. *Strauſſius.*

3. *Eſt ſymptomatum*) Pathemata quæ ad hunc cenſum referri ſolent varia & multiplicia reperiuntur, quæ raro in diverſis fœminis conveniunt, aut ad eundem prorſus modum contingunt: *Communiſſima*, & quæ vulgo *affectionis hyſtericæ* rationem formalem conſtituere dicuntur, ſunt hæc, ſcilicet *motus in imo ventre*, ibidemque *velut globi cujuſdam aſcenſus*, dein *rugitus*, aut *vomendi nixus*, *hypochondriorum diſtenſio & tumor* cum *flatuum eructatione*, *reſpiratio inæqualis*, ac *utplurimum impedita*, *præfocatio in gutture*, *vertigo*, *oculorum inverſio*, aut *rotatio*, ſæpe *riſus*, *aut fletus*. *fabulatio* abſurda, quandoq; ἀφωνία & ἀκινησία, cum *pulſu obſcuro* aut *nullo*, & *aſpectu cadaveroſo*: interdum *motus convulſivi in facie* ac *artubus*, & nonnunquam *in toto corpore excitati*, verum ſpaſmi univerſales rarius contingunt, & nonniſi morbo hoc in ſtatum peſſimum evecto quippe utplurimum ſine *membrorum contractione*, tantum *in ventre inferiore*, *thorace & capite*, ſcilicet in eorum aliquo aut ſucceſſive in omnibus paroxyſmi tragœdia perficitur. *Willis.*

3. *Eſt ſymptomatum nunc actiones naturales &c.*) [vide §. *De Suffocatione uteri*] Dolor capitis ex utero variis modis contingit; interdum enim totum caput obſidet, alias ſincipur, alias occiput invadit, alias circa oculos percipitur, ut è ſede ſua quaſi erupturi videantur: Fiunt autem iſti dolores à prædictis vaporibus acribus & malignis ad caput elevatis, & partes illius membraneas vellicantibus: Humores etiam pravi ab utero tranſlati hunc dolorem excitare poſſunt; Sanguis enim vitioſus ex vaſis uteri regurgitans, & præſertim tenuior ac ſeroſior illius portio ad caput uſq; aſcendit & in membranoſas partes effuſus dolores illos procreat, qui dolor interdum pungens & ulceroſus eſt, ex vaporum aut humorum acrimonia; Interdum tenſivus à copia & multitudine tenſionem efficiente; interdum vero pulſatorius, quando vapores aut humores per arterias feruntur, vel quando arteriæ partis alicujus capitis peculiaris ſanguine fervido replentur.

Epilepſia ex utero ab iiſdem vaporibus acribus & malignis excitatur, qui dum inſignem acrimoniam atque malignitatem adepti ſunt partes nervoſas vehementius & acerbius feriunt, unde fit ut illæ contrahantur & ad excluſionem rei noxiæ motibus convulſivis agitentur:

Palpitatio cordis ab iiſdem vaporibus ſæpe contingit, ex utero ad cor elevatis, illiuſque expultricem irritantibus.

In *arteriis* etiam *dorſi & hypochondriorum pulſatio* contingit ex ſanguine fervido, ex utero in illas arterias tranſlato, eaſque diſtendente, unde pulſatio major fit, quæ partes vicinas feriens pulſationis ſenſum iis inducit: Fiunt tamen interdum hujuſmodi pulſationes in melancholia hypochondriaca, quæ in horum affectuum diagnoſi erunt diſtinguendæ,

Varii etiam in *Ventriculo*, *Hepate & Liene* affectus oriuntur ex utero, *Ventriculi* læſione dejectam *appetentiã*, vel eandem *intenſiorem*, vel ad *abſurda* propenſam, vel ſingultus, vomitus aut *ructus*, aut *cardialgiã* excitant.

Quæ omnia ſymptomata à prædictis vaporibus in ventriculum tranſmiſſis per arterias hypogaſtricas & cœliacas, vel alios cœcos ductus excitantur, varia autem illa ſymptomata vapores iſti inducunt, pro diverſa rerum natura diverſoque putredinis & malignitatis gradu: Prout enim calidi ſunt, *inappetentiam & ſitim* excitant, ſi vero frigidi fuerint, *coctionẽm* lædunt.

Abſurdorum vero *appetentia*, ex maligna humorum & vaporum qualitate dependet, ut in pica oſtenſum eſt, ac pro diverſa malignitatis ſpecie, fit ut appetitus magis ad hanc quam ad illam rem feratur, ut aliæ carbones, aliæ gypſum, ſalem, cinnamomum, aliaque abſurda appetant.

Ex certa etiam malignitatis ſpecie dependet quorundam eduliorum peculiaris averſatio, & quod mirabilius eſt, in quibuſdam apparuit *potus* omnimoda *averſatio*, ut in Nob. muliere de qua *Mercatus*, & alia quæ licet potum ſibi porrigi expeteret, eum tamen vomitu rejiciebat, ſimulque gravibus aliis ſymptomatis vexabatur: ubi conjicere licet humores pravos in ea muliere malignitatem fuiſſe adeptos, illi conſimilem quæ in hydrophobia generari ſolet.

Negandum tamen non eſt partium diverſitatem, ad quas humores illi & vapores maligni deferuntur, non parum conferre ad ſymptomatum varietatem afficiendam; Si enim ad os ventriculi feruntur, *Appetentiam lædunt*, & *cardialgiam* inducunt: Si in ventriculi cavitatem effundantur, *ructus & vomitus* excitant; Si ventriculi tunicis hæreant, *Nauſeam* perpetuam inducunt: Si inſigni acrimonia præditi ſint, *Singultum* aut *dolores* efficiunt, qui etiam dolores à copia gravante ac diſtendente exoriri poſſunt.

Hepatis læſiones ex ſanguine menſtruo retento & per venas ad eam partem refluente, facile generantur, Hinc *morbus virgineus* à ſanguine pravo ab utero in hepar, & ab hepate in totum corpus effuſo generatur: Hinc tumores, febres, aliique affectus quamplurimi in toto corpore variiſque partibus oriuntur, cum omnes ab hepate nutrimentum capiant.

Si vero ſanguis ille vitioſus ab utero in lienem refluat, tumores, obſtructiones & affectiones melancholicæ, atque hypochondriacæ exoriri ſolent; Ac denique mulieres varios in *Lumbis*, *cruribus*, aliiſque partibus dolores patiuntur ex vitioſis humoribus atque vaporibus ab utero ad eas tranſlatis: Quæ omnia ſymptomata ex utero oriunda, ab aliis conſimilis naturæ aliunde provenientibus, & ab aliis cauſis productis in diagnoſi ſequenti diſtinguentur. *Riverius.*

3. *Symptomatum nunc actiones naturales, nunc animales &c.*) Verum adeo hàc ratione eſt, quod *Helmon-*

tius approbè innuit, matricem diverſas & miras excitare ſcenas, & furioſa exorbitatione ſua, aut adſcenſione, vel dum in latera impetuoſe torquet, tam organa vitæ quam arbitrio inſervientia, ſic alienare ac ſtringere, ut nullum ferme ſuum tunc faciat officium. *Chr. Langius.*

3. *Symptomatum actiones naturales nunc animales, nunc & ſæpius vitales oppugnantium*) *Hippocrates l. de Loc. in Hom. Eſt* inquit, *fœmineo generi pars una, uterus, omnium morborum virgineorum ac muliebrium ſeminarium ac radix.* Quod forraſſis indiſtinctè & minùs plauſibiliter, præſertim apud eruditos, pronuntiatum eſt mulierculis id placere poteſt, & ignaris medicis; ex quibus illæ quicquid obvenerit, quicunque ſit affectus, vel etiam ſi in minimo digito ſectio ſit aliqua, mali authorem uterum contendunt, ſylvamque remediorum paratam habent, tanquam πολύχρηστον, ſed utero ſoli dicatorum: Hi verò ignari loci, non longè ab iſtis fallacibus mulierculis divertentes, quicquid mali contigerit, hujus remedium ab uno coitu frequenti repetunt, quod uteri languor & neglectus cultus, omnium in virginibus aut viduis morborum cauſa eſſe videatur: Itaque uteri ipſius ratione varias ægrotationum ſpecies & imagines animo fingunt, quarum nulla in viris conſpici ſoleat, cùm ij utero careant, affectuum iſtorum penu ac ſeminario: Quod autem uterus ſuas affectiones proprias & vernaculas habeat, id nemo negaverit, cùm nulla ſit in corpore pars quæ à morbo libera ac immunis eſſe poſſit: ſed tot morborum ideas utero uni affingere, hoc φανταστικὸν & portento ſimile eſt: Si enim mas & fœmina nullo diſcrimine diſtinguuntur, *Galeni ſententia cap. 6. lib. 14. de uſu part.* niſi quod in fœminis illud lateat includaturque quod in viris promitur ac editur, cur non ab illa parte quæ in viris prodiit foras, quæque voluptatis, ut & uterus in illis, promptuarium quoddam eſt, tot morborum genera derivabuntur? &c. *Ballonius lib. de virg. & mul. morb. cap. 3. pag. 19.* ἐξοχὴν τινὰ uterus omnium morborum author dicitur, *Ibidem cap. 6. pag. 50.* Quod Corpus totum utero omnino ſimile eſt, ait *Gal. Aphor. 62. lib. 5.* Quæ ſimilitudo in duobus intelligitur, in vaſorum conſtructione & excrementorum proventu: Si enim corpus reliquum temperamento frigidum ſit, vaſa anguſtiora eſſe cōſentaneū eſt, & proinde obſtructionibus patere, necnon excrementorum proventui: Idem quoque utero contingit, nam frigidiuſculus eſt & venarum anguſtiam habet ſubindeque excrementis & obſtructionibus pervius eſt; nam totum corpus utero ſimile eſt, Alii eam ſimilitudinem intellexere de conſenſu cum aliis partibus: cùm omnibus ferè cum corporis partibus uterus conſentiat, quod ex magnitudine vaſorum Galenus collegit, hæc ſimilitudo à nobis explicata; nunquam aliis partibus reliquis tribuitur: nam ſæpe corpus capiti non eſt ſimile nec caput corpori, utero autem peculiari modo hoc conceſſum eſt: *Idem lib. de virg. & mul. morb. cap. 6. p. 81.*

4. *Nunc animales*; Ruricola paſſionibus hyſtericis alias vexari ſolita, inter alia conquerebatur de *moleſto* quodam *brachii ſtupore*, quem & ipſa per conſenſum uteri fieri dicebat, & hyſterico anodynis mox ceſſare ſolebat ſymptoma illud revera inſolens: Vaporibus id adſcribere ignorantiæ eſſet velum & caliginem obducere; Nervorum quoque plexus (quibus alias Clar. *Willis* plurima feliciſſime expedivit) nimis hinc remoti ſunt, & de cætero quoque conſtat ſtuporem non tam nervorum, quam potius muſculorum eorumque tendinum affectum eſſe jam violenta nervorum criſpatione, aut dolorem aut totalem ἀναισθησίαν conjunctam habente: Sed neque cæteræ conſenſus ſpecies huc quadrare videntur quas adducit *Fr. Bayle Tr. de conſ. uteri cum reliq. H. C. part.* Ad difficilem ergo problematis hujus reſolutionem notandum, tum demum ſymptoma hoc ab Aegra obſervari, ſi quando dolores fuerint atrociores, ipſeque uterus revera compatiatur, id quod fere patet ex eo ſi tormina concurrant Puerperis alias communia, tenſio ſcilicet juxta os ſacrum, violenta uteri convulſio, & vanus enitendi nixus, unde intenſiſſimus dolor: Jam autem conſtat uterum ligamentis ſuis latis interno iſchii oſſi annexum eſſe, in ejuſmodi confinio ubi plurimorum muſculorum eſt principium, in ſpecie vero *muſculi quarti thoracis,* qui hinc exortus, perque lumborum vertebras trajiciens prioribus decem coſtis adhæret, donec tandem vii. cervicis vertebræ inferatur, ad alarum & brachiorum motum alias ſymbolum quoque addens; Convulſis itaque & diſtentis uteri ligamentis, muſculi hujus principium, quovis modo compreſſum, *ſtuporem* hunc admirabilem ſine dubio producere ſolet; qui ex eodē fundamento *conjunctus eſt ut plurimum iſchiadico dolori*, Vide *Riverium cap 2. obſerv. 2.* Quin & mulierculæ quoque notum Gravidis fere ordinarium eſſe *ſurarum tenſionem & ſtuporem pedum.* Cauſam vero pariter ligamentis latis, ſive convulſis ſive diſtentis adſcribere videas *Riolanum, Bauhinum, Bartholinum, &c.* M. Bernardus Valentinus *M. S. V. 2. pagina 49.*

Actiones naturales, &c. animales &c. vitales, &c. à vapore maligno ex utero elevato &c.) Ad inveſtigandum qua ratione variæ corporis partes cum utero compatiantur, exponendum quam habeat uterus connexionem cum reliquis partibus.

Uterus ſitum adeptus eſt in humiliore abdominis regione, ubi oſſium ſacri, ilium, coxendicis, pubiſque concurſu ea cavitas quam pelvim appellant, efformatur; Colli anteriore parte cum veſicæ collo connectitur; Poſteriore adhæret recto inteſtino, ſupernè reliqua inteſtina ipſi incumbunt; A fundo uteri, juxta cornua ejuſdem, duo emergunt ligamenta, quibus cum oſſibus ilium hinc inde connectitur; his ligamentis tubæ cum teſtibus ſunt attenſæ. Latiora hæc ligamenta, ſi fibræ ipſorum carneæ attentè conſiderentur, inter muſculos numerabuntur: Ab ejuſdem fundi lateribus duo alia ligamenta teretia fibris carneis, quales ſunt fibræ muſculorum compacta protenduntur, quæ non ſecus ac vaſa ſpermatica virorum per proceſſus peritonæi, & tendines muſculorum abdominis obliquè deſcendentium extra abdomen erumpunt, horumque portio verſus clitoridem excurrens in tenuiſſimam membranam verſa, ſenſim obliteratur, reliquum in membranam femoris interiorem abſumitur: Teretia hæc ligamenta ſunt ſecundum longitudinem excavata *ductu quem in uteri cavitatem apertum deprehendi:* ſunt etiam tubis ut uterinis ductus conſpicui conceſſi: Cum utrorumque Ligamentorum ſtructuram nuper conſiderarem mihi ſunt viſi Anatomici negligentius eorum uſus inveſtigaſſe, & parum congruè ligamentorum nomine ea appellaſſe, cum proculdubio aliis nobilioribuſque dicati ſint quam ligandi muneribus: Et hæc leviter attigiſſe ſatis eſt.

Præterea cum uterus per vaſa univerſo corpori communia cum reliquis partibus connexionem habeat, ea ſunt breviter perſtringenda. Ac 1. quidem uterus *venarum & arteriarum* ramos accipit ſupernè à ſpermaticis & hæmorrhoidalibus, Infernè ab hypogaſtricis habet ſurculos, qui collum & infimam fundi ipſius partem perreptant, & cum vaſis ſuperioribus junguntur, ita ut ex his in illa, & viciſſim, facilis ſit humoribus tranſitus, cum nullum occurrat valvularum impedimentum: Venæ uteri, aut potius Tubuli membranacei, habent oſcula exiliſſima quæ menſtruorum tempore in uteri cavitatem aperiuntur; Quod attinet ad *genus nervoſum*, nervi qui fundum uteri perreptant,

tanta pari intercoſtali emergunt; qui vero diſſeminantur in mediam & infimam partem, ii ramulis ab oſſe ſacro erumpentibus ſuam debent originem.

Ex his intelligitur quæ partes utero conſentiant, & ſimul quæ ſint in illis metuenda per ejuſmodi conſenſum ſymptomata, eritque in mentem revocandum id quod ante dictum, uterum eſſe à natura conſtitutum ut eſſet ager in quo animalia ſervarentur ac procrearentur; Ipſiuſque fœcunditatem foveri fermento ingenito, cujus vi, ſtatis periodis excitato fervore, uteri ſubſtantia rareſcit ac molleſcit, ſanguis attenuatur, laxantur tubulorum ſpiracula, & menſtruum excitatur profluvium.

Jam ſingulas, inſigniores ſaltem, expendamus ſympathiæ rationes uterum inter & reliquas corporis partes, 1. Quoad *viciniam*, ſi uterus quacunque intemperie laboraverit, eam inteſtino recto, veſicæ ac reliquis partibus, quæ ſupra ipſi contiguas aut annexas eſſe recenſes, facillimè communicatur; Eædem etiam partes afficientur, ſi aut uteri ipſa ſubſtantia; aut in ipſo p. n. collectus pravus humor putruerit, ubi enim colluvies illa fervore, quem putredo inducit, fuerit attenuata, facilè per inſenſibiles membranæ exterioris uteri meatus exudabit, in vicina repet corpora, eaque labefactabit, temperiem immutando, rodendo, putrefaciendo aut alio quovis modo. Quare ſi ſanies ab utero in rectum inteſtinum fuerit effuſa, teneſmum efficiet; ſi in veſicam illabatur, ſtranguriam excitabit, & ſic in aliis partibus, prout ſunt huic aut illi muneri dicatæ, hac aut illa ſtructura aut ſubſtantia donatæ, varia inducet ſymptomata.

Ratione *Situs*; ſi vel à concepto fœtu, vel à flatu, vel ab humoribus in cavitatem illapſis, aut in ſubſtantia imbibitis uterus in molem ingentem excreverit, quia ſuis ſedibus eſt fortiter alligatus, & ſeptis validis undique concluſus, partes circumpoſitas neceſſario, comprimit ac diſtrahit; Compreſſio in gravidis *alvum duriorem* efficit; etenim fæces per inteſtina compreſſa ægre deſcendunt, & mora diuturniore exſiccata vix poſſunt ejici: Eadem ab utero compreſſio, dum veſicæ collum occludit urinam ſupprimit, Ab illo uteri tumore, ſi nimis creverit, intenduntur abdominis muſculi, & ipſum diaphragma, truſis ſurſum inteſtinis, in thoracem pellitur, unde oritur dyſpnœa: Idem uteri tumor, quia ramos iliacos comprimit, difficiliorem efficit ſanguinis per venas ad ſuperiora refluxum, quapropter ſanguine per ipſam crurum ſubſtantiam diffuſo, aut in ipſorum venis ſtagnante, tibiæ & femora fiunt tumidiora, cum ſenſu ponderis & tenſionis, & venæ tibiarum varicoſæ.

Sympathiæ per *connexionem* aut *continuitatem* cum utero inductæ hæc ſint exempla, Si ob tumorem uteri, aut ejuſdem diſtorſionemve rotundorum ligamentorum aliquod intendatur, tenſio ſentitur in inguine & interna parte femoris, ad illas enim partes deſinunt ligamenta rotunda: Ob eoſdem uteri affectus parem poſſunt tenſionis ſenſum excitare lata ligamenta in oſſibus ilium.

Ut ſympathia quam *vaſorum communitas* inducit, facilius explicetur, eam dividam in illam quæ fit per vaſa ſynceros ſpiritus deferentia, h. e. per nervos, Et in eam quæ fit per vaſa alios quoſcunque humores continentia, ſuntque arteriæ, venæ, cavitatem ligamentorum rotundorum ac tubarum, canales lymphatici, interſtitia vaſorum ac fibrarum, quæ fibræ à fermento in ſanis, in ægris à cauſis variis morbificis relaxantur, Hi omnes canales, qui humores continent, ad ſympathiam partium cum utero conferunt, quatenus ab hoc in illas humores traducunt; Quare ut clarius dignoſcantur quæ ab hujuſmodi humoribus in partibus compatientibus excitantur ſymptomata, de illis pauca attingam.

Ac primò quidem advertendum eſt uterum, ob intemperiem, aut aliam affectionem, poſſe proprium alimentum corrumpere, aut è ſanguine cacochymo præterlabente, quod in ipſo vitioſum eſt excipere, ſenſimque ad majorem pravitatem deducere: Quodcunque illud ſit quod corruptum eſt, poſtquam putreſcendo fuerit eliquatum attenuatumque, ſanguini permiſcetur, ac ſi in ipſo hæreat totam maſſam inficit; ſi in aliqua parte deponatur, illam labefactat; Circa hæc nihil habet uterus quod non ſit commune reliquis corporis partibus, præterquamquod laxatis tubulorum ſupra memoratorum oſculis, aliquando eructat in propriam cavitatem, tum quod ipſe corrumpit, tum colluviem quam à ſanguine excipit, tuncque exoritur fœdus ille morbus *Fluor albus* appellatus.

Quæ propria eſt uteri vis à qua humoribus inſignia, eaque plurima vitia accerſuntur, quamque cenſeo inprimis conſiderandam, ea eſt quæ ipſi accedit à *Fermento*, Hoc ſi vel deprimatur, vel nimis evehatur, vel depravetur, ſi poſtquam ſolitum ſtatis periodis excitavit fervorem, menſtruæ purgationes non ſuccedant ex præſcripta naturæ lege, ſanguis modo craſſior evadit, depreſſo ſcil. fermento: eodemque exaltato acrior & fervidior: modo variè depravatur pro variis fermenti vitiis, conferente ad varia illa vitia ſanguinis augenda vel temperanda, viſcerum diſpoſitione mala vel bona.

Ex illis uterini fermenti & ſanguinis vitiis tot & tam varii oriuntur morbi, tam horrenda ſymptomata, ut non immerito dixerit *Democritus* uterum mulieribus ſexcentarum ærumnarum cauſam exiſtere: Et *aph. 57. 5. Si menſtruæ purgationes abundaverint morbi fiunt*, Neceſſe enim eſt immodica ſanguinis profuſione totum corpus perfrigerari, omnes functiones, calore cum ſpiritibus abſumpto, debilius perfici, unde fœdus oritur color in vultu, malus totius corporis habitus, hydrops aliæque affectiones quas infert nimia ſanguinis vacuatio ex quacunque corporis parte fiat.

Menſtruorum defectus non minora affert incommoda quam exceſſus, iis quidem citra ullam noxam carent illæ mulieres quæ nullam in utero patiuntur periodicum fervorem. At quibus ſanguini ab ejuſmodi fervore turgeſcenti debitus nō patet exitus ex plurimis graviſſimiſque morbis ac ſymptomatis affliguntur. Etenim qui in uteri tubulis æſtuabat ſanguis, fermentativis particulis turgidus, per venas refluit ad cor, toti maſſæ permiſcetur, eamque fermentat, expandit attenuatque; unde fit ut ſanguis agitatus, dum vaſa diſtendit, & exitum quærit, ipſa rumpat, vel in partes debiliores irruat, & in ipſis inflammationes pariat: Partes porro ſuperiores magis periclitantur quam inferiores, quia inter illas multæ ſunt molliores, teneriores, laxiores, quarum vaſa etiam tenera parum circumfulciuntur, cum vaſa partium inferiorum ſint ipſa firmiora, & carnibus ſolidioribus munita, ſicque diſtendenti ſanguini magis reſiſtant.

Quando ſanguis eſt in mediocri quantitate, & partes robuſtæ nihil periculi ſubitanei à menſtruorum ſuppreſſione metuendum eſt, ſed ſenſim in vaſis cacochymia ſuccreſcit, fermento uteri vitiante ſanguinis maſſam, Quare temporis progreſſu coctiones non ritè perficiuntur, inducitur chloroſis, cachexia, aut alii affectus: Hæc autem potius quam alia pars in conſenſum trahitur, vel proprio vitio, vel ſpeciali ſanguinis, aut alterius humoris mala diſpoſitione, vel utraque, vel ob aliquam ſympathiæ cauſam ex ſupra allatis; atque hæc quidem accidunt quibus menſtrua ſiſtuntur citra inſignem malignitatem.

At ſi membranaceis uteri tubulis, aut in ipſa uteri ſubſtantia, vel ſanguis, vel alius humor retinetur, &

majorem labem contrahit, ſeu mora diuturniore, ſeu fermenti uterini pravitate, ſeu mala ipſius uteri diſpoſitione, is ſi quando ſuſcepta fermentatione attenuatus ſua loca deſerit, ſive per venas, ſive per alias vias erumpat, horrenda magis excitat ſymptomata; Cum in venas corruptus humor effluit, & ſanguini permiſcetur, aliquando in illo excitat fermentationem p. n. Aliquando, ut ſolent multa fermenta aliorum vim extinguere, ejuſdem ſanguinis in ventriculis cordis fermentationem impedit, unde oritur pulſus *debilitas*, adeo ut creſcente malo aliquando *ſyncope* ſuccedat; Aliquando cor, ejuſque auriculæ, cum ejuſdem humoris acrimonia vellicantur, aſſidue ſe contrahunt, aut ægre ſe expandunt, ad vitandum moleſti humoris appulſum, quam cordis ejuſque auricularum motionem *pulſus* indicat, *parvitate* & *tenſione:* Urgente magis acrimonia, cordis tanta inducitur contractio, ut *aſphyxia* & *ſyncope* poſſit excitari, Quæ ejuſdem humoris portio, ſi per arterias in alias corporis partes defertur, in iis pro cujuſque natura, & ſua varias excitat tragœdias; In cerebro, ſi acrimonia fermentandi vi polleat, *vertigines* ac *motus convulſivos:* ſi ſanguinis fervorem cohibeat, & ſpirituum motum, *ſenſus motuſque diminutionem ac privationem* inducit: Pari modo reliquorum viſcerum functiones lædit, quamque ſuo modo.

Hæc & alia ſymptomata efficacius producit *corruptum ſemen*, qua de cauſa mulieres ſalaces, & conſueto viri conſortio abſtinentes, magis quam reliquæ ſunt paſſionibus hyſtericis obnoxiæ: Si corruptus quiſpiam illorum horum, per tranſpirationem, aut (quod facilius eſt) per patentes tubarum ductus, ab utero in abdominis cavitatem eruperit, circumfluos humores fermentans, *diſtenſiones* parit, quæ ſi majores fuerint, compreſſo diaphragmate, *difficilem* efficiunt *reſpirationem*: Si idem humor pravus, aut excitatus ab eo halitus, ventriculi cavitatem ſubierit, *Inflationes* excitat & *ructus*: Si diffuſos per inteſtina nervos ſua acrimonia ſolicitaverit, in ipſis *motus convulſivos* inducit, & inteſtina varie convoluta aliquando *aſcendentis ad thoracem globi ſpeciem* exhibent; Unde iis qui neſciunt uteri ſtructuram: & cum vicinis partibus connexionem datur occaſio opinandi ipſum ſurſum moveri, Si humor idem ligamenta, quæ muſculos eſſe dixi, pupugerit & in ipſis ſpaſmos excitaverit, *uteri fiunt contorſiones, tubarumque* huc & illuc *jactationes*. Si per ligamentorum rotundorum cavitates fluxerit, *dolor* ſentitur in *inguine & interna femoris parte.*

Reſpiratio difficilis, ſtrangulatio ab utero, dicta, irritatione ab humore per vias expoſitas delato, facta in muſculis exſpirationi dicatis, aut in larynge poſſunt excitari.

Hæc tamen ſymptomata, ut etiam convulſio, præter immediatam muſculorum irritationem factam ab humore, aut halitu ab utero per vaſa aſſurgente, aliam etiam habent cauſam in *vaſorum communitate*, ſcil. ope *nervorum*, Sive enim humorum colluvies uteri clauſtra non excedat, ſive per tubarum ductus abdominis tantum cavitatem ſubeat, tamen ob ſocietatem memoratam uteri, aut reliquarum abdominis partium nervis vehementiùs affectis ſpiritus determinantur ad influendum, non ſolum in eos ac nervos in quos ob illarum partium affectionem deberent lege naturæ influere, ad humorem aut halitum moleſtum repellendum, ſed etiam in nervos ſocios originis eorundem, aut etiam in omnes univerſi corporis nervos rapiuntur, ſi ipſorummet ſpirituum validior facta fuerit in cerebro commotio, aut fibrarum cerebri diſtractio: Ita obſervamus in majore tendinis punctura ſpiritus in muſculos omnes impetu ruere, & univerſum corpus intendere.

Ad eum qui in paſſione hyſterica fit per nervos conſenſum pleræque mulieres diſponuntur per ſuaves odores, fœtidis vero liberantur; Cujus effectus ex parte cauſa patet advertentibus rerum jucundarum appulſu partes relaxari ac effœminari; eaſdem ſi à rebus moleſtis impetantur contractione firmari; vix ſe continet quem leniter titillas, eundem ſi pupugeris ſenties ſubito factam robuſtiorem: Ita enim debuerunt corporis partes ita eſſe comparatæ, ut res noxias, ſeu interius pervadant, ſeu exterius accedant, contractione poſſint repellere; & quod utile eſt ac jucundum ſeſe relaxando recipere: Ea de cauſa partes ſuavibus odoribus relaxatæ ſupervenienti pravo halitui facilius patent, fœtore in contrariam diſpoſitionem transferuntur. Quando infeſtat ipſa convulſio, ſpiritus in omnes muſculos effuſi, accepta validiore per fœtidorum ſenſationem determinatione, retrahuntur ad nares & muſculos ſubſervientes ſternutationi, qua concuſſa interdum mali cauſa excutitur; Eandem retractionem eodem modo promovent vellicationes: Præterea (in quo vim potiſſimam conſiſtere arbitror) ſuaves halitus, quia tenuiſſimi ſunt ac leniſſimi, cum vapori maligno permiſcentur, eum tantum ſuſcitant, ut ejus vim & impetum augent; qui verò è fœtidis expirant corporibus, quia craſſiores ſunt, & majore feruntur impetu, ut judicare licet ex moleſta quam inferunt ſenſatione, cum permiſcentur pravis vaporibus, valido ore excitata fermentatione, eos diſcutiunt, ut ſolet lenis aura flammam excitare & fovere, quam ſubito difflat & extinguit ventus rapidior.

Inſignis eſt, & ſpeciali naturæ providentia inſtitutus mammarum cum utero conſenſus, quo illæ ſororiantur, cum hic primum patitur fervoris impetum, ad menſtruas purgationes, & in gravidis ſenſim lacte replentur, propter eundem conſenſum in gravidis ſi mammæ ſubito extenuentur, Abortus periculum ſignificant, ſi lac copioſe profundunt, fœtus indicant imbecillitatem.

Horum phænomenorum rejectis fictitiis cauſis (*Refutationem vide cap de Abortu*, §. *Si mammæ extenuentur* (& §. *Si lac copioſum ex iiſdem effluat*) ſympathiæ mammarum cum utero, quod attinet ad exempla propoſita, vera eſt aſſignanda, quam ſtatuo eſſe ſocietatem nervorum, Per nervos, ut patet ex dictis, omnes corporis partes ſunt colligatæ inter ſe in ſocietatem officii motione quacunque obeundi, cum per ſenſationes, quarum inſtrumenta ſunt nervi, ſpiritus animales determinentur ad influendum in nervos motui ſubſervientes, ut interius humores expellantur, titillentur &c. Hinc in utero gravidarum nervi ita afficiuntur, ut tranſmiſſa ad cerebrum affectione, ſpiritus determinentur ad influendum in nervos, qui præſunt glandulis & tubulis mammarum, eoque affluxu ſpirituum laxantur meatus, quibus ſuccus lacteus à ſanguine ſecernitur, & tubuli mammarum ſenſim dilatantur: Eadem de cauſa, inſtante purgatione menſtrua & incipiente uteri fervore, mammæ intumeſcunt & duriores evadunt, accepta ſcilicet ab illo uteri motu determinatione, ſpiritus ita in mammarum nervos influunt ut vaſa ſanguinem deferentia laxentur, eaque conſtringantur, quæ ipſum regerunt; unde fit ut mammæ intumeſcant, redundante in ipſis vel toto ſanguine, vel ipſius portione; quam glandulæ mammarum facilius excipiunt, ut non excitetur citius in utero diſpoſitio ad conceptum quam in mammis ad lactis generationem aut ſecretionem. *Franc. Bayle Differt. de Conſenſu uteri & aliarum partu.*

§. *Per periodos*) Invadit hoc malum per paroxyſmos, qui nunc frequentius, nunc rarius redeunt, nunc breviore, nunc longiore tempore durant pro materiæ copia, quæ nunc citius, nunc tardius colligitur; nunc etiam citius, nunc tardius diſcutitur:

diſcutitur? Habent enim eiuſmodi cauſæ in corpore humano ſua digeſtionis & exaltationis tempora, quæ vbi attigerunt, ſubito & quaſi in momento ad agendum erumpunt, Imo vero collecti antea in corpore huiuſmodi humores in corpore aliquandiu latere poſſunt, donec à cauſa aliqua interna vel externa commoti venenatam auram in alias partes diffundant.

6. *Congeries*) Senſibilis functionum animalium, iuxta atque vitalium læſio, quam hac in paſſione, cum aliis ſymptomatibus reliquarum claſſium vna concurrere videmus, primo quidem intuitu ror quoque partes affectas quot harum læſæ obſervantur functiones eſſe agnoſcendas evidenter oſtendit; Neque enim eſt vt quis inficiatur cerebrum, cor, Pulmones &c. hic etiam affici; ſiquidem abſque p. n. Horum diſpoſitione, qualiſcunque tandem illa fuerit, læſæ dictorum viſcerum affectiones concipi non poſſunt. *Strauſſius.*

7. *Refrigeratione totius corporis*) Quoniam calor nativus multum hebetatur, ob vapores pravos caloti adverſantes, vnde quidam hunc affectum frigidam intemperiem eſſe voluerunt, Verum refrigeratio hæc non eſt ipſe morbus, ſed ſymptoma, qualitas ſcil. mutata, quod inde patet, quia fugax eſt & mobilis, per paroxyſmos breves abit & redit, pendet enim à vapore fontem caloris intercipiente, At intemperies, quæ morbus eſt cum ſit res permanens nec cito introducitur, nec cito recedit. *Primiroſius lib 3. c. 11.*

8. *A vapore maligno ex vtero*) Cauſa huius mali *remota* eſt p. n. contentus, & in matrice corruptus ac putrefactus ſanguis, proxima vero in maligno & ſumme hoſtili vapore ſurſum ad vitalia & ſummam Palladis arcem ſe elevante conſiſtit: Qui vero nolunt concedere ab infami & infeſto hoc vapore, aut ſpiritu excrementitio fracidoque Imo etiam ab animaris viviſque tam effluviis, hyſtericam affectionem, & hinc ſæva ſymptomata eſſe, his rerum pariter atque corruptionis ignorare naturam. *Hofmannus* rectiſſime aſſeverat. *Chr. Langius Patho. An. l. c. 61.*

9. *Suffocatio mulierum*) Huiuſmodi affectionibus obnoxiæ ſunt fœminæ cuiuſque ætatis & conditionis, ſcil. *divites* & *pauperes*, *virgines*, *vxores* & *viduæ*; Obſervavi ſymptomata iſthæc in *puellis* ante pubertatem, Etiam in *vetuſtis* poſt Catameniorum defectum: quinimo eiuſmodi paſſiones interdum viros infeſtant. Willis.

Sanguineæ & benè habitæ mulieres, ac *libidinoſæ* menſtrua ſi ſupprimantur, aut venere priventur: item valde *cacochymæ* huic affectui ſunt obnoxiæ, Et ratione *ætatis*, virgines, ratò maturæ, viduæ & ſteriles, maxime quæ pallidis corripiuntur coloribus; rarius autem vetulæ corripiuntur, niſi ob inſignem cacochymiam, aut fluoris muliebris retentionem, Pariter *prægnantibus* accidere poteſt ſi ſint cacochymæ, ſæpius autem puerperis ſi lochia rite non expurgentur, aut poſt laborioſum partum, vel abortum, quando poſt immodicam boni ſanguinis vacuationem pravi humores ſuperſunt; aut, vt vult *Hippocrates*, quando *vterus* aëre repletur. *Primiroſius.*

10. *Mulierum*) Quare viri, etiamſi ex ſemine retento varia patiantur ſymptomata, ſuffocatione tamen nunquam tentantur? Quidam dicunt ſemen minus illi corrumpi, quia ſunt calidiores & ſicciores, At non minores, in viris quam mulieribus videmus corruptiones aliorum humorum; Dicit *Varandæus* cum ſemen abundat facilius excuti quam in mulieribus; ſed hoc nihil eſt, nam ſi retineatur, vt ſolet ſæpe alia quidem inferre poteſt ſymptomata, ſed non ſuffocationem, Addit mares animi corporis robore maiore præditos cutis, exercitationibus & labore, maiorem iſtorum vaporum partem diſcutere; ſed hæc non omnibus maribus conveniunt, quorum quidam nec animo nec corpore fœminis quibuſdam præpollent.

Melius ſcribit *Riolanus in Anthrop.* viros corrupti ſeminis nidore & tetris vaporibus, non ita affici ac mulieres quia reſtes & vaſa ſpermatica, vbi ſemen aſſervatur intra avum peritonæis contineatur, ſepteque membraneo ſeparantur cui rationi adde peculiarem vteri & vaſorum muliebrium naturam & proprietatem, qualem nulla alia pars habet, tum ad conſervandum ſemen, tum ad corrumpendum *Primiroſius.*

An vero viri ſuffocatione vteri ſimili nunquam tententur, vide §. *Cauſa eſt*) *Riolani* ſententiam quod attinet, vaporum aſcenſum illa ſupponit.

10. *Mulierum*) *Ex noſtra ſententia* paſſiones iſtæ non ſemper ab *vtero*, quin longe ſæpius à *cerebri*, aliarumque *generis* nervoſi partium vitio pendent; hinc dicimus ſymptomata, quæ videntur hyſterica, etiamſi huius morbi inſultus fere tantum fœminas invadit; quin & mulieres circa vterum male habentes, ſcil. puerperas, aut quibus catamenia ſiſtuntur) haud tantum *mulieres* inceſſere, nam novimus *virum* quendam eiuſmodi paroxyſmis cum *molis* in imo ventre aſcenſu obnoxium fuiſſe; quod autem fœminæ multo crebrius quam viri affectibus iſtis convulſivis tentantur, duę rationes proferri poſſunt; ſcil. 1 quod illorum conſtitutio animalis ſit longe debilior, nempe *cerebrum* & *nervos* molliores, & minus firmæ texturæ obtinent, vt nihil fortiter ſuſſtinere, nec iniuriæ cuivis reſiſtere queant; Et in illis *ſpiritus* animales magis in fugam & diſtractionem proclives, copulam heterogeneam & exploſivam facilius admittunt.

Hinc fœminæ à ſubito terrore, aut ingenti triſtitiâ maximas ſpirituum inordinationes ſubeunt cum viri à tali occaſione vix omnino perturbantur.

2. Fœminæ diatheſin ſpaſmodicam promptius ſuſcipiunt, quia materiæ morbificæ copiam vberiorem congerunt: quippe cum vitam ſedentariam plerumque degunt, ſanguis ob ventilationis defectum impurior evadit; inſuper in *hoc ſexu* iſte particulis heterogeneis & fermentativis originaliter ſcatet; quapropter cum *catameniorum* fluxu ſæpius expurgari expedit, quo tamen haud ſemper quod extraneum & incongruum eſt è maſſa ſanguinea in totum eliminatur, quin ſuperſtes ſit quod pro data occaſione in cerebrum & appendicem ejus ſuffuſum; affectionum convulſivarum cauſa exiſtat.

Porro cum fluxu menſtruali cohibito diatheſis ſpaſmodica acceſſitur, haud igitur putandum eſt tales affectus ab vtero ſuſcitari, verum quod maſſa ſanguinea particulis heterogeneis plus ſolito imbuta eas vna, cum ſucco nervoſo capiti ingerat; quinimo potiſſimum ob hanc rationem etiam *puerperæ* paſſionibus quaſi *hyſtericis* obnoxiæ reperiuntur, præterquam enim quod læſis *vteri* membranis ſpaſmus ille ob ſenſionem moleſtam inceptus ſurſum perreptat, ac denuo cerebro communicatur, ſæpiſſime accidit ſanguinem à lochiis retentis infectum febrili incendio effervescere, ac dein *criſeos* loco miaſmata maligna cerebro ingerere, vnde affectus *convulſivi* & non raro ſoporoſi excitantur. *Willis.* Vide Tit. 7. c. 3. art. 2. §. *Strangulationis metum*) ex *Sylvio de le Boe.*

10. *Mulierum*) Affligunt mulieres potiſſimum hęc pathemata, quia earum ſyſtema nervorum eſt delicatum, magis ſenſile, & quod facilius commovetur ac in ſpaſmum convulſivum agitur, vnde & ſpiritus animales promptiores redduntur in varias motus exorbitantias & ataxias erumpere. *Etmuller.*

11. *Signa ſunt*) *Aliorum ſymptomatum* ex vtero provenientium, §. *ſymptomatum nunc actiones naturales*) deſcriptorum hæc eſt diagnoſis, *Dolor capitis ex vtero*

proveniens cognoſcitur ex eo quod menſes non debite procedunt; dolor præcipue infeſtat vel augetur inſtante vel apparente fluxu menſtruorum, & vterus non recte ſe habet. Diſtinguere etiam poſſumus an vapor, vel humor hunc affectum excitet; Si enim dolor gravativus non ſit, & per intervalla recurrat, à *vapore* fieri certum eſt. Si vero continuus ſit, cum gravitate conjunctus, *humorem* in parte contentum indicabit; qui ſi *bilioſus* fuerit, dolor erit mordax, pungens, & acutus; ſi *pituitoſus*, torporem inducet, ſi *melancholicus* triſtitiam.

Cordis palpitationem & *arteriarum in hypochondriis & dorſo pulſationem*, *Ventriculi*, *hepatis & lienis* affectus, Tum etiam *dolores varios*, ex vtero provenire conjiciendum eſt ſi alia vteri affecti ſigna & ſymptomata enumeranda ſimul adfuerint. Tum etiam ſi graveolentia naribus, & ſuaveolentia pudendis admovendo quodammodo miteſcant. *Riverius.*

11. *Signa*) Diagnoſis hyſtericæ ſuffocationis ex §. *Symptomatum nunc actiones naturales, &c.*) majori parte deſumi poteſt, Apparent enim in ea ſymptomata enumerata, non omnia quidem in omnibus, ſed quædam in his, alia in illis, pro varia cauſarum diſpoſitione. Illa autem ſymptomata ſunt, *læſa reſpiratio* in qua nonnunquam *ſtrangulari* videntur, alias vero *reſpiratio imminuitur*, aut *aboletur*, ſine vlla moleſtia, aut ſuffocationis ſenſu; totius *corporis refrigeratio*, *vocis & pulſus interceptio*, interdum etiam *motus & ſenſus abolitio*, interdum *deliria*, *convulſiones*, *ſyncope*, *vomitus* & *ſingultus* prædictis aſſociantur. *Riverius.*

12. *Imminentis, &c. Præſentis*) *Adde his* interdum *motum cujuſdam globi* (qui rugitus excipit) hinc inde impetuoſe in abdomine moti & agitati, & ab inferiore loco ad ſuperiora pedetentim aſcendentis. Adſunt fere ſemper nunc *hypochondriorum tenſio*, nunc *diſtenſiones*. Quandoque conqueruntur de *inflatione regionis hypogaſtrii*, *tenſione & dolore tenſivo*, *diſtenſione*, ſimulque inflatione, horum locorum à *flatibus*, qui admodum copioſi adſunt, nam copioſi quandoque per os, quandoque per anum exſpirant: *Oſcitant* crebro, *pandiculationibus* ſeſe extendunt, idque præſertim paroxyſmo inchoante: *Dolores* crebri in abdomine, tales cruciant, iique *lancinantes* & *contorquentes*, ſubinde etiam *diſtendentes*, *Dolores* vtplurimum ſunt *vagi*, rarius *fixi*. Rarum eſt quod obſervata ſit intenſa *fames*, poſt paroxyſmum, alias *appetitus* inprimis in paroxyſmo ſeu ſemper eſt proſtratus, & quæcunque aſſumunt *vitioſo ſapore* inquinata apparent. *Alvus* vtplurimum eſt *conſtipata* & mulieres tales ordinario alvi durioris eſſe ſolent: hæc vero ſi aperiatur vel ſponte vel mediante clyſtere, levamen ſolent percipere, præſertim ſi flatus copioſi ſimul erumpant, Interdum ſunt *ſonitus* & *quaſi voces quædam*, ex imo abdomine audiri videntur, vt etiam à Dæmone credantur obſeſſæ, Accedit *cordis palpitatio*, cum *pulſu* raro, parvo, debili, ſubinde intermittente, & ad ſenſum abolito, quibus præſentibus non procul abeſt ſyncope.

Vertigo & ſcotomia in principio paroxyſmi ordinario ſe oſtendunt: & mulieres tales, ſi eaſdem incipiat corripere vertigo, certæ ſunt de imminente paroxyſmo; Quandoq; perfecta adeſt *ſcotomia*, tandem tenebræ circa oculos ſeſe præſentant, & tandem corruunt. In paroxyſmo varia nonnunquã *ridicula loquuntur*, ſubinde miras *geſticulationes brachiorum* aut pedum exercent.

In graviori malo graves *Epilepſiæ* inſultus accidunt, & tam atroces vt ſtuporem injiciant quale robur habent in membris ab Epilepſia correptis; *Senſus & motus* fere *abolentur*, nam rarum eſt quod talia convulſiva ſymptomata adſint ſuperſtite ſenſu, *Poſt paroxyſmum omnia ſciunt*. In paroxyſmo fere ſunt *aphonæ*, etiam ſenſibus illibatis. Cæterum rarum eſt quod perfectæ convulſiones epilepticæ ſuperveniant, ſaltem circa abdomen & thoracem iſta ſymptomata aſſligunt. In paroxyſmo & quidem in principio & incremento, ad tactum *frigeſcunt*, in *ſtatu caleſcunt*, tandem ſuperveniente *ſudore* paroxyſmus ad declinationem tendit, at non ſunt ſecuræ niſi largius ſuperveniat. *Etmuller.*

13. *Pallor facii cum triſti*) A retractione caloris nativi verſus ſuos fontes.

14. *Præſentis*) In quibuſdam vterus ſenſibiliter agitatur, & quaſi conglobatur, & in variis abdominis partibus globi inſtar percipitur, *Riverius.*

15. *Vapore ad cor ſublato*) Ideo in curationis decurſu cordis, vt & cerebri ratio habenda, & ſi valde opprimi videantur, propriis remediis illis ſubveniendum eſt, Cordi admovendo Epithema ex *vino* & *aqua flor. arantior*, *vel Imperiali* aut *theriaca in vino* diſſoluta, aut *animalia* calentia eidem parti admovendo: Capiti ea quæ in ſoporoſis affectus proponuntur. *Riverius.*

15. *In qua vapore ad cor*) Symptomatum omnium deinceps enarratorum cauſas, Vide infra §. *Cauſa eſt Vapor*) ex *Williſio*.

16. *Fauces conſtringuntur*) Quaſi ex grandiori bolo devorato quem in faucibus ſe habere putant.

17. *Ægra ſuffocari videtur*) Faucium adeſt ſtrangulatio, ac bolus quaſi faucibus hæret, aut anguſtia quædam quaſi à fuſte in œſophagum intruſo ſtrangulari videtur. *Dolæus.*

17. *Ægra ſuffocari videtur*) Interdum vbi gravior eſt, paroxyſmus mortuæ apparent, ſigna quibus à verè mortuis diſcerni poſſunt, ſunt vulgò ſpecula & plumæ; optimum eſt ſternutatorium, ſi nempe forte in nares inſufflatum nihil operari velit; Item ſi vomitorium generoſum infuſum citra effectus deprehendatur, tunc eſt ſuſpicio eſſe mortuam. Item veſicatorium coxis applicatum, ſi circa veſicationis effectum admoveatur, res eſt periculi plena, ne ſint mortuæ: aliàs & *D. Prævotius Patavinus*, nullum remedium efficacius obſervavit quam veſicantia coxis applicata vbi veſicas excitant, ſpes eſt clara de vitâ, ſi fruſtra applicentur, res eſt deſperata. *Etmuller.*

18. *Motus thoracis & diaphragmatis inhibitis*) Imminuta aut abolita reſpiratio pendet ab aura illa venenata & narcotica, quæ dum cerebrum impetit & ſpirituum animalium influxum impedit, motum diaphragmatis & muſculorũ reſpirationi inſervientium ſiſtit; adde quod deſtructo ſpiritu vitali, animalem etiam deſtrui neceſſe eſt, qui ex eo generatur. Dicere etiã poſſumus id fieri ab iiſdem vaporibus narcotica vi præditis, qui cordi maxime, & ſpiritibus vitalibus adverſi, eorum actionem impediunt, vnde ſequitur totius corporis refrigeratio, ex defectu ſpiritus influentis, & reſpirationis ceſſatio deficiente vſu, cùm enim reſpiratio ad corporis refrigerium neceſſaria ſit, dum ab aura iſta venenata cor impenſe refrigeratur, non indiget illo refrigerio ſibi per reſpirationem communicato, & ita ceſſat reſpiratio ceſſante vſu. *Riverius.*

Willis, qui paſſionem hyſtericam ad *motus convulſivos* refert, diaphragma convelli, aut motu convulſivo affici ſtatuit, quod tonicè convulſum difficilè reſpirationem & dolorem circa regionem cinguli repræſentare ſolet: Jam vero *convulſum diaphragma* & reliquos muſculos thoracem moventes ſimili ſpaſmo corripit, quia omnes muſculi thoracem moventes habent conſenſum cum nervis intercoſtalibus, ex quibus habent ſuos ſurculos *convulſorio motu* ſi afficiatur diaphragma. Riſum excitat. Vide §. *Riſus*.

19. *Et reſpiratio fere intercipitur*) Varii ſunt hujus affectionis gradus pro varia materiæ morbificæ copia & malignitate: Aliquando enim ſuffocatio &

reſpirationis

reſpirationis læſio levis eſt, & cito ſolvitur, aliquando gravis vt omnino auferatur, & alias affectiones hyſtericas tot vomitum, deliria, convulſiones, ſyncopen adjunctas habeat. Aliæ etiam hujus ſuffocationis hyſterica differentiæ adnotandæ ſunt, quod nimirum aliquando mulieres hyſtericæ magnam reſpirationis difficultatem patiantur, alias ſeſe ſtrangulari dicant, quaſi fauces illis fune conſtringantur, alias vero reſpiratio maxime imminuatur aut aboleatur ſine vlla moleſtia aut ſuffocationis ſenſu: Cujus diverſitatis ratio inde petenda eſt, quod ſimplex ſuffocatio, & reſpiratio difficilis, pendeat à flatuum copia, qui interdum magna copia cumulantur in mulieribus hyſtericis, præſertim quando hyſterica paſſio hypochondriacæ juncta eſt, qui quidem flatus diaphragma & pulmonem comprimunt, vt in aſthmate flatulento contingit; ſenſus vero ſtrangulationis in quo potiſſimum fauces conſtringi videntur, à peculiari auræ venenatæ indole dependeat. *Riverius.*

20. *Viventibus interim per tranſpirationem*) Illud quod vulgo circumfertur hominem vivere non poſſe ſine reſpiratione, vnde ſequitur mulieres hyſtericas reſpirationis abolitionem nullo modo pati poſſe, ſolvit *Galenus*, dicens ex ſumma cordis refrigeratione tolli reſpirationis neceſſitatem, quæ ſi vigente corde impediretur, promptus ſequeretur interitus: ſed exiguum calorem, qui adhuc ſupereſt in corde, ſola tranſpiratione foveri; ſicuti animalia in latibulis hyeme degentia ſola tranſpiratione vivunt, quia frigidiſſima ſunt, & exiguum habent calorem qui reſpiratione non indiget. *Idem.*

21. *Inteſtina obmurmurant*) Ob flatus in inteſtinis genitos & concluſos, quia dum convelluntur inteſtina, exitus illis denegatur, Vide §. *Cauſa eſt*) ex *Williſio* & *Etmullero.*

22. *Interdum frigus tum temporis*) Sæpe quoque deprehenſum eſt frigus tum temporis è capite per cervicem & ſcapulam in brachium illabi, quod ſtuporem difficilemque motum redderet, exhiberetque quandam ſpeciem paralyſis, ſed quæ non multo poſt diſcuteretur. *Fernelius.* Idem ſymptoma affectione hypochondriaca laborantibus nonnunquam accidit. Unde confirmari poteſt *Sylvii de le Boë* ſententia qui affectionem hyſtericam ad hypochondriacam refert.

23. *Non tamen omnia iſta, &c.*) Pathemata quæ ad hunc cenſum referri ſolent varia & multiplicia reperiuntur; quæ raro in diverſis fœminis conveniunt, aut ad eundem prorſus modum contingunt: *communiſſima*, & quæ vulgo affectionis hyſtericæ rationem formalem conſtituere dicuntur, ſunt hæc, ſcilic. *motus in imo ventre*, ibidemque velut *globi cujuſdam aſcenſus*, dein *rugitus*, aut *vomendi nixus*, *hypochondriorum diſtenſio & murmur* cum *flatuum eructatione*, *reſpiratio inæqualis* ac vtplurimum *impedita præfocatio in gutture*, *vertigo*, *oculorum inverſio*, aut *rotatio*, ſæpe *riſus*, aut *fletus*, *fabulatio* abſurda, quandoque aphonia & ἀκινησία, cum *pulſu obſcuro aut nullo & aſpectu cadaveroſo*, interdum motus convulſivi in facie ac *artubus*, nonnunquam *in toto corpore* excitati: verum ſpaſmi vniverſales rarius contingunt, & nonniſi morbo hoc in ſtatum peſſimum evicto, quippe vtplurimum ſine membrorum contractione tantum in *ventre inferiore, thorace & capite*, ſcilic. in eorum aliquo aut ſucceſſive in omnibus paroxyſmi tragœdia peragitur. *Willis.*

23. *Non tamen omnia iſta*) Iſtius ab vtero ſuffocationis varii ſunt gradus, non enim omnes perinde ſuffocantur, *gravior* ſcil. eſt & *levior*, hæc quidem cum levis cauſa eſt, ex vtero ſublatus vapor, viſcera, ventriculum, diaphragma feriens, nauſeam, cibi faſtidium, reſpirationem brevem crebramque tanquam compreſſo pectore facit, leve animi deliquium inducit, quo tamen vix pulſus immutatur, &c. *Gravior* vbi cauſa eſt, malum in fauces invadens eas quaſi vinculo conſtringit, prorſuſque ſpiritum intercipit magno ſuffocationis metu, Cerebrum vero feriens, furorem facit vterinum alias ſoporem quemdam inducit, quo mulier corruens velut attonita jacet ſine motu, ſine ſenſu & reſpiratione adeo pauca, vt mulier videatur mortua.

Quidam tres faciunt *Differentias*, quarum *vna* levior eſt, quando ſervato ſenſu ac motu ac ratione integra, ſentiunt tantum quandam oppreſſionem, & difficultatem in ſpirando, cum aliis, ſed levioribus ſymptomatis. *Secunda* gravior, quando ſine ſenſu ac motu jacet cum obſcuro aut parvo pulſu, abſque vlla ſenſibili reſpiratione, *Tertia*, cum præterea adſunt convulſiones membrorumque contractiones.

Melior erit diſtinctio, ſi dicamus ſuffocationem hyſtericam, vel eſſe *ſolitariam*, qualem in principio deſcripſimus, ſcilicet reſpirationis læſionem cum corporis refrigerationes. Vel aliis affectibus *complicatam*, qui varii eſſe poſſunt, pro diverſitate partium ſimul affectarum. *Solitaria* autem vel *levior* eſt in qua oppreſſio & reſpirationis difficultas ſentitur, facile ac cito ſolvitur. Vel *gravior*, in qua plurimum læditur reſpiratio, vel *graviſſima* in qua ſenſu ac motu & reſpiratione fœmina privatur. Rurſus in vnoquoque gradu, ſi alia ſymptomata jungantur, eo gravior redditur quam ſi ſolus acceſſiſſet, ſed vltimus gradus ſemper eſt periculoſiſſimus, quocunque demum modo ſuperveniat, ob reſpirationis excellentiam. Et hæc complicatio ſymptomatum ad curationem valde conſideranda eſt; nam ſi citra reſpirationis læſionem accedant, quamvis ex vteri vitio proficiſcantur, non eamdem prorſus cum ſuffocatione curam poſtulant; Sed ſi vna cum ſuffocatione contingant, nonniſi illa curata evaneſcunt,

Præterea notandum ſæpe non cum ipſo ſuffocante paroxyſmo, contingere, ſed vel præcedere, vel ſubſequi ejuſmodi accidentia, provt noxius vapor in hanc vel illam partem variè movetur, interdum etiam ſimul pleraque conjunguntur. *Primiroſius.*

Varietatem graduum, deducit *Willis* ex diverſis plexus meſenterii propaginibus, afflictis, nam quo plures vellicantur eo plura accidentia emergunt; ſi ſolum ad imum ventrem attinentes afficiuntur, in hoc tantum ſymptomata apparent; ſi ad alios nervos traducatur malum, vlterius diffunditur affectio, &c. Vide §. *Cauſa eſt.*)

24. *Fuere quæ continuo riſu, &c.*) Quia vterus maximum cum corde & cerebro habet conſenſum, admiranda hinc ſubſequuntur ſymptomata, &c. Quibuſdam riſus, aliis lacrymę, aliis vtrumque. D. de *Rochepot*, quæ cum varicoſa eſſet eo affectu corripiebatur cum delirio, riſu, lacrymis, contractione oculorum, alteri riſus, deinde perturbatio mentis, hinc lacrymæ, à quibus etiam monitæ non ceſſant. Sed nihil mirabilius quam quod duabus filiabus Præſidis Rothomagenſis contingere ſolebat in motu ſurſum vteri, quo intervallis laborabant; Riſu enim longo ad horam, & horas duas imminente paroxyſmo capiebantur, quem neque metu injecto, neque hortatu, neque aliis artibus poterant compeſcere: Parentibus interrogatæ & objurgatæ dicebant ſe non poſſe compeſcere riſum. Aliis prius lacrymæ, deinde riſus movetur in eodem affectu. *Hollerius.*

Riſus ille eſt *Sardonius* natus ex convulſione diaphragmatis, ſeu motu convulſivo; ſicut & diaphragma tonice convulſum difficilem reſpirationem, & dolorem circa regionem cinguli repræſentare ſolet, Jam vero convulſum diaphragma & reliquos muſculos

thoracem moventes ſimili ſpaſmo corripit, quia omnes muſculi thoracem movẽtes habent conſenſum cũ muſculis intercoſtalibus ex quibus habent ſuos ſurculos.

24. *Fuere quæ continuo Riſu*) A communi ſententia recedentes *Riſum*, vt & *Fletum*, *Diaphragmati* aſſignamus; *Riſum* quidem, quatenus ſpiritus affatim influens è tendine in fibras diaphragmatis, has ſubito & & præter modum tumefacit, vnde proinde tenſio iſtius partis exoritur, ille cito è fibris in tendinem remeans, Diaphragmatis relaxationem parit, adeo vt ſpiritus; admodum agitatus exiguo temporis ſpatio ſæpius vltro citroque commeet, è fibris in tendines, ac à fibris viciſſim & reciproco motu in tendines, ac proinde multæ intumefactiones, multæque diaphragmatis relaxationes accidant: Adeo vt ex compreſſione Pulmonum ab hoc viſcere crebris iſtis vibrationibus, aër per vim & repetitis vicibus expellatur, qui cum inſignem colliſionem in fiſtula aſperæ arteriæ experiatur, ſonum in riſu perceptibilem excitat: Vehementia iſtius ſtrepitus intenditur ab arteriæ aſperæ vibrationibus cujus cum ſepto magnus eſt conſenſus, quia nervus intercoſtalis & octavum par diaphragma adeundo nonnullos ramos, nervis recurrentibus conjunctos impertiunt, qui aſperæ arteriæ motum conciliant. Hic vero adnotandum diſcrimen inter nervos diaphragmatis in hominibus & brutis, nam his ſolum admittit nervos à medulla ſpinali, in homine autem & ab hac & à quinto nervorum pari: quapropter motus diaphragmatis in homine cito communicatur labiis, quæ eum accipiunt à nervis ejuſdem paris, quæ ratio eſt cur ſoli homini ex animalibus ridere conceſſum fuerit, ſi vnam exceperis, ſimiam, in qua nervus intercoſtalis ramulum quendam ad diaphragma tranſmittit. Sed ſiquidem Natura aliquando ludere ſolet in vaſorum diſtributione non ſecus ac in ſtructura cæterarum partium, fieri potuit, vt quintum par ramum aliquem impertierit diaphragmati cujuſpiam animalis, quæ ratio afferri poteſt iis qui aſſerunt ſibi viſa animalia non ſecus ac homo ridentia: Sed & contra poſſibile eſt eodem naturæ luſu, vt quintum par diaphragma non accedat in homine, ac proinde nullum adſit commercium inter motus harum partium & labiorum, eaque forſan de cauſa *Heraclitus* & *Craſſus* nunquam in riſum erupere, quapropter à Græcis ἀγέλαςοι dicti fuere. Forte etiam *Democritus* perpetuo riſu agitabatur, quia nervi diaphragmatis in illo cũ admodũ inſignes in illo eſſent, per illos non minima copia ſpirituum deferebatur, propter quam perpetuis vibrationibus concitabatur; Vel quia ſpiritus in illo admodum inquieti reciproco motu perpetuo ferebantur à tendine in fibras, & ab his in tendinem, ea enim ratione perficiuntur palpitationes & motus elaſtici cæterorum muſculorum. Sed prætetea conſuetudinis magna vis eſt ad expeditum diaphragmatis motum; non ſecus ac cæterorum muſculorum, ſpiritus enim creberrimo motu reciproco intra illius nervos & fibras, meatus admodum expandunt, adeo vt poſtmodum facillime eos ſubeant, eo ſponte vergentes præviâ commoditate: Eapropter à diuturna ridendi conſuetudine vel leviſſima occaſio riſum in nonnullis concitat. Sed priuſquam habitus hic contrahatur, quidnam eſt illud à quo ſpiritus determinantur, vt affatim & vbertim irruant? Lætitia cauſa eſt maxime frequens iſtius determinationis, quia videlicet majorem motum illis conciliat; ac calore viſcerum aucto expandit meatus fibrarum diaphragmatis, quo facilius ſpiritus admittant, qui tunc præ lætitia exultare videntur, etiamſi ignota ſit illis ratio propter quam anima lætitia perfunditur, vt & quamobrem in hunc motũ ferantur; quam tamen inchoant ratione cujuſpiam cogitationis animæ, quam vocant lætitiam: res enim jucundæ & facetæ riſum ea de cauſa ſolum excitant quod gratam hanc paſſionem animo inducant. Explicata jam Riſus naturalis cauſa, tradenda eſt ratio Riſus contra naturam, quem vocant *Sardonium*, nam admodum veriſimile eſt hunc tantummodo pendere *à motu convulſivo diaphragmatis*, cum porro ſpaſmodicus hujus partis affectus non levis eſt momenti, tum in ſe, tum ob cordis viciniam, propter nervum intercoſtalem, vtrique ramos impertientem, ſuſpectum non immerito habeo prognoſticum illud *Hippocr.* quo deliria cum riſu cæteris ſecuriora eſſe pronuntiat. Pueri lumbricis laborantes inter dormiendum nonnunquam rident, quia irritatio inducta inteſtinis à morſu horum inſectorum, ad diaphragma facillime tranſit, motum illi ſpaſmodicum inducendo, non ſolum viciniæ lege, ſed præſertim ratione commercii nervorum in his partibus, mediante intercoſtali; At vero cum idem truncus aliquos ramos ad vterum tranſmittat mulieres in affectu hyſterico nonnunquam rident, convulſione ab hac parte in diaphragma ſerpente, ab hac in labia. Tandem hinc apparet cur Heros Homericus ridendo intereat vulnerato diaphragmate: *Dan. Duncanus Tract. de Nat. mot. anim. c. xi.* vbi fuſius natura riſus adducitur.

25. *Fuere in quibus ſerpentum, &c.*) Ex *Primiroſio*, adeo vt, *addit*, creditæ fuerint Dæmoniacæ & ἐγγαςρίμυθοι, Ideo tamen à curatione non deſiſtendum.

26. *Differt ab*) *Convenit & affine quoque eſt malum affectioni hypochondriacæ, à qua diſtinguendum*, Nam nil rarum eſt quod *mares* malo hypochondriaco graviter laborantes patiantur ſymptomata ſimilia iſtis quæ tales mulieres patiuntur, non tantum *motum globi*, ſed etiam *ſuffocationes imminentes*, & ſimilia: Item ſunt viri qui *odores ſuaveolentes* non poſſunt ferre. In praxi ſæpe occurrunt tales qui habent ſimilia ſymptomata ac mulieres hyſtericæ, & etiam ſimili modo curantur, vt per *caſtoreum & volatilia*.

Habui aliquando ſtudioſum, qui graviter laborabat malo hypochondriaco, hic factus ægrotus omni mane circa mediam noctem evigilabat, & vigil factus percipiebat gravia murmura, in abdomine, ſimulque copioſi flatus abdomen diſtendebant, ſequebatur inſignis reſpirandi difficultas, vt ſemper ſuffocari videretur cum cordis anxietate & palpitatione, Hinc ſuperveniebat ſenſuum, internorum inprimis quædam perturbatio, donec ſub vna vel altera hora, ſuperveniente ſudore paroxyſmus evaneſcebat, Curabatur præmiſſo *vomitorio* & *martialibus*, per *ſalia volatilia & tartarea*, & hinc carminativa aromatica.

Sic juvenis Nobilis curabatur à me qui patiebatur genuinam paſſionem hyſtericam, dicebat ſe eſſe proclivem ad Colicam, & ad Epilepſiam, ita quidem vt ſubinde graves patiatur inſultus abdominis, contrahitur quoties dulcia quædam comedit; Epilepſia corripitur quoties ira aut terrore afficitur ſubinde vtrumque coincidit. Affectus ſi hic eſſet in muliere, eſſet paſſio hyſterica, ſed eſt juvenis hypochondriacus. Hinc *martialia*, hinc etiam *ſpiritus ſalis armon. Empl. de galbano* impoſitum ſolet curare. *Etmuller.*

26. *Differt ab*) Ex ſignis propoſitis affectio hyſterica à cognatis & conſimilibus affectibus, ſyncope, apoplexia & epilepſia facile diſtinguitur; differentia tamen quæ inter illos affectus intercedit peculiariter adnotanda eſt: Ac primum tribus ſignis generalibus conjicere poſſumus ſymptomata quæ hyſtericæ paſſioni, & prædictis affectibus ſunt communia, ab vtero dependere potius quam à primario cordis aut cerebri vitio, Primum eſt, ſi ægra hyſtericis affectibus ſit obnoxia, & prædicta ſymptomata pati non raro conſueverit, dum illa de novo adveniunt, de alio affectu cogitandum non eſt: *Secundum* eſt, quod ſi mulieres, dum ſymptomata illa pati incipiunt, de vtero male affecto conqueruntur;

Tertium

Tertium eſt, quod hyſtericæ mulieres fœtidis naribus admotis, & ſuaveolentibus in pudenda immiſſis magnum levamen percipiunt; quod in aliis affectibus non contingit. *Riverius.*

Epilepſia vterina.

27.28.29. *Ab Epilepſia, quod in iſta motus convulſivi*) Caducus, vel Epilepſia vterina, nihil aliud eſt quam illa ſtrangulationis vterinæ ſpecies, quæ cum convulſione contingit, Cauſa remota eſt p.n. contentus, & in matrice corruptus ac putrefactus ſanguis, Proxima vero in maligno & fumine hoſtili vapore ſurſum ad vitalia & cerebrum ſe elevante conſiſtit. *Chr.Langius.*

Spiritus ſiquidem cerebri tali veneno quaſi extinguitur ſuiſque functionibus privatur, necnon convulſivo & quaſi tremulo hoc motu nervi, venenatam illam auram excutere conantes teſtantur.

Variatur autem *Caducus matricis*, & hyſtericæ paſſionis inſultus ſecundum varias hujus veneni qualitates, atque curatur, cujuſcunque etiam ſit generis purgatione antimoniali noſtra, aut mercuriali, ac corroboratione vteri ſpirituumque vitalium, qui nullis aliis fortius confortari poſſunt remediis quam *ſpiritu vini ambariſato & moſch. aqua cinnam*. vel *aqua theriac.* aut *imperiali*. Hæ enim aquæ ſpiritu vini ac plantarum conſtant, quæ naturali virtute vterum roborant, ita vt ſic roborato ſpiritu vterino venenum illud hos inſultus faciens ac concitans facilius extinguatur atque expellatur. *P.Joh.Faber Path.c.61.*

In Curatione medicamenta antiepileptica cum antihyſtericis hic recte præſcribuntur; Sed an *ſpiritus vini* ambarizatus & *moſchatus* tunc, præſertim vero ſi caducus iſte cum vteri aſcenſu concurrat, ſine noxa exhiberi poſſit, ego valde dubito; Reliquæ autem aquæ generoſæ cum *ſpir. vini* paratæ, eo ipſo nomine tunc vtiles eſſe poſſunt quo in ſuffocatione matricis ſpiritus vini laudatus fuit. *Chr.Langius in Notis.*

27. *Ab Epilepſia*) Hyſtericæ poſt paroxyſmum recordantur & in ipſo aliquando intelligunt, etſi loqui non poſſint, In Epilepſia autem facultates principes læduntur, & reſpirant, quod non poſſunt hyſtericæ, Deinde in his non convelluntur partes, niſi quando ſimul ſuffocatio facit Epilepſiam, nec ſpuma eſt in ore. *Primiroſius.*

27. *Ab Epilepſia*) diſtinguitur, 1. quod convulſivi motus non ſemper conjuncti ſunt cum hyſt. aff. nec vbi adſunt ita vniverſales ſunt, vt in Epilepſia, ſed vnum vel alterum membrum tantum concutiunt. 2. Pulſus in Epilepticis major eſt etiam quam in ſtatu naturali, in hyſtericis contra; 3. hyſtericæ mulieres in fine paroxyſmi, vt dormientes excitantur cum murmure ventris inferioris, quaſi vtero quieſcente & in ſuam ſedem redeunte, & interdum magna humoris copia per vterum effluente, quæ in Epilepticis non contingunt. *Riverius.*

28. *Motus convulſivi*) Ratione motuum iſtorum, qui tamen non ſemper adſunt, *Suffocationem vteri caducum* vocat *Paracelſus*, illamque, & morbum caducum, cauſis, origine & eſſentiis ſeparari non poſſe docet, modumque generationis, cauſas, & ſymptomata ſuis ex *hypotheſibus*, *Aſtrologia*, & *Philoſophia vitali* prolixe deducit. Ex quibus nonnulla quidem, ſi recte explicentur, à Veterum doctrina, ipſaque veritate haud prorſus abire, adeoque tolerari poſſe res ipſa oſtendit; Interdum enim *convulſivos* hoc in affectu motus concurrere notum, etiamſi id ſemper ita fieri, *corporiſque concuſſionem* de morbi hujus eſſentia eſſe merito negetur, *Strauſſius.*

28. *Motus convulſivi*) Ex liquore ſeminali & coacervato & alterato oritur hoc malum præter quæ etiam alia mala inquinatis ſuccis corporis ſuperveniunt. Hinc corrupta maſſa ſanguinea, & lymph., *hyſtericos cruciatus cum tetano convulſivo* interr. Videatur *Panarolus Pentec. 4. obſer.1.* qui obſervavit mulierem *tetano convulſivo* corporis vniverſi correptam, cum paſſione hyſterica, quæ fuit reſtituta ſuperveniente vberiori ſeminis per aliquot dies profluvio, *Deodatus in Valetud.p.171.* obſervavit juvenculam mulierem, quæ poſt obitum mariti, ex retentis excrementis in coitu, omni mane *vomitus horrendos* per integrum annum paſſa eſt, cum *tetano totius corporis.* Hinc ſubinde graviores *convulſiones*, & *epileptica ſymptomata* ſuperveniunt virginibus nubilibus, & viduis ſalacibus, ob liquorem ſeminalem retentum, qui correptos nervos afficiendo ſymptomata ſpaſmodica inferre ſolet. *Etmuller.*

29. *Sunt vniverſaliores*) Ratum eſt quod perfectæ convulſiones epilepticæ ſuperveniant, ſaltem circa abdomen & thoracem ipſa ſymptomata affligunt. *Etmuller.*

30. *Ab Apoplexia*) In Suffocatione vterina partes vt in illa non ſunt ita reſolutæ, neque ſenſus tactus omnino abolitus, nam hyſtericæ ſi pungantur, aut pili avellantur, ſufficienter indicant ſe dolorem ſentire: Demum poſt acceſſionem hæ meminerunt quæ dicta aut facta ſunt, quod in apoplecticis non contingit. *Riverius.*

31. *A ſyncope*) In hac reſpiratio & pulſus omnino amittitur, in hyſterico vero affectu aliquantulum remanet pulſus, licet valde imminutus, donec ad extremum periculum pervenerint, 2. Syncope quaſi derepente invadit; at in hyſterico affectu ſigna evidentia adſunt futuræ acceſſionis. 3. pallor faciei major eſt in ſyncope, minor autem in hyſt.aff. imo nonnullæ mulieres in paroxyſmo faciem habent rubicundam & tunc hoc ſolo ſigno affectus certiſſime diſtinguitur: 4. In ſyncope vtplurimum ſudores frigidi & diaphoretici apparent, nulli in hyſt.paſſ. 5. Syncope brevior eſt, & cito ad ſalutem vel ad mortem terminatur; hyſt.aff. eſt diuturnior, & ad diem vnum vel plures interdum perſeverat. Notandum tamen Syncopen cum hyſterico affectu aliquando complicari, quando nimirum cor gravius afficitur, vel vires admodum dejectæ ſunt ex diuturniori affectu & tunc mixta eſſe poſſunt vtriuſque affectus ſymptomata. *Riverius.*

Diſtinguenda etiam a *Lethargo* hyſterica affectio, quod in illo adeſt febris, pulſus magnus & vndoſus, quæ non adſunt in præfocatis. *Primiroſius.*

33. *A mortuis diſcernuntur*) Inquirendum quomodo hyſtericæ mulieres à mortuis diſtinguantur, cum plurimis hiſtoriis proditum ſit nonnullas pro mortuis habitas, aut ſepulturæ deſtinatas, aut ſepultas fuiſſe. Id quidem authores variis modis explorant, vel enim lanum carptam aut plumas leviores ori admovendo, quæ ſi non moveantur, ægram pro mortua habent; Vel ſpeculum terſum ori admovent, quod halitu emiſſo debet infici ſi ægra vel tantillum ſpiret: vel cyathum aqua plenum pectori imponunt, & ſi aqua nullo modo moveatur ægram pro mortua habent: Hæc ſigna vtplurimum locum habent, ſed perpetua non ſunt, cum quaſdam hyſtericas ſola tranſpiratione vivere inſtar animalium in latibulis degentium hyemis tempore adnotatum ſit, & omnino in iis abolitam eſſe reſpirationem: Quod licet rariſſime contingat, cautione tamen illa obſervatione digna eſt, ne mulieres ex affectu hyſterico defunctæ ante tertium diem ſepeliantur, aut ſaltem donec fœtere incipiant. *Riverius.*

A. *Veſalius* Nobilem fœminam in Hiſpania, quam

mortuam iudicabat, diſſecandam ſuſcepit ad pollinčturam, vel vt exploraret cauſam morbi, idque ex conſenſu omnium affinium; Ad primum ſcalpelli adačtum exclamavit, vnde ſolum vertere coačtus eſt, cum vix plebis furorem & Inquiſitorum authoritatem evaſiſſet: Ideo magna cautione opus eſt ne mortuæ iudicentur quæ nondum ſunt *Primiroſius. de m. m. p. 215.*

34.35. *Cauſa eſt vapor*) Symptomatum omnium cauſas medici pleriquc *veteres*, & quidā *neoterici* ſolum modò in *vteri aſcenſum* & *vapores*, ab eodem elevatos retulere: Prior opinio, licet antiquum obtinet, minus veriſimilis videtur, quippe in virginibus & viduis vteri corpus adeo exigua conſtat mole, & partibus circumquaque vicinis ita ſtričtim alligatur, vt nec ipſe loco moveri & aſcendere, nec motus ejus, ſi quis fuerit, perſentiri poterit.

Quoad *αἰτιολογίαν* iſtam vulgarē, à *vaporibus* deſumptam, eam ſicuti prorſus vanā juſtis de cauſis reiicimus: Paſſiones autem mododeſcriptas, neque ſemper neque omnino ab *vteri aſcenſu* aut *vaporibus* procedere judicamus adq; prius quidam alij celebriores ſtatuerunt.

Quippe olim *Car. Piſo* & nuper *Highmorus* vterum ab omni culpa vindicarunt; atque pathemata quæ vulgo dicuntur *hyſterica*, hic à *ſanguine in pulmones* irruente; atque *iſte* à *colluvie ſeroſa juxta nervorum origines* congeſta oriri excogitarunt: Nos vero in ea ſumus ſententia, quod *affečtio* dičta *vterina* præcipue ac primariò ſit *convulſiva*, atque à *cerebro* & *nervoſo genere* affečtis potiſſimum dependeat, & quicquid inordinationis, aut anomaliæ exinde circa *ſanguinis* motum contingit, tantum *ſecundariò & dependenter à viſcerum ſpaſmis* fiat.

Enim vero paſſio quæ vulgo perhibitur *Hyſterica*, ſicut alii motus convulſivi, omnino a ſpirituum animalium exploſionibus producitur; diſcriminis ratio, qua tum morbi hujus ſpecies ab invicem, tum ab aliis affečtibus ſpaſmodicis differunt, à variâ cauſæ morbificæ originē & extenſione potiſſimū deſumitur, nam origo hujus, ſicut plurium aliuſmodi ſpaſmotum, *vtero* prorſus *inſonte*, ſæpenumero in capite conſiſtit: quandoque tamen hic affečtus ab *vteri* culpa, & nonnunquam ab *aliarum partium vitio* dependet: Quoad *morbi extenſionem*, à quacunque origine procedit, vtplurimum *nervos interiores*, nempe ad *pracordia & viſcera* ſpečtantes, eorumque appendices præcipue afficit, ſpiritúſque in iis ſcatentes potiſſimum exercet: interdum vero, licet rarius, etiam *ſpiritus* qui *nervis exterioribus*, item qui *cerebro* & *cerebello* præſident eodem affečtu involvuntur. Primò dicemus, de morbi hujus *Origine.*

Hanc autem ſæpiſſime περὶ τὸ ἐγκέφαλον conſiſtere, & ſymptomatum quæ in *vivis* accidunt comparatio, & *defunčtorum obſervationes anatomicæ* aperte indicant; quippe obſervare licet hunc affečtum à *ſubito terrore*, *ingenti triſtitia*, aliave *paſſione violenta*, in qua *ſpiritus cerebri incolæ* potiſſimum afficiuntur, crebro ortum ducere. Porro nonnullis *mala vičtus ratio* & varia accidentia quibus humores vitioſi intra caput vberius congeruntur, hoc malum primo intulerunt, quin & *paroxyſmorum ritus* idem manifeſte evincit; in quantum videl. *capitis plenitudo*, *vertigo*, *oculorum coruſcatio*, *aurium tinnitus* in multis paroxyſmum hyſtericum ordiuntur, cumque non raro concludunt. Præterea mulieres quaſdam ab aliis morbis defunčtas, paſſionibus interim hiſtericis dum ægrotarunt valde obnoxias aperui, in quibus vtero ſatis rečte ſe habente, in *occipite nervorum principia* ſero acri madida ac prorſus immerſa deprehendi.

Has aliaſque rationes, perpendentes, non dubitamus aſſerere *paſſiones* vulgo ſpičtas *hyſtericas*, creberrime oriri, eo quod ſpiritus animales *nervorum principia* inter ἐγκέφαλον occupantes, labe quadam afficiuntur; Illi nimirum, aut in confuſionem ačti, aut humoribus vitioſis perfuſi, copulam heterogeneam & exploſivam ſibimet adſciſcunt, quam vna ſecum in canales nerveos longe deducunt, cúmque iidem ſpiritus per totas eorum ſeries & ordines copula iſta ad plenitudinem ſaturantur, aut *ſponte* ſuâ, aut *occaſionaliter* commoti, *exploſiones* ineunt, adeoque motus convulſivos cient: quod vero *talis copula* ſpiritibus adhærens vna cum iis in nervos interiores potiſſimùm derivatur, ratio eſt, quoniam in hoc verſus *pracordia* & *viſcera* commeatus ſpiritus animales, propter animi affečtus plurimum perturbantur; quare noxas quaſvis aliunde illatas facilius admittunt, & anomalias promptius concipiunt: ſpiritus enim animales ob hanc præcipue occaſionem *diatheſin ſpaſmodicam* contrahunt, quatenus nimirum illi ab impreſſione violenta, extra orbitas ſuas ac ſolitum influentiæ & ačtus modum pervertuntur: hinc inordinationes ſuas non modo poſtea repetunt, quin & particulas heterogeneas in amplexus ſuos ſuſcipiunt eúmque iis facilius combinantur: quapropter in quantum ſpiritus animales *nervos paris vagi* & *intercoſtalis* pervadentes, *appetitus* tum *concupiſcibilis*, tum *iraſcibilis* perturbationibus quibuſvis continuo implicantur, nihil mirum eſt ſi illi præ cæteris diſpoſitionem convulſivam acquirunt.

Suppoſito igitur (quod revera ſupponi debet) ſpiritus animales iuxta *origines nervoſas copulam heterogeneam* & *exploſivam* contraxiſſe, cámque in nervos interiores vna ſecum vexiſſe, & per totos eorum dučtus explicaſſe, non difficile erit *paroxiſmi hyſterici*, *omniumque* eius ſymptomatum rationes aſſignare, Inprimis enim *morbo ingruente* ſæpenumero *oculorum rotatio*, *vertigo*, & *cerebri* velut *inflatio* quædam, quaſi velitationes præviæ excitantur, quia tota ſpirituum *cohorte* in exploſiones parata leves eorum copiæ verſus *cerebrum* reſilientes primò eliduntur, deinde ſtatim *in imo ventre* aut *hypochondriis* perturbatio ſuccedit, in quantum ſpiritus intra *plexus hic* aut *illic conſitos* proxime afficiuntur, nam alibi oſtendimus ſi quando ſpiritus animales in tota quadam ſerie explodunturi, qui in extremis partibus reſident, affečtionem iſtam primo inire: quare morbi hujus initia in *capite* & viſceribus plerumque habentur; quod autem convulſiones modo in *imo ventre*, ac modo in hypochondriis primo ſentiuntur, ratio eſt, quia materies morbifica interdum nervi intercoſtalis dučtu in *plexus meſentericos vltimos* provehitur; quandoque tamen eadem non vltra *paris vagi fines* delapſa multo citerius, nempe circa *plexus lienares* aut *ſtomachicos* ſubſiſtit.

Cum itaque ſpiritus animales (prout oſtenſum eſt) intra *nervos paris vagi* & intercoſtalis ab eorum origine, vſque ad fines vltimos *copula heterogenea* & exploſiva imbuuntur, illi tandem vel mera *plenitudine*, vel ab *irritatione* alicubi factâ in exploſiones cientur; in qua affečtione, ſi qui ſpiritus verſus *cerebri meditullium* exiliant, *vertiginem*, capitis inflationem, aliaque accidentia prævia inducunt; attamen ſpiritus nervoſi caudicis extremitatem alteram, ſcilic. plexus meſentericos incolentes præcipue explodi incipiunt, qui ſtatim eliſione ſua tam hypogaſtrij partes attolli & ſurſum contrahi cogunt, adeoque *molis cujuſdam*, quaſi *vteri aſcenſum* inducunt; dein cum plexus meſenterii, ſuperiores eodem affečtu ſenſim implicantur, idcirco in quantum tota *meſenterij* compages, viſceraque ei annexa elevantur, & verſus ſuperiora impetuoſe corripiuntur, abdominis intumeſcentia violēta, velut cum exhibitione quadam ſuccedit.

Porro *ventriculus* non tantum *ſitu* eius mutato, quin *fibris* ejus omnibus, ſcil. *obliquis*, rečtis & *tranſverſis* vna ſpaſmo affečtis, ſæpe tanquam veſica infla-

ra diſtenditur, hinc non raro *vomitus*, aut ſaltem *rugitus* & *hypochondriorũ* murmura excitantur; quamprimum vero ſpiritibus ſerie quadam exploſis ad *thoracis* regionem pervenitur *diaphragma* modo ſyſtole immani convulſum deprimitur, adeoſque viſcerum deſtenſioni occurens, inflationem & ſummam intumeſcentiam cum ingẽti luctu infert; itavt in affectis illicò ligamenta veſtium ſolvi debent, ſecus illæ in *lypothymiam* incidere periclitabuntur; Interim ſepto ita depreſſo, ejuſque *diaſtole* continuata, ſanguis fere immotus in præcordiis ſubſiſtit, adeoque ſtagnatione ſua magnam oppreſſionem, ac non raro functionis vitalis deliquium ciet: Porro *ſepti convulſio* modo *verſus ſuperiora* contingit, adeoque illud *pulmones* ſurſum impellens, thoracis *Syſtolen* violentam, & diutius quam par ſit protentam inducit, cumque hac ratione *ſanguis* in *vaſa pulmonica* propellitur, nec denuo à cordis ſinu excipitur, ibidem ac in toto præterea corpore ſtagnat vnde *cordis oppreſſio*, & ſæpe *leipothymia*, imo interdum ἀπνοία, ἀσφυξία, modo cum *faciei livore*, modo cũ *aſpectu cadaveroſo* inſequuntur.

Poſtquam hæc in *media imaque regione* peraguntur, demum affectio ad *caput nervorum*, quaſi *fomitis ignitarii* ductu, pertingit, atque *ſpiritus* ibidem exploſi, modo verſus cerebri meditullium reſilientes, *ſcotomiam* & non raro *ſymptomata epilepſiæ æmula* producunt, modo ſpiritus illic exploſi in nervorum aliorum principia irruunt ibidemque pares exploſiones cient, quapropter hyſtericæ circa finem paroxyſmi ſæpe *rident* aut *plorant*, aut *delire fabulantur*, nonnunquam *faciei* ac *oris* partes, quinimo interdum *brachia*, *aliaque membra motibus convulſivis* afficiuntur cúmque adeo demum ſpiritus omnes, qui copulam heterogeneam contraxerunt, exploduntur paroxyſmus finitur, verum exinde ſtatim alterius paroxyſmi materies congeri incipit.

Quandoque accidit *diſpoſitionem ſpaſmodicam* non ita longe latéque protenſam eſſe, præterquam enim quod ſæpe *nervi* tantum *paris vagi* & intercoſtales eadem plectuntur, vt neque *cerebrum*, nec *membra exteriora*, quicquam afficiuntur, quinimo interdum nec ipſi *nervi interiores* per totos eorum proceſſus cauſa morbifica occupantur, nam diatheſis convulſiva (prout modo innuimus) ſæpe non vltra *plexus lienares* aut ſtomachicos pertingit, & tunc paroxyſmus à *ventriculi*, aut *hipochondrii ſiniſtri inflatione* incipiens, non *uteri* ſed *lienis* vitio oriri creditur, cujuſmodi affectio mox ad *thoracem* traducta, ibidemque *ſeptum* & *pulmones* ſpaſmo involvens, *reſpirationem*, & *cordis motum* ſiſtit, aut quodammodo pervertit, ſubinde vero paroxyſmus iſte, modo cum, modo ſine capitis perturbatione inſigni pertranſit.

Hæc quidem vario modo contingunt, juxta quod materiam morbificam, ſive copulam exploſivam à capite deſcendentem, velut pulveris pyrii acervos, modo in hac modo in illa parte plus aut minus congeri accidit; de qua tamen *materia*, quo ritu eadem in capite producta nervorum origines primo afficit, adeoq; *paſſionis* dictæ *hyſtericæ* cauſam procatarcticam conſtituit, jam proxime inquirendum reſtat.

Quod itaque ſpectat ad *materiam morbificam* ſeu *copulam exploſivam*, quæ ſpiritibus intra ἐγκέφαλον ſcatentibus accreſcens, cumque iis in proceſſus nerveos derivata, non raro affectuum qui vulgo perhibentur *uterini* cauſa exiſtit, dicimus hinc, ſicuti in aliis convulſionum ſpeciebus, eſſe particulas heterogeneas à ſanguine ſuffuſas, quæ tamen ob duas potiſſimum προφάσεις ſpiritibus in nervorum principia influxuris affigi ſolent, nempe aut *ſpirituum ipſorum culpa*, aut *ipſius materiæ præpollentia*, vtriuſque generis inſtantiæ paſſim occurrunt. Interdum accidit *ſpiritus animales* intra cerebrum, inque commeatu ab ipſo ad præcordia ducente conſtitutos, à *ſubita paſſione*, puta *terroris*, *iræ*, *triſtitiæ* plurimum perturbari, ac in ἀταξίας cogi, proindeque illos extra ordines propulſos, particulas heterogeneas, quæcunq; obvias ſibimet adſciſcere, cumque ipſis combinari, vt propterea mox diatheſin exploſivam adquirant, eamque aliquandiu poſtea retineant, prout ſupra declaravimus: Inſuper 2. ipſa *materies morbifica*, interdum magis efferа & potentior facta, invitis œconomiæ animalis præſidiis, è maſſa ſanguinea in cerebrum, ejuſque appendicem ſuffunditur; quæ ſpiritibus adhæreſcens eos ſtatim in exploſiones diſponit: Hoc paſſim cernitur in malis *febrium criſibus*, nec non in affectibus quibuſvis malignis, etiam ſcorbuticis, aliiſque chronicis perperam indicatis; Has cauſas plurimum fovet, ſuſcitatque *mala* aut *debilis cerebri* aut *nervoſi generis conſtitutio*, ſive eadem hæreditaria, ſive ob malam victus rationem acquiſita fuerit; namque in corporibus ita diſpoſitis, & ſpiritus animales à levi quavis occaſione in confuſionem aguntur, atque cerebri & ſyſtematis nervoſi meatus materiæ heterogeneæ & exploſivæ incurſibus facile pateſcunt; Revera propter hanc rationem *fœminæ* præ *viris*, illarumq; aliæ aliis affectibus convulſivis obnoxiæ magis fiunt.

Quanquam autem hujuſmodi mulierum *paſſiones dictæ hyſtericæ*, ſæpiſſime à capitis vitio, ſive à cauſa morbifica intra ἐγκέφαλον oriunda procedunt, attamen aliquando tales affectus propter cauſam alibi incipientem, ſcilicet modo in vtero, modo in aliis viſceribus ſuſcitantur, atque hujus *pathologiæ ſpaſmodicæ* duo ſunt præcipua capita, ſcilicet.

1. Interdum accidit *Tumorem* aut *Vlcus*, aut humorum acrium congeſtiones in partibus membranoſis circa *uterum*, aut alia *viſcera* conſitis excitari, atque partes ita affectas, ob *ſolutionem continui* in ſpaſmos dolorificos crebro irritari; deinde in quantum ſpiritus animales circum circa *diſpoſiti*, *influique* in crebras ἀταξίας adiguntur, illi demum particulas heterogeneas, aut à parte affecta, aut aliunde dimiſſas ſibimet adſcicentes, ad impetus exploſivos diſponuntur, cumque inprimis motus convulſivi tantum in loci affecti vicinia contingunt, nempe vt *moles* in *hypogaſtrio aſcendens* aut *ventris intumeſcentia* ſolummodo percipiuntur, poſtea corporum nerveorum ductu, & conſenſu, ſpaſmi ibidem incæpti ſenſim in alia ventris imi viſcera, dein ad præcordia, vltimique in ipſum caput propagantur, atque affectu ita paulatim ad ſpiritus cerebri incolas delato, illi inſuper in propria officina copulam heterogeneam nacti, eam in viſcera retorquent, adeoque *cauſa morbifica reciproca* facta ab vtraque *caudicis nervoſi extremitate* inchoatur.

Vidi olim virginem in qua *tumor* exiguus ſubter *os pubis*, cum dolore atrociſſimo exortus, convulſiones immanes primo in *ventre infimo*, ac poſtea ad *cerebrum* & *caput* aſcendentes ac demum in *membra exteriora* protenſas ciebat, nam ſemel aut bis in die poſtquam in parte affecta cruciatus inſignes vigerent, *abdomen*, ac mox *hypochondria* attolli ſolebant, deinde *reſpirationis difficultas*, & ἀναιϑησία ſuccedebant, atque ſtatim affectu exterius tranſlato, *membrorum & artuum contractiones, convulſioneſque* horrendæ ſequutæ ſunt, Nonnunquam etiam accidit *puerperis*, ob noxam *utero* illatam ſymptomata ſpaſmodica induci: Refert *Harveus* ab *injectione uterina* acriori convulſiones mirandas excitatas fuiſſe; Ita interdum, licet rarius, accidit, partibus circa nervorum extremitates, & prope vterum degentibus, materiam morbificam, ſive *copulam exploſivam* immediate à loco ibidem affecto, & abſque cerebri culpa affigi.

ii. Reſtat adhuc alter *caſus*, ſive *afficiendi modus*,

quo diſpoſitio ſpaſmodica partium longe à cerebro diſſitarum vitio producitur (licet interim labes, quæ iſtius affectionis cauſa exiſtit non raro ipſi cerebro mediate communicetur) nimirum ſi quando *ſuccus nervoſus* alicubi in motu ſuo, ſive circulatione impeditur, exinde in partes nervoſas reſtagnans, eaſque aggravans, ſæpe diatheſin ſpaſmodicam infert. Ita cum evacuatio quædam ſolennis, qua liquoris nervoſi ſuperfluitates excerni ſolebant cohibetur, aut à *fontanellis* ſubito *recluſis*, aut vlceribus vitioſis ſine catharſi exſiccatis, plures in affectiones convulſivas inciderint; Quinimo aliquatenus hic locum obtinet, quod vulgo in *virginibus* & *viduis* pro cauſa paſſionum hyſtericarum aſſignari ſolet, nempe humoris *ſeminalis*, quem περὶ τὰ ἀφροδίσια impendi oportuit, intempeſtiva cohibitio, ſaltem ſi quando iſtæ à conjugali vitæ ſtatu juvamen recipiunt; ideo accidit quoniam *humoris nervoſi* reſtagnationes, quæ *cerebro* & *nervoſo generi* ſæpe labem affigunt, hac ratione præcaventur. Porro *ſuccus nervoſus* verſus principium ſuum regurgitat, quia tranſitus ejus alicubi à *tumore*, aut *ſcirrhoſo* aut *cancroſo* præcluditur.

Iſtiuſmodi affectus en exemplum. Puella 12. annos nata *herniam* contraxerat, hinc ex præſcripto matris faſciam male adaptatam; cum fibula duriuſcula glandulas inguinales valde comprimente, non ſine magno dolore & cruciatu per binas ſeptimanas geſtabat: intra hoc ſpatium (cum prius integre valebat) de *vertigine* & *gravi capitis torpore* queri cœpit, ac paulo poſt affectiones *convulſivas*, & quaſi *hyſtericas* crebro ingruentes, ſimulque ſcrophulæ ingentes *pone aures*, ac in cervice ejuſdem lateris ſubnaſcebantur, quibus antehac in tota vita haudquaquam obnoxia fuerat.

In hoc caſu minime eſt quod dubitem quin à *glandulis* iſtis, quæ ſunt *nervoſi liquoris* emunctoria, nimis *compreſſis*, humoris *iſtius* ſuperfluitates inde per vaſa lymphatica amandari ſolitæ, in *caput* reſtagnantes mala iſta pepererint; quippe ſymptomatum prædictorum à ſubligaculi iſtius inguinalis geſtatione ortus, ita ſubito & manifeſto ſucceſſit, vt in hanc occaſionem vel mater ejus morbi cauſam retulerit. Inſuper etiam in aliis obſervavi *humoris nervoſi*, alicubi in decurſu ſuo obſtructi, recrementa verſus caput reſtagnantia, non modo *ſymptomata ſpaſmodica*, aſt deinde affectus ſtrumoſos induxiſſe. *Willis.*

[34] *Cauſa eſt) Franciſcus de le Boe Sylvius* aliam Suffocationis hyſtericæ cauſam commentus eſt, ſcil. *ſucci Pancreatici* peculiare vitium (*Vide caput de Affectione hypochondriaca*) à quo hyſterica ſymptomata ſuſcitari ſtatuit, vterumque & partes ſpermaticas à talium ſymptomatum inductione excuſat.

Verum, *ait*, etſi multoties ſymptomata quædam, cum hyſtericis aliquibus ſymptomatis quaſi ſimilitudinem aliquam habentia vitio quodam ſucci Pancreatici induci poſſe negare nolim (quamvis attenta obſervatione ſatis ab his diſtingui queant) eaque ego ipſemet ſubinde in viris non minus quam in fœminis animadverterim, tamen ſuper hac re miſellum Pancreas ſemper accuſare, nimis durum atque iniquum videtur.

Cum à me aliiſque inſtituta cadaverum mulierum ſectio multoties docuerit Pancreas ab hyſtericis affectionibus prorſus inſons extitiſſe, optimeque valuiſſe, atque interea in Teſtibus, modo valde tumidis, (interdum altervtrum, raro vtrumque, ad ſemiovi magnitudinem intumuiſſe demonſtravimus) modo male coloratis, virulentoque liquore repletis, tantorum ſymptomatum cauſam latuiſſe. Cum etiam in tali præfocatione vterina graviter laborantibus millies obſervatum ſit, per ſeminis, ſive coitu, ſive obſtetricis digiti frictione, provocari excretionem, mox omnia ſymptomata ceſſaſſe, eorumq; reditum per licitæ veneris vſum fuiſſe præventum; quæ tamen dulcia ſubtus adhibita remedia nullum qualecunque ſucci pancreatici vitium tam facile, cito & bene tollere poſſent. *De Diemerbroech Anat. l. 1. c. 24.*

[34] *Cauſa eſt*) Utramque Hypotheſin (*Williſii* & *Sylvii*) certo modo combinemus, ait *Etmuller.* Et quidem verum eſſe quod in paſſione hyſterica, & ſymptomatibus ejuſdem, peccet primariò *Acidum* vitioſum, & à naturali ſtatu degener factum, monſtratur.

1. Quod ſcorbuticæ & hypochondriacæ mulieres paſſioni hyſtericæ inprimis obnoxiæ ſint; Et quod mares malo hypochondriaco graviore correpti eadem ſymptomata ſuſtineant. Hinc tales mulieres *purgatio* etiam levis, movendo tamen camarinam, inſigniter lædere ſolet & paroxyſmum hyſtericum reſuſcitare; Caute ergo purgandæ mulieres ſcorbuticæ.

ij. Quod ſanguis in talibus quodammodo coagulatus eſſe ſoleat, à cujus in præcordiis ſtagnatione anxietates ἀσφυξίας, & ſyncopes originem ducunt; videatur *Williſius lib. 2. p. 28.* qui viro hyſterico v. s. adminiſtravit, vnde ſanguis minus fluidus, ſed grumoſus extractus fuit.

iij. Rejecta per vomitum, ſive ſponte, ſive arte, ſunt æruginoſa, porracea, in quibus primariò peccat *acidum*, præcipitans bilem in iſtum virorem.

iv. Dulcia facile fermenteſcentia, & aceſcentia paſſionem hyſtericam inſigniter exacerbare ſolent, vnde talia dulcia omnibus hypochondriacis ſunt moleſta, generant flatus & ſimilia.

v. Quia remedia, quæ acidum deſtruunt, nempe *Martialia*, extra paroxyſmum præſervative, *Salia vero volatilia* in paroxyſmo curative præ cæteris ſuccurrunt; hinc *Barbette*, in praxi medicamenta antiſcorbutica ad paſſionem hyſtericam commendat; *Langius* in *Fabrum*, dicit omnia anticolica, quæ ſtranguriam & ardorem ſtomachi compeſcunt, convenire hyſtericis.

Quod autem præter hoc *acidum* etiam adſint *ſpaſmi* & *motus convulſivi*, tam partium abdominis quam thoracis & laryngis, patet præter 1. *convulſiones epilepticas*, quæ frequenter in fine aut ſtatu paroxyſmi ſolent erumpere.

2. Ex ſenſu iſto globi in abdomine commoti, & ſurſum verſus cum impetu retracti, qui videtur *plexus meſenterii* majoris eſſe, qui convulſus cum partibus annexis in globum contorquetur, & ſurſum verſus retrahitur.

Hinc 3. fit quod hyſtericis non raro ſuperveniat *riſus, iiſque invitis, qui* eſt *Sardonius*; (Vide ſupra §. *Fuere qua continuo riſu.*)

4. *Spaſmos* etiam teſtantur dolores abdominis lancinantes & contorquentes varii & hinc inde oberrantes, qui tales ſpaſmodicos & convulſivos motus, quales interdum ſcorbuticis ſolent eſſe frequentes, excitant, hinc mulieres talia pathemata hyſterica incurrunt ſimili ratione atque mares *nephritici* patiuntur *colicam* & *dolores abdominis* per conſenſum ſpaſmo laborantis; Sic ſi mulieres corripiantur *nephritide colica*, vocantur *pathemata hyſterica*, quatenus nervi renales ex iiſdem plexibus ac nervis inteſtinorum & ſtomachi oriuntur. Talis *Dolor abdominis lacerans* & *torquens*, frequens etiam eſt in infantibus, vnde mulieres dicunt eſſe *Epilepſiam internam*, & quidem recte. Hinc nempe poſt tormina ſuperveniunt motus convulſivi artuum. Dum autem ita convelluntur inteſtina, flatus in iis geniti & concluſi varie oberrando iſtos *ſonitus, murmura* & *borborygmos*, quales in paſſione hyſterica ſentiunt, ſolent infeſtare.

Acidum ergo *peccans*, & inde nati *ſpaſmi* combinandi ſunt, Quod ergo attinet *modum fiendi*, complicatiſſimus eſt affectus, oritur nempe ex vtero in inteſtinis, ab *acido*, forſan *pancreatico* p.n. conſtituto, cũ *bile efferveſcente*, ex qua eff rveſcẽtia *copioſi flatus* oriuntur, & inſequenter iſti *ſonitus & borborygmi abdominis*.

Ab hoc Acido vlterius procedente *ſanguinis* etiam *coagulationes* & *ſtagnationes* circa præcordia oriuntur. His conjungitur perturbatus & depravatus *ſpirituum animalium* motus, & primario in nervis intercoſtalibus & pari vago, in quibus inordinatus ac exploſivus iſte motus ſpirituum animalium percipitur ſub cujus *inchoamento* in cerebro deliria & ſcotomiæ oriuntur, ſub *progreſſu*, ſpaſmi abdominis & thoracis, vt etiam cordis muſculo quodammodo convulſo, *palpitatio* hujus atq; *compreſſio* oriatur.

Interdum præcedunt *pathemata abdominis*, interdum *nervorum*, *Illa*, dum paroxyſmus originem ducit occaſione *efferveſcentiæ vitioſæ*, *ab acido* inteſtinis, vnde ex irritatis ab iſto acido partibus nervoſis *ſpaſmi interni*, & membrorum *externorum convulſiones* oriuntur, Et quando oritur *ex ira*, *eſu dulcium*, *nephritide*, &c. interdum præcedit *ſpirituum animalium impetus*, & motus exploſivus, & per nervos agitatio inordinata; hinc *ſcotomiæ*, *varii colores ante oculos* obverſantes & ſimilia inchoante paroxyſmo fiunt; imprimis quando *odores terrores*, aut *ira* primario excitant paroxyſmum. *Odores* enim fortiter afficiendo commovent ſenſuum organa, & percellunt ſpiritus, eoſque ad motus inordinatos cogunt, qua occaſione *pancreas* & *porus biliarius* conquaſſata effundunt ſuos ſuccos.

Obſervandum quod provt plures aut pauciores ſurculi nervorum aut plexus afficiuntur etiam variare ſymptomata, & quidem quando *nervei plexus lienis* aut *ſtomachi* afficiuntur, in ſpecie dictorum locorum vrgent ſymptomata, & tunc malum *lienis* vitio oriri dicitur, vt vt ſit vnum pathema. (Vide hæc latius deducta apud *Williſium* & *Sylvium Diſſert. de Aff. hypochondriaca*.)

Et his patet quod *Suffocatio vteri* ſit ſpecies *mali Hypochondriaci gravioris*, ſive admodũ *exacerbati*, oriundi in ſpecie ex *acido vitioſo*, ſive *errore ſtomachi*, ſive errore *pancreatis* genito, & in inteſtina effuſo; Ab hoc primario oriuntur dicta pathemata, quatenus *nervi*, afficiuntur; Affligunt autem potiſſimum mulieres; (Vide ſupra *§. Mulierum*.)

Vel eſt ſpecies *colica convulſiva*, nam in hac, dum inteſtinorum ſpaſmi ſunt vehementiores, etiam *anguſtia difficilis reſpiratio*, & ſimilia vrgent.

Odores quod attinet, efflavia iſta volatilia ſubtilia, prompte afficiunt ſpiritus animales, eoſque ad varium ſubinde motum enormem diſponunt, Unde etiam *literati*, quorum ſpiritus magis ſunt volatiles, raro poſſunt ferre odores fortes, quin patiantur aut cephalalgiam aut anguſtiam quandam circa præcordia: vnde mulieres etiam ab odoriferis iſtis tam facile afficiuntur, & in iiſdem paſſio hyſterica reſuſcitatur.

Obſerva tamen quod odorifera non afficiant ſaltem ſpiritus animales in naribus, ſed etiam circa genitalia, quia hæc genitalibus admota ſubinde conferunt. Nam coitus in fœmina longe voluptuoſior redditur ſi mas inungat inſtrumentum *zibetho* vel ſimili medicamento odorifero volatili.

Nihilominus præter hæc odorifera immediata afficiunt nares, & ſpiritus animales etiam odores iſti cum aëre attracti, alterant enim plus minus maſſam ſanguineam, adeoq; ſymptomata, quæ ex maſſę ſanguineę motu, & ejuſdem impedito trajectu per pulmones oriuntur, ſolent inde exacerbari; Hinc ex odore *caſtorei*, *penn. perdicum* accenſis levamen percipiunt, & ampliatur quaſi thorax, quia ex odore tali ſal volatile, reſpiratione attractum, corrigit *acidum*, tunc maſſam ſanguineam vitioſe inquinans.

Unum adhuc monendum, vtvt peccet primario *Acidum*, tamen *fomes* & *focus mali remotus* cujus occaſione excitantur hęc ſymptomata, ſubinde variat, Non ſemper enim eximendæ ſunt partes genitales in mulieribus, quia interdum habent rationem *fomitis morbi*, Non quaſi *vterus* aut *Teſtes* ſoli accuſandi ſint, Aut quod hujus perverſus motus talia ſymptomata inferat, ſed quatenus *menſium ſuppreſſio*, & inde concervatum *fermentum vitioſum*, occaſionem præbet *paſſioni hyſterica*, Vel quatenus *liquor ſeminalis* retentus & corruptus, vti varia infert ſymptomata, ita pervertendo ſpiritus animales, & inquinando reliquos ſuccos, rationem fomitis morboſi obtinet, ratione cujus talia ſymptomata ſuperveniunt.

Quid ex hoc liquore talia ſymptomata ſuperveniant patet ex *cent. 4. curat. 95. Gabelchoveri*, qui dicit ex irritatione vulvæ cum *oleo ſpicæ* magnam partem liquoris craſſiuſculi effluxiſſe, & ſic curatã eſſe mulierem, *Foreſtus* refert ex vellicatione pudendi quandam eſſe curatã; Poteſt demq; confirmari ex eo quod virgines ſanæ, dum fiunt gravidæ, fiunt hyſtericæ, partim ratione menſium ſuppreſſorum, partim ob alterationem obtinent à ſpiritu genitali maris, qui totam mulierem alterat. *Etmuller p. 29. & ſequ.*

35. *Vapor*) Notandum quod non ſolum vapores ex ſemine; Sanguine menſtruo, & pravis humoribus elevati, hyſtericos affectus producunt, ſed etiam ipſi humores, qui liberum exitum non invenientes per vias vteri (ad quem velut ſentinam natura humores ſuperfluos deponit,) ob ſuppreſſionem menſium, vel fluoris vterini, ad partes ſuperiores regurgitant, eaſq; inficiunt prava illa qualitate quam in vaſis vteri diuturniori illa mora, aut per contagium ſeminis, aut menſtrui corrupti conceperunt. *Riverius*.

35. 36. *Vapor malignus*, &c. & *materia in vtero peculiari modo*) Non tam ipſos *humores* quam exhalationes inde excitatas hujus cauſæ ἐνέργειαν adimplere dicimus, quandoquidem *repentina* affectus *invaſio* & *diſcuſſio*, hujuſq; generis alia, longe commodius ab *effluviis*, vel *particulis minimis*, maxime mobilibus, quam ipſa humorum mole deducuntur.

Neque tamen tam admiranda excitarent φαινόμενα, niſi peculiaris quædam pravitas & corruptio ſubeſſet; Quam licet modernorum alii, rejectis occultis qualitatibus, per *halitus auſteros* (*Sylvius de le Boe*) è *ſucco pancreatico*, *propter ſui ſtagnationem auſteriore facto*, *in ſui cum bile efferveſcentia* excitatos. Alii vero per *fermentum vteri* peccans, hujuſque particulas heterogeneas. Alii alios ejuſmodi per loquendi modos manifeſtius explicare conentur, Eadem tamen eos adhuc difficultas premere videtur, quam quidem nos in exponenda illa diſpoſitione peculiari lubenter fatemur, eo facilıorem interim merituri veniam, quod nec ab illis qui cum *Williſio*, ad explicanda circa vterum occurrentia phænomena, *fermentum* hocce *vterinum* concipiunt, hactenus latitantis fermenti exiſtentia, nedum eſſentia, ſatis demonſtrata atque evicta fuerit.

Spaſmodicis vero *morbis* non tam late quã ſtricte ſumptis, dum hyſtericam ſuffocationem accenſet *Willis*, ipſoſque ſpaſmos ab exploſiva copula deducit, non paucioribus ſane quam alii difficultatibus vrgetur; Tum quod notum ſit multas ægras *ſuffocationem vterinam* abſque vlla *convulſionis* præſentis nota, perpeti, tum etiam quod exploſio illa, quam lib. de *Fermentatione c. 10.* pulveri pyrio ſimilem eſſe dicit, hac ipſa comparatione, totalem fibrillis[que] nerveis ruptionem minitante, explodi videatur. *Strauſſius*.

37. 38. *Materia in vtero peculiari modo corrupta*) Senſus ſtrangulationis, in quo potiſſimum fauces conſtringi videntur, à peculiari auræ venenata indole pendet,

ſicuti alia venena reperiuntur in macrocoſmodo, quæ hanc fauces conſtringendis & ſtrangulationem efficiendi vim obtinent, vt de quadam fungorum ſpecie notum eſt: varias autem eſſe venenatas illas qualitates quæ in hyſtericis mulieribus generentur, ſatis innuit *Galenus 6. l. aff. c. c.* dum hujus vaporis malignitatem torpedinis veneno, phalangii morſui & ictui ſcorpionis comparat, quæ venena etſi mole ſint exigua, viribus tamen maxima, in corpus humanum recepta, exiguo temporis ſpatio illud graviſſime afficiunt & vehementiſſima inducunt ſymptomata. *Riverius.*

38. *Peculiari modo corrupta*) Venenatus hic vapor plurimorum venenorum conditione, frigidus eſt & melancholicus, vt vult *Fernelius*, ſymptomata parit frigida, ſicut videmus *lac, vinum grumos ſanguinis*, putreſcentes refrigerari, Vel vt vult *Pereda*, toto temperamento contrarius eſt, vnde calidum innatum extinguit cordis, totum corpus refrigerat, ita vt ſequatur reſpirationis ad ſenſum abolitio, Quod ſi ſemen non ita prave corrumpatur, prout fuerint vapores ex eo aſcendentes, aut acres, aut aliam habentes qualitatem, alia ſequentur ſymptomata, Vnde refellit *Rondeletium*, & eos qui dicunt ſemen & ſanguinem menſtruum ex retentione & mora refrigerari, ſicque vterum, vapore medio, cor & cerebrum refrigerare, quia hac ratione ſemper in ſuffocatione vteri ſequeretur refrigeratio, quod tamen, *inquit*, eſt falſum, Addit ex prædictarum ſubſtantiarum frigiditate non poſſe ſequi tantam corporis frigiditatem, quæ ad pituitam vitream, longe frigidiorem, non ſequitur: ſicque ejuſmodi frigiditas majorem cauſam arguit.

Verum tamen quamvis concedendum ſit venenatam hic etiam adeſſe qualitatem, non negandum tamen etiam adeſſe frigidam, cum certum ſit totum corpus ab hoc veneno refrigerari, vt mirum ſit quomodo id ille dixerit eſſe falſum: Quod ſi major inducatur refrigeratio, quam à pituita, vitrea, id fit quia vitæ arcem occupat, & partes nobiliores, vt cor, & cerebrum; tum quia venenatus eſt, tum quia corruptus, ſic ſcorpii & torpedinis venena, etſi parva ſint mole, & qualitate, pituita vitrea longe minus frigida, inducunt tamen ſymptomata ſummam refrigerationem indicantia; Itaque aliud eſt loqui de iis quæ ſolum qualitate manifeſta agunt, & de iis quæ ſimili qualitate occulta operantur.

Quare ſtatuimus venenum illud frigidum eſſe, & corpus refrigerare non qualitate manifeſta ſolum, ſed etiam occulta, vt venenum ſcorpionis & torpedinis: Venenum autem, aut aliquid quod ipſius naturam æmulatur, in corpore humano generari poſſe teſtantur omnes Medici: *Galenus, Th. à Vega, Fernelius* aliique, qui exempla afferunt de ſyncope *ex grumo ſanguinis putrefacto, ſphacelo, ſeptico humore*, & quidem tam multa variaque accidentia à ſola refrigeratione fieri nequeunt, quin potius ob læſionem cordis corpus refrigeratur, non contra, Quomodo enim poſſet à ſolo frigido vapore tam ſubita, tam gravis & nobilibus partibus infenſa labes inferri, cum exiguæ quantitatis vapor ille ſit qui inde exhalat, vnde *Galenus 6.* de locis affectis comparat malignitatem iſtius cauſæ veneno phalangij, torpedinis, ſcorpionis, quorum virus in minima quantitate totum corpus quaſi gelu refrigerat. *Primiroſius.*

39. *Sive per ſe*) Vide ſupra § *Per periodos*)

40. *Sive per externa*) Cauſas inter *remotas*, vel quæ ad paſſionem hyſtericam diſponunt, & in diſpoſitis paroxyſmum excitant, ſunt 1. *paſſiones animi graviores*, in ſpecie *ira* in quibuſdam etiam *terror*. Certe nihil frequentius eſt quam quod mulieres ex graviori audacia paroxyſmum hyſtericum incurrant; Sicut *Primiroſius* ab *ira mœrore*, malo *nuntio*, paſſionem hyſtericam excitatam fuiſſe obſervavit, In ſpecie etiam *ira* & *terror* maxime paſſionem hyſtericam excitare ſolent. 2. *Odores fortes*. 3. *Dulcia*, Vide de his inferius. *Etmuller.*

41. *Res odorata*) *Odores* fortes, fortiter nares feriendo, in hoc affectu ſtupendorum ſunt effectuum, tam in excitando quam in curando paroxyſmo, vtque ſuaveolentia, *moſchus ambra, zibethum*, & interdum *roſa* odor, ſolent hæc pathemata, ſi nempe naribus admoveantur, excitare, ſic genitalibus admota ſolent compeſcere eadem: Graviter vero fœtentia, *caſtoreum, aſa fœt. cornu raſpat. & accenſum, camphora*, naribus admota ſiſtunt hæc mala.

Sed hoc non eſt vniverſale, proſtant enim obſervationes mulierum quæ in paſſionie hyſterica optime potuerunt perferre ſuaveolentia, graveolentia vero non item. Sic mulieres inveniuntur quæ ab *odore caſtorei* ſentiunt commotiones hiſtericas, *Horſtius. 1. Obſ. p. 582.* dicit quod graveolentia non omnibus proſint ſuffocatis, iis nempe nocent quibus vna inſultus, aut convulſiones Epilepticæ adſunt, aut quibus caput eſt debile; *Hocſtetterus* pag. 477. Certe ſi quo in negotio in ſpecie in mulieribus magna habenda eſt ratio idioſyncraſiæ, hinc enim quod vni prodeſt, alteri nocet, & vice verſa, Hinc quædam levantur *pice* incenſa, *ſulphure* incenſo, *caſtoreo, balſamo apopl.* &c. nam ſi odor contrarius, paroxyſmos incurrunt, & quando incipit paroxyſmus, ſentiunt malum ſuper regionem ſtomachi.

Hic perpendenda mutatio *ſtatus muliebris*, ſpeciatim quando redduntur gravidæ, & ſupprimuntur menſes, hinc enim videas virgines, quæ optime perferunt ſuaveolentia, ſi fiant vxores & gravidæ, non poſſunt ferre eadem ſine præſentaneo periculo paſſionis hyſtericæ. Et in ſpecie ſi fiant gravidæ, inprimis ſi ſint nonnihil cacochymicæ, ceſſante puerperio eadem iterum perferre poſſunt. *Etmuller.* Vide etiam §. *Cauſa eſt*) ex eodem.

42. *Dubia interdum ſpei*) Raro hic affectus interficit ægras, ſed valde chronicus eſſe conſuevit, aliquando tamen propter ſyncopen ſupervenientem, aut inſignem convulſionem, vitæ periculum ægræ incurrunt: Tum etiam ſi affectus ſæpius repetat, & difficile ſolvatur, periculum eſt ne reſpiratione toties læſa calor nativus ſuffocetur & vita deficiat.

Illa paſſio hyſterica eſt deterior in qua plures partes in conſenſum trahuntur; tum etiam illa quæ à ſemine corrupto exoritur, vel diuturna ſuppreſſione menſium.

Sternutatio hyſtericæ mulieri ſuperveniens, bona; robur enim ſignificat cerebri, illo motu maligni vapores cerebrum obſidentes diſcutiuntur, tum humores vitioſi in vtero contenti evacuantur.

In iuvenibus plerumque ceſſat quando parenia incipiunt. *Riverius.*

Quæ fit & ſemine retento longe gravior eſt quam quæ fit ex retentis menſtruis, niſi vt advertit *Mercurialis* retenta menſtrua ſint melancholica aut atrabilaria, ſolent enim tunc ſymptomata eſſe ſæviſſima; ſi ſuffocata ex ſpermatis retentione coëat, obſervant quidam eam facile impræɡnari; Circa ceſſationem menſtruorum naturalem, anno ſcil. 50. v. 45. vel ceſſat prorſus, vel ingraveſcens vix vnquam curatur; vires enim debiliores ſunt, & augetur cocochymia.

In iunioribus ſæpius ceſſat cum partu, ſed in prægnantibus perculoſiſſimum malum eſt, ob metum abortus & extinctionis fœtus, ob denegatam reſpirandi difficultatem Puerperis autem valde nocet, ob virium imbecillitatem. In Gravidis periculoſum eſt ſternutamentum. *Primiroſius.*

43. *Si vetulas*) Hujuſmodi affectionibus obnoxiæ ſunt fœminæ cujuſvis *ætatis* & *conditionis*, ſcil. *divitas*

vites & *pauperes*, *virgines, vxores* & *viduæ*. Obſervavi ſymptomata iſthæc in *puellis* ante pubertatem, etiam *in vetuſtis*, poſt catameniorum defectum; quinimo ejuſmodi paſſiones interdum *viros* infeſtant.

44. *Si in Puerperas*) Quomodo in hunc affectum incidunt vide ſupra §. *mulierum*.)

45. *Si prægnantes adoriatur*) Quo in caſu prudenter remedia ſunt adminiſtranda, ne vehementiora ac valde fœtida ſunt exhibenda, ne abortus concitetur, Et externis remediis magis quam internis rem eſſe abſolvendam. *Riverius.*

46. *Reſpicit*) Notandum quod omnia ſpecifica & nobiliora anticolica, aut ea quæ ardorem ſtomachi; nec non ſtranguriam cõpeſcunt, in hyſterica paſſioe quam maxime eſſe appropriata, & præſentiſſimiæ virtutis remedia *chr. Langius.*

46. *Reſpicit*) Alterum genus vterinorum conſtituunt *Nervina*, Cum enim certum ſit maximum eſſe conſenſum capitis & vteri, ipſaſque paſſiones vterinas eſſe ſpaſmodicas, hæc quoque merito *vterina*, & quidem præcipue audiunt, quæ irritationem nervoſarum & membranoſarum vteri partium ſpaſmodicam reſpiciunt, vnde & vterina cum cephalicis ſororiantur & amice conſpirant, vtrique parti communia, Solantur nimirum hæc vteri fibras nerveas, quatenus humores acres, corruptos, acidos, lancinantes, temperant, abſorbent, diſſipant & figunt: *Temperant* itaque *blanda & balſamica* rad. *pæon. dictamni, galangæ*, herbæ, *lavendulæ, meliſſæ, polii mont. pulegii, roſmar. ſerpill.* flores *anethi, cheiri*, & ex his paratæ *aquæ*, *caſtorina* omnia, & ex his parata *eſſentia*, *ſpiritus*, *extractum*, *pilulæ*, *Succinum*, *myrrhà* & horum eſſentia, *Pilulæ de Succino*, caſſia lignea: Inſtar enim omnium ſunt *Succinata* & *caſtorina*, vnde & *caſtoreum* quaſi baſis quædam habetur omnium hyſtericorum; *Abſorbent*, terrea, volatilia, ſpirituoſa, vrinoſa & oleoſa; quæ antepileptica alias audiunt, vt *mater perlar. præp.* & *magiſterium ejuſdem*, *Pulvis abſorbens, pulvis epilept. Marchionis, aqua hyſter. vitæ mulier. apopl. mul. balſamus embryon. ſpir. ſalis armon. zedoar. Ol. ſuccini, caſtor. laurin. c. c. fœtid. zibethum, balſam. Peruv. Ol. Iovis. Figunt* in aliis quoque caſibus convenientia *cinnabarina, vitriolata*, aliaque ſulphure fixo præcipitante, vel reſolubili pollentia; Pertinent huc præcipue *Specificum cephalicum Hartmanni, Michaelis*, Cratonis, *cinnabaris nat.* & *antimon. magiſt. vngulæ alces, theriaca, triphera magna, laudanum hyſter. & ſimilia*, inſtar omnium ſit *Pulvis abſorbens* noſter, quem vel centies experti ſumus iis in caſibus unice pro fuiſſe.

Hæc vti præ aliis titulum hyſtericorum poſſident & merentur, ſic conveniunt in *ſuffocatione hyſterica*, tum alias, tum poſt partum oriunda, in hyſteralgia, ſyncope, ſterilitate, epilepſia, furore vterino; imo in partu quoque difficili, imminente abortu & aliis, Inprimis etiam in fluore albo, quatenus fibræ nerveæ in eodem ſunt læſæ, & vaſa lymphatica, vnde ichorem extravaſatum fundunt. Et quadruplicem ſic quaſi claſſem vterinorum ſpecialiorum conſtituimus, in effectu tamen ad duplicem ſaltem referendam, ita vt priora genera ad *emmenagoga*, poſteriora ad *nervina*, pertineant.

Ex illa vero poſita diviſione, tertiam iam horum claſſem conſtituemus, quæ ſunt *Carminativa* & *Diſſipativa*; Reſpiciunt nempe hæc Flatus, halitus, impuritates, & inquinamenta in vtero abundantia, ſeu à ſanguine, ſeu à ſero corrupto, & extravaſata oriunda, & hinc irritando & diſtendendo moleſta, viſco enim ſuo pituitoſo parietes & poros infarciunt & ςάσει ſua fermentum peregrinum concipiunt, plurimáque ſymptomata, obſtructiones, ſuffocationes ſterilitatem, hyſtera giam, abortum, tormina poſt partum producunt, vnde & ventriloquas ſæpe ſingunt, & crepitus nonnunquam erumpunt, licet *Helmontius* neget vterum flatuum eſſe authorem.

Diviſimus hæc iterum, quod ſint. 1. *Balſamia*, quæ putrilagini adverſantur, adeoque peregrinum fermentum inquinans maſſam ſanguineam, & nervoſum genus irritans corrigunt; tum ſulphure blando, & maxime activo ſuo, tum remiſto ſale volatili mobiliſſima, vt *aſa fœtida*, interne & externe, *galbanum* externe potiſſimum; *tacamahaca*, quæ emplaſtrorum hyſtericorum baſin conſtituunt; *cerat. de galbano. Empl. de tacamah. de baccis lauri, eſſentia aſæ fœt.* quæ elixiria vterina roborat, & per ſe quoque commoda eſt, ipſúmque *caſtoreum*, anima hyſtericorum *Elix. vter. Rolfinc. mich. Croll.* & *ex eſſentia ſuccini, myrrh. caſtor.* cum *camph.* momento paratum, addito *ſpir. ſal. armoniac eſſent. carmin. anodina Tinct. oleo caryoph.* pro re nata, aliiſque vel ſequenti modo comopſitum.

℞. *Rad. pæon. mar. ſuccin. flavi. myrrh, el. caſtor.* āā. ℥j. *rad. zedoar. galang. dipt. cret.* āā. ʒß. *bacc. lauri. antophyll.* āā. ℈ij. *croci. camph.* āā. ʒj. *conciſa, contuſa g. m. extrahantur cum ſpir vini vel roriſm. q. ſ.* Par ratio eſt fœtidorum aliorum, *plumar. perdic. accenſ. balſami apopl. mulierum fœt. ſulph. accenſ. papyr. accenſæ, callorum equi accenſor*, (ſulphur enim eſt materia & elementum ſuffituum radicale) aliorumque. *Gagatem* ſtrangulationes vteri recreare expertum ſe *Encelius* l. 3. c. 11. Et lapidis ejuſdem *gagatis* odorem præſentiſſimum ſuffocationis vteri eſſe remedium, tum in aliis plurimis tum in famoſa viragine expertum ſe ſcribit *Piſo*, quæ pro mortua habita à Medicis, hujus lapidis primo olfactu electo reſtituta, alacris extemplo præter ſpem ad menſam aleamque cucurrit, *l. de morbis a. ſ. c. ſect. 2. p. 2.* De *roſa* verò hyſtericis exoſa vide *Langium in miſcell. Curiſis.*

2. *Reſolventia* & *præcipitantia*, quæcunque ſcil. grumos humorum, actu vel potentia tales, deſciſcere, indeque conſurgentem grumeſcentiam ſanguinis ipſam; quæ item extergere & mundare vterum, norunt: Facit hæc radix *brioniæ*, quam experimem. ſuo commendat *matthiolus, fecula ejuſdem, zedoaria*, multis nominibus vterina, *abrotanum* & *mercuriales* externe cumprimis in balneis ad ſterilitatem, vnde illud.

Mas etiam mares, fœmellas fœmina gignit.

Vt alia emmenagoga ſimul taceamus, Laudatiſſim, hoc nomine ſunt etiam medicamenta *Iovialia*, vt *bezoarticum Ioviale, antihect. Poterij, ſpecies dia Iovis Minſ. ebur ſine igne præpar. lap. cancror.* &c. exemplum præbent commune infuſa, ad lochia poſt partum promovenda præſcripta, quæ & emmenagoga ſunt & nervina, & carminativa. (4) *Sudorifica* omnia, quæ & aliis caſibus & poſt partum ſunt efficaciſſima: vt enim Lochia retenta facile purpuram, mortis ſororem excludunt; vt eadem dolores, tormina, ſuffocationes, febres, in genere, ita diaphoretica ſtrenue huic foco morboſo reſiſtunt, fermentum disjiciunt & maſſam ſanguineam inculpatam præſtant; Item *Diuretica* ab ipſo Hippocrate. 1. de m. m. commendata, Hinc axioma *Swalbii* egregium eſt, Vterus albo fœtens fluore diureſi ſpecifice mundificatur, quo nomine *ſuccinum album præpar. Eſſentia ſuccini* cum *Tinctura bezoar. & anodyna*, omne ferunt punctum.

(4. *Carminativa*, merito optima ſunt vterina

vbi obſervandum eſt ſymptomata externa latius patere & diverſa eſſe, vnde & hyſterica merito iis accommodanda, licet multa ſint polychreſta, & hinc præ reliquis ſpecifica, quando vero torminibus, ſeu in abdomine, ſeu in hypochondriis, ſeu dorſo cumprimis tentantur, optimi præ reliquis ſunt carminativa; Adde & in cardialgiis, quæ in hyſtericis ſolenniter, imo vt præcipuum ſæpe & vrgens deprehenduntur; Sic doloribus poſt partum apprime debita ſunt radic. *galangæ* & *zedoar*, etiam groſſo modo in pulvere aſſumptæ; longe vero perfectiùs *eſſ. carminativa* varie & maxime cum *anodyna* & caſtorei temixta officium facit.

Notandum enim & ipſa *Opiata* plurimis nominibus eſſe vtero amica, ſicubi dolores vrgeant, nervi irritentur, diſſipandi ſint humores & reſolvendi; id enim omne eximie præſtant, vt citra opiata vix feliciter mederi vterinis ſymptomatibus conceſſum ſit, Taceamus *rad. carlinæ*, & alia ſimilia *Tinctura tartari* quoque, quod acido morboſo & miaſmatibus torminificis ſit contraria, probatiſſima nobis deprehenſa fuit, non ſolum in doloribus dictis, etiam in anxietate & reſpiratione difficili puellæ virginis menſes nondum expertæ; item in aliis quæ in collo quaſi hærere quid referunt, quod notabile eſt ſymptoma conſtrictioni debitum, facile vterinis, *vt Elixirio* vterino debellandum. *Wedelius. A.m.m.p.196.*

Tempus paroxyſmi.

47. In *Paroxyſmo* attendendum eſt 1. vt *Acidum vitioſum* in inteſtinis corrigatur, alteretur, & flatuum preventus prohibeatur, 2. *Convulſiones* & paroxyſmi ſiſtendi, *ſpirituum motus* ſiſtendus & placandus.

Vtrique ſcopo, præſertim priori, ſatisfaciunt *ſalia volatilia oleoſa*, Poſteriori *Opiata* & in quibuſdam *camphora*, nam non omnes eam ferunt.

47. *Tempus paroxyſmi*) Si hic levior eſſe ſolet, abſque vlteriori ſpirituum perturbatione, ſua ſponte pertranſire permittatur; Sin eo gravius vrgente, Naturæ valde oppreſſæ ſuppetias afferre opus ſit, vnum illud agatur, vt ſpiritus *copulæ heterogeneæ* amplexibus immunes facti inordinationes ſuas exploſioneſque remittant, In hunc ſcopum vſu receptiſſimum eſt imprimis *fœtida* & *graveolentia* naribus admovere; quorum ſcil. effluvia ſpiritus nimis efferos, & exilire paratos reprimunt, ac in ordinem cogunt, quin & copulam heterogeneam iis excutiunt, & non raro penitus profligant, *aſa fœtida*, *caſtoreum*, *galbanum*, ſindone rara incluſa & naribus admota conveniunt; item *plumæ perdicum* & *vetera coria* combuſta, aut *ſulphur accenſum*, Porro *ſpiritus* ac *oleum fuliginis*, aut *c. c.* non raro juvant.

Sicut fœtida naribus admota, ita ſimilia ori infuſa non raro levamen conferunt, quare hyſtericis *Tincturam caſtorei*, ſolutiones *Aſæ fœtidæ* & *galbani*, etiam *ſpiritus c. c.* ac *fuliginis*, cum aquis appropriatis ſæpius bono cum ſucceſſu propinamus.

℞. *Spir. c.c. gtt.* x. *ad* xv. *vel* xx. ſumantur in hauſtulo *Julapi ſequentis.*

℞. *Aquæ puleg. artemis.* āā. ℥iv. *aqu. bryon. compoſ.* ℥ij. *caſtor. nodulo ligati & in vitro ſuſpenſi* ß. *ſacch* a'b. ℥j. *m.*

℞. *Tinctura caſtor.* ℈i. *ad* ʒß. *ſumatur ex cereſia tenus.*

℞. *Aſæ fœt. vel galbani* ʒij. *diſſolvantur in ſpir.* ꝟ i ad *tinctura rubic extractionem. Doſis* ℈i. *in aqua matricariæ cochlear.* ij. *vel.* iij.

Ioh. Anglicus commendat *ſem. paſtinac.* vel *aquilegiæ* in vino aut aqua apropriata, prout rem dictam ceniſſima. Si paroxyſmus diutius perſiſteris ἀφωνίαν aut ἀσφυξίαν intulerit: *Enemata* acriora *vt rad. bryoniæ* cum carminativis incoctis injiciantur.

Frictiones crurum ac pedum inſtituantur; ac ſi ad fortiora procedendum erit, *Cucurbitulæ*, addomini aut inguini applicentur; quin & *Sternutatio* crebro provocetur: Nonnullis convenit in medio paroxyſmo *aquæ frigidæ* hauſtum, aut ſimplicem, aut in qua *camphora* deflagravit propinare. *Willis.*

Primo ægra in lecto ita *collocanda eſt* vt cervicem & ſcapulas acclives & elatas habeat, Inguina vero & femora declivia, ita enim vterus facilius reducitur; Poſtea vero fieri debent *Ligaturæ* dolorificæ partibus inferioribus, *Frictiones* earundem partium, *Cucurbitulæ* coxis admovendæ: Eodem tempore fœtida & graveolentia naribus admoveantur, ſuaveolentia vtero; *ſternutationis* provocatio; *Clyſteres* laxantes & carminantes *Oxycrati* cyathus ore aſſumptus. *Riverius.*

48. *Ratio habenda 1.*) Præterm ſſa hic præcipua indicatio, *Virium* ſcil. *collapſarum inſtauratio, & excitatio*; In ſuffocatione ſpiritus vitalis membranarum in vtero, tanquam in centro deliteſcens, veneno quodam excrementitio menſtrualis ſanguinis affligitur & quaſi ſuffocatur, hinc ad cor cum labe illa venenata defertur, vnde cor affligitur, & levis ſyncope afficitur; quandoque hinc porro ad cerebrum tendit, membranas inquinat & furorem excitat, ſoporem ſi ſpiritus ille narcoticus ſit &c. His ſymptomatibus omnibus medetur *ſpiritus vini*, quo nil potentius venenatam illam menſtrualis ſanguinis qualitatem corrigit & extinguit, ipſumque cor corroborat, *P. Ioh Faber.*

Hyſtericis æque, ac apoplecticis & ſyncopticis inſigniter prodeſſe, conteſtum calidum nativum in ἔκλαμψιν evocando reſocillare ſpiritum vini, qui incorruptibilis & penetrantiſſimus eſt, cuivis notum. Eatenus autem corrigit, iſque rectificatiſſimus venenatam menſtrui nequitiam, quatenus de eo notum eſt in genere illum omni putredini potenter reſiſtere, atque facultatem vitalem intimius reficere, vnde etiam *ſpiritus vini* audit. *ſulphur bezoarticum* vegetabile, & *cathol. liquoris balſamus ſubtiliſſimus. Chr. Langius.*

49. *Interceptionis per ventris &c. ex corium cervi*) Si iuvat, accidit potius vi qualitatis occultæ, quam ligaturæ, alias ex quovis corio & . eſſet vtilis, aſcenſu vaporum ideo prohibito; Conſtrictio autem ventris vtilis eſſe videtur, quatenus flatuum aſcenſum & evagationem prohibet, &c.

49. *Per ventris circa vmbilicum*) Arcta ligatura quæ à mulieribus in tali caſu per latam faſciam aut mappam longiorem ventri tranſverſim inicitur, eo nomine non prodeſt quod globi iſtius (quem illæ vterum eſſe arbitrantur) aſcenſum cohibeat, ſed quia per illam maligni acris vaporis, ex vtero vel teſtibus ſuſcitati (ſuſcitantur autem per aliquam fermentationem ſeu efferveſcentiam) copioſus aſcenſus verſus ſuperiora impeditur, qui vapor tunc infra ligaturam aliquamdiu detentus circumſtantium partium calore diſſipatur. *De diemerbroech. Anat. l.1.c.24.*

49. *Ventris circa vmbilicum cingulum*) Cum his vſurpentur ſimul cincturæ circa regionem hypochõdriacam, quo enim ſunt laxiores mulieres, eiam magis ſolẽt vrgere reſpirationis ſymptomata, habent hic quandoque delectum, alij commendant cingulum ex corio humano. *Etmuller.*

50. *Cingulum ex corio cervi* Quod ſingularis efficaciæ eſſe in hoc caſu experientia teſtatur. *Fr. Iœl Pr. l.8. ſect. 1.*

51. *Ex-*

51. *Excitationis per ligaturas &c.*) Per avulſiones pilorum, contorſiones digitorum, inclamationes, & alia: Utile etiam eſt plantis pedum admovere Cataplaſma epiſpaſticum. e. g.

℞. *Fol. artemiſ. matricar. rutæ* ā̄ā. m. j. *ſalviæ m.* ß. *ſtercor. columb. pulver.* ℥iij. *ſapon. nigri* ℥iß. *ſuccini, thuris, maſtich. pulv.* ā̄ā. ʒiß. *ſucci rutæ & oxycr. q. ſ. f. Cataplaſma.*

Naribus pulvis ſequens inſuffletur.

℞. *Piper. albi, ſinapi, pyret. Caſtor.* ā̄ā. ℈j. *f. Pulvis tenuiſſ.* Si mulier valde ſepulta videatur, proritetur, ex *Hippocrat* 55.5. ſternutamentum: *Mulieri quæ hyſtericis moleſtatur, aut difficulter parit, ſuperveniens ſternutatio bonum*, quæ à prædicto Pulvere non raro excitatur, Sin minus tantillum *hellebori albi aut euphorbii* adjicitur.

Naribus *Oleum Succini, vel gagatinum* illiniri poterit. *Riverius*, Vide §. *Tempus paroxyſmi.*

Suffumigia ex pennis.

Rarum eſt quod quædam poſtulent *ſulphur* accenſum, quod tamen nemini ſuaderem, quia ex hoc ſupervenit difficultas anhelitus verum habeatur ratio idioſyncraſiæ: Quibuſdam magis placent ſuaveolentia videatur, *Hoechſtetterus. Etmuller.*

52. *Suffumigia ex pennis*) Etiam *ex charta accenſa, aqua apoplect. amara, balſamo hyſterico*; quæ ſingula, ſi fatemur quod res eſt, non tam agunt irradiatione ad cor per Pulmonis quam per cerebrum facta: Odores immediatum habent contactum cum ſpiritibus magis animalibus quam vitalibus; illi quippe ſenſus & motus ſunt organa; excitari vero archeus non poteſt, niſi per excubitores vitalis regiæ, ſenſum & motum diſpenſantes, ſpiritus animales; Excitant archeum muſculorum, adæquate, concuſſu abdominis adjuto, & conſequente compreſſione verſus inferiora &c. *Wedelius.*

Quod ſpectat varios *Odoratorum* effectus, nempe quod ſuavia paroxyſmum acceſſunt, *fœtida* vero eundem abigunt, dicendum eſſe videtur, priora ſpiritus animales demulcendo reſolvere, ac à ſolitis influentiæ penſis nimis relaxare; adeoque ipſos ad explodendum paratos in tales inordinationes provocare: quinimo velut flammula admota aliquatenus accendere: E contra autem *graveolentia* ſpiritus reprimunt ab excurſibus & exorbitantiis retro cogunt, inque ordines compellunt; quin velut ſulphur auro fulminanti admixtum, virtutem exploſivam iis adimunt. *Willis.*

52. *Suffumigia*) Suffitu ex *Tabaco* ſublevati Hyſterici affectus mirandi hiſtoriam tradit. *M. Bernardus Valentini M. S. Vol. 2 pagin. 50.* Miſerabilis erat conditio uxoris N. quæ animal quoddam vivum in utero gerere dicebatur, eandem ſumme diſcrucians, Quam cum inviſerem paſſione hyſterica, eaque graviſſima detentam reperio, quam paroxyſmarum una ſæpe hora bis terve perpeti ſolebat; Vix dimidium horæ quadrantem conſederam & nova tragœdiæ ſuæ præludia ſentiebat, ſolutiſque veſtimentis putiti illius animalculi motum & viſui & tactui libere offerebat. Accedente vero carnificina, non umbilicus modo, ſed & hypochondria utrinque violenter intus trahebantur, mox inteſtina cum meſenterio factis variis vibrationibus mirabiliter convellebantur; hinc plexus illi meſenterici in globum contorti paſſim in abdomine oberrabant, donec tandem ſuperiora petentes raptis in conſenſum præcordiis ægram penitus ſuffocarent; quæ omnia neſcio cui animali tribuebat non ipſa ſaltem ægra, plus minus melancholica, ſed & univerſa circumfluentium vetularum caterva, idque hac potiſſimum de cauſa quod utero ſæpe per conſenſum furente eadem prorſus tormina accederent qualia fere parturientium eſſe ſolent, omnes reliquos dolores immanitate ſuperantia adeo quidem ut non tantum Obſtetricem diverſis vicibus advocarit, ſed & ſectionem abdominis ſæpe expetierit ægra cui cum ægre tandem perſuaſerim nihil prorſus in utero contineri, ſed meros eſſe ſpaſmos & convulſiones hyſtericas, pro his aliquantum cohibendis *Laudani* mei *Cinnabar.* (*ex una parte extr. opii per ferm. & ij. cinnab. nat. ſelectionis parati*) quaſdam dozes propino, quibus cum paroxyſmi illi ſtatim maxime refrænati fuerint, ſub neceſſaria abitus mei maturatione ſuadebam poſtea ut *Tabaci fumum* haurire diſceret, ita fore ut efferi illi paroxyſmi tanquam fræno quodam coerceri poſſint, nec ſine ſucceſſu, Ex literis enim non multo poſt intellexi quod hauſto ſtatim, ſi quid perſentiſceret, *Tabaci fumo*, immanes illos cruciatus ſubito reprimere ſoleat, ita quidem ut rebus domeſticis vacare rurſus potuerit.

Hinc profecto non abſque ratione Indicæ fœmellæ, ſuffocationibus hyſtericis obnoxiæ tanti faciunt, *Tabacum* herbam, quam ſecum ſemper habentes neceſſitatis tempore vel extus umbilico. applicant, referente *Monardo*, vel quoque ore tenus haurire ſolent, modo Indis conſueto, Vide etiam *villam ruſticam* Caroli Stephani & *Ioh. Liebantii* Gallice conſcriptam. *M. Bernardus Valentinus M. S. vol 2. p. 50.*

Suffumigia,

Hoc ipſum experientia, compertum eſt mihi valere plurimum

℞. *Sem. melanth.* ℥ß. *ſtirac. calam. ſucci ſchoen. calami aromat.* ā̄ā ʒiij. *roſ. rub.* ʒij. *gall. moſch. gr. v. F. Pulvis ad* Suffitum. *Hor. Augenius.*

Suffitu bituminis multis experimentis comprobatum audio mulieres ſuffocatas ſubito ſanari, naribus admovendo. *Iul. Cæſar Baricellus H. Gen. p. 102.*

Suffitus ex verrucis equorum citiſſime liberat, quod ſecreti loco haberi poteſt. *A Caſtro.*

Capilli patientis accenſi, & fumus inde accenſus, mira præſtat ſubito quod frequentiſſime expertus. *G. Varignana.*

52. *Suffumigia ex pennis*) Veteribus coriis uſtis *ſulphure accenſo: Pomo ex aſa fœtida, caſtoreo, galbano, ruta*, malaxatis cum *ſyr. de artemiſia* vel *aceto*, Setris ex *ruta tanaceto, abſinthio*: Ab iis tamen quæ ex jam dictis fortiora ſunt, abſtinendum ſi fœmina epileptica fuerit, quia ab iis offenſum cerebrum agitatur, unde humores in illius ventriculos præcipitantur, ac ſymptomata ingraveſcunt, *Fumus tabaci* ore & naribus ægræ inſufflatus eam à paroxyſmo citiſſime liberat. *Riverius.*

53. *Callis equorum*) Seu Verrucis quæ eorum tibiis adnaſcuntur: quorum ſuffitus valde commendatur ab authoribus, Hæ ſi in calente furno exſiccentur, & in pulverem redigantur, ac ex iis naribus ſuffumigium fiat, præſentaneo remedio & magna aſtantium admiratione ſolent mulieres fere in inſtanti à paroxyſmo liberari. *Riverius.*

53. *Callis equorum*) Singulare remedium etiam in deſperatiſſimis matricis ſuffocationibus. *Extract. ſcilicet Petræus Noſol.*

53. *Callis equorum*) Inter cætera quod maxime ſolet omninm præfocatas mulieres, quaſi memento revocare. eſt evaporatio facta ad nares ex pulvere verrucarum quæ tibiis equorum adnaſcuntur, quæ ſi in calente furno exſiccentur, & in pulverem redigantur, & naribus ſuffumigium fiat, tanquam præſentaneo remedio, magna adſtantium admiratione ſolent mulieres quaſi à mortuis revocari. *Albertinus Bottonus cap. 46. de m. m. f. Th. de Bry Introd. &c.*

54. *Ad nares applicationes*) Quare fœtidis delectatur uterus utplurimum & ex ordine magis; Et quare ſuaveolentibus læduntur hyſtericæ: Cum uterus, in talibus

ſubjectis ſaltem, fœtidis, garoſinis & ſalſis, vappidis, alioque fermento imbutis ſcateat humoribus, moſchata & ſuaveolentia diſcutere hos neſciunt; quin potius majorem rarefactionem iis conciliant, & conſequenter quietos turbant, movent & ſymptomata hinc hyſterica. Contra ea fœtida ſubigunt, diſpellunt & enervant acorem & vim hoſtilem aliam. Videmus idem in hypochondriacis & ſcorbuticis, quod à moſchatis & volatilibus aliis ſæpe lædantur magis quam confortentur. *Wedelius. Am. m. m. p. 198.*

Quod fœtida naribus admota affectionem imminuant, non fit, quia uterus fœtidorũ occurſũ fugiens deſcendit (ut quidam exiſtimãt) ſed quia olfacta à fœtidorum occurſu male affecto, cerebrum ut illam moleſtiam excludat, ſe contrahit, ſicq; à teſtibus vel ab utero aſcendentibus vaporibus ingreſſum in ejus arcem præcludit, & eos qui antea ingreſſi erant exprimit: quos etiam fœtida per ſingularem ſuam diſcutiendi vim ut in cerebro ita quoque in faucibus potenter diſcutiunt, ſicque mulier non tantum fit compos mentis, ſed quoque laxatis faucium muſculis à præfocationis anguſtia liberatur.

Suaveolentia vero naribus admota affectum augent, non quod uterus iis in occurſum aſcendat, ſed quia dum mens per olfactum percipit iſtorum gratum fragrorem, ut mulier illa amœnitate diutius & melius fruatur, cerebrum ſe dilatat, ſicque fragorem iſtud, ſed ſimul etiam noxios vapores ab utero aſcendentes magna copia per dilatatos undique poros admittit, unde tunc affectionis hyſtericæ ſymptomata præfocatio, anxietas, delirium, ſopor &c.) mox increſcunt: Pudendo antea interiori affricata ſuaveolentia proſunt, quia craſſiores malignoſque humores circa uterum hærentes attenuant, poros dilatant, & potenter diſcutiunt. *De Diemerbroeck.*

54. *Ad nares applicationem*) Novi tamen hujuſmodi ſuffumigia quibuſdam fœminis plurimum infeſta paroxyſmum aggravaſſe, probabile eſt eadem interdum ſpiritus nimium irritare, ac in majores ἀταξίας adigere. *Willis*, Vide §. *Tempus paroxyſmi.*

55. *Revulſionis*) Revocandam etiam & revellendam volunt materiam ad ſuperiora adſcendentem clyſteribus ex uterinis & carminativis paratis. *Doleus.*

56. *Ligaturam*) Quomodo juvent faſciæ aut ligaturæ, vide infra §. *Extra.*

57. *Frictiones*) Ubi convulſiones adſunt, vel animi deliquia, aſperæ conveniunt in planis pedum, etiam cum aceto & ſale. *Riverius.*

58. *Clyſteres flatus diſcutientes*) Clyſteres laxantes & carminantes præ cæteris remediis conferunt, ad diſcutiendos vapores tetros paroxyſmum producentes. E. g.

℞. *Fol. mercur. parietar. artemiſ. puleg. rutæ, calament. ãã. m j. ſemin. carvi, cumin. & baccar. laur. ãã.* ʒ ii. *coqu. ad* ℔ iß. *In colat. diſſolve Hieræ pic. ben. lax. ãã.* ʒ vi. *ol. rutac.* ℥ iij. *camph.* ℈ß. *m. f. Clyſter.*

Si primus non ſufficiat, iterandu, erit ex eodem aut ſimili *decocto, diſſolvendo diaphœn.* ʒ x. *terebinth. vitello ovi diſſol.* ℥ j. cum oleo prædicto & *camphor.* in oleo *nenuphi. ſol* ℈ß. Perſeverante affectu tertius mere hyſtericus & diſcutiens, non autem purgans injiciendus eſt, qui valde efficax ſic fiat

℞. *Ol. rutac.* ℥ iv. *aq. vitæ* ℥ j. *vini generoſi quart.* iij. *galbani* ʒ iß. *m. f. Clyſter injiciendus præmiſſo Clyſtere laxante.*

Clyſter ex *Oxycrato* hyſtericum paroxyſmum ſtatim cohibet, vapores illum efficientes cohibendo & coagulando. *Riverius.*

Venæ ſectio.

De *venæ ſectione* eſt magna dubitatio, An in ipſo paroxyſmo conveniat? Cum enim tum ingens adſit virium dejectio, & aliquando de vita deſperatio, & refrigeratio totius corporis à malignis vaporibus cor & cerebrum infeſtantibus, qui nullo modo per venæ ſectionem excludi poſſint, non dubium quin ex uſu illius, acceſſionis tempore magnum immineat periculum: Huic ſententiæ adſtipulatur *Varandæus & Sennertus*: Contra vero *Mercatus & Rod. à Caſtro* ſtatuunt in talo venam eſſe aperiendam, quando affectus producitur à ſanguinis menſtrui copia atque retentione; Et nullo alio modo vires onere preſſas, vias nimia abundantia obcæcatas, & ſuffocationis periculum levari poſſe: Siquidem in hoc caſu neque fœtida, neque odorata, neque cucurbitulæ ægram à paroxyſmo liberare ſolent; *Phil. Hœcſtetterus obſervat. pag. 2.* nonnullis hiſtoriis oſtendit V. S. in pede plurimum profuiſſe, ita ut virgo monialis, quæ aphona & convulſa per biduum fuerat, poſt duas horas à V. S. facta cœperit comedere ac bibere, Exiſtimamus nos V. S. poſſe celebrari ſi pulſus fuerit validus, & manifeſtæ plenitudinis notæ appareant: Si vero pulſus languidus appareat, eſſe abſtinendum & intervallum eſſe expectandum, in quo tutius ſanguis detrahi poſſit. *Riverius.*

59. *Cucurbitulas*) Magna pectini admota multum prodeſt, Cavendum ne ſupra umbilicum applicetur, quod multi imperite faciunt, ſic enim ſurſum uterus retrahitur. *Riverius.*

60. *Suaveolentia*) Pudendis ſuaveolentia varia cohibent ut Zibethum, moſchum, Galliam moſchatam, eâ additâ ratione, ut ſcil. humorum & ſpirituum motus in utero verſus inferiora, evocetur & quaſi conſopiatur. *Doleus.*

60. *Suaveolentia*) Utero utplurimum admovent, ſuaveolentia, ſcilicet immittitur peſſus inunctus cum balſamo apoplectico aut peſſus inunctus cum oleo nucis moſchatæ in quo ſolutum eſt parum Zibethi. Sic ſuffitus fiunt per uterum recipiendi quos inter experimentum Dracelſi eſt ſuffitus paratus ex verrucis equorum, de quo etiam affirmat Fonſeca, nullam eſſe ab utero inflammationem quæ ab hoc non exciteтur fumo. Compoſitio eſt hæc

℞. *Verrucas equor.* ℥ j. *aſſæ fœtidæ, ungulæ capræ ãã.* ʒ ii. *f. pulvis cujus* ℈ j. in ſenſus dat fumum per infundibulum in uterum ſuſcipiendum.

61. *Pudendis intruſa*; Dum fœtida admoventur naribus utero admoveantur ſuaveolentia, nempe illinantur vulvæ in loco clitoridis, balſamus apoplecticus, *Zibethum, moſchus.* Etmuller.

62. *Zibethi*) Moſchi odor fœminis pleriſque noxius eſt; quod autem quædam fragrantia naſo adhibita noceant, ſed naturalibus illa adhibita proſint, ejus cauſa hæc eſt; quod nempe pori in aliquibus membris, qui foris intro ſpectant, aliter ſint diſpoſiti quam qui intus foras ſpectant; quare evenit cum ſuffumigia per poros uteri, & vaſorum vicinorum foris intro ſpectantes tranſeunt, ut non poſſint tranſire illos poros, & quidem illas vias quæ intus foras ſpectant, ſed potius in illis hærendo vellicationem & noxam afferunt. *Pr. Reform. c. 100.*

63. *Diſcuſſionis, & quidem interne*) Ad vapores iſtos malignos paroxyſmum hyſtericum producentes diſcutiendos, per os multa exhiberi ſolent, è quorum numero eſt *Theriaca vetus ad* ʒ i. exhibita, cum aqua *artemiſ. pulegii, meliſſæ. troch. de myrrha ad* ℈ ij. *vel ol. ſuccini ad* gtt. v. vel vi. cum iiſdem liquoribus.

Pilulæ in frequenti uſu eſſe conſueverunt. E. g.

℞. *Caſtorei, myrrhæ, aſa fœtid. ãã.* ℈ j. *fæc. bryon.* ℈ß. *ſem. rutæ & croci ãã. gr.* vii. *cum ſyr. de artemiſ. f. Pilul.* xii. *capiat* iii. *vel* iv. *quas ſi devorare nequeat, diſſolvantur in aqua artemiſiæ.*

Ad vehementiſſimum paroxyſmum ſequentes eximiæ ſunt.

℞. *Aſa*

℞. *Aſæ fœt.* ℈i. *caſtor. gr.* vi. *f. Pil.* 3. *vel* 4. *ſumantur ſtatim.*

Pilulæ fœt. maj. licet purgantes ſint, tamen in paroxyſmo utiliter dantur ad ʒß. blande enim evacuant, nec niſi ſedato prius paroxyſmo purgare ſolent, ita ut ab operatione nullum metuendum ſit periculum.

Aquæ etiam multæ exhiberi ſolent in paroxyſmo, *vitæ, cinnam. theriacalis*, vel ſpecifica in hunc modum componi poteſt.

℞. *Rad. zedoar. ſem. dauci, rad. leviſt.* ãã. ℥ii. *myrrhæ rub. caſtor.* ãã. ʒß. *rad. pœon.* ℥iv. *viſci qu. decreſcente Luna collecti* ℥iii. *præparatis affunde aquæ matricar.* ℔ivß. *ſpir. vini* ℔ß. *digerantur per triduum, poſt diſtillentur Doſis cochleare* j. *per ſe, vel cum aqua conveniente;*

Hæc paratu facilior, gratior, & efficax.

℞. *Succor. meliſſæ, borrag. depurat.* ãã. ℔ii. *croci opt.* ʒi. *infundantur & deſtill. in Balneo, detur cochl.* j. *cum juſculo.*

Hæc Potiuncula in communi uſu habetur.

℞. *Aqu. cinnam.* ℥ß. *aqu. naphæ* ℥iv. *caſtor. gr.* iv. *miſce* Sequens ſæpe contulit, ut ſæpe obſervavi.

℞. *Aquar. artemiſ. roſar. flor. arant.* ãã. ℥j. *aq. cinnam.* ℥iii. *conf. de hyacintho* ʒi. *pulv. elect. diamarg. frig.* ℈ß. *croci gr.* iv. *f. Potio.*

Aqua naphæ ſola ad ℥iij. vel iiij. utiliter exhibetur; ſed cum *moſcho & ſangu. drac.* permixta miranda præſtat, nam teſte *Solenandro*, mulier ſæviſſimis ſymptomatis afflicta, dolore capitis ructu, contractione corporis, dolore inguinis, ſtridore dentium, aliquando in terram cadens ſine voce, ore clauſo, ut aperire non poſſet, hæc omnia ex matricis vitio, ſumpſit xiij *grana moſchi* & totidem *ſangu. drac. vulg.* ex ℥iv. *aq. fl. arant.* ſanata eſt ſine recidiva. Idem remedium in aliis tentatum ſemper, *inquit*, profuit.

Vngula Alces utiliſſima, ut tradit *Apollonius Menabens Fr. de Alce, c.* 10. Accerſitus, ait, ut medicam manum adhiberem mulieri ſuffocatione oppreſſæ, data hujus *unguis* raſura cum *rad. zedoar.* aliiſque auxiliis, optatum finem cum honore ſum conſequutus.

Camphora accenſa, & in aquam conjecta, ibique manens donec extinguatur, præſtans eſt remedium ad ʒj. exhibita.

Hi duo Pulveres pluries à nobis experti, Prior.

℞. *Secundinam primi partus in camino exſiccatam & tritam, Doſis* ʒi. *in liquore idoneo*, confeſtim *liberat à* paroxyſmo: Poſterior *fit ex duabus partibus ſulphuris, & una nucis moſch. fit Pulvis ex his* ʒi. *pondere exhibendus.*

Pulvis Gagates *ad* ʒß. *vel* ʒi. *exhibitus* multum poteſt.

Pulvis *granorum actes Quercetani cum dimidio* vini cyatho ſumptus pondere ʒi. epilepſiam hyſtericam ſubmovet, illiuſque recurſum impedit ſecunda exhibitione. *Fuligo camini* exhiberi poteſt eadem dozi, *in ovo* ſorbili. *Riverius.*

Interna quod attinet, optima ſunt *Salia volatilia oleoſa*, & ſpiritnoſa, & in ſpecie, quia prompte ſudorem movent, per ſudorem ſolent finiri hi paroxyſmi, Qui bus adduntur ſubinde *Opiata*, ad impetum ſpaſmi coërcendum.

Ita uſu ergo vulgari ſunt *zedoaria, leviſtic. angelica, gentiana, mentha puleg. matricar. flor. chamom. Rom. corti c. aurant. ſemin. dauci, baccæ junip. caſtor. aſa fœtida, crocus, roſmar. & ſimil.* quæ omnia eo collimant ut *ſale volatili*, plus minus *oleoſo*, acidum deſtruant, Adduntur *Opium, laud. op. theriac. mithrid.* & ſimilia, Sed modernis eminent ipſa *ſalia volatilia*, quæ immediate agunt.

Nos in graviori malo in uſu habemus hanc teterrimi quidem ſaporis, ſed præſentanei tamen effectus *Potiorem.*

℞. *Aqu. menthæ, flor. ſamb. matricar.* ãã. unc. j. *eſſent. caſtor.* ʒiß. *ſalis volat. ſuccini gr.* xii. *c. c. gr.* vi. *laudani hyſt. gr.* x. *ſyr. cortic. aurant.* ʒiii. Miſce.

Poteſt etiam fieri talis.

℞. *Aqu. menth. matricar.* ãã. ℥iß. *eſſent. caſtor.* ʒiii. *ſpir. ſal. armon.* ʒi. *laud. op. gr.* iii. ſyr. artem. ʒ vi. M. S.

Huc referri poſſunt omnia quæ ab experientia commendantur, nempe quæcunque *ſalia volatilia* uti in ſimpl. *ſpir. ſal. armon.* rite præparatus, optimus, ſpeciatim *ſuccinum & ſuccinata*, *Ol. de caſtoreo* dictum, quod optimum *Eſſentia caſtorei cum ſale volat. parata* Spiritus *ſal. armon.* cum *calce viva*, paratus: *Tinctura anodyna D. Langii ex caſtor. aſa fœt. beneficio ſal. tartari Tincturagran. actes* quæ doſ i. vel ii. cochl. in paroxyſmo propinata, expectando ſudorem, eſt optima, *Elixir uterin. Crollii*, dozis ℈i. ad ʒß. in paroxyſmo, ſudorem expectando.

Pertinet huc *fuligo fumi* à mulieribus à ʒß. ad ʒi. uſurpata, *Flores ſulph.* in eadem dozi, imperando ſudorem. Tandem *Troch. de myrrha* à ʒß. vel ℈ii. etiam ſunt egregii in paroxyſmo.

Hiſce ultimum, & nulli cedens remedium annumerandum eſt, nempe *ſtercus equinum*, Ejus *ſuccus expreſſus* calide propinatus, optimus eſt.

Hæc & ſimilia uſurpantur in paroxyſmo, nunc ſemel, nunc repetitis vicibus, ut tamen ſemper excitetur ſudor.

His nil proficientibus, ita ut ægræ tandem inſtar mortuorum jaceant, ne omni auxilio deſtitutæ pereant, in extremo caſu extrema tentanda ſunt, qualia hic ſunt Vomitoria. *Etmuller.*

Statim ubi futuræ ſuffocationis ſigna comparuerint, ac in primis inſultus & intumeſcentia *hypogaſtrii* ebibendus præbeatur ſequens hauſtus tepidus.

℞. *Stercor. rec. caballi avena nutriti man.* ii. coqu. in *vino Rhenano, exprim. col. pro potu.*

Venter autem circa umbilicum vinciatur ac ſubligetur faſcia linea latiore &c. *Fr. Joel.*

Priapus & cervi & tauri, jullo æſtus tempore exſectus, ſingulare, ſecretumque in ſuffocatione uteri & colica remedium ſubminiſtrat: Pro hyſterica ita procedendum, In ipſo paroxyſmo, quantum pulveris cultri apex capit, in cerevifia calente, vel aqua appropriata exhibe bibendum, Niſi fallit experientia, brevi ſedabitur affectus.

Ad præcautionem orbiculi novem exinde abſcindendi, & terni ſuo linteo involuti imponantur potorio ſcypho, ex quo per hebdomadas tres bibat ægra; ab alio potu interim abſtinens: Eo remedii genere quamplurimæ deſperatæ ſanitatis, & colica paſſione miſere excruciatæ ad ſe redierunt Th. *Bartholinus hiſt.* 50. *Cent.* 6.

Mulier hyſterico affectu laborabat, cum vomitu & alvi fluxu, ſummaque virium dejectione ut moribunda videretur, poſt multa fruſtra exhibita ſequens Potio mire profuit.

℞. *Aqu. artemiſ. roſ. & flor. arant.* ãã ℥i. *aqu. cinnam.* ʒiii. *conf. hyacinth* ʒi. *pulv. Elect. diamarg. fr.* ℈ß. *croci gr.* iv. *f. Potio. Riverius obſ.* 32. *cent.* 1.

Virgo viro matura motibus quibuſdam convulſivis affligebatur, ex quibus conjeci illam ſuffocatione (*hyſterico affectu*) laborare, Sequenti remedio in momento liberavi.

℞. *Aſæ fœt.* ʒii. *caſtor. fecul. bryon.* ãã. ʒi. *ſem. rutæ* ℈i. *croci* ℈ß. *laudan. Para. gr.* viii. *cum ſyr. de artemiſ. f. Pilul. doſis* ʒß. *Petrus Pachequus obſ.* 10.

Illuſtriſſima quædam, affectibus hyſtericis obnoxia, tandem uſu ſequentis Pulveris libera evaſit, ſumebat ʒi. cum vino, aut pane hoſtiario, bis aut ter in ſeptimana,

℞. *Rad. gentianæ diptam. albi torment. pyreth. rhapont. biſtortæ, ariſtol. rot. carlinæ, bacc. lauri, angel. imperat. coriand. præp ſem. aniſ. gran. juníp. maſtich. boli Arm. or. terræ ſigill.* ãã. ℥. ß. *croci orient.* ʒiiß. *m.* Vtebatur eo ad omnia venena, Peſtem. *Simeon Iacoz. obſerv. 21.*

Eſſentiæ ſuccini gtt. v. *vel* vi. epotæ, ut & ea ſi ea inungatur umbilicus, mira in uteri ſuffocationibus levandis facient, quod ſæpe feliciſſime mihi ſucceſſit. *P. Borellus cent. 2 obſ. 66.*

Sequentem miſturam optimo cum ſucceſſu uſurpavimus.

℞. *Aquæ antihyſter. noſtræ* ℥ii. ex fol. puleg. menthæ, rutæ ãã. m. ij. flor. lavend. p. ij. ſem. leviſt. baccar. lauri, ãã. ℥ß. myrrhæ, ʒii. nuc. moſch ʒi. vini Gallici pintas iij. MS poſt levem in calore infuſionem deſtillentur per MB.) *aquæ cort. citri* ℥j. *theriac ſimpl* ʒvi. *ſpir. ſal. armoniac.* ℈j. *tinctur. caſtor.* ʒi. *ol. ſuccin. gtt.* iv. *ſyr. de artem.* ʒvi. *MS. Da cochl.* vel ij. ſubinde.

Tempora & nares inungo *oleo ſuccini*, vel naribus *ſpir. ſalis armon.* admoveo.

Subinde huic miſturæ *laudani op.* (ex mente *Hippocrat.* qui *ſuccum papav.* hoc in caſu præſcribit. *2. de m. m.* gr. j. vel ij. addidi, nec infelici cum ſucceſſu.

Pro diverſitate ſymptomatum nonnunquam mutavimus. ægr. Si calorem univerſi corporis, ruboremque genarum obſervaremus, loco *ſpir. ſal. armon. & ol. ſuccini* addidimus *ſpir. nitri dulc.* qui non tantum flatus diſcutiendi, ſed quoque bilem acriorem temperandi vi præditus eſt) ʒß.

Si vero corporis frigus, & faciei pallor, ſuperiori miſturæ adhuc *ol. macis ſtill. gtt.* iij. admiſceri curavimus.

Extra paroxyſmum ſequentem Pulverem felici cum ſucceſſu præſcripſimus.

℞. *Reſinæ ialapæ, dacryd.* ãã. *gr.* iv. *Mercur. dulc. gr.* iij. *tart. vitriol. ſal. armon.* ãã. *gr.* vj. *ol. macer. gtt.* ij. *m. f. Pulvis. Frid. Deckers Not. ad c. 9. lib. 4. Pr. Barbettiana.*

℞. *Spir. c. c. gtt.* xii. ad xv. vel xx. ſumantur cum hauſtulo Julapii ſequentis.

℞. *Aqu. pulegii, artemiſ.* ãã. ℥iv. *aqu. bryon. compoſ.* ℥ii. *caſtor. nodulo ligati & in vitro ſuſpenſi* ʒß *ſacch. albiſſ.* ℥i. miſce. *Willis l. de morb. Convulſ. c. 20.*

Sequens *Laudanum* incomparabile eſt.

℞. *Laudani op.* ʒj. *Extr. lichen* ʒi. *ol. ſalis Iovis* ʒß. *m. Da coch.* ij. vel iij *cum* liquore conveniente.

Noſtrum experimentum, quod nunquam fefellit, eſt ut devoret *moſchi opt. gr.* v. *cinnam. caryoph. ligni aloës, gall. moſch.* ãã. ʒi. *cum* vino odoratiſſ. ſoluta. *Horat. Augenius.*

Exhibeatur *theriacæ* ʒi. quæ etiam *Oleo rutæ* diſſoluta ei parti applicetur per quam halitus aſcendere ſolitus, Quo ſolo remedio Matrona, aliis non juvantibus ab aſcenſione periculoſiſſima liberata eſt, *R. a Caſtr.*

Experimentum eſt certiſſimum mederi huic affectui ſpecificum ex *vitriolo martis*, quotidie veſperi ante cubitum in *vino* vel *aqua artemiſ. & matricar. datum. Hier. Corbeus.*

Quædam paroxyſmum præſentiens, ſola radice *Oſtrutii* in ore retenta, & parum maſticata, ſtatim liberabatur, ſuperbibebat tamen parum *aceti vini* optimi, unde ructibus emiſſis ſemper reſtituebatur. *Foreſtus.*

Hoc pro mirabili ſecreto accepimus, Sume *fol. viridia leviſtici*, ſuccum exprime, da cum *vini Rhenani* cyatho Hyeme contunde ſemen ejuſdem, parum in vino ebullire ſine, cola, exprime, cum cereviſia exhibe. *Idem.*

Galbanetum Parac. mirifice juvat tum per os ſumptum, tum ventri inunctum. *Grembs.*

Nil melius facit contra hunc morbum quam *aqua meliſſæ Rom Grulingius. Schroderus.*

Si aquæ cyathum, in qua *camphor.* quant. nucis avellanæ accenſa conflagraverit, exhibeatur, hyſtericæ ſtatim liberantur. *Heurnius.*

Stercus vaccæ & cervi ãã. *p. æq. cum vino* calido datum mulieri eunti dormitum, ſtatim tollit dolorem, & ſuffocationem experimento noſtro. *I. Dan. Rulandus. Ph. N. p. 51.*

Sal Iovis, præſtantiſſimum ac præſentiſſimum eſt remedium in uteri ſuffocat. quam ad miraculum compeſcit. Doſis gr. ij. iij. vel iv. præparatur ut Sacch. Saturni. *Schroderus.*

Pulviſculus ſequens me nunquam fefellit in Suffocatione ab odore roſarum.

℞. *Fæcul. bryon.* ℈ j. *margar ppr.* ℈i. *caſtor. gr.* xx. *ol. rutæ, ſuccini,* ãã. *gr.* vi *m. pro* iij. *doſib. Datur in vino calido* in quo tantillum macis & croci ebulliant. *Timæus.*

64. *Interne*) Ancilla ſubito correpta eſt dolore intenſiſſimo lateris dextri & lumborum, cum abeſſet febris, credidi dolorem eſſe hyſtericum, ideo ſtatim *oxycrati* cyathum exhibui, quem poſt horæ quadrantem vomitu rejecit cum multo pituita, Sedato vomitu alterum cyathum Oxycrati hauſit & ſtatim dolor protinus evanuit, eaque prorſus liberata eſt. *Riverius centur. 2. obſ 31.*

Sed neque curatio, neque ſymptomatum hyſterici affectus opinionem certam faciunt, ſed tantum congeſtæ cacochymiæ, ejuſque turgeſcentis, oxycrato repreſſæ.

65. *Oleum ſuccini albi*) Ad gutt. iij. vel iv. cum *aqua flor. arantior.* vel alia ſpecifica paroxyſmum hyſtericum citiſſime diſcutit. *Riverius.*

66. *Pulvere flor nucum ugland.*) Iuli, ſeu *catuli nucis juglandis, a Thoma Mouffeto*, Epiſt. ad *menſtruum* commendantur, In uteri ſtrangulatu, habeas ſingulare remedium, *iulos, ſive catulos juglandis* in pulverem exſiccatos contunde: dentur ad ℈ii. cum guttulis ij. ol. ſuccini, In eo affectu nihil unquam novi præſtantius.

67. *Caſtorei extractum*) *Eſſentia caſtorei*, ſi addita fuerit Eſſentiæ noſtræ carminativæ, remedium eſt in ſuffocatione uteri, & cardialgia efficaciſſimum, maxime ſi *olei caryophyll.* guttula una vel altera promptè miſcenda addatur, Hæc eſt illius deſcriptio.

℞. *Rad. zedoar* ℥j. *carlinæ galangæ* ãã. ʒß *cortic. aurant. ſem. aniſi carvi. flor. chamom. R* ... ãã ʒii. *caryophyll. aromat. bacc. ... acori veri ana* ʒ ß *macis* ʒj. *m. Extrahantur contuſa & ... m. cum ſpirit. cortic. citr. acidulo ... ſpirit. nitri, qui extractione per aliquod tempus facta addi debet. Doſis gtt.* xx. xxx. Inde obſervavimus ſæpius præſentaneo cum effectu ſublatum omnem dolorem: Non poteſt commode carere Medica praxis hac ipſa vel ſimili, modo maritentur cum eadem anodyna. *Wedelius A. m. m. pagina 358.*

67. *Caſtorei*) In uxore mea experti ſumus, in ſuffocatione matricis graviter laborante, quanta vis *Caſtoreo* inſit, ut epotum repente cruciatus omnes tollat, jactationes reprimat, matricem in ſedem ſuam retrahat, ibique ſiſtat; Morbum denique omnem cum acerbis periculoſiſſimiſque ſymptomatis propellat. *Andreas Dudithius Ep. 16. l. 3. Conſ. Cratonis. Ballonius l. de v. & Mul. morb. cap. 10.*

68. *Extractum lichenum*) Experimentum ſecretum eſt id Extr. cum ſpiritu vini paratum. *Agricola comm. in Poppium.*

Sic paratur

℞. *Lichenum q. ſ.* exſiccatis affunde aqu. *meliſſæ, ſpirit. vitrioli parum acuatæ.* Extrahe Tincturam, tunc

abſt ane

abſtrahe aqu. ad conſiſtentiam extracti: Doſis gr. 5. vel 6. Detur etiam per ſe *cum aqua theriacali*. Specificum eſt remedium. *Idem.*

69. *Specificum Dia Jovis*) *Sal Jovis. Tinctura ejuſdem*, & cuncta Jovialia, probatiſſima ſunt remedia, quibus tam in ipſo ſuffocationis hujus paroxyſmo, quam extra illum ad præſervationem cum feliciſſimo ſucceſſu utimur. *Chr. Langius.*

70. *Semine dauci*) Herba hæc contuſa & calide ventri impoſita uteri ſuffoc. tollit. *Leon. Turnheuſerus Herb. cap. 15.*

71. *Paſtinaca domeſtica*) Solum ſemen exſiccatum & pulveriſatum, ad ʒß. cum pauco *vino* vel aqua congrua hyſtericis datum peculiare & ſpecificum eſt ad ſuffocationem. *Quercetanus. Ph. D. p. 458.*

72. *Pulverem Riverio laudatiſſimum*) Pulvis ſequens, *ait*, diuturnas & contumaces affectiones hyſtericas ſanat, ſæpe ſumptus dr. j. pondere cum vino aut pane hoſtiario, vel boli forma cum *ſyr. arthemiſiæ.*

℞. *Rad. gentian. diptamni alb. tormentillæ, pyrethr. rhapont. ariſtol. rot. carlinæ, baccar. laur. angelicæ, imperat. ſem. coriand. præp. ſem. aniſ. gran. jun. p. m. aſtiches, boli Arm. orient. terræ ſigill. ana* ℥iiß. *croci or.* ʒiiß. *f. Pulvis tenuiſſ.* in vaſe bene clauſo ſervandus.

Externe.

73. *Externe*) Externe quæ uſurpantur ſunt 1. *odorifera* naribus & genitalibus admota, eaque nunc ſub forma *ſpirituum*, nunc ſub forma *ſuffitus*, nunc *oleorum*, Pertinent huc *ſternutatoria* in graviori paroxyſmo uſitata; 2. Inter Externa ſunt, quæ umbilico inunguntur aut abdomini applicantur. 3. *clyſmata* appropriata injicienda.

73. *Externe*) Quidam arguunt morbum hunc videri hyſtericum, quia remedia circa abdomen applicata non raro leuamen conferunt. At facile eſt refellere ſtatuendo cauſam morbificam in meſenterio ſæpius quam in utero eſſe conſitam, atque interdum hac ratione tolli aut ab influentia ſua cohiberi: Præterea ejuſmodi circa hypogaſtrium applicationes nihilominus proſunt, licet affectus origo ab ipſo capite derivetur, nam à nobis oſtenſum quod cum materies heterogenea & exploſiva ab ἐγκεφάλῳ deſcendens, ſpiritibus intra totos nervorum interiorum proceſſus diſpoſitis diathesin ſpaſmodicam intulit, motus convulſivi propterea excitati à nervorum extremitatibus incipiunt, & exinde ſurſum verſus illorum initia perreptant, adeo ut imprimis viſcera *imi ventris*, dein *præcordia*, ac ultimo *cerebrum* ipſum afficiantur.

Sin vero ſpiritus *extimi*, ſcilicet in *meſenterii plexibus* degentes, ab exploſionibus ineundis cohibentur; cæteri omnes in reliquo ductu nervoſo, intra ordines ſuos permanent: hoc autem *emplaſtra ſupra umbilicum* geſtata efficiunt non raro; namque odore ſuo ſpiritus ab exilitione reprimunt ac in ordines *cogunt; quin etiam copulam* illis accreſcentem non raro excutiunt abiguntque, quare cum exploſiones illic ineundæ inhibentur, paroxyſmus convulſivus omnino præcavetur, quod adhuc amplius conſtat, in quantum ſi ſpaſmus in imo ventre inceptus, indeque *inſtar globi aſcendens* ſtatim ſupprimitur, ac iſtarum partium conſtrictione valida impeditur, ne ſuperius perreptet, ſæpenumero paſſio convulſiva, *præcordiis & cerebro* intactis abrumpitur, quapropter vulgo in more eſt mulieres laborantes *faſciis*, aut brachiis circa epigaſtrium complicatis arcte conſtringere, adeoque ſymptomatum verſus ſuperiora progreſſum ſiſtere, cum enim ſpiritus animales, velut fomite igniario ſpaſmos ſucceſſive ineunt, ubicunque fomes abſcinditur, aut intercipitur, affectio iſthæc prorſus inhibetur, *Willis.*

73. *Externè*) Si flatuum copia affectum fovere videatur, convenient *Fotus & Semicupia* ex decocto *fol. rutæ artemiſiæ, thymi, & calamenti, ſem. fœnic. aniſi. cumini, baccar. lauri, flor. chamom. aneth. & ſimil.*

Sacculi etiam parari poterunt, quibus includatur *Cuminum, aniſum*, ſemen *dauci, ſal, ruta, furfur*, quæ calida applicentur ac ſæpe iterentur. Vel

℞. *Ol. rutac.* ℥iv. *ſpir. terebinth.* ʒß. *m. Immergatur panis recens è furno extractus & umbilico applicetur.*

Inunctiones quoque ventris inferioris, & totius uteri regionis, pectoris & lumborum, non erunt inutiles, eo quod vias dilatent, vapores attenuent, & diſcutiant. Eæque parabuntur ex *oleo nardino, de ſpica. aneth. ſeſamino, de croco lil. & amygd. dulc.*

Juxta hæc conveniunt *Vnguenta* abdominis, nunc oleoſa, nunc *Emplaſtra*. Inter ea quæ regioni umbilicali inungendi ſunt, eminet *Galbanetum Paracelſi*, vel in defectu hujus.

℞. *Axung. caſtor.* ʒiij. *ol. deſtill. chamom. cumini, carvi*, āā. ℈i. *ſpicæ* ʒß. *m.* illinatur tepide umbilico, imponatur deſuper later tepefactus.

Mihi in uſu eſt *ol. deſtill. ſuccini* mixtum cum dimidio ol. deſtill. *ſpicæ* illinendo regioni umbilicali, & ſcrobiculo cordis, vel quando ſunt acriora, excipiantur cum *oleo caſtor. irino, vel balſamo.*

Conſultum eſt ut his linimentis deſuper imponatur *Empl.* in ſpecie ex *Galbano.*

℞. *Galbani in aceto vel vino ſoluti* & ad pultis conſiſtentiam *inſpiſſati* ℥ij. *Extr. caſtor. croci* āā. ʒiij. *ol. deſtill. ſuccini, ſpicæ* āā. ʒiß. *m. f. Emplaſtr. Etmuller.*

Externè.

Nic. Florentinus narrat ſe plurimis experimentis probaſſe *ovum antiquum* in nido conſervatum, ſi conquaſſetur; & ſupra parvum linteum apponatur utero, miro quodam modo uterum reſtituere. *H. Mercurialis l. 4. de m. m. c. 21.*

A chymicis valde commendatur *Ol. ſtanni*, quod umbilico hyſtericæ immiſſum ſtatim ſuffocationem ſiſtit: Intra vero à gtt. j. ad ij. ad ſummum iij. repetitis vicibus exhibetur. *Sennertus.*

Sunt qui pro certo experimento hoc Linimento umbilicum inungunt.

Allii caput unum per medium conciſum ſuper prunas ponunt, addendo *aloës* epaticæ parum ſuccum colligunt, quo hyſtericæ umbilicum, pulſus, tempora, & nares inungunt, *H Corbeius Gynac. c. 4.*

Sal Jovis calide umbilico inunctum efficax eſt, matrix enim percepto ejus odore confeſtim ad locum redit. Sed *cryſtalli* longe ſunt præſtantiores. *Cl. Deodatus Panth. p. 209.*

Ceratum de Galbano, ſecretum eſt *Montagnanæ, Galbanum* diſſolvimus cum modico *aceto* & in corio extendimus, & umbilico imponimus, quo remedio infinitas curavimus, & à paroxyſmo excitavimus. *Foreſtus.*

Oleum ſtanni umbilico inunctum arcanum eſt *Grembs 3. de remed. Parac. p. 504.*

Auxilium ruſticorum, ſed non contemnendum, Scutella *oleo rutæ* inuncta, in quo *alliorum* ſpiculæ incoctæ fuerint, & umbilico applicata. *P. Michael de Heredia.* Hoc ſæpe cum fructu expertus ſum.

℞. *Anethi, meliſſæ, flor. chamom. lupuli* āā. *m. j. coqu. in forti cereviſia* impone ventri ſub umbilico. *David Herlicius de cur. Gravid.*

Ex radice *coronæ imperialis* Batavæ mulieres auxilium petunt, ſtabilitum felici ſucceſſu, Bulbum ad nares admovent, in ejuſdem prolapſu, admovent, in ejuſdem aſcenſu inferioribus, ſentiuntque ſeſe his prorſus liberari; *Petrus Laurembergius App. Plant.*

℞. Balſami nigri Peruviani, *ol. jaſmini* non rancidi āā. ʒii. *Zibethi opt.* ℈ß. *m.* bomb. exceptum clitoridi admoveatur. *Simon. Pauli Quadr. B. p. 201.*

Lintea intincta in *fimeto* vel *urina bovina*, & calide ſupra umbilicum & matrici admota mox ſedat motum. *I. D. Rulander. Pharm. N. th. 4.*

Externe.

Filum cannabinum, à fuſis deductum, & more conſueto in longum ſimul multipliciter junctum, ſic coquatur in lixivio vel vino, & expreſſum actu calidum admoveatur, plurimum juvare creditur, eoque magis ſi *oleo anethi*, prius fervente imbuatur. *Weickardus Theſ. p. 338.*

In uſu eſt noſtratibus mulierculis in Enterocele, cum flatibus, tumida inteſtina è ſcroto in abdomen regredi renuunt, felici ſucceſſu detumeſcunt enim & *comprimenti* manui cedunt impellenti.

Bardanæ mai. folium ſummo capite geſtatum matricem ſurſum tollit; ſub planta pedis deorſum, Hoc præſtans eſt medicamentum ad uteri ſuffocationem & *M.* præcipitationem *Ant. Zimara Ant. m. med. p. 66.*

73. *Externe*) Vnguentum viride fit ex *ſclarea* (i. e. *hormino*) in *butyro cocta*: Vtor in hyſtericis inungendo ventrem; Addidi interdum *tacamahacam*, & animadverti eſſe efficacius: Vel poſt uſum unguen. adhibui Emplaſtrum umbilico. *Crato lib. 5. Conſerv. & Epiſt.*

74. *Jovis, ſalis*) Vt *Jovialia*, ſive ex ſtanno rite confecta medicamina cuncta, ſic etiam *Sal Jovis*, uterinis peculiariter dicata ſunt morbis, cumprimis vero in ſuffocatione jam laudatum ſal præſtantiſſimum præſentiſſimumque eſt remedium, quam ad miraculum uſque compeſcit: *Chr. Langius.*

75. *In umbilicum immiſſione*) Interius uſurpatum præſertim efficax eſt, in *aqua ſalviæ* propinatum à ℈ß. ad ℈i. His ſolis remediis (*ſale vitrioli, & ſtanni*) ſtrangulatas mulieres cunctas ad priſtinam ſanitatem reduxi. *P. Joh. Faber.*

75. *In Vmbilicum*) Umbilico inunguntur varia, & imponuntur etiam diſtincta: ratione inunctionis inungitur oleum rutaceum, anethinum, laurinum, caſtorei, ſuccini, oleum tartari fœtidum, oleum ligni guajaci, ſpicæ &c. Vnguentum factum ex ſclarea in butyro cocta gumm. tacamachac abdomini illitum: mirè à quibuſdam laudatur; camphora itidem cum oleo amygdalarum dulcium ſoluta umbilico admovenda. Vtiliſſimè galbanum ſolutum corio rotundo inductum inſtar emplaſtri applicatur regioni umbilicali, quod egregiè conducit, addunt alii gumm. tacamachac alii caſtoreum, picem: in medio hujus emplaſtri recondunt aliquot grana Zibethi, ita ut Zibethum exactè umbilico imponatur, & hinc forti ligaturâ emplaſtrum ſupra umbilicum firmetur, v. g. inunctio regionis umbilicalis in tali caſu fit ſic.

℞. *Olei caſtorei* ʒii. *ol. ſuccini deſtillati.* ʒi. *ol. ſpic.* ʒß *camphoræ vel hujus olei gr.* v. vel *gutt.* v. m. inungatur his ipſis regio umbilicalis & ponatur deſuper Emplaſtrum Vel.

℞. *Axungiæ Cuclor.* ʒiii. *oleor. deſtillat. chamomill. cumin. & ſpicæ* āā. ℈i. m. f. *linimentum umbilicale: Emplaſtrum quod commodè deſuper, applicatur ſit tale.*

℞. *Gumm. galban. in aceto ad pultis conſiſtentiam ſoluti* v. g. ℥iii. (non vero pro una vice) *Caſtorei extracti Croci* āā. ʒiii. *oleor. diſtill. ſuccin. ſpicæ* āā, ʒiß. m. *pro* Emplaſtro adſervando in vaſculo clauſo de quo.

℞. *Q. S. inducatur ſuper alutam in formâ rotundâ & agglutinetur abdomini & regioni umbilicali.*

76. *Emplaſtra*) Emplaſtra utiliter ſub umbilico admoveri ſolent, ex maſſa *Empl. ceronei* compoſita, quod emollit & diſcutit, atque ita melius eſt *Empl. pro matrice* vulgari, quod aliquantum adſtringit, & ſic vapores & humores malignos retinere poteſt: Fiunt etiam Emplaſtra ex *galbano & aſa fœtida*, vel ex *gumm. caragna & tacamah.* vel ſolis vel admixtis quibuſdam aromaticis, e. g.

℞. *g. Caragnæ* unc ß. *pulver. nuc. moſch. & caryoph.* ana ʒß. *olei ſuccini gutt.* iv. *terebinth.* ʒii. *f. Empl.*

Hujuſmodi Emplaſtra ad formam ſcuti fieri debent, & in parte acuta, quæ ad vulvam vergere debet, apponenda grana aliquot *moſchi vel Zibetæ*, ut gratum odorem utero inſpirent, ipſumque retrahant, *moſchi* gr. iij. excipiantur cotone, pauco oleo humectato & intrudantur foramini umbilici; deinde admoveatur Empl. parvum ex galbano liquato, Hoc quædam mulieres pro ſecreto utuntur: Vel caphuræ gr. iv. in *oleo amygd. dulc.* & umbilico indantur, admoto deſuper *Empl. diapalma.* Riverius.

Emplaſtrorum.

Virgo Nob. menſium inſtantium tempore ſæpius hyſtericis accidentibus infeſtabatur, inter alia quamplurima præſcriptum hoc *Emplaſtrum.*

℞. *Galbani* unc. i. *ſtirac. liqu.* ʒi. *cum oleo nard. f. Empl. extendatur ſuper alutam, inſpergatur pulv. caryoph. & uteri* regioni applicetur, *Platerus Obſ. pag. 190.*

77. *Tempus extra paroxyſmum*) Indicatio Præſervatoria has tres primas indicationes complectitur, ſcil. i. *ſanguinis impuritates cerebro ac nervoſo generi* ſuffundi aptas, tollere aut alio derivare.

ii. *Cerebrum munire*, *ſpirituſque* incolas ita corroborare, ut illi copulam heterogeneam vel non omnino ſuſcipiant, vel facile excutiant.

iij. Quicquid enorme Vterus habet, ac diſpoſitioni ſpaſmodicæ contribuit, emendare.

Prima Intentio, *Catharſi & Phlebotomia*, aliiſque communioribus ſanguinem & humores depurandi expurgandique viis perficitur: Si *Emetico* locus fuerit, ab eo ſemper ordiendum eſſe duco, præſertim in cacochymicis, atque Pica aut malacia affectis, in quibus ingens phlegmatis viſcoſi ſaburra ventriculi plicis ac tunicis infarcta aliorum medicaminum virtutes inhibet.

Prope diem à *Vomitorio*, niſi aliquid contra indicat, *ſanguis detrahatur*, in fœminis temperamenti calidioris, ſtatim è brachio, & poſtea, ſi opus ſit, ex *pede* aut *hirudinum ſuctu* è venis ſedalibus: In corporibus vero obſtructionibus moleſtatis, & minus calidis, ſanguis mittatur parcius & rarius, ac tantum in locis infra uterum conſitis, Poſt has evacuationes (ſi modo indicantur) rite celebratas, ſemel intra vj. vel vij. dies purgatio inſtituatur.

Ad materiæ morbificæ à capite revulſionem, *Fontanella ſuræ*, aut *femori* inuſta, atque interdum *veſicatoria*, *ligatura* & *frictiones* dolorificæ adhiberi ſolent: Nec tantum *Sanguinis* purgatio, ejuſque recrementorum à capite revulſio, ſed *liquoris ejus alteratio*, inque craſin debitam reductio hic locum habent; quare in quibuſdam hyſtericis *chalybeata* juvant, in aliis *Acidulæ*, aut *ſerum lactis*, in nonnullis *thermarum uſus* inſigniter prodeſſe ſolent.

Secunda intentio, nempe *cerebri & ſpirituum animalium rectificatio*, *medicamentis cephalicis*, ac proprie *antiſpaſmodicis* perficitur, quæ quidem fere ſingulis diebus, quoties à *catharſi* aut *phlebotomia* vacat, ſedulo exhibeantur, E. g.

℞. *Fæculæ bryoniæ, aſæ fœtid. caſtorei*, āā. ʒi. *ſalis corall. ſuccini*

ſuccini, Jovis āā. ℈ß. *galbani ſol. in aqua hyſter. q. ſ. f. maſſa, Doſis* ℈ß. *ad* ℈j *m. & v. ſuperbibendo doſin liquoris appropriati.* Vel

℞. *Semin. paſtinac. ſylv. urticæ* āā. ʒii. *vitrioli martis* ʒj. *extracti gentian. matricar.* āā ʒiß. *cum ſ. q. ſyr. de artemiſia f. maſſa ſumatur ad* ʒi. *eodem modo.*

Si forma *Pulveris* magis arridet.

℞. *Rad. ſerpentar. Virgin. contrayervæ* āā. ʒß. *corall. præpar. margarit. ſuccin. albiſſ.* āā. ʒi. *m. f. Pulvis. Doſis* ℈i. *ad* ʒß. *ex liquore appropriato.*

Opiata ad hunc modum componantur.

℞. *Conſerv. flor. lilior. conv. pæon. mar. beton.* āā ℥ii. *ſem. pæon. corall. r. præpar.* āā. ʒii. *Pulv. dict. cret.* āā ʒiß. *ſalis abſinth.* ʒii. *cum ſ. q. ſyr. cortic. citri f. Elect. Doſis m. & v. quantitas nucis moſch.*

Pauperibus exhibeatur *conſerva fol. arb. vitæ, vel folior. rutæ* bis in die.

Liquores contra affectiones hyſtericas appropriati, & medicamentis prædictis ſuperbibendi ſunt, vel *Aquæ deſtillatæ*, quæ vel per ſe, vel cum aliis in forma *Julapii* dantur, vel *decocta*, vel *tincturæ*, vel *infuſiones*.

℞ *Aqu. artemiſ. pulegii,* āā. ℔ß *hyſtericæ* ℥iv. *tincturæ Caſtor.* ʒß. *ſyr. e corall.* ℥iß. *M. Doſis* ʒj. vel ℥iß. *cum medicamento* quolibet è ſupra dictis.

℞. *Fol. pulegii, matricar. abrot. utr. calamint. nepetæ, marrubii utr.* āā. *m. j. rad. bryon.* ℥iv. *ſemin. paſtin.* ℥ii. *inciſis & contuſis aſſunde vini albi, vel pomacei.* ℔vi. *deſt. ſ. a.*

℞. *Rad. pæon. maris angel. valerian.* āā. ℥ß. *fol. artemiſ. chamæp. calaminth. pulegii, viſci qu.* āā. *m. j. ſem. utr. paſtin. ſylv.* āā. ʒii. *paſſular. m. j. Coqu. in aqu. font.* ℔iv. *ad medias, adde vini albi* ℔iß. f. Colatura, ſervanda in vaſis *occluſis, Doſis* ℥iii., vel iv. bis in die.

℞. *Semin. paſtinac. ſylv. contuſ.* ℥ii. *caſtor.* ℥i. *ponantur in vitro cum vini alb.* ℔ii. *Doſis* ℥ii. *bis in die.*

Quoad *tertiam* Intentionem, quæ *uteri inordinationes* inhibens, paſſionis dictæ Hyſtericæ ſanationem promovet, dico *uteri aſcenſum*, (qui ideo in debitum locum debeat reduci) commentitium eſſe.

Vteri deſcenſum raro aut nunquam hyſtericos parere affectus; *Ejuſdem diſlocationem*, puerperis interdum accidentem, lochiis copioſe fluentibus reduci (*vide artic. 8. tit. 11*) atque dum illic perſiſtit (niſi forſan lochia propterea ſiſtuntur) paſſiones hyſtericas minime produci: Quibus præterea affectibus, uterus à puerperio obnoxius fuerit, & qualiter medendum, alibi oſtendimus (l. de Febr. c.)

Quoad cætera illius partis vitia, quæ fœminis aliis, ſcilicet minime puerperis obtingunt advertimus ea potiſſimum eſſe vel *uteri morbum ex ſolutione continui factum*, qui ſcilicet aut *tumor*, aut *ulcus* eſt, vel excretionis cujuſdam aſſuetæ inhibitionem, nempe aut *ſanguinis menſtrui* aut *humoris ſeminalis* ſuppreſſionem, Propter *menſtrua retenta*, particulæ heterogeneæ non raro in caput ſuffulæ pathemata ſpaſmodica inducunt: Pariter cum *Fluor albus* ſiſtitur, materia excrementitia à ſanguine reſorpta, *cerebro & nervoſo generi* traditur.

Quinimo cum ſeminis evacuatio ſolita inhibetur, humoris nervoſi ſuperfluitates in cerebrum regurgitant, ejuſque ſpiritus incolas tinctura morbifica & exploſiva inficiunt. In his particularibus uteri affectibus medicamenta & adminiſtrationes iatricæ, morbis muliebribus appropriatæ, cum remediis antiſpaſmodicis complicentur. *Willis.*

Extra paroxyſmum curatio in Prophylaxi verſatur, ut acceſſionis reditus impediatur, aut ſaltem retardetur, Quæquidem *cauſarum ablatione, & uteri corroboratione* perficitur. 1. igitur Tempore convenienti, præcipue vere vel autumno, *ſolennis evacuatio* inſtituetur, incipiendo à Potione purgante, vel alio medicamento ægræ naturæ commodo, additis perpetuo quibuſdam hyſtericis.

Deinde ſi *ſanguis* redundare videatur, *mittendus* eſt primum ex brachio, poſtea vero ex pede, eligendo quantum fieri poteſt tempus medium inter duas purgationes menſtruas: Poſtmodum vero ut pravorum humorum illuvies ſufficienter præparetur & expurgetur, Apozema aperiens, alterans & purgans ad aliquot dies exhibendum. In affectu diuturno conveniunt Purgationes frequentes per remedia uſualia.

Si natura ad ſanguinis evacuationem per *hæmorrhoidas* inclinare videatur, aperiendæ ſunt admotis hirudinibus; quas in hoc affectu plurimum profuiſſe teſtatur *Mercatus conſ. 13. & 14.* Poſt univerſalem purgationem, ad materiæ morbificæ reliquias diſcutiendas conveniet *Decoctum ſudorificum*, per plures dies exhibitum, ex *ligno ſaſſafras* aut *guajacino*, cum *ſem. fœnic. rutæ & viticis* paratum.

In eundem uſum maxime convenient *Thermæ ſulphureæ & bituminoſæ*, uti ſunt *Barelucanæ*, quarum uſu multas optime habere quotidie experientia oſtendit.

In iis quæ facile vomunt, utile eſt *vomitum proitare* ſemel aut bis in menſe e. g.

℞. *Agar. troch.* ʒß. *oxymel.* ʒi. *aquæ mel. ſſ. & artemiſiæ* āā ℥ii. *m. f. vomitorium.*

Chymici ſal vitrioli in aqua appropriata exhibent à ʒß. ad ʒj. & hyſtericis affectibus ſpecificum prædicant.

Poſt ſingulas vacuationes *Roborantia* nonnulla exhibenda ſunt; Neque omittenda ſunt illa medicamenta quæ *virtute ſpecifica* hyſtericis affectibus mederi conſueverunt.

Chymici ad hunc affectum *Vitriol. martis* commendant, ejuſq; granum unum vel duo, cum dupla ſacchari portione exhibent per multos dies cum vino aut liquore idoneo: Imo vero ad gr. xii. xv. & xx. exhiberi poteſt cum conſerva idonea, Vel in Pilulas efformari cum mucilagine *gummi tragacant.*

Cremor Tartari frequenter exhibitus huic etiam affectui curando utiliſſimus eſt.

Hæc duo remedia non ſolum *aperiendo*; ſed etiam *refrigerando* conferunt; ſæpe enim calida intemperies in hoc affectu utero infixa eſt, à ſanguine intra illius venas retento, & excalefacto oriunda, Sicuti dicit *Galenus* in melancholia hypochondriaca eſſe phlogoſin in hypochondriis à ſanguine in iis propter obſtructiones retento & ſupercalefacto; ideo ea quæ uterum refrigerare poſſunt, hic maxime convenient, qualia ſunt *Semicupia, Oxycratum* ore aſſumptum & per clyſteres injectum & ſimilia.

Adde his hiſtoriam ab *Harvæo* relatam, Tractatu de *Partu mulieris*, hyſtericis ſymptomatibus nulli remediorum generi cedentibus, diu laborantis, quæ tandem poſt multos annos ab uteri prolapſu ſanitatem recuperavit; quia nimirum uterus aëri externo expoſitus, refrigeratus eſt, ſicque phlogoſis illius & calida intemperies repreſſa.

Chalybis etiam uſus à quibuſdam Practicis maxime commendatur, tanquam omnibus affectibus uterinis opportuniſſimus.

Cauteria cruribus admota maxime etiam conferunt, Ab utero enim pravos humores derivant, ratione venarum quæ utero & cruribus communes ſunt, *Riverius.*

Mulieri hyſtericis affectibus laboranti hæc præſcripſi.

℞. *Spec. hieræ* ʒj. *mechoac. rhei* āā. ʒß. *turbith.* ʒj. *tartari albi Zinzib.* ℈j. *myrrhæ, caſtor.* āā. ℈ß. *ſemin. urtic. dauci* āā. ℈j. *diagr. præp.* ℈j. *cum ſyr. de artemiſ. q. ſ. f. maſſa Pilul. capiat* ʒß. *vel* ℈ij. hebdomadatim.

Vinum hoc in principio menſæ bibat.

℞. *Rad. valerian. mei*, *an.* ʒvi. *imperat. angel. ana* ʒiij. *herb. ſiccar. meliſſæ, majoran. artemiſ. thymi* āā. ℥iß. *abſynt.* ʒij. *roſmar. pæon. lavend. ana.* ʒj. *ſemin. cumini*, ʒj. *pæon.* ʒij. *fœnic.* ʒiij. *baccar. lauri, junip.* āā. *unc.* ß. *infunde in menſ.* xii. *vini* & de eo bibat.

Poſtea ſumpſit de hoc *Pulvere* ad præcautionem aliquoties.

℞. *Semin. cumin.* ʒß. *rad. imperat.* ℥j. *piper.* ℈j. *m. ſumat* ʒj. *pro vice cum vino malvatico*, Sicque reſtituta fuit. *Platerus obſ. p. 189.*

Non omitti debent *Pilulæ de Sagapeno* tum extra paroxyſmum, tum in paroxyſmo. *Ballonius lib. de v. & m. morb.*

78. *Evacuandum*) *Panarolus Pent.* 2. *obſ.* 32. hyſtericam phlebotomia in ipſa lipothymia celebrata convaluiſſe ait.

77. 78. *Evacuandum per Extractum*) Vel juxta formulas ſequentes

℞. *Pilular. fœtid. maj.* ʒiß. *reſinæ jalapæ gr.* xii. *Tartari vitriolat. caſtor.* āā. ℈i. *ammoniac. ſol. in aqua hyſterica q. ſ. f. Pilul.* xii. *pro* iij. *dozibus.* Vel

℞. *Reſinæ Jalapæ gr.* viii. *Calomel.* ʒi. *caſtor.* ℈i. *f. Pulvis dividatur in* iii. *partes pro* iij. *dozibus*; *detur in pulpa pomi cocti vel in conſerva borrag.* Willis.

Vt pravorum humorum illuvies ſufficienter præparetur & expurgetur, componendum eſt Apozema alterans, aperiens & purgans, ad 4. vel 5. dozes exhibendum: In affectu diuturno conveniunt *Purgationes* frequentes per pilulas uſuales, ſyrupos aut potiones, E. g.

℞. *Agar. trochiſc.* ℥ß. *hieræ, diacolocynt.* ʒj. *ſemin. dauci, viticis* āā. ℈i. *myrrhæ, caſtor. diagr.* āā ℈ß. *terebinth. q. ſ. f. maſſa Pilular. de qua capiat* ʒß. *vel* ℈ii. *bis aut ter in menſe.*

Syrupus ſequens à *Mercato* maxime laudatur, tanquam mirabilis, & omnibus hyſtericis mulieribus maxime prodeſt.

℞. *Succi mercurial. & lactis ſemin. carth.* āā. ℥vi. *aqu. ſcorzon.* ℥vii. *ſacchar. q. ſ. ut fiat ſyrupus, cui adde dum coquitur, in ligatura confect. de hyacint. alkermes, & pulv. Elect. de gummis* āā. ʒij. *Doſis* ℥ii. *vel* iij.

℞. *Rad. bryon.* ʒiij. *fol. ſennæ unc.* ß. *agar.* ℈ij. *zz.* ℈j. *cinnamomi* ʒj. *infund. per noctem in aqua fontis, in colat. diſſolve ſyr. roſac.* ℥j. *f. Potio ſumenda bis aut ter in menſe.*

Pilulæ fœtid. ma. bis in menſe ad ʒß. exhibitæ ſunt utiliſſimæ. *Riverius.*

Propinantur *Evacuantia*, qualia in ſanguine vitiato & melancholico dicto uſurpari ſolent, pro ratione corporis conſtitutionis & humorum redundantium, quæ repetenda, ſi non deſinat malum, addendo ſemper quæ menſes ſimul provocant.

Ad *vomitum* confert *agar.* ℥iß. cum *oxymel.* exhibere.

Ad *dejectionem* vero Potio talis eſt utilis ſingulis ſeptimanis repetita.

℞. *Agar. trochiſc. pulv. Tryph. magn. ſine Opio* āā. ℥j. *diſſolvantur vino albo, aqua artemiſ. & matric.*

Terebinth. admodum commendatur, cujus loco hoc Purgans exhibebitur.

℞. *Agar. troch.* ℈ij. *Zinzib.* ℈j. *infunde in vino & exprim. permiſce laricea in mellis* ℥vi. *& vitello ovi diſſol* ℥iij. *bibat. Platerus. in Praxi.*

Virgo Nob. & nubilis frequenter hyſtericis accidentibus infeſtabatur, cum aliquando præcautionis gratia *diacydonites lucidum ſcammoniatum* illi ut extra paroxyſmum eo uteretur dediſſem, illaque cum paroxyſmi incipientis præludia ſentiret, ſponte id purgans aſſumpſit, & mox ſuperveniente dejectione per alvum à paroxyſmo liberata fuit; Sequentibus autem Pilulis aliquoties uſa omnino fuit curata.

℞. *Pilul. de hiera, aggregat* āā. ʒi. *ſem. vitic myrrhæ caſtor* āā. ℈j. *Cum ſyr. de artemiſ. f. maſſula capiat* ℈ii. *pro dozi*, *in* ix. *Pilulas formatas. Platerus obſerv. pagin. 188.*

79. 80. *Extractum Bryoniæ*) Quæ non immerito ab *Helmontio tract. hydr. ignot.* §. 40. in hydrope laudatur, tum quia aperit, tum quia ſerum evacuat; convenit & in aliis ſeri acri vitiis, ſed purgandi ſcopo ſtat poſt principia *Wedelius.*

80. *Bryoniæ*) Quæ in ſedanda mulierum hyſterica paſſione egregiam habet virtutem multis experimentis. Mulier quæ quotidie fere per multos annos hoc affectu laboraverat, à *Matthiolo* curata eſt, ſemel per hebdomadam, ſub lecti ingreſſum vinum album in quo r dicis ipſius uncia efferbuerat, hauriens, ex illa paſſione convaluit: Ne tamen amplius affligeretur, per integrum annum hoc medicamento uſa eſt, nec morbus iterum recidivavit.

81. *Vitriolum purgans Sala*) *Sal vitrioli* quod vomitum excitet, & menſtrua provocet, ſummum eſt in ſuffocatione remedium. *P. Joh. Faber.*

Quid *Sal vitrioli* in hoc affectu præſtare poſſit, ex alibi dictis conſtat; Sane ut Emeticum quodcunque nobiliſſimum, ſive ſit *Sal vitrioli*, ad cryſtallinam albedinem ac puritatem reductum, ſive *Mercurius vitæ* rite paratus, in curanda apoplexia, & quovis attonito malo eſt ſingulare ſecretum, ita eodem quoque modo ſe res habet in hyſterica paſſione, quam ſubitaneo auxilio tollit, unde cordato Medico utique competere, imo commendatu dignum in eo exiſtimamus, ſi is ipſe una vel altera dozi excellentis hujus remedii, ubicunque etiam inſtructus exiſtat, quo nempe tragico huic caſui, qui inter convivia ſæpe contingit, in continenti, & cum applauſu præſentium occurrere queat. *Chr. Langius.*

81. *Per vitriolum purgans*) Mulieri ſuffocatione uteri vexatæ ita ut apoplectica videretur, dedi *Potionem ſalis mei, vitrioli cum aqua Salviæ* qua Potione multa evomuit, & ejecit, & tandem loquuta eſt, & perfecte liberata fuit intra horam. *P. Joh. Faber cur. 39.*

82. *Et externa*) Nec negligenda amuleta de collo ſuſpenſa, ſupra regionem umbilici, ſic valet *Vngula alces*: Alii laudant *radicem pencedani*, Et noſtrates mulieres non infeliciter geſtare ſolent fruſtulum *aſæ fœt.* linteo raro incluſum, Alias vidimus quæ *vulpis veretrum exſiccatum cum teſticulis*, de collo ſuſpenſum ſupra umbilicum gerebant, & ſeſe hoc modo ab inſultibus hyſtericis præſervabant. Aliæ geſtant fruſtulum *carnis lupinæ* exſiccatæ, vel *hepatis lupi* non ſine fructu. *Riverius.*

83. *Malignitati reſiſtentia*) Non omittenda ſunt illa medicamenta quæ vi ſpecifica hyſtericis affectibus mederi conſueverunt, Quæ quia majori parte odore ac ſapore ingrata ſunt, in forma Pilularum frequentius exhibentur, e. g.

℞. *Aſæ fœtid.* ℈ß. *caſtor. myrrhæ, galbani*, *ſagapen.* āā. ℈j. *cum melle mercur. f. maſſa. de qua capiat* ℈ß. *vel* ℈j. *frequenter.*

Platerus etiam ex vehementer odoratis Pilulas pareat

℞. *moſchi gr.* vi. *benjoin.* ʒß. *ſacch.* ʒj. *cum aqu. cinnam. f. Pilulæ* ℈ß.

Aquæ Hyſtericæ deſcriptæ §. *Diſcuſſionis & quidem interne*) in paroxyſmo exhibendæ, extra paroxyſmum etiam utiliter uſurpari poterunt, ſumendo cochl. j. vel ii. per intervalla.

Hepar Lupi exſiccatum, & ʒi. pondere exhibitum, Epilepſiam hyſtericam præcavere poteſt, ſi ter aut quater exhibeatur poſt uſualem purgationem. *Riverius.*

84. *Roborandus*

84. *Roborandus*) Poſt ſingulas evacuationes Roborantia nonnulla exhibenda ſunt, E. g.

℞. *Conſerv. anthos. beton. meliſſæ* āā. ℥iß. *Pulv. e-lect. diamoſch. & diacalam.* āā. ʒß. *cum ſyr. de art. f. Opiata. Theriaca* ſola huic uſui eſt aptiſſima, quæ in calidioribus naturis temperari poterit admixtis *conſervis nymphææ. capill. ven. & ſimilibus.* Sed longe efficacior eſt Pulvis ſequens, qui diuturnas & contumaces affectiones hyſtericas ſanat, ſi frequenter ſumatur ʒi. pondere cum vino, aut pane hoſtiario, vel in boli formam redactus cum ſyrupo artemiſiæ.

℞. *Rad. gentian. dictamni alb. torment. pyrethri, rhapont. biſtortæ, ariſtol. rot. carlinæ, baccar. lauri, angel. imperat. ſem. coriand. pr. aniſi gr. junip. maſtich. boli armen. orient. terræ ſigillat.* āā. ʒiii. *croci orient.* ʒiiß. *fiat Pulvis tenuiſſ. in vaſe bene clauſo reſervandus.*

Exterius ad eundem roborandum, & materiæ morbificæ reliquias poſt Fotum vel Inſeſſum, Empl. ſub umbilico admoveri poterit.

℞. *Gummi tacamah. caragn.* āā. ʒii. *alipta moſch.* ℥ß. *ſem. agni. c.* ʒiiß. *ſantal. omn.* āā. ʒß. *terebint. ladani, ceræ* āā. *q. ſ. f. Empl.* Riverius.

℞. *Aqu. vitæ ex optimo vino ſemel deſtill.* ℔ii. *infunde cinnam. caryophyll. pulv. aniſi ſem. fœnic. calam. aromat.* āā. ʒß. *perſiſtant in infuſione per 3. dies.* colat. *adde ſacch. opt. q. ſ. f. ſyrupus da* ℥i. *in aurora*, per aliquot dies, Mirifice confert paſſionibus hyſtericis. *Rod. à Fonſeca T. 2. conſ. 92.*

85. 86. 87. *Laudatur Fecula Bryoniæ*) *Matthiolus Bryoniæ* radicem valde prædicat, *Bryoniæ tractus mulieres vulvæ ſtrangulationi obnoxias mirum in modum juvat, adeo ut eas a ſtrangulatu liberet & ſanet, Equidem novi mulierem quotidie fere per annos hoc morbo vexatam, quæ tandem a quodam vulgari herbario edocta, ut vinum album biberet, in quo vitis albæ radicis* ℥i. *efferbuiſſet, dormitum itura, ſemel in hebdomada, cum hac medicina per annum uſa fuiſſet optime ex illo morbo convaluit.*

86. *Fecula*) *Feculas, Gerſas, ſeu Ceruſſas*, nihil aliud ſunt quam pulveres ſubtiles farinacei, ſucco ſuo nativo orbati, conſequenter etiam omnis virtutis & efficaciæ expertes, quibus ego proinde radicum ipſarum exſiccatarum, ceu ſucco ſuo nativo (inſpiſſato quidem vel concreto) adhuc gaudentium pulverem longe præferendum eſſe exiſtimo. *Zvvelferus in Mantiſſ. Hermet.*

88. *Caſtoreum*) *Zvvelferus in Pharmacop.* Caſtorium externe adhibitum, & odore tenus hyſtericis magis prodeſſe ſtatuit quam aſſumptum, ubi magis fit nocumento, Et ſicut odore tenus uterum deprimit, ita intro datum vi loco movendi præditum eſſe: At experientia teſte, in ſuffocatione hyſterica, ſeu potius hypochondriaca, caſtorei uſu interno & externo nihil præſtantius, & medicamentis inde paratis. *Frid. Hofmannus clav. Schræder. p. 654.*

89. *Diæta*) Pro *Potu* ordinario bibat ægra leve *decoctum cinnamomi, vel carvi*, vel *aniſi*, De *vino* eſt controverſia, an in paroxyſmo hyſterico ſit exhibendum? *Hippocr. 1. de Nat. M.* commendare videtur, illiuſque ſententiæ ratio maxime favet, Nam ſumma corporis refrigeratio & virium languor non poteſt melius ſublevari, quam exhibito vino generoſo, *Avicenna* tamen omnino prohibet; Et certe quia hic affectus utplurimum dependet à retento ſemine, vel ſanguine & vaporibus tetris qui ab utero elevantur, vinum tenuitate ſua, & ſumma penetrandi vi materiam morbificam magis exagitat; Vnde communi experientia videmus mulieres hyſtericas ex uſu vini in ipſo paroxyſmo male ſe habere: Vt hæc difficultas dirimatur, dicendum Vinum ordinarie non eſſe exhibendum tempore paroxyſmi, ſed tantum extraordinarie, quando ſcil. ratione virium maxime collapſarum, complicatæ ſyncopes, vel inſtantis mortis, cogimur ad præſentaneum illud auxilium recurrere jam omnibus aliis fruſtra tentatis. *Riverius.*

Quia *Vinum* paroxyſmum movet, uti aliquando facit, *Aquam coctam cum ſemine aniſi*, vel *Aquam mulſam* bibant. *Platerus.*

90. *Et Dulcia*) Dulcia hyſtericis exoſa; Non tamen hæc ſunt contraria ſibi, Dulcibus uterum demulceri, & eadem utero minus convenire, modo diverſitas ſubjectorum conſideretur. Quandocunque nempe fermentativa vis ſanguini inducenda, eadem locum habent, ſaltem ſecundariò, ut in menſium ſuppreſſione corrigenda: Quandocunque vero fermentum peregrinum uterum inquinat, vel nervoſum genus affectum, vel vaporoſa miaſmata illum divexant, dulcia, ſi quæ alia, ſumme nocent: Priori ſtatu quoque modo ut bellaria quaſi quædam locum habent, modo roſcida ſua & nutritiva vi confortant, quo ſenſu veriſſimum eſt Dulcibus demulceri uterum gravidum: Poſteriori vero nil quicquam hyſtericis æque adverſum eſt ac dulcium uſus. *Wedelius Am. m. m. p. 200.*

Dulcia ordinario paroxyſmum ſolent revocare, ut *ſaccharata, ſyrupi, mellita* & ſimilia: Non ergo præſcribantur dulcia ſic vetula quædam comedens ſaltem *paſſulas* incurrit paſſionem hyſtericam. *Etmuller.*

Præſervationem.

Si quis alternis diebus ante cœnam aſſumpſerit ℈ij. Pilul. de *Artemiſ.* adeo præſervabitur ab omni ſuffocatione, ut nullum ſit inventum efficacius præſidium.

℞. *Siler. rub. tinct. puleg. calami arom. medull. gran. paeon.* āā. ʒvi. *moſci el.* ℈iij. *ſpicæ n.* ʒi. F. *Pilul. cum ſucco artem. Doſis* ℈ii. *ad* ℈iij.

Abſtinendo tamen calidis temporibus & in affectu à bilioſis humoribus: Juvat maxime in omni inveterata ſuffocatione à menſtruis retentis & ſeminis vitio.

Aſſumptis Pilulis, dandum Apozema ex *decocto artemiſ.* & *menth. & vino odorato, Joh. Arenianus Pr. p. 179.*

Sal Jovis pretioſiſſimum remedium uteri umbilico inunctum, Interne dantur etiam gr. iij. cum aqua hyſterica 3. vel 4. diebus mane. *Crollius Baſil. p. 209.*

91. *Ad præſervationem*) Aſſiduus uſus, *caſtorei ad* ʒi. ſingulo die exhibiti cum *decocto artemiſiæ, matricariæ*, aut etiam *vino* plurimum conducit, ut longo illius uſu non paucæ mulieres à tanto ſymptomate in poſterum præſervatæ fuerint. *Albert. Bottonus cap. 46. lib. de m. m.*

Differentiæ.

92. *Differentiæ* à Cauſis ſumitur.

Alia eſt 93. à *Semine*, partium vel humorum admiſtorum vitio 94. corrupto, & 95. talem vaporem emittente.

Quæ 96. ex eo *cognoſcitur*, quod menſes ſe rectè in ægra habeant. Symptomata omnia ſint vehementiora, paroxyſmo declinante, humor ſemini ſimilis è locis effluat.

Curatur univerſalibus præmiſſis, 97. ſeminis per clyſteres & 98. peſſos uterinos evacuatione.

Ejuſdem per medicamenta ſemen minuentia, vel victum tenuem prohibitione.

Alia à [99] *ſanguine* [100] *menſtruo ſubſiſtente*, & ideo corrupto: [101] quæ ex eo.

Cognoſcitur, quod menſtruus ſanguis cum vitioſis humoribus, melancholico inprimis, conjungatur, ſymptomata ſint mitiora, ſigna ſuppreſſionis adſint.

[102] *Curatio* ad menſium ſuppreſſionem obvertenda eſt.

Alia *ab* [103] *Humoribus vitioſis*, qui malignitatem contraxere, de quibus conſule caput de Intemperie uteri.

92. *Differentia à cauſis*) Fit Suffocatio, vel quia Vterus ipſe comprimit diaphragma, vel aſperam arteriam, vel quia aliquid eo mittit: Vterum autem comprimere diaphragma, vel arteriam aſperam, fictitium potius eſt quam verum: Ratio eſt, quia nulla cauſſa eſt quæ uterum poteſt adeo attollere & elevare: quod autem à mulieribus putatur, eſſe poteſt vel omentum, vel inteſtina quæ ita attolluntur: Vapores autem vel humores tenues ab utero mittuntur: Si vero tenues humores vel vapores mittat ad diaphragma, oritur difficultas reſpirandi: Si contra ventriculum mittat, oritur nauſea; Si tenuem humorem circulatione ad cor mittat, palpitatio ſequitur: Si ad fauces, brevis tumor, qui facile item abit, Si ad caput motum convulſivum, epilepſiam, vel ſoporem: Materia vaporis eſt ſemen vel ſanguis menſtruus. A ſemine fieri patet ex iis quæ (quando maritus abeſt) cum colligunt ſemen, facile hoc morbo corripiuntur, quæ antea nunquam laborarunt ſuffocatione uteri: Ex menſtruis fieri patet in iis, in quibus menſes fuerint obſtructi, quando item fluunt in hunc affectum incidunt, vel quando ſe movent: An ex alio fiat humore incertum eſt. Semen hoc & ſanguis non eſt naturalis, ſed corruptus, non valde, ſed tantum parum neceſſe eſt; corruptio hæc eſt major attenuatio; Locus ubi corrumpitur, eſt vel uterus, teſtes, vel tubæ uteri, ut ex diſſectis apparet; Materia quæ expurgatur, eſt vel ob copiam, vel ob apertionem venarum, ut ex dulcibus & ſuaveolentibus, quæ ab utero percipiuntur, vel motu, vel tactu, non vero occulta qualitate; vel etiam ob nimiam agitationem, ut in ira ubi agitatur, totum corpus. *Walæus m. Pr. p. 205.*

93. *A ſemine*) Frequentior cauſa eſt ſeminis corruptio ut in viduis & libidinoſis mulieribus, ſi viri amplexibus fraudentur: Ad confirmationem *Galenus* recenſet hiſtoriam viduæ cujuſdam hyſtericæ, quæ immiſſis peſſariis, & partium muliebrium tractatione blanda, cum voluptate, veluti in coitu, excrevit craſſum plurimumque ſemen, ſic moleſtia liberata fuit.

Afferri tamen poteſt in contrarium exemplum multarum Religioſarum, & aliarum quæ ſine coitu abſque ſuffocatione hyſterica vivunt incolumes, ſcribitque *Hippocrates* veneris uſum ad ſalubriter vivendum non eſſe neceſſarium, quæ etiam fuit *Epicuri & Democriti* ſententia, Reſpondeo neceſſariam tantummodo Venerem iis quæ plurimum ſemen generant, minus vero iis quæ illius materiam in nutritionem convertunt, aut in laboribus vitam degunt, ſtudiis incumbunt, vinum bibunt dilutiſſimum, tenuiter vivunt, jejuniis & vigiliis ſeſe macerant, ut ſunt religioſæ mulieres, ſic parum ſeminis gignunt nec ex eo noxam ſentiunt, Quædam tamen mulieres aliæ aliis, ſunt libidinoſiores, quæ coitu carere commode non poſſunt. *Primiroſius.*

93. *Semine*) Remoram non levem injiciet *Liquor* ille *ſeminalis*, quem plurimi adhuc cum *Ariſtotele* negant, ſed removet hanc *Hippocrates* qui *lib. de Genit. ſ. 6. tr. 1. ſequ.* Fœminis quoque ſemen ineſſe docet; imo vero hoc γόνιμον quoque exiſtere inter alios *Deuſingius* in *Gen. microc. p. 11.* & ſequ. prolixe demonſtrat; Cumque hoc mali genus virgines, maxime nubiles, viduas juniores, caſtas tamen & pudicas, quin & maritatas, ſi præſertim ſteriles fuerint, corripiat; eædemq; ægrotantes tempeſtiva *ſeminis*, æque ac *menſium*, excretione ab eo iterum ſanentur, quis hujus aſſerti veritatem hinc plurimùm confirmari inficiaretur?

Plane autem id atteſtantur & evincunt *Teſtes*, *Arteriæ & venæ ſpermaticæ*, & *vaſa deferentia*, quæ paribus cum fœminis fruſtra datæ non ſint, proculdubio ſeminis elaborationi inſervient; *Strauſſius.*

93. *A Semine*) Annis 1656, 1658, & 1663. tria ſecui cadavera muliebria, in quibus unus teſtis excedebat magnitudinem pilæ palmariæ, humoremque viſcidum continebat, altero teſte ſe bene habente; In variis aliis, quæ in vita ſuffocationibus uterinis frequenter laboraverant, plerumque inveni aliquem quidem, ſed tamen prædicto longe minorem magnitudinis exceſſum, in eorumque modo uno, modo utroque. liquorem quendam æruginoſum, vel croceum aut flaveſcentem, ſeminis in eo corrupti indicem *Bauhinus lib. 1. Anat.* c. 35. ſcribit interdum teſtes pugno majores repertos fuiſſe. De *Diemerbroeck. Anat. lib. 1. cap. 23.*

93. *A ſemine*) *Vbi* putreſcat vel corrumpatur, dubium, Vult *Rondeletius* ſemen putreſcere in ipſo utero, non in vaſis ſpermaticis, quia illic conſervatur vel abſumitur ad vaſorum nutritionem; vel quando eſt in majori quantitate rejicitur in uterum per nocturnas pollutiones, Neque valet eorum ratio qui dicunt ſanguinem putreſcere in venis, ergo & ſemen in vaſis ſpermaticis; non enim ſimilia ſunt, ſanguis enim putret quia minus coctus eſt, & plus habet humiditatis excrementitiæ & recrementorum, Semen autem perfecte coctum eſt, ab excrementis repurgatum, ſpiritibus turgens, benignum quantitate & qualitate, cum autem non permiſceatur ſemini virili, & à vulva non alteretur, ad conceptum, putreſcit, tum etiam ob alia recrementa in utero collecta, Ergo quibus ſemen defluxit in uteri cavitatem, & in ea continetur, ut viduis quæ defectu coitus os internum uteri clauſum habent, frequenter fit ſuffocatio: Hinc viduæ difficulter curantur à Suffocatione, & iis recurrit frequenter niſi peſſo aut alia ratione rejiciatur ſemen putrefactum.

Hæc eſt *Rondeletii* opinio, quæ falſa eſt, quatenus negat in vaſis ſpermaticis poſſe ſemen putreſcere, quia viris ex ſemine retento in vaſis ſpermaticis videmus ſequi melancholiam, cibi faſtidia, nauſea, lipothymias, capitis gravitates, corporis pigritiam, & alia ſymptomata, Viris tamen coctum magis ſemen eſt & elaboratum, quam mulieribus. Præterea ſi ſemen cavitate ſola uteri contineretur, per illius os efflueret, Sed tamen hæc ratio non eſt admodum valida, negandum enim non eſt & in utero & in vaſis ſpermaticis poſſe putreſcere, ut plurimum autem in *Tuba uterina*, quæ fiſtuloſa eſt, quam *Riolanus* putat eſſe globum illum quem fœminæ uterum aſcendentem vocant, Aut etiam in *Teſtibus*, quos croceo & virulento humore plenos vidit. *Veſalius. Primiroſius.*

93. *Si à ſemine retento*, vel corrupto fiat hic affectus aderunt, vel præceſſerunt omnes cauſæ quæ illud augere, coacervare & corrumpere in vaſis potuerunt, ut florens ætas Veneri matura, aut illi prius aſſueta, quam poſtmodum intermiſerit; temperamentum ſanguineum, vita otioſa

otioſa & voluptatibus dedita, Victus lautus & opiparus, tum uſus ciborum facile corruptibilium; In his ſi contingat hyſterica paſſio, menſtruis commode fluentibus, conjiciendum erit à retento ſemine dependere. *Riverius.*

94. *Corrupto*) Diſtinguendum eſt ſemen *retentum à corrupto*, nam ex *illo* leviora ſequuntur ſymptomata, quæ ſanitatis limites non excedunt, Ex *hoc* vero longe graviora. *Primiroſius.*

94. 95. *Corrupto, & talem vaporem*) Res præſtantiores haud ſolum celeriore, verum deteriore quoque putredine dilabuntur, ac tanto magis infeſtæ ac hoſtiles fiunt quanto magis utiles affineſque fuerant, ſicuti capitale ac Vatinianum inter conſanguineos odium: Lapides ac metalla, non modo propter ſiccitatem atq; denſitatem, ſed etiam, quia ſimpliciora ſunt, nec tot pugnantibus elementis conflata, diutiſſime imputria ſervantur, ac dum computreſcunt, minime fœda eſt eorum corruptio; At mixta ex plurium contrariorum συγκείσει perfectius elaborata, ut lac, ſanguis, ſemen, citius putrent, non modo ratione humiditatis qua mixtio prompte diſſuitur; ſed potiſſimum quia plurimis particulis heterogeneis conſtanti calore veluti ferrumine colligatis, quæ vi ſimul irretitæ, amore libertatis ſeſe extricare aſſidue conantur; Nec tantum facilior, ſed ſordidior præterea ac putidior eſt eorundem corporum ruina, ubi tam diverſæ, quibus componuntur, reſciſſo communi, quo tenebantur, vinculo, ſcilicet calore, velut ſolutis compedibus diſſolvuntur, & quæ prius ſeſe invicem contemperabant, per διάκρισιν ſui juris factæ intenſas recuperant qualitates.

Cum igitur major mixtio, majoris putredinis occaſio ſit, ſemen, ut eſt perfectiſſimæ naturæ, ita putrefactum, ac ἐξιςάμενον, veneni qualitatem induit, mephitimque peſtiferam ad Cor, cerebrum & cæteras partes exhalat, unde interitus, perinde ac epoto malefico pharmaco, inopinatus diriſque & inſolitis ſymptomatis ſtipatus conſequitur, atque unde vita, hinc etiam ſumma excitatur pernicies. *Memotius.*

95. *Et talem vaporem emittente*) Scribit *Rondeletius* ex putrido ſemine vapores elevari qui poſtea diſtendunt Vterum: Quaſi vero uteri, aut vaſorum ſpermaticorum diſtenſio id præſtet quod uterus fœtu diſtentus præſtare nequit. *Primiroſius.*

Malignus) Vide ſupra §. *Peculiari modo corrupta.*

96. *Ex eo cognoſcitur quod*) A ſemine fieri veriſimile eſt ſi menſes rite fluant, ſymptomata ſint vehementiora, adſint cauſæ quæ ſemen coacervare aut corrumpere poſſunt &c. Præcedere quoque ſolet uterinus furor, quo ſedato ſuccedere ſolet hyſtericus iſte affectus, & valde juvatur blanda contrectatione partium genitalium ex quibus humor quidam craſſior cum voluptate effluit: qualis hiſtoria eſt apud *Galenum 1. de ſemine & 6. de locis aff. Primiroſius.*

97. *Seminis per clyſteres &c.*) Tunc coitu nihil conducibilius eſt cum mulier fuerit excitata, ſi viro conjuncta ſit: In coitus penuria multi conſulunt pudendorum confricationem, atque titillationem ab obſtetrice factam, immiſſis digitis in uteri cervicem oleis aromaticis perunctis; Verum cum id ſine ſcelere perfici nequeat à Medico Chriſtiano nunquam eſt præſcribendum. *Riverius.*

98. *Peſſos uterinos*) Quia uterus non raro pravis & excrementitiis humoribus refertus eſt, unde tetri vapores elevantur, illius expurgationi incumbendum eſt, quod fiet Peſſario ſequenti.

℞. *Diaphoen.* ℥i. *pulv. hieræ picræ* ʒß. *tereb.* ʒiii. *Excipiantur ſtupis, & fiat Peſſarium:* Riverius.

98. *Peſſos uterinos*) Paſſionis hyſtericæ per Peſſum virilem curatæ adducit exemplum. *Johann. Schmidius M. S. vol. 2. pagin. 47.* Virgo in flore ætatis, tenerrimæ conſtitutionis ſymptomata ſentire uterina cœpit, quæ remediis adhibitis præſtantiſſimis nihilominus incrementa ſumebant; Nunc dolebat caput, nunc abdominis ſentiebat diſtenſionem, & dolorem ſummum, nunc immobile & rigidum totum reddebatur corpus catalepſin patiens, mox univerſalem, mox partium certarum, convulſiones patiebatur & concuſſiones interdum corporis totius, nonnunquam partium tantum aliquot, aſpectu horrendas, patiebat membra nunc huc nunc illuc; redibat cum cachinnis; cantabat, nec ulla in re hallucinabatur, aſpiciebat apertis oculis adſtantes, ſed diſtinguere nequibat, &c. Pulſus non raro penitus nullus, per ſatis longum temporis ſpatium, febricitabat interdum, interdum caloris omnis expers. Finito paroxyſmo anteactorum nequaquam recordabatur; Extrema inſtare cognati opinabantur, quos ſemper ſpe ct gebam, Varia adhibita remedia, uterina, antyhipochondriaca, extra paroxyſmum, nam in eo nulla admittebat medicamenta, niſi externa, quamvis nec ea tuto ſatis adhibita fuerint, *galbanum* enim, *caſtoreum*, ſuffitus ex graveolentibus, caput replebant, & ſymptomata ferociora redolebant, In paroxyſmo Opiatis ſymptomatum ferociam compeſcere tentabam, ſed peſſimo ſucceſſu, nam deliria reddebantur ferociora, & loco ſomni vehementiſſimæ concitabantur inquietudines: Vnica ſymptomata ſedandi ſpes in Venæ ſectione poſita, quæ bis, & urgente neceſſitate, non raro ter de die ad ℥vij. vel viij. adhibita, inſigne levamen afferebat, ita ut cum aphona interdum in paroxyſmo jaceret, in ſumma corporis inquietudine digito venam incidendam monſtraret. Tergiverſar. non ſemel in tam tenui corpuſculo toties ſanguinem mittere, quem mihi tamen timorem poſt paroxyſmum ſemper exprobrabat. Toto morbi decurſu *ſecta ipſi vena fuit centies ſeptuageſies ſexies*, ſingulis vicibus ad minimum ℥vii. ſanguinis extractis. Tandem omnibus ex arte remediis præſcriptis parum proficientibus, conjugium ſuaſi, quod poſtquam cum juvene contraxiſſet, libera ab omnibus, quos huc uſque divexata fuerat miſere malis, ad hunc uſque diem ſana vivit & incolumis. *Johann. Schmidius M. S. vol. 2. pagina 48.*

99. *Alia à ſanguine menſtruo ſubſiſtente*) Quomodo ab ea cauſa excitentur Hyſterici affectus vide ſupra §. de *mulierum.*

99. *A ſanguine*) Hunc affectum à ſanguine menſtruo, non quidem circa uterum ſubſiſtente, hincque corrupto, ac vapores malignos emittente, ſed ab ipſo in Pulmones irruente deducit *Nat. Highmorus*: Hic in *paroxyſmo*, vulgò dicto *hyſterico*, ſupponit ſanguinem, utpote tenuiorem & flatulentum, cum efferveſcentia quadam in vaſa pneumonica & cordis nimis confertim irruere, & in iis impetuoſe ebullire, adeoque pulmones infarcire, & plurimum aggravare, ut nec illi motum meant, neque ſanguis è cordis ſinubus remeare poſſit, hinc à ſanguine in præcordiis ſtagnante magna oppreſſio, *reſpiratio difficilis*, & ſæpe *nulla* cum ſpirituum vitalium deliquio inferri ſolent, dein ſeptum tranſverſum, ut pulmonibus magis magiſque diſtentis locum cedat, & reſpirationem aliquo ſaltem modo perficiat, cum diaſtole immani, & diutius continuata deorſum fertur, adeoque inteſtina deprimendo, abdomen & hypochondria attollat, & globum velut globi aſcendentis ſimuler, Poſtea vero functione vitali ad hunc modum laborante, facultas animalis in ſuppetias ejus inſurgit, quapropter urgente motuum in diverſis partibus neceſſitate, ſpiritus animales in principia nervorum impetuoſe propulſi, convulſiones diverſimodas, hinc inde vagas edunt: Hanc opinionem à magno juvamine in hoc affectu per ſanguinis miſſionem, nec non ab inſigni læſione propter excretionis cujuſque ſanguineæ retentio-

nem, tum à juvantibus, tum nocentibus, in hac paſſione Author confirmare ſatagit.

Verum ut huic doctrinæ per omnia conſentiam rationes quædam magni momenti plane evincunt. Equidem fateor me non intelligere, quomodo in quibuſdam hyſtericis, quæ ſcil. temperamenti frigidioris ſunt, ſæpe etiam pica & malacia afficiuntur, ſanguis ita in Pulmones immodice ebulliat, ſine quibuſvis effervescentiæ ſuæ notis alibi conſpicuis: Novi puellas ob χλώρωσιν exangues quaſi, quarum nempe cruor, utpote effœtus, à quovis exercitio in corde ſtagnaret, & exinde difficulter admodum in pulmones exantlaretur, quæ tamen *paſſionibus* dictis *hyſtericis* erant graviter obnoxiæ: certè haud probabile eſt quod harum ſanguis immodice effervescens in vaſa pneumonica irruat impetuoſe, eorumque poros & meatus confertiſſime infarciat, cum interea tales anhelosæ fiunt propter ſanguinis à pulmonibus abſentiam, aut admiſſionem difficilem.

Præterea, quo pacto evenit, ut violentus iſte ſanguinis in pulmones incurſus, qui circa paroxyſmum fieri ſupponitur, haud inflammationem in iis pariat? quippe ſanguis parti cuipiam rapide & nimis confertim impactus, facile extravaſatur, & φλόγωσιν ægre excutiendam excitare ſolet.

Vnde igitur in affectu hyſterico cruor pulmones violenter ſubiens & diſtendens Peripneumoniam minime inferat? aut quare non peripneumoniæ, alias inductæ, affectus quaſi hyſterici ſuperveniunt? Quamobrem improbabile videtur quod ſanguis proprio orgaſmo turgeſcens, in Pulmones irruat, eoſque infarctione nimia immobiles reddens, diaphragmatis, aliarumque partium convulſiones ſecundario & conſequenter inducat: quin potius videtur quod ob diaphragma, aliaque reſpirationis organa ſpaſmo affecta ſanguis in præcordiis ſtagnare cogatur: Inſuper obſervare licet quod Pulmones haud ſemper ante alias partes afficiuntur; ſæpe enim ſymptomata ſpaſmodica alibi incipiunt, & non raro pectoris regionem omnino intactam dimittunt; quippe in aliquibus vertigo & oculorum coruſcationes paroxyſmum inchoant, quibus fletus, aut riſus, aut artuum motus convulſivi ſine thoracis anguſtia, aut cordis oppreſſione ſuccedunt; In aliis antequam reſpiratio quovis modo laborat, infimi ventris intumeſcentia cum vomitu aut rugitu paroxyſmum ordiuntur, & non raro finiunt; utcunque reſpirationis difficultas ſymptomata iſta ſæpe longo intervallo ſequitur, eamque faſciatum in hypochondriis arcta conſtrictio præcavere ſolet.

Porro videtur quod iſte velut *globi cujuſdam ab hypogaſtrio aſcenſus*, à ſepti depreſſione neutiquam procedat, quia ſcilicet in paroxyſmo hyſterico hæc pars haud ſemper verſus inferiora deprimitur, at ſæpenumero ad ſuperiora contracta pulmones ſurſum propellit, adeoque ſpiritu fere præcluſo, ſuffocationis periculum minatur: His aliiſque rationibus perſuaſi in ea ſententia ſumus quod Affectio dicta hyſterica, primo ac præcipue ſit convulſiva. *Willis.*

99.100. *Sanguine menſtruo ſubſiſtente & ideo corrupto*) Menſtrui ſuppreſſi corruptio, venenata, qualis à ſanguinis grumo etiam contingere poteſt, uterum primum refrigerat, dein totum corporis habitum; Hinc nullus in reſpiratione labor, quia ſola tranſpiratio mulieri ſufficit, ſicut glirium urſorum, ſerpentum exempla declarant, qui per aliquot menſes ſine ſenſibili reſpiratione & alimento in latebris ſuis deliteſcunt.

Dicunt quidam ſanguinem menſtruum retentum vaſa replere, uterumque retrahere, quod falſum, quia ſubito occupat affectio & ſtatim etiam ceſſat, remediiſque miteſcit, quod non fieret ſi talis adeſſet convulſio, ſed per diem, aut forſan etiam diutius duraret.

Potius igitur ſanguis menſtruus corrumpitur, & venenatam acquirit qualitatem, Sicut etiam in prægnante epilepſia ab utero ſuſcitatur, corrupto humore tetrum vaporem in cerebrum exſpirante, morbuſque cum partu finiri ſolet: Idem de hyſtericis ſymptomatis ſentiendum.

Verum tamen raro, ſecundum *Galenum* ab hac cauſa contingit, nam etſi ſuppreſſa menſtrua varia pariant ſymptomata, raro tamen ſuffocationem. Multæ etiam ſunt mulieres menſtruales quæ ſunt hyſtericæ; Multis quoque tum virginibus tum gravidis ſupprimuntur, quæ tamen hoc affectu non tentantur: Adde ſanguinis putredo minus maligna eſt quam ſeminis & minora adfert ſymptomata. *Primiroſius.*

101. *Quæ ex eo cognoſcitur*) Illius ſuppreſſio aut imminutio aderit, atque inſufficiens expurgatio, muliere interim ſufficienter coitu utente: Et ſuppreſſionem illam quædam ſymptomata ſequentur, ut melancholia, iracundia, torpor, ſomnolentia, capitis dolor, mammarum inflatio, gravitas lumborum & crurum. *Riverius.*

102. *Curatio ad menſium*) Inter remedia externa, poſt ſingulas purgationes, aut ſaltem ſemel in menſe, octo vel decem diebus ante Purgationem menſtruam, convenient *Fotus aut Semicupia*, ut colliquatus humor morbi cauſa, per reſeratas vias facilius effluat; Parari poterunt ex *radice alth. lilior. bryon. ireos, rub. valerian. angel. fol. artemiſ. nepet. matricar. meliſſ. bacc. laur. & ſimil.* Riverius.

102. *Curatio ad menſium*) *Mercatus* fœminis quæ ex menſium ſuppreſſione hoc malo laborant, tutiſſimum & utiliſſimum præſidium eſſe exiſtimat ſanguinis è talo miſſionem. At cum in ſuffocatione uterina maxima ſit virium proſtratio, & totius corporis refrigeratio, adeo ut ſæpe de vita deſperetur, nullo modo venæ ſectio tutum eſt remedium. *Joh. Hartmannus Pr. Chym.*

103. *Alia ab humoribus vitioſis*) Notandum eſt non ſolum ſemen & ſanguinem menſtruum hyſtericas affectiones producere, ſed etiam varios humores excrementitios in uterum confluentes, qui diuturna mora putreſcunt & tetros vapores emittunt; Hujus rei fidem faciunt vetulæ non paucæ, quæ ſanguine menſtruo & ſemine deſtitutę, hyſtericis tamē affectibus ſunt plurimum obnoxiæ: A cacochymia exoriri affectum uterinum oſtenditur, ſi menſtruis commode fluentibus, cum ſufficienti Veneris exercitio, hic affectus contingat, & mulier ſenio vicina ſit, aut valde cacochyma, vel aliquo alio uteri vitio laboret. *Riverius.*

Ideo *Avicenna & Averrhoes* addunt *Fluxus* a [illegible] retentionem; Imo ſi purulentus humor ex uteri ulceribus emanans coerceatur; ſtrangulationem parere poteſt; Hæc eſt peculiaris uteri natura, ut humores in eo corrupti hunc morbum inferre valeant, quod non contingit ſi in alia parte corrumpantur; Ex loci igitur natura hæc cauſa repetenda eſt, ut *Fernelius* advertit. *Primiroſius.*

Quod ſi venere utenti contingat hyſterica affectio, & menſes rectè fluant, aut ſeniori mulieri contingat, aut intēpeſtive uterinus fluor compeſcatur, à vitioſis erit humoribus & corruptis excrementis, neceſſum tam vehementia ſymptomata quam a ſemine putrefacto. *Idem.*

Interdum omnes illæ cauſæ complicantur, quod valde periculoſum eſt. *Idem.*

CAP.

Cap. XXII.

De Furore uterino, & Melancholia mulierum.

I. F*Vror uterinus eſt* [2] *immoderata Veneris appetitio,* [3] *fœminas ad inſaniam ferè redigens,* [4] *à ſeminis copiâ, acrimoniâ, &* [5] *peculiari qualitate exorta.*

[6] *Subjectum* hujus affectus ſunt, vel [7] virgines εὔσαρκοι nigræ, & ſanguinem aduſtum habentes: vel viduæ juniores & ætate florentes: vel nuptæ, propter impotentiam viri ſteriles.

[8] *Signa* ſunt varia. Nonnullæ in triſtitia & taciturnitate appetitum prementes contabeſcunt. [9] Aliæ victâ ratione garriunt, laſciviunt, in iram, riſum, fletum, ſermones laſcivos & venereos ſolvuntur: [10] quædam ſe viris ſponte proſtituunt.

Cauſa eſt ſeminis copia, caliditas, & acrimonia, quæ *oritur* [11] ſi cauſas internas ſpectes, ab uteri caliditate, teſtium præſertim & vaſorum ſpermaticorum intemperie. Hinc multæ inflammatione uteri, & pruritu laborant, quæ furore hoc non afficiuntur: [12] ſi *Externas*, à diæta copiam ſanguinis & acrimoniam generante, hauſtu vini Hippocratici, in quo aliquid *borracis* &c. fuit.

[13] *Curatio* abſolvitur.

I. [14] *Venæ ſectione*, ſi ſanguis abundet.

II. [15] *Purgatione*, ſi humores calidi & aduſti permiſceantur, per melanagoga.

III. [16] *Alteratione* per Refrigerantia, ut ſunt, *Lactuca, Portulaca, Nymphæa, Vmbilicus veneris.* [17] Occulta qualitate agentia, ut ſunt, *Vitex, Ruta, Cannabis* [18] *Camphora,* [19] *Cicuta,* quæ in monialibus potiùs uſurpanda.

[1] *Furor uterinus*) Ita deſcribitur à *Riverio*, Eſt ſpecies maniæ ab intenſo & effrænato coeundi appetitu orta, quæ mentem de ſede ſua dejicit, ita ut laborantes obſcœna & impudica paſſim effutiant, abjecta omni verecundia venerem furioſe expetant, & ad eam viros invitent. A *Menjotio*, Delirium fœminum ſine febre, effrænem ac inexpletam Veneris appetentiam inducens: Cum mania, *ait*, convenit conturbatæ mentis ſævitie, & ἀπυρεξία, ſed ab illa ſejungitur, quod non ab atra bile, ſed a ſeminis ferventioris plethora ducat originem, quodque deſipientia pro halituum è ſemine evectorum ac imaginationem pulſantium conditione circa rem Veneream peculiariter verſetur, ita ut petulcæ ægræ nihil aliud vel loquantur vel cogitent.

[1] *Furor uterinus*) Ejuſmodi furor à membro principaliter affecto, ſcilicet utero, uterinus dicitur, Græcis μητρομανία; Sunt qui νυμφομανίαν vocitent, quod vocabulum admitti poteſt eo ſenſu quo veteres Anatomici clitoridem Nymphæ nomine donabant: Clitoris enim Veneris aculeus, in hoc affectu manifeſte tumet atque incaleſcit. *Menjotius.*

[2] *Immoderata Veneris*) Cui contraria eſt ejuſdem nulla appetitio, quando in congreſſu aliquæ nullam aut exiguum voluptatem ſentiunt, præſertim ſi hoc non illis quæ nimio illius uſu ſatiatæ eam aliquandiu amplius non curant, ſed his quæ temperate ea alioquin utuntur accidat, aut etiam perpetuum quibuſdam ſit; Sicuti multis annis durante matrimonio, tres non plus delectationis aut ſenſus in coitu quam ex contactu externo alioquin fieri ſolet percepiſſe ex maritis, ipſarum conſilium à me petentibus cognovi; in quibus Venus extincta eſſe dicitur. *Platerus.*

[3] *Fœminas*) Inſatiabilis Venereus furor fœminas quandoque exercet, cum, etſi eum exerceant, ab ea minime leventur, ſed potius amplius accendantur; vel nonniſi diutius durante, ſæpeque repetita venere ſatientur: Illis autem hæc Veneris nimia potentia citius contingere poteſt quã viris: Sicuti impotentia ad Venerẽ frequentiꝰ Viris quam fœminis accidit, Veluti impuris & contagioſis, vel ex morbo alio aliquo quibuſdã accidit & priapiſmus uteri à quibuſdã inepte vocatur. *Platerus.*

[3] *Fœminas*) Cur ſola mulier hocce furore cru ietur, virque ab illo immunis vivat, quanquam ſemine præditus multo activiore, duplex eſt ratio; prior ex parte τοῦ ὑποδεκτικοῦ, id eſt cauſæ ſuſcipientis; quod vir ſui potentior ſit, fœmina vero, judice *Hippocrat. l. de morbis Virg.* ſit ἀτυμοτέρη καὶ ὀλιγοτέρη, puſilli d miſſique animi: Poſterior ac præcipua ex parte τοῦ ποιητικοῦ, hoceſt efficientis cauſæ, quod virile ſemen in veſiculis ſeminariis, ac proſtatis glandulosis, ad utriculi urinarii cervicem ſitis, tanquam in penu a promptuario aſſervatum, inde ad caput non commode evaporet, nec iſtis particulis res ſit cum cerebro, Mulieres autem ejuſmodi veſiculis ac proſtatis deſtituantur, quarum quippe vaſcula ejaculatoria, non ad veſicæ collum tendant, ut in maribus, ſed ad vulvam, cujus præſigne eſt conſortium cum cerebro: Quemadmodum ſonus ſecundum trabis ductum procul & recta excurrit, ac fumus juxta pali erecti longitudinem alte effertur, ſic per continuitatem ſpinalis medullæ, cui uterus robuſtis connectitur ligamentis, expedita eſt fuliginum ex arvis muliebribus ad cerebrum ἀναφορησία. *Menjotius.*

[4] *A ſeminis copia*) Producitur immodicus iſte coeundi appetitus à ſeminis copia, acrimonia, & fervore naturæ leges excedente, quæ in vaſis ſeminalibus immodice turgens, genitalia vehementer excitat ad Veneris appetitum, eaque velut inflammat: Ex ea vero materia vapores ad cerebrum demittuntur qui rationem perturbant, eamque è ſede ſua deiiciunt; quamvis ipſe coeundi appetitus immodicus ſine vaporum concurſu per ſe rationem ſuperare poſſit & obruere, ſicuti pathemata omnia vehementiora idem præſtare poſſunt, præſertim amor immodicus, qui Eroticus affectus nominatur. *Riverius.*

[4] *Seminis copia, caliditas, acrimonia*) Quod & ab humoribus calidis, acribus, ſemini permixtis, illudque vitioſum ſummeque acre reddentibus fieri poteſt: A cujus ardore pruritus ille Veneris inſatiabilis oritur, qui mulieribus impuris, & vitioſum ſemen habentibus (quo & eos qui cum ipſis congrediuntur ſæpe infi-

ciunt) potius quam viris, conſuetus eſt; cum viri, quando à perverſo ejuſmodi ſemine hunc pruritum potiuntur, *Gonorrhœa virulenta* ob id dicta, infeſtati, illud continuo profundant, qui ſeminis fluxus mulieribus non adeo facile ut viris evenit. *Platerus.*

5. *Et peculiari qualitate*) Quidam volunt ſemen etiam putreſcere, & malignam qualitatem induere, quæ gravia iſta ſymptomata inducat: Verum non facile eſt iis differentiam oſtendere, quæ inter hunc affectum & hyſtericam paſſionem intercedit, quæ à ſemine corrupto & malignitatem adepto producitur; licet enim varii putredinis gradus, varios etiam malignitatis gradus afficiant, unde magna ſymptomatum varietas exſurgit, ſufficiunt tamen qualitates manifeſtæ, nempe ſeminis copia excedens, caliditas, acrimonia, & turgeſcentia nimia cum phlogoſi partium genitalium, ad iſtum affectum generandum. *Riverius.*

Cauſa proxima non eſt putridum ſemen, ut in hyſterico pathemate, ſed geniture, incorruptæ quidem, at uberioris & acrioris, in vaſis uterinis orgaſmus; hinc enim uterus, parteſque ipſi annexæ, cum internæ tum externæ, & præcipue Clitoris, φλόγωσιν concipiunt, ac cerebro per medios vapores in συντημασίαν tracto, fœmina dementatur, & furioſarum libidinum æſtu percellitur. *Menjotius.*

6. *Subjectum hujus affectus*) Illas qualitates acquirit ſemen quando nimis retinetur in corporibus ſalacibus & multo calore præditis: atque adeo hic affectus virginibus, aut viduis junioribus proprius eſt; quamvis etiam nuptis contingere poſſit, quæ ſcilicet ignavos habent conjuges, aut non ſatis adamatos, ut vaſa ſpermatica ſufficienter deplere aut appetitum venereum ſatiare nequeant. *Riverius.*

7. *Virgines εὔσαρκοι, nigræ*) Confert fœminarum διάθεσις, ac primo quidem temperies non ſanguinea, quæ ſemen copioſum, ſed qualitatibus moderatum coacervat, multo minus pituitoſa, ſed vel melancholica, vel bilioſa; Mulieres namque melancholicæ & ſeroſæ ſunt & flatuoſæ, unde ſeminalis humor à ſalſedine ſeri acuitur, & à flatibus turgeſcit: Bilioſis autem, etſi ratione ſiccitatis, illiberalior inſit ſeminis abundantia, bilis tamen flammeſcens geniales igniculos accendit, unde Poëtæ Marti Venerem conjunxerunt, ob iraſcendi & concupiſcendi germanas vices, & quod Martiales viri plerumque ſimul Venerei ſint, Moderatam autem caliditatem ſiccitatemque intelligimus; ſecus ſi qualitates iſtæ plurimum exuperent, Vrinam genitalem, ut cum *Plinio* loquar, depopulantur; Ita Leo, quia calidiſſimus atque ſicciſſimus, minime libidinoſus eſt; cumque ſeminis & medullæ aſſimilis ſit materia, ille quoque tenuem & exiguam habet, & quidem in paucis oſſibus medullam, ac pleraque ejus oſſa non ſolum Corneola ſunt, verum etiam adeo dura, ut ex iis colliſis quaſi è ſilice ignis elidatur, authore *Ariſtotele 3. hiſt. an. 11.* Secundo *Habitus* conſiderandus eſt, nam ut carnoſæ pinguibus, ſic graciles carnoſis magis utuntur. Tertio *Statura*, in proceris ſiquidem minus quam in parvis bulliunt libidinum incendia, quoniam in his & calor unitus vegetior eſt, & propter pauciorem nutricatum plus reſiſtat ſanguinis in ſemen abituri: Ita claudæ libidini magis indulgent, quod ad membrorum debilium ac decurtatorum nutritionem paucus ſanguis ſufficiat, narrantque Amazona, ſolitas fuiſſe infantes maſculos ex articulare, non modo ut claudi nequirent inſidiari, ſed etiam ut in Venere magis valerent, Idem dicendum de gibberoſis, quæ camelis idcirco comparantur, coitum toto die exercentibus, referente *Ariſtotele* 5. hiſt. art. 2.

Quarto *Colorem cutis*, & pilorum maxime in partibus pudendis cutibuſque luxuriam oportet attendere: In illis enim quæ ex albo flaveſcũt, aut propter aduſtionem ſanguinis nigricant, ac piloſiores ſunt, ſcintillant magis ignes cupidinei quam in lacteis atq; de pilibus: Tandem aphrodiſia lymphatione ſæpius tentantur Puellæ viri potentes, quibus, *inquit Hippocrat.* inſtat nubendi tempus, cum mammæ ſororiari, pecten julis, ſive tenera lanugine veſtiri, menſeſque primum erumpere incipiunt, quapropter *Ariſtoteles 7. hiſt. anim. 1.* adoleſcentulas eo tempore diligenter cuſtodiendas eſſe monet; Attamen juvenibus, ut-ut plenis annis nubiles ſint, hac inſania frequentius vexantur maritæ ἄφοροι, dummodo nihil aliud adjunctum ſit quod Venereæ proclivitati adverſetur; Item mulieres conjugatæ, quarum exardeſcens libido ab ignaviore marito haud ſatis reſtringuitur: ac poſtremo Iuvenes viduę, duriſſima ſuſtinentes caſtimoniæ prælia, nam oblectamenti ante acti memoria calcar eſt amoris, reique notæ ac expertæ appetitione premuntur magis: Huc acceſſit conſuetudo: nam crebro coëundi exercitio, præſertim in illis quæ ætatem conſiſtentem nondum attigere, amplificantur ſeminalia vaſa, eorumque ſimul ac teſtium vis attractrix uſu roboratur; quare cæteris paribus, fœminas viri conſuetudine quondam potitas, nec in amoris palæſtra amplius velitantes, ſemine magis turgere neceſſe quam puellas ἀνοχεύτους, quæ ſub Veneris vexillis nondum militavere, *Menjotius.*

8. *Signa*) Differt à ſimplici *Verendarum partium prurigine* quod Furor juniores, hæc annoſas potiſſimum infeſtet; In illo contrectata genitalia ſine dolore demulcentur: in hoc ſcalpru magis inflammentur, & cum aliquo delectamento doleant: deinde quod pruritus aut coitus prolubia non conciat, ſi nempe illam pudendi particulam quæ Venerei appetitus primaria ſedes eſt, non occupet, aut fœminas vernis paſſerculis libidinoſiores reddat, ſed ſine delirio & furore, qua indomita ſalacitate fumoſæ olim fuere Semiramis, Meſſalina & aliæ. *Menjotius.*

8. *Signa ſunt varia*) Quia ſenſim & per gradus apparere ſolet hic affectus, illius progreſſus exponendus; In principio igitur, dum adhuc mentis compotes ſunt, mœſtiores ac taciturniores evadunt, ſed cum oculorum jactatione, ac laſcivia & faciei rubore, qui per intervalla intenditur; præcipue vero rei Venereæ facta commemoratione, ad quam reſpiratio & pulſus immutantur per ſympathiam cordis: Vnde *Galenus* ſe ex pulſu cognoviſſe gloriatur furibundos mulierum amores, quod ejuſmodi amantes varias ſubito mutationes in pulſu patiantur; dum objecta expetita illis offeruntur, vel in memoriam revocantur, Poſt modum vero dum malum exacerbatur incipiunt rixari & lacrymari, ac ſubinde in riſum effundi, multa colloquia inconcinne & imprudenter, ex quibus nihil certi colligas, deinde reſipiſcunt, donec alter paroxyſmus ex materiæ motu inordinato, & ſine ulla certa periodo redierit, Hoc furore percitæ mulieres morbo ad ſtatum progreſſò, viros ad coitum palam & coram omnibus invitant, rem Veneream proprio & vernaculo nomine paſſim inculcantes. *Riverius.*

Ut periti eſt Botanici, ait *Galenus 1. Prorrh. 1.* herbas internoſcere recenter φυομένας neque propriam adhuc adeptas figuram, ſic naſcens affectio, nec dum numeris omnibus abſoluta, nonniſi à medico perſpicaciſſimo detegitur; ac idiotæ, quorum hebetiorem obrutum fugit morbus neophytus, hujus diagnoſin habent pro prognoſi: In prima igitur hujus maniæ, ut ita dicam, ἐκβολῇ invictæ perennant vigiliæ, fœminæ jejunio deditæ ſunt, taciturnæ.

Volvuntque curarum triſtes in pectore fluctus

Jactãtur corporis inquietudinib⁹, frequẽti ſed clandeſtina locorũ muliebriũ prurientium, ardentium atq; intumeſcentiũ cõfricatione lætantur: Oculos inſtitores exactoreſque libidinis hinc inde laſcivius evibrant; Vene-

rea

ris, vel audito nomine, ejuſ cupiditate ardeſcentes rubeſcunt, Pulſus concitatior eſt, quo *Eraſiſtratus Antiochi* in novercam *Stratonicen* amorem deprehendit: Adoleſcente jam morbo, ac ratione penitus proſtrata, emotæ mentis ſeditio fervet in oculis, facies ſaturato perfunditur rubore: Nam quemadmodum quæ in civitate peraguntur ſolent apud emporium promulgari, ſic interiores hominis tumultus in vultus platea perſpicue relucent: ægræ inceſſu furiali ambulant, iracundia παρεγκλίγοις capiuntur, rerum inhoneſtarum narratione gaudent, ac blando ſermone gratis geſtibus, mellitis oculis, oreque benevolo virorum gratiam indecenter aucupantur, donec ſæviente furoris impetu frontem commaſculent, & ſequeſtrata fœminea verecundia, quaſi œſtro percitæ, non modo prætextata loquacitate proterviant, ſed audaciſſime quoque licentia viris propalam inſectentur: Hiſtoria refertur nobilis cujuſdam matronæ, cæteroquin honeſtiſſimæ, quæ & homines & canes ipſos ad congreſſum rabioſe provocabat. *Menjotius.*

9. *Alia, victa ratione, garriant, laſciviunt*) Virgo nubilis ex Pleuritide ſpuria decumbebat; quæſitum à V. S. & carminantibus aliiſque remedium, Et bene ſe habebant principia, cum intervenit juvenis parentem virgunculæ inviſens, in quem illa fixos conjiciens oculos ita è veſtigio immutata eſt, ut mali pleuritici oblita in cantiones & geſtus amatorios affectum ſuum profunderet, Deſiit itaque malum primum, ſed recruduit ita violenter ſecundum ut in delirium acta de nulla re vel cogitaret, vel loqueretur, niſi de nuptiis, & feſcenninis, certa in gremium juvenis irrepere, quoties rediret; Non aliter obviam iri potuit in majorem quotidie mammam erumpenti deſiderio quam removendo ex ejus oculis objectum illud amoris: Tandem allato in hanc rem ficto nuntio mortem juvenis denuntiante, illa poſt deplorata ſatis diu orbitatem ſuam, helleboro per vices expurgata ad ſanam mentem rediit. *Olaus Borrichius.*

Quædam ſe viris ſponte proſtituunt) Quaſdam hoc vitio laboraſſe, atque innumeris congreſſibus multorum virorum, vel ſatisfieri potuiſſe, hiſtoria *Reginæ Semiramidis*, impudiciſſimæ, aliarumque exempla teſtantur; quod & multis, ut ad ſedandam libidinem multa illicita tentent, & in turpiſſima vitia ruant occaſionem præbet; Atque accedente Fervore beſtiarum congreſſus veluti illa quæ mente capta canes Anglicos admittere cupiebat, expetant. *Platerus.*

10. *Si cauſas internas ſpectes*) Cauſa interna caloris & acrimoniæ in ſemine, gemina eſt, partium ſeminis fabricationi deſtinatarum, teſtium nempe & vaſorum ſpermaticorum exuperans caliditas; ac ſanguinis, è quo ſemen conficitur, fervor immodicus, vel per ſe, vel propter mordacium ſalſorumque humorum mixturam: Menſtrua quoque non ex voto irrumpentia ad hancce inſaniam conferunt; ab his enim, præſertim ſi calidiora fuerint, uterus una cum ſuis vaſis, ac ſemine in ipſis contento, efferveſcit, quamobrem inſtante fluore menſtruali, mulieres magis ſubant ob voluptuoſum pruritum ex pleniore ſanguinis ac ſpirituum adventu.

11. *Si externas*) Cauſæ procatarcticæ Furoris Hyſterici multiplices ſunt ἀπὸ τῶν διαιτημάτων, ſive ſex rebus non naturalibus mutuandæ: 1. *Cælum* æſtuoſum atque ſqualidum, ut κυνοκαύματος tempore, cum ingenti Syrius æſtu terras adurit: Nam ſicuti, authore *Philoſopho 4. probl. 26.* Viri æſtate minus quam hyeme ruunt in Venerem, quod intenſus eorum calor diſſolvatur, à caliditate ambientis, ita ex adverſo mulieres per æſtatem magis quam per hyemem, ad clinopalen inſtigantur, quia frigidius ac ignavius illarum ſemen ab æſtivo calore redditur actuoſius, ac per compenſationem contrariæ qualitatis refovetur: ideoque Ægyptias fœminas Veneris in tantum famelicas eſſe narrat Herodotus, ut cum hircis rem habeant; Produnt quoque hiſtoriarum Indicarum ſcriptores *Americum Veſputium* ad quandam novi orbis oram appuliſſe, ubi mulieres libidini adeo erant devinctæ ut Bacchantum more in Nautas furerent.

Sed potiſſimum *Victus ratio* eſt ἀφροδισιαστική, mirumque philtra jam graviter interdici dum interim coquis permittitur μαγγανεύειν ἢ φαρμάττειν, alimenta, ut *Plutarchus* loquitur: Privatim vero inter irritamenta Veneris languentis & acres divitis urticas numerentur aromata omnia, embammata: tortiva jura, quibus ſucculentæ ac polytrophæ carnes inſtiantur, gallorum criſtæ atque teſticuli, ova recentia ac tremula; præterea panes azymi, ſi *Didymo* credendum, efficaciſſima ſunt Veneris incitabula; item aſparagorum turiones, echinatæ ſcolymorum pineæ, eorumque thyrſuli, nuclei piſtaciorum, pinei ſtrobyli, boleti, tubera, ac pleraq; legumina, ut piſa, fabæ, cicera, admiſſariis equis olim exhiberi conſueta: *In genere quodcunque cupediarum genus, omniſque ventris ſaturitas. ſeminarium eſt venerei amoris: nihil ſic inflammat corpus ac titillat, genitalia membra, ſicut indigeſtus cibus ructuſque convulſus*, inquit *B. Hieronymus Epiſt. ad Furiam.* Venter etiam meraco, præſertimque demato ac καυστικῷ exæſtuans cito deſpumat in libidines, Nec immerito laſciviæ juvenum frænis inediæ ſubjungandæ eſſe alibi ſuadet. Quædam mulieres in ἔκστασιν uterinam illapſæ ſunt propter uſum vini Hippocratici, cui aliquid boracis fuerat diſſolutum. Præter Aërem & alimenta, Veneris illicium præbent ſomnus longior, Supinus decubitus in culcitra plumea, renes calefaciens, quod etiam præſtant arctiora lumborum cingula, Otium corporis & animi, θερμολουσία familiaritas cum adoleſcentibus: Obſcœna etiam ſpectacula, ac Feſcennini verſus ſunt Veneris pepyſmata, ſopitamq; Veneris flammam ventilant, uno verbo verba mollicula deſes ac luxurioſa vita Venus tandem præcox & non matura, quæ nondum confirmato judicio cupiditati habenas laxavit: qua de cauſa ut ex *Ariſtot.* colligitur 7. h. an. 1. puellæ temporius viro copulatæ vitam degunt incontinentiorem: Quædam etiam hoc malo tactæ fuerunt ex concubitu cum viris qui majorem illaturi voluptatem oleis calidioribus ac ſuaveolentibus veretrum inunxerant. *Menjotius.*

Prognoſis.

Morbus iſte curabilis eſt, ſi mature medela adhibeatur; Si vero diutius perſeveraverit, & firmas radices egerit in veram maniam degenerat; Magna ſalutis ſpes eſt quando longiora incipiunt eſſe intervalla, aut quando corpus emaciatum inſtaurari incipit, & commemoratio rei Venereæ coram illis facta, eas non amplius ita afficit & perturbat. *Riverius.*

Pax ſequeſtra eſt placati hujuſce morbi, qui poſtquam valedixit, quaſi poſt liminio revertitur; Verum quia dimiſſionis intercapedine, ac per amica paroxyſmi ſilentia, datur locus præſidiis quæ μαινὰς ὡς, Φοιβὰς λυσσας ægrotans alias reſpuebat, affectio infamis potius cenſenda eſt quam exitioſa, niſi cohibitum ſemen deleteriam corruptelam contrahat: Quod ſi à venenata ejuſmodi putrilagine ſeſe tueatur, furor tamen perſeverans ex ſympathico idopathicus, ac ex hoſpite civis fit, lenta tabitudine miſeras depaſcens: Imo ni diligens inſanientium habeatur cura, tragœdia ad cataſtrophen brevius traducitur: Nonnullæ enim laqueo vitam ſibi eripiunt, ut Virgines illæ Mileſiæ

quas ſeſe catervatim ſuſpendiſſe refert *Plutarchus*, cujus eventus cauſa pœtenda eſt ab *Hippocrat. lib. de m. Virg.* ὑπὸ τῆς, inquit, περὶ καρδίαν πιέσιος ἀγχόνας χρῶνται, *ab oppreſſione quæ circa cor eſt ſeſe ſtrangulant*; Corde namque vaporum multitudine compreſſo, iſtius compreſſionis idea imaginationi morbidæ jugiter oblata, hanc ad fauces reſte conſtringendas latenter impellit: quædam vero in fluvios puteoſve deſilire viſæ ſunt, aquæ perfrigerium exoptantes: Sic non ita pridem Lugdunenſes mulieres tam atrox, tamque abſurda inceſſit animi perturbatio, ut in flumina gregatim ſeſe pronas dejecerint: Aliæ tot ærumnarum mole oppreſſæ, quaſque tandem tædet cœli convexa tueri, diverſo ſpontaneæ necis genere pereunt: Ac profecto hunc affectum valde horrendum eſſe neceſſe eſt, quandoquidem *Melampus*, referente *Herodoto in Calliope*, ob reſtinctum Argivarum mulierum furorem, pacta cum Argivis mercede, majorem regni eorum portionem, ſibi & fratri ſuo Bionti obtinuerit. *Menjotius.*

[12] *Curatio abſolvitur*) Eo dirigenda eſt ut calida intemperies tum viſcerum, tum uteri præſertim, tum ſanguinis & ſeminis corrigatur, & humores acres ac materia ſeminalis evacuentur. *Riverius.*

[13] *Curatio abſolvitur*) Quandoquidem ſeminis illius acrioris & corrupti evacuatio morbum ſolvere poteſt, optime conſultum foret in principio morbi, antequam deliria ſint valde conſpicua; aut in eorum intervallo, ſi ſatis dilucidum extiterit, hujuſmodi virgines viro juveni ac valido jungere, Sic enim ſatiato utero, & effuſa materia quæ in vaſis illius continetur, eas curari contingit: Si vero non ita facile nuptiæ celebrari valeant, aut vitæ conditio id non patiatur, conſulunt nonnulli ut à perita obſtetrice fiant frictiones & contrectationes partium genitalium, à quibus excernere poſſunt magnam iſtius ſeminis copiam. Sed quia illud nefas eſt, ſufficiet, dum ægra eſt in balneo, perfricare leniter longe à pudendis, uteri partes, ut aquæ tepore ille attemperetur, & madore laxior fiat, diſcutiaturque ſua ſponte ſeminale excrementum, Ita ut manus nihil aliud præſtet quam levem aquæ ſubingreſſum ad penitiores uteri partes; quod tantum aqua operetur quantum aliud auxilium ex iis quæ adverſus ſemen pugnant: Ad eundem uſum *Peſſaria* componi poterunt ex fol. *mercur.* contuſis cum pauca *myrrha* aut *pulvere ariſtoloch.* Quæ ſupponi debent dum ægra eſt in Balneo, ne nimium incaleſcat uterus, & poſt unius horæ ſpatium auferri: moxque fiat Injectio in vulvam ex *ſero lactis, decocto hordei*, cum pauco *ſucco ſolani*, *ſempervivi*, aut *cicutæ*, quæ in hoc affectu peculiariter commendatur; Ad ſemen expurgandum ſequens Bolus erit utiliſſimus.

℞. *Terebinth. Veneta* ℥iij. *agar. trochiſc.* ʒj. *ſemen dauci, cannabis, pulver. ligni aloës* āā. *gr.* viii. *Cum ſacch. f. Boli.*

Si affectus perſeveret, applicentur Cauteria crurībus; nihil enim præſtantius eſt quam materiam ad inferiora per iſtos fonticulos derivare, *Riverius.*

Corroboratio partium principium.

Quia in hoc affectu Cerebrum & Cor graviter afficiuntur, ob vapores ab utero ſurſum elatos, utrique providendum erit, Cerebro quippe frictionibus, ligaturis inferiorum partium, cucurbitulis ſupra coxas & inguina frequenter admotis; Cordi vero Epithematis, liquidis, ſolidis &c.

Quod ſi Lienis tumores & obſtructiones ſupervenerint, ut ſæpe fit, illis diligenter erit providendum. *Riverius.*

[14] *Si venæſectione*) Phlebotomia pluries repetita, quantum vires ferre poſſunt celebranda eſt, ut tota humorum maſſa, & ipſe uterus refrigeretur, & ſanguis fervidus ab uteri venis revellatur, Si vero menſium ſuppreſſio adfuerit, tundendæ poſtmodum erunt venæ inferiores, ut curſus ille naturalis humorum conciteтur, At ſi verſus hæmorrhoidales venas ſanguis vergere videatur, quod ex rumore & rubore illarum cognoſcitur, admotis hirudinibus aperiendæ ſunt. *Riverius.*

[15] *Purgatione*) Facta ſanguinis emiſſione, Purgatio inſtituenda eſt ex benignioribus compoſita, bilem aut melancholiam educentibus, prout alteruter humor redundaverit: Purgationi ſuccedent Julepi præparantes humorem peccantem, refrigerantes ſcilicet & leviter aperientes, per triduum uſurpandi: Mox Purgans validius exhibendum erit, ad humores illos penitius infixos avellendos; Cui uſui conferre poterunt illa Purgantia quæ in Maniæ curatione fuere deſcripta, quæ per intervalla erunt repetenda. *Riverius.*

[16] *Alteratione per refrigerantia*) Iterata purgatione, ad Uterum & univerſum corpus refrigerandum, humoriſq; fervorem temperandum, ſequens Balneum erit utiliſſimum, idque pluries in morbi decurſu repetendum.

℞. *Fol. lactucæ, ſalicis, nymph. vitis, portulac. umbilici ven. ana faſc.* j. *flor. violar. nymph.* & *roſar. ana. m.* ij. coqu. omnia pro Balneo, quod ingrediatur tepide, ſine ſudore, bis in die longe à paſtu.

Ad ulteriorem corporis refrigerationem, *ſerum lactis* per multos dies exhibitum convenire poterit: Ac denique ea omnia quæ ad maniam & affectionem hypochondriacam propoſita ſunt, in hoc caſu etiam convenire poterunt, prout bilis aut melancholia illi dederit originem. In ſumma delirii vehementia ſomnum conciliantia utiliſſima ſunt, tam interna quam externa, prout in Phrenitidis & maniæ curatione deſcripta ſunt: In toto morbi decurſu Clyſteres refrigerantes, imo ex oxycrato conferre poterunt: *Injectiones* etiam poſſunt fieri in uterum ex decoctis herbarum pro balneo aliiſque remediis præſcriptarum, quibus utiliter *Sal Saturni* addi poterit. Clyſteres autem blande purgantes uſurpandi ſunt, cavendo ab acrioribus & vehementer purgantibus, quæ materiam in utero, aut in ejus vaſis contentam exagitant, unde ſymptomata exacerbari ſolent: Exterius etiam Linimenta refrigerantia, lumbis, pubi & perinæo admovenda ſunt, *ex oleo nymph. ungu. roſac. vel albo refriger. cum ſuccis ſolani, hyoſcyami, nymph.* diſſolutis, addendo parum camphoræ: Tum *lamina plumbea* perforata ſupra renis continuo geſtanda. *Riverius.*

[17] *Occulta qualitate agentia*) Addi poſſunt illa quæ proprietate ſpecifica ſemen extinguere ac refrigerare valent in quorum numero ſunt ſequentia.

℞. *Fol. nymph. ſalicis, viticis ana m.* iv. *fol. lactuc. portul. umbil. ven. ana m.* j. *ſemin. 4. frig. ma. lactucæ & papav. albi, ana unc.* ß. *anethi* ʒii. *flor. nymph. & violar. ana m.* j. *contundantur omnia recentia & irrorentur ſucco limon. & deſtillentur in MB. & ſingulis aquæ libris adde camphoræ* ʒj. *Capiat unc.* j. *frequenter.*

Vel ex prædictis ſimplicibus, vel eorum nonnullis, poteſt fieri decoctio, & ſaccharo dulcorari ad plures dozes, addendo *Camphoræ* parum. Vel fiat Emulſio *ex ſem. frig. maj. lactuc. & papav. albi, extracta cum aquis nymph. lactucæ & ſalicis cum ſyrup. violaceo.* Opiata ſic fieri poterit.

℞. *Conſerv. flor. nymph. violar. & viticis ana unc.* ß. *conſ. roſar. unc.* ß. *caul. lactuc. condit. unc.* j. *coralli & ſmaragdi præpar. ana* ʒj. *cum ſyr. violac. & nymph. f. Opiata* Riverius.

[18] *Camphora*) Hujus in extinguenda Venere miras vires

vires obſervavimus, cujus odorem & fumum per nares attractum venereos ſtimulos infringere docet verſiculus.

[18]. *Camphora per nares caſtrat odore mares.*

Verum illud vix unquam credidiſſem quod cruribus impoſita hanc operationem ediḋiſſet; illud tamen Fratri meo contigiſſe memini in curatione antiquis ulceribus infeſtati cruris D. N. qui cum *Empl.* quoddam camphoratum per duos menſes cruri impoſitum geſtaſſet Venerem ſimul quaſi extinctam, & uxorem non parum querebundam habuit; qui uſu calidorum medicamentorum & diætæ multum nutrientis & calidæ priſtino vigori reſtitutus eſt. Propter eximias has camphoræ virtutes Monachi quidam in Belgio, qui caſtiorem vitam agere volunt, eandem in cerevifia ſua, qua pro potu ordinario utuntur, macerandam ſuſpendunt, ut Venereas inſidias ſubter fugiant; Faber lignarius cum in monaſterio quodam territorii Clivienſis (in quo Camphoram tempore quadragemiſæ cereviſiis ſuis immacerabant Monachi) per 3. vel 4. ſeptimanas commoratus fuiſſet, domum reverſus uxori minus gratus hoſpes advenit, ne minimum ad Venerem ſtimulum ſentiens.

Hanc venerem extinguendi facultatem nonnulli frigiditati & ſiccitati Camphoræ attribuunt, ſed male, nam & ſapor, & inflammabilitas illam non frigidam, ſed calidam manifeſtiſſime teſtantur; ac proinde illa peculiaris facultas potius proprietati cuidam nobis occultæ adſcribenda videtur, qualis etiam ineſſe creditur agno caſto, menthæ & rutæ, quæ tamen omnia calida ſunt. *De Diemerbroeck Obſervat. Med. 32.*

[19]. *Cicuta*) Licet *Cicuta* inter frigida connumeretur venena, præcipue quæ in aquis & lacubus invenitur, furoris tamen uterini, ſive Satyriaſis remedium eſt: Hic affectus Veneris eſt immoderatus appetitus cum uteri ardore & delirio: Narrat *D. Baſilius* quaſdam vidiſſe fœminas quæ Cicutę potione rabioſas cupiditates extinxere: Hoc legitur *7. Homel ſup. Hecameron*, Cujus verba nonnulli intelligunt de ciborum appetitu, ego tamen ad furorem uterinum, & ad Venereos incentivos appetitus deducerem, cujus auxilio compeſcuntur: quippe Athenienſes Sacerdotes cicutæ uſu libidinis incendia extinguere conſueviſſe proditum eſt. *Ant le Grand Comp. p. m. 49.* De Cicutæ eff. vide Tract. de Venenis.

[20]. *Melancholia* [21]. *mulierum eſt delirium* [22]. *cum triſtitia, anxietate,* [23]. *fletu, vel riſu* [24]. *per intervalla, ſine febre invadens,* [25]. *à vapore melancholico, ſpiritus animales obfuſcante, exortum.*

[26]. *Signa* ſunt varia. Fœminæ ſunt triſtes, de anxietate cordis conqueruntur, nec tamen illius cauſam exprimere poſſunt. [27]. Arteriæ circa lienem & [28]. dorſum ſolito vehementius pulſant. Dolor ſiniſtri lateris è regione cordis, mammam ſiniſtram aliquando prehendens, vaporibus ex arteriis intercoſtalibus, in ea loca effuſis, & membranas thoracis vellicantibus ac diſtendentibus affligit, faucium ſiccitas cum ſtrangulatione interdum moleſta eſt. Per intervalla verò hæc ſymptomata afficiunt, quia vapor diſſipatur, & agitatio ſanguinis in arteriis quieſcit.

[29]. *Curatio* reſpicit.

I. [30]. *Venæ ſectionem*, quæ *Inſtituenda* in principio, ſanguine calidiore urgente; Admittenda ſæpius in cubito, ſi menſes ſuppreſſi non ſunt: in talo, diebus aliquot ante fluxum, ſi ſecus. *Vrgenda* parciùs, ſi malum ſit in progreſſu.

II. [31]. *Præparationem* per illa, quæ humorem melancholicum alterant, & cor exhilarant; ut ſunt *Confectio de hyacintho & Alkermes.*

III. [32]. *Evacuationem* per melanagoga, quibus utero appropriata ſemper admiſcenda.

Melancholia virginum & Viduarum.

20. [21]. *Melancholia mulierum*) Inter ſpecies hypochondriacæ melancholiæ recenſeri poteſt ea quæ ab utero promanat, ita ut cum hypochondriaca ſæpiſſime, nec ab ea diſtingui poſſit, conqueruntur enim mulieres quæ ea laborant de variis abdominis doloribus, præſertim lateris ſiniſtri, ubi lien ſitus eſt, & interdum dolor uſque ad ſiniſtram mammam porrigitur; Cumque uterus non ſit ſedes melancholici humoris, vix hunc affectum procreat, quin aliud viſcus primum labefactarit: Hanc autem differentiam inter communem virorum & mulierum melancholiam quidam conſtituunt, ut *Mercatus & à Caſtro* 1. quod illa à communi cauſa proficiſcitur, hæc vero à cauſa fœminis peculiari, vitio ſcilicet ſanguinis menſtrui, tetrum vaporem in cerebrum exhalantis: 2. Quod illa continua eſt, hæc paroxyſmos habet, & per intervalla tantum affligit, unde non ſemper mœrent & lugent, ſed interdum valde hilares eſſe videntur, blando interdum ſanguinis vapore ſeſe melancholico humori admiſcente, & per temporum intervalla lætitiæ ſigna edunt, at poſtea ad priſtinam triſtitiam redeunt; iij. Quod illa ſolum metum habeat & triſtitiam, hæc vero alia ſymptomata annexa habet, ut fletum, riſum, anxietatem, deſperationem, dolores ſiniſtri lateris, mammam interdum occupantes, Verum quis non videt eſſe etiam hæc virorum melancholiæ communia, quæ etiam habet intervalla & aliarum partium ſymptomata, ita ut niſi aliquod aliud hyſtericum pathos melancholiæ huic adjungatur, vix poſſint *ab invicem* diſtingui. *Primiroſius l. 3. c 8.*

[21]. *Mulierum*) Virgines, viduas & ſteriles fœminas magis affligit, quæ vel viro non utuntur, vel menſtrua ſuppreſſa habent, quoniam, ut docet *Hippocr. l. de morb. Virg.* mulier animi eſt magis dejecti: Itaque virginibus viro maturis, cum ſanguis in uterum confluit, nec vacuari poteſt, reſilit in cor & diaphragma, inde cor fit fatuum, ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium apprehendit. Viduis autem illa ob mœrorem animi & intermiſſum Veneris uſum contingere ſolet. *Idem.*

Differentia.

[22]. [23]. *Cum triſtitia, anxietate, fletu vel riſu &c.*) Sunt varii hujus affectus gradus, nam quædam levior eſt, in qua tantum adſunt ſuſpiria, gemitus, fletuſque riſuſque immodici; Alia gravior eſt, in qua adſunt deliria, maniæ, furores, deſperationes, quales erant *Virgines Mileſiæ*, quæ ſeſe ſuſpenderunt, & *Lugdunenſes mulieres*, quæ ſeſe in fluvium præcipitarunt; *Primiroſius.*

23. *Fletu vel riſu*) Refert *Liebantius* ſe vidiſſe puellam annos xv. natam quæ abſque cauſa manifeſta aſſidue plorabat & gemebat, ob menſtruorum retentionem, ſicut oſtendit curatio: Alias duas recenſet, quæ poſtquam diutiſſime abſque cauſa fleviſſent, per horam poſtea riſum continere non poterant.

24. *Per intervalla*) Symptomata ſedato vapore & diſſipato quieſcunt, mulierque ad ſe redit, donec motu corporis vel animi, aut alia de cauſa iterum agitetur, ſicque ſymptomata hæc redeant. *Idem.*

25. *A vapore melancholico*) Cauſa eſt ſanguinis menſtrui ſuppreſſio, qui tandem in melancholicum excrementum faceſſit, maxime iis quibus ex nativa conſtitutione temperamentum ad hujuſmodi humorem generandum proclive eſt: Inde teter vapor in cerebrum & cor invadens anxietates parit, ſpiritus obſcurat, unde timor & mœſtitia: Et ſi ſanguis ille calidior reddatur maniæ fiunt & deliria valde gravia, quædam cum riſu, quædam ſeria, & ejuſmodi vapore diſcuſſo ſymptomata hæc evaneſcunt, donec agitato iterum ejuſmodi humore redintegrentur.

Nec tantum vapor cerebrum & cor afficit, verum etiam ipſe humor melancholicus, ex uteri venis & arteriis in cor, ſplenem, meſenterium & viſcera hypochondriis contenta regurgitat, ſed ſua quoque ſubſtantia hos affectus parit, unde ex ſanguinis copia & vaporibus comprimitur diaphragma, ſicque fiunt ſuſpiria. *Primiroſius.*

Morbi hujus originem *Williſius*, non ab humore atrabilario ibi primo genito, cenſet, ſed melancholiæ originem inde procedere, vel quoniam ob menſtrua ſuppreſſa totus ſanguis inquinatus, & degener factus, poſtea in dyſcraſiam atrabilariam prolabitur: vel quatenus propter veneris ſtimulos, non ſine magna animæ corporeæ reluctatione cohibitos, ſpiritus animales diu cohibiti & adſtricti, demum fixiores & melancholici evadunt.

Oritur hæc Melancholia, ex mente *Williſii*, ait *Lucas Tozzi*, non quidem ex humore ibidem genito, ſed ex ſanguine circumeunte, atque in his uiſceribus inquinato, vel non bene ſecreto; adeoque nonnunquam à ſanguinis vitio, quandoque etiam à regimine animali delirium ordiri; A ſanguinis vitio quidem, ob victum inordinatum, ſuppreſſas evacuationes, aliaſque ſimiles cauſas; A regimine vero animali, ob vehementem triſtitiam, terrores panicos, curas, omnes violentas ac diuturnas animi paſſiones.

26. *Signa ſunt varia*) Quæ ex præcedentibus ferme omnia colligi poſſunt. *Primiroſius.*

27. *Arteriæ circa lienem & dorſum*) Diocles cauſam hypochondriacæ facit inflammationem venarum meſaraicarum, pylori & pancreatis, cui conſentit *Mercatus*, dum cauſam melancholiæ hujus vult eſſe inflammationem arteriæ juxta dorſum, quæ ideo interdum vehementiſſime pulſare ſentitur. In hac ſanguis incaleſcens tetris fuliginibus cerebrum & cor afficit: Verum hæc cauſa viris etiam communis eſt, non mulieribus propria, & propterea febris adeſſet, qua tamen carere ſolent hæ mulieres.

Potius igitur in uteri venis cauſa hæc ſubſiſtit, unde in vicina viſcera regurgitare poteſt, vel vapore tetro eadem inficere: Non negamus tamen poſſe ejuſmodi ſanguinem phlogoſin concipere, & efferveſcere, vel putredine, vel calidorum humorum admiſtione, unde multos calidos flatus emittit qui arterias prope dorſum & lienem vehementius propellunt: Retentus igitur ſanguis exuritur, ita ut tandem frigidus & ſiccus evadat, unde recte notat *Averroes* initio affectionem calidam eſſe, degenerare tamen in ſymptomata frigida, ob caloris innati & tenuioris ſanguinis reſolutionem. *Primiroſius.*

Pulſatio vehemens arteriarum in dorſo.

28. *Dorſum ſolito vehementius pulſant*) De hoc affectu fuſe loquutus eſt *Mercatus*, quod ſymptoma familiare eſt hypochondriacæ melancholiæ; ideo recte ſcripſit *Hippocrates* Præcordiorum venas pulſantes delirium portendere, ſive in hypochondriis ipſis, præcertim in latere ſiniſtro, ſive in dorſo pulſatio ſentiatur, perinde eſt; quamvis enim arteriæ ſint diverſæ cauſa tamen utrobique eadem eſt, ſcilicet ſanguis fervidior ex utero in arterias ſeſe inſinuans, qui eas vehementius impellit.

Morbus ſane diuturnus, & non admodum ratione ſui periculoſus, quamvis ſolutu difficilis ſit, ob cauſæ malum foventis pertinaciam: Interdum etiam, ut advertit *Fernelius*, ſit arteriarum aneuriſma, quod in internis partibus incurabile eſt: In hoc malo mulieres pulſum hunc ſentiunt, calidæ fiunt, & tandem, ſed longo tempore, vitiatis viſceribus contabeſcunt, & ſigna adſunt hypochondriaca, propterea curatio eadem eſt quæ melancholiæ ex utero. *Primeroſius lib 3. c. 10.*

Affectum hunc, viz. pulſationem arteriarum in dorſo & lumbis in duabus mulieribus eodem anno animadverti, poſt diuturnum fluxum ſanguinis ex utero Utraque erat vidua, altera propemodum ſexagenaria, cui fluxus toto ſemeſtri durauit, ita ut ad tabem medicamentis & lactis uſu cohibitus; ſed ſuccedente moleſta illa pulſatione ad tres & ultra menſes: Altera vidua erat, ſed viro citius orbata; hypochondriaca affectione vexabatur: multos conſuluit Medicos; quem ſucceſſum affectus habuerit non reſcivi.

29. *Curatio reſpicit*) Ad curationem *victus ratio* inſtituatur humectans, attenuans & incidens ac parum nutriens, ut ſunt juſcula ex *gallina* cum *radic. fœnic. petroſe, ciceribus & croco, lac amygd. ova recentia, poma cocta, pruna*, &c. Vitentur omnis triſtitiæ occaſiones, ſed omni arte animus diſtrahatur: In reliquis remediis eadem eſt cum hypochondriaca ratio, niſi quod uteri & menſium: ſi ſuppreſſi fuerint habenda eſt ratio. Sanguis vacuandus; humor melancholicus præparandus, Cor & cerebrum roborandum. A cerebro vapores revellendi, per frictiones, ligaturas & lavacra extremarum, ex *decocto chamom. artemiſ. melilot. ſtoech. hed. terr. meliſſ. & ſimil.* Sed *Somni* provocatio maximum hoc in malo remedium, humectat enim & vires reficit, Provocetur tum internis, *Philonio, Pil. de cynogl. Requie Nic. Laudano*, tum Externis lotionibus pedum, fotibus capitis &c. Sed maxime proſunt Balnea aquæ dulcis, quibus ſolis & victu humectante *Galenus* melancholicos ſe curaſſe ſcribit. *Primiroſius.*

30. *Venæ ſectionem*) Hæmorrhoides quoque prouocaſſe erit utile. *Idem.*

31. *Præparationem per illa &c.*) Humor melancholicus præparandus humectantibus & attenuantibus; Tum iis quæ Cor & cerebrum roborant, ut ſunt *conſervæ borrag. bugloſſi, meliſſæ, cortex citri conditus, myrobal. pulvis latit. Galeni aromat roſ. confect. &c.* Idem.

32. *Evacuationem per melanagoga*) Præparatus humor ſæpius purgandus, ſed benignioribus remediis, tum quia humor contumax eſt, tum quia mulieres validiora non ferunt, tum quia fortia purgantia corpus nimium exſiccant; Senſim tamen ad fortiora progrediendum, ut *helleborum, lapidem lazuli & antimonium. Primiroſius.*

CAP.

Cap. XXIII.

DE SYMPTOMATIBVS CONIVGATIS PROPRIIS.

De [1]. Symptomatibus circa conceptionem.

De Sterilitate.

SYmptomata *Conjugatis* propria, reſpiciunt *Conceptionem, Graviditatem, & Partum* [2]. Symptomata circa conceptionem occurrentia ſunt *Sterilitas* & *Mola*.

[3]. *Sterilitas* [4]. *eſt concipiendi*, [5]. *vitio ſeu genitalium, ſeu ſeminis, ſeu uteri, ſeu ſanguinis menſtrui, proveniens impotentia.*

[6]. *Signis* opus non eſt.

Cauſa & [7]. *Curatio* pro ratione Differentiarum variant. In ſpecie verò putatur [8]. conceptum *inhibere* aqua arietis à muliere bibita: & vinum in quo mullus piſcis ſuffocatus.

[9]. *Promovere* autem *Exuviæ ſerpentum* mulieri circumjectæ, aut plantis pedum appoſitæ; [10]. *apri teſtes*, & aëtites femori interno alligatus. *Sal ſatyrionis* ſcr. ſ. doſi in *vino malvatico vel aqua vitæ mulierum* poſt menſtruorum fluxum aliquoties exhibitus. Herba *clandeſtina*, & *Madronna* dicta, à *Dalechampio* deſcripta, ſi ejus radix & folia contuſa & vel cum ovis frixa, vel cruda cum ſale, oleo & aceto comeſta, *Placentula mentaſtri*, coronæ inſtar effigiata, ſub finem menſtruarum purgationum ante congreſſum vulvæ impoſita.

Conceptio in Tuba uteri.

[1]. *Symptomatibus circa conceptionem) Ben. Vaſſallius*, Chirurgus Pariſienſis aperuit die vj. Januar. anni 1669. cadaver mulieris 32. annos natæ, temperamento ſanguineo & habitu corporis ſatis maſculo, præditæ: Repertæ fuere matrices ſingulari connexione à natura tam bene diſpoſitæ, ut vera undecies jam concepiſſet, 7. filios & 4. filias, juſto omnes tempore & debitæ compoſitionis, Atqui habebant fraterculum embryonem conceptum in adjutorio, ſive adminiculo genuini uteri, & quidem in loco ad diſtenſionem tam inepto, ut fœtus grandeſcens decem ſeptimanas funeſtis ſymptomatis matrem exagitaret; tandem 3. ut 4. menſium factus fœtus, carcere effracto tumulum ſibi in ipſa matre paravit excitando ingens ſanguinis profluvium in univerſam abdominis cavitatem, id quod tribus ultimis diebus vehementiſſimi motus convulſivi & denique mors ſubſequuta fuit.

Ego quamvis cum nemine admodum contendere velim, ægre tamen à me impetrare poſſum ut credam gemino inſtructam fuiſſe utero Pariſienſem illam gravidam; niſi vocabulum uteri latiſſime accipere velimus pro quacunque capſula fœtum includente, Quoruſquiſque enim appictam embryi domunculam attentius conſiderat, dextram uteri genuini tubam dilatatam, non autem accurate loquendo uterum ſecundum eſſe confitebitur.

Nimirum fundus uteri eſt locus in cujus rotunda cavitate humani fœtus ordinaria lege concipiuntur; atqui communi gentium conſenſu hactenus ſtatutum fuit uteri humani rotundam illam cavitatem non tantum eſſe genuinam, verum etiam unicam conceptionis ſedem, quinimo extra illam non dari ullam Embryi formationem.

At vero aliter ſe rem habere hiſtoriæ aliquot noſtra patrumque memoria factæ convincunt, *Riolanus 3. Anthrop. 35.* In tuba uteri *inquit*, quod eſt mirabile, fœtum humanum concipi fuit obſervatum. Deinde recenſet quatuor è Tubis ex ſectorum fœtuum exempla: Pertinet huc hiſtoria de uxore civis Viennenſis apud *Ioh. Marquartum tit. de mola matr. p. 392.* de inventis duabus molis extra matricem. Huc ſpectat & obſervatio Muſſipontanæ mulieres embryum extra uterum gerentes.

De modo tantum mens hæret quo *Conceptionis* iſtius *Tubariæ* contingant, concedendum primo ſemen virile non tantum in fundum pervenire, ſed in ipſas inde Tubas penetrare valere, *Deinde* quoque Tubas immane quantum dilatari poſſe, velut illa hydropem in iis paſſa apud *Tulpium lib. 4. Obſ. c. 44. Tertio* maſculum ſemen in Tubas receptum ſemini fœminino commiſceri, ut conjunctim deinde in fundi cavitatem pro fœcundatione & fœtus conformatione refluant, *Denique, in Tubis haud ſecus atque utero, obſtructiones eſſe frequentes*, ut loquitur *Veslingius ſyntagm. Anat. cap 7.*

Suppoſitis his ſequitur miſellam hanc Pariſinam ſub amplexibus venereis ſuſcepiſſe ſemen maris, quod per uteri fundum in dextram uſque Tubam penetrans, & muliebri copulatio, (*vel ovo ex ovario muliebri delapſo*) dum relabi in cavitatem nitebatur, interveniente notabili quadam obſtructione impeditum ſubſtitit, Virtus interim plaſtica, nunquam otioſa, ex miſcella fœcundi ſeminis fabricari fœtum incepit non refragante prorſus loci commoditate, ſiquidem, authore *Riolano Tubæ uteri ejuſdem ſunt naturæ & ſubſtantia cum utero, quia mediocriter carnoſæ*. Porro creſcente fœtu magis dilatari tuba cœpit, imo & membranæ ipſius ſpiſſari adeo ut craſſitie ſua uterum genuinum æmularetur.

Tubarias autem ejuſmodi *Conceptiones* Embryo ſemper, matri utplurimum lethales eſſe arbitramur; per anguſtum enim Tubæ ductum remeare in uteri cavum haud valet fœtus grandior, unde aut ſuffocatus in matrice illa falſa, ſi ea ſit ſpiſſior, aut ſi tenuior, vi perrumpit, & in cavum abdominis prolabitur: Eam rupturam inſignis hæmorrhagia neceſſario comitatur, imo lethalis, niſi abdomine artificioſe diviſo ſanguis effuſus evacuetur, & embryo nova partus cæſarei methodo eximatur.

Hujus equidem operationis, qua exciſo fœtu in Tuba concepto parens ſervata ſit, etiamſi exemplum nondum extet, fieri tamen eam poſſe non magis eſt negandum quam partum Cæſareum hactenus cognitum; Atqui nec illud negandum, tum in tubis variorum morborum muliebrium cauſas latere hactenus

ignotas, tum in ligamentis uteri teretibus, quippe quæ non ſimplicia, ſed concava eſſe, &c. duplici membrana, haud ſecus atque uterum ipſum componi, imo per eadem ſeminalem materiam, nec non alia coacervata excrementa ad inguina expelli ex *Veslingii Anat. cap. 7.* aliiſque Neotericis abunde conſtat.

Ita quidem hac de re ita conjicio nondum meliora doctus, atqui *G. Harvei* de Gen. anim. ſententia, quæ jam inter Doctos ventilatur, ejuſmodi experimentis majus acquiſitura robur videtur; quippe ſi in Tubas poſt coitum ſecedit ſemen, quod mirum ſi in cervis & damis primo menſe vacuam uteri cavitatem ipſe invenit? Qua de controverſia legi merentur, poſt *A Deuſingium*, Jani Orchami, *Conjectura de gener. animal.* Et examen illius libelli quod nuper *G. Frid. Rallius* Medicus Stetinenſis divulgavit. *Joh. Sigiſmundus Esholtius M.S. Vol 2. pag. 60.*

Falſa Conc.

Nob. vidua 55. annorum, mortuo marito, patiebatur vomitum, nauſeam, horrorem, uteri contractionem, & quæ alia ſueta prægnantibus tempore, venter intumeſcebat, motus aderat etiam ſatis fortis in ventre, mammæ preſſæ fundebant liquorem aquoſum, dicebat ſe gravidam, (utpote antea decem liberorum mater, hujuſque rei ſatis gnara) aſt ego repugnabam multas ob rationes: Expectamus tempus partus, & juſto tempore accedebat, cum alteratione inſigni, aderat quippe cephalalgia, cardialgia, extenſio abdominis dolorifica, anguſtia pectoris cum metu ſuffocationis: Applicamus interna & externa, ſpirituoſa & bezoartica, ſudat per noctem copioſiſſime, (nam circa veſperam erat hæc invaſio) mane alvum deponit aliquoties, reſpiratio fit melior, extenſio abdominis evaneſcit, venterque ſenſim ac ſenſim indies detumeſcit, adque priſtinam figuram redit, Et ſic ſpes pariendi cum prole aufugit. *Samuel Ledelius m.ſ. vol. 2. p. 69.*

Juvencula eadem perſuaſione laborabat, obſtetrix ſatis ſagax idem affirmabat, omnia apparantur, fœmina ad partum ſe accingit, exſibilant flatus per uterum, fluit materia rubra, aquoſa, cum fruſtis ſanguinis craſſioris, nullus autem fœtus. *Idem ibid.*

Quam mire miſereque mulierculis ſæpenumero imponant ſigna ex quibus imprægnationem metiri aſſolent, experientiam quotidie ſuffragantem habemus, Quid frequentius atque audito Lunari tributo ſubſiſtente de ingravidatione ſtatim cogitare? Quid evidentius Puerperii ſubſequuturi ſignum quam ventrem geſtare tumidum elatoque ſuperbientem faſtigio? Non mens eſt omnes recitare hiſtorias quas circa hoc negotium ſæpe obſervavi Practicas, qui optima recordor fuiſſe quæ per tres anni quadras ventres geſtarent prætumidos, aliaque etiam gravidis alioquin familiaria experirentur ſymptomata, poſthac tamen per metas abdominis inflationes, menſeſque circa vaſa uterina diutius ſubſiſtentes ſe deceptas ſentirent.

Ceſſant apud fœminam quandam Catamenia, venter indies juſta intumeſcit mole, alia quoque in puerperium conſpirant indicia, labitur hebdomas à conceptione decima nona, unde nulla audiviſſes verba alia, niſi de rebus ad puerperium neceſſariis rite adornandis; ſub initium hebdomadis xx. conqueri cœpit de nauſea, abdominis dolore, hinc cum conſternatione ſui adſtantiumque ſequitur vomitus ſanguinis coagulati, fœtidiſſimi, lobos pulmonum æmulantis, & cuticulis undique circumdati, ut inde viſcerum exulceratorum metus quibuſdam incuteretur, Vomitu taliſmodi per tres circiter dies ægerrimam affligebat periodice, tanta vero copia, ut animam exſpirare jamjam videretur: Venter inde detumuit inſigniter, ſubſequuta febris continua, cum vigiliis, lipothymiis, extremaque imbecillitate: Ego viſo cruore, auditoque ſtatu ægræ antecedenti, eundem non à pulmonibus aliiſque viſceribus, verum ex vaſis uterinis per totum falſo putatæ geſtationis tempus inibi cumulatum, diuturnaque mora in ejuſmodi formas concretum eſſe pronunciavi, Obviam ivi miſeræ confortantibus, reſolventibus, & febrim reſpicientibus, &c. *E. Hagendorn. ibid.*

De Conceptu falſo hanc accipe hiſtoriam. Nobiliſſ. Matrona poſt multorum annorum ſterilitatem ſe concepiſſe gaviſa, ex omnibus ſignis, apud alias conſuetis, ad partum, omnia debito tempore præparat, advocataque obſtetrice, uteri dolores quaſi jam parturа experitur, nullo tamen fœtu prodeunte; Poſtea ſenſim detumuit venter ſicut antea accreverat, & ſpe excidit fœmina prolem in ſecundo conjugio deſiderans. *Th. Bartholinus.*

Fœmina cum biennio tumidum geſtaſſet ventrem, tandem dolore parturienti ſimili accedente, ter magno cum conatu ex utero per pudenda excluſit. *Hoecſtetter. Dec. 6. Obſ. 4.*

Baronis uxor pro gravida habita, octavo menſe loco fœtus ſonorum flatum dimidii quadrantis horæ ſpatio utero extruſit, cum albæ pituitæ colluvie multa. *Zacutus Pr. adm. lib. 2. Obſ. 151.*

Nonimeſtris dolore partus vexata ter bombum ex utero magna vi elidens, ac ſi tonitruum exaudiretur. *Idem obſ 50.*

Juvencula gravida facta omnia prægnantis ſolita experta eſt ſymptomata, ea ſana poſt xiv. ſeptimanas fœtus in utero motum ſenſit, tempus partui debitum emenſa eſt, indicia imminentis partus adeſſe rata, omnia jubet eſſe in promptu, incunabula, obſtetricem, ſed fruſtra omnia, motus ſoliti ceſſarunt, paulatim ut increverat venter detumuit abſque ulla ægritudine, manſit tamen ſterilis. *Harveus Exerc. de Partu pag. 500.*

Matrona quæ plus decies enixa fuerat, quamque menſtruorum ſuppreſſio citra prægnationem nunquam feſellerat, poſt alteri nupta, præter alia ſigna ſolita ex motu quoque (quam ipſa ſororque ejus juxta cubans ſæpe noctu ſentiebant) ſeſe gravidam judicabat, tandem ſpes omnis in flatum & pinguedinem receſſit. *Idem.*

Falſa Conceptio.

2. *Symptoma circa Conceptionem ſunt ſterilitas & mola*) Naturam fœminarum non raro à deſtinato legitimo Fœtus opere, ob varia impedimenta aberraſſe teſtari poterunt tam variæ *Molarum* differentiæ. Aberravit natura à legitimo partu, quando in Norvvegia à fœmina partus tempore ovum excluſum: *Barthol. cent. 1. Hiſt. 4.* quod & in agro Vicontino anno 1621. fœminæ obortis doloribus parienti conſuetis accidiſſe refert *Joh. Rhodius cent.* iij. *Obſ. 57.*

Aberravit natura quando loco legitimi fœtus ſolum, aut una, vel poſt fœtus, varia excluſit ex utero animalia, *glirem* & *piſciculos* apud *Th. Bartholin. c. 1. Obſ. 10.* *Ranas*, quod in quibuſdam regni Neapolitani familiare eſſe *Debrio Diſqu. mag. lib. 11. qu. 7.* tradit. *Mures* Egræ quinque enixos, *Salmuth. c. 10. 62.* *Serpentes* apud *Schenckium l. 4. Obſ 230.* apud *Hollerium Prax. lib. 1. cap. 61.* & apud *C. Bauhinum*, not. in *Rouſſetum* de *Partu Cæſ.* Copiam *Aſtacorum*, apud *Schenckium* lib. 4. Obſerv. 23. *Rubetis* ſimilia animalia apud *Hollerium* Prax. l. 1. c. 61. in ſchol. *Alatum animal* apud L. *Lemnium lib. 1. de Occ. N. m.* c. 8. & apud

m. *de*

m.de Gradi in Rhaſis cap. 29. In Comitiſſa Mansfeldia, *Avem* apud *Salmuth. capit. 1. Obſervat. 66.* In fœminis Longobardis *Arparum*, Lombardorum fratrum nomine partus familiaris apud *Riverium Centur. 2. obſerv.100.* ex crebro fructuum, olerum, aliorumve ciborum mali ſucci eſu; quos monſtroſos uteri verminoſos partus *Platearius* vocat *fratres Salernitanorum, Tornamira*, Harpas, *Al. Benedictus* Harpyas, *Savonorolas & Bonaciolus* Feras, malumque Argentoratenſibus fœminis non infrequens eſſe aſſerit. *Sebiſius Tr. de caſu adol.& p.58.*

Aberrat non minus natura, quando Gravidarum venter tandem rurſus ſponte detumeſcit, ut inferius videbitur: Imponit interdum *Hydrops* ut graviditas putetur, vide *Bartholinum cap.3. H.6.* ubi anatome fœminę falſo prægnantis creditæ, ex affuſione ſeroſi ſanguinis è venis in abdomen: Magis deludit *Mola aquoſa*, apud *Rhodium cap.3. obſerv.55.* Matronæ 55.ann. menſes ſuppreſſi, rugitus ac flatus ventris, cum videretur partui vicina, excreto humore ea quantitate quam 3. vel 4. pelves occuparent, venter rurſus detumuit: *Zacutus Pr. A.l.3.obſerv.152.* narrat fœminam per 10. dies ſingulis diebus aquæ ℔v. ſero lactis ſimilis ex utero profudiſſe, detumeſcente tandem ventre.

Interdum quidem vera fit conceptio, ſed cum nullus legitimo tempore edatur partus, *falſus putatur fuiſſe Conceptio*, Nam vel *exſiccatur fœtus in utero* apud *Bartholinum centur.1. Hiſt.12.* non aliter ac vitulus in utero vaccæ exſiccatus; *Vide cap.2. h.2.* Vel *petrificatur*, uti *fœtus Senonenſis*, de quo *Albosius Gallus* ſingulari tractatu & alii; Aut *fœtus Muſſipontanus* gypſeus factus, de quo *Laur. Strauſsius & Deuſingius.*

Non raro *totus perit conceptus, & in putrilaginem* vertitur ſenſim in dies tanquam fluores albi emanans, oſſibus relictis in utero, & poſt aliquot annos tandem expulſis, Exempla vide apud *Sennertum*, *Rouſeum*, *Diomed. Cornarium, Tulpium, Harvæum Exerc.de Partu p. 499.*

Maxime tamen credibile in falſa conceptione Flatus utero incluſos loco veri Embryonis ſuppoſititium Aeolium & anemium partum producere, Expectant matres & Obſtetrices fœtum, ut

> *Parturiant ventres naſcitur ridiculum St.*
> Aut *ſine mente ſonus reboat, crepitus ſtrepitusque eduntur.*

Et ut alterius Poëtæ verſus adducam, qui Acciellæ falſum conceptum eleganter deſcribit.

> *Venter cum detumuiſſet Accellæ*
> *Septem menſibus, & novem diebus*
> *Cœpiſſetque Lien parum dolere*
> *Accerſi jubet illico obſtetricem,*
> *Quæri faſciolas & apparari*
> *Sperato puerum editura partu,*
> *Mox inter medias manus miniſtræ*
> *Laxo poplite, cruribus levatis*
> *Lucinam geminans quater pepedit*

Obſervavi, *inquit Bartholinus centur.3. hiſtor. 2.* ex flatibus ſæpe commotum uterum impoſuiſſe mulieribus, quæ falſo ſibi perſuaſerant ſe & uterum geſtare & embryonis motum percepiſſe. *Med.Sept.vol.2.p.69.* Vide inferius alia exempla & aliud ex *Th.Bartholino M. S.p. 73.*

3. *Sterilitas*) Sterilitatis nomen non adeo ſtricta ſignificatione in hoc loco uſurpatur, ut tantum omnimodum concipiendi defectum, & integram abolitionem ſignificet, ſed in ampla & lata, ut omnem concipiendi impotentiam, omneque impedimentum comprehendat, quando nimirum mulier ea ætate, qua ad concipiendum habilis eſſe debet, & viri conſuetudine utens, non concipit; & talis defectus ἀγονία ſeu ἀτοκία nominatur. *Riverius.*

Ex illis quæ hoc modo Steriles infœcundæ ſunt, aliæ ſanæ nihilominus & bene habitæ ſunt, magiſque quam quæ aliquoties procrearunt plerumque pingueſcunt, tardi uſque ſeneſcunt, Plerumque vero accidentia uteri quædam huic defectui copulata ſunt, Quod vel menſtrua nunquam illis apparuerunt, quæ *viragines* tunc ob hanc cauſam, tum quod non generant appellantur, Vel quod quæ prius fluxerant nunc ſuppreſſa ſunt, aut parcius vel *nullo ordine* fluunt, aut cum *difficultate doloreque alieno*, Quibus frequens hoc accedit malum quod *uterinus albus fluor* infœcundis conſuetus eſt; Sed & alia etiam interdum patiuntur ſymptomata, quæ omnia ſterilitati occaſionem vel præbent, vel inde naſcuntur; Huc & hoc incommodum referri poſſet, quod aliquæ fœminas tantum pariunt, præſertim ſi hoc ſucceſſionem ſtirpis impediat; Verum & aliæ tantum maſculos, fœminaſque habere optant. *Platerus.*

4. *Eſt concipiendi*) *Hippocrates* omnia ad fœcunditatem neceſſaria paucis comprehendit, Parvæ, *inquit*, mulieres ad concipiendum præſtantiores ſunt majoribus, tenues craſſis, albæ rubicundis, nigræ lividis, quæ venas conſpicuas habent meliores ſunt aliis; carnem autem uberiorem habere malum eſt, mammas tumidas & magnas bonum, menſtrua pariter bene apparere oportet, ſatis magna copia & colore bono. Locum autem in quo fit conceptio ſanum eſſe oportet & ſiccum, Sitque uterus non retractus, non pronus, os non ſit averſum, nec occluſum, neque everſum.

5. *Vitio ſeu genitalium &c.*) Hæc ſterilitas, ſeu concipiendi impotentia à pluribus cauſis excitatur, quas omnes ad quatuor capita revocare poſſumus, juxta quatuor operationes naturales quæ ad conceptionem perficiendam requiruntur; quarum *prima* eſt ut mulier in congreſſu venereo virile ſemen convenienter in utero recipiat; *Secunda*, ut receptum debito tempore retineat, *Tertia* ut illud in utero foveat & conſervet; *Quarta* ut debitam materiam ſuppeditet ad embryonis conformationem & incrementum neceſſariam; Hinc quatuor conceptionis impedimenta oriuntur, ſi nempe mulier ſemen non recipiat, non retineat, non conſervet, & non nutriat. *Riverius.* Cauſas omnes paucis perſtringit. *Walæus Med. Prax. capite 20.* Sterilitas, *inquit*, fit vel *Seminis*, vel *ſanguinis menſtrui*, vel *Penis* vitio: *Seminis*, quando vel ineptum, vel nullum eſt, vel non venit ad uterum; Semen deeſt, quando non generatur, quod fit vel materiæ, vel efficientis vitio: *Semen ineptum* eſt, ſi ſit nimis craſſum, vel aquoſum, vel impurum; Quando vero ſemen deeſt, vel ineptum eſt, ab iiſdem cauſis oritur, ſecundum magis & minus differentibus, atque hoc fit vel vitio materiæ vel efficientis: *Vitio materiæ*, ſi vel deeſt, ut poſt evacuationes, vel pauca eſt, Vitium *efficientis* eſt ſi Teſtes non bene elaborant, vel partes concoctrices non bene præparant, ut ventriculus, hepar, cor vel ob frigus, vel ob calorem, quod tamen admodum rarum eſt; quamvis male ſe habentibus partibus concoctricibus ſemen ineptum ſit, vel deficiat; Lienoſi tamen ſemine abundant, quod mirum: *Teſtes* non bene elaborant ob eorum contuſionem & malam conformationem: Sterilitas etiam oritur quando *ſemen* eſt improportionatum, hoc eſt cum ſemina non conveniunt in qualitatibus, vel quando mas & fœmina non ſimul eodem tempore excernunt, quæ frequentiſſima eſt cauſa; *Non venit ſemen ad uterum*, quando eſt *pa-*

ralyſis membri virilis, vel ſemen depravate excernitur, vel quando uterus non bene recipit, ut quando aliqua eſt anguſtia in uteri orificio; *Vitium in ſanguine menſtruo* eſt, quando vel non eſt, ob ſuppreſſionem, vel quando nimis aquoſus, ut contingit in fluxu muliebri, vel nimis confertim ad uterum fluit: In *Vtero* vitium eſt, quando nimis eſt frigidus, raro nimis calidus aut ſiccus: Occluſio orificii interioris fit ab excretione menſium, unde invertitur.

Virilis membri cauſa, modo tale ut actum Venereum exercere poſſit rarius ſterilitas accidit; Neque enim, ſi eam longitudinem qua aliqui aliis prævalent, non habeat, modo recte formatum actum obire poſſit, hoc quominus ſemen ab ipſo rejectum utero (qui cum calet ſeminis appetens, facile couſque progreditur: illudque arripit) concipi queat, niſi aliud obſtet, impedimentum afferet. *Platerus.*

6. *Signis*) Optimum erit primum mulieris conformationem, habitum, colorem conſiderare, num pinguis ſit an macilenta, procera aut puſilla, pectore amplo & mammis; Tum an aliqua parte doleat, ſitne aliquod viſcus imbecillum, vel obſtructum, hepar, lien, uterus; num menſtrua ſint laudabilia quantitate, qualitate, exeundi modo: num ulcera patiatur, vel fluxus albos, num coitus probe fiat, eoque delectetur vel non &c. *Primiroſius* Diagnoſin &c.

Diagnoſtica juxta quatuor propoſitas (vide §. *vitio ſive genitalium*) cauſarum claſſes percurrenda ſunt, Ac primum cauſæ *ſeminis receptionem* impedientes difficilem non habent diagnoſin & ipſis ſenſibus conſpicuæ ſunt, facile enim dignoſcitur ætas tenerior aut provectior, mala partium utero vicinarum conformatio, ut quando mulieres claudæ ſunt, vel crura diſtorta, aut coccygem depreſſum habent, & pinguedo nimia, frigiditas vero uteri in tertia cauſarum claſſe indagabitur: Odium inter conjuges ex eorum & adſtantium relatu innoteſcet, Morbi etiam particulares, ſeminis receptionem impedientes, ut tumores, ulcera, obſtructiones, adſtrictiones, clauſuræ, diſtorſiones, partium genitalium exploratione ab obſtetrice vel Chirurgo innoteſcent. Ex cauſis *Seminis retentionem* impedientibus, quæ ſecundam claſſem conſtituunt humiditas nimia in tertia claſſe exponetur; Abortus vero & partus laborioſus ex mulieris relatu dependet: Tertiæ claſſis cauſæ, quæ ſcilicet *ſemen corrumpere* valent, accuratiorem requirunt diagnoſin, quam nos ſic perſequimur: Uteri intemperierum ſigna vide ſupra *art. 1. capite 2.* Si ex *maleficio* ſeminis corruptela & ſterilitas contingat, abſunt omnia alia ſigna quæ cauſas manifeſtas poſſunt indicare; aderit autem aliquod divortium inter conjuges, cujus neuter rationem ſatis appoſite reddere poteſt, imo & interdum ſeminis utriuſque ejaculatio, raro, difficulter & cum labore fit: *Alimenta* aut *venena* ſemen extinguentia, ſi aſſumpta fuerint, ex diligenti mulierum interrogatione & adſtantium relatu perdiſcendum eſt: Ac denique morbi maligni ſemen extinguere valentes, ut Elephantiaſis, Lues venerea, aliique propriis ſignis innoteſcent; Quarta ſterilitatis cauſa, quæ in *menſtrui ſanguinis defectu* aut prava qualitate præcipue conſiſtit, dignoſcitur primo ex nimia totius corporis pinguedine, ad cujus nutritionem ſanguis abſumitur, & fœtui alendo non ſuppeditatur: Idem oſtendit corporis gracilitas & ſumma macies; cum enim ſanguis non ſufficiat ad corporis nutritionem, vix ſupereſſe poterit ad fœtus incrementum: Ac denique ea omnia quæ ſanguinem abſumere & multum imminuere potuerunt, ſi præceſſerint, vel adfuerint, ejuſdem penuriam in corpore ſignificant, ut labores immenſi, vigiliæ aſſiduæ, jejunia auſtera, larga hæmorrhagia, febres acutæ vel diuturnæ, ulcera fiſtuloſa, & cauteria multum fluentia: Nimia etiam *ſanguinis quantitas* interdum ſeminis atque embryonis nutritionem impedit, obruitur enim ſemen à nimia illa copia, & vim ſuam plaſticam exercere non poteſt: Hoc contingere ſolet in mulieribus plethoricis ac rubicundioribus, genio & crapulæ indulgentibus, quibus uterus perpetuo quaſi madore proluitur; Prava vero ſanguinis qualitas, ſeu cacochymia, ex pravo corporis habitu, menſtruorum colore, aliiſque conditionibus alienis, & prava victus ratione prægreſſa innoteſcet; *Seminum* utriuſque conjugis improportio difficile cognoſcitur, ſi tamen ambo calidiori admodum, aut frigidiori temperamento præditi ſint, ex illa intemperie improportionem provenire conjiciemus, ſi aliæ ſterilitatis cauſæ manifeſtæ non appareant. Difficilius adhuc cognoſcitur ſterilitas quæ ab occulta quadam diſpoſitione dependet, nullis illius cauſis manifeſtis apparentibus: Apud authores tamen multa reperiuntur experimenta, quibus internoſci poſſit, an mulier à nativa conſtitutione ſterilis ſit, quæ licet omnimodam certitudinem non habent, coguntur tamen interdum ea in uſum revocare, in gratiam Principum & Magnatum, quibus licet ſterilitatis cauſa divortium facere. *Riverius.*

Mulierem fœcundam dignoſcit *Hippocrat. aphor. 59. 5. Si mulier non concipit, ſcire autem velis an conceptura ſit, pannis circumtectam inferne ſuffito; ſi odor videatur per corpus ad nares & os uſque tibi pervadere videatur non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito.* Nam, ut inquit *Galenus in comm. ſi odorem non ſentiat haud dubie denſum, obſtructum & intemperatum inſigniter uterum eſſe neceſſe eſt*, Iſtud experimentum *Maſſaria* aſſerit eſſe veriſſimum: Suffitus autem fiat ex *myrrha, thure, ſtyrace, galbano, reſina*, & aliis calidis odoratis, quorum vapor excipiatur per infundibulum, Quinetiam *allium* peſſi forma dormituræ ſubditum, ſi odor vel ſapor ad os pertingat, fœcunda eſt, ex *Aëtio*, ſin minus ſterilis: Pariter *galbanum* ſerico incluſum mulieris utero ſubdito, ſi mane caput mulieris galbanum redolet, fœcunda eſt, Obſtructio uteri impedit odoris tranſitum, frigiditas & humiditas extinguunt, ſiccitas & calor conſumunt & reſolvunt Suffitum. Jubet quoq; *Ariſtoteles* colores oculis imponi, qui ſi ſalivam inficiant, fœcunditatem, ſi non, ſterilitatem arguunt: *Amatus* centur. 6. cur. 6. ſequens commendat, *Coaguli leporis* ℥j. aqua calida diſſolve, & jejunæ propinato; ſi ventris dolorem ſentit apta eſt, ſin minus inepta eſt ad conceptionem: Item fiat *Peſſus ex melanthio & melle*, ſi ſuperveniat febris, fœcunda eſt, ſin minus ſterilis, ſed peſſus ter renovetur; Si nullum ſuccedat ſymptoma, infœcunda judicatur, ut refert *Rod. à Caſtro* ex Medico quodam Haſpano, quæ ſigna omnia ſunt admodum infida & incerta. *Primiroſius.* Optimum erit &c.

7. *Curatio pro ratione Differentiarum*) Fit ſecundum cauſarum varietatem, ideo quoniam aliis locis plures uteri affectus tractantur, à quibus poteſt pendere ſterilitas, ideo ad illorum curationem eſt recurrendum, & diligenter conſiderandæ ſunt omnes cauſæ quæ hoc ſymptoma inferre poſſunt, tam internæ quam externæ, ut ætas, habitus, temperamentum totius corporis & partium internarum, ut jecoris, ventriculi, aliarum, partium. *Primiroſius.*

8. *Conceptum*

[8.] *Conceptum inhibere*) Inter res externas, alimenta quædam & venena conceptum impediunt, ſemen corrumpendo, Inter alimenta *acetum, mentha, ſyſimbrium aquaticum, faba* & ſimilia. Inter Venena, aut ſaltem deleteriam quandam qualitatem ad ſterilitatem inducendam obtinent, *lapis gagates*, *vulva capræ*, aut *mulæ*, *noctiluca*, *ſapphirus*, *ſmaragdus* & ſimilia. *Riverius.*

[9.] *Promovere autem*) *Alex. Benedictus lib 30. de cur. m.* umbilicum infantis, qui ſponte cadit, quoquomodo in cibo ſumptum ſi ignoraverit mulier ad conceptum facere, prodidit; illumque in brachialibus à muliere geſtatum conceptum inhibere credit: *Cervinum penem* aridum & in farinam redactum, oboli pondere, à coitu fœminis datum proculdubio ad concipiendum prodeſſe experimento probat: *Baverius conſ. 50. Vterum cervinum* ſingulari dote ad conceptum valere prædicat.

[9.] *Promovere*) Huc pertinet *Fabri* experimentum, qui *Sal leporis* ſterilitatem utriuſque ſexus curare ſcribit, ſi *Vini* ſpiritu ſolutum detur per menſem integrum. *Panchym. l. 5. cap. 33.*

[10.] *Apri teſtes*) Magna eſt uxoraris inquietudo, prole carere, propterea ut à tanto infortunio liberentur, prolemque habeant, per aliquot dies jejuno ſtomacho vir & uxor cum jure galli veteris, teſticulorum apri, ſive verris in umbra exſiccatorum pulverem capiant: profecto brevi tempore optatum adipiſcentur, ut in multis ſterilibus ex quacunque cauſa non ſemel expertum eſt. *Ex Democrito.*

Differentiæ.

[11.] *Differentiæ à vitio genitalium partium*, *ſanguinis*, *ſeminis* & *uteri* ſumuntur.

I. *Vitio partium genitalium*, ſeu illud ſit *Clauſura* uteri ab ortu, quæ findi artificioſe poteſt; [12.] ſeu *tenella* vel ob ætatem vel ſtructuram *conſtitutio*, ob quam virile membrum non admittitur: ſeu tumores, ulcera, & excreſcentiæ in cervice; ad quæ curatio obvertenda eſt. [13.] Et hæc ſterilitas non eſt propriè dicta ſterilitas.

II. [14.] *Vitio ſanguinis menſtrui*, quando *vel* deeſt; quod accidit, vel utero cicatrice obducto, vel ſanguine in pinguedinem abeunte: [15.] *vel* copioſus eſt, ut ſemen obruatur & ſuffocetur, qui detrahendus.

III. [16.] *Vitio* [17.] *ſeminis.* Nam

I. Alia eſt ab ejus [18.] *defectu* vel *infœcunditate ſeminis*, [19.] quæ oritur.

1. Propter *ætatem teneram*, vel nimis adultam.

2. Propter *vaſorum* ſemini generando & continendo dicatorum *intemperiem*.

Et *tum*, Mulier [21.] in congreſſu vel nullam, vel paucam & brevem voluptatem percipit, affecti uteri ſigna adſunt, vel totum corpus, vel membrum aliquod vitioſa conſtitutione laborat.

[22.] *Curatio* ad intemperiem uteri obvertenda eſt.

3. Propter eorundem *vaſorum malam conformationem*.

II. Alia à [23.] *defectu proportionis inter ſemen virile & fœmininum*, [24.] qui inter manifeſtas [25.] & occultas qualitates conſiſtit; maximè autem oritur.

1. [26.] A *medicamentis* ſemen extinguentibus, ut ſunt, *vulva capræ, mentha, ruta, camphora*, quæ vel ægra, vel adſtantes patefacient.

2. [27.] Ab *Incantationibus*, & *tum*, vir cum ſuâ coire non poteſt, cum aliis poteſt, appetitum cum ſua congrediendi habet; [28.] & ſi cum uxore coit, ſemen emittere non poteſt.

[29.] In *Curatione* laudatur hauſtus *aquæ frigidæ ex ore equi maſculi* non caſtrati in præterfluente potantis elapſæ, & ſubitò vaſculo collectæ.

IV. [30.] *Vitio uteri.* Nam.

I. [31.] Alia eſt *quando uterus ſemen injectum non attrahit*, idque vel propter [32.] *intemperiem frigidam* & humidam, de qua ſuperius. Vel propter [33.] *morbos aliquos organicos*, *& unitatis ſolutæ.*

Vbi nota, ſæpiſſimè [34.] nimiam pinguedinem, [35.] omenti præſertim, os uteri comprimere. Sterilitatem ex ulceribus difficulter curari; imò etiam ſi ulcus magnum curetur, eamdem tamen propter cicatricem relictam, ob quam nec ſanguis utero adhæreſcere, nec ſanguis effluere poteſt, manere. A gracili quoque & emaciato nec ſemen attrahi, nec retineri, & ſi retinetur, quia calore & ſpiritu deſtituitur, non foveri. Vnde *Hippocrates Aphor, V. 44.* [36.] Quæ præter naturam tenues uterum gerunt, abortiunt, donec habitiores evaſerint. [37.] Proſunt morſelli ex *nuce Indica, pineis*, *piſtachiis* &c. confecti; placentæ cum *oleo olivarum* ſubactæ, &c.

II. Alia eſt, quando [38.] *uterus* [39.] *ſemen injectum non retinet*, [40.] idque 1 vel ob *intemperiem humidam*; quæ ex eo [41.] *cognoſcitur*, quod uteri fibræ laxentur, ut non poſſit ſeſe contrahere, ſemen propter mucores illos eidem adhæreſcere non poteſt, Idem per aliquot dies retentum ejicitur.

[42.] *Curatio* ad intemperiem obvertenda eſt, [43.] proſuntque thermæ, & aquæ acidulæ.

2. Vel ob [44.] *denſitatem uteri.* Nam tum ſanguis, à quo ſemen utero adnaſci & incrementum ſumere debet, non allabitur.

Curatio requirit Extenuationem per victum tenuem, exercitium, purgationes, ſudores, & alia.

3. Vel ob ipſius *lubricitatem*; [45] & tum, fluor muliebris vel virulenta gonorrhœa accidit, ſemen conceptum extinguitur & rapitur.

Curatio ex ſuis locis petenda eſt.

4. Vel [46] ob *ipſius orificii hiatum*; & tum, aut difficilis partus, aut abortus præceſſit, fibræ ita laxantur, ut ſe non contrahant.

In Curatione inter adſtringentia fotus ex foliis lentiſci, myrti, &c. locum habent.

5. [47] Vel ob *tuſſim*, *ſternutationem*, quæ poſt congreſſum accidit, &c. [48] quibus ſemen excutitur.

III. Alia eſt, [49] *quando uterus ſemen injectum non alterat*, [50] idque vel ob *intemperiem*, [51] ubi uteri ex immodicâ frigiditate denſiores evadunt, anguſta ſunt admodum & ſtricta vaſorum ad ea pertinentium orificia, unde nec ſecundæ agglutinari ad vaſorum ora poſſunt: nec in ſufficienti copia ſanguis, qui etiam eſt ſeroſus, affluit.

Vel ob *morbos organicos*, ut tumores, ulcera, &c.

11. *Differentia à vitio*) Cauſæ iſtius affectus variæ ab Authoribus afferuntur, Fit enim ſterilitas vel vitio maris, vel fœminæ, vel utriuſque, ut ſi morbo aliquo vel diuturno vel acuto laborent, à quo præcipuæ corporis partes, ventriculus, jecur, lien, pulmones labefactantur; maxime ſi cachexia, leucophlegmatia, icterus, corporis extenuatio, tabes, lenta febris, aliuſque ſimilis affectus ex pravorum humorum congeſtione ſubſequatur: Quædam etiam citra manifeſtam corporis actionumque vitæ offenſionem latente quodam vitio tentantur, unde pariter ſteriles eſſe ſolent; His enim omnibus aut deeſt ſemen, aut prorſus infœcundum excernitur: viſæ tamen ſunt mulieres etiam cum ejuſmodi vitiis concepiſſe, ſed vel fœtus languidos & immaturos, vel molas & irritos conceptus. *Primiroſius.*

11. *Differentiæ à vitio*) Alia enim ſterilium eſt tractandi ratio habito reſpectu ad totum, ad uterum & lienem; Steriles enim omnes ſunt hypochondriacæ, vel tales redduntur tandem: *Wedelius A. m. m. p. 482.*

12. *Seu tenella vel ob ætatem*) Anguſtia partium genitalium ob ætatem juvenculam curatione non indiget, ſiquidem ætatis progreſſu ad convenientem amplitudinem reducitur; Interim tamen coitus abſtinentia eſt neceſſaria, ab illo enim præmaturo partes iſtæ à naturali conſtitutione dejiciuntur: Quæ vero à parva ſtatura, aut ætate provectiore procedit, incurabilis eſt, tentari tamen poteſt emollientibus & relaxantibus medicamentis adhibitis, ſi adhuc menſtruæ purgationes profluxerint. *Riverius.*

13. *Et hæc ſterilitas non eſt proprie*) Quatuor ſunt iſtius affectus differentiæ, nam quædam abſolute ſteriles ſunt, quæ nunquam concipere poſſunt, etiamſi utantur virili congreſſu, unius aut plurium, & remediis adjuventur: Aliæ vero tantum comparate & reſpectu ad virum, quæ etſi in primo matrimonio ſteriles ſint, in ſecundo tamen alteri viro conjunctæ concipiunt & fœcundæ ſunt; Aliæ vero tantum ad tempus, ob affectum aliquem uteri, quo curato poſtea concipiunt; Aliæ demum pepererunt quidem, poſtea tamen fiunt ſteriles ob vitium aliquod in partu contractum, Nam mulier, etſi ſemel conceperit, cenſetur tamen ſterilis, ſi amplius non concipiat, Steriles autem non debent cenſeri quæ concipiunt & ſemper abortiunt, quamvis *Moſchio* eas ſteriles eſſe cenſeat. *Primiroſius.*

14. *Vitio ſanguinis menſtrui*) Menſium vitium ſterilitatem inducit, quando copia, qualitate, ordine, tempore & modo excernendi p. n. ſe habent: Parcior ſanguis, ut in junioribus, ſenioribus, nutricibus, obſtructis, longo morbo laborantibus, conceptum impedit, quia deficit materia, ad seminis nutritionem, perfectam fœtus conformationem & incrementum; ſic apud *Hippocr. 6. Epidem.* mulier virago non concipit, nec hermaphroditica, quia hæc non ſolet habere uterum rite diſpoſitum; illa vero ſanguineam materiam in alios uſus conſumit; Nimia autem ſanguinis copia ſeminis vim obruit; Dubium tamen eſt an mulieres fœcundas neceſſe ſit eſſe menſtruales? Dicimus menſtrua ætatis ratione, ut in ſenioribus & junioribus deficientia conceptionem prohibere; pariter ſi ob tabem, febrem hecticam, morbos maciem inducentes, obſtructiones, ſimileſve affectus deſint, generationi obeſſe, donec morbi ejuſmodi curati fuerint; At viraginibus, calidioribus, & iis quæ plurimum exercentur, defectus vel paucitas menſtruorum non neceſſario impedit hanc generationem, modo adſit ſufficiens ſanguinis quantitas ad fœtum nutriendum, nullaque adſit in utero obſtructio quæ illius affluxum prohibeat; ſicut brutorum fœminæ quæ nulla habent menſtrua, concipiunt tamen; Ideo graciles inſtantibus menſtruis, plethoricæ iis ceſſantibus facilius concipiunt, quia tunc mediocris utrinque ſanguinis copia adeſt: *Mala* præterea menſtrui qualitas generationi multum obeſt, maxime ſi malignæ cujuſdam qualitatis ſit particeps, ut ſi ab ulceribus pravis & cancroſis, lue venerea, elephantiaſi, & ſimilibus affectibus inquinetur, ſemen enim viri cùm ejuſmodi ſanguine ſalvum permanere nequit, unde aut nulla fit conceptio, aut fœtus immaturus excluditur, aut morboſus eſt & imbecillis vitæque brevioris. Si menſes *nimium* fluxerint, labefactatur uteri facultas, unde ſemen aut non attrahit, aut non retinet. *Primiroſius.*

15. *Vel copioſius eſt ut ſemen*) In mulieribus fertilibus, quas Hippocr. μνησιτοκεῖν vocat, audacter ſanguinem mittimus cùm deſinunt utero geſtare. *Ballonius Conſerv. 91. lib. 3. pag. 236.* Cuidam cùm olim fœcundiſſima foret, utcumque per ætatem geſtare deſineret; eſſet tamen reſtibilis fœcunditatis, deſiit eſſe menſtrua, unde aphthæ in ore, ſiccitas, calor thoracis &c. temperamento erat ſanguineo, conſultum eſt ut bis terve anno vena incideretur, eoque frequentius ex *Hippocr. lib. de ſuperfœt.* quo fœcundior fuit: natura enim ſolita erat multùm ſanguinis abſumere in nutritione & formatione fœtus, nam moleſtior & periculoſior erat ei menſium ſuppreſſio (licet naturalis) quàm ſi ſterilis fuiſſet, ob conſuetudinem & generandi multi ſanguinis & foras in enixu emittendi, &

nisi

niſi de demenſo ſolitoque cibo detrahatur, ægrotabit, vt ii quibus crus eſt mutilatum & dyſenteriæ cruentæ ſunt obnoxii, par enim eſt propemodum ratio: Solus namque ſanguis temporarium ſumit incrementum, ait *Plinius*, cap. 38. lib. 11. & citiſſimè generatur, ſiquidem hoſtiæ abundantiorem fundunt ſanguinem ſi biberint, id etiam & nutrices docent, in quibus tam facilè & lac evaneſcit & exuberat. *Idem Conſil.* 100. *lib.* 3.

De Ovario Mulicbri.

16. *Vitio ſeminis,*) Teſtes muliebres *generando ſemini* dicatos eſſe, idque ſemen ex iis per Tubas Fallopianas, aliaſve quaſdam vias ab aliis deſcriptas; partim in vterum, partim in vaginam infundi præcedentibus ſæculis vſque ad noſtra tempora ab omnibus Medicis & Anatomicis pro certiſſimo ſcriptum & ſancitum eſt, atque etiam antehac à me ipſo pro indubitato habitum fuit, Sed poſtea rem examinans comperi manifeſte meam Veterumque opinionem ſubſiſtere non poſſe. His noſtris temporibus, quibus per Anatomen multa abdita in corpore latentia in lucem producuntur, etiam variorum Anatomicorum ſingulari diligentia & perſpicacitate *Mulierum* hactenus penitus ignota *Ovaria* & *ova* ſimul in publicam ſcenam producta fuerint, Et compertum eſt *earum* Teſtes *eſſe vera ovaria* in iiſque vera ova gigni ac contineri, vt in ovariis avium.

Subſtantia plurimum differunt à Teſtibus maſculorum, cum hi ex ſeminariis vaſculis, mira ſanè ſibi invicem junctis ac intertextis, Illi vero ex membranis, vaſis aliiſq; corporibus conformentur, Hanc eorum ſubſtantiam, quia ſumma diligentia inquiſivit, & accuratiſſime deſcripſit *Regnerus de Graef*, ipſius verba hac de re ſcripta hîc ſubjungam.

Componitur, inquit, *interna eorum ſubſtantia ex multis præcipue membranis ac fibrulis laxe ſibi invicem unitis, in cuius intercapedine plurima reperiuntur corpora quæ ipſi aut ſecundum naturam aut præter naturam inſunt. Quæ ſemper ſecundum naturam in membranoſa teſticulorum ſubſtantia reperiuntur, ſunt veſiculæ liquore plenæ, nervi & præparantia vaſa, quæ eodem fere modo ac in viris ad teſtes excurrunt, & totam eorum ſubſtantiam perreptant, ac veſiculas ſubeunt, in quarum tunicis rami quamplurimi, poſt copioſam divaricationem evaneſcunt, eodem modo vt in avium vitellis ovarii ramo adhuc connexis contingere videmus: Vaſa lymphatica*, addit, *in teſtibus reperta, an eorum ſubſtantiam ſubintrent necdum tam clare vidimus vt illud* (licet veritati conſentaneum) *aſſerere audeamus.*

Quæ vero ſecundum naturam aliquando tantum in mulierum teſtibus inveniuntur, ſunt globuli, qui glandularum conglomeratarum ad inſtar ex multis particulis à centro ad circumferentiam recto quaſi ductu tendentibus, conſtantur, & propria membrana obvoluuntur, Hos globulos non omni tempore in fœmellarum teſticulis exiſtere dicimus, quia poſt coitum tantum in iis deteguntur, vnus aut plures, provt animal ex illo congreſſu vnum aut plures fœtus in lucem edet, Neque illi adhuc in omnibus, aut ejuſdem generis animalibus ſemper eodem modo ſe habent, in vaccis enim flavum, in ovibus rubrum, in aliis cinerítium colorem ſortiuntur: præterea aliquot poſt coitum diebus tenuiore ſubſtantia præditi ſunt & in ſuo medio liquidum liquorem membrana incluſum continent, quo vna cum membrana foras propulſo, exigua ſolum in iis capacitas ſupereſt, quæ ſenſim ita aboletur, vt poſtremis geſtationis menſibus ſolida tantum ſubſtantia conſtari videantur; enixo jam fœtu globuli iſti rurſus *imminuuntur, ac tandem evaneſcunt.*

Quæ vero præter naturam in mulierum teſtibus quandoque obſervantur, ſunt hydatides, lapilli, ſteatomata, aliaque ſimilia.

Ante dictas veſiculas, quæ ſecundum naturam in teſtibus reperiuntur, obſervavit *Fallopius* in obſerv. & à *Caſtro l.* 1. *de Nat. M. c.* 4. ſed illi tamen quales eſſent, & cui vſui inſervirent, ignorant. Has poſtmodum *Joh. Van Horne, Epiſt. ad Rolſincium.* Ova primus nominavit, idque convenientiſſimum nomen exindes equentes Anatomici merito reſervarunt, cum revera ſint ova, & in illis minoribus adhuc exiſtentibus nil niſi tenuis quidam liquor contineatur, qui ſimilis eſt albumini in avium ovis contento; & ovis illis coctis eodem modo concreſcit ſeu coagulatur. Ut albumen in avium ovis, nec ab hoc albumine conſiſtentia aut ſapore quicquam differt, ſecus atq; facit liquor in hydatidibus (quales hæc ova eſſe quondam male putarunt *Veſalius, Fallopius, Riolanus* aliique) contentus, qui neque coctione induratur, neque ſimilitudinem ſaporis cum ovorum avium albumine habet.

Ova muliebria, aliorumque viviparorum, gemina membrana circumdantur, vna craſſiore, altera tenui: Illa poſtmodum in conceptione chorion, hæc amnion conſtituit, In viviparis autem opus non fuit exterior illa dura & cruſtoſa evaderet; ſicut in avibus, In his enim extra corpus fovenda, atque hinc per duriorem illum corticem ab injuriis externis defendenda erant, ſed hæc durities in illis intra corpus fovendis neceſſaria non erat, vtpote in quibus injuriæ externæ per circumjectas alias partes calidas, vterum abdomen, &c. ſatis abarceatur.

In omni autem animantium genere ova inveniri hodie certum ac ſancitum habetur, quod ſunt de avibus plurimiſque piſcibus & inſectis notiſſimum eſt, ita per innumeras ſectiones & inſpectiones variorum animalium, hodie de viviparis quoque indubitatum evaſit; quamvis pro animalium diverſitate magnitudinis haud parva diverſitas reperiatur, atq; etiam præter majora, ad maturitatem jam deducta, in multis adhuc multa minora vlteriore incremento paulatim adjuſtam magnitudinem deventura inveniuntur. Quamvis etiam numerus diverſus ſit, & in aliis vnum, in aliis duo, tria vel plura reperiantur, provt ſcil. animalia vnum, vel plures fœtus editura ſunt. In quibus vero animalibus materia ovorum fœcundorum conceptui ſeu formationi idonea eſt, illa aut propter defectum ovorum pravam intemperiem, vel conformationem, ſterilia ſunt.

Gignuntur hæc ova in Teſtibus fœmellarum viviparorum, ex ſanguine ſpirituoſo per arterias præparantes, & ſpiritu animali per inviſibiles nervulos ad teſtes adfluēte, atque in membranoſa ac glanduloſa eorum ſubſtantia materiam iis generandis idoneam relinquente, dum reliqui reſidui humores per venulas & vaſcula lymphatica ad cor redeunt.

Ex his omnibus bene concludunt hodierni Anatomici, duce *Joh. Van Horne*, Teſtes muliebres, potius Ovaria earum quam Teſtes appellandos eſſe, Idque inprimis propterea quod neque in figura, neque in ſubſtantia & contentis vllam ſimilitudinem cum Teſtibus virilibus habeant. Hinc proculdubio eſt quod vt inutiles partes à multis habiti fuerunt, quamvis eorum ſumma neceſſitas ex fœmellarum caſtratione pateat, vtpote quæ exſectis his partibus non minus ſteriles evadunt quam mares, exſectis teſtibus. Interim non eſt quod de nomine multum diſputemus, an ſcilicet hæ partes in fœmellis Teſtes, an vero ſint Ovaria appellandæ, dummodo de re conſtet, nos vtroque nomine indifferenter pro vna eademque re vtimur.

Quomodo autem Ova ex dicto Ovario ad vterū perveniāt, illud quia majoris obſcuritatis, hinc etiam altioris indaginis res eſt. Per quas vias ſemen muliebre è teſtibus ad vterum perveniat, hîc ante Ovorum cognitionem alii aliter deſcripſerunt, Nonnulli, cum *Galeno* proceſſus illos breves à Teſtibus ad vteri fundum

recta porrectos putarunt eſſe Vaſa Deferentia; Ex his ipſis proceſſibus alii prope vterum peculiarem adhuc ramulum ad vteri cervicem derivari; ſicque ſemen partim ad vteri fundum, partim ad principium cervicis deferri, & per ſuperiorem viam in vacuis, per inferiorem vero in gravidis ſemen excerni tradiderunt: *Riolanus* ab extremitate inferna Teſticuli deſcribit vaſculum durum, candidum & gracillimum, & adhuc aliud ſimile intra tubam vteri contentum, per quæ duo in vteri fundo ſimul juncta ſemen in vteri cavitatem effundi dicit, Ex his denique adhuc gracillimum ſurculum ad cervicem vteri quoque deduci exiſtimat, Sed quid priores manifeſtiſſime deceperit arteriarum præparantium divaricatio, *Riolanum* vero minimorum nervulorum illac excurrentium inſpectio, & quod per priores vias nil niſi ſanguis, per poſteriores vero nihil ſemineum, ſed ſolus inviſibilis ſpiritus tranſeat hodierna accuratior anatome paſſim oſtendit.

Per vteri Ligamenta rotunda ſeu lumbricalia, partim ſeminis in vacuis, totum vero ſemen in gravidis coëuntibus verſus clitoridem & vaginam defluere tradiderunt *Spigelius* & *Veslingius*, quod & antea credideram, propterea quod in illis circa finem mucidi liquoris cujuſdam inſtar ſeminis nonnihil aliquando videram (forte excrementum aliquod pituitoſum, vel ex catharro delapſa pituita fuit) ſed poſtea ab illa deſtiti, poſtquam obſervationibus aliorum admonitus, accuratiore inſpectione, videram in illis nullam cavitatem inveniri per quam ſemen tranſire poſſit.

Semen muliebre non in cavitatem, ſed in ipſius ſubſtantiæ vteri poroſitates injici, & virile ſemen, aut in vteri cavitatem non injici, aut in eam injectum mox vt inutile rurſus foras effluere nunquam mihi potuerunt inſpectiones *Harvei* perſuadere, nam tali modo ſemen muliebre, ſpermate virili fœcundatum, ordine circulationis, facile per omnes corporis partes propelleretur, & ſic in quibuſvis calore conveniente maturari, & ad fœtus formationem deduci poſſe.

His præmiſſis, jam manifeſtum evadit ex antedictis opinionibus, nullum verum ſemen & ova muliebra, Ovorumque deferentia vaſa ſatis bene deſcribere, ſed hanc rem longe aliter ſe habere, ſcilicet primo ſeminis virilis prolifici, in vterum injecti maximè ſpirituoſam partem per tubas ab vtero ad teſtes muliebres, & ova in iis contenta defluere, eaque ova hoc ſemine fœcundata è teſtibus excidere, & excipi ab extremitatibus earundem tubarum iis annexarum, & ſic per has paulatim promoveri ad vterum.

Hæ *Tubæ*, à primo earum deſcriptore *Fallopianæ* appellatæ fuerunt, ſuntque *Vera vaſa Deferentia*, in quibus ſe coram pluribus fide dignis ſpectatoribus, exquiſitiſſimum ſemen reperiſſe ac demonſtraſſe refert *Fallopius*, qui illas Tubas in *obſerv. Anat.* hoc modo deſcribit.

Meatus vero iſte ſeminarius gracilis & admodum anguſtus oritur, nerveus ac candidus, à cornu ipſius vteri, cumque parum receſſerit ab eo, latior ſenſim redditur & capreoli modo criſpat ſe; donec veniat prope finem, tunc dimiſſis capreolaribus rugis, atq; valde latus redditus, finit in extremum quiddam, quod membranoſum carneumq; ob colorem rubrum videtur, extremumque lacerum valde & attritum eſt, velut ſunt pannorum attritorum fibræ, & foramen amplum habet, quod ſemper clauſum jacet, concidentibus fimbriis illis extremis, quæ tamen ſi diligenter aperiantur ac dilatentur, tubæ cujuſdam aneæ extremum orificium exprimunt.

Hæ vero vteri Tubæ, ab incurva figura denominatæ, ſunt duo corpora vteri lateribus adſtantia, cava, ab vteri fundo vtrinque protenſa, è membranis duabus compoſita. Harum interna communis eſt cum illa quæ uterum interius inveſtit, non tamen adeo lævis, idque magis circa earum extremitates quam in media ſui parte. Externa vero communis eſt cum externa vteri membrana, eaque levis, ac prope vterum craſſior exiſtit, circa extremitates vero tenuior.

Tubarum autem principia ab vtero excurrentia paulatim magis dilatantur, notabilemque capacitatem adeptæ ſenſim magis magiſque incurvantur, & capreolorum ductu contortæ procedunt, vſque dum dimidiam circiter Teſtium ſubſtantiam altera extremitate ambiunt; circa Teſtes primo valde dilatatæ, mox ſubito rurſus coarctatę, vltra coarctationem in multas fimbrias ſciſſæ, quibus ſubinde hydatides, & duros calculos adhærere obſervavit *Regn. de Staef*; Quia autem poſt dictam dilatationem, repente coarctatæ, valde tenui ductu ad Teſtes excurrunt, hinc in mulieribus primo aſpectu à Teſtibus nonnihil remotæ videntur, & ſolo tenuiſſimo quodam membranarum, alis Veſpertilionum ſimilium interventu teſtibus alligatæ, at in brutis plus minus teſtibus annexæ reperiuntur; imo etiam in multis teſtes ex dimidio amplectuntur; Atque ita Tubæ à Teſtibus vſque ad vterum perviæ ſunt ſecundum naturam, ſemel tantum eas p.n. clauſas invenit. *Regn. de Graef.*

Arteriis veniſque ſpermaticis gaudent, Nervis vero ab iiſdem qui vteri fundum perreptant, donantur.

His Tubis valvulas adſcribit *Warthon*, verum nullas adeſſe præter inſpectionem docet ratio, cum ſola extremitatum coarctatio talis ſit, vt hinc inde nullus rei tranſitum concedant, niſi in fervente libidine, à copioſo arterioſi ſanguinis & ſpirituum affluxu dilatentur; ſicq; ſpirituoſam ſeminis maſculini partem ab vtero ad Teſtes & ova penetrare, & rurſus hæc ova à teſtibus ad vterum permeare permittant.

Nonnulli in Tubis varias cellulas & diverſa receptacula à ſe invicem diſtincta finxerunt, atque hinc veſicularum ſeminariarum virorum vſum iis adſcripſerunt, ſed decepti ſunt per inſpectionem partium contortarum & hinc inde dilatatarum, cum tamen in Tubis inflatis, ſecundum longitudinem diſſectis, vnica duntaxat cavitas, nullis cellulis, nulliſque valvulis diſtracta, ac hic illic nonnihil inæqualiter dilatata conſpiciatur.

Per Tubas igitur ſpirituoſa ſeminis virilis in vterum injecti pars ad Teſtes & Ova in iis contenta, hæcque Ova rurſus à Teſtibus ad vterum procedunt; Sed quomodo hæc à Teſtibus ad vterum, per iſtos Ovi ductus anguſtias perveniant hoc quamvis deſcribere difficile videatur, per ſimilitudines tamen commode explicari poſſe videtur.

Multi fructus horarii, ceraſa, pruna, perſica, juglandes, &c. quorum ſemina, (quæ ſunt inſtar ovorum) ad tantam magnitudinem & aptitudinem deducta ſunt, vt fœcundari poſſunt, ſponte dehiſcunt, & ſic ex iis ſemina iſta, corticibus ſuis incluſa, (qui cortices antea eorum ſubſtantiæ firmiter adhærebant, ſed per maturitatem ſoluti ac liberi ab ea evaſerunt) excidunt, ſed quovſque rorida terræ humiditate & ſolaris ſpirituoſi caloris influxu (quæ duo ipſis ſunt inſtar ſeminis maris) non irradiantur inſoventur intra lapidoſos ſuos calices, ſeu teſtas, occultata quieſcunt; verum vbi fœcundati illæ terreæ humiditates & Solaris, alteriuſve caloris conveniens influxus per inviſibiles calicum poros ſubintrans (ſicut in ovi paris maſculini ſeminis ſpirituoſa pars per inviſibiles poros corticum ovorum ſubintrat) ea ad majorem fœcunditatis maturitatem deduxit, mox ſponte in ſuis juncturis emolleſcant calices, ſicque teſtæ, quamvis duriſſimæ, dehiſcunt, & incluſa ſemina mollia, magiſque ſucculenta evadunt, ac ſeſe dilatantia teſtis egrediuntur, aque in gemmam, primum efformandi delineamentum, projiciunt: Eodem modo etiam res procedit in fabis, piſis, tritico, ſeminibus melonum, aliorumque quorumcunque ſola membranula loco teſtæ involutis.

Ita

Ita quoque Ova muliebria, omniumq; viviparorum, atque etiam avium, in ſuo ovario (quod ſunt Teſtes in mulieribus) paulatim à nutrimento ipſis per minimas arteriolas & inviſibiles nervos allato, juſtam magnitudinem, talemq; aptitudinem conſequuntur, vt à ſpirituoſa ſeminis maſculini influentis parte fœcundari poſſint; quam fœcundationem, ſi per coitum conſequuntur, & ſic fœcunditatis ſigillo donata fuerint (in avibus etiam à maſculo non fœcundata frequenter elabuntur & deponuntur, vt liquet in gallinis gallo deſtitutis) molleſcunt ac ſeſe dilatant & laxant, quibus in ovario includuntur capſulæ inſtar pruni, piſi, aliorumve fructus ſemen germinatum deponituri, capſulæ emollitæ ſponte aperiuntur) atque ſic, cum à capſulis ovarii, quibus concluſi latent, præ magnitudinis incremento, & capſularum laxatione, amplius concludi ſeu contineri nequeunt, ſponte ex iis excidunt in oviductus, ſeu Tubas, quæ per augmentum caloris & ſpirituum in Venereo congreſſu magna copia affluentium ita laxantur, vt ovis maturis facilem tranſitum ad vterum concedant, quæ per illas molli abdominis preſſione per inſpirationem & exſpirationem facta clementer promoventur, vſque ad vterum eodem modo ſanè per eandem preſſionem chylum per vaſa lactea, & lymphatica promoveri oſtendimus, in quo ob orificii vteri arctationem ſiſtuntur ac retinentur, vt ab ejus miti calore humidoque convenienter foveantur, & ſic vivificus in iis latens ſpiritus cum ſemine maſculino infuſus è compedibus ſuis extricetur, & de potentia in actum procedens, efformandi fœtus delineationem incipiat.

Hic ſingularis quæſtio occurrit, Cum aves etiam ſine maſculi congreſſu ova ſua natura (quæ ſubventanea appellantur, & infœcunda ſunt) deponant, An non etiam naturæ virgines & mulieres, viris deſtitutæ, & ſine coitu viventes, nonnunquam ova ſua deponant, ſive exonerent? Veroſimile videtur hoc in frigidioribus, & ad Venerem non proclivibus vix contingere, cum in iis tantus calidi ſanguinis & ſpirituum affluxus, qui alioqui per intentas Venereas cogitationes fortiter promoveri ſolet ad partes genitales non fiat vt ovarii capſulæ, & ſimul tubæ laxari poſſint ad ovorum excluſionem, ſeu propulſionem & tranſitum; Sed in fervidis illis ac prurientibus ad Venerem maxime proclivibus, & venereis cogitationibus continue intentis, à copioſo ad genitalia ſanguinis & ſpirituum affluxu, ita nonnunquam laxari dictas partes, vt matura ova ex ovario ſponte in tubas prolabantur, per eaſque ad vterum deferantur; ſed in eo tamen non diu detineantur, propter vteri orificium apertum, vtpote quod non exacte clauditur, niſi cum vel ſemen virile ad conceptionem comprehendit, vel fœtum continet.

Quod autem antehac iſta ova muliebria ſubventanea a nemine obſervata fuerint, hinc eveniſſe puto, quod mulieres ex vtero elabentia non ſuſpiciant, aut qualia ſint cognoſcant, nec à viris ea inſpici permittant, inter quæ ſi forte aliquod ovum adeſſet, ab ipſis minime noſceretur: præterea illud propter tenellam, qua circumdatur pelliculam, vel diſruptum excideret, vel inter illa lintea, quibus vterinas ſordes excipere ſolent, mox diſrumperetur, & ſic nullam ovi figuram viſui offerret, Interim hæc ſpeculatio ſæpe mihi memoriam refricavit quod ante multos annos fœmina quædam haud infimæ ſortis, cujus filia XXIV. annorum ſatis ſalax, etſi tamen honeſta, vehementibus ſuffocationibus vterinis ſæpe afficiebatur, mihi aliquoties narravit, ſcilicet, quod meis ſibi præſcriptis medicamentis nihil proficientibus, ipſa à præſente malo, & impendente mortis periculo multoties cito liberata fuiſſet obſtetrix per immiſſionem digiti in vteri vaginam, & ſic fricationem illic factam, qua mox è vulva viſcidus aliquis liquor pro-liciebatur, cui ſæpe clara aliqua bullula aderat & ſic à lipothymia ad ſe redibat ægra, Hoc ego tunc temporis quo de Ovis muliebribus, ne per ſomnium quidem, quiſquam cogitaverat, flocifeci, ſed poſtea in mentem mihi induxit illam bullam ſine dubio ovum ſubventaneum fuiſſe.

Præterea maxime vero ſimile eſt talia ſubventanea ova etiam frequenter deponi ab illis mulieribus ſalacibus, quæ cum viro coeuntes, ob aliquam ſeminis ejus intemperiem non concipiunt; Nam quare illis per coitum ova minus ex ovario ad vterum deferrentur quam aliis concipientibus? præcipuè cum illæ ipſæ etiam ova ad fœcunditatem apta habeant, ſi modo fœcundo ſemine virili irrorentur; vt ex eo liquet quod nonnullę cum maritis coeuntes ſteriles exiſtant; et cum aliis viris coeuntes fœcundæ ſint & concipiant.

Hanc de *ovis ſubventaneis* ſuſpicionem adhuc magis confirmat hiſtoria mirabilis à *Bartholino* deſcripta *cent. 1. obſerv. 4* de fœmina Norvvegia quæ poſt undecimum convenientem partum, tandem anno 1639. partu XII. cum maximis doloribus enixa eſt duo ova, gallinarum ovis ſimilia, niſi quod conſtat non eſſent adeo candida. Quale Ovum etiam in agro Vicentino anno 1621. fœminam quandam obortis doloribus parturienti ſimilibus, enixam fuiſſe refert. *Rhodius cent. 3. obſ. 57.*

Procul dubio ſemen muliebre ſuis ovis contentum, vel plane infœcundum fuit per ſe, vel (quod magis veroſimile) ob inſolitam exterioris membranæ cruſtitiem ac denſitatem (ob quam in vtero poſtmodum in firmam cruſtam obduruit) ſeminis virilis germen per nimis conſtrictos poros interiora iſtorum ovorum ſubire, ſicque ſemini muliebri intus latenti admiſceri, atque in eo ex ſeſe aliquem embryonem formare non potuit, quam ob cauſam iſta ova infœcunda remanſerant, inſtar ovorum ſubventaneorum avium ſine maſculis viventium.

Tria autem in dictarum fœminarum ovis maxime miranda notanda veniunt. 1. Quod parva, vt ſemper ſolent, è Tubis in vterum delapſa, illic tanto tempore ſubſtiterint. 2. Quod in vtero ad magnitudinem ovorum gallinæ excreverint. 3. Quod adeo obduruerit exterior membrana, vt in duram cruſtam evaſerit, inſtar cruſtæ ovorum avium, quod certe plane inauditum eſt, nec ab vllis aliis Medicis obſervatum fuiſſe vlibi legimus.

Verum ante diximus, per ſpirituum animalium & calidi ſanguinis copioſiorem influxum in coitu Oviductus, ſeu Tubas, ita laxari vt per eas ſeminis maſculini ſpirituoſa pars facile ad ovaria & ova penetrare, atque etiam ipſa ova matura è teſtibus facile in ea prolabi, ab iiſque excipi, & ſic ad vterum promoveri poſſint,

Hanc veram hujus laxationis cauſam eſſe nemini mirum videbitur, qui expertus fuerit quàm ſtricta ſint mulierum honeſtarum genitalia (de meretricibus loqui nolo, quibus multo nimioq; Veneris viu vel potius abuſu, adeo attritæ & laxæ evaſerunt partes genitales, ut amplius contrahi ſeu corrugari nequeant) ſi ille affluxus non contingat, cum ſcil. abſque vlla libidine coeunt, ita vt virilem penem cum aliqua moleſtia ſuſcipiant; Et rurſus, quam laxæ ſint, quamque facile, & quanta cum voluptate penem ſuſcipiant mulieres cum coeunt cum inſigni libidine, in qua affluxus ille liberaliter contingit; Qui inſuper conſiderarent quantum idem ille affluxus laxet vteri orificium & Vaginam, cum magnus & maturus fœtus, per anguſtas illas vias tranſiturus, ſua celerratione moleſtiam illis partibus infert: obtinent quippe ſeſe omnes illæ partes, priores vt ova matura, poſteriores vt fœtum maturum tranſmittant, & excludant, idque non ante

ſint cognitione aliqua præditæ, ſed vt modo dictum, laxatæ ac emollitæ à copioſiore affluxu ſanguinis & ſpirituum animalium, tunc temporis per mentis determinationem, verſus illas partes magis, quam aliis temporibus affluentium, quo illapſu copioſo rurſus ceſſante, omnes illæ partes, tam enormiter laxatæ, intra paucos dies ad priſtinam conſtitutionem & anguſtiam ſponte redeunt,

Ex prædictis igitur abunde liquet Ova è mulierum Teſtibus, ſeu Ovariis, per Tubas ad vterum deferri; Hoc ipſum teſtatum adhuc magis faciunt Obſervationes quorundam Medicorum fide dignorum, à quibus in cadaverum mulierum gravidarum ſectionibus compertum eſt ex iſtis ovis, ob præternaturalem aliquam cauſam in Tubis retentis iiſque ad vterum non tranſeuntibus, fœtus in ipſis Tubis formatos, in iiſque poſt mortem diſſectis inventos fuiſſe, Quæ hiſtoriæ etſi nobis quondam mera anilia ſomni eſſe viſæ fuerint, nunc tamen per Ovorum & Tubarum meliorem cognitionem eas veras eſſe credimus, quarum aliqua exempla ex *Riolano* & Bened. *Vaſſalio* adducit de *Graef lib. de mul. org.* &c.

Hic dubium reſtat, Si Ova per Tubas in vterum deferantur, & nihil aliud ſeminis ex teſtibus effluat, Unde procedit tunc illa voluptas quę in coitu fœminis gravidis contingit, in quibus tamen eo tempore nulla ova de novo ad vterum feruntur, propter tubarum extremitates tunc exactiſſime clauſas, Item in quinquagenariis, quibus nulla amplius ovo in ovariis ſuccreſcunt aut cõtinentur? vt & in iis quibus vterus per morbum ſcilic. vteri prolapſum, exſectus eſt, atque hinc nulla ova deorſum deferri poſſunt? Præterea, vnde procedat illud ſemen quod mulieribus in coitu cum ſumma voluptate in vaginam influit, & per pollutionem, in nocturnis de venere in ſomniis interdum foras erumpit?

Reſpondendum, in coitu magnam illam voluptatem non tam oriri ab ovis ex ovario ad vterum tranſeuntibus, quam potius ex eruptione illius ſeminis (ſi ſemen appellandum ſit) quod prodit ex glanduloſa ſubſtantia cervicem veſicæ cingente, (huic proſtatarum vſum hodie nonnulli adſcribunt) quod ſemen æque in gravidis, atque in maturis non gravidis, vt & in iis quibus vterus exciſſus eſt, nec non per Venerea inſomnia poteſt ſumma cum voluptate erumpere in vaginam vterinam. Præterea ſciendum, in coitu mulieribus non tantum à dicta ſeminali materia in vaginam erumpente; ſed magnam quoque voluptatis partem procedere ex fricatione clitoridis ſicuti viris contingit ex frictione glandis penis. *Diemerbroech Anat. lib. 1. cap. 23.*

Mulier an caſtrari poſſit.

16. *Vitio ſeminis) Et partium illud procreantium, quod officium olim Teſtibus muliebribus adſcriptum,* hinc quæritur, *An mulier caſtrari poſſit?* Caſtrare mulierem difficile, ſed non impoſſibile videtur, quia vivere poſſunt mulieres quibus totus vterus aut exſectus eſt aut alio modo deficit. Veteribus caſtrandi modus fuit auferre vterum, teſte *Bartholino, cent. 3. Ep. 64.* vbi addit, *Noſtri tamen ruſtici in fœminis vulvam relinquunt, in ſuibus, ovibus, vaccis, equabus caſtrandis: Ex diſſecto inguine ſiniſtro, manu vtrumque teſticulum cum vtero eximunt, ſed avulſo tantum teſticulo vtroque vterum ſuo loco reponunt. & ſine alio aparatu vulnus conſuunt.*

Nimis difficilem operationem & periculoſam exiſtimat *Id. cent. 2. Hiſt. 91.* & *Riolanus Hiſt. An. part. mul. cap. 5.* ait, *Sive vterus detrahatur, ſive Teſtes avellantur, vtroque modo in maximum vitæ diſcrimen adduci mulieres certum eſt.* De Brutis res certa eſt, Suibus teſtes abſtractos memorant *Galenus 1. de ſem. 15. Varro II. de R.R. 5. Plinius N.H. 8. 51. Riolanus l. c.* Cameros fœminas caſtratas meminit *Ariſtot. 9. H. A. 50.* Clar. *Bartholinus cent. 3. Epid. 64.* ait, nedum, quod ſciat, tentatam noſtro ſeculo mulieres exemtis teſticulis caſtrari; Verum animus eſt probare quod ſit poſſibile, vtut non fiat, nec forte fieri debeat, nimirum, Si adſit ars, vſuſque, id fit nullo prope periculo, teſte *Cardano Dial. Tetim.* inſcripto, Et fœminas vt homines caſtratas authores habeo certos, ſcribit *Jul. Alexandrinus l. 22. ſalubr. c. 14.* Hoc Lydii primo per luxum fecerunt, *Athenæus l. 12. Deipnoſoph. c. 4.* ex *Xantho l. 2. Lydiorum*, nominat authorem Regem Lydiorum *Andramyten.* Idem refert *Cœlius Rhodiginus l. 20. L. A. c. 14.* Ejuſdem ſceleris ab *Heſychio & Suida*, Gyges accuſatur, inquit *Riolanus l. c.*

De modo authores non conveniunt, Quidam per *Infibulationem* fieri autumant, dum ferreis circulis ordine trajectis naturalia clauduntur, vt in equabus, Galli vocant *boucler*, Alii putant *exemptos vteros*, alii *teſtes*, Certe novi Nob. matronam cui puellæ per iniuriam externam vulnus obtigit in regione pubis, huic Teſtes auferebantur, quæ cætera ſana hactenus ſterilis manſit, Ratio apud *Kerkringium* erit in Ovario ablato. *Georgius Francus Med. Sept. vol. 2. obſ. 36.*

17. *Seminis)* Muliebre ſemen ad fœtus generationem cum virili commiſceri neceſſe eſſe, ſexus in fœtu fœmineo, & ſimilitudo matris in maſcula & fœminea prole apparens *ſatis declarat Platerus.* Semen arbitror tam in mulieribus quam viris produci fœcundum, & vtrinque ad generationem concurrens, cum abſurdum ſit vocare aliquid inutile quod Deus voluit factum, nec vllæ rationes ſolidæ atque vrgentes proferri ſoleant ab iis quibuslibet fœminis ſemen fœcundum denegare. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 1.*

18. *Defectu vel infœcunditate miſenis)* Fœminas non habere ex ſe ſemen fœcundum ſtatuimus, etſi habeant ſperma, ſive liquorem ſeminalem qui fœcundari poſſit, & quidem in veſiculis teſtium muliebrium contentum. Semen viri magis eſt activum, ſemen fœminæ magis paſſivum. Patet igitur, vt ſic dicam, τὸ ὄν, mater τὸ δίον confert; ſemen maris eſt primum mobile, muliebre motus ſecundos exequitur, Illud materia prima, hoc ſecunda; hinc ſtatuimus ſemen mulierum eſſe humorem veſicularem.

Hinc & ſtatuimus fruſtra eſſe, & falſam in coitu fœcundo ſimultaneam ſeminum emiſſionem, & infuſionem; vnde falſo ſepiem libellis talibus, vulgo extantibus, quin & à Medicis priſtinis id præcipitur, non prius emittendum eſſe ſemen à viro quam cognoverit fœminam ad id paratam ſuo loco & vice verſa, Unde novimus aliquos fruſtra ſe maceraſſe, & in hoc puncto emiſſionis ſpem conceptionis poſuiſſe. *Wedelius Phyſiol. c. 28. p. 198.*

18. *Ab ejus defectu vel infœcunditate)* Muliebre ſemen ſi deficiat penitus, vel minore quam opus quantitate conferatur, ſterilitas accidit, & frequentius fere quam in viris, tum mulier, etſi ſemine deſtituatur, penitus, congreſſum tamen ferre poſſit, vir autem eo privatus ad illum exercendum ineptus ſit; Quapropter meretrices, quæ quæſtus gratia illud adeo profundunt, aut exſuctæ penitus fiant tam multis & variis ſe commiſcentes, illorum ſemen licet excipiant tamen non concipiant. Quod & ſi illud labe aliqua affectum, impurum aut crudum, exiſtat, non ſolum ſcortis ſed & aliis ſolet accidere quæ plerunque male habitæ aliiſque morbis affectæ ſunt. *Platerus.*

19. *Quæ oritur)* Inter conceptionem impedientia refertur frequenter cũ variis hominibus coitus, qui meretriculis familiaris eſt, cujus rationem reddit *Plutarchus l. de plac. Phil. c. 9.* ex ſententia *Dioclis 1.* quia ſæpius coeuntes ſemen non emittunt, aut ſaltem parcius quam conveniat 2. quia ſemen illud minus

minus eſt temperatum, minuſque prolificum, ob pravam concoctionem ex debilitate vaſorum ſpermaticorum. 3. quia frequentiori concubitu vterum ita debilitant, vt deinceps qua ſi reſolutus ſemen continere non poſſit. Addere poſſumus variam ſeminum permiſtionem, quæ ſimul conjungi & coaleſcere non poſſunt, vteri ipſius denſitatem & calloſitatem, quæ ex harum partium frictione contingit, tum quia in vario ejuſmodi coitu, nullius viri amore tenentur, nec appetunt aut admodum delectantur concubitu. *Primiroſius.*

20. *Propter vaſorum ſemini generando, &c.*) Fœminæ vaſa habent & ad ipſam vteri cavitatem, & ad ejuſdem collum ſemen deferentia; Etſi autem credantur merito plus voluptatis capere à ſemine ad vteri collum delato ab eo tamen vix vnquam videntur impregnari. Quod ſi proinde vaſa verſus vteri fundum ſemini deferendo deſtinata deſiderentur, mirum non eſt ſi conceptui judicentur ac ſint ineptæ: Aſt licet hoc vitium non ſpectetur à multis, cenſeo tamen non raro illud habere locum, & imprimis tunc cum fœminæ modis omnibus ſanæ occurrunt, venere gaudent ac delectantur, fluxumque habent menſtruum naturalem, ac ſatis copioſum effundunt ſemen. *Sylvius Pr. lib. 3. cap. 5.*

20. *Propter vaſorum ſemini generando, &c.*) Vaſa Præparantia in mulieribus vt in viris quatuor ſunt, & parum differunt ab iis; ſed præcipue differunt quoad longitudinem, nam Arterias præparantes mulierum, etiam maxime contortas, dum expanderemus, nunquam tam longas obſervavimus quam in viris ordinariè obſervari ſolent, quia virorum teſtes extra abdominis cavitatem in ſcroto propendent; Mulieribus vero in abdominis cavo ſuperiori oſſium coxendicis regioni annectuntur; Sed horum vaſorum longitudo parum, judicio noſtro, ad ſeminis perfectionem facere videtur, ſiquidem galli gallinacei, quorum arteriæ ſpermaticæ admodum exiguæ ſunt, in teſtibus ſemen æque perfectum habent ac reliqua animalia quorum arteriæ ſpermaticæ longiſſimæ ſunt; Præterea ſanguinis circulatio tam velox eſt, vt tantilla hæc mora, quam arteriis etiam longiſſimis moratur parum ad ejus perfectionem contribuere videatur, eoque minus dum nulla ibi ab arterioſo illo ſanguine excrementa ſecedant, aut alius nobilior humor cum eo permiſceatur; Graviter itaque decepti fuerunt Veteres qui in vaſis illis ſanguinem albeſcere ſibi finxerunt; atque propterea arteriis vltra teſtes excurrentes Vaſa ſemen Deferentia appellarunt.

Uſus vero *Vaſorum Præparantium* eſt ovorum generationi, fœtus & ſolidarum partium nutritioni, ac menſtruorum expurgationi inſervire; quatenus ſanguis per arterias advehitur ad omnes illas partes ad quas ejus ramificationes perveniunt, in iiſque ſecundum naturæ legem ſegreganda relinquunt, reliquo ſanguine per venas redeunte; vnde ſuſtinemus, ſi vas ſanguinem referens adiit, etiam neceſſariò adferens eſſe, & contra. *Graef l de mul. Org. c. 10.*

21. *In congreſſu*) Qui vt conceptio fiat decens omnino requiritur, ſicque inſtitui debet vt non fiat, niſi tam mare quam fœmina cum magno deſiderio appetentibus; Si deſiderium illud ex aliquandiu intermiſſo concubitu potius quam irritamentis naſcatur; quæ & non minima cauſa eſt quare poſt peregrinationem longam, maritis diu abſentibus; & quod mulieres dum thermis vtuntur aliquandiu à maritis ſeparatæ, aut dum remediis vtuntur, diutius à concubitu abſtinentes poſtea citius concipiant: Dein quoque ſic actus perfici debet, vt eodem tempore vtrinque ſemen emittatur, nec mox ab invicem ſeparentur. Et cum mulier ſe gravidam eſſe ſuſpicatur, à Venere, donec embryo vtero adnatus, beneque confirmatus fuerit abſtineat. Abſolutis menſibus, die vno aut altero ſi congrediantur, tunc tantum conceptum fieri poſſe, alio minime exiſtimatur; Alii citius hoc fieri ſi illud dum menſes adhuc fluunt, fiat, autumant. Quod nos omni tempore, cum vterus calet fieri poſſe credimus. *Platerus.*

22. *Curatio ad intemperiem*) Si Semine vtroque ſimul miſto fluidiore exiſtente, aqueque eveniat hoc malum, danda opera vt ſive conjugum alterutrius, ſive vtriuſque culpa exiſtat ſemen tale, illud emendetur, inſpiſſetur ac viſc ſius producatur: Ubi diſtinguendum inter conſtitutionem nativam & adventitiam, ex rerum non naturalium, priuſque adeo Veteris abuſu proficiſcentem; Difficilius namque curantur qui nati ſunt imbecilles quam qui tales facti ſunt poſtmodum à patratis erroribus in rebus non naturalibus. Corrigetur autem vtrumque malum continuo & parco vſu plantarum aromaticarum, quovis modo vſurpatarum, imprimis *Salis* volatilis aromatici & oleoſi, quorum ope paulatim reſtauratur imbecillitas aquoſa, quin roboratur ipſa imbecillitas: cavendum imprimis à Venere nimia quæ omnes diſſolvit exolvitque vires, marium & fœminarum. *Sylvius.*

23. *A defectu proportionis*) Si mulier quæpiam ætate matura, nullis vitiis tenetur, probe conformato ſit corporis habitu, nec extenuato nimirum, nec obeſo, lumbis latis, & amplo ventre fœcunda cenſeri debet; Accidit tamen ſæpe vt neuter coëuntium ſit natura ſua ſterilis, ſed quoniam quædam eſt inter marem & fœminam diſcrepantia, nec conveniens proportio in temperie & moribus, idcirco nihil ex ſeſe, ex aliis vero poſſunt generare: ſic ſi amborum eadem ſit intemperies, vt ſi ſint ambo calidi impenſe aut frigidi, vix aut nunquam generabunt, quod de cæteris quoque ſtatuendum eſt intemperiebus, quia temperiem ſemini conciliare nequeunt. Sed ſi ambo ſint temperati, facile generabunt, ſicut etiam intemperati mares cum temperatis, aut ſi contrariâ temperie miſceantur, fœcundus erit congreſſus: Hinc ſæpe contingit vt mulier quæ ex primo marito nullos potuit ſuſcipere liberos, permutato conjugio fœcunda fiat, quia ſeminum major eſt concordia. Imo etiam per ætatem vteri & ſeminis temperamentum immutatur, vnde fit vt quæ juvenis ex eodem marito nullos ſuſcepit liberos, ætate provectior pariat; immutato ſcil. vteri & ſeminis temperamento: Propterea non eſt impudicitiæ accuſanda mulier, quæ poſt vigeſimum matrimonii annum vtero geſtare incipit. *Primiroſius.*

Non ſufficit allici & admitti in vteri fundum virile ſemen, opus eſt inſuper vt ibidem muliebri conjungatur ac commiſceatur; quæ miſcella imprimis prohiberi videtur cum magna eſt vtriuſque diverſitas & diſſimilitudo, qualis inter pituitoſorum & bilioſorum, aut valde melancholicorum ſemen; vt & ſi e. g. alterutrum ſemen ſit à Lue venerea multum corruptum: quamvis nonnunquam obſerventur quoque Lue Venerea infecti generare, id quod contingit frequentius quando ſanguinis maſſa vniverſa nec dum eſt notabiliter viciata, & imprimis quando mas & fœmina ea ſimul laborant. *Sylvius de le Boe.*

24. *Qui inter manifeſtas*) Ad conceptus perfectionem diximus requiri vt ſemen vtrumque vtero exceptum permiſceatur & aduneiur. Hanc ſeminis vtriuſq; conjunctionem impediri diximus ob ipſorum diſſimilitudinem, præſertim obſervandam cum maris aut fœminæ conſtitutio eſt morboſa, adeo vt multum abſcedat ab alterius ſani conſtitutione, quod evenit facilius ſi alterutrer adverſa, ſed ſibi contraria vtatur valetudine: Hoc in caſu opus eſt vt alterutrius, vel vtriuſq; valetudo adverſa cujuſcunque emendetur. Quod ſi venerea lue alteruter laboret, curatio ex arte inſtituenda, quo ipſius

ſemen ſanum reddatur ac generationi aptum. Quod ſi cacochymia adfuerit, ob quam ſemen prodit ſimile, & hactenus, ab alterius ſemine ita diverſum, vt deſideratum non fiat vtriuſque conjugium, emendetur illa medicamentis, idoneis. *Sylvius.*

Si ſeminis mulieris temperatura eadem cum virilis ſeminis exiſtat, ex commixtionis horum æqualitate nihil generari poſſe contendunt, & vt ex diverſis illorum naturis, medium & temperatum ex vtriſque mixtum exurgat requirunt; Verum nos omne ſemen calidum ſtatuentes, non prolificam vim in eo, ſed cujuſque decenti temperatura conſtituimus. *Platerus.*

25. *Et occultas qualitates*) Non tantum diſcordia eſt in manifeſtis qualitatibus, ſed poſſunt eſſe occultæ & ignotæ ſeminum antipathiæ, vnde multis apparentibus cauſis manifeſtis ſterilitatis, talis tamen interdum antipathia eſt cum virili ſemine, & certa quædam vteri conſtitutio & idiocraſia, vt in eo ſemen potius corrumpatur & depravetur quam perficiatur, vnde fit vt quædam abſolute & ſimpliciter ſint ſteriles, quæ nullam vnquam prolem ſuſcipere potuerunt, quamvis nullæ appareant ordinariæ cauſæ hanc actionem impedientes. Obſervandum autem plures eſſe ſterilitatis cauſas in fœminis quam maribus, quia hi ſolum ſemen ad generationem conferunt, illæ vero præterea ſuppeditant ſanguinem menſtruum, & locum idoneum, itavt propterea ſæpius contingat illas eſſe ad generationem minus præparatas & habiles. *Primiroſius.*

26. *A medicamentis ſemen extinguentibus*) Quædam ſterilitatem inducere dicuntur occulta vi & proprietate, vt *radix filicis fœminæ* pota, *pulvis hederæ* potus ad ʒj. *os de c. c. matrix mulæ aut capræ, lapis gagates, ætites, ſmaragdus, ſapphyrus, camphora, cicindela, &c.* Vide ſupra §. *conceptum inhibere*) Peſſarium ex *nitro, alumine & pice* aut *pipere*, tum *teſticuli muſtelæ* maris juxta vulvam ligati; Si mulier timeat nimiam ſobolem, liget in ſecundina infantis tot grana catapuriæ, quot annis vult ſterilis permanere. Aliaque plurima legere licet apud *Aëtium, Rod. à Caſtro*, & alios, quibus non eſt magna fides adhibenda; Probabilius eſt *Narcotica* matrici ſubdita id præſtare poſſe, extinguunt enim geniturám, & partem ipſam refrigerando lædunt. *Idem.*

27. *Ab incantationibus*) Etiam inter cauſas externas ſterilitatis recenſentur maleficia & incantationes, vt ſunt ligaturæ venereæ, quæ quibuſdam in locis ſunt nimis familiares, vtuntur in id quidam teſticulis luporum. Sic refert *Iſaac* teſticulos gallorum ſanguine reſperſos in lecto poſitos congreſſum impedire, Scribit quoque fabas quatuor in lecto poſitas aut ſupra oſtium, maleficium eſſe potentiſſimum, Nux quoque vel juglans vtrinque in via impoſita, per quam tranſeunt ſponſi, nocere creditur. Hæc autem, & ſimilia, vel odium inter conjuges conciliant, vel congreſſum impediunt, vel ſeminis virtutem corrumpunt & labefactant; Hæc autem præſtandi nulla ipſis ineſt vis naturalis, ſed omnis à Dæmone pendet, cujus opera hæc omnia perficiunt ſortilegi. *Idem.*

28. *Et ſi cum vxore coit*) Diſcordia poteſt eſſe in amore & odio, vt ſi vnus alterum averſatur, ideo rectè ſcripſit *Aetius* invitos coitus eſſe irritos, quia quando mens averſa eſt, vterus prompte & cum voluptate ſemen non excipit, ſed illud effluere ſinit. *Primiroſius.*

29. *In curatione laudatur hauſtus*) Si à maleficio, aut occulta pharmacorum vi ſterilitas inducta fuerit, perexiguus eſt medicinæ locus, ſed ad orationes confugiendum eſt quibus divinum auxilium eliciatur. Adverſus tamen pharmaca occulta vi ſterilitatem inducentia nonnulla proponuntur ab authoribus amuleta: quæ proprietate quadam malignæ huic qualitati adverſantur; vnde *Cardanus* voluit *priapum lupi* geſtatum omnes illas faſcinationes diſſolvere. Alii valde commendant *adamantem & hyacinthum*. Antiqui *hypericum* vocabant fugam dæmonum. Eadem vis tribuitur *ſcillæ, eryngio, rutæ, ſagapeno*, aliiſque ab vtroque conjuge geſtatis. Sed huic negotio plurimum conducere certum eſt, vt hujuſmodi faſcinati confidenti animo iſta conentur maleficia & incantationes aſpernari; Tum (ſi author maleficii ignoretur) vt locorum mutatione, domos, cubilia, veſtes, & reliquam ſuppellectilem relinquant, in quibus vis illa venefica & faſcinatoria ſæpe abſconditur. *Riverius.*

30. *Vitio vteri*) Qui triplex morborum genere laborare poteſt, vel morbis in conformatione, vt in ætate juvenili & parvæ ſtaturæ mulieribus quæ ob exiguitatem partium virum admittere nequeunt, aut ſaltem non ſine magno dolore, maxime ſi vir ſit ſtaturæ procerioris & & membrorum virile habeat craſſius; Idem contingit *imperforatis & glutinatis vulvæ labris & coaleſcentibus*, quod fit tribus modis ex *Aetio* 1. ſi *labra pudendi inter ſe cohæreant* 2. ſi in *medio ſinu* adſit *membrana* peni aditum præpediens, 3. ſi *vteri os internum penitus occludatur*, quæ vitia menſtruorum purgationem & viri coitum impediunt, ſic refert *Paræus* de muliere, quæ ventrem tumidum habebat ex ſanguine retento ob iſtarum partium clauſuram. Imo quædam medicamenta *partes iſtas adſtringunt & exſiccant*, vt non poſſint amplius commode dilatari, ad maris geniturám recipiendam, quales ſunt peſſi & fotus adſtringentes, & diuturnior vſus chalybis ſecundum quoſdam. Pariter *vteri, lævitas, vlcera, tumores, obſtructio, contorſio*, aliuſve in conformatione morbus poteſt ſterilitatem facere, vt ſi ob ætatem partes iſtæ redditæ ſint *calloſæ & ſtrictiores*. Sæpe ex luxione *contorquetur vterus*, vnde vitium abſque dolore non patitur. Sic natura *claudæ*, & nimium diſtortis cruribus vix poſſunt commode ſemen excipere, vnde rarius concipiunt, *Quæcunque p. n. craſſæ non concipiunt, iis omentum os vteri comprimit aph. 40. 5.* aut quia materia ſeminis abit in pinguedinem. Secundo laborat vterus morbo in *intemperie, 5. aph. 62. Quæcunque frigidos & denſos habent vteros non concipiunt, & quæcunque prahumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura, & quæcunque ſiccos & præ[illegible] nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæ vero ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt.* In mulieribus frigido & denſo vitio præditis; frigiditas ſemen caloris extinguit, atque ejuſmodi mulieres quaſi torpidæ coitum non appetunt, nec eo delectantur. Addere licet *Venarum vteri* anguſtiam, *ſanguinis menſtrui frigiditatem & paucitatem*, humoris pituitoſi copiam, faciemque obſtructionem. Pariter quæ *humidum* habent *vterum* non concipiunt, ſicut in terra paluſtri germina obruuntur & inundantur, ſic humore nimio extinguitur genitura, lubricus fit vterus, ſemenque non continet; Cum enim vterus in mulieribus ſit variorum excrementorum ſentina & receptaculum, contingit ſæpe cum pluribus humoribus liquidis & pituitoſis abundare; quæ retentricem ipſius vim debilitant, vt non poſſit ſemen ipſi adhærere, ſed facile prolabatur, Uteruſque hiat, qui tamen in gravidis debet connivere: Ideo quæ gonorrhœa, vlceribus, aut fluxu muliebri diu multumque laborant, quæ vteri vim retentricem reſolvunt ſemenque inquinant & diluunt, ſic quoque quæ ſub cœlo humidiore habitant, in otio vivunt, balneis vtuntur humidioribus, ebrioſæ ſunt & guloſæ, rarius concipiunt, quia replentur pravis humoribus qui calorem nativum vimque ſeminis ſuffocant & labefactant. Tertio in ſicco vtero non fit conceptio, ob materiæ & alimenti defectum, in calido vero genitura abſumitur, vt in viraginibus. [illegible]

gendæ

gendæ autem hic ſunt intemperies tam nativæ quam adventitiæ, tam ſimplices quam materiales, vt ſunt tumores p. n. phleginone, œdema, eryſipelas, ſcirrhus, mola, calculus, flatus, aqua & ſimilia quæ conceptionem impediunt; Demum morbi in *ſolutâ unitate* ſterilitatem inducere ſolent, vt ſunt præcipue vlcera, iiſque ſuccedentes cicatrices grandiores. quia inducta lævitate p. n. ſeminis retentionem prohibent. Tum quoque ſi mulieres *Caſtratæ* ſint, abſciſſis vaſis ſpermaticis. *Primiroſius.* Vide §. *Quando vterus ſemen injectum non retinet*) & §. *Quando vterus ſemen injectum non alterat*)

30. *Vitio Vteri*) Aphrodiſiaca fœminis magis per accidens proſunt, quatenus impedimenta vteri tollunt: vnde quod quidam ſcribunt multas ſe fœminas ſteriles curaſſe, præmiſſis præmittendis, ſolo *ſale ſatyrii* ad ℈ß. *in vino malvatico*, vel *aqua vitæ mal.* poſt menſium fluxum, id abſterſiva potius virtute factum eſt: Quod item *ol. maioran.* & *moſch.* cum *coagul. leporis* commiſta pro arcano commendat *Pena* & *Lobelius*, orgaſmo & apertioni pororum debetur; His ipſis tamen non æque fidendum eſt tanquam experimentis ſpecificis, ſed cauſæ potius removendæ ſtudendum. *Wedelius.*

31. *Alia eſt quando vterus ſemen injectum non attrahit, &c. non retinet &c non alterat*) *Etiam cum non ſuſcipit, vitio cervicis aut vaginæ.* Vaginæ actio erectio eſt, cum in coitu vaginæ ductus à pudendo ad vterum vſque erigatur, ſic penis regia quaſi via ad vterum pervenire queat; Natura autem in vagina talem erectionem molita eſt vt congrua pudendorum applicatio ad ſemen eliciendum neceſſaria fieret, & ſemen facilius ad vteri fundum pertingeret, Nam ſi vagina non erigeretur in coitu, facile evenire poſſet vt complicaretur, complicata commodam penis immiſſionem impediret; impeditus Penis ſemen determinatum non in vteri oſculum internum ejacularetur, ſed per cavum vaginæ locum effunderetur, effuſum vero ad latera penis efflueret, Denique fieri poſſet vt à fortiori priapo facile læderetur, qua de re exemplum apud *Plazzonum.* Graef. *de mul. org. c. 7.*

32. *Intemperiem frigidam & humidam*) Omnium frequentiſſima ſterilitatis cauſa eſt frigida & humida & eſt intemperies totius corporis & vteri, quam fluores albi ſæpiſſime comitantur, quorum curatio ſpecialis ex proprio capite deſumatur, Peculiariter vero dictis intemperiebus ſequentia adhibebuntur, quæ à Medico varianda ita vt magis vel minus calefaciant vel exſiccent, prout vel frigiditas vel humiditas magis in vitio fuerit; At primum humores pituitoſi in corpore reſtagnantes evacuandi ſunt *purgantibus, diureticis, ſudorificis*: Nec non revulſiones quædam inſtituendæ *cauteriis* brachiis, cervici, aut cruribus adhibitis: Tum partes principes, roborandæ *theriaca, mithridatio, tabellis aromat. roſat. confect. Kermeſ. & ſimil.* Nec non purgationes per intervalla repetendæ, ſi cacochymia redundare videatur, Poſtmodum ad ea veniendum eſt quæ proprietate ſpecifica *vterum roborare, conceptionem* adjuvare, & veneri ſtimulos addere nata ſunt, E. g. ex plurimis.

℞. *Rad. eryngii ſatyrion. ſacch. condit.* āā. ℥j. *zz. vir. cond.* ℥ß. *avellan. nuc pini. piſtac.* āā. ʒvi. *nucem moſch. ſacch. condit. n.* i. *ſem. eruc. & naſturt.* āā. ʒii. *ciner. priapi tauri renum ſcincor. raſ. ebor.* āā. ʒi. *conf. alkerm.* ʒiij. *diambr. & diamoſch. d. an.* ʒiß. *ambr. gr.* ʒß. *cum ſyrupo condit. cort. citri. f. Opiata, detur magnitudo caſtaneæ in introitu lecti, bis aut ter in ſeptimana, ſuperbibendo parum vini Hippocratici* vel

℞. *Sem. erucæ. ſiler. mont.* āā. ʒß. *raſ. ebor. cinnam. nuc. moſch.* āā. ʒj. *moſch.* (in iis quæ eum ferre poſſunt) *gr.* iii. *ſantal. albi* ʒiii. *m. f. Pulvis detur* ʒi. *ex vino generoſo* vel

℞. *Sem. eruc. paſtin. ſylv. cinnam. nuc. moſch. pulv. el. diambr. & diamoſ.* āā. ʒj. *matric. lepor. teſtic. apri priapi cervi caryoph.* āā. ʒi. *moſchi. ambr.* āā. *gr.* vi. *ſacch. ad pondus omn. m. f. Pulvis,* ʒii. *cum vino generoſo.*

Summæ efficaciæ creditur *ſecundina* mulieris ſiccata & in pulverem redacta ad ʒj. exhibita. Alii pro ſecreto habent pulverem ex *hepate* & *teſticulis porcelli* quem ſolum ſe ola edidit, eumque ſterilitatem arcere aſſerunt, tam in viris quam mulieribus. In mulieribus quibus viſcerum calefactio innuitur, *raſura eboris* erit vtiliſſima, ad ʒi. cum vino ſumpta, per quatuor aut quinque dies poſt purgationem menſtruam *Eſſentia Satyrionis à Crollio* deſcripta hic maxime excellit, à ℈i. vel ii. vſque ad ʒ .in *vino malvatico* exhibita. Ejuſdem *Satyrionis ſal* eſt etiam valde efficax ad ʒß. cum *vino malvatico* poſt purgationes menſtruas exhibitum. Efficax *Decoctum ſequens.*

℞. *Rad. eryngii.* ℥i. *artemiſ. nepet.* āā. *m.* i. *coque in vino albo. Detur cyathus vnus m. & v. cum* ʒi. *triphera magnæ ſine opio per dies ix.* vel

℞. *Teſtic. ariet. præpar. in vino & exſiccat. matr. lepor. eodem modo præpar. & exſic. macis, cinnam. caryophyll. zz. albi, ſem. amens* āā ʒii. *croci* ʒiß. *medullæ uncuns comm. avellan piſtac.* āā. ʒiii. *contundenda contund. & tandem coqu. in* ℔j. *vini malvat. ad* ʒ. *partis conſumpt. Huius Decocti capiat. poſt menſium fluxum* ʒiii. *vel* iv. *mane tribus horis ante cibum, idque tribus diebus conſequentibus, quarta vero marito jungatur* A Quercetano commendatur.

℞. *Cinnam. caryophyll nuc. moſch. macis* āā. ℥j. *cubebar. piper. longi, galangæ, zedoar. ſem. ammi ſeſel.* āā. ℥ß. *gran. junip.* ʒi *vini albi gener. aqu roſmar. maioran. meliſſæ* āā. *q. ſ. ſtent in digeſtione ſex diebus & poſtea deſtillentur, dentur m. & v. cochl.* v. *vel* vj. Valde eſt efficax.

Si mulier *ſalviæ hort. Succi hemiaum* cum modico ſale potaverit quarta à menſtruæ purgationis die, deinde poſt horæ quadrantem vito ſe commiſcuerit infallibiliter eam concipere multi graves viri teſtantur; Quo remedio etiam poſt magnam peſtilentiam Aegiptias fœminas ad multam ſobolem perveniſſe *Aetius* teſtatur. *Riverius. Amm.* legitimi ſemen, quod ex Alexandria affertur mirifice præſtat ad mulierum ſterilitatem jam compertum eſt huius tantum ſeminis auxilio plures prolificas effectas, ſiquidem ſi propinetur mane ʒi. pondere ex vino meraco, aut carnium iure in tenuem pulverem contritum, alternis diebus tribus horis ante cibum, futuram pollicetur prolem: ſed oportet maritum cum vxore rem habere iis tantum diebus in quibus illa ſemen non ebiberit. *Matthiolus in Dioſcoridem. majoranæ* tenuioris, delicatioris & minutæ vocatæ *Oleum ſtillatitium*, *coagulo leporino* remiſtum, & *moſchi* tantillo, tanquam arcanum proponunt conceptui facilitando, *Pena & Lobelius* De *Allio hortenſi* referunt, ſi cum *oleo de ſpica* conteratur, & in linteum rarum, oblongi ſacculi modo conformatum, intrudatur profunde in vulvam, ceſſantes menſes potenter moveri, vterum mira voluptate affici ac repurgari, vt hinc multis facta ſit via ad conceptionem longo tempore deſperatam. *Riverius.*

32. *Intemperiam frigidam & humidam*) Præſertim humidam, cum ſcil. vterus multis excrementitiis humoribus refertus eſt, à quibus laxior factus non debite conſtringitur ad ſemen receptum exacte retinendum; Illa autem humiditas immodica & à proprio temperamento & à cauſis externis humidioribus, balneo, otio, victu humidiori fluore albo &c. excitari poteſt. *Riverius.* Oritur vel ab excrementis humidis in vtero ex crudo vel pravo illius nutrimento natis collectiſque

illumque humectantibus atque refrigerantibus illiusque orificium laxantibus, vel nimia, à ſæpius repetito congreſſu orta lubricitate, fere contingit; cum ex defluxu illius in vterum, nulla patente via hoc vixdum fieri poſſit; vti vero corpus ejuſmodi excrementa per conſuetas, etiam ſanguinis expurgationum venas, tranſactis plerumque menſibus vel etiam vna cum illis, quæ tunc male coloratæ & impuræ ſunt, expurgare ſolet; Fit tamen vt in vtriſque, vt cum à ſanguinis vitiò hæc proveniant, eiuſmodi fœminæ quæ non concipiunt, male habitæ & decoloratæ exiſtunt. *Platerus.*

33. *Morbos aliquos organicos*) Etſi mulier virile membrum intra vaginam admittat, & orificium internum apetiatur ſemen admiſſurum; ſæpe nihilominus ſterilis eſt ob ſitum depravatum prædicti orificij, quod directum non eſt, ſed aliquando rectum inteſtinum ſpectat, aut partes laterales, quo fit vt eiaculatio ſeminis virilis recta non procedat, vnde fruſtratur conceptio, ob illius ſubitum extra corpus effluxum, aut quia refrigeſcit non admiſſum. *Mauricean.* Sed & morbi quidam maligni, & labe quadam veneſica inquinati ſemen maxime corrumpere ac generationi ineptum reddere valent, vt phthiſis, elephantiaſis, lues venerea, vlcera fœtida & cancroſa. *Riverius.*

34. *Nimiam pinguedinem*) Habitus pinguior varias ob cauſas ſterilitatem inducit, tum quia propter pinguedinem & abdomen potuberans non poſſunt arcte coniungi, tum quia ſeminis & ſanguinis menſtrui materia in corporis ſubſtantiam tranſmutatur, tum propter nimiam frigiditatem, tum quia ab omenti pinguedine comprimitur os vteri, *Quacunque p. n. craſſa non concipiunt, iis omentum os vteri comprimit. & priuſquam extenuentur non concipiunt aph. 46. §.* Quædam tamen pingues; modo menſtrua ipſis abunde profluant concipiunt facile. *Primiroſius.*

34. *Nimiam pinguedinem*) Obeſitas nimia extenuante victus ratione & convenientibus evacuationibus erit corrigenda. *Riverius.*

35. *Omenti præſertim*) Quæ ſententia eſt *Hippocr.* lib. de *ſterilibus*, & aph. 46. 5. *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis os vteri ab omento comprimitur*, & prius *quam extenuentur non concipiunt*: At vero invitus admitto hanc ſterilitatis cauſam, compreſſionem vidi orificij interni ab Epiploo: Medelam enim illi attuliſſet celebris ille *Aretinus*, ſitum in concubitu convenientem excogitando per quem liberum eſſet à dicta compreſſione collum interius. *Mauriceau De morb. Grav. c. 1.*

36. *Quæ præter naturam tenues*) Vt nimium craſſæ extenuandæ, ſic nimium tenues impinguandæ: Tenues quidem ſolent craſſis eſſe fœcundiores, ex *Ariſtotele*, quia ſemen habent & ſanguinem melius concoctum, vias liberiores, modo non ſint morbo aliiſvè de cauſis nimium extenuatæ; Sicut diſtinguendus eſt bonus habitus qui fit à forti calore & probâ concoctione, à pinguedine quæ fit à frigido; ſic macies extrema, maraſmus & tabes, diſtingui debet ab extenuatione ea quæ cum ſtatu naturali optime conſentit, de qua ſcribit *Hippocrates* craſſos citius interire quam graciles: Ideo craſſæ ſic extenuandæ ſunt, vt non prorſus fiant graciles; & macilentæ ſic impinguandæ vt bonum habitum tantum conſequantur, non autem evadant nimium corpulentæ: *Primiroſius.*

37. *Proſunt morſelli*) Siccitas immodica conceptionem impediens curabitur victu analeptico, & ſi major ſit conſumptio, ad curam hecticorum erit revocanda, videlicet lactis vſum, balneum frequens & ſimilia. *Riverius.*

38. *Vterus ſemen injectum non retinet*) Quam maxime requiritur vt vtero immiſſum ſperma probe in ipſo retineatur: quo autem cenſeatur conceptio facta & integra, triduo ſaltem retineri debet in vtero ſemen: Tunc enim conceptio perfecta, poſtquam non raro ante illud tempus obſervatur iterum effluere ipſum:

Hanc ob rem monentur mulieres difficilius concipientes, poſt admiſſum ſemen quietum ſervare corpus, ne illius agitatione multa vehementive excidat nuper admiſſum ſperma, necdum vtero adhærens: Semen namque vtrumque poſtquam intime permiſtum eſt in vtero ſenſim vtero ipſi iungitur quoque & agglutinatur per futuræ placentæ rudimenta; quæ tum demum obſervari poſſunt, ſenſibuſque capi externis cum excreverunt aliquantum molemque nacta ſunt tantam quanta requiritur ad ſenſus externos movendos. Non permanet in vtero ſemen, at paulo poſt iterum ex ipſo fluit, aliquando ipſius Seminis culpa, quod evenit præſerrim quando illud naturali fluidius exiſtit & aquoſius: Accidit autem id tum ob quarundam conſtitutionem talem, vel nativam vel adtititiam, tum ob ætatem ſenilem, cum infirmitate conjunctam, cum obſerventur ſenes ſatis vegeti generationi idonei, tum ob venerem nimiam, qua de cauſa infœcundum ſemen prodit: Id quod locum habere poteſt in maribus & fœminis: *Vteri* culpa excidit, cum idem *laxior* eſt, nec poſt ſemen admiſſum corrugatur ſatis, quod requiritur omnino ad ſeminis retentionem: Laxior exiſtit quibuſdam à Natura & conſtitutione nativa, quibus mox excidit admiſſum ſemen, quod fere ſine voluptate, ſaltem notabili, ſolet admitti, concurrente vt plurimum conſtitutione corporis vniverſi molli, laxa & pituitoſa, ob quam tum ad Venerem minus pronæ ſolent eſſe tales mulieres, tum parum vel nihil voluptatis capere, tum denique vterum ſegnius ac minus ſeſe corrugantem habere: Ad notatam vteri laxitatē procurandam videtur facere Pituita multa in ſanguine exiſtens, atque non tantum humores omnes pituitoſos, ſed partes quoque continentes ipſumque adeo vterum ſimilem faciens. Sicut id malum quibuſdam eſt nativum, parentibus, matri præſertim debitum, ita nonnunquam eſt adventitium, atque Diætæ pravæ præſertim adſcribendum, Alimentis pituitam multam generantibus, Aëri frigido humidoque, vitæ deſidi ſomno longo, Evacuationibus nimiis &c. aliquando medicamentis refrigerantibus diutius & perperam vſurpatis: Quod de Pituita, humore craſſo atque plus minuſve viſcido, dicendum quoque de *ſeroſo*, ſed aqueo magis quam ſalſo, à quo tamen vtroque in corpore abundante ac redundante vterus humectatur laxaturque, aut ſimul irritatus ad hiandum cogitur: Hinc eſt quod tam frequenter obſerventur fœminæ Cachexia pituitoſa, ſeroſave laborantes ſterilitate ſimul vexari, nec prius ab eadem liberari quam ſuperata fuerit notata conſtitutio vitioſa & noxia. Quo minus vaſa minora, Arteriæ ac Nervi, ad vterum delata, & minus ſanguinis vitalis animaliumque ſpirituum ad ipſum advehentia inter cauſas vterinæ laxitatis referri poſſint, non video quid obſtet, poſtquam illorum ope partium quarumvis robur conſervatur & augetur, eorundem proinde defectu qualicunque laxitas iiſdem accidit.

Si ergo prædicta Agglutinatio impediatur ob Semen nimis Aqueum, adeoque minus glutinoſum, tale reddetur tum in mare tum in fœmina continuo vſu alimentorum viſcoſorum, qualia petuntur ex animalium plerorumque extremis, cruribus & capitibus; cavendo ſedulo à multa aqua, ſive in potu, ſive in juſculis vſurpata, tum abſtinendo à venerē immodica.

Si non retinet ſemen vterus ob oſcula nimis patula, conſtringentur tantillum vſu moderato, & aliquamdiu continuato rerum ſubauſterarum; quaia

lia ſunt mala *Punica Berberis*, *ompha, cydonia*, *&c.* additis ſemper aromaticis ſed ſubauſteris, *nuce moſchata*, *cinnamomo*, *caſſia lignea* &c. non neglectis externis, fotibus, linimentis, emplaſtris &c. blande adſtringentibus,

Vteri oſcula minus patula reddentur paulatim magis aperta vſu iridem moderato continuatoque rerum aromaticarum, *maiorana*, *roriſmar. pulegij*, *hyſſopi*, *maceris* &c. vt & ſalium omnium volatilium, ſubacrium & quandoque oleoſorum & blandorum prout diverſa concurrere obſervantibus ſymptomata, *Silvius l.3 c.v.praxios.*

38. *Vterus ſemen injectum non retinet*) *Ob iſtius pravam & infeſtam qualitatem.* Iuvencula formoſa, temperamento ſanguineo, vivit in conjugio ſterili cum marito valdè calido ſicco & atrabilario: Cauſam ſterilitatis reiicit in ſemen virile, quod recipit quidem ſumma cum voluptate, verum eo ipſo momento tantis afficitur anxietatibus cordis, & infimi ventris cruciatibus, vt ſæpiſſime etiam animi deliquium incurrat, donec variè ſeſe torquendo omne ſemen rurſus effluere ſentiat, quo facto ab omni moleſtia libera non recuſaret priores mariti amplexus: Poſſet hic accuſari vel fermentatio quædam aliena, vel acredo ſeminis, vel in ipſo latens malignitas, quod doctioribus explicandum relinquo. *Ioh. Iac. Waldſchmid.*

38. *Vterus ſemen injectum non retinet*) Fruſtranea eſt retentio ſeminis, ita quidem vt ſi effluat ſemen non concepiſſe fœmina fingatur; & ne effluat *inepte* præſcribitur cubandum ipſi eſſe pedibus decuſſatim poſitis in latus alterutrum: Tam ſimplex non eſt hodierna ætas, præterquam vulgus medicorum, vt talia credat, quæ tamen olim plenis buccis decantabantur pro oraculis quaſi habita. Semen *præterea* maris non eſt materia fœtus ex qua, non concurrit καθ' ὄγκον ita vt ipſum quoad ſubſtantiam ſuam congrediatur, ad productionem fœtus, idque nec in oviparis, nec viviparis, necque tamen ſimpliciter dici poteſt cauſa meralis ſolum, vt ajunt Philoſophi, ſed omnino tum efficientis rationem habet, ſed ſuo ſenſu. *Wedelius Phyſiol. pag. 199.*

39. *Semen injectum non retinet*) Id quod à pluribus cauſis fieri poteſt, naturalibus, non natur. & præternat. Inter *naturales* primum recenſetur ætas juvenilis, in qua ob exiguitatem & ſtricturam partium genitalium mulier virile pudendum admittere non poteſt, aut certe niſi ſummo cum dolore, qui eas concubitum averſari cogat: Eundem effectum præſtat ætas provectior, ſiquidem in virginibus ſenioribus partes genitales, defectu exercitii venerei, marcidæ ac vietæ factæ ſunt, ac ſtrictiores redditæ, vt virilem penem poſtmodum facile non poſſint admittere; Quæcunque etiam natura claudæ, cruribus diſtortę, vel depreſſa coccyge exiſtunt, vix poſſunt commodam in concubitu figuram præſtare, quæ ad ſeminis debitam receptionem neceſſaria eſt; His adde pinguedinem nimiam, quæ vias vteri anguſtat, & aqualiculo prominentiore iuſtum & commodum viri cum fœmina congreſſum impedit denique temperies vteri frigidior torpidas reddit mulieres, vt nulla propemodum voluptate in coitu fruantur, aut tardius ſaltem excitentur, ita vt internum vteri orificium tempeſtive non aperiatur ad ſemen virile recipiendum. Inter *res non naturales animi pathemata* principem locum obtinent, ac imprimis odium inter conjuges, quo mulier ab huiuſmodi voluptate averſa, non ſuppeditat ſpiritus ſufficientes, quibus turgere debent genitalia, tempore congreſſus, vt matrix quaſi geſtiens ſe ſemini virili occurrat, idque benigne excipiat attrahatque in ſuam cavitatem ſimulque proprio ſemine in ea voluptate effuſo perfundat & irrigat, atque ex amborum commixtione conceptio oriatur, *Res* vero *præternaturales*, impedire poſſunt ſeminis receptionem, in morboſis diſpoſitionibus verſentur, quæ partibus genitalibus, aut illis vicinis ſolent advenire, vt tumores, vlcera obſtructiones, adſtrictiones, clauſuræ, diſtorſiones, calculus, veſicæ & aliæ huiuſmodi. *Riverius.*

40. *Idque vel ob intemperiem*) Non ſolum frigidiorem, (quæ *ſola hic ſtatuitur*) ſed *calidiorem*, cujuſmodi occurrit in viraginibus & robuſtis mulieribus, ad naturã virilem quodam modo accedentibus: quæ vt reddantur aptæ generationi, omni arte effœminandæ ſunt, & ad mores ſexui congruos efformandæ, interdictis omnibus edulijs craſſioris ſucci, laboribus & exercitiis, ac procurato convenienti menſtruorum fluxu, vt illius immoderata copia enerventur, ac molleſcant; Tum ſi menſtruorum fluxus ad id non ſufficiat, frequenti purgatione ac venæ ſectione imminuantur humores, & balneis ſæpius iteratis, aliiſque alterantibus totus habitus humidior & frigidior reddatur. Si *calidior intemperies* ſterilitatis cauſa fuerit eadem curatio adhibenda eſt quæ in calida ſecotis intemperie fuit propoſita; Quod ſi maior fuerit caliditatis exceſſus ad ea erit recurrendum, quæ pro Furore vterino traduntur: In quibus tamen remedijs *caphura* non admittenda eſt, quia fœcunditati plurimum nocere creditur. *Riverius.*

41. *Cognoſcitur quod vteri fibræ*) Si non retinet internum os vteri vel durum eſt, vel compreſſum, vel diſtortum, vel lubricum: Si per aliquot dies contineat, poſt emittat, intemperies adeſt frigida humida, aut cicatrix grandior. *Primiroſius.*

42. *Curatio ad intemperiem*) Conceptionis potiſſimum juvandæ gratia exhibentur ea remedia quæ venerem excitare, ſemen augere, venereumque actum juvare valent, quæ vt in eo defectu viris potiſſimum exhibentur, ſic hic mulieribus ad conceptum juvandum, qui citius fit ſi in venere magis caleant, & ſemine abundent dantur, atque interdum, ne in viris mora ſit, illis quoque ſimul propinantur; Addendo illis quæ fœmina aſſumere debet, ea quæ vterum proprietate juvant, & calefaciendo & ſiccando intemperiem corrigunt, menſeſque ſi ſuppreſſa ſint, promovent, humiditateſque ſi redundent abſumunt, Sequenti modo, *Pulveres* hi id præſtant.

℞. *Nuc. moſch.* ℈i. *moſch. gr.* ii. *ſalis gr. ſ. pro ovo ſaliendo, cum ovo ſorbili capiat* ſingulis matutinis, Vel

℞. *Spec. diamoſch. diambr.* ãã. ʒß. *raſ. ebor.* ʒß. *ſem. ſiler. mont.* ʒij. *cinnam.* ʒi *ſacch.* ℥ii. *f. Pulv.* vel diſſoluto *ſacch. in aqua cinnam. & artemi* / *f. Tabellæ, doſis ad* ʒii.

Tryphera mai. ſine Opio. ʒi. *quantitate*, cum *vino generoſo* laudatur; Edulia efficacia hoc modo fiunt.

℞. *Nuc. moſch.* ʒi. *zinzib. piper.* ãã. ʒß. *maioran. ſicca* ℈i. *ſem. erucæ ſiler. mont. carvi.* ãã. ʒß. *f. Pulvis* ad ſequentes vſus,

℞. *Cerebrum porci. coqu. in vino malvatico, in fine adde pulv. prædicti* & ſalis q. ſ. comedat frequenter in cœna, *Vel*

℞. *Teſticulos & criſtas gallorum dum caſtrantur, & coquantur eo modo, & pulvere* condiantur. vel

℞. *Teſticulos arietis, incidantur per teſſellas. volvantur fruſta in dicto pulvere, atque fol. ſalviæ & Omento pingui deſuper involuta, baxilloque affixa torreantur, pro cœna.*

Ferculum ſequens pro impregnatione mire commendatur, *ſumendo fol. menthæ, flores ſcabioſ. & pimpin. omnia recentia, incidantur minutim, affunde duo vel tria ova confracta, adde capas inciſas, nuc. moſch. & ſalis q. ſ. coqu. in ſartagine in placentam*: Vel *involvatur paſta fol. caulium & coqu. ſub cineribus* comedant de ea vir & mulier jejuni, & poſt horas quatuor commiſceantur, octiduo poſtquam è menſibus purgata fuerit.

Decoctúſequẽs infallibile prædicatur eſſe remedium.

℞. *Eryngii radicem, fol. artemiſiæ & ſanamundæ coqu. in vino rubro*, cyathum vnum mane & veſperi mulieri præbe *cum trypheram magnã ſine opio* per dies novem.

Hoc quoque arcanum ob ſingulares virtutes eſſe volunt, exhibere *ol. maioran. arte chymica eliciti, & moſch.* ãã *gr.* j. *vel* ii. *cum coagulo leporis*. Platerus.

42. *Curatio ad intemperiem obvertenda eſt)* Si commixtum ſemen virumque excidat ex vtero culpa ipſius vteri laxioris, danda eſt opera vt conſtitutio tam corporis vniverſi quam vteri pituitoſa emendetur, quod fiet vſu continuo rerum aromaticarum & ſalium volatilium oleoſorum, cavendo à rebus omnibus pituitam generantibus, vterumque pituitoſum afficientibus frigus humidum, aquæ, pavimenti, aëris quovis modo eo penetrans: Huc refer omnia vteri ſubſtantiam roborantia interna & externa, fotuum forma, ſuffimigiorum &c. vſurpata. *Sylvius*.

43. *Proſuntque Thermæ) Thermarum* naturalium ſiccantium vſus per menſis ſpatium & vlterius mulierum infœcundarum vltimum eſt refugium in quibus multas horas ſedeant & ſudant: quæ efficaciores erunt ſi natura actu calidæ quoque ſint, quales aluminoſæ & nitroſæ paſſim, & gypſum redolentes. *Plumbariæ* dictæ inveniuntur, *Sulphureæ* item, quæ cum vim emolliendi habeant maximam, in duritie vteri naturali *ſanas mulieres ſteriles* reddere, vt dictum extremum remedium, & quia ſiccant, in aliis quoque convenient: *Salſæ* etiam *maris*, & *puteorum* aquæ, arte calefactæ & vſurpatæ, per ſe vel cum decocto convenienti proderunt. *Platerus*.

44. *Proſuntque) Emplaſtra* vterum, vt ſemen avidius rapiat & conceptum retineat, confirmantia, in perinæi & lumborum regione, vel eodem tempore, vel mutatis vicibus geſtare debent, tunc primum quando peractis diebus Balnei, Suffitus, Inunctionum & Peſſariorum ab illis ceſſant, & viri conſuetudine iterum vti incipiunt mulieres, continuo, vel ſaltem ſingulis noctibus ad vltimam ſeptimanam vſque, qua menſes erumpere debent illa ferendo: quale hoc eſt.

℞. *Empl. pro matrice* ℥j. *galliæ moſch.* ʒij. *ſtirac. liq.* ʒiß. *caryoph.* ʒj. *maſtices* ʒij, *malaxentur oleo moſchelino vel cheirino. f. Emplaſtrum.*

Quod ſi menſes, exacta cura vnius aut alterius menſis, ſiſtantur, ſuſpicioque ſit gravidam illam eſſe; per ſeptimanam vnam aut alteram expectandum, quo tempore quieta mulier eſſe debet, & niſi interea redeant, ſequens *Emplaſtrum* ad conceptum retinendum abortumque vitandum, applicare, & ſingulis noctibus retinere debet

℞. *Empl. maſtich.* ℥ß. *rad. biſtortæ* ʒiij. *nuc. cup. hypociſt.* ãã. ʒii. *ſantal. rubr. roſa. rubr. caryoph.* ãã. ʒi. *malaxentur oleo maſtich. f. Emplaſtrum.* Platerus.

44. *Denſitatem vteri)* Corpus ipſum, ſeu ſubſtantia vteri, ſi nimis compacta & dura ſit, vel ſanguine non perfundatur, conceptionis defectus potiſſima cauſa eſt; Cum enim tunc primum mulier ad concipiendum apta fiat, quando vterus ipſius, qui denſus & nervoſus eſt, & quandiu talis manet, ad concipiendum ineptus calore inſito, affluente ſanguine adauctus carnoſus & mollis fit; & ſicuti canibus dum calent pudendam turgeſcere videmus, in ambitu orificii tumeſcit, rimaque illius ampliatur, (ut enim avidius ſemen excipere poteſt) fit ſane, vt ſic in naturali denſitate perſiſtat, aut etiam p. n. durior adhuc evadat, cum ipſius orificium ad ſemen ſugendum aperiri nequeat, nulla ſequatur conceptio: Hoc autem vel à conſtitutione & temperamento illius tali, ab ortu procedit, vt ſtatim ſiccior quam prius erat illius ſubſtantia evadat; Qualis alias primum *ſenio* appropinquante fieri ſolet; & naturalis quoque, quod tunc mulieres parere deſinant, cauſa eſt; Sic & ſi ante ſenium mulieri hoc accidat, fit vt inde mulieres alioquin ſteriles fiant, taleſque permaneant; Quod & illis quæ *ventre nimia*, aut aliis rebus vterum vehementius exſiccarunt, evenit, aut quibus alioquin vterus à tumore aliquo p. n. aut poſt inflammationem induratus eſt; Sed & ſi ſanguis vteri ſubſtantiam imbuere nequeat, cum non ſolum ad dilatationem & mollitiem vteri dictam influxus illius requiratur, ſed vt quando ſemen vtero concipitur, illique adnaſci incipit, mox ſanguis, ex quo & incrementum ſumat, fœtuſque alatur, præſto eſſe debuerit, vnde & principium generationis ſtatuitur, duplici huius neceſſitatis cauſa, ſi vel omnino nullibi ad vterum feratur; vel aliàs ſuppreſſis menſtruis impeditus ſit, à cauſis illic recenſitis, vel licet per cervicem illius menſtruatim evacuetur, tamen ad fundum vteri pervenire nequeat, ob vteri dictam ſoliditatem, vel venarum vterum implicantium anguſtiam aut obſtructiones accidit, vt viragines vel quæ menſtruorum ſuppreſſione laborarunt; aut etiam quibus menſtrua effluunt, præſertim immoderatius (vnde minus quoque vteri venis, tunc vterus eſſe debuit, diſtribui potuit) non concipiunt, ſteriléſque ſint: Quod & illis evenire poteſt quæ à concubitu viri diutius abſtinentes, vel aliis de cauſis, quia diu non conceperunt, atque vterum hoc otio & deſitetudine, vt nunquam ſanguine admodum perfuſus fuerit, aut intumuerit, habiliſque ad conceptionem factus ſit, exanguem veluti reliquerunt, ſanguine ad cervicis illius venas potius defluente, & per menſtruas evacuationes expurgari ſolito, ex conſuetudine hac longa, ſanguine eo potius quam ad vterum defluente, fit vt poſtea, etſi cum viro miſceantur, iam provectiores ætate non tam facile, vti quæ mox in juventute venerem exercent impregnentur. *Platerus*.

45. *Et tum fluor muliebris)* Quæ quidem frequentiſſima & magis ordinaria ſterilitatis cauſa eſſe ſolet, cum fluor hic frequentiſſime accidat, & vterus ſit veluti cloaca ad quam omnes corporis partes ſuas ſuperfluitates deponunt.

46. *Ob ipſius orificii hiatum)* Occurrit difficultas, An in gravidis Os vteri exacte claudatur, nec ne? *Spigelius l. 2. c. 23.* confidenter ſcribit vteri os interius gravidis hiare, tantoque magis quanto partui ſunt viciniores, cujus opinionem etiam confirmare videtur *Hippocr. ſect. 5. aph. 51. Quæ vterum ferunt, iis os vteri connivet*, quem locum alii aliter interpretantes, vterum accuratiſſime clauſum ſtatuunt, Sed vt noſtram de hac quæſtione ſententiam paucis exponamus, dicemus vtramque ſententiam maximâ probabilitate niti, Hiat enim, quatenus primis geſtationis menſibus eandem apertionem ſervat; & clauditur quatenus materia inſtar glutinis viſcida, quam accuratiſſime obturatur; nec etiam inficias ibimus, os illud poſtremis menſibus geſtationis, paulatim magis & magis dilatari, quandoque illud exploraſſe ſe digitis ſuis cum *Spigelio* nobis obſtetrices affirmaverunt. *Graef. de mul. org. c. 8*

Sanctorius meth. v. Err. l. 1. cap. 30. ait orificium vteri in parte vbi tangitur ab obſtetrice, non poſſe claudi, ſed ita apertum conſervari, ſicuti erat in muliere antequam vtero gereret, quia prægnantibus ſolum in parte intima, eſt obſtructum à quodam mucilaginoſo infarctu, qui adeo conglobatur, vt vteri foramen illud intimum operiat; Id licet experiri, *ait* in brutis, & præſertim in capris fœtum gerentibus, quas ſi diſſecabimus in parte vteri interna, iuxta orificium obſervabimus floccum quendam mucilaginoſum coopertientem totum vteri orificium ſine aliqua orificii clauſura &c. Quare *addit*, vaniſſimum erit credere, labia cervicis matricis coaleſcere & claudi, cum ſemper tam in prægnante quam in non prægnante aperta & recluſa ſint.

46. *Ipſius orificii hiatum)* Orificium internum dictum vteri, ſeu tranſverſa rimula, anguſta & occluſa, quæ tempore conceptionis ſe aperit, ſemenque haurit, ſi ampla nimium fiat, etſi tunc ſemen facile admittat, quia ſemen

men illud diutius minime retinetur, vt nihil ex eo generetur in cauſa eſt; Hoc autem diducto eo vltra modum partu violento ob fœtus magnitudinem, aut perverſionem, adeo vt ad priſtinam anguſtiam redire nequeat, ſolet contingere: Quæ & cauſa aliquando eſt quod mulieres poſt partum difficilem non amplius concipiant. *Platerus.*

45. *Ob ipſius orificii hiatum*) Adde ſi id ab humore glutinoſo obſtructum eſt, adeo vt ſemen virile non admittat; vitium non ita difficulter removeri poterit, applicando vteri orificio fotum ex plantis aromaticis vterinisque paratum, cujus ope ſolvitur educiturque humor glutinoſus, atque levi negotio curatur malum moleſtum; familiare mulieribus vterum multa pituita viſcoſa refertum habentibus, atque ejuſdem fluxum ſubinde cum ſanguine menſtruo patientibus: Idem malum cavetur vſurpando in dies medicamenta pituitæ generationem novam in corpore impedientia, & eandem ſenſim minuentia, vt & cavendo à rebus pituitam producentibus & augentibus. *Sylvius. de le Boe:* Situs aliquando eius immutatur, vt non in medio recta fundum reſpiciat, hinc ad illud recta vir ſemen ejaculari non poſſe putatur, & ſemen potius refluere quam concipi: Si plane deeſt, quod raro fit, ſterilitas omnino incurabilis cauſatur, vt & ſi aliter afficiatur, cancris, ſcirrhis, obſtructione, calloſitate, nimia pinguedine, præſertim nimia humectatione & relaxatione; vel ex nimio congreſſu, vel ex profluvio humorum. *Th. Bartholinus Anat. l. 1. c. 29.*

47. *Vel ob Tuſſim, ſternutationem*) Excidit aliquando ex vtero ſemen ob cauſas externas, errorisve in rebus non naturalibus patratos 1. *motum* corporis vehementiorem, curſum, ſaltationem, vectionem in curru &c. quo motu concutiuntur corporis partes omnes, adeo vt facile excutiantur quæcunque vtero continentur, 2. *Iram* vehementem, ob quam ſicut mire agitantur corporis partes omnes, ita nonnunquam motus convulſivi ſequuntur, quin & ipſe Abortus: hinc iubent medici vt ab ira ſibi caveant mulieres quamprimum de impregnatione dubitant. 3. *Terrorem* tunc inopinatum, a quo facilius quam ab ira tum abortus tum ſeminis excluſio ſequitur 4. *Potum* præſertim generoſiorem, vnde ſicut humores omnes magis ſolvuntur & agitantur, ita quicquid expelli facile poteſt, excluditur: hinc mulieres forte potui aut copioſo aut generoſo addictæ, fiunt ſteriles aut abortui obnoxiæ. 5. Omnem inſignem *vacuationem*, hæmorrhagiam, alvi fluxum &c. nil namque familiarius quam ad hæmorrhagiam enormem obſervare Abortum frequentem, proinde facilius ſeminis recens admiſſi 6. *Aeris* æſtum ſummum, 7. medicamenta menſes ciere ſolita, *Sylvius cap. 5. l. 3.* Hinc. 1. à curſu omni vehementi, ſaltatione, equitatione, quinimo & in quibuſdam à leviſſima quaque corporis extenſione, brachiorumque elevatione, vt & forti vociferatione cavendum, quoties horum motuum aliquem ſubſequitur ſeminis excluſio. Vnde non mirum, ſi multæ fœminæ iuvenculæ ac petulantes, ſimulque delicatulæ, ſatis diu aut ſemper maneant ſteriles: Id quod notare debent juniores medici, quo ſi conſilii cauſa vocentur apud prolis amantes, inquirant diligenter num in hiſce corporis motibus peccent mulieres, ſicque ſua culpa exiſtant ſteriles, vt conſilio facili curent id malum. Sic 2. quoties fœminæ ſunt iracundæ, quæ minimam ob cauſam irritentur, danda eſt opera vt quævis abſit irritationis occaſio: vbi notandum cum plerisque prægnantibus excitari ſolent nauſeæ & faſtidia, non raro à primo ingravidationis ſeminisque vtero excepti momento, tunc temporis familiarem eſſe ad iraſcendum proclivitatem ex qua certum deſumi ſolet graviditatis argumentum. Sic 3. cavendum ab inopinato terrore; vt ſi ex inſomniis horrendis accidat, cauſæ illorum præcidantur, vt diſcurſus de rebus terrificis &c. Sic. 4. cavendum à potu quovis generoſo, in corporibus delicatis humores diſſolvente mobilioresque reddente retentionemque omnem labefactante. Sic 5. abſtinendum ab omni evacuatione forti, ac præſertim ſanguinis, vomitione ſpontanea vel artificioſa, quippe quæ omnes abdominis muſculos vehementer agitat & omnia contenta comprimit; vitanda & omnis alvi dejectio coacta & multa: Sic & 6. cavendum ab omni Aëris æſtu ſummo, vires omnes vehementer atterente, omnes humores diſſolvente, ſpiritusque animales diſſipante, quin ſemen nondum coagulatum agglutinatuque fluidius reddente. 7. Cavendum ab vſu omnium medicamentorum menſes moventium. *Fr. Sylvius*

48. *Quibus ſemen excutitur*) Vt ob voluptatem nimiam & intenſam libidinem, dum vterus impenſe agitatus & commotus ſtatim excutit genituram. Sic pariter quædam mulieres clunes agitando, aut præpoſtera corporis figura, ſemen virile non admittunt, ne impregnentur. *Primiroſius.*

49. *Quando vterus ſemen injectum non alterat*) Inter requiſita ad conceptionem requiritur quoque vt ſemen vtrumque vnitum permiſtumque agglutinetur vtero, quod ni fiat, ſponte iterum excidit, Agglutinationem hanc imprimis deberi cenſeo parti ſeminis glutinoſiori Placentam efformanti, & oſculis vteri blande patentibus ſeſe inſinuanti & jungenti, Poſtquam vero hæc agglutinatio facta eſt, arbitror vere abſolutum eſſe conceptum, quem in aliis citius, in aliis tardius evenire autumo, imo in iiſdem fœminis alias citius alias ſerius Non putandum enim quamprimum vtero continetur ſemen mox ibidem ipſi adhærere & annecti, ſed aliquid temporis requiri ad perficiendam illam agglutinationē: Et enim etsi fruſtra expectetur Agglutinatio ſi exciderit ſemen, non ſequitur tamen illud mox vtero agglutinari, vbi vtero retinetur: Fieri namque poteſt vt ſemen vtrumque vtero contineatur, atque ad menſtrui ſanguinis adfluxum iterum deturbetur, quod alias cœpiſſet ei agglutinari, Quocirca laudant medici congreſſum paulo poſt fluxum menſtruum, non ipſo inſtante; cum enim aliquod tempus requiratur ad ſeminis vtriusque commiſtionem, ideo poſt illam mora quædam, expoſcitur ad eiuſdem per intermedium placentæ rudimentum cum vtero agglutinationem: Tempus autem iſtud videtur modo brevius modo longius, brevius ſi glutinoſius eſt ſemen, ac ſiccior vterus; longius vero quoties fluidius eſt ſemen vterusve humidior: *Agglutinationis* huius læſæ cauſa videtur eſſe tum *ſemen minus viſcoſum.* ſed aqueum, tum vterus ſecūdum ſua foraminula magis eſt minus patulæ, tum ſanguis menſtruus paulo poſt congreſſum prodiens, tum quicquid ante docuimus impedire ſeminis in vtero retentionem, quin promovere eiuſdem excluſionem: Semen minus viſcoſum, aut vtrique, viro ac mulieri debetur aut alterutri, tum propter conſtitutionem ſanguinis humorumque omnium nimis aqueam; tum ob nimiam venerem, propter quam loco ſeminis glutinoſi ſuccedere ſolet ſemen aquoſum: Vterus ſecundum ſua foraminula eſt nimis patulus in ſcortis, vel venere nimia vtentibus, ac præſertim cum voluptate notabili, ob quam totus vterus magis explicari ſolet, atque ſecundum ſua foramina magis patere: Vterus contra ſecundū eadem foraminua minus patere ſolet in conſtitutione corporis aridiore, animique triſtitia perpetua; vnde minore quoque voluptate ſolent tales affici ad congreſſum maris, difficilisque ipſarum vtero agglutinari ſemen infuſum confuſumque: adde quod in talibus rarius parciusque effundatur ſemen proprium. Sanguinem menſtruum diximus ſi primis poſt congreſſum diebus prodeat ſecum abducere facile admiſſum vtero ſemen, quod imprimis contingit ſi copioſior elabatur: à quo ſimul facile ipſum elicitur ſemen: Res etiam plures non naturales ſemen vtero contentum receptumque ante-

quam ipſi agglutinetur ſi excutiant, id multo facilius continget cum incipit agglutinari. *Sylvius.*

50. *Idque vel ob intemperiem*) Tertia cauſa conceptionem impediens eſt quando ſemen non nutritur ſufficienter in vtero, ab iis dependet quæ ſemen corrumpere apta ſunt, vt intemperies vteri quælibet, frigida nimirum quæ ſemen extinguit, calida quæ ſpiritus diſſipat, humida quæ debitam ſeminis craſſitiem diluit, & ſicca quæ ſemen abſumit: atque ita ſemen ab huiuſmodi intemperiebus corruptum, à naturali ſua conſtitutione dejectum conceptioni ineptum efficitur. *Riverius.*

51. *Vbi vteri ex immodica*) Si retentum ſemen non reducitur ad actum, corrumpitur ab aliqua vteri intemperie, aut maligna qualitate, aut medicamentis, abſurdiſve alimentis quibus vtuntur in pica, aut maleficio & incantatione. *Primiroſius.*

Prognoſis

Vitium hoc eſt admodum curatu difficile, maxime ſi ſit abortu contractum, aut ſequatur affectum quempiam vteri inemendabilem: nam quædam ſunt ſimpliciter ſteriles, quæ nunquam concipere poſſunt; imo nulla vnquã concipit priuſquam cauſæ omnes prohibentes removeantur, *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt priuſquam extenuentur* aph. 46. 5. Ideo caute curatio ejuſmodi ſuſcipienda eſt, nec temere tentandum, aut promittendum, quod interdum fieri nequit, vt ſi pendeat ab affectibus incurabilibus, hæreditariis, venenatis, contagioſis & diu confirmatis, *2. Progn. 3.* Sterilitas ab vlceribus vix curatur, nec etiam ipſo vlcere curato, quia ſuccedit cicatrix, ſeminis adhæſum prohibens, niſi vlcus fuerit parvum, cum ſuccedens cicatrix ob exiguitatem non poteſt ſeminis retentionem impedire: Quædam tamen non ſunt abſolute ſteriles, ſed tantum comparate, quæ cum alio viro concipere poſſunt, aut ætatis mutatione ex ſterilibus fiunt fœcundæ ob temperamenti mutationem: Intemperies quidem frigida, ſi nativa fuerit, aut inveterata, aut admodum inſignis vix vnquam ſaneſcit, quia ſic vterus fit denſior, & ora vaſorum redduntur anguſtiora, vnde nec ſemen, nec ſanguis menſtruus ad conceptum commode poſſunt concurrere, Si vero intemperies recens fuerit & moderata, poterit emendari, & fœcunda potiſſimum fit mulier, ſi viro contrarii temperamenti conjungatur; vt plurimum autem mulier ſterilis robuſtior eſt, juventutem ſuam diutius conſervat, ſed vt plurimum libidinoſa eſt, & morbis obnoxia, quia caret expurgatione illa quæ fit in partu; tum quoque fœtus plurima abſumit excrementa, & calore ſuo vterum corpuſque quodammodo roborat. *Primiroſius.* Prognoſis iuxta cauſarum enumeratam ſeriem §. inſtituenda eſt, Ac primo *ætas tenerior* conceptionem non impedit, niſi ad tempus & illa ætate adultiore expectanda eſt, Aetas vero provectior omnimodam conceptionis deſperationem inducit: Si tamen adhuc menſtrua procedant ordinatis periodis, quædam ſupereſſe poteſt conceptionis ſpes, ſed admodum exigua, in his mulieribus imprimis quæ xl. ætatis annum exceſſerunt, quia licet mulieres, quæ juniores pepererunt in ea etiã ętate concipere ſoleant, illæ tamen quæ nunquam gravidę fuerunt, exiguam ſpem habere debent ea in ætate concipiendi, quia vterus tam diu otioſus marcidus, ac vietus factus eſt & ad concipiendũ inhabilis: Quæ à prava membrorum conformatione ſterilitas inducitur, vt in iis quæ claudæ ſunt, aut crura diſtorta habent, vel coccygem depreſſam, incurabilis eſt: Quæ ab aliqua *vteri intemperie*, non admodum intemperata procedit, curabilis eſt, Quæ vero ab aliis morbis inducitur vt tumore, vlcere, obſtructione, fluore albo, menſium defectu, vteri prolapſu, phthiſi, elephantiaſi lue venerea, aliiſque, curatu facilior eſt, prout dicti morbi facilem aut difficilem curationem admittunt. Quę ob occultã quadam diſpoſitione eaque nativa, dependet, incurabilis eſt, eaque ſedulo exploranda, ne fruſtra remedia vſurpentur, *Riverius.*

De conceptione Ovario muliebri, & De ſuperfœtatione, Gemellis, Gonorrhæa muliebri.

Primus qui veterum ſententiam, ſeminis nempe miſcelam cõcuſſit, eſt *Harveus,* dum obſervavit quod Oviparis ova ſint tota, vel ſaltem eorum vitella, quæ per ſpiritum maris afflentur, & tali afflatu fœcundentur: In Oviparis vero vterus ſimili contagio ſpirituoſo à mare impr ægnatur, quo facto fœmina dicitur concipere: vnde ſucceſſive materia albuginea in vterum deſtillans ſucceſſive fœcundatur, per ſpiritum genitalem maris.

Sed hoc maxime videtur obſcurum qua ratione ſimplex talis ſpiritus, vterum ſaltem fœcundans ſit cauſa conceptionis: Hiſce dubiis occurrunt modernorum inventa anatomica, *Stenonis, Graffij, Malpighii,* &c. qui ſtatuunt id quod ovarium eſt in oviparis, ſint Teſtes in viviparis & mulieribus, quæ in ſe contineant ova perfecta, humore limpido ſcatentia & pelliculis propriis contenta, quę aquæ immiſſa inſtar albuminis condenſentur, quæ ovula à ſpiritu genitali maris, per quoddam contagiũ fœcundante penetrentur, & in motum concitentur, vt hic ſpiritus nil conferat, niſi vt dictũ ovulum excitet in motum, in quo motu conſiſtit formationis negotiũ, determinante hoc plus minus ſpiritu ipſo genitali.

Iam vero dictũ ovulum ſeu in tuba vterina exiſtens ſeu in vterum immiſſum fœcundetur, perinde eſſe, ſi *prius* fit oritur *conceptio Tubaria,* ſi poſterius rite ac legitime, naturæ conſona eſt conceptio: Ovulum ita fœcundatum tamen ſucceſſive elluitur, & pedetentim per vteri membranoſam ſubſtantiam ex arteriis in eius cavum deſtillat, concreſcitq; tandem in ovum vterinum Harveanũ Par ratio eſt atq; oviparis proprie dictis vbi ovulum in vterũ delapſum circum veſtitur albumine; Ova hæc fœcundata dum retinentur in vtero ad perfectam fœtus formationẽ, vt tandem rite formata excludantur dicuntur eſſe vivi para; Si vero ante perfectã formationem, dicuntur ovipara: Non autẽ eſt eſſentialis differentia: proſtant enim obſervationes, gallinarum quæ pullos intra ſe in vtero excluſos numero vi vivos pepererunt.

Ex hac doctrina ſpinoſa controverſia de *partu multiplici à ſuperfœtatione* optime poteſt explicari, nempe *Gemellos & Trigemellos*; explicant ova quæ conſtant duplici aut triplici vitello, quod obſervavit *Harveus.* Huc obſervatio *Swammerdami,* de muliere quæ menſe ſexto, ex abortu gemellorum interiit, obſervatis veſtigiis ſeu foraminibus ductuum ovorum, iuxta ſe invicem cõditis, vt abinvicem ſeparari non potuerint, vbi etiam obſervata ſunt ova non ſeparatim exiſtentia, ſed quod ova ita invicem connexa fuerint: Probabile ergo eſt oriri *Gemellos* ex binis ovis inter ſe connexis.

Ex his etiam patet natura *ſuperfœtationis* quæ fit quãdo vna vice fœcundatur Ovulum, & poſt aliquot ſeptimanas vel mẽſes de novo fœcundatur vterus, qui ſuo tẽpore alium fœtum ſuggerit vitalem; mas ergo ſaltem cõfert ſpiritum genitalem in craſſa ſubſtantia, quæ ſemen dicitur, ſubſtantia ſeminis penitus extra vterum delabẽte. *Etmuller pr. p. 3 p. m. 43.*

Viviparas quod attinet, & hę inter ſpeciatim mulieres modernorum circa illarũ genitalia, obſervationes teſtantur & has revera ova generare, quæ Genituram earum conſtituunt, ſeu ſemen earum ſunt, ita quidem vt Teſtes oviparorum ſint ovarium, Per Anatomen nempe cognitum eſt Teſtiũ muliebrium ſubſtantiam tam in homine quam in brutis eſſe membranoſam, in qua reperiuntur quamplures veſiculæ, quarum quælibet habeat tunicam admodum tenuem, neque cum alia cohæreat, repletaque ſit humore limpido, ita quidem vt in talibus veſiculis, in aquam ferventem immiſſis, dictus humor mox coaguletur in formam albuminis vel vitelli ovi indurati, vt ita dictæ veſiculę ſint revera tot ovula generationi deſtinata quæ pro ſui proventus & augmentationis ratione, nunc minora & imperfecta, nunc majora & perfecta, in ſpecie humana piſi quantitate inveniuntur.

Ovula hæc perfecta, ſub coitus ardore (à corpuſculo fibroſo

fibroſo ovo deſtinato ad exitum circa ambitum, ac à poſteriori parte accreſcente) expreſſi ſuſcipiantur à Tuba ad Teſtem uſque ſub ipſo fervore criſpata & contracta, & hac mediante ad uterū deferuntur, id quod inprimis cōfirmat obſervatio *Ruiſchii:* Ovum hoc à ſpiritu genitali maris fœcundum redditur, ſive hoc ipſi in tuba adhuc exiſtente eveniat, ſive jam in Uterum excreto; Quod ſi fiat ut ovum ita fœcundatum in Tuba perſiſtat, præternaturalis iſta hominis conceptio Tubaria accidit, quæ in brutis naturalis & ordinaria eſſe ſolet.

Quod ſi ex repetito coitu contingat ut unum Ovulorum talium, poſt alterum à Tuba ad uterum ita fœcundetur, *Superfœtatio* fieri ſolet.

Quod ſi vero bina talia ova arctius propriis tunicis ſibi fuerint connata, ita ut integra & abſque laceratione divelli nequeant, quin propter æqualem molem, & æqualitatem, & inprimis talem conglutinationem Ovarii carceribus ſimul extruſa ſuſcipiantur, & hinc fœcundentur *Gemellorum* conceptionem fieri probabiliter aſſerit *Schrader in præfat ad obſerv. Harveanas.* Quod tamen etiam ex uno ſimplici ovo gemelli naſci poſſint, probabile reddit monſtrum illud biceps de quo *Brunnerus peculiari Diſſert.* egit, quod revera in ovo ſimplici genitum omnino videtur, Hinc & gemelli nunc ſimplici nunc duplici involvi ſecundina obſervantur.

Ita ut Ovipara & Vivipara animalia hoc ſaltem differant, quod in Oviparis ovula in ovario ſub forma copioſi vitelli genita in utero copioſum affundatur albumen, à quibus, vitello nempe & albumine; ſufficiens ſuccus pro nutritione & auctione pulli in ovo formandi ſuppeditetur, & qui ſufficiat ad perfecti illius excluſionem: In viviparis vero, ſimplici ovulo in utero, vel ejus tubis, affundatur tranſudatione quaſi ſuccus nutritius, à quo fœtus ſuſtentetur, ad ſui excluſionem uſque.

Sed præter hæc Ovula, propriam nempe fœminæ genituram, obſervatur ulterius in his liquor, ſeu lympha quædam ſeminalis, cujus excretionem non tantum ipſæ mulieres percipiunt in coitu, utpote in qua primaria earum voluptas conſiſtit, ſed cujus præternaturali effuſione ipſæ etiam *GonorrhϾ* obnoxiæ ſunt: Analoga eſt hæc genitalis lympha iſti, quam mares in proſtatis conficiunt, cum & in fœminis, in ſimilibus glanduloſis corporibus, collum veſicæ ambientibus, generetur & excernatur: Quinimo ipſius uteri & vaginæ ejus membranoſa ſubſtantia, cum ad naturam glandularum proxime accedere videatur, ut non inepte moderni aſſerunt, etiam ſui generis lympham non abſque voluptatis ſenſu effundere videtur, cum non tantum ipſa vagina perpetuo liquore moderate madeat, ſed interdum adeo copioſe à quibuſdam in congreſſu ſoleat effundi, ut ex iſtis proſtatis circa veſicam, minime omnis derivari queat. *Idem med. th. & Pr. &c. cap. 23.*

De Ovario muliebri vide plura proxime.

Conceptio intra Teſticulum muliebrem.

Vix credo futurum ut quiſpiam in dubium revocet fœtus formationem intra Teſticulos muliebres, ac proinde Ovorum exiſtentiam, poſtquam animadverterit id quod accidit *Dominæ* de St. Mere, Hæc poſt octavum partum, ſemper felicem, ſimili ſe in poſterum labore fruituram credens, poſt quinquennem ceſſationem, ante trimeſtre graviditatis illi opinio facta eſt, quod menſtruæ purgationes, quæ ratam periodum obſervaverant, citra ullam invaletudinem, à menſe & amplius deſierant; at cum eo in ſtatu conſtituta fluxus ſanguineus, ſed mediocris, ſuperveniſſet, nequaquam tamen intermittens toto bimeſtri, (ſub cujus finem vivere deſiit), nullamque læſionem inferens, impragnationis opinionem abjecit; menſis autem Aprilis die xxij. anni 1682. cum mane bene ſe habens ſurrexiſſet, & ſcripturæ aliquot horis indulſiſſet, leipothymia prehenditur, mox ἀσφυξία, ſuperſtitibus tamen integris ſenſibus internis & voce.

Dom. à St. Mere, hæc vapori alicui adſcribens, metum depoſuit, ſed aſphyxiam illam deprehendens, cum pallore cadaveroſo, me advocandum protinus curat: Adveni circa horam viij. noctis, Ægram deprehendo marmore frigidiorem cum omnimoda aſphyxia, ſudore pingui & frigido vultu perfuſo, ſed ratione & voce adhuc conſtantibus.

Conquerebatur de inſigni dolore Colico, regionem hypogaſtricam dextram infeſtante, eoque vehementiſſimo, quiad levem contactum vehementer exacerbabatur, ac ſyncopen inferebat.

Paulo poſt imminentis partus ſigna omnia animadvertit, advocatoque Chirurgo, quem amplexa, moritur inquiēs, *Pario, pario* etſi ne quicquā ex utero elaberetur.

Obitur adeo præceps Dom. Conjugem ad cadaveris apertionem compulit, In quo ſequentia deprehenſa.

Ablatis abdominis integumentis, inteſtina omnia cruori innatabant, cujus ℔ij. & ultra cochleari exemptæ ſunt, ne ſitus partium vitiaretur: Cum autem in alio ſiniſtro magnam ejus adhuc ineſſe copiam obſervarem, atque concreti, egomet manibus educere volui, ſed in ſtuporem adductus fui, cum mixtim cum prioribus grumis exculi fœtum, pollicaris fere craſſitiei, ſed tertia parte minorem, maſculini ſexus notas gerentem, ſed involucris deſtitutum, quem diſco impoſitum aſſiſtentibus viſendum exhibui, Sed indagandus erat locus è quo prodierat, ideoque accurate perquiſivi partes adjacentes & vicinas, loco è quo eduxeram, Ad duorum digitorum diſtantiam, obvium habui uteri cornu dextrum, Stupor vero adauctus eſt cum à me animadverſus teſticulus lacer ſecundum ſuam longitudinem, & dimidiam partem, qua parte tubam non attingit; capacitas vero ejus tota grumis repleta: Hinc nullum apud me ſuperfuit dubium quin ibi loci fœtus formationem obtinuiſſet: Ratus eo quod ibi loci majus incrementum habuiſſet quam ut tempore conſueto poſſet elabi, magiſque ac magis increſceret, neque ejus locus capax amplius eſſet, præ extenſione nimia, perruptis clauſtris exitum habuiſſe.

Opinionem meam confirmavit inſtituta comparatio teſticuli dextri cum ſiniſtro, ille enim hoc qu druplo major erat, ovo gallinaceo magnitudine fere par ſiniſter vix caſtaneæ mole erat par: Extus & intra ille plane ruber erat, ſanguinem grumoſum intra ſe continens, ſiniſter pallidus erat, granuloſus, colore & conſiſtentia ſevum flavum referens.

Tubam dextram examinans aditum nullum fœtui ad illam animadvertere potui, ſiniſtræ perquam ſimilem in omnibus.

Tandem corpus uteri ſedulo examine evolvi, qui ubique integer apparuit, in ſtatu naturali omnino conſtitutus. Hoc ſolum in eo à me deprehenſum quod paulo craſſior molliorque eſſet quam in mulieribus quæ extra graviditatem moriuntur: Stylo per vaginam in ejus cavitatem immiſſo, ne minimum conceptionis indicium ſe exhibuit, vaſa autem membranæ interioris ſanguine turgida & quaſi varicoſa adparuere, unde cauſa petenda effluxus illius ſanguinis de quo ſupra *D. à St. Mauritio Zodiaci med. Gall. Anno 4. p. 6.*

De Monſtris

Definitio.

Monſtrum, τέρας, quid ſignificat, è Phyſicis petendum, Eſt enim nihil aliud quam *erratum naturæ*, ſive effectus naturalis, à ſolitâ & rectâ diſpoſitione ſpecifica degenerans: *Rulandus* videtur ſtrictius accepiſſe, quando deſcripſit Monſtra per orta quædam p.n. animantia, quæ cœlum excludit ovo ſuæ putrefactionis illicitæ ac nefandæ commixtionis. *Bruno Lexici pag. 566.*

Juxta *Licetum*, monſtrum eſt Vivens ſub cœleſte mẽbrorum conſtitutione enormi, videntibus honorẽ cum admiratione incutiens, raro admodum naſcens, ex ſecundario naturæ inſtituto genitura, propter aliquod impedimentum in principiis ſuę conformationis: *Lib. de monſtris.*

Generatio.

Natura, ſi non impediatur, ſemper facit quod eſt optimum, agit enim propter finem, finis enim & bonum ſunt idem, nihil enim fit caſu aut fortuito, aut etiam ex quolibet, ſed ex certo & determinato; Contingit tamen ob quædam impedimenta eam à fine ſuo aberrare, unde fiunt Monſtra, in quibus quæ ſpeciei debetur, conformatio corrumpitur, & perturbatur, *Vel* in toto, ut ſi canis ex equo generetur; *Vel* in parte cum fœtus alienam ſpeciem parte quapiam refert, *Tum* quoque quando in eadem ſpecie pars quæpiam ita deficit, aut ſupereſt, ut inſigne adſit vitium, ut ſi fœtus abſque brachiis, aut biceps naſceretur, nam qui ſextum habet digitum, aut tertium teſticulum, aut gibboſus eſt vel claudus, quia inſignis non eſt error, non eſt inter monſtra recenſendus, Generaliter hic monſtri nomen uſurpo pro omni errore in conformatione animalis viventis, nam in corporibus mere ſimilaribus non fiunt monſtra.

Addit Capivaccius *vitium in vitioſo ſitu. quandoque enim fit ait ut jecur locetur in parte ſiniſtra, lien in dextra:* Sic meminit *Riolanus in Anthrop. latronis, cujus viſcera omnino tranſpoſita reperta ſunt, ut quæ dextrum latus occupare deberent in ſiniſtro adeſſent.*

Differentiæ.

Sunt autem variæ monſtrorum differentiæ, quas ſupra tetigimus, i. quando ex toto conformatio ſpeciei debita perit, ut viſæ ſunt mulieres quæ ranas, ſerpentes, feraſque varii generis geſtarunt, quas *Fratres Lombardorum* quidam vocant, ij. quando tantummodo ex parte brutum fœtus repræſentat, ut ſi cum capite canis naſcatur, iij. quando pars quæpiam deficit, ut homo abſque brachiis, *aut* redundat, ut infans biceps, hermaphroditus. IV. quando etſi nihil deficiat, aut redundet, debita tamen corporis proportio & magnitudo non ſervatur, ut in gigantibus & pygmæis; *aut* ſi pars quæpiam major ſit, vel minor, V. quando pars quæpiam loco alieno ſita eſt, ut ſi oculi in pectore, manus in dorſo: Interdum autem plures ſimul conjunguntur differentiæ: Hinc patet omnia quæ monſtra vocamus non eſſe toto genere p. n. non tamen gigas aut pygmæus, aut homo biceps, aliumve ſimilem habens defectum.

Cauſæ.

Contingunt autem monſtra ex defectu quopiam, vel in ſemine, vel in menſtruo, vel in utero, vel matris imaginatione, vel cauſarum externarum diſpoſitione, ob quæ errare formatricem contingit: Si *ſemen* ſit *parcius*, fiunt nani aut mutili; Si vero ſit *copioſius*, fiunt gigantes, aut copioſi fœtus, vel pars quædam redundat: Tum ſi *ſemen* vitioſum ſit, aut *craſſius*, aut *tenuius*, aut *corruptum*, quod inde generatur ab humana ſpecie diſſidet; Semen enim imbecillius, & ſpiritibus carens, probe conformationem perficere non poteſt; craſſius aut tenuius ineptum eſt ad probam conformationem. Eadem eſt ratio *menſtrui ſanguinis*: *Uterus* autem peccat vel intemperie, vel conformatione, ſi *anguſtior* ſit, aut *amplior*, aut aliis vitiis laborare poteſt.

Imaginatio pariter conformationem alterare poteſt, verum non quælibet id præſtat, quum quotidie boves, oves, ſues, fructus, & alia videant mulieres, quorum tamen figuram fœtui non imprimunt, ſed ea tantum quæ appetitum, terrorem, vel admirationem infert, ut ſi aliquid inſperato contingat, aut aliquid ardentiſſime deſiderent, quod aſſequi non poſſunt; Phantaſia autem, cum ſit actio immanens, id non præſtat per ſolum imaginandi actum, nec ſpecies intentionalis phantaſiæ ullam realem qualitatem producere poteſt, ut apparet ex variis imaginationibus, quæ nullo modo fœtum afficiunt, Nec id præſtat mediantibus animi pathematis, quoniam ab eodem pathemate, quamvis à diverſis cauſis proficiſcatur, idem fit humorum motus, ut in terrore, verum tamen non eadem fit in fœtum impreſſio, ſed diverſa pro varietate rei imaginatæ: Nec etiam id præſtat ſpiritus & humores agitando, nam ſpiritus animales, & ſpecies intentionales ſpiritibus in ſanguine non permiſcentur, neq; nervi matris ad fœtum perveniunt; Eſt igitur conſenſus quidam omnium facultatum cum imaginatione, quæ ſpiritus quocunque libuerit movet, ut ex imaginatione rei Venereæ ad ſolum penem ſpiritus moventur; ſic in ira, tremore, ad manus & pedes, prout his habet opus appetitus; Id igitur fit movendo humores ſpirituſq;, qui prout in hanc vel illam partem influunt, formatricem turbãt, vel eã humoribus obruũt; vel ſpiritibus alio avocatis partes non recte format.

Non tamen omnibus menſibus mutari poteſt formatio; colores quidem & pili quolibet tempore, In medio & fine geſtationis poteſt magnitudo partis vitiari, affluente humorum copia; Numerus vero, figura & ſitus, tantum, dum fit conformatio, alterari poſſunt.

In ſpecie igitur Monſtra quæ *mutila* ſunt, à defectu materiæ, aut ejuſdem ineptitudine, aut imbecillitate virtutis plaſticæ, aut à phantaſia, quæ etſi materiam non poteſt minuere, poteſt tamen eam ita diſponere ut pars quæpiam omnino pereat, Pariter quæ *ſuperflua* ſunt fiunt ob materię copiam, & ob phantaſiam, quæ materiam diverſis locis diſponit. Partium *ſitus* variari poteſt ob phantaſiam, ob uteri anguſtiam, ob caſum, aut violentum matris motum, dolorem à flatu, ſeminis viſciditatem, aliaſque ejuſmodi cauſas; At quæ alienam ſpeciem parte aliqua referunt, fiunt utplurimum ex imaginatione matris, aut ſaltem ex mixtione animalium diverſæ ſpeciei, quod ſatis frequens eſt in brutis, in hominibus rariſſimum. *Primiroſius de m. m. l. 4. c. 4.*

De *Phantaſia* quid ſit, de ejus viribus, & quomodo agat, tradit *Birdig. Medic. Spirit. c. 24.*

§. 1. Phantaſia eſt actio & virtus divinior, à Creatore homini inſpirata, ſpiritibus communicata; cujus beneficio non tantum cognoſcit rerum ideas externas, ſed etiam volvit, & revolvit, demumque coaptat, & tunc Judicium dicitur. Imo ideas formandi & multiplicandi poteſtatem habent ſpiritus, quos ſibi imprimunt quibus vario modo diſponuntur, & hinc ſanitas, interdum & morbus: Libidinis Phantaſia ſemen reddit prolificum, eadem embryoni nervos inprimit, *monſtroſum* interdum efficit.

§. 2. Virtus Phantaſiæ hinc inde conſpicua eſt.

§. 3. Cumprimis in animi pathematibus, in quibus varie diſponit, movet, agitatque ſpiritus, iiſdem varias imprimit pathematum ideas, & charagmata, quæ ſanitatis pariter & morborum cauſæ ſunt: indeque fit quod ſpiritus, qui antea erant ſereni, tenebricoſi, qui craſſi & impuri, ſereni fiant & clari; qui quieti, inquieti, trepidantes, furibundi.

§. 4. Quid ſint Ideæ: quæ partim formantur à ſpirituum phantaſia, partim per phantaſiam corporibus ſpirituum humidis ceu ſigillis imprimuntur, difficulter exprimere poſſumus; ſuperius cap. 12. in ſeriem ſpirituum Ideas promovimus. Per exempla jam exiſtentiam earum & quidditatem quodammodo demonſtrabimus.

§. 5. Idea v. g. Solis imprimitur oculo noſtro, quando poſt Solis obtutum oculus clauditur deprehenditur idea quædam Solis poſt obtutum.

§. 6. Illa ſuo tempore durabilis eſt, tandem evaneſcit; ita nubibus imprimitur Iris, idea Solis: Eodem modo ſpi-

do ſpiritibus noſtris per ſenſus externos omnium rerum communicantur ſimulacra & ideæ, v. g. viſibiles per viſum, audibiles per auditum; hinc campanarum ſonus diu poſt ceſſationem ſonat in aure; Ita ſpecies ſaporis figitur in ſpiritibus, ita ut quando recordamus delectabilis ſaporis mirifice afficiamur & ſaliremus, Ita circa recordationem rei cujuſdam abominabilis nauſeat ſtomachus, aut vomiturit ventriculus.

§. 7. Ejuſmodi ideæ, præſertim violentæ, interdum admodum difficulter obliterantur, tolluntur, & non mirum ſi ad obtutum Solis, tanquam ſubjecti lucentis violenti violetur viſus: Idem accidit viſui Inſulanorum in Archipelago, qui aliquot diebus inſolitas inruiti ſunt & terribiles eructationes igneas è terra & mari, de quibus *Kircherus in mundo Subterr.* Epilepſia puerorum ex terrore ſpiritibus adeo profunde imprimitur ut hæreditaria fiat, imo in nepotem propagabilis.

§. 10. Ita morboſæ dantur ideæ, v. g. epileptica, hydrophoba, ſaltatrix.

§. 11. Hæreditaria v. g. abominatio caſei, butyri, pomorum, roſarum.

§. 12. Pathematica, terroris, mœroris, triſtitiæ, ærumnoſa, terribilis; ita laſciva ſpiritibus imprimitur idea ex uſu laſcivientium; pigra ex eſu pellium animalium pigrorum; ita ſomnis fit homicida aliquis poſt eſum carnis bovis in ferocia occiſi, ita rabidus quiſpiam fit & hydrophobus ex morſu canis rabidi, ſaltator expunctione tarantulæ.

§. 13. Idea pavoris ſudori morientis, ſanguini hirci cum pavore occiſi inſculpta, pavidos reddit, & tranquillos corporis noſtri ſpiritus tumultuantes, turgeſcentes, enormonticos.

§. 14. Ira commovet ſpiritus ad turgeſcentiam; ille ipſe ſpirituum orgaſmus redit per periodos ſedata ira; illud igitur ipſum quod ſedata ira ſpiritus commovet de novo, vocamus ideam iræ, ita illud ipſum quod longe poſt terrores, paroxyſmos epilepticos ſpiritus admotum trepidationis, vibrationis vel convulſionis concitat, dicitur *idea terroris.*

§. 15. Corporis noſtri ſpiritibus calidi ſunt & humidi, talemque habent conſtitutionem ut ceræ inſtar quaſvis facile ideas, ceu ſigilla imprimi ſibi patiantur; quæ ideæ fortiter imprimuntur, vel leviter aut ſuperficialiter, ita pertinaciter vel leviter inhærent; Leviter impreſſæ facili negotio exterguntur, obliterantur, extinguuntur: pertinaciter, contumaciter inhærent, difficulter tolluntur, & interdum in vitam ſunt durabiles.

§. 16. Imo hæreditariæ ſunt interdum & ad prolē propagabiles, e. g. idea timoroſa, quæ epilepſiæ cauſa eſt, in filium propagata, in nepote non raro repullulat.

§. 17. Eodem modo & omnium animalium pathemata, indoles, in hominem eſu carnis & ſanguinis transfundi poſſunt; Et hinc uſus ſanguinis in lege Divina ſerio eſt prohibitus, cum ſanguis ſit ſpirituum vehiculum.

§. 18. Audiamus *Kircherum* in arte magnetica l. 3. p. 8. qu. 3. *Sicut igitur quædam animalia venenoſa ſunt, quæ prorſus eandem affectionem, quam ipſa patiuntur, morſu in alios transferunt, ita Dipsás ſerpens, cum ſemper fervida ſiti crucietur, talem quoque efficit mordendo in homine, juxta illud.*

Ut ſitis hanc torquens nullis extingnibilis undis
Sic rabidam morſu concitat illa ſitim.

Ita canis rabidi morſus eam paſſionem quam in cane efficit, etiam in homine præſtat, videlicet hydrophobiam: Ceraſtes quoque, ut ab Aegyptiis accepi, metum ignis lucisque, tam in ſerpente quam in homine veneno infecto incutit. Ita torpedo torpida membra reddit, Et ſicut parens quoque podagra, lepra, epilepſia laborans in ſemine filio eoſdem morbos communicat: non ſecus tarantularum diverſarum venena ab inſita ſibi proprietate videntur ictli animum ad eum calorem, quem ipſæ referunt, ſeu quo ipsæ recreantur, occulto magnetiſmo, ſeu quadam cæca ſimilitudine inclinare.

§. 19. Nos in hac noſtra ſpirituum medicina ideas ejuſmodi conſideramus quatenus ſanitatis ſunt & morborum cauſæ: *ſanitatis*, quatenus lætæ, pulchræ, gegeniales, ſenſus internos & externos afficientes, tales enim extendunt, ſerenant ſpiritus: *Morborum*, quatenus violentæ, odioſæ, tædioſæ; tales ſpiritus reddunt craſſos, trepidantes, meticuloſos, fugientes, ſeſe contrahentes, furibundos.

§. 20. Ejuſmodi inquam, ideæ ſanitatis ſunt pariter & morborum cauſæ, &, ſecundum *Helmontium*, fermentales, ſeminales & multiplicabiles, ut apparet in ictu tarantulæ & morſu canis rabidi: Cum veneno enim tarantulæ ſpiritibus communicantur ideæ ſaltatrices: Cū ſaliva canis rabidi multæ caniculatum ideæ, quæ etiā nonnunquā in ſaliva & urina fuerunt conſpicuæ.

§. 22. Illud ipſum quod ideas format & multiplicat fortis eſt ſpirituum phantaſia, quæ facultas eſt creatrix, creandi, formandi, multiplicandi ſpiritus, ſpecies, ideas, e. g. morſus canis rabidi exitioſiſſimus eſt, fortis enim ſpirituum phantaſia cum iracundia ideam iracundiæ ejuſdem rabiei & hydrophobiæ transfundit in alterius corporis ſpiritus &c.

De *vi Plaſtica* notanda quæ habet *Wepferus Diſſertat. de Puella cerebro carente*, Cur non ſemper nec omnes fœtus Imaginatio ſtigmatibus notet, nervoſe id explicat *Fienus qu. 16 & 17* quæ videantur, Fatendum eſt cum *Fieno, Sennerto*, aliiſq; Imaginationem hoc non per ſe præſtitiſſe, cum actio immanens ſit, nec quatenus ſolummodo appetitum & locomotivam, & conſequenter ſpiritus & ſanguinem concitavit, quia actus univerſalis hunc particularem effectum edere non valuiſſet, & ex nimia horum perturbatione potiùs matri & fœtui alii morbi aut abortus eveniſſent: Nec Imaginatio hic formatricem matris feriantem excitavit; Non equidem nego hanc in adultis ſupereſſe, nec penitus emortuam credo, quia illa ipſa quandoq; neceſſitate urgēte regenerat venas, arterias nervoſque, alias enim cicatrices cutis emortuæ quaſi & torpidæ forent; illa ipſa reparat membranas, fibras etiam nerveas cum ſubtegmine in muſculis, imo nervos præciſos dextre conſutos conglutinaſſe experientia Mediolani & Pariſiis docuit, illa oſſa fracta callo firmat; imo adjutam oculorum humores omnes tres inſtauraſſe. *Kerkringius & Burrhus* ſcribunt.

Quod vero ſæpe ſuo Voto nō potiatur, id non tā viribus prorſus ſopitis quā materiæ ineptitudini adſcribendum quidam non male cenſent, Verū formatrici matris nullam amplius poteſtatem in fœtum eſſe, poſtquam conceptus abſolutus & jam ovum factum eſt, ovipara clariſſime probant, & vel ſola pullitie Ægyptiaca, Danica & Florentina, evincitur, quā ſine ullo matris auxilio, caloris tēperati beneficio, pulli formantur & excluduntur.

Idem quoq; in viviparis locum habere, ne fœtum formatrice matris indigere, præter illa quæ fœtum propria vita vivere aſſerunt, alia ſunt quæ ſuadent, Nam viri naturæ conſultiſſimi, *Harveus Nedham* & alii qui attente in generationem & formationem fœtus in utero inquirent, obſervabunt: conceptum, ſeu ovum in aliquibus, ut in homine, damis, aliiſque non ſtatim ac formatum eſt, in aliquibus tardius, ut in equabus, in ſuibus, nunquam utero adhærere: Fœtum equinum penitus formatum, ſed nondum piloſum, quamvis chorion verruculis carneis præditum eſſet, nullibi utero annexum reperire potui licet blandiſſime uterum tractaſſem, ac levi attactu uteri tunicas amoviſſem: Inter chorion & fœtum fluctuavit humor limpidus ſed paucus cujus portionem profudit manus improvida quæ uterum excidit. Vidi etiam porcellos partui propemodum

maturos mediante chorio nullibi utero ſcrophæ adhæſiſſe, ſed chorion in liquore quodam lutoſo, turbido & copioſo quaſi nataſſe. Et licet Secundinæ, mediante hepate uterino, carunculis aut verruculis utero adnaſci videantur, non tamen continuæ ſed contiguæ ſaltem ſunt, unde ſine laceratione ulla auferri poſſunt, in homine, pro manante ſanguine, extremis arteriarum oſculis hiantibus; in ovibus, capris, vaccis, damis, mucos quodam chyloſo exſudante, quem quoque ex arteriis profluere didici, dum in arterias majores ad uterum deſinentes aquam ſiphone injeci, atque hac ratione primum omnem mucum ex cotyledonibus elui, tandemque aquam puram ſine ullo cruore exſtillantem vidi, unaque opera ulteriori tædio vaſa chylifera ad uterum meantia inquirendi me ſublevavi.

Si itaque viviparorum ova utero non adhærent; aut ſi elapſo aliquot dierum, imo menſium ſpatio demum utero affigantur, ita tamen ut non continua, ſed contigua ſint, rationi conſonum eſt formatricem matris fœtum non adornare, ſed in his viviparorum ovis Architectum quendam, & omnium partium opificem contineri: Hæc amplius ſtabilit & propemodum demonſtrat quod, matribus vivi paris, vel morbo vel vi enectis, fœtus nihilominus in utero aliquandiu vivant, imo ex utero cæſi poſt matris obitum ſæpe diu ſuperſtites maneant & curioſe enutriti adoleſcant.

Neceſſum igitur eſt Architectum in ſcenam adducere, illique hujus monſtroſi capitis culpa, deferenda erit: Hunc Accidens, aut motum quendam varie figuratorum corpuſculorum, à nuda illorum inclinatione profectum, neutiquam dicere auſim, nec dum formarum eſſentialium exiſtentiam etiam in brutis repudiare & excutere poſſum.

Quis enim ſibi in animum induere poſſet Corpuſcula quædam in Colliquamento, humore prorſus homogeneo, occultata, & tenui membrana, coercita, atque à calore vel ignis vel matris tarefacta, valere partes figura, colore, conſiſtentia diverſas formare, illis debitum numerum, magnitudinem, & ſitum tribuere, legitime connectere & unire, ad uſus & actiones determinare, &, ut verbo dicam omnia ſapientiſſime & prudentiſſimie diſponere?

Etſi enim Architectus non videatur, ut in artibus mechanicis fit, intellectu & providentia quadam agere, ut *Harveus Ex.66.* loquitur, ex ipſo tamen opere pervidetur, & palpatur quaſi, non ſine intellectu, ſapientia & prudentia, tam mirabilia, tam ſtupenda, & quæ intellectu noſtro aſſequi nequimus perpetrare; ſcil. illa ipſa quæ in prima animalium creatione, à Conditore rerum omnium ſapientiſſimo ipſi imperata fuerunt, quorum ſemper memor, concurrentibus ad generationem & formationem neceſſariis, ea quoque gnaviter perficit; quæ certe omnia non ab accidente, ſed à ſubſtantia horum mandatorum capaci expectanda ſunt: Quod ſi artem ad leges naturæ, non autem Naturam arte metiemur, quod *Harveus* faciendum inculcat, formas ſubſtantiales non facile ex rerum natura eliminabimus; nec ſpiritibus jus in corpora agendi ſurripiemus.

Sed omiſſa harum formarum defenſione, diſpiciendum qua ratione matris iſtius Imaginatio Architectum impulerit ut ejus ſimulacrum in capite fœtus produxerit, *Fienus Qu.15.* id non imperio, vel ſympathia, ſed inſtinctu factum diceret, Verum ſi æquo animo rem expendemus, Inſtinctus vel ſympathia erit, vel non multum ab illa differt, cum omnis ſympathia & amica propenſio, aut in inſtinctu fundata ſit, aut ab illo pendeat & gubernetur; Concedendum omnino eſt *Fieno, Sperto,* & aliis, ſobrie de vitibus Imaginationis ſcribentibus, illam non agere in diſtans, aut in aliud individium penitius ab illa ſegregatum, adeo ut ne gallina quidem ovis propriis incubans pullos amplius immutare valeat.

Negari tamen non poteſt inter fœtus & matres viviparas propiùs quoddam commercium intercedere; utcunque enim non continuitate ſed contiguitate junguntur in utero, nihilominus quamdiu in his clauſtris detinentur ſpiritus & ſanguinem ſine intermiſſione accipiunt, unde nutriuntur & augentur: Deinde neceſſum eſt ut matris anima ſua ſenſa Architecto impertiat, quæ ille quoque arripiat, intelligat, & perficiat, ea ratione qua à matre ſuppeditata fuerunt; niſi enim hoc fieret, impoſſibile eſſet ut Architectus, e.g. in hoc monſtro, ſimulachrum tam affabre, non in quavis parte, ſed in determinata, & à matre deſignata expreſſiſſet, &c.

Quomodo autem Architectus viſu & audita privatus, in profundis tenebris, mediiſque in undis ſimulachrum videre, & ſilentis matris mandata intelligere potuerit? non me certius ſcire fateor, quam qua ratione pedis pollex non auritus, cogitatu citius ſe ad voluntatis imperium moveat: Si animam in toto corpore totam, & in qualibet parte totam dixero, ſique perpetuum ſanguinis & ſpirituum confluxum prætexero, forte aliquid in medium proferrem, quod aliquo modo rem illuſtraret, neutiquam vero animum ſciendi cupidum ſatiaret, nam nihilominus diſtinctæ animæ, ideæ & intelligentiæ manent, Matris Anima & Architectus, nec aſſequor confabulantium, imperantium, & obſequentium intelligentiarum myſterium &c. Qualis imaginatio ad notam fœtus imprimendam requiratur, prolixe à *Fieno* traditus, &c. *Wepferus.*

Signa; Prognoſis, Curatio.

Cognoſci per certa ſigna monſtrum non poteſt, conjectura tamen quædam eſſe poteſt ſi graviora ſint ſymptomata, motuſque violentior quam in ordinario conceptu eſſe ſolet, Nec curari ejuſmodi monſtrum ſemel genitum poteſt, Sufficit ſi fœmina monſtroſum quid peperit præcavere ne tale quid amplius contingat, Quod fiet vitando ne poſt ingravidationem frequenter coeant conjuges, nec quando menſtrua patitur mulier, nam & ſanguinis pravitate & copia labefactatur virtus ſeminis formatrix; Cavendum quoque ab omnibus iis quæ terrorem, appetitum, alioſve animi affectus fortiter movere poſſunt, Sed animus ſit conſtans & hilaris, ne ab ejuſmodi objectis, quæ forſan occurrere poſſunt, impenſius agitetur: Demum roborantibus utendum, & cibis & medicamentis, *ut vitellis ovorum* cum *cinnamom. caryophil. vino hippocrat. hiſpanico; theriaca, mithridatio, emplaſtris,* aliiſque internis externiſve, Sed præterea, ſi opus ſit V. S. & purgatione utendum eſt antequam gravidæ fiant, ſi aut nimis copioſum aut pravum fuerit ſemen, quod etiam intelligendum eſt de ſanguine menſtruo: Pariter ſi craſſum ſit ſemen attenuantibus utendum, pariter ſi liquidius incraſſantibus, ut in nimio fluxu menſtruorum, uteruſque erit calidis roborandus. *Primiroſius.*

In miſcellaneis Curioſis hiſtoria habetur monſtri à conſtrictione, editi à ſtuprata puella, quæ graviditatem occultam eſſe volens, ſtrictis indumentis uſa eſt, quare ab his cavendum.

Cap. XXIV.

De Mola.

1. M*Ola eſt maſſa ſine oſsibus & viſceribus ex imperfectâ conceptione, ſeminis tum maſculini, tum fœminini vitio loco fœtus genita.*

[2] *Signa* ante quartum menſem [3] non ſunt tam exacta, ut certò cognoſci poſſit: temporis progreſſu, quatuor indiciis detegitur.

1. *Motu.* Nam is tremulus eſt & palpitans, conſtrictionis & dilatationis æmulus, decumbitque inſtar lapidis cum inſigni ponderis ſenſu in latus, in quod fœmina obvertitur.

2. *Figura & mole* [4] *uteri.* Nam in ea venter in omnem dimenſionem attollitur, cum in vero fœtu præcipuè verſus umbilicum attollatur, & verſus latera molliter utrinque coarctetur.

3. [5]. *Lactis defectu.* Nam in mola mammæ intumeſcunt quidem, ſed in iis cruda quædam tantummodo materia, ex ſuppreſſis menſtruis ad mammas tendentibus, ſucceſſu temporis evaneſcens gignitur, cum in gravidis lac circa quartum menſem generari incipiat.

4. [6] *Symptomatibus* [7] quæ varia, ut ſunt Difficilis reſpiratio, dolores dorſi & inguinum, &c.

[1]. *Mola*) Etymologiam quod ſpectat, derivatur Mola, vel à mole, quod Latinis grave ſignificat pondus, & Græcis μύλη vel μυλικὸν audit, quod pondere quaſi gravi mulieres vexentur, *Aetius ap. Voſſ. in Etymol. L. L. f. 325.* vel à Græco vocabulo μύλον, quod omne rotundum importat, vel denique à Perſica voce Moli, ſecundum aliquos, quod glabrum quoddam imperfectum & informe denotat, conf. Lexicogr. plura hac de re tradentes, præcipue *H. Stephani Theſaur. Ling. Græc. tom. 2. f. m.987. Etymolog. M. f. 594. J. G Voſſ. in Etymolog. L.L f. 325.*

Etymologiam excipit Homonimia, ſumitur mola pro inſtrumento, mediante quo farina conficitur, ſeu Lapide piſtrinario, *Heſych. ap. Voſſ. in Etymolog. L.L. f. m.325.* anatomicis pro mandibula, græcè μύλη, unde dentes molares, *vide Etymolog. M. voce* Μύλη *f. m. 594.* Quinimmo omnes unà; teſte *Suida ap. Henr. Stephan. in Append. ad Theſaur. Græc. Ling. f. m. 1480.* & pro oſſe genu ſuperimpoſito, *Galen. L de oſſib. ad Tyron. c. 23.* porro pro tumore uterino, *Duncan. Liddel l.3. art. Med. c.14 p.531.* ſcirrhoſo, *Æginet. l. 3. c 69. p. 224. & Erotian.* (ſed Paullum refutat *Rolf. in Epit. l.3. c.25. & Duretus ad Holler. l.1. de morb. int. c.61.*) Hinc quoque *Moſchio & Cleopatra de morb. mulier. cap. 7.* dicentes, molam eſſe induratum vulvæ tumorem rejiciuntur *à Maſſaria in præl. de morb. mulier. c. 18.* tumore uteri indurato, *Aetio Tetrab. 4. ſermon. 4. p.821.* concreto ſanguinis, nobis pro carne otioſa, informi in utero producta muliebri, quæ Germanis *Ein Muttergevvæchs* vocatur.

Synonymia agmen claudit, nonnulli molem, fruſtum carnis enorme, ut *Gordonius partic. 7. cap. 18. p. 643.* alii labrum informe, conceptum inanem ap. *Reiner. Solenandr. ſect. 4. conſil. Medic. 50. p.310.* vitioſum, *Laurent. op. anatom. pag. 312.* cruditas quædam & coagulatio materiæ, quam naturalis calor conformare non potuit, dicitur *Hollerio lib. 1. de morb. int. cap. 61.* tumorem carnoſum, conceptum fatuum juxta *Franciſc. Joel. tom. 5. pag. 279.* vitioſum, irritum: Effluxionem ex utero vitioſam vocat *Corn. Gemma lib. 1. coſmocrit. cap. 6.* carnem ſemiputridam, ſubſtantiam fungoſam, imprægnationem Mendoſam *Joh. Arculan. comment. ad cap. 108. de mola lib. 9. pag. 348.* pondus uteri iners, *Roderic. à Caſtr. de morb. mulier. lib. 3. cap 7. pag. 404.* vocitant, *Gregor. Horſt. epiſt. medic. ſect.* VI. *p. 410. ſeqq.* fratres Lombardorum, arpas nuncupat; Hoc tamen noto; quod fratrem Lombardorum, vocent molam vivam uti *J. R. Saltzman. obſ. anatom. 14. Nov. 1602* vel molas vitales, uti *Schenk. obſ. med. l. 4.* Differt quoque à vera, mola dicta ventoſa, de qua *P. Zacchias l. mox, a. n. 16.* & quæ ſunt alia, quibus inſigniri ſolent nomina.

[1]. *Mola;* Μύλη dictio valde æquivoca, Proprie quod ſignificet pete ex Dictionariis: Tropica in medicina locum habet, & 1. dicitur de *Patella*, quæ os & latum & rotundum toti genu ſupra poſitum, 2. de ipſis dentibus molaribus, qui etiam μύλαι, vocantur. 3. de ipſis maxillis, quæ alias & maxillæ appellantur, 4. vocatur caro vel maſſa quædam informis, & inutilis in utero muliebri concepta. Reſpondere dicitur talis moles ovis ſubventaneis gallinarum, verum gallinæ abſque coitu concipiunt talia ova, ſed mulieres citra viri congreſſum molam vix aut nunquam concipient. *Rulandus* ita deſcripſit, *Mola matricis* eſt abortivum quid in matrice genitum. *Bruno Lexici pag. 862.*

[1]. *Mola*) Per molam exquiſitam intelligimus carnem quandam rudem, informem, quæ eſt vita prædita, ad differentiam tumoris durioris uteri, quem aliqui Medici, ſed improprie nuncupant molam: Generatur quando aliquid morbificum utero occurrit, vi cujus quod concipitur, formari neutiquam poteſt, ut idoneum ſit ad formam animalis ſuſcipiendam: Mola igitur eſt caro p. n. in utero genita, procedens à formatione ablata. Mola ergo eſt morbus in numero aucto, quod vitium fit ratione formatricis ablatæ. *Capivacc. Pr. lib. 4. c. 7.*

[1]. *Mola*) *Paulus l. 3. c. 69.* Molam Tumorem in utero induratum eſſe voluit, lapidis duritiem referentem; at parum exactè, quum plures indurati tumores conſiſtere poſſint qui molæ nec rationem nec nomen obtinent; ut de ſcirrho in matrice, de cancro & indurata phlegmone eſt videre, qui quum indurati tumores in utero ſint, molæ tamen nomine minime ſunt cenſendi. Rectius *Galen. lib. 1. de uſu P. c. 7.* qui informē, otioſam, & inutilem in utero genitam carnem molam eſſe affirmavit, ovis ſubventaneis comparans. *Valleriola Obſ. 1. lib. 1.*

Cum *Ariſtotele & Galeno* molam appellamus carnem informem ac inutilem in uteri capacitate & non in ſubſtantia conceptam. *A Caſtro p. 390.*

[1]. *Mola eſt maſſa &c.*) Hanc definitionem tradit *Mauricean*, Mola eſt maſſa carnea, oſſibus & artubus deſtituta, abſque ulla membrorum diſtinctione; nullam figuram determinatam & regularem obtinens, præter naturam in utero, prægreſſo coitu, ex ſemine virili & muliebri corruptis genita.

[1]. *Mola*) Molam alii aliter definiverunt, *Galenus* maſſam carnis informem, *Aetius* & *Paulus* tumorem durum in oſtio aut alia parte uteri natum exiſtimarunt, Ego puto utrumque eſſe, fierique primum ex ſemine veluti duram tunicam, &c. ſanguine craſſo ſpiſſoque, calore concreto, carnem quæ nullam formam habet, & veluti parenchyma quoddam, utero alligatur, & ſic tumor apparet ob involucri duritiem, ideo tumorem durum dixerunt; Informem autem, quia nullius animalis formam habet, *Rondeletius Meth. cap. 67.*

[1]. Mola,) *Caro eſt, vel maſſa carnea rudis, indigeſta, informis ac inutilis, in utero à formatricis errore producta.* Locus affectus ſive ſubjectum primarium, eſt uterus, ſive matrix fœminea, quæ ut concinna concipiendi fovea, ita & ad tale informe quid & inutile pondus producendum prona. *Rolfincius lib. 3. Epit. cap. 25.* Secundarium, juxta Recentiores, Ovarium cum cornubus uteri & vaſis reliquis poſſet conſtitui. *Georgius Francus Diſſert. de mola.*

[2]. *Signa*) Maxime luſorium eſſe morbum fateor, quippe qui optimos nonnunquam Medicos fallere potens eſt, teſte *Nicol. Rocheo de morb. mulier. cap. 7.* cum quartum ante menſem, quod ſigna tum temporis cum vere prægnantibus laborantes tali fœminæ habeant communia, veri quid edicere vix poſſint. Exemplum eſt apud *Hollerium* in *Sch. ad lib. 1. cap. 61.* Caute ob id mercandum, ne vel mola pro fœtu, & fœtus pro mola habeatur, & hoc ſub velamine trucidetur fructus, & expellatur; cum Medici damno & ignominia.

Quinque autem potiſſimum hæcce ſigna conſtituere & à vera molam diſtinguere imprægnatione videntur. I. tumor & intumeſcentia uteri æqualis, quæ gravior, major & durior in mola, ob materiæ craſſitiem, gravitatem & extenſionem, quam in fœtu, ubi tumor ille modo verſus umbilicum & circa latera, ſimulque mollior, tactuique non obnitens, ob humorem juxta *Harvejum* albugineum,* fœtui nutrimentum præbentem, optime concoctum & non ita craſſum, conſpicitur *Holler. l. a.*

II. Motus nullus vel ſaltim accidentarius *Holler. l. a. Mercat. l. c.* quia marticulationibus caret, unde minime, ut fœtus movetur, ſuumque motus tempus, ut vulgo creditur tertio mas, quarto, fœmina menſe, obſervat, ſed intempeſtivo duntaxat, uno lapidis ad inſtar motum præbet, eo enim quo uterus illam devolvit, quieſcit, ſic in inceſſu ſemper prolapſum minatur & ad partum ſtimulat, in decubitu ſive dextro, ſive ſiniſtro & illa decumbit, nec etiam concuſſionem & titillationem, quales in vero fœtu manu calida utero admota percentiſcimus, deprehendere heic valemus. *Antiquus quidam Medicus: ſi tranſiverit (inquit) tempus in quo fœtus in utero rationabiliter moveri debet, & mulier non ſenſerit ipſum fœtum in corpore ſuo moveri, & venter incœperit ingroſſari, & menſtrua retinent, hinc molam ineſſe non dubitabis.*

III. Lactis defectus, quod notat *Hippocrat. l. de ſterilitat. teſte H. Arniſæo ap. Thom. Bartholinum in Ciſta med. Hafn. p. m. 379. Holler. l. a.* licet mammæ intumeſcant, nullum lac tamen adeſt, vel non lactis titulo imbuendum, ſiquidem materia cruda & craſſa juxta *Sennert. & Arniſæum l. a. qui conſentientes allegat Salium & Zacchiam* ex retentis menſibus ad mammas fertur, quæ ad certum tempus durat, hinc evaneſcit obturbatum & vitiatum nutritionis fœtus archeum.

IV. Corporis diſpoſitio morboſa, fœminæ enim prægnantes melius valent; & graviſſima talia Symptomata illas concomitari non aſſolent, aſt molas contra gerentes, magnos perpeti cruciatus coguntur, lancinationes & punctiones in lumbis, utero præſertim quaſi acu factæ, dorſo, capite, adeſt & obfuſcatio oculorum, pallida, livida facies, vertigo, ſpirandi difficultas, uteri ſuffocatio, quæ quamvis non in omnibus deprehendantur, ut plurimum tamen ſimul contingere compertum eſt. *Holler. l. ſæpius cit.*

V. Tempus denique omnem detegit ſcrupulum, fœtus enim per 9. menſes ordinarie in utero geſtari debet, hinc ſi ad undecimum, duodecimum & magis tumor & intumeſcentia permaneat, nec ſcirrhus, quem menſium fluxus, tenuitas & mammarum gracilitas patefacit, nec hydrops, quam mollities, tumor pedum, aliaque ſigna hydropem concomitantia diſcernunt, adſunt, mulierem revera non imprægnatam, ſed molam geſtare concludimus, *vid. Holler. Schol. ad lib. 1. de morb. int. cap. 61. Maſſar. lib. 4. pract. cap. 8. f. 273. a.* Georgius Francus.

[2]. *Signa*) In muliere molam geſtante eadem fere ſigna quæ in legitima conceptione & imprægnatione deprehenduntur; ſed & in nonnullis non parum diſcrepant, Venter enim multo durior eſt magiſque dolorificus, multoque citius circa initia intumeſcit, quam in vera graviditate.

Cum porro mola omnino ſit præter naturam, vera vita nequaquam donata, proinde motu animali deſtituta, non poteſt non admodum eſſe moleſta, ac geſtatu gravior quam fœtus, in utramvis enim partem mulier ſe convertat, eo mola inclinat (niſi exiguæ admodum fuerit molis) inſtar globi ponderoſi: Inſignis præterea adeſt laſſitudo femorum & tibiarum, ut ægre diſſideat, cum gravitate in imo ventre, maſſa enim hæc carnea à gravitate uterum ſecum deprimit, unde compreſſio ſequitur veſicæ urinariæ: Adhæc ut plurimum non adeo intumeſcunt *mammæ*, abeſtque lac, aut ſaltem pauciſſimum effluit: Sed & manifeſtius innoteſcit, ſi prædictis indiciis accedat abſentia motus exactis quatuor aut quinque graviditatis menſibus; certius vero cum partus tempus præterierit, permanentibus antedictis ſignis.

Non nego equidem in muliere molam geſtante quandam motus ſpeciem apparere, id quod in plurimis mulieribus à me deprehenſum; at ejuſmodi motus multum diſſidet ab eo quem exhibet fœtus in utero, qui voluntarius eſt, totalis & partialis, cum in Mola per accidens tantum ſit: Sin mulier molam gerens motum quempiam extraordinarium in ventre percipiat, convulſivus ille eſt uteri, excitatus ab irritatione quam pariunt corpora aliena in eo contenta. In nonnullis mulieribus ejuſmodi motus adeo vehementes deprehendi, ut plura animalia ventre contineri opinio eſſet. Vide *Fabritium Hildanum centur. 2. obſervat. 55* Quin & quædam mulieres, molæ expertes, ejuſmodi ſpaſmodicis motibus afficiuntur, inductis ab alienis humoribus, qui fermenteſcentes in propria uteri ſubſtantia, necnon intra meſenterium, ſubſultus inſignes in prædictis partibus inducunt, ab acrimonia irritante. *Mauriceau.*

Fœtum quidem mentitur verum ac legitimum mola, ſed oculati & experti Medici hunc fœtum à mola ſtatim diſtinguere norunt, quod fœtus verus ac legitimus blande ac leviter ſine dolore per uterum moveatur, mola autem graviter ac ponderoſe ſigatur, & impetu quodam pervolvatur, in quodcunque latus etiam mulier decumbat, Unde gravior quoque & pondere oppreſſa incedit, artusque graciłeſcunt, & dolor ventrem compungit, quorum nihil adeſt in vero legitimoque fœtu, præſertim ſi mulier prægnans laudata valetudine fruatur. *P. Joh. Faber.*

Ut principio cognitu admodum difficilis eſt hęc differentia, ita ex adverſo temporis progreſſu illa evadit facilior

cilior; Cumprimis vero motus qui menſe 3. aut 4. in fœtu perſentiſcitur, in mola nullus perfectus &c. & tanquam pondus iners probe os pubis ſæpe quaſi ad partum iritis percipitur, Deinde mulier revera prægnans primos tranſgreſſa menſes meliùs ſe habere incipit; in Mola vero ſemper deterius, ac ſemper graviſſima accidentia ſentit, quoniam male valendi cauſa urgentior tunc ſubeſt. *Chr. Langius.*

Iudicare & diſcernere Molam oportet ex plenitudinis mole, magis enim in molæ quam in fœtus geſtatione venter impletur, duriorque afficitur, authoribus *Hippocrat.* & *Paulo*; Tum quod nihil in ventre movetur, neque lac in mammillis gignitur, fœtus enim ſi conceptus eſt, trimeſtri peracto movetur, ſi mas fuerit, aut ſi fœmella, quadrimeſtri, *Hippocr. 1. de m. m. & l. de ſteril.* ubi igitur hoc tranſacto tempore motus nullus quaſi viventis animalis intro geniti percipitur, nec lac in mammillis apparet, de molæ geſtatione ſuſpicandum; Accedit corporis macies, depravatur color; cibi faſtidiū *macies* quod probi alimenti materia deficit, & quod anorexiâ gravi corripiantur, nec cibum ingerant; *Color* ob id pravus apparet, quod qui intro conditi ſunt ſucci vitioſi, nec probe à natura elaborati ſint, talem autem foras efflorescere colorem oportet, qualis humorum intus latentium fuerit natura. *Vallerìola obſervat. 1. lib. 1.*

A vero conceptu ita diſtinguitur, quia in progreſſu mulier longe pejus habet, ceſſant enim augeſcente fœtu ſymptomata, ſed in mola ingraveſcunt, &c. quæ omnia falſa ſunt, nam ſcio gravidas pejus à fœtu quam alias à mola vexatas: Addunt quidam Molam manu compreſſam loco cedere, infantem autem nec cedere nec recurrere; tum ventrem multo duriorem eſſe in mola quam in vero fœtu: Major & certior eſt Molæ ſuſpicio cum pariendi tempus effluxit &c. Re bene penſitata ſigna hæc tantum ſunt conjecturalia, ferme omnia falſa, aut incerta; 4°. præſente mola venter in omnem dimenſionem intumeſcit, ex fœtu vero potius verſus umbilicum, coarctatis utrinque lateribus,

Ab *hydrope* autem vix diſtingui poteſt, diſcernitur autem per tumoris duritiem, & quod tumor ad digitorum compreſſionem & pulſationem non cedit, nec tympani ſonum reddit nec manu fluctuatio ulla percipitur, quamvis tandem ſuccedere poſſit: Demum in hydrope ventre tumente totum corpus minuitur, quod non accidit in mola, nam ſunt interdum probe coloratæ: Addunt quidam in mola ſupprimi menſes, quod etiam non eſt neceſſarium, & in hydrope contingit. *Primiroſius l. 4. de m. m. c. 5.*

3. *Non ſunt tam exacta*) Mola cum indicia & accidentia pleraque conceptus veri notis ſimilia proferat, difficile, ab initio præſertim, conceptum hunc præternaturalem cognoſcere, eumque à naturali diſtinguere, Primum enim etiam bonæ conſtitutionis mulier ad conceptionem apta, & viro cohabitans, huic vitio; ex cauſa aliqua poteſt eſſe obnoxia, licet rarius hoc fiat, Magna interim molæ in utero, ſuſpicio eſt ſi mulier prius quoque talem geſtarit, majorque ſi ſæpius illi acciderit; ſicuti aliquas quotannis, alias ſingulis fere menſibus ejuſmodi rejeciſſe obſervavimus; interim nihil gravius paſſas, beneque nihilominus habitas & vegetas: Alioquin ut in vero concepta, ſic & in hoc mox menſtruus fluxus deſinit, venterque & mamma ſimul ſucceſſive ad aliquod tempus uſque incrementum ſumunt, poſtea vero ſi ſubſiſtat mola venter vel in eodem ſtatu manens, non amplius ſicut in fœtu vero augetur; vel ſi augeatur, non in eo motus ille ſentitur quem fœtum gerentes ab illo percipiunt, nec ut in his eſt ita ad tactus, ſed *pendulus*, taliſque qui velut pondus aliquod contineat, quod cum ſe mulier in latus vertit eo provolvitur, Ex quibus demum nullū conceptum fuiſſe, vel ſaltum eſſe, ſuſpicari ſolent. *Platerus.*

4. *Uteri*) fœmina per quinquennium Procidentia uteri laborare credita eſt, tandem medicamentorum ope molam excluſit, non in utero, ſed extra eum in vagina uterina, circa exterius pudendi orificium geſtaſſe eventus docuit: Vide hiſtoriam cap. de Uteri prolapſu ex *Joh. Jæniſch.*

5. *Lactis defectu, nam in mola mammæ*) Mola cum Scirrho magnam habet conſimilitudinem, ideoque hic ab illa ſedulo diſtinguendus, quod ipſum, vel ex ſola mammarum obſervatione conſequi poterimus: In Mola enim mammæ abundant lacte, vel ad minimum tument, in Scirrho autem attenuantur illæ & valde gracileſcunt; Mola igitur eadem ratione eſt morbus ut in veſica calculus. *Chr. Langius.*

6. *Symptomatibus*) Mulier molam geſtans gravioribus multo ſymptomatibus affligitur quam prægnans; quin & vitæ diſcrimen imminet, ſi diutius concluſa maneat; Nonnullæ triennio quin & quadriennio gerunt, quin & tota vita; ſicuti adnotat *Ariſtoteles lib. 4. cap. 7. hiſtor. an.* ſicut accidit uxori Stannarii opificis, de qua *Parens* lib. de Gen. quæ Molam decem & ſeptem annis geſtavit, tandem ipſi lethiferam. Id porro obſervatione dignum, quod ſi Mola cum ſubſtantia uteri coeat, atque invicem confundantur, adeo ut unum idemque corpus quaſi conſtituant (id quod pro hyperſarcoſi Carcinode, nonnunquam ulceri ſuccedente quam legitima mola habendum) omnino fieri non poſſe ut mulier evadat periculum; nullo enim artificio vel expelli, vel extrahi valet; quo fit ut perpetuo increſcat quouſque tandem interitum mulier inducat: Id quod docet *Hippocrat. 1. de m. m. Siquidem*, inquit, una *caro fiat, mulier perit neque enim fieri poteſt, ut ſuperſtes maneat.* Mauriceau.

7. *Symptomatibus, quæ varia*) Quod reliqua accidentia concernit, *appetitus imminui vel depravari*, ut in legitimo conceptu, aliaque illic enarrata accidentia ſupervenire ſolent: atque etiam cum hic conceptus ſit præternaturalis, plura pejoraque, inter quæ frequentiora ſunt *corporis* reliqui præter rationem *extenuatio* ejuſdemque diſcoloratio, ventriſque punctiones, appetituſque proſtratio diutius durans; Ex quibus tamen revera nihil certi de eo pronuntiare poſſumus, uti neque ex urinarum intuitione, quibus etiam in hoc caſu cognoſcendo vulgus multum tribuit, Medicique ſæpe ut peritiores eſſe videantur, ad ea connivent; Adeo ut conceptum verum à falſo exquiſite diſcernere valde ſit arduum, donec vel per abortum factum, uti fere fit, nunc primis, nunc ſequentibus menſibus, vel per partum deſtinato tempore, ex rejecto præternaturali cognoſcatur; Quem quoque terminum pariendi prætergreſſa mulier, de uteri geſtatione, ex indiciis certa, ſi non pariat, nec conatum aliquem illius ſentiat, aliave indicia quæ fœtum mortuum retineri demonſtrant, niſi hoc nulla conceptione facta, oriatur, certum eſt non fœtum ſed molam, vel aliud ſimile utero geſtari, qui alia diu poſtea eas retinuiſſe, ventre turgente, menſibuſque retentis, accedentibus quoque aliis inſuper malis obſervavimus, multiſque poſt menſibus vel annis, cum vitæ periculo, ex larga profuſione ſanguinis demum rejeciſſe, vel ad mortem uſque conſervaſſe. *Platerus.*

8. *Cauſa eſt* 9. virium ſeminis, 10. rum maſculini & fœminini junctim, 11. cùm facultas formatrix eſt debilis, vel quod à ſanguine obruatur. Unde molæ fieri ſolent, ſi concubitus ſit imminentibus vel fluentibus, vel nondum planè ceſſantibus menſtruis: tum fœminini ſeparatim,

cum ſanguine juncti; & tum, molæ planè rudes, & quæ aëri diutius expoſitæ, in aqueam liquefactæ ſolvuntur ſubſtantiam.

12. In virginibus tale quid accidere non poteſt, tum quia ſemen ipſarum debile, ſanguinem ad conformationem neceſſarium non attrabit; tum quia ipſe ſanguis partim propter inſuetudinem, & vaſa uteri in virginibus anguſtiora; ſponte non affluit, vide tamen quid de iſtis in ſuis ocultis *Lemnius.* Sed & ego aliquid ejuſmodi me obſervaſſe memini, fœmina, tum virgo adhuc ſupereſt.

Cauſſa Immediata in Definitione aſſignata eſt formatricis aberratio *Rolf. libr. 3. epit cap. 25.* ſeu archei in ovulis ideandis fruſtratio, quam τὸ κύημα ἀγαθὸν ſequi concomitarique nequit.

Modum talis aberrationis formatricis nos cauſæ Inſtrumentales ſeu mediatæ proximiores humoroſæ, ix. *Galeni*, & vaporoſæ, juxta *Harvei* ſententiam melius edocent. Uti enim conceptio ad *Harvei* mentem fit mediante ſeminis virilis contagio ſpirituoſo ad ovarium delato, quod cum ovulo fœcundatum per tubas Fallopianas in uterum fertur, neceſſariiſque ad nutritionem membranis inſtituitur. Sic heic irritus quaſi conceptus eſt; & informis cujuſdam maſſæ generatio. Simile quod ex quorundam mente, Chymia nobis offert, ſpiritus ſiquidem Vitrioli, Aluminis, Salis cùm Spiritu Salis Armoniac. in aëre ſibi invicem occurrentes, certamen ineunt, donec in unum abeunt, ſeque coagulant, nec minus Mercurius exemplum ſe ſiſtit, quippe qui fumo duntaxat igni coagulari poſſit.

Vitium hoc quoque accidit, ſi uterus ſe non recte habeat, ovariumque aut vaſa alia uteri peccent, item ſi menſes inordinato fluant, aliaque Spirit. depauperantia adſint, quæ brevitatis gratia lubens omitto.

Cauſſæ remotæ Naturales etiam attendendæ veniunt, Temperamentum uteri quod frigidum *Rolfinc. lib. 3. ep. capit. 25.* humidum, pituitoſum, hinc ſanguini characterem frigidiorem & humidiorem inducit, qui totum corpus refrigerando, debile reddit, unde etiam *Cous aphoriſm. 62. ſect. 5.* Ὁκόσαι inquit ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυίσκουσι, καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυίσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος. *Quæ frigidos & denſos locos habent, non concipiunt. Et quæ prahumido uteros habent non concipiunt: extinguitur enim in ipſis genitura.*

Corporis diſpoſitio non minus addit ſymbolum, quatenus nimis ſeroſa, pituitoſa, aquoſa, & hinc etiam M. S. magis ſeroſior & frigidior, unde utplurimum tales ſteriles vivere, vel morbis magis vexari videmus.

Ætas ad hunc affectum generandum conveniens maxime facit, unde nimis ſenilis ob nimiam frigiditatem & ſpirituum debilitatem & inopiam, fœcunda eſſe nequit, nec etiam puerilis, cujus optima nutrimenti vis in incrementum abit. Omnium vero juvenilis ſeu medioctis maxime huic opportuna malo *Rolfinc. in conſ. 3. l. 11. p. m. 901.* quippe quæ copioſiſſime menſtrua provocat, unde facile è ſanguine intus retento, calore accedente, informis ejuſmodi indigeſtaq; moles poteſt concreſcere. Non excludemus alios quoque humores ſeroſos, lacteos, lymphaticoſve ad uteri cavum confluentes aut penetrantes, ibique inſpiſſatos, concretos & inordinate efformatos.

Cauſſæ non naturales denique referendæ veniunt, inter quas I. Aër; potiſſimum auſtrinus accuſandus frigidus & humidus, qui corporis ſtatum mutare & ſterilitatis vel molæ cauſſa exiſtere potens eſt: unde in locis quibuſdam auſtrinis, mulieres plerumque ſteriles eſſe conſtat. Hinc & præcipue hyemalis & autumnalis *Rolfinc. l. a. p. m. 901.* qui ob repentinam mutationem jam pluvioſam, jam frigidam, partes balſamicas, ſulphureas, ſanguineas ſubjugat; ovulaque infirma reddit, iiſque characterem inducit aquoſum aut ſanguini ejuſmodi putrilaginem inducere aptus eſt. Aſtrorum influxus ad productionem hujus lernæ pondus addere aliqui ſibi perſuadent, quibus accuſatur præcipue Venus cum Mercurio, ſub radiis Solis juncta aut à Iou. læſa. Verum nos ad fabulas plus-quam aniles hoc relegamus.

II. Cibus & Potus, ille quatenus ἄπεπτος, ſuccum ſeu chylum ſanguinemque craſſiorem perficit, & hinc utero & ovulis ſterilibus vel ſanguini molæ generandæ anſam dat, ut ſunt reſte *Rolfinc. conſult. 3. lib. 11.* craſſiores, leguminoſi, oleracei, pingues, fructus horarii, cucumeres, ceraſa, &c. nec etiam dulcia prætereunda quibus ſexus maxime fæmineus delectatur, falſa inductus perſuaſione. vires roborare, alimentumque fœtui utile præbere, cum potius ſanguinem pituitoſiorem, viſcoſioremque & inutiliorem reddant; Hic, cum nimius ingeratur & frigidus, fermentum ventriculi vitiatur, ut nec prima, nec ſecunda recte fieri queat concoctio, calor inde nativus debilitatur, afficitur generatio, ut σύλληψιν adeo facili ex negotio fruſtrari poſſe in propatulo ſit.

III. Motus & Vigiliæ malo noſtro opitulantes porrigunt manus, ſiquidem conceptionem illiuſque materiam vel mutant, abſumunt, vel alio abigunt, vel maſſam ſanguineam ad hoc vitium diſponunt: hinc ruſticæ quædam fœminæ ob nimios quos perpetiuntur labores temperamentum mutant, calidioreſque fiunt, menſes non debito experiuntur modo.

IV. Quies & ſomnus vero nimius ſaburram in ſanguine & circa uterum cauſſatur, quæ uteri actiones probas impedit, medium ergo tenere optimum erit.

V. Excreta ac retenta, ut menſium nimia vel pauca evacuatio, multum in molæ generatione conferre notorium.

VI. Animi pathemata, ut multos cauſſantur morbos ita & heic dies ferias non agunt, quatenus corpora minus recte diſpoſita maxime reddere valent, *Rolfinc. lib. 3. epit. c. 25.*

Præternaturales denique cauſſæ, e. g. ſi affectus ſoporoſi, epilepſia, apoplexia, ſyncope, lypothymia, paralyſis &c. præceſſerint, quid conferre aptæ ſint, nemo non videt. *G. Francus.*

Molarum & Monſtrorum generatio.

8. *Cauſa eſt vitium ſeminis, tum maſculini & fæminini junctim &c.*) *Ariſtoteles 4. de Gen. An. cap. 7.* circa generationem molæ tribus innititur columnis, quarum tamen nulla ſatis eſt firma: *Primam* conſtituunt affectiones hyſtericæ, ex Galenicorum intemperie frigida & humida utplurimum ſcaturientes; *Secundam* menſtruorum abundantia; unde materiæ ſatis pro ejuſmodi fœtu ſuppetit, & *Tertiam*, caloris debilitas, unde concoctio legitima deficit.

Illam quod concernit, cum conceptui ipſi, quo minus fiat, moram non pariat, quis eſt qui non futilem agnoſcet? Neque etiam uteri vitio (qui nonniſi commodum, habitaculum tempore geſtationis fœtui pullulanti præbet) mola frequenter progignitur, uti quidem alii

alii cum ipſo arbitrati ſunt; Vel ex hujus intemperie, quæ Veterum figmẽtum eſt; ut taceam quicquid ex utero mali ſegniori ſexui accidit, non tam huic quam materiæ heterogeneæ in maſſa humorali abundanti, vel eo delatæ, imputandum eſſe: *Iſtam* reiiei facit commune nutrimentum, quo tam brutorum quam humani fœtus fruuntur, quod pariter ex ſanguine per vaſa uterina ad glandulas vel cotylas delatum in vaſa fœtuum placentas plerumque perreptantia recipitur. Sin autem menſtrua materno ſanguine cum Ferneliamis contra diſtinguat, Molæ generationem inepte plane concepit; *Illa*, quoniam ſanguinis grumeſcentiæ variæq; ex ejus ſubſiſtentia prodire ſolitæ carnoſitates, quibus (quod à fluxu iſto ſolenni libera ſunt) bruta deſtitui novimus, pro Mola genuina nunquam habendæ ſunt: *Hanc* vero quod ſpectat, ridiculam itidem credimus, ſiquidem nec uterus menſtruorum coctioni ſit emancipatus; neque Molæ ſuccretio maſſæ humoralis dyſcraſiam aliquam neceſſario arguat.

Aliam proinde (ubi de modo generationis Molæ diſſeruero) rei hujus rationem producere neceſſe erit, quam *Ariſtoteli*, aliiſque non potuiſſe innoteſcere mox patebit; nempe fundamenta, quæ ille adduxit, falſa hypotheſi nituntur, ac ſi ex humore crudo & concoctu difficili mola progigneretur, cujus loco *Hippocrat. lib. de ſteril.* ſubſtituit γονὴν ὀλίγην ϗ νοσώδεα, ſemen modicum & morbidum, *&* *lib. 2.* περὶ γυναικ. craſſam genituram intus retentam. Neque iſthoc melius *Galenus 14. de V. P.* ſeminis maſculini vel exiguitati, vel calori in illo deficienti, indeque utriuſque illegitimæ mixtioni culpam imputant, cum inquit, *Iam ipſum fœmineum ſemen gignere per ſe fœtum non poteſt, ſed maris ſemen omnino flagitat, cum quo oportet miſceatur, ita ut utrumque ſemen in unum motum conſpiret. Nam tametſi gallinæ citra galli operam ova ſubventanea concipiant, ex illis tamen animalia excludere nequeunt, quandoquidem ut ea perficerentur maſculi caliditatem deſiderabant: At mulierem vidit nemo unquam ſine viro vel molam vel ejuſmodi quippiam concepiſſe.* Licet enim non errarit cum ovum ſubventaneum à Mola diſtingui contendit (contra quam alii faciebant, qui ex ſolo ſemine fœmellæ cum ſanguinis complemento Molæ primordia derivabant, ſeminis tamen maſculi, à quo motus principium ille deducit, vel in ſe labem, minus in fœtiiia cum fæmineo commixtione, adeo facile non evincet; perinde ut alii diu adhuc laborabunt circa facultatis formatricis, ob ſanguinis affluentis copiam errorem detegendum.

Audacter forſan mentiri videbor Medicis ſpermaticis dum iſthæc aſſero, aſt ex mendacio, quod illi dixerunt prius, quare cœco impetu in aliorum ſententias jurarent, veritatem me dicere, omnibus ut reor fiet manifeſtum: Seminis utriuſque parentis σύμμιξις exploſa eſt hodie; utpote experientiæ & ſanæ rationi adverſa; *Harvei* ſufficiat authoritas, qui quamvis ſtudioſe in damis ab ipſo coitu indagarit, illam tamen pari, quo Veteres ſibi imaginati ſunt, ſucceſſu nunquam reperit, ut aliorum, vel meam nunc ſeponam, altoque ſilentio præteream tot abſurda; quibus excogitandis anſam ſuggeſſit, de ſeminis fœminei frigiditate, de facultate formatrice, ſpiritu plaſtico, aliiſque pluribus: Propterea tamen generatio non incerta vel dubia, quam *ex ovo fœmellæ* ſuccedere Medici illuſtres dehinc compererunt, ſucceſſu laudatiſſimo æque ac feliciſſimo: Prolixius heic non ediſſeram quid alibi pluribus commonſtratum eſt, ſatis eſt inde & genituram craſſam cum caloris imbecillitate, & ſeminis utriuſque malam σύμμιξιν &c. everti ſicque Molæ natales tantiſper illuſtrari.

Citra viri congreſſum Molam poſſe pullulare non tam *Galeni* authoritate quam firma ratione negatur, cum Mola nil aliud ſit quam conceptus falſus à poſteriori, cui virgines utiq; obnoxiæ nõ ſunt, ſupraq; jam monſtraverim aliud planè eſſe à molâ, quod ex morboſa menſtruorũ reſtitutione prodit; cum vel ex ipsũ Veterum effato membranas vaſaq; varia, quæ natura modo extruxerat, inibi notare liceat, Verum quidem eſt è variis fæmellarum, pariter ac gallinarum, ovula plurima recondi maturationem & fœcunditatem neceſſariam expectantia, falſum autem quod perinde ut iſtæ temporis tractu ova excludere poſſint, ſubventanea vulgo dicta; neque his accenſendum primordium illud eſt, è quo vitiato aut ſtructo Mola plerumque ſuccedit.

Nimirum ad Molæ generationem Ovum non maturum modo; ſed fœcundatum inſuper requiritur, quod primaria naturæ intentione in uterum per ovi ductum devehitur, ut ex ipſo fœtus naturalis, ceu ex conceptu legitimo progignatur; Hæc ipſa autem Naturæ actio cum à violento quopiam pervertitur, Molę generatio in procinctu eſt: Ejuſmodi quod à perverſa matris imaginatione, vel vehementioribus animi pathematis frequenter accidit; Imo cum ipſæ partes in ovo, earumque fibrillæ tenellæ admodum ſint, quin ab humorum, (quibus alias nutriuntur) acrimonia, vel vehementiori impetu rumpi, vel erodi, indeque in unam maſſam rudem ac indigeſtam coaleſcere queant, extra aleam ponendum autumo.

Nec temere cum mola confundendum ᾠὸν ὠμὸν *Hippocratis*, quale nuper à juvencula, à duobus circiter menſibus gravida, placentulæ adhuc adhærens, excretum vidi; illud ſiquidem abortum efficit, qui fœtus decenter configurati præmatura excluſio eſt.

Ut autem quæ modo delibavi evidentius ſe omnium animis ſiſtant, ſciendum eſt maximum eſſe fœmellarum cum fœtibus, quos in utero detinent, conſenſionem, adeo quidem ut hi illis intime compatiantur, eoque facilius noxam accipiant quo cum cerebri ipſorum, tum ſingularum partium fibrillę teneriores ſunt, neque ejuſmodi impetus, de quibus modo, pariter ſufferre, vel iis reſiſtere poſſint.

Abſurditatis heic iterum, ſed temere accuſabor, à *Galeni* filiis, ſi infantes intelligere matrum ſuſpiria, audire ejulatus, videre afflictiones, vel vulnera perpeti dixero, cum tamen inficias ire nequeant iiſdem quibus illæ, animi pathematibus affici, & unionem hanc quammaxime neceſſariam eſſe pro tenera, ipſorum vita ſuſtentanda; unde etiam admiranda Naturæ atque hujus Authoris, providentia eſt, qua utrique horum cum ſanguinis pro aura vitali, tum ſpirituum pro ſenſu & motu influxum communem eſſe juſſit; ita quidem ut ex eodem liquore vitali, quem vaſa matris placentæ ſuppeditarunt; & particulæ nutritiæ partibus ſingulis apponerentur, & ſpiritus nitro aëreus per delicatulos cerebri poros, qui deinceps ex filamentis exiguis in nervos per ſui propagines verſus ſingulas corpuſculi partes pertenſas pergeret, munia hic illi legitima obiturus.

Quod ſi ergo ex vitioſa matris imaginatione, quę varie utcunque ſuccreſcit, nunc ab externis motum vehementiorem plerumque concitantibus; nunc ab internis, recordatione pertinaci eorum quæ aliquando vidimus, ſpiritus impetuoſe motitentur: ob recitatam partium teneritudinem generationis negotium facillime confunditur, ut fœtus monſtruoſus; vel maſſa omnino deformis poſtmodum procudantur.

Illuſtre eſt exemplum cujus *Author Genit. ver. libr. 2. capite 7.* meminit de fœmina quæ cum aſſiſteret ſupplicio flagitioſi, rotæ poſt confracta membra imponendi, adeo à ſingulis ictibus facile conſtrata fuit, ut filium peperit à nativitate fatuum, cujus ſingula oſſa diffracta erant pariter ac illius qui dictam pœnam ſuſtinuit.

Monſtrorum quoque aliarumve deformitatum productiones, quæ ex intuitu rei ſimilis, vel vehementiori.

deſiderio non raro ſcaturiunt, hanc ſpirituum arctiſſimam unionem ſatis probant.

Veriſſima tamen ſunt quæ Nobiliſſ. Pythagoras noſter, (*Peyerus*) erudite hac de re ad me ſcripſit, Ferme, *inquit*, molarum cauſæ reales magis ſunt quam imaginariæ, & permanentes, & diuturnæ potius quam ſubitaneæ aut tranſitoriæ (addo quæ primis menſibus, imo ſeptimanis maxime contingunt, ubi partes penitus nondum evolutæ ſunt, & ſumme teneræ exiſtunt, cum ubi ad qualemcunque molem fœtus jam pervenit, fibræ robuſtiores redditæ, omni ſpirituum impetui non ſtatim cedant) ærumnoſa vita, triſtitia, iracundia quoque, & præcipitati animi furores, ſi crebro multumque iterentur, ad generandas Molas multum conferunt; Namque hi affectus omnes cum violenti ſint, ad deſtructionem tendunt, eo libentius quo ſubtilia corpuſculi ſtamina, inſtar tenellarum arbuſcularum ab impetuoſiore vento facile diffringuntur; Ita experientia me docuit, fœminam fœcundam, binis vicibus, cum gravidam ſe exiſtimaret, molam ovo anſerino majorem, nunc ſub tertii, nunc ſub quarti menſis initium, fœtus immaturi loco excluſiſſe, nullam aliam ob rationem quam quod utraque vice, ut quidem confiteri neceſſe habuit, animo volvebat creberrime quam infeliciter aliquot retro annis peperiſſet fœtus binos, quorum alter ante tempus perruperat, alter maturus intra ipſa uteri oſtia interierat: Et quid opus eſt verbis? ſi animi pathema gravius potis eſt de ponte quandoque conceptum præcipitare, quidni eundem uteri parietibus adhærentem aliter pervertere poſſit?

Sunt autem fœminæ quæ infortunatos ejuſmodi fœtus vident, non raro nolentes, ob organorum præcipue vitium, quæ mollicula & tenera ab humorum acredine eroduntur, unde poſtmodum loco membrorum ſe junctorum, probeque configuratorum, deformis quædam maſſa in immenſum excreſcit, uti ex obſervationibus conſtat; atque iſthoc in caſu in maſſa humorum magis quam Ovario, ſeu ſemine matris, culpa quærenda eſt; Inde propterea argumentum infallibile non depromitur quaſcunque, ſiquidem humoribus intemperatis videantur eſſe refertæ, Molas potius quam fœtus legitimos progenituras, cum in dubiæ ſit veritatis naturam ad perfectiorem finem omnibus modis collimare, & ob id ipſum embryoni in utero exiſtenti, alimento laudabiliſſimo, tenero ac blando pro viribus proſpicere; unde ſæpiſſime jam animadverti in nimia iſtiuſmodi cacochymia, æque facile in matrem noxam redundare ac in fœtum: Difficilius forte eſſet Galenico clare exponere, qui in tali corporis dyſcraſia fœmina ſemen fœcundum poſſit ad legitimam συμμιξιν conferre; Quicquid ſit, eluceſcere ex dictis reor genuinas Molæ cauſas, quæ Veteribus de generatione aliter plane judicantibus, non potuerunt non eſſe obſcuræ.

Operæ pretium jam erit inquirere, Eccur animalia bruta vitiati hujus fœtus pariter cum mulierculis non ſint feracia? Si cauſas denuo ruminare libet difficile erit utcunq; illa penitus hinc vindicare. Imaginationis etenim vitia in his perinde atque in illis obſervantur, & machinalis hæc actio admirando artificio ad ſtuporem uſque in iis abſolvitur &c. ſufficit quod nudus iſte ſpirituum motus, ſi violentus evadat, ex objecti monſtroſi intuitione, vel graviori impreſſione, aut alia quavis cauſa concitante, etiam in brutorum fœtibus eadem ratione deformitates varias, vel monſtroſitates producere valeat, uti quidem exempla ab authoribus recitata evidentiſſime evincunt &c.

Ex his autem nondum loquere exiſtimo Molam in Uteris fæmellarum brutarum, vel non vel raro productum iri; quinimo cum monſtra pariant frequenter, Molas pariter concipere poſſe pluribus abſonum non videbitur, utpote ex iiſdem fere, quibus illa, cauſis reſultantes, ovi; tenerrimis fibrillis non reluctantibus; fateor ejuſmodi quicquam ex bruti utero excretum hactenus me non conſpexiſſe, Id vero dixerim obl. rum mihi fuiſſe nupera æſtate ovum majuſculum, quod cum aliis gallina incubarat, cujus putamine rejecto, non pulli ſtamina, ſed materia rudis ſanguinolenta oculis ſe objecerunt, manifeſto generationis interruptæ indicio: Exhinc communicatio ſpirituum matris incumbentis cum ſpiritibus pullium ovo deliteſcentis aliquo modo probari poteſt: licet enim concedam partes ſingulas pulli cum materia nutritia inibi jam contineri, id tamen ſtatuere ἄπορον plane non videtur; illius ope partium accretionem & conformationem legitimam quaſi determinari, uti quidem in animantibus quæ intra ſe generant manifeſtius obſervare eſt &c. *Ioh. Iacob. Harderus Apiarii obſ. 92.*

8. *Cauſa eſt vitium ſeminis &c.*) Mola generari ſolet cum alterutrum ſemen tum maris, tum fœminæ, vel utrumque debilia ſunt, aut corruptionem ſubierunt, nativam vel adſcititiam; Nec enim uterus in generationis opus verum incumbit aliter quam mediantibus ſpiritibus, quibus ſemina dicta turgere debent, idque eo citius contingit, ſi pauci cum adfuerint à copia vel impuritate ſanguinis menſtrui quaſi obtutum fuerit, nonnunquam non diu à conceptione facta eo affluentis, quapropter Naturæ non conceditur tempus perficiendi id quod vix dum inchoatum erat; unde interrupto opere inductaque confuſione, ex prædictis ſeminibus ac illo ſanguine, chaos quoddam exoritur, quod vocant Molam, quæ ſolummodo in utero muliebri generari ſolet; nunquam vel rariſſimè in cæteris animalibus, quippe quæ carent ſanguine menſtruo: Adde his utriuſque conjugis ſemen non raro infœcundum exiſtere, quod rem veneream crebrius exerceant; id quod in reliquis animalibus non accidit, quæ rarius in eam feruntur, certiſque tantum temporibus: cum ſcilicet vaſa generationis dicata ſemini copia diſtenduntur: ut enim recte adnotat *Galenus capit. 11. libr. 10.* de uſu Part. homines explendæ ſolum voluptatis gratia in amplexus ruunt, neutiquam procreandorum liberorum forma & robore præſtantium. *Mauriceau.*

9. *Vitium ſeminis*) A concepto in utero ſemine, uti ſi perfectum eſt, fœtus ex eo generatur, & venter naturaliter in gravidis intumeſcit, ſic ſi imperfectum exiſtat, & ex eo Mola, vel aliud quod præter fœtum gignatur, illudque augeatur, ventris tumor ſimiliter, ſed præternaturalis procedit; Qui defectus in ſemine, cum explicatu ſit difficilis, tamen ſi caro ex eo, quæ nonnunquam vaſis implicata eſt, atque involucris recta, aut aliud membranei generetur, ab *imperfectione* potius quadam ſeminis viri vel mulieris, quam omnimoda vitioſitate, unde nihil generaretur, procedere neceſſe eſt; niſi uteri matris intemperatura; quo minus abſolutum quid gignatur, ſimul impediat, Alioquin cum & vena umbilicalis una quoque naſcatur, fit ut & hæc informis maſſa augeatur, materque ad illius nutritionem ſanguinem retinens, cum menſtruatim non amplius profundat. *Platerus.*

10. *Tum maſculini & fœminini*) A ſemine ſolo mulieris, vel à ſanguine menſtruo, aut eo quo uterus alitur, Molam gigni haud veriſimile, Cum citra commiſtionem ſeminum viri & mulieris nihil naſci queat; neque à ſanguine menſtruo; cum licet alimoniam molæ, uti & fœtui præbeat, nihil tamen in illis procreet; Atque ille quo uterus nutritur ſanguis, ſeu ſuccus, ſi luxurians aliquid producit, ſarcoma potius, quod utero innatum eſt, quam molam ab eo liberam, & venis duntaxat adhærentem procreabit, ſicuti in aliis locis eodem modo accidit. *Platerus.*

11. *Cum facultas formatrix eſt debilis vel per ſe, vel per*

ſe, vel quod à ſanguine obruatur) *Hippocrates lib. 1. de m.m.* ut concipi in utero Mola ſoleat oſtendit, *Mola conceptus hæc cauſa eſt, Quum multi menſes exiguum & morboſum ſemen exceperint neque conceptus rectius fit, & venter plenus eſt veluti prægnantis: nihil autem in ventre movetur, neque lac in mammis generatur.*

Fit itaque Mola in Vtero, quum menſium copia exiguum & minime robuſtum ſemen virile conceperit, aut etiam muliebre; Igitur ſi ſeminis imbecillis vis rectrix à menſibus copioſioribus obtundatur, fœtus generatio fieri omnino nequit; quod mororium principium formando fœtui deſit, nempe maſculi ſperma, *Valleriola l. c.*

11. *In Virginibus*) An heic excludendus uterus virginum & viduarum, diſquiritur? Exempla apud quoſdam Authores nos docent, quod molas præcedente ſine concubitu habuerint, vid. *Valles.* (*2. contr. 6.*) *Iul. Alexandrin. Scalig.* (*ad t. 43. lib. 10. de Hiſt. animal. Ariſt. ap. Sennert.*) *Sylvium alioſque qui ex Plutarcho* (*ſc. in præcept. connub.* (credo) *Feſto & Avicenna* (*l. x. d nat. animal.*) ſcribunt poſſe hoc fieri, ait *C. Hoffmann. ad Galen. 14. de V. P. n. 999. Galenum quoque ſtatuere ſcribit Maſſarias, ſed revocaſſe addit Plin. lib. 10. cap. 64. Gordon. part. 7. capit. 18. Lev. Lemn. lib 4. O. N. M. 19. Fortun. Fidel. lib. 3. de relat. med. ſect. 5. cap. 2. & 3. ac longe plurimi ap. P. Zacchiam lib 1. tit. 3. qu. 6. n. 7. Hofer. Herc. Med. lib. 7. cap. 3. p. m. 323. Rhodius C. 3. obſervat. 53. Sennert. Prax. l. a. & in quæſt.* analogum tamen quid tantum fuiſſe ſtatuunt alii. Imo ſunt qui impoſſibile credunt molam ſine viri conſuetudine illis accidere poſſe, uti *Iod. Lommius obſ. med. l. 2. p 94. b. Lud. Mercat. lib. 3. de morb. mul c. 8. p. m. 579 Galen. 4. V. P. 7. ap. Maſſar. itidem negantem Pract. lib. 4. cap. 5. f. m 261. Ariſtot. 4. G. A. 7. ap Fort. Fidel. Averroes ap. eundem: C. Hoffmann. Inſtit. Med. III. 126 1. Varandæus loco proximo. P. Zacchias quæſt. Med. leg. t. 3. qu. 5. & 6. Caranza & I. Heurn. de morb. mulier. capit. 6. Petr. Garcias diſp. de loc. aff. 73. capit. 4. & 5. Holler. ſchol. ad. lib. 1. de morb. int. cap. 61. & ad h. l. Ant. Valetius.* Longe plures vide *ap. P. Zacch. lib 1. tit. 3. qu. 6. n. 3.* una conſentientem *n. 8. ſeqq. Kyper. diſp. de generat. hom. §. 4.* Hinc *Galen. lib 14.* V. P. molæ comparit ova ὑπηνέμια, ſubventanea, *ut & Avicenn. Paull. & Aetius ap. Varand. lib. 2. de affect. mulier. cap. 5. è quo Caranza de partu cap. 17. n. 26. Fernelius* in hoc (imo in multis aliis, vide *Ant. Fernelium C. Hoffmann.*) ſibi ipſi contrariatur, *nam libr. 7. Phyſiol. cap. 1. & 6.* ſine maris congreſſu generari molam aſſerit. *At lib. 6. de part. morb.* ſibi contradicit, atque nullam unquam viſam fuiſſe mulierem ſine patre molam concepiſſe aſſeverat, *teſte Riolan. Hiſt. anatom. de part. genit. & fet. capit. 22 p. m. 358.* Neſcio quoque an abſolute poſſit credi, quando *CL. Rolfinc. Epit. libr. 3. capite 25. p. m. 361.* ait menſtruus ſanguis ſuo marte nunquam molam parit. In viduis & virginibus quæ generantur informes maſſæ: molæ perfectæ non ſunt, ſed rudes ſanguinis concretiones. Si contingat vitales apparere, ſuſpecta merito habetur pudicitia. Forte *ex Senert. prax. lib. 4. pag. 2. ſect. 4. c. 9. in quæſt.*

Verum in hoc valdopere cautos oportet eſſe Medicos; ne honeſtam matronam conjugem de adulterio faciant ſuſpectam (vide exemplum ap. *Fortun. Fidel. de relat. Med. lib. 3 ſect. 3. cap. 1.*) vel viduam aut virginem de ſcortatione. Nihil enim ejuſmodi ſtolidæ & morboſæ maſſæ commune eſt cum vero conceptu; qui φυσικῶς recte non fit abſque congreſſu virili. *Georg. Francus. c. 2.*

12. *In virginibus tale quid &c.*) Certiſſimum eſt mulieres abſque concubitu molas non gignere, non minus quippe ad illam procreandam quam ad veram generationem utrumque ſemen, tum maſculinum tum fœmininum requiritur: Nonnullæ quidem, nullo uſæ viro, prægreſſa hæmorrhagia uterina corpuſcula quædam aliena excludunt, quæ carnis ſpeciem præ ſe ferunt, quæ ſi accurate inſpiciantur, grumi tantum ſanguinis concreti eſſe deprehenduntur nulla conſiſtentia donata: vel contextu carneo aut membraneo, cujuſmodi in molis & falſis germinibus obſervantur, Quin & nonnullæ mulieres unoquoque menſe, una cum menſtruis, corpuſcula quædam extranea excernant, membraniformia, ac quodammodo carnea, quæ revera aliud nihil ſunt quam pituita mucoſa & viſcida, a calore loci, in ambitu partis interioris uteri condenſata, è quo per ſanguinis affluxum divulſa, una cum menſtruis expellitur: Nota mihi eſt mulier annos octo & viginti nata, quæ à novennio, unoquoque menſe, ejuſmodi corpuſcula expellit: Cum porro veriſimile mihi videretur mariti ſemen ad hanc rem ſymbolum conferre, utrique ſuaſi abſtinentiam à concubitu, per bimeſtre aut trimeſtre, quo mihi certo innoteſceret cauſa ſterilitatis, medelamque huic afferre poſſem; Cui monito cum paruiſſent; mulier tamen dicta ſingulis menſibus, una cum menſtruis ejuſmodi corpuſcula excernere perrexit: quapropter colligere mihi licuit idem puellis ac mulieribus accidere poſſe: Nihilominus ſi dicta corpuſcula extranea accurate conſiderentur nihil in iis deprehendere eſt viſis formam aut figuram referens; alias indubium eſſet argumentum ad illorum procreationem maris ſemen concurriſſe: impoſſibile quippe eſt partes organicas, cujuſmodi ſunt venæ & arteriæ, ex ſolo ſemine muliebri conflari: Eapropter in veratum molarum, & falſorum germinum ſubſtantia, plurimæ viſui occurrunt, quæ, ſicuti ante dictum, neutiquam generari poſſunt maſculino ſemine non adveniente. *Mauriceau.*

12. *In virginibus tale quid*) Citra congreſſum Molam concipi poſſe oſtendit *Iohann. Jenisch Med. Septentr. vol. 2. pagin. 152. obſervat. 6.* Ubi refert fœminam 34. ann. & x. liberorum, totidemque abortuum fere, nec non plurimum molarum fœcundam parentem: ante annos circiter XII. fœtus aliquot excluſiſſe vitales, ob impurum autem & ichoroſum, quo & parens ipſa, & hinc enatæ ſoboles ſcatebant, ſanguinem, plerique excoriata totius corporis cuticula, nondum abſoluto puerperio diem ſuum obierunt, ut ex ix. duas ſaltem conſervare potuerit ſoboles; Poſtmodum negotio concipiendi & pariendi natura defatigata aliquandiu vacare coacta eſt quæ nullis tamen remediis niſi anilibus ſuffulta, tandem ad incitas redacta nil niſi molas concipere, & ſingulis menſibus per ſeſquiannum, etiam abſente longo tempore marito, numero unam, duas, plures, imo plurimas acerbiſſimis pariendi doloribus, nimioque ſanguinis profluvio excernere molita eſt &c.

Prognoſes.

Secundum *Philoſophum c. 7. l. 4. de Gen. An. & Hipp. l. 1. de m. m.* interdum durat quinq; aut plures annos; ſæpe autem quatuor menſes; Et potiſſimũ bene eſt ſperandũ, ſi non eſt unica mola, ſed plures, nam ſi unica, magis hæret, & ad majorem magnitudinem perducitur; ita ut ſecundum *Paulum*, periculum immineat hydropis: Secundum *Hippocratem*, ſi mola eſt antiqua curatio nonniſi cum prædictione eſt ſuſcipienda. *Hier. Capivaccius, Pr. l. 4. c. 7.*

Viventis molæ difficilis eſt curatio atque excluſio, præſertim ſi illa in vetuſtatem inciderit: Si enim XII. menſes in mola exegerit, vix unquam curationem recipit, multoq; minus ſi eam ad tres quatuor aut plures annos in utero geſtaverit. Ratio eſt, quoniam molæ excluſio ſola uteri contentione ſuſcipitur, non enim moles hæc rotunda & ampla, iners & ignava, ad lucem viam affe-

ctat, ſicut fœtus qui ſuo conatu uterum in partu magnopere juvat, quia auram frigidam captare deſiderat; Mola igitur quæ in utero vivit, non alibi, nunquam ad aërem curſum inflectit; ſed ſola uteri virtute & collectione excluditur, ſi excludi poteſt, ſed hoc opus hic labor eſt: Quæ enim tanta eſſe poteſt oſculi & cervicis uteri amplificatio, ut per eum excludatur mola, præſertim vetus, quæ nonnunquam magnitudine ſua caput humanum ſuperat? Necare eam oporret, ajunt, At ego non video quibus artibus necari poſſit ſine vitæ mulieris diſcrimine, & ſi aliqua ratione enecata fuerit, nontamen facile erit ipſam enecatam excludi, ſicuti nec vivam: Præſtat ergo eam vivere, quam necari, ſi excludi non poſſit: Et cum in vetuſtatem magnam inciderit noliie ei curationem adhibere, niſi forte in ſymptomatum correctionem incumbatis, Mulier tamen illa mola defungetur ſi illa per ſe moriatur & fruſtulatim diſſolvatur, cumque moderato ſanguinis profluvio excernatur, ut ſcripſit *Hippocrates. Duretus Enar. in Holler. cap. 61.*

In [13] *Curatione* palmam obtinet.

I. [14] *Venæſectio*, ut molæ nutrimentum abſtrahatur, & quidem largior, ſi mulier eſt plethorica; parcior ſi non item, in talo vel poplite.

II. [15] *Purgatio* valida ac repetita.

III. [16] *Menſium apertio.*

IV. [17] *Chirurgia*, de qua vide Authores.

[18] *Præcautio* repoſcit.

I. Ne coitus nimis frequens ſit, præſertim in corporibus non ſatis robuſtis, propter debilis ſeminis generationem.

Ne inſtantibus, fluentibusve menſibus, aut utero in tempore laborante accidat.

13. *In curatione*) Præmiſſis earumque ſignis tam Dia-quam Prognoſticis aggredimur Curationem, quæ ſuas agnoſcit indicationes, Curatoriam nempe Præſervatoriam & Vitalem.

Curatoria ſuadet molam adhærentem depellendam & ex corpore una cum vitioſorum ſaburra humorum evacuandam, quod medicamentis fit laxantibus, vomitoriis, attenuantibus, menſes cientibus, & denique roborantibus.

Præſervatoria, cauſſas præcavendas docet, ſi corpus impuritate multa ſcatens purgetur, uteri tollatur intemperies, vel ſi extemplo mola, antequam tenacius adhæreſcat, inque nimiam producitur magnitudinem emendetur & ad exitum promoveatur.

Vitalis denique, partes læſas roborandas, vireſque amiſſas ſumma cum induſtria reſtaurandas, fit partim alimentis corroborantibus adhibitis, partim ſedula diætetica obſervata vita.

Habito itaque reſpectu ad cauſſam unde initium & originem ſumſerit mola, remedia ex triplici, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico deſumenda fonte.

Remedia inter heroica, quæ ex penu chirurgico depromimus, palmam non immerito aliis venæſectio (quam probat *Holler. Rolfinc. Sennert. l. a.*) præripit, & maximi alias in medicina uſus. Hæc vero an ſit inſtituenda in noſtra mola, dubitandum ferme, cum tamen paſſim notum ſit, quod ſi motu, quantitate, vel qualitate ſanguis peccet, commode in uſum illam vocari, Alimentum enim molæ ſubtrahit; quo ſublato, melior hinc illius ſequitur exitus.

Quamvis vero juxta Harvejana principia nullus ſit in ſectione venarum animadvertendus ſelectus, non omnino tamen cum *Excellentiſſ. D. D. Præſide ſat. med. Conti 1. §. 3. ut & Excentiſſ. D. D. Wedelio, Profeſſore Jenenſi Celeberrimo, Præceptore ac Patrono ad urnam uſque Colendo in Theorem. medic. part. 5. ſect. 2. p. 161.* negligendam eſſe autumo.

Secari ergo poteſt Vena Saphena, vel in talo vel in poplite, quæ ſecundum veteres prærogativam menſes educendi, molam expellendi, & quiſquilias uteri mundandi efficaciam obtinet, vel ſi nimis profunde jaceat, & hinc periculum metuendum eſſet, loco hujus, pollicaris, *Rolfinc. in conſult. p. m. 902.* aſt ſi plethora & ſanguinis urgeat plenitudo, in majori copia ſanguis mitti, locoque adjumenti brachii ſ. cubiti vena ſecari commode poteſt, ſin minus, in venæ ſectione ſaphenæ acquieſcendum ducimus.

Cucurbitulæ ſcarificatæ loco Venæſectionis nonnunquam adhibeantur, & quidem laterali regioni, ſic enim ſanguine ſeu nutrimento attrahendo molæ, & educendo, multum ad decrementum ipſius faciunt.

Locum etiam inveniunt ſiccæ non ſcarificatæ flamma imbutæ & femori applicatæ, ut & frictiones, ſanguinem ad partem alienam cientes & ita craſſos alias humores in utero ſtagnantes avertentes, præcipue crurum doloriferæ *vid. Guerner. Rolfinc. in epiſt. p. 363. & in Conſult. p 903.*

Fonticulus, mola jam edita, egregiam etiam præſtat operam, remora enim vitioſorum, pituitoſorum & viſcidorum in uterum fluere geſtientium humorum exiſtit continua, ne malum de novo radices accipiat altas, *Rolfinc. l. 11. conſ 3. p. 903.*

Tandem nec operatio oblivioni danda manualis, medicamentis hinc tam è Chirurgia, quam Pharmacia adhibitis, ſi nil efficitur, menſiſque à conceptione jam undecimus adeſt, illa ad manus ſumenda, aſt conquerendum, quod plurimæ laborantes mola, neſcio quo ex pudore, aut obſtetricum inhibitione nimis ſibi fidentium, Medicum non prius in conſilium vocent, quam cum fere de re actum ſit, & demum implicatis Medicum manibus prius vili penſum, anxie rogent, velit illis auxiliatrices præbere manus, earumque tollere affectum, cum minori antea vitæ diſcrimine curatio fieri potuiſſet.

Perficitur vero, & quidem manu Chirurgi periti, res enim omnimode difficilis, & plenum opus aleæ, ut manum duntaxat peritam facilemque deſideret, vel inſtrumentis tam inciſoriis, ut forcipe, curvato cultello *Parei l 23. cap. 26.* depicto; vel attractoriis, ut pede gryphio *ejuſd. l. 23. cap. 36.* uncis non admodum acutis, tam majoribus, quam minoribus, hinc & inde in libris delineatis chirurgicis *Conf. Holler. l. 1. de morb. int. c. 61. & præcipue Pareum l. 23. c. 35. ac Sennert. l. c.* lubet etiam afferre, *P. Ammanni l. v inſtitut. med. p. 1. ſect. 3. cap. 11. p. m. 41* ſententiam: *molā extrahere* inquit (*ſi prius conſtiterit, quod mola certo ſubſit in utero; ſed quis aſſecurabit, quod mola inſit in utero?*) *haud enim difficile, raro tamen hæc operatio, quantum nobis notum, ſuſcipitur, partim. quia ægrotantes non facile conſentiunt, partim etiam quod Medici de exiſtentia ſunt dubii. Nam, quod quidam hanc operationem exinde pronuntiant difficilem. quia mola in utero habet ſitum tranſverſum* (vveil daſz Gevvæchſe die

die Querc ligt, *ideo non poteſt extrahi, hi ſane ſunt ridiculi. nam idem pronunciare poſſem de ſitu tranſverſo fœtus, & tamen non procedit hæc argumentatio.*

Ex fonte pharmaceutico primum obtinent locum Lenientia, quippe quæ quiſquilias vitioſorum ſtagnantium humorum reſpiciunt, torpida enim natura ſtimulo opus habet, inutili hinc mole remora & evacuata, reliquis commodior paratur via, e. g.

℞. *Salis tartari*
artemiſ. ana gr. vi.
rad bryon. ℈ß.
elæoſacch. cinnam. gr. iv.
M. F. l. a. pulv. S.
Ervveich Pulverlein.

Detur mane hora 8. in cereviſia calida, vel juſculo tepido.

℞. *Conſerv. borrag.* ʒj.
meliſſ. ʒij.
ſpec. diacalamenth. Fernel.
hier. Galen. ana ℈ij.
fec. bryon. gtt. vj.
olei fœnic.
cinnam. an. gutt. ij.
ſirup. roſ. laxat. q. ſ.
M. F. l. a. Bolus S. Laxir biſſen.

Præparantia talia eſſe poſſunt.

℞. *Rad. bryon. pimpinell. helen. rub. tinct.*
dictam. an. ʒij.
herb. artemis matricar. meliſſ. an. mj.
fl. matricar. calend. chamom. rom. cheir. ā. p. j.
ſem. ammeos ʒj.
bacc. laur. ʒij.
anthophyll. ℈j.
caſtor. ʒj.

Coqu. in ſ. q. vini, Colatur. ℞. ℔j. *add. ſpirit. aperitiv. Penot.* ℥ß. *ſirup. de cichor. c. rhabarb.* ℥j. *M. F. l. a. Potio. D. in vitro S.* Prœpatir Frœncklein auff 4. mal.

℞. *Aqua puleg. artemiſ. comp. hyſteric. Sennert.* āā. ʒij.
ſirup. byzantin. ʒiß.
elix. uterin. Croll. ℈ß.
ſpirit. aperitiv. Penot. ʒiß.

M. Fiat Hauſtus. S. *œffnungs Francklein. auff 1. mal.*

Strata ſic via progredimur ad purgantia, duplici nomine cacochymia minuendo, & expulſionem ſtimulando, proficua *vid. Rolfinc. l. c.*

℞. *Pulv. jalap. reſinoſ.* ℈j.
ſpec. diaturb. c. rhabarb. ℈ß.
cremor. tartari ℈j.
reſin. ſcammon. gr. iv.
olei aniſ. gutt. ij.

M. F. l. a. pulv. S. *Purgir Pulver auff 1. mal.*

Vomitoria etiam non parvi æſtimanda. habent enim vim vitioſos expellendi humores, & commotione fortiori quam cauſſantur, molam ejiciendi. *Rolfinc. conſult. 3. l. 11. p. 904.*

℞. *MP. de fumar. gr.* vi.
Mercur. vitæ gr. iv.

M. F. l. a. pill. n. 10. S. *brech Pillulen.*

℞. *Conſerv. meliſſ.* ʒj.
cryſtall. Tartar. gr. vi.
Mercur vitæ gr. v.
olei macis gutt. j.

M. F. l. a. Bolus S. *brechbiſſen.*

Holler. de morb. int. lib. 1. cap. 61. (utut obſtet Duretus ad h. l.) primo utendum eſſe mollientibus, è capite de ſcirrho; dein deveniendum eſſe ad menſes & lochia moventia, fœtum mortuum, ſecundinas & molam expellentia e. gr.

℞. *Fl, croc. cotul. fœtid. chamomill.* āā. ℈ß.
caſſ. lign. coſt. arabic. aſ. fœtid. ſuccin.
caſtor. teſtic. equin. an. gr. xv.
borrac. venet. ℈j.

M. F. l. a. Pulvis. S. *œffnendes Pulver auff 4. 5. mal.*

℞. *Rad. bryon. gramin. dictam. cret. eryng.* āā. ℥j.
herb. calament. adianth. nigr. meliſſ. āā. mj.
flor. chamomil. meliſſ. ana. mß.
ſemin. nigell. fœnic. ana. ℥ß.
galban. cinnamom. ana. ℈j.
caſtor. borrac. venet. ana. ʒj.
Coqu. in ſ. q. vini opt. Colatur. ℔iiß. *add.*
ſirup. de calamenth. matricar. ana. ʒj.
M. F. potio.

Exterius denique conveniunt ſternutatoria potiſſimum, de quorum vi. *Hippocrat. v. aphor. 25. ap. Corbei. & potiſſ. Henricum ab Heer obſervat.* Balnea poſt purgantia adhibita ex emollientibus, , uterinis, ſacculi ex iiſdem cocti & expreſſi, ventri impoſiti, inunctiones colli matricis, cum oleo lil. albor. chamom. irino &c. fumus matrici immiſſus, ex ungulis aſininis, aſa fœtida, peſſi uterini, ex cera, caſtor. helleb. vel colocynth. Amuleta ex aëtite, vid. *Magnif. D. D. Bauſch. tr. peculiar.* ſmaragdo, jaſpide, bardana pedi alligata &c. ſecundum quoſdam.

Vltimo corroborantia tam ante, quam poſt molam excluſam non negligenda, ut aqua cinnam. apoplect. Ruland. Cordial. Herc. S. &c.

Externe balſama, lavend. anth. de Carabe, Sin dolores urgeant, ut & fluxus ſanguinis, opiatis ſuccurrendum v. g. confect. anodyn. laud. opiat. balſ. vulnerar. Mœbii, pulv. ſtipt. *Excell. D. D. Wedelii.*

Diæta.

Agmen denique claudit Diæta, Aër non ſit craſſus, pluvioſus ac nebuloſus, ſed clarus, pellucidus, calidus ac ſiccus; quippe qui Spiritus roborat, ac corpus vegetum, frugiferum reddit, hic ſi non eſt, effluviis odoriferis pro cujuſque natura comparandus; vitetur ventus auſtralis & borealis.

Cibi eligantur εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι, facile in ſuccum & ſanguinem convertibiles, corpus reficere vacillans apti, victus ſit moderatus ac tenuis, omnis vero exceſſus exulet; vitentur crudi, flatulenti, viſcidi, glutinoſi, oleracei, pingues, acidi, ſic fructus horarii, qui plerumque ſuccos craſſos continent, non adhibeantur, cibi vero calidi, ut juſcula, aliique concoctu haud difficiles optime aromatibus conditi ſeligantur, *Rolfinc. l. 12. conſult. 3. p 908.*

Potus ſit cereviſia bene defæcata, cocta & uterinis medicata. Vinum non inhibetur, modo exceſſus abſit, ſic etiam egregium conſtituit potum, ſi cum galbano, Zedoaria cinnamom. galang. aromatiſetur, *conf. Mercat. l. 3. de morb. mul. c. 8.*

Excrementa alvina, menſtrua reliquæque corporis purgationes rite ſuccedant, ſin remaneant, quælibet appropriatis remediis adjuvandæ.

Somnus & vigiliæ ſibi invicem reſpondeant, ſomnus enim nimius humores reddit torpidiores, hacque ratione morbi promovet cauſſam; aſt vigiliæ corpus nimis debilitant, ut in expellenda demum mola, officio ſuo fungi rectè nequeat.

Motus ſit mediocris & ante paſtum, præcipue convenit fortis poſt vomitoria, purgantia & ſpecifica aſſumpta, diſrupta enim ſic vincula exitum molæ concedunt liberum.

Animi pathemata, ira, triſtitia, metus, imaginatio, libido, fugienda, ægra interim erigenda, animo ut confirmato ſanitatem expectet, vitaque diætetica ſancte obſervata una adjuvet.

13. *In Curatione)* Author fuerim ne quis unquam in exſtimulanda mola ſit audacior, nã obſervavimus frequenter in praxi, ordinarie naturam ipſam, poſt tres circiter menſes, quaſi pœnitentem operis incœpri, inertis & fruſtranei, excretionem talismodi motu proprio facere

recluſis menſium portis, & ceu nimbo profuſis: Deinde facilis eſt error in diagnoſi, unde ut in dubiis alias mitiorem & tutiorem ſequimur viam, ita multo magis id tenendum ubi de vita hominis agitur: Niſi ergo natura ſimul ſe excretioni accingat, fruſtra erit ille ſtimulus: *Wedelius Am. m.m.p.430.*

Hanc Molam ipſa natura per ſe expellit, & ut fortius id peragat, roboranda eſt *aqua cinnam.* ſæpius aſſumpta, Et *ſale vitrioli* quod uterum excitat ad ejiciendam hanc molam & ſanguinem menſtruum fortius expellendum, quo tempore natura facilius ac potentius ad extirpationem & ejectionem illam inſtigatur. *P. J. Faber.*

Ad Molam feliciter exterminandam non immerito *Faber* requirit naturæ (hæc enim tunc ſola agere & ab hoc onere expedire ſe debet) robur, quod mire ſuſtentat; aut, ſi labebactarum ſit, inſigniter refocillat cinnamomum, & quidem exinde cum *vino Hiſpanico deſtillata aqua*, cujus beneficio ſpiritus maxime recreari notum; adde quod potentem quoque aperiendi, menſeſque movendi ac partum accelerandi vim obtinet: Loco *aqua cinnamomi, ol. ejus ſtillat.* commode ſubſtituitur datum ad gtt. i. vel ij. in vehiculo quodam generoſo.

Quibus virtutibus *ſal vitrioli*, & cum illo nobiliora emetica quævis in affectibus muliebribus polleat, alias dictum: adeoque hoc medicamen eandem ob cauſam expellere molam, quæ menſes provocat, aut partum difficilem facilitat, collectu facillimum eſt, Præcipue vero non negligenda eſt cautela, Nempe in educendis molis omnino debitum tempus, quod mulierum ſacris deſtinavit natura, expectandum, atque tunc occaſio menſtrua fortius promovendi, & per conſequens Molam quoque exturbandi, ambabus manibus arripienda venit. *Chr. Langius.*

13. *In curatione*) Mola, ut ſubſtantia toto genere p.n. indicat eradicans *c.13.l.14.m.m.* Sed quia nō cedit remedio eradicanti ob duritiem, & craſſitiem indicat molliens & attenuans; Et quia his tuto uti non poſſumus, niſi totius rationem habuerimus, neceſſario toti proſpiciendum. *Capivaccius.*

Curatio vera eſt ſanguinem mittere, partes internas relaxare, & externas etiam, fotibus &c. Omnia agere his contraria quæ dicta ſunt cap. de retinendo fœtu; i. e. fortiter corpus movere, ſaltando &c. utantur aperientibus & fœtus mortuos, aut ſecundinas reiicientibus. *Rondeletius.*

13. *In Curatione*) Ante Balneum Venter illinatur probe cum *vino malvatico*, Si fœtus adeſt, corroborabitur, Sin minus magnam copiam vitioſorum humorum per uterum expellit, quod ſæpe probatum eſt, *Ortolph. Maroldus Pr. p.281.*

Mulier 50. annor. ultra tres annos molam in utero geſtabat; Hanc fœtidam, ingentem, enormis cucurbitæ inſtar, XX. librarum pondere, quæ nullis antea remediis expelli poterat, beneficio *ſpiritus ſalis ammon. ſalſi Zwelferi, in Append. Animales. pag.53.* deſcripti, præmiſſo laxativo, feliciter exturbavi, muliere ſuperſtite. *Alphonſus Kohnius Med. Sept. vol.2.p.153.*

13. *In Curatione*) Primis menſibus curatur, procedente tempore aut nunquam, aut difficile admodum, quoniam vehementius utero adhæreſcit, & quoniam major mola ægrius extruditur, Verum curationem aggreſſus, voti compos fui victum adhibens extenuantem, ex boni ſucci alimentis aridioribus, & vini odorati potu, aut *aquæ cinnamomi*, exercitationibus, geſtationibus, ventris leniſione ex menſium provocatione: Purgare vero corpus præcepi *electuario Eleſcoph in decocto pulegii* & vidi molam excretam in pelvi in qua inſidebat fœmina, ut *vaporem decocti calaminth. & artemiſ.* reciperet: Proderant in eum uſum *ſyr. de artem.* cum *decocto gentianæ* & *marrubii*, aut *decocto artemiſ. centaur. ariſtol. gentianæ, pulegii & thymi, in vino*, aut inſeſſio in eodem, aut Fotus ſimilis &c. *Chr. à Vega.*

13. *In Curatione*) In Curatione obſervandum Molæ excluſionem fluxum ſanguinis ſequi, quem ſinere oportet, dum ſatis effluxerit; Si modum exceſſerit, & vires debilitarit, iis remediis debet cohiberi quæ ad nimium menſtruorum fluxum præſcribuntur. Vires reficiendæ alimentis euchymis eupeptis polytrophis, & cardiacis, ut juſculis & carnibus juniorum animalium, tum medicamentis, ut *confectione alkermes, theriaca, diamarg. pulv. de gemmis &c.* Dolores quoque anodynis mulceantur, quæ emollientia ſunt. *Primiroſius.*

14. *Venæ ſectio*) *Avicennas* ſecat venam cubiti & pedis quia ſcil. ſanguis redundat in fœmina, & habet urgentis rationem, nam cum oporteat calidis uti, poſſet fieri ad uterum attractio à toto, unde in eo excitaretur inflammatio, Per V. S. etiam adimitur etiam alimentum molæ, quæ ſanguine nutritur, Et cum per phlebotomiam moveatur mola, non ita reſiſtit expultrici: Secantur autem venæ ſupernæ & infernæ, propter ſanguinis ſubſiſtentiam ſupra & infra uterum: *Hippocr. 1. de m.m.* probat *Cucurbitulam ſcarificatam* applicatam utero ad laterum mollitudinem, & probat detractionem copioſi ſanguinis, quia reſpicit ſanguinem circa uterum exiſtentem, qui aſſiduo attrahitur à Mola pro nutritione; quo fit ut cum copioſus ſanguis attrahatur, copioſ9 ſit evacuandus, & præſertim quia medici eſt inſtitutum ne mola nutriatur, ſed privetur ſanguine, Applicat vero ad laterum mollitudinem, propter ſanguinis ſubſiſtentiam circa uterum. *Capivaccius l. c.*

15. *Purgatio valida ac repetita*) Ex *diaphœn. diacarth. pilul. fœt. hiera picra, diacoloc.* cum portione *caſtorei, & ſimil.* Purgantia enim fortiora ſicut deturbant fœtum ita & molam: *Clyſteres* quoq; proſunt, 1°. emollientes, deinde etiam acriores, ex *decocto azari, bryon. ariſt. dictamni, artemiſ. ſabinæ*, &c. Cum enim experientia doceat plurimas inſigni vacuatione, ut dyſenteria & hæmorrhagia liberatas fuiſſe, ideo commodum eſt uti purgantibus, apozematis, pilulis, pulv. Clyſter. Sic refert *Ariſtoteles 4. de G. An. 7.* quandam mulierem poſt dyſenteriam periculoſam ejeciſſe molam. *Primiroſius de m.m. l.4.c.5.*

15. *Purgatio valida*) Vomitoria etiam & ſternutatoria conferunt, quia in his duobus violentis motibus comprimitur abdomen & per conſequens uterus: *Enchir. Med. Pr. pag.307.*

16. *Menſium apertio*) In abigenda Mola omnia ea conveniunt quæ menſes fortiter provocant, aut difficultati partus potenter medentur, eamque ex ſententia facilitant; multo magis vero iſta quæ fœtum mortuum, qui ob cooperandi defectum molæ oppido reſpondet, ſtrenue protrudunt. *Eſſentiam ſabinæ* in hoc caſu tanquam validum nos commendamus, intentionem iſtam ex voto conſequendi adminiculum; quam eo præſtantiorem impetrabimus, ſi menſtruum, v. g. *ſpiritus vini* optimus probe acuatur cum *borrace Veneta*, quę ſalis ſpecies inter potentiora emmenagoga principatum ſibi vendicat: Vehiculum autem cumprimis appropriatum, *aqua artemiſiæ compoſita*, cum *ſyrup. artemiſ. compoſ.* indubitatum præſtat. *Chriſt. Langius.*

Commendantur ea quæ ſecundinas ejiciunt, Pilulæ comparatæ *ex galbano, aſa fœtida, opopan. ammon. & myrrha, caſtoreo, bdellio ſabina malaxatis cum melle*, Doſis ʒj. alternis diebus; Pulvis ex *cinnam. myrrha ariſtol. longa*, &c. Ad eundem effectum excipietur in utero vapor per infundibulum: excitatur è trochiſcis factis ex *galbano, opopan.* in corporatis cum *felle bubulo* & ita prunas ardentes conjectis: Et admovebuntur pudendo Peſſaria ex *ammon. Opopan. ariſtol. rot. pulpa colocynth.*

Fotus fiunt ex remollientibus decoctis in *aqua & oleo*

oleo violac. vel in *decoct. omazor.* A Fotu adhibebitur *Litus*, vel *Cataplaſ. remolliens.* Imprimis autem *Balnea* conveniunt, in quibus non ſolum remollientia incoquantur, ſed etiam quæ menſes provocant, ut *rad. ariſtol. rub. tinctor. fol. artemiſ nepeth. menthæ, abſynth. abrot. rutæ, origani, calam.* & in ingreſſu balnei commode ſumitur ʒj. Pilul. prædictarum, *Enchir. Med. Pract. pag. 307.*

Molam, fœtumque mortuum, nihil æque certo ac feliciter exigit quam *pulvis ſecundinæ*, de quo *cap.* vii. *de Philtris.* Datur & ſæpius repetita dozi, ſi non reſpondet prioribus ad ʒi. ex *aqua gentianæ, artemiſ. rub. tinct. rad. urticæ, pulegij* aut *vino*, præſertim *malvatico*. Verum memineris ſemper aliquid *aquæ cinnam.* addendum eſſe, Sic multas ego, etiam nobiles fœminas liberavi, ubi multi eruditi medici deſperabant. *Joh. Hartmannus Pr. Chymiat. cap. 215.*

Ad molam abigendam quidam magni æſtimant *ſecundinam hum. ovis & capræ pulveriſ.* in vino ſumptam. *Rolſinkius Epitom. l. 3. c. 25.*

Secretum non datur felicius quam pulvis ſecundinarum in *aqua artem. Grulingius Pr. l. 4. c. 1.*

Pilulæ hæ mire efficaces ſunt.

℞. *Semin. nigellæ, rad. ariſtol. rot. dictamni cret. ſemin. naſturt. ſylv. fruct. Sabinæ. ſerapini, ſemin. rutæ, ammon. thymiam. rub. tinctur. myrrhæ, caſtor.* ā ā. ʒi. *m. f. Pilulæ cum ſucco raphani ſylv. & melle*, Doſis à ʒß. ad ʒj. *Jacobus Ruef l. 4. c. 12.*

℞. *Ol. amygd. d.* ℥j. ß. *ſeſam. vel aneth.* ʒi. *mellis vel ſacch. cochl. 1. rad. filic. fœm.* ℈i. *fellis bovis parum, detur mulieri in balneo* validiſſimum hoc eſt ad extirpandam molam. *Euſtach. Rudius.*

Quidam *folior. virid. leviſtici ſuccum expreſſum cum vini* cyatho propinabat; Idem faciunt & *ſemina ejus in aqua artemiſ* bullita, expreſſa & propinata. *Pet. Foreſtus.*

In expreſſione Molæ *ſal vitrioli* valde laudatur, hoc modo.

℞ *Eſſentia croci gr.* vij. *olei ſuccini* ℈ß. *boracis ven.* ℈j. *ſal. vitrioli* ℈ß. *aqu. cinnam.* ℥j. *meliſſæ* ℥ii, miſce. *Agricola comm. in Poppium p. m. 455.*

Zacutus obſerv. 155. lib. 2. Pr. adm. ad ejiciendam ex utero molam præſidium electum proponit.

17. *Chirurgia*) Ad quam temere non eſt deveniendum, niſi Mola ab utero & ligamentis laxata & divulſa fuerit, adeo ut ad os uteri declinet, alias periculum eſt ne noxa utero inferatur, ne laceretur, diſtorqueatur, aut inſignes ſuccedant hæmorrhagiæ; Nam ſæpiſſime mola adhæret utero, nec inde facile avelli poteſt, imo & per totam vitam interdum geſtatur. *Primiroſius.*

Non eſſet inutile cutim, ſi in orificio appareat, novacula aut alio inſtrumento diſſecare, deinde ea ratione curare qua uſi ſumus in ſecundina adhærente, ex putrefacientibus, vel arrodentibus. *Rondeletius.*

18. *Præcautio repoſcit*) Jam excreta Mola cavendum ne ſimilis redeat affectus, quod fiet blanda purgatione, emendatis uteri morbis, ſi qui adſint ut obſtructionibus, intemperiebus, aliiſque, Tum roborato, utero, ſed potiſſimum ſit rarior coitus, quia frequens ſemen reddit debilius; atque nec fluentibus menſibus nec inſtantibus fiat. *Primiroſius.*

Diæta.

Victus ratio ad calidum & humidum decliniet, Conſtituatur patiens in cubiculo ſub obſcuro, in quo aër ſit temperatus, nutriatur cibis modicis ac boni ſucci, ſomnus etiam ſit moderatus, alvus ſingulis diebus fluat, vitet animi affectus, exerceatur. & quamvis *Altomarius*, & *alii Pauli* & *Avicennæ* authoritate exercitium partium inferiorum vetant, quia motus fluxionem concitat, notandum eos non advertere *Paulum* ibi eam molam curare, quæ, juxta ipſius ſententiam tumor p. n. eſt induratus in vulvæ oſtiolo, ac prolabi non poteſt, imo ad motum augeatur, prolabentibus humoribus; At cum vera mola exercitio interdum avellatur, non eſt quod illud impediamus; Exercitatio quidem prohiberi poteſt initio, dum adhuc corpus plenum eſt, ne plures menſes deſcendant, & materia fiant qua mola augeatur, ſed non interdici debet corpore jam evacuato, & in fine curationis. *A Caſtro.*

Differentiæ.

19. *Differentias* in obſervationibus medicis vide. 20. Maſſa enim hæc non tantùm eſt ſine oſſibus & viſceribus: ſed 21. interdum membranoſa eſt magis, viſcida, tenax 22. nec ferro cedens: interdum formam longam, rhomboidem: &c. refert: 23. interdum omni vitâ deſtituitur, interdum plantæ vita vivit: interdum ſine fœtu 24. cum fœtu, 25. poſt fœtum, excluditur, & excluſionem 26. dyſenteria nonnunquam præcedit.

19. *Differentias in obſervationibus medicis vide*) Aggredimur Differentias, ad methodum curandi non parū valentes Qualem vero Molam intelligere velim, ex ſuperioribus conſtat, veram vi: & proprie ſic dictam.

Quædam ergo informes, ſine fibris, membranis, oſſibus & viſceribus: quædam cum his maxime intertextæ & obductæ, tam viſcidæ ac tenaces ut vix duritiei cederent ferri: *Nic. Fontanus Anal. cap. 5.* refert calculum molæ cuidam adnatum. *Th. Bartholinus, cap. 4 h. 84.* refert molam quæ caput ovillum maxima ſimilitudine referebat, forma & magnitudine: dentes multi in maxilla prominente, piloſa cutis urſina & oculi ovilli, ſed ſine ſenſu ullo, vita caſſa.

Nunc hanc, jam aliam ſimulant formam, quædam rotundiformes, oblongæ, figuram nucis juglandis, capitis humani, cucumeris, ovi, ventriculi, catellorum, murium, ranarum, cancrorum, membri virilis, renum &c. repræſentaſſe, deprehenſæ, juxta *Joh. Schenck. obſerv. medic. l. 4. p. 612. pro imaginationis ſcilicet, vel confluxus aut uteri varietate, præſertim accedente rerum conſenſu externarum.*

Ut plurimum ſine motu ac vita ſunt, vivarum tamen & in terram prolapſarum, quaſi tripudiantium, varioſq; vitales præſtantium motus haberi poſſunt exempla apud *Salmuth. in obſerv. med. 98. cent. 3. Gregor. Horſt. epiſt. med. p. 410. & 449. Joh. Schenck. obſerv. med. l. c.* plures ſpecies molæ haberi poſſunt ap. *Joh. Arculan. Comment. ad c. 108 de mola, libr. 9 ad Almanſor. molam tradentem carnoſam, ventoſam, aquoſam & humoralem, Donat. Hiſt. med. mirab. l. 4. p. 457. ſeqq. Hildan. cent. 2. obſerv. 53. p. 220 Rhaſis in continet. 15. c. 4.*

Quoad numerum modo una, ut jam ſuperius monitum, quod frequentius, modo plures ſimul molæ excernuntur, *vid Senert. Med. pract. lib. 4 part. 11. ſect. 4. p. 328. Sic. Bened. Silvaticus Cent. 4. obſ. med cap. 53. ſcribit Comitem quadragenariam plures quam centum quinquaginta molas unico partu edidiſſe.*

Quantitate itidem variant, ad tres enim, quatuor, 5. 10. perveniunt libras, imo 20. qualem Spiritu Salis armoniaci cum Sale tartar. parato Zvvelfferi, *Excellentiſſ.*

D.D. Alphon. Khonn, Phyſ. Vlmenſis Celeberrimus Fautor ac Patronus maxime Colendus expulit, *confer Mercat. l. 3. de morb. mulier. c. 8. Hildanus c. 2. obſ. 55.*

Tempus etiam diſcrepat, quædam ante partum, (ita *Hildan. cap. 2. obſerv. 54. meminit fœminæ ſeptimo menſe molam; nono filium diu incolumem edentis:* cum partu & poſt partum *Hildan. l. a.* quod frequentiùs fieri aſſolet, excluduntur, ita nonnullas tertio menſe, 7. 12. fuiſſe editas legitimos totos 17. annos molam aliqua circumtulit ap. *Pareum lib. 23. cap. 34.* quaſdam per tres, quatuor. 10. & 20. annos in utero, imo uſque ad extremum vitæ, quod maxime verificatur de Carnea ventoſa *vid. Johann. Arculan. pag. 349*, rationem addit *Laurentius cap. 11. quæſt. 15. pag. 316. ex Ariſtotele, quia cum non ſit animal, nullum ciet motum, neque uterum ſollicitat puer, qui calcitrando exitum quærit, deinde non ſpirat mola, nec aëre indiget, non ergo eum appetit ad exeundum.* De differentiis legi quoque meretur *Mercat. l. 3. de morb. mulier. c. 8. Corn. Gemma l. 1. Coſmogr. c. 6. Sennert. prax. l. 4. p. 2. ſect. 4. cap. 9.*

19. *Differentias*) Nonnulli plurimas molarum differentias conſtituunt, quod quædam ſint aqueæ, quædam flatulentæ, aliæ membraneæ vel carneæ; Nonnullæ informes, cujuſvis figuræ determinatæ expertes; aliæ ad humanam quadamtenus accedentes; imo ſenſu & motu obſcuro donatæ: At admiſſa definitione ſuperius tradita, ſolummodo pro genuinis molis agnoſcimus corpuſcula illa extranea carnea, uteri cavo concluſa, à propria hujus ſubſtantia omnino ſeparata cui una tantum ſui parte cohærent, è qua alimentum capeſſunt: Ideoque definitionem Molæ ab *Aetio* dictam non admittimus & *Paulo*, quam ſtatuunt Tumorem eſſe uteri induratum, genitum, juxta *Aetium*, vel à prægreſſa aliqua inflammatione, vel ulcere cui hyperſarcoſis accrevit, Cui *molæ* nomen inditum ratione molis & inſignis gravitatis: At hæc definitio Schirro potius competit, & ulceri cui adnata carnea excreſcentia, quam veræ Molæ. Flatuoſa autem ad Hydropem uterinum referenda: Si vero quod intra uterum continetur motu aut ſenſu animal donatum fuerit, Monſtrum id potius dicatur quam mola. *Mauriceau.*

19. *Differentias in obſervationibus medicis vide*) Naturam fœminarum non raro à deſtinato legitimi Fœtus opere ob varia impedimenta aberraſſe teſtari poterunt tam variæ Molarum differentiæ, quarum aliæ repræſentarunt *Figuram cordis*, pericardio incluſi cum baſi. *Thom. Bartholinus centur. 3. hiſtor. 1.* Aliæ figuram *Stellæ marinæ* arboreſcentis. *Platerus in obſerv.* Aliæ *urticam marinam. Lemnius de O. N. M lib. 1. cap. 8.* Aliæ *fungum*, ſeu *manum complicatam*, apud *Hildanum cap. 2. obſerv. 52.* Aliæ *bulbum*, apud *Panarolum Pent. 4 obſerv. 46.* Aliæ ad magnitudinem *gallinæ*, in qua caput figuratum, cum *roſtro* in ſimilitudinem aquilæ cujus figuræ cauſam *Cronenburchius* rejecit in monſtroſas tales imagines in cubiculi camino ſculptas, *Foreſtus libr. 28. obſervat. 61.* Aliæ *membrum virile*, apud *P. Salium Not. in Altim. cap.* 112. Alia *globi inſtar membranoſi flatuoſo ſpiritu turgens*, pellucens ut facies *Lunæ*, unde partus lunæ dictus *Car. Piſo de Morb. à ſero, p. 322.* Alia quę *caput ovillum* cū dentibus in maxilla prominentibus, cum piloſa cute & oculis ovillis, apud *Bartholinum capit. 5. hiſtor. 84.* Alia *pyriformis*, intus villoſa, exterius lævis, qualis mulieris Hebrææ apud *Petr. à Caſtro in obſervat. M. S.* Aliæ *Scarabæos cornutos & mures*, apud *Salmuth. cap. 1. obſervat. 65.* Imo quædam quaſi viventes inſtar Zoophytæ, qualem *M. Gattinarſa c. de mola* deſcribit, *Tincæ piſci* non abſimilem, erinacei inſtar ſeſe complicantem, ſimilemque à *Salmutho cap. 3. obſervat. 98.* deſcriptam figura oris lati, qualis cyprini piſcis, abſque cavitate tamen, cum duobus nigris punctis inſtar ocellorum, quæ in terram prolapſa non palpitavit modo, ſed & varie ſe commovit, ac inſtar piſcis ſe convolvit. Obſervavit & *Zacutus* mirandam carneam, humani capitis magnitudinem ſuperantem, in cujus medio tres oculi, quæ aquæ injecta duobus diebus ſupervixit. *Med. Sept. vol. 2. pagin. 70.*

20. *Maſſa enim hæc*) *Interdum ſimplex, interdum multiplex eſt, Si mola,* inquit *Hippocr. 1. de m. m. una caro fiat mulier perit, neque enim fieri poteſt ut ſuperſtes maneat: Si vero plures, erumpit ipſi per pudendum ſanguis carnoſus plurimus, Et ſi hoc moderate fiat ſervatur, ſin minus à fluxu correpta perit*, Id conjugi meæ accidit, (vide infra §. *cum fœtu*) quam ſervatam arbitror, quod magna molæ illius carneæ pars, una cum ſanguine putri intermiſta, per fruſta prodiens, allevationem laboranti attulerit, Prodibant namque trumbi ſanguinis carnoſi atque cum multa ſanguinis profuſione: Si enim, ut vult *Hippocr.* mola una caro fuiſſet, id eſt (ut ego interpretor) ſi in univerſum in ſe coacta tota integra maneat, nec fruſtatim prodeat, fieri nequit ut ſervetur ægra, quod propellere integram nequeat, & prius deficere vires quam tam diro & gravi enixu, quam ſolvi molam ſit neceſſe. *Valleriola l. c.*

21. *Interdum membranoſa eſt magis &c.*) Mola expers eſt ſecundinæ & funiculi umbilicalis appenſi, quæ legitimo fœtui ſemper conceſſa ſunt: illa enim utero adhæreſcit, quapropter ex hujus vaſis alimentum capeſſit: Involvitur quinetiam nonnunquam integumento membraneo, intra quod continetur carnea quædam maſſa plurimis vaſis intertexta; Magnitudinem & conſiſtentiam majorem aut minorem obtinet pro copia affluentis ſanguinis & varia hujus diſpoſitione, Sicut & ratione temperamenti uteri, & moræ quam in eo trahit, hæc enim quo diuturnior eſt eo magis induratur ſcirrhoſamque duritiem contrahit, ideoque expulſioni magis obnititur: Simplex utplurimum reperitur, aliquando multiplex: quædam utero tenaciter cohærent, aliæ debilius: Si ante ſecundum aut tertium menſem expelluntur, vocantur *Spuria Germina*; ſi diutius ſubſiſtunt, & augmentum capiunt, *Molæ*; Spuria Germina membranea ſæpius occurrunt, & nonnunquam ſemine corrupto referta ſunt, Molæ autem ſubſtantiæ ſemper ſunt carneæ. *Mauriceau.*

Hæc ipſa rudis & abſurda carnis moles obvelatur ſua membrana & plurimis vaſis ſanguiniſque ramificationibus reſperſa eſt; Aliquando quoque in ſe continet ductus albos aut virides vel nigricantes (ſecundum corruptionis ex qua gignuntur, gradum aut rationem) Intrinſecus ſæpe per diſſectionem explorata mola miros varioſque anfractus oſtendit. *Chr. Langius.*

De molis volatilibus vide *Thom. Bartholinum Med. Sept. vol. 2. pag. 164. obſ. 9 & 10.*

22. *Nec ferro cedens*) Ut in vera graviditate mulier habet amplificationem caloris, ſic in mola tantundem refrigeratur, Quæ cauſa eſt ut mola ipſa ſit valde *dura atque compacta*, quoniam ſcilicet, non à calore, ſed à frigore, ſeu caloris innati paupertate nata eſt. *Duretus in Holleris Prax. c. 61.*

23. *Interdum omni vita deſtituitur*) Mola hęc non eſt exquiſita, ſed impropriè dicta, vide ſupra §. 1. *Mola*) ex *Cavivaccio.*

24. *Cum fœtu &c.*) Molæ ex utero cui adhæreſcunt, quadam ſui parte, alimentum deſumunt, augmentumque capiunt à ſanguine illas irrigante, non ſecus ac plantę ab humore terrę immixto: Nonnunquam fœtus molę jungitur, à quo quandoque ſejuncta eſt; Cujuſmodi fuit illa caruncula quę uxori *Gorgiæ* XL. à partu die, (qui nono menſe contigit) puellę vitalis, excluſa

excluſa eſt, *V. Epid.* Aliquando etiam ipſi fœtui cohæret,quapropter vitio conformationis laborat,imo monſtriformis naſcitur. *Mauriceau* : Vide exempla apud eundem l. c.

[24] *Cum fœtu*) Uxor mea,quum neſcio quid motionis in Ventre percipere ſe affirmaret , turgerentque & mammillæ & venter, cibique faſtidia premerent, utero plane ſe gerere exiſtimabat, Molæ conceptum expreſſimus; quod autem admirandum ſucceſſit. Id jam explicare adgredior, Vbi jam ad ſeptem octove menſes geſtationis molæ perveniſſet, gravida fit uxor,ſeque in utero habere teſtatur : augetur fœtus, & ſuo tempore moritari incipit, nempe paulo poſt tertium menſem; ſuperfœtare autem poſſe mulieres docet *Hippocr.* Sed quum à molæ conceptæ magnitudine premeretur novellus fœtus,nec illi in utero locus ad incrementum pateret, mola magnam uteri partem occupante , deficere ipſum penuria loci & alimenti neceſſe fuit, unde mox dolores & cruciatus uterini, ſanguinis tetri & concreti corruptique profuſio ingens, animi deliquia &c. oriri valdeque mulierem premere cœperunt;hinc parturitionis enixus doloreſque ſæviſſimi, natura tanto onere allevare ſe cupiente : Quum vero carnea mola penitiùs utero infixa eſſet, nec elabi facile poſſet,durioribus utique vinculis nexa, magnam laboranti noxam , ingentemque laborem afferebat , &c. Cum in pejus abire ſymptomata viderem &c. ad duo me converti præſidiorum genera ; A *confirmatione virium* orſus, mox ad facilitandum partum, molamque eiiciendam doloreſque ſedandos conſilium omne dirigo &c. *Exhibitis ergo & adhibitis neceſſariis*, uxor grave pondus ad pudendi oſtium deſcendere,quod paulo poſt obſtetricis etiam ope foras prodiit &c.

Quid è vulva ejectum ſit miſerabili hoc partu,dicendum videtur, Prodiit caro informis, craſſa, dura, ſemipurris,& multis partibus lacera,atque divulſa, cui quatuor vinculis fortibus infans maſculus alligatus erat , quadrimeſtris ille quidem,aut eo etiam amplius , ſuis omnibus membris conſtans atque integer.

Perinde autem molæ fœtus alligari videbatur atque fructus arboribus : pediculo namque medio contineri arboribus fructus notum eſt; fœtus autem in utero per vaſa chorii, ſeu ſecundæ membranæ(quæ quidem ex arteriis & venis uteri exiſtunt)alligantur ; Ad uteros namque fœtuum connexus eandem habent proportionem quam fructus ad plantas: ut enim hi capulis quibuſdam continentur, ſic & fœtus quoque ipſi.

Sed cur non infans hic,qui una prodiit, utero alligatus non eſſet,ſed molæ,cauſa eſt, quod in ſuperfœtatione, quum conceptus in utero infans eſt, mola jam uteri ſinum occupante , non patuit fœtui radicationi locus: Itaque ſubſtrata fœtui mola (quum carnea eſſet,& ſanguinis plena, ut in uteri ſinum immerſa,fœtui ipſi inſtar uteri, in quo radices ageret fœtus, fuit : quæ res abortui cauſam præbuit maximam , quod non pro naturæ lege ſuo in nativo ſolo (nempe utero) ſed in alieno (mola) ſubſediſſet fœtus. *Valleriola l.c.* Simile exemplum vide ibidem.

[25] *Poſt fœtum*) Cognoſces molam poſt partum in utero relinqui, quia toto geſtationis tempore fœminæ ſolito ſunt graviores, dolet uteri regis & inguina ac reliqua adſunt molæ indicia ; Præterea difficulter pariunt,&à partu nihil aut parum levantur,ſuperſunt enim dolores circa umbilicum , in dorſo & inguinibus, grumoſus profluit ſanguis, multus, carnoſus , niger cum torminibus & anxietatibus,ab excretione nullum ſequitur levamen, imò nauſea, vomitus, venter in tumorem per circuitus elevatur, dolores etiam per intervalla ſuccreſcunt, quaſi nitente natura contractione expellere: Et ſi mola grandis ſit , poſtquam ſemel ad imas partes deſcenderit,ſurſum iterum ad ſuperiora revertitur,natura nequeunte tam grandem molem expellere , nec uteri collo capere; Pulſus fit parvus, frequens,debilis , febris ſubſequitur,urina ſupprimitur,aut guttatim excernitur; & plurima demortui fœtus ſigna apparent.

At ſi molæ plures ſint & parvæ , per intervalla poſt partum ſuccreſcentibus doloribus excernuntur.

Porro ſi plures molæ ſunt & exiguæ,nec adhæreſcentes, periculi nihil afferunt , ex *Hippocr.* ut quæ cum lochiis paulatim citra magnam noxam excernuntur: Verum cum una & grandis eſt, adhæreſcit, periculoſiſſima exiſtit ; ideoque ejus eductionem ſicuti ſecundinæ aut fœtus mortui quam ocyſſime procurare oportet. &c. *Rod. à Caſtro de m.m. l.4.c.8.*

[25] *Poſt fœtum*)Interdum Mola poſt, partum ſubſiſtit,atq; partum facit difficiliorem; Venter tumidus manet doletque,atque etiam dorſum & inguina dolor occupat,grumoſus ſanguis cum torminibus effluit , nec tamen inde levatur mulier,ſed tormina remanent & anxietates,doloreſq; per intervalla redeunt,natura nitente eam expellere, adſuntque ſigna molæ, & ſæpe mortui fœtus adſunt ſymptomata, *Primiroſius*.

[26] *Dyſenteria non nunquam præcedit*)Refert *Ariſtot. 4,de gen. an. 7.* quandam mulierem poſt dyſenteriam periculoſam ejeciſſe Molam.

CAP. XXV.

De Symptomatibus Gravidarum.

1. SYmptomata [1] *gravidarum* in triplici ſunt Differentia. Alia *primis geſtationis temporibus* accidunt , & ſunt.

Graviditatis Signa ex Etmullero.

Signa pathognomonica mulierem concepiſſe non dantur propriè , cùm notum ſit ipſas falli mulieres in hoc caſu, Equidem in quibuſdam mulieribus ex peculiari idioſyncraſia evenit ut certa quædam ipſæ habeant ſigna, ſed quia ſunt particularia , non de omnibus idem teſtantur, e. g. quædam mox quando concipiunt mane horride vomunt,aliæ libidine pruriunt,ſed facta conceptione ardor videtur extinctus, V. *Panarolus Pent.3. obſ.9.* quo fit in *Pentec.v.obſ.46.* de muliere; quæ quoties fuit gravida venam circa genu inſigniter tumidam habuit.

Signa probabilia ex quibus fere ſemper ſuſpicamur mulierem eſſe gravidam, ſunt ſequentia.

1. *Vteri orificii clauſura* , in mulieribus enim gravidis,dum percelluntur œſtro libidinis , aut fricantur genitalia, orificium uteri interdum ſolet hiſcere inſtar piſi, quando rite conceperunt,excirſe clauditur, ut ne quidem veſtigium clauſuræ remaneat.

2. *Menſtruorum emanſio* ſeu *retentio*; quod non univerſale eſt : Sic *Miſc. anni 3.p.35.* narrant de muliere quæ nunquam menſtrua paſſa eſt niſi gravida.

3. Quando mulieres aliquot dies *poſt congreſſum ſentiunt horripilationes* , quæ ſine cauſa manifeſta obveniunt,præmiſſo coitu , ſuſpicionem faciunt concepiſſe; varia etiam ſymptomata circa ſtomachum ac digeſtionem ſolent ſe exerere;

4. Appetitus eſt dejectus, vomunt omni mane, adſunt picæ &c. hæc tamen ſymptomata in ſequuntur etiam ſine gravidatione ſimplicem menſium p.n. emanaſionem.

5. Mulieres, inprimis cacochymicæ, vel quæ inclinant ad Scorbutum, facta conceptione obnoxiæ ſunt paſſionibus hyſtericis, patiuntur tormina abdominis, &c. E contra in partu nihil de affectibus hiſce conqueruntur; Et hoc in ſpecie, fit circa primos menſes, circa medium vero geſtationis tempus evaneſcit.

6. Venter attollitur ſenſim, id eſt ab imo ad ſummum protuberat; tumor ventris eſt circa regionem umbilicalem, & ſurſum tendit, partes interiores manent in naturali ſitu, & tumor talis primario circa lineam albam conſpicitur, & partes laterales fere planæ ſunt.

Obſervandum tamen quod pro ſitu ordinario fœtus & uteri etiam tumor nunc plus minus protuberet.

Obſervandus etiam hic eſt ſitus, ubi anteriora nempe & ſuperiora verſus feruntur partes laterales gravidarum, ut diſtinguantur gravidæ ab hydrope abdominis, nempe 1. quando mulieres circa medium geſtationis tempus, quarti, aut in principio quinti menſis percipiunt motum fœtus, qui eſt in principio ſaltem ſubſultorius, intercedente tempore magis fit manifeſtus.

Notetur tamen quod in quibuſdam fœtus motus percipiantur citius, in aliis tardius; Sic quædam brevi ante partum primitus fœtus motum percipiunt, aliæ tertio menſe, cujus ratione quædam ſunt feroſiores, quædam aquoſiores, in quibus copioſus chylus nutritivus tranſcolatus per uterum, In his proptei aquam ubetiorem, minus percipi ſolet motus fœtus, quia innatat in hiſce liquoribus, quod etiam fit in pinguibus, in quibus tardius ſolet percipi.

Ratione item vel ipſius matris, vel ipſius fœtus, imbecillitatis; Tum mulieres ſæpe primo menſe gravitatem capitis, dolorem dentium patiantur: Additur in mulieribus propria uniuſcujuſque idioſyncraſia, & hoc eſt quod praxin mulierum adeo reddit difficilem, 3. mulieres quæ ſemel conceperunt alio tempore vix falli poſſunt, nam plerumque certa quædam habent ſigna. *Etmuller.*

Graviditatis Signa.

1. *Symptomata Gravidarum*) Graviditatis ſigna ſunt hic recenſenda, ut de conceptu aliquid certi, aut veriſimile ſaltem pronuntiare poſſimus, nec, quod facile fit, in hac prædictione peccemus, cum mulieres ipſæ, quæ uterum geſtant, de hoc, præſertim circa principium, dubiæ ſint, ſcireque, ſummoperè expetant, ideoque medicos conſulendo, urinaſq; mittendo, variis modis tentem tum ex ſignis, tum accidentibus & experimentis, qua ratione mulierem concepiſſe, cognoſci poſſit, demonſtrabimus.

Conſtitutio mulieris ad concipiendum idonea, una cum cæteris indiciis, ad conceptus cognitionem aliquid facit, Eam eſſe ſcribunt, ſi præter integram corporis conſtitutionem & temperaturam; (quam aliqui convenientiorem eſſe putant mariti temperaturæ ſit contraria, ut ex utriſque media exurgat) lumbos habeat latos, ventrem amplum: non nimis, circa pubem, præſertim, obeſum; Verum cum & eas, quæ ſecus ſe habent concipere videamus, nihil digni ex his colligere licet: Rectius eam ad conceptum aptiorem eſſe cenſebimus, quæ ætatem legitimam à 14. ad 45. annum habet, à parentibus fœcundis nata, & ſi prius quoque conceperit & peperit; magna eſt præſumptio, ſi de conceptu dubitemus, eam jam concepiſſe.

Commiſtionem conceptum præceſſiſſe neceſſe eſt, quam indagare in nuptis ſuperfluum, in aliis vero variis artibus expiſcandum, inter quas & hæc erit, cum magna eſt ſuſpicio, ſi medicus ſe ex *urina* eam corruptam cognoviſſe aſſeveret, cum vulgo putent Medicum quavis ex urina hariolari poſſe; Mulier quoque apud ſeipſam, illud aliis manifeſtare pudore forte impediente, ſi deprehenderit, ſemen poſt concubitum retentum fuiſſe, magnum conceptionis factæ erit indicium, præſertim ſi tunc temporis uteri aliquam contractionem, veluti ſuctionem; cum magna voluptate ſenſerit; uti & eodem tempore, & ſui & mariti ſeminis effuſionem & concurſum eſſe factum *Menſes* ſi ſubſiſtant, qui prius ordinarie fluere ſolebant, primum & præcipuum conceptionis eſt indicium, quo mulieres ſe gravidas eſſe mox coniiciunt, & à primo menſe poſt concubitum initio ſupputationis facto, partus tempus ſolent colligere: Etſi de conceptu dubię ſint, medicis quoque quod & quando menſes ceſſarint libere aperiunt, tam quæ licito quam quæ illicito concubitu, quem tamen confiteri nolunt, alias ſupreſſionis cauſas effingentes, uſæ ſunt; Licet autem etiam in mulieribus gravidis aliqua interdum per uterum fiat ſanguinis evacuatio, ſi parca ſit, nec menſium inſtar ordinem ſervet, prædictionem conceptus ea non facile evertet; Quod ſi quoque mulier eo tempore quo concepit, infantem lactans, menſtruis aliquandiu caruerit, uti quibuſdam hoc peculiare eſt, licet non ſtatim, poſtmodum tamen ſi penitus menſes ceſſent, mulierem concepiſſe veriſimile eſt, ob eamque cauſam matres, hoc ſentientes, infantes ablactare mox ſolent. *Venter* ſi ſenſim increſcat, nullis morbi alterius præſentibus accidentibus, præcipuum eſt conceptionis indicium: (vide cap. de Aſcite §. *Tumor ventris* ex Platero.

Mammarum incrementum magnum, ſi cætera adſint, conceptionis eſt ſignum, cum in morboſis tumoribus potius flacceſcant: Indubitatum, ſi lac contineant, illudque reddant; quod & jam gigni, antequam prodeat ex venis mammarum turgidis & liveſcentibus conjicere aliquomodo poſſumus: Quo & facit *papillarum* augmentum, pruritus, & ſi circulus ambiens eas magis fuſcus reddatur: *Fœtus in* utero, cum moveri incipit, quod medio uteri geſtationis tempore, nunc citius nunc tardius, ſeipſum, & proin ex eo gravidam matrem prodit, Cujus motus non cum murmure, aut torſione ventris, ſed uno impetu, unam ventris ſedem impellendo & veluti intrinſecus trudendo perficitur, & à matre deprehenditur, *Faſtidium* quorundam *ciborum* plerumq. in iis quæ conceperunt, nunc citius primis menſibus, nunc tardius ſequentibus ſeſe offert: Et à *vino* aliquæ tunc quoque abhorrent, *vomituſque* prius illis non conſuetus aliquas ſimiliter infeſtat; Aliæ vero etiam ea, quæ extra conceptum faſtidiebant, ſummo deſiderio appetunt, etſi quandoque cibi conſueti minime ſint, vel etiam alia abominabilia, qui affectus *Pica* dicitur, *Accidentia* alia quoque aliqua ſunt peculiaria, ut *Animi* quædam defectio, ſeu potius imbecillitas, quando diutius veluti concluſæ in uno loco ſedere aut moram trahere coguntur, ut in conviviis, templis, unde cordis hanc, ut ajunt, anguſtiam ſentientes, mox ſurgunt, aërique libero ſe exponunt, & ut liberius ſpirare poſſint, pectus aperiant oportet; In aliis, præſertim plethoricis vel cacochymicis, alia inſuper accidunt, ut *tumor pedum, varices Venarum* in cruribus, cæteraque in aliis affectibus hinc inde deſcripta, ab aliis quoque cauſis profecta.

Urinarum indicium quod attinet, cum licet incertum & fallax penitus exiſtat, nihilominus illi tantum vulgus tribuat, ut ex ſola earum inſpectione certo aliquid medicos pronuntiare poſſe exiſtiment, cautos admodum & ſagaces ſe hic præbere hi debent, ne inſcitiæ

nota

nota illis inuratur; Proin dum eam intuentur multa ſciſcitentur de variis *conceptus* indiciis, ſi quæ extorquere queant, oportet, nihilque temere, ſed circumſpecte & dubie reſpondendum, Inprimis ſi urinam ſanæ ſimilem deprehenderit Medicus, & inde anſa de affectu aliquo inquirendi ſumpta, menſtrua ſuppreſſa eſſe, quod ſponte libenter fatentur, cognovit, non à morbis aliquibus, in quibus *urina* plerumque *cruda* vel aliter mutatæ apparent, ſed potius ob conceptum id fieri colligere licebit, aliquoque ſic indicio ex urinis hac ratione potius quod *ſana* ſunt quam ex aliis illius notis collecto uterum geſtare mulierem deprehendet, liberiuſque tunc de aliis quoque ſignis indagando aliquid pronuntiare poterit: Nam quod alias conceptiones in urinis notas concernit, ut ſunt contenta inſtar *floccorum urinæ* innatantia, vel potius, uti ego obſervavi aliquoties in modo nuptis, conceptione jam facta, quod urinas veluti purulentas aliquot diebus, citra renum & veſicæ vitia reddiderint, incerta cum hæc ſint penitus, ex illis ſolis nihil ſolidi, ſed omnibus ſimul collatis indiciis tandem aliquid indicandum.

Eſt & aliqua *urinæ ſuppreſſio* & *ſtillicidium* in nonnullis mulieribus, inprimis noviter nuptis, etiam conceptus facti indicium: Item circa & paulo infra umbilicum ſtatim à congreſſu, imo quandoque aliquo tempore poſt ſuborta *tormina*, conceptionis facta certiſſima tormina exiſtunt.

Experimenta quod attinet, ſunt varia, E quibus magis uſitata ſunt hæc, *Mulſa* cum *aqua cæleſti* exhibita mulieri dormituræ, ſi *tormina* ei excitet, gravidam eſſe docet *Hippocrates*: Ex *allio* peſſi inſtar muliebribus indito, ſi odor ad fauces pertingat, eundemque exſpiret mulier, idem in illa ſignificare cenſent; cum tamen contrarium potius, nimirum minime gravidam eſſe, hoc argumento probari poſſet, quod in gravidis uterus concluſus exhalationi ab allio ſurſum per muliebria viam præcludat, quæ in non gravidis, cum aperta ſit, liberius eam ſurſum penetrare ſinet: Præterea ſi *urina* vini albi permiſtione fabarum juſculo ſimilis evadat, conceptum quoque arguere ſcribunt. *Platerus.*

Et hæc indicia ſunt conceptionis modo factæ; id quod adhuc certius innoteſcit ſi immiſſo in vaginam digito, orificium interius, citra aliquam duritiem accurate occluſum, probeque ſitum apparet: Præter dicta indicia alia quædam nonniſi decurſu temporis apparent, ſicuti ſi faſtidium ciborum accedit citra morbum: ſi nauſea vomituſque pertinaces infeſtant, ſi mulier torpida, ſomnolenta, & mœſtior ſolito evadit; ſi coitum faſtidiat, dolores nonnunquam dentium oboriantur: quibus antea obnoxia non fuerat, ſi *menſes* ſubſiſtant &c. ſi *mammæ* indureſcant, intumeſcant, imo doleant, ab affluxu ſanguinis & humorum qui more ſolito non evacuantur: ſi *papillæ* obrigeſcant & tendantur, ob repletionem; ſi umbilicus emineat, ſi *palpebræ* flaccidæ fiant, & ægre attollantur, fuſco colore tingantur, quas circulus circumdat, ex flavo liveſcens; ſi *oculi* quaſi demerſi ſint, albumque eorum obſcurum, obtutuſque earum languidus: ſanguis quippe mulieris quæ concepit ſemper vitioſus eſt, quia cum tunc ab excrementitiis humoribus non ſat expurgetur, ab horum commixtione illi inficitur.

Porro accedit aliud ſignum, mulieribus omnibus illo in ſtatu conſtitutis, indubium, *Ventris ſcil depreſſio* (Galli dicunt *En ventre plat, enfant y a*) nec omnino deeſt ratio, non quia, ut ſibi fingunt, quod uterus conceptione facta ſe contrahens, abdomen nonnihil quoque ſimul contrahat, ideoque deprimatur; id namque fieri nequit, quia uteri fundum liber eſt, ventri anteriori nequaquam connexus, ſed potius quia mulieres, ab affectibus imprægnationem comitantibus, macreſcunt & graciliores fiunt, non ſolum quoad ventrem, ſed etiam quoad totum corpus, id quod manifeſtum duobus prioribus graviditatis menſibus; quo tempore id quod utero continetur admodum exiguum eſt, at vero cum ſanguis majori copia influit, tum porro venter intumeſcit ad tempus uſque partus. Concurrentibus omnibus his accidentibus in muliere coitu utente, aut pleriſque, & ſucceſſive, de Conceptione facta pronuntiare audebimus, etiamſi plurima ſuppreſſionis menſium ratione accidant, prædictis non diſſimilia &c.

Quin & nonnullæ occurrunt mulieres in quibus uterus nunquam fere hiat, aut parumper ad menſium effluxum, id quod quibuſdam naturaliter accidit, aliis à morbo prægreſſo, ſicuti callo ulcus conſequente: nam ſicuti adnotat *Galenus comm. in aphor. 51. & 54. lib. 5.* occluſio orificii interni uteri ſignum eſt commune tumoribus p. n. partem illam obſidentibus & conceptioni factæ; id quod ex duritie dignoſcendum, quia in gravidis molluſculum eſt, atque ut decet conſtitutum: durum autem ſi tumore aliquo affecta fuerit pars illa &c. Si unquam prudentia in Medico & Chirurgo requiritur, certe in judicio ferendo de conceptione & graviditate, ne incurrat infortunia conſequi ſolita, cum præceps judicium latum fuerit, Sic narrat *Riolanus Anthropogr.* lib. 6. cap. 6. mulierem ſuſpendio enecatam, & cultro anatomico expoſitam, gravidam quinquemeſtrem fuiſſe deprehenſam quam temerarii Chirurgi & obſtetrices nequaquam fuiſſe gravidam pronuntiarant, quia obeſa erat, *Mauriceau lib. 1. cap. 3.*

Ne quid ſimile contingat ſatius eſt ſuſpendere judicium quam temere quid effutire; ſicuti enim mulieres nonnullæ ingravidationem mentiuntur, ita quædam illam abnegant, ad tempus uſque partus, cujus rei hoc eſt exemplum, Anno 1654. Salmurii degens vidi civis cujuſdam filiam juvenem atque elegantiſſimam, quæ toto quinquemeſtri ſub cura fuit Medici & Pharmacopœi, qui eam ut tanquam hydropicam curabant, quo tempore, poſt aſſumpta plurima, eaque vehementiſſima remedia, repente ſanitatem adepta eſt, partu infantis maturi: Nonnullæ pariter mulieres graviditatem non agnoſcunt, ſicuti nuper contigit uxori Conſiliarii Curiæ, quæ pro hydropica habita per ſex ſeptemve menſes, remediiſque contra hydropem ſumptis, à celebri Medico præſcriptis, infantem peperit, id quod & nonnullis aliis ſimiliter contigiſſe novi: ſed quis non deceptioni opportunus, ſi quidem *Avenzoar*, Medicus præſtantiſſimus in propria filia deceptus eſt, cui plurima valida carthartica exhibuit, graviditatem ignorans; etſi à quadrimeſtri utero gereret.

Sed præterea occurrunt mulieres, quæ quamvis revera hydropicæ, fœtus nihilominus edunt. Exemplum præbet uxor D. *Duvieux* collegæ mei, quæ ante novem annos hydropica à partu facta, per plures menſes remedia omnia huic affectui convenientia uſurpavit, nullo ſucceſſu, ſed poſtmodum, nullis prægreſſis indiciis, utero ſe gerere animadvertit, etiamſi inſignis eſſet hydropicus tumor ventris, qui à partu amplius intumuit, nedum ſubſedit; ſed, quod amplius admiratione dignum, ter poſtmodum peperit, ſuperſtite illius puella, jam quinquenni, adeo robuſta ut ſeptimum annum excedere videatur: Infantium alter puer eſt, optime valens, quem propriis manibus ex utero eduxi, ante biennium. Nullum extat ſimile huic exem-

plum apud ſcriptores Medicos; nam in hac muliere adeo immenſus erat abdominis tumor ut ultra triginta aquæ pintas concluſas fuiſſe crediderim, quæ mortem illi tandem intulere, ſed præeunte caſu ex loco excelſo: Poſtquam fœtum ultimum ex ejus utero eduxi non magis detumuit venter à partu quam ſi ovum gallinaceum excluſiſſet. Nonnullæ etiam mulieres ſe uterum ferre credunt, quæ tantum *uteri hydrope* laborant. *Mauriceau De morbis Grav. lib. 1. cap. iij.*

[1]. *Symptomata Gravidarum*) Multa apud Scriptores quibus imprimis menſibus mulierem prægnantem deprehendere valeamus indicia reperiuntur, Dicunt multi *lotii* inſpectione gravidas noſci, ſi illud album clarumque fuerit, in eoque atomi aſcendentes & deſcendentes apparuerint; At ex *lotii* aſpectu vere mulierem eſſe prægnantem divinare non poſſumus, nam meatus urinarius cum utero nihil habet, lotiique claritas, albedo & bulloſa granula in eo poſſunt etiam morbos ſignificare, ut in cacochymo corpore ſæpius obſervamus.

Non ex *menſibus ſuppreſſis*, non ex *vomitu* & *nauſea*, ſive *appetitus dejectione hoc* conſequimur, quia affectiones hæ ex multis cauſis in mulieribus, quæ prægnantes non ſunt, evenire poſſunt; Non ex *lacte in mammillis*, quia id etiam viragines habere poſſunt, ut voluit Hippocr. Inſuper multæ mulieres in primis menſibus lac non habent, Lac ergo non eſt gravidationis verum indicium, *Pulſatio arteriarum gulæ*, ſolito crebrior, conceptum peculiariter haud arguit, quia ex retentis menſibus, ſplenis & ventris tumore, & ex pituita in pectore collecta etiam fieri poteſt: *Lentigines* non ex ſolo conceptu apparent, quippe ſignum hoc neque omnibus, neque ſemper competit, & in non prægnantibus etiam fiunt; *mammillæ tumefactæ*, earumque *capitum fuſcus color*, communia ſigna ſunt & retentis menſibus & prægnantibus, *Pondus circa pecten*, non in gravidis modo, ſed in retentis menſibus, in mola, & veſicæ calculo obſervatur: *Vmbilici egreſſus* ex multis cauſis p. n. fieri poteſt, non ergo peculiare gravidarum indicium eſt: *Venæ tumefactæ in narium angulis* juxta lacrymalia, non in gravidis modo apparent, ſed in quolibet abdominis & ſplenis tumore, & in occluſis menſibus; Obſtetrices anatomiæ ignaræ nequeunt intimum uteri orificium tangere, licet manibus contrectent, illud enim valde à labiis matricis diſtans eſt, ipſæ autem externum uteri tantummodo orificium tractare poſſunt, quod ſemper & gravidis & non gravidis apertum manet. Experimentum *Hippocr.* de *hydromelite*, & *acuto ſuffumigio*, non æternæ veritatis eſt, ut *Galenus* & Avicennas comprobarunt. His itaque indiciis vere conceptum explorari non poſſe exploratum eſt. Cognoſcimus tamen ſigno evidenti & infallibili indicio prægnantes in primis menſibus *Metrenchita*, ſive ſpecilli quo liquores injiciuntur in uterum auxilio; hoc apud Veteres in magno uſu erat: Profecto ſi illius in foramen uteri externum apicem immittimus, quod ſumma cum dexteritate ſiniſtræ manus digito indice invenimus (non enim quilibet inexpertus invenire ſciet, eſt ſiquidem externum uteri foramen in vulvæ apice, particula oblonga & duriuſcula, quæ exigui penis puerorum exprimit imaginem) ſi ex apice ſpecilli liquor aliquis ſuaviſſimus, ſicut eſſet vini tenuiſſimi pauxillum, (ne forte exiſtente conceptu ſequatur abortus) exprimitur, brevi tractu totum aſſequemur; Si enim obturatum eſt intimum uteri foramen, quod fit conceptu peracto, liquor uterum non ingreditur, & mulier faſtidiet nihil perſentiet: Sin autem ex intromiſſo liquore vellicationem parvam perſenſerit mulier, quod facile fiet ex maximo ſenſu partium uteri, utique gravida non erit, & uteri intimum foramen apertum reperietur, ut experientia liquoris oſtendet. *Sanctorius M. V. E. lib. 1.*

[1]. *Symptomata Gravidarum*) Durante Fœtus in utero geſtatione varia ſolent affligere mulieres ſymptomata, Cauſæ autem harum moleſtiarum cum peti debeat ex mutatione mulieris corporibus contentis contingente ob gravidationem, qualis illa ſit, ut affectuum natura cognoſcatur & curetur: Fœminis igitur ex actu Venereo felici, ſemen utrumque admittitur conſtringiturque in utero, adeo ut totus uterus ſolito arctius ſeſe corruget, atque ſanguinem, in vaſis ſuis & cavernulis hærentem ſurſum verſus reliquam maſſam repellat. Hic ſanguis aliquantum in Vtero alteratus, & ab indole prima mutatus totam maſſam plus minus immutat & alterat, unde humores omnes ex ipſo producti, Bilis, Saliva, ſuccus Pancreaticus, Lympha, & ſi qui ſunt alii, ſimiliter immutantur & alterantur: Prout autem tota humorum omnium diſpoſitio eſt diverſa, & diverſa eſt ſanguinis in utero prius alterati conſtitutio, ita nova, quæ hinc cæteris humoribus accedit ἀλλοίωσις erit quoque diverſa; quare etiam tanta in fœminis variis obſervatur ſymptomatum differentia: *Sylvius lib 3. cap. 6.*

Prognoſis.

Febres Continuæ Gravidarum.

[1]. *Symptomata Gravidarum*) Febres Continuæ illis ſi accidant, omni opera cavendum eſt (quas utplurimùm anadiploſes comitantur) ne abortum patiantur, maxima enim pars earum quibus is accidit paulò poſt intereunt; Hac in re non paucos deceptos vidi ac ſpe excidiſſe futurum ut lochiorum evacuatio febrem ſiſteret, ac faciliorem locum datum iri uſui remediorum convenientium, Sed tantum abeſt ut id accidat, quin potiùs febris illico incrementum capit ob omnimodam ſuppreſſionem lochiorum, quæ fere ſemper ſequitur, illorum palindrome facta ad partes ſuperiores, è quibus prima mali ſcaturigo prodiit; interitu brevi ſubſequente: Id videtur inſinuaſſe *Hippocrates* lib. *de Nat. Pueri*, *Si*, inquit, *mulier uterum geſtans morbum habuerit non cognatum*, *in puerperii purgatione perit.* Sic interemptam vidi uxorem *D. Mounier* uxorem Dom. *Furetii* collegæ mei, uxorem Dom. *Copinot* & triginta alias, quæ breviſſimo tempore poſt abortum paſſum extinctæ ſunt. *Mauriceau cap. ult. lib. 1.*

[2]. *Gravidarum*) Si in Medicis, Chirurgis, Obſtetricibus ſingularis prudentia requiritur in Graviditatis dignotione; item veræ aut falſæ, non minori opus eſt, in ejuſdem temporibus, ut certiores ſint num fœtus vita fruatur necne; id quod inſignis conſiderationis eſt: nam juxta Legem, ſi prægnans abortiat, quia læſa eſt, is qui læſionem intulit morte dignus eſt, ſi fœtus vita fruebatur; alias multa pecuniaria caſtigandus.

Ad rectam ergo dignotionem diverſorum temporum impr̃ægnationis non negligenda eſt narratio gravidæ, ita tamen ut ſemper illi fidem habeamus, quin conjecturæ tantum vicem tenere debet; plurimæ enim decipiuntur, opinione graviditatis, initium illius ducentes à quo tempore menſes ſuppreſſi ſunt, quod illis vice regulæ eſt ad ſupputandum quando moveri incipit fœtus, ac nequaquam ſemper certa res eſt; Judicium utplurimum ferre ſolemus ex ventris

ventris eminentia, at multo certius ex contactu orificii interioris uteri. Impprægnationis initium dignoſcimus tantum ex ſignis conceptionis; quia id quod tunc temporis in utero continetur ſua mole ventri tumorem inferre non valet, quin potius depreſſior tunc evadit, ſed tranſacto ſecundo menſe venter paulatim in tumorem aſſurgit, ac deinceps ad nonum uſque: Initio ſi contingatur orificium internum digito, percipitur id exacte clauſum & prominens, catelli recens nati roſtro ſimile, craſſum quoque admodum eſt dicto tempore; ſed ob extenſionem uteri paulatim in omnibus proportionibús imminuitur, adeo ut cum mulier partui proxima eſt, depreſſum omnino appareat; ac fere ſimile effectum uteri globo, adeo ut ſolummodo referat exiguum ceſticillum vel circulum latiuſculum in introitu, ex quo conſtituitur corona tempore partus: Nihilominus aliquando occurrunt mulieres quibus iſtud orificium craſſius eſt ſolito circa octavum imprægnationis menſem poſtremum, propter humorem viſcidum quo imbui ſolet illo tempore, ſed tunc laxius & mollius apparet, nec adeo compactum & ſolidum ſicuti primis menſibus.

Neque ſemper tempus imprægnationis dijudicandum eſt ex inſigni tumore ventris, quia nonnullis mulieribus amplius intumeſcit venter medio geſtationis tempore quam aliis partui proximis (id enim adſcribendum fœtus magnitudini, vel numero, vel copiæ aquarum in utero una cum illis contentarum) quin potius ex dicto orificio interno, quod utplurimum depreſſius & minus craſſum fit, eoque magis quo partuì proximiores ſunt fœminæ, id quod non ſecus accidit ac in corio madido, cujus craſſitudinem imminui obſervamus prout id extenditur & dilatatur; idem iſtud orificium quoad craſſitiem imminuitur, ab extenſione quam inducit caput fœtus; quod utplurimum vergit & allidit ad iſtud oſtium poſtremis menſibus.

In uſu multo eſt Obſervatio iſta cum gravidæ admittuntur, ſarcinam depoſituræ in Xenodochium Pariſienſe (*l'Hoſtel Dieu*) quam ſæpiſſime amplexus ſum cum ibi obſtetricio munere fungerer anno; 1660. quo loco nullus aptior ad conſequendum perfectam notitiam operationis adeo neceſſariæ, ratione ingentis numeri quæ illuc confluunt.

Hæc obſervatur regula, ut quæcunque gravidæ ſine diſcrimine admittantur, quindecim diebus aut circiter ante partum; Eapropter examini ſubjiciuntur priuſquam recipiantur, quia non paucæ; otioſa vita gaudentes, bimeſtri aut etiam trimeſtri ante partum ſe offerunt, partui ſe proximas aſſerentes: Sed ex obſervatione regularum, ſuperius à me adductarum non levi negotio cognoſcere datur eas quæ magis aut minus proximæ ſint partui &c. *Mauriceau* De *Aff. Pregnantium cap. 7.*

[3]. *Spaſmus* ſuras inprimis infeſtans, qui inunctione *olei laurini* ad ignem, injectis poſt calidis faſciis, tollitur.

Obſervatus in quadam periodicus, qui in partu invadebat, & poſt partum per aliquot ſeptimanas in manibus & pedibus, quotidie, veſperi, eodem ferè horæ momento redibat. Curata eſt *pulvere Marchionis* in *aqua hirundinum & ceraſor. nigrorum*, paroxyſmo imminente in lacte ſumpto.

II. *Sciaticus dolor*, quem *oleum terebinth. Venetæ* inunctum, pellit.

III. [4]. *Cibi faſtidium*, quod à ſuppreſſione menſium, meliore ſanguinis parte fœtui cedente, pejore in venis manente, unde ex agitatione vapores ad ventriculi os, cum humoribus mittuntur, qualitas vitioſa ipſi imprimitur, oritur; & quod ſponte [5]. grandiore facto fœtu, ceſſat.

IV. [6]. *Pica* ſeu abſurdorum ciborum appetitus; cui tollendo, *aqua menſe Majo è foliis vitis deſtillata*, inſervit.

V. [7]. *Nauſea* [8]. & *vomitus*, qui ſi facilis, [9]. ſiſtendus non eſt: [10]. ſi difficilis, periculo non vacat.

VI. [11]. *Tormina & dolores ventris*, qui à flatibus ex humoribus circa uterum excitantur, & interdum in lipothymias mulieres conjiciunt.

VII. [12]. *Alvi fluxus*, cui tempeſtive occurrendum, ne abortus ſequatur.

VIII. [13]. *Dolor dentium* à parte humoris acrioris eò delati.

IX. [14]. *Dolor capitis*: & [15]. *vertigo*, à vaporibus emiſſis, diſtendentibus & turbantibus.

[3]. *Spaſmus ſuras inprimis infeſtans*) Affectus iſte gravidis haud eſt infrequens, familiaris etiam aliis qui flatulentis utuntur cibis ac potibus, quoque vino ac crapulæ, aut ſocordiæ ac deſidiæ ſeſe mancipaiunt.

Vocatur à Græcis σπασμὸς φυσώδης, ſpaſmus flatulentus (*la Crampe* Gallis) prehendit ſæpe manuum, pedumque digitos, occupat etiam alias partes, v. g. ſuras tibiarum, & quidem ſatis frequenter, Rarius dorſum, maxillam inferiorem, & os invadit: Redire ſolet per circuitus Doloriſicus eſt ob muſculorum partiumque, quibus illi ſunt contigui, diſtenſionem.

Oritur à craſſis halitibus, ait *Fernelius*, in nervorum propaginibus hærentibus, quæ contractæ una ſecum muſculos & partes in quas implantantur, contrahere ſolent.

Alii volunt irrepere in muſculos, aut illa ſpatia quæ inter muſculos exiſtunt: Nonnulli exiſtimant in cauſa eſſe vaporem, aut humorem tenuem, eumque capita muſculorum vellicantem: (*Willis adſcribit ſpiritibus animalibus e tendinibus in carneam muſculorum ſubſtantiam non libere, & viciſſim, commeantibus.*)

Dolor diu durare non ſolet, ſed vapore excuſſo, aut frictione calorifica diſſipato, evaneſcit.

Ejuſmodi flatus gravidæ ob ſuppreſſum menſtruum colligunt, qui ad muſculos, ſurales maxime ablegati, ſpaſmum iſtum ablegare conſueverunt.

Curatur ſi vitentur flatulenta; Foris proſunt *Frictiones* cum linteaminibus calidis inſtitutæ. *Inunctiones* ex oleo *aneth. laurino, rutaceo, juniperino, chamæmel. matricar. caſtor. cherefol abſynth. amygd. amar. de piper.*

Linteola *ſpir. vini, aniſi, fœnic. baccar. junip. abſinth. calam. arom.* &c. imbuta.

Theriaca in *ſpiritu vini diſſoluta.*

Fomenta ex *decocto ſalviæ, rutæ, puleg. abſinth. anethi, origani, calaminth. ſatureiæ, thymi, fol. lauri, flor. chamom.* cum *vino* facta.

Sacculi ſicci & calefacti ex *ſale torrefacto, milio, furfure, baccis lauri, ſem. aniſi, fœnic. carvi &c.* appoſiti.

Amuleta, ut *ſunt corallia rubra, lignum quercin. auricomæ pavonum pennæ, armula aliis annulo incluſa, annuli ex ferro catenarum*, quibus fures patibulo appenſi ſunt confecti. Radices *eryngii, tormentillæ* aut *biſtortæ*, collo annexæ.

Mater mea b. m. illi affectui obnoxia (quem in me tranſtulit, feliciter utebatur *ligula ex corio humano* confecta, quam ſecum perpetuo gerebat. Ad illius imitationem ſimiliter uſus ſum, ſed eventus defuit poſt octo aut decem dies; primis enim diebus feliciter uſus ſum; forte quia è corio muliebri deſumpta erat ligula: Immaniter me torquet ſi forte pedes minus ſolito contecti ſint; Affectum præcaveo, ſi tibialia in lecto gero: Flatulentiam nullam agnoſco, neque in partibus affectis, vi: ſuris, quæ intumefactionem aliquam præ ſe ferre deberent, ſicuti fit in inflationibus, neque in partibus flatuum procreatricibus; adeo ut *Williſii* ſententiam potius amplectar.

De ſpaſmo abdominis in gravidis agit *Sennertus* in praxi.

3. *Spaſmus Suras infeſtans*) Ligamentorum rotundorum uteri longitudo eſt ſpithamæ unius plus minus, ſic ut nugari nobis videatur *Author Anat. vivor.* dum ad inferiora pedum hæc ligamenta produci ſcribit. Ejuſque nugas exornare videntur qui dolores femorum interiorum (quos primis geſtationis menſibus perſentiunt mulieres) inde deducunt. *Graef. de M. organ. cap. 10.* Si quod illorum ligamentorum ob tumorem uteri, ejuſdem diſtenſionem convulſionemve intendatur, tenſio ſentitur in inguine & interna parte femoris, ad illas enim partes deſinunt ligamenta rotunda. Franc. *Bayle Diſſert. 2.*

4. iij. *Cibi Faſtidium*) Eadem mihi videtur cauſa Nauſeæ vomituſque gravidarum cum plurium pauciorumve ciborum potuumve Faſtidii cauſa, Bilis ſcil. quæ corrupta mox Famem ſolet minuere, ſuccus autem Pancreaticus Sitim pervertere; Si proinde ob graviditatem uterque hic humor plus minuſve afficiatur vitieturque, non eſt mirum ſi prout Bilis ſola eſt affecta, vel ſuccus pancreaticus ſimul eſt inquinatus, nunc quorundam, nunc omnium ciborum, nunc potuum quoque quorundam vel omnium faſtidium excitetur: Pendet autem Faſtidii utriuſque maxima diverſitas ex humoris *utriuſque corruptione valde diverſa*, Sylvius.

Pica, ſeu abſurdorum ciborum) magis cogor mirari Gravidarum *malaciam*, deſiderium magnum, ac ſæpe rationi valde adverſum quorundam ciborum potuumve, quod tamen ab eadem puto deducendum cauſa, ſed accedente potente perſuaſione gratiſſimum futurum alimentum. Sicut autem Bilis Succuſque Pancreaticus non parum vitiantur ſæpenumero ex gravidatione, ita ex ſanguinea maſſa indies magis inquinata, etiam à prædictis humoribus ad ipſam vergentibus, ſpiritus animales producuntur non ſatis puri ac defæcati, quare nec ſenſus externi nec interni, nec animalis motus ſemper rite abſolvetur in gravidis, quæ moroſiores quoque fieri ſolent, ac pertinacius quævis cupientes aut averſantes: Dum proinde mens quoque videtur quodammodo lædi in non paucis gravidis, non mirum ſi appetitui cuivis plus ſatis indulgeant pleræque, ac non tam ipſi reſiſtant quam eundem foveant & augeant. *Sylvius.*

Cibi faſtidium, Nauſea, vomitus, Abſurdorum appetitus.

4. *Cibi faſtidium &c.*) Nauſea, Vomitus, & multiplex ciborum faſtidium, abſurdorumque appetitus, curari debent, tum humorum tenuium, tum maximè Bilis incraſſatione & fixatione, poſtquam non tantum ab effectu, ac ſymptomatibus Gravidis ſupervenientibus; verum etiam à ſanguinis natura adeoque corporis humani Oeconomia, oſtendimus humores omnes, ac Bilem imprimis, reddi à Gravidatione tum tenuiores, tum volatiliores: (vide infra §. 2.) Id autem præſtant efficaciſſime omnia medicamenta auſtera, quæ quo erunt blandiora, eo effectum illum producent commodius, cum mutatio omnis ſubita in corpore atque humoribus periculoſa, ſi præſertim fuerit ſimul magna, quod præſertim verum in humorum & ſanguinis incraſſatione, coagulatione, ac fixationes; nil quippe vitæ æque nocet ac coagulatio nimia, & ſubita ſanguinis, & fixatio magna & ſubita Bilis, unde facile ac ſubito contingere ſolet mors, quod manifeſtum facit Syncope: Ad Auſteriora blandiora revocanda *Plantago, ſempervivum majus, Myrtus, polygonum, biſtorta, caryophyllata, roſæ rubræ, alumen crudum, terræ ſigillatæ omnes*: Quia vero paulatim debet fieri mutatio illa Bilis, cæterorumque humorum fluidiorum & volatiliorum, bonum eſt quævis medicamenta ſæpius uſurpari, ſed quantitate minore, quo ſic ſenſim emendetur noxa in iis exiſtens: His rite obſervatis, minime culpandæ videntur gravidæ Acetariis addictæ, niſi quoties nimium iis indulgent, ac non tantum quotidie iis veſcuntur, ſed alia omnia præ his faſtidiunt; ac aceto acetoſiſque continue abutuntur: Conveniunt proinde Gravidis condimenta acidiuſcula & ſubauſtera, & quidem copia mediocri uſurpata, quorum ope obſervamus compeſci, minui, & tandem ſuperari *Nauſeam Vomitumque*, poſtquam ab iiſdem temperatur figiturque blande bilis acrior, volatilior & ſolito fluidior, quin reliqui humores ſimiliter ad naturalem redeunt ſtatum, unde tum appetitus in pleriſque proſtratus ſenſim reſtituitur, alimentorum fermentatio languens promovetur, ſanguiſque laudabilis producitur, vires recreantur & tandem fœtus vegetus in lucem prodit: Obiicies me *Salibus volatilibus* uti frequenter in gravidis, qui Bilis volatilitatem videntur potius aucturi quam diminuturi? Reſpondeo me in eum finem non laudare ſales volatiles, quos præterea non uſurpo tunc quoſvis, ſed oleoſos, & quidem ut bilem non tam volatiliorem quam acriorem quoque factam corrigant.

Ad Bilem proinde volatiliorem figendam uſurpo ſubauſtera & acidiuſcula, imprimis condimenta: ad eandem vero acriorem temperandam laudo ſalia volatilia, ſed oleoſa, quæ præterea fermentationem alimentorum in ventriculo promovent, Vbi proinde nulla in Bile cæteriſque humoribus obſervatur acrimonia, vel à ſola gravidatione, ob peculiarem ipſorum conſtitutionem præcedentem orta; vel à nimio acidorum auſterorumque acriorum abuſu facta: non ſuadeo uſum ſalium volatilium; Verum cum undecunque tandem orta & in humoribus quibuſvis obſervata concurrit eorum acrimonia, non dubito uti ſalibus volatilibus, ſed blandioribus & oleoſis, quippe quæ tum ratio ſuadet, tum

ratio

ratio ſuadet, tum experientia multiplex: Poteſt igitur Bilis auſteris primario, & Salibus volatilibus oleoſis ſecundario corrigi durante uteri geſtatione: nihilque obſtat quominus eodem tempore, non tamen ſimul uſurpentur utraque, h. e. die eodem, ſed diverſis horis poſſint nunc auſtera, nunc ſalia volatilia uſurpari commodiſſime, quæ ex vino aliove liquore grato exhibere ſoleo.

Quod ſi non tantum qualitate, verum quantitate quoque excedente tum Bilis, tum alii peccent humores Nauſeam & vomitum ciborumque Faſtidium inducentes, Purgantibus convenientibus erunt iidem minuendi, ſed blandis, minorique quantitate exhibendis: acria enim & potentiora abortum poſſent provocare; imo idem metus à blandioribus quantitate majore uſurpatis, minore autem nunquam nocebunt, cum poſſint ſæpius repeti ſi optatum effectum non producant, *Sylvius Pr. lib. 3. c. 6.*

5. *Grandiore facto fœtu*) Nonnunquam tantum eſt faſtidium, ut cibos omnes refugiant, & imbecilliores redditæ miſeros & imbecilles fœtus pariant non abſque matris diſcrimine & periculo, quibus nota genitalis apparet per totum vitæ decurſum infirmi, iique valetudinarii victitant: Unde veriſimile eſt non fuiſſe genitivam illam notam impreſſam embryonibus ſine graviſſimo matris angore ac labore. *Joh. le Bon.*

6. *Pica ſeu abſurdorum appetitus*) Malaciam Gravidarum partim præmiſſa humorum male affectorum reſtitutione, & emendatione, partim mentis male circa objecta ratiocinantis correctione (vide infra §. 2. de humorum correctione) Pro malacia autem non putamus habendum deſiderium vehemens cibi potuſve per ſe boni, quin curandum ſuademus ut Gravidæ cito voti compotes fiant: Ubi notandum præterea non raro optare ſolas frui deſideratis, unde prudentiæ eſt ſi domeſtici ſe ipſis ſubtrahant & ſolas relinquant, quo avidius frui queant iiſdem; quin rogandas nonnunquam ut ſuo ſatisfaciant deſiderio, licet ſubinde plus aſſumant vini potentis, quamvis cavendum ſit ne in ebrietatem incidant, metus quippe ne fœtus fiat ebrioſus, Sed quoad veram Malaciam, & appetitum abſurdorum, danda opera, ut ſi reprimi in totum nequeat, moderetur ſaltem; quod fiet oſtendendo Gravidæ quam à ratione ſana alienum ſit quod ab ipſa deſideratur: Id quod facilius quidem obtinebitur à fœminis quæ non patiuntur ſe à ſuis regi affectibus: Indulgendum proinde Gravidis quantum fieri poteſt, ac ipſis concedenda alimenta & alia non valde noxia, ſicut avertendæ ſunt à rebus noxiis; dandæque opera ut animus ipſarum ſanæ rationi obediat, quo appetitui pravo imperet. *Sylvius.*

7. *Nauſea & Vomitus*) Vomitus, cum ſuppreſſione menſium, primum eſt ſymptoma mulieribus ſuperveniens, ex quo graviditatis ſuſpicio incidit; Illum non ſemper excitant pravi humores, uti vulgo credunt, in ventriculo congeſti ob menſes retentos: Humores hi corrupti appetitum quidem depravatum excitant in gravidis cum illuc affluunt aut ibidem generantur; non autem Vomitus qui primis impregnationis menſibus obvenit; non negaverim interim ſucceſſu temporis eundem foveri ab humoribus deinceps in eo corruptis, at priores illi vomitus meræ ſympathiæ, quæ eſt inter ventriculum & uterum adeſt, ſoboles ſunt, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ, & communicationem eorundem per nervorum continuitatem, ſexti paris nervorum à cerebro oriundorum propaginum; Uterus autem, exquiſitiſſimo ſenſu donatus, ex membranis nempe contextus, in graviditate expanſus & dilatatur, quodammodo ob id dolet, qui dolor eodem tempore per eandem nervorum continuitatem ad orificium ſuperius ſtomachi transfunditur, unde nauſeæ illæ & vomitus tum temporis familiares.

Id vero ideo contingere circa graviditatis initia, neutiquam ob pravos humores in ventriculo reconditos exinde eluceſcit, quod plurimæ mulieres à primis graviditatis diebus vomitu tentantur, quæ integra valetudine ante recentiſſimam conceptionem fruebantur; quo etiam tempore menſium ſuppreſſio nequaquam inducere adhuc poteſt ejuſmodi ſymptoma, ſympathiæ tantum lege enatum; Non ſecus ac videmus eos qui capite læſi ſunt, aut inteſtinis, aut qui nephriticis doloribus tentantur, nauſea & vomituritione tentari ſtomacho omni humore impuro vacuo.

Primo illo tempore Vomitus merum eſt ſymptoma, non admodum verendum, ſed ſi diu duret, ventriculi imbecillitatem inducit, impeditaque concoctione corruptionem inducit alimentis, unde tandem exſurgunt humores pravi, purgatione vacuandi.

Durat ille vomitus non raro ad tertium uſque aut quartum graviditatis menſem, quo tempore fœtus moveri incipit, ac deinceps moleſtus eſſe deſinit, redit que appetitus quo caruerunt primis menſibus, fœtus enim grandeſcens plurimo indiget alimento, abſumitque multos humores ſuperfluos quo fit ut non tanta copia refluant in ventriculum; adde quod tunc temporis uterus paulatim aſſuevit extenſioni: In nonnullis extenditur vomitus ad tempus uſque partus, unde non raro impendet abortus periculum, eoque magis quo plus ad illum terminum accedit, ratione gravitatis fœtus, qui tunc violentius verſus inferiora propellitur: Nonnullæ etiam vomitu gravius torquentur poſtremis quam primis menſibus, tunc enim ventriculus non ut convenit extendi poteſt ad excipiendum alimentum, ab inſigni uteri intumeſcentia compreſſus; Ejuſmodi vomitus, circa impregnationis finem obortus in mulieribus quæ fœtum ſublimem geſtant, vix deſinit ante partum.

Vomitus illi initio admodum metuendi non ſunt, dummodo citra ingentes conatus fiant; at ſi ad quartum uſque graviditatis menſem perſtiterint, remediis conſulendum eſt, quia ab indeſinenti alimentorum rejectione, mater & fœtus, qui plurimo indiget ſanguine, qui tunc illi cedit in alimentum, in ſummam debilitatem deducerentur; adde quod à continuis illis ventriculi ſubverſionibus inſigni excitata commotione & compreſſione alvi in matre fœtus ad exitum immaturum impelleretur, vel forſan ſucceſſive fieri relaxatio uteri, hernia ventris aut inguinum. *Mauriceau cap. 12. lib. 1.*

8. *Vomitus*) Vomunt etiam aliquando cibos coctos gravidæ, aliquando crudos, interdum vitioſos humores cum cordis palpitatione, ac tremore, cujuſmodi mulieribus maximo erit uſui decoctum *majoris chamæmeli* (quod ſimillimum abrotonis eſt) quod omne remediorum genus ſuperat, Item.

℞. *Conſerv. roſar. bugl. cortic. citr. cond. ana* ℥ii.
Corall. r. ʒiiß. *margar. non perfor.* ʒi. *oſſis de corde cervi* ʒß.
Myrobal. emblic. cond. ſacch. roſat. tabellati āā. *quart.* j. *fol auri n.* vi. *paſſular. mundat.* ℥j. *f. Conditum quo utatur* frequenter longe à paſtu. *Joh. le Bon.*

8. *Nauſea & vomitus*) Bilis præſertim unà cum

ſucco Pancreatico (vide §.) noxam ſuam exſerit, Nauſeæque ac Vomitus, ut & Faſtidii ac Malaciæ cauſa exiſtit: quibus enim bilis per ſe fluidior, mobilior & acrior exiſtit, iiſdem non tantum nauſea, ſed vomitus quoque ſolet eſſe moleſtus: Quibus autem ſuccus Pancreaticus eſt auſterior, iis nauſea quidem excitabitur non facile vomitus: Ex quibus obſervationibus cenſeo Bilem præ aliis humoribus omnibus maximam ex gravidatione pati mutationem: Cujus etiam hæc poterit reddi ratio quod Bilis omnium humorum ſit maxime mutabilis.

Sal enim volatile bilis facillime movetur, mutatur, & alteratur, & ita quidem ut alios humores ſimul moveat & agitet: Succus autem Pancreaticus, quia eſt naturaliter acidus, non eſt in corpore noſtro tam mutabilis & mobilis, ſed facile pituitæ in tenui inteſtino repertæ ſe immiſcet, vimque ſuam quodammodo fractam concentrat, & ſi bili occurrat, illi penitus jungitur, ac cum ipſa coagulatur; Quod imprimis evenit quando idem ſuccus vergit ad auſteritatem, qualem animadvertimus in omnibus vel natura, vel ob cauſas externas triſtibus & melancholicis.

In hilaribus autem ſolet ſuccus idem blandior eſſe, minuſque tum acidus tum auſterus, unde in talibus præter nauſeam Vomitus ſæpius ſolet eſſe moleſtus: Videtur enim ſanguis circa uterum retentus, & novam in eo alterationem paſſus, ex parte ſaltem fieri magis tenuis & ſpirituoſus; qui proinde toti maſſæ redditus, ac continuo bili & ſucco Pancreatico junctus humorem utrumque præſtat ſimiliter tenuiorem ac ſpirituoſiorem, adeoque magis mobilem, atque ad halitus ſubtiles producendos magis aptum.

Dum autem halitus tales in tenui inteſtino excitantur, & ad ventriculum attolluntur, ipſumque vellicant titillantque, ac proinde mordicant, non mirum ſi plerumque nauſea, ſæpe vomitus, quoque ſequatur, & imprimis ventriculo vacuo, & aliquando cibis pleno: Etenim ſicut vacuus ventriculus facilius admittit tum halitus tum humores à tenui inteſtino aſſurgentes, ita irritatur idem facillime ab iiſdem, ſolent namque à cibo potuque in ventriculo exiſtentibus tum temperari humores, halituſque acres, vel alias tenues, ac quovis modo ventriculum mordicantes vellicanteſque, tum ventriculus ipſe iiſdem oblini & muniri contra prædictam humorum halituumve acrimoniam: Contrarium evenit in aliis fœminis gravidis, ut nempe vacuo ventriculo habeant melius; aſſumptis vero alimentis pejus, quatenus ab alimentis aliqua ſui parte, fluidiore ſcil. ac ſpirituoſiore, ad inteſtinum tenue deſcendentibus ob vitioſam efferveſcentiam irritatur bilis propter gravidationem vitiata, & prius à ſucco pancreatico forſan, ne nauſeam vomitumve pariat impedita, nunc vero à parte alimentorum maxime ſpirituoſa & volatili rurſum expedita, accedente forſan ſucci pancreatici auſterioris contemperatione ab iiſdem alimentorum partibus maxime ſpirituoſis: Prout ergo diverſimode tum abſolute, tum in reſpectu ad ſe invicem affecti ſunt bilis ſuccuſque pancreaticus, ita nunc ob alimenta in ventriculo exiſtentia, nunc abſentia, & nauſea & vomitus diverſimode gravidas ſolent affligere. *Sylvius l. 3. c. 6.*

9. *Siſtendus non eſt*) Id obſervandum affectus qui non gravidas occupant, ut Vomitus, Inappetentia & ſimiles, magis indigere purgatione quam venæ ſectione, quia fiunt à Cacochymia in ventriculo & toto corpore redundante; In Prægnantibus vero magis indigere phlebotomia, quia fiunt ex ſanguine retento ab ipſo graviditatis initio, Et docuit experientia Vomitum, qui prægnantes frequenter infeſtare ſolet, primis geſtationis menſibus à purgationibus exacerbari, à venæ ſectione vero plurimum ſublevari, imo vero in totum auferri, ſi uſque ad ſolutionem ſymptomatis ſingulis menſibus iteretur. *Riverius.*

10. *Si difficilis*) Vomitionis impetus ſedabitur, (illam enim omnino cohibere impoſſibile) exhibitis alimentis probi ſucci iiſque exigua copia, ſed crebrius: ut ventriculus illa continere valeat, neque ad ſui expulſionem ventriculum impellant; Hic vero corroborandus cibos condiendo ſuccis aurantiorum, granator., citrii mali, limonior. omphacio, aut modico aceto roſaceo, utatur pulte hordeacea, aut triticea, farina prius in furno leviter exſiccata; addendo pulti vitellum ovi unum vel alterum, In fine paſtus cydoniati tantillum comedat, aut ribium gelatinæ, Potus ſit vinum verus potius claretum quam album, aqua fontana probe dilutum, eaque chalybeata. Abſtineat præſertim à cibis pinguioribus, qui molliciem & flacciditatem inducunt ventriculo, jam ſatis à vomitu relaxato, Nec non à condimentis dulcibus & ſaccharatis, contra indulgeat acidiuſculis à quibus recreatur & robur accipit.

Si nihilominus perſtiterit Vomitus ultra medium geſtationis tempus, indicio eſt parietibus ventriculi pertinacius adhærere corruptos humores quos excutere non valuere prægreſſi vomitus, qui per inferiora deturbandi aſſumpto quopiam diſſolvente; id quod faciendum exhibita *ſenna, vel rhabarb.* vel uncia una *ſyr. de cibor. comp. cum rheo*, cujus ope καταῤῥέωοι fient illi humores, ſimulque robur conciliabitur partibus: ſed præſertim habenda eſt ratio qualitatis humorum purgantium; Si una purgatio non fuerit ſatis, ad aliam deveniendum conceſſis aliquot quietis diebus.

Sin adhuc urgeat vomitus, etiamſi nullum adſit in diæta delictum, & purgatio debita præceſſerit, in his non ſubſiſtendum ne graviora ſuccedant, quæ Medici incuriæ adſcriberentur; impendet enim periculum abortus: ſin ſuccedat ſingultus, inanitionis indicium, mali erit ominis, juxta aphor. *A vomitu ſingultus malum.*

Monendum hic non raro è re ſanguinem emittere priuſquam purgans exhibeatur, horum vomituum cauſa, interpoſito aliquo inter ambo hæc remedia ſpatio, vitandæ gratia nimiæ humorum agitationis, & commodioris vacuationis cauſa: quod remedium valet præſertim in muliere ubi ſanguis redundat, quia totum abſumere nequit tenellus fœtus; ille enim cum non ut tante evacuetur, refluit in totum corporis habitum, & ſymptoma parit juxta naturam partium quas obſidet, imo in cacochymiam abit.

Jubent nonnulli, irritis omnibus præſidiis, in fine paſtus admoveri grandem cucurbitulam regioni ventriculi, quæ ipſum proprio contineat loco; ſed inane eſt iſtud auxilium, ſiquidem ſtomachus vagus eſt, neque adhæret parti illi ſuperiori ventris: Author potius eſſem gravidis ut hyeme regioni illi imponerent fruſtum panni hirti, vel pellem agninam, aut cygni, cujus beneficio incaleſcat iſta pars à crebro vomitu frigidior & debilis reddita, ſicuti id apud Italos in familiari eſt uſu, &c. *Mauriceau.*

10. *Si*

[10]. *Si difficilis, &c.*) Si valde vrgeant vehementerq; Gravidas affligant, ita vt metus ſit ne gravius ipſis ſuperveniat malum, poſſunt quoque vſurpari Opiatæ & Narcotica; vtpotè quę tum humorum acrimoniam temperant, tum eorundem vitioſam effervescentiam comprimunt, tum ſenſum omnem obtundunt, ſicq; potentei vomitum nimium &moleſtum compeſcunt. In hunc finem conducunt Laudanum opiat. *Theriaca, Diaſcord. Philonium Rom. Requies Nic. &c. Laudanum* quidem *Pilul.*forma, cætera vero Electuar.modo & conditorum deglutita, vel liquoribus convenientibus, ac aromaticis & ſubaufteris diluta: horum enim ope ad tranquillitatem deducuntur humores ad tenue inteſtinum confluentes, & ipſe ventriculus cum tenui inteſtino; quo facto felicius tum cætera alterantia, tum ipſa poſſunt aſſumi alimenta: fruſtra ſiquidem vſurpantur hæc omnia cum vehemens vrget nauſea & vomitus, qui omnino ſedandus, priuſquam vel alimenta vel blanda alterantia retineri queant medicamenta. Ad vomitum hunc vehementem compeſcendum conducunt etiam Externa, olei, Empl. Cataplaſm. &c. forma, vbi ſemper ſunt optima aromatica, ſed adſtringentia, additis nonnunquam, quo vis eorum ad interna deducatur ſpirituoſis, vino generoſo, vini ſpiritu, & panis mica. *Sylvius.*

[11]. *Tormina & dolores ventris*) An tunc clyſmata, fotus & litus conveniunt? Cavendum ne dum id fit effœminatio partium vicinarum conſequatur, vnde Abortus fiat. *Ballonius Epid.p.11.*

[11]. *Tormina & dolores ventris*) Qui poſtremo graviditatis *tempore nonnunquam imponunt ignaris obſtetricibus, pro veris partus doloribus habentibus.* Caveant Obſtetrices (inquit *Mauriceau l. 1 de Aff. Gravidar. c.7.*) ne ipſæmet authores ſint necis infantium, quin & nonnunquam matrum, partum intempeſtive promovendo, id quod crebro artis imperitis accidit, quæ ſi prægnans conqueratur de doloribus ventris & lumborum, partus dolores eſſe indicant, quos ideo excitant, cum compeſcere & ſedare deberent, ſicque partum præmaturum cient; Mulierem novi, vtero gerentem à ſex menſibus, præterpropter, quæ ingentibus correpta doloribus Obſtetricem accerſit. Hæc parum perita, partum modis omnibus accelerare annititur, dolores intenſiores reddendo injectione clyſterum acrium, ad deambulationem incitando, non ſecus ac ſi legitimum pariendi tempus fuiſſet; ſed biduo exacto cum operam inanem ſe ludere videret, inops conſilii me advocari jubet. Præſto adfui, manuque inferioribus partibus admota deprehendi orificium vteri internum dilatatum, adeo vt extremitatem minimi digiti admitteret parte interna; ampliorem vero hiatum externa. Porro perpendens præter hos dolores nullum ſymptoma ægræ moleſtum eſſe; hanc jubeo lecto ſe committere, in quo octo aut novem dies decubuit, totoque eo tempore à doloribus fuit immunis; vterusq; ſponte occluſus, ſicuti iterum poſt aliquot dies locellos contrectanti innotuit, fœtum nihilominus deinceps toto trimeſtri geſtavit, filiam robuſtam enixa. Si votis obſtetricis annuiſſem, proculdubio ſexto menſe mulier illa fœtum, ſed mortuum, abortivo modo excluſiſſet.

Alvi fluxus in Gravidis.

[12]. *Alvi fluxus*) Triplex ſtatuitur, *Lientericus*, quo incocta dejiciuntur, *Diarrhoicus* cum pravi humores expelluntur cum excrementis alvinis, & *Dyſentericus*, cum etiam cruenta.

Cujuſcunque naturæ fuerit, ſi modum exceſſerit & diuturnior fuerit, in periculum abortus gravidam conjicit, *Mulieri vtero gerenti, ſi alvus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat, aph.34.ſect.5.* Si enim fluxus ſit *lientericus*, cum alimenta inconcocta prodeant, neque generetur chylus materia ſanguinis, fieri aliter non poteſt quin & fœtus & mater debiliores fiant, alimenti defectu, ſi ſit *Diarrhoicus*, iſque diuturnus, idem adeſt periculum ab inſigni ſpirituum diſſipatione, qui cum humoribus evacuantur: Maius vero imminet damnum à fluxu *dyſenterico* quia tunc vrgentia tormina ęgram infeſtant, excitata ab inteſtinorum exulceratione, inde perpetuo vellicantur & incitantur ad expulſionem humorum acrium & bilioſorum, quibus ſuccedit inſignis vteri commotio & agitatio, recto inteſtino incumbentis, cujus particeps fit fœtus; accedente compreſſione muſculorum omnium imi ventris, nec non eâ quam facit diaphragma deorſum compulſum in conatibus mulieribus ægre egerentis, qua de cauſa fœtus ante ſtatutum tempus egreditur; id quod facilius accidit ſi teneſmi graves ad fuerint id quod etiam innuit *Hippocr.aph. 27.7. Mulieri vtero gerenti. ſi tenſio ſupervenerit, facit abortum.* Teneſmus iſte affectus eſt inteſtini recti ob quem vehementer conantur excutere quæ ſibi moleſta ſunt, etſi tantum bilioſa quædam & cruenta excernantur, quæ continuo partem laceſſunt.

Ejuſmodi ventris fluores gravidis accidunt, id plerumque fit, quia concoctio ventriculi male perficitur, ob alimenta pravi ſucci ingeſta ab iis quæ pica laborantes indulſerunt appetitui abſurdorum, quorum vſu aſſiduo tandem debilis factus ventriculus, contenta nequaquam concocta dimittit & elabi ſinit, vel ſi diutius in eo ſubſtiterint, in pravum chylum convertuntur, qui ad inteſtina propulſus, acrimonia ſua illa irritant & ad excretionem ſolicitant.

Porro etiam ſi Diarrhœa, cujuſcunq; ſpeciei fuerit periculum abortus ſemper invehat, etiã teſte *Hippocrate*, nihilominus à me obſervatæ prægnantes quæ toto graviditatis decurſu illam toto bimeſtri aut trimeſtri citra abortum expertæ ſunt, quo ſtatim à partu liberatæ fuerunt, quod accidiſſe vxori *Epicharmi* dicit *Hippocr.l. 5.& 6.Epid. Schenck ius l.4.obſ.* refert hiſtoriam mulieris dyſenteria laborantis, in qua ramenta inteſtinorum toto quadrimeſtri excreta ſunt, quæ cum nulla remedia ſedare potuiſſent, illico à partu fœtus bene valentis deſiit. At vero ſingularia hæc regulam non infringunt, in diſcrimine abortus verſari gravidam, quin & vitę, niſi fluor illico à partu deſinat, monente *Hippocr.l.2. Prorrhet,* Si *mulier dyſenteria laboret ante partum, & evadendi ſpei ſit, deſinere debet affectus ipſomet partus die, aut ſaltem paulo poſt.*

Si ergo fluor fuerit Liéntericus qui ſuccedat, vt crebro accidit, continuato vomitui, à quo robur ventriculi infractum, ejuſq; mebranæ relaxatæ, adeo vt cum præ debilitate amplius per ſuperiora expellere valeat alimenta, ſed per inferiora diffluere permittat. Tunc gravida repudiet quæcumq; abſurdus appetitus ſuadet, vtaturque cibis facile coctilibus, parva copia ingeſtis, vt facilius ea ventriculus concoquere & continere valeat; tantillum vini rubelli bibat, aqua chalybeata diluti, valedicendo ptiſanæ vt pote noxiæ, niſi febris valida aliud ſuaſerit, nam levior vini dilut vſum non prohibet, ſymptomatica enim cum ſit, fovetur à dicta ventriculo imbecillitate, quæ deſitura eſt quamprimum robur illi reſtitutum fuerit: Conducibilis etiam eſt vſus, ante & poſt paſtum, corroborantium, cujuſmodi eſt *vinum aduſtum, Hippocraticum*, aut *Hiſpanicum.* Nec inutilis erit *conſer.roſ.* aut *cydoniatum* ante cibũ vſurpatum. Muniat etiam regionem ventriculi admota pelle agnina aut cygnea, vel vulturina; augendi gratia caloris naturalis; valedicẽdo quibuſlibet purgantibus, ſi fluor ſolam debilitatem cauſam agnoſcit.

Si fluxus ſit *Diarrhoicus* quem excitet ſolum excrementa in inteſtinis contenta, quibus admiſcentur humores aliqui impuri illuc à natura tranſmiſſi, ſi diuturnior non ſit nec fuerint & crebriores dejectiones, nullũ inde damnum gravidæ imminet quamdiu limites non exceſſerit, reſq; naturæ permittenda, neque cohibendus fluxus, ſed ſolum moderandus, Sin quatriduum excedat

cum indicium ſit ortū ducere ab humoribus tenacius parietibus inteſtinorum affixis, qui continua vellicatione inteſtina irritent, Tunc cathartico aliquo detergendi & evacuandi ſunt, nam fluor poſtmodum deſiturus eſt, Ad id valet lenis *ſenna* infuſio, & *rhabarb.* addito *ſyrupo de cichorio.*

Si nihilominus perſtiterit fluxus, abeatq; in *dyſenteriam*, cruentæq; cū teneſmo & dolore adſint dejectiones, maximum imminet abortus periculum. Ideoq; expurgatis vitioſis humoribus per medicamenta ſuperiùs memorata, præſcriptaq; convenienti diæta, ne novi ſuccedant (quamobrem in vſum duci debent juſcula carnis vitulinæ & gallinacei generis, quibus incoqui debent herbæ refrigerandi vi præditæ, tēperandæ gratia humorum calidorum acrimoniȩ) veſcatur pulte cui vitelli aliquot ovorum admiſceantur, ſed rite coctâ; eiuſmodi enim alimenta inteſtina obducunt & leniunt; potus ſit aqua chalybeata, addito pauco vino, ſi febris abfuerit; alias *ſyrupi cydoniorum* aut *granator.* prædictæ aquæ admiſcebitur ad ſemicochlear. Valet & *cydoniatum, conſerva rubr. &c.* dummodo corpus antea ab immunditiis expurgatum fuerit.

Cum porro fluxus hujus perpetui comites ſint inſignes dolores & tormina gravia, præſertim inteſtini recti, quia in illud humores omnes influunt, ac cōtinue laceſſunt, teneſmum perpetuum inducentes, mulcendi erunt illi dolores, ne abortus ſuccedat, quamobrem vtiles erunt Clyſteres ex jure capitis vitulini aut vervecini probe cocti, additis *olei violac.* ℥ij. aut ex *lacte pingui* in quo diluti ſint duo *ovorum vitelli*.

Ab vſu ejuſmodi enematum anodynorum & nutrientium, quæ diutius contineri debent, ad detergentia tranſeundum parata ex *decocto malvæ, althææ* & *melle roſato*; quibus ſuccedere debeant adſtringentia, quæ carere debent oleis & melle, quibus laxandi vis ineſt; à lenioribus incipiēdo, factis ex *aq. roſ. plantag. lactucæ* hinc tranſitus fiet ad validiora, cōpoſita ex *decocto totius plantag. verbaſci, hiſpuridis, roſ. rubr. & malicorii*, cum *aqua fabror.* facto, quibus addendæ *terræ ſigill. & ſang. dr.* āā. ℥ij. Quo decocto etiā foveri poterit podex. Sed cavendum ne ad iſta generoſa adſtringentia deveniamus ante expurgationē, ne, vt ajunt, lupus in ovili includatur; & dum prohibere volumus abortum, majori infortunio matrem neci tradamus; ſimulq; fœtum, coërcitis interius plurimis vitioſis humoribus quos natura excutere tentabat. Quod periculum declinabimus, ſi accuratè ante dicta obſervata fuerint. *Mauricean c.19.l.1.*

12. *Alvi fluxus*) Hippocr. 5. aph. 34. *Mulieri gerenti vterum, ſi alvus multum fluat periculum eſſe ne abortiat* pronuntiat, Et 5. aph. 30. *Lethalia eſſe gravidam morbo quodam acuto corripi.* Hinc tam delicate tractandas eaſdem purgantibus communis eſt ſententia; Nihilominus vtroq; licet caſu combinato, morbo nempe acutiſſimo, & fluxu alvi vehementiſſimo, ſæpe evaſiſſe gravidas. Exemplo ſit dyſenteria epidemica anni 1669. nobiſcum graſſata, cum enim in pluſquam 400. ægris tunc multa obſervare licuerit, nil magis miratus ſum quam nullam gravidam ea affectam fuiſſe mortuam, Suggerunt mihi ephemerides meæ vltra decem, quæ omnes partim primis, mediis, partim & vltimis fœtum geſtantes menſibus, ea correptæ, cum vomitu ſimul moleſtiſſimo, dejectis ſimul viribus, febre petechiis horrenda, cum torminibus maximis & dejectionibus frequentiſſimis ſalvæ evaſerunt felici partu debito tēpore ſubſequuto. Quodque majus eſt, in binis aliis, cum ipſo partu, termino menſium completo, dyſenteria illa gravis coincidit, fœtu matreque ſalvis manentibus.

Hinc confidentius poſtmodum gravidis purgantia exhibui, manifeſto cum emolumento; Et apparet ex his quam ſollicite natura ſpem vteri defendat, vt ecbolia ejuſmodi etiam ab ſubleſtȩ fidei hominibus in vſum vocata & celebrata, v.g. decoctum ſabinæ, tanto cum ſucceſſu non exhibeantur plerumque quantum exin ſibi vulgo promittunt veſanæ meretriculæ: Et plerumque non ſine periculo gravidæ ipſius expulſio taliſmodi inſtituitur, *quod veriſſimum eſt*, docente *Heccio obſ. 14. ægerrime poſſe occidi fœtum, niſi ſimul enecetur mater, cum magna opus ſit violentia, ſive extra adhibeas medicamenta. Wedelius med. Sept. vol. 2. p. 63.*

13. *Dolor Dentium*) Gravidæ dolor dentium ſæpe tentantur, imo nonnullis non alio imprægnationis ſignum certius agnoſcunt: qui accidit à vaporibus ex menſtruis retentis exſurgentibus ad caput delatis, à quibus inquinatur ſanguis illius nutritioni dicatus, quo gravatum illum deponit in dentes.

Sedatur hiç dolor intercipiendo fluxionem applicatione emplaſtri temporibus, parati ex maſtiche, emplaſtro contra rupturam, addito pauco opio: Ad diſcuſſionem autem humorum *Empl. ex gummi tacamahaca* admodum commendatur, vt & *decoctum ſalviæ, corticis coriandri.* Valet etiam decoctum *hederæ & ſalviæ* factum in *vino*, addito pauco *aceto*, calidum admovendo denti.

Sin humor fuerit frigidus admoveatur denti goſſipium intinctum *oleo thymi, caryophyll.* aut *ſalviæ*: Affricari quoq; poteſt denti theriaca, pauxillum cavo dentis immittendo (at quia odor moleſtus eſt, imponatur potius *granum piperis*, *caryophyllus*, aut *pyrethri* tantillum.

Sin humor fuerit calidus, ſingulare eſt præſidium frigidam ore continere, vel pauxillum *Philonii* Romani cavo denti imponere, aut *pilulam* de *cynogloſſo*, vel *laudani*: Millies experus ſum *ol. camphoræ* in quibuſvis doloribus; Sæpius ſequens à me probatum.

℞. *Album. ovor. n°. ii. concutantur probe addendo piper. comm. pulveriſ.* ʒij. Stupis excipe, & impone tempori & genæ affectæ. *Guillemeau Partu fel. l.1. c.10.*

14. *Dolor capitis, vertigo, Tuſſis, Palpitatio cordis, lipothymia, &c.*) Non tantum nominata, ſed non raro alia quoque, vt *Animi levia*, quandoque gravia *Deliquia*, *vertigines*, *motus* corporis languidus, *Febres variæ*, *macilentia*, *cachexia*, *Anhelatio*, *&c.* Habent affectus iſti omnes ortum ſuum ex vitiata in tenui inteſtino Bilis ſucci Pancreatici efferveſcentia, propter quam 1. halitus ad ventriculum aſſurgentes *Animi Deliquia* excitant, tum levia, tum gravia, tum illorum duntaxat præludia, ob eandem efferveſcentiam vitiatam. 2. Si halitus aut per ventriculum ac œſophagum, aut per lacteas venas, ductum thoracicum, venam jugularem, cavam ſuperiorem, & cordis auriculas ac ventriculos, pulmonumve vaſa, ipſamque arteriam magnam ferantur ad caput, atque ſpirituum animalium motum turbent, oritur *Vertigo*, cujus cauſa nonnunquam & ambulantes, & imprimis per gradus deſcendentes Gravidæ corruunt, at ſi non tentet ipſas, fœtum ſaltem ſuum non parum lædunt. Si 3. Halitus iidem ſpiritibus animalibus confundantur, aut corpus vniverſum ac muſculos præſertim occupent, *Languorem* ſolent in motu producere, vnde vix progredi poſſunt multæ Gravidæ, ni ſuſtententur. Si 4. iidem Halitus Acriores facti ad cor ferantur, *Lentas* fere ſolent producere. *Febres* Gravidis ſatis familiares, & ad quoſvis Animi affectus gravius leviuſve ipſas afficientes: Quin & ab eadem efferveſcentia læſa & *macilentia* & *cachexia* oboritur. Ad *macilentiam* faciunt non tantum halitus acres, vt defectus quoque alimentorum, cui tum maxime debetur macilentia cum color faciei permanet laudabilis: Halitibus autem acribus cum læditur quoque calor nativus & vividus, tunc accedente in quibuſdam febre Hectica: *Cathexia* corripit cum tota ſanguinis maſſa ſenſim corrumpitur, vel loco alimentorum convenientium prava vſurpantur, fieri enim vt corrupta vniverſa ſanguinis maſſa,

vel

vel à ſolis humoribus corruptis, & maſſæ redditis, vel inſuper ab alimentis pravis nutritio fiat laudabilis, quia potius augetur in dies vitium illud, vnde niſi Gravidarum talium cura inſtituatur conveniens, & graviſſimorum & lethalium affectuum periculum incurrent, ſive manifeſtentur illi durante adhuc vteri geſtatione, ſive in partu ipſo aut poſt. Sicut autem Gravidarum affectus omnes ſunt periculoſiores quam fœminarum reliquarum, ita majori opera indigent, in tempore curando aut præveniendo. Sed Gravidis nonnullis familiaris eſt *Anhelatio* feſtinanter anhelantibus ac imprimis gradus aſcendentibus eveniens, quam & halitibus à tenui inteſtino ad pulmones delato, atq; in iiſdem hærentibus, ſed ad corporis motum concitatiorem aut difficiliorem magis motis ortum ducere exiſtimo, *Sylvius Pr. l.3. c.6.*

Febres Lentæ Gravidis tam frequentes, aromaticis & ſalibus volatilibus oleoſis non parum levantur & ſenſim etiam curantur. *Macilentia*, quin & *Cachexia* non parum emendabitur ab iiſdem ſalibus volatilibus oleoſis, omnem humorum halituumq; acrimoniam corrigentibus, & ſanguinem ab ipſis depravatum emendantibus, Quæcunq; autè inſuper vſurpanda veniunt ad humorum quorumvis in gravidarum corpore prius exiſtentium, aut correctionem aut diminutionem, eadem quoque poterunt prudenter in vſum revocari, attendendo ſemper cùm majori circumſpectione hic procedendum quam extra graviditatem. *Anhelatio* multis gravidis tam moleſta quam familiaris levabitur iiſdem medicamentis aromaticis, & ſalibus volatilibus, quatenus flatus halituſque eadem diſcutiunt, à quibus anhelationem originem trahere cenſeo. *Sylvius.*

[15] *Vertigo*) Hæc gravidis nonnullis ſatis familiaris curabitur aromaticis & ſale volatili oleoſo, quippe quæ halitus quoſvis vitioſos diſcutiunt & corrigunt, ac præterea ſpiritus animales puriores faciũt, & ad omnes functiones animales rite obeundas aptiores. *Sylvius.*

Alia *mediis geſtationis menſibus* infeſtant, & ſunt.

I. [16] *Tuſſis* [17] à vapore acri, vel ſanguine tenuiore ad venas pectoris converſo, quæ propter concuſſionem muſculorum abdominis, vigilias, dolorem capitis, periculoſa eſt.

II. [18] *Palpitatio cordis* & [19] *lypothimia*, quæ ſi à ſanguine copia oritur, prodromus eſt abortus, & [20] venæſectione curatur.

III. [21] *Lumborum & coxendicum dolores*, vel [22] à ſanguine ſuppreſſo, in vaſa illorum locorum decumbente, vel à grandeſcente fœtu.

IV. [23] *Hæmorrhagia Vteri*, [24] *Narium*, [25] *Hæmorrhoidum*, quæ fit.

A ...*rum uteri rupturâ*, ob cauſas evidentes, quæ ex relatione ægræ cognoſcitur.

2. [26] A *ſanguinis copia*; & tum, fœmina bono colore prædita eſt, fluxus bene à gravidâ toleratur, minus periculi eſt, modò fluxus non ſit nimius.

3. A *fœtus* [27] ſanguinem non attrahentis *debilitate*: & tum, plerumque aut partus vltra debitum tempus protrahitur, aut difficilis fit, aut [28] abortus inſequitur, [29] ſigna *Debilitatis fœtus* adſunt, id eſt, [30] *vel* fœmina profluvio alvi laborat, quo fœtui alimentum ſubtrahitur, *vel* menſes gravidæ ſæpius fluunt. *Vel* [31] mater ſæpe aut diu ægrotat, vnde vitium alimenti exoritur. *Vel* [32] mammæ, [33] quæ antea turgidæ, ob alimenti in venis uteri mammarumque communibus inopiam extenuantur. *Vel* fœtus, qui jam moveri inceperat, vel moveri debebat, *vel* non movetur, *vel* movetur languidius.

4. Ab *Humoribus pravis* expultricem ſtimulantibus; & tum, acria, colorata, fœtida, cum dolore effluunt, ſigna cacochymiæ adſunt.

Tuſſis & Reſpirandi difficultas.

[16] *Tuſſis*) Mulieres quæ fœtus declives geſtant, vrinæ difficultatibus magis obnoxiæ ſunt; quæ autem ſublimem magis minus quidem illas perpetiuntur, ſed viciſſim Tuſſi magis fatigantur ac dyſpnœâ.

Si gravis ſit Tuſſis, quæ eouſque nonnunquam moleſta eſt, vt etiam vomitum excitet, perieuloſiſſima eſt, vtpote quæ abortum nonnunquam cieat, Illo enim conatu pulmones dum conantur è pectore extundere id quod ... um eſt, ſuccedit compreſſio muſculorum omnium pectoris qui hac ſua actione valide comprimentes ... contentum, quo tumidi ſunt pulmones, ſimul quoque vehementer impellunt diaphragma deorſum verſus, ac præſertim vterum gravidæ, qui ideo adeo commovetur, ſi id ſymptoma diuturnum & vehemens fuerit, vt nonnunquam ſecundina divellatur, quam cum cohibere amplius nequeat, ſeſe recludit ad illius excluſionem intempeſtivam, id quod non raro accidit inſigni cum hæmorrhagia, cujus eventus ſæpe fui teſtis.

Tuſſim iſtam quandoque excitat ſerum acre & mordax, è cerebro in trachæam arteriam illabens nonnunquam à ſanguine ejuſdem conditionis oboritur, qui ex toto corporis habitu in pectus influit ob ſuppreſſos menſes, vt & ab inſpirato aëre frigidiore illis partibus moleſto, & ad talem motum impellente, ſed præterea Tuſſim plurimum adauget compreſſis diaphragmatis ab vtero facta cui libertas motus denegata eſt in illis quæ fœtum ſubliniorem geſtant, ab inſigni illius extenſione fere omnes abdominis partes ſurſum compellũtur verſus pectus, ventriculus præſertim & jecur quæ ad diaphragma deferuntur, ideoque ab his compreſſum.

Medela afferetur huic ſymptomati præſcripto recto victus regimine eoque refrigerante, ſi humores acres authores fuerint, abſtinẽdum à quibuſvis ſalſis aromaticis, acribus & acidis, v.g. citrio malo, arantiis, granatis, aceto, omphacio & aliis hujuſmodi, quæ vellicatione tuſſim intendunt; Lenientibus contra meatus vtendum, *ſucco liquiritiæ*, *ſaccharo cando*, *violaceo*, aut *mororum ſyrupo*, quorum cochlear vnum aut alterum admiſceri poterit priſanæ paratæ ex *jujubis*, *ſebeſten*, *uvis damaſcenis* & hordeo mundato, addita ſemper liquiritiâ.

Nec inutile fuerit humorum copiam avertere, eoſque ad inferiora detrahere clyſterum ope, ſed lenium.

Si hoc victus regimine inſtituto, nihilominus tuſſis perſeveret, adſintque ſigna plenitudinis, quolibet graviditatis tempore, neceſſaria eſt ſanguinis miſſio è brachio, etiamſi vero inuſitatum ſit iſtud remedium initio affectus, tunc temporis tamen in vſum ducendum, pertinax enim tuſſis magis metuenda eſt ipſa ſanguinis miſſione moderata.

Si Tuſſim frigus procreaverit, ægra cubiculo arcte concluſo ſe contineat, collum circumdet mantili duplicato, aut pelle agnina, vel cygnea, Lectum petitura hauriat cochleare vnum aut alterum *ſyrupi ex vino aduſto*, pectori admodum convenienti, quod & probam concoctionem promovet; ſic autem paratur.

℞. *Vini optimi* ℥viij. *vel* ix. *cinnamomi confracti* ʒij. *caryophyll. arom. n°.* vj. *ſacchari* ℥iv. excipiantur hæc ſcutellâ argentea, ebulliant luculento igne ſuppoſito, vt flammam concipiat curando, & coquendo ad ſyrupi conſiſtentiam; aſſumatur ſeſquihora à levi cœna, vel aſſumantur cochleare vnum aut alterum *Roſſolis Taurinenſis optimi.*

Id porro obſervandum tuſſi urgente vndecunq; orta ſit, veſtes laxiores eſſe debere ab adſtrictioribus enim vterus ſtrictus ad inferiora detruderetur, ob conatus in Tuſſiendo adhibitos, coitus quoq; noxius eſt, illa enim actio omnino infeſta eſt iis quibus pectus debile. Somnus præterea cum optime ſiſtat defluxiones, accerſendus eſt Julepo aliquo, abſtinendo à narcoticis gravidis omnino noxiis, niſi ſumma vrgeat neceſſitas,

In iis quæ ſublimè admodum geſtant fœtum, adeo vt pectore illum incluſum credant, quamobrem tanta vrget dyſpnoea & pectoris oppreſſio, vt vel à pauciſſimo cibo ſuffocationis diſcrimen incurrant, aut levi aſcenſu, vel deambulatione modica, ab inſigni vteri extenſione, ventriculum & jecur opprimente, hinc diaphragmate ſurſum compulſo, Aut quibus pulmones ſanguine diſtenti aëri inſpirato vix aditum concedunt, Reſpiratio liberior futura eſt facta levi ſanguinis miſſione è brachio cujus ope ſarcinæ parte levabuntur pulmones, motuſq; libertatem adquirent; Sin hujuſmodi reſpirandi difficultas cauſam agnoſcat compreſſionem ſepti factã ab vtero, ſurſum compulſis imi ventris viſceribus, non aliter mulieri conſulendum quam laxitatem indumentorum imperando, cibiq; paucitatem, ſed ſæpius ſumpti, alias futurum vt ventriculus alimento turgidus vlterius diaphragma vrgeat, vnde ſymptomatis incrementum. Vitandi quoque cibi flatulenti, cujuſmodi ſunt pleraque legumina illos vſurpãdo qui probum ſuccum generant & facile concoquuntur, ac alvo libertatem conciliant. Caveat ægra à timore & mœrore, quæ pathemata ſanguinem verſus cor impellunt, & pulmones, vnde ſuffocationis augetur periculum. *Mauriceau c. 16. l. 1.*

17. *Tuſſis à vapore acri, vel ſanguine, &c.*) Si Tuſſis infeſtarit, & gravida in dies macilenta evadat, vt fere fit in urbanis, ruſticis & nutricibus in quadrageſima ſuperſtitioſis (circa enim hujus finem agricolæ hic & vinitores confecti penuria victus & labore longorum dierum miſerabiliter moriuntur) mulier à condito ſequenti mirum in modum juvabitur.

℞. *Conſerv. roſ. rad. bugl cond.* ãã. ℥iß. *cortic. citr. cond.* ℥j. *paſſul. mundat.* ℥ij. *pineor. mundat. in aqu. roſ. infuſ.* ℥ß. *amygd. d.* ℥j. *margar. non perforat.* ℈ij. *pulv. diatr.* ℥ij. *auri fol. n°.* vj *ſacch albi q. ſ. f. condit.* quo vtatur ſæpe etiã non procul à cibo. Interea pectus *oi amygd. d. & butyr. rec inſulſo* mane illinatur, & fugiat aërem frigidum. *Joh. le Bon.*

18. *Palpitatio cordis*) Si quidem plurimi flatus & vapores in ventre gravidæ concluduntur, vnde intenſi lumborum dolores, inguinum & iliorum excitantur, Ex vtero etiamnum, aliiſve partibus vicinis, itidem exurgunt vapores, qui intra arterias incluſi, & ad cor delati, ejus exoritur Palpitatio & concuſſio, eorum moleſtiam excutere tentans.

Porro cum iſtud ſymptoma ſyncopen aliquando acceſſat, omnino illi occurrendum eſt, nam in quibuſdam mulieribus tanta vi id pulſare deprehenſum eſt, vt coſtas loco depulerit.

Si ergo conjectura fuerit gravidam pravis humoribus abundare, pravos illos vapores fundentibus, catharſis inſtituatur, venæ ſectio, ex antiquorum conſilio, ſed pauca quantitate repetitiſque vicibus ex mente enim *Galeni* nullum remedium venæ ſectioni æquiparandum eſt in revellendo ſanguine & vaporibus. Accedant remedia corroborantia, flatuſque diſcutientia, &c. *Guillemeau l. 1. c. 14.*

19. *Lipothymia*) Quoties Animi deliquia, tum gravia tum levia patiuntur Gravidæ, toties, cum halitibus acrioribus, ac ſimul acidis vel auſteris ſuum debeant ortum, curabuntur aut præcavebuntur medicamentis aromaticis ſæpius laudatis. & ſalibus volatilibus oleoſis, quippe quę quodvis acre obtundunt & acidum infringunt, auſterumque corrigunt. Quia vero fieri nequit, vt mox in totum tollatur illud malum, cum continue fere, ac præſertim ſtomacho jejuno, vti nonnullis potius eodem alimentis, ſed noxiis fere impleto, novi excitenturq; attollanturque halitus acres, ideo medicamentorum per breuia intervalla ſumptione frequenti opus eſt, quo halitus tum aſſurgentes corrigantur continue, tum humores pravi, ac vitioſe efferveſcentes in tenui inteſtino emendentur: Notandum animi deliquia evenire inprimis gravidis melancholicis & triſtibus, in quibus jam ante impregnationem latitabat animi deliquiorum cauſa, quæ proinde ob graviditatem non tam producta fuit quam commota. Nec obſtat quod docuerimus illa deberi Acido & auſtero, in Gravidis autẽ volatilitatem majorem nanciſci & ſanguinem & humores omnes, ipſamq; adeo bilem, vnde videri poſſet aliqua potius acidi auſterique correctio expectanda, quam vitioſa afferveſcentia, ſed obſervandum hęc animi deliquia non evenire facile niſi valde triſtibus ac melancholicis, in quibus cum humores omnes ob gravidationem reddantur volatiliores, ideoq; mobiliores, copioſius ſeparantur à ſanguine, abundantius efferuntur ad tenue inteſtinum ſucci melancholici, exurgantq; habitus plures. *Sylvius.*

20. *Venæ ſectione curatur*) Venæ ſectio in gravidis (quæ ad multa alia præterea vtilis eſt) Inſtituitur abortus præcavendi cauſa, alias ſanguinis quantitas nimia fœtum inundat; hæc primis menſibus celebrata præcavet abortũ, prolemq; à conſtitutione capitis humida defendit, partumque facit faciliorem, Hac prætermiſſa ſecretiones ſanguinei alimenti per poros parenchymatis infantũ rite non peraguntur; hinc corpus eorum multis ſcatet humoribus, flacceſcunt viſcera, turgent vaſa ſanguiſque in placenta coactus abortum cauſatur.

Ne autem infantes defluxionibus & catarrhis, aliiſq; cutis, capitis & faciei vitiis, & exanthematibus obnoxii fiant, Venæ ſectio neceſſaria eſt, Eadem hepatis calor præterea attemperatur, cerebrum à vaporibus & ſanguine nimio præſervatur, & ſanguinis ſpirituumque motus attemperatur.

Felicior ergo partus imminutam plethoram ſequitur, nec matricis inflationes aut febres ita metuendę ſunt, ad quas puerperę alias valdè ſunt proclives, quamdiu enim fœtus vteri vmbraculis tegitur, ipſo ſanguinis fluore, ſeu parte ejus puriſſima ſuaviſſimaq; reficitur, Hinc mulieribus poſtquam conceperunt languent oculi, pallet faciei color, oriuntur faſtidia, anxietas, animi deliquium, nauſea, vomitus, picæ. In brachio dextro venam aperiri juſſi, vt è proximo ſanguinis fonte redundans ſanguis exhauriretur, naturaq; eo ferme obruta vires prompte recolligeret.

Gravidis autem 4. 7. & 9. menſe v. s. concedi poteſt, 4. enim menſe firma jam ſunt ſtamina, Hæc à turgente & ſtagnante ſanguine jacturam facerent, niſi liberalior v. s. ſubveniret, *Septimo* menſe quoque plethoricis congrue vena tunditur, ſi abundat ſanguis, quia adhuc robuſtior exiſtit fœtus, jam movetur atque vitalis eſt menſe *nono* idem commode fieri poteſt, juxta regulam ruſticarum, optima ſperanda eſſe puerperia quando gravidæ faſcias, venæ ſectionis indices in manibus gerunt. Quin apud nos v. s. tanti æſtimant vt eam diſſuadere nemo facile auſit. *Joh. de Muralto* (Medicus

Tygu-

Tigurinus clariſſimus, in vrbe Patria medicinā faciens, regione ſingulari) *Reverum* gravidarum accidentia, & ſi cacochymiæ progenies pleraq; eſſe videantur, venæ ſectioni potius quam purgationi auſcultare & cedere ait. Adde illius beneficium, notante *de Muralto*, in infantem natum etiam redundare.

Dorſi, Lumborum, coxendicis dolores.

[21] *Lumborum & coxendicum dolores*) Dolores dorſi, lumborum & coxendicum ſoboles ſunt expanſionis vteri. Atque compreſſionis ab illo inductæ partibus vicinis ob magnitudinem & gravitatem. ſymptomata hæc vt plurimum graviora ſunt prima graviditate quam ſequentibus, in quibus vterus priſtinas reſumit dimenſiones, at eum nondum dilatationem illam adeptus eſt, ejuſmodi extenſio multo ſenſibilior eſt, ligamenta autem quæ ſitum naturalem ipſi conciliabant prima impprægnatione ægrius laxantur & divelluntur, cum nondum diſtenſionem illam ac elongationem paſſa ſint motui vteri obedilentia, in poſterioribus autem magis ſunt ſequacia.

Ligamenta hæc, tum longa tum rotunda, dolores hos inducunt, dum valide diſtenduntur & attrahuntur à magnitudine & gravitate vteri fœtu turgidi, *Lata* ſcilicet dolores dorſi & lumborum, quia illuc reſpondent, ac ambo valide nexu adhærent illis partibus. *Rotunda* vero pariunt dolores Inguinum, pubis & femorum, ad quæ deſinunt, Nonnunquam adeo vehemens eſt extenſio ab inſigni vteri magnitudine, ejuſque ingenti pondere, præprimis prima graviditate vt divellantur & abrumpantur, cum vlteriori extenſioni & elongationi inidonea ſint, ſi præſertim accidat mulieri pede titubante, vnde dolores acerrimi oriuntur, aliaque graviora accidentia.

Uterus quoque fœtu tumidus magnitudine & gravitate *coxendicum dolores* accerſit comprimendo nimiumque illis partibus incumbendo.

Sedandis illis omnibus doloribus nihil æque conducit quam decubitus, ac venæ in brachio ſectio, ſi forte præſuerit valida diſtenſio, aut ruptio alicujus ligamenti vteri: Cum vero vterus nimopere coxendici incumbit atque gravis eſt, ſi decubitus moleſtus ſit, ſubligaculo ex lata faſcia partito onus ventris ſublevet moleſtiam ad tempus vſque partus leviter ferendo, qui ſolatium allaturus eſt omnibus his ſymptomatis.

At vero obſervandum, ſi cum ejuſmodi Lumborum doloribus excretiones quædam ab vtero, antea non manifeſtæ appareant, in abortus periculo non levi verſari gravidam, præſertim ſi vtcunque cruentæ fuerint, vterum enim hiare nonnihil indicium eſt.

Alii præterea quandoq; occurrunt Lumborum dolores, alterius cauſæ effectus, ſunt q; colici nephritici, qui non minus liberius diſcrimen inducunt, ab his quippe vomitus excitatur qui ſuo impetu adeo percellunt vterum, ac ſimul totum corpus exagitant, vt partus dolores non raro accerſant, Id quod accidiſſe memini in Cavallieri vxore, cui ſeptimo menſe fœtum eduxit omnino corruptum, quem truncidaverat vehemens dolor colicus nephriticus à triduo aut quatriduo, Quapropter ſemper inquirendum ab ægra num forte parentum alterutr er nephritidi obnoxius fuerit, nam revera ægræ mater graviter olim ab hoc affectu afflicta fuerat, mortem quia fuerat a calculo rene obleſſi; Ideo eumquoq; ſiquem vrinarum inſpectio neceſſaria eſt ad legitimę cauſæ affectus dignotionem. *Mauriceau c.13 l.1.*

[21] *Lumborum & Coxendicum dolores*) Nonnullæ mulieres fœtum ſublimem geſtant, ac. vt ipſæ dicunt, in ſtomacho, adeo vt expeditæ ſint & hil. res. libero greſſu incedant, neque quam graves. Aliæ fœtum depreſſum geſtant, non levi incommodo, coxendicum enim dolore laborant & inguinum, atque non aliter conqueruntur quam ſi partes illæ divellerentur, abdomine fœtu admodum prominente; Aliæ contra fœtum habentes conditum verſus renes, vnde magni dolores lumborum illis moleſti ſunt,

Poſterioribus his ſuccurrendum, non vt ait *Hippocrates*, quando dolores lumborum & femorum gravidā nimis vexant, abortus periculum imminet; Idem dicendum de iis quibus imus venter aut inguina dolent.

Ejuſmodi dolores fœtus gravitati potius adſcribendi ſunt quam humorum copiæ; vterus enim cum tunc temporis craſſus ſit & denſus, fœtu præterea grandi turgidus, ſecundina obvallato, aquarum mole nonnunquam refertus, quodcunque in latus ſe convolvat gravida, ſimul diſtrahuntur illius ligamenta prædictis partibus illum adnectentia; præ nimia autem dilatatione & extenſione, lumborum dolores excitantur, iliorum & inguinum, tum ratione connexionis, tum viciniæ partium contiguarum.

Auxilium illis ferendum eſt, quietem imperando, cibum parcum ſæpius aſſumptum, facilisq; concoctionis. Ventriculus enim cibo turgidus corpus vteri comprimit, deorſumq; compellit; Faſcia venter ſuſtineatur, & ſurſum compellatur. Beneficio quietis & faſciarum ligamenta laxata quodammodo ad ſtatum naturalem deducentur, quibus præterea robur addetur frictionibus utilitur ilium, lumborum, coccygis & inguinum, ex *unguento Comitiſſæ*, vel ſimili.

Si gravida frigus aliquod percipiat, id quod non paucis accidit, temperamenti frigidioris quapropter crebro horrent, addendum erit prædicto linimento *oleum coſtinum & anethinum*.

Sin calor ſimul moleſtus ſit, in vſum veniat ſequens Linim. refrigerans ſimul & roborans.

℞. *Ol. roſar. & myrtini* āā. ℥ß.
Ungu. roſat meſ. ℥j. *ungu. refrig. Galeni* ℥ß.
Pulver. corall. r. & bol. Armenæ. āā. ʒj.
Succi arantior. ʒ ij. *f. Linim* Guillemeau l. 1. c. 13.

[22] *A ſanguine ſuppreſſo in vaſa illorum locorum decumbente.* Cum omnia ſymptomata primario pendere oſtenderimus à Menſtruo ſanguine circa vterum ob graviditatem morante, ac ibidem quodammodo alterato ac corrupto, hinc corruptionē ſuam vniverſo maſſæ ſanguineæ, mox & contentis cæteris, adeoque bili quoq; ac præſertim communicante; In explicatione autem modi quo ex ſanguine ſtagnante fieri putamus Inflammationem, docuerimus ſecedere ex ſanguine partes ipſius maxime ſpiritnoſas & volatiles, ita vt ipſi inexiſtens tum ſpiritus Acidus, tum Sal Lixivius potenter efferveſcant, ac præter caloris ſenſum moleſtum ſanguis in pus abeat, Quæritur an hic eadem corruptionis in ſanguine ratio? Dicimus quod non, In hoc namq; caſu non vere ſubſiſtit ſanguis in vaſis vteri, vtpote nullatenus ſicut in inflammatione obſtructis à cauſa præternaturali, quæ non tantum ſanguinem pituitamve in vteri vaſis coagulare, aſt noxam ſuam tum ipſi vtero tum reliquo ſanguini communicare ſolet, ſed in vteri vaſis ſecundum naturam ob graviditionem blande in exitu ſuo coarctatis, ne effluat impeditur ſanguis, nulla ratione ideo male affectus: Unde per ſe ac ob graviditationem nequaquam corrumpitur ſanguis, quando purus eſt, ac integer (quocirca haud omnes male habent gravidæ) quatenus autem is non eſt inculpatus, ſed impurus, mirum nō eſt ſi ſubſiſtens tunc circa vterū aliquam corruptionem majorem ſubeat. Hæc corruptio ſicut in pleriſq; tendit in pejus, ita in quibuſdam vergit in melius, vnde videas mulieres quaſdam, cum vtero gerunt ſaniores valentiores que quam extra tempus graviditionis, quod fieri cenſeo, quia alteratio quæ ſanguini à gravidatione circa vterum ſubſiſtenti evenit, eundem emendet, quod qui fiat dignoſcetur facilius oſtendendo prius qualis mu-

tatio tunc ſanguini contingat: Diximus enim non eſſe hanc mutationem talem qualis accidit ſanguini inflammationem patienti; nam cum ſanguis ob gravidationem non effundatur extra ſua vaſa, nec vi propellatur verſus vaſa obſtructa, vt ibidem per ea nimium diſtenta, adeoque per diapedeſin evadant partes ejus maxime ſpirituoſæ volatiles, ſed in vaſis ſuis, non tamen valde ideo diſtentis moram quidem nectat, & abſque vlla ſuarum partium deperditione mutationem aliquam ſubeat, erit ea in vlteriori ſanguinis rarefactione & diſſolutione, ob quam idem ſanguis tenuior: fluidior & volatilior fiet: Quæ rarefactio, attenuatio & volatiliſatio, vlterior, cum ſanguinem non reddat perfectiorem (quippe in ipſo haud requiſita) ſed imperfectiorem, mirum non eſt ſi ab eadem maſſa toti poſtquam eſt communicata, humores quoque inde producti ejuſdem rarefactionis, attenuationis adeoque volatiliſationis fiant participes, ac imprimis Bilis, quippe quæ præ aliis omnibus humoribus eſt tenuis atque volatilis: Quoties proinde mulier nuper imprægnata tum ſanguinem tum bilem, cæteroſque humores habet minus tenues & volatiles toties ſi receſſus iſte à ſtatu naturali, non ſit magnus, emendari poteſt illud malum fierique mulier ac propter gravidationem ſanior, ſicut dicebamus id aliquando contingere. Ubi vero jam ſunt in muliere imprægnata tum ſanguis tum humores alii, ac imprimis Bilis, aliquanto tenuiores, volatiliores & acriores, facile fiet vt adhuc tenuiores, volatiliores & acriores idcirco facti, noxam vel moleſtiam notabilem ipſi afferant, & in ſpecie nauſeam vomitumque, &c. *Sylvius l. 3. c. 6.*

23. *Hæmorrhagia vteri, Narium, &c.*) Quomodo ſuccurrendum, Vide infra *§. Difficilem partum, &c.*

23. *Hæmorrhagia vteri*) Vide Artic. 7. de Nimio menſium fluxu, *§. Expoſcit cohibitionem.*)

23. *Hæmorrhagia vteri*) Quam infauſtam pronuntiat *Hippocr. aphor. 60. 5. Si mulieri vterum geſtanti purgationes prodeunt, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.* Id quod *Martianus* interpretatur de menſtruorum eruptione, quæ non à principio graviditatis incepit, ſed tertio aut quarto menſe elapſo, & inde ſingulo menſe repetit; Vidi enim, *ait*, quamplurimas vterum geſtantes quibus ſingulo menſe menſtrua prodiere, abſque vlla aut matris aut infantis læſione. Obſervavi, *addit*, pariter ſæpiſſime purgationes ex vtero copioſiſſimas ſemel tantum, aliquando bis etiam gravidis ſupervenisse, quæ tamen fœtum incolumem ad exactum tempus geſtarunt; Quæ quidem, *inquit*, præſentis aphoriſmi doctrinam admodum ſuſpectam reddunt, quapropter corrigendam eſſe exiſtimat per ea quæ *lib. 1. de m. m. ſect. 2. v. 24.* habentur, *Pronuntio autem de muliere in ventre habente duos aut tres menſes & vltra, ſi menſes ſtatim prodeant ſingulis menſibus, neceſſe eſt eam tenuem fieri & debilem, &c.*

24. *Hæmorrhagia narium*) *Per vomitum nonnunquam viam ſanguis affectat innoxiè*, Mulier 30. ann. habitus corpulenti & conſtitutionis plethoricæ, Primipara, à primo conceptionis menſe vſque ad vltimum ſingulis diebus vomuit ſanguinem, nonnunquam fluidum, aliquatenus coagulatum, in ſatis magna & ad ℥iv. quantitate, Suaſimus v. s. quam reſpuit, in plethoricis tamen feliciſſimo ſucceſſu vſurpatam. Vidimus fœminam ejuſmodi, cum illi parcius ſanguis ſubtractus eſſet in *narium hæmorrhagiam* ſatis largam poſt v. s. incidiſſe, qua mediante natura ſolers ſanguinem ſuperfluum evacuavit motu ſpontaneo: Ut itaque non ſemper metuendum abortionis periculum, quod *Hippocr. 5. aphor. 30.* minatur, modo v. s. caute & cum judicio adminiſtretur. *Ben. Scharfius M. S. vol. 2. p. 66.*

Hæmorrhoides in Gravidis.

25. *Hæmorrhoidum*) Sanguis ſingulis menſibus expurgari ſolitus, inſigni copia circa vterum congeſtus, exitu non conceſſo, quia accurate in graviditate occluditur, in vniverſum corporis habitum remeare cogitur, præſertim partes vtero vicinas, vnde in plurimis mulieribus excitantur Hæmorrhoides, tum internæ tum externæ, Dicto tempore, non ſecus ac quovis alio variis affectibus tentari poſſunt, ſed prætermiſſis aliis ſpeciebus, earum ſolum meminero quas parit graviditas.

Hæmorrhoides tumores ſunt & inflammationes dolorificæ, productæ ab influxu humorum in extremas venas & arterias hæmorrhoidales. Accidunt in gravidis ex abundantia ſanguinis in illas partes illabentis, eo quod corpus pro more ab excrementitiis humoribus non liberetur.

Contingunt & nonnunquam in conatibus quas adhibent gravidæ in alvo exoneranda, ſi adſtricta ſit; quod illis ſatis familiare eſt, eo quod vterus, qui recto inteſtino incumbit prohibet comprimendo contentorum excrementorum liberam expulſionem, atque in ejuſmodi contentione ſanguis vaſis contentus vicinis inde expreſſus tumefacit eorum extremitates, quibus per moram accedunt dictæ inflammationes quas vocamus Hæmorrhoides; quarum aliæ ſunt interna aliæ externæ, quædam parvæ, citra dolorem, aut exiguum; aliæ admodum tumentes & dolorificæ.

Si exiguę fuerint & indolentes, ſive ſint internæ, ſive externæ, ſatis fuerit illarum incrementum prohibere, ope illorum remediorum quæ avertunt fluxionem in illas partes. Sed quamprimum manus Medica admovenda illis quæ admodum tument & dolorem inſignem inferunt, præprimis hujus ſedationi incumbendo, quia quandiu perſtat fluxio ſemper parata eſt; Eapropter ſi in toto redundantiæ ſigna apparuerint, tuto ex brachio ſemel ſanguis mitti poterit, imo bis vrgente neceſſitate, averſionis humorum gratiâ & demendæ plenitudinis,

Victus ratio refrigerans ſit & humectans, abſtineat ægra à ſalſis & aromatibus conditis cibis, à coitu, agitationis ratione quæ tunc accidit à qua ſanguis incaleſcit, aptiorque redditur ad influxum in partem laborantem, vtero proximam.

Craſſioribus autem excrementis in inteſtino recto cohibitis, alvoque gravidæ ſimul adſtricta, ſicuti nonnullæ vix ſemel in hebdomada alvum deponunt, injiciatur clyſter emolliens, ex plantis ea vi prædiris, decoctioni addendo pauco *oleo amygd. dulc.* aut *butyro recenti*, acribus omnibus omiſſis, quæ malum amplius irritarent, ſi præſertim hæmorrhoides internæ fuerint. Ad faciliorem autem clyſteris immiſſionem, ſyphonis extremitas muniatur inteſtino pulli gallinacei, quo minori dolore podici inſeratur; His accedat victus tenuis & refrigerans & in lecto decubitus, donec fluxionis impetus præterierit: Fovendæ interim partes illæ lacte vaccino decocto aut *althææ, verbaſci, & ſemin. lini. Oleo amygd. dulc. papav. & nymph.* diu ſimul conquaſſata cum *ovi vitello in mortario plumbeo*, eximium præſtant anodynum. ſin inflammatio inſignis fuerit litus ex *pauco cerato Galeni populeo vngu.* æquis portionibus remixto vtilis erit,

A præſcripto iſto victus regimine, venæ ſectione, refrigerantium & anodynorum remediorum extus adhibitorum vſu (abſtinendum enim a repercutientibus, ne introrſum feratur ſanguis ille impurus, aut ne indureſcant hæmorrhoides) niſi detumeſcant, admovendæ illis erunt ſanguiſugæ, quæ ſanguinem in illis ſubſiſtentem exhaurient, vel ſcalpello eædem erunt aperiendæ, hoc obſervato vt præferatur ſcalpellum in illis in quibus deprehen-

deprehenditur alliqua mollities & quædam innundatio; hirudinum autem applicationem magis idoneam eſſe in illis quæ duræ ſunt & fere carneæ, minorem enim dolorem inferunt quam ſcalpellum.

Etiamſi ope fluentium hæmorrhoidum in quibuſdam vitiis contingat evacuatio naturali nonnihil affinis ſi quidem ſolatium inde percipiunt, ſi modicus fuerit fluor, & natura illi aſſueſcat. In mulieribus par non eſt ratio, nam evacuatio quæ hac via accidit maribus, in mulieribus per vterum fieri debet extra graviditatem: hac vero præſente, ſi mulier fuerit plethorica, naturalis vices, vt cunque ſubire poteſt; nam dummodò hæmorrhoides modice fluxerint, & citra dolorem, beneficium ex illo fluore percipere poterit: Sin copioſius fluxerint, periculum debilitatis impendit tum matri tum fœtui, cuius declinandi gratia, recurrendum eſt ad fotus adſtringentes ſex oleo coƈto *balauſtiorum*, *malicorij*, & *roſar. rub.* facto in *aqua fabrorum*, addito pauco *alumine:* Vel admovendum cataplaſma paratum ex *bolo Armena*, *ſanguine drac.* & *terra ſigilla:* cum *albumine ovi:* Avertendus nec non ſanguis ab illis partibus facta venæ ſectione in brachio, cucurbitulis ſiccis admotis lumbis, aluſve eiuſmodi præſidiis. *Mauriceau cap.18. lib.1.*

Fluor menſtruus Gravidarum.

26. *A ſanguinis copia*) Si *mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum*, aph.60. 5. Aphoriſmus iſte explicatione indiget, intelligendus enim de iis quibus immodice effluunt; etiamſi enim iuxta regulam generalem & tritam ceſſare debeant menſtrua in gravidis, quia via ordinaria eſt occluſa; nec non quia prædictus ſanguis in alimentum fœtus cedere debet, quo fruſtraretur ſi foras elaberetur: Nihilominus occurrunt quædam gravidæ menſtrua effundentes ad quartum aut quintum vſque menſem, quo tempore fœtus iam grandior plurimum ſanguinem ad nutrimentum allicit, quapropter vix ſuperſtes eſſe poteſt æque facile ac graviditatis initio, mulierem novi, quatuor aut quinque liberorum viventium matrem, cui in ſingula quaque graviditate ſingulis menſibus periodice fluxerunt menſes (minori licet copia) ad ſextum vſque menſem; quo tempore ſolum fluere deſinebant; tamen legitimum ſemper fuit pariendi tempus: Aliam novi, quæ gravidam ſe non eſſe exiſtimans, quia fluebant menſes, nihilominus impregnationis moleſtias perſentiens, aliumque morbum ſuſpicata, medicum impulit vt purgationem & v. ſ. iteratam ſibi præſcriberet; id quod toties præſtitit, vt ſanitatem tandem adepta ſit, ſed prægreſſo abortu trimeſtris fœtus:

Iſtiuſmodi evacuatio vt plurimum familiaris eſt mulieribus admodum ſanguineis & pituitoſis, quæ multo plus ſanguinis generantes quam indigeat fœtus ad ſui nutritionem initio ingravidationis, ſuperfluum per dictam viam excernunt, idque magis aut minus pro varia ſui conſtitutione, non per fundum vteri, ſicuti ante graviditatem, quia meatus ille à ſecundina occluditur, illi adhærente, & propter accuratam oſculi clauſuram, ſed per binos ramos, quos provida natura, & individui ſtudioſa conſervatrix, huic vſui deſtinavit, ex vaſis ſpermaticis oriundos, per quos via patet ſanguini ſuperfluo.

Si quando mulier gravida per inferiora ſanguinem effundat, videndum per quem locum exeat, ac quomodo, num vidi ſint menſtrua, aut reyera hæmorrhagia vteri morboſa; ſi menſtrua fuerint ſoliti, ſanguis periodice exiturus eſt, ſenſim per cervicem vteri effluens dicto tempore, non ex fundo; id quod dignoſcere licet ſi immiſſo digito orificium interius accurate clauſum, occurrat, quod hiaret ſi ex fundo ſanguis manaret nec non ſi prodeat citra dolorem ac paucus; quæ circonſtantiæ abſunt in hæmorrhagia vterina, ac omnino aliæ, ſicuti capite proximo oſtenſum.

Id præterea perpendendum an fluor ille merum ſit ſymptoma vberioris copiæ ſanguinis, an ejuſdem acrimoniæ, an debilitatis vaſorum illum continentium, quo congrua afferantur remedia; Si ex ſola redundantia acciderit, eo quod plus gignat quam requiratur ad fœtus nutrimentum prioribus menſibus, tantum abeſt vt obſit matri & fœtui, quin potius proſit ſi ſit moderatus, niſi enim vterus exuperantem illum ſanguinem excluderet, fœtus adhuc tenellus ab eo obrueretur & ſuffocaretur; ſi indebite ſuppreſſus aut interceptus in auxilium non advocaretur ſanguinis miſſio quæ vices ſuppleat naturalis evacuationis.

Sin omnia redundantiæ ſigna abfuerint, ac mulieri ante graviditatem modica copiâ menſes fluxerint, qui nihilominus hac præſente effluant, indicium eſt fluorem hunc ortum ducere ab æſtu & acrimonia ſanguinis, aut debilitate vaſorum quibus continetur; At de huiuſmodi gravidis ſermo eſt *Hippocrati* aphoriſmo ſuperius allegato, quæ fœtum bene valentem gerere nequeunt, quia non ſufficiens adeſt ſanguinis copia ad vtriuſque nutrimentum cum inſigni abortus periculo.

Præcavebitur ille ſi gravida quieti & lecto ſe tradat, abſtineat ab iis à quibus ſanguis incaleſcere poteſt; inter animi pathemata iram præſertim fugiat, victu vtatur refrigerante & roborante, cibis qui probum & craſſum ſanguinem gignant, Iuſculis conſummatis quibus incoquantur olera refrigarantia, *portulaca, lactuca &c.* ova recentia, gelatinæ, putles ex oryza & hordeo mundato; Potus eſto *aqua chalibeata*, addito *pauco ſyr. cydoniorum:* vitetur omnino concubitus, à quo incaleſcit ſanguis & ad fluxum aptior fit:

Si nihilominus fluxus pertinacior fuerit, nonnulli iubent admovere grandem cucurbitulam in mammas ad revulſionem ſanguinis, ex præcepto *Hippocr.* aph. 50. 5. *mulieri ſi velis menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quammaximam ad mammas appone:* At exiguo cum fructu id perficitur, nihilominus in gratiam ægræ experiundum, Revulſionem per venæ ſectionem in brachio huic auxilio præferrem, cum porro fœtus ab iſtiuſmodi vacuatione inſignem debilitatem contrahat corroborandus ille erit admovendo imo ventri ſplenia vino rubro auſtero immerſa, cui incoctum ſit *malum granatum, cortic. non ſpoliatum roſa rubra* & paucum *cinnamomum.* optima vero ratio illum refocillandi erit ſi ſanguinis matricis vitium emendetur eiuſque evacuatio prohibeatur. *Mauriceau l. 1: cap.20.*

21. *A fœtus ſanguinem non trahentis*) Sed quomodo trahit fœtus? An per ſuctum? Nugæ. qui id ſtatuunt: an ipſi aliquando per vaſa longa, variè implicita, exilia, & maxime flaccida ſuxerunt? Nunquid vident ea ante collapſura quam ſuctu ſequatur humor; vt eſt impoſſibilis illa tractio, ita etiam eſſet inutilis poſitâ ſanguinis circulatione quia per arterias cum ſanguine defertur ad vterum ſuccus quo nutritur fœtus, poſtquam fuit in placenta vterina tranſcolatione depuratus. *Fr. Bayle Diſſer. j. p. m. 68.*

27. *A fœtus ſanguinem non trahentis debilitate*) fœtus in vtero ægrotat, vel proprio, vel matris vitio, *proprio* cum genitus ex vitio parentum ſemine, aut nutritus corrupto atque impuro matris ſanguine *matris* vero, quando geſtationis) tempore molâ eſt affecta, aut quædam, quæ fœtum debilitant, perpeſſa: *Sebiſius man. pag. 1643.*

21. *Inſequitur*) An liceat aliquando Abortum provocare? Qui priſcam medicorum antiquorum ſententiam non animadverterunt, vel neglexerunt, non

tantum ad expurgandas mulieres vtero gerentes, ſed etiam ad provocandum Abortum pharmacum exhibere auſi ſunt, Hi conſpicientes mulierem gravidam Pleuritide, peripneumonia, angina, febre ardente & ſimili alio acuto detineri morbo, aiunt caſum eſſe fere impoſſibilem curatu, quoniam ratione geſtationis vteri mulier debita & opportuna his morbis non poteſt ferre remedia; vnde neceſſarium eſt vt vel mater vel fœtus pereat: Iudicant autem vt ſalvent matrem, fœtum excludendum & abortum procurandum eſſe, vt mater ſtatu hoc naturali liberata tutiùs poſſit omne remedij genus admittere, & ideo ad hanc intentionem nonnulli auſi ſunt exhibere pharmacum ſolvens, & alia abortiva medicamenta, dicentes ſatius eſſe fœtum interfici vt ſalvetur mater, quam eundem vna cum matre periclitantem ex præmiſſo pharmaco cōſervare velle, quo poſtea in vtriuſque perniciem ceſſurum eſſe affirmant: Neqaquam admittenda eſt hæc ſententia, quæ nec monumentis antiquorum, nec rationi conſona ſit: *Hippocrates* in jureiurando promittit ſe nulli fœminæ quo partum abigat perdatve medicamentum vnquam daturum eſſe, monetque l. *de Nat. mul.* vbi mulier conceperit, & prægnans ſit, ſi eryſipelas in vtero fiat, cum tamen eam perituram cenſeat, vtendum eſſe his cibis ac potibus à quibus fœtus corrumpatur. *Galenus* nunquam docuit Abortum procurandum eſſe, fœtuſque ita ſemper curam habuit, perinde ac viventis hominis, & in morbis acutis mulierum prægnantium monuit lethale eſſe abortum cauſari: Vnde l. 5. aph. 30. explicans, *mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale* ait *eſt* huius rationem aſſignabat, imminentem abortum, qui ex duobus pendere poteſt. 1. ex magnitudine febris fœtum occidentis, & 2. ob tenuem victum, in morbis acutis neceſſarium, qui obſervatur, ex alimenti defectu conceptum deſtruit: quare cum lethale ſit mulieri prægnanti, capi morbo acuto ex parte fœtus, quia eius imminet abortus, vnde clare liquet in morbis acutis nunquam abortum procurandum eſſe, cum enim hic caſus per ſe ſemper ſit diſcriminæ plenus, ſi in morbo graviori contingat, cum malum malo addatur, res in extremum vitæ periculum deducetur, quare nunquam nec pharmacum, nec abortivum medicamentum ad hanc intentionem exhibeatur, ſed; ſemper incũbat fœtus conſervationi, quantum in eius poteſtate erit; omnia recte circumſpiciens & menſurans, fœtuſque & matris ſimul ſummam rationem habens, ne partu interfecto & matrem vna interficiat, vt ſæpe factum eſſe ab hiſ medicis apparet: quod ſi oppoſitum nonnunquam viſum ſit, hoc non rationi ſed robori mulierum, per quod errata medicorum tolerare potuerunt, adſcribant. *p. Sal. Diverſus de Aff. p. c. 22.*

29. *Signa debilitatis fœtus adſunt*) Fœtum male ſe habere cognoſcitur ex ſignis ſequentibus.

i. Si matri gravidæ lac copioſe è mammis fluat. *aph. 52. 5.* quia fœtus præ imbecillitate tantum conſumere nequit quantum illi affluit, ideoque per communes venas ſurſum ad mammas fertur, illicque in lac vertitur, ſed quia copioſum eſt, effluit.

ij. Si mammæ extenuentur. *aph. 37. & 38. ſect. 2.* & 53. 5.

iij. Si menſtruæ purgationes curſum ſuum teneant, *aph. 60. 5.* Tunc fœtum bene valere eſt impoſſibile, quoniam alimentum illi adimitur.

iv. Si matri alvus fluat & diarrhæ laboret.

v. Si mater laboret teneſmo, *aph. 27. 5.* Cauſæ ſunt eædem quæ diarrhϾ, & præter illas quoque dolor inteſtinis, crebra aſſellatio & vehemens in egerendis excrementis conatus.

vi. Si matri ſecta ſit vena, & ſanguis larga manu detractus, præſertim vltimis menſibus, quibus fœtus eſt grandior & copioſiore eget alimento; ſic enim fœtus ſuo fraudatur genio.

vii. Si mater ob morbum acutum, aut chronicum vel inediam quoque ſit valde emaciata, *aph. 44. 5.* Signum enim eam & plurimum eſſe enervatam, vniverſum quod ſupereſt, alimentum matri extenuatæ impertiendum quo fraudatus fœtus debilitatur, corrumpitur ac perit.

viii. Si mater febre eſſatu digna fuerit correpta, & valde ſine evidente aliqua cauſa extenuata *aph. 55. 5.* Cauſa eſt quoniam mater & fœtus à febre admodum enervantur, & ob febrilem calorem omnia depaſcentem, nec non ob cibi faſtidium, quod plerumque febricitantibus contingere ſolet, convenienti, alimento privantur.

ix. Si mater corrupte vivat, hoc eſt in quantitate qualitate, & tempore cibi potuſque erroris committat, & luctu ſe conficiat, ira ſæpius excandeſcat frequenter & ſubito animo conſternetur, inſomnes noctes ducat, aut dormiendo cum gliribus certet, vitam ſedentariam agat, Hiſce enim de cauſis cacochymiam contrahit, pravum alimentum fœtus ſubminiſtrat, quod illum in pravam valetudinem præcipitat.

x. Si gravida cadat, percutiatur, vel ſaltando, currendo, equitando, curru velociter diu iterque impulſo inſidendo, aut quavis alia ratione vehementer & immodice moveatur

xi. Si fœtus vel rarò vel debiliter vel prorſus non ſe ſe moveat, ne tum quidem cum ſe frequenter & evidenter movere deberet, vt poſt menſ. v. & reliquis: certum namque ſignum fœtum valere detrimus. *Sebiſius pag. 1647.* Fœtum Roborantia vide vbi de Abortus præcautione.

30. *Vel fœmina profluvio alvi laborat*) *Aph. 35. 5.* Cauſæ patent, quoniam menſes moventur, vincula ſolvuntur, fœtus & vterus à vitiicuntibus fœtidis humoribus & excrementis plurimum offenditur; vires matris & embryonis dejiciuntur; tandem magna fit materni corporis conſumptio & perturbatio. *Sebiſius.*

31. *Vel mater ſæpe aut diu ægrotat*) Vnde languent ſæpe functiones animales in gravidis, æque ac depravantur, vnde ſenſus interni & externi, vt & animalis motus, ob animales ſpiritus minus puros ac defæcatos, perverſi fiant: qui reſtituentur depuratis & correctis iiſdem per aromatica & ſpirituoſa: aromatica laudo, quia emendant halitus vitioſos ſpiritibus animalibus iunctos, & ipſos corrumpentes: Spirituoſa, conducunt, quia vim aromaticorum deducunt ad cerebrum, promoventque ſimul Animalium ſpirituum reſtitutionem ac defectum ſeorundem ſupplent, Inter omnia vero hic laudanda, quin plerique præferenda cinnamomi Tinctura cum vini rectificato ſpiritu ſola infuſione parata; cum præ aliis omnibus aromatibus cinnamomum gratius condiat, ſitque omnium gratiſſimum, ſi modo illis aromaticum nonnullæ abhorreant, cui ſubſtituenda nux moſchata [illegible] hylli. &c. *Sylvius.* Vide §. *Seu à fœtu, ſeu à morbis aliis.*

Dolor mammarum.

32. *Vel mammæ*) Quamprimum vtero concepit mulier, cum menſtrua pro more effluere nequeunt ob obſtructas vias, recentem autem ſanguinem perpetuò generet mulier, omnino neceſſe eſt, ſi quidem maxima pars abſumatur, primis menſibus, Impregnationis, ob fœtus parvitatem, vaſa præ plenitudine redundare, id quod accidit in partes maximè glanduloſas, ad recipiendum, conformati ſunt glandes & corpora glanduloſa, ac præcipue mammæ quæ illo imbuuntur, ma-

maximamque illius copiam admittunt, quo tumidæ & infarctæ dolorem inducant mulieribus gravidis moleſtum, nonnunquam quoque illis infeſtum quibus menſes ſubſiſtunt.

Initio res tota naturæ committenda, caveat ſolum mulier ne oſtendantur illæ partes, tunc temporis ſenſu admodum exquiſito præditæ, ſtrictioribus veſtibus aut doris, propter quas contuſiones ſuccederent, hinc inflammationes & abſceſſus.

Sin tranſacto tertio graviditatis menſe ſanguis uberiùs illuc affluat, potius ille educendus vena in brachio ſecta, quam derivandus aut ad alias corporis partes deducendus admotis medicamentis repellentibus aut adſtringentibus, neque enim remeare illi licet in locum & quæ cui minus malum inducat quam illis partibus. Eapropter ſi mulier ſit plethorica evacuationem per venæ ſectionem in brachio potiorem ducerem, illamque aliis præſidiis præferrem, declinandæ phlegmones mammarum gratiâ metuendæ à diſtenſione dolorifica quam facit ſanguis illas replens; ad quam ſequi poteſt ſymptoma de quo *Hippocr.* 40. 5. *Quibus mulieribus in mammis ſanguis colligitur, furorem ſignificat*, à raptu ſanguinis in cerebrum, id quod facta v. s. in brachio antevertere licet quæ moderata eſſe debet; imperata ſimul victus ratione refrigerante ac modice nutriente, minuenda cauſæ copia, ac temperandi ergo caloris humorum in toto redundantium; curando præterea vt alvus ſit libera. *Mauriceau c. 14. l. 1.*

Lactis effluvium in gravidis.

32. *Vel Mammæ*) Effluxus lactis primis menſibus non continget ſed tum demum quando lac in mammis eſt genitum; Gignitur autem cum fœtus eſt factus grandior & moveri incipit; quod iuxta *Hippocr. l. de nat Pueri*, conceptis maſculis evenit menſe tertio ob naturæ robur; fœmellis vero, ob cauſam contrariam menſe demum quarto; quamvis primus iſte motus valde ſit levis atque obſcurus ipſumque lactenus & aquoſum: melius autem dulciuſque evadit menſibus poſtremis de quibus intelligendus, *aphor.* 52. 5. *Si mulieri gravidæ lac copioſe fluat ex mammis, fœtum debilem denotat.*

Cauſa huius fluxus eſt lactis abundantia, hæc ab abundantia ſanguinis, (*vel chyli*) quæ in ſanguineis, ſucculentis, & liberaliter viventibus, cibis vtentibus boni ſucci & multum nutrientibus, otio indulgentibus &c. obſervatur. Nihil autem mali iſte effluxus in ejuſmodi gravides portendit, quoniam etiam in quibuſdam lactantibus, quæ multum lactis habent cernitur.

Malum autem ſignum eſt in aliis gravidis, eſtque, vti dictum, debilitatis indicium: *Galenus in comm.* ſcribit effluxus lactis cauſam eſſe quod plurimum illius in mammis gravidarum colligatur colligi vero plurimum venis communibus, quæ è mammis ad vterum tendunt, oppletis: oppletæ autem in talibus magis quando fœtus parum illius attrahit; parum vero attrahere ob debilitatem.

Sunt ergo mammæ gravidarum, vel tenues & graciles, quales in non gravidis conſpiciuntur, Vel tenitentes duræ atque diſtentæ, vel inter has mediæ, quæ adeo plenæ non ſunt vt lac fluat ſed in tantum elevatæ vt ſolidæ tangentibus appareant: *prima* defectum ſanguinis ſignificant, qui facit vt infans fame pereat; *ſecundæ* oſtendunt, fœtum infirmitate laborare, nam cum parum ſanguinis (*alimenti*) ad ſe trahat, fit vt is ad mammas abeat & in lac vertatur, quod, quia mammis eſt ſuperfluum; effluit. *Tertiæ*, (quas *Hippocrates* σφριγώσας appellat, quaſque laudat, fœtum ſaniorem, neque alimentum ipſi deeſſe commonſtrant.

Hanc mammarum & vteri ſymphoniam *Galenus l. 14. vſ. part* oſtendit; vt autem huic ſymptomati occurratur, infans omnibus modis, corroborandus, corroboratus enim ſanguinem ad ſe trahet, & lac, quod ex ſanguine generatur effluere deſinet. *Sebiſini man. pag 1624.*

Prohibitio augmenti mammarum.

33. *Mammæ quæ antea turgidæ*) Ne mammæ gravidarum augeantur valet, ſequens.

℞. *Fol. heder. terr. ſalviæ minor. vincæ pervincæ ãã. m. j.* bulliant in pari portione vini & aquæ ad conſumptionem medietatis, in fine cum ab igne aufertur, adde *aceti* ℥j. fiat fotus mammis cum panno lineo vel purpura, vel.

℞. *Aqua ſalviæ, aquæ pervincæ, ãã. q. ſ. ablue* mammas calidè bis in die.

Sic præcavetur ne mammæ in maiorem molem extendantur, aut mollieres effectæ, & variis obnoxiæ morbis fœdiores fiant, iis potiſſimum quæ fœtus ſuos non alunt, ſed aliunde nutrices alendis & lactandis puerulis ſuis idoneas exquirant; ſimulatque igitur ſuſpicabitur mulier ſe vtero gerere, ſuis ſic medebitur mammis. *Ioh. le Bon Therap. puerper.*

Hydrops Pudendorum in Gravidis.

a. *Alia vltimis menſibus*) Si ita vocare licet Tumorem paucis ante partum diebus nonnullas apprehendentem, tanta plerumque increſcentia, vt labiorum, nympharum, ac caruncularum loco, quatuor vel ſex veſicæ bubulæ, aut vitulinæ, ſero refertiſſimæ, quaſi connatæ videantur, nullo de cætero ſexus aut qualiſcunque exituræ veſtigio, niſi quod interdum albugineiſquid ibi plorent.

Franconica mulier, quam primam ita vidimus, divaricatis cruribus per triduum cernua miſerrime iacuerat, prognoſticoque reliquiſſemus, ni commode Nymphotomia nonnullarum gentium incidiſſet, facta proin à præciſione ad compunctionem ſequela, iocabundus ac cordatus chirurgus tumorem inferiori loco lancetta vtrinque aperuit, ac brevi pelvis ſero parumper rubente repleta eſt, reliquo per lentum ſtillicidium ſimiliter integre diſparente, vt poſt quatriduum (intus interea confortante temperato, Extus defenſivo ſaturnino litu vſa) vegetum pareret ſine incommodo fœtum.

Secundæ in Haſſiæ confiniis, per dies aliquot ægerrime ſtanti, vir, vxori forſan nimis cavens, aut zelotypus) ipſemet interea tumorem ferramento (quo venas equis ſceant,) aperuit faber ferrarius, nec infeliciter, Atque ſic in hoc quoque diſtinctu vni alterivè eadem ratione ſubventum eſt, Niſi quod quædam ferrum hic commendatum reformidans ruptionem per emollientia, & epiſpaſtica fermento inſtar cataplaſmatis mixta, expectare maluerit, ſucceſſu eodem diuturniori ſaltem moleſtia dolorique copulatum. *Dan. Ludovici med. ſep. vol. 2. p. 15.*

a Alia *ultimis menſibus accidunt*, ut eſt.

1. 34. *Vrinæ ſuppreſſio*, quæ à colli veſicæ per uterum compreſſione (ſtantibus inprimis id fit) oritur.

II. [35] *Alvi durities & tarditas*, quæ vel à compreſſione inteſtinorum à fœtu ipſo facta; vle ab extractione humiditatis per eundem commiſſa, in mulieribus hepar & lienem calidum & ſiccum habentibus, oritur, periculoſa eſt, quia violento egerendi conatu partibus omnibus in abdomine repletis, facilè aliquod damnum oboriri poteſt.

III. [36] *Tumor & inflatio venarum*, vel in *cruribus*, ſeu ob epatis imbecillitatem, de qua ſuo loco; ſeu ſanguinis ſeroſioris ſuppreſſionem; & [37] tum, gravidæ plerumque fœmellas pariunt quia humor cum lochiis poſt partum evacuatur, curatione ſuperſedendum, niſi ambulatio impediatur: vel in *coxis*, [38] ut quaſi varicoſæ fiant, quod ab eadem cauſa proficiciur.

IV. [39] *Cutis abdominis fiſſura* ob diſtentionem, præſertim in primo partu, quæ præcaventur linimentorum laxantium, vt ſunt *medulla*, *olea*, illitione.

V. [40] *Aquæ*, quæ geſtationis tempore inter membranas fœtum involuentes colligitur, *effuſio*, quæ periculo non caret, quod & fœtus ex inde aliquam moleſtiam percipiat & partus difficultas [41] ob humectationis defectum inſequatur.

Vrinæ Incontinentia & ſuppreſſio.

[34] *Vrinæ ſuppreſſio*) Situs veſicæ, immediate vtero incumbentis, aperte demonſtrat cur gravidæ nonnunquam vrinæ difficultate laborent, nonnunquam etiã ejuſdem incontinentia, *id quod* vtraque ratione accidit; à compreſſione videlicet veſicæ facta ab vtero fœtu repleto, ob huius molem & gravitatem, quo fit vt pro, more expandi nequeat, ac ſufficientem lotij copiam continere; quo fit vt quo magis augetur graviditas, eo crebrius vrinam emittere cogantur.

Si grave vteri pondus veſicæ fundum admodum comprimat, inducitur mulier ad creberrimam mictionem; Sin contra ejuſdem cervix compreſſa fuerit ab inferius vergente corpore veſicæ, ſicuti id accidere poteſt prioribus ingravidationis menſibus in iis mulieribus quæ prolapſui vteri obnoxiæ ſunt, tunc temporis lotium veſicam omnino adimplet, quæ ibi maximo cum dolore ſubſiſtit, cum expelli nequeat, quia ſphincter, ratione iſtius compreſſionis non pro more ſolito laxari poteſt vt illi effluxus concedatur.

Nonnunquam quoque vrina acri ſua vi veſicam excitat ad expulſionem frequentiorem illam vellicando; nonnunquam calore cervicis inflammationem parit, à qua ſupreſſio.

Fieri etiam poteſt vt id ſymptoma cauſam agnoſcat calculum in veſica incluſum; tum dolores fere ſunt intolerabiles, gravidæ maius periculum intentantes, quam vacuæ, eo quod vterus turgidus perpetuo calculum verſus veſicam impellit; eoque tunc acerbiores ſunt dolores quo maior fuerit lapis, inæqualis & aſperior.

Quandoque etiam accidit poſtremis menſibus vterum elatum ab inſigni diſtentione quam patitur tunc temporis ſupra fundum veſicæ, cui non concedit liberam extenſionem, eam tunc adeo ad inferiora deprimere, vt cervix tota in rugas contrahatur tranſverſas, quo fit vt reſtitantes quædam guttæ, quæ expelli non potuere per mictionem, vredinem moleſtiſſimam perpetiatur mulier, propter quam micturitione indeſinenti torquetur, quia id quod reſtitat partem perpetuo vellicata b aquiſita per moram acrimonia in illis rugarum intercapedinibus, doloreſque non minus moleſtos inducit quam ſi mulier vlcere veſicæ cervicis laboraret; Id quod contigiſſe novi in vxore cuiuſdam ab officiis Regis, quæ tribus poſtremis graviditatis mẽſibus meiendi deſiderio perpetuo laboravit, non minori dolore quam ſi calculus in veſica adfuiſſet, aut vlcus cervicem eius obſediſſet; quod ſymptoma cum aliam cauſam non agnoſceret quam prædictam, aliter quam per partum ſedari non potuit.

Non exigui momenti eſt vehementes hos & frequentes conatus quos gravida adhibet ad vrinæ emiſſionem compeſcere, ac vtrumque hoc ſymptoma corrigere, ſi enim diutius perſtiterint, & impulſio ad inferiora pertinax ſit, ad lotii excluſionem, vteri relaxatio ſequitur, qui tandem omnino procumbit, imo nonnunquam (affectu diutius durante) ad onus excuriendum ante tempus debitum impellitur: Quibus occurrendum habita ratione diverſitatis cauſarum affectus, Nam ſi accidat à magnitudine & pondere vteri veſicam comprimentis, quæ cauſa frequentiſſima eſt, mulier ipſamet medelam afferet, ſi cum vrinam emiſſura eſt vtraque manu imum ventrem ſurſum compellat; faſciamque latiſſimam eapropter gerat huic vſui accommodatam, quæ ſuſtentet, ſi neceſſe ſit, prohibituraque eſt ne veſicam tantopere gravet; aut quod ſatius eſt, lecto ſe tradat.

Si acrimonia vrinæ vredinem inducat, in cervice, ſedetur illa victu refrigerante, potus ſit ſola ptiſana, vino plane valedicendo, ac à qualibet purgatione abſtinendo, ne ad partem affectam deducantur ex toto corpore impuri humores, & calore ſuo acrimoniam intendant, & inflammationem; commodæ erunt emulſiones ſemin. frig. mane & veſperi ſumptæ, vſus ſeri lactis, addito pauco ſyr. violar. aut nenupharino. Remedium iſtud leniter mundaturum eſt vias vrinarias, neque fœtui neque matri injurium. Niſi inflammatio & vrinæ acrimonia iſtius remedij efficatia deſinant, mittatur ſanguis è brachio, ad præveniendum gravius aliquod ſymptoma: Fotus quoque pubis & perinæi ex lacte tepido vtilis erit, aut decocto herbarum emollientium & refrigerantium, *malvæ, althææ, violar. parietar.* cum pauco *ſem. lini*, cuius ope meatus vrinæ facilius relaxabitur: Nec inutilis futura eſt injectio in veſicam eiuſdem decocti, cui pauxillum *olei violac.* addendum eſt; vel *lactis tepidi*, à concubitu plane abſtinendo.

Sin neque his factis vrina procedat, tunc ad vltimum præſidium, deveniendum eſt, immiſſionem ſcil. catheteris, qui intinctus ol. oliv. vel amyg. d. pauliſper repulſo & ſublato ventre, leniter in meatum vrinarium immittendus eſt ad capacitatem ipſius veſicæ cuius ope vrinæ illico exitum habitura eſt ſin ſuppreſſio redierit, ad idem auxilium recurrendum erit donec accidentia ſedata fuerint.

Nec inutile, vrgente neceſſitate, ſemicupium cavendo, ne hoc remedio nimia commotio fiat; cavendo præterea ab vſu cuiuſvis diuretici remedii, gravidis plane noxij, quippe abortum provocantis.

Si malum à calculo originem ducat, qui obſtruat orificium cervicis veſicæ, ſufficiat catheter in grandiori lapide; qui ſi minor fuerit, extrahendus ſi licet, ope cochleatis vſui illi deſtinati indito digito indice in vaginam, quo firmetur & ad prohibendum ne ad veſicam accedat: Id quod inquam faciendum in minori calculo, nam ad maiorem educendum, expectandum, donec partus præceſſerit, ſatius

ſatius enim eſt ægram illo in ſtatu manere, quam illam cum fœtu periculo vitæ exponere, ſi ſectio ſuſcipiatur. *Mauriceau cap.1*. *l.1.*

35. *Alvi durities & tarditas*) Non infrequenter contrariis hiſce affectibus affliguntur gravidæ, Adſtrictiore aut Liberiore alvo. Ab vtroque metus abortus impendet: Alvus enim ſi dura ſit, in egerendi conatu ligamenta aliquando laxantur, aut vena diſrumpitur quam ſubſequitur hæmorrhagia, ad quam partus intempeſtivus ſubſequi poteſt.

Alvi conſtipatio quibuſdam nativa eſt, vel mutatione ætatis, ex ſententia *Hippocratis*, Aliis quia inteſtina clymate naturali carent, vid.bile: Aliæ præterea cauſæ occurrere poſſuut, prætermittendæ hic, ſiquidem diſquirimus hic eas quæ gravidis familiares ſunt; nam adſtrictio alvi illis accidit aut ob compreſſionem inteſtinorum, ab vtero tumido, qui illis incumbens, præſertim recto; Vel quia inteſtina & excrementa in iis contenta indureſcunt, & exſiccantur in gravidis ab inſigni viſcerum æſtu, quo fit vt vix effluant: Eo confert prægnantium vita deſes propter quam excrementa cohibentur, paulatimque congeruntur, tandemque viam obſtruunt; Idem accidere poteſt à nimio calore Iecoris, quapropter venæ meſaraicæ famelicæ ad ſe alliciunt ex inteſtinis plurimum humorem, vnde fæces fiunt exſuccæ & aridæ, in via reſtitantes: Adde his à fœtu plurimas attrahi humiditates.

Ab hoc ſymptomate efferuntur vapores calidi in faciem, quin & nonnunquam febris exoritur; Eam in rem victus ratio idonea admodum confert, in vſum adducendo cibos humectandi vi præditos & inteſtina lubricandi ac fæces emolliendi; Id quod tamen caute agendum, à ſuperfluo enim humore tandem vteri ligamenta relaxarentur, partuſque acceleraretur, Vtatur gravida carnibus juniorum animalium, earumdem juſculis, oleribus humectantibus alteratis, præſertim *mercuriali*, vtatur prunis, pomis coctis: quædam ante cibum aquæ frigidę tantillum hauriunt; Vtatur exercitio mediocri ad procurandum excrementorum deſcenſum, Aſſueſcat etiam gravida horis matutinis, & tenere alvum exonerare & veſperi ante ſomnum, vitatis tamen nixibus: Alvi laxitatem ſi ope diætæ procurare ſibi nequeat, admittat clyſterem emollientem, Ano indat duos, treſvè globulos ſaccharinos verdunenſes, Vel vtatur iuſculo cui vnum alterumve cochlear *vini aut aquæ* Sennæ imbutorum, imponantur. *Guillemeau l.1. cap. 16.*

Inflatio Tibiarum

36. *Tumor & inflatio venarum, ſeu in cruribus*) Nonnullis mulieribus crura tument ſolummodo ratione debilitatis, in quibus adeo œdematoſæ ſunt, vt appoſito digito eoque mox remoto veſtigium depreſſionis remaneat, videlicet ob penuriam aut debilitatem caloris innati qui non valet alimentum illuc tranſmiſſum ſubigere & cöcoquere neque ſuperflua excernere, quæ ibi reſtitantia eiuſmodi tumorem inducũt.

Eiuſmodi intumeſcentiæ vt diſſipentur, vtendum eſt *lixivio ex cineribus ſarmentorum* parato, cum *chamem. melil. decocto* & *lavendulæ*, ſubſequente Fotu ex vino aromatico, cui immergenda ſplenia deſuper admovenda corroborandi gratia; vinum iſtud vim admittat *roriſmar. lauri, thymi, maioranæ ſalviæ. lavendulæ. roſar. rubr. balauſt.* & *alumin.* vinum autem ſit rubrum auſterum, cui dicta ſimplicia incoquantur.

Porro cum graviditas vt plurimũ cauſa ſit hujuſmodi intumefactionis, hinc vt plurimum recedit, à partu quia tum tẽporis ſuperflui humores ex vniverſo corporis ambitu ſecedunt lochiorũ beneficio, dummodo debita accedat vacuatio: ſi enim illa ſubſtiterint, id quod non raro accidit metuendus eſt refluxus prædictorum humorum in vterum, vnde inflammationis illius metus cum vitæ non levi diſcrimine. *Mauriceau l.1.c.17.*

36. *Tumor & inflatio venarum, vel in cruribus*) Hanc effectum tribuũt vulgo medici ſuppreſſioni menſt. uterum tempore graviditatis, per eam enim, *inquiunt*, ſanguis vbetiore copia in venis cumulatus, illas neceſſario diſtendit, & ob declivitatem loci in crura mag ſquam in reliquas partes decumbit, verum parum congruæ hypotheſi loquuntur, cum enim menſtruas purgationes graviditatis tempore ſupprimi putent, vt retento ſanguine fœtus nutriatur, debuiſſent perpendere vt tam poſſit poſt illam nutritionem retenti ſanguinis tanta copia in venis ſupereſſe vt illa debeant ipſæ diſtendi, & crura intumeſcere, Si illi rem attentius, cöſideraſſent, advertiſſent profecto fœtum placentam vterinam, contentos in amnio & chorio humores, ac lochiorum materiã quæ in vteri tubulis hærebat, longe ſua mole ſuperare eum ſanguinẽ quem mulier profudiſſet, ſi novies per vterum de more fuiſſet expurgata; advertiſſent tantum abeſſe vt menſtruis retentis per graviditatem ſanguis in venis augeatur, quin potius debeat imminui. *Franc. Bayle Diſſert. de conſenſu uteri cum variis part. p. m. 60.* Veram cauſam quære ex eodem cap. de ſuffocat hyſter. §. *Actiones naturales &c.*)

37. *Et tum gravida plerumque fœmellas*) Non placet hic repetere quæ plerique de fœtu in vtero contento prædixerunt; dicam tamen me prænoviſſe an maſculus an fœmella geſtaretur ex tumeſcentibus & nigricantibus alterutro inguine venis (quod relatu collegarum diſci honeſte poteſt) ſed ab vmbilico aulicæ ocyſſime certiſſimum teſtimonium exigunt; Obſervarunt quoque in ea re Lunæ curſum prudentes Matronæ.

Si Luna creſcente parit, partus maris alter.
Eius decurſu virginis ortus erit.

Solvetur hic, quamvis præter propoſitum, de numero menſium quæſtio in hunc modum.

De partu certatur, lis à menſibus orta eſt.
Solis vel Phœbes, aut vtriuſque ſimul.

Vrinarum inſpectione abuti ad præſentiendum concepẽrit ne mulier an non, impoſtorum eſt non medicorum; licet permulti nugas in id genus cognitionis & cautiones ſcripſerint. Hoc etiam nec ſemper nec plerumque aqua mulſa *Hippocr.* indicavit. *Ioh. le Bon ther. Puerp. 5. 9.*

Diſtenſio varicoſa & Dolor femorum & tibiarum.

38. *Vt quaſi varicoſa fiant*) Non eſt difficile iis quibus perſpecta eſt ſanguinis παλινδρομή in vaſis, rationem afferre cur in *nonnullis* prægnantibus femora & tibiæ cum dolore intumeſcant, imo nonnunquam varices ſecundum partem internam illarum partium decurrant non levi in deambulando moleſtia; Exiſtimant nonnulli (nec ſine veriſimilitudine) mulierẽ, eò quod plus ſanguinis gignat quam ad fœtus nutritionẽ requiratur cujus exuperantia, quę vi facultatis expultricis excluſa non fuit pro more, à partibus ſuperioribus, maiori robore præditis, in inferiores detrudi vt pote imbecilliores, cujuſmodi ſunt crura, & ob ſitum exceptioni magis idonea Sed cognita ſanguinis circulatio modum quo id fiat apertius declarat, prætermiſſa illa vi expultrice.

Res vero, ſicuti ſentio, ita ſuccedit, videlicet, pro ratione motus ſanguinis, venæ crurales & ſaphenæ illum excipiunt qui delatus fuerat in partes inferiores per arterias, huncque ſecundum longitudinem femorum & tibiarum ad cor ſurſum revehunt, per iliacas quæ in cavã inſeruntur: Hoc ſuppoſito (quod veriſſimum) in muliere gravida, præſertim poſterioribus menſibus, quo tempore vterus adeo diſtenditur vt abdominis maximam partem mole ſua occupet, tunc temporis adeo iliacas venas comprimit, vt ideo ſanguinis commeatus impediatur, quo fit vt partes inferiores, venæ vid. crurales & ſaphenæ hinc intumeſcant, non ſecus ac videre eſt venas brachiorum ab intecta faſciæ, miſſionis ſanguinis gratiâ, in ſuperiore parte diſtendi; id quod accidit ra-

tione compreſſionis dictarum venarum, ob quam ſanguis in iis ſubſiſtit à denegato libero per illas influxu; Iliacæ ergo venæ ea de cauſa ab vteri magnitudine & pondere depreſſæ, ſubditæ venę dicta ratione turgeſcunt, adeo vt in ipſam partium ſubſtantiam influat, vnde quinque illarum integumenta, nec non dictę venæ in tumorem elevantur, ac preſertim venæ ſaphenę dilatantur, fiuntque variciformes aliquando à parte ſuperna & interna fęmorum ad pedem vſque extremum in quibus ſanguis cũ ſubſiſtat, motu ſuo circulari deſtituitur, alteratur & corrumpitur, vnde inſignes dolores &c. intumeſcentiæ dictarum partium; Huic affectui plethoricæ mulieres maxime omnium ſunt obnoxiæ, iis quæ multa deambulatione vtuntur, aut plurimo exercitio, à quo repletione venarum iuvante, diſruptio fit valvularum, quæ concurrebant ad facilem motum ſanguinis, non ſecus ac eſtractis valvulis ant liæ hydraulicæ, aquam aſcenſu prohibetur, nam ſanguis relabens, quia ſuſtentaculo caret, copia ſua & mora eiuſmodi dilatationes parit quas varices dicimus; vt auxilium afferamus, per graviditatis decurſum ſoli curæ palliativæ locus eſt eiuſmodi venis varici formibus admovendo ſplenium linteum, partemque faſcia lata vinciendo, initio faciationis ducto à parte inferiori ad ſummas vſque varices, vt cõpreſſione mediocri harum venarũ quę ſemper ſuperficie tenus decurrunt, ab ampliore incremento prohibeantur ac ſimul ſanguinis corruptio imminens ob moram; quo facto nihilominus motu ſuo ſolito gaudet, quippe cuius tunc maxima pars commeatũ habet per vaſa altius demerſa; gravidam quoque tunc neceſſe eſt decumbere, cum illo in ſitu ſanguis facilius permeet, & tranſitum ad cor liberum nanciſcatur, faciliotemque quam ſtante muliere, quo fit vt adveniente nocte crura tumidiora ſint quàm horis matutinis, ſin toto in corpore plenitudinis ſigna eluceſcant, citra periculum ſanguis è brachio demi poterit, nequaquam autem tentanda varicum apertio, quæ extra graviditatem ſuſcipi poteſt; iſtiuſmodi enim vacuatio vicem ſubiret ſanguinis miſſionis in pede, quæ neutiquam in graviditate admittenda niſi ſumma vrgeat neceſſitas, accedatque periti medici conſilium. *Mauricean cap. 17. l. 1.*

39. *Cutis abdominis Fiſſuræ*) Cum fœmina fœtum moveri perceperit, tum maxime animadvertendum & cavendum, ne ſua mole puer ſic ventrem diſtendat, vt diſrupta pube circa pubem, vlcera multa fiant & fiſſuræ quæ à partu vix coaleſcentes cicatrices, vt rhagades, fœdaſque & indecoras rugas, per vniverſum ventrem ſparſas excitare ſolent; his vitiis ſic occurrendum.

℞. xxx. *Pedes ariet confractis omnibus oſſibus bulliant ad perfectã concoctionem, quibus refrigeratis ſume quicquid pingued. ſupernatat cum ſ.q. cera alba abſque ebullitione liquefiant, colentur, abluantur diu aqua roſar.* vnge ventrem bis in die, donec ad nonum menſem fuerit vel

℞. *Pedes ariet n°. xxx. &c. collecto pingui adde ſperma. ceti* ℥ij. *vel potius* ℥ij.)
axungiæ cati & anſer. ãa. ℥ß.
axungia ſuis caſtr. ℥iij.
axungiæ. cervin. ℥ij. *butyr. rec.* ℥iß.

lique fiat omnia ſimul in vaſe vitreato facta colatura, poſt refrigerationem abluatur tamdin *aqua roſac. donec albeſcant*, vnge ventrem bis die. Aut.

℞. *Pingu. anſer.* ℥ß. *axung. cati.* ℥ij. ß.
ſevi equin. ℥iß.
axungia canis & ſuis caſtr. ãa. ℥ij.
pingued ped. arietinor. prius præpar. quart.
liquefacta & colata ablue *aqua roſar.* donec albeſcant, litus pro ventre, bis in die.

Poſt ventris à prædictis vnguentis vnctionem, ferenda eſt *canina pellis* ſic præparata.

Accipe canis pellem arte coriacea præparatam, ablue ſæpius aqu. roſar. vel alia odorata; abluta ſiccetur in vmbra; hinc aptato ſic vt totũ ventrem vtero gerentis amplectatur; quam priuſquam admoveas ſequ. oleis madefacito.

℞. *Ol. amygd. dulc. hyperic. myrtillor* ãa. ℥iß.

abluantur optime aqua roſ. in his per noctem infunde pellem caninam dictam, diligenter manibus perfrica, poſt in ſolis vmbra exponito per duos dies, tandem ventri aptato: hanc ferat gravida poſt vſum prædictorum vngu. ita enim venter puerile pondus citra læſionem ferre poterit ad nonum vſque menſem.

Apud vnguentarios venditur pellicula hæc præparata, vel caprina, quæ ex Hiſpania & Italia affertur, ſtomachoque & vtero ſcutorum loco inprimis auxiliatur, thymiamate odorata & vulgo ſuffita appellatur (peaux de ſenteur) *Ioh. le Bon Ther. Puerp.*

40. *Aquæ quæ geſtationis*) Effunditur naturaliter partu iam inſtante, membranis illis à calcitrante fœtu, vt *Hippocr. l. de nat. Pu.* loquitur, diruptis, ſique ſtatim fœtus ſequatur partus ob viæ lubricitatem fit facilior: laborioſior autem ſi diu ante partum erumpat, ob viæ ſiccitatem.

Effunditur vero non naturaliter ob caſum ictum & contuſionem, ſaltum tuſſim, clamorem, aliumve motum violentiorem.

Bina victus ratio ſervanda, quieſcendum, fœtuſque externis & internis remediis roborandus *Sebiſius man* pag. 1643.

41. *Ob humectationis defectum*) Contingit difficultas in partu, quando membranæ fœtum obvoluentes tenuiores ſunt, vt citiùs quam par ſit diſrumpantur, vnde ſequitur præcox aquarum effuſio, ſicque reſiccatum manet vteri orificium tẽpore excluſionis fœtus *Riverius*

Viæ minus lubricæ ſunt, cùm membranæ ob tenuitatem nimis citò rumpuntur, vt aquæ quas vias illas humectare & lubricas reddere debent, citiùs quàm par eſt effluunt. *Sennertus.*

Appendix ad præſens caput.

Ephelides gravidarum.

Ephelides in gravidis ſunt juxta *Hippocratem* fœmellatum indicia habentque originem à ſanguine menſtruo, qui cum ex retentione plerumque aliquid virii contrahat, tum ſymptomata alia, tum has quoque maculas in facie excitare ſolet. Variare illæ conſueverunt in apparitione & curatione, Nam in aliis citius, in aliis tardius apparent; In quibuſdam tametſi tollantur, ſubinde tamen revertuntur, durant quoque in nonnullis vſque ad partum, & poſt partum ſurſus evaneſcunt, In aliquibus etiam poſt partum manent. In aliis ante partum cum factus grandior fœtus diſparent.

Gravidæ de extinctione earum non admodum ſunt ſollicitæ, ſperantes fore vt partu finito, aut fœtu grandiore facto vltro deleantur.

Inſerviunt alias illarum vt & aliarum faciei macularum extinctioni radices *ari, bryoniæ, cyclam. cucum. aſin. dracontij, lapathi ac ſcrophul. & ſigilli Salom.*

Herbæ, *ſabinæ, ſcabioſa, perſicariæ.*
Flores *fabarum, ſambuci.*
Semina, *fabæ, lupini, cicera. amygd. amara.*
Baccæ *lauri, nuclei perſic.* aut *ceraſor.* Præterea *camphora. myrrha, borax, ceruſa, tartarum, nitrum.* Olea *myrrhæ, camphoræ, talci, tartari, lauri.*

Aquæ & decocta radic herbar. flor & ſimplicium enumeratorum *Sebiſius manu. c. 4. p. 617.*

Faciei pallor & decoloratio in gravidis.

Gravidę multę non ſolũ pallent, ſed quædã etiam flavo ſubviridi, lividoque colore ſunt fœdatæ: Cauſa eſt cacochymia ex retento menſtruo nata, qualis enim humor intus latet in corpore, ait *Hippocrates*, talis color effloreſcit in cute: Non paucæ tamen huic decolorationi etiã prava victus ratione occaſione præbent, quæ ſimiles poſtea humores gignit, qui corpus fœdis deformãt coloribus. In cauſa quoque eſt vitioſa viſcerum diſpoſitio, ventriculi, hepatis, lienis: malã concoctionem ſequuntur

tur

tur mali humores, mali humores male nutriunt, parteſque vitioſis imbuunt coloribus.

His vitiis quomodo occurrendum ex dictarum partium affectibus liquet *Sebiſius m.m.p.160.*

Gravidarum Teneſmus.

De hoc affectu ſcribit *Hipp.aph.27.7.* quod *ſi gravidis acciderit abortum faciat*, Quia ait *Galenus*, inteſtinum rectum, quod utero contiguum, in teneſmo afficitur, continueque laborantem ad dejectionem ſtimulat, irritatum ipſum à materia vitioſa.

Adeſt igitur moleſtia ſumma ob dolorem & tenſionem, reliquumq; corpus etiam male habet, ſed præſertim uterus, recto inteſtino vicinus: Nil igitur mirum, *inquit*, ſi propter frequentem exurrectionem, & egerendi conatum fœtus excludatur; ſiquidem experimur prægnantes, etiam ob alias omnes fortes commotiones atq; dolores abortum facere Teneſmi cauſæ eædem ſunt quæ Dyſenteriæ ſuo loco traditæ.

Curatio poſtulat primum vacuantia & abſtergentia, deinde ſiſtentia tenſionem, quia cum inteſtinum rectum aſſidue ad expellendum à noxia materia, quæ plerumq; bilioſa, aut ſalſa pituita eſt, irritetur, ſic ut uterus illi vicinus ad ſimilem egerendi cupiditatem provocetur, Vide cap. de Teneſmo. *Sebiſius man.pag 1631.*

Tumor Oedematoſus Pudendorum in gravidis.

Uterus nonnunquam adeo redundat humoribus, ut hi exundent in partes inferiores, ac præcipue finitimas, ſicuti labia pudendorum, quæ ideo adeo replentur, ut in Humorem attollantur; & hic quandoq; adeo inſignis eſt in quibuſdam mulieribus, ut femora ad invicem adducere nequeant, unde ambulatio impeditur, aut ſaltem cum moleſtia fit & difficulter.

Tumor ille tunc pellucidus eſt ac fere tranſparens inſtar hydroceles, ob aquæ limpidæ copiam inibi concluſæ, Cum porro dolorem & difficultatem in partu inducere valeat, eo quod ab ejuſmodi intumeſcētia meat⁹ anguſtiores reddūtur, auxiliū ante id tēp⁹ afferendū eſt.

Securiſſimum eſt quod fit manus opera, per ſcalpellū plurimis factis ſcarificationibus, ſecundum longitudinem labiorum, quæ exitum concedent humoribus illis, exinde exſudaturis & paulatim, ſtillaturis, Super admovendo tantillum *ungu.roſac.* & ſplenia vino aromatico immerſa, præcavendę recidivæ gratia, corroborationiſq; partium illarum; imperato præterea convenienti victus regimine quale in hydrope inſtitui ſolet.

Nonnulli ſanguiſugas admoveri jubent, metu doloris à ſcalpello excitati, ſed non adeo idoneæ ſunt, quia exiguum foramen ab illis inflictum illico occluditur à caſu; id quod tam cito non accidit factis ſcarificationibus, quæ profundiores aut ſuperficiariæ pro libitu fiunt, durantéſque conſervantur ab admoto aliquo unguine.

Quando Tumores ejuſmodi Oedematis ſolum indolem ſervant, nulla febre comite, quantumvis tumidi fuerint, utplurimum expertes ſunt periculi, dummodo auxilium, quale jam à me præſcriptum, adhibeatur: at vero ſi adfuerit inflammatio, cui ſemper adſtat febris, tum plerumque pauciſſimis diebus à partu, lethalis evadit affectus, Inflammatio enim ibi exorta progenies eſt phlegmones in utero exiſtentis ſicuti id non ſemel a me adnotatum, & docet *Hippocr.43.5.* aph. *Si mulieri prægnanti fiat in utero eryſipelas, lethale eſt.*

Nonnunquam obviæ mihi fuerunt mulieres, tum prægnantes tum vacuæ, quibus exorti tumores in dictis labiis, ſoboles tantum humoris ſingularis cyſti quaſi quadam incluſi, (de quibus cap.1. ubi de affectibus Pudendi 1. *Mauriceau cap.24.lib.1. de aff. Grav.*

Procidentia uteri in Gravidis.

Deſcenſum uteri dicimus cum tantummodo in vaginam procumbit, neque prætergreditur pudenda; alias vocatur procidentia, malū multo gravi⁹ & periculoſius, quod vix in gravidas incidit, quia uteri extēſio prohibet, ne omnino procidat, etiamſi ejuſdem relaxatio & deſcenſus fieri poſſit, adeo tamen ut foras non promineat.

Præterquam quod Deſcenſus uteri impedimento eſt libero gravidæ inceſſui, & cōcubitui gravitate præterea, præſertim poſterioribus menſibus, coxendicum & femorum ſtupotem infert, dyſuriam, excrementa ventris cohibet, ob inclinationem enim illam uteri comprimuntur veſica & rectum inteſtinum, quibus interjacet.

Multo facilior erit curatio Deſcenſus uteri à partu quam in graviditate, quia uterus ſarcina liberatuş, facilior erit ejus ligamentorum corroboratio. Adde quod tunc temporis conceditur peſſariorū uſus, uterū coërcētiū quā per graviditatē quia à gravitate uteri extrudūtur.

Porro etiamſi dixerim uterum in gravidis vix Procidentiam pati, adeo ut is viſui pateat, prohibentibus ejuſdem extenſione & magnitudine, id tamen audiendum de poſtremis graviditatis menſibus, Non paucæ enim mulieres mihi notæ quibus Procidentia accidit primis menſibus, quia & duabus mulieribus quinquemeſtrem fœtum geſtantibus id accidiſſe memini, quibus pars uteri contigua orificio interno, pudendum ad pugni magnitudinem prætergrediebatur, cum inſigni dolore ac dyſuria & abortus imminente periculo, qui & revera illis in præcedentibus imprægnationibus acciderat eadem de cauſa; neque defuiſſet ſimilis eventus, præſentē cauſa, niſi ex meo conſilio uſæ eſſent peſſario, cujus ope uterus reductus & cohibitus ad tempus uſque partus; imminente partu eo remoto.

Undecumque autem oriatur Deſcenſus uteri in gravida muliere, omnium optimum auxilium eſt decubitus in lecto; Præ gravitate enim uteri magis ac magis ſtanti relaxarentur ligamenta: Si per facultates id non liceat, geſtet ſaltem peſſarium, coercendi, quantum licet; uteri gratia in debito ſtatu; Sin concedat venter elatior, illum ſublevet latæ faſciæ ope, rite adaptatę, quo oneris parte levata, ligamenta illa non adeo diſtrahantur, & longiora fiant; Sin accedat urinæ difficultas, hanc emiſſura ægra ipſamet utraque manu ventrem attollat ad faciliorem exitum, ſic enim veſicæ cervicis compreſſio impedietur.

Sin laxitas ligamentorum uteri ab humoribus ſuperfluis orta in cauſa ſit deſcenſus, utatur ægra victu deſiccandi vi prædito, utatur aſſis potius quam elixis, abſtineat à coitu, quia in illo cum virga virilis oſtium pulſet, & violenter ad orificium allidat, tum humile, metus eſſet ne ab iſtiuſmodi contactu doloriſico ante tempus adaperiretur.

Veſtes quoque ne ſint adſtrictiores, ab his enim infra propellitur fœtus & uterus ad deſcenſum impellitur, Sedulo quoque cavendum ne in partus doloribus, à quibus valide uterus deorſum compellitur; & in exitu fœtus, aut in ſecundinæ vi adhibita extractione, ſuccedat Procidentia uteri, quæ facilis eſt, niſi utamur methodo quam ſuo loco edocebo, ubi de Partu difficili dictam ob cauſam. *Mauriceau lib. 1. cap. 22.*

Gravida icta, aut læſa, aut percuſſa in ventre.

Si forte fortuna contigerit mulieri ab alto decidere, aut rei cuipiā durę obviam fieri, aut aliunde lęſam, ictā & percuſſam periclitari, aut ſuſpicio ſit immaturi fœtus à cauſa procatarctica; hanc *ſemen*, vulgo *germen* dicitur, ex ſex ovis gallinaceis collectum, *vino albo* diſſolutum, calide epotum ſummopere juvabit, idque ſex dierum ſpatio ſingulis matutinis repetendum; quo interim tempore quieſcendum erit, & ab omni motu violento abſtinendum, Eadem cautione, tuſſis, ſternutamentum, clamor, ira, Venus immodica, cibi & potus repletio, calida omnia diureticaque vitanda; *Aquilæ* lapis filo appendendus, & lumbus

pediculos, ut facile à vento aut quavis alia commotione violenta excuti poſſint: dum vero ad maturitatem accedunt, minus firmiter hærent quam in mediis temporibus. *Riverius.*

Gravidarum Regimen.

Quibus occurrendum recto regimine toto Graviditatis decurſu, Quibus cautionibus oſtendit *Mauriceau de Aff. Gravidarum l.c. c.* xi.

Etiamſi, ait, utero gerens rectè ſe habeat, attamen in cenſu ægrotantium fere habenda eſt, conſtituta quippe in ſtatu neutro ideoque Graviditatis vulgò vocari ſuevit *Morbus novem menſium*, quia tum temporis variis ærumnis exponitur gravida, niſi ſibi conſulat & caveat; quapropter peritum Naucleruм imitari debet, qui ſi mari tempeſtuoſo, & ſyrtibus periculoſo ſe commiſit pericula declinat, ſi modo prudenter ſeſe gerat; Itidem mulier gravida non raro vitæ diſcrimen ſubit, niſi omnes conatus adhibeat in declinandis plurimis accidentibus quæ illi tum imminent; quo tempore duo hæc ob oculos obverſari debent, primo corpus proprium, deinde fœtus quem utero geſtat; ab unico enim errore duplex malum imminet, neque enim mater laborare poteſt incolumi fœtu; id quod deſignat *Hippocrates l. de Nat. Mul. Puer vivit de matre in utero*, & quali mater *ſanitate prædita eſt, talem etiam puer habet.*

Porro, ut proba fruatur valetudine, quantum concedit ille rerum ſtatus, qui neuter ſemper habendus eſt, præprimis probum vitæ regimen obſervare debet, tempeciei, conſuetudini & facultatibus conſentaneum. Id quod conſequi poterit uſu recto ſex rerum non naturalium.

Aere fruatur temperato in omnibus qualitatibus; ſi talis defuerit, quantum poſſibile ille emendabitur variis mediis: calidiorem declinet, qui inſigni facta humorum & ſpirituum diſſipatione; in animi defectiones ſæpe incutiunt gravidæ: Nocet etiam Aër frigidior & nebuloſus, ab hoc enim frequentes humorum decubitus in pectus, unde tuſſis, quæ valido & ſubito impetu fœtum excutere valet & abortum ciere, Inhabitet domum à ſterquiliniis & cloacis remotam; nonnullæ enim mulieres tam teneræ ſunt conſtitutionis, ut vel candelæ non plane extinctæ nidor partum intempeſtivum provocet, docente *Plinio l. 7. c. 7. H N.* id quod ſe vidiſſe teſtatur *Liebautius.* Id ipſum à carbonum fumo præſertim metuendum, id quod à me obſervatum in linteaminum muliere dealbatrice, quæ quarto menſe abortum paſſa eſt à ſuſcepto ejuſmodi fumo: Nec minus prægnans à ſuffumigiis validioribus cavere ſibi debet, utut gratis & jucundis, ſi præſertim hyſterico aliquo affectu tentata fuerit.

Plurima prægnantium pars tanto ciborum faſtidio premitur, imo ad ineptos cibos reſque abſurdas tam vehementi appetitu fertur, ut vix liceat ipſis præſcribere convenientia alimenta; ſed hac in re *Hippocratis* conſilium ſequantur author ſum, propoſitum aph. 38. ſect. 2.

Paulo deterior & potus & cibus, ſuavior tamen, ſed inſuavioribus præferendus, Et hæc meo judicio regula illis eſſe debet, dummodo res quas appetunt à communi uſu non abhorreant, & ab exceſſu in uſu ſibi temperent; Si faſtidia illa conſueta moleſta non fuerint, utatur cibis probi ſucci, eaque copia quæ ſufficiat illi & fœtui ſuſtentandis: Jejunius & nimiam ciborum abſtinentiam tum temporis fugiat, quia ab iis incaleſcit ſanguis, fitque ineptus alendo fœtui (qui mitis & temperatus eſſe debet) unde debilis & imbecillis naſcitur, vel ad intempeſtivum exitum impellitur: Prægnans quoque ſatietatem vitet, præſertim horis nocturnis, quia cum uterus ultimis menſibus imi ventris partem maximam occupet, impedimento eſt ne ventriculus plurimi alimenti ſit capax, quapropter ructus acidi ſæpe illi in os redundant, à depravata videlicet alimentorum concoctione, cum inſigni reſpirationis difficultate, ab oppreſſo diaphragmate, Eapropter parum & ſæpius comedat: Panis ſit ex puro tritico, rite coctus & candidus, cujuſmodi vænalis eſt Pariſiis *de Goneſſe*; abſtineat à male fermentato, aut ſyncomiſto, qui ſtomacho gravis eſt; Veſcatur etiam alimentis probi ſucci, carnibus tenerioribus bubula, ovilla, vitulina, gallinaceo genere, caponibus, columbis, perdicibus, aſſis vel elixis: conveniunt Ova recentia: Cum porro gravidæ probo ſanguine deſtituantur, utatur juſculis herbis alteratis quæ illius vitium emendent, oxalide, lactuca, cichorio, borragine, Abſtineat à piſtoris operibus, illa enim gravant ventriculum; Si Piſces appetat, recentes illi ſint non ſale conditi, in puris fluviis capti, non in aquis ſtagnantibus, qui improbi ſunt ſucci.

Sin Gravidæ dominari appetitui abſurdorum neſciant, ſatius eſt aliquantulum deflectere in victus ratione, dummodo limites non multum excodantur; quam omnino fruſtrare illas optatis: *Vino* utantur veteri; cum cibo, ſed pauco, & aqua temperato; potius rubello quam albo, promovendæ cauſa probæ concoctionis, & roborandi ventriculi, qui per graviditatem ſemper debilis eſt; Sin antea abſtemiæ fuerint, paulatim illi aſſueſcant: Ac tum in cibo; tum in potu quæcunque calefaciunt fugiant, ſalſa, acria, amara, aperientia & diuretica; hæc quippe cum menſtrua provocent; initio facile ſeminum effluvium efficere poſſunt, ſicuti in progreſſu abortum.

Beneficio ſomni moderati omnes functiones in gravida muliere roborantur, præprimis concoctio quæ obitur in ventriculo, quo tempore faſtidia cibi frequentia ſunt, ut & vomitus; ejuſdemque beneficio fœtus firmatur in utero; Moderatum dixi, ſicuti enim ſuperfluæ vigiliæ ſpiritus exhauriunt, nimius vice verſa eoſdem opprimit; Octo horas, aut ad ſummum decem is ne excedat, & noctu ſolum, utpote naturæ magis conſonus contra morem aulicorum qui diem in noctem tranſmutant; Si nihilominus ex prava conſuetudine meridiari neceſſe ſit, ſatius eſt ut ſomno indulgeat quam ut ſubito à conſueto deſiſtat, ſiquidem quaſi naturalis eſt.

Exercitium & *Quietem* quod ſpectat, aliter atque aliter ſe gerendum pro ratione temporum graviditatis, Primis enim conceptionis diebus, ſi illius opinionem habeat, lecto ſe committere debet ad quintum aut ſextum diem, imo prætermiſſo coitu; quod præceptum eſt *Hippocratis lib. de Ster. Si mulier genituram ſe concepiſſe cognoverit, primo tempore ad virum non accedat, ſed quieſcat*; Cum enim ſemina nondum ambiat membrana quæ eo tempore formatur, facillime in nonnullis mulieribus illa diffluunt ab agitatione corporis: Neque rheda vehi, neque plauſtro, neque equo toto graviditatis decurſu, atque quo magis provecta eſt, partuique proxima mulier; quia videlicet ejuſmodi exercitia gravitatem contentorum in utero adaugent ob concuſſionem, quæ non raro abortum accerſit; ſed lenis ambulatio utilis eſt, aut cathedræ inſidens vehi poteſt, aut lectica: Nihil grave attollat aut geſtet; imo ne brachia ſuſtollat; eapropter ipſamet pro more, pecten capiti ne admoveat, quia altius brachia adducere neceſſe eſt, quæ cauſa eſt ut plurimis intempeſtivus partus acciderit, uteri enim ligamenta ſubito

& violenter relaxantur, ab ejuſmodi extenſionibus; Exercitium ergo illi ſit lenis deambulatio; calceorum ſuppedamenta depreſſa ſint, cum enim mulieres, ob tumorem ventris pedibus proſpicere nequeant, crebro vacillant; Tandem exercitia ejuſmodi ſint, ut in quiete potius quam in illis excedat: grandius enim imminet periculum ab immodico motu quam à quiete.

Non me effatum *Ariſtotelis* equidem latet *lib. 4. cap. 6. de G. An.* mulierem quæ labori aſſueverit per graviditatem melius ſe habere, facilioremque partum experiri quam quæ vitam ſedentariam agit; ſed id audiendum de labore moderato, à quo nullum periculum immineat tum matri tum fœtui, Quapropter nequaquam aſſentiri poſſum quamplurimis Authoribus, etiam ſi plurimos applauſores habeant, ſtatuentibus mulierem gravidam, ultimis menſibus validius & frequentius exercere ſe debere, ut videlicet, ajunt, fœtus ad inferiora devolvatur; At ſi rite rem illi perpendiſſent, facile illis liceret animadvertere hanc unam & præcipuam eſſe cauſam dimidiæ partis laborioſorum partuum: quin contra ex tempore quietem multo conducibiliorem eſſe illo tempore, quod jam probatum eo.

Id primo ſupponendum, ac pro conceſſo habendum, exitum fœtus Naturæ recte agenti committendum eſſe, neque taliſmodi concuſſione ad exitum intempeſtivum excitandum; Id enim cum accidit (etiam ſi ſeptem tantum aut octo diebus ſtatus terminus prævenatur) non minus noxæ fœtui accidit quam uvæ, quæ decerpta immature, vinum omphacites dat, ubi protelata vindemia ad 4. tantam aut 5 dies, maturum expectabile erat.

Ut vero evidentius appareat ex hac ſimilitudine ejuſmodi exercitia non raro infauſtos partus arceſſere, conſiderandus eſt naturalis ſitus fœtus in utero, cujus caput ſublimius eſt, pedes deorſum vergunt, facie ad ventrem matris obverſa, donec octavum circiter attigerit menſem, tum enim temporis, aliquando citius, nonnunquam tardius, cum caput magnum ſit & admodum grave, tunc ad ima devolvitur, capite demiſſo pedibuſque ſublatis, qui ſolus verus & legitimus eſt modus in lucem exeundi; cæteris omnibus præter naturam accidentibus; At vero definire quo tempore fœtus motum illum inchoat, cum quies neceſſaria ſit, contra præcipitur ſaltatio, ambulatio, aſcenſus, deſcenſus, & ſolito vehementior exercitatio, quo fit ut non raro obliquum ſitum obtineat, non directum qui naturalis eſt: Imo nonnunquam uterus adeo ad inferiora devolvitur, ac poſtremis menſibus in cavitate hypogaſtrii deprimitur ab ejuſmodi concuſſibus, ut poſtmodum fœtui denegata ſit libertas naturalem illam prolapſionem in caput ſublatis pedibus ſuſcipiendi, quapropter neceſſe eſt ut ad priſtinum ſtatum redeat, videlicet ut in pedes exeat, vel alio magis depravato modo.

Eapropter etiam omnino eſſet neceſſe ut mulier omnino à coitu abſtineret, ultimis ingravidationis menſibus, ab illo enim corpus admodum exagitatur, imo in ipſo congreſſu venter comprimitur, unde pravus ſitus fœtui conciliatur; Ideoque *Ariſtot.* opinionem *lib. 7. cap. 4. H. An.* non amplector, qui ait mulieres paulo ante partum coitu utentes facilius parere, id quod omnino *Hippocr* repugnat qui *lib. de ſuperfœt.* ait *Mulier prægnans ſi coitu non utatur facilius a partu liberatur*: Ideoque exiſtimo eos qui attentius iſta perpenderint, erroribus non difficulter valedictum, qui mortis cauſa fuere plurimis tum matribus tum infantibus; aliis multum negotii peperere.

Nonnullæ mulieres abortum fecere poſt diſploſa tormenta bellica, & ob ſonum majorum campanarum, ſed præſertim ob graviora tonitrua, ſi repente aures feriant, quo plurimum confert præter fragorem pavor conceptus.

Gravidis nonnunquam *alvus induratur*, uterus enim cum gravitate ſua comprimat rectum inteſtinum, ideo facilis prohibetur excrementorum exitus; Tunc convenit uſus prunorum decoctorum, juſculorum ex vitulina carne, aut ex herbis emollientibus, quorum ope leniter laxabitur alvus: Eam in rem quandoque conducet uſus caſſiæ mundaræ ad unciam ſemis; His niſi reſpondeat alvus, injiciatur clyſter lenis, ex *malva, althæa*, *parietaria* & *aniſo*, diſſolutis *ſacchar. rubic.* unc. ij. addito pauco *ol. violat.* vel paratus ex *furfurum decocto*, *mell. violat.* unc. ij. ac pauco *butyro rec.* ſed cavendum ab acrioribus, quæ fluxum ventris excitare valeant, unde periculum abortus, ut docet *Hippocr.* aphor. 34. 5. *Mulieri utero gerenti ſi alvus plurimum fluat* periculum eſt ne abortiat.

Nec minime quoque cura debet eſſe gravidæ *animi pathematum*, quibus dominari debet, præſertim iræ, aut zelotypiæ, multis familiari; ſed præcipue cavendum ne terror incutiatur gravidæ, vel triſte quod ex improviſo nuntietur; ab his enim paſſionibus, ſi vehementiores fuerint, periculum imminet, quare ſi quid prægnanti nuntiandum, ejuſmodi ſit quod lætitiam inducere valeat moderatam, nam ab excedente noxa etiam imminet; Sin aliquid triſte neceſſitate impellente nuntiandum, tum modus quærendus quo citra minimum tumultum, & paulatim id fiat non ſubito.

Quamprimum mulier de graviditate dubia non eſt, aut ſi ſuſpicio adeſt, caveat à ſtrictiore ligatura, quod uſitatum pleriſque eſt, quæ togis utuntur, inrertextis cetaceis ramis rigidis ſtaturam erectam affectantes, à quibus mammis non raro injuria infertur; ac alvum anguſto limite concludentes, prohibent ne fœtus libere increſcat, imo nonnunquam ad præmaturum exitum, etiam vitioſe conformatum, impellunt. Neque animadvertunt imprudentes ejuſmodi mulieres, dum elegantiæ ſtudent, ventri ſemale conſulere, qui à partu rugis deturpatus remanet, ac ſacci inſtar propendens; Obſtetricem poſtmodum inique increpantes, aut mulierem clinicam, quæ non ut decet ventrem faſciis obligaverit, cum malum inde pendeat quod per graviditatem corporis truncus ſuperior arctius conſtrictus fuerit; quo fit ut cum venter univerſus careat amplo ſatis ſpatio quo ſe æqualiter diffundat, verſus inferiora tantum extendatur; quo onus devolvitur.

Eadem quoque de cauſa accidunt Herniæ gaſtricæ, deinceps admodum moleſtæ: quare uti debent veſtimentis laxioribus, abſtinentes pariter à ligneis vel oſſeis illis palmulis quibus ventrem rectitudinis gratia deprimunt.

Prægnantes quoque toto graviditatis decurſu à balneis abſtineant, ne uterus ante tempus reſeretur, quod conſilium eſt *Avicennæ lib 3. Fen. 21. tr. 2. cap. 2.* ubi pronunciat Balneum eo tempore ipſis eſſe execrabile.

Omnes propemodum prægnantes eo dementiæ devenere, ut veterem morem perpetuo inſequantur, medio geſtationis tempore, & ſeptimo menſe, ſibi detrahi ſanguinem curantes, ut ſi abſtinuerint, (etiamſi alias recte ſe habeāt) vix proſperum partum ſe experturas credat; Non ideo tamen perpetuæ veritatis eſſe volo aph. *Hippocr.* 31. lib. 5. *mulier in utero gerens ſecta vena abortit, eoque magis ſi fœtus ſit grandior.* Neque enim hic aphoriſmus prohibet venæ ſectionem, urgente neceſſitate, inſinuat tantum ſumma cum caute-

cautela illa utendum, nonnullis enim mulieribus convenit iterata, imo ter vel quater venæ ſectio, imo ſæpius repetita in graviditate; aliis ſimplex vel duplex ſatis eſt; nam ut quædam occurrunt gravidæ, quibus morbo prehenſis novies aut decies mittitur ſanguis intra breve temporis intervallum, nihilominus incolumem pariunt fœtum; ſic vice verſa quædam ob unicam ſanguinis miſſionem abortiunt, quod innuit *Hippocr.* dicto aphoriſmo.

Neque minor eſt error earum quæ præciſe ad ſanguinis miſſionem expectant medium geſtationis tempus, nam ſæpenumero utilior foret primis menſibus inſtituta, nam cum fœtus tum temporis admodum exiguus ſit, is nequaquam abſumere valet ſanguinem univerſum qui ad uterum confluit, quapropter multus redundat, à quo non pauca metuenda mala, quibus gravidæ premi ſolent, illæ præſertim quibus menſtrua ubertim fluebant, ante ingravidationem: Sed quid mirabilius quoad V. S. in gravidis, exemplo uxoris D. *Jamotii* collegæ mei qui mihi retulit ſe quadrageſies octies, in unius graviditatis decurſu, venam illi ſecuiſſe aſſerit, 45. in brachio, bis in pede, ſemel in jugulo, cum nullam opem afferrent alia remedia in oppreſſione qua urgebatur; attamen felix ſucceſſit partus infantis bene ſe habentis. Nam cum naturarum magna ſit varietas, non in omnibus eadem ratione procedendum eſt, neque exiſtimandum omnibus gravidis neceſſariam eſſe ſanguinis eductionem; ac ſemper medium geſtationis tempus expectandum; Illius neceſſitas manifeſta fiet ex cognitione temperamenti, quod ſi ſanguineum fuerit, facilius admittenda, tum & ex ſupervenientibus accidentibus.

Purgationis eadem ratio eſt, ad quam prudentia quoque opus eſt, remedia lenia & benigna ſemper uſurpanda, *caſſiam, rhabarb. mannam, tamarindos*, adjecta *ſennæ* ℥j. aut ad ſummum ℥ij. &c.

Gravidarum Diæta.

Idonea vivendi ratio toto quo gravida eſt mulier tempore inſtituenda, nihil tamen quod partum promovere poſſit ante poſtremum menſem, præſertim ſi validum ſit remedium, adminiſtrandum eſt; Parce itaque *cibo* utatur, parumque nutriente ſi conſueta ſit *magnum fœtum* edere, & obeſa ſit; A *vino* vel abſtineat, vel eo diluto utatur, *Sanguinem* circa medium uteri geſtationis tempus detrahat, idque ſi plethorica ſit; poſtea repetat, ſomnoque non nimium indulgeat, *Reficiente* vero vivendi ratione *ſtatim à conceptu* refocillandæ ſunt imbecilliores, *Humidiore victu & potu, lubricanteque* utantur quæ anguſtioribus orificiis ſunt præditæ, *Balneoque* ſæpe temperato: *Vltimo* vero *menſe* appropinquante, ad ea quoque quæ jam ad partum faciliorem mulierem præparare, non tamen antequam conatus ſentiat, admodum impellere poſſunt accedendum; Exhibendo ex levioribus partum juvantibus quædam: *Balneo* inprimis & *Inunctionibus* vias laxando, ſenſim vires horum medicamentorum augendo, quo tempus propinquius eſt, & præludia quædam illius ſentit mulier: quibus jam præſentibus ad ea quæ naturam ſimul ſolicitant, & ſi non ſuccedat partus, ad fortiora fœtum expellentia, & ſi magna exigat neceſſitas, & jam de fœtu extincto certi ſimus, etiam ad fortiſſima tranſeundum &c. *Platerus.*

Nobilis fœmina uterum gerens toto geſtationis tempore nullum cibum niſi acidum expetiit, potus vero loco continuo acetum avidis hauſit faucibus, excluſit poſtea fœtum abſque Epidermide, cætera perfectum atque valentem quidem, qui tamen paulo poſt ob dolores à defectu cuticulæ cauſatos, fatis cedere coactus eſt, *Chr. Frider. Garmannus.*

Diæta in morbis acutis.

Nulli dubium quod in morbis acutis victui tenui, imo aliquando tenuiſſimo uti debent ægræ, quæ tamen in utero gerentibus non ita tutus eſt, Vnde *Galenus* 5. *aphor.* 30. dicebat ex morbis acutis utero gerentibus duplex imminere periculum; alterum ex magnitudine febris quæ fœtum occidere poteſt, alterum ex tenui victu qui morbis debetur acutis, cujus ratione alimenti defectu fœtum deſtruimus, quod alimentum, ſi hunc ſervemus, non verebimus craſſiorem exhibere, febres continuas victu intempeſtivo augentes, matrem occidimus, quare hinc (quoniam & matrem & fœtum ſimul, ut res proſpere ſuccedat, ſervare tenemur) duo habemus, unum quod ratione fœtus in his pro victu cibi aliquid adjicere, alterum autem quod ratione acuti morbi detrahere debemus, quibus duabus indicationibus contrariis exiſtentibus, & utriſque neglectis mortem minitantibus, hinc Medicus victum nec tenuem nec plenum, ſed mediocrem imperet, ex quo nec fœtus decidere, nec morbus ingraveſcere poterit, nam ratione fœtus facile abſumetur talis ratio victus, quæ nec morbo poterit eſſe gravis, cum manutenere & fœtus & matris vires tantum, non autem eas gravare poſſit: Vnde in morbis acutis utero gerentium poterit Medicus aſcendere ad jura pullorum te[illegible]orum, in quibus fercula parentur, vel ptiſana diſſolvatur: aliquando ad lutea ovorum ſorbilia, abſtinendo tamen ſemper à vino & carnibus, & omnibus his quæ multum nutriunt, & inde morbum augere poſſunt: Hæc de *genere victus*, quo autem ad quantitatem, hæc major ſit vel minor pro ratione majoris vel minoris magnitudinis fœtus: unde major ſit quantitas in ultimis menſibus; quoniam tunc fœtus grandior uberiori indiget alimento; in medio autem tempore ſit moderatus: in principio vero geſtationis uteri ſit minoris quantitatis, vel parum immutatus ab eo quo uteretur, ſi utero non concepiſſet mulier. *P. Sanctus Diverſus de aff. part. c. 22.*

De phlebotomia in Gravidis acuto morbo laborantibus.

Sectio venæ ex *Hippocr.* 4. *v. ac.* t. 19. in omnibus acutis morbis, florente ætate & conſtantibus viribus adminiſtranda eſt, comprobante *Galeno*: Hanc v. ſ. *Hippocr.* 5. *aphor.* 31. docet in utero gerentibus abortum cauſare, & ideo cavenda erit, dum dicebat, *mulier utero gerens ſanguine miſſo ex venâ abortit, & magis ſi fœtus ſit major*: quare dubitandum venit, an hoc auxilio in mulieribus utero gerentibus, dum acuto morbo tenentur, uti conveniat, quoniam ſi non ſecetur vena morbus ſævior redditus patientem necabit: ſi autem ſecetur, incurret abortum, qui eſt caſus lethalis in acuto morbo; Hæc difficultas ita explicanda venit; mulier utero gerens miſſo ſanguine è vena abortit, quia extracto ſanguine ſubtrahitur alimentum fœtui; Vnde ſi fœtui hoc non ſubtrahatur ex ſectione venæ, nec etiam abortum ex hoc incurrere debet: hoc fiet ſi dum fœtus eſt minor, ſicuti eſt in primis menſibus, tunc ſanguis mittatur, cũ enim his temporibus fœtus plurimo non indiget ſanguine pro ſui nutrimento, ſi ſecetur vena non erit periculum quod fœtui alimentum ſubtrahatur, & eo magis ſi mulier patiens fuerit plethorica, unde à primo menſe uſque ad quintum tuto v. ſ. adminiſtrari poterit, Circa autem ultimos menſes magis rem circũſpiciat Medicus quoniam cum fœtus major hiſce diebus factus ſit, copioſiorique hinc indigeat alimento, non ſtatutum erit venam ſecare: Si autem mulier ſanguine abundet, & copioſa admodum

non fiat V. S. tutò mitti poteſt ſanguis, quoniam hinc ſedabitur morbus, nec tantum alimentum fœtui ſubtrahetur ut hinc mulier abortum incurrat; Si autem aliter ſenſiſſe videatur *Hippocr.* 5. aph. 31. clare docens ſanguine miſſo mulierem utero gerentem abortum pati, animadvertatur quod longe aliter nos venam ſecamus ac antiqui; illi enim ad libras nos ad uncias ſanguinem mittimus; non minus enim quam ad cotylam conſueverant utplurimum ſecare prima vice venam, cujus dimidiam quantitatem poſtea in ſequenti repetebant. Cotyla autem, ut habetur à *Galeni lib. de pond. & menſ.* habet vini uncias decem, mellis autem tredecim; cum autem ſanguis melle minus, vino autem magis ponderet, cotylæ habebit ſanguinis uncias fere xij. Nos autem ad tantam quantitatem, etiam in robuſtis viris, ne dixerim in mulieribus, non aſcendimus, niſi raro. & ubi plenitudo ingens exiſtat, & urgentiſſimus ſit caſus, ſed ad uncias tantum ſanguinem mittimus, quam quantitatem in utero gerentibus ſervantes, nunquam viribus conſtantibus abortum cauſabimus. P. *Salius Diverſus de Aff. Part. c. 23.*

Cum Gravida morbo tenetur qui maximè venæ ſectionem poſtulet, An graviditas à crebrâ ſectione & largâ profuſione ſanguinis avocabit? cum enixæ ſunt ingentem evacuationem ſanguinis habent & impunè ſuſtinent, Imo mulieres crebriores & largiores venæ ſectiones ferunt quam viri, hic ne reſtrictiores eſſe oportet? *Ballonius Epid. pag. 23.* Tutius Gravidis tunditur vena quam purgatio inſtituitur, Et multas obſervare licet mulieres plethoricas, quibus niſi circiter iv. menſem reſeretur vena, abortiunt: Et citra hanc cum febris aut inflammatio gravius urget, gravidis tuto detrahitur ſanguis, ſequendumque *Celſi* conſilium, qui magnitudinis morbi & virium duntaxat rationem habet, *Firmus puer*, inquit, *robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tuto curantur hoc præſidii genere*, ſicque uteri geſtatio inter quantatis duntaxat obſervationes habenda, Non enim perpetuum eſt quod ab Hippocr. ſcribitur in aph. *mulierem utero gerentem* ſecta vena abortire, idque magis ſi auctior eſt fœtus: Id duntaxat temperandum ſuadet à magnis evacuationibus, Hipp. tempore fieri ſolitis, ne fœtus alimenti defectu ante tempus prodeat. *Ballonius Epid. p. 25.*

De Purgatione in Gravidis.

Purgationis uſum in gravidis mulieribus definivit *Hippocr.* aph. 1. 4. *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe & uſque ad ſeptimum: ſed hæ minus, in juniori autem fœtu & ſeniore cavere oportet.* Galenus *in comm.* dicit eandem eſſe proportionem fœtus & fructuum arborum; hi ſiquidem in prima generatione debilioribus pedículis continentur, & ideo facile decidunt, cum vehementior ventus ipſos concuſſerit: poſtea vero aucti difficilem habent a plantis diſſolutionem, Sicuti rurſus cum perfecti ſunt, ſponte ſua, ſine vi extrinſeca decidunt; Eodem modo mulieres primis & ultimis menſibus abortum patiuntur, quia in illis fœtus minus firmiter utero alligatus eſt: Attamen noſtro hoc ſæculo purgationes quolibet fere graviditatis menſe ſolent adminiſtrari in morbis qui ab excrementorum dominatu & cacochymia producuntur, turgente vel concocta materia, quotieſcunque majus impendet periculum ex parte illius cacochymiæ morbum committentis quam ex commotione à purgante excitata: Audaciores hac in parte Medicos fecerunt blanda & innoxia medicamenta quibus hodie utimur; ut *rhabarb. myrobal. caſſia, manna, Senna, agaric. & ſim.* Attamen habenda perpetuo ratio ſententiæ *Hippocr.* & tutius mediis menſibus, cautius vero primis & ultimis Purgantia erunt exhibenda: Præterea *Pilularum* uſus in gravidis perpetuo debet eſſe ſuſpectus, tum quia corpus magis conturbant, tum ratione aloës, quæ ob inſignem amarorem fœtui infenſa eſt, & ora venarum aperire creditur: Quod ſi quando illius uſus neceſſarius eſſe creditur, in gravioribus ventriculi affectibus, qui prægnantes non raro primis menſibus infeſtare ſolent, lavetur diligenter cum aquâ roſacea, ut ejus acrimonia tollatur; vel admiſceatur adſtringentibus & roborantibus, ut *rhabarb. maſtiche* & ſimil. *Riverius.*

De uſu Clyſterum, Hidroticorum Diureticorum & menſes moventium in Gravidis.

Evacuatio quæ fit per *Clyſteres* non omnino tuta eſt, quia comprimendo uterum poteſt Abortum excitare; Ubi igitur illis opus fuerit, & in mulieribus aſſuetis huic remediorum generi, in minori quantitate componi debent, & ex iis quæ molliendi & leniendi potius quam valide purgandi facultate prædita ſunt.

De *Sudorificis*, *Diureticis*, & *Menſes moventibus*, ita pronuntiandum eſt *Menſes moventia* proprie dicta in gravidis nunquam eſſe uſurpanda, *Diuretica* vero, quia menſes quoque movere apta ſunt, debere eſſe ſuſpecta; & ſi morbi neceſſitas aliquando eorum uſum poſtulet, leniora eſſe eligenda: Ac denique *Sudorifica* tutius adminiſtrari poſſe, quia per habitum corporis humores educunt, unde nullum imminet abortus periculum; ita ut nonnullæ mulieres in media graviditate à lue venerea illæſo fœtu liberatæ fuerint. *Riverius.*

Cap. XXVI.

De Symptomatibus circa partum.

S*ymptomata circa partum* accidentia ſunt etiam haud pauca.

I. ¹· *Intempeſtivus* ²· *ſanguinis ante partum fluxus.* ³· Unde virium imbecillitas & lipothimia; in cujus cura, evacuantia ſunt fugienda, aër prohibendus, ⁴· cordialia & roborantia exhibenda: cùm ſe os matricis aperit, membrana eſt diſrumpenda, & infans educendus.

Hæmorrhagia Gravidis ſuperveniens.

¹· *Intempeſtivus ſanguinis ante partum*) Non parvum eſt diſcrimen inter fluxum menſtruum gravidis ſupervenientem, (de quo inferius) atq; hæmorrhagiam uterinam, de qua in præſenti, nã ille fluxus periodicus eſt, ſtato tempore adveniens, citra dolorem, paulatim ex utero fluens, ac tandem omnino deſinens; at contra

Hæ-

Hæmorrhagia hæc ex fundo oritur cum dolore, ſubitoque fere ingruit, & affatim ſanguis prodit, atque citra intermiſſionem niſi aliqui grumi permixti fluorem intercipere videantur, obturato ad tempus loco è quo effluit, ſed hic poſtmodum priori impetu redit, quem deinceps obitus matris excipit, & fœtus, niſi promptum adſit auxilium, partum promovendo ratione quam adductus ſum.

Hæmorrhagia iſthæc prioribus ingravidationis menſibus contingens, utplurimum præſente aliqua mola inducitur, quam uterus excutere tentat; in illo quippe conatu reſerantur nonnulla fundi uteri vaſa, è quibus ſanguis non ante effluere deſinit quam corpora illa extranea, uteri capacitate contenta, excluſa fuerint, qui fluxus eo abundantior eſt quo ſanguis tenuior & calidior extiterit.

Superveniẽte vero iſtiuſmodi ſanguinis effluxu, in legitima graviditate, quocunq; tempore acciderit, pariter ortum ducit, ab adapertis vaſis fundi uteri, ob ictũ, caſum aliamve externam læſionem, ac præſertim eo quod ſimilibus in caſibus, nonnunquam in aliis ſecundina divulſa, ex parte tantum vel omnino, partibus internis uteri fundi, cui adhærere debet exceptura ſanguinem matris, alimoniæ fœtus deſtinatum, ob ejuſmodi inquam, divulſionem hiant interiora omnia vaſorum orificia quibus agglutinatum erat, quamobrem illico comes eſt inſignis hæmorrhagia, non ante deſinens (ſi prædictam cauſam agnoſcat) quam mulier pepererit, ſecundina enim ſi avulſa fuerit, etiamſi tantum ex parte, nunquam iterum cum utero coaleſcit, qui cõtra in ſeſe contractus; & conſtrictus, (id quod illico à partu accidit) coarctatione iſta propriæ ſubſtantiæ, obturat orificia iſtorum vaſorum, quamobrem deſinit fluor, perpetuo perſeverans quamdiu uterus permanet in iſta diſtenſione quam faciunt aliaque contenta; hiantia enim ſubſiſtunt vaſa; quouſque excuſſa ſarcina uterus, uti dictum ſeſe contrahat; id quod non ſecus accidit ac in ſpongia, cujus pori, aut foramina, quæ admodum patentia ſunt quando turgida eſt, evaneſcunt & concidunt à ſubſidentia propriæ ſubſtantiæ ſi illa compreſſa fuerit: Itidem ab iſta uteri contractione, quæ in graviditate ſpongioſam quaſi naturam adeptus erat, in locis quibus adhæreſcebat ſecundina, orificia vaſorum occluduntur quamprimum quicquid in illius cavitate continebatur excluſum eſt.

Etiamſi ſuperius à me dictum ſit, omnino neceſſe eſſe ob rationes allatas, partum promovere ſimili in caſu ad cohibendam hæmorrhagiam, non tamen ea ſum in ſententia ut quamprimum eo deveniamus, nonnunquam enim accidit hæmorrhagiam, ſi exigua fuerit cohiberi ſola quiete & decubitu in lecto ac venæ ſectione in brachio facta, accedentibus aliis quibuſdam remediis fluorem ſiſtendo idoneis; adde quod fluxus iſte poteſt eſſe menſtruorum & ordinarius: Si ergo ſanguinis exigua tantum copia fluxerit, nec diuturnus ſit fluor, tunc partus naturæ committendum eſt, dummodo ſufficiens adſit robur virium, neque aliud comitetur grave ſymptoma; At cum adeo inſigni erumpit copia; ut ſuccedat convulſio aut ſyncope dicto in caſu maturanda eſt operatio, partuſque omnino accelerandus, tempeſtive an intempeſtive non refert, adſint vel abſint tormina; hæc omni unica eſt ſalutis via tum matri tum fœtui: id enim niſi protinus fiat *extremam fundet cum ſanguine vocem*, Non ignotum fuit *Hippocrati* periculum *aphor. 56.5. In fluxu muliebri ſi convulſio & animi defectio advenerit, malum*.

Deplorando iſto in caſu non perpetuo expectandum ad partus promotionem donec dolores adſint qui ad uterinas partes pertingant, etiamſi animi ab initio apparuerint, utplurimum tamen deinceps deſinunt, quando res ad ſyncopen uſque & convulſionem deducta eſt: neque etiamnum res eo uſque protrahenda eſt donec uterus reſeretur, amplius, ſiquidem ab iſtiuſmodi ſanguinis effuſione humectatur admodum, ac à debilitate relaxatur, ideo non minori negotio dilatari poteſt quam ſi fortes dolores præceſſiſſent, Id autem conſequi licet illo ſitu mulieri conciliato qui ad partum neceſſarius eſt, de quo capite proprio.

Poſtmodum Chirurgus manum butyro recenter aut oleo inunctam, paulatim conjunctis digitis immittet in uterum quos poſtea cum orificium attigerit, ab invicem diducet & explicabit ad ampliorem dilatationem, citra vim, ſi licet (deinde manu tota intromiſſa, ſi deprehendat membranas aquas continentes integras adhuc eſſe, audacter illas diſrumpat, hinc quemcumque ſitum fœtus obtinuerit, ac quamcunque partem obtulerit, imo ipſum caput (niſi jam nimium progreſſum ſit) ſemper illi diſquirendi ſunt pedes ad illam extrahendum, obſervatis circumſtantiis neceſſariis, major enim ſic adeſt facilitas in educendo eo modo apprehenſum quam ſi tentetur per caput extractio aliamve partem; quamobrem niſi illico occurrant, Chirurgus illos inquirat, id quod facilius illi licebit illo tempore quam aliis eo quod ſanguis qui ubertim effluxit in uterum, humiditate ſua illum adeo lubricum efficit, ut nulli negotii fœtum convolvere eum in finem liceat; quo educto ſecundinam quoque evellat, tunc temporis leniter adhærentem; Caveat præterea ne ulli grumi ſuperſtites maneant, quorum cauſa fluor adhuc perſtaret; quo facto hic brevi deſiturus eſt cum omnibus comitibus ſymptomatibus, dummodo mora parva fuerit in operatione.

Non paucæ mulieres ad interitum deductæ cum fœtu iſto auxilio deſtitutæ periculoſo hoc in caſu; ſicuti quamplurimæ ab eo vindicatæ ſunt, brevi imminente, quia auxiliares manus debito tempore expertæ ſunt, necnõ multi infantes ſacro fonte abluti ſunt, quo Baptiſmo alias privandi. Exempla vide apud *Guillemeau lib. de fel. partu 2. cap. 13.* Nec deſunt apud me exempla &c.

Cum porro in immodicos illos fluores ſubſequatur inſignis debilitas, omni arte reſtituendæ ſunt ægræ vires & confirmandæ ut par eſſe poſſit operationi, periculumque declinare; Eapropter, priuſquam illa ſuſcipiatur, ex intervallis juſcula conſummata illi porrigenda ſunt, gelatina cum pauco vino generoſo. Naribus objiciendum acetum roſaceum; Cordi admovenda panis teſſella toſta, vino madida inſperſo cinnamomo; quæ commodiora ſunt alimentis ſolidis, ſiquidem ex *Hippocrat. 11. 2.* Facilius eſt potu refici quam cibo: Ne porro ſanguis uberius effluat, vena in brachio ſecanda diverſionis gratia, ſi per vires liceat, hac cautela ut dum ſanguis prodit ex intervallis digito occludatur foramen, quo diverſio fiat abſque inſigni ægræ detrimento.

Nec inutile fuerit admoviſſe dorſi & lumborum regioni lintea aut mappas *oxycrato ex aqua plantagin.* parato madidas decubitumque præcipere inſtratis ſolum paleis, vitando plumeas culcitras aut laneas; Exhibendus quoque *ſuccus portulacæ* ore ſumendus, temperandi gratiâ æſtus renum & ſanguinis: *Galenus 5. m. m. cap. 5.* ait à ſe ſuppreſſum fuiſſe fluxum ſanguinis ex utero ſola injectione *aquæ plantaginis*, quem cohibere non valuerant remedia per quatriduum adhibita.

Si vero prædicta hæmorrhagia contingat à divulſione ſecundinæ ab utero, irrita fuerint omnia illa, cum unicum auxilium in fœtus extractione conſiſtat eaque citra procraſtinationem facta, etiamſi fœtus trimeſtris tantum foret, aut minor; neceſſaria quippe eſt omnimoda excoriatio uteri, quæ alias ſponte ſuccederet, ſive ſit falſum germen, mola, fœtus &c. uterus enim vacuus

in ſeſe concidit & contrahitur, hinc ſtatim hæmorrhagia deſinit, ceſſantque ſymptomata ſubſequi ſolita, cum ægræ ſalute, dummodo vires aliquæ ſuperſint peracta operatione. *Mauriceau cap. 2. lib. 1.* Vide Obſtitricem *Gallicam, lib. 1. pag. 64. cap. 5.* Cui titulus, *Dari caſum in quo protinus accelerandus partus, quocunque Graviditatis tempore, ut matris ſaluti conſulatur.*

1. *Intempeſtivus ſanguinis ante partum fluxus*) Curandi rationem vide inferius §. 2. *Difficilem partum.*

2. *Sanguinis ante partum fluxus*) Intempeſtivi & diuturni cauſæ plures eſſe poſſunt, nempe ſanguinis abundantia & acrimonia, vaſorum debilitas, denique infantis motus; Sanguinis abundantia efficit ut ſponte abſcedat id quod naturam gravat, nec in nutrimentum embryonis cedat, Hoc ſubinde accidit naturæ robore, quo levantur gravidæ & liberantur embryones: Oboritur tamen Abortus periculum, quod via lubricata uterus ad infantis motum facile aperiatur, Quo in caſu V. S. brachii magnopere conducit.

Plethoricis hæmorrhagiæ iſtæ cohibendæ non ſunt, ne inflammatio & ulcus in utero excitetur, E contrario ſanguine exiſtente bilioſo & acri exhibenda ſunt demulcentia, & ea quæ motum ſanguinis remorantur, quieti ſtudendum & paſſiones animi fugiendæ, prodeſt gelatina c.c. cum *ſucco cydonior. & confect. hyacinth. alimenta ex hordeo*, Spina dorſi *oleo violac. & roſat.* inungenda, *lac vaccinum chalybeatum* exhibendum.

Vaſis porro *laxatis*, ſi placenta ab utero abſcedit, & ſanguis effluit, niſi vulnus cito per gluten naturale fibroſum uniatur, abortus imminet: quamobrem in uſum trahenda ſunt *ova ſorbilia caudæ cancrorum, extremitates animalium, mucilagines, cydonia, roſæ, muſcus pulmonarius ſaxatilis, troch. de carabe ſanguis drac. conſolida maj. flor. jugland. ſiccati & pulver.* Præterea cataplaſma è ij. *ovor. albumin. cum bolo paratum* lumbis admotum experientia commendat, *Motus infantis* hunc quoque fluxum concitat, attracto funiculo umbilici & læſa placenta, quare uterum roborantia, adſtringentia & cordialia exhibeo, ne vires magis dejiciantur, Mammis præterea admoveri poteſt magna cucurbitula, extrema ligari &c. *Johann de Muralto M. S. Vol. 2. pagin. 64.*

Inefficax utplurimum eſt methodus, interim in experiendo diſcrimen vitæ incurrunt mater & fœtus, quare potius eſt conſilium ſequens, teſte experientiâ.

3. *Unde virium imbecillitas & lipothymia*) Si ante partum effluxerit ſanguis graviſſima oriuntur ſymptomata, ſitus infantis pervertitur, & mater & fœtus maxime debilitantur, & in vitæ periculum cadunt: *Motus convulſivi* fere nunquam abſunt, hinc merito quæritur, *Cur exhauſto ſanguine motus convulſivi Puerperas invadant?* Putarim, quia per inanitionem lympha, & ſpiritus inde generari, quos blando dulcique chyloſo humore cum ſanguine circulante enutriri & refici convenit, acrimoniam contraxerunt, ut irritatione & vellicatione in nervis oborta, verſus ſua principia contracti fuerint, ſeſe corrugarint, atque hos motus p.n. inſtituerint: Nervorum enim motui dicatorum, & partium valde nervoſarum proprium eſt, ut vel ad impetum voluntatis, vel neceſſitate ſuadente, in illarum partium motus quæ voluntatis imperio non ſubſunt, (cujuſmodi ſunt motus ventriculi, inteſtinorum, cordis &c.) continuo corrugentur, breviores fiant ac ſe contrahant; Si itaque à re peregrina ſollicitentur & ſtimulentur, idem ſed validius facient; ſic ventriculus e. g. lignorum ſegmentis latentibus, helleboro propinato irritatus, ſic inteſtina clyſtere acri ſtimulata, protinus inſurgent, vere omnes nervos, quibus abundant, intendent, ut hoſtem expellant, idque nonniſi illorum nervorum beneficio qui utrique ſenſum & motum largiuntur: Ut Clariſſ. D. *Wepferus* certior fieret hos motus violentos ab irritatione fieri, in ranis vivis nervos crurales denudavit, & acu pupugit, protinus tunc motibus convulſivis pedes concutiebantur, nunc rigidi perſiſtebant, prout vel ictus operavit, vel acum pertinacius nervo affixam inſigni tenuit: Id poſtmodum in canum vivorum ſectione tentavit eodem ſpectaculo; imo jam fere emortuum cor, denuo titillatum, motus rurſus exordiebatur, Adeo ut nullus dubitem nervos ipſos, vel partes nervis præditas, ſtimulatas, validiſſimos motus ſuſtinere: quod amplius venena, acria purgantia, vomitoria, ſternutatoria nervi punctim læſi, & alia confirmant, Quoniam vero pluribus convulſio & convulſivi motus obtingunt his non prægreſſis, neceſſum eſt ut analogum quidpiam in corpore humano generetur, quod nervos nervoſaſque partes, ad motum contractivum proclives, irritare, ſtimulare valent, ut hujuſmodi motus involuntarios ſolito violentiores peragant: Hoc analogum proculdubio humor acris, mordax, generi nervoſo inimicus erit. *Joh. de Muralto, Med. Sept. vol. 2. p. 99.*

4. *Cordialia & roborantia exhibenda*) In quibus non eſt ſecuritas, nova cardiaca tenuitate partium donata eſſe debent, ut cito ad cor permeent & vires reficiant, at ab his ulterius impellitur ſanguis fluidior quippe redditus; unde incrementum hæmorrhagiæ, à qua pendet virium debilitas; Fluxus menſtruus de quo mox *Clariſſ. de Muralto* non à divulſione ſecundinæ ortum habuit, adeoque cordialibus & roborantibus ceſſit: Vide ſupra diſtinctionem à *Mauriceau* allatam.

4. *Cordialia & roborantia*) *Elizabetha* N. annum ætatis quadrageſimum ſuperans, parvæ ſtaturæ, cum jam ſeptem menſes gravida eſſet, fluxum ſanguineum paſſa eſt per quinque hebdomadas, cum *virium debilitate*, tuſſi, reſpirandi difficultate, dorſi, lumborum & coxendicum dolore (ut præcaveretur abortus, ſumpſit *aquam plantag. equiſeti, fol. querc. bellid. flor. tiliæ & roſar. cum ſacch. & ſyr. violar.* per cochlearia, in victus ratione regulariter ſe geſſit, in lecto quievit, *tincturam roſar.* cum vino bibit, Cubitum eunti exhibui tantillum *conſervæ flor. papav. & beton.* Quibus uſurpatis convaluit, & legitimo tempore peperit. *Joh. de Muralto M. S. Vol. 2. p. 64.*

II. [5] *Abortus*, quando [6] ante [7] legitimum pariendi tempus infans editur, [8] qui.

Metuitur, [9] *ſi* mammæ extenuantur, quia vel ſanguinem in venis utero & mammis communibus deficere, vel eundem [10] ob violentiam fœtus, aut [11] vaſorum rupturam ad uterum ruere indicio eſt, [12] *ſi* lac copioſum ex iiſdem effluit, [13] *ſi* gravida crebros [14] circa ventrem & lumbos dolores patitur, qui verſus pubem & os ſacrum, [15] cum quodam ex utero egerendi conatu deſinunt, [16] *ſi* poſt eos, [17] ſanguis vel purus vel ichoroſus, aut aqua effluit.

[18] *Oritur*, in genere [19] vitio expultricis uteri, quæ [20] ſeu à fœtu, [21] ſeu à morbis aliis, ſeu ab externis ut *camphora*, per quæ & Retentrix ejuſdem debilitari ſolet, irritatur.

[22] Præſervant ab eo, [23] *Intra, oſſa* [24] *dactylorum, matrix leporis* ſiccata & pulverizata, genitale cervi, raſura eboris, inprimis, ſi eſt ab humiditate uteri; *pulvis ex gran. tinctor.* dr. j. *thuris albiſſimi*

biſſimi dr. I. compoſitus : *Tinctura corallor.* vel potius ipſa *corallia præpar.* cum *aquâ vitæ mulierum* data, ſuccus *aſtaci* expreſſus in vino bono ſingulis menſibus ſemel vel bis datus. *Sal aſtacor.* fluviatilium in ſingulis ſeptimanis cum *amygdal. dulcium decoctio in* vino M ilvatico maceratus & ſingulis ſeptimanis gr. III. IV. V. & pluribus, exhibitus, (à vino abſtinendum, quia pellit fœtum.) [26]· *Extra*, [27]· *Lignum meſpilli* de collo ſuſpenſum, vel inter mammas geſtatum, *lapis ex vulva cervæ* erutus, phylacterii loco. Zona ex *corio equi marini* vel *lupi* parata, & toto geſtationis tempore circa carnem lata. [28]· *Ceratum*, ex *maſtich.* unc. j. *laudani* dr. vi. pulver. *biſtortæ, nuc. cupreſſi, hypoſt. acaciæ, ſanguin. dracon. roſar. rubr. corallor. præpar.* ana dr. j. *terræ ſigillatæ* dr. ii. *terebinth.* q. ſ. compoſitum & ad renum regionem applicatum.

[29]· In *ſpecie* fit imprimis.

1. A [30]· *nimio frigore*; & *tum* dolor, qui circa regionem renum exoritur, ad hypogaſtrium deſcendit, & nephritici doloris inſtar affligit. [31]· Fomentationem vide apud *Ludovicam Burgeſiam p. I. c. 6. 2.*

A [32]· *ſubitaneo terrore*; & *tum*, extra modò attracta fomentatio applicari; intus aliquid de *oxycrato* dari poteſt.

3. A *lipothymia*, ubi locum habet *confectio Alkermes & de Hyacintho.*

4. [33]· Ab *ira.*

5. [34]· A *fluxu*; & tum cibi exſiccantes exhibendi, lecto ægra continenda, cordialibus & roborantibus agendum.

[5]· *Abortus*) Abortus, Aborſus indiſcriminatim accipiuntur, quamvis ex *Nonnio Marcello* differentiam aliquam ponat *Dieterichus Iatrei n. 202.* Abortum dicens fœtus corruptelam quæ fit in primis menſibus, Abortum vero quæ prope tempus. *C. Barthius Adverſar. lib. 38. cap. 15* vix Latinum eſſe vocabulum Aborſus judicat. Et cui bono hæc λεπτολογία; Græce dicitur ἄμβλωσις, ἐκτρωσμός, φθορά, ἀποφθορά, διαφθορά, ἐκβολή, ἐξάμβλωσις. *Bruno Lexici p. 4.*

Quando mulier expellit id quod retentum fuerat in utero poſt factam conceptionem, ſi id primis diebus accidat dicimus tunc *Effluxum*, h. e. exitum ſeminum; quia illo tempore nondum adepta ſunt aliquam conſiſtentiam ſolidam; Si falſum germen expellat, id quod fieri ſolet circa finem primi aut ſecundi menſis, dicimus tunc *Expulſionem*; At ſi fœtus ſit jam confirmatus, ac vita frui incipit dicitur, quantumvis exiguus fuerit, ſi ante ſtatutum tempus prodeat, tunc vocatur *Abortus*, qui poteſt accidere à fine primi menſis imo nonnunquam antea, ad finem uſque ſeptimi tantum; nam deinceps ſemper Partus dicendus, quia cum infans ſatis ſit robuſtus; & ad perfectionem ſufficientem deductus, vitalis eſſe poteſt, at ſi anticipaverit hunc terminum, nequaquam, *Mauriceau de Aff. Gravid. lib. 1. capit 26.*

Quando fœtus ante congruum & conſtitutum tempus dejicitur, qualecunque tandem illud ſit, Abortus nominatur: Verum tamen quidam diſtinguunt, nec omnem ejuſmodi excluſionem Abortum vocant, Nam 1. molarum, aquarum, flatuum excluſiones non ſunt Abortus, etiamſi ſpeciem habeant imprægnationis.

II. Nolunt abortivum fœtum nuncupare, niſi poſtquam moveri cœperit, à 3. menſe ad 7. Ante motum vero non Aborſum ſed Effluxum nominant, Verum ante motum etiam, ſi conformatus ſit embryo, atque ante tempus exeat, Abortum vocat *Hippocrat. aphor. 45. 5.* ubi 3. ac 2. menſe abortire dicit mulieres, Quod ſi nondum conformato ſemine excernatur genitura, non aborſus, ſed ἔκρυσις nominari debet. Obſtetrices falſum *Germen* vocant, Nec apud Juriſconſultos reus eſt mortis qui tali prægnanti vim intulerit, quod nondum perfectus nec animatus ſit fœtus, quamvis 7. die ſecundum *Hippocratem* habeat omnium partium rudimenta nec enim facultas formatrix unquam otioſa eſt, ſed ſemine in uterum recepto ſtatim operari incipit, ſi nihil prohibeat, ſcilicet ſi uterus bene diſpoſitus, ut cunque ſemen prolificum.

III. Quidam Abortum vocant, non tantum fœtus immaturi excluſionem, ſed etiam ejuſdem in utero extinctionem, etiamſi non exeat nec propulſetur foras, ex *Hippocr. 1. γυναικ. Cum abortit mulier & puer non excluditur:* Videtur tamen mihi impropria hæc ſignificatio, nam eo loco *Hippocr.* docet quid faciendum ſit cum puer non poteſt excludi, & hoc ad abortum pertinet, aut δυστοκίαν, non autem quando fœtus mortuus in utero remanet, nullam ſui ſignificationem præbens, Etenim etſi mortuus ſit, abortus tamen non cenſetur antequam excludatur, Abortu enim fœtus immaturus excluditur, vivus aut mortuus, & ſæpius natura ſolet cum mortuus eſt eum expellere, nam vivens conſortis mortui eſt impatiens, quædam autem, ut hiſtoriæ teſtantur, fœtus mortuos per annos plures geſtarunt, quas nemo recte dixerit Abortum feciſſe.

IV. Aliis partus ſeptimeſtres & octimeſtres Abortus nuncupantur, quia ſunt immaturi, Id quidem verum eſſe putarem, ſi excernatur 7. aut 8. menſe fœtus qui nonimeſtris aut decimeſtris futurus erat; fit enim à natura ante tempus irritata, alias nequaquam, ſunt enim prædicti interdum legitimi pariendi termini; Nos hoc loco Aborſus nomine generaliter utemur, complectentes etiam genituræ effluxum, nondum plene conformato ſemine factum. *Primiroſius, lib. 4. cap. 6 de m. m.* Gallicæ mulieres vocant *Une Perte*, quod vocabulum omnibus differentiis accommodari poteſt,

[5]· *Abortus, quando ante legitimum pariendi tempus*) Inter ſymptomata utero gerentibus evenire ſubita grave eſt *Abortus*, hoc eſt fœtus nondum perfecti excluſio; utplurimum quidem ſolet humanus fœtus menſibus novem in utero geſtatus, atque interea perfectus ad exitum properans ſecundum naturam excludi, quod eſt tempus maxime naturale.

Sed obſervatur etiam vii. menſe partus vitalis, nec ante ſeptimum menſem obſervatus eſt, niſi rariſſime, excluſus fœtus quin vel mortuus prodierit, vel paulo poſt vitam finierit: Abortus proinde nobis eſt Fœtus ante ſeptimum geſtationis ſuæ menſem excluſio, ſive vivus prodeat, ſive mortuus: Vitalis autem vocatur non ſolum qui vivus prodit in lucem, ſed qui aptus eſt permanere in vita, nam qui nunquam obſervatur diu ſupereſſe, quin ſemper brevi mori, pro vitali minime haberi ſolet, ſed pro abortu vel abortivo.

Poteſt vero contingere à primo conceptionis momento uſque ad ſexti menſis finem, frequentius qui-

dem obſervantur Abortus circa tertii menſis finem, & quarti initium contingentes, quævis non raro accidant, tum ante tum poſt idem tempus: Quotquot autem ante decimam poſt conceptum hebdomadem eveniunt, vix habentur à pleriſque pro vero abortu, quoniam vix tunc aliquod fœtus rudimentum apparet, vix ante octavam ipſius placentæ notabile initium, unde tunc potius pro ſuppreſſo menſium fluxu, vel ſaltem mola habetur iſte caſus: Niſi enim fœtus appareat in placentæ corpuſculo, negatur fere conceptus factus, nec proinde conceditur tunc Abortus, quod haud mirum, poſtquam ex ſolo fœtu certum graviditatis peti poteſt ſignum, qui quoties non apparet, dubium eſt an revera utero geſſerit mulier necne, quia evenit aliquando ut poſt menſtruorum fluxum, pluribus menſibus ſuppreſſum Mola duntaxat prodeat nullus Fœtus: Sed accidit quoque non raro ut fœminæ ix. vel x. poſt ceſſantem menſium eruptionem hebdomade fluxum paſſæ fuerint ſatis magnum & una cum ipſo aliquid excreverint coagulati carneive, quod, uti dixi, ob fœtus notabilis abſentiam pro Placenta non fuit habitum; quæ tamen poſtea educto circa hebdomadem poſt ceſſantia menſtrua octavam ex brachio ſanguine nil ſimile in ſe animadverterunt, verum gravidæ ſunt deprehenſæ: atque circa nonum menſem fœtum pepererunt vivum vitalemque, Vnde arbitror me ſolide concludere ipſas prioribus quoque temporibus fuiſſe gravidas, cum neglecta ſanguinis redundantis diminutione, ob ſanguinem copioſum circa uterum, poſt ſecundum à conceptione menſem ſubſiſtentem excluſus eſt nondum viſu notabilis fœtus, verum Abortus, evenit hoc imprimis fœminis copioſum menſium fluxum patientibus, in quibus ſanguis evacuari ſolitus, & nunc in corpore coacervatus, nec in fœtus nutritionem, placentæve productionem conſumptus urget uteri vaſa exitumque per ipſa quærens ac inveniens, ſimul foras protrudit fœtum tenellum, ac nec dum oculis conſpicuum. Qui caſus ſatis frequens à paucis tamen obſervatur. *Sylvius Pr. lib 3. capite 6.*

6. *Ante legitimum pariendi*) Abortus eſt immaturi fœtus excluſio; atque adeo fœtus mortuus in utero non dicitur Abortus donec excludatur; Sive ergo fœtus vivus, ſive mortuus excludatur, qui nondum maturus eſt, neque debitum accretionis, quam in utero recipere debet, terminum attigit, Abortus dicendus eſt. *Riverius.*

6. *Ante legitimum*) Maturus fœtus jam grandior mole ſua utero moleſtus, liberiorem quærens aërem, calcitrando membranas primo diſrumpit, tum proprio motu per os uteri dilatatum procedit, atque etiam matris conatu, per contractionem muſculorum abdominis & totius corporis concuſſione, ut novi mulieres quæ nunquam pariunt niſi cum rigor & concuſſio totius corporis accedit, ut quartanarii ſolent rigere, cum dentium immani ſtridore, ab utero expellitur.

Omnia quidem animalia, præter hominem, certum habere pariendi tempus ſcripſit *Ariſtoteles*, hominem autem varium habere, ut ſcilicet poſſit homo vivere etiamſi maturius aut tardius exeat; modo perfectus ſit & ſatis validus, unde cum in humano genere varia ſit temperaturæ diverſitas, non omnes fœtus eodem prorſus tempore perficiuntur; quidam citius, alii tardius, unde variis eos temporibus exire contingit, 7. 8. 9. 10. 11. atque etiam ulterius partus prorogari poteſt: Rariſſime ante 7. menſem fœtus exit vitalis, quia vix antea complementum ſuum adipiſcitur, Refert tamen *Montuus* Pincernam *Henrici 4. Galliarum Regis* fuiſſe quinto menſe natum. Septimeſtres autem vitales eſſe oſtendit experientia: tales plurimos vidi in Vaſconia, nec id admodum rarum eſt in calidioribus regionibus, ob ſpiritus in ſemine vividiores & alacriores, atque etiam ejuſmodi fœtus non minus alacres & vivaces quam qui nono menſe nati ſunt, Octimeſtres quoque eſſe vitales in Aegypto *Plinius* & *Ariſtoteles* prodiderunt, Sed plerumque 9. & 10. menſe naſci fœtum ordinarium, quia tunc perfectus omnino eſt, Interdum tamen xi. menſe & ulterius, naſci hominem contingit, ut pluribus hiſtoriis patet, & frequentius forſan id obſervaretur. Si mulier cum ſe gravidam putat coitu prorſus abſtineret, Multas videre licet mulieres quæ fœtus ſuos geſtant ultra terminum quem ſibi conſtituerant novem menſium, quas ideo erraſſe in tempore partus computando populus credit, cum tamen revera fuerint gravidæ, Variæ enim ſunt naturæ actiones pro facultatum robore aut imbecillitate, & varia materiæ conditione, Vnde non adeo raros credo fœtus undecimeſtres, & etiam plurium menſium, quoniam ſæpius obſervavi mulieres deceptas fuiſſe circa partum nonimeſtrem, & cum ſingulis diebus horam partus expectarent, tamen is in unum aut alterum poſt menſem prorogatus fuit, quas forſan male deceptas fuiſſe creditum eſt.

Quando igitur fœtus ante congruum & conſuetum tempus deiicitur, qualecunque tandem illud ſit, Abortus nominatur, eſtque Immaturi fœtus minime vitalis foras excluſio. *Primiroſius.*

De Partu Octimeſtri.

7. *Legitimum pariendi tempus*) *Quid de Partu octimeſtri cenſendum? Hippocrates* humanæ fabricæ divum opus Solibus variare docet, At eo variante variabit & Partus, ex proportione mira trium inter ſe mutationum inſignium quas fœtus ſubit in utero. Tempus quippe *motionis*, ut duplo *figurationis* tempus æquat, ſic terminus *partus* triplo ſuperat terminum motus: quæ ſententia ad Arabes & nos uſque tranavit.

Si igitur figurationis periodus eſt minime una, quidni & multivagus motionis & parituræ curſus? Qui diebus xxx. figurabitur, in lx. movebitur, & 180. vitalis prodibit: Qui in xl. effingitur in lxxx. trepidabit, & intra 240. vitæ compos orietur; Octimeſtris nomine inſigniendus, Hippocraticos namque menſes xxx. dies explere liquido conſtat; At octies triginta numerum complent ducentorum quadraginta dierum, ſeu octo menſium ſolarium integre fere exactorum; juxta quos partitudinis putanda ratio, Sol enim & homo generant hominem.

Octimeſtres igitur vita beandi, ſupinuſque error eorum redarguendus qui iverunt qua itur, non qua eundum, tritamque credulitatis & fallaciæ plenam de Octimeſtrium infortunio ſemitam calcarunt &c.

Sed non authoritas ſola, quæ per ſe ignava eſt, ſed & graviſſima rationum momenta, atque conſtans firmataque experientia pro nobis militabunt; Præter *Hippocrat. Stagirita* definite diſtincteque deſignat, naſci ſeptimo & decimo, non modo, ſed & 8. & 9 menſibus, Subdam & expreſſiora edicta, quibus Octimeſtres vitæ compotes ſancivit, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα περὶ μὲν Αἴγυπτον, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις ὅπου εὐέκφοροι αἱ γυναῖκες, καὶ φέρουσι τὰ πολλὰ ῥᾳδίως καὶ τίκτουσι, καὶ γεννώμενα δύναται ζῆν κἂν τερατώδη γαρ.

Vbi notes velim de mente Philoſophi Octimeſtres vita donandos eſſe ubivis gentium, ſi ſub conditionibus & cauſis, quæ eoſdem in terra Aegypto vitales reddunt, nati ſint; At noſtris in tractibus cœli benignitate lætis, quotquot eæ ſint conditiones & cauſæ, urgent eæ omnes, vigebunt igitur & octimeſtres &c. Eædem valentiſſimæ ſunt in noſtris climatibus, quorum temperatura fertilis, parentumque robur ac temperies proba, ſucculentuſque

lentuſque habitus vegetus fœcundi energici principii,vi plaſtica turgidi, ubertatem ſubminiſtrando, communi in vitalitatem niſu conſpirant &c.

Hinc legere eſt apud *Plinium,Tranſlatitium in Aegypto eſſe & octavo gigni,atque in Italia tales partus eſſe vitales contra priſcorum opiniones.* Si in Italia quidni & in Gallia,omnique cœlo clementi nec algido nec æſtuoſo? &c.

Non defuere plures alii penitioris naturæ venerandi myſtæ qui ævo ab omni eidem veritati fecerunt ſacra, *Menander, Marcus Varro, Gellius Cenſorinus &c.*

Experientia,rerum magiſtra Octimeſtres eſſe vivaces oſtendit,*Plinius*,qui ſtat à partibus Octimeſtrium,*Caſoniam* profert *Caij* Principis conſortem tori, quam *Veſtilia* genitrix octavo proſpere enixa eſt,Ita famoſum ferunt,*Vincentium Pinellum*,una cum *Cornelia* ſorore gemella,perruptis ſuis octavo die circumdantibus aquis ad mundi primas oras appuliſſe, eorum matre cum *Latona* de διδυμοτόκια contendente. *Bonaventura*,dum ſuum ingens de *Octimeſtri Partu* conderet volumen, tres octavo natos incolumes vidit &c.

Variantis ergo humani Partus palmaris eruenda cauſa, &c. Cur brutarum animantium præfinita eſt regulariſque pariendi periodus, quæ nec decurtatur niſi morboſe vel ex illata vi,nec propellitur? At mulierum partus variant à principio intrinſeco, nec morbido nec violento? &c.Sed annon è tritico, quod fœnerato terræ gremio creditur,aliud citius creſcit, aliud ſerius adoleſcit? aliud enim eſt trimeſtre aliud hybernum, Sic humanum genitale ſperma aut temporius provenit,aut tardius ſuboleſcit, unde alios menſe 7. alios 8. & uſque ad initia decimi undecimique gigni notat. *Plinius.*

Ratum autem nobis eſt Sole incerto hominem naſci, ratione variæ atque variæ temperiei, quam à cujuſque individui temperamento peculiari talem vel talem ſortitur ſemen; prodit namque multifarie ſic affectum, ut ſerius aut citius, in prolem vitalem matureſcat, dante ad id manus adiutrices proplaſticę facultatis aut robore aut debilitate: Hæc autem in homine quam in brutis magis anceps eſt,ob anormem & exlegem vitæ modum,& immoderatum omnigenum dapum edulium, alia atque alia cælatura ſperma ſignantem, pro cujus vario charactere varium Natura facit, & tenore diſſono abſtruſum ſuum formationis exequitur opus: Hinc Embryonum alii Vegetam plaſticen nacti, cito finguntur, cito moventur, cito pariuntur;dum alii,quibus ignavior eſt vis formatrix, languidius figurantur,ignavius ſeſe volutant, ſeriuſque erumpunt in lucem. Igitur maturitas fundamentalis eſt cauſa partus naturalis & vitalis, &c: Si itaque Natura hominem 7.& 8.perficere valeat, cur illius editionem in longiores diſtrahet moras? curve conceptum ſuum jampridem ſuis numeris abſolutum non egeret octavo? &c.

Peroremus tandem Octimeſtri, æque recte ac Septimeſtri & Nonimeſtri ſua eſſe præfixa & conſtituta tempora: Nam juxta Logicorum maximas, ſi quod minus videtur eſſe eſt, id quod magis videtur eſſe,erit, At Septimeſtris minus videtur eſſe poſſe vitalis, attamen vitalis eſt. Ergo Octimeſtris vitalis erit: &c. Octimeſtris igitur vegetivo eſt toroſiorque ipſo ſeptimeſtri &c.

8. *Qui metuitur*) Abortum præcedentia & illum futurum demonſtrantia hæc ſunt, Lumborum coxarumque gravitas inſolita & ad motum ſegnities, appetentia dejecta; rigor aut horror per vices recurrens; capitis dolor, præſertim circa oculorum radices;laterumque ventris ſuperioris conſtrictio, mammarum detumeſcentia & extenuatio &c. *Riverius.*

Si prægreſſa cauſa aliqua ingentes ventris& lumborũ patiatur dolores, ac præterea aliqui ſanguinis thrombi prodeant; membranæ præterea fœtum ambientes laceræ ſint cum effluxu aquarum quibus innatat, indicia hæc certiſſima ſunt proximi abortus; qui nullo arte coerceri poteſt: Sin porro gravida gravitatem inſignem in ventre percipiat, ac dum in alterutrum latus decumbit globi quaſi devoluti ſpeciem; ac præterea ex utero humor putris & fœtidus effluat, ſignum eſt cito ſequuturum abortum fœtus mortui: Ex mammis præterea ſignum deſumi poteſt &c. *Mauriceau.*

8. *Qui metuitur*) Inſtante abortu aqua, primum ſanioſa profluit loturæ carnium ſimilis,dein cruenta,tum purus ſanguis poſtea grumi, Indicant enim non ſolum ſoluta eſſe vaſa,ſed etiam apertum uteri oſculum,infanſque declivis circa pudenda ſentitur demum formatus vel informis excluditur, ex *Aetio.*

Et quoniam abortus eſt maxime p.n. prava adeſſe ſolent ſymptomata, horror, rigor, febris, lipothymia, palpitatio, vomitus, cardialgia, capitis & oculorum dolor, & gravitas & aliæ hujuſmodi; Quod ſi convulſiones quaſi epilepticæ accedant, vi medicamentorum procuratum fuiſſe abortum cenſet *Aetius*, quod tamen non eſt neceſſarium, cum ab interna cauſa fieri poſſint.

Epidem. ſcribit *Hippocr.* Si ob caſum, ictum ſimileſve cauſas dolor vehemens & perturbatio contingat,eodem die ſubſequi abortum; ſi minor fuerit dolor intra triduum,quia vulnera tertio aut quarto die recrudeſcũt.

Si interdum Medicus à Magiſtratu conſulatur dę Abortu recens facto, patere is poterit ſi loci muliebres adhuc madeant, ſintque aperti; ac niſi recentiſſime factus ſit, nihil certi pronuntiari poteſt,quia redeunt partes ad naturalem anguſtiam. *Primiroſius.*

9. *Si mammæ extenuantur*) *Si mulieri gravidæ mammæ repentè extenuentur: abortit, aphor,5.33.& 38.*Ratio eſt defectus alimenti, quod cum validus puer attrahat, mammæ gracileſcunt, maxime ſi ſenſim fiat non ſubito: Quibuſdam tamen id conſuetum eſt ut mammæ graciles fiant abſque abortu, ſicut quædam abortiunt, quibus paulatim non ſubito mammæ extenuantur, Et *aph. 53.* ejuſdem. *Quæ corrupturæ ſunt fœtus iis mammæ extenuantur*, quia recurrit ſanguis ad inferiora, non ſemper ob illius defectum, ut in prioribus aphoriſmis, Num, ut docet *Galenus in comm. Quando ob febres, ictum,aliaſve ejuſmodi cauſas abortus contingit,non ſemper deficit alimentum, ſed mammis relictis uterum petit. In omnibus enim quæ natura violenter excernere geſtit, ſanguinis & ſpiritus impetus eo fertur, maxime ſi abortus ſubito fiat*; Addit autem *Hippocrates*, *Quod ſi rurſus duræ fiant,dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent.* Primiroſius.

9. *Si mammæ extenuantur.*) Male explicatur qua ratione gracilitas mammarum ſubitanea abortus periculum indicet, cum dicitur mammas extenuari propter defectum lactis, aut materiæ ex qua lac generatur in mammis;quæ eadem eſt cum illa quæ defertur ad uterum ad nutriendum fœtum, qui debito fruſtratus alimento contabeſcit; Si enim ideo mammæ extenuantur quia deeſt lactis materia, toties evadent graciliores quoties eadem materia aliò averteretur, ſicque fier ut ultimis geſtationis menſibus gravidarum mammæ ſint graciliores, cum tunc fœtus grandior plus alimenti abſumat, ſicque efficiat ut minus ſuppetat materiæ lacteæ ad mammas implendas; quod falſum cum ſit,falſa etiam eſt hypotheſis ex qua deducitur, Adde quod ex *aph.37. lib. 5.* non quævis gracilitas mammarum abortum præſagit ſed quæ ſubito contingit, Non poteſt autem qui in venis abundat ſuccus lacteus ſubito evaneſcere, nec proinde ſubitanea mammarum extenuatio abortum præſagit, ob defectum alimenti pro nutriendo fœtu.

Sed mammæ cum ſubito extenuantur, Abortum imminere ſignificant, quia ſcilicet à cacochymo ſanguine, aut quovis humore putreſcente, excitatur in

uteri nervis moleſta ſenſatio, ex qua ſequitur in ſpiritibus præpoſtera commotio, & influxus in nervos inordinatus, quo fit ut hinc mammarum tubuli quibus lac affluit, occludantur, & reductionibus canales apetiantur, indeque uterini muſculi, & ligamenta appellata contrahantur, & fœtum excludant. *Franciſcus Boyle.*

9. *Si mammæ extenuentur*) Unde *Hippocr. aph. 37. 5. Si mulieri utero gerenti mammæ ſubito extenuentur, abortus ſequitur.*

10. *Ob violentiam*) Notandum quod docet *Hippocr. 2. Ep. t. 71.* Quod ſi à cauſis externis violentioribus, puta ictu vel caſu, & ſimilibus, vehemens dolor & perturbatio in gravida excitetur, ſtatim, vel ſaltem eadem die ſequitur abortus: Si vero minor fuerit vis cauſæ externæ, ad tertium diem aborſum differri poſſe; quo elapſo ceſſat aborſus periculum, quia vulnera hujuſmodi tertio, ad ſummum quarto die recrudeſcere ſolent, vel admodum mitigari, unde fœtus denuo in utero confirmatur & retinetur; Quod præceptum maximi eſt in praxi momenti, ut prægnantes poſt violentum cauſæ alicujus externæ inſultum, in lecto per triduum aut amplius quieſcant, & remedia abortum prohibentia uſurpent. *Riverius.*

11. *Aut vaſorum rupturam*) Vide inferius §. *Oritur in genere*) Ex Platero.

11. *Aut vaſorum rupturam*) Si ſcil. à cauſa aliqua externa concitetur, unde ſequatur violenta fœtus agitatio & vaſorum diſruptio, cum dolore illarum partium, ſpiritus & ſanguis ad partes genitales ruunt, quibus mammæ deſtitutæ extenuantur. *Riverius.*

12. *Si lac copioſum ex iiſdem effluit*) Ideo, *inquiunt*, ſi mammæ gravidarum copioſe lac profundant, fœtus imbecillitas ſignificatur, quia quod lac tanta copia ad mammas confluat, ut debeat copioſe profundi, manifeſtum eſt illud à fœtu non attrahi; Fœtus autem non attrahit, quia præ imbecillitate non poteſt trahere; Verum dicant, quæſo, qui iſtud ſymptoma referunt in defectum tractionis ob fœtus imbecillitatem, Si fœtus optime valeret, quomodo traheret? An per ſuctum? nugæ! An ipſi aliquando per vaſa longa, varie implicita, exilia & maxime flaccida, ſuxerunt? Nunquid vident ea ante collapſura quam ſuctu ſequatur humor; ut eſt impoſſibilis illa tractio, ita etiam eſſet inutilis poſita ſanguinis circulatione, qua per arterias cum ſanguine defertur ad uterum ſuccus quo nutritur fœtus, poſtquam fuit in placenta uterina tranſcolatione depuratus; Alia igitur quærenda hujus affectus cauſa.

Si lac è mammis copioſe fluat, fœtum bene *valere eſt impoſſibile*, ex aphor. cit. Verum id quidem eſt, ut non ideo lac è mammis copioſe fluit, quia fœtus ob imbecillitatem non trahit alimentum, quod ea de cauſa cogitur ad mammas refluere; ſed quia alimentum non appellit ad fœtum, is ſenſim marceſcit: Non appellit autem quoties à quacunque cauſa viæ lacteæ ſunt anguſtiores, tuncque qui magis abundat in ſanguine ſuccus nutritius, per patentes meatus in mammarum tubulos deponitur: Poteſt quidem fœtus imbecillitas eſſe cauſa ut alimentum non appellat ad ipſum, ſed ea non eſt perpetua nec ſola; Quod maxime ſuadet ſympathiam per ſiccitatem nervorum induci modo à me expoſito, (Cap. *de Hyſterica paſſione* §. *Actiones naturales, vitales &c.*) *Franc. Bayle.*

12. *Si lac copioſum*) *Mulieri utero gerenti ſi lac multum e mammis profluat fœtum debilem ſignificat: Si vero mammæ ſolidæ fuerint fœtum teſtantur ſaniorem aph. 52. 5.* Implentur enim mammæ, quando minimum fœtus abſumit, idque ob ejus imbecillitatem: Quod ſi nec admodum flaccidæ ſunt, nec adeo plenæ ut lac effluat, ſed ſolidæ indicio ſunt fœtum nec eſſe imbecillem, nec illi deficere alimentum. *Primiroſius.*

12. *Si lac copioſum*) Unde fœtus debilitas & hinc metus abortus ex *Hippocrat. 52. 5. Mulieri gravidæ ſi lac è mammis copioſe fluat, fœtum imbecillum ſignificat; ſi vero firmæ ſolidæque mammæ fuerint, valentiorem fœtum ſignificat.*

13. *Si gravida crebros*) Quod certis imminentis abortus indicium eſt; dolores enim illi membranas & ligamenta, quibus fœtus utero alligatur, tendi ac divelli ſignificat. *Riverius.*

13. *Si gravida crebros*) Vaſa quibus fœtus involutus membranis, intermedia carnea placenta, utero adhæret, ſi immatura adhuc, hoc eſt non ita diſpoſita ſint, ut quemadmodum fructuum maturorum pediculi à ramis arborum citra læſionem & lacerationem facile diſcedunt, ſic hæc connexio, cum maturus eſt partus, citra vim magnam & læſionẽ, aut ſanguinis profuſionem (neque enim quæ partum ſequitur expurgatio ab hiſce venis uti mox dicetur, provenit) facile diſſolvitur, tunc cum adhuc valide hæc vaſa invicem cohærent connataq; ſunt & ante partum ad tempus muliere impulſa per vim ſeparentur, partus difficilior, majorique dolore, & cum magna ſanguinis profuſione, uterique nonnunquam inflammatione, febre continua comite & vitæ periculo procedit: Vel ſecundina adhærente, penitus vel ex parte, aut lacera, eadem ſymptomata ſequuntur; Sicuti fit cum ex *caſu, ictu*, vel ſumpto *violento* medicamento mulieres intempeſtive pariunt, Aut *in quo majus frequentiuſque erratum* committitur ſi impulſæ ab obſtetricibus, uti nimis cito ſæpe ut ſe expediant, eas ſollicitare ſolent, aut alias *levibus uterinis doloribus falſa & perſuaſa*, tempus pariendi inſtare, quod tamen nondum adeſt mulieres fœtum vi quadam, & conatu maximo, ut parientes eſſe dicantur ſtrenuæ; extrudere conantur, & ita cum fœtu, remanente interim ſecundina, nec membranis ſecedentibus, in diſcrimen nimis nunc conſuetum, veniunt; Quod inprimis ante ultimum geſtationis menſem, dum fœtus ad exitum ſe parat, ex quo frequenter *dolores uterini* irritantur, contingere ſolet; Hos dolores incautæ, & minus doctæ obſtetrices, pro conatibus pariendi judicantes, ſæpe cum vitæ periculo, gravidas ad excluſionem fœtus ante tempus inſtigant, & aliquas ſic cum partu miſere extinctas, aliquas à me ſervatas, & à crudelitate obſtetricum & vetularum liberatas obſervavi; Solent & hi *uterini dolores*, quos ego *feros* appello, conatus pariendi in nonnullis gravidis præcedere, in quibus cum magno periculo ad laborandum gravidæ, ut obſtetrices vocant, impelluntur, quia ita illi magis irritantur, qui potius prius, hyſtericis exhibitis, mitigandi forent; Cum hi dolores conatus pariendi magis impediant quam juvent. *Platerus.*

13. *Si gravida crebros*) Dolores parturientium veri incipiunt in regione lumborum & circa coxendicem, nec continui ſunt, ſed augentur per vices, & protrahuntur uſque ad partum variis ſtipati ſymptomatibus: initio quidem plurimis abeſt vomitus, capitis dolor, ſitis, urinæ incontinentia; poſtmodum augetur vomitus, ſolvitur alvus, dolor capitis ingraveſcit, pituitoſa & cruenta ex utero profluunt, venter infra umbilicum intumeſcit, & ſupra eum detumeſcit; tandem magna oritur debilitas, & ſymptomata prædicta intenduntur, cum anxietate tanta ut parturiens ſellæ inſidere, vel cathedræ accumbere, & divaricatis genubus partum eniti teneatur, Paſſiones vero & dolores matricis, licet quodammodo ſint ſimiles parturientium doloribus, quippe qui in eodem utero excitantur, tamen non ita deorſum vergunt, nec exitum quærunt: ſed magis lancinant, & cum ferme ſint intolerabiles, reſpirationem impediunt: & fœtus exitum per ſe non molitur: Quod ſi nihilominus prægnans tunc ad labores pariendi inſtigatur, res infeliciter ſuccedit. *Joh. de Muralto Med. Sept. vol. 2. pag. 163.*

13. Si

13. *Si gravida crebros &c.*) Caveant diligenter obſtetrices ne necem fœtui inferant, imo ipſi matri, partum intempeſtivum excitando; id quod imperitis contingit, ratis, ſi gravida mulier ventris & lumborum magnis doloribus afficiatur, partum in procinctu eſſe, quos cum ſedationi ſtudere deberent, potius excitant, partum infelicem promovent: Nota mihi eſt mulier ac quæ ſex menſibus gravida ingentibus doloribus correpta eſt, non ab ſimilibus illis qui partum antecedere ſolent; Accerſita obſtetrix partum accelerare annititur, dolores intendendo injectis clyſteribus acribus, & vt ægra per cubiculum deambulare iubendo, non ſecus ac ſi legitimum tempus pariendi præſto eſſet ſed exacto biduo, cum partus non ſuccederet, perſtantibus iiſdem doloribus, me advocandum curat: Explorando ægram comperi interius vteri orificium adeo expanſum vt minimi digiti apicem parte interiore admitterer, multo vero amplius dilatatum orificium externum: Cum porro apud me reputarem nullum aliud ſymptoma iſtis doloribus acceſſiſſe, ipſam decumbere jubeo lectoque toto octiduo non egredi, quo temporis intervallo dolores omnino extincti, vteruſque accurate occluſus fuit, id quod ab iterata digiti intruſione mihi innotuit, fœtumque illa toto trimeſtri adhuc geſtavit, pepetitque filiam vividam & robuſtam alias abortus inevitabilis erat, ſi obſtetrici res commiſſa fuiſſet. Exemplum iſtud regulæ vicem præbeat ſimili in caſu, dummodo dolores eiuſmodi alia non comitentur ſymptomata ob quæ matri vitæ immineat periculum, niſi partus illico provocaretur, cuiuſmodi, ſunt crebri motus ſpaſmodici, aut inſignis hæmorrhagia, de qua ſuo loco dicturi ſumus. *Mauriceau De Gravid. Aff. l. 1. c. 7.*

14. *Circa ventrem & lumbos dolores*) Hi quamprimum apparuerint in ventris fundo, verſus pubem, in lumbis & oſſe ſacro, eorum ſedationi incumbendum eſt tam ſumptis quàm admotis, pro varietate cauſarum adhibitis: Si enim ob cruditates & flatus excitetur Abortus, quod eſt frequentiſſimum, quando incipit à cauſa interna, exhibendus erit *Pulvis ex aromat. roſat. & ſem. coriand. compoſ.* Imo *aqua imperial.* exhiberi poterit, ſi maior ſit pituitæ & flatuum congeries.

Eodem tempore applicentur abdomini carminantia, vt *ſacculi ex ſemin. fœnugr. flor. chamom. ſambuc. anth. & ſtœch. compſiti*, vel *placenta roſac.* frixa in ſartagine cum vino generoſo, & *pulv. nuc. moſch. & coriand. conſperſa*; Vel *omentum vervecis* recenter mactati, aut pulmo eiuſdem calide admotus, Si hiſce dolores non ceſſerint, iniciatur clyſter ex oleo & vino confectus, in quo *Philonij Rom.* ℥ij. diſſolvi poterunt, Aut etiam Narcorica per os in minori doſi exhiberi, ad frænandum humorum & flatuum impetum vt in colico dolore conſuevit. *Riverius.*

15. *Cum quodam egerendi conatu*) Ob divulſionem vinculorum quibus vtero fœtus annectitur.

15. *Si poſt eos ſanguis*) Si prædictos dolores & conarus ſanguis purus, vel ſeroſus, vel aqua ex vtero profluens ſubſequatur, abortum inſtare & diſrupta vaſa ac membranas, ac os vteri apertum eſſe ſignificat; Eodem tempore ſitus fœtus mutatur, & qui antea ſublimis & faſtigiatus ventris medium occupabat, iam conglobatus verſus pudenda provolvitur; tum etiam non raro gravia ſymptomata conſequuntur, vt rigores, tremores, cordis palpitationes, animi deliquia, hæmorrhagiæ copioſæ. *Riverius.*

16. *Sanguis vel purus*) Si propter dolores contumaces, aut cauſæ externæ violentiam ſanguis apparere incipiat, revellentia remedia adminiſtranda ſunt, vt frictiones ſuperiorum partium & ligaturæ dolorificæ; tum cucurbitulæ ſcapulis, ſub mammis, & vtrique hypochondrio adinotæ, Imo vero ſi mulier fuerit plethorica, non erit abs re ſanguinem detrahere, tum apparente ſanguine, tum præcipue antequam appareat, & partitis vicibus non affatim educere: Quæ ſi non ſufficiant, fluxu ſanguinis perſeverante, ad adſtringentia veniendum eſt & incraſſantia, tum alimenta tum medicamenta, atque ita pulveres, & opiatæ infra deſcriptæ exhiberi poterunt: Tum etiam *ſuccus plantaginis* recens extractus, nec non *ſyr. de papav* ad ℥j. cum pulvere *boli armeni* & *ſanguinis dracon.* *Exterius* vero admoveri poterunt Fœtus adſtringentes & roborantes, ex *cortic. granat. nucib. cupreſſi, calyc. gland. balauſt. acinis vvar. & ſimil. in aqua fabr. & vino rubro decoctis* vel *ſacculus roſis & balauſt.* impletus coquatur in *vino rubro*, & ventri calide applicetur, His etiam accedere poſſunt cerata & Emplaſtra, infra deſcripta, vel ad magis adſtringendum, ex *pulv. adſtringentibus cum terebinth. & albumin. ovor.* quod ſuper ſtupas extendatur, & vnum applicetur vmbilico, alterum renibus calide ſtupæ applicandæ vmbilico, madeant in vino; applicandæ renibus in aceto. *Riverius.*

Oritur in genere vitio expultricis vteri) Cauſa ſatis frequens eſt *plethora ſanguinis*, præ qua vi fœtus expellitur laxius vtero adhærens, nec ſanguinis copioſi egreſſum quærentis, ac in vtero invenientis, impetum ſuſtinere valens: aliter enim ſe res habet in fœminis pauco ſanguine præditis, ac fluxum menſium copioſum experiri ſolitis: ſicut enim in iſtis ſanguis paucus in corpore redundat, ſuppreſſis ob conceptionem menſibus, nec proinde ab illo valde vrgetur tribus primis (quibus ex ſolo ſemine formari, ac needum ſuperfluo matris ſanguine nutriri ſoler fœtus) gravidationis menſibus, vnde nullus vnde adeſt abortus metus, Ita contra in his ſanguis copioſus & multus poſt eandem menſtruorum retentionem circa vterum hærens, atque vaſa ibidem præſertim diſtendendo exitum quærens, randem cum invenit, niſi, ſicut dictum, idem in tempore minuatur per venam in brachio apertam, ſicque à premente ſanguine, alioque averſo, liberetur cum vtero fœtus tenellus in ipſo latitans, & magnæ ſanguinis affluſioni effuſionique reſiſtere neſcius ac inavalidus: Quoties igitur aut 1. aut 2. aut 3. poſt conceptionem factam, ſuppreſſumque adeo menſtruorum fluxum menſe, ob ſanguinis copiam (nulla ſcil. alia evidenti eius apparente cauſa) erumpunt copioſè menſtrua, toties ſuſpicari licet abortum concurrere, ac deſtructionem ſui debere ſanguini materno nimia copia corpuſculum ſuum in prima ſui formatione opprimenti; adeo vt tunc qui deſtinatus erat eius nutritioni & accretioni ſanguis menſtruus, cauſa ſit ipſius ante nativitatem interitus. *Silvius.*

18. *Oritur in genere ſeu vitio &c.*) *Aëris vitio Puerperis periculoſum annum notat* Thom. Bartholinus, *medic. Septentr. vol. 2. p. 104. obſ. 34* Anno currente 1672 pluſculæ fœminæ Hafnienſes vel Abortum paſſæ vel difficultate partus mortuos ediderunt, vel ſectione per Chirurgum ſibi extrahi diſcerpique viderunt, vel febre varioliſque extinctæ, Et pleræque fœmellas pepererunt, imbecillitatis indicio; Iuvit humida anni conſtitutio, & frigida, qua laxata vteri ligamenta fœtum, vt decet, conſtringere non potuerunt; Hinc perverſus in utero Embryonis ſitus, quem cum obſtetrices pleræque, harum accidentium ignaræ emendare in partu non valerent, perperas in vitæ periculum adductas deſerere coactæ ſunt.

Oritur in genere &c. Cauſæ aliæ internæ aliæ externæ. Internæ, ad quatuor capita referri poſſunt, Ad humores, ad Fœtum, ad vterum, & ad morbos matris: *Humores* abortum efficere poſſunt quantitate vel qualitate peccantes. *Quantitate*, excedente vel deficiente, *excedens* reperitur in plethora, (Vide §. *In ſpecie fit imprimis*) *Deficiens* humoris alibilis, ex iis cauſis procedit, quæ fœtui alimentum ſubtrahere valent, vt inedia, ſive voluntaria ſit, ſive coacta, vt cum gravidæ omnem cibum averſantur, aut vomitu reiciunt; Tenuis diæta in morbis acutis, Immodica ſanguinis evacuatio, per nares, hæmorrhoides, vterum, vel v. s. immodicam, Huc referenda ſumma totius corporis gracilitas, in qua tantum ſanguinis non ſuppetit, vt fœtui alendo ſufficiat. De quo *Hippocr. aph.* 44. 5. *Quæ p. n. tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores evaſerint.* Ratione *Fœtus* abortus accidere poteſt, ſi ſit nimis grandis, vt ob molem in vtero contineri non poſſit; hinc ſæpe contingit parvas mulieres abortum pati, præſertim ſi viris grandioribus iungantur, quorum ſoboles magnum incrementum capeſſit, & non habet ſatis amplum ad illud perficiendum, vnde *Hippocr.* l. de *ſuperfœt. Mulier*, inquit, *ſi qua concipiat quidem, & frequenter ſed fœtus bimeſtres, trimeſtres, aut quadrimeſtres, & vetuſtiores ſtato tempore ſemper & certo excutit, illud eſt referendum ad vteri anguſtiam, qua augeſcentem fœtum amplius continere non poteſt:* Excedens etiam *numerus* abortum efficere poteſt, vt ſi duo, tres vel plures in vtero contineantur, periculum eſt ne vterus nimia ſarcina gravatus, illos præmature excludat, vnde frequens fieri ſolet gemellorum abortus: *mortuus* etiam *fœtus* ad hanc claſſem referri poteſt, ad cuius excluſionem natura continuo inſurgit. Ratione *vteri* abortus contingit, ſi non *amplus* & *capax*, vt ſufficienter dilatari poſſit pro incremento fœtus: (*Vide ſupra locum Hippocr.*) Tum etiam ſi p. n. aliquid in vtero ſuccreverit, vt *inflammatio*, *tumor ſcirrhoſus*, *abſceſſus* & quamplurimi alij morbi, ac denique ſi vterus ſit *humidior* & laxior, vt fœtum ſatis commode continere non poſſit: Ratione *morborum matris*, duplici ratione fit Abortus, 1° cum morbi fœtui communicantur, à quibus extinguitur, vel ita debilitatur, vt conveniens nutrimentum, aut incrementum ſuſcipere nequeat, quales ſunt febre continuæ & intermittentes, lues venerea & alij. *Secundo*, cum dicti morbi magnas evacuationes, aut graves corporis commotiones excitant, vt hæmorrhagiæ magnæ, à quacunque corporis parte fiant, profluvia, gravis ſyncope, epilepſia, vomitus, & teneſmus, qui ſupra omnes alios morbos abortum efficere conſuevit, quando quidẽ à frequenti, ac fere continuo egerendi conatu, muſculi abdominis aſſidue contrahuntur, & vterum magis comprimunt quam inteſtinum rectum, cui ſuperjacet, & ex continua illa compreſſione fœtus excluſio tandem ſubſequitur. *Cauſæ externæ* abortum promoventes, aliæ fœtum enecant, aliæ cibum illi ſubtrahunt, aliæ fœtus acetabula per quæ vtero alligatur, diſſolvunt: Fœtum enecant *animi commotiones* graves, *Cibi* ardenter *expetiti* & denegati, cathartica fortia, menſes moventia, partum adiuvantia, quæ fœtum expellere nata ſunt, & quæ proprietate ſpecifica fœtum enecare creduntur: Odores tetri, præſertim fumus lucernę. Cibum fœtui ſubtrahunt inedia, immodica ſanguinis evacuatio, præcipue dum fœtus eſt grandior: aph. 60. 5. *vteri acetabula* diſſolvunt, exercitatio vehemens, ſaltatio, curſus, equitatio, vectio durior, vt carrucarum, gravioris oneris geſtatio, aut è terra elevatio, caſus violenter concutiens, ictus fœtum ventris contundens, abdominis motus vehemens, à tuſſi, vomitu, alvi fluxu, ſternutatione, convulſione, clamore, immodica venere, aut petulante; motus brachiorum vehemens, aliquid violenter attrahendo, rotam verſando &c. *Riverius.*

A caſu non raro ſolet excitari Abortus, ob quem ſicut læduntur plerumque in fœtu partes, quibus aliqua vis & noxa accidit in matribus, ita ſat ſæpe abortus inde ſolet contingere, imprimis cum is aut in *ventrem* fit, aut potentius in regionem lumbarem; ibi namque gravius afficitur ipſe quoque vterus ac fœtus, ſi grandior fuerit: hic nervi ad omnes abdominis partes, ipſumque adeo vterum & fœtum delati. *Sylvius* de le Boe. Abortus fit vel vitio *cervicis vteri*, vt cum nimis laxa eſt, vel mollis, vt in illis quæ laborant fluxu muliebri, vel quæ ſæpe natant, vel quæ improvide aërem admittunt, vel *vitio fœtus*, cum hic magnus, vterus parvus, tum enim ponderoſus eſt vtero; &c. vel cum fœtus nimis ſe movet, vt cum dolet, ægrotat &c. Vel *vitio vteri*, quando læſus eſt, vel nimis ſenſilis, vel cum laborat vlcere &c. *Walæus med. Pract. p. 206.*

Partus naturalis, quo fœtus maturus & vivus in lucem editur, cum creſcendo eo vſque auctus eſt vt iam à matre non amplius ſuſtentari poſſit, ſed aëre inſuper ad vitam, alimento ad nutritionem copioſiore, opus habet; tunc natura provida inſurgens, cum loco movens venaſque & arterias quibus fœtus involucrum, quod ſecundinam vocant, quod vtero copulatur mutui que oſculis connaſcuntur, ſeparans, eo fere modo vti pediculi maturorum fructuum ab arbore ſine vi abſcedunt, fœtumque deorſum propellens; coadiuvante ſimul hunc naturæ motũ etiam matre parturiente, conatu ſuo, tandem ex ſinu materno in lucem profert, non ſine dolore, labore, ſudore & hæmorrhagia; ob venas haſce, tam in vtero quam ſecundina reſeratas, quæ parturientibus omnibus, aliis tamen vehementius, aliis paulo mitius contingunt: In *præternaturali Partu*, per quem fœtus immaturus reiicitur, à natura itidem hunc propellente, & *connexum vaſorum*, vti in naturali dirimente, hoc fieri poteſt, vt fœtus per *abortum* prodeat, tuncque vix graviora quam in partu naturali ſequuntur accidentia, vel etiam minora, ſi fœtus exiguus ſit: Quod ſi vero vi maiore per continui ſolutionem hæc vaſorum fiat diſiunctio & veluti dilaceratio, naturaque hoc pacto ad partum expellendum ſolicitata eum eiiciat, graviora tunc ſuperveniunt ſymptomata, Horum autem & *diſiunctionum vaſorum, naturæque ſtimuli* ad fœtum excludendum cauſæ occurrunt variæ, hoc vel illud vel vtrumque efficiendo abortum procurantes. *Platerus.*

II. *Oritur in genere*) Ab humoribus eorum gravantibus vteri facultas expultrix ad excretionem tum eorum fœtus ſimul interdum compellitur, Idque maxime à *ſanguine*; qui ſi nimia copia ad fœtus nutritionem eo feratur, nec ab hoc abſumatur; illicque circa venas vteri, illiuſque cervicis cumuletur, naturam gravans, dum eum excutere conatur, vel aliquando per menſtruum fluorem, qui gravidis quandoque ſupervenit, illud molitur, fœtus vt ſimul erumpat, viam ſternit; ob quam cauſam ſi gravidis menſes superveniant, periculum de abortu imminet; Aut ſi ob pedis venam ſectam menſtruus fluor concitetur, itidem contingere poteſt; & proin illis quæ vterum gerunt, eum aperire nefas eſſe ducunt: Sed & citius quoque menſes erumpent, ſi ſanguis affluens tenuis, bilioſus, aut alioquin vitiatus & fœtui nutriendo minime ſit idoneus: *Pituitoſo* vel *ſeroſo humore* vterum irrigante, adeo vt relaxatus fœtum continere nequeat, *cauſam Abortus* præcipuam proficiſci plerique ſtatuunt. Quod ſi fieret, extra hunc illum exiſtere, illicque orificium quod vteri cervicem

ſpectat,

ſpectat,& in gravidis exacte occluſum exiſtit humectare neceſſe eſſet;cum in vtero cuius cavitatem fœtus opplet, illic colligi nequeat,ſi illic coacervaretur,eum adeo,cum nec à ſero cui fœtus innatat, hoc fiat,vt aperiretur, relaxaret: Vti revera in cervicem delatus, cum non illic ſubſiſtat diutius, hoc poterit efficere, maiorq́ne cauſa, quam hæc,vt abortus fiat requiratur.

Ob *alimenti* quod à matre fœtus haurit *defectum* fœtus marceſcere, tandemque extingui poteſt; Non tamen facile, cum vix vivente matre venæ adeo inaniri queant,vt fœtui ad nutritionem nihil ſuperſit. Dein etſi impurus, nonnihil vitioſus matris ſit ſanguis, puriorem & vtiliorem tamen ab eo fœtus pleruṁque ſibi allicit; vnde & mulieres phthiſicas & cachecticas, fœtum nihilominus alere,& ad pariendi tempus vſque geſtare, vivumque poſtea progignere ſæpe obſervavimus: Fieri tamen poteſt,vt ſi fluxus menſtruus gravidæ mulieri superveniat immodicus diutinuſque, adeo venæ vteri, & per conſequens relequæ ſucceſſive exhauriantur, vt fœtui ſufficiens alimentum ſubtrahatur; Quod & tunc accidit, ſi ob dictas cauſas, vivente adhuc fœtu, ſeparatio vaſorum ipſius ab vteri vaſis fiat; tunc enim non ſolum,quia ſanguine deſtituitur, diutius ſupervivere nequit, ſed & cum arteriis ſimul avulſis vitali ſpiritu privetur, ſubito eum mori, & cum aerem attrahere nequeat, vti mox cum in lucem editur facit, ſuffocari neceſſe eſt. *Platerus.*

¹⁹. *Vitio expultricis vteri*) Hoc etiam fit interno ore vteri pluſquam par ſit hiante, malaciâ quoque infeſtante: idipſum pariter contingit ab intempetie calida vteri, cuius intemperiei calidæ eſt dilatare,maxime vero cum humiditatem habet coniunctam: Immaturus quoque partus accidit,ſi antea difficiles aliquot & moleſti partus præceſſerint, à quibus amplior ac imbecillior factus ſit vterus; Fiunt autem huiuſmodi partus intempeſtivi vtplurimum 8. menſe, nonnunquam 5. & 6. raro aliis menſibus, quibus ſtatim maxima cum induſtria ſuccurrere oportet, nam quæ ante tempus ſemel pepererunt, eodem pene ſolent parere tempore, niſi cum diligentia ſumma præcaveatur.

Fit & aliquando cum plus ſanguinis ad vterum confluit & defertur,quam deceat ad pueri nutritionem, vt pote cum mulier ſuapte natura multo abundat ſanguineo humore, qui ſanguis ſolet vtero gerentibus acervari, quibus non expurgantur muliebria.(ſunt enim nonnullæ mulieres quibus fluunt ſuo tempore etiam ſi vterum gerant) *Ioh.le Bon Ther.Puerper.*

¹⁹. *Vitio expultricis vteri*) Vteri quidam affectus abortum inducunt,ſicuti cum eſt calloſus,aut parvus,aut adeo compreſſus ab omento, vt quantum neceſſe eſt expandi nequeat ad continendum fœtum cum involucris. Si gravida abortiat citra manifeſtã cauſam, cauſam aperit *Hippocrates aph. 45. 5. Quæ mediocriter corpulentæ abortiunt ſecundo menſe, aut tertio, ſine cauſa manifeſta iis, acetabula vteri mucoris ſunt plena, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abrumpuntur.* Affectui huic obnoxiæ ſunt mulieres pituitoſi temperamenti,& quæ fluorem muliebrem copioſum patiuntur, qui continuo affluxu humectat & lubricum interius vterum adeo reddunt, vt illi adhærere nequeat placenta, quamobrem hic adeo relaxatur, eiuſque orificium internum, vt abortus minima occaſione ſuccedat.

Idem accidit mulieribus ſanguinis redundantia laborantibus, cuiuſmodi ſunt eæ quæ menſtruas purgationes copioſas patiebantur ante ingravidationem, cum enim ſanguis ſuppreſſus totus abſumi nequeat in fœtus nutrimentum prioribus menſibus, eo quod ſit exilis,tũc ſubitus fit illius influxus, qui fœtum ſuffocat & vterum aperit ad illius excluſionem. *Mauriceau.*

²⁰. *Seu à fœtu*) Morbo aliquo fœtum adhuc in vtero incluſum atque imperfectum ægrotare matres ex quibuſdam ſignis colligunt, qui & mori poteſt; quos quales ſint difficile eſt diiudicare, nec antequam in lucem prodeant de illis aliquid cognoſcere licet; quamvis nec tunc niſi manifeſta aliqua ſe morbi alicuius prodant indicia, ſicuti fœtum qui medium vteri geſtationis tempus in matre nondum ſuperaverat, reiectum, ex pedum tumore, & ventris diſtenſione hydropicum in ipſo vteri matris fuiſſe ſectione cognovimus: Et à matre variolis tempore partûs laborante,fœtum maſculum iiſdem laborantem in lucem editum obſervavi: *morbi* quoque *organici* fœtui à ſemine concepto innati,hos in ipſo nunc citius,nunc tardius producunt,qui cum aliquando ante ortum peſſundant: alias illi in lucem emiſſo adhærent. *Platerus.*

²⁰. *Seu à fœtu*) *Quòd Ob Fœtũ abortus contingere poſſit*, vnicã cauſam affert *Avicennas*,ſcilicet ipſius *mortẽ*, nam vivẽs conſortii mortui eſt impatiens, corrumpitur enim & putreſcit, atque vterum ad expulſionem irritat: Verum alias addere poſſumus,vt fœtus debilitatem, infirmam valetudinem, ſive primum natura, ſive poſterius ob morbum matris cõtracta ſit,vt ob inediam,inſignes quaſdam obſtructiones, venenatos ſuccos & malignos, variolas,elephantiaſin,luem venereã,tetra vlcera,aliosve ſimiles *matris* morbos contracta ſit. Præterea cauſa eſſe poteſt Abortus,vel multitudo fœtus,vel nimia moles, præſertim in illis quæ puſillo ſunt corpore, & à teneris annis concipiunt, atque viris proceræ ſtaturæ conjunguntur, quorum mentula eſt amplior. *Primiroſius.*

Ex parte Fœtus,Abortus excitari poteſt, ſicuti quando is eſt monſtroſus, quia tunc limites naturæ egreditur, Aut cum perverſum ſitum in vtero obtinet, quo fit,vt ſeſe admodum exagitet ob perceptam moleſtiam, vterumque ad expulſionem impellat, qui impatiens eſt dolorum ideo excitatorum;In cauſis quoq; reponenda eſt inſignis Fœtus magnitudo,propter quam vterus ipſum continere non valet ad ſtatutum vſque terminum, neque mater ſufficiens alimentum ſuppeditare. *Mauriceau.*

²⁰. *Seu à fœtu, ſeu à morbis aliis, ſeu ab externis*) Ad Abortus cauſas refer *Hæmorrhagiam* inſignem, quæ lædit quatenus inducit defectum ſanguinis materni vniverſalis, ob quem eodem deſtituitur neceſſario fœtus, qui proinde tenellus adhuc, cum minus poſſit carere continuo alimento, deficit facile eius defectu, ac proinde aut moritur aut languet, atque ſic ad Abortum excidit: Huc refer *Remedia* quævis fluxum menſtruum promovere ſolita, ſi imprudenter durante graviditate vſurpentur, e. g. *Venæ ſectio* largior præſertim ac in pede inſtituta, à qua idem evenit quod de hæmorrhagia dictum: In pede autem inſtituta, deorſum præterea impetuoſius ducit ſanguinem, & ad vterum, vnde Fœtus ad exitum impellitur. 2. *Purgantia*, & imprimis acriora tum ratione ſui, tum ratione humorum acrium vehementer agitatorum, & quaquaverſum, etiam ad vterum fœtumque propulſorum, vtrumque ſimul commovent; vterum quidem ad contenti fœtus excluſionem, ac Fœtum ad eiuſdem ſui excluſionis promotionem. 3. *menſes moventia* dicta, quorum pleraque vi aromatica ſunt prædita, ſanguinem vniverſum ſolvendo, eundemque fluidiorem præſtando, facilitare ſolent ipſius ordinarium per vterum effluxum, atque graviditatis tempore idem agendo præcipitant non raro cum ipſo fœtum, præſertim tenellum, ac ſi vteri conſtitutio ſit laxior: Hinc in quibuſdam *Potus generoſus*,

Aa 2

ipſeque ſpiritus vini majori copia ſumptus ſolet eſſe Abortus cauſa, ſolvendo ac diſſolvendo nimium ſanguinem univerſum, facilitandoque ipſius per uterum effluxum, raro abſque fœtus excluſione, ſcilicet Abortu, evenientem.

Præter has cauſas ſolent ſubinde aliquæ occurrere *Internæ*, ex vitioſa nempe *materni abdominis conformatione*, vt ſi e.g. locus deſideretur in ipſo ſufficiens explicando vtero, vnde idem preſſus comprimit neceſſario contentum Fœtum, ipſumque ante tempus eiicit.

Huc referri poſſet mola, vel alius Fœtus vivus, mortuuſve in vtero ſimul exiſtens, atque priorem aut poſteriorem fœtum ad exitum cogens. *Sylvius.*

[20.] *Seu à fœtu ſeu à morbis aliis*) Internæ cauſæ ſunt duplices vel *matrem vel Fœtum* ſpectant, *matrem* quod attinet, variis illa de cauſis ad Abortum propenſa eſſe poteſt, Et 1. corporis *habitus vel craſſior vel extenuatior quam* conveniat; Aph.44.5. *Quæcunque p. n. extenuatæ vtero gerunt, abortiunt priusquam craſſeſcant*, Galenus in commento varias afficit explicationes, duas tamen præcipuas, vnam *Numeſiani*, qui vult aphoriſmum intelligi de iis quæ p.n. tenues prius refici debent antequam concipiant; quod ſi eas concipere contingat, refici non poſſunt, quin fœtus alimento ſuo deſtituatur, & ſic corrumpitur quæ explicatio inepta videtur, Nam mulier tenuis quæ concepit, ſi victu poſtea pleno & analeptico vtatur, eo non minus fruitur fœtus quam ipſa mater, Altera explicatio verior eſt, vt intelligatur aphor. de iis quæ præter ſui naturam & modum tenues ſunt, vt ſi tabe & eiuſmodi morbis laborent. Alias videmus ſæpe macilentas mulieres fœtum gerere, ſed ſi extenuatio p.n. mulieris fuerit lõge evidentio ratio eſt quare nec concipiant, nec ad maturitatem fœtus perducant, ſunt eiuſmodi mulieres admodum debiles, vteri ligamenta fœtum nequeunt ſuſtinere, ſanguis paucus eſt aut vitioſus, qui ad fœtus nutritionem & incrementum non ſufficit.

Craſſities quoque nimia obeſt, quia in ſe totum alimentum convertit, humorum multitudine fœtum gravat: vtero liberum locum non relinquit &c. Sic valetudinariæ mulieres, chronico aliquo morbo laborantes vix poſſunt feliciter fœtum geſtare, ad maturitatem, vt quæ epilepſiâ, febre quartana &c. laborant, ſive ſint continui, ſive per paroxyſmos infeſtent.

Alia etiam cauſa affertur aph. 45. 5. *Quæcunque corpora mediocriter habentes 3. aut 2. menſe abortiunt ſine cauſa manifeſta, iis acetabula vteri plena mucoris ſunt &c. ſine* cauſa manifeſta, inquit *Galenus* 1. c. abſque febre, alvi fluxu, hæmorrhagia, ſaltu, eryſpelate, victu parciore, aut alia eiuſmodi cauſa cognita.

Relaxari præterea cotyledones poſſunt ex vita otioſa, balneis, ſomno nimio, matricis humiditate nativa vel adventitia,

Inſuper *Hippocr. v. de m. m.* Abortum fieri dicit ſi *vteri* ſint *flatuoſi, denſi, magni, parvi*; De *flatibus* dubium eſſe non debet, quia vtero & fœtui intemperiem communicant, vterum replent & irritant expultricem; *Denſitas* quoque nocet, quia vteri denſi commode extendi non poſſunt, nec ſecundinæ cotyledonibus firmiter annecti; De *magnitudine* non ſine cauſa dubitarem, cum potius fuerat ad feliciorem fœtus retentionem & accretionẽ, atque ipſe vterus in principio ante conceptionem ſatis parvus eſt, & tantum increſcente fœtu augetur, atque illum nullo relicto inani ſpatio complectitur, vnde nullum eſt periculum, ne maior ſit quam fœtus poſtulat, Verum de *parvitate* minime dubitandũ eſt, quicquid cõtra ſentiat *Mercurialis*, id enim *Hippocr. l. de ſuperfœt. & de ſteril.* prodidit, *ſi ſæpius & mulier aborſum faciat, & eodem tempore, vt 3. 4. vel 5. menſe, vteri anguſtiam cauſam* eſſe ſcribit. Et ratio ſuffragatur, quia parvus vterus non ſatis poteſt dilatari, propter debilia ligamenta & paucitatem alimenti.

Galenus etiam 3. de fine nat. docet partum ſive naturalem ſive abortivum, tribus de cauſis contingere, *ob nimiam molem, pondus & morſum*, Ob *molem* vbi vterus amplius extendi non poteſt, vnde ſi adeo parvus interdum reperiatur, vt in eo fœtus ante debitum tempus non poſſit amplius contineri, abortum ſequi neceſſe eſt, quamvis enim ordinarie ad incrementum fœtus vterus ſemper dilatetur, non negandum tamen, quin tam parvus interdum reperiri poſſit, vt ſatis extendi nonqueat, ſicut idem de ventriculo refert *Galenus in arte parva*, vnde ſolvi poſſunt quæ *Mercurialis* affert, qui vult vterum parvum facere parvum fœtum, vti cum fœtus magnitudo pendeat ex copia materiæ quam attrahit ad ſui nutritionem, poteſt adeo increſcere in vtero, vt ipſi locus non ſufficiat, vnde vtero gravis eſſe incipit, & ſic excitat ad ſui expulſionem. Tum addit anguſtiam non poſſe tollere vitam, non quidem per ſe quatenus eſt anguſtia, ſed propter alias cauſas, Incipit enim fœtus eſſe moleſtus vtero, & ipſius expultricem irritat. *Primiroſius.*

[21.] *Seu à morbis aliis*) In genere quivis morbus acutus provocat abortum fœtum interficiendo, qui mortuus diu in vtero hærere nequit, iuxta *aphor. 30.5.* Dolores *Renum, colici* vehementiores, nec non *ſtranguria*, quia tunc ſingulis momentis validæ cõpreſſiones fiunt ad concedendum vrinæ exitum; *Tuſſis* valida, crebra agitatione impellent diaphragma, hinc vterum, *Teneſmus*, aph.27.7. quia vterus inteſtino recto incumbens admodum cõmovetur ab inanibus iſtis egerendi conatibus. *Hydrops vteri* prohibet iuſtum pueri incremẽtum, à nimia enim aquarum copia extinguitur calor naturalis iam debilis: Morbus venereus in matre fœtum inficit. *Mauriceau.*

Morbi *acuti* vel *diuturni*, totius corporis, vel alicuius partis, vt febres continuæ, pleuritis, &c. qui ſæpe fœtum in majus diſcrimen quam matrem adducunt, Vel ſunt *proprij* alicuius partis, vt ventriculi, iecoris, ſed omnium maxime ipſius vteri: *Gravidam acuto morbo corripi lethale.* aph.30.5. ob vehementiam morbi, & gravem intemperiem vtero & fœtui communicatam, vnde vtriuſque debilitas ſuccedit. Accedit magnum ciborum faſtidium, ſanguinis vitium & corruptela, tum quia tenuem victum hi morbi poſtulant, atque inſignibus vacuationibus naturalibus & artificialibus ſolvuntur quæ fœtui extinctionis & aborſus, periculum inferunt.

Vteri quoque morbi non minus ſunt noxij, propter quos fœtum retinere & fovere cõmode non poteſt, imo ſæpe irritatus excutere nititur; *Gravidæ in vtero eryſipelas lethale* aph. 43.5. quod etiam de qualibet vteri inflãmatiõne intelligẽdum, & aliis ejus affectibus, tumoribus, vlceribus, vulneribus, diſtorſione, relaxatione, lævitate, atque etiam ipſius intemperiebus, modo graves illę fuerint; Nam admodum *calida* nocet, quia calor humorem populatur, ipſumque fœtum corrumpit, vt de febribus dictũ; *Frigida*, quia frigus vitæ adverſatur, pravumque alimentum fœtus ſubminiſtrat, *Humida*, quia vteri retentrix labefactatur, vteri orificium facilius hiat, vincula humoris pituitoſi copia laxiora redduntur, fœtumque & ſecundinam ideo cõtinere non poſſunt, *ſicca*, quia defuit alimentum, & ligamenta rarefacta facile diſrumpuntur. *Primiroſius.*

Notanda eſt *Serapionis* ſententia; Vult autem ſi *primo* aut *ſecundo menſe* fiat abortus, fieri à flatu divellente, aut præpoſtera matris agitatione, tenues fibras diſrumpente; Si fiat *mediis menſibus*, cauſam eſſe mucores & humores, acetabula vteri relaxantes, In *poſtremis*, vt plurimum fieri ab inopia alimenti, aut vteri anguſtia.

[21.] *A morbis aliis*) Sic in *Convulſione* ob compreſſionem & conſtrictionem validiorem muſculorum abdominis, fœtus quandoque propellitur; quemadmodum

admodum quandam in ipſo paroxyſmo; ſine omni ſenſu abortiviſſe vidimus; Et cum ad ſe rediret, de ventre, quidnam illo factum eſſet, uti illa loquebatur, conquerentem.

21. *Seu à morbis aliis)* Affectibus graviſſimis & periculoſiſſimis ſupervenire ſolet; ſicuti tempeſtate quadam epidemici, erant frequentes Abortus, propter Bilem multùm *acrem* ac *volatilem*, non tantum maternum, ſed maxime fœtus ſanguinem fluidiorem reddentem. *Maternus*, præſertim ad uterum delatus ſanguis fluidior, cur laxius utero adhæſerit placenta, hinc & totus fœtus, in cauſa fuit quapropter facile ſequi potuit Abortus, concutiente inprimis fœtus languore ac debilitate.

Languentes, & ideo debiles fuiſſe pleroſque *fœtus* evincit plerorumque mors paulo poſt debilitatem ſupervenieus, etiam ubi ordinario nati ſunt tempore, languorem iſtum debilitatemq; Fœtuum adſcribimus materno ſanguini plurimum vitiato, ob cauſas virium proſtrationem parientes: Non potuit namque conſervari robur Fœtus materno ſanguine exiſtente modis omnibus ita vitiato ut matres diu pergerent languere, ac ſegnius reſtaurent. *Sylvius Append. Tr. 8 §. 454.*

22. *Seu ab externis)* Quicquid exagitat & commovet corpus gravidæ abortum excitare valet, ſicuti labor immodicus, contorſio corporis vehemens, validus quivis motus, ſaltatio, tripudium, equitatio aut deambulatio citatior, vectio in curru aut rheda, clamor immodicus, cachinnus effuſus, ictus in ventre, caſus, Eiuſmodi enim agitationes uteri ligamenta relaxant, imo nonnunquam diſrumpunt, ſicuti & membranas fœtum ambientes aut ſecundinam ab utero divellunt, Vehemens ſtrepitus & ſonitus inopinatus, præſertim tormentorum bellicorum; ſi præſertim accedat terror, qui facilius afficit iuvenes quam ſenes, quia iuvenum corpus magis tenellum & tranſpirabile, ab aëre valide impulſo fortius quatitur, poros omnes ſubeunte: In annoſioribus habitus corporis robuſtior eſt & denſior: Diuturnæ *vigiliæ* diſſipatione virium: Protracta *jejunia*, alimenti penuriam inducendo, *Odores fœtidi* efficaces in provocãdo abortu, præſertim carbonis. *Nimia corporis per indumenta adſtrictio*, aut per admotas cetaceas virgas, quibus nonnullæ utuntur ad rectitudinem ſtaturæ; aliæ ad occultandam graviditatem. Frequentior *concubitus*, maxime poſtremis menſibus, quia tunc uterus admodum turgidus deorſum inclinat, orificium vero internum exterius vergens à tenſa virga virili vi compellitur; unde & nonnunquam ante tempus id reſeratur. *Mauriceau.*

Externæ & evidentes eiuſmodi cauſæ, *aliæ* fœtui alimentum ſubtrahunt, ut in edia, atque omnis immodica vacuatio, *aliæ* uteri acetabula diſſolvunt, ut magnus in egerendo conatus, ſpiritus retentio, ſternutatio arcta ventris compreſſio, vociferatio tuſſis, vomitio, violenta omnis exercitatio, caſus, ictus, riſus, calcitratio fœtus. *Aliæ* fœtum enecant, ut ſyncope, timor, triſtitia, & quæ toto genere extinguunt, ut pharmaca, deleteria medicamenta, aſſumpta vel admota, &c. Et quæ vel ſuffitu vel odore, vel ſubſtantia venenata ſunt; atque etiam quarundam herbarum tanta vis eſſe perhibetur, ut etiam calcatæ fœtum attrahant.

Nihilominus multæ reperiuntur mulieres quibus tam arcte fœtus adhæret, ſuntque fœtus vincula adeo valida, ut nulla cauſa externa poſſint abortire, quantũvis id conentur, Sicut aliæ ſunt adeo debiles, humidæ laxæque, ut fœtum leviſſima de cauſa elabi ſinant. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Ex aborſu mulieres magis periclitantur quam ex vero partu, quia violentior eſt, ac tempore alieno fit: ut enim in fructibus, maturis pediculi ab arbore laxantur, & fructus ſponte decidunt, ita in partu naturali vaſa & ligamenta, quibus utero fœtus alligatur, ſponte laxantur & ſolvuntur, quæ in abortu per vim abrumpi eſt neceſſe.

Quamplurimæ mulieres propter aborſum ſteriles evadunt, ob inſignes lacerationes, quæ uteri diſpoſitiones omnino evertunt.

Inſignes hæmorrhagiæ, ad quas ſyncope, deliria, & convulſiones ſequuntur, mortem inferre ſolent: Et teſtatur *Aretæus* ſe nullas vidiſſe ſervatas ex iis quibus in aborſu, aut poſt aborſum convulſiones ſupervenerunt.

Inflammatio uteri ex aborſu contracta, ut plurimum lethalis: ſanguis enim in uterum magna copia effluens; non expurgatur, ſed in eo putreſcit; & ad ſuperiora regurgitat; unde febres æſtuoſæ, palpitationes cordis, cardialgiæ aliaque ſymtomata ſupra enumerata.

Aborſus in primipara periculoſior, quia doloribus inaſſueta, & anguſtiores habens iſtas vias, diutius ac vehementius torquetur.

Mulieres admodum graciles aut craſſæ in aborſu magis periclitantur, illæ propter infirmitatem, hæ vero propter conſtrictionem viarum per quas excluditur fœtus.

Aborſus periculoſior eſt 6. 7. & 8°. menſe, quia tunc grandior fœtus maiori cum moleſtia & difficultate excluditur.

Fœminæ quæ laxiorem & humidiorem habent, ſine noxa ut plurimum abortiunt; primis potiſſimum menſibus, quia partes iſtæ facile cedunt, unde minor ſequitur moleſtia.

Hippocrates 2. Epid. aſſerit abortum lx. dierum maſculinum conferre in menſium ſuppreſſionibus: Per menſium ſuppreſſiones intelligit tantum imminutiones; quando ſcil. mulieres ſufficientes aut commode non purgantur menſtruis periodis; Per huiuſmodi enim aborſum aperiuntur viæ illæ obſtructæ, & ſanguis allicitur verſus uterum, qui parcius antea fluebat: Huius Hippocratis ſententiæ veritatem obſervaſſe videntur noſtrates mulierculæ, quæ in aborſu paucorum menſium vernaculo ſermone, & velut adagiali pronuntiant, *La fenne avortade es miege impregnade*, i.e. fœminam abortum paſſam ſemi impragnatam eſſe *Riverius.*

Nullæ, *inquit Aetius*, ſervantur in quibus adſunt convulſiones, quamvis id non ſemper verum eſſe crediderim, ſæpe enim ex graviſſimis morbis mulieres convaleſcunt. Si in muliere ſana & robuſta contingat, magnum adeſt periculum, maximam enim cauſam fuiſſe oportet quæ illum concitarit, unde gravia ſequuntur ſymptomata, dolores hæmorrhagiæ, ſyncope, deliria, ſæpe etiam mors: Interdum ſi propter quampiam cauſam ſanguis non excernatur, inflammatur &, putreſcit, unde febres, palpitationes, ſyncopæ, deliria & cætera prava ſymptomata.

Minori cum periculo abortiunt quibus uterus humidior eſt & laxior, creduntque plurimæ eiuſmodi mulieres poſtea facilius concipere, quia ſcilicet repurgantur uteri & exſiccantur.

In mulieribus autem chloroſi laborantibus & menſium ſuppreſſione ſi eas ſemen retinere per aliquod tempus contingat, & abortum pati curantur, ſic enim aperiuntur obſtructiones, & ſanguis ad uterum attrahitur,

Scribit *à Caſtro* primis menſibus fœminarum aborſus magis contingere, marium vero poſtremis, quia cotyledones tunc ſicciores ex motu vehementi maris facile diſrumpuntur, Verum id non poteſt eſſe perpetuæ veritatis, quia fœ-

minæ quædam quibuſdam matibus calidiores ſunt, & ſicciores. *Primiroſius.*

Primi abortus recidivæ periculum inferunt, imo non paucæ verentur, ne poſthac liberis careant, ſi primum fœtum excluſerint, cui caſui obnoxiæ ſunt noviter nuptæ, id quod vt plurimum contingit ob violentam corporis commotionem ab ardente & crebrius repetito concubitu; nihilominus deinceps conceptum conſervant, retuſo effræni illo deſiderio. *Mauriceau.*

Regimen victus.

Regimen vitæ quod prægnans mulier abortui obnoxia, ſtudioſe obſervare debet, in eo conſiſtit vt in *Aëre*, quoad fieri poteſt, temperato verſetur; vitet *æſtum* & *Balnea, cibis* temperanter vtatur euchymis; *vino* diluto, vel *rubro* non potenti: Caveat ab omnibus *acribus*, aut corpus accendentibus *oleribus*, aut *aromatibus*, vel etiam *amaris*, quæ & fœtui nocere creduntur; Ab *odore* item vehementi præditis, vti & *croco* aliiſque omnibus & *alimentoſis* & *medicamentoſis* quæ *menſes movere*, vel fœtum expellere, vel noxam exitiumque illi afferre poſſunt, qualia in cauſis & in defectu menſium & partus adducuntur; A *motibus corporis & animi* validioribus ſibi temperet, *Quieta* potius maneat, vel leviter obambulando corpus exerceat; A *congreſſu* frequenti abſtineat: Ne alvus conſtipata ſit, ſed reſpondeat, procuret, Et ab omnibus quæ morbis quibuſdam, fœtui exitioſis, veluti ſunt etiam convulſiones, occaſiones præbent, ſibi caveat, eaque bona vivendi ratione avertat. *Platerus.*

21. *Præſervant ab eo* In abortu, hoc fœtu intempeſtivo, partu, cum iam abortierit, non alia cura quam quæ puerperæ debetur, convenit: Poſtea vero ne amplius illi hoc contineat, eoque magis ſi iam aliquoties abortum paſſa fuerit, *præcautio* adhibenda: Quæ tum antequam gravida tum ſit, quando iam gravida eſt ſequenti modo inſtituatur.

Antequam gravida) eſt mulier, eamque concepiſſe conſtat, quod certo illa ſi poſt puerperii tempus viro ſe nondum commiſcuerit cognoſcet, diligenter ante omnia perpendendum an aliqua cauſa in corpore illius latens deprehendi queat, ob quam licet concipiat, fœtuſque ex conceptione formetur (nam ſi ſemen conceptum ſtatim iterum effluat, conceptus non verus, ſed falſus exiſtit, ſterilitatiſque cauſa) tamen eum non retinent; Quod fiet obſervando ipſius *conſtitutionem*, an *plethorica* vel *cacochymica* exiſtat, & prout hic illeve humor in ea exuperat, ſanguinis detractione purgationibus, ſudorum provocatione, & vivendi decenti regimine corpus purum & mundum reddendum: Vel ſi affectu aliquo mulier laboret, aut vteri quodam vitio, quæ cum concepit abortus cauſam præbere poſſent, his emendandis ſtudebimus. Quod ſi horum nihil appareat, aut cognoſci poſſit, tamen quæ vtero robur aliquod addant, eumque confirment, ne facile fœtus in eo contentus rurſum elabatur, remedia alia vſurpanda, atque ex illis qualia in ſterilitate traduntur exhibenda, & admotis, inprimiſque pudendis vtendum: quibus præcipue malum hoc advertere mulieres contendunt; & proin *thermas* adeunt, illiſque ad tempus inſident.

Poſtquam vero *iam gravida facta* eſt mulier; eamque denuo concepiſſe, vterumque geſtare certis indiciis innoteſcit, tum vt fœtus ad partus vſque legitimum creſcat, vividuſque permaneat cura adhibenda, quod ſi vero eum iam extinctum conjecturemus, nihil tale moliemur: Sed ſi certi de eo ſcimus, quæ eum potius propellunt adminiſtrabuntur, cum ſi remanſerit ille, vel ſecundina eius, exitium matri afferant.

Ad fœtum *retinendum* & conſervandum, cauſis prius omnibus quæ eum loco movere, aut illi nocere poſſunt, ſubmotis varia adminiſtrabuntur.

Sanguinis miſſio locum habebit interdum, ſi ex ſanguinis circa vterum retenti maiore copia abortum, quem prius paſſa fuerit, proveniſſe ex plethora, vel quod menſes ante abortum, dum adhuc prægnans erat, fluxerint, certis indiciis cognoſcamus; tuncque ſi ex eo quod iterum fluere incipiant idem ſuſpicemur, ſanguinem per venam brachij, non pedis, cum menſes facile commoveat, ſectam, detrahere convenienter & citra detrimentum poſſumus; nec adeo vti veteres fecerunt, in gravidis plethoricis S. m. metuenda, cum ex illius vſu aliquas abortivis ſe mihi non conſtet, etiamſi eam bis terve reperti rint; videamuſque multas, etſi vulneratæ, aliterve læſæ plurimum ſanguinis profuderint, tamen fœtui minime nocuiſſe; Quod etſi ita ſe habeat, non tamen temere & inconſideranter mulieribus hunc illius nimis conſuetum abuſum concedemus: Neque tamen ſi phlebotomiam illis vtilem eſſe cenſeamus, illis eam denegabimus, ſed vt parum pro vna vice ſanguinis detrahant, & potius poſt menſem repetant; vel etiam tertio ſi neceſſitas exigat, imperabimus.

Purgationes per *alvi dejectionem* non temere illis erunt inſtituendæ, niſi forte alvus adeo conſtipata ſit, vt per iniecta *clyſmata*, aut leviora exhibita, alvum moventia, eum linire, vel etiam nonnihil ſtimulare oporteat; Vel ſi corpus admodum impurum ſit, etiam ad paulo validiora cathartica tranſire oportebit, quæ tunc plus vtilitatis quam damni afferent, cum & caſu mulieres ſæpe fœtum geſtantes, & tamen ſe gravidas eſſe neſcientes, ſi purgatione vtantur, aut aliæ vel hæ, vel aliæ, quas fœtum geſtare nullum amplius dubium, diarrhoea larga, ſæpeque diu perſiſtente infeſtentur, minime tamen labem aliquam fœtui imprimant, aut abortiant.

Alterando operantia ad Abortum præcavendum, ea vſurpantur quæ *vi adſtrictoria* prædita vaſa quibus fœtus vtero alligatur, firmant, vteroque robur fœtuſque vigorem addunt, ſproprietate quadam per experientiam cognita id agunt. *Platerus.*

22. *Præſervant ab eo)* Curatio Abortus in præſervatione poſita eſt, qui enim iam factus eſt reſtitui nequit, ac quæcumque eum conſequuntur ſymptomata cum ſymptomatis enixarum communia ſunt. Illa autem Abortus præſervatio duo præcipua habet capita, vnum extra graviditatem, alterum in graviditate: Extra graviditatem omnes pravæ corporis diſpoſitiones quæ Abortum concitare ſolent, removendæ ſunt, vt plethora, cacochymia, & peculiares vteri morbi v. g. intemperies, tumores, vlcera & ſimilia.

Plethora, & nimia ſanguinis copia, vteri venas reſerat, aut fœtum intus ſuffocat: Huic, ſi pura & ſimplex fuerit plethora, ſanguinis miſſio medetur, quæ illius redundantiæ ſatisfaciat: Cacochymia vero aut bilioſa eſt, & acrimoniæ particeps, vt venatum orificia aperiat, aut naturam ſtimulando, expultricem excitet, qua etiam fœtus vna cum noxiis humoribus excludatur, aut propter excrementorum copiam in prima regione cumulatam, ventrem diſtendendo ſuffocat fœtum, aut in toto corpore ſanguinem vitiat, & fœtui alendo inutilem reddit, aut nimia humiditate, fœtus retentionem impedit, vel vteri acetabula mucore plena reddit.

Huic cacochymiæ medebitur etiam phlebotomia ſed parciori manu celebrata, cum præcipuum curationis caput ſit frequenti purgatione ſupervacanea corporis excrementa detrahere: Quibus interjicientur ea quæ

vicuerum

viſcerum intemperies, humorum acrimoniam, ſi adfuerit demulceant, vel tenuitatem incraſſant. Aut ſi humores pituitoſi luxurient, ſudorificis, diureticis, aliiſq; remediis erunt diſcutiendi.

Hic tamen ſedulo obſervandum in quacunque Cacochymia, Cauteria mirum in modum prodeſſe ad præcavendum aborſum, quod ſpeciatim adnotat *Zacutus Luſit. Fœliciſſimo experimento obſervavi frequentem abortum ex vitioſis humoribus ad vterum à toto demandatis, ſuáq; prava facultate vel copia fœtum enecantibus hoc ſolo præſidio præſentaneo impediri. Fœminæ plures hac ipſa de cauſa frequenter abortiebant: ex iis quadam fœtum ſeptimeſtrem quadrimeſtremve, lacerum tamen, & omni putrilagine infectum ſepius enixæ, nonniſi hoc præſidio, tam in brachiis quam in cruribus, ſemper tamen ad originem fluxionis celebrato in tantis malis levari potuerunt, & debito ac conſtituto tempore fœtus ſanos, & nulla labe fœdatos in lucem ediderunt.*

Peculiaria vteri vitia, vt humiditas nimia, tumores, vlcera & ſimilia, erunt auferenda remediis in propriis cujuſque affectus capitibus deſcriptis. *In Graviditate* ſi eædem cauſæ adfuerint, major eſt difficultas, quia prægnantes non ita facile quæcunque poſſunt ferre remedia. Ne tamen auxiliis deſtitutæ, in ſummo abortus & vitæ periculo verſentur, quædam remedia exhibenda ſunt: Præſente igitur plethora, etiam in gravida muliere ſanguis detrahendus eſt, primis potiſſimum menſibus, bis aut ter ſi opus fuerit: hoc perpetuo obſervando, ne magna copia vnica vice detrahatur. Ubi vero ſanguinis cacochymia redundaverit, purgatio blanda frequenter iteranda eſt, mediis præſertim menſibus geſtationis: Et ſi intemperies humida, catarrhoſa, mucoſa vel flatuoſa infeſtaverit, ad diætam ſudorificam in robuſtioribus, ſaltem leviorem tranſcendere aliquando licet. Ut remediorum fœlix poſſit eſſe eventus, ſumma quies imperanda eſt, tum corporis, tum animi. Tum etiam coitus abſtinentia, qui vterum vehementer exagitat: Dum enim vterus ſe aperit ad apprehenſionem ſeminis, quo maxime oblectatur, fœtum recentem, & nondum firmiter adhærentem propellit. *Riverius.*

22. *Præſervant ab eo)* Interdum detrahendus eſt ſanguis ſimulatque fœtus moveri cœperit, eoque audacius ſi mulier multo abundat ſanguine, &c. Quod ſi videatur gravida Purgatione indigere, purgetur *rhabarbaro,* quod ſi cum ſubſtantia ſumatur, poſt ſolutionem internis viſceribus robur adfert, & fœtum firmiorem reddit: Ea evacuatio poterit ſemel præſcriptis menſibus repeti. Quibuſdam placet *Caſſia fiſtularis;* quæ licet gratum ſit, & amicum naturæ medicamentum, torſionem tamen ventri adferre ſolet, & interna viſcera lædit, quæ huic affectui non conveniunt. *Joh. le Bon.*

22. *Præſervant ab eo)* Abortus præcautionem, Vide infra ſ. a.)

23. *Intra)* Toto geſtationis decurſu adſtringentia & roborantia, quæ abortum prohibere, nata ſunt in vſum revocanda, Quorum non pauca in fluxu menſium immodico deſcripta ſunt, quibus addere licet.

℞. *Granor. tinct. rad. torment.* ãã. ʒiij. *maſtiches* ℥iß. Fiat Pulvis de quo per intervalla detur ʒß. vel quantum in cultri cuſpide contineri poterit.

℞. *Corall. r.* ʒij. *granor. Kermes, oſſ. dactyl.* ãã. ℥j. *raſ. eboris* ʒß. *margar. non perforat.* ℈j. f. Pulvis.

Vel grana aliquot *maſtiches* ſingulis diebus mane deglutiantur. Noſtrates mulierculæ in frequenti vſu habent *plantaginis ſemen*, quod mane ad ʒß. circiter aſſumunt, cum vino diluto, ovo, aut juſculo, vel per ſe ſingulis fere diebus, toto geſtationis tempore non ſine fructu. Vel

℞. *Conſerv. roſar.* ℥ij. *cort. citr. cond.* ʒvj. *myrobal. condit. pulpa dactylor.* ãã. ℥ß. *corall præpar. margar. præp. raſ. ebor.* ãã. ʒj. *cum ſyr. cydon. f. Opiata de qua capiat magnitudinem caſtaneæ frequenter.*

Si forma liquida magis arrideat, Decoctum *Tormentillæ* cum conſerva roſ. vtiliter exhibeatur. *Tabellæ* ſequentes ſunt vtiliſſimæ, quæ roborant, corpus ab excrementis ſenſim liberant, licet ſenſibiliter non evacuent.

℞. *Macis, tri-ſant. rhabarb. ſenn. corall. margar. præpar.* ãã. ℈j. *ſacch. in aqu. roſ. diſſoluti* ℥iv. *F. Tabellæ pond.* ʒiij. *capiat vnam bis in ſeptimana per ſe, vel in pauco juſculo diſſolutam.*

Sequentia duo remedia fœtum certo retinere creduntur, ſi antequam fœtus à cotyledonibus divulſus fuerit, vſurpentur,

℞. *Fol. auri n°. xii. ſpod.* ʒj. *germina trium ovorum non ſubventaneorum: miſceantur probe, donec aurum ſit in minutiſſima diviſum. Poſtea diſſolvantur in dimidio cyatho vini albi, & detur mane per triduum.*

℞. *Thur. maſc. pulv.* ℥ij. *album. ovor. n. v. agitentur ſimul ſuper prunas, ſemper movendo ne concreſcant, Addendo terebinth. ne nimis adhæreant: poſtea ſtupis excipiantur, & quantum ferre poterit calidiſſima vmbilico applicentur bis in die mane & ſero per triduum prædictum, & eodem tempore quo prius remedium exhibetur.* Riverius.

Dantur ſæpius tempore geſtationis vteri *Aſſumenda* quædam, eoque frequentius ſi tempus quo prius abortivit, immineat. Potiſſimumque conveniunt hi *Pulveres,* vt eos bibant cum *vino rubro,* vel *in ovo ſorbili,* Vel comedant, addito *ſacchero roſac.* Vel in *Tabulas* cum *ſacchara* diſſoluto in *aqua roſac.* vel *Plantaginis* redactos. E. g.

℞. *Coag. lepor. ſicc.* ʒij. *aſtacor. fluviat. aſſor.* ʒj. *ſpod. ex ebore* ℈ij. *ſem. coriand. præp.* ʒij. *ſantal. r.* ℈i. *f. Pulvis.* Si *matrix. leporis* ſiccata & pulveriſ. addatur, appropriatus magis erit. Alii *priapum tauri* addunt, rectius forte genitale cervi. Operoſa, & ex multarum rerum in *vino malvatico & aquis ſtill.* maceratar. congerie elicita Aqua, communiter *Balſamus Embryonum* vocata, in dies aſſumpta, ad Abortum præcavendum quoque vtiliſſima. *Platerus.*

24. *Dactylorum)* Dum externa admoventur, devoret mulier aliquando *Dactylum* vnum, qui hoc modo præparatus fuerit,

℞. *Maſtiches, thuris albi* ãã. ʒß. *ſangu. dracon. in lacrym. myrtillor. boli Armen. orient.* ãã. ℈ß. *pulverentur omnia & miſceantur, Ex hac miſtura*

℞. ʒj. *infarciatur dactylus ejecto nucleo ligneo,* involvatur charta, madefiat deinde vino clareto, & calefiat ſub cineribus, deinde edatur. Quod remedium in fœtu retinendo etiam efficax eſſe experientiâ didici, primum Bononiæ à præceptoribus meis edoctus *Reinerus Solenander.* Prædictis ſimplicibus, *dactylum* infarcientibus, addi poteſt ejuſdem nucleus pulveriſatus, ſolitarius commendatus.

Dactyli recentes, oſſibus exenteratis & *pulvere cocci infectorii* infarcti ante & poſt ſomnum comeſti, Abortum maxime præcavere dicuntur. *Platerus.*

25. *Granis Tinctorum) Cocci infectorii* communis vſus pulvere non infeliciter vtuntur mulieres Italicæ ad prohibendum Aborſum, ipſum gravidis in ovo ſorbili propinantes pauco addito thure vel maſtiche, *Matthiolus.*

Extra) Totus venter illinatur hoc Linimento

℞. *Ol. cydonior. de abſinth. roſac.* ãã. ℥ß. *de ſpica odoriferi. maſtich. diſſol.* ãã. ʒij. *ſpecier. diacim.* ʒj. *troch. de carab.* ʒß. miſce.

His levioribus medicamentis per primos dies vtendum, deinde conſultum mihi videtur, vt hoc Empl. lumbis imponatur,

℞, *Maſtich.* ℥ß. *ladani* ℥iij. *rad.biſtortæ* ʒij. *nuc. cupreſ. hypociſt. ſang.dracon. roſar.rub. corall.rub. menthæ ſiccæ*, āā.ʒß. *coriand.prepar.galliæ moſch.terræ ſigill.* āā.ʒj. *ceræ citr. olei roſac. compl. terebinth. lotæ in aqua matricar. coloph.* āā. q. ſ. ad informandum *ceratum.* Reiner. Solenander.

[26]. *Extra, Lignum*) Non omittenda ſunt ea quæ ex proprietate fœtum retinere dicuntur, vt *lapis ætites* de collo ſuſpenſus, *magnes* vmbilico admotus, *corallia, jaſpides, ſmaragdi, oſſa de corde cervi* legitima & ſimilia, ſub axillis geſtata, vel de collo ſuſpenſa. *Riverius* Amueltis quibuſdam aliquid tribuunt, inprimis *lapidi* quem *Aetitem*, ſive *Aquilæ* vocant, ſi ille brachio ſiniſtro alligetur, vt detectus tangatur, vel vt alii volunt *corio vitulino* prius involutus, qui vti pedi alligatus partim promovere, ſic ſi brachio eundem impedire creditur, vti & ſi ſub mammis collocetur. Alii *lapidem Jaſpidem*, & *Lazuli*, & *Sanium*, geſtatos, vel collo appenſos, idem efficere docent. Vel ex plantis *malvam, parietariam, Tormentillam*, cum radicibus appenſa ſimiliter operari. *Platerus.*

[27]. *Lignum meſpili*) Retulit mihi Domina *Mantia Cotonea è Toletis*, Meſpili lignum collo appenſum mire ab abortu gravidas defendere, idque millies à ſuis majoribus fuiſſe expertum. Confiteor in pleriſque tale lignum fuiſſe à me expertum, atque certum & rarum remedium ſemper inveniſſe; ſiquidem multæ abortientes, & dolore & ſanguinis fluxu (appenſo ligno) reſtrictæ ſunt, & ab abortu ſervatæ, adeo quod in eo peculiarem virtutem abortum prohibendi ineſſe reor. *Ant. le Grand.*

a. *Circa carnem lata*) In Scotia Hervinæ *ſertum tanaceti* admittant pudendo frequentiſſime feliciſſimo cum ſucceſſu, quod vt gravius oleat atterunt manibus, aut cineribus paululum coquunt. *Joh. le Bon.*

[28]. *Ceratum*) Exterius admovenda erunt Vnguenta & Emplaſtra E. g.

℞. *Picis navalis* ℥ß. *thuris* ℥j. *maſtich.* ℥ß. *ſangu. drac.& rubr.roſar.* āā.ʒij. *f. Ceratum.* Vel

℞. *Ol.myrth. & maſtich.* āā.℥j. *ſantal.r. citr. hypociſt. acaciæ* āā.℥ß. *ſpod roſar.r.* āā.℥ij. *boli Arm.terræ ſigill.raſur.ebor.* āā ℈ij. *terebinth.cum aqua plantag. lotæ* ℥j. *ceræ q.ſ.f. Ceratum, quod ſupertendatur linteo, & renibus applicet.*

Emplaſtra componuntur ex maſſa *Empl. pro matrice & contra rupturam*, regioni pubis & lumborum applicanda, Vel

℞. *Maſſæ Empl. pro matrice* unc. iij. *rad. biſtortæ, acaciæ, hypocyſt. cortic. malor. granat.* āā.℥ß. *ladani* ʒvj. *malaxentur cum ſucco cydonior. & f. maſſa Empl. ad vſum dictum.* Riverius.

Adhibentur *Extrinſecus* ad Abortum evitandum quæ iiſdẽ viribus cum iis quæ exhibentur, intus pollent, Inunctiones & Emplaſtra vteri regioni, tum anteriore ſede, ſupra pubem, tum poſteriore, circa lumbos, vel etiam ſupra eos circa penum regionem, Uſurpanturq; cum de conceptu conſtat; ab initio paulatim, mox in progreſſu paulo frequentius, eoque magis ſi præludia quædam abortus appareant.

Pulvis ex *appropriatis* paratus pro *Unguento*

℞. *Corall.rubr.* ʒij. *raſ.ebor.* ʒiß. *cornu capr. vel cervi, coaguli hœdi vel leporis* āā.ʒj. *f. Pulvis.* Addi poteſt *Pulvis Turturis* in furno exſiccati, Excipiatur *oleis* vel *vngu.* idoneis.

Cerata & Emplaſtra ex iiſdem vnguẽtis fieri poſſunt, quæ ſupra *corium rubrum*, vel *ſericum coccineum* extenſa, ſupra vterum poſita, per horas aliquot retineant; quod commodius noctu dum recumbant, fit, indieſq; vel per intervalla repetant; Rediguntur hæc in formam *Cerati*, aucta *cera* quantitate, & vt adhæreat, addendo *reſinam abietinam*, vel *lariceam.* Vel in *Emplaſtri* conſiſtentiam miſcendo *reſinam ſiccam*, *picem puram, navalem* dictam, diſſolutam prius in *oleis* ſupradictis, vel etiam pulverem *colophoniæ* ſ. a. *Platerus.*

[28]. *Ceratum*) Circa Emplaſtra hoc animadvertendum ea non diu eſſe geſtanda, ſed per intervalla removenda, alioqui diutius lumbis affixa adeo renes calefaciunt vt miſeræ mulieres aliquando vrinæ ardore afficiantur, vel calculos, arenulas & interdum ſanguinem mingant. *Riverius.*

[29]. *In ſpecie ſit inprimis*) In hunc incurrunt nonnunquam mulieres ob multitudinem & copiam ſanguinis (quæ in multis generari abundare, & per plures dies dum non concipiunt copioſe menſtruis temporibus expurgari ſolet) fœtum ſuffocantis; quo caſu nullum validius remedium excogitari poteſt ſectione venæ, qua teſtor ego me plurimas ab abortu, in quem frequenter inciderant, ex ſola s. m. primis menſibus facta præſervaſſe; Non ita tamen cenſendum eſt de hac s. m. vel moderata vel parca in vtero gerentibus adminiſtranda, vt vnquam non veniat etiam in vſum ſi copioſe fiat; interdum enim in vltimo menſe copioſa s. m. facta non ſpernendum attulit juvamentum; Et ego aliquando hanc v. s. copioſe factam in vltimo menſe, inſtante partus tempore, dum vtero gerentes ardenti conflictarentur febre, plurimoque abundarent ſanguine tentavi, & hinc remiſſionem febris, ac partus accelerationem ſperans, vtrumque ex ſanguinis miſſione conſequutus ſumma cum vtilitate adminiſtravi, fœtumque & matrem vna periclitantem ex hoc ſolo remedio ſalvavi; quod in aliquibus prætermiſſum, & à Medicis, verba ſolum Hippocratis, & non ipſam rem ponderantibus neglectum fuit in cauſa vt conceptus ſæpe vna cum matre à plenitudine & fervore ſanguinis ſuffocatus, miſerabiliter perierint: quare commendo in ſimili caſu copioſam ſanguinis miſſionem, in cæteris autem moderatam & ad vncias factam, quam ad præſervationem ab abortu, vbi à plenitudine immineat, ſummopere probo: Nec iſta contra *Hippocr. Galeneque* ſententiam erunt, quia ſalutem ægrorum, non vanas opiniones ſectati ſunt. *P. Salius Diverſus De aff.part. c.22.*

[29]. *In ſpecie ſit inprimis*) An Abortum provocare licet ſi quando videtur neceſſarius? Id jubent *Avicenna & Aetius*, quorum conſilium abominandum, dicente enim *Tertulliano cap. 9. Apolog.* Ipſe ſeminis effluxus homicidium eſt voluntarium, anticipatum, non minus grave quam reipſa perpetratum; Nonnullæ nuptæ & innuptæ adeo ſunt impiæ, vt conceptum ſemen ſtatim excutere ſatagant, ſed non raro pœnas luunt improbitatis dum ſibi ipſis lethum intentant, Æquum enim eſt *Necis artifices arte perire ſua*

Quæ prima inſtituit teneros avellere fœtus
Malitia fuerat digna perire ſua.

Hippocr. 5. & 6. Epid. meminit mulieris xx. annor. quæ convulſa obiit quatriduo poſt aſſumptum φθόριον: *Nec ratio deeſt*, ex *Hippocr. enim 1. de m. m. Corruptiones graviores ſunt quam partus.* Abortus à vi externa concitatus multo eo periculoſior eſt qui ſponte accidit. *Mauriceau.*

[30]. *A nimio frigore*) Omnes aëris intemperies Abortum excitare poſſunt, vt ſi anni tempora fuerint inconſtantia *aph. 123. Si hyems auſtralis & pluvioſa fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacunque occaſione abortiunt.* Nam vt docet *Galenus in comm.* hyeme tepida relaxatur corpus, & rarius fit, vnde ſuccedentem aëris frigiditatem facilius admittit, vnde infantes tepori aëris aſſueti à frigore læduntur, atque vel in ipſo vtero extinguuntur, vel in partu, Tum quia

Legamis

hyemis humiditate & calore madet &repletur vterus, vere autem aquilonio comprimitur, atque ita fœtus cum humore excluditur.

Pariter vehemens *æſtus* nocet, quia vires diſſipat, debilitatam calori ventilationem non ſuppeditat, *Humidior* noxius, quia humore corpus replet, vteri acetabula laxiora reddit & imbecilliora. *Primiroſius.*

[31]. *Fomentationem vide)* Fiat Fœtus ex *abrotano, majorana, roremarino, mentha, balſamina, chamomilla & meliloto.*

[32]. *A ſubitaneo Terrore)* A ſolo Terrore magno & inopinato Abortum fieri notiſſimum, quia tunc vna cum animi mentiſque functionibus animalibus omnibus conturbantur quoque cæteræ corporis functiones naturales omnes, ipſaque adeo nutritio, tam fœtus quam matris gravidæ: Quætenus autem animales functiones omnes in terrore conturbantur, conturbatur quoque motus ſpirituum animalium ad partes ſingulas, vnde & ſenſus & motus animalis confunditur, minuitur & inordinatus exiſtit, Et humores omnes minus temperati, functionibuſque ſuis rite obeundis inepti redduntur. Cum proinde fuuctiones omnes mire conturbentur in corpore tum matris, tum fœtus, non mirum mortem vel gravem affectum evenire tenello fœtui in utero hærenti, atque ipſum aut perire mox in matris ventre, aut in eodem languere, donec tandem moriatur, aut moribundus excludatur.

Sic & *Triſtitia* ſumma nonnunquam, licet rarius; Abortus cauſa eſſe ſolet, quatenus tunc omnes proſterni ſolent vires ac functiones labefactari. Animus enim in Triſtitia ſumma fractus ac dejectus non excitat ſpirituum animalium motum, quin potius eundem negligit ſicut cætera omnia Animæ, lætitiam afferentia, vnde minus quaquaverſum moventur ſpiritus animales ob gaudii defectum, ac animi dejectionem ſummam, quietem vnice optantem ac quærentem. Sicut enim animus lætus quaquaverſum animales ſpiritus mittit ad omnes corporis partes commovendas & ad tripudium quaſi agitandas; quo ſic etiam præſentis gaudii fiant participes; ita contra Animus triſtis, & in ſemetipſum quaſi retractus, nil minus quam ſpiritus animales commovet, quin potius ad torporem ducit retrahitque. Sicut igitur fœmina tum gravida, tum valde triſtis ac mœſta, negligit corporis ſui motum animalem, quin animalium ſpirituum motum ab animo pendentem, vnde omnes tum animi, tum corporis functiones imperfectius obeuntur, ita fœtus in ejus vtero exiſtens, atque ipſi compatiens, quin matre gravius omnia ipſi evenientia mala ferens, plus eadem matre ſua detrimenti patitur quoad functionum quarumvis labefactationem. Sicut proinde moritur aliquando fœmina mœrore ſummo correpta; vel ſaltem in graviſſimos incidere obſervatur affectus, Ita ejus fœtus tenellus in vtero adhuc hærens facilius ac citius tum moritur tum affectus graves patitur; hinc intempeſtivam ſui excluſionem. *Sylvius.*

[33]. *Ab ira)* Si à corporeis paſſionibus tantum metuendum gravidis, ab animi pathematis non minus imminet periculum præprimis a b ira, quæ agitat, inflammat, diſſipat & conturbat ſpiritus & maſſam ſanguineam, à qua fœtus adhuc tenellus admodum læditur; Sed & *Terror* ſubitus, nuntiatio rei triſtis abortus cauſa eſſe queunt, Cætera itidem animi pathemata provt magis aut minus fuerint valida idem præſtant, at non adeo inſigni affectu ſicuti terror omnium maximæ efficax: Ob terrorem, imaginatione tantum conceptum anno præterito abortum fecit vxor *Comitis* de *Monterey* Flandriæ Proregis, ob nuntiatam Regis præſentiam Ejuſque agminis Bruxellis proximi. *Mauriceau.*

[33]. *Ab ira)* Quatenus ſcil. non tantum Anima mire conturbatur & confunditur, ſed omnes quoque actiones animales & naturales multum læduntur, vnde in fœtu non minor functionum omnium conturbatio ſequitur, à qua, præter alia mala, accidere poteſt Abortus, dum nimirum quæcunque patitur mater, gravius fert in vtero latens fœtus, *Sylvius.*

[34]. *A Fluxu)* Aliquando Alvi fluxus vehemens, & præſertim Dyſentericus, Abortum inducit. vbi præter continuam fere deſidendi cupiditatem, atque cõtentorum in abdomine deorſum factam preſſionem, ſubinde humores acres concurrunt, non tantum alvi Fluxum producentes, ſed ſanguinem quoque inficientes, atque ipſum fœtum ſimiliter afficientes, ac proinde gravidam ad abortiendum ſat ſæpe cogentes. *Sylvius.*

[34]. *À fluxu) Sive excretione quavis, vel per vomitum, vel per alvum, ſive ſanguinis, ſive alimenti, ſive vitioſorum humorum.* Sic frequens & vehemens *vomitus*, quia per hunc detrahitur alimentum matri & fœtui, adde quod in illa ſubverſione ventriculi conatu magni fiunt, ob quos vterus ſæpius compreſſus, & quaſi concuſſus, tandem ad expulſionem intempeſtivam impellitur, Ingens *alvi fluxus* gravidam in abortus periculum conjicit, *aphor. 34. 5.* ac citius ſi ſuccedat teneſmus h. e. creber egerendi conatus. Si menſtrua liberalius fluant, nam fœtui ſufficiens alimentum denegatur, præterea vterus à nimio ſanguinis affluxu humectatus relaxatur & facile hiat. Immodica venæ ſectio idem eadem de cauſa efficit. Peſſimum autem ſymptoma eſt hæmorrhagia oborta à divulſione ſecundinæ ab vtero, de qua Cap. de Symptomatis Gravidarum. *Mauriceau.*

Immodicæ omnes excretiones & retentiones, vt *ſanguinis miſſio* importuna, ſi fœtus ſit grandior, aut quacunque alia ex parte ſanguis copioſius profluat; (de vacuatione ex vtero. Vide §. *Hæmorrhagia uteri)* Lactis quoque è mammis copioſior effluxus infauſtus eſt *aph. 52. 5.* quia fœtui ſubtrahit alimentum, &c. Artificiales purgationes ex catharticis præſertim vehementioribus, maximæ ſunt periculoſæ. Pariter nocent vomitus, ſudorum & vrinarum provocatio, menſes moventia, balnea, &c. *Primiroſius.*

[34]. *A fluxu)* Unde *Hippocr. aph. 34. 5. Mulieri vtero gerenti, ſi alvus multum fluat, periculum eſt ne abortiat.*

III. [35]. *Partus vel* [36]. *non naturaliter procedens, vel* [37]. *difficilis. Ibi* [38]. commune monitum eſt, vt [39]. vmbilicus infantis quocúnque tandem modo ſe foras dederit, retrò in vterum protrudatur; vel ut vngula alcis corpori puerperæ admoveatur, obverſa ejus ad inferiora extremitate.

[40]. *Difficilem partum* avertunt.

1. [41]. *Externa, Aëtites* brachio ſiniſtro aut collo alligatus. [42]. *Vmbilicus* infantis ſpontè lapſus exhibitus: *Polypodium* contuſum & plantis pedum appoſitum: *Helleborus niger* [43]. femori interno alligatus. [44]. Fumus *calendulæ* parturienti [45]. ſubditus.

[46]. *Interna, olei olivarum* hauſtus ante partum, vel *aquæ ophiogloſſi. Eſſentiæ* [47]. *ſuccini* gutt. vi. in vino, *olei ejuſdem*, ſcrup. i. in aqua matricariæ. [48]. *Aqua* in qua *Mercurius crudus* maduit, remedium in Carinthia frequens. *Aqua*, in qua duo ova decocta. *Hauſtus vrinæ mariti. Oſſiculi tali*

leporini pulverizati, cum aqua pulegii: [49] *Iecur anguillæ cum felle* ſiccatum, & pulveratum nucis avellanæ magnitudine, *Helmontio* laudatiſſimum. Orbiculi ex *priapo cervi* dimidium maſticatum & deglutitum; alterum umbilico puerperæ affricatum. *Ficus* toſtæ partu appropinquante comeſtæ. *Mercurius vitæ* bene præparatus, ſiliquæ ſeu granorum trium aut quatuor pondere, cum momento vini, præſentaneum eſt remedium *Salæ* & *Billichii*. *Hauſtus lactis canini* extremum nonnullis.

[55] *Partus*) In naturali & genuino Partu duo requiruntur quæ ſibi invicem operas mutuas præſtant, nempe *Parturiens mater*, & *Pariendus fœtus*, Qui ambo niſi ad hoc negotium parati fuerint, vix felix ſuccedit Partus, cujus hora idonea cõmunem vtriuſq; maturitatẽ requirit, Nam ſi vel fœtus inquietus & exeundi cupidus, exſtimulando, vimq; vtero inferendo matrem præveneritzaut hęc ob retinendi imbecillitatem (tanquã nauſea vterus laboraret) aut expellendi neceſſitatem aliquam anteverterit, Partus ejuſmodi morboſus potius & ſymptomaticus quam naturalis & criticus æſtimandus eſt, vti etiam cum partes aliquæ conceptus foras eliduntur, dum aliæ adhuc intus hærent, nempe ſi fœtus ad exitum inclinet, necdum abrupta ab vtero placenta, aut è contra, ſoluta placenta, fœtus nondum rite compoſitus, nec vterus ad egreſſum ejus laxatus fuerit.

Ideoque increpandæ ſunt Obſtetrices, temerariæ & πολυπραγμονες, quæ cum parturientes præ dolore ejulare, opemq; efflagitare audiunt, ne τῆς μαιδυτικῆς imperitæ, parumque ſatagentes videantur, manus oleis oblinendo, locaque muliebria diſtendendo, mire tumultuantur, porrectiſque potionibus medicatis facultatem expultricem irritant, atque moræ debitæ impatientes, dum accelerare ac facilitare partum cupiunt, eundemque retardant potius & pervertunt, efficiuntque non naturalem ac difficilem, relictis retro ſecundinis, aut parte aliqua placentæ vtero etiam num adhærente, miseraſque mulierculas aëris injuriis exponunt, inque præſens vitæ diſcrimen deducunt; Melius profecto cum pauperculis res agitur, iiſque quæ furtim gravidæ factæ clanculum pariunt, nullus obſtetricis advocata opera; quanto enim diutius partum retinent & morantur, tanto facilius & felicius rem expediunt. *Harveus Tr. de partu p.m. 365.*

[55] *Partus*) Pariendi opus *Aquapendens* vtero attribuit, *cui muneri famulantur*, inquit, *abdominis muſculi vna cum diaphragmate*: Mihi vero rem penitus intuenti, videtur eum totius corporis motu atque agitatione (quemadmodum in ſternutatione evenit) parturientium nixus fieri, Novi juvenculam, quæ ob ſummum pariendi laborem in animi deliquium incidit, ſtatimque adeo conſternata, ſtupida & comatoſa evaſit, vt nullis remediis excitari potuerit; cum multa fruſtra molitus eſſem, pennam ſternutatorio fortiori illitam in nates indidi, vnde commota (licet ſtupore vſque obruta adeo eſſet, vt ſternutatorio excitari nequiret) totius corporis convulſione quadam tentari cœpit, quæ ab humeris exorſa paulatim per totum corpus ad inferiora pertingebat: quotieſcunque autem hoc ſtimulo vſus ſum, promovebatur partus, tandemque inſcia matre, & in affectu comatoſo adhuc permanente, natus eſt infans ſanus & vegetus: Licetque in aliis etiam animalibus (cane, ove, e.g. & jumentis) obſervare, hunc connexus modum non eſſe vteri aut ſolius ventris actionem, ſed totius quoque corporis conatum.

Quantopere autem *fœtus* accelerando & facilitando partui conferat, in oviparorum præcipue ortu palam fit, conſtat enim Fœtum ipſum, non autem matrem corticem effingere, nec in pennatis ſolum conſpicuum eſt, ſed & in aliis animalibus compluribus, muſcæ enim & papiliones omnes, bombyx, &c. membranulas, in quibus aureliæ deliteſcebant, perforantia. Viperini fœtus ovi continentis tunicam aliquando in vtero parentis, aliquando in ipſo exitu hærentes, aliquando etiam altero tertiove poſt nativitatem die erodunt, vnde orta eſt fabula, viperinos catulos exeſo matris vtero naſci.

Quantum autem adjumenti ad partum, Fœtus adferat, plurimæ obſervationes demonſtrant, Mulier apud nos (compertum narro) ſub veſperam mortua, mane ſequenti inter femora ejus repertus eſt infans, qui proprio niſu exitum ſibi procuraverat, Similia exempla vide apud *Greg. Nymannum*: Novi etiam mulierem quæ à laborioſo partu integrum vaginæ ambitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit; finitoque puerperio, licet gravida denuo fieret, tamen non ſolum orificii pudendi latera juxta nymphas coaleſcerent, ſed totius quoque vaginæ cavitas, vſque ad internum matricis oſculum prorſus connaſceretur, vnde nec virili membro, nec ſpecillo quidem ingreſſus patuit, neque menſtruorum fluxui egreſſus, inſtante pariendi tempore torquebatur miſella miſeris modis. Rebus omnibus deſperatis, ecce inopinato, robuſti admodum fœtus ſummo conamine totus ille tractus diſrumpitur, fitque inſperatus partus, & validus infans, ſibi matrique ſuæ ſalutis author extitit, viamque apertam aliis poſt naſcendis reliquit. Idoneis enim adhibitis remediis mater convaluit. E contrario vero, ſi fœtus morboſus aut languidus fuerit, vel ante debitum tempus in lucem prodierit, non tam partus fit quam abortio, fœtuſque ejicitur potius quam paritur.

Fert tamen *etiam vterus* huic operi auxiliares manus, vt ſequenti exemplo conſtabit. Mulier linteaminum lotura victum quæritans, procidentia vteri diu laboraverat, ejuſq; vagina inter femora propendebat, &c. Tandem capitis humani magnitudinem exceſſit, tumor renitens; cancrum aut carcinoma vteri jam affore metuebam, ideoque ligaturam & abſciſſionem meditabar, Nocte ſequenti ex eodem tumore infans ſpithamæ longitudine, perfecte formatus, ſed mortuus protruditur, &c. *Harvæus Tr. de Partu p.m 369.*

Ad exemplum ab *Harvæo* allatum de muliere in convulſionibus pariente, refer id quod habet *Samuel Ledelius Med. Sept vol.2. pap.104. obſ.35.* Puerpera, *ait*, primipara ſub ipſum partus tempus excruciabatur gravi paroxyſmo epileptico, obſtetrix imperterrita fœtum partui vicinum ſentiens paroxyſmo neglecto ſtrenue munia ſua exequitur, felici terque fœtum extrahit; quo facto ſtatim ſequitur paroxyſmi intermiſſio, lochiorum debita excluſio, firmaque valudo, nec huc vſque vllum hujus mali ſignum apparuit.

[55] *Partu*) De Partu læſo nemo judicabit, qui Partum naturalem non conſideraverit exacte, cum quicquid ab ipſo plus minúſve recedit, pro Partu læſo habendum ſit: Conſideratur autem in Partu naturali tum *Tempus*, tum *Modus* Partus. Tempus humani Partus maxime naturale vſitatumque, finis eſt noni ab vteri geſtatione menſis; adeo vt non raro, vbi de tempore gravidationis fœminæ conſtat, eodem die quo finitur nonus ab impregnatione menſis, obſervatus ſit eveniſſe Partus, nec tantum fœtu exiſtente vivo & vivaci, ſed etiam mortuo. Menſes autem hi non ſunt Lunares, verum Solares, quorum novem hebdomadas ſolent complete novem & triginta, ſive dies 273. cum totidem menſes Lunares hebdomadas contineant ſolum octo & viginti, atque dies 252. adeo vt novem menſes

ſolares

ſolares ſuperent totidem Lunares diebus xxi. hoc eſt tribus hebdomadibus. Quotquot proinde ex Planetis, eorundemque motu, aliquid de Partus tempore naturali determinare præſumant, toto cœlo errant. Aliunde autem nulli homini vnquam conſtitit de naturalis partus humani tempore, quam ab experientia obſervationi multiplici, ac diu in locis mundi variis facta & notata. Longo itaque rerum vſu & obſervatione diutina notatus eſt Partus humanus maxime naturalis factus circa diem impragnationis 273.

Præter nonum menſem omnium medicorum calculo *Septimi* ab impragnatione menſis extremum pro naturali tempore pariendi habetur; & quotidiana conſtat experientia, fœtus ſeptimeſtres prodire & vivos & vitales, imo integras eſſe familias in quibus omnes liberi ſunt ſeptimeſtres: Ante ſeptimi menſis finem nonnullos quidem vidi vivos, nullos vero vitales, Ultra nonum menſem plures obſervati tum vivi tum vitales editi.

Celebris vero eſt de octimeſtri Partu controverſia; Qui obſervant Fœtum vitalem octimeſtrem, matribus perſuadent non rite initas fuiſſe ipſarum rationes, at ſicut non nego falli ſubinde fœminas operi generationis minus attentas, ita non poſſum admittere illud evenire accuratis mutationum ſibi evenientium notatricibus, quæ facile obſervare poſſunt, quando virile ſemen admittunt, quando emittunt; quod ſi non emittant, de impragnatione tum facta prius ſuſpicari, tandem perſuaderi matres oportet.

Nec tantum experientia indubitata conſtat, plures occurrere partus humanos octimeſtres naturales, quin ratio idem ſuadet; Si quis enim hominem cum rebus naturalibus aliis contulerit, obſervabit e. g. in plantarum fructibus etiam eodem tempore, in eadem planta vel arbore hærentibus, alios citius, alios ſegnius matureſcere, adeoq; ſibi relictos decidere: Sic etiam fœtus humanus alias citius, alias ſegnius ad ſuam perfectionem pertingit, vnde etiam ſubinde ſolito tempore citius, tardius ad exitum properat; Diverſitatis hujus ratio pendet à fœtus robore majore vel minore, vti hoc debetur præſertim conſtitutioni matris diverſæ, quæ pendet partim à diſpoſitione ejus naturali, partim ab aëris conſtitutione, partim ab alimentorum diverſitate, dum alias ſucci optimi vſurpantur alimenta, alias alia, alias aromaticis condita, &c. ab his inquam cauſis pluribus vel paucioribus, potentioribus vel debilioribus pendet fœtus citior ſegniorve in vtero materno perfectio, adeoque ejuſdem ad partum acceleratio vel retardatio: Prodit autem fœtus ſeptimeſtris, tum quando exiſtit ſolito robuſtior, tum cum idem ſolito major, tum quando vterus explicationem ampliorem ferre nequit; tum ſi aëris ſummus æſtus citius exſiccat commiſſuras placentæ atque vteri, vnde facilior fit vtriuſque partis ſeceſſus; vel aliud quod accidit, quod idem efficiat. Quod ſi cauſæ ſimiles, ac leviores locum habuerint, tum non quidem ſeptimo, aſt octavo demum menſe accidet Partus,

Atque hæc de Partus humani tempore, quoad *modum* quo fieri debet ac ſolet partus naturalis, hæc obſervanda. *Modus* maxime naturalis quo prodit in lucem fœtus, eſt quando is capite prono exitum quærit ac invenit, ſubſequentibus ſcapulis, mox reliquo corpore, Huic valde affinis eſt, quando idem fœtus vtraque manu prodit, ſubſequente capite hinc & corpore: Modus quoque naturalis cenſetur cum vtroque pede prodit, ſubſequentibus cruribus, hinc abdomine, mox pectore, tandem capite: Multis autem modis peccare poteſt in ſui exitu, exituſque modo Fœtus, 1. quidem cum altervtra manus ſola prodit, capite averſo, vnde nulla tunc ſpes ſupereſt partus felicis ac vitalis, ni retrorſum tracta preſſave manu. 2. Cum ſimiliter alteruter pes ſolus prodit, altero in vtero hærente, ac corporis reliqui exitum impediente. 3. Quando complicatum corpus per nates prodit. 4. cum contra ventre prono retrorſum inflexum corpus ſe orificio vteri ſiſtit. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 7*

Partus figura, & ſitus præterea depravatur quandoque ab *infantis debilitate*, *vteri amplitudine*, & *inquietudine matris*, dum hæc inter parturiendum, ſæviente cruciatu, nullibi quieſcens nec obtemperans, ſeſe hinc inde jactitat, fœtus enim tunc non conſiſtit, ſed huc illuc adigitur. *Joh. de Muralto Med. Sept. vol. 2. p. 104.*

30. *Partus vel non naturaliter procedens, vel difficilis*) Quatuor primarias ſpecies partus læſi conſtituemus, *Abortum* ſive Partum haud vitalem. *Partum citius contingentem*, qui vitalis eſſe poteſt; *Partum ſerius obvenientem*, qui quoque vitalis eſſe poteſt, ac *Partum nullum*, cum fœtus interitu ſemper copulatum. Ad *Abortum* revocamus omnem fœtus excluſionem, ante ſeptimi poſt impragnationem menſis finem factam nunquam quod obſervaverim vitalem. Ad Partum anticipantem revocamus ſeptimeſtrem & octimeſtrem, quorum vterque poteſt eſſe vitalis, quia fœtus illis temporibus prodeuntes, donec noni menſis finem attigerint, ni ægrotaverint, poſt ſumptum alimentum dormire ſolent: at conſtituto naturali pariendi tempore finito, ſubinde per horas aliquot vigilari ſolent, & alternatim dormire: Cui accidit quod ante noni menſis finem vngues ſuam perfectionem non habeant fœtu humano: ex quibus ſignis indicium fieri ſolet de fœtu naturæ aut præmature excluſo: Cauſas *anticipationis* partus. Vide §. a) *Serius contingentis* cauſam cenſemus eſſe plurimum, quoties robuſtus prodit tunc Fœtus, mœrorem non tamen extremum, & graviſſimum, ſollicitudinemve matres ſatis robuſtas geſtationis tempore exercentem, ob quem informatus fœtus ſerius ad perfectionem deductus eſt, ſeriuſque ad exitum properavit, & tunc demum poſtquam vires matris mœrore fractas iterum recuperavit. Si vero debilis prodit fœtus, tunc aut corporis affectu gravi afflictæ fuerunt geſtationis tempore matres, aut ſuſtinuerunt eædem noxam notabilem ex rebus non naturalibus plurimum à mediocritate recedentibus: potu à gravi mœrore, terrore magno, ita enormi vel frequenti, alimentis vitioſis, aëris conſtitutione noxia ejuſve mutatione multiplici, vigiliis perſeverantibus, corporis defatigatione, hæmorrhagia qualicunque inſigni, alvi fluxu diuturno aliiſve diætæ vitiis, vnde non ſequitur quidam abortus, verum debilitatur fœtus, qui proinde ſegnius ad perfectionem deductus, tardius quoque ad exitum properat. *Partus* denique *Deficientis* cauſæ ſunt vel in fœtu vel in matre: In *fœtu* cum is aut extreme debilis exiſtit, aut mortuus; quod neuter conatum adhibeat; Sed *matrum* imprimis culpa deficere ſolet Partus, cum 1. valde ſunt *debiles*, quoad vires vitales aut animales vitales pulſu dignoſcuntur parvo, Animales: ſenſibus externis languidis motuſque animalis impotentia, & inprimis abdominis compreſſione qualicunque per diaphragma proprioſque muſculos perficienda, ſed tunc languente aut deficiente: Deficiunt illæ vires matris ob affectus alios ipſas exhaurientes aut opprimentes. *Exhauriunt* Febres ardentes aut graves; Tuſſes diuturnæ, vigiliæ, dolores, ſollicitudines, nimia corporis exercitia vel opera, evacuationes omnes. *Opprimunt* vires plethora ſumma, aquæ Aſciticorum, hydropis thoracis, flatus anhelationem

parientes, aut ventrem diſtendentes in Tympanitide, ſanguis aut pituita apoplexiam patiens, 2. Non ſuccedit matrum culpa partus cum *via* ad excludendum partum ſunt ineptæ: Si oſſa pubis & coccygis ob ætatem provectiorem minus ſunt mobilia; Si excreſcentiæ fuerint oſſeæ in fœtus viis protuberantes. Si coaluerit, ex parte ſaltem vagina vteri; Si Herniam contraxerit vterus, cujus vide exemplum apud *Sennertum*: Non ſuccedit. 3. *Matris* culpa Partus, ſi ipſa in medio partu moritur, vnde perraro ſponte gignitur infans, quin plerumque chirurgiæ duntaxat ope, abdominiſque materni apertione educitur, Non ſuccedit quoque Partus, cum fœtus altero tantum crure, manuve, aut etiam ventre prodit medio, nec mutari poteſt iſte ſitus, ob obſtetricum inſcitiam imperitiamve, vel obſtinatum fœtus talem. Inſcitia eſt obſtetricum cum ignorant fruſtra iſto ſitu expectari fœtus productionem. Imperitia, cum neſciunt introrſum repellere manum pedemve vitioſè prodeuntem, Obſtinatus eſt Fœtus motus, quando graviter affectus & anxius exitum quærit & vrget, quem cœpit perverſum. Angitur fœtus doloribus, vel impedita reſpiratione, & quandoque motibus epilepticis, vnde libere moveri nequit per vterum, quin potius hæret in vitioſo partium ſuarum ſitu: Etſi autem nemo forſan determinare poſſit cur ſitum naturalem in partu mutat fœtus, Exiſtimo tamen capite prono exitum quærere fœtum omnibus modis ſanum, quia ſitus hic eſt maxime naturalis, atque ad partum felicem tum matri tum fœtui præſtandum maxime aptus: Ubi namque ſanus vegetuſque exiſtit Fœtus, licet blande in vtero corpus moveat, non tamen videtur compoſita in orbem membra prius extendere aut expandere quam feſtinet ad exitum, quo tempore, arbitror fœtum quaſi exerto ad hiantem paulatim apertumque vterum capite exitum eo ipſo quærere, quo reſpiret, atque ad motum illum exitumque facilitandum crura pedeſque ita extendere, vt ipſorum plantis preſſo vtero partes ſuas ſuperiores facilius propellat expellat, exprimatque: Quod ſi affectu aliquo moleſto, ac imprimis doloribus laboret fœtus, præſertim partu inſtante, tunc exiſtimo eundem artus omnes nunc quaquaverſum, (vti omnes dolentes ſolemus) explicare, nunc eoſdem miris ac diverſis modis contorquere aut complicare, atque eo ipſo ſitum ſuum naturalem ita immutare vt raro ad eundem partes omnes reducat, quin ſemper aliquæ quodammodo perverſum ſervent; vnde moleſtiores ſolent matribus eſſe tunc Fœtum motus & agitationes, quin caſu tantum *w.* hominum reſpectu fortuito videtur tunc Partus ſequi naturalis quoad partium ſitum. Sed non raro ob talem artuum explicationem præpoſteram, vel potius præmaturam, alia præter caput pars ſe vteri orificio offert, quæ partum efficit nunc difficiliorem, nunc Matri aut Fœtui ſaltem periculoſum, & aliquando lethalem: Cur autem hæc potius quam illa pars, pes quam manus ſe offerat, fateor id me caſui tantum ac fortunæ, quoad nos, adſcribere, &c.

Auxilia autem proponenda quorum ope Partus ad conſtitutum à Deo tempus, terminumque maxime legitimum, quantum arte Medica fieri poteſt, deduci queat. Hoc vt rite fiat conſiderandæ cauſæ quæ Partum præcipitant, retardant, vt in tempore illis occurratur; Nam quoties præceſſerunt aliquandiu in matre aut fœtu, cauſæ partum, exempli gratia, præmaturum productura fruſtra expectatur earum correctio aut ſublatio, donec vrgeant Partus dolores, qui admodum raro patiuntur ſe ita diminui vel tolli vt ad ordinarium pariendi tempus pergat Uteri geſtatio. Quod ſi ſubinde poſſit præcipitatus ac præmaturus partus ſiſti remediis parturienti adminiſtratis, vix vnquam poterit tamen commode partus ſerius venturus naturali tempore concitari: nam ſi fœtus, exempli gratia, ob matris propriumque affectum præcedentem factus debilior ad perfectionem deſideratam non devenerit adhuc tempore partus naturali adventante, nonniſi cum ejuſdem fœtus, & ſubinde matris quoque periculo tentabitur Partus excitatio artificialis. Quiſquis proinde voluerit fœminam tempore maxime naturali parere, is operam ſimul dabit vt 1. *Præveniantur omnia quæ eundem poſſunt præcipitare aut retardare*: 2. vt *ſi quædam præcipitis tardiorisve partus cauſæ locum habuerint, eadem in tempore corrigantur tollanturve 1.* In ſpecie danda opera vt Gravidæ vtantur *aere* ſereno & temperato 2. *Alimentis* fruantur optimis probe paratis, quantitate mediocri, tempore convenienti. 3. *Somno* vigiliiſque indulgeant moderatis. 4. Corpus *moveant* commode omnemque vitent agitationem fortem, vt & torporem ac ſegnitiem. 5. quantum licet vivant *hilariter*, atque ab omni animi affectu liberæ. 6. *Alvum* ſervent laxam, *Urinam* reddant pro aſſumpto potu ſufficientem: nullum patiantur *ſanguinis effluxum* notabilem. Quoties vero aut neceſſario aut fortuito aliquod à prægnante commiſſum eſt in Diæta erratum, toties curandum vt id corrigatur in tempore. Quo citius ergo illud erratum notatur, illique ſuccurritur, eo citius quoque, faciliuſque emendatur, quo ſegnius, eo difficilius ſuccurritur.

Jam ordine mala ex dictis rebus non naturalibus oriunda perperam vſurpati, orta perſequamur. Quoties autem Robuſtus fœtus ſolito citius prodit, tum ratione ſui roboris, tum magnitudinis auctæ, toties nullo remedio impediendus retardanduſve Partus, quin potius obſervandus: Fœtus robur patet 1. ex ſtatu gravidæ optimo, & ſano: nunquam enim fœtu languente obſervabitur bene habere mater; etſi fieri poſſit vt mater debilis aut ægra fœtum geſtet ſatis robuſtum. 2. Ex motu ejuſdem mediocri & blando, quoties enim languet, minus is movetur, quoties dolet angiturve, nimium movetur & inordinate, Fœtum ſolito majorem ſuadet Gravidæ vterus ac venter ſolito magis explicatus expanſuſve; etſi non raro id fiat à gemino fœtu, nunc à placenta grandiore, aut multis humoribus plena; nunc ab aqua copioſiore fœtum ambiente; ſed hic conjectura opus eſt. Omnia vero tunc recte fieri, etiam vbi ſolito citius excitantur Partus dolores, judicabit præter dicta Medicus ſi mater fuerit ſana vegetaque; ſi in vlla re non naturali deliquerit, aut eadem fortuito fuerit turbata, vnde tantum abeſt vt inde turbetur Medicus, vt contra jubeat parturientem bono eſſe animo ac præſente. Quod ſi ne ſic quidem turbatum parturientis animum ſedare poſſit; aut leve aliquod in diæta commiſſum erratum, animus puta quovis animi affectu conturbatus eſt vnde paulo poſt partus dolores ipſam occuparunt, operæ pretium eſt ſi venam amplius ſecare non liceat, medicamentum præſcribatur, ſimul *aromaticum* & opiatum, cujus ope ad tranquillitatem redigantur agitati ſpiritus, temperetur excitata inde humorum acrimonia,

ſedentur-

ſedenturque dolores partum mentientes: ſic enim, ſi ſalſi fuerint dolores, iſtæ brevi ſedabuntur & tollentur partus conatus, ſin veri & partum teſtantes inſtantem, promovebitur idem feliciter, quod imprimis optandum in caſu tam dubio & ancipiti.

Quoties autem ex cauſis Partum præter naturales *Citiorem* producturis locum habuit 1. *Aeris* æſtus magnus, commiſſurus uteri & placentæ ſolito citius exſiccaturus, ſicque partum præcipitaturus, toties variis remediis tum Aëris æſtus ulterior præcavebitur aut temperabitur; tum notatarum commiſſurarum exſiccatio prævenietur: Aëris æſtus præcavebitur, illum vitando, & recipiendo ſe in locum ab eo liberum: Temperabitur aſperſione pavimenti facta cum aqua frigida; plantis aqueis &c. *Commiſſurarum uteri & placentæ* exſiccatio prævenietur aſſumptione Liquorum æſtum omnem blande compeſcentium, corpuſque humectantium; quo ſpectant Aquæ ex plantis aqueis & acidis elicitæ, acetoſa, plantagine, portulaca, ſempervivo majore flor. roſarum, borraginis &c. cum ſyrupis ex iiſdem paratis, ſæpius quantitate parva uſurpatis; additis quantitate conveniente ſpiritibus, ſucciſve acidis: Valent & Emulſiones blandiores, ex hordeo præſertim paratæ, & juſcula incoctis dictis herbis, aut additis ſuccis acidis: Hæc ſi uſurpentur paulo poſt perpeſſum aëris æſtum, prævenientur ſæpe Partus, citius alius eventuri: Sed & eadem Commiſſurarum exſiccatio Externis præcavenda, Fotibus Balneiſve humectantibus prudenter adminiſtratis, ne plus noceant quam proſint; Oleis, Vnguentis emollientibus & laxantibus abdominis regioni inferiori illitis: Emolliunt rad. althææ, liliorum alb. &c. fol. alth. malvæ, verbaſci &c. ſemina lini, fœnugr. &c. ex quibus & aqua pluviali parari poſſunt Fotus & Balnea: Olea emoll. & laxantia ſunt, liliorum alb. mucagin. Vnguent. de alth. ſimpl. de mucaginibus, pinguedo hum. ij. Si *Alimenta* uſurpata ſunt nimis aromatica, Potuſve valde ſpirituoſus, unde immineat citius Partus, primo removeantur ſimilia alimenta, 2. Vſurpentur glutinoſiora, piſces, extrema juniorum animalium: *Potus* hauriatur aquoſus magis, cereviſia tenuis, vinum rubellum oligophorum: aſſumantur Emulſiones hordei, amygdal. dulc. iij. Si *vigiliis* indulſerunt gravidæ, ſomno utantur diuturno, uſurpatis iis quæ quorumvis humorum, bilis præſertim acrimoniam ob vigilias auctam temperent; Si nimium 4. *agitatum* fuerit corpus, non tantum quiete opus, ſed & modo notata humorum acrimonia dictis medicamentis eſt corrigenda; Fœtus quoque illa corporis agitatione commotus ad tranquillitatem deducendus ope Opiatarum, quibus matris quoque humores peccantes temperabuntur & ad quietem deducentur. Si V. vehementi *Animi affectu* percellitur gravida, ac metus ſit ne citius properet ad partum, 1. mox vena ſecabitur in brachio, ſi ſit præſertim plethorica; parva quantitate educendo ſanguinem, ſi per vires licet; alias commodum eſt exhibere hauſtum potus ordinarii, imprimis vini. 2. Conturbati in toto humores & ſpiritus compeſcentur per anodyna & opiata prudenter uſurpata, additis pro affectus diverſitate, nunc aromaticis, nunc acidiuſculis. 3. Si qui affectus alii, Alvi fluxus, v.g. ſuffocatio hypochondriaca conſequantur, remedia ſingulis debita in tempore uſurpabuntur, talia quæ fœtui nocere nequeant: 6. Si nimium Gravidæ laxetur *Alvus*, uſurpando quæ omni alvi fluxui compeſcendo conducunt Opiata, præſertim Diaſcordium *Fracaſt.* præter alia ſimul blande adſtringentia: A
movendæ præterea cauſæ externæ, exempli gratia eſus fructuum &c.

Si continua fuerit ad *Vrinam reddendam* irritatio undecunque facta, ab humore ſalſo puta ad veſicam delato, vel à veſicæ calculo, ulcereve, cum propter illam irritationem continuam parturiendi conatus ſimul excitentur, ideoque metus ſit ne Partus ſolito citius eveniat, quantum licet irritatio illa ſedanda; Et *ſalſus* quidem *humor* urinæ junctus temperabitur commode Emulſionibus, aliquando ſpiritu ſalis Armoniaci ad paucas guttas ex vino ſubinde uſurpato, poſtquam ſalſedo tunc peccans muriatica eſt, adeoque huic Sali volatili ſatis feliciter cedens: ſed pauca detur copia ne fluxum menſtruorum excitet, hinc partum: *Calculus in veſica* indicat remedia dolorem ac irritationem ſedantia, ſenſumque obtundentia, anodyna, imo Opiata: *Vlcus in veſicæ orificio*, præter dicta indicat ulcus mundantia & conſolidantia: Eximius eſt Balſamus ſulphuris; præſertim ſuccinatus, hoc eſt cum ſuccini oleo paratus.

Si *Hæmorrhagia* qualiſcunque notabilis, vel per nares, vel per uterum, aut veſicam quoque Gravidis obveniat, ſiſtatur, atque novæ omnis anſa præcidatur, fœtuſque roboretur, Siſtetur feliciſſime ſanguine draconis & lapide hæmatite ſubtiliſſime contritis, cum aqua plantaginis, cinnamomi, &c. miſtis, addito pauco aceto ſtillatitio, quo tantillum diluantur & facilius ad locum affectum deducantur: Huic medicamento addi poteſt aliquod Opiatum, laudanum puta, vel diaſcordium &c. cum tantillo ſyrupi convenientis, myrtini, portulacæ &c. Vſurpatur enim hoc medicamentum ad conſolidationem vaſis quovis modo aperti: Quod ſi vehemens fuerit ſanguinis effluxus, poterit vena in brachio ſecari: quin ubi æſtus in corpore ac ſangnine magnus deprehenditur, uſurpari poterit Apozema refrigerans; ſanguinis fervorem compeſcens, præſertim ex plantagine & ſempervivo majore. Si ab humorum acrimonia volatili acidaque aperta fuerint vaſa, non tantum abſtinendum à ſimilium uſu, ſed & uſurpanda acrimoniam notatam obtundentia, præſertim hordei, amygdalarum dulc. ſemin. papav. albi emulſiones, addito nonnunquam laudano Opiato, quæ conducunt imprimis ſi cum urinis è renibus profluat ſanguis: Sin ab æſtu aëris; motu, alimentis aromaticis, potu generoſo fluidior fuerit factus ſanguis, ab uſu ulteriore cavendum erit: Fœtus à præcedenti ſanguinis effluxu debilis roborabitur aromaticis quidem, ſed minus acribus, aut per alia conjuncta temperatis: Præ multis convenit confectio hyacinthorum, ut & coralia, margaritæ ac ſimilia in Tincturas redacta, ad paucas guttas ex vino adſtringente data.

Jam porro videndum, *Qui poſſit tardius expectandus Partus arte ac tuto accelerari?* Si ob Gravidæ triſtitiam continuatam metus eſt ut fœtus etiam robuſtus ſegnius perficiatur in utero, ſegniuſque exitum quærat, quod ex ipſius motu obſcuriore ac debiliore conjectabit Medicus, medicamentis & humores auſteros corrigentibus & animum recreantibus conetur partum procraſtinantem promovere; per uſum ſalium volatilium; imprimis Salis Armoniaci ſpiritu: Huc ſpectant omnia aromatica multum ſpirituoſa, vel cum ſpirituoſis præparata; quæ novi per experientiam plurimum fuere inter omnia medicamenta materialia ad animum triſtem recreandum, corpuſque tam continens quam contentum à mœrore male affectum emendandum; Quoties vero à graviore cauſa, durante uteri geſtatione in affectum ſatis gravem

conjecta eſt Gravida, unde licet paulatim reſtituatur ipſa, metus tamen ſit, ne ideo tum ſegnius ad exitum properet fœtus, tum idem prodeat debilior: majori cura allaborandum eſt, ut Gravidæ & Fœtus affectus in tempore curetur; ac utriuſque infirmitas ſuperetur: Affectus qualeſcunque tunc à mœrore ſummo in matre producantur, ſive fuerit *appetitus proſtratus*, *Cordis anxietas vel palpitatio &* quandoque *Epilepſia*, *dolor Colicus aliave ventris tormina &c.* ſemper conducent ſalia volatilia, quippe quæ apprime corrigunt humores à mœrore ſummo corruptos, modo quantitate parvâ uſurpentur. Cavendum autem à medicamentis vehementioribus præſertim *vacuantibus*, quippe quæ non tantum non conveniunt prægnantibus, ſed ne quidem affectibus à mœrore productis, quâ talibus, exceptis Sudorificis, quæ, præſertim aromatica, & volatili ſale prædita, plurimum proſunt in talibus affectibus: *Infirmitas matris & fœtus* ſenſim ſuperabitur continuato aliquandiu aromaticorum, ſed blandiorum, uſu, quorum ope humores tum primario, tum ſecundario à dictis cauſis læſi paulatim reſtituuntur, melancholici puta & bilioſi, à quibus cum functiones naturales plurimum pendeant, ab iiſdem rite conſtitutis ſanitatem quoque primario pendere quivis videt: Hic conveniunt & aromatica, & ſpirituoſa, à quibus animales ſpiritus, ab affectibus gravibus conſumi ſoliti cum reparentur, merito commendantur, Sed communiſſime junguntur aromatica ſpirituoſis, & ita quidem ut aqueis additis temperentur utraque, commodiuſque aſſumantur: *Merito aromatica & ſpirituoſa commendo ad vires matris & fœtus à mœrore fractas reparandas, quia hominis robur in functionum naturalium animaliumque integritate conſiſtit: Sicut autem functiones naturales bili, ſuccoque melancholico, ſive Acido, præſertim debentur, ita functiones animales à ſpiritibus animalibus pendent.* Nec mœror ſolum prægnanti noxius eſt, ſed aliis quoque animi pathematis vehementioribus, ira, terrore, ut & cæteris Diætæ vitiis graves affectus in gravidis produci poſſunt, hinc & in fœtu, ſimilem infirmitatem conſequentem habentes, ac itidem partum retardantes, In quorum omnium curatione utriuſque ratio habenda eſt, ſemper attendendo ad ipſum affectum matris præcedentem, Cauſamque ipſius externam, ſecundum ipſa variando medicamenta. *Franc. Sylvius Pr. lib. 3. cap. 7.*

Si *Fœtus* extreme *debilis*, cauſa ſit Deficientis partus, is multum aromaticis & ſpirituoſis matri per intervalla exhibitis roborandus: Hinc conducunt variæ Aquæ ex vini Spiritu & aromatibus ſimul junctis deſtillatæ, ut & olea ſtillatitia aromatica, quin ex utriſque prudenter & arte unitis parata vitæ Elixiria & Balſama dicta, tunc enim longe plus præſtant.

Si deficientis Partus cauſa fuerit *Fœtus mortuus* (*quod Imprimis ex ſummo frigore citra febrem Gravidam corripiente, atque per univerſum corpus diſtributo, hocque conſequente fœtus motu abolito, nec amplius obſervabili, una cum ejuſdem pondere gravativo in abdominis fundo percepto conſtabit*) licebit ſecurius exhibere medicamenta potenter ipſum expellentia, Rad. ariſtol. utr. ac præſertim cyclaminis, dictamni albi, gentianæ, &c. Foliorum Sabinæ, pulegii, tamariſci, &c. Flor. Cheiri, crocum, Boracem, myrrham, caſtoreum, aſam fœtid. &c. Ex quibus pulveres, pilulæ, decocta, electuar. olea &c. parantur & parturientibus exhibentur &c. Exempli gratia.

℞. *Myrrha rubr.* ℈j. *croci optim.* ℈ß. *Boracis, venet.* ʒß. *cinnamom. acuti gr.* viij. m. f. Pulvis dividendus in duas doſes, ex idonea mixtura; aut vini cochleari interpolatis unius horæ aut circiter vicibus ſumendas. Quod ſi nec ſic quidem promoveatur Partus, quoties licet, manuum inſtrumentorumve opera educendus Fœtus, dummodo conſtet eſſe mortuum: Dixi *quoties licet*, niſi enim pateat uteri orificium, fruſtra tentatur manuum, ne dicam inſtrumentorum, opera fœtus eductio: Cavendum enim ne Obſtetrix temeraria feſtinanſve ad mulieres alias gravidas in partus labore verſantes urgeat ſubinde prægnantem, nec dum in partus conatibus poſitam, ut ad pariendum ſe componat, intruſis ſæpenumero in uteri orificium, non tantum externum, ſed internum quoque digitis, quo fœtui viam præparet paretque, quod periculoſum, antequam internum orificium pateat, quoniam ipſum facillime patitur id unguibus, quod nonniſi ſummo fit cum dolore ob ſenſum partis acutum: At longe periculoſius eſt quovis inſtrumento, ipſoque matricis ſpeculo nimium feſtinare in colli interni explicatione: Licet autem dictis mediis partum promovere, quoties per ſe ſatis patet uterus, adſuntque pariendi conatus veri, dummodo Fœtus ſit mortuus. Conſtat autem mortuum præter prædicta ſigna, ex fœtore poſt ruptas ſecundas una cum aquis prodeunte, qui quo gravior, eo certius mortui fœtus ſignum præbebit: Conſtat idem ex frigore ac mollitie cadaveroſis partium fœtus, vel uteri orificio appoſitarum, & obſtetricis manu digitiſve exploratarum, vel per idem orificium prodeuntium, & idcirco facilius contrectatatum: Conjectatur idem ex motu omni deficiente in fœtu adhuc calente, unde ſuſpicio eſt nuper obiiſſe: Quo autem plura ex prædictis concurrunt ſigna, eo citius de Fœtus obitu decernet obſtetrix: Vbi proinde ſatis ſuperque conſtat de Fœtus obitu, non dubitabit Obſtetrix, quamvis Fœtus partem occurrentem (quantum id parturiens, commode ferre poteſt) manu prehendere atque allicere; at ſi reliquum corpus haud ſequatur, aut ſequi non poſſit, amputare, atque ſic fœtus molem paulatim minuere, donec tandem omnes partes habuerit cum ſecundis.

Jam explicandum quomodo *Matris culpa* deficiens Partus curari debeat: Cum Parturientes valde ſunt debiles ratione virium vitalium & animalium, ideoque ad pariendum impotentes, ſive ipſarum vires fuerint exhauſtæ, ſive oppreſſæ, tunc danda opera, ut *oppreſſæ* vires liberentur expediantur ve, *exhauſtæ* autem reficiantur: Exhauſtæ vires vitales à *febribus ardentibus* præſentibus indicant quævis æſtum febrilem temperantia, ſed benigniora, attamen additis quibuſdam aromaticis, ſed blandioribus, aqua cinnamomi ſine vino parata, Certe ſi unquam hic Medicum maxima tenet ſollicitudo, quia non promovetur partus niſi aromaticis, calorem producere ſolitis, quæ tamen non fert æſtus febrilis, quocirca temperari debent ſimul, ita ut matri robur afferant & ardorem febrilem minuant; Vires Parturientium *exhauſta* vitales, propter dolores, vigilias, ſolicitudines, vacuationes nimias &c. ſui reparationem indicant per aromatica & ſpirituoſa, ſed blanda & grata, hoc eſt ita temperata, ut nullam notabilem in corpore mutationem producere poſſint, Temperatiora reddantur addendo aquea & ſubacida; ab aqueis enim diluuntur & infringuntur quodammodo, à ſubacidis vero quę minuunt illorum calorem „ ſed mitius quam acida; Quoniam igitur effectus

iſtorum

" iſtorum omnium comites habent in nobis calo-" rem aut frigus, à quorum cauſis: Salſo puta & " Acido, cum maximæ adeoque graviſſimæ ac peri-" culoſiſſimæ mutationes pendeant, bonum eſt in-" noteſcere nobis per qualitates iſtas ſenſibus & " manifeſtas, & ſæpe moleſtas humores corporis " deſtructionem tam ſæpe molientes, quo illis ſuccurratur: *Oppreſſæ* Parturientium vires vitales ob plethoram, in tempore ſanguinis eductione per venam in brachio alterutro apertam curari debuerunt & liberari: quod ſi hoc fuerit neglectum, nil obſtat obſtante partu in manu levem inſtituere ſanguinis miſſionem, non item in brachio, cum iſta minus alteret, minus debilitet quam hæc: Quin ſcarificatione in aſſuetis educi poterit ſanguis, Spes tamen eſt Lochiorum vacuatione copioſa liberari poſſe vires vitales prius oppreſſas: quod ſi ſatis non fluant Lochia, nil impedit poſt partum ſaltem ſanguinem è pede vacuari.

Oppreſſæ Parturientium vires ab *Hydropis* Aſcitis aquis, abdomen ipſarum occupantibus, liberantur aliquando in Partu, effluente ſimul magna vi aquarum per uterum, aliquando poſt Partum una cum lochiis, quamvis affectus talis valde ſit periculoſus, ac imprimis quando aliquandiu duravit Aſcites, atque viſcera cœpit corrumpere aqua in ventre collecta. *Thoracis hydrops* ſicuti haud facile cognoſcitur, ita curatio vere rationalis difficulter ipſi poteſt adaptari.

Oppreſſæ Parturientium vires à *Flatibus* inteſtina, hinc & abdomen diſtendentibus, liberabuntur cito, injecto quamprimum enemate carminante, E. g.

℞. *Radic. angelicæ* ʒj. *alth.* unc. ß. *fol. pulegij, majoranæ, ana. m* j. *flor chamom. Rom. m.* ß. *coqu. in aqua, In colat.* unc. viij. *diſſolve bened. lax.* unc. ß. *olei rutacei* unc. ij. *miſce.* Si ab uno Enemate non ſatis diſcutiantur Flatus; iniici poteſt & alterum, & aliquando tertium, prout materia flatuum copioſior eſt aut tenacior, pituita pura glutinoſa.

Si vires oppreſſæ à *Flatibus ad interiora pectoris* pulmoneſque penetrantibus, liberabuntur uſurpatione aromaticorum, ſed flatus ſimul potenter diſcutientium, quorum ope flatus, tum in ortu ſuo nonnunquam diſcutientur tum in quavis corporis parte hærentes incidentur diſſipabunturque: habent namque opus inciſione, ac conſequenter diſcuſſione non minus flatus quam ipſorum materia, Pituita, ex qua prout magis vel minus eſt viſcoſa & glutinoſa, producuntur flatus plus vel minus tenaces ac pertinaces, quorum viſcoſitas patet etiam in eorundem excretione, quæ ſubinde vix accidere poteſt, adhærentibus ubivis in ſuo exitu flatibus ob ſuam glutinoſitatem: Si quando oppreſſæ ſint vires à Flatibus in *Tympanitide* non tantum inteſtina, ſed ipſam ventris cavitatem implentibus, tunc opus fuiſſet in tempore dictis Enematis eoſdem per alvum elicere, atque balneo ſicco ex abdominis cavitate per corporis ſuperficiem & poros expellere, uſurpatis ſimul diaphoreticis, ſed incidentibus & carminantibus, quo flatus potenter aggrediantur atque foras propellant; Vbi autem hæc omnia nil efficiunt, atque ne ſic quoque ſuperari poſſunt flatus, tunc commodum foret Acu argentea cava ipſum perforare abdomen uſque ad ejus cavitatem à peritonæo formatam, & iſto inſtrumento cavo viam iſtis parare flatibus, aut alio inſtrumento magis apto eoſdem allicere & extrahere.

Deficiente *Matris* culpa Partu, propter *Pubis & coccygis oſſa* ætatis provectioris cauſa minus mobilia, bonum eſt eadem fotu emolliente ſenſim remolliri, quod duabus tribuſve ante Partus tempus ſeptimanis utiliſſime perficitur: Sic enim cartilagines oſſa dicta connectentes paulatim fiunt molliores, hinc & oſſium notatorum diductio & abductio facilior, nam non abſcedunt ab invicem, verum explicantur tantillum, & ita quidem ut fœtui pateat exitus facilior: Hinc proderit vapor ex decoctis herbis emollientibus aſſurgens, atque in ſella perforata per plures ante partum dies exceptus. E. g.

℞. *Rad. althææ* unc. j. *folior. ejuſdem, malvæ ana. m.* iß. *ſummit. melilot. m.* j. *ſemin. fœnugr. lini ana.* ʒiij. *conciſa & craſſe contuſa coqu. ex aqua & per horæ quadrantem ad cubitum itura excipiatur vapor aſcendens*, idque toties repetatur, donec vis expleta ſit plantarum decoctarum, recentes ſubſtituendo: Tales Fotus non tantum laudatum afferunt commodum, verum poſt ipſarum uſum non tam facile poſt partum claudicant puerperæ, quia vi minori explicantur dicta oſſa, ideo facilius ad ſtatum ſuum priorem redeunt emollitæ cartilagines, quæ duriores relictæ, ac vi diductæ, & quodammodo avulſæ ab oſſibus rarius ad priſtinum redeunt ſtatum, quin oſſium compagem relinquunt laxiorem, & ad plus minuſve claudicandum proclives fœminas.

Cum *Oſſeæ Excreſcentiæ* aut *protuberantiæ* in ſinu muliebri viam præcludunt fœtui, adeo ut nonniſi mortuus elici queat, tunc ſi poſſibile tollendæ ipſæ, ut via pateat ipſi ſufficiens.

Quoties poſt Partum difficilem, aliamve cauſam, ex parte *evolvit uteri vagina*, ſive collum externum, unde via præcluditur fœtui exituro, toties ſolvendus iſte in tempore coalitus, & cicatrice levi obducendus, viaque ſic fœtui paranda conveniens & ſatis patens.

Si ob *Herniam uteri* patere non poſſunt fœminæ, tunc ad extremum recurrendum remedium, *Partum Cæſareum*, abdomen, ubi hernia eſt incidendo, hinc uterum quoque aperiendo, ac ſic fœtum educendo, Vide apertionis exemplum apud *Sennertum*.

Quoties ob matris obitum, durante Partu, contingentem deficit Partus, toties quamprimum de illius obitu certo conſtat, ex conſanguineorum conſenſu, ac magiſtratus authoritate licet aperire defunctæ abdomen, mox & vterus extrahenduſque Fœtus. Magna quidem felicitas eſt, ſi quando vi propria ex defunctæ matris utero exitum inveniat Fœtus, qui plerumque ibi relictus, nec in tempore extractus, ſepulchrum invenit ubi vitam acceperat.

Si non ſuccedit Partus ob *alterum fœtus pedem* manumve exitum ſeorſim quærentem, ipſumve ventrem uteri orificio ſeſe applicantem, Opus eſt ut obſtetrix prudens digitis lente ad uteri ſinum immiſſis tum partes iſtas exeuntes, exitumque quærentes retropellat, quia blande ipſum fœtum contorqueat, ejuſque motum perverſum ita invertat, ut tandem aptius ſe uteri orificio ſiſtat, & tunc felicius educi queat.

Quod ſi Fœtus ob dolores, motuſve epilepticos ſitum p. n. obſtinatius ſervet, bonum eſt non urgere partum, quin potius matri remedia dolores ſedantia, & epilepſiam curantia exhibere: atque tunc demum ubi partes fœtus mobiliores, non item rigidæ obſervantur amplius, illas in ordinem redigere, atque partum ſic maxime naturalem excitare ac promovere. *Sylvius ibidem.*

Quo tempus pariendi propinquius eſt, & præludia quædam illius ſentit mulier, ad ea quæ naturam ſolicitant, & ſi non ſuccedat partus, ad fortiora fœtum expellentia, & ſi magna exigat neceſſitas, & jam de *fœtu extincto* certi ſimus, aut ſecundina nondum ejecta ſit, etiam ad fortiſſima, quibus fœtu prius vivente adhuc, quia eum perimere poſſent, uti non licebat tranſeundum: Quæ omnia tum *in partu*, tum *ante hunc*, partim *actu*, vel à *viro*, vel à *matre* ipſa, vel ab *obſtetrice* aut *Chirurgo*, vel à *Medico* per remedia exhibita, indita admotaque præſtantur.

Vir maritus, ſi ſæpe ante partum, vel jam inſtante partu, cum uxore ſe commiſceat, partum faciliorem reddere, multumque ut levius fiat, adjuvare plerique docent; veritatique conſentaneum eſt.

Matris opera partus accelerabitur, ſi ultimo menſe ſæpe erecta ſtet, ſæpe deambulet, locaque edita ſcandat, idque præſertim partus tempore præſenti. *Conatus matris* ad excluſionem omnino eſt neceſſarius, cum natura ſola eum qui adauctus eſt, propellere nequeat, ſed conſtrictione ventris non minus ad fœtus excluſionem quam alvi excrementorum opus eſt, idque matris voluntas omnino efficiat: Eo nomine, cum naturæ ſtimulum, & dolores parturientium perſentit, eoſque *uteri & fœtus* cauſa non aliunde provenire, ab *Obſtetrice* edocta, certo noverit, tempuſque adeſſe (*neque enim prius, ne fœtu excluſo per vim ſecundina remaneat*) tunc Puerpera retento ſpiritu, & conſtrictis muſculis abdominis, *laborandoque*, ut vocant, fœtum ad excluſionem promovere, ſenſimque conatus intendendo quantum vires ferre potuerunt, extrudere conabitur, & ab obſtetrice; adſtantibuſque ut ſtrenue agat admonebitur; Dumque in labore eſt, in ſella, quæ amplo foramine pervia ſit, ut coccygem quo minus retrorſum cedere poſſit minime impediat, ſedeat, illique dorſo innitatur: Vel ſi majore vi opus ſit, erecta, lumbis innixa, aut ſub brachiis ſuſtentata laboret.

Et ſi *obeſitas* impedimento ſit, *prona*, vultu in terram demiſſo, & ad genua inclinante, opus peragat: Sed & ſenſim, præſertim conatus labore defatigata, circumducenda, atque paſſibus diſtantiſſimis ambulet, pedibus terram nonnihil pulſet, & ſi *ſecundina* retenta ſit, aut fœtus aliquoſque progreſſus, non cedat, validius terram concutiat, monenda; qua ratione *pſaltriam* excuſſiſſe conceptum ſcripſit *Hippocrat.* Multum quoque conatus parturientis juvabit *Compreſſio ventris*, utroque pollice, infra umbilicum infixo, & lateribus utrinque reliqua manu firmiter conſtrictis ab adſtante muliere robuſta facta, Simili compreſſione partu jam in lucem edito feliciter mox & Secundina hæſitans extrahi poterit.

Sternutatio cum conatum validum, licet brevem efficiat, ſubito & violenter, muſculis conſtrictis abdominis, magnum ad *fœtum* vel *ſecundinam* propellendo afferet emolumentum: maxime ſi ore clauſo, naribuſque conſtrictis nonnihil fiat, admodum impellit, & proin cum opus eſt, eam provocare oportet.

Obſtetrix, ubi primum *fœtus* progredi incipit eum excipiat; ſi vero cedere nolit, ſenſim & placide trahendo, ventriſque partem ſuperiorem comprimendo, extrahere conetur; aut ſi profundius lateat, inverſuſque ſit, immiſſis digitis manuve, prius inunctis: in rectum ſitum, ut caput deorſum ſpectet diſponendo, vel membra diſtracta colligendo, ut egredi poſſit adjuvare debet.

Quibus minime ſuccedentibus, maxime ſi fœtum extinctum cognoſcat, ipſaque Obſtetrix medica, vel *Chirurgus* adhibitus, ſpeculo matricis orificium dilatare tentent; Et ſi, ne ſic quidem progrediatur certis *inſtrumentis* illum apprehendere & extrahere ſtudeat, vel etiam *in partes deſectum* per portiones eximere.

Omni demum alias ſalutis ſpe ſublata, aliqui cum ſucceſſu *fœtum mortuum ſectione in matris abdomine facta* extraxerunt, matre nihilominus manente ſuperſtite; cui rei forte primam occaſionem, ut illud tentarent, præbuit *Veſica* illic, ſi *fœtus putreſcat*, elevari nonnunquam ſolita, qua aperta, ſi fœtus putruerit, mox in conſpectum ſe dat, ſicuti hoc aliquando feliciter ſucceſſiſſe variæ teſtantur hiſtoriæ, egoque ocularis hujus rei teſtis eſſe poſſum; Quod tamen, cum vivus adhuc eſt fœtus, vix aggrediuntur, niſi in tale diſcrimen mulier venerit, à quo ſi non mox liberetur, periculum illi & fœtui immineat; Tutius tamen, & ſine calumnia, extincta partus difficultate matre, ſi fœtum adhuc vivere ſuſpicio ſit, ut illi ſuccurramus maturare: ſectio neque facta in abdomine fœtus eximendus: qua ratione multos liberatos fuiſſe experientia teſtatur, *Ceſarique* nomen inde quod cæſo utero matris exciſus fuerit fœtus, impoſitum ſcribunt hiſtorici: unde & ſi cæſim fœtus eximatur, Cæſareus dicitur.

Sectione quoque *rimam pudendi*, ſi illa non ſatis pateat, fœtuſque exitum præcludat; dilatamus; vel nummo in acutiem redacto, vel novacula; *Orificium* autem *uteri* [*cervicis* ſectione aperire periculoſum, & forte quia eandem quam ductus habet amplitudinem inutile.

Exhibentur quæ *uteri vias aperiunt*, & *facultatem ipſius excitant* atque ſolicitant, unde & *menſes provocant*, & ut fœtus expellatur adjuvant, quod & proprietate quadam faciunt, E quibus *leviora* mature, *validiora* cum partus inſtat; *validiſſima*, quæ fœtum non ſolum promovere; verum & illi nocere poſſent, non, niſi fœtus jam mortuus, vel ſecundina retenta ſit, uſurpantur. *Platerus.*

30. *Vel non naturaliter procedens*) Situs infantis periculoſi ſunt, dum infans ad partum venit Præmiſſis pedibus manibuſque ad femora deductis: Dum in pedes partus procidit, manibus ſupra caput protenſis: Dum uno tantum pede infans prodit, brachiis circa latera demiſſis retroverſo pede altero: Dum per tranſverſum jacet infans, & in latus procidit, Dum diſtortis pedibus atque brachiis ad partum properat infans: Dum utroque genu in partum procidit, manibus circa femora demiſſis, aut manu tantum alterutra ad partum accedit, altero brachio circa latera deducto; pedibuſque ad uteri fundum rite porrectis.

Dum utrumque brachium juxta caput protenſum ad partum venit, pedibus in uterum porrectis, & facie ſurſum reclinata quæ figura admodum periculoſa eſt: Aliquando natibus infans ad partum primo procidit, aut inflexa cervice, pronis ad partum humeris, retroverſo autem capite, ſurrectiſque pedibus ac manibus: Subinde manibus & pedibus ſimul ad partum inclinata: Interdum autem fit ut pectore primũ prodeat, retro manibus pedibuſq; conjectis & averſis. Contingit præterea forma naturali partum comparere geminum, præmiſſis ad exitum capitibus, Vel obverſis ori matricis utriuſque infantis pedibus, Vel altero infante in caput, altero in pedes demiſſo: Perſæpe quoque umbilicus utero propendet, remanente fœtu vegeto, vel mortuo: *Johann. de Muralto Med. Sept. vol. 2. p. 96. Correctionem depravatorum horum ſituum vide in Chirurgia.*

31. *Non*

³⁶· *Non naturaliter procedens*) Fœtus prono capite uteri clauſtra aggreditur, eademque propriis viribus recludit, & in lucem eluctatur. Propterea partus ejuſmodi expeditior & auſpicatior habetur, *naſcentem autem in pedes procedere, contra naturam eſt*, inquit Plinius, *eoque argumento appellavere Agrippas, quaſi ægre partos*, pigro enim & laborioſo partu tales naſcuntur; Nihilominus in abortu, & ubi fœtus mortuus fuerit, aut aliter difficilis partus contigerit, adeo ut manuum opera opus ſit, aptior exeundi modus eſt in pedes, ita enim tanquam adacto cuneo; uteri anguſtiæ facilius aperiuntur; Quare cum pariendi ſpes maxima in fœtu eſt (utpote vitali & vegeto) nitendum, ut capite primum prodeat; Sin utero id negotium præcipue incumbit; exitus in pedes procurandus eſt. *Harveus pag.367.*

³⁶· *Non naturaliter procedens*) *De Inſolitis Partus humani viis eruditiſſime conſcripſit Thomas Bartholinus, qui adeundus, Hiſtoriæ ab eo enarratis hæ ſubjungantur.*

Cum in Gallias redux factus fuiſſem *D. Colot & Raiſin* anno 1665. mihi retulerunt, quod menſe Aprili 1662. *D. de la Foreſt*, Chirurgus Aurelianenſis cum D. D. *Balduino* Medico in Hoſpitali fœminam Anatomiæ ſubjeciſſent, quæ cum diu dolores & tormina partus fruſtranea ſenſiſſet, & exinde obiiſſet, in ejus ventre inveniſſent puellum egregium, optime formatum extra uterum, nempe *in ſpatio intra uterum & inteſtinum rectum*, & utero quidem illæſo, nec ullo modo rupto aut pervio verſus inteſtinum, fœtum vixiſſe primum, mortua tamen matre, ſimul quoque mortuum eundem. Dn. *De Monconnis Tom. 2. Itiner. Ital, pagina 450.*

De Fœtu muſſipontano ſupra Cap. §. *Symptomatibus circa conceptionem)* Notum eſt *oſtentum Dolanum*, quando anno 1661. 28. Junii Dolæ in Burgundia, cum gravidæ abdomen incideretur, omnia integumenta Cartilaginoſa & gypſea invenra ſunt, quibus reſectis, quaſi ex dolio, erupit ſeroſus humor cum fœmineo fœtu, nullo apparente uteri veſtigio, uti Dn. *Stephanus Willet* Prof. Regius Dolanus de hac materia publice diſputavit, & *Arnoldus Senguerdius* Diſcurſum hac de re edidit.

Præter Tubam uteri fœtus non raro extra uterum fuit repertus, ſed malam conformationem aut ſolutionem continui paſſo utero: Per os infantis oſſa rejecta fuiſſe narrat *Caſpar à Reyes Camp. Elyſ. Qu. 91.* Plura alia vide apud *Bartholinum l. c.* qui cauſam reiicit quod diſtentus & exulceratus uterus, perforatis inteſtinis in illorum cavitatem oſſa illa depoſuerit: ad ventriculum uſque inde eructando; niſi plauſibilior ſententia, mala uteri conformatio & hiatus in inteſtina.

Per *Anum* quoque oſſa fœtus mortui fuiſſe rejecta Idem exemplis oſtendit, *utero ſcilicet exulcerato in inteſtina connivente*, nam hac de cauſa ob communem exulcerationem interdum fæces alvi per vulvam prodiiſſe exempla proſtant.

Per *umbilicum* eadem ratione *utero ſauciato* fœtus excludi exemplis oſtendit. *Bartholinus l. c. capit. 9. & 10.*

Per *Hypochondria* in fœmina, exorta ibi fiſtula, ex ea primum infantis calvariam, deinde & oſſa fuiſſe extracta tradit. *Alex. Benedictus.*

Ex Iliorum abſceſſu, utero perrupto corruptam infantuum putrilaginem exiviſſe ex *M. Comace* narrat *Barthol. cap. 13.*

Cum vero in infante Aurelianenſi nec Uterus fuerit perruptus inventus, imo nec cicatrix oſtenſa, quinimo fœtus adhuc incorruptus, & poſt matrem demortuam; cum quoque nullæ aliæ adductæ circumſtantiæ cum quibus partibus præter inteſtinum rectum connexionem infantis ſitus habuerit, ob harum circumſtantiarum defectum dubii hæremus quomodo hic infans Aurelianenſis in hunc locum devenerit.

Curioſa & rara eſt obſervatio quam habet *Nic. Polius Hemerol. Sileſiaca fol. 455.* An. 1531. *inquit*, fœmina *Niſſæ* paupercula, quæ in conjugio 15. annor. ſpatio ix. liberos genuerat, in *Iliis*; verſus ſiniſtrum hypochondriũ, velut in tumore, aut veſica quadam, protuberantem geſtavit fœtum, adveniente legitimo tempore partus, *veſica* illa ſupra femora ad genu uſque propendens ex conſilio Medicorum, Chirurgorum aperta fuit, (*eductusque fœtus*) impoſito Thomæ nomine, annum cum dimidio ſupervixit, mater vero ſummis in doloribus tertio die obiit. *Iac. Suchs à Levvenberg.*

Diagnoſis Cauſarum difficilis Partus.

Cognoſcitur Partus difficilis, tum ab ipſa parturiente, tum ab adſtantibus, & præcipue ab obſtetrice. Ac primum ſi longiori tempore maneat fœmina in laboribus partus, v. g. per duos, tres, quatuor dies, aut plures, cum vere naturalis partus intra xxiv. horas perfici debeat: Deinde, difficilis ſignum eſt, ſi dolores ſint languidi, & per longa intervalla recurrant, & ad dorſum potius quam pudenda vergant: *Cauſæ* vero difficilis partus ex ipſarum parturientium relatu & ipſa autopſia majori ex parte agnoſcentur. Sic debilitas ægræ, macilentia, aut pinguedo nimia ex habitu corporis deprehenditur: Morbi uteri propriis ſignis dignoſcuntur. Fœtus debilitas ex debili & tarda motione dignoſcitur. Magnitudo ex parentum ſtructura colligi poteſt, præſertim cum vir magno corpore præditus cum puſilla muliere conjunctus eſt; Cum hæc deficiunt, & matris conatus ſatis validus eſt, fœtuſque ſeſe commovendo, ſufficienter exitum affectat, partus tamen difficilis ac laborioſus eſt, indicio eſt ſecundinam eſſe fortiorem, quæ non facile diſrumpi valeat; cujus rei conjecturam augebit, ſi aqua & humiditas in labore non profluit. Præpoſtera fœtus *figura* ab obſtetrice deprehenditur, & reliqua ipſa autopſia innoteſcunt. *Riverius.*

³⁷· *Difficilis*) Cauſæ difficilis partus etſi multiplices ſint, omnes tamen ad tria capita reduci poſſunt, Aut enim nimis eſt anguſtum os uteri, ut in illis quæ antea nunquam pepererunt, aut ulcere aliquo in iſtis partibus laborarunt, aut quibus conſtitutio corporis ſicciſſima eſt ij. cauſa eſt ſitus p. n. fœtus: iij. eſt Facultatis expultricis labefactatio ac proſtratio, quæ fit aut propter virium cordis abolitionem, aut ex ſolo vitio uteri; Cujus rei ecce exemplum.

Partus negatus ob diſruptum uterum.

Matrona Bernenſis juvenis, cum tertio uterum geſtaret, & juſtum tempus geſtationis abſolviſſet, doloribus parturientium tam acerbis ac vehemẽtibus correpta fuit ut vix unquam ſimiles obſervati fuerint. Aqua etiam, quę fœtum comitari ſolet, uti quoque ſanguis copioſe profluxere, brachiumq; dextrum fœtus primo quoq; inſultu erupit; Poſt horam tamen dolores omnes & conatus parturientium ceſſerunt, nec deinceps redierunt &c. cum motum aliquem naturæ, qui nobis viam modumque procedendi monſtraret, ex conſilio juſſuque adſtantium, in ſeptimum uſque expectaremus, ecce cardialgia cum rigore quodam ac lipothymia cum ægram invaſiſſent, protinus placide ac pie extincta fuit.

Partus aboliti in dicta Matrona cauſa fuit ſitus fœtus præternaturalis, in tranſverſum enim ſitus erat, ita quidem ut caput ſiniſtro, pedes vero dextro hypochondrio

ita inſiſterent, ut in utroque latere prominentia non obſcura obſervaretur, Spina dorſi fœtus verſus orificium uteri vergebat; Brachium dextrum extra orificium propendebat, ſiniſtrum uti quoque crus ſiniſtrum) quod verſus Caput reflexum) mediantibus vaſis umbilicalibus (qui truncum corporis bis circumdederunt,) trunco corporis ita alligabantur, ut ab initio fœtus ad exitum minus commode ſeſe parare poſſet, ſed omnia inverſo ordine acciderent.

Cauſa quoque ex ipſo utero petenda eſt hoc modo, Ab initio cum fœtus, qui & maturus & robuſtus erat, cum maximo impetu ſeſe moveret, & ad exitum præpararet, ſiniſtro pede corpus ipſum uteri verſus dextrum latus dilaceraverat; hinc facultas expultrix ipſius uteri & protinus & omnino abolita fuit, parturientium quoque dolores & conatus ceſſarunt; Ruptionem autem illam uteri in aliis quoque obſervavi, cujus diſruptionis ſubita illa abolitio facultatis expultricis, & parturientium conatus, (ſi vires vitales integræ permanſerint) certiſſima mihi ſemper fuerunt indicia, idque ſi accidit, de vita parturientis actum eſt niſi ſectio cæſarea (quæ tamen in hoc caſu valde ſuſpecta eſt) adminiſtrata fuerit; Diſrupto enim inſtrumento, nempe utero, ceſſat quoque actio hoc eſt virtus expultrix, & parturientium conatus; quæ omnia cum neque medicamentis, neque manu excitari poſſint, putreſcit tandem fœtus, ſimul & ſecundina, ex qua putredine vapores putridi & maligni ad partes nobiles aſcendunt, mortemque accelerant.

Occurrit & alia cauſa propter quam dolores & conatus parturientium protinus ceſſant, Medicis utplurimum incognita, nimirum cum ex motu iſto vehementiſſimo fœtus vas aliquod internum diſrumpitur; In his autem facultates omnes, propter deperditionem ſanguinis protinus proſternuntur. *Fabritius Hildanus cent. 4. obſ. 57.*

57. *Difficilis*) Licèt divinum illud decretum de Partus doloribus, in pœnam inobedientiæ, muliebri ſexui impoſitis, omnes gravidas in fœtus excluſione ſubire, nemo dubitare queat, majores minoreſve pro circumſtantiarum variarum ratione; Exempla tamen proſtant Partuum nullo fere labore editorum; Matrona quædam Noribergæ, quoties pariendi hora inſtaret, ſemper ſtando, cum dorſo menſæ innixa, ad partum laboravit: Et ſub labore pro mitigandis partus laboribus micas panis ex hydromelite continuo manducavit, facile ſic feliciter ſemperque levata fuit.

Item mulieres quaſdam villicanas vidi, quæ Noribergæ in horto meo ſuburbano, tempore belli Suecici hoſpitabantur, Eæ poſt levem partus nixum ſtatim è lecto ſurrexerunt, ipſæque è partu recentes, vitulum, vel juvencam, propriis manibus necarunt, Cubiculum mundaverunt, & lavarunt, pro epulo ſolemni, tuncque ſe rurſus lecto committentes ſtrenue cum comparre & cæteris invitatis copôtarunt ac comederunt, ſine omni fatigatione atque ſanitatis noxa. *Joh, Helvvigius in obſervat.*

Vivit apud nos hoc anno 1688. matrona robuſta, vidua capitanei Præſidiarii, quæ cœna initio, ad quam maritus nonnullos amicos convocaverat doloribus partus prehenſa eſt, prodit è menſa. ſarcinam, ait, depoſitura: hac intra ſemihora ſpatium liberata, ad convivas redit, cœnam redintegrat, ſolitaque hilaritate illam claudit.

Mulier gravida maritum in caſtris ſtipendia facientem comitabatur, cumque exercitus quotidie in alia loca migraret, forte à minoris fluminis occurſu impeditus per horam ſubſtitit, ſimulque gravida hæc, ingruente jam partu, ad arbuſta & vepreta proxima ſeceſſit, ſolaque citra ullius obſtetricis operam, aliumve apparatum duos infantes peperit, quos ad flumen deferens aqua viva proluit, ſeque ipſa lavit; quo facto gemellos rudi velamine incluſos humeris geſtavit, eodemque die, nudis pedibus (ut erat) exercitum comitata, duodecim mille paſſuum iter fecit, idque ſine ullo valetudinis diſpendio. *Harveius Tr. de Part. pag. m. 380.*

57. *Difficilis*) *Orificia tria, uteri interius, & cervicis illius exterius*, cum *rima pudendi*, quæ fœtus tanquam tres portas pervadere debet, pariendi difficultatem nonnunquam & impoſſibilitatem cauſant: Cum enim *interius orificium* tempore quo fœtum utero incluſum gerit fœmina, adeo anguſtum & occluſum ſit, ut ne minimum quidem admittere aut emittere poſſit, Et *cervicis orificium exterius* non ſit amplius quam quod colem poſſit excipere, eaque in partu adeo dilatari oporteat, ut poſſit per illa egredi fœtus non mirum partum difficilem illorum cauſa fieri, eoque magis ſi natura ſint *anguſtiora*, aut *duriora*, ſicuti in illis quæ *diu non pepererunt, & ſeneſcentibus*, unde & tanto labore pariunt, accidit; Vel ſi alioquin *ſicciora* & *aridiora*, nec humectata ſint, propterea quod aquæ in partu erumpere ſolita, qua irrigantur & laxantur hæ viæ, diu antequam ſit ſequutus, effluxerint: *Rima* quoque *pudendi* cauſa (licet in ea penetranda cum in cute longo ductu ſciſſa amplaque ſit, minus infans occupetur) fieri poteſt ſi & illa *brevior ſit*, minuſque lata, ut illic fœtus ſubſiſtat, cum non ita ut orificia ampliari queat, atque intumeſcere, ſicuti in canibus fieri videmus, quibus pudendum, cum calent, valde intumeſcit & ampliatur: In muliere vero eandem ſemper ſervat amplitudinem, nec ita uti interiora orificia, cum mulier apta eſt ad conceptum, & parere debet, increſcit: *Ductus ab utero ad pudendum* uſque progreſſus, qui cervix illius dicitur, cauſa, difficultas hæc etiam oritur, etſi enim amplitudinem inſignem habeat, quia tamen fœtum, niſi admodum quoq; diſtenderetur, tranſmittere nequiret, fit ut & ex hac diſtenſione, una cum ea quam in orificiis fieri diximus, dolor patiendi laborque augeantur: Quod veriſimilius, quam ſicuti *Rondeletius* voluit, ob *ſecundinæ à matrice avulſionem* in partu accidere dolorem; ut etiam *ſecundina adhærente* fieri ut ſine dolore mulier pariat, falſo opinatus eſt; Cum hanc ſeparationem citra moleſtiam, ſi recto tempore pariat, fieri certum ſit, ſæpeque obſervarim *remanente ſecundina*, dolores in partu nihilo leviores fuiſſe: Sed & *hæmorrhagia* poſt partum aliquamdiu fluit, apertis ex diſtenſione illa venis menſtruis cervicis uteri, ut alio tempore menſtruo cum aperiuntur promanans: Imprimis vero *cervix uteri*, eo potiſſimum loci, in fœtus tranſitu, angitur, patiturque ubi *pubis oſſibus* ſubjecta, in ſede illa anguſtiore, rectum ſimul inteſtinum continente, latet, etſi in muliere longe ſit amplior quam in viris; & ob laxam cartilaginem, quæ pubis oſſa illic ſimul conglutinat, illis nonnihil cedentibus, non tamen ab invicem, uti voluerunt, divulſis, ſed imprimis *coccyx ſubjectus articulatus* vim illam ſentiens *retrorſum cedendo*, ut via hæc minus impedita ſit, efficiunt, modo non *anguſti lumbi*, *& breves in muliere brevis* ſtaturæ, hanc viam anguſtiorem reddentia, difficultatem eam augeant; Quod & fit ſi rectum inteſtinum fæcibus plenum majorem hujus cavitatis Sedem occupans, aut coccyx, dum ſedet mulier preſſus, obſtaculum huic rei afferat. *Platerus.*

Cauſa partus difficilis ratione matris
Fœtus Adſtantium,

57. *Vel difficilis*) Poſſunt ratione *ſubjecti parturientis* variæ

variæ eſſe quæ partum difficilem faciunt cauſæ: *Aëtas* præmatura, teſte *Ariſtotele 7. Pol. c. 16.* In partu juvenculæ laborant magis & earum plures obeunt, magis etiam primiparæ anguntur, quia ob imperitiam corpus apte præparare ignorant, *Mater* ſi ſit nimis *mollis & delicata*, impatiens, anxia, verecunda, ut eniti & laborare recuſet.

Aetas ſenilis ſæpe difficulter parit ob nimiam ſiccitatem, virium defectum, caloris nativi inopiam; *Conſtitutio prava*, ſi admodum *obeſa* ſit & pinguis, Obeſitas enim viam reddit arctiorem.

Facit partum difficilem *exigua vulva* aut *Tumor in locis genitalibus, vel caro iiſdem adnata*, vel *obliquitas cervicis uteri*.

Item ſi *os ſacrum nimis ſit incurvatum* & *intro vergat*; *Anguſtia oſſis Pubis*, ſeu *Coxendicis*, quod quidam, in partu credunt dilatari.

Poteſt & difficultas contingere ſi & *uteri magna diſtenſio & oris ſtrictura, & colli ipſius longitudo*, accident, quo fit ut ab utero difficulter egrediatur fœtus, nam utplurimum collo immorabitur, & per anguſtum foramen non libere exibit.

Huc quoque refero *corporis habitum*, quo plerumque nonnullæ peccare ſolent, arcta nimirum alligatione, aut veſtium compreſſione nimia, ut tempore geſtationis priſtinam corporis formam conſervent, aſſulas iſtas ligneas, aut eburneas, (Galli *planchettes* vocant) ad ſternum & pubem fere haud ſine fœtus detrimento ſubjiciunt.

Tandem & cauſæ ſunt *parturientis debilitas*, ubi vel *conatus deficiunt*, Aut ſunt nimis *fortes*, qui una fœtum nondum recte ſituatum ad exitum valde ſtimulant.

Difficilis fit Partus *fœtus vitio*; *Ariſtoteles lib. 8. H. An. c. 9.* inquit, *omnia animalia naturaliter in caput exeunt*, Probat ſitus fœtus, *paulo enim ante partum capite deorſum verſus matricis orificium, tanquam exitum quæſiturus urinatur imumque petit*, inquit *Harveus de partu p. 232.* Verum cum fœtus in utero aquis uteri innatet, jam hunc jam alium habet, nec certum ſervat ſitum, ſed membranis diſruptis vario modo egreditur.

Cauſa diverſorum ſituum ac egreſſuum, partim eſt quando membranis ruptis, & aquis effuſis fœtus non ſtatim ſubſequitur; Nam dum humores effluunt, fluxu ſuo tranſitum lubricant, & niſi partus ſtatim ſubſequatur, ſed trahat moram, alimentum fœtui ſubtrahitur, egreſſus fit aſperior fœtus imbecillior.

Cauſatur quoque hoc malum inuſitata *fœtus magnitudo*, præcipue capitis; Aut ejus *parvitas*, ſi debilis ſit, qui nec vincula propter craſſitiem dirumpere queat; aut ſi *parvi & exigui* ſit capitis, nec vias aperire, nec ab obſtetrice apprehendi queat, Huc refero monſtra, fœtus bicorporeos, &c. Fit quoque *imbecillus*, ſi à parentibus morbidis, aut ætate provectis, natus ſit, quorum ſemen debilius.

Item ſi pauco matres utantur alimento, Cujus aliquot exempla novi, dum matres infantibus, præcipue puellis, ut teneram & compreſſam adipiſcantur provectiores formam, nil præter ſimplicem quandam panatellam porrigunt, hæ vero, ob defectum alimenti aut moriuntur, aut fiunt valetudinariæ.

Fœtus mortuus periculoſiſſimum reddit partum, hic enim ſe robore ſuo naturali adjuvare nequit, ſed ad inſtar lapidis utero immoratur, hinc fit ut ſæpe mater una & fœtus diris cruciatibus commoriantur.

Accidit quoque ſæpe quando fœtus ab imperitis obſtetricibus legitimo modo non tractatur, Et fit potiſſimum ſi muliebrium affectuum, aut fœtuum non ſint edoctæ, aut obſtetricandi exercitatione imperitæ.

Cauſæ difficilis Partus Naturales, Non Naturales & Præter Naturam.

Ex *cauſis Naturalibus* primum locum obtinet *Temperamentum*, tam uteri quam totius corporis, Cholericæ facilius quam ſanguineæ, obeſæ & denſæ pariunt, cum habitus corporis earum ſit gracilior, & ob minora impedimenta magis aptus.

Non naturalibus accenſemus *Aërem*, qui ſæpe magnas corporis noſtri cauſatur mutationes, Frigidus enim meatus adſtringit, & flante Aquilone mulieres difficilius pariunt, *Bartholinus lib. de Inſol. Part. Hum. Viis cap. 3.* inquit, *Iniquum certe eſt puerperis noſtris cœlum noſtrum, ut puerperia vix ſex hebdomadibus finiantur, cum tamen in Gallia viderim puerperas vix una die inter lecti clauſtra* contineri potuiſſe; *Calidus* pariter obeſt, vires diſſolvit ac dejicit, & ſi corpus ſit cacochymicum facile febrem accendere poteſt, Ad Aërem poteſt referri *influxus Aſtrorum*, quem multi adeo crepant, præcipue planetarum inimicorum.

Ventriculus cibo plenus parit dolorum cauſam, nimium enim diſtenditur ventriculus & magis laborat mulier gravata cibo, teſte *Mercuriali 2. de m. m.* c. 2, Sic funeſtum & difficilem partum novi à *nimio vini generoſi potu*.

Somnolentia & ſtupor maxime nocent, quia fœtus impetum remorantur; Ad vires tamen reparandas interdum conceditur *ſomnus* levior, teſte *Primiroſio* contingit ſæpe ut ob intempeſtivum à *pellentibus medicamentis* conatum uterus rumpatur, ſicque mater & fœtus ſimul pereant, *motus incompoſitus & intempeſtivus* itidem ſunt cauſæ.

Excreta & *Retenta* quin poſſint eſſe cauſæ nemo non ſcit: Sic *adſtricta* & *induratis fæcibus alvus diſtenta* magnam parturienti difficultatem accerſit: *Animi pathemata* partum difficilem & abortum provocare poſſunt; *Veneris* quoque uſus diſſuadetur exemplo *Salmuthi* cap. 20. 69.

Reſp. n. ad cauſarum numerum accedunt; ſic ob *inflammationem pudendorum*, ab intempeſtivo conatu una cum fœtu obiit mulier apud *Salmuth* l. c. *Calculus* veſicæ ſi major ſit ad partum difficilem diſponit; *Hildanus cent. 4. obſ. 51. & 52* De *Hernia uterina vide Eundem Reſponſ.* ad *Doringium* Vide plura apud Authores, Ex *Georgii Franci Tract. de Partu Difficili.*

57. *Difficilis*) Perſæpe obſervavi Partus difficiles fieri, non ſine matris & fœtus vitæ diſcrimine, cum funiculus umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utriſque obvolutus invenitur aut ſentitur, Et niſi in tempore ab obſtetrice evolvatur, ſub enixu infans facile ſtrangulatur. *Joh. Helvvigius in Obſerv. Med.* Iſta vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta procedens ſupra frontem embryonis naturaliter fertur utplurimum, atque reflexa per occipitium decurrens, ad umbilicum dein ſolet deſcendere: Si itaque anteriori etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo, partum reddere difficilem, imo in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar conſtringere, eumque ſtrangulare poteſt. Exempla habent *Th. Barthol. An. ref l. 1. c. 27. Fabritius Hildanus, cent. 4. obſerv. 57.* & alii. *Lucas Scrockius junior. in Schol.* Liberorum meorum pars maxima eo modo prodiit in lucem; fune umbilicali collo circumdato, unde partus, alioquin futurus facilis protrahebatur; Fœtus livore fœdatus, & mortuo quam vivo ſimilior naſcebatur; quem excitabat obſtetrix vino ore proprio prius excepto, in fœtus os infuſo.

57. *Difficilis*) *Obeſas mulieres*, & præſertim circa

uteri regionem difficulter parere docent, cum tamen contrarium teſtetur experientia; nec pinguedo ulla uteri interiora illiuſve cervicis occupet: Dein & quæ *extrinſecus abdomini* inſtructa eſt, adeo hic impedire ſminime poteſt, niſi forte quia *tardiores* ſunt obeſæ, hoc obſtat Partus. *Platerus.*

De disjunctione oſſium Pubis in Partu.

37. *Difficilis*) Inter difficilis Partus cauſas recenſetur *Anguſtia viarum*: Quibus perſpecta non eſt accurata cognitio partium corporis humani, per Anatomen comparanda; mirantur, neque animo concipiunt quomodo fieri poſſit ut fœtus, tantæ molis tempore, partus pertranſire queat meatum uteri adeo anguſtum: Ideoque *Galenus*, plurimique alii, exiſtimant oſſa pubis tunc dehiſcere, ampliorem ſpatium conceſſura pertranſeunti fœtui; id quod ſi non fieret, ſtatuunt impoſſibile futurum ut fœtus ſatis amplum ad exitum ſpatium reperiat; eaque propter mulieres provectæ ætatis primum partum cæteris difficiliorem habere; eo quod oſſa pubis non eadem facilitate ab invicem dehiſcant, qua de cauſa in tranſitu ſæpe fœtus extinguatur.

Alii exiſtimant oſſa iliorum disjungi ab oſſe ſacro eundem in finem: Alii cenſent prædicta oſſa quæ ſic hora partus divelluntur, ſenſim ante diſpoſita fuiſſe, ab humiditatibus quibuſdam viſcidis, eo à locis utero vicinis tranſmiſſis, à quibus emollitur cartilago aliis temporibus dicta oſſa conjungens.

Sed utraque opinio æque à ratione & veritate aliena eſt, ex Anatome enim diſcere eſt uterum nequaquam dicta loca pertingere, adeo ut ab humore ex eo exſudante emolliri & relaxari queant; Uti & dicta oſſa cartilaginis interventu tam arcte connecti, cujus ope invicem coarticulantur, ut nonniſi ſumma vi ſcalpellum ea dividat, præſertim connexionem oſſium ilium cum Sacro, imo pœne impoſſibile in quibuſdam paulo provectioris ætatis; Etiamſi *Ambr. Paræus* (qui plurimos teſtes adducit) referat hiſtoriam mulieris quindecim diebus à partu ſuſpendio enectæ, cui, *ait*, diviſum repertum eſt ad latitudinem ſemi digiti circa ſui medium; Imo & oſſa ilium disjuncta ab oſſe ſacro.

De eventus veritate etſi non dubito, exiſtimo tamen deceptum fuiſſe circa cauſam ſeparationis oſſium; neque enim veriſimile eſt illam ſi contigerit tempore partus, totis quindecim diebus ſic perſtitiſſe, ad latitudinem ſemi digiti; quapropter etiam dicta mulier ad ſupplicii locum geſtanda fuiſſet, neque enim ſcalam patibuli aſcendere potuiſſet, in eaque pro more ſtare; moles enim corporis innititur tantum ſtabilitati iſtius oſſis: Ideoque multo veriſimilius eſt ſeparationem prædictam contigiſſe, vel à præcipitato in terram cadavere poſt ſuſpendium, è patibulo, vel quia alliſerit dictus locus ad ſolidum quid & durum.

Sed quid ad *Riolanum*? qui innixus *Paræi* authoritate, plus quam tricies, coram Medicis & Chirurgis, ſe vidiſſe ait oſſa pubis disjuncta ad latitudinem minimi digiti in mulieribus illico à mortu mortuis? manifeſtum tamen eſt figmentum hoc; eſſe ſiquidem *Anthr. libr. 6. capit. 12.* ait ſe paratum eſſe à ſententia recedere, & crediturum dicta oſſa non poſſe divelli, ſi quis oſtenderit quo pacto caput infantis permeare poſſit tantum illud ſpatium quod interjacet oſſa Pubis, Sacrum & Iſchium; Quapropter ſatisfaciemus illi, & cunctis aſſentientibus illius opinioni, quam facillimum eſt refellere, ab experientia.

Si enim accuratius examinaverimus diverſitatem ſtructuræ & figuræ dictorum oſſium inter ſceleton fœmininum & maſculinum, comperiemus amplius adeſſe ſpatium majoremque inter dicta oſſa diſtantiam in mulieribus quam maribus, eaque propter in minima etiam muliercula oſſa Iſchii magis à ſe invicem diſtant, quam in maximæ etiam ſtaturæ viro; Omnibus etiam mulieribus os ſacrum magis ad poſteriora vergit, uſque pubis depreſſius eſt, Ac præterea oſſa Ilium magis extrorſum vergunt, ut in graviditate uterus ad latera magis deflectere poſſit; minorique ille moleſtia ſuſtentetur ob ejuſmodi conſtitutionem. *Mauriceau lib. 2. cap. 1.*

Neque præterea veſica & rectum inteſtinum, exonerata ab excrementis inibi contineri ſolitis, prohibent ne uterus, ea de cauſa à natura membranoſus factus, ſufficienter expandi poſſit, ad tranſmittendum fœtum, per amplum & ſufficiens ſpatium, ita ut nulla adſit neceſſitas ut dicta oſſa ab invicem recedant, Id enim ſi accideret nequaquam ſtare poſſent mulieres à partu, cum contra plurimæ ſtent, ſi quidem uti dictum, fulcri loco ſunt & conjunctionis mediatæ cum cæteris oſſibus, tum partis ſuperioris trunci corporis quam inferioris: Præterea videmus puellas illas quæ dum partum edunt, crimen occultaturas, ſtatim ad munia ſolita redire, quaſi nihil paſſas.

Porro quamvis plurimis partubus adſtiterim, nunquam ejuſmodi disjunctio à me animadverſa impoſita manu regioni oſſis pubis dum fœtus meatum pertranſiret; Revera quidem percipere mihi licuit os coccygis, laxiori articulatione connexum cum extremo oſſe ſacro, extrorſum reflecti dicto tempore, quo in loco non levem percipiunt dolorem parturientes, ob divulſionem à fœtu in tranſitu inductam, & à compreſſione valida inteſtini recti ad dictam partem facta à capite infantis. At cum non pauca cadavera mulierum non diu à partu mortuarum egomet diſſecuerim, difficultatem non levem obſervavi in disjunctione dictorum oſſium etiam valide ſcalpello adacto; Neque præterea vel minimum indicium prædictæ divulſionis mihi apparuit: Sin adultiorum partus quam juniorum difficilior ſit, cauſa ſtatuenda non eſt in difficiliori dictorum oſſium diſtractione, ſed quia in illis membranæ uteri ſicciores ſunt, duriores & calloſiores, ac præſertim orificium internum, quod eapropter non ſine negotio expanditur; Ac præterea in adultioribus coccygis articulus firmior non tam facile retroflectitur &c. *Mauriceau ibidem.*

De Diſlocatione oſſium Pubis in partu.

37. *Difficilis*) *Difficilis evadit Partus ſi oſſa pubis, aut coccygis, non cedant in partu*, De hac Diſlocatione *Dan. Ludovici*: Vivit adhuc honeſta fœmina, cui primiparæ, ſub difficiliori fœtus exitu, oſſium pubis commiſſuræ (ætate ſatis tum matura) non ſolum divulſæ ſunt, verum etiam, uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque ſeorſim occalluerunt, invicem ſeparatæ, ut in ſcalarum aſcenſu ac deſcenſu conſueta ſanis validiſque pedum alternatione uti nequeat, ſed alterum ſemper, poſito prius altero pro fundamento, quaſi poſt ſe trahat, digito eandem alternationem circa dictas oſſium extremitates eodem tempore aperte ſentiente; Aliquoties poſtmodum, at æque difficulter peperit, anguſtia forte colli nimia. Medic. Sept. *vol. 2. pag. 109.*

37. *Difficilis*) *Difficilis nonnunquam ob debilitatem matris & fœtus, qui ſuccedit his roboratis.* Maria B. quadragenaria, quæritur ſe inde à quatriduo per intervalla pariendi dolores pati, cum rigore: Infans parum movebatur, & lac in mammis exaruit; Exhibui *aquam lil. albor. ſerpilli, meliſſæ, cinnam.* & matricalem noſtram cum *borace* & *tabulis alkermes*, Item *ſpiritum ſalis armon.* in juſculis: Juſſi bibere vinum *decocto agrimoniæ* temperatum, & edere juſcula è *ciceribus rubr.* parata, nec multo poſt feliciter peperit & ſana evaſit.

38. *Diffi-*

37. *Difficilis*) Impediti Partus ob *collum uteri abſceſſu turgidum* hiſtoriam affert *Joh. Jac. Wenceslaus Dobrzenſki medic. Sept. vol. 2. p. 91.* Uxor ait militis laborabat 5. aut 6. diebus doloribus partus, tandem viribus functa è vivis exceſſit: Aperto utero tantus fœtor emanavit, ut etſi in atrio domus res facta fuerit fœtor tamen omnes prope fugarit, &c. tandem exempto infante, collum uteri abſceſſu turgidum reperi, ſaniemq; inde emanantem teterrimo fœtore nares percellentem.

Hoc autem obſervari dignum circa fœtum reperi, Infantem bene formatum, & ut judicare licuit, alias ſanum fuiſſe, & dum inſtabat hora exitus, ipſummet conatum fuiſſe viam quærere per quam exiret; cumque eadem ob tumores eidem non patuiſſet; tamen tantos impetus fortitudinis propriæ exeruiſſe, ut magnam partem cranii in parte dextra ad extra ſibi compreſſerit; Ex quo clare elucescit, non ſolum vim expultricem uteri facere ad protrudendum fœtum, ſed & ipſum infantem allaborare ad ſui è carcere illo tenebrarum ad lucem liberationem.

Prognoſis.

Partus difficilis ex ſe periculoſus eſt, & in eo interdum mater, interdum fœtus, & interdum uterque extinguitur; *Si* mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri poteſt quin fœtus moriatur.

Affectus ſoporoſi & convulſiones in partu difficili ſupervenientes, utplurimum lethales.

Sternutatio in partu difficili ſuperveniens, bona ex *Hippocr.* in aphoriſmis. *Riverius.*

Si *ob magnitudinem fœtus* excludi nequeat, diuque jam ſubſtiterit, & ſi præſertim ex utero nondum deſcenderit, vel illic in anguſtiis hæreat, ſuffocabitur, materque periclitabitur, & ſi forte ſuccedat, eumque pariat, uti ſæpe fit, ſuccumbat, Sicuti & frequenter accidit: Et cum *tranſverſo ſitu*, aut alio exitum præpediente infans in lumbis, ut vocant ſubſiſtit; Aut ob *orificiorum & ductuum anguſtiam* ægre tranſit: quamplurimæ etiam ex illis quibus *ſecundina* adhæſit, extinguuntur; In omnibus cauſis ſi vires admodum proſtratæ ſint, animuſque deficere incipiat, in ſyncopen cadant, hæmorrhagias magnas patiantur, febre acuta corripiantur, malum. *Platerus.*

38. *Commune monitum*) Inter monita hæc ſunto, 1. *Duci mavult natura in fœtu excludendo quam pelli*, Ducentem ſequitur Medicus, & aberrantem vel ceſſantem ducit, unde cum proſpectione hæc applicat, inprimis pellentia & ſtimulantia: Primo nempe certus eſſe debet de tempore geſtationis ordinario elapſo, adeoque natura ad partum ſe accingente: Nuſquam præcipitãtia magis nocet quã in partus diſcrimine, matri enim vel infãti, vel utriſq; ſæpe perniciosa eſt; Certus eſt, præviis doloribus, iiſque conſtantib⁹ & effectivis, ſive aperitivis valvarum & portarum: Certus vero inprimis de ipſo actuali niſu ad excernendum; unde de eo curioſe ſolemus adſcribere utendi tempus & modum: Fruſtra ſcilicet ſtimulatus natura nondum de opere hoc naturaliſſimo exercendo cogitans; Fruſtra ſtimulatur non remotis prius impedimentis quæ exitum remorantur; imo hæc frequentiſſima fere cauſa eſt infelicium partuum, intempeſtiva ſtimulatio, *Wedelius A. m. m. p. 409.*

39. *Ut umbilicus infantis*) In fœminarum umbilico præcidendo diligentia adhibenda eſt, quippe ſi nimium curte umbilicus religatur, ætatis progreſſu pariendi conatum reſtringere eminenti vitæ periculo poſſe tradit *Matthias Cornax.*

Partus difficilis ob plethoram.

Mulier xx. annorum, ſanguinea, & primum gravida, toto geſtationis tempore venæ ſectionem neglexit, Cum vero Partus inſtaret conatus impendere nequit, Conſultus, ſuaſi venæ ſectionem in brachio dextro ſufficientem, qua celebrata parturiens puerum vegetum feliciter enixa eſt. *Joh. de Muralto.*

Partus difficilis ab arctiori uteri oſculo.

E. B. xxx. annorum, primipara à quinque diebus partus dolores ingentes ſuſtinuit, capite infantis ad oſculum uſque provoluto, quod tamen nullo molimine edi potuerat; Vocatus matricis tendinoſum cingulum, ſeu oſculum vertici infantis apte & arcte adplicatur, perunctis locis, pollice circumcirca dilatavi, & ſenſim diduxi; medicamenta fœtum pellentia porrexi, parturientem ad labores inſtigavi, quo tandem puer natus eſt debilis, quem in balneum immiſi, epithematibus ex decocto ſalviæ in vino factis, caput, pectus & genitalia fovi & refocillavi: Puerperam ſanam in lectum deduxi, & linteis probe muniri juſſi: Juvenculas ad pariendum eſſe feliciores quam ſeneſcere incipientes mulieres in confeſſo eſt & ſequens teſtatur Obſervatio.

Uxor N. xl. annorum parturiens magnos dolores pertulit, quibus tandem infans vivus decente figura uſque ad oſculum uteri internum depulſus eſt; At primipara tantos dolores ferre recuſans, viribus cohibitis Naturæ conatum obſtinate ſuppreſſit, donec die xi. obſtetrix auxilium meum imploraret: Aſt viribus fractis, & conatibus jam evaneſcentibus nulla pariendi vis ſupererat, & infans ſpatium inter veſicam & alvum ita occuparat inhærens anguſtiis, ut nec excrementa nec urina emitti poſſent, Indice autem caput infantis in vagina exploravi, cumque vulvam admodum arctam deprehendiſſem, hanc emollientibus tepide perunxi; ſuppoſitorio alvum ſollicitavi; in *balſamo embryonum ſemen lilior. albor.* cum *caſtorei* tantillo exhibui; Fœmina tandem ad labores, vel vi adacta, Caput infantis mortuum exitum moliri cœpit, quod cum apte ſub mento comprehendiſſem, hiatuſque calvariæ digitos deſuper inſeruiſſem, fœtum maſculinum integrum ſenſim eduxi: Placenta mox ſponte ſequuta eſt; urina & lochia manarunt copioſe, ægraq; convulſiones per horam paſſa eſt, medicamentis diſcuſſæ; Remanſit urinæ incontinentia per tres hebdomadas, qua curata fluor albus puerperam invaſit; brevi ſanitatem ſpero.

Magna ſanè parturientium felicitas ſita eſt in Juvenili ætate, antequam membranæ omnes cutis & muſculi corrugati inareſcant, ita ut imminente partu viæ haud ægre amplius diſtendi aut amplificari ſe patiantur: Vetulis enim & ſeneſcere incipientibus, quanquam rite omnia eveniant, optimeque poſitus ſit embryo, accidit tamen ob vehementem oris uteri tendinoſi expanſionem, & oſſis ſacri pertinaciam, (dum epiphyſes in apophyſes per ætatem degenerant) ut pariendi niſus ex voto non ſuccedant, vel etiam ſi fortes fuerint, non bene impendantur, ſed ſupprimantur, imprimis ſi matres delicatæ ſint nimis.

Hæ tamen omnes, quod labori pereant in ſuſtinendis doloribus, id ſæpe & fœtus & matres graviter luunt, interdum etiam cum vita, Inprimis autem accidit quando conatus non ad uterum dirigitur, ſed raptim ad collum & caput veloci expiratione; Niſus hic aliorſum ab utero deductus & depulſus fœtum ſuffocat, membra Puerperæ debilitat, collum inflat, ita ut quandoque Bronchocele oriatur, Quapropter completo jam geſtationis tempore, inſtanteque partu, ubi dolores veri ingruunt Obſtetrix uterum perungat, quo viæ arctiores & os matricis pateſcat, maxime in

primiparis, has quippe multum lubricaſſe expedit.

Deinde prægnantem hortetur, ut omnes conatus ad enitendum deorſum adigat, atque diligenter impendat, Iſti enim tales ſunt, ut facile avertantur, idque vel in alterutrum femur, vel dorſum, vel brachia, vel collum, vel denique caput; hinc Puerperarum paralyſes, herniæ, aſthmata, & alia mala naſcuntur, Poſt hæc obſtetrix manum operi admoveat, digitiſque inquirat in infantis ſitum; quod ſi qua conſtiterit infans, aut impeditus fuerit, digitis eum deducat, & facilem partum promoveat, nam ſi diutius in anguſtiis hæret infans, de vita periclitabitur, ſed & matri reſpiratio inde præcluditur, conatus annihilantur, tum quia uteri fibræ nimis diſtenduntur, tum quia vires evanidæ corpus quaſi immobile relinquunt, Sopitur quoque alvus, cohibetur urina, & uterus collum infantis adeo arctà comprimit, ut ſpiritu præcluſo ſuffocet, urinæ præterea & alvi incontinentia ſuccedit. &c. *Ioh. de Muralto Med. Sept. vol. 2. p. 102.*

36. *Non naturaliter procedens*) Si præpoſtere fœtus egredi incipiat, ut brachio uno aut pede primum emiſſo, vel alio quopiam modo, obſtetrix nullo modo talem fœtum excipiat, ſed in uterum retrudat, & ad legitimam formam convertat; quod fiet parturientem in lecto ſupinam collocando, capite demiſſo & clunibus elatis: Poſtea ventrem ipſius verſus præcordia blande comprimendo: Demum obſtetrix alia forma exeundi occaſionem infanti miniſtret, artificioſa manu procurans, ut faciem tergo matris obvertat; dein nates & crura verſus matris umbilicum elevet, & ad legitimum partum acceleret. *Riverius.*

Signa vitioſi ſitus Fœtus in utero.

In dubium eſt, & nemini non notum eorum qui obſtetriciam artem exercent, diverſos ſitus contra naturam fœtus exitum ex utero molientis, utplurimum cauſam eſſe laborum & ſymptomatum in difficili partu occurrentium, quorum cauſa in ſubſidium advocatur Chirurgus.

His indiciis deprehendere licet fœtum vitioſum in utero ſitum obtinere, quicunque ille fuerit, ſi partus dolores minus ſolito urgeant, neque directe infra vergant, ſicuti uſu venire ſolet cum ſitum naturalem conſequitur; Sin manus intruſa fuerit priuſquam membranæ aquas concludentes, diſruptæ fuerint, nulla ſæpenumero fœtus pars fit obvia; quia cum vitioſus adſit ſitus, dolores matri accidentes, ipſum verſus inferiora propellere non valent, neque verſus loca exitus facile promovere: Sin quæpiam pars nonnunquam ſe offerat, illa tactui figuram inæqualem exhibet, neutiquam magnam, duram, rotundam, & inæqualem, cujuſmodi eſt caput: Diſruptis autem membranis æquas continentibus, poſt primum earum impetum, reliquum paulatim effluit, & indeſinenter quouſque omnino exhauſtæ fuerint; quia videlicet partes fœtus obviæ, cum exitus aliquam libertatem aquis concedant, ratione inæqualitatis earum, prohibere nequaquam poſſunt, quominus omnino elabantur ſicuti caput, quod cum orificium internum directe occupet, eoque pacto commeatum magnitudine ſua, & æquali rotunditate obſideat, & accurate occludat, eapropter aquæ, quæ in utero ſuperſunt elabi nequeant; quo fit ut reliquo corpori facilis pateat exitus, ſtatim ac caput ex utero egreſſum eſt: Cum porro incumbat ſæpe neceſſitas, ratione perverſi illius ſitus, fœtum pedibus arreptum extrahendi, priuſquam ſermonem aggrediar cæterorum partuum, in quorum pleriſque iſte normæ vices tenere debet, inſtitutum meum eſt oſtendere quomodo ſe gerendum ſit ſi fœtus altero, vel utroque pede exerto, exitum ex utero moliatur.

Ratio partum promovendi cum Fœtus pes uterque aut alteruter ſe profert.

Plurimorum hæc eſt ſententia, ut alius ſitus fœtui tunc concilietur, vitioſum hunc corrigendo & ad naturalem deducendo, ſi videlicet pedes offerantur, convolvatur ille, quo capite priori prodeat: At vero ſi rationem id præſtandi facilem præberent, illorum ſententiam amplecteremur; at id non arduum modo, ſed & impoſſibile cenſeo; ſiquidem maximum inde tum matri tum fœtui imminet periculum à maximis conatibus quos propterea adhibere licet; ideoque pedibus apprehenſum extrahere ſatius eſt, quàm diſcrimen ſubire pejorem ſtatum accerſendi, dum evolvere illum enitimur.

Quamprimum ergo conſtiterit fœtum tali ſitu ſe offerre, uterum autem ſufficienter hiare, ut pateat ingreſſus manui Chirurgi (alias in id adlaborandum, oleo vel axungia meatum totum illinendo, ut paulatim amplificetur, Eam in rem etiam miniſterio digitorum utendo, qui ab invicem diducendi, poſtquam conjuncti fuerint immiſſi, eo in opere pergendo, donec ſufficienter expanſus fuerit) tunc poſt præciſos accurate ungues, demptos annulos, manu autem oleo vel butyro recenti, peruncta, & ut decet compoſita; muliere autem convenienti in ſtatu conſtituta, leniter illam intromittet in uteri oſtium, ubi ſi occurrant fœtus pedes, his apprehenſis illum educat ea ratione quam mox tradituri ſumus; Sin unicus pes offeratur, quiſnam ille fuerit perpendat, dexter an ſiniſter, ac qua figura prodeat; his enim animadverſis non arduo negotio agnitu rus eſt in quo alter deliteſcat: qua re obſervata, illum indagaturus eſt quem repertum nulla vi extrahet utrumque: Sed prius accurate obſervet ne alter iſte pes forte ſit alterius infantis; id enim ſi foret matrem potius occiſurus eſſet una cum fœtibus quam ut ea ratione extraheret: Id quod haud difficulter agniturus eſt, ſi leniter juxta tibiæ & femoris prioris fœtus ductum immiſſa manu ad uſque inguina, ambo femora conjuncta deprehendat, ex uno eodemque trunco deducta: quæ ratio quoque facilis eſt ad alterum pedem inveniendum, ſi unicus ſe prodiderit.

Plurimi jubent ne prioris pedis veſtigia pereant, hunc vitta alligari, ſolubili nodo conſtrictum, ne indagandi iterum labor accidat poſtquam alter occurrerit; at ut plurimum hoc neceſſe non eſt, quia fere fit, ut ſi unus apprehenſus fuerit, alter facile ſe prodit: In uſum tamen adducat qui voluerit hanc cautionem, nequaquam noxiam niſi quatenus ideo operationis tempus protrahitur: Quamprimum ergo Chirurgus fœtus utrumque pedem nactus fuerit, foras educat, quibus demum ſimul conſtrictis, paulatim fœtum hoc modo extrahet; eundem poſtea tibiis & femoribus comprehenſum, quamprimum illi conceſſum fuerit, ea ratione educendo donec inguina appareant: Interim partes eductas linteo tenui cooperiat, eoque ſicco, ne manum pinguedine delibuta fœtus corpus elabatur, admodum lubricum, ratione humoris viſcidi ipſum obſidentis, quapropter firma apprehenſio ipſi non concederetur: Poſtmodum eundem ſupra inguina arripiat, eo pacto ad pectus uſque educturus, quo cum devenerit, utraque ex parte manus opera deprimat fœtus ambo brachia juxta truncum corporis, quæ haud difficulter illi occurrent; hoc obſervato, ut manus potius corripiat quam quampiam aliam corporis partem, dextera manu à viis liberando, ſucceſſive, nimia vi non adhibita, ne fracturam illis inducat, id quod plerumque accidit iis qui nulla obſervata methodo operationem exercent: Demum animadvertat, ut venter & facies inferiora ſpectent, ne accidat ut ſi ad ſuperiora vergant,

capue

caput juxta mentum cohibeatur ab oſſe pubis, Ideoque hunc ſitum ſi conſequutus non fuerit, enitendum ut ille concilietur; id quod non arduo negotio conſequi licet, ſi correpto corporis trunco, cum ad pectus uſque progreſſum eſt, id educatur, illud convolvendo qua parte magis vergit, donec idoneum obtineat ſitum, hoc eſt, vultum habeat pronum; quo perducto ad ſummas uſque ſcapulas, captanda eſt occaſio (matrem hortando tunc temporis conatum adhibeat) ut contingat in extractione, caput eundem cum iis locum occupare eodem momento, eoque pacto in via non ſubſiſtat.

Jubent Auctores id obſtaculū declinaturi, unicū fœtus brachiū deprimi, altero ſurſum elevato, quo ſic capiti funis inſtar inſerviens, hoc ſic nō coerceatur, neq; uterus conſtringatur priuſquam omnino excluſum ſit; Revera ſententia hæc probabilitate non caret, ſed ſi Chirurgus occaſionis captator fuerit, inutilis futura eſt hæc cautio, prædictum enim periculum magis metuendum eſt, ab alterutro brachio intus relicto, nam præterquam quod craſſitie ſua partem meatus occupaturum eſt, jam ex ſe anguſti, caput in unam magis quam aliam partem detorquendo, proculdubio ea de cauſa obſtaculum occurreret qua parte: Nonnunquam tentare volui fœtus extractionem pedibus arreptis, relicto intus brachio, ſed nunquam non accidit, ut utrumque deprimere coactus fuerim, quo pacto operatio ſemper ad votum ſucceſſit.

Occurrunt nihilominus fœtus, quorum caput adeo craſſum eſt, ut id in meatu hæreat, reliquo educto corpore, etiamſi omnia impedimenta remota fuerint; tunc tempus terendum non eſt, fœtum ſcapulis correptum attrahendo, nam aliquando potius colli divulſio à corporis trunco ſuccederet quam ut ſic educi queat; ſed interim dum aſſidens quiſpiam leniter corpus infantis extrahet, utroque pede correptum, vel ſupra inguina, Chirurgi officium erit, paulatim caput extricare ab impedimentis oſſium circa meatum ſitorum, intruſis aliquot digitis utriuſque manus, illos utrinque ex adverſo intromittendo, modo ſurſum modo deorſum, donec negotium abſolutum ſit; eo præſertim obſervato, ut mentum primo liberet & extricet, id quod conſequi poterit utriuſvis manus aliquo digito in os fœtus inſerto; hæc enim maxime pars impedimento eſt, quo minus caput anguſtias meatus evadat; quod nequaquam educere conceſſum eſt priuſquam mentum omnino expeditum fuerit: in id quoque enitendo; ut quam citiſſime fieri poterit negotium abſolvatur; quo à ſuffocationis periculo liberetur infans, quod periculum impendet diutius in his anguſtiis concluſo; Re ut decet peracta, illico mater à ſecundina liberanda eſt, modo à nobis tradito.

Iſtud obſervandum eſt, fœtui viventi non difficile eſſe ſitum illum ipſi conciliare, ut caput deorſum vergat, ſi illum non obtineat, quam plane neceſſarium eſſe ad facilem fœtus extractionem ſupra innuimus, ſingulæ quippe corporis partes fœtus vivi cum robore polleant & ſoliditate, caput corporis truncum conſequi ſolet, in idem latus inclinans, id quod nequaquam accidit capiti fœtus mortui, quia videlicet collum flaccidius redditum, firmitate carens, nequaquam confert ad facilem capitis in idoneum ſitum convolutionem, etiamſi corpori congruens à Chirurgo conciliatus fuerit, neque quicquam ſuperius requiſitorum neglexerit; Quo in caſu, poſtquam in fœtus mortui corpus omnino eductum fuerit, caput illius in via ſubſiſtit, quia directe ſitum non eſt, deorſum vergens una cum reliquo corpore: Tunc nequaquam inutilis conatus adhibendus eſt in extractione capitis fœtus, priuſquam una opera caput ad directam figuram deductum fuerit, id deorſum deflectendo; id quod præſtabit Chirurgus manum extenſam inſerendo ad vultum fœtus, ad eminentias complanandas, eoque pacto eum complectendo facilem illius convolutionem procurandam, ſitumque idoneum conciliandum; digitorum præterea aliquē ori inſerendo, quo mentum à meatu extricetur, ſicuti dixi: hoc interim obſervato, ut altera manu convolvatur caput infantis, aut ut per alium id fiat curando; quo eodem tempore obſequatur motui quem capiti procurat; Id quod nequaquam ab ipſo omittendum, ſi contigerit fœtus viventis caput eo modo in meatu ſubſiſtere ratione indonei ſitus; ſi enim caput intra corpus convolvere tentaret non item ſimul corpus; aut hoc ſine corpore, proculdubio colli contorſionem induceret, necemque in operatione fœtui inferret, prædicta circumſtantia non obſervata.

Ratio extrahendi caput fœtus à reliquo corpore divulſum, ac ſolum in utero Superſtes.

Etiamſi omnia tententur quo fœtus, pedibus arreptus, extrahi poſſit ex utero, occurrunt nihilominus aliquando fœtus adeo corrupti, ac per putredinem diſſoluti, ut ad levem etiam conatum caput à trunco reliquo divellatur, ſolumque in utero relinquatur, è quo nonniſi ægerrime educi poteſt, præ ſumma videlicet lubricitate, & humiditate loci in quo detinetur, tum & ob figuram ſphæricam quæ captum eludit; Tanta difficultas nonnunquam occurrit, ut duo vel tres Chirurgi, ex ſerie delaſſati ab opere deſtiterint, quorum irritus fuit conatus & induſtria in educendo; mulierum morte tandem ſubſequente; Ejuſmodi infortunium declinare illis licuiſſet, ſi ſequenti ratione proceſſiſſent.

Si ergo caput fœtus à reliquo corpore divulſum in utero hæſerit, ſive ob putredinem, ſive aliam ob cauſam, protinus, dum adhuc ille hiat, Chirurgus dexteram intrudat, atque os capitis inquirat (unicus enim ille eſt apprehenſionis locus) quo reperto, unum vel alterum digitum illi immittat, pollicem mento ſubito admovēs, poſtmodum ſenſim illud attrahat, maxilla inferiore apprehenſa; ſin hæc à reliquo capite abſceſſerit, conatu aliquo adhibito, id quod non raro accidit præſente putredine, tunc Chirurgus manum dextrā ex utero retrahat, ſiniſtram immiſſurus, qua caput illud confirmaturus eſt, dextra autem uncum parvum, nihilominus validum, eumq; ſimplicem, non bifurcatum, quem inducet ſequutus internam partem alterius manus, aduncam partem illi applicans ne utero læſionem inferat; quo ſic inducto, ſtatim illum obvertat ad caput, in alteram oculorū orbitam impulſurus, vel in alterutrum aurium foramen, aut occipitis, vel inter ſuturas, qua parte maxime commodum videbitur, in id ſemper annitens, ut quam firmiſſime poterit unc⁹ infigatur; poſtmodū affixū attrahat, extractionem manu læva adjuvans, integrum eo pacto educet, hoc obſervato, ut cum exitui proximum fuerit, unco firmiter adhærens, manum ſiniſtram ex utero ſubducat, quo via ſic amplior fiat, relictis ſolum ad capitis latera aliquot digitis, ad faciliorem extricationem & ab injuria aliqua ut defendatur uterus, ab unco imminente, ſi forte apprehenſum derelinqueret.

Liceret & fortaſſe experiri rem à me excogitatam, ſi videlicet faſcia ex linteo molli uſurpetur, quatuor digitis tranſverſis lata, longitudine partes duas ulnæ æquās, aut circiter, eaque duplicata, cujus duo extrema manu læva apprehendenda, dextra partem mediam, in uterum intromittendo, adeo ut poſticæ capitis parti admoveri poſſit, hocq; eo modo tanquam lapis in ea detineri, poſtmodum faſciæ extremitates conjunctas, attrahendo facilis fiet contractio, nullo à faſcia inducto ad tranſitum impedimento, ſiquidem quam minimum occupat ſpatium.

At ſi nulla prædictarum rationum voti fiat compos,

Chirurgus præ capitis mole, Jubet neceſſitas ut de magnitudine aliquid decedat, ope cultelli falcati; Eapropter manus ſiniſtra in uterum immittenda, poſtmodum ſenſim dextra culter inſinuandus, id ſemper advertendo ut apex internam manus prius immiſſæ partem ſpectet, ne læſio uteri contingat, poſtmodum eundem apicem verſus capitis ſuturas convertet,ac præſertim qua illarum conjunctio eſt, fontanellam ſcilicet dictam, ubi loci inciſionem inſtituet, quo fruſtis aliquot cranii detractis,facilior ſuccedat reliqui extractio, aut ſaltem dempta cerebri portione per hiatum factum craſſities capitis non parum imminuatur, ac proinde eductio minus evadat difficilis.

Paræus & *Guillemæus* prædictum cultellum adeo parvum requirunt ut totus manu dextra comprehendi poſſit; at proculdubio cum uterum adimplet fœtus juſto major, aut caput nimiæ molis, immiſſa Chirurgi manus adeo comprimitur ut vix in uſum ducere queat cultellum, niſi utero inſignem vim inferat; quamobrem ut opinor,prædicti cultri manubrium prælongum eſſe decet, quo is in uterum immiſſus una cum manu ſiniſtra Chirurgi, dirigatur à dextra quæ manubrium ab exteriori parte verſatura eſt, idque longitudine æquale eſſe debet uncis uſitatis: Prædictis rationibus inductus ejuſmodi inſtrumentum fabricari curavi, ad votum mihi ſucceſſit ſimili in neceſſitatis caſu.

Educto autem capite ex utero, ſedulo cavendum ne ulla portio ſuperſtes hæreat, inſimul ſecundinas omnino educendo, ſi forte ſuperſtites eſſent.

At hic quæſtioni locus, Num capite,in utero relicto, num ab ejus eductione inchoanda operatio ante ſecundinæ extractionem? Reſpondeo diſtinctione adhibita, Si ſecundina ab uteri parietibus omni ex parte divulſa ſit; prius hanc eſſe educendam, quia ſcilicet impedimento foret facili capitis eductioni; ſin ſi aliquantiſper utero adhæreat, ibi relinquenda quouſque caput fuerit eductum; ſi enim tunc temporis tentaretur extractio, inſignis ſubſequeretur hæmorrhagia, quam adaucturа eſſet commotio ab operatione inducta; quia nempe vaſa, quibus adnectitur, hiare ſolent, quandiu uterus diſtentus eſt à capite ibidem ſubſiſtente, neque prius occluduntur, quam foras protruſo corpore illo extraneo, tunc enim ab illius contractione concidunt, in ſeſe: Præterea,quamdiu ſecundina affixa eſt, minus periculi impendet ne contundatur aut lædatur inter operandum uterus.

Celſus l.7.c.29. quem nonnulli ſequuntur,præcipit ſimili in caſu, ut vir robuſtus mulieris abdomen vehementer comprimat utraque manu ſuperimpoſita,quo ſic caput ex utero elidatur; At à violenta ejuſmodi compreſſione metus eſt ne contuſio contingat in utero, qui tum temporis dolore non levi afficitur, ac ſimul inflammatio,à qua vitæ periculum immineret: Interim, ſi neceſſe eſt, coercere licet caput ne hinc inde vacillet, dum Chirurgus quod ſui eſt officii peragit.

Ratio iuvandi Parturientem cùm caput fœtus ante ſe foras propellit collum uteri.

Si ratio ſolum habeatur figuræ quam ſervat fœtus in iſtiuſmodi partu naturalis proculdubio erit cenſendus, at ſi attendamus ad uteri conſtitutionem cujus procidentia metuenda eſt vel in fœtus exitu, vel dum extrahitur, Judicabimus non omnino naturalem eſſe, hujus enim caput illum valide ad exteriora propellens, id infortunii facile inducere poteſt niſi parturienti adjutrices manus attulerimus; Eo in caſu deprehendere licet vaginam uteri, rugis inſignibus tumentem extra ferri prout fœtus exitum molitur.

Mulieres quibus uterus procidentiæ obnoxius fuit ante graviditatem,& quibus humiditate ſcatet, crebro hoc malum incurrunt, præ ligamentorum relaxatione, Hujuſmodi in partu non eadem ſervanda eſt methodus quæ in partu naturali, nam in illo nequaquam præcipienda eſt ambulatio, parturienti, aut ut ſtet erecta jubendum,quin potius decubitus imperandus, & ut corpus æqualem ſitum ſervet, neque adeo erectum ac requiritur in partu naturali: Neque præterea ullum clyſma injiciendum acre aut irritans, ne nimii excitentur enixus: uti nec nimiopere uterus humectandus,jam nimio plus relaxatus: Legitimum auxilium quoties ingruunt dolores, cum fœtus caput exerere incipit, collumque matricis eo modo foras propellere, in eo ſitum eſt ut obſtetrix ex utroque capitis latere manum unam admoveat, quo repellat; obſiſtendo doloribus parturientis, ſolum uterum verſus ſuperiora, interim ſpatium concedat fœtui ad progreſſum; eaque ratione procedendo quoties enixus apparent, pergendo quouſque mulier ſponte fœtum omnino excludat; neque enim ulla ratione educi debet apprehenſo capite, ſicuti fieri ſolet in partu naturali, ne ſimul ac ſemel procidat uterus, ad exitum ſponte proclivis.

Si nihilominus contigerit fœtus caput jam egreſsū eſſe orificium internum uteri,ibique moram diuturnam trahere,adeo ut ſuffocationis metus illi immineat, tum neceſſe eſt accedere in obſtetricis auxilium quempiam qui caput leniter extrahat, interea dum obſtetrix cohiberet uterum ne una cum fœtu excideret.

Partus cum ſucceſſerit,ſecundina educenda venit, ratione ſupra allata;cavendo itidem ne ulla in extrahendo accedat violentia;poſtmodum reducendo uterum debitum in locum,ibique coercendo,ſi forte elapſus eſſet.

Niſi obſtetrix methodum à me traditam obſervaverit, futurum eſt ut illius culpa uterus procidat & extra vulvam propendeat ſtatim à partu imo & ejus cervix nonnunquam exeat,omnino ante partum; tuncque temporis in magnitudinem&longitudinem portentoſam protinus excreſcit,ab influxu humorum inſigni,id quod accidiſſe memini uxori Arculatii, cui etſi partus impeditus eſſet ob omnimodam procidentiam cervicis uteri, adjutricem manum attuli,adeo ut & fœtum vivum enixa ſit, & intra breve temporis ſpatium convaluerit, etiamſi collum uteri mirandum in modum intumuiſſet, jamque lividam necroſin minitaretur.

Ratio extrahendi Fœtum cum egreſſus illi denegatur ob capitis nimiam magnitudinem, aut quia viæ ad exitum non dilatari ſufficienter poſſunt.

Nonnunquam accidit Fœtum,etiamſi naturali modo in lucem viam affectet,in via hærere per quatuor, quinque, quin & ſex dies integros, in qua diutius ſubſiſterent niſi ars ſuccurreret, facta illius extractione, quo impellimus ſi modo matrem ſalvam eſſe velimus, Familiare id brevis ſtaturæ mulieribus in prima parturitione, vel ætate provectis,quia articulus coccygis ſat laxus non eſt, uterus autem ſiccior & denſior, expanſionem non admittit æque facilem ac in iis quæ antea pepererunt,aut non adeo annoſæ ſunt.

Simili in caſu poſtquam Chirurgus omni ingenio relaxationem & dilatationem conciliarit locis, per Fotus,Unctiones,Linimenta,olea & axungias molliendi vi præditas; quo facilis pateat fœtui egreſſus, irrito tamen conatu, ob capitis excedentem magnitudinem; ſi præterea conſtet fœtum eſſe mortuum, id quod fere accidit ſi per quatuor aut quinque dies ibi permanſerit, elapſis aquis; Id quod amplius innoteſcet ex ſignis antea à me traditis, Tum citra ambages uncum immittat, infigatque cuipiam capitis parti ad fœtus extractionem.

Commodius quidem videtur ſi uncus affigatur parti capiti, poſteriori potius quam ulli aliæ quæ extractio dire-

directa magis ſit, at experimento didici non æque proclive eſſe manum illi parti admovere, quod ſemper infra os pubis jacet, quo loci oſſa, quæ viam efformant, conſtrictiora magis ſunt quam ad latera, in quibus cum ſpatium multo liberius ſit, uterus expandi poteſt nulla vi illata cervici veſicæ, quod periculum Chirurgus nequaquam declinare poſſet, ſi manum unco inſtructam, immittere vellet, illum capiti fœtus parti poſteriori infixurus, à qua collum veſicæ tunc temporis adeo arcte comprimitur, ut iſchuria omnimoda illis accidat, quam præterea adauget ſuccedens inflammatio, nunquam defutura ſi per plures dies in anguſtiis remanſerit; effluxu aquarum præcedente.

Quapropter Chirurgus, ſollicitata prius parturiente ad mictionem, imo, ſi neceſſe ſit, immiſſo cathetere oleo inuncto, quem in veſicam leniter intromiſſurus eſt, pauliſper repulſo fœtus capite, ad faciliorem cathereris ingreſſum, manum dextram expanſam in uteri orificium, ad latus capitis fœtus, ſiniſtra autem inſinuabit uncum, cujus apex validus eſſe debet & brevis, manus dextræ partem internam ſpectans, poſtmodum illum ad latus capitis infantis contorquebit, infigetque manu comprimens ad medium oſſis parietalis, ac mediocriter attrahendo prout adigitur apex unci, donec de firmitate infixionis certus ſit; Poſtea manum dextram ſubducet, inſtrumenti manubrium arrepturus; Introducta autem ſiniſtra manu ad alteram partem capitis fœtus, illud reducturus & ſuſtentaturus, ſenſim illud attrahet, perpetuo manu ſiniſtra dirigens prout illud procedit, dextra attrahendo, donec id omnino eduxerit extra vaginam; adhibens præterea, ſi neceſſe fuerit, alterum uncum, eodem modo ac priorem infixum, oppoſito nempe capitis lateri, quo attractio æqualiter ſuccedat, Poſtea eductis inſtrumentis, caput ambabus manibus arripiat, reliquum corpus fœtus una educturus.

At ſi irritus fuerit conatus Chirurgi in eductione capitis infantis integri hac ratione, ob enormem magnitudinem, tunc id incidat neceſſe eſt uſus cultro recto, vel nonnihil incurvo, pro re nata, inciſione facta circa ſuturas, qua vacuata parte cerebri, imminuatur hinc capitis magnitudo, poſtmodum uncum eundem in locum immiſſurus eſt, ad cranii interiora, is quem cuipiam oſſi eſt infixurus, quo pacto non difficilis illi futura eſt eductio capitis fœtus, niſi difficultas aliunde quam à magnitudine capitis fœtus pendeat.

Sed non raro accidit ut non tam à tali capitis fœtus magnitudine is intereat, atque incarceratum in meatu per plures dies maneat, poſtquam aquarum effluxum, quam ob uteri ſiccitatem, quo fit ut non ſufficienter dilatari queat urgentibus matris doloribus, quamobrē cum fœtum expellere nequeat, omnino illi deſinunt, prægreſſis plurimis irritis conatibus: unde deinceps uteri ſubſtantia inflammationem concipit, adeoque intumeſcit, ut tanquam in proplaſmate incuneatus fœtus, nonniſi ſumma vi & labore inde educi poteſt, cum caput ex naturæ inſtituto reliquo corpori viam vi huic non fecit qu. propter ſemper in id elaborandum ut integrum educatur, quantum poſſibile erit; nonnunquam enim contingit fœtum in utero morari ob humerorum magnitudinem, potius quam capitis; quod ſubſidens evacuato cerebro, operationem adhuc difficiliorem efficit; quia tunc uterus adhuc magis quam ante contrahitur, id quod accidit prout capiti de magnitudine decedit, unde corpus reliquum fœtus interius adhuc magis cohibetur; neque eam facilitatem in extractione exhibet, quæ occurrit cum caput infantis integrum educitur, adde quod divulſis capitis oſſibus, atque ab invicem his abſcedentibus, quia firmamento carent, multū difficultatis hinc Chirurgo operanti ſubnaſcitur, atq; ab iis læſio utero imminet, niſi cautio adſit.

In ejuſmodi partibus quidam Chirurgi inciſionem inſtituunt, in parte inferiori & externa vulvæ, rati caput fœtus ob ſolam anguſtiam meatus morari, ſicque commodiorem exitum illi parari; at craſſe errant, in interiori enim parte, circa orificium internum fœtus coercetur ob rationes ante allatas, Sed præterquam quod ejuſmodi inciſio plane inutilis eſt, non raro à partu ſuccedit necroſis inflammationi illarū partiū ſæpiſſime comiti, ob cōfluxū humorū excrementitiorum, dū lochia effluunt.

Nec dubium eſt, ſi fœtus fuerit mortuus, ea methodo procedendum eſſe quam oſtendi ſi ſalvam eſſe velimus matrem, neque enim alia educendi apparet ratio, ſi quidem caput corpus eſt ſphæricum lubricumque, quod apprehendere alia ratione non datur, neque conceditur ſpatium in quo convolvi poſſit fœtus, ut pedibus apprehenſus extrahatur, cum jampridem caput coarctatum eſt intra meatum, & aquæ effluxerunt; prius enim mater necaretur quam ut id obtinere liceat, Etiamſi porro infans non omnino vita eſſet privatus, illam deponeret inter operandum, ob vim ſummam quam utrique inferte neceſſe eſſet ut res ſuccederet.

Hoc vero loco ſedulo diſquirendum, Num fœtus vivus unco, extrahendus ſit ſi nulla alia appareat ratio ipſum educendi, ut ſalva ſit mater, cujus meatus anguſtiores ſunt, neque ullo pacto dilatari queant ut exitus fœtui detur; Vel an differenda ſit Operatio, cum imminenti vitæ matris diſcrimine, quouſque de morte fœtus certo conſtet.

Ex mea ſententia, ſiquidem indubium eſt fœtui certum exitium utrinque impendere, (in via enim reſtitans, illic moriatur neceſſe eſt; ab admotis autem uncis mors illi infertur) licet, (ſicuti neceſſe eſt) illum vivum aut mortuum inde extrahere, quamcitiſſime fieri poterit, videlicet cum omnis omnino ſpes decollavit illum quacunque ratione educendi, ut videlicet mater, ſilicet, imminenti periculo eximatur, quod proximum eſt, niſi auxiliares ea ratione manus adhibeantur. Idem ſentit *Tertullianus* lib. de Anima c. 13.

At quin & in ipſo adhuc utero infans trucidatur, neceſſaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus.

Me quod attinet ſatius duco huic viæ inſiſtere quam ut ad crudelem ſectionem Cæſaream deveniamus, cujus ope ut mortem evadat ægra omnino impoſſibile eſt, quicquid in contrarium adducat *Roſſetus*, illius patronus; Imponunt enim illius auctores; ſicuti apertum faciam ſuo loco: Cum vero ex duobus malis ſit eligendū, prior via tutior eſt, à qua ſalutem matris ſperare licet.

Qua arte mulieri in partu opitulandum cum fœtus capitis latus offert, Aut cum faciem primo obtrudit.

Cum fœtus caput ex alterutro latere occurrit, etiamſi partus ille ad naturalem accedere videatur, quia caput ſeſe offert, diſcrimen tamen inde, tum matri tum fœtui occurrit ratione depravati iſtius ſitus, prius enim collum obtorqueretur fœtui quam ut partus ſuccederet; tuncque eo magis in anguſtiis hæret quo majores mater in excludendo nixus adhibet; qui omnino fruſtranei ſunt, niſi fœtus caput ad debitum ſitum reſtitutum fuerit, Quamobrem quamprimum de ejuſmodi ſitu conſtiterit, ut decumbat mulier neceſſe eſt, ne ſi fœtus prave ſic conſtitutus ulterius pergat, vix repelli poſſit; id quod omnino faciendum quo debitam diſpoſitionem nanciſcatur, caput ſcilicet ut decet reſtituendo.

Eapropter parturienti ſitus commodus conciliandus erit curādo ut paululum indeclinet latus oppoſitum depravatæ fœtus poſitioni, Poſtmodū Chirurgus manum, oleo pri⁹ probe inunctam immittat ad latus capitis fœt⁹, id reducturus, leniter, digitis inter uterū & caput inter-

poſitis: At vero ſi caput adeo incuneatum fuerit, ut res ad votum ſuccedere nequeat, tunc manum inſinuet ad humeros uſque fœtus,quo ſic aliquantulum repulſus in uterum,poſitionem convenientem illi præbere queat.

E re eſſet ſi Chirurgus utraque manu fœtum retrudere valeret,ſed meatu,à capite adeo occupatus eſt, ut ſæpe vix unicam intrudere liceat, qua operatio illi perficienda eſt,coadjuvantibus extremis alterius manus digitis, quantum licet alte immiſſis: hinc ille promovere debet fœtus exitum ſicuti dictum ubi de partu naturali: Procurando ut quamprimum aquæ effluxerint id opus aggrediatur, ſi obſervaverit ad latus caput declinare:Niſi enim præſens fuerit auxilium,caput in humeros devolutum, in meatu adeo incuneatur, illiuſque inæqualitates tam ſtricte propriæ uteri ſubſtantiæ infiguntur (qui undique intumeſcit à ſubſequente inflammatione, ut poſtmodum arduum ſit debitam poſitionem comparare, concurrente præterea ad operis difficultatem partium ſiccitate. Sin impoſſibilis fuerit capitis reductio, ob depravatum corporis fœtus ſitum, cujus cauſa id ut decet componi nequit, tunc ad ultimum confugiendum eſt auxilium, ut videlicet omnino convolvatur fœtus, pedes illius indagando, quibus apprehenſis ſtatim is extrahatur: Id quod nuper feliciter præſtiti in uxore D.*Gourot* Chirurgi,cui fœtum vivum eduxi, &c.

Nonnunquàm fœtus facies offertur, capite in poſteriora inclinato, quæ poſitio felici partui quoque adverſa eſt; quam ſi aliquamdiu ſervaverit, vultus cum livore adeo ſtuporem intumeſcit, id quod accidit tum ratione compreſſionis in ejuſmodi poſitione contingentis, quam durioris & frequentioris contrectationis, à digitis dum convenientiorem ſitum procurare annititur Chirurgus.

Vt autem tute procedat iſte partus, eadem ratione procedendum qua cum fœtus capitis latus offert;quod manibus reſtituendum ſicuti ante dictum; id perpetuo obſervando ut leniter contrectetur caput quantum licuerit, ne vultus contuſionibus violetur.

Ratio juvandi Partum;cum corpus infantis in viis hæret,humeris tenus,capite omnino illas egreſſo.

Ex naturæ inſtituto fœtus primo caput ad exitum ex utero producit, ut ejus duritie & magnitudine viam facilius ſternat reliquis corporis partibus, quæ utplurimum nullo labore ſubſequantur, ſi illud viam ſtraverit; Occurrunt tamen nonnunquam fœtus tam exiguo capite donati, humeris vero adeo amplis & craſſis, ut nonniſi ægerrime illac pertranſeant, quamobrè nonnũquã in via hærent etiãſi caput anguſtias egreſſum ſit.

Difficultas nonnunquam exinde oritur quod fœtus ante aliquot dies in utero mortuus ſit, nam ſi quidem caput flaccidum & mollius evaſerit, id concidit & in exeundo longius fit, ſoliditate vero omnino carens, ideo æque poteſt viam ſternere humeris ac cum fœtus vita fruitur.

Id infortunium nonnunquam etiam accidit cum non tempeſtive apprehenſum fuit caput fœtus ſicuti fieri debere dixi cum de partu naturali actum, quo eodem momento humeri ſubire valeant locum quem caput ante occupabat.

Si ſimilis caſus Chirurgo occurrat, feſtinandum illi eſt ut cito fœtũ è carcere iſto educat,& collari eximat collum ſtringente,ſtrangulationemque brevi inferente, quam declinaturus, conatus adhibeat ut humeri caput ſubſequantur, hoc leniter & modeſte attrahendo, modo apprehenſis lateribus,modo etiam altera manu prehenſa mentum ferina parte, altera poſtica capitis quod alternis utrinque faciendo, ut citius ſcopum aſſequatur;accurate cavendo ne funis umbilicalis collum intorqueat, aut violentius caput attrahat,ne contingat quod factum vidi in infante, cui præ attractionis vehementia caput à trunco avulſum fuit.

Si irriti fuerint iſti conatus, unus vel alter digitus utriuſque manus infra ſubtus unamquamque axillam inferendus eſt, quorum ope illæ interius incurvatæ, promovebuntur, ac paulatim adducentur humeri; qui ſi meatum ſubierint, & ab illo omnino expediti fuerint, nec tamen fœtu potiri queat Chirurgus, eo modo infra axillas apprehenſo, indubium eſt obſtaculum aliud quodpiam occurrere, ac quapiam in corporis parte monſtri quid gerere aut, quod plerumque contingit, tumidum illi eſſe ab hydrope ventrem, cujus intumeſcentiæ cauſa prohibetur omnino egreſſu ex utero, priuſquam perforatione facta via pateſiat aquis,quibus eductis facilis illa eſt, id quod ſimili in caſu à me non ſemel præſtitutum eſt.

Ratio juvandi partum cum fœtus una cum capite manus ad exitum producit.

Si quæpiam corporis pars una cum capite ſe offerat, ea utplurimum eſt manuum eſt alterutra, vel utraque potius quam alia quæpiam, quapropter inhibetur partus,ſi quidem manus ſpatii meatus partem occupant, & caput ad latus aliquod detorquent.

Hac vero ratione auxiliandum, quamprimum manum alterutram ſe exſerere deprehenſum fuerit, progreſſus illius inhibeatur, ulterior in meatum, quamobrem decumbat parturiens eo ſitu neceſſe eſt ut clunes paulo elatiores ſint; demum Chirurgus reducat & repellat quam longe fieri poterit fœtus manum, vel utramque ſi ambæ producantur, quo modo fiet ut caput ſolum ſe efferat, quo facto, ſi id ad latus inclinet,ad figuram naturalem deducendum erit, & medium meatum, quo directa procedat via, ſicuti à me oſtenſum illo capite quo de capite reducendo obliq; compoſito.

Si id obſervatum fuerit ut auxiliares cito afferantur manus parturienti cum non ita pridem aquæ effluxerunt, ac dolores partus legitimi premunt, uterus præterea ſufficienter hiet, proculdubio partus ſatis ex voto ſuccedet, At contrarium ſi ejuſmodi circumſtantiæ abfuerint,eventurum eſt, manibus una cum capite ſe efferentibus; Si enim uterus exſuccus fuerit, nec ſufficienter pateat, majori conatu opus erit ad repellendas fœtus manus, nec abſque metu doloris matri inferendi; ſi præterea legitimi dolores non premant, caput neque facile neque cito meatum ſubiturum eſt, totum id ſpatium ſubiturum quod manus occupaverant, poſtquam illæ repreſſæ fuerint: Eapropter Chirurgus omni ſtudio caveat,dum manu manus fœtus repellit ne propriam retrahat extra uterum priuſquam recens dolor mulierem apprehendat, quo eodem momento fœtus caput in vaginam deducat, prohibiturus eo pacto ne manus iterum in eam prolabantur.

Ratio promovendi partum cum fœtus unicam aut alterutram manum profert.

Cum fœtus alterutram aut utramque manum exſerit, vel brachium quod cubito tenus profertur aliquando, nonnunquam humero, inter maxime depravatas figuras hæc cenſenda eſt, tum fœtui tum matri perniciem minitans ratione conatuum inſignium quos Chirurgus utrique inferre neceſſe habet fœtus pedes indagaturus admodum diſtantes, quos ſimilibus in caſibus apprehendere neceſſe habet, poſtquam in alium ſitum deduxit: quo fit ut ſæpe rigida hyeme ſudore diffluat præ difficultate quæ ſimili in caſu occurrit, graviori quam in aliis partubus; etiamſi fœtui à quibuſdam majus vitæ diſcrimen immineat,

immineat, ſicuti cum abdomen ſimulque umbilicus prominent, at vero tantum Chirurgo negotium non faceſſunt, ſi quidem cum fœtus pedes meatui proximiores ſint non tanta illis in diſquirendis difficultas illi occurrit, ac cum manus ſe proferunt; tunc enim non raro pedes fœtus ſurſum vergunt, & ad fundum uteri, ubi loci diſquirendi ſunt ad ſitus immutationem, hinc extractionem qua ratione dixi.

Si ergo manus alterutra, aut totum brachium, prius ſe exſerant, cavendum ne extractio fœtus hac parte correpta tentetur, eo enim difficilior ſemper eſt partus quo magis brachium exſeritur, idque prius à trunco corporis avelleretur quam ut infans ea ratione extrahi poſſet, oblique enim & ex tranſverſo ſeſe obtruderet: Sin ambo brachia ſimul proferrentur, ac ſimul attraherentur, ſufficiens ſpatium non ſupereſſet capiti excipiendo, quod præterea retrorſum ferretur: Quapropter parturient debito ſitu aſſignato, quamprimum in uterum retropellenda ſunt manus & brachia infantis; extra prominentia. Nonnullæ obſtetrices tunc frigidæ ea immergunt, aut linteo eadem madido abluunt, ajentes fœtum, ſi vita donatus ſit, protinus illa retrahere: ſed utplurimum adeo perverſus eſt ſitus, in anguſtiis adeo incuneatus, ut denegetur illi libertas motus manuum, ſi exertæ fuerint; Quapropter Chirurgus propriæ manus miniſterio illas debet retrudere, quam in uterum immittat infra pectus & abdomen infantis, atque eatenus quoad occurrant pedes, quos leniter ad ſe adducturus eſt, ſitum contrarium infanti conciliaturus, quibus arreptis extractionem moliatur; quam leniſſime tamen fieri poterit; Id quod illi facilius erit quam ſi ſitum naturalem procurare tentaret, ſicuti nonnulli præcipiunt; qui nunquam manum operi admoverunt; Adde quod etiam ſi Chirurgus voti compos fieret, & mater & fœtus adeo debiles fierent, ut illa viribus careret ad excluſionem fœtus, qui ea de cauſa citiſſime quoque interiret.

Quamprimum ergo Chirurgus infantem in pedes converterit, ſi unicum arripuerit, alterum inquiſiturus eſt, priori illum conjuncturus, utroque autem comprehenſo, modo utetur à me ſuperius tradito, ubi actum de partu quo in pedes ſe profert infans. Sin brachium humero tenus proferretur, adeo tumefactum (ſicuti contingit, cum diu exertum manſerit) ut vix aut nequaquam retrudi poſſit; ex præcepto *Ambroſii Parei*, ſi de morte infantis conſtiterit, quantum brachii ſe protulerit id totum exſcindatur, quam alte fieri poterit, ablata prius carne, & inciſo oſſe ope tenacularum inciſoriarum, quo portio relictæ carnis oſſis aſperitatem cooperiat, eoque pacto prohibeatur læſio uteri dum convolvitur infans, pedibus arreptus extrahendus.

Si nihilominus Chirurgo non liceret brachium intro repellere, neceſſitas tamen ablationis illius adeſſet, (id quod in extremis tantum tentandum eſt) ſcopum minori negotio attinget bis aut ter illud contorquendo, teneritudinis enim ratione facile à reliquo corpore divelletur qua parte humerus ſcapulæ connectitur, eoque pacto & tenaculis, & aliis inſtrumentis illi carere licebit; neque ullæ aſperitates occurrent, ſublato ſcilicet proxime articulum humero.

Porro cum ea ratione educendus erit fœtus, vel per uncum, caveat ne decipiatur Chirurgus, neq; opus aggrediatur quin ejus apertiſſima ſint indicia.

Ratio extrahendi fœtum cum manus & pedes ſimul & ſemel offeruntur.

Si ſimul & ſemel manus pedeſq; infantis producatur, omnino impoſſibilis eſt exit⁹; Tunc Chirurgus explorãs digitus orificiũ uteri, nihil aliud deprehenſur⁹ eſt quam multitudinẽ digitorum occurrẽtium; Quod ſi id nondũ ſufficienter hiaverit, aliquandiu hæſitaturus eſt, pedes à manibus vix diſtinguens, quia nonnunquam tam arcte complicantur, ut eandẽ figuram referant; quamprimum vero uterus ſufficienter expanſus fuerit ut manum admittere queat, man⁹ à pedibus levi negotio diſtinctur⁹ eſt; quo obſervato, manum leviter intrudat ad uſq; thoracem infantis, non procul diſſitam; quo cum pervenerit, leniter repellat pedes & manus ad fundũ uſq; uteri, intactis pedib⁹, quos ibi relictur⁹ eſt ubi illos deprehendit; commodo prius ſitu matri conciliato, ut videlicet clunes paulo elatiores habeat, qui ſitus perpetuo obſervandus eſt quoties occurrit neceſſitas retrudendi fœtum verſus fundum uteri; hunc porro pedibus apprehenſum, ut dictum, extrahat.

Non raro accidit, ſi aquæ paulo ante effluxerint ut attactis ſolum ambobus pedibus, corpus ſponte in uterũ relabatur, adeo ut neceſſe non ſit fœtũ vel retrudere, vel convolvere, ſicuti ſuperius dixi: At vero cum uterus exſuccus eſt, aut fœtus in meatu incuneatus eſt, tunc neceſſario corpus & manus retrudi debent, quo liberius circumvolvi queat, Si enim tũc eductio tentaretur per pedum attractionem, citra corporis repulſionẽ, eo magis in meatu incunearetur reliquũ corpus. Iſtiuſmodi partus revera operos⁹ eſt, at multo min⁹ eo de quo præcedenti capite actum, cũ ſolũmodo man⁹ offeruntur: hoc enim in caſu profunde inquirendi ſunt, omninoq; convolvẽd⁹ fœt⁹ quo poſſit extrahi, in priore vero caſu proſtãt, quia ſeſemet offerunt; idq; operis tantum incumbit ut paulo elatior fiat pars corporis ſuperior, eaq; repellatur, id quod fere ſponte accidit vel leviter pedes attrahendo.

Qui de partu ſcripſerũt theoretice tantum, quo in numero plurimi, (*Medici quidẽ fama multi, ſed opere valde pauci*) unanimi conſenſu præcipiunt, ut quilibet ſitus præter naturam ad naturalem reducatur, ut ſcilicet infãs in caput exeat; at ſi iidem operi manum admoviſſent, futilitatem præcepti animadverterent, ſi quidem conatus plerumque impoſſibilis eſt, niſi ſumma vis cum vitæ præſenti diſcrimine, tum matri tum fœtui inferatur. Quicquid vero in contrarium dixerint, ea ſũ in ſentẽtia, neq; abnuent artis periti, quotieſcunque perverſo ſitu offertur infans, ac quæcunq; pars corporis obviam venerit, à ſummis humeris ad pedes uſque, tutius eſſe, & compendioſius, pedibus arreptum extrahere, illos, niſi prius occurrant, indagando, quam inanem operam ludere in ſitu naturali procurando, caput ſcilicet ad oſtium uteri adducendo; Inſignes enim conatus quod, adhibere neceſſe eſt in convolutione fœtus intra uterum (id quod paulo difficilius eſt quam ovi mixtum in ſartagine invertere) adeo matris & fœtus vires infringunt, ut deinceps nullæ ſuppetant vires ad naturæ opus perficiendum; deſinuntque poſtmodum utplurimum tormina partum præcedere ſolita, adeo ut fœtui certa pernicies immineat, &c.

Ratio extrahendi fœtum cum genua occurrunt.

Si infans improbe in utero convolutus ſicuti accidere ſolet poſtremis menſibus in caput non prodeat, ut caput prius prodeat, ſed genua oſtendat, pedibus verſus nates reductis, tunc errori occaſio datur, ratione duritiei & rotunditatis genuum; ſi nempe altius adhuc collocatus fœtus, extremis tantum digitis attingeretur dum capitis occurrentis opinionem facerent; at propiori examine, quando uterus ſufficienter hiaverit, fœtus porro paulo inferius devolutus fuerit, diſtinctio erit facilior. Quamprimum ergo res erit agnita, nequaquam permittendus eſt ulterior infantis deſcenſus in vaginam, ſed commodo ſitu dato parturienti, leniter ad intro propellenda ſunt ejus genua, quo facilior ſit extricatio tibiarum ab invicem, id quod conſequi licebit Chirurgo unum vel alterum digitum popliti ſubmittẽdo, eoſq; paulatim inferẽs ſecundum ductum poſterioris tibiæ, hanc ſemper tantiſper oblique adducens, quouſq; pes occurrat, ut uno extricato, alterum ſimiliter expediat, eadem ratione qua in priori: Tandem poſtquam utrumque reduxerit, extractionem peragat

eadem ratione ac ſi fœtus pedes primo produxiſſet; in id perpetuo intentus ut facies inferiora ſpectet, obſervatis præterea aliis à nobis adnotatis circumſtantiis.

De Fœtu humerum, aut dorſum, aut nates offerente, Et ratione illum evocandi.

Maxime omnium incommodus trium iſtorum ſituum ille eſt cum humerus ſe profert, quia maxime is à pedibus infantis diſtat, qui indagandi chirurgo ad infantis extractionem: medium locum tenet cum dorſum offertur: eadem ratione nates minus negotii pariunt non modo, quia pedes proximiores ſunt, ſed præterea ejuſmodi in ſitu caput & collum infantis minus in anguſtiis hærent, quam in præcedenti utroque ſitu.

Facilitati Partum cum humerus obtenditur, quidam exiſtimant ſi ille retrudatur, ut caput infantis illi ſuccedat, eo pacto vitioſum iſtum ad naturalem perduci rati; Sed ſatius eſt, dictis ante de cauſis, capite xxii. tentare eductionem, à pedibus, Quapropter Chirurgus tantiſper retrudat humerum manus opera; quo facilius ſibi liceat manum in uterum inferre, quam poſtmodum protendens ſecundum longitudinem corporis infantis, qua parte minus obſtaculi occurrerit: pedes indagaturus eſt fœtum omnino convolvens illos in meatum.

Deducens, hunc tandem foras educturus, ſicuti dictum.

Sin dorſum appareat, impoſſibilis omnino eſt partus, & quoſcunque nixus parturiens adhibeat, nunquam in vaginam fœtum, ea ratione ſitum protruſura eſt, ac præterea fœtus in anteriora flexus quaſi duplicatus, thorax & abdomen adeo comprimuntur, ut ſuffocationis metus immineat; Cui periculo occurret Chirurgus ſiquamprimum inſeruerit manum, eamque ſecundum dorſi longitudinem protenderit verſus inferiores fœtus partes; quouſque illius pedes occurrant, poſtmodum extrahens non ſecus ac ſi illos primo exhibuiſſet.

At cum fœtus in nates exitu ſit, ſi parvus fuerit, mater autem procera, meatibus amplis donata, nonnunquã eo ſitu prodire poteſt: dummodo adfuerit auxilium, etiamſi enim duplicatum fuerit corpus, attamen cum femora verſus ventrem, qui mollis eſt & obediens, ſint reflexa, locum ſibi ſic ſat facile parant.

Quamprimum Chirurgus nates infantis obtrudi animadvertet, progreſſui obſtet, ne in anguſtiis meatus hæreat, exitus enim difficilis foret; repellere debet nates, ſi licet, ac deinceps inſerta manu ſecundum femora ad tibias uſque & pedes fœtus, hos leniter ſucceſſive extra uterum, illos inflectens, extendens, contorquens & adducens verſus locum maxime commodum; cavendo à nimia contorſione, vel diſlocatione; hinc corpus adducat, ſicuti dictum.

Dixi Chirurgum cum deprehendit fœtum in nates prodire, ipſum repellere debere, *ſcilicet*, nam aliquando eouſque in meatum accedit, ut prius necem illaturus ſit matri & fœtui quam ut verſus interiora hunc repellere valeat, ſi quando illic incuneatus fuerit, quod ſi accidat, nequaquam in ejus poteſtate ſitum eſt ut alia ratione exitum illi patet; cujus ſitus cauſa venter adeo comprimitur ut meconium ex eo exprimatur, Exitum tamen adjuturus eſt, uno vel altero utriuſque manus inſerto digito ad latera natium, ad inguina eos illaturus, eoſque intro flectens, horum ope culum exterius adducturus eſt ad uſque femora, ac demum hæc tantiſper oblique hinc inde attrahens, hæc à meatu expediet, hinc tibia & pedes ſucceſſive, cavens ne fracturam vel diſlocationem inducat, ac tandem extractionem perficiet, non ſecus ac ſi in pedes prodiiſſet: Ante xvi. annos ejuſmodi partum feliciter promovi, nulla injuria matri aut fœtui illata.

De Partu in quo fœtus ventrem, aut pectus, aut latera offert.

Spina dorſi inflecti quidem tantillum poteſt & incurvari verſus anteriora, nequaquam autem in poſteriora ſummam is citra læſionem; quapropter peſſimus omnium, maximeque periculoſus ſitus ille eſt quo obtenditur fœtus pectus aut venter; Corpus enim tunc neceſſario in poſteriora inflectitur, & quantumvis enitatur parturiens in expulſionem fœtus, nunquam tamen voti compos fiet, quin potius certum exitium utriq; imminet niſi præſens præſidium adfuerit, ſin contingat partum ſuccedere, quantilla mora fuerit, diu poſt nativitatẽ infirma remanebit ſpina, maxime autẽ intenditur periculum, quod funis umbilicalis fere ſẽper extra uterum propendeat, cum venter obverſus eſt meatui uterino.

Id ſi acciderit, non aliud occurrit auxilium quam ut Chirurgus protinus infantis pedes apprehendat, hac ratione uſus.

Prius commodo ſitu conciliato parturienti dato, manum expanſam inſinuet, oleo aut butyro probe inunctam, verſus medium pectus infantis, intus ipſum repellendo, ut plane ipſum convolvat (ex dimidio enim eſt eo in ſtatu, cum pedes & tibias habeat meatui æque proximas habeat ac caput quando medium ventrem profert) poſtmodum manum dirigat ſubtus ventrem, donec invenerit pedes infantis, quos adducere debet ad meatum ipſum extracturus, eodem ritu ac ſi ſic prius occurriſſent; in id ſemper intendẽdus ut vultu & pectore prono prodeat, iſtiuſmodi ſitum perpetuo illi procurando priuſquam caput adducat, ob rationes antea non ſemel dictas.

Si infans obverſo pectore aut ventre exitum affectet, eadem methodo utrobique incedat, ſimilibus enim circumſtantiis locus eſt.

Præterea latera fœtus aliquando objicit, tunc æque impoſſibilis eſt exitus ac in duobus prioribus caſibus, at non adeo vexatur, neque æqualis noxa illi imminet, diutius enim ſic protrahere poteſt vitam, præterea non æq; citò umbilicus profertur, ac cum venter meatui opponitur: Juvabitur iſte partus, eadem ratione ac in prioribus duobus fœtum, pedibus arreptum educendo, id quod ſic obtinebit Chirurgus, Poſt convenientem ſitum parturienti datum, manu tantiſper repellat corpus infantis, quo illi facilis pateat introitus; ſecundum femora hanc dirigat donec occurrant tibiæ & pedes, quibus arreptis corpus convolvat ac demum extrahat, prædictis obſervatis circumſtantiis: Triplici hac in partus differentia ne ludat operam fœtus eductionem a capite tentando, ac ſitum naturalem illi procurando; Exiguo enim temporis ſpatio ſi ejuſmodi in ſitu commoretur, ſummum illi vitæ diſcrimen imminet; &c.

De partu Geminorum vel plurium, cum diverſo ſitu exitum affectant.

Si ſitus in utero ſuperius traditi, unico exiſtente fœtu, moleſtiam pariant Chirurgo, proculdubio major occurret ſi plures adfuerint vitioſe conſtituti; adeo enim compreſſi ſunt & coacti, ut mutuo ſibi ſint impedimento ad exitum; demum uterus adeo infarctus eſt, ut vix liceat Chirurgo manum intrudere, ſive ad retrudendum, ſive convolvendum fœtum, ut alius ſitus illi concilietur.

Cum mulier geminos geſtat, raro accidit ut ambo ſimul oſtium occupent, nam utplurimum alter altero vicinior eſt, quapropter tunc unus tãtum ſe exhibet; Nam ſi duos utero geſtet mulier, alterum ſubeſſe tantum deprehenditur cum ſecundina educenda eſt, poſt prioris partum, nam tum demum poſterior ſe prodit.

Neque etiam cenſendum, cum gemelli utero geſtantur, ex

ex naturæ inſtituto hunc vel illum, præcedere, ſi nempe unus validior eſt, alter infirmior, robuſtiorem perire: Item ſi unus vivat, alter vita careat, vivum expellere mortuum, certum enim nullum eam in rem conſtituturum eſſe ordinem, cujus eventus daturus ſum exemplum.

Adſtiti partui duarum mulierum ſucceſſive, quarum utraq; gemellos geſtabat, mortuum unum, alterum vivũ, In priore vivus præceſſit mortuum, in poſteriore mortu⁹ ante vivum prodiit; Idem toto die fit, ſi unus ſit vegetus, alter debilis; qui enim meatui proximus eſt vivus aut mortuus, robuſtus aut debilis, præire ſemper ſolet, aut qui extrahi debet, niſi ſponte prodeat, alias partus difficultas gravior futura eſt, tum ratione diuturnorum magis conatuum, quam ratione vis inferendæ exiturienti priori, ipſum retropellendo ad poſteriorem promovendum.

Diſquiramus jam quid agendum cum bini fœtus depravato ſitu occurrunt, vel unus tãtum, id quod plerumque evenire ſolet, uno quidem in caput exeunte, altero in pedes, vel alio quopiam magis depravato ſitu; Eo in caſu prioris exitus illico procurandus, quo ſtatim alteri ſuccurratur, qui plurimum oblæſus ob depravatũ ſitum, eum pedibus comprehenſum extrahendo, nequaquam autem adlaborando ut ſitu naturali prodeat, etiãſi quadam tenus illuc vergat; ſiquidem adeo fatigatus fuit, debiliſque effectus, non ſecus ac mater, in partu prioris, ut ſæpe mortis illi periculum immineret priuſquam partus ſpontaneus ſuccedat.

Nonnunquam etiam fit, ut poſtquam prior ex naturæ lege exiit, alter pariter in caput prodire tentet; eo in caſu res bene cœpta naturæ committenda, dummodo nimis diu partus non protrahatur, deficerent enim forte vires fœtui à diuturnis partibus laboribus; nam utplurimum mater quæ multa tulit in priori partu, adeo viribus fracta eſt, & animo omnino deſpondet, percipiens ſibi adhuc multum operę reſtare; hinc nullos adhibet conatus, nulli enixus adſunt ad poſterioris excluſionem, Quamobrem Chirurgus advocatus, nulla interpoſita mora manum utero inferat pedes poſterioris hujus indagaturus, hincque extracturus; id quod levi negotio conſecuturus eſt, quia via jam ſatis ſuperque patens eſt, à priori patefacta; Sin forte aquæ poſterioris hujus nondũ effluxerint, ſicuti nonnunquam accidit; ſiquidem in animo habeat illum pedibus arreptum educere, audacter digitis perrumpat membranas, etiamſi aliis in caſibus fieri idem debeat, ut cum partus naturæ arbitrio permittitur; at cum arte parandus eſt fœtus excluſio, tunc nullum ſubeſt periculum, quo facile convolvi queat, id quod alias futurum eſſet impoſſibile.

Præprimis autem cautus ſit Chirurgus, cum gemini fœtus ſimul manus aut pedes offerunt, diſquirens num forte implicati ſint, aut vitium aliquod adſit in conformatione, Ac præterea quæ hujus ſint partes, quæ alteri⁹, ſucceſſive illos extracturus, non ſimul ac ſemel, qua in re decipi poſſet re non bene penſitata, ſicuti exempli gratia, ſi pedem dextrum unius prehenderet, ſiniſtrum alterius, ſimulq; attraheret, quaſi unius ejuſdemq; corporis eſſent partes, quod pes unus eſſet dexter, alter ſiniſter, nam impoſſibilis plane foret extractio. Rem vero non difficulter diſtinguet, ſi cum bini aut terni pedes variorum fœtuum obviam veniunt, duos ſeorſim prehendat maxime exertos, & ex diverſis lateribus, hoc eſt unum dextrum, alterum ſiniſtrum, ac manu protenſa ſecundum tibias ac femora ad inguina uſque, ſi ab antica parte, aut verſus nates, ſi à poſtica, animadvertat unius ejuſdemq; corporis eſſe productionem; qua de re ubi illi conſtiterit; à pedibus inchoet extractionem illius qui proximior eſt; ſed prius, quo facilior ſuperſit via, paulum depreſſerit ad latera pedes alteri⁹, nullo diſcrimine habito quis robuſtior aut debilior, grandior aut minor, mortuus an vivus; ſed priorem hunc quamprimũ, qualiſcunq; fuerit, extrahat, iiſdem obſervatis circumſtantiis ac ſi unicus adeſſet; hoc eſt, cum et ut prono vultu & pectore prodeat, ſicuti dictum in partu fœtus qui in pedes exit; Sicuti & ne ſecundinam educat, priuſquam alter fœtus prodierit, nam utplurimum unica utrumq; fœtum obvolvit, quæ à parietib⁹ uteri divulſa inſignem excitaret hæmorrhagiam, quia nempe orificia vaſorum, quibus adhæret, poſt hujuſmodi diſtractionem hiarent quamdiu uterus diſtenſionem pateretur ab altero fœtu inductam, non ante occludenda (ſicuti uſu venire ſolet) quam onere plane excuſſo, in ſeſe contraheretur.

Protinus ergo ab extracto priore fœtu, hunc à ſecundina ſeparaturus eſt, nodo injecto & abſecto ſune umbilicali; poſtmodum alterius pedes apprehendat, eadem ratione ipſum educturus, Deinceps ſecundinam cum utroque fune: Sin fœtus aliam quampiam partem quam pedes proferat, methodum alibi traditam obſervet; &c.

De Partu in quo funis umbilicalis fœtum prægreditur.

Quoties funis umbilicalis præcedit fœtum, non tamen ſemper fœtus obvertit ventrem, etiamſi enim ex naturæ lege procedat, ratione figuræ, hoc eſt caput oſtentans, funis nihilomin⁹ hic aliquando excidit, ac caput antecedit, quamobrem ſummo in vitæ diſcrimine verſatur, niſi part⁹ ſubito accidat; quia videlicet ſanguis, qui cõmeatu libero ferri debet per vaſa illũ cõponentia, ad vitã & nutricatum fœt⁹ quamdiu degit in utero, ibid. concretus, viam intercipit circulationi liberæ, id vero contingit, tũ ratione compreſſionis iſtorum vaſorum intra anguſtias meatus, ubi una cum capite devolvuntur, vel quapiam alia parte, quam ratione coagulationis ſanguinis ibi factæ ob refrigerationem inductam ab ambiente frigido aëre, quo in caſu vix elapſo horæ quarta parte interitus fœtus accidit, ſi funis iſte compreſſus fuerit à capite illius, etiamſi nonnunquam vita diutius protrahatur, ſi minor fuerit compreſſio, & ſanguini aliqualis tranſitus conceſſus fuerit.

Ad contactum funis umbilicalis egreſſi non difficilis eſt cognitio num fœt⁹ adhuc in utero latitans, viv⁹ ſit an mortuus: nam ſi vivat, calet umbilicus, craſſus eſt & ſanguine turget & ſolidus eſt, cum manifeſta arteriarum pulſatione; mortui vero fœtus umbilic⁹ vacu⁹ apparet, mollis, flaccidus, gracilis, frigidus ſine arteriarum pulſatione: Simili in caſu quamprimum extractio fœtus molienda, vel pedibus comprehenſus ex utero educendus.

Mulieres, quorum fœtus aquarum copia abundant, & funis umbilicalis oblongus, hoc in periculo verſantur, ab effluxu enim largo iſtiuſmodi aquarum dum mẽbranæ dilacerantur, ſæpenumero ſubito ſecũ abripiunt hunc funem illis innatantem, eoq; facilius quod caput infantis nondum ut decet deorſum vergat, verſus vaginam, præpediturum intempeſtivum exitum iſtius funis.

Quamprimum res accidit, mulier in lecto calide decumbat, funem iſtum retropellendo, illico, ne ab ambiente frigido lædatur, ac ſi licet, eundem ad poſticam uſque capitis partem deducendo, ne ab hoc comprimatur vel contundatur, ideoque circuitus per eum ſanguinis præpediatur, ibidemq; detinendo extremis unius man⁹, digitis ubi compulſus fuerit, illos uſque detinendo, qua parte prodierat, donec capite omnino provoluto, & in meatu collocato, exitus illius præpediatur captando occaſionem cum mater dolorib⁹ partus premitur, quo facilius illuc deducatur; vel ſi manus ſit ſubtrahenda, vices illius ſuppleat fruſtũ lintei molle, utero & capiti interponendum, ad obſtruendum locum per quẽ viã ſibi fecerat, extremitate lintei foras propẽdẽte, quo ubi neceſſe erit, poſſit retrahi; Appoſita præterea idoneo ſplenio, vino calente macerato, opio uteri, ad præcavendam funi iſtius refrigerationem, ſi forte exitum affectet.

Sed etiam retruſus fuerit hic funis, cautioneſq; omnes neceſſariæ adhibitæ; nihilominus tamen accidit ut procidat quoties parturiẽs dolorib⁹ prehẽditur; ob quos uterum foras procidit; hic in caſu nequaquã protelandà operatio, quia Chirurgus abſq; mora fœtũ pedib⁹ comprehenſum educit, quos indagare debet, etiamſi obviũ fuerit caput; hæc enim ſola ratio eſt fœtũ incolumẽ ſervandi, vita alias cito privandum, ſi vel brevis mora intercedat: Quapropter, poſt ſitũ commodũ parturienti conciliatum, leniter caput Chirurgus retrudere debet, niſi multũ jã provectũ ſit intra oſſa meatus, idq; fieri poſſit nulla gravi injuria parturienti illata (quo in caſu ſatius eſt in vitę diſcrimine verſari fœtum quã matrẽ) Poſtmodum manũ, oleo vel butyro recenti probe inunctã ſubtus pectus & ventrem inſinuat, pedes indagaturus, quib⁹ potit⁹ fœtum convolvet, poſtmodũ extrahet: Hoc peracto, illico provideat infanti, qui ſemper debilis eſt eam ob cauſam, ſacra unda ipſum perfuſurus, niſi in ipſa vagina id factum fuerit; id quod perſæpe factitandum, ſecuritatis majoris cauſa: Hac methodo uſus, vitam produxi, vel ipſemet, aut per alium, bapriſmate donavi pluſquã quinquaginta infantes, qui proculdubio utroq; caruiſſent, ſi alios imitatus operæ peperciſſem, negotiumque arbitrio naturæ permiſiſſem videlicet partum matris.

De partu in quo ſecundina primo procedit aut omnino egreſſa eſt.

Exitus umbilici ante fœtum de quo modò dictum, ſæpe illius interitum inducit, ob rationes allatas: ſed ſecundina præcedens multo majus periculum minatur, nam præterquam quod infantes plerumque mortui prodeunt, niſi eodem fere momento auxilium adfuerit, mater quoque ipſa in vitæ diſcrimine verſatur ſæpiſſime, ob inſignem hæmorrhagiam comitem, cum ab utero intempeſtive abſcedit; quia orificia vaſorum, quibus adnexa erat hiantia manent, è quibus ſanguis continuo effluit, donec excluſus fuerit infans, quia quamdiu hic in utero concluſus manet, uterus perpetuus conatus adhibet ad illius excluſionem, ac proinde ſanguis è vaſis indeſinenter propellitur, quæ non ante occluduntur, quam omnino excuſſo onere, diſtenſioneque deſinente, ac contractione ſubſtantiæ membraneæ ſuccedente, illa hiare deſinant. Quamobrem ſi celeritas auxilii requiritur cum procidit funis umbilicalis, potiori jure feſtinandum cum ſecundina omnino ab utero divulſa eſt, extraque cum procidit; nam breviſſima etiam mora citam mortem fœtui affert, niſi protinus extractus fuerit, præſens enim eſt ſuffocatio, ore enim aërem captet neceſſe eſt, quamprimum ſanguis intra vaſa ſecundinæ motu vitali deſtituitur, cujus functio & uſus intercipiuntur eo momento, quo divellitur à vaſis uteri quibuſcum connectebatur: quapropter illico ſubſequitur hæmorrhagia inſignis matri adeo metuenda; quæ niſi ſtatim repreſſa fuerit, citum exitium matri inferre ſolet.

In non paucis mulieribus, nulla injuria ipſis illata, obſervavi ſecundinã divulſam fuiſſe, & ab utero omnino ſeparatam, eo quod funis umbilicalis circa aliquam corporis partem eſſet convolutus, ſpeciatim circa collum, quamobrẽ, à leviſſimo etiam motu fœtus exiturientis, à denegata huic funi longitudine & extenſione ſolita, perpetua fiebat attractio & agitatio ſecundinæ, propter quam ante debitum tempus ab utero divellebatur.

Cum ſecundina primo ſe ſic offert ad exitum, obſervatur ſolummodo corpus undequaque flaccidum, tactui neutiquã reſiſtens, nullo obvio corpore ſolido, ſanguis autem cum impetu ex utero erumpit cum plurimis grumis, crebris comitibus lipothymiis; Quamprimum Chirurgus hæc deprehenderit, maturare ille debet partum, ſi ſalvam eſſe velit matrem cum fœtu, modo hic vivat, Eapropter, ſi ſecundina ſolummodo tantum offeretur, membranæ antẽ fœtum continentes aquas adhuc integræ forent, ſicuti nonnunquam accidit, pauliſper ad latus deducet ſecundinę partem obviam, quouſq; membranas detegat, quas digitis ſtatim diſcerpere debet, exitum aquis conceſſurus, fœtum eodem tempore convoluturus, ſi forte alio ſitu ſe prodat quam pedes proferens, quibus arreptis extrahere illum debet; Id enim obſervandum, etiamſi ſecundina nihil aliud ſit quam corpus extraneum in utero, ſi ab eo ſeparatum fuerit, quapropter excludendum omnino ſit ante fœtum; Nihilominus, ſiquidem valide adhæret membranis illum ambientib⁹, id conſequi difficile foret; ſecundinę enim maſſam extrahere non licet, quin ſimul adducantur cunctæ membranæ fœtum veſtientes; Adde quod, membranæ illæ, quæ univerſum uteri corpus interius cingunt ſubſtantiæ propriæ mollitie & lubricitate, uſum hunc præſtant, ut facilius circumvolvatur fœtus, prohibentque ſui præſentia, ne vis utero inferatur, dum extractio fœtus inſtituitur; id quod difficilior ſuccederet, ſi primum evelleretur ſecundina; Quapropter major ſecuritas eſt, ſi fœtus eductio primo tentetur, qui præterea ſimili in caſu adeo debilis eſſe ſolet, ut mors ſit præ foribus niſi citum auxilium adfuerit: Attamen ſi Chirurgus obſervaverit Secundinam fere omnino utero excidiſſe, membranas porro omnino laceras & corruptas, tunc temporis eductionem integram illarum abſolvat; nam adde quod inutile omnino foret illas introrſum repellere, inſigne inde impedimentum occurreret operanti Chirurgo; atque interim, elaberetur occaſio fœtui opem ferendi.

Si ſecundina repelli non debet, cum propemodum ex utero excidit, cujus membranæ plane ſunt laceræ, potiori jure reponendus non eſt qui omnino egreſſus eſt; Id ſolum obſervandum venit, abſcindi non debere funem priuſquam etiam eductus fuerit fœtus, non ſpe refollicationis virium, dum partus accelerationi opera navatur, ſed ne ullum momentum temporis pereat in peragenda extractione fœtus, cujus vita in ſummo ſemper verſatur diſcrimine, quinetiam ut quamprimum cohibeatur hæmorrhagia matri accidens, quæ ſtatim à partu deſinit, quapropter quantum poſſibile eſt feſtinandum.

Neque impoſſibile eſt, ut nihilominus fœtus exeat vivus, dummodo citum adfuerit auxilium, id quod non ſemel mihi accidit, at utplurimum adeo debilis in lucem exit, ut dubia ſint indicia vitæ aut mortis; Obſtetrices tunc fœtum refocillaturæ, vinum illico calefieri jubent cui immittunt ſecundinam, priuſquam hanc ab eo divellant, ratæ, ſi forte reſumat vires, id contingere vi vaporum à vino ſuſcitatorum, qui per vaſa umbilicalia delati ad ventrem uſque, vigorem illi impertiant; at multo veriſimili⁹ eſt, ipſum, cum ſuffocationi proximus fuerit, quod reſpiratione frui non licuerit cum neceſſaria illi fuit, illa tunc conceſſa paulatim vires redeant, Attamen conſuetudini aliquid dandum, quanquam ſuperſtitione non careat, ſiquidem periculum nullum inde imminet; eoque pacto expletur opinio vulgo præjudicio occupati, dummodo eorum quæ neceſſaria ſunt nihil prætermiſsũ fuerit. *Mauriceau de partu naturali l. 2.*

Partus difficilis Ex integumentis cranium fœtus involventibus, ſanguine extravaſato anterius refertis &c.

Mulier ruſtica, fabri ferrarii uxor, maritum adjutura hypogaſtrium maxime protuberans incaute malleo ferit; atque iſtud, quod minus periculi portendere credebat, omnib⁹ reticuit; Exacto geſtationis tempore, dolores partus ingruere ceperunt 5. Maij: die 6. ſub veſperam aquæ profluxerunt, & mater omni vi eniti conabatur, aſt irrito ſucceſſu; Die 8. ſub veſperam vocamur,

multa

efficaci vi prædita exhibemus, ſed in caſſum fuit hæc noſtra opera; Ingeminabat obſtetrix ſæpius ſe ne gry quidem de fœtu percipere, in quo tamen hallucinata fuit graviter, & forte aliæ cum ipſa; Rogati manum operi applicuimus: mox autem uteri orificium adapertum deprehendimus, fœtumque capite exitum quodammodo molitum eſſe deprehendimus.

Quod vero Obſtetricem decepit, fuerunt Cranii integumenta, ob ſanguinem extravaſatum, inſtar veſicæ aqua refertæ propendentia, unde levior; attactu, non corpus aliquod duriuſculum quale caput fœtus eſt, ſed molleculum miſella percepit: Quum itaque digitis orificium uteri circumſpecte dilatari, atque de ſitu fœtus & ſtatu evidentiora indicia capeſſere ſtuderemus; prædiximus facile omnes, ad quos matrem fatigatam adhuc dum inſtigari volebant conatus ſi impenderentur, in caſſum fore, corpore illo propendente vias præcludente, ut quoties eniti miſera volebat, hoc orificium uteri totum unice repleret.

Accepto interim forſice corpus præfatum incidimus, ſanguinique viam aperuimus, qui etiam copioſe omnium cum ſtupore prorupit; hinc cum à dehiſcentibus cranii oſſibus doloroſe mater ſæpius læderetur, eadem cum cerebro (facta prius decenti inciſione) maxima ex parte liberavimus & exemimus, digitiſq; ſub oſſe jugali immiſſis, fœtum prægrandem, citra graviorem parturientis moleſtiam, integrum extraximus. Placentam etiam, quæ paulo adnata erat funiculo umbilicali reſecto, digitorum ope abſcedere fecimus. *Joh. Jac. Harderus Apiarii obſ. 89.*

Partus difficilis, quia funiculus umbilicalis collum aut ejus alterum vel utrumque obvolvit.

Umbilicus infantis quocunque modo &c.) Per ſæpe obſervavi partus difficiles fieri non ſine matris & fœtus diſcrimine, cum funiculus umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utriſq; obvolutus invenitur, ſub enixu infans facile ſtrangulatur. *Ioh. Helvuigius in obſ.*

Ex fœtus parte quæ contingit difficultas, ob funiculi umbilicalis collo circumvolutionem, hic conſideranda. Iſta vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta procedens, ſupra frontem embryonis naturaliter utplurimum fertur, atque reflexa per occipitium decurrens, ad umbilicum dein ſolet deſcendere: Si itaq; anteriori etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo, partum reddere difficilem, imo in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar conſtringere, eumq; ſtrangulare poteſt, Sic *Th. Bartholinus* collo aliquoties circumductum vidiſſe ſe *Anat. ref. l. 1. c. 27.* teſtatur, unde ad horas pluſculas dilatus fuit partus, prodienſque infans vix ſpiritum traxerit: De Nepote ſuo narrat *Steph. Rod. Caſtrenſis Exerc. Med. 21.* narrat, quòd cum ex materno clauſtro egredi conaretur, laqueus ille collo circumvolutus, cum ſuffocationis metu conſtringebatur, unde infans ab exeundi impetu aliquoties retrahebatur, donec tandem obſtetricia manu aliquantulum eo relaxato, lividus omnino, & pene ſuffocatus in lucem prodierit.

Nec minori multum diſcrimine caret, ſi idem funiculus ipſum corporis truncum circumdet, cujus ſpecimen matri ac fœtui lethale exhibet *Hildanus Cent. 4. obſerv. 57.* ubi vaſa umbilicalia non tantum bis ita circumducta fuerant, ſed & brachium ſiniſtrum cum crure dextro eidem colligaverant. *Scroeckius in Scholio.*

Tres ex ordine fœtus peperit uxor mea, cujus collum circumdabat funiculus umbilicalis, quapropter diutius protrahebatur Partus, Omnes declinarunt periculum, ſed ſemineces, toto corpore lividi in lucem prodierunt, vix refocillati obſtetricis cura, quæ vinum ore proprio calefactum in os fœtus immittebat.

Partus difficilis ob fœtum unum pedem porrigentem, altero ad caput prorſus reflexo.

Civis cujuſdam uxor devenit ad partum difficillimum & p.n. fœtus porrexit unum pedem, altero pede ad Caput prorſus reflexo, ſicque fœtus duplicatus quaſi, ac ſemper pes exitum moliens, licet ab obſtetrice reponeretur ſæpius, tandem tamen fœtus ad ſitum naturalem & convenientem pro partu reductus, inq; lucem poſt longum laborem editus. *J. Lud. Hannemannus.*

Puerorum affectus, Cap. tumor.

Retulit mihi obſtetrix quædam, quod interdum cum tumore in lucem edantur, qui tumor ſi rubet, vel alterius eſt coloris, nihil mali metuendum; Dum autem pallet, infauſtum eſt ſignum, ac mortem denotat, Illud ſe jam in tribus infantibus, quibus tumor palluit, verum deprehendiſſe. Omnes enim tres non multo poſt extincti ſunt, Tumorem hunc mulierculæ noſtræ vino calido butyrato fovent. *J. Lud. Hannemannus.*

Extractio Fœtus mortui, pedibus uſque ad axillas ex utero pendentis.

Fœminæ Q. R. XLII. annos natæ aquarum vix quicquam effluxit, hinc violentis niſibus, pedibus ad partum properabat maſculus, cubito utroque cum capite intra uterum ad mortem uſque recluſo.

Vocatus cubitum dextrum, ad anum poſitum, deinde integrum corpuſculum molliter attrahere tentabam, ſed os pubis brachio, quod continebat, impedimento fuerat; Ne autem veſica urinaria, vel partes adjacentes aliæ læderentur, ſenſim integrum corpus æqualiter inverti, ut circumducto collo, & caput moveretur, abſque omni attractione, ſic cubitus ſiniſter verſus anum depulſus ſecure inflexus & exemptus, atque puerpera liberata eſt: Infans cruſta caſeoſa obductus, ac tanquam glutine obductus erat.

Colliquamentum hoc, ſive liquorem ſeroſum calore hepatis & uteri, vel alia cauſa ſiccari, certum eſt & in gluten ſeu caſeoſam materiam abire, ut infantum corpora cruſta hac & lanugine viſcida, cutis extimæ regioni adhærente obducantur.

Pedibus ad partum properabat maſculus ad axillas, perpetuiſque niſibus tandem enectus, ita pendulus, uſq; dum ſuppetias ferrem, Obſtetricum imperitia permanſit. Sic factum ut puſio frigefactus, & flamma vitalis per venam umbilicalem infanti advecta, fuerit extincta, veſica & alvus matris compreſſa, membra ſuperiora laxata ſint, denique mors adventarit. Multo conſultius illæ egiſſent, ſi Puerperam in lectum deduxiſſent, infantemq; pendulum commode ibidem locaſſent, & lacte tepido foviſſent uſque ad meam præſentiam, Tunc enim ego cubitos ad pectus, manu axillis blande admota, duxiſſem, cæteraq; ex arte peregiſſem, & cum Deo infantem ſervaſſem: Num infans, ſuperſtes modo, quem in obſervatione retuli excipiendus non eſt, niſi admodum parvus & gracilis ſit, & diductum admodum extiterit matricis orificium, ut facilis exitus ſine matris & infantis nocumento omnino ſperandus ſit.

Nec tamen eum prius excipiet Medicus quin ante uterum & infantem diligenter perungat: Multo autem conſultius, &, quod repeto, utrinque ſalutarius, partum vivum pedibus ad orificium ſtantem in uterum repellere, & ad legitimam formam convertere in hunc modum, Aegra ſe ſupina in lecto reclinabit, Capite retro demiſſo, ſublimioribus natibus; quo facto Operator Medicus ventrem ipſius, præcordia verſus, mediocriter ſtringet, ut in uterum ipſum infantem repellat, & alia forma prodeundi occaſionem miniſtret; Ante omnia autem curabit, ut faciem infantis tergo matris obver-

tat, deinde infantis nares & crura umbilicum matris verſus elevet ut ad legitimum partum acceleret.

Similem fere obſervationem notavi in uxore N. 30. annorum, quæ infantem pedibus prodeuntem ad pectus uſque peperit; reliquum corporis, etſi dolores perſeverarent, edi nequiverat, ſed moriebatur puellus; vocatus utrumque brachium reflexum ulnis, coxendicis omnibus, ſeu pelvi adſtitiſſe comperi, & reduxi, ſic matrem liberavi. *Joh. de Muralto Med. Sept. vol. 2. p. 97.*

40. *Difficilem partum avertunt*) Opus eſt (1.) *robore Archei*, ut expellat onerosum jam ſibi fœtum, ſive vivum ſive tanto magis mortuum; Robur vero virium in ſanguine & ſpiritibus radicatur: *Quæcunque* ergo *ſunt roborantia, quæ ſanguinem & ſpiritus vigorant, illa partum facilitant, inprimis ſulphurea*, ſale volatili oleoſo fœta, balſamica, ut *vinum malvaticum, aqua cinnam. &c.*

Opus eſt (2.) *robore villorum*; tenduntur enim tunc magis nervi, quæ tenſio moderanda & facilitanda eſt: In cujus rei fidem *Helmontii* obſervatio tenenda, Epilepſiam ſæpe dormire, nec prius in apricum ſiſti quam à cauſa occaſionali actuetur, ſpeciatim à partu; Indicium hujus etiam eſt dolor, individuus quaſi Partus comes, Omnis vero dolor gravior aliquid convulſivi præ ſe fert, unde ſæpe cum dolore hoc ad opus concurrentes fibræ in ſpaſmum criſpantur, & in munere ſuo ceſſant quin potius in alium motum adiguntur: *Quæcunque* ergo *villos & fibras nerveas roborant, nec dolores tamen præterquam ſpaſmodicos demulcent, partum facilitant*; Talia ſunt *cinnabarina, cinnabaris nativa, & antimonii*, ſive per ſe, uti de cephalico obſervatio notabilis à *Langio* recenſetur, ſive additis ſtimulantibus.

Opus eſt (3.) *ſtimulo*, ut dolores genuini (non vagi, flatuoſi) intendantur, non remittant; remittentibus enim iis remittitur etiam expulſio, unde reſtituendi ſunt dolores, debito modo & citandi; *Quæcunque ergo ſtimulant, & ſtimulando dolores promovent partum facilitant*, Stimulantia hæc ſunt, vel *ſalina*, vel *ſulphurea*, utraque vel mitiora, vel fortiora, vel aliis immerſa, vel ſibi relicta, ut inter aquea, *aqua pulegii* laudatiſſima, *aqua lilior. alb. ſemen lithoſpermi, violar.* quæ alias inter nephritica locum habent, *dictamnus Cret. Eſſentia ad partum facilitandum Mich. ſuccinum album præpar. ſal volat. ſuccini, ipſumque ol. ſuccini, cinnam. crocus* pluribus indicationibus ſatisfaciens; roborat quippe & mitigat facultate ſulphurea & anodyna, ſtimulat ſale volatili oleoſo, unde & provide adhibendus.

Inter *Salina* puta ſeorſim ſpectata, eminet *borax veneta, ſal mirabile minerale*, ſtimulans & laxans (unde & inter aphrodiſiaca aliàs numeratur recte) quæ baſin conſtituit pulverum ad partum facilitandum, qualem & nos ſæpius cum ſucceſſu propinavimus ex *borace ven. præp. opt.* ℈j. *croci ppt. gr.* vj. *ol. cinnam gtt.* ij. *m.* pro duabus dozibus intra bihorium, ſi opus fuerit altera, propinandis, cum *vino* vel *aqua cinnam. pulegii*, idque & præſervandi fine, ſive juvandi & curandi, ſi vires naturæ deficiant: Tacemus *glaciem Mariæ*, decoctum ovi gallinacei, ex aqua ſimplici, quod quorundam arcanum & domeſticum eſt; Infuſum *roſæ Hiericonthina*, quod vulgo magni æſtimant, & alia.

Opus vero (4.) eſt ad Partum *viarum inferiorum lubricitate*, ſive non ſolum pellendum, ſed & emolliendum eſt; qua blanda emollitione nimis tenſi villi itidem componantur magis: *Quæcunque ergo emolliunt*, ſive partes abdominis *tenſas, ſive uteri dilatando vaginam, illa Partum facilitant*. Hæc ergo *emollientia*, & antecedenter futurum partum ad exitum faciliorem diſponunt, & ſuaviter invitant, Hinc Balnea ex emollientibus, & uterinis ac nervinis ultimo menſe optime conducunt, ex *rad. alth.* &c. non omiſſo *lacte*: Hinc Linimentum poſt Balneum ex *ungu. dialthææ, Balſamum ad partum facilitandum zobelii, vel ol. Iaſmini* aut *amygd. d.* ſolum *cum ol. ligni Rhod.* abdomini conſulto illinitur, Hinc *pellem leporis* recenter detractam magnifaciunt quidam, etiam apud magnates, impoſitam abdomini parturientium: Hinc *pinguedo viperarum* cum *oleo ſuccini*, & aliis umbilico commode illinitur; Proſunt item *Fotus ex emoll. & uterinis* impoſiti pubi, Vel per *ſuffitum* humidum ad uterum delati, v. g. ex *rad. leviſtici, matricar. artemiſ. &c. cum vino*: Hinc *oleum momordicæ*, tum illitum genitalibus, tum in clyſteribus adhibitum facit officium, quod experimentum eſt &c. *Volcameri*, ſignatura etiam hoc deſignante, *poma* enim *momordicæ* matura contacta in manu diſſiliunt.

Singulis his etiam obſtetricantur univerſalia, ut *vena ſectio in ſaphena*, quo de exemplum vide apud *Binningerum* in obſerv. *Emeticum* ex *Mercurio vitæ*, de quo vide *Rolfinc. in Chim.* Inprimis vero probatiſſimi *clyſteres*, à quibus ſæpe præſentaneum auxilium latum vidimus: *Wedelius An. m. m. p. 407.*

Partum facilitantia optime queunt dividi (1.) in *Emollientia*, &c. (2.) In *Confortantia*, cum enim natura expellat, viribuſque ad expellendum egeat, doloribus vero ſæpe fatigetur, merito confortando accingitur ad fœtum excludendum magis, unde duplicia conſtituimus 1. *Balſamica*, ſulphurea blanda, ſanguinem in motum citando, & partes oleoſas augendo, ut *aqua cord. Saxon. vitæ Multro carfunculi, meliſſæ cum vino embryonum. 2. Nervina*, tenſionem, quæ ex neceſſitate, molis conſurgit, membranoſi generis ſolantia, unde ſæpe tunc motus convulſivi lethales oriuntur, vel ſyncope lethalis: (3.) In *ſtimulantia*, ſeu *pellentia*, itidem vel *ſalina*, quorum omnium inſtar eſt *borax Veneta. ſalis uterini* nomine merito veniens ad ʒß. vel ℈ij. pro re nata data; *Langius* nomine *Lucinæ* occulit; nil aliud vero quam *boracem* intelligit, cum fundendis metallis ſal apium vocet; Vel *ſulph., ut crocus, ſuccinum* &c. ejuſque *oleum album & flavum* quoque, quod experimentis confirmavit *Gruelingius obſ.* Idem *ibid. pag. 194.*

40. *Difficilem partum avertunt*) Admonenda ſemper Obſtetrix, quæ nihil niſi cũ natura moliri debet; Vt enim febrium paroxyſmi non ſunt penes nos, nec arbitrium noſtrum, ſic nec penes puerperas labores, vulgo horę ita dictæ, quod recurrant certis intervallis. *Ioh. le Bon.*

40. *Difficilem partum avertunt*) Ad curationem primo omnes cauſæ quæ illum retardare valent quantum fieri poterit auferendæ, Deinde partum adjuvantia methodice adminiſtranda, (quæ interius exhibita juvant, vide infra §. *Interna*) Sternutatio partum accelerat ex *Hipp. aph. 35. 5 Difficulter parienti ſternutatio ſuperveniens bonum.* Illa provocabitur Pulvere ſequenti.

℞. *Helleb. albi* ʒß. *piper. longi* ℈j. *caſtor. gr.* ii. *f. Pulvis inſufflandus in nares ad piſi magnitudinem.*

Idem aliud præſcribit remedium 1. de m. m. ab omnibus fere authoribus prætermiſſum: Illud autem eſt ſectio venæ inferioris his verbis propoſita.

Si prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partus dolore laboret, ſit autem juvenis, & in vigore & *multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis & ſanguinem detrahere virium reſpectu habito*: Quamvis à Practicis noſtris nunquam in uſum revocetur hujuſmodi remedium, & videatur formidandum, cum in partu vires unice neceſſariæ ſint, quę à venæ ſectione infringi poſſunt, Tamen ſi à plethora difficultas pariendi oriatur, quod innuere videtur *Hippocr.* cum dixit, *ſi mulier ſit juvenis, & in vigore, & multo ſanguine referta*, non eſt dubium quin maxime conferre poſſit, cum venæ plurimo ſanguine refertæ omnes vias interiores anguſtiores efficere ſoleant, Vnde fit ut in dolore nephritico ſimilis phlebotomia miranda ſæpe præſtet, & calculorum tum in renibus tum in ureteribus contentorum excluſionem facilitet.

Clyſteres

Clyſteres etiam acres iniiciantur, quorum irritatione expultrix etiam uteri ſtimulabitur, & depleta inteſtina ampliorem locum utero relinquent. *Riverius.*

Sublata omni partus ſpe, aut etiam matre jam morti proxima, nonnulli authores ad ſectionem cæſaream accedunt, de qua *Roſſetus:* Attamen quia hæc operatio eſt periculi & terroris plena, raro aut nunquam tentanda eſt medico prudenti, ſi nomini ſuo conſulere voluerit. *Idem.*

41. *Externa Partus difficultas ob humectationis defectum*) Fit aliquando difficilis partus cum quicquid in utero continetur, ſeroſa excrementa, aut aquæ, multo ante fœtum tempore excernantur, & tum viæ ſicciores parturientis, & rugoſæ redditæ difficiliorem exhibent exitum, his ita ſuccurrendum erit.

℞. *Biſmalv. cum rad. m. j. artemiſ. ſabinæ* āā. *m.* ß. *ſem. lini fœnugr.* āā. ʒiv. *caricarum* ʒß. *f. decoctio, cujus quart. j adde ol. ſemin. lini* ℥j. *moſchi gr.* j. Iniice in collum uteri, ſæpe repete. Vel

℞. *Butyr. r. ſine ſale in aqua artemiſ. loti* ℥ij. *mucag. ficuum & ſem. alth. cum aqua ſabinæ extr.* āā. ℥ß. fiat linim. quo frequenter uteri collum illinatur. *Ioh. le Bon.* plura Cap. ſequ. ubi de Aquarum exitu.

41. *Externa*) Biduum partus doloribus non procedente fœtu, inſumpſerat mulier ruſtica primipara xxiv. ann. Dedi ſtatim in *aqua trifolii fibrini* frigida ſumendum pulviſculum.

℞. *Cinnam. trifol. fibr.* āā. ℈j *ſalis c. c. volatilis* ℈ß. ms.

Vſa eſt, ſed ſine fructu, adeo ut noctem miſera tranſegerit ſine partu: Mane rogatus repeto pulverem aliquot granis *ſalis c. c.* auctum, quandoquidem hanc δυςοκίαν debilitati matris fœtuſve, cujus mot⁹ ſenſim minor fiebat, juſto citius ab obſtetrice ad partum ſolicitaturum unice adſcripſerim; Jubeo deinde *ol. trifolii fibrini deſtillatum* umbilicali regioni inungi: Quid fit? Paucis ab inunctione minutis manifeſte fœtus exitum molitur, & paucis inde horulis prodit filia elegans & vegeta, ſuccedentibus ſtatim omnibus quibus opus erat.

Brevi poſt tempore alia ruſtica ſimilibus doloribus per integram diem fruſtra fatigata, nulla re uſa quam inunctione olei hujus ad umbilicum etiam brevi poſt filiam enixa eſt. *Ioh. Iac. Willius.*

41. *Externe.* Externis partus difficilis adjuvari poterit, Obſtetrix itaq; uterum parturientis frequenter inungat *oleo lilior. albor. amygd. dulc. ſemin. lini.* & ſimilibus; Tum etiam foveatur vẽter inferior decocto emolliẽte, *ex rad. alth. lilior. fol. malvæ; viol. artemiſ. ſemin. lini, fœnugr. flor. chom. meliloti.* Vmbilicus inungatur *ol. ſuccini;* Quidam fel gallinæ nigræ laudant, eidem parti admotũ. *Riverius.*

Inſeſſiones ad relaxandas vias ultimo menſe, ſi difficulter parere ſoleat, ſæpe uſurpandæ; Ex *aqua calida,* addito interdum *decocto emollientium,* poſteaque *axungiis, butyro & oleo* venter inungendus: Præſertim vero cum in partu eſt difficultas, ſi in *Balneo* ſedeat, vel eo fomententur ventris inferiora ad dilatandum fœtumque promovendum magnum affert adjumentum: Quod cum laxare præcipue volumus, ſic fiet.

℞. *Bulbor. lilior. rad. bryon. rec.* āā. ℔ß. *alth. malvæ, parietar. caulium* āā. *m.* j. *ſem. lini & fœnugr.* āā. ℥ß. *fol. chamam. melilot.* āā. *p.* j. *f. decoctio pro Inſeſſione vel Fotu:* vel ſumatur ℔j. *atque additis melle, oleis, ſucco mercur. hiera fiat Clyſter.*

Si vero urgere fœtum volumus, aut *Secundinam*

℞. *Rad. bryon. rec.* ℔ß. *rad. dictamni, ariſtoloch. vulgar.* āā ℥ij. *puleg. ſabinæ, rutæ, artemiſ.* āā. *m.* j. *lupinor. baccar. lauri, junip. conquaſſ.* āā. ℥ij. *flor. lavend. p.* iij. *f. Decoctio in aqua, addito vino:* Vel *Clyſter.* additis, prædictis fieri poterit.

Lotiones pedum & crurum ex enarratis quibuſdam, vel omnibus, cum *balneo* non utuntur quoque adjuvabunt; *Unctiones poſt Balneum,* vel per ſe factæ idem præſtant, quibus venter imus totus anteriore ſede, & inferius cum pudendo, lumbique poſterius cum coccyge inungi debent, Relaxans ſic fiet *Linimentum.*

℞. *Oleor. lilior. cheir. aneth. butyr. axung. anſer. & gallinæ, mucilag. ſem. lini & fœnugr.* āā. ℥j. *miſce adde Croci* ʒß.

Ungu. reſumpt. idem præſtabit. Ad *fœtum* v r o promovendum.

℞. *Olei cheir. rutac.* āā. ℥ij. *ſucci ſabinæ artem.* āā. ℥j. *ſucci porri* ℥ß. *coqu. ad ſuccorum conſumptionem, adde myrrhæ, galbani, diſſoluti in aceto* āā. ℥ß. *ſtyrac. liqu.* ʒj. *rad. aſar. ariſtoloc. cyclam.* āā. ʒj. *cinnam.* ʒß. *croci* ℈j. *ceræ q. ſ. f. unguentum.*

Emplaſtra præſertim umbilico, pectini, pudendo, adhibita validius adhuc operantur: Efficaciſſimum hoc eſt.

℞. *Porri, polypod. recent. omnium,* āā. ℥ß. *ariſtoloc. vulgar.* ℥j. *artemiſ. caulium, origan. tanaceti, ſatureiæ, fol. irid.* āā. *m.* j. *contundantur, addendo far. lupinor.* ℥j. *applicetur inſtar Cataplaſmatis* renovando cum areſcere incipit.

Cucurbitulæ, Frictiones, Ligaturæ, in coxis & pedibus adhibitæ, deorſum revellendo Partum quoque accelerant. *Platerus.*

41. *Externa*) Principeſſa Naſſovienſis Hadamatenſis, pro arcano in partu difficili ſibi ſervat fruſtum *cutis Tigridis,* femori ſiniſtro alligandum, quod ipſemet aliquando tentans certum expertus. *Iohannes Doleus Med. Sept. vol. 2. p. 91.*

41. *Externa*) *Bartholinus Cent. 3. h. 37.* commendat ligacula ſive cingula ex *corio humano,* ventri parientis admota; nam præter vulgatum uſum, ait quod cingulis & loris his per medium diſcinctæ puerperæ feliciter fœtum enitantur: Addit ſe expertum quoque non ſemel hyſtericas paſſiones, ſive uteri aſcenſum, *corii humani cingulum* comprimere: Ratio juvaminis manifeſta eſt, adſtringendo muſculos, unde corium cervinum idem præſtat, Omittimus exuvias ſerpentum, eodem fine commendatas. *Wedelius.*

41. *Externa*) Vbi difficilis ſupra modum fuerit Partus, & parturiens ex levioribus non juvatur, nec parit obſtetrix ſequenti Vngu. manus ſuas inungat.

℞. *Ol. de ſem. lini* ℥iß. *ol. de caſtor.* ℥ß. *galliæ moſch.* ℈ß. *ladani* ℈j. *f. linim.* quo uteri collum frequenter illinatur.

Interim provocetur ſternutamentum.

Si his non juvetur, ad ſequentia tranſeundum.

℞. *Croci q. ſ.* ad conficiendum peſſum, cum *ſucco porri* involve panno lineo ſubtili, & fiat Peſſus, qui coxæ alligatus in collum uteri immittatur. Vel

℞. *Cortic. raph.* ℥ß. *mercur. m.* ß. *caſſiæ ligneæ ſubtiliter pulv.* ʒj. *ſucci ſabinæ* ℥ß. *croci* ℈j. hæc contuſa & panno lineo involuta in uteri collum immittantur. Optimum eſt ſequens.

℞. *Rad cyclam.* Ea collo uteri admota ſtatim partum educit, coxę alliga, & ſtatim à partu auferri debet: Franciſcani quidam *primum colocynth.* præferunt, non veriti adducere in diſcrimen vitæ matres.

Artemiſia cocta cum vino albo, & contuſa ventri admota partum faciliorem facit.

Satureia trita ventri calide impoſita fœtum expellere fertur, etiam mortuum.

Si ſerpentis ſpolio mulier cingatur ſtatim parit.

Semen pæoniæ perfecte maturum, ſubtil. tritum, cum *ol. chamam.* in linimenti formam deductum, maximum eſt præſidium ſi eo lumbi, os uteri & collum illinatur.

Cucurbitula parturientis renibus admota partum accelerat, ſtatim à partu auferenda.

Lini ſemen cum aqua ſabinæ, aut *artemiſ.* aut *pulegii regalis,* aut *vino albo* impoſitum, aut ſi in ejus *decocto*

dantur à ʒj. ad ʒiß. cum *vino ſalviato*, ſed rectius *Pilulæ* inde formatæ, ob ingratiam pantur, *Pilulæ* ex ſumme amaris & fœtidis efficaces.

℞. *Galbani, myrrhæ ana.* ℥j. *rad. ariſtol. rot. dictamni, gentianæ, ana.* ℥ß. *caſtorei (ſi aſam fœt.* addas, erunt efficaciores *croci ana.* ℈i. *cum ſucco ſabinæ f. maſſa, dozis à* ʒß. *ad* ʒj. procedendo.

Dantur & *alvum laxantia* per os, quæ ſi laxa ſit facilius pariunt; inprimis *caſſia* convenit & *Triphera*; dein & ſi ſimul ſtimulent alvi expultricem, per conſenſum etiam vim uteri commovent unde & gravidis, ne abortiant, cathartica minime exhibemus: *Reficientia* varia quoque probantur ad vires ſuſtentandas, quibus hic in conatu maxime opus eſt, & laſſas ex labore erigendas, tum in victus ratione & medicamentis, partum accelerantia iis admiſcendo: *Conf. Alkermes* valde probatur, nam præterquam quod cordialis ſopitam etiam facultatem excitat, datur cum vino, addito interdũ *borace*, Vel

℞. *Pulv. diamoſch. diamarg. cal. ana.* ʒß. *dentur cum vino vel* aquis, vel capiat Tabulas horũm. *Platerus.*

[46] *Interna*) Partum vivum & emortuum ejicit id medicamenti genus, de quo miras invenio laudes habet.

℞. *Myrrhæ, caſtorei, ſtiracis ana.* ʒ iß. *cinnam. ſabinæ, ana.* ℈ iß. *cum melle conficito. Modus eſt* ʒ iß. Ex vino *ſumitur.* Alexandr. Benedictus.

[46] *Interna*) Medicus Hetruſcus, referente *Fallopio*, exhibebat *boracis* ℈i. in *decocto matricariæ*, vel *ſabinæ* difficulter parientibus, miraq́; faciebat, brevi enim temporis ſpatio fœtus vel vivus vel mortuus egrediebatur.

[46] *Interna*) Diuretica quod pellant, etiam Partum facilitant, Et memini medicum præſcripſiſſe eo caſu Emulſionem *ſemin. milii Solis & violarum*, cum ſucceſſu; Imo *borax* ipſa præcipuum ſpecificum; una inſigne eſt diureticum, ſalinæ quippe proſapiæ. *Wedelius.*

[47] *Succini*) Id ʒj. pondere, ſi cum retentina ſecundina fluor adeſt ſanguinis, prodeſt, cum eum cohibendo ſecundinas nihilominus pellat. *Platerus, Rondeletius.*

[47] *Succini*) Multis experimentis comprobari audio *Succinum* parturientibus ʒß. pondere ex vino albo potui datum mire partum excitare: Hoc etiam facit ejus *Oleum* ſi gutta tantum in aqua verbenæ parturienti propinatur. *Andernacus.*

[48] *Aqua*) Aquæ ſtillatitiæ conveniunt, *Sabinæ, artemiſiæ, thapſi barbat. fol. iridis, flor. lilior. alb. & chamom. odorata.*

[49] *Jecur anguillæ &c.*) Mulieres (*ait Helmontius*) *jus duumvir. tit. 46.* in partu difficili aliquot dies periculoſo oblato poculo, mox ad ſummum ante ſemihoræ ſpatium propinato ſcil. jecore cum felle anguillæ ſiccato, pulveratoque in vino: ad magnitudinem avellanæ, nunquam in hoc experimento addit fefelliſſe eventum: Alibi, l. aſtr. incl. intra horæ quadrantem effectum hunc ſe exſerere ſcribit; Omne nempe fel ſtimulat.

IV. [50] *Aquarum mora*, [51] cæteris omnibus ad partum paratis; [52] & tum membranæ non ſunt rumpendæ, ne vel umbilico, vel alicui membro vis inferatur, [53] fomentatio per *aquam tepidam* inſtitui debet, quam butyri recentis linimentum inſequatur.

V. [54] *Aquarum* [55] *immaturior prolapſus*: & tum butyrum recens [56] inter humectantia: ab aëre externo cavendum eſt.

VI. [57] *Dolores colici*, qui tolluntur *olei Amygdal. dulc.* cum *aqua Cinnamomi* exhibitione, clyſtere carminativo inſequente.

VII. [58] *Virium imbecillitas ex partu*; & tum exhiberi poſſunt, *Aqua tophorum, cornu cervi, Confectio Alkermes, Aqua Cinnamomi.*

[50] *Aquarum mora*) Ad difficultatem partus, ratione fœtus referri debent membranæ quibus involvitur utcroque adhæret; Si enim craſſiores ſint & ſolidiores, ægre diſrumpi poſſunt. *Primiroſius.*

[51] *Cæteris omnibus ad partum paratis*) Aquarum amnii defectus æq; periculoſus eſt, atq: abundantia earum: *Illud* infantis ad partum nondũ bene compoſiti præcipitationem & ſitum perverſum, Hic autẽ motum infantis juſto tardiorem, & provolutionis ad partum ineptiam; parienti dolores atque moleſtias vanas, ventriſque lancinationes & tormina cauſatur, hinc urgentibus conatibus, eo tempore, dum in ipſo ad partum acceſſu, ſive provolutione puer deſudat, quacunque poſitura & ſitu præternaturali, intra oſculum compoſitus jacet, & inſtar trunci immobilis hæret. Debet enim fœtus illis humoribus tanquam molli culcitræ innatare, illoſq; pro munimento & promontorio quaſi agnoſcere: Dum igitur humores emanant fluxu ſuo & inundatione vias lubricant, ac niſi partus ſtatim ſubſequatur, & ad tempus vel dies aliquot moram nectat, alimentum fœtui decedit, partuſque fit difficilior, fœtus imbecillior, & conſequenter neceſſario moritur.

Colliquamentum hoc, ſive liquor ſeroſus, naturaliter magna copia colligitur in Amnio, imo prius quam quippiam fœtus fere conſtituatur, aut veſtigium ejus ullum extet, & quamprimum fœtus jam conſpicitur, & adhuc totus mucilaginoſus ac perexiguus eſt, quamvis maxima tunc copia aquæ hujus conſpicitur: ut in illa natare embryo, licet exigua corporis adhuc dum mole præditus videatur, Liquor hic benignus in gluten quandoque, ſive caſeoſam materiam abit, ut infantum corpora cruſta hac & lanugine viſcida, cutis extimæ regioni adhærente obducantur. *Joh. de Muralto. Med. Sept. vol. 2. p. 97.*

[52] *Et tum membranæ non ſunt rumpendæ*) Si membranæ craſſiores ſint: nec facile diſrumpi queant, quibuſdam levioribus frictionibus & linimentis agendum eſt, ut *oleo lilior. alb. amygd. chamelino*, quæ poſſint illas laxare; Aut, *Aetii* conſilio abrumpuntur, obſtetricis digitis vel ſcalpello. *Primiroſius.*

[53] *Fomentatio per aquam &c.*) Uxor N. juſto tempore parturiendi conatus experitur, adeſt obſtetrix, fiunt omnia ordine & decenter, infans in recto ſitu & bene coronatus deprehenditur, nihilominus parturiens eniti non valet, locelli manent ſicci, & licet membranæ diſruptę ne guttula quidem aquæ prodit: Durant parturiendi conatus per biduum: Meum cum auxilium imploraretur locellorum ante omnia ſiccitatẽ pinguium & emollientiũ inunctione emendandam cenſeo, ungu. hoc præſcribo.

℞. *Ungu. de alth. comp.* ʒiij. *ol. cheirini* ℥ß. *pingu. gallinæ taxi ana.* ʒvi. *ol. chamom. cocti* ℥j. *m.*

Hoc oleo matricis collum ſæpius inungebatur, Interim pro matre & fœtu roborando ſæpius ſequens miſtura cochleatim data.

℞. *Aqu. puleg. fœnic. ana.* ℥ii. *vitæ mul.* ʒvi. *Tinct. caſtor. croci ana.* ʒvi. *ſyr. artemiſ.* ℥i. *miſce.*

Ab his medicamentis intra bihorium enititur prægnans filiam ſanam, debilem tamen &c. *Ab Herm. Cummenus In miſcell. Cur. German.*

[54] *Aquarum*) Intra membranas fœtum ambientes aquæ continentur, quibus fœtus innatat. Illarum origo obſcura eſt, Quidam exiſtimant ab urina deduci, per urachum è veſica effuſa, quia, ajunt, alia non occurrit via commodior; adde quod urinam colore referunt, ut & ſapore; Quod tamen inficiamur, urachus in fœtu pervius non eſt, neque ejus umbilicum egreditur; nam qua parte illi adhæreſcit, ſemper tendinis naturam refert,

non multum abſimilibus citharæ fidibus; quem proculdubio permeare nequit.

Nonnulli quidem urinæ progeniem ſtatuunt, ſed per virgam exire cenſent, cujus meatus ſemper patens eſt, Ex mea autem ſententia originem illis dant humores vaporoſi, tranſudantes, & continuo exhalantes è fœtu, qui ad appulſum membranarum, quas ob denſitatem & ſoliditatem trajicere nequeunt, in aquam convertuntur, paulatim ideo congeſtę: E corporibus enim calidis & humidis, cujuſmodi eſt fœtus, perpetuo vapores emittuntur: urinæ vero ſobolem eſſe adeo colligunt, quia ſalſum ſaporem, urinæ ſimilem exhibent; nam & ſudores, & lacrymæ, & alii humores, è corpore exſudentes ſalſedinem quoque referunt: Fœtus autem intra uterum latens, multam urinam colligere nequit, uti neque ſtercus in inteſtinis, quia nullum alimentum tum temporis ore aſſumit, humoreſque omnes ſuperflui facile inſenſibiliter & halitus forma permeant ſubſtantiam totius corporis, admodum rari: Quapropter nulla mihi occurrit neceſſitas propterquam urinam potius quam fæces) quæ ad nativitatem uſque cohibentur) excernere debeat.

Aquæ eo modo congeſtæ, plurimos uſus præbent, eoſque non exiguos, fœtus enim libere iis innatat, adeo ut per motuum frequentiam utero injuriam inferre nequeat, illum impellendo, ſi ſiccus foret, inde intenſi orirentur dolores, cum abortus periculo, 2. Ab injuriis externis fœtum tuentur, nam ſic eludit vim ictuum matris abdomini inflictorum, ſed 3. maximum uſum præſtant, exitum facilem in partu fœtui largiendo, quia ab his lubrici efficiuntur meatus quo pacto orificium uteri humefactum, laxatur, ceditque facilius, dummodo fœtus ſtatim ſubſequatur, aut paulo poſt: Quidam aquas iſtas fœtui alimentum præbere exiſtimant, innixi teſtimonio *Hippocrat. περὶ ἀρχῶν*, ubi ait fœtum labia comprimendo ex utero ſugere alimentum; At Idem *lib. de Octim. Partu* contrarium ſtatuit, ubi præciſe ait fœtum ex umbilico trahere alimentum. Exinde vero patet Aquis iſtis deeſſe vim alibilem, nam ſi vaſi alicui, igne ſubdito, imponantur, omnino in vapores ſolvuntur, nihilque concretum remanet, ſicuti accidit reliquis humoribus qui nutritium aliquid continent, ſicuti ipſi ſero accidit, quod à maſſa ſanguinea ſecretum in quid albumini ovi ſimile compingitur, ſtatim ac ignem expertum eſt, adeo iſtiuſmodi naturæ non eſſe aquas illas pateat. *Mauricean l. 2. c. 3.*

Aquarum immaturior) Fœtus in hoc caſu magno verſatur periculo, quia aquæ illæ viis, pro egreſſu fœtus, debent glabritiem conciliare: Forſan etiam obtinet ratio hæc, quod aquæ illæ inſerviant pro reſpirationis materia, ſicut nobis aër, nam in inſpiratione aſſumit eas; redditq; iterum in exſpiratione, cum igitur aquæ illæ deficiunt fœtui, idem eſt ac ſi nobis eriperetur aër, adeoq; fermentationes cordis fœtus magnum ſufflaminationis incurrunt periculum. *Craanen. Pr. Med. Ref. c. 105.*

55. *Aquarum immaturior*) Fœminas quaſdam ſine aquis peperiſſe narrat. *Joh. Lud. Hennemannus Med. Sept. v. 2. p. 95. ex relatione Obſtetricis*; ac aquarum harum receptaculum prorſus ſiccum inventum, verum partum tum ſemper eſſe difficilem, Et ſi eveniret quod hac ordinaria eluvies (eadem referente) efflueret juſto citius, tum partum remorari ad vi. xii. xxiv. horas, vel etiam ad tres dies, longiorem moram nondum experta eſt. Illuſtr. *Comitiſſa de Starenberg.* ex relatione. *Pauli de Sorbait. in Ephem. German.* quin decim diebus ante partum Aquam puerperii ſemper reiicit abſq; gravi damno, ubi maſcullam prolem paritura eſt, Non vero ubi fœmellam.

55. *Aquarum immaturior*) Illuſtr. Comitiſſa de Starenberg quindecim diebus ante partum aquam puerperii ſemper reiicit abſq; gravi damno, ubi maſculam prolem paritura eſt, non vero ubi fœmellam. An quia fœtus maſculinus plus attrahit quam fœmellus? An quia fortior maſculus motu vehementiori vias aperit? An præcox ille fluxus ſit hydropis uteri prodromus? *Paulus de Sorbait.*

55. *Aquarum immaturior prolapſus*) Humorem qui aquæ ad inſtar paulo ante partum ex utero prægnantium; ad lævem, lubricam & facilem viam fœtui per uteri collum exeunti parandam effluere conſuevit, in membrana fœtum in utero immediate çingente, amnio, dicta, contineri, inque ea fœtum natare notiſſimum eſt, Humor hic naturaliter non effunditur, nec continens ejus rumpitur niſi fœtu inſtante, & fœtu membranas ſe involvente, lacerante, Præternaturaliter vero nonnunquam contingit ut membranæ fœtum in utero continentes variis ex cauſis vel rumpantur, vel nimium quantum dilatentur, ita ut per eas humor ille inibi contentus, vel ſubito & copioſe in diſruptione, ſenſim vero & paulatim facta dilatatione ex utero deſtillet: Quod ſi contingat, malum utplurimum ſignum vel partus laborioſi, vel fœtus imbecillis, & ægrotantis, aut plane abortus futuri à Medicis habetur; Mulierem tamen novimus cui duobus ante partum menſibus ſingulis diebus aqua ſenſim ex utero effluxit; Perterritam bona ſpe erexi, cum aqua non confertim ex utero proruat, ſed paulatim & ſenſim deſtillet, ſicq; dilatationem potius quam ruptionem membranarum fœtum cingentium denotet, ut tamen non ſolum bona victus ratione, ſed etiam internis externiſque fœtum roborantibus medicamentis (licet fœtus motus ſatis robuſtus & liber obſervetur) author fui) quibus continuatis partus juſto elapſo temporis ſpatio, licet aqua exſtillans parum remiſerit, feliciſſimus contigit. *Benjamin Scharfius M. S. V. 2. p. 64.*

55. *Immaturior prolapſus*) Licet ordinarium ſit quod aquis emergentibus dolores partus intra trium horarum ſpatium ſequantur, nihilominus & haud rarum eſt, imo quotidianum, partum aquis jam progreſſis retardari ad xvi. imo etiam xx. horas: quin & Amſtelodami ante aliquot annos notavi trium ſeptimanarum, & trium dierum ante partum ſpatio accidiſſe ſymptomaticum hoc diluvium ſalvo manente fœtu, & juſto egrediente tempore. *Al. Hermannus Cummenus.*

55. *Aquarum immaturior prolapſus*) Pro uſu Practico obſervetur fieri interdum ut mulieribus quibuſdam aliquot, ſeptimanis ante partum aqua effluat, & tamen ſine nocumento matris & fœtus, ubi metuunt ne fiat abortus: In habitioribus tamen fit ut aquæ in chorio incluſæ, effluant, reliquis in corpore abortum infert. *Etmuller Pr. P. 3. p. 42.*

56. *Inter humectantia*) Hoc accidens cohiberi nequit, ideo opera danda ſolummodo eſt ut puerpera facilius pariat, uſurpatis aliis remediis quæ ex cordialium, & corroborantium albo petuntur, Poteſt etiam matricis lubricitas conciliari *oleo lilior. albor. amygd. dulc. ſeſemino, communi, oleo violar.* Item *adipe gallinæ, anſerino, ſuillo, 1. anatino, cuniculi, butyro rec.* quibus inungatur hypogaſtrium, ipſeque uterus tam intus quam foris. *J. Michaelis Pr. Clinica p. 274.*

56. *Inter humectantia*) Vxor N. primipara juſto tempore pariendi conatus experitur, adeſt Obſtetrix, fiunt omnia ordine, & decenter, infans etiam in recto ſitu & bene coronatus deprehenditur, nihilominus parturiens eniti non valet, locilli manent ſicci, & licet membranæ diſruptæ, ne guttula quidem aquæ prodit: Durant parturiendi conatus per biduum, incaſſum tamen laboratur; Locellorum ante omnia ſiccitatem pinguium & emollientium inunctione emendandam cenſeo, *Galenum* ſequutus *libr. 15. de V. P. cap. 5.*

℞. *Vngu. de alth. compoſ.* ℥iij. *ol. cheir.* ℥ß. *pingued. gallinæ, taxi* ãã. ʒvi. *ol. chamom. coct.* ℥j *m. f.* Linimentum.

Hoc obſtetrix matricis collum ſæpius & ſedulo inungebat, Interim pro matre & fœtu roborandis ſequ. mixturam præſcripſi crebro cochleatim ſumendam.

℞. *Aqu. pulegii, fœnic. ana.* ℥ij.
Vitæ mulier. ʒvj.

Tinctura

Tinctura caſtor.croci, āā.ʒß.
Syr.de artemiſ. ℥j. miſce.

Ab hiſce medicamentis intra bihorium enititur prægnans filiam ſanam: Mirum poſtmodum nullam vel omnino exiguam & vix ſenſibilem lochiorum ſequutam purgationem. *A.Herm.Cummenus.*

57. *Dolores Colici*) Non confundendi ſunt dolores varii qui poſſiint mulieribus ſupervenire, propterea qui forſan ſuperveniunt orificio vteri externo læſo, vel vagina vteri, huc non pertinent proprie, ſed iidem dolores qui affligunt puerperas in ipſo abdomine, adeoque dividuntur in veros & nothos, *Veri* ſunt qui propriè affligunt vterum, *Nothi* qui affligunt inteſtina, meſenterium parteſque connexas *Etmuller.* De his fuſius agit, vbi de Doloribus à partu ob affinitatem.

Sunt alii dolores in ventre & inteſtinis, his ſimiles, qui tamen non hi ad inferiora vergunt, quamvis revera vix poſſint à ſe invicem diſtingui, neque multum neceſſe eſt, cum eodem modo curentur. *Primiroſius.*

58. *Virium imbecillitas*) Imò in ipſo partu viribus parturientis & fœtus conſulendum: Si hic debilior videatur, reficiendus eſt tum roborantibus illi exhibitis, vt vino calente, *confectione alkhermes, aqua cinnam.* Tum externis, vt *cruſta panis, aut placenta roſac. pulvere nucis moſch. cinnam. caryophyll. granor. Kermes ſinapiſata & aqua imperiali*, aut vino repente irrigata, Vel fruſtulo *carnis vervecinæ* parum aſſæ ſupra craticulam, & *aqua roſacea* vel *flor. arant.* irrorato. *Omento vervecis* nuper mactati adhuc calente & ſimilibus. *Riverius.* Vide §. *Difficilem partum avertunt, Ex Platero.*)

VIII. [59] *Secundinarum tardus egreſſus*, [60] vel quod nimis *craſſæ* & [61] tenaces ſint, & lateribus ſtrictè cohæreant; [62] vel quod propter diuturnum partus laborem intumeſcant; [a] vel quod umbilicus, ſeu *ruptus* ſit, ſeu *præciſus*, antequam ſecundina egreſſa fuerit.

[63] Laudantur *ſulfur vivum* fabæ portione in vino [64] exhibitum; pulvis *ſecundinarum* ab *Hartmanno p.33. chymiatriæ* deſcriptus, *Oculi leporis in* Martio capti de quibus apud eundem p. 183. *ſtercus equi* avenam comedentis [66] ſuffitum, *paſtinaca ſylveſtris* itidem ſuffita. *Oleum myrrhæ* etiam fœtum pellit. [67] Profuerunt cuidam capilli ipſius abſciſſi: *combuſti*, & *cum vino* propinati, &c. Vide Burgeſiam l.1.c.14.

59. *Secundinarum tardus egreſſus*) A Placenta poſt abortum, relicta ortum fuiſſe vteri tumorem monſtroſum, qui quadraginta libras penderet, narrat *Regn. de Graef Med.Sept.vol.2.p.10.* Subſtantia vteri, *inquit*, diſſecta partim ſcirrhoſa, partim glandoſa reperta eſt; Cavitatem internam materia quædam inſtar pugni majoris craſſa, maxime putrida & nigricans adimplebat, quam ſtatim à fœtu, mola aut placenta non edita, ſed in vtero putrefacta originem ſumpſiſſe iudicabam, quod vltimum confirmabatur iis quæ maritus retulit, ſcil. vxorem ante xxv. annos, ſecundo vel tertio ingravidationis menſe Veſiculam quandam aqua repletam per muliebria abſque placenta, excreviſſe, ſubſequente maximo lochiorum fluxu per 6. vel 7. menſes durante, eoque ceſſante ventrem magis magiſque intumuiſſe.

Hanc obſervationem *addit idem*, praxin medicam exercentibus maximè vtilem eſſe poſtmodum cognovi, qui ab illo tempore quartam vel quintam abortionem patientes per placentarum expulſionem, feliciſſimo cum ſucceſſu, duorum vel trium dierum ſpatio priſtinæ ſanitati reſtitui.

59. *Secundinarum*) Τὸ δεύτερον, item τὰ δεύτερα, ſignificat *ſecundinas*, vel ſecundas, ita dictas quod ſecundo poſt fœtum natum loco ordinarie & naturaliter excludantur, *Hippocrates* vocat τὰ ὕστερα, *5.aph.49.* τὰ ὕστερον. *2. Prorrh. 30.* & *1.Epid. ſect.5. 42.* χόρια. Suntque nihil aliud quam membranæ fœtum prius continentes, præſertim exterior *Chorion* dicta cum *Placenta vterina*, Nam interdum *Amnios*, ceu interior cum fœtu ipſo excluditur galeæ inſtar inhærens. *Bruno Lexic.med.p.m.430.*

Membranæ hæ circa humanum fœtum duæ ſunt, circa brutorum tres, quæ junctis & mutuo connatæ, vt vnam videatur conſtituere, efficiunt *Secundinam* dictam, vel *Secundam.* 1. quod ſecundum ſit fœtus domicilium ab vtero, 2. Quia hæc membrana in partu ſecundo, vel poſt fœtum exit ſecundinarum quoque nomine veniunt reliqua poſt fœtum prodeuntia hepar vterinum & liquores. *Bartholinus Anat.Renov.cap.36.*

In homine adhæret chorion vtero mediate per rotundam & ſubrubram quandam carneam maſſam, alteri tantum, fere ſemper ſuperiori & anteriori parti vteri connexam, nec totum fœtum cingentem, ex innumera ſobole venarum & arteriarum, quibus intertexitur ſanguis velut affuſus plaſmatum. *Idem.*

59. *Secundinarum tardus egreſſus, vel quod, &c.*) Non raro accidit in Abortu primis mēſibus facto, quem hæmorrhagia quædam ſemper ſubſequitur fœtum puſillum excludi ab vtero vna cum membranis & aliquot grumis ſanguinis nondum advocata Obſtetrice in auxilium; Imperitæ mulierculæ aſſidentes diſquirant num vna cum his excretis ſecundina prodierit; quæ intus reſtitat, quia vterus illico ab abortu occluditur; Cui rei quandoque non attendit obſtetrix ſuperveniens, adeo vt ab hac negligentia periculum ſubſequi ſoleat & difficultas major in ferendo auxilio; Hæmorrhagia præſertim periculi plena conſequitur, non prius deſinens quam corpus illud extraneum remotum fuerit. Sicuti contigit ante biennium vxori N. quæ abortu ejecit fœtum bimeſtrem, digiti magnitudine, vivum; hic vt matri conſuleretur, menſæ imponitur cum grumis aliquot ſanguinis ſimul excretis, ſuperveniens felis ſimul omnia abligurit; quapropter Obſtetrix reſcire non potuit num ſecundina vna prodiiſſet; quare ſatis illi fuit manum immittere, vterum autem occluſum animadvertens, vacuum illum credidit; at vero cum ſecundina intus remanſiſſet integra, ægra toto biduo ingentes dolores ventris paſſa eſt, comite hæmorrhagia; eaque adeo effuſa, vt niſi illo ipſo momento adfuiſſem ſecundinam extracturus, intra bihorium proculdubio extincta fuiſſet. *Mauriceau c.10.l.2.*

Prognoſis.

Secundinæ ſi diutius morentur, non ſolum inutiles ſunt, ſed etiam admodum noxiæ evadunt, cum enim putreſcere incipiunt gravia fiunt ſymptomata venter intumeſcit, dolet, &c. Si puer abſque magno dolore in lucem exierit, affixas eſſe vtero membranas; nondumque integre ſolutas probabile eſt; Semper igitur periculum portendit ejuſmodi retentio, melius eſt ſi retenta in ſaniem verſa effluit. Mirum eſt vxorem coriarii has membranas lxx die putrefactas excluſiſſe. Vidi mulierem quę 50. à partu die, maximis vexata ſymptomatis, alterum fœtum excluſit totum in ſaniem converſum. Vt mirum non ſit ſi interdum ſecundina diutius quam oporteret remaneat; Sæpe tamen ob vſum medicamentorum acrium vlcus fit in vtero. *Primiroſius.*

Periculoſiſſima eſt Secundinæ retentio, & ſi per aliquot dies in vtero moretur, fœdum putredinem acquirit, vnde febris acuta, nauſea, lipothymia, dyſpnoea, ſudor diaphoreticus, extremorum frigiditas, hyſterica ſuffocatio, epileptici inſultus, & mors tandem ſubſequitur.

Hippocrates 2.Epid. exemplo vxoris coriarii, innuit bonum eſſe ſi ſanies copioſa brevi per pudendum effluat, ſpes eſt membranas illias putrefactas, vel marcore conſumptas, *6.* vel *7.* die effluxutas. *Riverius.*

Mulieri à ſecundina retenta, paulo poſt à partu præcordiorum ingruit anxietas, virium caſus, ventris intumeſcentia, dolor in inguine & infra ſiniſtrum hypochondrium; Potiſſimum vero ſymptoma quod hic plurimum negotii faceſſit, propterea in ſpecie commemoratu dignum eſt, faucium, uvulæ amygdalarumq; inflammatio, & linguæ ſumma ariditas, ab elatis ex vtero putridis vaporibus, accenſoq; inde ſanguinis calore dubio procul orta, Hoc ſymptoma tantum minatum eſt periculum, vt labebactata inde deglutitione, viribuſq; ſubinde magis labaſcentibus, conclamata res videretur ancipiti prognoſtico relinquenda; maxime quando omnia illa præſidia, vt ſunt injectiones per ſiphonem frequentiſſime inſtitutæ, ablutiones faucium penicilli beneficio in horas factæ, gargariſmi acidiuſculi, epithemata collo inducta, ipſaq; raninarum venarum ſectio nihil aut parum profeciſſe viſa ſunt. *G.Abrah.Merclinus.*

Ratio extrahendæ ſecundinæ poſt abruptum funem umbilicalem.

u. Vel quod vmbilicus ſeu ruptus, ſeu præciſus antequam, &c.) Reduci poteſt hæc ratio extrahendi ſecundinam in numerum partuum contra naturam, neque enim ſufficit quo Partus dicatur naturalis, vt fœtus rite prodeat, nam præterea neceſſe eſt matrem omnino expeditam eſſe, Ratione fœtus quidem, partus ſecundum naturam eſt, quia pars iſta illi in lucem edito inutilis eſt; ratione autem matris omnino præter naturam eſt.

A me oſtenſum capite præcedenti quomodo procedendum in partu naturali, ſed nonnunquam Obſtetricem funem vmbilicalem abrumpere, validiori attractione, aut quia is adeo debilis, imo nonnunquam, corruptus, ſi fœtus ſit mortuus, vt ad leuiſſimum attactum diſſiliat & prope ſecundinam divellatur, quæ poſt in vte o reſtitat; aut quia parturiens adeo debilis eſt, vt impar ſit illi expellendæ, à diuturnis in enitendo laboribus; vel quia cum non vt decet quamprimum educta fuerit, vterus tam arcte conſtrictus eſt, ut non amplius concedat exitum, qui ideo eum in finem nonniſi maximo labore dilatari poteſt; exſuccus enim & aridus remanet ab effuſione humorum viſcidorum, partum ſubſequi ſolitorum.

Siquidem conſtantis eſt veritatis ſecundinam in vtero ſuperſtitem ab exitu infantis, corpus eſſe extraneum, quod niſi educatur exitium matri parere poteſt, in id enitendum vt protinus excludatur, quantũ poſſibile eſt, quamobrem, poſt tentatam illius extractionem, ſi funem abrumpi cõtigerit proxime ſecundinam, quamprimum antequam vterus occludatur, intromittenda in eum manus, probe oleo aut butyro recenti illita, reſectiſque exacte vnguibus, tẽtando lenem extractionem, educendo ſimul ſanguinis grumos, ſi qui adfuerint; Quamdiu integer eſt funis vmbilicalis, manudicit ille recta ad umbilicum; ſin abruptus ſit, cum manus duce careat, ſedulo cavendum, ne pars vna pro alia ſupponat, ſicuti contigit Obſtetrici, quæ corpus vteri valide attrahebat verſus orificium internum, rata ſe ſecundinam manutenere, ſed cum conatus illius irriti eſſent, doloreſque intenſos ægræ inferret, locum mihi ceſſet, inſcitiamque vltro faſſa eſt.

Statim ergo ac manus immiſſa fuerit, ea ratione quam dixi in vterum verſus fundum, ibi deprehenditur ſecundina, quæ notitiam ſui præbet plurimis aſperitatibus & inæqualitatibus, quas inferre ſolent radices vaſorum vmbilicalium, qua parte illuc pertingunt, quarum indicio non levi negotio ab vtero diſcriminabuntur ſi illi adhuc adhæſerit, etiamſi tunc temporis adhuc dum quadantenus rugoſus & aſper, quia membranæ, ante partum admodum tenſæ, quamprimum fœtus, & aquæ illum admodum diſtendentes foras prodierunt, illico contrahitur & conſtringitur; at vero artis peritis re. non difficulter innoteſcit; Si ſecundina nullo modo vtero cohæreat; expedita res eſt, at ſi adhuc illi adnexa ſit, vbi deprehenſum fuerit qua parte magis libera eſt, ibidem inchoanda eſt divulſio, ſed leni manu adhibita, interpoſito eum in finem aliquo digito uni inter ſecundinam & vterum, ſenſim progrediendo donec divulſio omnimoda facta ſit, quam extractio ſubſequi debet, cavendo ne vis vlla inferatur; hoc præterea obſervato, vt ſi aliter fieri nequeat, relinquatur potius tantilla portio ſecundinæ, quam vel vellicetur aut eradatur vel minima portio ſubſtantiæ vteri, metu inſignis hæmorrhagiæ, phlegmones & gangrænæ, ad quas mors ſubſequutura eſſet: Cavendo præterea ne educatur ante omnimodam ſeparationem, ne conſequatur vterus, Integram illam & illaceram illam exhibendo, quantum licebit per cautelas prædictas, vt judicium ferant aſſidentes, num operatio rite inſtituta fuerit: At vtplurimum non propter adhæſum ſecundinæ, cũ vtero, intus illa cohibetur, quam propter conſtrictionem orificii interna, quæ cum expandum non ſit ad proportionẽ craſſitiei corporis ſecũdinæ retinet illam, neq; tranſitũ concedit, qua propter non raro diſrumpitur & divellitur funis vmbillicalis.

Accerſito Chirurgo, ſi vterus ſufficienter reſeratus non fuerit vt manum admittere queat, ſtatim inungenda ſunt axungia pudenda muliebria ad faciliorem dilatationem, ſenſim demum illam inſinuando, nulla tamen vi inſigni illata, vel ſolum binos ternoſve digitos, quorum ope arrepturus eſt portionem corporis ſecundinę, quod vt plurimum obvium eſt ad orificium internum, leniter illam adducendo, & obliquè hinc inde flectendo portionem arreptam; ſemper tentando, ſervata citra rupturam, portione illa, quantum licuerit, vlterius progredi, provt corpus ſecundinæ paulatim accedit, in id prætereaIntendendo, ut in arrepta particula adſit membranarum portio; ſi enim ſolum comprehenderetur ſecundinæ pars ſpongioſa, proculdubio fruſtillatim diſcinderetur præ ſumma mollitie, Interim mulier quod ſuarum eſt partium exequi debet, multum quippe conferre poteſt promovendæ illi dilatationi, nec non ſecundinæ excluſioni, ſi valide verſus inferiora expellat, cohibito ſpiritu, concitato vomitu, aut ſternutatione, aliaque peragendo de quibus ſupra.

Si nihilominus reſtitet ſecundina, neque vterus quantum requiritur expandi queat; vel adeo adhæreat, vt divelli non poſſit; tunc, ne pejor eventus ſequatur, totum negotium naturæ committendum erit, auxiliares illi manus per remedia ſuppurationem moventia adhibita; Eapropter Injectiones fiant in vterum ex decocto *malvæ, althææ, parietariæ, ſemine lini,* addito *oleo lilior. albor.* aut *butyro recenti.* Injectio hæc lenit & temperat, emollit & humectat, vnde orificium relaxationi aptius fit, promovebiturque ſuppuratio, ſuccedente huic ſecundinæ faciliori exitu. Accelerabitur quoque expulſio, ſi clyſter acriuſculus injiciatur, vt in egerendi conatu ſimul ſecundina morans prodeat; id quod non paucis obtigit quibus in pelvim excidit; aliis etiam incogitantibus egreditur.

Licet quoque eodem tempore, præcavandæ gratia febris quæ fere ſubſequi ſolet, cum aliis ſymptomatis, ſanguinem è brachio vena aperta emittere, vel è pede, provt res requirere videtur, Non neglectis interim corroborantibus, reprimendorum cauſa vaporum putrium & fœtidorum, ex cadaveroſa ſecundina emiſſorum, quæ à corde & principibus arceri debent, id quod exhibitis cardiacis conſequi licet, juſculis conſummatis, ex carne, vitulina

vitulina, gallinaceo genere, addito ſucco malorum aurantiorum: concedi quoque poteſt Potus *Limonade* dictus, aut *Orangeade* ex *Limonibus & Aurantiis* factus, vel ptiſanæ ordinariæ tantillum *ſyrupi è ſucco limonum* infundi poteſt, aut granatorum; (ſyrupi enim iſti ſuaviſſimi, ventriculo etiam idonei ſunt, & cor adverſus tetros vapores roborant; obſiſtunt enim putredini humorum) vel etiam ex intervallis (ſi debilitas adſit, & in febris abſentia) tantillum vini generoſi probe diluti, Cardiacorum omnium, proculdubio præſtantiſſimi.

Cæterum alia quoque remedia in vſum adducenda ſunt pro ratione accidentium ſupervenientium ex retentione ſecundinæ, in id ſemper enitendo ut quamprimum eliminetur; quam quamdiu in vtero moram traxerit, perpetui dolores comites erunt illis non abſimiles qui partum præcedere ſolent, etſi vel tantilla particula ſupeſtes ſit, ac donec extraneum id corpus propulſum fuerit, abſiſtere non debet ab enixibus, irritis tamen futuris niſi præparatio adfuerit. Quo minor autem fuerit ſecundina coercita, eo difficilior futura eſt expulſio, eo quod impulſio quam adhibet ægra ſeſe coarctans minor eſt quando corpus in vtero contentum parvum eſt, quod ſi majus fuerit, tunc major fit contentio validiorque compreſſio. Adde quod idem hic accidit quod fructibus qui divelluntur, ſponteque ex arbore decidunt maturitatem adepti, qui contra immaturi vix excutiuntur: ideoque fit vt quæ abortum patitur, ægrius ſecundinarum excluſione defungatur quam quæ juſtum pariendi tempus attigit.

Non paucæ obſtetrices quæ ab abrupto fune vmbilicali, ratione ſupra dicta, opus inchoatum deſerunt, reliqua naturæ committentes, ſed non raro accidit miſellas ægras interire præ gravibus accidentibus ſubſequi ſolitis ante integram ſecundinæ ſuppurationem. Periculi illius devitandi gratia, ſi ſe impares res abſolvendæ agnoſcant, quia manus in vterum immittenda eſt, quod officii Chirurgi eſt, cui negotium perſpectum eſſe debet, illico ille advocandus, dum adhuc loci muliebres hiant, nam quo plus moræ eo plus periculi.

Temerariæ nonnullæ opus aggrediuntur, ſed induſtriæ & peritiæ inopes, ſpe fruſtrantur, remque non raro ad pejorem priori ſtatum deducunt; Exemplum præbuit mihi inter plura alia, muliercula ad quam accerſitus fui triduo à partu ex cujus vtero ſecundinam omnino educere non potuerit obſtetrix, prodibat humor nigricans, fœtidiſſimus, aderat gravis capitis dolor cum febre. Immiſſis duobus digitis in vaginam deprehendi orificium internum fere omnino occluſum; in quod nihilominus penetravit digitus index, quem hinc inde flectendo, nunquam retrahendo, ejus ope aliquantiſper id dilatavi, adeo vt digitum proximum immittere quoque mihi licuerit, quibus ſolis vſus, cum plures non caperet locus, ſecundinæ tria fruſtra eduxi, mole nuci juglandi æqualia, ſucceſſive digitis ea prehendendo inter digitos, quomodo aſtaci chelis ſuis prædam apprehendunt, quo pacto brevi tempore mulierem hanc liberavi, ceſſante dolore & conſequuta proba valetudine, quo auxilio deſtituta in vitæ diſcrimen manifeſtum adducebatur, præ inſigni corruptione eorum quæ vtero incluſa erant; biduo enim ab eductione manus mea fœtoris reliquias adhuc retinebat, etſi aceto ter quaterve elota. *Mauriceau c.10.*

60. *Laudantur) Eſt & cum Naturæ opus committendum vbi irrita ſunt auxilia, Mulieri jam vltra menſem ſubſiſtebat ſecundina*; nec remediis cedebat: Interim febrilis quidam calor, cum ſiti, interpolato capitis dolore, & pervigilio continuo ingruunt; mutatis hinc indicantibus etiam remedia mutari debuerunt: Proinde ad febrem aliaq; vrgentia ſymptomata reſpicere coacti,

relicta ipſi Naturæ ſecundinarũ excluſione, maxime cũ advertere liceret adhibitis quantũvis fortiſſimis, ſeu ſecundinas expellentibus, nihil vnquam; profuiſſe contra vero nullis vſurpatis remediis, ſua ſponte carneũ quid, cæteraq; ſecundinarum fruſta ex vtero abſceſſiſſe, Eleganti argumento quam impoſſibile ſit Naturam cogere, quamque nihil illa invita agere liceat; Quin ſæpe præſtat reſtituendæ ſanitatis negotium patienter officioſiſſimæ naturæ officio ac tempori committere, quam præ feſtinata curatione graviora mala, vti haud raro fit, accerſere. Adhuc enim quotidie comperimus Naturam eſſe morborum medicatricem, Medicum vero Naturæ miniſtrum. Ita perſuaſiſſimi ſumus, Secundinas vtero tenaciter adnatas nulla medicaminum vi prius avelli potuiſſe, quam facta demum tempore earum maturatione & ſpontanea ſeparatione; quemadmodum abſceſſus non prius dehiſcit, quam ſuum maturitatis tempus fuerit nactus, &c.

Quid fit, in mediis dum verſamur anguſtiis, 6. à fœtus enixu ſeptimana, totus ſecundinarum acervus ex vtero proſilit, quo factum vt, paucis poſt diebus faucium malum remittere cœperit, & vires paulo poſt redierint, evaneſcentibus etiam illa circa inguina ex retentarum ſecundinarum conglomeratione ac adhæſione enata intumeſcentia, indeque prognatus circa ſiniſtrum hypochondrium aggravans tumor, &c. *G. Abra. Merclinus.*

Ratio ſecundinam poſt partum extrahendi. Secundinarum tardus egreſſus.

Maxima animalium pars, fœtibus in lucem editis nihil præter aquas & membranas illas involventes excludunt, at mulier præterea ſecundinam geſtat quæ partu emiſſo excludenda eſt, vtpote res inutilis & incommoda; quapropter quamprimum fœtus vterum egreſſus eſt, etiam priuſquam filo conſtringatur funis, & abſcindatur, ne ille occludatur, nulla interpoſita mora liberanda eſt mulier educta maſſa iſta carnea, quæ olim ſanguinem in fœtus alimentum ſuppeditabat, quamdiu vteri clauſtro continebatur; quam non ſine ratione *ſecundinam* vocant, quia ſecundo loco ab vtero prodit, (Galli *arriere-faix*, quia tanquam alterum onus mulierem gravat,) vocant etiam *Delivre*, quia hoc educto *libera eſt mulier*.)

Eapropter Obſtetrix, arrepto fune vmbilicali bis aut ter illum convolvat circum digitos binos manus ſiniſtræ complicatos, quo firmius illum complectatur, quã ipſum adductura eſt mediocri vi attrahendo, Aut potius eundem manu ſiniſtra arreptura eſt linteo ſicco munita, ne digitos præterlabatur, manu autem dextra prehendat, ſupra ſiniſtram, proxime pudendum, pariter leniterque ad ſe attrahendo, imponens extremitatem binorum digitorum conjunctorum, aut ſolum extremum digitum indicem, extenſum verſus pudendum aut vaginæ initium, ſupra funem ſecũdum ejus longitudinem, ſicuti figura oſtendit, ad hoc perpetuo attendendo, quo res facilius ſuccedat, vt attractio fiat inclinando præſertim verſus eam partem vbi ſecundina minus cohæret, quo facto reliquum levi negotio tractioni ceſſurum eſt, id quod apparet chartæ glutine cuidam loco affixæ, facilius enim divellitur ſi attractio fiat qua parte ſeparari jam incipit, quam ſi ab ea qua omnino cohæret.

Id præprimis obſervandum ne funis vmbilicalis nimia vi adducatur aut contrectetur, ne eo diſrupto (id quod nonnunquam accidit) qua parte ſecundinæ proximus eſt, cogatus poſtmodũ obſtetrix manum in vterum intromittere, cui ſecundina nonnunquam validiſſimo nexu adhærer, ſicque vna cum hac adducatur, id quod nonnullis accediſſe novi. Uti quoq; cavendum ne nimiq

conatu adhibito ſubſequatur eo ipſo momento inſignis hæmorrhagia, omnino periculi plena, Caute ergo dictis de cauſis agendum leniter illam commovendo & attrahendo; ad cujus etiam faciliorem eductionem, jubendũ vt enixa fortiter inſufflet in manum alterutram in pugnum contractam; aut digitum in fauces vſq; demittat, quaſi vomitum excitatura, vel eundem quam in egerendo conatum adhibeat, verſus inferiora ſemper compellendo, cohibito, totidem ſicuti in enixu parturiendi ſpiritu; Diverſi hi motus eundem edunt effectum, ſecundinam videlicet ex vtero excutiunt.

Si nihilominus difficultatis aliquid occureret, deprehenſo prius loco in quo ſubſiſtit ſecundina, clinicæ mulieri petitæ imperandum vt manum depreſſam ventri puerperæ admoveat, verſus inferiora illam deducens, per modum frictionis, idque leniter. His omnibus irritis, manus in vterum immittenda erit divellendæ gratia ſecundinæ, qua de re capite ſequenti.

Quamprimum puerpera liberata fuerit, & ſecundina excluſa, videndum num integra ſit, cavendo ne qua illius portio reſtitet in vtero, vel membranarum, vel grumorum ſanguinis, qui quoque eximendi ſunt, moleſta alias productura ſui retentione accidentia, ingenteſque dolores,

Quod ſi mulier in graviditate de aliquo dolore conqueſta fuerit, duritie, aut gravitate inſolita ventris, graviori in parte quapiam quam in alia, præterea diſquirendum ſit num forte ſubſit in vtero corpus aliquod extraneum, veluti falſum germen, quo eodem tempore illius eductio fiat; Alitæ enim mihi mulieres, in quibus cum prædicta ſigna apparuerint, falſa germina, edito fœtu cum ſecundina, excluſerunt, Quæ providentia matris & Fœtus deinceps habenda ſit, inferius videbitur. *Mauriceau c.9 l.2.*

60. *Vel quod nimis craſſa. &c.*) Quamvis ſecundinæ retentæ magnum vtplurimum minentur periculum, aut ipſam etiam mortem accelerent, nonnunquam tamen abſq; ſingulari incommodo eaſdem in vtero diu reſtitare novimus. Id vero perrarum eſt, etiamſi exempla occurrant. Idq; fortaſſis accidit corpore illo arctius vtero etiã poſt partum adhærente eiq; per humores ex vtero in illud inſtillantes glutinoſitatem, quaſi adcreto, humidis autem ſecundinæ particulis ſenſim dein evacuatis aut evaporantibus; vel etiam vteri oſculo poſt partum arctius occluſo, aëris, corruptionem minantis, adpulſum inhibente.

Uxor N. xxx. annorum peperit filium mortuum, Provida obſtetrix, cum ſentiret ſecundinas, quas avellere non poterat, vtero eſſe accretas, umbilici partem ex utero propendentem filo robuſtiore confirmatam, femori alligavit, vt eo in dies ſecundinarum ſolutionem citra detrimentum tentare poſſet. At fruſtra, etenim pars vmbilici extra vterum cito putredine abſumebatur, ſecundina in vtero firmiter remanente. Cum autem mulieri propterea nullum gravius ſymptoma accideret, & medicamenta averſaretur, nulla fuerunt adhibita remedia, obiitque mulier ſua munera in ædibus ſana per annum, cum dimidio, quo tranſacto tempore ſecundinam aridæ inſtar pellis ſponte excidiſſe jurato illa affirmabat, Concipere vero non poterat per id tempus quo ſecundina in vtero hæſit. Altera vice imprægnatæ eadem acciderunt: Tertia autem cum in partu ipſi ſimiliter non poſſent ab vtero ſolvi ſecdinæ, mulier cum infante ſuo in ipſo partu mortua eſt; Docemur hoc caſu noſtri eſſe officii jubere Obſtetrices vbi ſecundinæ ſponte non excidunt, nec facile ab vtero ſeparantur, eas ab vtero vi minime diſſolvant, ac violentia quadam extrahendo præſentaneam mortem accelerent. *Chriſt. Menzelius.*

Secundinarum poſt laborioſum partum vltra ſeſquimenſem retentarum, tandem fruſtillatim excluſarũ vide exemplum *Med. Sept. vol. 2. p. 113. ex Geor. Abr. Mercklino,*

61. *Et tenaces ſint*) Natura indiget auxilio in fœtu mortuo. Sed non minus ſi ſecundinæ fuerint retentæ, præcipue, quod interdum fit, ſi penitius accretæ firmiter adhæreſcant, nec extrahi ſæpe poſſint: Indicium inter alia hujus rei eſt ſummus dolor, & quaſi convulſivus puerperæ, exercens ſe ſimul, ac ſi vel levius trahatur moles, mire increſcens, quod vidimus in fœmina, quæ ob torporem, otium & decubitum fere continuum durante geſtationis tempore, adnaſcentiam talem ſibi contraxerat. *Wedelius A.m.m.p.430.*

62. *Vel quod propter*) Cauſa externa ſunt *aëris frigiditas*, cujus vi ſecundina repellitur & vteri orificium occluditur, odoramenta quædam, quibus vterus ſurſum allici vel exagitari poteſt; animi pathema grave, vt timor vel terror ſubito adveniens, moroſitas parturientis, quæ in eo ſitu permanere non vult, vel eos conatus præſtare qui ad hoc opus perficiendum requiruntur, Infantis pondus nimium, quo ex improviſo vmbilicus diſrumpitur, remanente intus ſecundina, & imperitæ obſtetricis error, quæ vaſa vmbilicalia citius reſecuit, aut non tenuit ſiniſtra manu, vt debebat, ſi enim dimittantur, retrahuntur ad vterum, & in eo cum ſecundinis latent, quæ earũ extractioni inſervire debebant. *Riverius.*

Diagnoſis.

Diagnoſis ſecundinæ in vtero retentæ per ſe facilis eſt, aliquando tamen fruſtulum illius ſeparatur & in vtero remanet, cujus notitia non eſt adeo facilis, cognoſci tamen poteſt ex eo quod vterus poſt partum adhuc in excernendo laborat, quamvis leviores ſint illius conatus, doloris & caloris ſenſus in vtero percipitur, & poſt aliquot dies teter ac cadaveroſus halitus ab vtero exhalat. *Riverius.*

61. *Vel quod propter*) Interdum adhærent vtero nondum ſolutis acetabulis, quoniam tenuiora cum ſint à fœtu facile diſrumpuntur: Interdum ab vtero ſolutæ alicubi in illius capacitate remorantur inſtar globi cujuſdam involutæ; Retinentur autem, vel quia ob craſſitiem tenacius vtero alligantur, Aut quia ob tenuitatem facile fœtus gravitate diſrumpuntur; Aut quia ob magnum partus dolorem ex affluxu ſanguinis intumeſcũt, atque etiam inflammantur; Aut ſi citius quam par eſt abſciſſus fuerit vmbilicus, tunc enim ſurſum in vterum retrahitur; Idem externarum cauſarum vi contingit, &c. *Primiroſius.*

63. *Laudantur*) Secundina retenta iiſdem remediis expellitur quibus fœtus mortuus adde quædam ſpecifica, *Geſnerus* & *Augenius* plurimum laudant *Equi caſtrati teſticulos*, fruſtillatim inciſos, & in furno ſiccatos; exhibetur pulveris quantum tribus digitis capi poteſt, cum jure pulli, ſi opus ſit bis aut ter repetendo. *Rulandus olei juniper. gutt. xxx.* feliciter exhibuit.

Alii jubent Puerperam dentibus cepam comprimere, ſuccumque deglutire, ter vel quaterve dentibus, in cepam adactis, ſuccum ſemper eliciendo obſtetrix quædam, ex *Foreſto* ſumebat folia leviſtici viridia, contondebat & ſuccum exprimebat cum vino Rhenano optimo ejuſque cyathum propinabat. A *Sala mercurium vitæ* commendat vt in fœtus mortui eductione. His addendi *ſternutatoria*, ſuffitus, Fomenta, Linimenta, aliaque tum interna tum externa tradita in partu difficili.

℞. *Aceti roſac.* ℔viij. *vel x. fol. lauri baccar. ejuſdem ãã. m. iij. placentam roſac. ex deſtillatione relictam, in fruſta diſſectam n°. 1. bulliant in lebete & eo decocto laventur diu coxæ & tibiæ calide, ab inguinibus ad pedes vſque:* Ex eo vterus ſponte apertus eſt, ac ſecundina decidit: Huic Decocto commode addi poterit *myrrhæ & ariſt. vtr. ana* ℥j.

Inter alia vero remedia multum poteſt manus periti Chirurgi in vterum immiſſa, antequam inflammatio vel

tio vel inflatio augeatur. Sic enim apprehenſis ſecundinis, & molliter circumductis poterit illas extrahere, mulieremque à tot ſymptomatis & remediorum moleſtiis liberare.

Si nullo modo educi poterit, ſed firmiter in vtero hæreat, ibique putreſcat, ſuppurantia in vterum demittenda ſunt, admixtis detergentibus, ut id quod putrefactum eſt ſenſim educatur, Ad id laudat *Rondeletius Ungu.Baſilicum,* præſertim ſi diſſolvatur in decocto ſequ.

℞. *Malvæ cum rad. m. iij. rad. ariſtol.vtr.* āā ℥vj *ſemin. lini & fœnugr.* āā. ℥ß. *violar. m. j. flor. chamom. centaur. min.* āā. *m.ß. f.Decoctio in aqua admiſcendo, ſi magna ſuppuratione opus eſt, aliquid olei, ſi vero deterſione vnguenti Ægyptiaci parum.* Riverius.

Suppurantia, Secundinam diutius retentam, ſi aliis non cedat, injicimus, vt ſic in pus converſa ſenſim effluat, & ab vtero ſecedat, quod citra uteri noxam poteſt fieri, natura partes corruptas à ſanis ſponte ſegregante, Tale maturans valet

℞. *Amyli* ℥j. diſſolvatur in *decocto malvæ & ſem. lini, addendo vitellos ovorum n°. ij. terebinth. diſſol.* ʒij. *Injiciatur ſæpe, addendo tandem mel ad deterſionem.*

Unguen. Baſilicon diſſol.in *lacte,* vel *ol.communi* infuſum maturativum eſt vſitatum.

Ægyptiacum vngu. Ubi ſecundinam putreſcere ex pure emanante cognoſcimus, diſſolutum in *lixivio* & injectum, potenter abſtergit & naturam ad expulſionem ſolicitat.

Pannus intinctus in decocto rad.ariſtol.rot. herb. *puleg. ſatureiæ, facti cum vino,* ventrique applicatus, ad ſecundinas educendas probatur. *Platerus.*

63. *Laudantur*) Referebat D.D. *Joh.Theod.Schenckius* in lectionibus Botanicis Illuſtriſſ. cuidam Comitiſſæ ſecundinam poſt partum per tres ſeptimanas, ſine vllo tamen notabili incommodo reſtitiſſe. Depulſam autem ſuaſu vetulę ſumpto juſculo ex *charefol.Romano,* ſubitoque onere fuiſſe levatam; Et ſane vix herbam novi cujus in partu difficili & reſtitante ſecundina majores fuiſſe vires cognoverim quam *charefolii & majoris ſemper vivi, A. Hermannus Cummanus.*

63. *Laudantur*) Tum Puerperis in genere, tum ſpeciatim *Secundinis retentis*, Bezoartica & vterum purgantia optima ſunt, cum enim abiens è ſtatione ſua ſanguis neceſſitate cōſequentię grumeſcat & putreſcat facile, cum deſtituat calor & archeus ipſam ſecundinam ibi relictam, his vnice avertenda miaſmata, ne maſſam ſanguinis impetant, tutandus, ſanguinis tonus, ne tam facile peregrino fermento ſubigatur invertaturque. Proſunt poſteriori ſcopo emmenagoga blanda, vteri purgamenta luſtrantia, ex *rad. zedoar. galangæ, fol. meliſſ. roriſm. antyphyll. croc.* Prodeſt pro priori *Tinctura bezoartica* cum *eſſentia caſtor. elix. vterino,* Medio loco ſe habet *Elix. propriet.* vtrique intentioni debitum, tum per ſe tum cum *tinctura bezoartica* mixtum. Item *eſſentia myrrhæ balſamica, cum ſpiritu tartari duplicato* parata. *Wedelius.*

Ad *fœtum mortuum* & *ſecundinam* expellendam magnarum virium ſunt *Olea arte Chymica* parata, *Succini, camphoræ, Sabinæ* imprimis, cum *umbilico* aliquot guttis imponenda, tum in vino albo ad guttas iv. propinando. *Platerus.*

63. *Laudantur*) Laudantur pro Fœtu mortuo & Secundinis expellendis: tanquam inſigne remedium, *Teſtes equini* præparati, authoribus *Geſnero, Angenio, Fonſeca, Heerio*, qui illos omnes laudat & citat, obſ. p. 185. Cum vero *Boraces* fere acceſſione dentur, his ſolis fidere non æque licet; Agunt admodum *Caſtorei*, quod tamen ad expellendum minus quam diſſipandum ac roborandum facit; Unde & experimentum ab *Heerio* factum, an teſtes ejus præparati menſes moverent, non ſucceſſit. *Wedelius.*

63. *Laudantur*) In parte Placentæ poſt Abortum in vtero reſtitante, atque continuum ſanguinis effluxum per aliquot menſes comitem habente feliciter emovenda, & ægra reſtituenda conveniens, obſervavi ſequens Apozema bis terve in die ad unc. iij. aſſumptum conveniens

℞. *Rad.biſtortæ* ʒij. *folior. maioran. pulegii* āā. *m.j. coqu.ex aqua & vini albi* āā. *q.ſ. In colaturæ* ℥xx. *diſſolve ſyr.artemiſ.* ℥ij. *aqu. cynnam.* ℥ß.

Hujus enim ope excretum eſt Placentæ fruſtum pugnum æquans, & ſimul ſuppreſſus curatuſque ſanguinis fluxus vlterior. *Sylvius Pr.l.3.c.6.*

Apud nos Decoctum herbarum traumaticarum, quę vi pellendi & ſiſtendi ſimul pollent, feliciſſimo ſucceſſus gaudent: vſitatæ autem nobis ſunt, *Bugula, ſanicula, vinca pervinca, pyrola, virga aurea & alchimilla:* adjungitur *ſabina* ſi pellendus fœtus mortuus, aut morans *ſecundina; artemiſia* item feliciſſimo ſucceſſu.

63. *Laudantur*) Mulierem poſt partum non ſubſequentibus ſecundinis, paulo poſt præcordiorum ingruit anxietas, vires decidunt, venter intumeſcit, dolor in inguine & infra ſiniſtrum eructavit hypochondrium; Sine mora adhibuimus omnis pene generis remedia ſecundinas expellere apta nata, qualia ſunt.

℞. *Pulv.ad partum valid.* ℈ß. *agragropil. teſticul. equin.præpar.* āā *gr.v. pr.* pro dozi.

℞. *Ol ſuccini deſtill. ſabinæ deſt.* āā *gtt.v. ſacch.albi* ʒß. *ſal.volat. ſuccini gr vii. aqu.artem.mel.ſſ.* āā ℥j. m.s.

℞. *Magiſt ſuccini* ʒß *ſolut. ocul.cancror.teſtic.equin. præpar.* āā.℈j. *boracis veneti, diagr. ſulphur. ſal. ſuccin. volat.* āā.℈ß. *aquæ conſol.regal.artem. meliſſæ, flor.cheiri* āā.unc.j. *cinnam.opt.* unc.ß. *manus chr.perlat.* ʒß. m.s. pro aliquot dozibus.

℞. *Rad. ariſtol. veræ liquir. pimpin.* āā. ʒij. herb. *ſcord beton. meliſſ.* āā.m.j. flor. *calend. ſambuci, hyper.* āā.p.j. *baccar.lauri contuſ. myrrh.* ſemin. *fœnugr.* āā.℈j. coqu. *m.ſ.q. aquæ lilior.albor.ad medias colat* ℥viij. *adde mell.anthoſ.mercur.* āā. ℥iij. *olei è vitel. ovor.amygd.d. hyper.ſimp.momord.* āā. ʒij. *balſami Peruv.* ℈j. m.s. pro Injectione vterina aliquoties repetenda. *G. Abr. Merclinus.*

64. *Exhibitum*) Monitos volo hoc Chirurgos & obſtetrices, uno & juniores Medicos, dignaque res quæ conſideretur, videlicet præterri debere extractionem ſecundinæ manibus factam, quantum licet, quam tentare ejuſdē expulſionem exhibitione medicamentorū internorum, quod perperam vt plurimum fit; Cuncta enim cum non mediocri calore polleant, febrem puerperæ ſæpiſſime inducant, irritoſq; enixus excitando, hæmorrhagiam excitant; aut præſentem augent; vel diarrhœam accerſunt, quin & inflammationem relaxationem aut prolapſum vteri: à quibus auxiliis multo plus periculi impendet quam à vi leni quam Chirurgus, artis peritus adhibet in eductione ſecundinæ. *Mauriceau l.2.c.19.*

65. *Pulvis ſecundinarum*) Ex *involucris & vaſis* fœtus remedium aliquiadmodum commendant, quod ſic rectius parabitur, Aſſervata ab *obſtetricibus chorda umbilicalis* cum *vracho*, vna vel plures, in clibano ſiccantur, & pulveriſatis ʒij. addunt *cinnam. piperis* āā. ʒß. *croci* ℈ß. *& cum ſucco Sabinæ* in trochiſcos formant, Et cum vſus poſtulat ℥ij. illorum pulveriſatæ, vel ſolæ vel mixtæ cum præcedenti pulvere aliquo dantur. *Platerus.*

66. *Suffitum*) Suffitus, & odores ſubtus facti inter ea quæ hanc ob cauſam vtero adhibentur, cum in eum penetrent, primas tenent; ſi è vehementer odoratis, vel fœtidis fiant, & per embubam in vterum dirigantur. Ex *odoratis*

℞. *Ladani* (quod valde confert) ʒj. *ſtirac.* ʒß. *moſchi, ambr.* āā. ℈ß *ſacch.* ʒj. *f. Pulvis vel Trochiſci, uro in carbonibus.*

oleum ſpicæ vehementem odorem exſpirans orificio vteri cervicis eam ob cauſam illinatur, quod aliqui infuſum in pane, & applicatum admodum commendant.

Ex *fœtidis, ſuccini uſti*, vti & *vngulæ aſini*, vel *equi fumus:* vel

℞. *Vngulæ aſini pulv. & cum pingued. equi miſce, vre*, vel

℞. *Galbani, myrrhæ, aſphalti* ãã. ʒß. *caſtor.* ℈i. *cum felle vaccino f. Trochiſci*, vtantur.

Sulphuris accenſi fumum, ſi fœtus iam mortus ſit, probat *Dioſcor.*

Decocti dictamni & *botrys herbæ* ſuffitus exceptus prodeſt.

Odores quoque *ſuaves naribus*, cum vires recreent, eo nomine adhibentur, nec metuendum vi vterus fœtu gravis his allicitus ſurſum feratur, cum alio modo hoc in vteri ſuffocatione accidat. *Platerus.*

Suffitu, vel Evaporatione ex *rapis & capis in aqua decoctis* deturbatam me vidiſſe memini ſecundinam pertinaciter adhærentem, in vxore viri Rever. *Dom. Vſtervald* Paſtoris Eccleſiæ Neocomenſis anno 1660.

66. *Profuerunt)* Ad ſecundas, quam penitiſſime immittat digitos obſtettix, Nihil ſecreti prius. *Ioh. le Bon* Forte ab inſigni irritatione fundi vteri

67. *Profuerunt)* Non inutilis eſt frequens vſus clyſterum, qui alvum purgant & vterum irritant; Cucurbitulæ femoribus applicentur, atque omnia fiant quæ ad partum difficilem & fœtum mortuum dicta ſunt: Si hæc fruſtra fiant, perturbari non oportet, inquiunt *Paulus & Aetius*, nam intra paucos dies putrefacta excidet, vnde quidam etiam *medicamenta Suppurantia* iniiciunt, vt citius putreſcat, vt *baſilicu* diſſolutum in decocto *alth. violar. ficuum*, *hord. oleo iaſmini*, *amygd. d.* cum pauco melle ad leviter detergendum, facile enim vlceratur vterus; ideo detergentia addere non eſt inutile, aut ſaltem ea per intervalla iniicere, quæ etiam ſecundinam movere poſſunt, *vt ariſtoloch. ægyptiac. &c.*

Verum magna cautio in Suppurantium vſu adhibenda eſt, nam putreſcens ſecundina graviſſima inducit ſymptomata, febres, eaſque malignas, quibus mors ſuccedit, ſatiuſque eſt omni arte excretionem promovere quam expectare ſuppurationem: Ideo enim ſubſiſtens ſecundina periculoſa eſt, quia putreſcit & ſuppurat: Refert *Salius* ſe vidiſſe ſecundinam putrefactam excidiſſe, nec tamen ægram melius habuiſſe, quod ſignum eſt putredinem accreviſſe, quæ excreta ſecundina non ceſſant: Quod ſi nullum grave ſymptoma vrgeat, mulierque ſit imbecillis, expectari etiam invitis nobis debet ſuppuratio, nunquam autem adiuvari, ne increſcat putredo. *Primiroſius.*

IX. 68. *Dolores poſt partum propter* nimiam vaſorum anguſtiam, qui 69. *præcaventur pulvere Reginæ*, poſt partum primum exhibito, qui ex *conſolida major.* dr. j. *Nucleor. perſicor. nucis moſchatæ* ana ſcr. ij. *Ambræ griſæ.* ſcr. ſ. componitur, & dr. j. pondere in juſculo, ſi febris adeſt; in vino, ſi non, exhibitur. 70. Sufficiunt 71. *nuclei perſicorum* comeſti.

68. *Dolores poſt partum propter)* Imprimis ex partus difficultate, ob ſummum dolorem & conatum vterus frequenter inflammatur, tuncque ob ſubortam inflammationem dolor & febris vrgent; Cauſaque hæc non minima eſt, quod puerperæ vel in partu vel poſt eum adeo dolent & periclitantur; cum ſolius ſecundinæ retentio, hoc tam ſubito minime faceret, ſicuti hæc quæ ſequitur inflammatio, illas afficit, & præcipua mortis cauſa exiſtit; niſi hoc ob largam ſanguinis profuſionem in partu extra vterum, vel in illum factam accidat; Adeo vt dolor qui poſt partum mulieribus evenit, non tantum ob aërem illapſum ſed & hanc inflammationem frequenter fiat. *Platerus.*

68. *Dolores poſt partum)* In partu dolorum atrocitas nõ aliam agnoſcit cauſam, quam contuſionem & extenſionẽ fibrarum tendinumque vteri lateralium, iuxta pelvis oſſa conſtitutarum, qua triſtis hæc ſenſatio diviſionis continui oboritur. *Ioh. de Muralto.*

68. *Dolores poſt partum)* Licet puerpera perbelle ſuo fœtu & ſecundinis liberata ſit, novi tamen cruciatus ac dolores quandoque ſuboriuntur, qui alterius partus labores eſſe videntur, quos ſæpenumero pernitioſa ſyncope ſequitur: His ego cũ plerumque interfuiſſem, eorumque vehementiam ac magnitudinem diligentiſſime obſervaſſem, noſtram artem prope his inutilem iudicari, vnicum nobis perfugium in obſtetrice relictum fuit, quæ ſimulatque manum in pudendum indidiſſet, interdum concreti ſanguinis ferme libras tres eduxit: interdum maſſam velut carneam non abſimilem molæ in vtero retentæ, (ſæpe cum fœtu & mola ineſt in vtero.)

Eius ſymptomatis cauſam mihi inquirenti, non alia videtur quam facultas expultrix laſſata ac pene proſtrata laborum priorum diuturnitate. *Joh. le Bon.*

Quando poſt partum Torminibus vterus male affectus eſt, & ad eum ab vniverſo corpore humores defluunt; & qui iam eo delituerunt commoti ita vterum male afficiunt, vt à ſua ſede dimoveri videatur, ſtatim ablata pelle arietina, ſub vmbilico admovendum eſt Emplaſtrum ex galbano, in cujus medio aliquid *galliæ moſch.* aut *moſchi* inſerendum eſt, Cavendo ne odor ad nares feratur: Eo auxilio ſolet victus in priſtinum recurrere ſtatum & minus torqueri. *Idem ibid.*

68. *Dolores poſt partum)* Solent pleræque mulieres poſt partum dolores pati graves in parte abdominis inferiore, vbi ſitus eſt vterus, qui aliquando adeo leves ſunt, vt à puerperis negligantur; quandoque adeo graves, vt & febrim & delirium, quin & mortem accerſant: Hi autem cum ſequantur Partum, cauſa quærenda in iis, quæ partus tempore accidunt: hæc autem ſunt *Fœtus excluſio*, ac *Secundarum* tum ſeceſſus ab vtero, tum exitus ab eodem.

Dicti autem dolores alterius plane ſunt naturæ ab iis qui in ipſo partu accedunt, Secundinarum ſeceſſum ab vtero, earumque exitum quod attinet, ibi nova nonnunquam vrgere ſolet moleſtia, quia non raro ſatis arcte ac firmiter ſunt ipſæ vtero connexæ, & ita connatæ, vt vix ac ne vix quidem patiantur ſe abſque ſui, ipſius etiam vteri laceratione ſeparari, id quod citra ſummum dolorem evenire nequit.

Dolores autem hi maxime affligunt fœminas tum delicatas & ſenſus exquiſiti, tum arctius cõnexas vtero ſecundas hinc & cum vehementia duntaxat ſeparabiles habentes: Horum autem dolorum curatio, ſi negligatur, vt plurimum redduntur partubus ſubſequentibus graviores.

Obſervandum autem non raro ad pariendum aut feſtinare aut vrgeri nimium gravidas, adeo vt antequam ad extremam maturitatem venerit fœtus præcipitetur partus, vnde difficilius tum excluditur, tum excidunt ſecundinæ: Accedit quod nonnullæ gravidæ indulgeant nimium alimentis craſſioris ac glutinoſioris ſubſtantiæ, ob quam ſanguis productus ſimilis arctius ſecundinas vtero nectit.

Cauſa itaque primaria dolorum à partu eſt connexio arctior ſecundinarum cum vtero, hinc & earundem

ab

adeo laceratio; vterique adeo excoriatio: ſecunda priori ſe iungens, ſanguis eſt Lochiorum per excoriatas vteri partes fluens, ipſaſque mordicans & rodens: Acrimonia autem illi evenit partim à ſero acri admiſto, partim ab ipſo moram vbivis nectente, ac proinde in vteri quoque vaſis ſive cavernis ſinuoſis: Accedere poſſunt plures aliæ cauſæ; frigus, partus tempore aut paulo poſt admiſſum; Lochia aut ex parte aut in totum ſiſtens, vnde acrior mora fœtus dolorem in vtero excitat magnum, ſive ſuccedat inflammatio, ſive ſerum effluat ſolum,& quidem paucum & acre,vteri partes internas vehementer rodens.

Accidunt etiam in vteri regione, ipſoque vtero, dolores atroces à flatibus, tum ipſum vterum tum inteſtina craſſa ibi ſita diſtendentibus.

A Lochiis ob externum frigus ſuppreſſis vel diminutis, atque nunc inflammationem inchoantibus, nunc ob aliqualem moram actionibus factis, vel vtroque modo excitatus dolor, videtur mihi inter dolores notatos numerandum: *Inchoata* imperfectave *inflammatio à* Lochiorum ſanguine in vtero hærente quæ nimirum ad vltimam ſuppurationem non tendit, attamen paulo poſt partum orta, dolores parit in vtero vehementes ob partum, neglectamque puerperam ortos.

Idem Lochiorum ſanguis, ex partu licet in vtero hærens, atque acrior id circo factus, quatenus reliquo effluenti jungitur, eundem facit acriorem, vnde vteri partes tum excoriatas, tum plus minuſve inflammatas in tranſitu exituque ſuo lacerat ac mordet, duplicique nomine dolores poſt partum parit, tum qua inflammatas, tum qua excoriatas vteri partes male afficit.

Flatus in vtero ſæpe reperiri, certum fit ex ipſorum excretione non infrequenti; quos p. n. conclufos in vteri orificiis & oſtio ac externo frigore clauſis, dolores ibidem parere poſſe ratio ſuadet, & experientia, curatis illis doloribus per carminantia, flatus etiam in craſſo duntaxat inteſtino hærentes, ipſumque valde diſtendentes, ac vterum ſimul comprimentes, dolorem in hoc pariunt.

Quod ſi *humores acres* vbivis exiſtentes ac ſanguinis maſſæ confuſi vna cum ipſa tendunt ad vterum ac vna cum lochiis effluunt, parient quoque dolores poſt partum.

Quemadmodum autem à doloribus vehementibus in vtero, ob partum difficilem male habente, aut Inflammatione ibidem orta non raro excitatur febris, ita ob quamvis febrem, ſed ardentem dolores producuntur in vtero, ſed prius male affecto, ſicut obſervamus idem aliis quibuſvis partibus evenire, ſimiliter propter ipſarum læſionem aliquam, præcedentem ſive notam ſive ignotam, quod ſæpe notavimus in ægris noſtris in Noſocomio Academico.

Atque ſic præcipuas, & à me ſaltem in Praxi obſervatas dolorum poſt partum cauſas protuli; Quænam autem in hac iſtavè puerpera habeant locum, tum ex cauſis evidentibus, tum ex doloris modo, tum ex ſymptomatis comitibus, tum denique ex juvantibus & lædentibus facile concipiet medicus: Cauſæ evidentes ſolent eſſe frigus externum Aëris, linteorum: Animi affectus gravis, Alimentum condimentumvè à puerpera vſurpatum &c. dolorum poſt partum cauſas veras conjiciet medicus.

1°. Ex *Doloris modo*, qui ſi *lancinantes* fuerint, ac per intervalla repetentes, graviuſque affligentes, ab Acido & ſalſo in ſanguine redundante, & ad vterum delato ipſos ortum ducere judicabit: Sin *Pulſantes & ardentes*, ſanguinem in vtero ſubſiſtere ac ſtagnare, quin ad inflammationem vergere iamque inflammatum eſſe ſuſpicabitur. Sin *Diſtendentes*, tenſaque obſervetur pars abdominis inferior, Flatibus dolores illos productos conjectabit; ſicque ex Doloris modo alias cauſas inquiret.

Eorundem cauſas rimabitur 3. ex *ſymptomatibus concomitantibus*, Lochiorum ſuppreſſione vel fluxu copioſiore, Alvo adſtrictiore vel laxiore, Flatuum excretione vel retentione, aliquando per inteſtina diſcurſione & borborygmis, humoris multifarij effluxu per vterum, pudendorum roſione, febre, nam non tantum dantur febres ſymptomaticæ, aliorum affectuum ſymptomata, ſed vti omnes affectus aliis cuicunque primario ſpectato juncti habendi ſunt pro accidentibus & ſymptomatibus eius, (ita & febres) delirio, vigiliis &c.

Sic quando *ſuppreſſa* fuerunt ante dolores poſt partum Lochia, probabile fit ab ipſorum ſuppreſſione ortos iſtos dolores, ex parte ſaltem: Si *fluunt copioſius*, conjectabit lacerata eſſe vaſa vel orificia ſatis grandia, præſertim ſi cum difficultate ſeceſſerint ſecundinæ Quando *alvus adſtrictior* eſt, obſervanturque rugitus in abdomine, iudicabit, ex parte ſaltem, prodire à flatibus: Cum *alvus laxior* eſt, imprimis ſi cum torminibus ægram vexat frequens dejectio, probabile fiet ortum habere ab humoribus acribus, non tantum ad inteſtina, verum ad vterum etiam delatis.

Prout Lochiorum ſanguis fuerit varius, colore; odore, conſiſtentia aliive humores ſimul effluxerint; conjiciet tales humores in corpore redundantes, & ad vterum delatos, dolores poſt partum, ſi non plane producere, ſaltem augere: Cum pudenda ſimul roduntur excorianturque à Lochiis effluentibus, probabile eſt ab eorum acrimonia, ex parte ſaltem produci dolores.

Cum febris eſt comes, prout illa diverſa fuerit, primaria vel ſymptomatica; & calore maiore minorève ſtipata, iudicabit medicus Febri primariæ & ardentiori ſuccedentes dolores, bili deberi aut ſanguini æſtuanti; præcedentes autem ipſum, & graves exiſtentes, illi anſam præbuiſſe, vnde ex cæteris ſymptomatibus cauſam veram inveſtigabit.

Sic & 4. ex *Iuvantibus & Lædentibus* cauſas eruet; ſic ſi à flatibus ex vtero inteſtiniſvè, diſcutientibus vſurpatis ſedantur dolores, merito ſuſpicabitur à Flatibus habuiſſe illos originem, ſi ſumptis alimentis condimentiſque flatulentis augentur iidem.

Sic quoties quovis modo ad fluxum deductis Lochiis prius ſuppreſſis levantur dolores, toties ab eorum ſuppreſſione fuiſſe productos conjicere eſt, & ſic porro.

Vt adhuc certius cauſas veras aſſequatur, non ad vnum ſignorum fontem, ſed ad omnes attendit, vt ſi non proſint ſingula, multa juvent; cum præſertim non liceat ſemper aliquid certi ex ſingulis concludere, quoties nimirum ægri non ſatis poſſunt ſua referre ſymptomata, doloriſque ſui modum, vel non ſatis meminerunt cauſarum evidentium, ignorantque à quibus noxam acceperint vel auxilium; id quod in praxi frequens.

Quod ſi cauſam veram dolorum ſe aſſequutum credat medicus, danda opera quamprimum vt cuique cauſæ convenientia præſcribat, Si proinde ab *vtero lacero* excoriatoque ob violentam ſecundinarum evulſionem oriuntur, vſurpanda medicamenta lenientia excoriationemque conſolidantia, idcirco laudantur omnia vulneraria dicta, è quibus in fluxu *aucto eligenda* ſubadſtringentia: Inter illas numerantur *Sanicula, agrimonia, pyrola, veronica, artemiſia, ſabina, pimpinella, alchimilla, vinca pervinca, ſanguiſorba, virga aurea, centaurium minus, ophiogloſſum, betonica, hypericum, tanacetum, verbena, ſerpentaria, herniaria, pentaphyllum, ſcordium* &c

Vi ſubadſtringente prædita ſunt, *conſolida maj. & min. Saracenica, plantago, equiſetum, tormentilla, caryophyllata, harumque radices, piloſella, flores roſarum rubr. balauſtia. perfoliata, myrtus, cortices granator. ſuccus prunor. ſylveſtr.* Ex his Decocta parantur, cum aqua ferrata, vino rubro, additis *ſyrupis convenientibus, myrtino, roſarum rubr. ſiccat. de ſymph. Fernel.* & ſimil.

Quibus Potiones diſplicent magna copia ſumendæ, iis miſturæ cochlearim ſumendæ præſcribi poſſunt, ex aquis *plantag. piloſell. agrimon.* & ſimil. vt & pauco aceto, ſed ſtillatitio blandiore, vna cum *lapide hamatite, corallis, ſangu. dracon. bolo Armena, terra ſigill.* & ſim. addendo ad gratiam aliquid aquæ cinnamomi, fœnic. aliuſve aromat. Omnibus autem his iungentur vtiliter tum anodyna, tum narcotica, *Diaſcordium, Theriaca recens, Requies Nicolai, Philonium Meſue ac Nicolai Mirepſi, Romanum* dictum ipſumque adeo *Laudanum Opiatum*, quorum ope præcedentium vis non parum augetur & efficacior redditur Dolorque ſedatur,

Poſſunt etiam hic *Externa* vſurpari Decocta ex enumeratis plantis parata, cum ſyringa in vterum adhuc patentem inijci & in decubitu ſupino aliquandiu in eodem retineri.

Cum *ſanguis* Lochiorum *ſeroſior* eſt *acriorque*, anodynis, Emulſionum forma præſertim vſurpandis, temperabitur, addendo opium Laudanumve opiatum: Quo facto, ſi Puerperæ vires ferunt, *blando hydragogo* ſeri pars evacuabitur per alvum: mox & *ſudorifero* ex blande adſtringentibus parato, Radic. *caryophyllatæ, tormentillæ* & ſimil. aliqua ſui parte propelletur per corporis habitum.

Cum *ſanguis* in vtero mora factus eſt *acrior*, quoniam qui tunc producitur *acrimonia* eſt *acida*, vſurpanda ſunt medicamenta dictam acrimoniam temperantia, ſed ita ut ſanguinis effluxum non augeant: vnde inter aromatica ſeligenda minime acria, ſed blandiſſima, leniterque adſtringentia, quæ ſi non ſuppetant, additis hiſce priorum vis frangenda & ad mediocritatem reducenda; Conveniunt proinde prædicta vulneraria adſtringentia, ſed ſimul aromatica, *betonica, ſcordium, virga aurea, pimpinella,* verbena, *tanacetum, millefolium &c.* quibus add. poſſunt *maiorana, calam. mont. pulegium, roſmar. ruta hortenſis, ſalvia* &c.

Si ab *externo frigore* imprudenter in vterum admiſſo ſuppreſſa ſunt Lochia, hinc & producti dolores notati vel dolores ſaltem illi ſuſcitati fuerunt, vſurpanda medicamenta in orta inde Lochiorum ſuppreſſione ante notata.

Si *permanentibus Lochiis* dolores tamen illi fuerint producti, convenientia erunt ſudorifera, nec multum aromatica, nec multum adſtringentia, ne Lochiorum fluxus vel nimium augeatur vel ſiſtatur; additis opiatis dolores ſedantibus, ſudoriferorumque vim promoventibus.

Si ex ſuppreſſione Lochiorum inchoata fuerit in vtero *Inflammatio*, vide curationem ſupra cap. 2. Art. 4. Tit ix.

Cum *Flatus* ex pituita glutinoſa, in tenui præſertim inteſtino geniti Tormina pariunt &c. *vide curationem Tit. xi. cap. 2. Artic. 3.*

Quoties a cauſa Externa, imprimis diæta vitioſa *Humores acres* in corpore, ac præſertim tenui inteſtino ſunt producti, à quibus quacunque via ad vterum delatis Dolores in ipſo excitantur poſt partum, toties cavendum ab vlteriore in rebus non naturalibus aliiſque errato, ſimulque allaborandum vt humoris illi quantocyus corrigantur, dictis ſæpe remediis: prout enim vel billioſi fuerint, vel melancholici. auſteri, diverſitas erit obſervanda in medicamentis vſurpandis; ſemper tamen exhibebuntur, admovebunturque opiata, quippe quæ omnia ex æquo Acri emendando inſerviunt. Quod ſi copia ſimul peccaverint notati humores, vbi ſatis fuerint correcti, adeoque ad ſequuturam purgationem præparati, purganti ſed blando erit locus. *Fr. Sylvius Pr. lib. 3. c. 9.*

Propter nimiam vaſorum anguſtiam) Cauſæ præcipuæ torminum & dolorum qui a partu contingere ſolent, ſunt ſanguinis copia, craſſities, acrimonia, & vaſorum anguſtia; Cum enim venæ vteri per novem menſes ab ordinaria ſanguinis excretione ceſſarint, & ille interea magna copia congeſtus fuerit, nec non diuturniori mora craſſitiem & acrimoniam adeptus, dum per anguſtas vias tranſit, dolores parit qui per intervalla recurrunt, quoties vterus novam ſanguinis excretionem molitur, eaque peracta ceſſant donec iterum alius ſanguis egredi conetur: Fiunt etiam interdum huiuſmodi tormina à flatibus, aut frigore in vterum ſuſcepto, ſed minus frequenter.

Diſtinguuntur hi dolores ab aliis qui ventrem infeſtare ſolent, ex continuitate & intervallis quæ excretiones ſanguinis interpolatas ſequuntur, Et ipſæ mulieres eos facile diſtinguunt; *Sanguis craſſior* in grumos facile concreſcit, *Tenuior* vero ex tenuitate & colore vivido, aut ſubflavo cognoſcitur, Si à *flatu* oriatur dolor, ille magis vagus eſt, & plures ventris partes occupat, neque ſequitur excretionum ſanguinis intervalla: Si *aer frigidus* in vterum fuerit admiſſus, ex iis quæ circa ægram acta ſunt deprehendi poterit. *Riverius.*

Sunt mulieres, quibus licet poſt fœtum ſequatur ſecundina, nihil ominus tamen poſt 8. 10. vel 14. dies à partu ſuperveniunt horrores cum gravi æſtu, cum doloribus dorſi & regionis hypogaſtrij, vno nomine cum doloribus partus redeuntibus: Hoc ſi fiat, certum ſignum eſt, vel eſſe ſanguinem grumoſum in vtero, ex defectu Lochiorum, non rite evacuatorum; vel tales mulieres emittunt impetu facto copioſas aquas limpidas.

Obſervatum etiam ſubinde aliquid molæ ſimile. aquòſum in membrana contentum, quod poſt partum remanet, & ſtimulando novos dolores infert, non ceſſantes niſi ſit rejectum: *Etmuller Prax. & part. 3. pag. 44.*

Dolores poſt partum veri ſunt, vel nothi, *Veri*, qui proprie vterum affligunt, *Nothi*, qui affligunt inteſtina, meſenterium, *Prius* oriûtur ex *vtero* vel *irritato* vel inſigniter *læſo* vterus *irritatus* infert dolores quatenus continuo ſpaſmo convellitur, & ſe contrahere nititur, & rem irritantem excutere; propterea etiam ſunt vagi: dicunt dolores eſſe ſimiles iis quos percipiunt in partu, imo interdum ſunt maxime atroces.

Cauſa ergo irritationis vteri, & eiuſdem in *ſpaſmum concitationis*, eſt duplex, nempe vel 1. *frigus* extrinſecus admiſſum, vel 2. *grumus ſanguinis*, aut *ſecundina*, aut etiam *mola*, aut ſimile quid poſt partum in vtero relictum, quod excernendum fuiſſet, Sic mulier quædam veſperi ante partum veſcebatur nimio pulmento cum copioſis flatibus, vnde ter aut quater alvum exonerabat; hinc *frigus* contrahebat, poſt pariebat, & graves dolores eam vexabant, vt etiam diceret eſſe dolores veros: vel ex hac cauſa vel alia impeditur Lochiorum fluxus, aut ſanguis grumoſus factus, graves dolores inferunt, revera partus dolores, quia ſunt iidem.

Quod attinet *ſecundum modum*, dolores poſt partum fiunt interdum ex *læſione vteri* propter *violentam avulſionem placentæ*, vel ab *excretis variis* in ſpecie

acrioribus

acrioribus poſt placentam avulſam vberius excretis, Qui ano ſi coniungantur dolores ſunt acriores: Hi tamen dolores ſunt rariores, frequentiores ratione frigoris ſuſcepti, vel ſanguinis grumoſi; His ſimul adde *flatus*, qui dant *dolores diſtendentes*.

Dolores *Nothos* quod attinet, ſunt ſimiles iis quos patiuntur mulieres in difficultate menſtruorum: circa vmbilicum tenſiones percipiunt, dolores ad cor properant, vno nomine ſunt torméta colica & iliaca oriunda à dictorum locorum ſpaſmis, qui oriuntur ex excretis & retentis ante partum, vel ex ſuccorum effuſione in inteſtina, qui ibi effervefcunt, tormina inferunt; Hi facile poſſunt diſcerni partim à *loco*, in doloribus enim veris loca inferiora affliguntur, partim à *dolore*, Si enim eſt ex *vtero irritatio*, dicunt.

Si ex *vtero læſo* dicunt.

Si *flatus diſtendunt vterum*, tunc in ſpecie lochia ſimul ſuppreſſa ſunt; *Idem pag. 49.*

Alius dolor poſt partum mulieres affligit, circa *dorſum, lumbos & hypochondria*, quando non ſunt ſufficienter purgatæ; quia autem ſubtilior pars ſanguinis ad mammas recurrit, relicta craſſiore ſubſtantia in ventre infimo, non licet movere menſes denuo in iis præſertim quæ lactant ſuam prolem, ne lactis generationem impediamus, ſed præſtat lenitivis & laxantibus materiam educere cucurbitulis & ſcarificationibus. dorſo appoſitis eam ad ambitum evocare locumque dolentem *decocto ſalviæ, hyſſopi*, ſerpilli, origani &c. fovere, reliquias tandem ſudore diſſipare, ita ſuadente *Horſtio Tom. 2. pag. 28.* Nota tamen in lactantibus nihil efficacius diſtrahere lac cucurbitulis dorſo admotis.

Prognoſes.

Quidam putant dolores poſt Partum eſſe ſalubres, quia promovent Lochiorum fluxum, ſed falſo, quia interdum etiam ſupprimunt, Si enim ſit irritatio ſeu exulceratio, ſi forte orificium ſe ſtringat, lochia ſupprimuntur, & ſic dolores ſunt graviores.

In hoc malo redduntur mulieres inquietæ, convulſiones & delitia diſponuntur; imo ex iſtis doloribus vniverſo corpore commoto, occaſio ſuggeritur, vt febrē contrahat mulier periculoſam; vires nimis deiiciuntur, vnde ſymptomatis aliis ferendis ſunt impares. *Etmuller.*

Curatio

69. *Qui præcaventur*) Curatio huiuſmodi torminum eo eſt dirigenda vt vaſa vteri laxentur, ſanguinis craſſities attenuetur, acrimonia temperetur: Puerperæ venter faſcia leniter conſtringatur, vt vterus ſubſideat, neque huc illuc commoveri poſſit, vt à partu non raro propter ſubitam evacuationem ſolet contingere Deinde. *ol. amygd d.* rec extracti ℥iii. cum *ſyr. violac.* ℥iß. vel *vini Hippocr.* ℥ii. exhibeantur.

Clyſteres iniiciantur ex *lacte* cum *ſaccharo & vitellis ovor.*

Vel parari poſſunt ex decocto *flor. chamom. & artemiſ.* cum *iure pulli*, *addendo ol. lil. alb.* & *vitellos ovorum.*

Inungatur venter oleis carminantibus, *aneth. rutac. iaſmino*, vel ſequenti magnæ efficaciæ, quod ad hunc vſum præparari & in officinis aſſervari debet.

℞. *Rad. ariſtol. rot. irid. & pæon.* āā. ℥i. *cyperi* ℥ß. *fol ſiccor. artemiſ. matricar. origan. calam. puleg dictamni cret. abſinth. ſabinæ, rutæ, beton. ſalviæ.* āā. *m. j. flor. anthos. ſtoech. lavend. chamom. aneth. hyper. ſambuc.* āā. *m. ß. granor. lauri & iunip.* āā. ℥ß. *cumin. ſem. rut. pæon. dauci agni c.* āā. ʒiij. *caryoph. nuc. moſco. cinnam. zz.* āā. ʒij. *ſtirac. & myrrh.* āā. ℥j. *contuſa, inciſa, miſceantur & macerentur in olei vet.* ℔vj. *addendo vini albi parum, ponantur in fictili bene clauſo per hebdomadam, fiat ebullitio ſupra cineres calidos per 4. aut 5. horas. Poſt exprimatur oleum recondendum ad vſum:* Si *non habetur paratum, vrgente neceſſitate, bulliant ſimplicia dicta in aquis part. olei & vini albi ad vini conſumptionem, poſt exprimatur oleum.*

Fotus etiam fieri poteſt ex decocto *artemiſ. matricar. meliſſæ, fol. lauri, calam ſem dauci, cumin. carvi. flor. chervi, chamom. in aqua, vino albo vel lacte parato*, vel

℞. *Cepas in aqua bene coctas n°.* iij. *vel* iv. *contundantur in mortario; addendo ſem. lini cumin. contuſor.* āā. *m.* j. *flor. chamom. ana, far. hordei q. ſ. f. Cataplaſma; Si opus adde parum aquæ in qua cepæ decoctæ Extendatur ſuper linteum & vmbilico calide applicetur.* Ex Cratone.

Pelle vervecina venter muniatur recens detracta & calente; huius calor noſtro affinis doloris cauſam concoquit & mitificat, tum etiam impedit ne cutis abdominis in rugas contrahatur. *Per os* ſequentia valent.

℞. *Semin. dauci pulv.* ʒj. *vini albi* ℥iv. *miſce, da calide bis in die* vel

℞. *Nuc. moſch. aniſi, cinnam.* āā. ℈j. *m. f. Pulvis da cum vino albo, vel. ol. nuc. moſch.* ℈i. *cum iuſculo exhibeatur* vel

℞. *Nucl. dactilor. & perſic.* āā. ʒß. *nuc. moſch.* ℈iv. *pulv. diamarg. cal.* ʒij. *aniſi* ʒj. *cinnam.* ℈ij. *croci* ℈ß. *ſacch. ad pondus omnium, f. Pulvis tenuiſſ. dozis* ʒij. *cum vino albo, bis aut ter in die, ſi vrgeant dolores.*

Foreſtus decoctum *flor. chamom.* in *cereviſia*, vel decoctum *artemiſ. & chamam. in iure pulli* propinavit felici ſucceſſu.

Præſtat mox à partu *Ius galli veteris* tribus diebus ſummo mane, jejuno ſtomacho porrigere cum modico *cinnam. & croci.*

Pro *Potu* ordinario detur Decoctum *artemiſ. & cinnam.*

Si à bilioſis & acribus humoribus tormina generentur, eodē modo fere generantur quo Colica à bile. E. g.

℞. *Syr. violac. borrag* āā. ℥j. *mucilag. ſem. cydon. aqua violar. extr.* ℥ß. *aqu. borrag. Scorzon.* āā. ℥iij. *m. f. Iulep. pro* ij. *dozibus.* vel

℞. *Ol. amygd. d. unc*ij. *ſyr. violac. unc*j. *aq. borrag. unc.* ß. *m. pro hauſtu.* Externa quoque vias laxantia & emollientia adhibeantur, quæ eadem opera dolores ſedant. Enixas poſt partum ſæpe dolor exercet in inguine, ex vtero in illo conglobato, Curatur admovendo vmbilico Empl. ex *Galbano & aſa fæt.* in cuius medio aliquot *moſchi* grana ponantur. *Riverius.*

Frigida potu Puerperarum tormina ſedata novi & primo in vxore mea, quam eiuſmodi dolores immenſe torquebant; hæc vna hora à partu à clinica muliere *ptiſanæ officinalis*, quæ hyeme ſubdio jacuerat, cyathum extorſit nullos hinc puerperij dolores vexare ſolitos animadvertit, verebar aliquid ſiniſtri ex illo potu, ſed D. G. nihil accidit: Eventum narravit vxori Dom. *Morelli* Horologiopœi, tunc gravidæ, hæc enixa ſimili eventu aquam frigidam hauſit proſpere, Indicavit hæc mihi alias mulieres quibus ſuo exemplo itidem feliciter ſucceſſit: Cauſarum indagini locus erit vbi res pluribus exemplis fuerit confirmata: Acrimonia humorum forſan hic incuſanda.

Pulvere Reginæ) *Ioh. le Bon* Therap. Puerper. Cuius eius eſt Pulvis ſuperior.

℞. *Nucl. dactylor.* &c.

Curatio

69. *Qui præcaventur*) Curatio variat pro ratione cauſarum, ſi eſt à *frigore ſuſcepto*, conveniunt *Fomenta & Litus.*

Si ex *retentione ſanguinis grumoſi*, nil melius eſt *chareſolio*, cujus *decoctum* & *aqua* frequenter aſſumpta, & ſanguinis grumos diſſolvit, & multis ſcopis ſatisfacit.

Si vero ab *excoriatione* & *læſione uteri*, conveniunt quæ vi aliquali vulneraria conſpicua, vt *corallia*, blanda *martialia, hæmatites* &c. In genere ad dolores poſt partum, ex conatu eiiciendi oriundos; nil melius eſt *pulvere* & *ſpiritu ſecundinæ humanæ*: Iuxta hæc nobile eſt ſimplex, *chamomilla*, *flores* imprimis *chamom. Romanæ* & hinc etiam *commun.* Aqua item eiuſdem, & decoctum, nunc ſolitarie, nunc cum aliis; nec non *eſſentia chamomillæ* cum *oleo deſtill. ſapph.* nobilia ſunt; poteſt in *decocto chamom.* aſſumi *elixir proprietat.* vel *eſſentia myrrhæ*, dum non recte fluunt Lochia.

Si *ſanguinis* grumi ſint in vtero, prodeſt hauſtum in *decocto chamom. ſperma ceti*. Iuxta hæc eſt *zedoaria eiuſque pulvis* ad ʒß. in hauſtu vini calido aſſumptus: vel aſſumitur *panis butyro illitus*, qui pulvere *zedoar.* largiter aſperſus comeditur. Quibus adde *caſtoreum*, *ſem. 4. carminativa maiora*, & tandem in gravi malo, parum de opio, vbi lochia non ſunt ſuppreſſa.

Iuxta hæc conveniunt *Fomenta* abdominis applicata, *ex artemiſ. matricar. pulegio, chamom.* in vino vel aqua decoctis, Applica abdomini; vel intincta lintea, vel ſacculos his imprægnatos; vel fiat *Linim.* ex *axungia caſtorei*; adde *ol. deſtill. ſpicæ, ſuccin. cumin. angel.* Si poteſt mulier ferre odorata, *zibethum* illinatur calide abdomini & reiteretur, vel applicetur, *Emplaſtalum matricale de galbano*, malaxetur cum *oleo deſtill. chamomillæ*, & inſternatur abdomini, vel fiat cataplaſma tale.

℞. *Cepar.* n°. IV. *coqu. in ſ. q. aqua comm.* adde
flor. chamom. m. j.
ſemin. lini contuſor. cumini contuſi ãã. m. j.
farinæ hord. q. ſ. cum aqua dict. ſubige in conſiſtentiam cataplaſm. & calide inſterne abdomini ex *Cratone*.

Si ex *inflammatione uteri* dolores ortum habeant, optimum eſt ſuffumigium ex *nuce moſch.* Si ſunt *nothi*, curantur *cliſmatis* carminativis, vti etiam *zedoaria*. *Etmuller*.

Pulvis *ſecundinæ præpar.* Egregium eſt ſpecificum, ſtatimque ſedat dolorem μετ' δυςοχίαν, ſi exhibeatur *cum aqua chamom.* Rom. *vel vulgaris*: Pro potu ordinario vtatur ægra *decocto artemiſ. & cinnam.*

Si à bilioſis & acribus humoribus tormina generentur, eodem fere modo curantur vt colicus dolor à bile.

℞. *Ol. amygd. dulc* ℥ij. *ſyr. violac. unc. aqu. borrag. unc.* ß. *m. ſ.*

Externe imponatur ventri *ſparadrapus ex oleo anodyno, chamom. cheirino, verbaſci, lil. albor. cum ſ. q. cera.*

Præſtat inprimis ſequens.

℞. *Terebint. unc.* ii. *vngu. anodyni unc.* j.
olei menthæ, cheirini, rutæ ãã. *unc.* ß. *ceræ unc.* ß.
olei ſtillat. *artemiſ. rutæ, ſabinæ, menthæ, meliſſæ* ãã. *g.* iij.
ſpermatis ceti unc. j. m. f. l. a. Sparadr. ad totum ventrem.

Sequens potio dolores hos ſtatim ſopit.

℞. *croci* ʒß. *macis* ℈j. *triphera magna unc.* ß. m. ſ. vtatur duabus dozibus in vino calido. *David Herlicius de cur. gravid. p. 349.*

Inter omnia auxilia quæ vſui magis proficua comperi, eſt mox à partu *Ius galli veteris* porrigere, idque tribus primis diebus, mane exhibere *Mercatus*.

Quidam in hoc caſu valde laudant *aquam flor chamom. ad unc.* j. exhibita, Et *fol. parietar.* cum *oleo rutæ*, frixa & ventri ſæpius admota. *Varandæus de m. m. p. 159.*

Vbi dolor à *ſanguinis grumis* provenit hoc brodium pluries expertum habemus.

℞. *Rad. gramin. unc.* ß. *herba cherefol. m. j. coqu. in* aqua, addito *croco* & macera ad libitum. *Hertodus crocolog. p. 229.*

Valent *Eſſentia cort. aurant. zedoar.* Externe ſacculus *roremarino* refertus cum vino calido humectatus, inprimis ortis hiſce doloribus, a lochiis retentis. *Frid. Hofmannus. m. m. p. 366.*

Exhibeatur *ſcœnanthi decoctio* calida ad bibendum. Applicetur *Empl. de baccis lauri.*

vitelli ovor. multum coctorum in aqua tere *cum axungia, cymino & ſucco artem. f. catapl.*

Coque *cæpas in aqua, tere* cum *oleo cymino vitellis ovor.* admove.

Cæpe parum *in aqua vel vino bullitæ*, & tritæ aſſatæ in patella cum *oleo* comm. admotæ tollunt dolorem.

Radix alth. cocta, tuſa cum axungia; impoſita iuvat. Sedeat in *aqua cal.* vſque ad vmbilicum, & inungatur vulva *ol. violac. tepido.*

Semicupium *ex vſneæ decoctione* vel ſuffitus ex eo. Elixentur *folia lauri*, ponuntur in ſacculo, ſedeat ſuper eum calidum. Fomenta ventrem cum eodem calido. *Oleum de pomis balſaminæ*, valet plurimum. *P. Bayrus pr. l. 15. c. 13.*

Quacunque de cauſa excitentur dolores, illis ſubveniendum pro ratione cauſarum; Si dolores exigui & lochia modice fluãt, res naturę cõmittenda exhibendo Puerperæ *ol. amygd. dulc.* (ex iuſculo,) vel *oleum nucum.* quod præſtantius, dummodo recens ſit, ex nucibus ſucci plenis, non rancidis paratum ſit, convenit maximè in doloribus oris ab acrimonia ſanguinis. Fiunt Fotus ex *lacte tepido*, vel ex *decocto malu. alth. parietar. ſem. lini* in *lacte* facto; Didici ex D. *Brunet* chirurgo *ol. Iaſmini*, quo vtuntur ſuffumigatores chirothecarum illitum admodum valere.

Si dolores excitentur à *Sanguine lutulento* qui vix commeatum inveniat, vel à *flatibus incluſis*, valent ſequentia.

℞. *Rad. petroſel.* ℥ß. *rad. conſol. mai.* ʒiij. *ſem. aniſ. & fœnic.* ãã. ʒß. *bulliant in iuſculo vituli & capon. q. ſ. adde croci gr.* iij. *f. Iuſculum.*

℞. *Nucleor. dactyl. & amygd. nuc. perſic.* ãã. ʒß. *cinnam. el.* ʒj. *ſemin. aniſi* ʒß. *nuc. moſch,* ℈ij *pulv. el. diamarg. cal.* ℈j. *f. omn. Pulvis. dozis* ʒj. *ex vino* vel *aqua card. ben.* aut *brodio pulli*, & *vituli.* ſi ſuſpicio febris. Experimento crebro probatus eſt, vel

℞. *Rad. ſymph. mair. amygd. nucl. perſic.* ãã. ʒj. *dentes lucij. & carabes* ãã. ʒß. *cinnam. & nuc. moſch.* ãã. ℈ij. *ambr. gr. gr.* IV. *fol. auri.* n°. vi. *f. Pulvis, da* ʒj cum *ovo ſorbili* vel *vino Hippocr.* vel iuſculo.

℞. *Dent. lucij. amygd. nucl. perſic.* ãã. ʒß. *rad. conſol. mai.* ʒij. *ſperm. ceti* ʒß. *raſ. vnicornu. gr.* vi. *pulv. diamarg. cal.* ℈ij. oſſis *de corde cervi* ℈ß. *fol. auri* ℈j. f. Pulvis da ʒi.

Alij dant *aquæ cinnam. ſemicoct. cum ovi vitello.* alij ex hoc dant *ambr. gr. gr.* ij.

In pertinacia dolorum da ſequens.

℞. *Vitellos ovor.* n°. xij. *pulv. fœnic. & aniſi* ãã. ʒij. *far. ſem. lini* ℥ijß. *pulv. calaminth.* ʒj. *ol. aneth. q. ſ.* f. catapl. auferendum ante refrigerationem, ſæpe iterandum. *Guillemeau Partu Fel. l 3. c. 3.*

7°. *Sufficiunt*) Mulier poſt durisſimos difficillimi partus labores circa pectinis regionem verſus ſuperiora dextri oſſis ilium & lumbos horrendos per intervalla recurrentes dolores ſenſit, primis à partu diebus minimos, at nono ſummum exaſperatos; Non tumor exterius viſebatur, nec rubor, (redidi. gravius quid

quid ligamenta huius partis perpeſſa; Leniendum dolorem, partem roborandam, materiam forte vellicantem diſſipandam ratus, iuſſi locum affectum inungi.

℞. *Ol. verbaſci vet.* ℥ß. *ol. trifol. fibr.* ℥ii.m. ſ.

Cum *aqua vero trifol. dedi olei trifol. fibr.* gtt. iij. *ſalis volat. c. c. gr.* vj. m. ſ.

Statim ab inunctione habuit melius, noctu ſudavit plurimum, vnde quidem laſſata, ſed & malo aliquantulum levata fuit, donec continuatione inunctionis paucis poſt diebus dolore hoc liberata ſit. *Ioh. Iac. Willius med, ſept. vol.2. p.92.*

71. *Nuclei perſicorum comeſti*) Vi pollent anodyna & diuretica: Noſtrates mulieres parant juſcula ex iiſdem contritis additis ovorum vitellis & cinnam. vel nuce moſchata, non irrito ſucceſſu. Alij Emulſiones parant cum juſculo pulli, & addunt *ſyr. de althaa.*

X. 72. *Nimius* 73. *ſanguinis poſt partum fluxus* 74. ſeu copiam illius, ſeu, quod calidioribus uſa fuerit, ob tenuitatem.

75. In *Curatione* locum habent, ligaturæ, linteum in *oxycrato* intinctum, 76. lumbis & toti ſpinæ dorſi, quia ibi vena cava decurrit, adhibitum. *Terra Cimolia* in aceto ſoluta iiſdem appoſita.

72. *Sanguinis poſt partum fluxus*) Vt Lochiorum natura innoteſcat, notandum differre vterum à cæteris corporis cavitatibus & ventribus, quatenus cæteri ventres quo plus, etiam ſecundum naturam diſtenduntur, eo magis attenuantur, vterus vero quo plus ſ. n. h. e. cum mulier eſt prægnans, explicatur, eo magis incraſſatur, Hæc autem incraſſatio non fit niſi ab alio ſe vtero immiſcente, & ipſum ſecundum eius ſubſtantiam implente, Id vero ſanguis eſt tempore geſtationis ad vterum delatus, ibidemque ob ſuppreſſa vtplurimum menſtrua ſubſiſtens, eundemque ſenſim magis magiſque diſtendens: Cui accedit quod ſanguis ad fœtus nutrimentum feratur ad vterum, & ab vtero ad placentam, mox per vmbilicalem fœtus venam ad eiuſdem hopar, hinc & cor æquo per arterias vmbilicales iterum redit ad placentam, ex qua vtero aliquid ſubinde communicari, præſertim cum fœtus male habet, non videtur mihi rationi vel experientiæ contrarius.

Sicut autem hic ſanguis ad fœtus nutrimentum & augmentum defertur ad vterum, ipſumque ſecundum eius ſubſtantiam membranoſam, ſed ſpongioſam, indies magis cum aucto fœtu explicatam replet, ita poſt partum, ne vterus & cum ipſo venter, maneat diſtentus & tumens, ſed vterque ad priſtinam parvitatem redeat, quod plus minus in vtero hærens immutatus ſit, & à naturali ſtatu deflexerit ſanguis, excernendum erat è corpore; voluit namque Deus vt iſte ſanguis poſt partum effluerct, & quidem intra dies paucos, quem ſanguinis fluxum Lochiorum nomine vocant medici.

Hæc in quibuſdam fluxum ſuum abſolvunt citius, in aliis tardius; fluuntque aliis vberius aliis parcius, idque ſ. n. id quod medicis obſervandum ne mox turbentur, quando plus minus Lochiorum prodit, ac ſine neceſſitate conentur ſiſtere vel promovere: Solent autem vtplurimum quibus copioſe fluunt menſes, copioſum quoque pati menſium fluxum, & contra: Ideo cum ad puerperas, & primo præſertim in puerperio vocantur medici, ac de Lochiorum fluxu occurrit ſollicitudo, inquirendum eſt in menſtrui fluxus modum & copiam, quæ conicere liceat an fluxus Lochiorum cenſendus naturalis, vel ab ipſo plus minus deflectens: Quod vt magis pateat, inquirendum an moleſtiam aliquam patiatur puerpera, quæ ſi nulla ſit, res Naturæ erit committenda: *Fr. Sylvius. Pr. l.3. c.8.*

Appendix

An vterus durante Graviditate craſſior ſeipſe fiat.

Quod de vtero craſſeſcente à conceptionis tempore ad partum vſque ſtatuit cum pleriſque aliis anatomicis Sylvius, falſum aſſert Mauriçeau lib. de morbis prægnantium & Puerperarum.

Quiſquis, ait, *accurate mecum occaſione data rem exploraverit, contrarium deprehenſurus eſt, certiſſimum quippe quo magis vterus in graviditate explicatur eo tenuiorem fieri: eius enim craſſitiei dicto tempore (ſicuti annotat apertis verbis Galenus l. de vteri diſſectione cap. viij.)* pte *ſumma extenſione multum decedit, quamobrem dicto tempore imbecillis admodum eſt vterus: Idem tradit l. 14. c. 14. de V. P.* Tenuiſſimæ, *inquit*, omnino matrices ſunt quo tempore gerunt, nempe quod profunditas in magnitudinem ſit abſumpta, eoque imbecillimæ: *Idemque, illi accidit quod veſica vrinaria, qua quamvis inanis craſſitiem ſemi transverſi digiti exhibeat, quo plus vrinæ in illam influit, aut cum aer in illam impellitur, eo tenuior fit, atque ad tantam deducitur tenuitatem, vt pellucida fere fiat, qua depleta priſtinam adipiſcitur craſſitiem: Non ſecus vterus, qui vacuus admodum craſſus eſt, paulatim craſſitiem illam deponit prout impletur ac diſtenditur per graviditatem: Ac tota ſui circumferentia ad tam inſignem deducitur tenuitatem, vt poſtremis menſibus diſtenta veſica vrinaria non diſſimilis evadat; excepta tamen ea parte qua ſecundina illi adhæret, ibi enim loci revera paulo craſſior eſt ac ſpongiformis: at illico à partu priſtina craſſitiei redditur contractis & collectis membranis, per graviditatem plurimum diſtentis: imo notato tempore craſſior quam aliis apparet, quod tunc plurimo humore ſuperfluo turgeat, quo paulatim effluente; hinc poſtmodum craſſitiem nativam reſumit: Nonnullos ab errore revocavi, qui rem accuratius perpendere voluerunt, vt cum præterea non pauci ſententiæ tenaces ſint, rei veritatem rationibus quibuſdam confirmaturus ſum: In errorem deducti ſunt, vt ſentio duabus de cauſis qui illam tuentur, prima eſt, quod re minime explorata aſſenſum authoribus illam ſententiam adſtruentibus præbuerint; Altera eſt quod diſſectione inſtituta mulierum mortuarum illico à partu, vteri ſubſtantiam digitum vnum vel alterum craſſam compererint. In Prægnantibus quoque nonnullis apertis eandem craſſitiem animadverterint, at quamobrem id contigerit minime perpendentes: Sed etiamſi vterus illico à partu prædicta craſſitie donatus ſit, nequaquam tamen colligendum eadem craſſitie præditum fuiſſe, qua tempore fœtus & aqua, vna cum placenta in eo incluſa in inſignem diſtenſionem matricem efferebant; eiuſmodi enim craſſitiem tantummodo conſequitur à contractione ſuæ ſubſtantiæ, admodum amplæ craſſitiem cito adiſcentis ac prout in ſe ſe colligitur & contrahitur, id quod illico à partu contingere ſolet: Neque præterea exinde colligendum vteri ſubſtantiam craſſitie inſigni in quibuſvis gravidis præditam eſſe, quod eiuſmodi nonnunquam ab obitu occurreret quibus fœtus adhuc in vtero latebat, rara quippe non ſunt artis, neque talis diſpoſitio tunc naturalis eſt, nequaquam obvia niſi ad morbos, inflammatione ſcil. vel humorum decubitus ſæpiſſime & cauſam habens à divulſione par-*

ticulæ cuiuſpiam ſecundinæ, vel à doloribus partus diutius protractis, quamobrem intumeſcit uteri ſubſtantia, eamque in molem vt illam deprehenderim quater transverſos digitos craſſie æquante imprimis circa fundum, ratione multitudinis vaſorum illuc pertingentium: Quo vero rei veritas in apertum veniat, è re eſt gravidam aperuiſſe, quæ mortem obierit illæſo omnino vel alterato utero; Aquis præterea ex utero nequaquam elapſis, hæ enim ſi effluxerint, proculdubio uteri ſubſtantia paulo craſſior conſpicua futura eſt; quod uterus nonnihil ſeſe contraxerit. Cum porro rarius occurrant mulieres ea ratione occumbentes res ad experimentum poterit adduci diſſectis animalibus viventibus e. g. ovibus prægnantibus & partui proximis: In illis enim uterus tantæ tenuitatis apparet, vt præ illa quodammodo fœtus latens conſpicuus ſit: nec diſſimile quid in muliere obſervatur, cuius uterus tam inſignem obtinet tenuitatem poſtremis graviditatis menſibus, vt nonnullis cum impetu diſruptus ſit, fœtu in cavitatem abdominis, inter inteſtina excidente, præ nimia diſtenſione: Videantur exempla apud Guillemaum & Fabritium Hildanum, quæ & nobis Pariſiis obvia fuere: Obiiciet forte quis non idem mulieribus quod brutis accidere; ſed idem conſulat gravidas, quæ admota manu parti in qua eminet fœtus cum partus imminet, fidem facient eximiæ uteri tenuitatis; nam etiamſi interiaceant ventris integumenta, ac muſculi proximum tamen percipiunt fœtum, ac tactu quævis illius membra diſtinguunt, dum variis cietur motibus; id quod nequaquam poſſibile ſi prædicta craſſitie donatus eſſet uterus, quam plerique perperam fingunt.

Nimius ſanguinis poſt partum fluxus) Poteſt is variis lædi modis, Cum *nullus* fit, 2. quando *parcior*, 3. cum *copioſior*, 4. cum *colore*, *odore* aut *conſiſtentia* vitioſus prodit. Copioſius aliquando fluunt Lochia, & 1. quidem ob placentam vi cum ſecundis avulſam, quod evenit obſtetricibus imperitis & temerariis, aut nimium feſtinantibus 2. Ob *laxitatem vaſorum* in vtero exiſtentium, ſive naturalem in tenerioribus; ſive adventitiam poſt affectus graves, ac imprimis menſtruorum fluxus enormes. 3. *Ob ſanguinem fluidiorem*, aut per ſe, aut admiſtum ſerum multum; aut per accidens propter alimenta medicamentave ſanguinem fluidum præſtantia, & circa tempus partus perperam vſurpata: *Sylvius de le Boe*.

In curatione locum habent) Curabitur *fluxus copioſior*.

Si placenta vi fuerit cum ſecundinis avulſa ideoque partes vteri internæ laceræ ſint, per ea quæ excoriationem ſanant & conſolidant, e. g. omnia blandiora adſtringentia, Tormentilla, Biſtorta, Conſolida quævis, Myrtus, Hipericum, Coralia, Terra ſigillata & Bolus quævis, Sanguis draconis, Lapis hæmatites: Ex quibus parari poſſunt Decocta, Aquæ, mixturæ, Condita, Electuaria, Pilulæ, Pulveres &c. E.g.

℞. *Aquar. plantag.* ℥jß. *Antepilept. Amſtelodam aceti ſtillat.* āā. ℥ß. *lapid. hæmat.* ℈ß. *corall. rub' vti* ℔. ℈j. *laud. Op. gr.* ij. *ſyr. myrtin.* ℥i. *m.* Doſis coch. vnum ſubinde agitando, Eius miſturæ ope & fluxus ſiſtetur & ſanabitur excoriatio, vel

℞. *Rad. Tormentillæ biſtortæ* āā. ʒij. *conſolid. mai. ſaniculæ, pyrolæ. ſummit. hyper* āā. *m.j. coq. ex aqua ferrata, In colat.* ℥xx. *diſſolve ſyr. de ſymph. Fernel.* ℥iij. *aqu. Antepil. hieſtrica Amſtelodam.* āā. ℥j. *m.* De hoc Decocto ſumat bis terve in die ægra hauſtulum ad ℥iij. donec ſiſtatur ſanguinis fluor.

Conveniunt hic Externa quoque vngu. Linimenta, olea, Empl. vim leniendi propter dolores ab excoriatione obortos, & conſolidandiū habentia, & imprimis parti abdominis inferiori; aliquando quoque Lumbari regioni illita vel applicata, E.g. *vngu. martiatum, populeum, Adſtringens Fernelii, Aureum, calcis, Diapomphol. Refrig. Galeni* &c. *Empl. ad Rupturam Fernelii, Ceratum ſantal.* &c. *Oleum cydoneor. Hyper Nepethæ. Nymphææ. Roſarum, Omphacinum. Solani, maſtichinum, myrtillorum* &c. vtiliter tam internis quam ext. medicamentis adduntur *Opiata*, quippe quæ eorundem vim non parum augent, vnde facilius citiuſque conſolidantur tunc partes vteri excoriatæ, ſiſtiturque felicius fluxus Lochiorum nimius.

Quando Fluxus ille vrget admodum, cogimur ad avertendum ſanguinem cum impetu ad vterum ac per impetum ruentem, eūdem ex aperta in brachio vena educere, quo ad tempus, ſaltem exiguum, ſi fieri queat, ſiſtatur ſanguis fluens atque interea temporis medicamentis internis, externis, tentetur vaſorum, eorundem ſaltem orificiorum conſolidatio.

Curabitur 2. idem Lochiorum fluxus nimius ob *laxitatem vaſorum* in vtero exiſtentium modo laudatis medicamentis adſtringentibus, additis aromaticis, ſed blandioribus, quorum ope robur partibus accedit, laxitaſque vaſorum ſenſim emendatur, internis & externis.

Curabitur 3. idem Fluxus nimius ob ſanguinem per ſe fluidiorem, h. e. multo ſero dilutum, vſurpando tum *hydragoga*, tum *ſudorifera*, ſed blandiora, propter puerperarum ſtatum ſolicitum, facile namque peccatur circa Puerperas, quare tutius eſt blandis ac debilioribus quam vehementioribus vti remediis.

Idem *ſanguis* quoties ab vſurpato perperam durantibus Partus doloribus & laboribus alimento, medicamento, aut potius veneno, *ſpiritu* nempe *vini ſimplici* vel *aniſato, iuniperino* vel *leviſticino*, aliove ſimili redditus eſt *fluidior & acrior*, toties idem temperandus medicamentis auſterioribus & aqueis, quin & Emulſionibus gratioribus, ex *hordeo* præſertim & *amygdalis dulcibus* rite paratis, additis *anodynis* & quandoque *opiatis E. g.*

℞. *Herb. malvæ. ſemperv. mai ſolani* āā. *m.j. ſemin. plantag. acetoſ.* āā. ʒij. *aquileg.* ʒiij. *papav. albi* ʒij. *coqu. ex aqua pura In colat.* ℥xx. *diſſolve ſyr. portul.* ℥jß. *ſpir. ſalis gtt. x. miſce. Huius decocti* ℥iij. *aliquoties in die in aſſumat Puerpera*, non neglectis cæteris, ſiquæ ſimul concurrant, ſymptomatibus quorum ratione non raro variè immutanda ſunt quævis medicamenta: Abſtinendum autem ſedulo ab omnibus ſpirituoſis & volatili ſale præditis, à quibus augeretur facile ſanguinis acrimonia & fluiditas.

Notandum vero attendendum ſemper eſſe ad cætera ſymptomata tunc ſimul concurrentia, quorum ratione mutatio aliqua facienda ſemper in medicamentorum quorumvis vſurpatione. *Idem.*

Curatio in fluxus immodici cohibitione tota verſatur, Summa autem cautio adhibenda eſt, ne quod per huiuſmodi purgamenta excerni conſuevit, intus retineatur, & graviſſimorū affectuum cauſa evadat: Atque adeo ſi affectus non vehementer vrgeat, à levioribus incipiendum, & ad potentiora ſi opus progrediendo.

Ac primum ſanguinis impetus cohibendus alimentis incraſſantibus, *panatellis*, *gelatinis*, *oryza*, *amylo* cum *iuſculis pedum vituli*, *pyris*, *cydoniis toſtis*, carnibus toſtis *ſucco granatorum* aſperſis: *Cibus* paulo copioſior exhibeatur, non tamen vna vice, ſed potius frequenter cum hoc modo calor & ſpiritus, qui expulſionem in vtero adiuvant, ab vtero ad ventriculum avocentur, & vires inſtaurentur: *Vitelli ovorum* huic vſui conveniunt, nam & facile coquuntur, & calorem ad ventriculum avocant.

Potus

Potus ſit *aqua ferrata*, vel *extinctionis auri*, vel in qua parum maſtiches bullierit. Deinde ſanguinem ad partes ſuperiores revellentia remedia uſurpanda, ut frictiones & ligaturæ partium ſuperiorum, cucurbitulæ ſub mammis & utrique hypochondrio admotæ: Vtile eſt *manus fovere in vino calente in quo conſ. alker. vel theriaca diſſoluta fuerit: Venter faſcia* mediocriter conſtringatur, ſic comprimuntur vaſa & fluxus immodicus impeditur: Lumbis admoveantur lintea *oxycrato* madida, quibus ſanguis in vena cava temperatur, Si fluxus valde immodicus ſit, vireſque dejiciat ad fortiora veniendum.

℞. *Aquar. plantag. naphæ, roſar.* ãã.℥j. *ſyr. corallor. aut de roſ. ſicc.*℥j. *ſalis prun.* ʒij. *ſangu. drac.*℈ß. *f. Potio*, quæ ut plurimum ſuccedit.

Si diutius duret fluxio Pulvis, vel Opiata ad plures dozes præſcribi poterit. E. g.

℞. *Lapid. hæmat.* ℈iv. *pulv. boli Arm. corall. r. margar. prap.* ãã. ʒj. *ſem. plantag. coriand. ppti gran. ſumach.* ãã. ℈ij. *m. f. Pulvis tenuiſſ. doſis* ʒj. *cum decocto centinod. & ſyr. cydonior.*

℞. *Conſerv. roſar. rad. ſymph.* ãã. ℥j. *boli Arm. troch. karab. corall. prap. ana.* ʒj. *cum ſyr. corall. aut roſ. ſicc. f. Opiata, detur magnitudo caſtanea, ſuperbibendo parum aqua potus ordinarii.*

Exterius *Fotus & unguenta* admoveantur; *Injectio* in uterum etiam fieri poterit, ex *ſucco plantag. à Galeno* laudato vel *decocto* fotus prædicti.

Reliquis remediis non conferentibus, *Venæ ſectio* in cubito præſentaneum eſt remedium, ſi paulatim, & per quædam intervalla ſanguis educatur, ſic enim multas deploratas convaluiſſe experientia docuit; Perſeverante affectu uſurpentur quæ ad fluxum menſium immodicum præſcripta; Hoc maxime convenit.

℞. *Fulig. camini puriſſ.* ℥viij. *ſubigatur cum aceto fortiſſimo, f. Catapl. renibus adplicandum.*

Somnus autem, dum ſanguis copioſe effluit, penitus arcendus multæ enim pereunt: quia calor ad interiora retractus fluxum majorem efficit; Si conceditur, aſſideat ſemper aliquis qui ægræ pulſum exploret.

Si grumi ſanguinis ſubſiſtant, dolorem tenſionemque excitent, mature educantur, ne putredinem contrahentes cerebrum & cor inficiant, febremque inducant; Ideo puerpera, ſi poteſt, leniter deambulet, vel erecta ſtet, aut ſedeat in ſella perforata quaſi dejectura: Alias *hordei decocto* tepido, cum pauco *oxymel.* in uterum injecto diſſolvantur, ſed caute ne ſanguis de novo accerſatur. *Riverius.*

72. *Nimius ſanguinis poſt partum fluxus*) *Quia uteri vaſa nimis hiant*, Vteri vaſa non ſemper eodem modo ſe habere ratio docet & autopſia confirmat; Multo enim majora ſunt in gravidis ac puerperis quàm in vacuis, & non gravidis. In gravidis aliquando ea in tantam amplitudinem dilatata, vidimus, ut facile digitum in eorum cavitatem immitteremus, quæ ceſſante Lochiorum fluxu ita denuo contrahuntur, ſive coarctantur, ut xvi. circiter dierum ſpatio cum utero priſtinam quaſi figuram recuperent, niſi in iis forſan quæ ſæpius uterum geſtarunt, propter earum extenſionem magis contortæ & fluxuoſæ remaneant. *Graef. de mul. org. c. 8.*

74. *Poſt partum fluxus*) Quando in partu ſeparatur Secundina, in toto hoc labore copioſa, ſanguis evacuatur per uterum, ita ut ſubinde plus, ſubinde minus evacuetur, pro circumſtantiarum varietate; Effluit ſanguis continuo, in quibuſdam diutius, in quibuſdam brevius; ordinarie ad 3. 4. dies, poſt effluit *liquor aquoſus*, ſanguine ſaltem tinctus, quod fit uſque ad dies 6. 7. hinc ſuperveniunt excreta, mucilaginoſa, viſcida, glutinoſa, quod fit ad 10. aut 14. dies, in quibuſdam ad tres ſeptimanas.

Jam vero variat copia & ſanguinis & reliquæ materiæ, duplici ex cauſa, Nam quæ 1. in partu copioſum ſanguinem ſtillant, vel parciorem habent menſtruum fluxum, etiam parcius ſolent purgari per lochia: Et quibus, durante geſtationis tempore, vel per uterum, vel per nares, vel alia loca crebrior fuit facta ſanguinis excretio, iis parum ſanguinis evacuatur.

2. Mulieres quæ lactant, & lactare volunt, in talibus poſt ſanguinis excretionem parum, ſed *materia ſeroſa*, aut *lactea glutinoſa*, ſolet evacuari, quia multum abſumitur in materiam lactis: Quæ vero lactare nolunt, iis uterus evacuatur.

Obſervatum autem fuit quod quando incipiunt mammæ turgeſcere, & lacte ſcatere, parum per uterum materiæ ſeroſæ fluxerit; quando vero lac fuit ſuppreſſum, copioſa materia per uterum fuit evacuata.

Ita ſe res habet naturaliter, ſed obſervandum quod non ſemper lochia hujuſmodi colorem naturalem obtineant, ſed interdum non ſanguinea ſint, ſed flavum ſaltem habeant colorem, Videantur *M. E. anni 3. pag. 186*, ubi refert N. ſe aliquoties obſervaſſe quod reperiantur mulieres quæ ſimpliciter aquoſa ſaltem evacuarint inſtar veri ſanguinis.

Sic refert hiſtoriam de muliere, quæ octo dies ante partum, ſine ullo dolore, per aliquot dies, (4. vel 5.) *aquæ clariſſimæ* ℥iij. evacuarit; quæ non fuit intra matricem, ſed quæ prodiit per vaſa quædam colli uterini, Poſt octo dies peperit, parum evacuavit, Et obſervavit quod non potuerit commode incedere. *Etmuller Pr. l. 3. p. 44.*

Quantitatem & menſuram quod ſpectat, *Hippocrates l. 1. de m. m.* dicit purgationem ſingulo quoque menſe advenientem mulieri ſanæ, duarum eſſe præter propter heminarum; Idem *lib. de Nat. Pueri*, ait initio puerperam ad ſeſquiheminam effundere, ac ſic deinceps toto xxx. dierum decurſu, ſi marem pepererit; xlij. ſi fœmellam, ſenſim quantitate imminuta donec nihil ſuperſit.

Qualitatem quod ſpectat, ſi ſanguis effluens ruber eſt, inſtar victimæ recens iugulatæ, iſque cito concreſcat, proba valetudine frui mulierem indicium eſt; ac in reliquis puerperiis proſperam quoque futuram; Sin ſanguis exigua quantitate effluat, pravi coloris, neque concreſcat, quamprimum, ſignum eſt puerperam valetudinariam eſſe, Eodem aſſerente.

Obſervandum porro non omnes eandem copiam effundere, quapropter certa regula determinari nequit, neque temporis neque quantitatis Lochiorum, In Helvetia enim & Germania, quia mulieres frequentiori utuntur exercitio quam Gallæ, Lochiis paucioribus diebus defunguntur, adeo ut ad ſummum xv. diebus appareant, imo ex intervallis tantum, non ſingulis diebus. *Guillemeau de Partu fel. lib. 3. c. 17.*

73. *Seu ob copiam illius, ſeu quod*) Vberior Lochiorum fluxus accidit ſeu in partu, ſeu poſt partum. Cauſa eſt 1. ſanguis uberior, aut etiam nimis turgeſcens. 2. Sanguis fluxilior, ſeroſior, aquoſior, 3. uteri læſio inprimis ex placenta avulſa, 4. Irritatio uteri, vel à ſanguine grumoſo, vel à fruſtulis placentæ, vel à mola in utero relicta, hęc in utero ſubſiſtentia, continuo irritando uterū graviores hæmorrhagias inferunt, ut impoſſibile ſit has ſiſtere, vel eaſdem ſine recidivæ metu compeſcere, niſi dicta in utero exiſtentia fuerint remota. Prius quod attinet, in juvenculis plethoricis calidioribus naturaliter uberius effluit ſanguis, inprimis quæ patiuntur menſium ordinarium fluxum nimium: Verum in ſpecie in puerperis, dum inſigniter incaleſcit corpus & ſanguis fermenteſcit, habent pulſum celerem, frequentem, magnum, ubi uberiora effluxerūt lochia, Pertinet huc abuſus ſpirituoſorum, nempe vini, aquæ vitæ &c. ac fœtum impellentium remediorum, à quibus inſigniter commovetur maſſa ſanguinea: rareſcit, fermenteſcit, turgeſcit &

fluxum per uterum cauſat.

Secundum quod attinet, eſt quando ſanguis eſt ſua natura ſeroſior, aquoſior ac paulo acrior, ut in ſcorbuticis & aliis accidit.

Tertium eſt læſio uteri, inprimis per avulſam cum impetu ſecundinam, ut ita vaſa uterina lędantur, ubi ex dilaceratione quaſi uteri ſolet uberior ſãguinis fluxus ſupervenire: hinc poſt abortũ inprimis ſolet imminere periculum hæmorrhagiæ nimiæ, propter avulſam placentã.

Quartum eſt *irritatio* uteri, de qua modo. *Etmuller*.

Prognoſis.

Quemadmodum omnes hæmorrhagiæ ſunt periculoſæ, ita mulieribus quibus copioſe fluunt lochia periculum non leve imminet, quia in partu vires debilitatæ, & maſſa ſanguinea nimis agitata & exhauſta eaſdem plus ſolet labefactare, Quinimo periculum eſt ne mulieri convulſiones exinde, deliria, & tandem mors ipſa ſuperveniat; Si ſanguis intenſe floridus emanat indicium eſt quod immediate ex arteriis evacuetur, qui fluxus periculoſior; alias qui effluit poſt partum, is eſt ex venis. Iſte ſanguinis effluxus nimius, qui ſequitur violentam ſecundinæ extractionem, vel abortum, ſolet eſſe periculoſior & gravior quam qui ſequitur partum naturaliter conſtitutum. *Etmuller.*

75. *In curatione*) Habeatur ratio cauſarum remotarum, quibus ſufflaminatis facile conſtabit negotium: Hinc ratione ſanguinis, vel uberioris, vel turgeſcentis convenit V. S. in brachio: hinc conveniunt blanda *acida*, ſanguinis cohibentia, impetum, & eundem mediocriter ad coagulationem diſponentia, Dum *ſanguis* eſt *ſeroſior & aquoſior* mediantibus ſudoriferis ſerum derivetur per loca aliena, ut poſtea ſanguis inſpiſſatus, mitis effluat per uterum.

Ratione cauſæ tertiæ (*avulſa per vim ſecundina*) conveniunt *vulneraria* blanda, quæ inter eminet *chærefolium*, quibus decoctum inter vulneraria eſt egregium, quibus addatur *plantago cydoniata* quæcunq; &c. In quarto locó, *irritato* nempe *utero*, conveniens eſt ut ejiciantur hæc ipſa, quo facto ceſſat nimia uteri hæmorrhagia: Cum vero omnia *pellentia* ſimul ſoleant promovere lochiorum fluxum, cauti ſimus in utendis his ipſis, quin potius temperatura inſtituatur cum aromaticis, v.g. *Sylvius* habet *mixturam* ex *rad. biſtortæ*, *herb. majoranæ*, *pulegii &c.* qua dicit feliciter ſe uſum eſſe in hoc caſu: rad. *biſtortæ* ſumit ℥ij. (*miſtura hæc deſideratur in editione poſtrema ejus operum.*)

In genere tamen in quibuſcunque fluxibus conveniunt inprimis *Martialia*, & hinc *terrea* pluribus ſatiſfacientia, ſcopis: Eminet *lapis hæmatites*, *corall. bolus Arm. terra ſigill. & ſim.* Hæc primatum ducunt in hæmorrhagia nimia poſt partum; *Liquor Martis Solaris*, aut *tinctura ſulph. vitr.* rite præparata in graviori morbo ſunt egregia; *Liquor martis ſolar.* à gr. viij. ad x. *Tinctura ſulph. vitr.* ad xxx. Conveniunt etiam *Troch. de Carabe*, *de terra ſigill.* vel per ſe & in *vino auſtero acidulo*, vel cum cochl. *aceti*, ubi vel læſio inducta eſt utero ex *avulſa ſecundina*, vel ubi ſubeſt *ſanguis ſeroſior & aquoſior*.

Juxta hæc egregia ſunt *Corall. r.* mixta cum *ſucco granat. acid. rec. expreſſ.* Mixtura hæc ſubinde Puerperis propinetur: poſſunt addi *ſuccus* aut *ſyr. portul.* inprimis in *acrimonia ſanguinis* aut *utero læſo*.

In graviori malo; inſtar ultimi refugii ſit *alumen* cum *conſerva roſar. rubr.* vel *rad. ſymphyti*, *Alumin.* dozis ſit ℈ß. ad ℈i. in dicta conſerva ſub forma Boli egregia eſt.

Seb ubi alia ſunt irrita, hiſce internis *Externa* blanda, vel ſanguinem effluentem ſiſtentia, vel ſanguinem in utero adſtringentia adjungenda ſunt, Convenit ergo *ſperma ranar. ejuſque aqua* cum *aceto roſar.* imprægnata, & ſpongia eadem imbuta, regioni pubis applicata, Vel fiat *Cataplaſma ex fuligine* quod cum *aceto roſar. & album. ovi* ſubigatur, & regioni lumbari prope os ſacrum applicetur, & ſubinde repetatur.

In uſu etiam eſt ut injectiones adſtringentes ex *ſucco* aut *decocto plantag. portul.* & ſimil. in *aqua ferrariorum decoct.* iniiciantur in uterum, inprimis ubi ſuſpicio adeſt læſi aut excoriati uteri. Denique etiam applicentur *Mammis* quædam ſi fluunt nimium Lochia, in ſanguinis turgeſcentia & nimio orgaſmo, nempe, *Epithemata* ex *aceto, ſucco ſempervivi, nitro & aqua ſperm. ranar.* frigide applicata & ſæpius iterata, Vel applicetur *Cucurbitula cum multa flamma* ſub mammis, ut ſurſum concitetur motus ſanguinis.

Mulier altero poſt partum die iraſcitur, ex ira confuſis ſuccis & ſpiritibus ſupprimuntur lochia (inclinabat ad cachexiam) 5. & 6. die à ſuppreſſione ſuperveniebant *graves dolores abdominis*, hinc *enormis lochiorum fluxus:* Cauſa erunt *ſanguinis grumi*, qui in utero coerciti poſtmodum dolores iſtos hinc nimiam hæmorrhagiam inferebant; Variis tentatis adhibita fuit *mixtura* quæ feliciter operata eſt.

℞. *Aqua tenellor. c. c.* ℥iij. *ſucci cydon. recent.* ℥j. *coralli rub. præpar.* ʒß. *laudan. op. gr.* iß. *ſyr. cydonior.* ℥vi. ms.

Vſurpabatur repetitis vicibus cochleatim, & brevi poſt lochia ſuppreſſa ſunt, & ſic ſucceſſive curata fuit. *Etmuller.*

Oleum vini cum *tinct. corall.* vera in lochiis ſuperfluis puerperas mire corroborat. *J. Agricola in Poppium. p.* 47.

Conſerva flor. lyſimach. egregium remedium eſt ad omnes fluxus ſiſtendos: Vel *Pulvis ex florib.* ℨi. pondere in juſculo. *Gotofr in Bud.* Fiant peſſaria ex lana bombycina, imbuantur *ſucco equiſeti & plantagin.* Exterius aſpergatur *bolo Armena vel pulv. florum lyſimach.* Ad tempus retineatur: Egregium medium eſt, quo aliquot mulieres curavi. *Idem.*

Philonii Perſici ℨj. *cum ſucco plantag.* propinavi, quo remedio nullum præſentius inveni, *Ungu.* etiam *comitiſſæ* cum *ſucco plantag.* locis muliebribus inunctum efficaciſſimum eſt. *Valleriola obſ. 4. l. 6.*

Trochiſci de ſuccino, cum *opio* parati, præſtantes hic ſunt. *Weickardus, p. 400. Theſ.*

Ex fol. hellebor. nig. rec. parum conquaſſatis fiat cingulum, & alligetur nudo corpori: Præſtat in fluxu menſium, inprimis ſanguinis atrerioſi poſt partum difficilem. *Hartmannus Prax. Chym.*

Detur *vitellum ovi cum vino rubro*, hoc remedio quędam feliciſſime uſæ ſunt. *Obſtetr. Gallica.*

Fomenta ex decocto ſimplic. adſtringentium, *rad. torment. biſtortæ, pentaphylli. herb. plantagin. hippur. burſa paſt. centinod. fol. qu. rubi, ſalicis. bacc: myrthi, prun. ſylv. nuc. cupr. gallis, malicor. balauſt. cum vino rubro* decoctis, addito *aceto.* *Johann. Michaelis Pr. Clinica pag.* 274.

76. *Lumbis & ſpina dorſi*) Fœmina nimio Lochiorum fluxu laborabat, multa atque optima remedia adhibuit, tandem ex mulierculæ conſilio *lapidem hæmatitem* manu tenebat, Quid fit? illico ſiſtitur fluxus *Ioh. Dolaus.*

XI. [77] *Purgatio immutata*, [78] propter ſanguinis per novem menſes detenti à calore inductam craſſitiem; [79] quæ inde.

Cognoſcitur, quod in fluxu menſtruo major fuerit.

[80] In *curatione* locum habet, [81] Apertio *ſaphenæ*, ſed non citiùs quàm uterus ſuo loco reſtitutus

ſtitutus fuerit. [82.] Vſus ſyrupi *de Capillis veneris* cum aqua *hyſſopi abſinthii*; [83.] ſuffumigia, fomentationes, &c.

Quod ſi in fluxu menſtruo, purgatio major non fuit, nec abundabant ſanguine, diætâ, & cibis euchymis eſt agendum. [84.] Si alvus ſolvitur [85.] benè eſt, [86.] quia ita ſerum, quo alioquin diluitur ſanguis & impregnatur, ad venas uteri patentes deducendus.

77. *Purgatio imminuta) Non ſolum imminutam, ſed etiam planè defuiſſe, idque innoxie proſtant exempla.* Fuit Puella in diſtrictu Ebeblienſi, quæ ad 28. annum ætatis Ebeblii ancillavit, dein ruſtico nupſit, in quo matrimonio tres peperit filios, ſanitate omnino integros; Dicta mulier, nec ex eo tempore quo virgo menſium fluxui matura fuit, nec per conjugii decurſum uſque ad terminum vitæ unquam menſes paſſa eſt, imo poſt trium, adhuc pancraticè viventium filiorum partum, ne hilum ſanguinis ante, per aut poſt partum, præter quædam ſeroſa & pituitoſa evacuata profudit: Hæc mulier non ſolum ſingula vice ſine ſymptomatibus puerperas comitari ſolitis, ſed etiam ſine notabili quadam virium dejectione peperit, adeo ut poſt ſingulum partum quædam domeſtica negotia repetierit, præter conſuetudinem puerperarum, propter ſanguinis exhauſtionem ad ſimilia tractanda inhabilium. *Joh. Georg. Sommerus Med. Sept. vol. 2. p. 110.*

77. *Purgatio imminuta &c.)* Raro *Nullus* obſervatur Lochiorum fluxus niſi cum evidenti Puerperæ noxa, retentus namq; in uteri cavernoſa ſubſtantia ſanguis mox ibidem corrumpitur, inflammationem, abſceſſum, ulcus, aliaque mala plura ſucceſſive producit: Non dicendus autem Lochiorum fluxus ſuppreſſus, vel nullus quando durante partu copioſus effluxit ſanguis, ac ideo poſt partum pauciſſimus vel nullus, quia qui ſ. n. effluere debuerat poſt partum: tantum præter naturam effluxit durante partu.

Nullus autem contingit propter *frigus externum* imprudenter Partus tempore in uteri ſinum admiſſum, atque uteri orificia, prius placentæ commiſſa conſtringens, ſanguinemque aut pituitam huic conjunctam in ipſis coagulans; Vbi autem ab externo frigore hæc orificia quovis modo ſunt occluſa, hærens in uteri ſubſtantia cavernoſa ſanguis corrumpitur paulatim; quia univerſus ad reliquam maſſam redire neſcit, unde pars ejus aliqua ſed corrupta, reliquæ maſſæ confuſa commixtaque ipſum ſimiliter corrumpit, & ad Cor deducta *Febrem continuam* excitat, magis vel minus periculoſam prout corruptio major aut minor fuerit, fuerintque remedia uſurpata minus vel magis his malis emendandis convenientia.

Sed nonnunquam idem Fluxus *ſupprimitur*, ſæpe ab induſio vel alio linteamine frigido, præſertim humido ſimul, à quo tam ſæpe ſupprimitur mox ille fluxus: humiditas enim frigori juncta citius potentiuſque in univerſum corpus ipſam inſinuat; quæ ſanguinem plus minus coagulando ipſum ad motum ineptiorem facit, ſed inſuper poros claudendo exhalationem naturalem moratur & ſiſtit; unde non mirum ſi augeatur mox in corpore calor, exciteturque febris.

Nec videtur tantum frigus notatum Aëris linteorumq; corporis poros externos & orificia uteri interna modo dicto afficere, verum ad interni quoque colli coarctationem nimis citam, ejuſdemve tumorem, hinc & canalis anguſtationem nimiam plurimum facere; qua de cauſa ſiſtitur ſubinde in uteri Cavitate ſanguis, coagulatur ibidem, quin corrumpitur quoque, unde acrimonia ſimiliter aucta rodit partes vicinas, producitque tandem fluxum purulentum & valde noxium, dum ejus aliquid ad interiora penetrans, & affluentem ſanguinem ibidem corrumpens, maſſam reliquam inficit febreſque continuas excitat.

Curabitur vel *nullus*, vel *ſuppreſſus* ab externo frigore quovis modo productus *Lochiorum fluxus*, exhibendo quantocyus medicamenta pituitam vel ſanguinem in uteri orificiis coagulatum ſolventia, qualia ſunt aromatica omnia & ſale volatili prædita, imprimis uterina dicta, quæ nimirum multiplici experientia comperta ſunt in tali caſu prodeſſe; quæ ſi ſudorifera ſimul fuerint, plus efficient atque citius feliciuſque affectum illum difficilem ac periculoſum tollent: Commendantur autem omnia menſes promovere ſolita, ruta hortenſis, artemiſia, majorana pulegium, ſabina &c. ex quibus decocta paranda, ſatis calentia exhibenda quo facilius ſudor erumpat & potentius ad locum affectum vis medicamenti deferatur: Si diſplicent Decocta, fiant Potiones ex aquis dictarum plantarum, ut & aliis magis aromaticis & ſpirituoſis paratæ.

Quamvis autem excitata eſt ob deficientem Lochiorum fluxum *Febris*, quæ continua ſolet eſſe, ac ſæpe ſatis ardens, cavendum ſedulo ne illis aromaticis augeatur febris æſtus, quare illis Potionibus addenda ſunt Acida, acetum ſtillatit. Aqua Amſtelodamenſium, Alexipharmaca, vel Prophylactica noſtra, *Spiritus ſalis vitrioli* &c. Hoc namque temperamento ſervato utriq; ſatisfit indicationi, cum æſtui febrili conducant Acida, uti eadem, æque atque aromatica, Pituitæ coagulatæ ſolvendæ, imprimis additis Oculis Cancr. Antimon. diaphor. & ſimil. quæ tum coagulatum quoque ſanguinem poſſunt diſſolvere.

Ex dictis patet prout æſtus febrilis fuerit tunc major, augeri quoque vel minui debere Acidorum quantitatem: Quod ſi ſerius advocetur Medicus, atque jam per aliquot dies ſubſtiterit Lochiorum fluxus, quin plus minuſve circa uterum hærens corruptus fuerit ſanguis, longe difficilius procedet Curatio, ob allabentem, itidemque circa uterum ſubſiſtentem corruptumque ſanguinem novum.

Quare ne nimius eo feratur, ab affecto loco affluens avertendus, & quidem V. S. aliquando in pede, aliquando in brachio vel manu: Vbi prudentia opus circa copiam, conſideratis puerperæ viribus & ſanguinis copia vel penuria: Præter dicta, ſi alvus non ſatis reſponderit; Enemata iniici poterunt, quæ non tantum alvi excrementa exſiccara diluant educantque, verum blando ſuo fotu contentum circa uterum ſanguinem concreſcentem diſſolvant, vel pituitam coagulatam incidant: hinc valent Fotus per pannos laneos ſpongiamque pudendo mulicbri admovendo: Vngi poterit etiam abdominis inferior regio linimentis & unguentis temperatioribus.

Si durante Partu copioſus effluxerit Sanguis, hinc nullus partum ſequi obſervetur, niſi aliquid detrimenti patiatur puerpera, nullo remedio tentanda ipſorum expulſio, quin ſolis roborantibus vires tuendæ. Quod ſi præter illum ſanguinis durante partu effluxum, frigus in muliebria admiſerit parturiens, ac metus ſit ne inde aliquid mali patiatur, danda opera ut in tempore exhibeatur *ſudoriferum aromaticum*, cujus ope foras propellatur frigus il-

lud noxium, præveniaturque malum gravius.

Illud idem magis urget dolor & tumor in hypogaſtrio, uterum male affectum arguens; quo in caſu præter ſudoriferum, bonum erit linimento inungere abdominis partem infimam; & alvo exiſtente adſtricta, Enema iniicere carminans & emolliens: In hoc caſu nulla deſideratur ſanguinis miſſio, niſi concurrat plethora, vel febris ſucceſſerit ſatis ardens, quæ auxiliis reliquis non cedat, ſed æſtu gravi moleſta ſit.

Parcior exiſtit *Lochiorum fluxus*, alias ſecundum alias præter naturam. *Secundum Nat.* in quibus parcior eſt ſanguis, & proinde parcius ſolent fluere menſtrua: *Præter Naturam*, quibus, durante partu ſanguis effluxit multus, aut durante partu: aut poſtmodum admiſſum eſt imprudenter aut fortuito in uteri ſinum frigus: à quo non omnia, ſed aliqua ſunt occluſa obſtructave uteri vaſa, ideoque ex parte ſaltem ſuppreſſus Lochiorum fluxus, aut febris undecunque excitata eſt, quæ dictum fluxum minuat: Quibus naturaliter menſtrua ſolent eſſe parca, nec mirum, nec noxium eſt Lochia fluere pauca, quin ſalutare potius ac utile: cum alias metus ſit ne vires puerperæ minuantur, pereunte ipſi multo ſanguine.

Quibus durante partu copioſus effluxit ſanguis, bonum eſt lochia eſſe pauca, quæ proinde minime ſunt promovenda; quin potius ſi copioſa forent, minuenda & blande ſiſtenda, Quoties autem à *frigore* imprudenter aut fortuito admiſſo ex parte ſuppreſſus eſt, adeoque diminutus, convenient remedia in eodem ſuppreſſo enumerata, Incidentia puta & ſudorifera aromatica, non neglectis oleis, unguentis ac linimentis ſimilibus, ut & enematis emollientibus & carminantibus.

Poteſt quoque in hoc caſu feliciter nonnunquam inſtitui venæ ſectio, & inprimis ubi acceſſit febris cum inflammationis metu. Quoties vero à febre Puerperæ ex aliis cauſis quibuſvis ſuperveniente imminuitur ille Fluxus, toties danda opera ut febris hujus cauſa vera inveniatur, & ipſi remedia convenientia adhibeantur: niſi enim cauſa febris vera innoteſcat, ut & ratio ſecundum quam producta eſt, nulla curatio rationalis inſtituetur, verum incerta, imo temeraria.

Dum autem febri adhibentur remedia, convenientia, non negligendus ipſe Lochiorum fluxus imminutus, quin huic quoque promovendo utilia ſunt uſurpanda auxilia, ſed talia quæ febris notatæ curationi non adverſantur, verum cum ipſis conſiſtere poſſint. *Sylvius de le Boe.*

78. *Propter ſanguinis per novem menſes*) Fit in ſpecie duplici ex cauſa, 1. propter gravia *animi pathemata*, terrorem, triſtitiam, metum & ſimilia, quibus ſolet ſupprimi rapidior ſanguinis motus, & ſpirituum animalium motus, & conſequenter Lochia, obſervante D.S.R. in muliere fœtum mortuum pariente, quæ ob dolorem & triſtitiam nil lochiorum evacuavit. 2. Cauſa, & quidem familiaris, quando accidit refrigeratio partium externarum; ſpeciatim uteri, hinc mammarum & pedum: nempe frigus aëris improviſo intra uterum admiſſum; vel admota linteamina frigida, tam ſicca quam humida ſubito ſanguinem diſponentia ad ſui coagulationem & in utero ſtagnationem. *Etmuller. Pr. l. 3. p. 45.*

79. *Quæ inde cognoſcitur*) Diagnoſis per ſe manifeſta eſt ſuppreſſionis, Imminutio vero ex quantitate ſanguinis effluentis deſumenda non eſt, cum mulieres aliæ plus aliæ minus ſanguinis ſuperflui habeant; Sed integra illius cognitio ex ſymptomatis ſupervenientibus elicitur, qualia ſunt ventris intumeſcentia, dolor imum ventrem, lumbos & inguina occupans faciei rubor, ſpirandi difficultas, oculorum perturbatio, rigores febres, animi deliquia; & alia ſymptomata. *Riverius.*

Lochia ſi fuerint ſuppreſſa, ordinario intumeſcit abdomen & induratur, graves dolores percipiuntur puerperis ſuperveniunt rigores & febres periculoſæ, una cum anxietatibus præcordiorum: adeſt difficultas anhelitus, pulſatio temporum: cephalalgia & ſimilia, à ſanguinis motu per inferiora impedito. *Etmuller.*

80. *In curatione locum habet*) Sudorifera omnia poſt partum ſunt efficaciſſima, Ut enim *Lochia retenta* facile purpuram, mortis ſororem excludunt, ut eadem dolores, tormina, ſuffocationes, febres in genere: ita diaphoretica ſtrenue huic foco morboſo reſiſtunt, fermentum dejiciunt, & maſſam ſanguineam inculpatam præſtant. *Wedelius.*

Inter remedia Chirurgica eminet v. g. In Pharmacia appropriata menſes & fœtum pellentia, cum blandis ſudoriferis temperata, ut in rapidiorem motum acutus ſanguis facile percurrat uterum. *Etmuller.*

Curatio maturanda, ſi ſanguinis copia adſit, iſque ad alia loca ruat, ad uterum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, ſcarificatione in partibus inferioribus adhibitis revellatur: Quæ ſi non ſufficiant vena in pede aperienda, Imo ſi iſta vacuatio plane ſupprimatur, neceſſarium eſt ut vena ſtatim aperiatur, non neglectis reliquis medicamentis revulſoriis, & poſtea vias laxantia & aperientia adhibenda, interna & externa. *Joh. Michaelis Pr. clin. p. 279.*

Si ſanguis totus ad mammas ruat, conſiderandum an ipſa mater infantem ſit lactatura, vel Nutrici illum traditura: *Si prius*, non ſtatim ſanguinis motus inhibendus eſt, ſed impetus naturæ prius perpendendus, & videndum an repletis mammis ſanguis ad uterum ſit reverſurus; quod ſi non fiat, auxilia neceſſaria uſurpanda, *Sin ad aliam* partem ſanguis ruat, revulſionibus inſiſtendum eſt, *Sin poſterius*, ſuperius regurgitantis impetus illico impediendus. *Joh. Michaelis.*

81. *Apertio Saphenæ*) Si priora non ſufficiant, aperiantur venæ poplitis aut utriuſque cruris, vel etiam hæmorrhoidum, ſi eo vergere natura videatur: Si febris excitetur, venæ ſectio in brachio celebranda eſt, ut in morbis puerperarum dicetur. *Riverius.*

Conveniens eſt ut ſecetur vena quando non ſufficienter fluunt; ſecetur vena in pede & ibidem pro circumſtantiarum varietate plus ve minus vacuetur de ſanguine. In Gallia & Italia loco hujus applicant hirudines labiis vulvæ, Videatur *Deodatus in Valetud. p. 9.* Si fluant lochia, ſed non ſufficienter, loco V. S. cucurbitulæ, vel cum, vel ſine ſcarificatione, ſuris, vel interiori femoris parti, adplicari poſſunt. *Etmuller.*

81. *Uſus ſyrupi*) Quoad remedia Pharmaceutica, mulieres uſurpant *cicer. rub. decoctum cum rad. petroſ.* addito interdum pauco croco, quod propinant in calido juſculo puerperis, & quidem non incongrue, ſed tamen non ſemper juvat, conveniunt menſes & ſecundinas pellentia, Excellit *myrrha* tam in ſubſtantia uſurpata, quam *eſſentia myrrhæ* cum *tartari tinctura*, ſeu *ſpiritu vini tartariſato.*

Facit huc mixtura *Timæi*, experta in partu difficili, ſecundinis & lochiis retentis, Ea conſtat ex *myrrha, caſtoreo ſuccin. & croco* dilutis in convenienti vehiculo: *Pulvis zedoar.* convenit etiam in ſpecie ſi ſit conjuncta *lochiorum retentio cum dolore poſt partum*, Pellentibus his poſſunt adnumerari *Elixir propr. ſine acido paratum & ſpir. ſalis armoniaci.*

Si ſuſpicio adeſt *ſanguinis grumoſi*, *ſperma ceti* cum pauco *caſtoreo* eſt egregium, Vel mixtura quam ingrediuntur *oculi Cancrorum ex aceto* propinari, quæ & ſanguinem grumoſum reſolvunt, & lochiorum fluxum egregie promovent Quæ poſſunt ferre.

℞. *Flor. chamom. noſtr. m. ß. cortic. aurantior. ſiccor.* ℥i. (℥i.) coque in ſ. q. cereviſiæ.

Hoc decoctum ſumptum eſt euporiſtū egregiū, poteſt addi

addi *myrrha* & ſimilia, q. pl.

Ego aliquando juvenculam ſanam, poſt partum feliciter parum de lochiis expurganti, cui x. die poſt varia colluvies effluxit, curavi per *eſſentiam myrrhæ cum ſpir. vini tartariſ.* parati, ſed fruſtra, Hinc.

℞. *Borrac. veneti* ℈ij. *myrrhæ el. gr.* xiv. *croci gr.* vi. *mſ. pro ij. dozib.*

Sic fuit maxima copia lochiorum & colluviei expurgata, ſeu evacuata, ut neceſſe fuerit denuo ſanguinem ſupprimere.

Vbi non nimis urget malum.

℞. *Antimon. diaphor.* ℈j. *rad. zedoar.* ℈ß. *myrrhæ el. gr.* viij. *cinnam. croci* āā. *gr.* vj. *mſ. detur in duplo* Exhibetur in vehiculo cereviſiæ calidæ. *Etmuller.*

Sanguinem fundunt *ſuccus petroſel. cum vino, Vel decoctum radic. gramin. cum hoc ſucco.*

Si jam dies aliquot à partu præterierint, purgationem ex *rhabarbaro, fol ſenna & agar.* licebit exhibere, cum *radic. aperientibus* paratam; & cum *manna* ʒiß. in juſculo diſſoluta.

Per os exhibeatur Decoctum ſequens.

℞. *Rad. aperit.* āā. ℥ij. *fol. beton. endiv. capill. ven.* āā. *m.* j. *ſchœnanth. p.* j. *ſemin. fœn. aniſ.* āā. ℈j. *cicer. rubr. cochl.* j. *coqu. ad* ℔ ß. adde *aqu. cinnam.* ʒij. *ſyr. de v. radic.* ℥iij. *mſ. dentur* ℥iij. *vel* iv. *bis in die.*

Antequam febris augeatur, adhibere aliquando licet *trochiſcos de myrrha ad.* ʒj. *cum vino albo, vel aqu. fœnic.*

Foreſtus, etiam febre præſente, ſequenti utitur Decocto.

℞. *Hordei mundat. m.* j. *liquir. raſæ* ℥ß. *Schœnant.* ʒiß. *coqu. ad* ℔j. *pro* iij. *dozibus.*

Debilioribus *ſcœnanthi* ʒj. *in jure pulli*, bullire debet, & exhiberi. *Ioh. Michaelis.*

Si mulier à partu non poterit purgari, propina illi *ſuccum borraginis, pomorum, & petroſel. cum vino vel ol. amygd. dulc.* & videbis rem admiratione dignam. *Mizaldus Hort. Med. c.* 8. Pomorum ſuccus hic prodeſſe videtur quatenus fermẽtationem ſanguinis promovere.

Mirifice præſtat hæc mixtura.

℞. *Succor. borrag. petroſel.* āā ℥iß. *vini dulcis capiat ſingulo mane. Arn. Weickardus.*

80. *Uſus ſyrupi*) Purgatio poſt Partum appellata, ſi non recte procedat, quia graviſſimis morbis occaſionem præbet, promovenda eſt; quod iiſdem medicamentis quæ menſes aperiunt præſtatur; E quibus tamen cum habenda ſit ratio puerperæ doloribus exagitatæ & imbecillis, non nimis violenta eligemus, nec quæ corpus admodum accendant, præſertim ſi febris, ut ſæpe fit adſit, propinabimus: Et in tali caſu *Febris* hunc Pulverem exhibere poſſumus.

℞. *Rad. pæon.* (quæ menſes provocat, & ſi metuatur convulſio, duplici nomine proderit) ʒj. *ſem. malvæ* ʒß. *myrrhæ, cinn.* āā. ℈j. *ſacch.* ʒ ii. *capiat ij. vicibus cum vino albo, vel aqua pæoniæ vel alia.* Vel hoc Decoctum.

℞. *Rad. pæon.* ℥ß. *capill. ven. chelid.* āā. *m.* j. *artem. m.* ß. *flor. vid. p.* j. *cicer. r. p.* j. *hordei p.* ß. *f. decoctio, adde ſacch. q. ſ. arom.* ʒj. *cinnam. ſchœn.* ʒß. *pro* 2. *vicibus.* Platerus.

81. *Uſus ſyrupi*) Curatio ſuppreſſionis lochiorum in eorum provocatione tota conſiſtit, quæ molienda eſt remediis quæ ſanguinem ad inferiora provocant, & uteri vaſa aperiunt, Ac primum Clyſteres emollientes, laxantes & aperientes iniiciendi, E. g.

℞. *Rad. malvæ & lilior.* āā. ℥j. *ariſtol. utr.* āā. ʒiij. *f. malvæ, alth. parietar. mercur.* āā. *m.* j. *ſem. lini & fœnugr.* āā. ʒß. *flor. chamom. ſambuc.* āā. *p.* ij. *coqu. ad* ℔j. *In colat. diſſolve ol. aneth. lilior.* āā. ℥j. *hieræ ſimpl.* ʒß. *ungu. de arthan.* ʒj. *m. f. Clyſter.*

Frictiones fiant in cruribus deorſum verſus, *Ligaturæ*, dolorificæ digitorum pedis, *Cucurbitulæ* admoveantur inguinibus & coxis, & nonnullæ ſcarificentur. *Riverius.*

Per os exhibeatur, *Decoct. rad. aperit. cinnam. & cicer. rubr.* cum pauco croco, E. g.

℞. *Rad. aper.* āā. ℥ij. *fol. beton. endiv. capill. ven.* āā. *m.* j. *ſcœnanth. p.* j. *ſem. aniſ. & fœnic.* āā. ℈j. *cicer. rub. coch.* j. *coqu. ad* ℔iß. *colat. adde aqu. cinnam.* ʒij. *ſyr.* 5. *rad.* ℥iij. *Dentur* ℥iv. *bis in die.*

Antequam febris augeatur, exhibere aliquando licet *troch. myrrhæ* ʒj. *cum vino albo vel aqua fœnic. Foreſtus* etiam præſente febre ſequenti utitur decocto.

℞. *Hord. mund. m.* j. *liquir. raſ.* ℥ß. *ſcœnanth.* ʒiß. *coqu. ad* ℔j. *pro* 3. *dozibus.* Riverius.

Damus & efficaciora ſi nihil obſtet, E. g. hoc Decoctum inprimis.

℞. *Artemiſ. verbena, chelidon. granor, junip. q. ſ. decoquantur in vino*, & bibat. *Platerus.*

Externa remedia.

82. *Suffumigia, Fomentationes*) Externe illinatur abdomen *oleo cheiri* cui additum ſit *oleum deſtill. ſuccini, juniperi, ſpicæ.* His calide inungatur largiter abdomen à regione umbilicali ad regionem pubis: Hoc facto imponatur *ſacculus* calidus, ex *abſynth. matric. mentha, puleg. rad. angel. ſemin.* 4. *carmin. maj. & ſimil.* Horum duo probe calefacti abdomini, prius iſto oleo inuncto imponuntur in ſpecie, ſi à frigore externo oriatur Lochiorum ſuppreſſio.

Cum his ſub mutatione ſtragulorum conſultum eſt ut in ſella perforata fiat ſuffitus ex *bdellio, myrrha, ſuccino*, & ſimil. ſpeciatim ex *colocynth.* hujus enim uſus egregius eſt, videatur. *Timæus in Caſ. p.* 226.

Iuxta hæc conveniunt Clyſteres acriores, uterum ſtimulantes, injecti, inprimis ſi ſimul alvus ſuppreſſa. *Etmuller.*

Inungatur regio uteri, imo totus venter, *oleo amygd. d. ſeſamino, ungu. dialth. pingued. gallinæ*, quibus addi poſſunt *crocus, ol. angel. ſpicæ, cinnam.* vel foveatur *decocto plantarum* c. de ſuppreſſione menſium propoſitarum. *Ioh. Michaelis.*

83. *Suffumigia, Fomentationes*) Fotus ſequens valet

℞. *Rad alth. lilior. bryon. angel. ariſtol. utr.* āā. ℥j. *fol. mercur. artemiſ. puleg. ſabinæ, calament.* āā. *m.* j. *ſemin. lini, fœnugr,* āā. ℥j. *flor. chamom. melil. ſambuc. tanac.* āā. *p.* j. *præpar. ſ. a. f. duo ſacculi, decoquendi in aqua* fontis, calide viciſſim applicandi.

Poſt Fotum inungantur venter inferior & pudenda *ol. lilior. amygd. d. & ſeſam.* addito *croco.* His addi poſſunt *Peſſaria & ſuffumigia*; à mitioribus incipiendo. *Vide ſuppr. menſ. Riverius.*

84. *Suffumigia, Fomentationes*) Reliqua quod attinet remedia, eadem quæ menſes movent, uſurpantur; ut *Inſeſſiones ex althæa, camomilla, artemiſia & ſimil.* Et unguenta, ſuffitus, peſſaria, frictiones ligaturæ, cucurbitulæ, nonnunquam & venæ in pedibus ſectio & c. *Platerus.*

85. *Si alvus ſolvitur bene eſt*) *Raro impune deliteſcunt lochia, niſi alia vacuatio compenſet defectum*, Memini in quadam puerpera parciorem lochiorum fluxum alvi liberaliori obſequio compenſatum.

Alteri autumni frigidi injurias expertæ rarum quid accidit, Totum corpus tuberculis hinc inde obſitum fuit & defœdatum, incaluitque à ſanguine reſtitante, ſive ab utero vaſorum obſtructione, ſive ſanguinis craſſities vaſorum obſtructio impedire potuit ſanguinis, alias ex reliquo corpore, ubi reliquo geſtationis tempore retentus fuerat, nec expurgatus menſtruis purgationibus, excernendi curſum, unde ille in tubercula congeſtus; Conſultus ſectionem ſaphenæ ſuaſi, & pellentia interna, ſed moderatè ſumenda. *Thomas Bartholinus.*

[83]. *Si alvus ſolvitur bene eſt*) Prognoſis elicitur ex ſymptomatis propoſitis, quæ huic affectui ſupervenire ſolent, cum enim majori parte periculoſa ſint, cauſam etiam eorum valde periculoſam arguunt; A prædicto autem periculo liberantur Puerperæ, ſi quædam alia evacuatio fiat, quæ lochiorum vicem aliqua ex parte ſupplere valeat, ut hæmorrhagia narium aut hæmorrhoidum; urinæ profuſio cum fuliginoſo ſedimento, aut ſudor copioſus: Aut ſi poſt aliquot dies ex utero livida, nigra & graveolentia effluere incipiant: Metuendum tamen eſt, ne ex corrupto ſanguine ulcera in utero gignantur. *Riverius*.

Res eſt periculoſa ſi Locchia ſupprimantur in mulieribus, idque eo periculoſius, ſi tam pertinaciter ſupprimantur, ut neque arte poſſint per uterum evacuari, neque materia per alia loca exitum quærat. *Etmuller*

[84]. *Si alvus ſolvitur bene eſt*) Pro diminuto vel ceſſante fluxu lubrica alvus confert, cujus rei cauſam non raro admiratus ſum: Novi puerperas quibus nulla lochia poſt partum ſucceſſerunt; magno vitæ diſcrimine: Injecto vero clyſtere ſimplici, alvoque ſoluta convaluerunt, quibus diarrhœa loco ſanguinei purgamenti fuit ſaluti: Quum uxor mea filiolum meum *Gaſparum* enixa eſſet, parciſſime præter morem lochia fluxerunt, ſed continua fere aliquot dierum diarrhœa, ſine ulla virium jactura, purgata fuit; Dubitavi per quas vias retracta ſit materia ad inteſtina; longæ viæ ſunt, nec hic per alvum cruor decurrit: Igitur vero fit mihi ſimile per alvum revelli & evacuari ſerum, quo alioquin diluitur ſanguis & imprægnatur, ad venas uteri patentes deducendus. *Bartholinus Centur.* iij. *hiſtor.* 19. Extra hunc caſum puerperis accidens diarrhœa, & ante 7. diem à partu fere ſemper lethalis.

Lochiorum fluxus per Nares.

[85]. *Bene eſt*) *Muliebria purgamenta* (ſive menſtrualia fuerint) *non ſubſiſtere utile* Hippocrat. Coaca 522. quod in præcedenti 516. ſic explicuit; *Quæ ex partu & abortu copioſe, celeriter cum impetu ferri*, *id eſt fluere ſolent, ſi ſubſiſtunt moleſtiam exhibent*, quæ moleſtia conſiſtit in rigore, præcordiorum dolore, è quibus (uti habet prædictio Coaca 522.) comitiales morbi oriuntur, niſi videlicet poſtmodum decenter fluant.

Veritatem harum prædictionum proprio quaſi corio ſtabilivit paupercula quædam, quæ fœtum furto conceptum depoſitura, cogebatur ob tenuem fortunam ſub Dio Lucinam vocare; Hæc dum enititur, ob externum, eumq; udum aërem (qui in canicularibus quoq; utero infenſus) Lochia retinebantur, quo facto ſymptomata ex ſupracitatis ſtatim invadebant: Delata in Noſocomium de ſuppreſſis lochiis conquerebatur; Curationem eo direxi, ut Lochiorum fluxus via ordinaria promoveretur, at irrito omnia conatu, die tertia poſt partum circa medium noctis, incipiebant Lochia erumpere per largiſſimam narium hæmorrhagiam, quæ duravit uſque ad meridiem diei quartæ, quo fluxu etiam perfecte purgata atque reſtituta fuit, citra aliorum medicamentorum uſum. *Paulus Ammannus*.

[86]. *Quia ita ſerum, quo alioquin diluitur*) Fit quoque interdum, ut ex ſuppreſſione lochiorum ſanguis coacervatus in aliam partem per metaſtaſin congeratur, & ibi liquefiat in materiam ſeroſam; Erat mulier quæ à partu ſecundo patiebatur omnimodam lochiorum ſuppreſſionem; brevi poſt intumeſcebat abdomen in ſummitate ejus, ut perciperetur fluctuatio aquæ: mēſes fluebant, denuo concipiebat; Tertio partu lochia rurſus ſupprimebantur, Tumor abdominis inſigniter accreſcebat, ut abdomen in faſcia geſtare neceſſe haberet, umbilicus verſus genitalia propendebat, candela admota tranſlucebat. Erat *hydrops Omenti*, in quo omnia lochia per metaſtaſin erant collecta, & liquefacta in materiam ſeroſam, ſuadebam paracenteſin, poſt moriebatur. *Etmuller. Pr. P.* 3. *p.* 42.

[86]. *Quia ita ſerum*) Purgatio ideo convenire poteſt 7. vel 9. diebus à partu, ex *infuſione rhab. agar. aut ſennæ*, Vel cum Juſculo laxante ex herbis ac rad. aper. cum ſenna parato; vel cum *mannæ* ℥iß. in juſculo diſſolutæ. *Riverius*.

XII. [87]. *Febris*, quæ fit.

[88]. Ex *lactis generatione*, quæ periculo vacat. [89]. Naturæ, regimine diætæ ſervato, committenda eſt, & ſudores quibus terminari ſolet, promovendi.

II. [90]. Ex *lochiorum ſuppreſſione*, [91]. in cujus curâ nota.

1. Venam commodiſſimè in talo ſecari; ſi id fieri nequit, cucurbitulas cum ſcarificatione femoribus & cruribus bene apponi.

2. Tempore fluxus præterlapſo, & febri urgente, venam in cubito aperiri poſſe.

III. [92]. Ex *vitioſorum humorum apparatu*, [93]. in quo an purgari debeant vel non, ægræ, accuratè conſiderandum. Tempore fluxus elapſo lenia duntaxat adhibenda. [94]. Alterantia, quæ fluxum cohibent, ut frigida, acida, vitanda.

[95]. *Superfœtationem* miram & raram [96]. habes apud *Bartholinum*; *Hiſtor. Centuria* IV. *hiſt.* 14. & [97]. *fœtum alio in abdomine prægnantem* Cent. III. *Epiſt. pag.* 103. Doleo interim tantam tanti viri quam per ignem paſſus eſt jacturam: inprimis verò de morbis lymphaticis ſcriptum, quod accuratiſſimum fuiſſe, ut omnia illius, nullus dubito, & Celſum.

[87]. *Febris*) Idem de morbis acutis Puerperarum pronuntiandum, quod de acutis Prægnantium, non aliam ſcilicet habere eſſentiam, aliamve diagnoſin ac dum non puerperas ac etiam viros exercent; adeo ut peculiarem theoriam proponere non opus ſit. Illi autem morbi acuti utplurimum ſunt febres continuæ tùm eſſentiales, ut ſynodius putrida, tertiana continua, & reliquæ ſymptomaticæ quæ inflammationes internas, ut pleuritidem, peripneumoniam, hepatitidem, & alias comitantur: adde his febrem Lactis, de qua mox. *Riverius*. De febribus Puerperarum vide ex *Williſio*, *Volum.* 1. *De Febribus* Febres Puerperarum Acutas omnes fere malignas eſſe tradit. *Etmuller*. Vide inferius. *Febres malignæ Puerp.*

[87]. *Febris quæ fit*) Febres putridæ Puerperis ſupervenientes à tribus cauſis oriuntur, nempe Lochiorum ſuppreſſione aut imminutione, Pravorum humorum congerie, geſtationis tempore cumulata, ac in partu agitata, aut Diætæ erroribus; Nonnulli addunt fluxum lochiorum immodicum, qui potius ſignum eſt latentis cacochymiæ febrem excitantis, Illius vero cauſa propria eſſe non poteſt. *Riverius*.

[88]. *Ex lactis generatione*) Peculiaris febris ſpecies omnibus propemodum Puerperis contingit, *Febris Lactis*

Lactis vulgo à mulieribus vocata; eaq; circa tertium aut quartum diem puerperii accidere ſolet, cum lac in mammis copioſius generari incipit, Oriturque ex ſanguinis ab utero ad mammas refluxu, ejuſdemque motu & agitatione: Quæ quidem febris inter Ephemeras plurium dierum recenſetur, neque ullis indiget remediis, quia intra triduum vel quatriduum, nempe circa nonum diem ſudore ſolvitur: Diſtinguitur à Putridis, quod fere circa quartum diem invadit, mammæ lacte repleri incipiunt, & duritie, dolore, ac calore affici cum dorſi & ſcapularum gravitate ac calore, tum puerperia rite fluunt, quod in Putridis rariſſime contingit. *Riverius.*

Communis omnibus Puerperis eſt Febris lactea, quando mulieribus lac transfertur ad mammas, & ibi uberius congeritur, ſupervenit æſtus, donec per blandum ſudorem terminetur: Sæpiſſime die 3. vel 4. ſupervenit, & die ix. ſudore finitur: Obſerva tamen quod hæc febris lactea pro ſubjecti varietate & circumſtantiarum variare ſoleat, ut demum 7. die ſuperveniat: Obſervavi & ſuperveniſſe die nona. *Etmuller.*

89. *Naturæ regimini &c.*) Hæc febris raro ſub curam Medici venit: Attamen optimum eſt ut ſudor blande promoveatur, & lochia ſtimulentur; v. g.

℞. *Antimon diaphor.* ℈ij. *vel* ʒj. *myrrha* ℈ß. *MS. f. Pulvis pro* ij. *doz.*

Beneficium enim ſudoris, & lochiorum fluxus ſolent compeſcere febrem lacteam; Si vero febre ingruente deſint, ſimul anguſtia præcordiorum & difficilis reſpiratio obontur, quia tunc uberius lac turgeſcit in ſanguine: utilis eſt *Emulſio* cum *antimon. diaphor.* v.g. ex *ſemine card. ben. napi cum myrrha*, facile enim evaneſcit; *Etmuller.* Plura vide *l. de Febr.* ex *Williſio.*

90. *Febris ex Lochiorum ſuppreſſione*) Vide ſupra §. *Purgatio imminuta.*

Febres malignæ Puerperarum.

Febres Acutæ Puerperarum *utplurimum ſunt malignæ*, unde pluribus cum reliquis febribus malignis conveniunt, inprimis quoad excretiones cutaneas. In omnibus tamen febribus Acutis Puerperarum ad duo reſpiciendum eſt, 1. Ad lochiorum fluxum, qualis & quantus fuerit. 2. Ad primas vias, & ſuccorum ibidem ſcaturiginem, horumque ibi factam commiſtionem, & ejectionem ex pancreate, choledocho, & glandulis meſenterii, in & poſt labores partus: Cum enim ex menſibus ſuppreſſis hi ſucci alterentur, indeque varia pathemata circa primas vias oriri ſoleant; ob id circa partum eſſe hos ſuccos commotos obſervandum eſt, qualia ſymptomata partum inferant, compaſſionem hyſtericam, an alia pathemata, ad hæc duo inprimis reſpiciendum eſt in morbis malignis puerperarum.

Febres ergo hæ ſuperveniunt Puerperis, &c. *aut* dum recte fluunt lochia, *aut* dum p. n. ſunt ſuppreſſa, *aut* dum naturaliter non amplius fluunt, ſed rite fluxerunt.

Si *ſupprimuntur*, immediate febrilia ſymptomata ſuperveniunt, unde primum erit, ut revocetur lochiorum fluxus per V. S. in talo adminiſtratam, & remedia interna lochia promoventia, corpuſque ad diaphoreſin diſponentia.

Si vero *non amplius fluunt*, recte autem fluxerint, hæ febres malignæ, non ſecus ac aliæ cum excretionibus cutaneis curandæ ſunt, & quidem cum ſint fere ſemper malignæ, imprimis quæ ſuperveniunt rite factæ purgationi, per uterum, ita ut in talibus malignis in ſudoris legitima provocatione primum curationis punctum conſiſtat, tunc cautus ſit Medicus, ne nimis ſudorem promovendo lochiorum fluxum ſiſtat; dum enim ſuperveniunt tales febres convenire ſolent lochia. Sicuti etiam caveat, ne dum lochia fluunt ordinario, hoc ipſo malignitati detur acceſſus ad interiora, quia quæcunque ſanguinis evacuationes in febribus malignis ſunt periculoſæ, unde cum dictæ febres imprimis & frequentiſſime per excretiones cutaneas, ſeu perechiales, ſeu puſtulares, ſeu miliares ſalubri naturæ conatu mitigari obſerventur, obſervet Medicus ne Lochiorum fluxu hunc Naturæ conatum impediat, propterea inter remedia primatum obtinent, quæ & blanda diaphoreſi fermentum malignum removent, & conatum excretorium naturæ promovent, ſimul tamen ſtimulando æqualem lochiorum fluxum conſervant, ne diaphoreſi ſupprimantur.

Si tamen *fluant nimium*, addantur talia quæ blanda vi adſtrictoria lochiorum fluxum nimium ſiſtant, Cum his ergo ſtimulantia addenda ſunt, *ubi lochia ſunt ſuppreſſa*, ubi excellit *myrrha*. Ubi autem fluunt, adſtringentia, ut *terra ſigillata*, & *c.c. uſtum.* Si vero in tali febre penitus ſupprimantur lochia; neceſſe eſt ut fortius & copioſius ſudor moveatur: Remedia ergo ex c.c. item fixa ex *antimonio*, hinc *myrrhata ac ſuccinata*, primatum obtinent; *c.c. ſine igne* præpar. vel *c. c. ſolare.* His adde præter antimonium alia diaphoretica; Nota imprimis *Cinnabarinum antimon.* rite præpar. quæ in Puerperarum morbis malignis maxime proficua: De *ſale volat. ſuccini*, & *ſale volat. c.c.* autem mixtis, & additis fixioribus in pauca quantitate, res nota eſt.

Purgationes quæcunque caute inſtituendæ, quin potius omnino vitandæ, cum etiam Clyſterum applicatio in hiſce febribus, cum excretionibus cutaneis conjunctis, obſervata fuerit periculoſa, unde Medicus mox in principio puerperii, 2. 3. die ubi ſuſpicio eſt imminere morbum malignum, primas vias eluat, v.g. *peſtilentialibus Pilulis Rufi.*

Et *venæ ſectio*, ubi recte fluunt, vel fluxerunt lochia, eſt nociva, Lochiis vero mox in principio ſuppreſſis, ſi ſuperveniat febris maligna, conſideret Medicus habitum ægræ, In plethoricis ſanguineis, juvenculis, ſubinde neceſſe eſt, ut promoveantur lochia venæ ſectione in talo, & impetus ſanguinis inferiora verſus concitetur: applicentur emollientia, ac ſtimulantia externe: Si graviter affligat malum, & corpus ſit ſucculentum, ſubinde præmittatur v. ſ. in brachio, cui ſubjungatur liberior ſanguinis emiſſio è talo; ubi ſaltem in partu aut à partu lochia fluxerint, à V.S. ſuperſedere debet Medicus. *Etmuller, p 54. Pr. p. 3.*

De Purpura Puerperarum.

Speciatim ex omnibus fere apud nos peſſima nota eſt *Febris Purpura mulierum*, Hæc eſt maligna, quæ tamen radicem quodammodo ac fomitem acquirit ex Scorbuto, quia una cum reliquis remediis etiam remedia antiſcorbutica permixta uſurpata promovent inſigniter Purpuræ eruptionem; ſcilicet ad inſtar variolarum duplicia tempora obſervanda ſunt in Purpura, 1. *Tempus ebullitionis.* 2. *tempus excretionis*, In tempore *ebullitionis* conveniunt *remedia efferveſcentes humores compeſcentia*, & *blanda diaphoretica*, quibus 1. *myrrha*, vel parum de *ſale volatili* addendum, poſtmodum, ubi imminet tempus excretionis, ſimpliciter expulſiva conveniunt, v.g. in principio morbi conveniunt *c. c. ſolare*, *bezoart. miner. quæcunque cinnabar. antimon. Sal. volatile c.c.* & *ſuccini*, admixta & in parva dozi exhibita; Cum iſtis partibus conveniunt etiam *ſalia fixa vegetabil. ut card. ben.* v.g.

℞. *C. c. Solar.* ℈j.
Bezoart. miner. cinnabar. antimon. āā. ℈ß. *ſalis volat. c.c.* & *ſuccin.* āā. *gr.* ij. *vel* iij.
Miſce, fiat Pulvis pro ij. *dozibus, Eſt peregregius.*

In progreſſu Purpuræ egregia eſt *Tinctura Corallor. antiſcorbutica*, optime expellit, gr. xxx. vel xl. Loco hujus prodeſt ſequ. mixtura.

℞. *Aquar. ſcord. ſcorzon.* āā. ℥iß.
Spir. cochlear. ʒi. *ad* ʒiß.
Magiſter. corallor. cum ſucco citri, antimon. diaph. āā. ʒß. *ſyr. de ſcordio*, vel *de calendula*, ʒvj. MS.
Da cochleatim.

Ubi incipit apparere, conveniunt Emulſiones ex *ſemin. card. ben. napi, aquilegiæ, citri* & *ſimil.* Vel *myrrha* pro ratione lochiorum, nam hæ Emulſiones potenter expellunt.

Obſerva ut etiam Puerpera calidiſſime tractetur, quia tantillus halitus frigidus facit retrocedere omnem purpuram; unde ſubito difficultas reſpirationis, anxietates præcordiorum, jectigationes, diarrhœa & ſimilia ſuperveniunt, ſpeciatim in purpura alba; Si incipit prurire purpura, & ſub forma ſquammarum decidit, continuentur remedia antiſcorbutica; Sic etiam curantur reliquæ Purpuræ. *Idem pag. 55.*

Purpura Puerperarum.

At cur in *Purpura Puerperarum*, quæ plerumque, imo ſolenniter, ex retentis, & graviter corruptis lochiis primario oritur, laborantibus venæ ſectio præſentiſſimum affert interitum; ac propterea nobis in hoc caſu phlebotomia tantopere eſt maledicta? Nempe natura evidenter imminutis ac ſubtractis armis ſic turbatur, ut malignitas iſtà jam animata, aut viva mortis imago, tam à circumferentia corporis quam diſſitis locis ad vitalia trahatur, atque ita miſeræ mulieres officioſiſſime & canonice occidantur: Idem quoque tunc de clyſteribus; utut mere abſtergentes etiam præſcribantur, ſentiendum eſſe ſerio aſſerimus: *Chr. Langius*: Ut rite mens percipiatur Vide cap. de ſuppreſſione menſium §. *Curatio feſtinanda, quia ſuppreſſio iſta*) ex eodem.

90. *Ex Lochiorum ſuppreſſione*) Tunc ſanguis & vitioſi humores, qui per geſtationes decurſum cumulati ſunt, ad venas majores regurgitant, ibique putreſcunt; & interdum ad hepar, lienem, aliaſque partes feruntur, in iiſque inflammationes excitant: Aut ſi in venis uteri morentur, putredinem concipiunt, atque ita febrem pariunt, etiam in iis fœminis quæ antea inculpata valetudine frui videbantur. *Riverius.*

De Lochiorum colore non naturali, Fœtore, conſiſtentia vitiata, Acrimonia.

Colorem naturalem mutant Lochia, dum magis nigricat vel palleſcit ſanguis tunc profluens: Nigricant ab acido acri copioſius ſanguini admiſto, & à mora in utero facta: Quocirca tum aromaticis, & ſale volatili abundantibus emendandum hoc malum: *Palleſcit* idem ſanguis ob admiſtum ipſi multum ſerum pituitamve copioſam, Sero quæ debeatur cura ſupra diximus: Pituitæ autem corrigendæ debentur medicamenta aromatica; eidemque educendæ phlegmagoga ſæpius exhibenda: Fœtent quandoque Lochia, quod moræ ipſorum adſcribendum.

Promovendus proinde in tempore ipſorum effluxus per aromatica: Quod ſi tantus ſit ipſorum fœtor, ut ipſis puerperis non minus quam adſtantibus moleſtiam creet, corrigendus quoque ſuffitu halituve grato, qualis ex aromatibus ſuaveolentibus, cinnam. caryophill. & ſimilibus, in pulverem redactis, atque affuſo aceto, vinove acidiuſculo in fictili vitrato, aliove vaſe prunis impoſito excitatus. *Conſiſtentiam* mutant Lochia, quoties ſolito fluidiora minuſve fluida exiſtunt: Fluidiora quomodo curanda ſupra dictum: minus fluida curabuntur præſertim ſalibus volatilibus convenienter, h. e. interne & externe uſurpatis: *Acrior* Lochiorum ſanguis temperabitur, imprimis exterius, ſed pinguedine blanda præditis: Lacte tum ſimplici, tum ebutyrato, plantarum emollientium decocto &c. *Sylvius Pr. Med. l. 3. c. 8.*

De differentiis colorum in Lochiis vide cap. præcedenti, §. *poſt partum fluxus*) ex *Etmullero.*

Uxor cujuſdam Mercatoris, expletis menſibus abſque laborioſo nixus puerperio, natura ipſa obſtetricante partum abſolvebat, Circa fœtus excluſionem mirum quid & inſolitum contigit, Conficiebatur enim abſque ulla ſanguinis profuſione: cujus ne guttula in conſpectum venit, ſed loco ipſius Lympha viridis, non abſimilis ſolutioni vitrioli commun. cum aqua ſimplici factæ; præter propter pondere xx. librarum; Lochia conſtituebat; Aqua erat limpida, dulcis; omnis acrimoniæ expers, duravitque ejus fluxus integrum menſem, ſatis copioſus, abſque ullis ſanguinis veſtigio: Neque puerpera hinc male habuit, neque puerperii tempore, neque deinceps: Notandum quod Secundinæ, quanquam dilaceratæ, cultelli acie multoties diſciſſæ nihil ſanguinis, ſed ſimilem liquorem limpidum & aquoſum profuderint. Haſce ob cauſas fœtus non eſt excluſus juſto infirmior, adhuc ſanus ſuperſtes: Hinc evidenter apparet, quam lubrica ſit illorum opinio qui ſuſtinere conantur, Lochia eſſe reſiduam ſanguinis partem pro nutritione & augmento fœtus ad uterum delatam. *Joh. Petr. Albrechtus Med. Sept. vol. 2. p. 111.*

Eum humorem fœtus nutritium, a matre ſuppeditatum, non purpureum illum eſſe, ſanguinis non ſine proprie venientem compertum ſit verum albicantem aliquem & ſeroſum, ſimilem ſeri evacuationem ex oſcillis uterinis hic contigiſſe: Et cum ſanguis puerperis à partu recenter extillans non aliam originem agnoſcat, quam vaſorum ſanguineorum in uteri ſubſtantia radices agentium, à prægreſſo enitendi conatu, ſive uteri forti commotione, & hinc ſubſequente placentæ ſeparatione violentam reſerationem; in hoc autem caſu abſque laborioſo nixu puerperium ſucceſſerit, & ita oſcula vaſorum ſanguifluorum non dilacerata fuerint, porulos iſtos, qui liquorem nutritium graviditatis tempore ex arteriis uterinis in placentam derivaverant, ulteriorem ſaltem ſeri iſtius à ſanguine ſeparati fluxum conceſſiſſe, craſſioribus autem cruoris particulis exitum denegaſſe, foret credibile, niſi & ipſa placenta diſciſſa ſanguinis loco ſimilem aquoſum liquorem ſuppeditaſſet; Unde potius in hoc ſubjecto ipſi ſanguini tincturam purpuream omnino defuiſſe dicendum erit; Qualem rubedine deſtitutum ſanguinem in aliis quoque deprehenſum fuiſſe novimus, Vide *Rhodium cap. 3. obſerv. 36. Borellum centur. 1. hiſtor. 25.* & alios. *Idem*, vide plura ibidem.

91. *In cujus cura nota*) Curatio harum febrium, ab aliarum curationibus non differt, niſi circa magna remedia, *venæ ſectionem* ſcil. & *purgationem*, in quarum adminiſtratione non exigua eſt difficultas, quam tamen ſic diluimus: Quod ad Venæ ſectionem ſpectat, tanta eſt authorum diſſenſio, propter pugnantes invicem diſſenſiones, ut vix duo reperiantur, qui in eandem omnino ſententiam coeant, Nos eam quæ in uſu practico melius ſuccedit, omiſſis ambagibus ſequentibus theorematis proponemus.

Morbus Acutus puerperam aggreditur, vel initio Puerperii, vel in medio, vel in fine: Si contingit *in principio*, & mulier copioſe purgetur, nulla alia via tentanda eſt, quam ſanguinis evacuatio quæ à Natura recte & convenienter operante dirigitur: Si vero Lochiorum

chiorum expurgatio ſupprimatur, aut minuatur, ſecentur venæ inferiores, & copioſe ſanguis mittatur, quoniam tunc temporis copioſa eſſe debet, ex Naturæ præſcripto. Lochiorum evacuatio.

Si *medio tempore* morbus acutus ſuperveniat, conſiderandum 1. an materia morbifica in uno loco particulari contineatur, & conculcetur, an ſit per venas diſperſa; 2. An mulier convenienti expurgetur menſura an non.

Si morbus fiat à materia ſparſa, ut in febribus, & mulier non perfecte purgetur, venæ inferiores aperiendæ ſunt; quia & materia morbifica minuetur, & naturalis fluxus provocabitur; Si vero mulier ſufficienter expurgetur, morbuſque invaleſcat, nec evacuatio naturalis morbo ſatisfaciat, venæ inferiores etiam aperiendæ ſunt, tantumque detrahendum ut ex duabus evacuationibus perficiatur quod morbus exigit, ut docet *Galenus* 9. m.m. c.5.

Si febris admodum intenſa, magnumque incendium adfuerit, id fiat quod in morbo à materia particulari conculcata, & putreſcente agendum eſſe jam monſtraturi ſumus.

In *morbo acuto* particulari, ut pleuritide, peripneumonia, angina & ſimilibus, advertendum eſt an fluxio tantum fieri incipiat, ita ut morbus ſit tantum imminens, vel incipiens, & perexigua ſanguinis quantitas in parte collecta ſit, Tum enim venæ inferiores aperiendæ ſunt, ut revulſione facta ad oppoſita diſtantiſſima, præpoſterus ille humorum motus inhibeatur, Si vero jam bona ex parte fluxio facta ſit, & inflammatio genita, eaque valde urgeat, ſive mulier expurgetur ſufficienter, ſive non, ſtatim venæ ſuperiores aperiendæ ſunt è directo partis affectæ; quia talis evacuatio à parte affecta ſanguinem educit; At ſi venæ inferiores aperiantur, quæ nec proximæ ſunt parti affectæ, nec ab ea evacuare poſſunt, & virtus ab evacuatione labefactabitur, & materia in loco particulari conculcata non minuetur; Atque ita vel totum fere ſanguinem educes, ad revellendam materiam morbificam à parte affecta, vel prius mulier à morbo perimetur quam facta fuerit revulſio ſufficiens; Neque metuendum eſt miſſo ſanguine à partibus ſuperioribus ne retrahatur ſanguis ab utero, quia in illis caſibus partes ſuperiores ſanguine abundant, Et quamvis multus extrahatur, non ita inaniuntur venæ, ut aliunde novum ſanguinem attrahere cogantur: Ad majorem tamen cautelam, non erit inutile antequam ſanguis mittatur frictiones celebrare in cruribus, & conſequenter ligaturas dolorificas facere in medio ipſorum, quæ detineantur donec miſſus fuerit ſanguis, & paulo poſt venæ ſectionem ſolvantur, ac ſubinde cucurbitulas iiſdem partibus applicare, vel ſaltem frictiones repetere: Hinc habere poterimus materiæ peccantis eductionem, & naturalis fluxus conſervationem.

Idem faciendum eſt in febribus ardentibus & vehementibus: quia licet materia ſit ſparſa, attamen incendium tantum eſt circa cor & viſcera, ut minoris & longinquæ venæ apertione non ita extingui poſſit, ſicut proximi & majoris, qualis eſt baſilica.

Hæc curandi methodus non ſolum in puerperis, ſed etiam in reliquis mulieribus morbo acuto correptis, & menſtruas purgationes patientibus obſervari poteſt.

Si in fine Puerperii morbus acutus ingruat, idem agendum eſt ut in medio, iiſdem conditionibus obſervatis: hoc animadverſo ut quo magis diſtat mulier à principio, eo tutius venæ ſuperiores aperiri valeant: quo autem, illa vicinior eſt, etiam medio tempore, id ipſum majori cum præmeditatione exequamur; Et ſi morbus non inſtet, neque urgeat, illius acuties, ac naturalis expurgatio copioſa fuerit, prorſus abſtineamus: Si vero purgatio fuerit imminuta, venas inferiores ad ſupplementum debitæ quantitatis ſecabimus: Si tamen oppoſitum contigerit, ſervetur id quod urgente acuto morbo agendum eſſe diximus; *Riverius.* De Purgatione vide §. *An purgari debeant.)*

91. *In cujus cura nota*) Si lochia ſuppreſſa inferant febres benignas, ardentes, comitatas cum pleuritide & anguſtiis, præmiſſa venę ſectione in pede, mox uſurpentur quæ ſanguinis grumos prompte diſſolvunt, & effuſo ſudore ſanguinem ſtagnantem in debitum circuitum revocare poſſunt; Subinde lochia ſtimulantia, ut *myrrham, caſtoreum, ſpermaceti* ſubjicienda ſunt. *Etmuller.*

92. *Ex vitioſorum humorum apparatu*) Si rite fluentibus lochiis Febris oriatur, illa vel ex bilioſo humorum apparatu, vel ex Diætæ erroribus provenit: Pravi humores ex Partus laboribus, ac doloribus agitati, calorem & putredinem facile concipiunt, febremque excitant.

Diætæ errores variis modis contingere poſſunt; Ac primum in victu, in quo Puerperæ plurimum peccare ſolent, pluribus & copioſis ferculis ſeſe ingurgitantes quæ ſufficienter concoqui non poſſunt, & in corpore putredinem contrahunt.

Alter error committitur dum puerperæ frigido aëri ſeſe imprudenter exponunt, præcipue urgente febre ex lacte, quæ per ſudores & diaphoreſin ſolvi conſuevit; à frigore autem ambientis incaute admiſſo, diaphoreſis impeditur, unde fit ut febris illa, quæ per ſe ſalutaris erat, & paucis diebus deſitura, in putridam periculoſam mutetur.

Eſt & alia cauſa ſatis frequens Febris Puerperarum, cum videlicet Secundinæ integræ non excluduntur, ſed quædam illius portio intus remanet: Id potiſſimum contingit in hepate uterino, cujus portio interdum utero annexa relinquitur, eaque putreſcit, unde Lochia vireſcentia, male olentia, cadaveroſa promanant: & niſi intra paucos dies ab utero ſeparetur & excludatur, in magnum vitæ diſcrimen ægram præcipitat, cum ipſi utero ſphacelismum inducere valeat: *Prognoſis* harum febrium in eo tantum differt à prognoſi ſimilium febrium quæ non puerperis contingunt, quod ex partus laboribus vires ſunt magis dejectæ; & ex ſuppreſſione lochiorum major eſt in venis humorum redundantia, & utrinque majus impendet periculum.

Ad Prognoſin etiam facit, & criſes inprimis prævidendas, celebris illa quæſtio, *An computatio dierum morbi debeat fieri à principio morbi, an à die partus?* Paucis ſic decidenda eſt, Si partus fuerit naturalis, nullis gravibus ſymptomatis comitatus, & lochia optime procedant, febris vero poſt aliquot dies accedat, computatio non debet fieri à die partus, ſed à die febris; quæ ab aliqua alia cauſa, eaque p. n. fuit concitata, nempe humoribus pravis intus latentibus, vel ab aliqua cauſa externa.

Si vero partus fuerit difficilis & p.n. febris vero poſt tres aut quatuor dies oriatur, computandum eſt à die partus, quia tunc cœpit totius corporis œconomia everti, humorumque perturbatio fieri, quam deinceps febris conſequitur: Sic in gravibus vulneribus, capitis præſertim, licet febris non invadat niſi poſt quartum vel quintum diem, computatio tamen fieri ſolet à die accepti vulneris, quia tunc temporis humores commoveri inceperunt, & ad febrem diſponi. *Riverius.*

93. *An purgari debeant*) Purgationis uſus in Puer-

peris morbo acuto correptis, ſequentibus concludetur theorematis: Dum Lochia naturaliter profluunt, nunquam purgatio adminiſtranda eſt, periculum enim ne ab opere ſuo Natura avertatur (*nunquam enim recte agens diſtrahenda ab opere, non quia cathartica vim fluxum uterinum ſiſtendi habeant, cum pleraque illum irritare experientia conſtet*) Si vero Puerperia præter naturam ſe habeant, videndum qualitate peccent an quantitate: Si *quantitate*, eaque imminuta, & mulier vel omnino nihil vel inſufficienter purgetur, poſtquam omnia promovendis purgamentis idonea fruſtra uſurpata ſunt, & materia morbifica concocta apparet, tranſactis viij. x. vel xij. diebus à partu, juxta majorem aut minorem morbi urgentiam, leviori pharmaco purgatio inſtitui poterit, à vehementioribus prorſus abſtinendo: Si Lochia *qualitate* peccent, ita ut fluxio albida vel alius coloris non naturalis prodierit; cocta materia exiſtente, ultimo puerperii tempore, tuto Purgatio dabitur, In genere ſemper notandum, quo longius puerpera diſtat à die partus, eo diutius purgans poſſe exhiberi, & contra, Nam experientia docuit mulieres, purgamentorum ſuppreſſione laborantes, ſi poſt 7. aut 9. diem alvi fluxu corripiantur, utplurimum liberari; Si vero primis diebus, vid. 1. 2. vel 3. utplurimum interire. *Riverius.*

94. *Alterantia quæ fluxum cohibent, ne frigida, acida*) Ad Sitim tollendam in febribus acutis *acida* nimia non bene conveniunt, quia periculum hic eſt ne refluxum lochiorum ſiſtant; ſimulque acida utero membranoſo & læſo ſint hoſtilia; potius ergo temperata, ſubacida: In caſu majoris æſtus *ſpir. ſalis dulcis* infuſa blanda acida ſunt convenientiſſima, v. g. in febribus malignis puerperarum.

℞. *C. c. ſine igne, cinnabar. antimon. rite parati, antimonii diaphor.* āā. *gr.* xiv.

Myrrhæ el. gr. xii. *MS.* pro ij. dozibus, Propina in quocunque vehiculo, Aut ubi ſuſpicio adeſt anguſtiæ præcordiorum in hyſtericis ut *aqua hirund. cum caſtor.* Sic etiam in ſiti nimia.

℞. *Flor violar. cyani, aquileg.* āā. *m.* ß. *infundantur in ſ. q. aqu. card. ben. aciduletur cum pauco ſpir. ſulphur.* ſtent in loco tepido ad extractionem tincturæ, tunc.

℞. *Colaturam, adde ſyr. berberum, de ſcordio, artemiſ.* āā. *q. ſ.* ad ſuavem & nonnihil dulcem ſaporem, qui nec nimis acidus, nec nimis dulcis ſit. *Etmuller.*

De ſuperfœtatione.

95. *Superfœtationem*) Superfœtatio nihil aliud eſt quam iterata Conceptio, quæ accidit cum mulier jam prægnans uterum concipit, At non parva lis eſt, Num ſcilicet mulier quæ uno partu duos aut plures fœtus excludit, uno coitu, aut pluribus illos genuerit, *Seneca lib. 7. cap. 1.* rem hanc reponit inter eas quæ maxime cognitionem effugiunt, non minus quam Oceani æſtus: Revera quotidie canes, feles, ſcrophas, cuniculos plures fœtus parere conſpicimus, etiamſi marem ſemel tantum admiſerint; unde colligere licet idem in muliere accidere, Alii volunt id ſuperfœtationis ratione fieri; ſed quibuſdam ex indiciis differentia innoteſcit, quorum ope diſcere licet num gemelli uno coitu geniti fuerint, an ſucceſſive.

Ratio quæ plurimis perſuadet impoſſibilem eſſe Superfœtationem, hæc eſt, quod protinus ac mulier concepit, uterus ſe conſtringit & comprimit exactiſſime quare deinceps ſperma maſculinum, ad conceptionem omnino requiſitum, aditu denegato (ex eorum mente) neque excipi neque contineri poteſt, unde ſuccedere nequeat iterata iſta conceptio: Adde quod mulier prægnans proprium ſemen effundat non minus quam maſculinum neceſſarium emittit per vas in extremitatem orificii interni; quo mediante in vaginam effunditur, non in uteri fundum, quod alias fieri deberet ad ſuperfœtationem.

Ad has objectiones reſpondetur, revera quidem uterum accuratiſſime claudi & conſtringi conceptione facta, ac præterea mulierem tunc temporis ſemen proprium per aliud vas emittere, regulam tamen hanc generalem pati aliquas exceptiones, & uterum dicto modo conſtrictum aliquando recludi tranſmittendorum cauſa quarundam excrementorum ſeroſorum & glutinoſorum, mora ſua noxam parientium, vel præſertim hiare cum œſtro libidinis titillatur mulier, tum in amplexu venereo nonnunquam ſemen effundit per meatum ad fundum uteri pertingentem, qui expanditur & aperitur à vehementi ſeminis impetu, plus ſolito exagitati & æſtuantis; ideoque tantiſper recluſo dicto orificio, ſi ſemen virile hoc momento ejaculatum fuerit, veriſimile eſt mulierem tunc iterato poſſe concipere; quæ iterata conceptio ſuperfœtatio vocatur: Exempla vide apud *Plinium* N. H. l. 11. c. 7. de ancilla quæ cum una eadem die concubitum cum duobus habuiſſet, binos peperit, alterum hero ſimilem, alterum ſervo: meminit Idem mulieris quæ duos genuit, unum maritum, alterum adulterum referentem: Et iterum mulieris quæ cum ſtatuto tempore peperiſſet, poſt bimeſtre & alium edidit: Atque alterius, quæ poſt abortum ſeptimo menſe factum, gemellos tranſacto bimeſtri genuit; quæ exempla ab *Ariſtotele* mutuatus eſt, adducta *l. 7. c. 4. H. Anim.*

Repetita iſta conceptio non minus rara eſt quam cauſæ cognitio incerta eſt; quamobrem credendum non eſt quoties mulieres uno partu plures edunt fœtus, id per ſuperfœtationem accidiſſe; unus enim idemque concubitus ſufficit, ex abundantia utriuſque ſeminis, quod nonnunquam in utero dividitur; ſi quidem ejaculatio non uno ictu perficitur, ſed per repetitas vices: *Dicendum potius ex Neotericorum mente, duo vel plura ova ex ovario muliebri excuti, quæ ſemine virili accedente fœcundentur, ut fit in multiparis.*)

Neque præterea credendum ſuperfœtationem quovis imprægnationis tempore accidere poſſe, ſi enim accidat, illa neque primo neque altero conceptionis die fieri poteſt, quia à ſeminis recentis in uterum ingreſſu confuſio & commixtio cum priori ſuccederet, quod non nondum pellicula inveſtitum eſt, quæ ſexto demum aut ſeptimo die efformatur, per quam diſtingueretur, cujuſmodi vidit *Hippocrates in* pſaltria, de qua *lib. de Nat. Pu.* quæ dicto tempore genituram effudit, Adde quod ab iſta recluſione uteri prioris ſeminis effluxus contingeret, notidum obvoluti membranula ipſum defendentis.

Quamobrem in ea ſum opinione hiſtoriam à *Plinio* enarratam aliam cauſam habere, atque ideo binos peperiſſe, quia cum duobus viris eadem die concubuerit, quia ultimus concumbens proculdubio ſeminum dictam confuſionem induxiſſet, opuſque inchoatum deſtruxiſſet: Sed ex mea ſententia, ſi ſuperfœtatio nonnunquam contingat, ea tantummodo fieri debet à ſexto conceptionis die, vel circiter, ad triceſimum uſque ad ſummum; quia tunc temporis ſemina membranulis inveſtita ſunt; fœtus autem utero contentus nondum magnitudinem inſignem adeptus eſt; Tranſacto autem dicto tempore, id impoſſibile eſt, aut ſaltem admodum res difficilis; quia cum uterus paulatim in dies repleatur, vix recens ſemen admittere poteſt, quod neque continere valeret, ac prohibere ne præ plenitudine excideret.

Imo, quod me maxime inducit ut ſuperfœtationem plane impoſſibilem credam, iſtud eſt, videlicet quod uterus tam arcte ſemper amplectitur quicquid in ſe continet, ut nihil plane vacuum in ejus capacitate occurrat, etiam ſi id omnino ſit præter naturam.

Hippocrates lib. de ſuperfœt. innuere videtur modum dignoſcendi, num gemelli ſint, hoc eſt, num uno eodemque coitu producti ſint; an geniti per ſuperfœtationem, cum ait, *Quæ gemellos geſtat, eadem die parit, velut* concipit; At idipſum perpetuæ veritati non eſt: Nihilominus exinde Gemelli eſſe cenſentur, quod ambo ejuſdem fere ſint magnitudinis, unaque & communi fruantur ſecundina, neque ab invicem ſeparentur niſi beneficio propriæ membranæ utrumque cum aquis concludentis: Neque enim uterque una eademque membrana includitur, eidemque aquæ innatant, id quod nonnulli perperam credunt; Sed ſi plures adfuerint fœtus, factaque ſuperfœtatio, revera quidem per membranas ſecernentur, at carebunt membrana communi, ſed unuſquiſque fœtus proprio involucro gaudebit, neque ejuſdem futuri ſunt magnitudinis; quia is qui per ſuperfœtationem genitus fuerit multo minor futurus eſt ac debilior primogenito, qui robore fretus maximam alimenti ad ſe partem attraxerit; id quod nobis conſpicere datur in fructibus elegantibus & majoribus, qui juxta ſe minimos habent, quaſi abortivos, eo quod qui primus efformatus eſt, nutrimentum reliquis præripit: Nonnunquam tamen accidit Gemellos diſparis eſſe magnitudinis, id quod contingit ob inæqualitatem roboris, propter quod unus vel alter plus alimenti attrahit.

Ante decennium circiter adfui partui mulieris legitimo tempore parientis, ex cujus utero eduxi puellam craſſam viventem, pedes arripiens, depravato enim illo ſitu ſe offerebat; poſtmodum ſecundinam educturus una eduxi alterum fœtum, marem mortuum, duplo minorem dicta filia, qui reſpectu magnitudinis quadrimeſtris aut quinquemeſtris eſſe videbatur, etſi uterque unius concubitus progenies eſſet, id quod dignoſcere licebat quod unica involverentur tunica, utrique communi, quæ vetiſſima & legitima eſt nota, ſicuti diximus; qui poſtremus fœtus adeo parvus eſt, ut ſimul & ſemel ipſum eduxerim una cum ſecundina, propriisque membranis adhuc involutum, quas illico diſſecui ut de vita conſtaret, ſed jam pridem mortuum eſſe oſtendebat ipſius corruptio.

Nequaquam tamen Superfœtationem omnino in dubium revocaverim, at rariſſimam eſſe exiſtimo, nam maxima pars earum quæ Gemellos pariunt, unicam emittunt ſecundinam, utrique communem; unde certiſſime colligere licet Superfœtationem hic non adfuiſſe, Idque ſignum multo certius iis indiciis quæ ducuntur ex magnitudine & robore infantium, quæ pro conjecturis tantum habenda ſunt; Adde quod poſſibile eſt Gemellos præterea propria inveſtiri membrana, ab alterius omnino diſtincta, non minus quam corpore ſejunguntur ab invicem: quamobrem ſignum iſtud, cum ſit æquivocum, rem certo comprobare nequit.

Ex his colligo penes fœminam eſſe ſuper fœtationem declinare, ſi à concubitu prioribus menſibus, facta conceptione abſtineat. In illius autem poteſtate non eſſe ut gemellos non pariat. *Mauriceau de morb. Gran. lib. 1. cap. 9.* De ſuperfœtatione quædam vide ubi de Conceptione læſa.

**. *Habes apud Bartholinum &c.*) Mira ſuperfœtatio in *Venda*, urbe Livoniæ, mulieri honeſtæ supervenit, ſeculo ſuperiori, uterum primo conceperat, & inſtantibus partus legitimi doloribus nihil enixa eſt, Anno ſequenti uterum gravida juſto puerperii tempore maſculum edidit: Anno demum inſequente morbo correpta primum conceptum excluſit, ſed per partes, & oſſibus per vices exeuntibus, &c.

Difficile dictu eſt ubi prior conceptus delituerit in ſuperfœtatione ſequenti: Qui uterum humanum bipartitum credunt facilius ſe expedient; Rara vero eſt ea uteri fabrica, in homine, quæ in brutis, ubi quia plures fœtus generant, per cellulas diſtinguitur uterus: Talem tamen uteri conformationem obſervavit *Ioh. Bauhinus* Lugduni in quadam puella, anno 1565. An vero duplicatus in hac muliere Vendenſe fuerit uterus ignoramus quia poſt mortem diſſecta non fuit: Non ſane neceſſarium id exiſtimo ſiquidem in ſuperfœtationibus, quando interjecto tempore & conceptus ſit & partus, ſinguli fœtus ſuis membranis includuntur, uterique loco ſeparato adhærent, ut excludi unus poſſit remanente altero, ſecus ac contingit in gemellorum partu, qui ſola membrana acquieſcunt, unoque loco juncti includuntur.

Forſan prior conceptus in Tuba uteri delituit, poſterior vero in utero, unde prius in lucem prodiit, Nam in tuba uteri conceptus quoque factos variis exemplis notum.

Impeditus prioris partus fuerat, ſive matris imbecillitate, ſive fœtus ipſius, ſive arctioribus vinculis, ſive denique membranarum circumvolventium robore, quæ inſtante partus tempore diſrumpi non potuerunt; unde accedente ſive putredine, ſive intemperie calida ſiccaque, abſumpta caro nuda oſſa reliquit in utero, ſequenti demum anno excluſa ob auctam membranæ exſiccationem, & diſruptam, roburque matris auctum.

97. *Fœtum alio in abdomine prægnantem*) *Hiſtoria extat cent. vi hiſtor. 100.* Pluſculis abhinc annis in oppido Fionia Atiſuentzloff prope Neoburgum, Iohanna, uxor coloni *Nic. Petri* parturientis dolores aliquot dies experta, parere non potuit, quanquam binas obſtetrices plebeias ſibi præſentes habuerit, unde tertiam ex vicinia majoris famæ & experientiæ, nomine *Siſſeliam* advocavit, quæ magna difficultate tantum tandem promovit, ut onere ventris prægnans levaretur, & à morte vindicaretur, ſed fœtu mortuo ſegnioris ſexus excluſo.

Dum cadaver hujus ab Obſtetrice hac & matre Puerperæ ablueretur, & ad ſepulturam præpararetur, mirantur tumidum fœtus ventrem, in quo ad tactum videbatur quaſi oſſeum quid deliteſcere, unde conſilio inito, parvo cultello avia aperuit ventrem, & mirum dictu inventus in fœtu alius fœtus ſexus fœminini, in loco conſueto ſitus, perfectus omnibus membris, circiter ſpithamam longus, unguibus & pilis donatus, ad morem fœtus perfecti, & ſicut prior fœtus ex matre editus, livebat, & caro ejus nigricabat, quemadmodum fœtus mortui ſolent; ita hic minor fœtus candicabat, & carne ſana præditus erat, ut ex omnibus indiciis concluderet avia vitalem fuiſſe. Nec deerant huic ſecundæ, quibus in embryonis utero alligabatur.

Hæc ſancta fide aſſeveravit, & juramento confirmavit obſtetrix *Siſſelia*, nuperque actæ rei ſeriem enarravit Soræ in præſentia Per Illuſtris præſidis Academiæ Soranæ Dom. *Georgii Roſecrantzii*, rerum medicarum valde periti, & Illuſtris &c.

Si meæ conjecturæ locus, exiſtimo Gemellas hic molitam eſſe naturam, ſed errore quodam alteram in alterius abdomen inducta cuticula detruſam. &c. *Bart. l.c.*

Appendix ad §. 7. pag. 275. poſt lin. 21.

Recte *Sennertus* gravidarum teſtimonium reclamat, motus illius inſignis certior ut fiat, nulla enim potiori

diſquiſitione id aſſequi datur ipſæ igitur utero gerentes rerum quæ in imis ſuis præcordiis, fidiſſimæ nobis ſint internuntiæ: Percunctemur omnes ad unam, fidejubebit nulla fœtum ſuum incompoſitius molitari ſeptimo quam reliqua à media geſtationis tempore intercapedine: Sed ſi is motus tantus eſt fœtum ut enecet, qui obtingit, ut matres ipſas lateat nobiſque ſtantes ex adverſo, id ſecreti norint unici? annon fictitiis nobis illudere ſatagunt? nam ſimul ac fœtus compagem ſuam compleram, 3. vel 4. menſe valentiorem adeptus eſt moveri & calcitrare geſtit, juxta robur quod nanciſcitur &c.

Aliquem itaque motum ſeptimo fieri ultimo cedimus, ſed cum ſeptimo addictum, & peculiare conameu eſſe ad egreſſum conſtanter inficiamur; Natura enim nihil facit fruſtra, nil ſibi in perniciem cudit, nec ſibi ipſi malum cacat, ſed quicquid molitur, finis gratia bonique molitur, Cur igitur qui natura Octimeſtris vel Nonimeſtris eſt, definitum ſibi tempus prævertens, ſponte ſua exitum tentat ſeptimo, in idque valentiſſime colluctatur? Si enim conatu excidit, & fruſtraneam egreſſionem aggreſſus eſt, ejuſque rectrix natura, quæ conſilio quaſi ducitur, laboravit incaſſum: Si vero prodit in lucem moriturus, illico prodit, utpote infra maturitatem ortus; ejus itaque ab utero ſeceſſio, à naturæ tramite deviatet, ac conſequenter natura præter naturam ageret, quod contradictum evidens involvit.

Dixerim aliter, Si 7. movetur, aut maturus aut immaturus movetur; Si maturus indubie exit ſeptimeſtris, & vitalis, fruſtra enim, imo noxie, maturatum eum exitu interdiceret Natura, auſpicatum ejus nonum in menſem protollens adventum: Si immaturus, cur, denuo inſtem; natura movet, cumque, curve cum ejicere nititur, quem ſemel admiſſum ſinu debet & ulteriore & interiore fovere: Annon inſuper rari ſunt ſeptimeſtres, ſeptimo ergo rarenter tentant exitum, abhorret enim Natura ſine fruſtrari toties, Si rari exitum tentant, pauci ergo peribunt octimeſtres cum pauci hanc ſecum necis ſuæ circumferant cauſam, effœtas ſcilicet vires atque profuſas, in conamine illo caſſo quod fingunt. Conficiamus ergo ſeptimi motum minime deflectere ab alterius temporis intermedii motu; totius enim geſtationis decurſu ſuis motibus infans jactatur in auras modo plenius, atque tumidius, modo compreſſius atque ſubmiſſius &c.

At tantum abeſt ut ab eo enervetur motu, quæ converſio levis eſt, quin eum viribus firmat & auget, nam operatio potentiæ perfectior eſt, Igitur ubi primum à natura conceſſa eſt motiva facultas, ſingulis non modo menſibus, ſed & ſeptimanis, & diebus ac horis movetur fœtus, hocque motu ſuo, quam nactus eſt perficit potentiam, eandemque iteratis actibus roborat, habitum inde vegetiorem ut contrahat, &c.

Sed demus fœtum omnem à motu ſeptimi aliqualem incurrere calamitatem, & tempore egere ut recreetur, an idcirco hæc noxa uſque infeſta erit ut omnes ex æquo perimat? nonnequis vivacior cæteris, impendentia damna ſecurus declinans, vires citius reſumens, octavo menſe vividiore ac ſpontaneo niſu viam ſibi ſternet, ut in mundum exeat?

Inſuper his, motus etſi quietem expoſcat, an illico xl. dies exiguntur ad vires reſocillandas: undenam, amabo, hunc præciſe numerum ex [illegible] ſunt &c. Rurſus ſi quadragenario integro egent vires ut collapſas reſtaurent, vel eos tamdiu quieſcere quamdiu hæc

dulcia ſollicitæ geſtabunt pignora matres.

quod experient[illegible] num eſt; aut ſi moveantur denuo, cum in dies ſingulos validioribus cieantur motibus, conſequens erit ut vel hiſce identidem ingruentibus damnis obruti ſuccumbant, vel novos in æternum xl. dies ad ſui redintegrationem exigant.

His auctarium adjiciam, Omnes ſeptimeſtres debere perimi, quia ipſis attritis ac ſeminecibus, ut ajunt, novus acceſſit labor, partus nempe: cui ferendo impares occumbent; priori enim ſua calamitate ægerrime depulſa, graviori hac inſurgente nullo negotio delerentur, Alias falſo ſupponunt motum eum, qui fit menſe 7. uſque enervare fœtum ut toto quadragenario ſole egeat ſuas vires ut reſtauret, ut partus labores ſuſtinere queat.

Adde his, fœminis mares citius formari citius moveri, citius edi, (*Hippocr. de nat. Pu.* At fœmellæ complures initio noni vitales pariuntur, multi igitur mares exeunte octavo; vel appetente nono orientes vita potientur, Nam cum ex loco adducto, motus fœminæ tardior ſit motu maris, dies circiter ſex, ſi tempus partus ſit triplum tempus motus, & fœmina naſcatur vel ineunte vel medio nono, vitæ longævæ, quidni & mas in octavo naſcetur longævus?

Adverte tandem *Coum*, omnes ab illo ſeptimi motu male affici minime cenſuiſſe, nam quicunque ægrotat, *inquit lib. περὶ γονῆς, τὴν ἰσχὺν ἑαυτῶ νοσέει*, Ergo qui nunquam ægrotatum ſeptimo vivent Octimeſtres: Vivet & qui ægrotavit, *ἢν μὴ σφοδρῶς νοσήσῃ, l. περὶ ἑπτάμ.* ſed pro virium modulo ſicque à morbo ſuo cito liber, integra virtute ſibi radicali, vivaciſſimus prodibit octavo &c.

Octimeſtres vitales eſſe ſtatuo quidem, verum Nonimeſtribus prærogativam cedo, Sed *iterum* Octimeſtres ob oculos ponendo, **Eſſentiales alios*, ſeu *ſpontaneos*, *& per ſe*, qui nempe ſemine, quod ſponte ſua (modo extrinſeci nihil contigerit) octavo menſe matureſcit, ſati ſunt, *Accidentales* alios, ſeu *ſymptomaticos*, *& ex eventu*, ſeu *à caſu*, qui nimirum ob vim externam interturbatæ naturæ fœtutæ ſunt, ac ante tempus à natura præſcriptum, impulſore male proſpero, præmature depulſi.

Fide igitur indubitata, partus omnis à ſanis vegetiſque parentibus prognatus, ſeſe octavo, unius naturæ inſtigatione pellens in lucem, ſalvus & incolumis reputetur, quantum ſcil. ſpectat ad vitæ vitalitatis à partione ſoboleſcentem; nam aliunde quid vetat ipſum concedere fatis pari infortunio ac ſeptimeſtres, Nonimeſtres & ipſi, De his ſpontaneis Octimeſtribus priora feliciaque & fauſta Scriptorum placita leguntur.

At ubi contraria vice, criminoſoque eventu regularis ſtataque partio diſturbatur, quid mirum interruptæ ac violatę naturæ motum octavo intercidere: Intercidit & univerſe nec uſpiam ſoſpitatur vi ejectus. De his præcipue poſteriora, damnoſaque & peremptoria in miſellos Octimeſtres à morte redimendos decreta promulgantur: Qui itaque ex ſe, & intrinſece nono naſciturus eſt, aliunde & extrinſece octavo ſi patitur, inauſpicato & ominoſe patitur; at quilibet 8. naſcens, à principio ſibi intrinſeco, omnibus externis longe ſemotis, fauſto partu, ſanitate ſarta tectaq; excluditur. *Car. Drelincurtius* Quæſt. med. An Partus Octimeſtr. ſit vitalis.

Ibidem Pythagoricos numeros rejicit, Aſtrologica argumenta diluit, & de Saturno fictitia diluit. Priſcorum Medicorum ſententias diverſas excutit, ac tandem *Hippocratem* partim excuſat, partim accuſat, *Galenumque* in ſuas partes pellicit.

Appendix ad præſens Caput.

Uteri conſtitutio in graviditate.

Plerique Anatomici, iique celeberrimi, cum plurimis aliis, aſſerunt uterum (mira naturæ ſolertia) eo craſſiorem fieri quo plus expanditur & dilatatur, à conceptionis die ad tempus uſq; partus: Sed ſumme demiror

Lau-

Laurentium, *Riolanum*, *Bartholinum*, Anatomes præclara lumina, adeo hac in re cæcutiiſſe vt falſitatem illius non deprehenderint; At quiſquis ad rem attentus fuerit facile contrarium animadvertet; illud enim pro comperto habendum quo plus extenditur in graviditate vterus eo magis hunc attenuari & gracileſcere; nam (vt optime adnotat *Galenus cap. 8. l. de Diſſect. vteri*) craſſities vteri abſumitur præ nimia extenſione, quamobrem tunc temporis admodum debilis eſt, En eius verba, *Iam vero vulva* in principio *conceptus craſſa cum prope pariendi tempus accidit, maior quidem ſed tenuis evadit, craſſitudo enim in longitudinem extenſa abſumitur, in reliquo intercedente tempore pro ratione magnitudinis craſſitudinem habet* (Et cap. 14. l. 14. de vſu part. eadem repetit. *Tenuiſſima enim omnino matrices ſunt quo tempore gerunt, nempe quod profunditas in longitudinem ſit abſumpta* idem ſentiunt *Avicenna*, *Aetius*, *Veſalius*, *c. Stephanus* & quidem iure merito, ſiquidem idem accidit vtero quod veſicæ vrinariæ, quæ quamvis ſemi digiti tranſverſi craſſitiem nobis exhibeat vacua & inanis, craſſitiem illam exuit pro ratione affluentis lotij expanditur, aut aëris inſufflati, adeo vt ad ſummum impleta & extenſa adeo tenuis evadat vt pelluciditatem acquirat, quæ poſtmodum cum depletur, craſſitiem priorem inducit in ſeipſam contracta: vterus itidem, qui admodum craſſus, vacuus exiſtens, paulatim craſſitiem illam deponit prout impletur ac extenditur in graviditate, & ad tantam tenuitatem perducitur tota ſui circumferentia, vt poſtremis menſibus ad ſimilem propemodum, quam veſica obtinet extenſa perveniat, excepta ſolum ea parte cui ſecundina adhæret, ibi enim loci revera paulo craſſior eſt ac magis ſpongioſa; at vero illico à partu priſtinam craſſitudinem reſumit; membranarum propriarum contractione & conſtrictione, admodum per graviditatem expanſarum; quin & illo tempore magis quam cæteris craſſior apparet, quia tunc, vt dixi, plurimis humoribus imbutus eſt, qui paulatim & ſenſim effluunt, ſed poſtmodum priorem craſſitudinem ſervat,

Decepti porro fuere quicunque tradidere vterum in prægnatione eo craſſiorem fieri quo magis dilatatur, 1°. quia fidem adhibuerunt authoribus id ſentientibus ic probe non perpenſa, 2. erroris fundamentum fit quod apertis cadaveribus mulierum ſtatim à partu mortuarum, ſemper ab illis revera deprehenſa, vteri ſubſtantia, vnum aut duos tranſverſos digitos craſſa; ac rurſus ex anatome earum quæ ante partum obierunt, idem ab ipſis obſervatum, minime de cauſa inquirenda ſolliciti.

At vero etiamſi vterus eiuſmodi craſſitiem protinus a partu obtendat, non exinde tamen colligendum eadem craſſitie illum fuiſſe donatum quamdiu fœtu & aqua in illius capacitate cum placenta concluſis admodum diſtendebatur; huiuſmodi enim craſſitiem à ſola contractione inſignis ſui ambitus obtinet, quæ protinus condenſatur, ac pro modulo ſuæ ſubſtantiæ collectionis, id quod immediate à partu accidit.

Sed quo facilius concipere liceat quanta fuerit illius craſſities ante partum, aſſumatur maſſa cerea vel alia materia extenſionis capax, proportione reſpondens quoad craſſitiem & figuram vtero, qualem ſe hic exhibet ſtatim à partu (pugni molem propemodum adæquat) maſſa hæc extendatur eo vſque donec fœtus capacem eſſe cognoverimus, placentæ & aquarum vtero conceptarum; nam poſtmodum non difficulter iudicium ferre licebit ex craſſitie iſtius materiæ eo modo expenſæ ad inſignem circumferentiam, qualiſnam fuerit craſſities vteri ante partum.

Neque prætera inferendum eſt vteri ſubſtantiam ſumma craſſitie pollere in quibuslibet fœminis ante partum, quia talismodi aliquando fuerit deprehenſa apertis cadaveribus, quarundam prægnantium, *rara quippe non ſunt artis*, eiuſmodique conſtitutio naturalis non eſt, ſed morboſa inducta à phlegmone, aut humorum influxu in illam partem, vel divulſione particulæ ſecundinæ, aut partus doloribus, in plures dies protractis quibus de cauſis intumeſcit vteri ſubſtantia in tantum vt quaquatuor digitorum tranſverſorum craſſitiem illam obtinere aliquando obſervaverim, præſertim circa fundum, ob copiam vaſorum illuc pertinentium.

At vero vt res clariùs innoteſcat, neceſſe eſt illam procedere apertione facta prægnantis, mortuæ nulla iniuria vtero illatæ, & aquis fœtum ambientibus adhuc in vtero concluſis; illis enim excluſis, proculdubio ſubſtantia vteri paulo craſſior videbitur, qui a vacuatione facta aliqualis vteri contractio accidit.

Porro, cum rarius occurrant corpora gravidarum eo modo intereuntium, facile eſt experimentum in brutis viventibus, e. g. in ove, ſi enim ovis prægnans, partuique proxima, diſſecta fuerit, ſtatim vterus in conſpectum venit tanta tenuitate donatus, vt per eius ſubſtantiam fœtus quodam modo oculis ſe exhibeat; par ratio eſt mulieris, in qua ſubſtantia vteri adeo tenuis & tenera eſſe conſuevit, poſtremis graviditatis menſibus, vt in nonnullis defunctis fœtus in abdominis cavitatem excidiſſe viſus ſit, vtero plane diſrupto, præ nimia extenſione,

Si quis non eandem eſſe rationem brutorum & fœminei generis obiiciat, illi author ſum vt in conſilium adhibeat hac de re quaſvis prægnantes, quæ gnaræ naturæ motus fœtus quem geſtant, manu ventri impoſita poſtremis menſibus, referent vterum proculdubio tenuiſſimum eſſe illo tempore, ſiquidem licet interponantur omnia integumenta & muſculi imi ventris, proximum tamen animadvertant fœtum, quinimo ſingula illius membra diſtinguant, pro motuum diverſitate; id quod proculdubio nequaquam eveniret ſi tanta craſſitie vterus polleret. &c. *Mauriceau* De *prægnant. affect. l. 1. cap.* 4.

Signa præcedentia & concomitantia partum, Item Quæ partum præternaturalem ſignificant.

Prægnantes, præſertim cum primam graviditatem expertæ ſunt, quamprimum dolore aliquo inſolito in ventre inferiore tentantur illico ad obſtetricem recurrunt, partum inſtare credulæ, At huic ſedulo animadvertendum, an revera diſpoſitio quædam ad illum ſit, alias non raro matris aut fœtus vita periclitatur, quin & vtriuſque, ſi ante tempus ad illum inciter.

Dolores, qui nothi dici poſſunt & non genuini vtplurimum cauſam habent dolorē aliquem colicū à flatibus excitatū, vago motu per imū ventrem delatis, neque tamen ad imum ventrem pertingentibus, eiuſmodi ſunt qui partum antecedunt & comitantur, Dolor ille colicus ſedatur admotis linteis calidis imo ventri, iniectove vno aut altero clyſtere; quorum vſu irritātur potius genuini partus dolores: Dolores autē nephritici propriis ex indiciis facile innoteſcunt; Alius quoque dolor gravidam fatigat, obortus ex agitatione humorum fluorem ventris præcedentium, hanc autem cauſam denotant frequentes deiectiones ſubſequentes.

Signa partum naturalem antecedentia, paucis ante diebus apparentia hæc ſunt, Quod lumborum inſoliti quidam dolores vexant, tumor autem ventris qui ſublimis erat, inferiora omnino petit, quapropter ambulatio præpedita eſt aut minus quam

antè expedita: Effluit præterea ex locis muliebribus humor viſcidus, à natura dicatus humectādis & moliendis meatibus, vt orificium internum faciliusdilatari queat, neceſſitate vrgente, quod tantiſper tunc hians elabi permittit glutinoſum illum humorem, exudantem è membranis fœtum involventibus, craſſitiem aliquam à calore loci adeptis.

Symptomata præſentem partum comitantia.

Signa præſenti partui aſſidentia, hoc eſt demonſtrantia revera partum in procinctu eſſe hæc ſunt, Ingentes dolores in regione renum & lumborum, quæ ex intervallis redeunt & repetunt ad imum ventrem pertingunt cum enixibus iteratis & frequentibus: Pulſus ſolito frequentior & elatior eſt, vultus rubore cum calore afficitur à ſanguinis incaleſcentia ob continuos fœtum in lucem emittendi conatibus vt & à reſpiratione fere ſemper intercepta à crebris illis enixibus, quapropter ſanguis vbertim in faciem involat; Pudenda vndique intumeſcunt, eo quod fœtus caput meatui proximum, ad partes illas humores detrudit; Sæpiſſime etiam ſupervenit vomitus, cuius cauſa nonnulli, quibus perſpecta non eſt cauſa, gravidam in periculo verſari exiſtimant; at contra is ſignum eſt partus proximi, quia tunc genuini dolores promoventur, identidemque repetunt, donec opus ſuccedat.

Vomitus iſte cauſam habet ſympathiam quæ inter vterum & ventriculum adeſt per ramos & propagines ſexti paris vtrique parti inſertos, per quos ventriculus particeps, fit dolorum qui vterum tunc obſident, obortum ab exagitatione & commotione, inducta à vehementibus & repetitis calcitrationibus fœtus, ac valida compreſſione muſculorum imi ventris in enixibus vteri. (*Ad vomitus excitationem concurrit etiam; & præcipue ſympathiæ vicinia, dum enim fœtus in vtero convolvitur, ab hoc premuntur inteſtina hinc ventriculus, cuius tunc fit ναυτεσμὸς.*)

Præterea imminente mox partu, Tremor vniverſalis, præcipue femorum & tibiarum, non conjunctus frigori, ſicuti fit initio febrium intermittentium, ſed comite totius corporis incaleſcentia; ſæpæque tunc humor ex locis muliebribus elabens cruore ſuffuſus eſt; Hoc ſignum præcedentibus additum, futuri mox partus indicium eſt indubium & certiſſimum (idque obſtetrices vocant *marquer*, Deſignare) Tunc immiſſus in vaginam digitus illius orificium internum dilatatum obſervatur, ad cuius oſtium occurrunt membranæ aquas includentes, quæ valide ad inferiora compelluntur in vnoquoque enixu, quæ interim reniti deprehenduntur, digitoque admoto plus aut minus tenſæ & duræ apparent, prout dolores plus aut minus graves ſunt.

Membranæ illæ cum aquis in illis contentis, quando ſunt *formatæ*, (hoc eſt, quando exceſſerunt caput fœtus, quapropter dicere ſolent Obſtetrices *Aquas formari*) cum ſeſe obtrudunt orificio illi interno, non inepte repræſentant intruſo digito ova illa abortiva teſtis deſtituta, ſimplicique mēbrana obvoluta, Deinceps dolores ſine intermiſſione redintegrantur, diſrumpuntur membranæ à valida aquarum impulſione quæ mox effluunt, hinc fœtus nudum caput facile à contrectatione digitorum deprehenditur, ab eius appulſu ad orificii interni oſtium.

Cuncta hæc, aut maxima illorum pars ſimul ſi concurrant, quocunque graviditatis tempore accidant, tempeſtive aut intempeſtive proxime inſtantis partus argumentum certum eſt; At omnino cavendum ne ſolicitetur partus priuſquam neceſſitas vrgens prædictis ex ſignis dignoſcenda, impellat; Irriti enim labores tum parturienti, tum fœtui cōciliantur, & vterque in vita evidens diſcrimen conjicitur; Etiamſi vero nonnunquam orificium vteri internum eo vſque dilatatum appareat, vt digitum admittat; imo fœtus caput per membranas contingi queat, non ideo tamen ſemper colligendum revera inſtare partum; etiamſi enim non exigna illius futuri ſigna ſe oſtendant, occurrentibus eiuſmodi diſpoſitionibus; res tamen omnino certa non eſt, ſi eiuſmodi dolores ad inferiora non vergant, ſicuti dictum, & niſi (quod obſervatione dignum eſt) percipiantur aquæ concurrere inter caput fœtus & membranas: Quapropter ad iſtam circumſtantiam accurate attendendum, ne error in prognoſi contingat. Id quod exemplum ſequens manifeſtum facit.

Ante biennium vocat me mercatoris vxor, quam duæ obſtetrices in inſtanti partu verſari aſſerebant; Ego immiſſo digito orificium vteri ad pollicis latitudinem hians deprehendi, imo caput infantis per membranas ſe exhibebat, molles & flaccidas; At cum ex dicta muliere didiciſſem à ſex diebus ventris dolores moleſtos eſſe, nequaquam tamen ad imum ventrem exporrectos, cuiuſmodi ſunt legitimi partus dolores, nullam præterea diſpoſitionem aquarum ad eruptionem percepiſſem, ſatis mihi fuit iniectionem aliquot clyſterum lenium ſuadere, ac decubitum in lecto quo factum dolores vrgere deſierunt, totoque deinceps menſis decurſu officia ſolita, mercatoria & domeſtica peregit, eoque exacto feliciter peperit: Illud porro certiſſimum eſt, ſi vel tantillum ad partum vlterius provocata fuiſſet, futurum fuiſſe, vt octimeſtrem partum, non abſque detrimento fœtus edidiſſet, illius ortum menſis ſpatio anticipando.

Signa Partus præternaturalis

Partus, præter naturam cenſeri poteſt; cum Fœtus depravatum ſitum habet & figuram; hoc eſt cum aliter quam in caput ſe offert, lineaque directa; ſicuti & quando aquæ diu ante illius exitum profluunt, quia in ſicco manet vtero, cum dictæ aquæ omnino requirantur ad locorum humectationem & lubricitatem, Si ſecundina præceſſerit fœtum, partus perpetuo periculi plenus redditur, tum ratione hæmorrhagiæ ſupervenire ſolitę, à qua matris exitiū pręceps imminet, quia cum fœtus nullum amplius ſuſcipiat alimentū, cito is ſuffocatur in vtero, denegata reſpiratione qua tunc temporis indiget ſi vel tantillam moram in vtero faciat

Partus præterea præternaturalis habetur, ſi comes adfuerit febris aliuſve inſignis morbus propter quem fœtus in vtero extinguitur, Sicuti etiam quando dolores non admodum vrgent, longiſque intervallis redeunt, ſine vllo profectu qua de cauſa puerperæ in languorem inſignem trahuntur, iſti vero omnium frequentiſſima illa eſt difficultas quæ ab inconvenienti ſitu fœtus in vtero procedit. *Mauriceau lib.2.c.2.*

Mas an fœmina vtero geratur.

Non placet hic repetere, quæ plerique de fœtu in vtero contento prædixerunt, Dicam tamen me prænoviſſe an maſculus an fœmina geſtaretur, ex tumeſcentibus & nigricantibus in alterutro inguine venis (quod relatu collegarum diſci honeſte poteſt.

Sed ab vmbilico aulicæ ocyſſime certum teſtimonium exigunt, obſervarunt quoque in ea re Lunæ curſum prudentes matronæ, quod his verbis ſequitur,

Si Luna creſcente paris partus maris alter.
Eius decurſu virginis ortus erit.

Solvetur hic quamvis præter propoſitum, de numero menſium quæſtio in hunc modum.

De partu certatur, lis à menſibus orta eſt ſolis vel phœbes, aut vtriuſque ſimul.

Vrinarum inſpectione abuti ad præſentiendum, conceperitne mulier annon, mas an fœmina vtero includatur, impoſtorum eſt non medicorum. *Ioh. le Bon Ther. Puerper.*

Medicus quidam noſtras mas an fœmina vtero gereretur ex vrinis divinabat, Accipiebat vrinam circa medium geſtationis tempus redditam, cum ſcil fœtus moveri incipit: Si mas eſſet in vtero, ſedimentum in medio vrinæ inſtar lanæ carptæ apparebat: ſed conglobatum, ſi hoc divulſam fœminam adeſſe aſſerebat: ſed fallax hoc ſignum deprehendi, conglobatum enim ſedimentum robuſtum fœtum ſignificat; divulſum imbecillem.

Diverſi ſitus Fœtus in vtero materno iuxta varia Graviditatis tempora.

Ab explicatione diverſorum ſituum naturalium in vtero pendet notitia eorum qui ſunt præter naturæ legem, & vtplurimum cauſa ſunt difficilium Partuum: In genere ſtatuendum infantes, tum mares, tum fœmellas ſitum obtinere in medio vtero; nam etiam ſi gravidæ venter aliquando magis eminere videtur vno in latere quam in alio, id ſolum adſcribendum vterino globo illuc magis vergenti; iſteque ſitus lateralis intelligi tantum debet reſpectu ventris materni, nequaquam vteri, cujus medium ſemper occupat fœtus, ſiquidem in vtero muliebri vnica adeſt cavitas, lineola ſecundum longitudinem diſtincta, non binæ aut plures cellulæ, ſicuti in quibuſdam animalibus.

Nonnulli binas crediderunt illas cavitates; fictitias cauſam eſſe cur fæminæ gemellos aliquando pariant imo plures fœtus; mares dextro potius latere geſtari, fæmellas ſiniſtro, ex ſententia *Hippoc. aph. 48. 5.* dicentis *Fœtus mares dextra vteri parte femina ſiniſtra magis geſtantur.* Cuius tamen rei nulla certa regula ſtatui poteſt, certum eſt contrarium nonnunquam accidere, vt fæmellę dextro latere geſtētur, mares ſiniſtro.

Situm particularem quod attinet, quem perpendimus ex varietate figurarum fœtus in eo; varietas occurrit pro varietate temporum graviditatis; prioribus enim menſibus tenellus fœtus, quem dicunt Embryonem ſemper conſpicitur in figura rotunda, aliquantiſper oblonga, ſpina mediocriter introrſum converſa, cruribus complicatis, paulisper elevatis; quibus tibię iunguntur, adeo vt tali nates attingant, pedum extremitatibus introrſum converſis, brachiis inflexis, manibus genubus impoſitis, in quę inclinat caput deorſū ob verſum, adeo vt mentum pectus attingat. Eiuſmodi ſitu non inepte refert cacatorem inclinatum ſtercus emiſſum inſpicientem: Tunc illi ſpina dorſi reſpicit ſpinam maternam, capite ſublato, facie antica reſpiciente, pedibus inferiùs ſitis prout autem incrementum capit, paulatim membra extendit, quæ fere omnino inflexa erant primis menſibus; Neque tamen exiſtimandum eſt fœtum accurate ſemper conſervare, iſtiuſmodi ſitum, variat enim nonnunquam figura brachiorum & crurum, eadem plus minus extendendo aut flectendo, aut huc illuc adducendo, prout variis à cauſis impellitur; cuius rei teſtes ſunt omnes gravidæ, à quibus diverſi illi motus obſervantur, ſed poſtmodum ad priorem figuram, tamquam centrum reditu facto, in quo tranquilla quieſcit, quia cunctæ corporis illius partes mediam inter ſummam extenſionem & exactam flexionem nactæ ſunt, quæ figura media omnium maxime naturalis eſt, minuſque indolens: In cadaveribus aliquando diverſus occurrit ſitus, ſed inductus à cauſis morbificis.

Situm hunc naturalem ſervare ſolet Fœtus ad ſeptimum vſque aut aut octavum menſem; quo tempore ab inſigni capitis incremento, id pondere deorſum vergit verſus internum vteri orificium quapropter pedes ſurſum feruntur, facie ad podicem matricis ſpectantes: Nonnulli exiſtimant ſolummodo in maribus caput infra ferri in nativitate; fæmellis ſurſum obverti, qua in ſententia eſt *Fernelius*, ſed errore ſiquidem tum his tum illis facies in naſcendo rectum inteſtinum matris reſpicit: Si contrarium accidat, id omnino præter naturæ ordinem accidit: ſi enim facie ſublata prodiret fœtus, contuſionem hæc pateretur ab occurſu oſſium pubis.

Notandum in immutatione illa prioris figuræ, cum fœtus provolvitur in caput, quod poſtrema hæc illi ſit inaſſueta, tantopore illum commoveri vt mulier ſe partui proximam exiſtet, ob dolores inde concitatos, ſicuti id non raro accidere obſervavi, nominatim in vxore *D. Delanos* collegæ mei, quæ tamen menſem integrum fœtum poſthac geſtavit.

Si attente circumſtantia iſta perpendatur, inde manifeſta fiet cauſa primi illius conatus fœtus exituriencis ſeptimo menſe; qui cum finem non aſſequatur, ad nonum uſque menſem illo in ſitu permaneat; quem conatum iterum ſi menſe octavo ſuſcipiat (vti tradunt Autores) futurum vt ſi tunc naſcatur non diu ſuperſtes eſſe queat; quippe qui impar ſic ambobus illis conatibus tam propinquis, Sed hæc plane ertonea ſunt; ſi enim tunc Fœtus convolvitur in caput, id tantum accidit præ diſpoſitione naturali, & gravitate partium ſupremarum corporis: Sin ſe plurimum commoveat dicto tempore ac deinceps, non id fit quod exitum affectet, ſed quia moleſtus illi eſt recens ille ſitus, nondum aſſuetus. Id innuit *Hippocrates l. de Partu octim. Incipit autem laborare puer ante partum, & interitus periculum ſubit quum in vtero vertitur.*

Converſionem illam aliquando ſeptimo menſe ſubit, raro ante, niſi quid accidat; vtplurimum circa octavum menſem, aliquando ſolum in nono, aliquando convolutionem illam nunquam experitur, ſicuti apparet ex iis qui naſcuntur prima figura ſervata, hoc eſt in pedes exeunt.

Fœtus ergo eo modo in caput convertitur poſtremis menſibus, ea ſolum ratione vt faciliorem exitum ex vtero naciſcatur tempora partus, tunc non admodum remoti, ab hac enim figura artus nullo negotio extenduntur in exitu ex vtero; eoque modo, ſiquidem brachia & crura cum inflecti nequeant verſus orificium internum vteri, nullum in exitu occurrit impedimentum, reliquus truncus corporis, ſat flexilis, nullo negotio pertranſit via per caput craſſius & durum facta.

Si plures geſtentur vtero fœtus, eandem figuram omnes, vtpote naturalem ſervari debent; ſed vt plurimum, à diverſitate motuum, adeo ſibi mutuo obſtant, vt ſæpenumero alteruter depravatum acquirat ſitum in partu, imo ante illum, quo fit vt ſæpius vnus in caput exeat, alter in pedes, aut alio magis vitioſo ſitu ambo etiam perverſa figura exitum affectent.

Quemcunque ergo ſitum fœtus in vtero obtinuerit, vel quocunque modo exituriat, perpetuo is præter naturam erit, ſi is à naturali deſciverit; qui adeo neceſſarius eſt ad probum & legitimum partum, vt illi qui præternaturales ſunt habendi ſint cauſa maximæ partis infauſtorum partuum. *Mauriceau cap. v. lib. ij.*

De Signis Fœtus vivum aut mortuum in vtero arguentibus.

Si vnquam Chirurgo prudentia opus ſit, certe hoc in caſu maxime requiritur, diiudicet Fœtus vivat in vtero an mortuus ſit: Non raro enim accidit triſti exemplo fœtus, qui mortui credebantur, vivos extractos fuiſſe, brachiis truncatos, vel aliis partibus; alios vncis enecatos fuiſſe, qui vivi, niſi error adfuiſſet, educi potuiſſent: Quapropter hac in diagnoſi omnem navet operam Chirurgus, memor illius præcepti, timiditatem minus damnandam eſſe temeritate, hoc eſt ſatius eſſe decipi agendo cum fœtu mortuo quam cum vivo.

His ergo indiciis fœtum vivere deprehendes, ſi geſtationis terminus adfuerit, ſi nulla iniuria externa acceſſerit, ſi toto graviditatis tempore mulier bene habuerit, ſi iam nunc proba fruatur valetudine; certiſſime autem de vita fœtus conſtiterit, ſi motum perſentire narraverit mater, quam certitudinem confirmaturus eſt Chirurgus, ſi & ipſe motum animadvertat, admota manu, ventri prægnantis, cuius narrationi non ſemper audiendum; obſtetrices enim manus nonnullis attuli, quarum fœtus ante quatriduum extinctus erat, indicium præbente corruptione; cuius tamen motum ſe percepiſſe affirmabant paulo ante partum.

Quaſdam alias novi quarum fœtus vita fruebatur, nec tamen animadverſus erat motus ante biduum imo triduum: nam elapſis aquis fœtus nonnunquam à contractione vteri adeo comprimitur, vt nullum concedat ſpatium libertati membrorum quod aderat priuſquam aquæ effluerent à quibus amplius diſtendebatur vterus.

Sin ex motu Chirurgo in notitiam non veniat vita fœtus in vtero, poſtquam ab aquis diſruptæ fuerint membranæ, leniter manum ſubmittat is in vterum idque quamprimum; quo cum pervenerit, pulſatio arteriarum vmbilicalium illi obvia fiet, eo manifeſtior futura quo plus ad ventrem fœtus acceſſerit: aut ſi altera manus ſe obtulerit carpi arteriam diſquirat; quæ tamen non æque validum motum exhibitura eſt ac arteriæ vmbilicales; Alterutrum motum ſi deprehendat, vivere fœtum pronunciet, Nec non ſi indito in os digito moveri linguam ſentiat, quaſi ſugere volentis: Chirurgi erit ex his ſignis aliquod venari prout hunc vel illum ſitum obtinuerit infans.

Mortuum autem eſſe collige, ſi nullus apparuerit motus ab aliquo iam tempore; ſi ab vtero prodeant humores fœtidi & cadaveris odorem referentes, ſi graves ægram infeſtent dolores, cum inſigni in abdomine ponderis ſenſu; ſi globi inſtar huc illuc devolvatur; ſi frequentes leipothymiæ & convulſiones ſuperveniant; ſi iampridem funis vmbilicalis aut ſecundina prodierint; ſi intruſa in vterum manu fœtus illi frigidus occurrat, ſi funis vmbilicalis nullum motum exhibeat, & lingua ſit immobilis, Si contrectatum caput molliuſculum deprehendatur, præſertim circa ſontanellam, cuius oſſa quoque ſint mobilia, ſibique invicem incumbentia, in ſuturarum regione, quia videlicet cerebrum ſubſidet; motuque pulſatorio deſtituitur in fœtu mortuo; qui majorem corruptionem in vtero contrahit bidui ſpatio, quã intra quatriduum ex eo eductus, ob loci teporem, calor enim & humor præcipuæ ſunt corruptionis cauſæ.

Conjecturæ vero tantum locus eſt ſi injuria quæpiã mulieri acciderit; ſi inſignis hæmorrhagia præceſſerit; ſi ante quatuor aut quinque dies aquæ effluxerint; Si terminum nondum attigerit; ſi mammæ flaccidæ concidant; ſi plumbeus fuerit faciei color; ſi oculorum fulgor periit, ſi anhelitus fœteat: Hæc inquam, certo non demonſtrant fœtum eſſe mortuum, ſicuti prius recenſita ſigna, quæ ſi ſimul concurrant aut plurima, eodem tempore, fœtus mortui apertam fidem faciunt.

Id præſertim adnotatum volui neceſſe eſſe vt plerorumque ſignorum adſit συνδρομὴ ad certo conſtituendam fœtus mortem: nonnulla enim eorum æquivoca ſunt ſi ſolitaria accipiantur, cujuſmodi eſt id quod deſumitur ex fœtore cadaveroſo ab vtero prodeunte; facilis enim eſſet error; ſi quidem nonnunquam accidit gemellos vtero geſtari, quorum vnus vita fruitur, alter mortuus eſt & corruptus, id quod non ſemel à me deprehenſum.

Id quoque obſervandum venit ab vtero fœtida, & cadaveroſum odorem ſpirantia nonnunquam prodire, à ſola grumi ſanguinis detenti corruptione, incolumi nihilominus fœtu; Quoad ſignum ex ſpatio temporis, quo mulier fœtum moveri non animadvertit deſumptum, itidem id dubium, nonnulli enim fœtus, vtut vivi, toto interdum biduo nullum motus edunt indicium, ab egreſſu aquarum ex vtero, quia ſic licet contractus vterus motus libertatem fœtui non concedit, ſicuti ante aquarum effluxum, quo & fœtus debilitas concurrere poteſt: quamobrem his circumſtantiis caute attendendum.

Novitius quidam Scriptor indubium & certiſſimum eſſe fœtus mortui indicium, ſi meconium excluſerit (excrementum id eſt inteſtinorum) *Si inquit, quemcumque demum ſitum fœtus obtinuerit, Chirurgus admota manu, animadverterit, certo pronuntiet fœtum eſſe mortuum in vtero* At falſum eſt illud aſſertum, experientia teſte; frequenter enim accidit in partubus contra naturam fœtum viventem intra vterum alvum depoſuiſſe, ſicuti iis accidit qui nates obtrudunt, a quibus meconium ſemper excernitur, vti & ab aliis diverſum ab hoc ſitum obtinentibus, ob inſignem abdominis compreſſionem, cum præſertim chirurgus alium conciliare ſtudet, extrahendi gratia. Teſtes adduco *D. D. Doye* & de *Mally* collegas meos, quorum in præſentia, ex ipſorum vxoribus eduxi vivos fœtus, indecenti ſitu prodeuntes; è quibus non exigua copia prodierat iſtius meconij priuſquam in auxilium veniſſem; attamen, etſi triennium prope excurrat, optimè ſe iam habent ſexaginta & amplius enumerare mihi liceret; quibus idem contigit.

Sedulo ergo cavendum ne fœtus vita fruentes pro mortuis habeantur, &c. *Mauriceau lib.2.cap.vi.*

De partu Naturali, Et ratione juvandi parturientes ſive vnus, ſive plures adſint fœtus.

Quatuor res requiri vt partus felix fauſtuſque ſit antea oſtendimus, videlicet conſtituto tempore adveniat, cito & citra gravia accidentia; Fœtus vivus prodeat, debitamque figuram obſervans: His poſitis, poſt ſpontaneum aquarum effluxum, illicoque ægra lectulo imponatur, vel ordinario, ſi cupiat, neque enim omnes eundem pariendi ſtatum obſervant; quædã enim genibus innituntur ſicuti ruſticę nonnullę mulieres, alię ſtantes, cubitis ſolum pulvinari innixis, menſæ impoſito, aut lecti ſpondæ; aliæ decumbentes ſubſtrata culcitra lanea, pavimento impoſita medio in cubiculo; Sed omnium optimus ſitus, eſt vt in lecto decumbant, ad vitandum incommodum, quod ex tranſlatione ex alio loco oritur; muniendo linteis, aliiſque neceſſariis, ne moleſtæ ſint ſordes, aquæ, ſanguis, aliaque in partu emanantia.

Lectus eo modo debet eſſe conſtructus vt parturiens dorſo incumbens, corpus mediam figuram obſervet, h. e. caput & pedes paulo elatiora ſint, neque plane decũbens, neque etiam ſedens, dicto enim in ſitu liberiore frueretur reſpiratione, validiſque impulſura eſt dolores quam lecto immerſa; Hac figura cõciliata, femora ab invicem diducta eſt, adductis verſus clunes aliquantulũ

tibiis

tibiis, quas ſubdito pulvinari aliquantulum elevatas eſſe decet, vt coccyx ſine impedimento verſus poſteriora reflecti poſſit; pedibus ſtabili cuidam rei innixis: Præterea aſſidentium aliquem manibus prehenſura eſt, quo firmius obſiſtat in doloribus.

Muliere ſic conſtituta prope lecti extremitatem (quam occupatura eſt obſtetrix, eaque ratione facilitatem illi opem ferendi conſequutura eſt) animum ſumens, dolores quantum licuerit intendet, enixus verſus inferiora promovendo cum illi ſupervenerint, cui rei conducet anhelitus cohibitio, conatuſque eodem adhibendo ac ſi egerere vellet, ab iſtis enim diaphragma deorſum compulſum, uterum itidem propellit ſimulque incluſum fœtum; Hortante interim obſtetrice, animoſque addente, ſpem proximæ liberationis faciendo.

Nonnulli præterea iubent ab adſtante aliqua muliere ventris partes ſuperiores deorſum compelli vt fœtus inferiora verſus deſcendat; quod conſilium minime probo, eo quod ab eiuſmodi compreſſione periculum imminet contuſionis in vtero, eo tempore admodum ſenſibili reddito; novi enim mulieres ideo non leviter læſas: Satis autem obſtetrici fuerit (poſt munctam manum butyro recenti, remotoſque annulos ſi qui ſint, aut torques) ſi leniter iuvet dilatationem orificii interni vteri, extremos digitos illius limini intrudens, eoſque poſtea explicans quo tempore dolores ingruunt, promovendi gratia fœtus exitus; latera iſtius orificij ſenſim impellendo verſus occiput, butyro etiam recenti illas partes illinendo, ſi neceſſe ſit.

Cum caput fœtus promoveri incipit verſus iſtud orificium internum, vulgo dicunt id corona cingi (*la Teſte eſt au couronnement*) quia id vndique circum cingit inſtar coronæ; cum vero eo vſque progreſſum eſt vt eius apex manifeſte extra pudenda appareat, tum dicunt Fœtum in meatu eſſe (*il eſt au paſſage*) quo tempore parturientes ſibi fingunt ſe ab obſtetricis digitis offendi, quaſi aciculæ illis partibus affigerentur, aut vnguibus vellicarentur, id quod à vehementia dilatationis accidit, ac lacerationis nonnunquam inductæ à capite fœtus præ illius magnitudine.

Rebus ſic conſtitutis, obſtetrix commodum ſitum nacta, accingat ſe exceptioni Fœtus cito prodituri; extremiſque digitis, præciſis accurate vnguibus, tentet repellere coronam dictam, vel vteri orificium verſus fœtus occiput; quamprimum aures, vel propemodum exeruerit, apprehendat illius latera ambabus manibus; quo facto; arrepta occaſione vrgentis doloris, eo ipſo momento fœtum extrahat; proſpiciendo interim eo ipſo tempore ne funis vmbilicalis collum obtorqueat aliamve quampiam partem ne ſimul vi adhibita ſecundinam educat, quin & vterum illi adhærentem, vnde inſignis hæmorrhagiæ eruptio; quin & idem funiculus poſſet abrumpi, vnde liberatio parturientis difficilior.

Id quoque obſervandum ne omnino è directo attrahatur fœtus caput, ſed quaſi vacillando, quo humeri citius & facilius illi ſuccedant, quamprimum eductum fuerit; id quod faciendum nullo interjecto tempore, ne cum id elapſum fuerit, infans hæreat ob illorum latitudinem & craſſitudinem, periculumque ſtrangulationis devitetur ſi eo modo in meatu occupatus fuerit: ſed quamprimum humeri educti fuerint, inſertis ſi neceſſe ſit, aliquot digitis ſub axillis reliquum corpus citra difficultatem proditurum eſt.

Quamprimum obſtetrix fœtum qua ratione di- ctum eſt, eduxerit, in latus illum inclinabit, verſa ad pectus ſuum facies, ne videlicet ſanguis & humores qui immediate ſubſequuntur, illi noceant, aut ſuffocationis metum inuehant, in os & naſum influente, id quod accidere poſſet ſi ſupinus collocaretur. Poſtea nihil aliud agendum reſtat quam vt omnino liberet puerperam, quod fit ratione capite ſequenti dicenda.

Sed prius videat num alter quoque fœtus ſubſit in vtero, nam nonnunquam gemini adſunt, imo plures, id quod colligere licet ex partus doloribus non deſinentibus ab egreſſu fœtus; Ventre præterea adhuc multum tumente; ſed confirmationem certiſſimam obtinebit obſtetrix, ſi immiſſa manu in oſtium vteri, adhuc aquas intra membranas deprehendat; cum altero fœtu exitium affectante: Simili in caſu omnino cavendum ne de extrahenda ſecundina cogitet antequam ſecundus partus ſucceſſerit; vel tertius ſi hic adfuerit; quia cum gemelli vnica vtplurimum fruantur ſecundina communi, plures funiculi adnexi ſunt, cum totidem membranis ſeparatis, ſi poſt primi exitum attraheretur ſecundina, reliqui vitæ periculum ſubirent, quia pars hæc abſolute ipſis eſt neceſſaria, quamdiu in vtero degunt; excitareturque inſignis vteri hæmorrhagia; Quamobrem obſecandus eſt funis vmbilicalis primi fœtus, prius valido filo conſtrictus, quater quinquieſve complicatus, modo poſthac dicendo; extremitas quæ ſupereſt alligabitur, mediante funiculo coxæ matris, nequaquam metu ne vterum iterum ſubeat, ne ipſi moleſtus ſit inter femora propendens facta quoque ſed altera ligatura in ejus extremo, ad prohibendum exitu ſanguinem; Poſtmodum ablato priore infante, nullo metu diſrumpi poſſunt membranæ alterius fœtus ad eliciendas aquas (niſi iam antea effluxerint,) quia cum prior viam iam fecerit, modo ſubſequenti exitus facilis paratur, qui ex arte educendus eſt, obſervatis circumſtantiis circa primum memoratis: quo educto tuta eſt ſecundinæ extractio. *Mauriceau cap.* viii. *l.* 2.

Quæ agenda cum mulier parturitioni proxima eſt.

Labores gravidæ mulieris nihil aliud ſunt quam geminati dolores, iteratiſque enixis, quorum ope tentat fœtum in lucem emittere; Labores vocantur, quia mater & fœtus perpetiuntur, multumque laborant in iſta actione: Exiſtimant plurimi non aliam ſubeſſe cauſam quam, quia ſic à Deo conſtitutum eſt; Attamen videmus in cæteris animalibus fæmellas non minus in partu laborare, nec minus quam mulieres vitæ diſcrimen incurrere, cum fœtus emittunt: quapropter alia præterea ſtatuenda cauſa naturalis, videlicet impoſſibile eſſe vt vterus, admodum anguſtus, comparatione facta ad fœtus magnitudinem, eximioque ſenſu præditus, ob conſtructionem nerveam membraneam ad tantum dilatetur ad fœtus exitum, tamque inſignis illi vis inferatur, quin dolores atroces conſequuntur, *Ariſtoteles* ait mulierem præ cæteris animalibus difficilius parere, quia vita illius eſt magis ſedentaria, ſed potior adeſt ratio, quod homo inter cætera animalia craſſiori capite, ad proportionem corporis, donatum ſit, quo ſit vt fœtus caput non eadem facilitate pertranſeat meatui quà cæterorum animalium, quibus minus, figuræ oblongioris.

Quamprimum ſigna eluceſcent parturire gravidam vel vere inſtare partum, ex indiciis antea allatis, tum iis, quæ præcedunt; tum quæ comitantur, quorum præcipua ſunt quod vexent dolores ventris ac validi egerendi conatus, vterum verſus tendentes, qui ſi digito contingatur, percipitur orificium habere dilatatum, nec non aquarum

diſpoſitio, quæ videlicet capiti interponuntur, impelluntque membranas involventes per quas in dolorum intercapedine, digito exploratore unquam dignoſci poteſt quę pars ſeſe offerat, ac præſertim ſit ne caput, ex rotunditate & eius duritie, Rebus ſic ſtantibus apparanda ſunt quæcunque requiruntur in ſubſidium parturientis, Ac primo circumſpiciendum ne indumenta adſtrictoria ſunt, Iniiciendus clyſter paulo acrior, imo plures ſi res requirat, id quod ab initio faciendum, & antequam fœtus aliquem progreſſum fecerit, nam tum clyſterum iniectio difficilis eſt ob nimis compreſſum inteſtinum: Vſui erit excitando partui & exonerationi fæcum; nam vacuato inteſtino recto amplius ſupereſt ſpatium & dilatatio maior ſequitur; præterea excitatis doloribus ad inferiora compulſio fit per enixus matris in egerendis excrementis: Interim requiſita alia diſponentur, tum matris tum fœtus gratia; Parata quoque eſſe debet cathedra cum in vſum fabrefacta, aut potius lectulus caſtrenſis iuxta focum collocandus, ſi tempeſtas deſiderat, remotis omnibus impedimentis circumſtantibus, quo nullo incommodo ſubveniatur parturienti.

Si prægnans fuerit plethorica, non inutilis fuerit levis è brachio ſanguinis miſſio, eo enim pacto liberiori reddito thorace, ac reſpiratione facili, majus aderit robur in expellendo verſus inferiora: quæ vacuatio innoxiè fieri poteſt, ſi quidem eo tempore fœtus ad exitum vergens, non amplius indiget ſanguine materno ad nutritionem: Periculum rei non ſemel feci, feliciique ſucceſſu; adde quod per eiuſmodi præſidium avertuntur febrem partui non raro ſuccedentem: Quem præſtolando per cubiculum deambulare debet parturiens, ſi per vires liceat, quarum conſervandarum gratia exhibendum inſculum conſummatum; aut ovum recens, & ex intervallis vini aliquot cochlearia aut panis toſtus huic immerſus, abſtinendo tunc à ſolidioribus, Id præſertim ægræ præcipiendum vt promoveat dolores cohibito ſpiritu, ac impellendo quantum licet verſus inferiora quo momēto vrgebunt illi: Ex intervallis quoque obſtetrix admoto digito exploret orificium internum vt ſciat num aquæ ad effluxū diſponantur, ac num partus brevi ſubſequuturus ſit: Inungat quoque eadem genitalia vndique oleo quopiam emolliente, axungia aut butyro recenti, ſi non ſufficienter dilatari partes illas animadvertat; Interim à lateribus ægræ nequaquam diſcedat, cuius gemitus, dolores, geſtus ſemper obſervet, ex his enim de partus progreſſu iudicium ferre licet, adeo vt frequens partium pudendarum contrectatio non adeo neceſſaria ſit: Defunctus D. *Delacniſſe* qui ſæpe pernoctabat in cubiculo parturientium, momentum illud tam accurate cognoſcebat, vt ſolummodo à ſumno excitaretur cum fœtus iam meatum occuparet, quo tempore gemitus in inſignes eiulatus commutant parturitutæ, quos identidem ingeminant quod dolores intendantur ac crebrius vrgeant, Concedenda nec non aliqua quies ægræ ex intervallis, lecto illam imponendo ad reſumptionem virium, ſed cavendum ne diuturnior illa ſit id quod præſertim obſervandum in quadratis mulieribus parvæ ſtaturæ, quibus difficilior ſemper eſt partus, ſi decumbant durante parturitione, eoque magis ſi primiparæ ſint; deambulatio illis neceſſaria eſt per cubiculum, brachiis ſuſtentatis; ſic enim fœtus gravitas muliere ſtante, multo facilius orificium internum vteri expandit, quam in decubitu, hinc etiam dolores magis vrgent, expeditiorque ideo ſuccedit partus, dummodo omni ſtudio arceatur frigus quamdiu deambulant.

Cardialgia adveniens terrori eſſe non debet, neque vomitus quandoque ſuperveniens, quin potius iuvat verſus inferiora propulſionem juvando, doloreſque partus promovendo: Vomitus iſtius cauſam ſuperius) attigimus.

Quando Aquæ rite apparatæ, & vt aiunt, formatæ ſunt, quæ per membranas deprehenduntur, ad orificium internum vergere, obſtetrix ſpontaneam illarum diſruptionem expectare debet, neque illas imitari quæ tædio moræ in partu membranas dictas dilacerant ad aquarum effluxum; ſed opus promovere ſtudentes remoram iniiciunt, quia fœtus meatum nondum occupat; ex præcipiti enim aquarum effluvio, quæ lubricandis meatibus vſui futuræ erant, fœtus in ſicco hæret, quo fit vt poſthac dolores & enixus irriti fere fiant, Securitas ergo maior in ſpontanea divulſione membranarum; id quod cum accidit facile erit obſtetrici fœtum nulla re interiecta contingere, ac partem obviam dignoſcere, num caput, quod durum magnum rotundum & æquale deprœhenditur; Sin alia quædam pars offeratur, inæqualitas aderit, durities aut mollieties, plus aut minus pro partis conditione, vnde de partu ſecundum aut præter naturam diiudicare illi licebit: His ſic ſtantibus decubitum ſtatim præcipiet partum adiuvatura, qui vtplurimum proximus eſt, ſi naturalis fuerit Sin animadvertat indecentem ſitum aut figuram, atque imparem operi ſe agnoſcat, protinus in auxilium Chirurgum peritum advocet, ſicque matris & fœtus ſaluti conſulat: Neque temerariarum quarundam imitatrix ſit, quæ ne imperitæ videantur, periclitari malunt & negotium ſoiæ ſuſcipere, aut de peritia cum chirurgis contendere volunt, quos nonnullæ, metum & horrorem illorum incuſſuræ, carnifices vocant, adeo vt quædam mulieres malint vitæ diſcrimen cum fœtu ſubire, quam ſe manibus illorum committere; Quamprimum ergo aquæ membranas evaſerint, ac depravata figura obſervata fuerit, præcipiat obſtetrix ægræ vt ab enixibus abſtineat, ne fœtus meatui impactus negotium faceſſat chirurgo, qui illum vix convolvere poterit; &c. *Mauriceau. cap. 7. lib. 2.*

Quæ mulieri, cum terminum attigit, agenda ſint.

Non aſſentior pleriſque obſtetricibus gravidis præcipientibus faciliotis, gratia partus) imperant exercitium ſolitò validius, cum proximi ſunt poſtremi graviditatis menſes; vti neque *Liebautio* in rheda vectionem præcipienti, aut equo tolutario, periculi enim plenum idem conſilium, eſtque cauſa plurimorum difficilium partuum; Illo enim tempore convolvitur fœtus & in caput provolvitur; capite demiſſo, pedibus ſublatis, ſitum naturalem ad partum acquiſiturus: Ex perverſo illo conſilio mulierculæ facilem partum ex eiuſmodi exercitio ſperantes, difficilem contra experiuntur, ſi quidem à totius corporis exagitatione fœtui ſitus contra naturam conciliatur; vel adeo devolvitur vterus in hypogaſtrii cavitatem, vt fœtui poſtmodum denegetur facultas, vbi neceſſitas requirit convolvendi vnde ſæpe ad priſtinum ſitum redit, ſcilicet vt in pedes exituriat: Adde quod partus, (qui opus eſt naturæ cum fœtus legitime procedit) ante tempus conſtitutum ad exitum impellitur, &c. Ab eorum præterea ſententia abeo, qui Balneum illis temporibus ſuadent &c. *Vide ſupra de Regimine gravidarum, vbi hæc & ſequentia repetita occurrunt. Mauriceau cap. VI. l. 2.*

Cap. XI. pag. 221.

De Partu difficili in genere, De Partu contra naturam, Eorum Cauſæ, Differentiæ, & Remedia.

Ad rei dilucidationem, tres ſtatuimus moleſti Partus differentias, nam vel eſt *laborioſus*, vel *difficilis* vel omnino *contra naturam*. Partus laborioſus is eſt in quo mater & fœtus, (etiamſi hic naturali modo prodeat,) graviter afficiuntur, ac præter morem laborant. *Difficilis partus* ad priorem illum revocari poteſt; ac præterea gravia quædam & moleſta comitantur ſymptomata, difficultatem inducentia; Partus autem contra naturam is eſt qui ratione depravati fœtus ſitus, citra manus operam ſic ex voto ſuccedere nequit. In partu laborioſo, & difficili, natura ſemper concurrit ſi adjutrices adfuerint manus, in Partu vero omnino contra naturam, irriti ſunt quivis conatus matris, à ſola periti Chirurgi manu auxilium expectandum eſt, quo deficiente ſuccumbat neceſſe eſt.

Quæ occurrunt in Partu difficultates, vel matrem ſpectant, vel fœtum, vel vtrumque: Ex matre quidem, ratione pravæ totius corporis conſtitutionis, aut ſaltem quarundam partium, ac præcipue vteri, vel gravis alicujus pathematis animum occupantis. Ratione totius corporis, vt ſi juvencula ſit, cui meatus anguſtiores, aut ſenior primipara; quia tunc partes cum ſint ſicciores durioreſque, non vt decet obediunt dilatanturque, id quod & macilentioribus accidit, In Grandævis præterea articulus coccygis compactior eſt, quo fit vt rettocedat fœtui viam daturus, quæ pars in juvenibus, cartilaginea adhuc, reflectitur. Quæ pumila eſt & coacta, vitioſeve conformata, vti gibboſa, cui pectus robuſtum non eſt ad tolerandos dolores, & ad inferiora detrudendum fœtum; ſicuti & quæ debilis eſt ſive natura ſive caſu; quæ clauda eſt oſſaque meatum circumſtantia depravate formata obtinet; quæ tenerioris & delicatæ eſt conſtitutionis, aut dolores nimiopere formidat plus cæteris laborat in partu: nam conatus non adhibet; Necnon illa quæ leves experitur dolores, eoſque raros, aut quæ nullis premitur; Vehementes quoque colici dolores officiunt partui, veros ſupprimendo; Quilibet morbus gravior aut acutus, laborioſum efficiunt partum, & periculi plenum, ex ſententia *Hippocr. aph. 30. 5. Mulierem gravidam morbo quopiam acuto corripi lethale*, Sicuti ſi accedat febris acuta, inſignis hæmorrhagia crebræ convulſiones: dyſenteria, &c. Excrementa ſuppreſſa, nonnunquam parturienti moleſtiam pariunt, vt ſi calculus in veſica lateat, aut hæc lotio turgeat, quod expellere non valeat; aut inteſtinum rectum duriores fœces obſideant, vel ſi hæmorrhoidibus cæcis & tumentibus laboret, nec non & incommodus ſitus partum plurimum remoratur.

Ratione impedimenti ex parte *Uteri* occurrentis, fit vel quia indebito loco ſitus eſt, vel vitioſe conformatus, vt ſi collum anguſtius ſit, aut durius, & calloſum, ſive natura aut caſu; e. g. ob tumorem prægreſſum, abſceſſum vel vlcus, aut hyperſarcoſin, ſive in collo ſive in orificio interiori, aut cicatricem duriorem, à prægreſſo violentiori & præternaturali partu.

Occurrunt præterea aliquando extranea quædam in vtero cum fœtu contenta, partum difficilem efficientia, ſicuti ſi membranæ adeo ſunt validæ vt diſrumpi non valeant, quapropter fœtus ad exitum non promovetur; aut adeo debiles, vt maturius effluentibus aquis, in ſicco hæreat fœtus; Si adſit mola, ſi ſecundina fœtum præcedat, vnde gravis hæmorrhagia parturientem lædit, fœtumque in perniciem trahit, niſi ex vtero extractus fuerit, idque maturè, quin & exitus vmbelici ſuffocationem ſubitam illi infert, niſi partus acceleretur; gravia quoque animi pathemata non parum conferunt, ſicut ira, timor, triſtitia, timiditas, &c. Abortus præterea partu legitimo periculoſior eſt ſicuti & offenſam aliquam quæ paſſa eſt in diſcrimine verſatur, etiam ſi à ſtatuto tempore non multum abſit.

Quoad impedimenta ex parte *Fœtus*, ea ſunt vel caput juſto maius, aut totum corpus, cum ab hydrope tumet, aut vitium adeſt conformationis, ſi biceps eſt, aut alteri fœtui cohæret, aut ſimul adeſt mola, aliudve corpus extraneum; ſi ſit mortuus aut adeo debilis vt ad exitum ipſe nihil conferat, aut præpoſtere hunc moliatur, ob pravum ſitum: vt & ſi gemini adſint aut plures, Præter varia iſta partus impedimenta, nonnunquam & aliud occurrit ex parte obſtetricis ignatæ, quæ naturæ operanti obſtat, nedum juvat.

Jam ſigillatim perpendamus modos quibus impedimenta hæc removeantur, & difficulter parienti opem ferre poſſimus, quod conſequi licebit ſi cauſa quæque propria nota fuerit; vt ſi mater juvencula ſit, aut lumbi illi ſint anguſtiores, mollius erit agendum (laxandique erunt meatus oleis, chalaſticis, axungiis aut butyro recenti, diu ante tempus partus inungendo quo facilem tranſitum concedant, & præcavendam lacerationem cujuſpiam partis, nonnunquam enim hæc accidit ad anum vſque adeo vt ex duobus foraminibus vnum fiat, exterius. Si grandæva ſit gravida, inunctio pariter fiat partium inferiorum quo laxetur orificium internum ſimulque vagina, quæ partes, ſi duriores ſint & calloſæ difficilius extenſionem admittunt, partui neceſſariam, quo fit vt in ejuſmodi mulieribus diuturniores ſint dolores quam in aliis, fœtus autem, à vehementiori impulſu in vteri internum orificium, quod calloſum eſſe diximus, ac longiori in eo mora, in lucem prodeat capite magnis tuberculis obſito.

Mulieres brevioris ſtaturæ, ac vitioſe conformatæ, lecto committi debent quam tardiſſime, atque ſolum dū ab aquis perruptę fuerint mēbranæ, nam ſtate debent ac per cubiculum deambulare, ſi per vires liceat, ſed ſuſtentantibus brachia innitentes; hoc enim facto liberior erit reſpiratio, neque adeo irriti erunt dolores vti cum decumbunt, & quaſi convolutæ.

Macilentarum humectari debent partes genitales, atque inungi prædictis axungiis & oleis, quo molliores fiant & lubricæ, ne caput fœtus & vterus adeo comprimantur à matris oſſium duritie meatum conſtituentium,

Quæ eſt debilis corroboranda erit, quo par ſit ferendi doloribus partus præbendo Juſculum conſummatum, vini tantillum, aut panem illi immerſum, aliave roborandi vi prædita, prout res poſtulaverit; Si doloris formido tenet, in ſpem erigatur breves illos futuros, animos addendo citam liberationem pollicendo, Sin accidat partus dolores raros eſſe & leves, vel ſi hi abfuerint, excitentur illi injecto vno vel altero clyſtere acriori quo promoveantur illi à conatibus in dejectionibus, poſtmodum deambulationem per cubiculum imperando, quo fœtus gravior & pondus ad eum effectum concurrat.

Si inſignis hæmorrhagia acciderit, aut convulſionibus parturiens prehendatur, citam opem ferre oportet partum protinus promovendo, ſicuti deinceps dicturi ſumus.

Si alvi fæces cohibitæ fuerint, nec ſponte dejiciat mulier, provocentur illæ enematis, quorum vtilitas inſignis erit in ſedando dolore colico, tum temporis admodum importuno: Intenſi enim dolores oriuntur, omnino tunc pravi & inutiles, quippe qui vagi per abdomen oberrant, neque ad inferiora pertingunt, id quod fieri deberet.

Sin accidat lotium ſupprimi, ab utero collum veſicæ

comprimente, ipſamet puerpera ventrem attollere debet, vel ſi aliter fieri nequit, immittatur catheter in veſicam qui vrinam eliciat.

Si partus moræ, aut difficultatis, cauſa ſit improbus ſitus puerperæ, conveniens conciliandus erit ſtaturæ & habitui corporis.

Si morbus quiſpiam prehenderit, curetur is remediis idoneis, ſed majori cautione adhibita, quam ſi alio tempore prehendiſſet, rationeque ſemper habita ſtatus de quo verſatur, an ratione. Colline vteri male conſtituti difficultas oriatur, vti ſitus iſtius obliqui, cui medendum quantum licuerit ſitum convenientem corpori conciliando: Si ob vitioſam vel conformationem, propter collum durius, aut calloſum, inungatur hoc oleo ex axungia. Si ob induratam cicatricem, quæ emolliri renuat, à prægreſſo vlcere vel ruptione poſt partum violentum, ſequutaque hinc cohæſione, inſtrumento idoneo ſeparatio inſtituitur, ne dilaceratione forte in alvi loco contingente, morbus priori deterior contingat; eligendo locum maxime idoneum; cavendo ne attingatur pars ſuperior ratione vicinæ veſicæ.

Si membranæ aquas continentes adeo validæ ſint vt partus tempore non diſrumpantur, digitis lacerari poſſunt, dummodo fœtus progreſſum jam fecerit, earumque eruptionem proximè ſequatur, orificium autem vteri internum ſufficienter hiet ac mollius factum ſit; alias periculum eſſet ne ob aquas citius elapſas in vado fœtus hæreret; atque aquarum defectus ſupplendus foret vias lubricando fotibus ex decoctis & oleis emolliendi vi præditis; at nunquam res tam proſpere ſucceſſit quam cum natura ſponte operatur, aquis adjuta & viſcoſo humore ſolito, ſi tempore & loco idoneo effluant.

Nonnunquam hæ membranæ extra pudendum adeo feruntur, ante fœtus exitum, vt nonnunquam propendeant ad quatuor tranſverſorum digitorum eminentiam, veſicam aqua plenam referentes; Nullum tunc in perforatione impendet periculum, niſi jam exhauſtæ ſint; fœtus enim meatum adhuc occupat, ad exitum paratus, quando caſus ille accidit; ſed ſedulo cavendum ne dictæ membranæ manibus attrahantur, ſic enim intempeſtive ſecundina divelleretur cui arcte adhærent. Nonnunquam etiam aquæ effluunt inſenſibiliter, diſruptione interius facta membranarum fœtum ambientium, quæ integritatem in capite ſervantes, frontale quaſi quoddam ipſi obducunt, ac immediate cingunt, prohibentque ne extra feratur vrgentibus partus doloribus; quo in caſu diſrumpendæ ſunt iſtæ membranæ, dummodo oſtium ſufficienter patens fuerit, quo capiti infantis liber ac patens ſit tranſitus.

Sin vmbilicus extra vterum procidat, tunc illico retrudi debet ad interiora exitum quantum licet præpediendum; alias quamprimum partus promovendus; ac ſi ſecundina promineat, nunquam illa repellenda, quia hæc decidua omnino fœtui inutilis eſt, obſtaculo & impedimento in exitu ipſi futura intro compulſa; tunc temporis removenda, fune vmbilicali filo prius conſtricto, fœtu poſtmodum protinus extracto, alias ſuffocationis præſens eſt periculum.

Si prægnanti caſus acciderit, aut aliqua alia injuria, illico lecto ſe tradat, & quieti. Si quæpiam animi pathemata partui moram afferant, tranquillitas quantum licet imperetur; ſi pudor cauſa fuerit, ſecedant ii qui illum incutiunt; Sin doloris formido, hunc fugacem fore & levem inſinuandum, &c.

Si partus difficultas fuerit ex parte Fœtus mortui, obſervanda methodus à me tradita vbi de partu naturali; ſed præterea parturiens nixus majores adhibere debet, ad citiorem fœtus excluſionem, nihil ad exitum confert, vti nec cum admodum debilis eſt; Exhibitis interim corroborantibus, ne vapores putridi à fœtu mortuo elati leipothymiam inferant.

At ſi hydrops adeo ventrem aut caput occuparit, vt præ nimia diſtenſione harum partium exitu prohibeatur, tunc perforatio neceſſaria eſt membranarum educendarum gratia aquarum. Sin corporis totius enormis adfuerit magnitudo, vel ſolius capitis, aut forte ſit biceps, alterumve corpus habeat adnexum, molæve inſignis, tunc ſalutis matris gratia ex his duobus alterum neceſſario eligendum, videlicet, aut dilatatio meatuum congrua & proportione reſpondens monſtroſi fœtus magnitudinis aut fœtus dilaceratus partitim eximendus. Sin obſtetrix his officiis imparem ſe agnoſcat, illico peritum Chirurgum advocet cujus conſilio vel auxilio vtatur, &c.

De Partu contra naturam, cujus ratione Chirurgica manus requiritur, Et de cautionibus ante operationem obſervandis.

Partus contra naturam, qui manum Chirurgi omnino requirit is eſt in quo fœtus depravato ſitu exitum tentat; *Hippocrates lib. de Nat pueri, & lib. de ſuperfœt.* tres tantum modos in lucem exeundi adducit, primus eſt cum caput prius procedit, quæ ſola figura naturalis eſt cum directe fertur; Secunda cum pedes, & tertia cum latera; aut tranſverſim oſtio vteri incumbit.

Ut res dilucidius explicetur, dicimus quatuor dari depravatas fœtus ad exitum figuras, *primo* cum anteriores omnes corporis partes offeruntur, *ſecundo* cum poſteriores, *tertio* cum *laterales*, *quarto* cum pedes, Sicuti autem quatuor ſtatuuntur venti cardinales; ad quos cæteri triginta duo, aut plures, revocari ſolent; Itidem cunctæ & diverſæ figuræ contra naturam fœtus exitum molientis, ad quatuor prædictas generales reducenda ſunt, prout huic vel illi magis affines fuerint; Sicuti autem numerus diverſitatis partuum contra naturam inſignis eſt, præcipuos tantum ſpeciatim attingemus, reliqui enim, vt pote minus depravati, in motem moleſtiam illaturi ſunt; Sed priuſquam rem aggrediar, prius adducendæ ſunt conditiones in Chirurgo requiſitæ, ſi has aggredi intendit, vt & cautiones ante operationem obſervandæ.

Conditiones hæ vel corpus Chirurgi ſpectant, aut ejuſdem animum; Quoad *corpus*, ſanitate is gaudere debet, & robore virium; hæc quippe omnium Chirurgorum operationum vt difficillima eſt, ita & laborioſiſſima, Chirurgo ſudorē ex toto ſæpe exprimens, corpore media etiā & rigentiſſima hyeme; id quod innuit *Fabritius ab Aquapendente*, aſſerens ſe præ ſummo labore & defatigatione, operis reliquum ſe miniſtris commiſiſſe, Quapropter plurimi Chirurgi, laborem fugientes, plurimarum matrum & fœtuum interitus cauſa ſunt. Unuſquiſque vero Chirurgus & pius, laborem neſubterfugiat, ne homicida ſit infortunatarum matrum & fœtuum *Occidit enim quiſquis ſervare poteſt nec ſervat*, Eapropter Chirurgus ejuſmodi operationes ſuſcepturus juvenis eſſe debet, aut ſaltem nondum provectæ ætatis. Præterea exilibus & teretibus manibus donatus ſit, quas nullo negotio in vterum immittat, validis nihilominus, digitiſque longiuſculis, indice præſertim, quo facilius illi occurrat orificium internum: annulos tunc detrahat, ungues carne tenus præcidat: nullis relicta inæqualitate vel aſperitate metu læſionis vteri, &c.

Priuſquam autem ſe accingat operationi Chirurgus nonnulla illi obſervanda ſunt, ac primo quidem perpendat num vires parturientis ſuffecturæ ſint, & pares operationi tolerandæ, id quod ex pulſus tenore conſequi

qui licet, vultu, oculis, voce. Num vterus & abdominis partes imæ admodum inflammatæ ſint & tenſæ; Num extrema frigeant; Num adſint animi defectiones ſudoreſque frigidi, aut ſpaſmis tentetur; Num principes facultates concidant, Tandem ſi omnia concurrant quæ fruſtraneam fore operationem teſtentur; nequaquam illam ſuſcipiat, ne forte medio in opere deficiat, vnde famæ periculum ſubiturus eſt & ſuſpicionem occiſionis.

Si nihilominus tantilla ſpes affulgeat, ratione matris, aut fœtus ex conſcientiæ lege quæ ſuarum ſunt partium præſtare debet Chirurgus, Quapropter periclitari ſatius eſt quam in deſperationem adducere patientem; Natura enim nonnunquam quæ proſtrata & ſuccubuiſſe omnino videbatur, reſurgit præmiſſo tamen dubiæ vtriuſque ſalutis prognoſtico.

Sin vires parturientis omnino conſtent, videat Chirurgus ne per moram atterantur; quapropter, ſiquidem operationi ſuſtinendæ impar non fuerit, inquirat prius num pariendi terminum attigerit, aut illi proxima fuerit, vel num cauſa aliqua violenta accelerarit; obſervet qualiſnam ſit ſitus fœtus in vtero, vivat an mortuus ſit, vnuſve ſit an plures, quibus examinatis, indicet ægræ impoſſibile eſſe vt citra Chirurgi opem partus ſuccedat; hortabiturque animum componat ad illam ferendam ſpem faciens quam minimo dolore, & brevi tempore illam abſolutum iri; ac tandem tum propriæ ſalutis gratia, tum fœtus neceſſe eſſe vt ſe illi exponat.

Annuente ægra, tranſverſo ſitu in lecto illam conſtituere debet, quo comodius perficiatur operatio in ſupino decubitu, clunibus paulo quam dorſum elatioribus, aut ſaltem æquali omnino ſitu, ſi forte neceſſe ſit fœtum repellere aut convolvere idonei ſitus conciliandi gratia, At vero cum fœtus extractio molienda eſt, parturienti is ſitus dandus quem ante memoravimus vbi de partu naturali, vt videlicet caput & pectus reliquo corpore aliquantiſper elatiora ſint, quo liberior ſit reſpiratio, ideoque expulſionem fœtus facilius adjuvet, dum ipſamet comprimit & verſus inferiora impellit monente Chirurgo, Tunc temporis complicatas habeat tibias, adeo vt tali fere nates contingant, deducta femora duo viri fortes contineant. Quin & tertius vlnis amplexam tergo retineat, ne trahentem fœtum Chirurgum corpus ſequatur quam in rem quandoque ſingulari opus eſt robore; cooperto interim decenter corpore, tum vt ne frigus admittat, dummodo ab his nullum operanti Chirurgo accidat obſtaculum.

Jubent præterea nonnulli vinculis coerceri parturientem, ad firmitudinem, aiunt, operationis; at tantum abeſt vt vtilis ſit hæc ligatura quin potius admodũ noxia, nam ſic conſtrictæ denegatur facultas ſeſe erigendi, flectendi ad nutum Chirurgi, quæ ſitus mutationes ſubinde neceſſariæ ſunt alias in directum, alias in obliquum pro re nata, quapropter ſatis eſt ſi contineatur à viris robuſtis ad variæ inflexionis commoditatem. Præterea Chirurgo curæ ſit oleo vel butyro recenti orificium vteri inungere ſi neceſſe ſit ad faciliorem manus introductionem, quam etiam inungere debet, operi ſe accingens.

Directio & Extractio fœtus vivi, ſincipite ad pubem compulſi, manumque ſiniſtram exerentis.

Conjunx N. poſt aquas copioſas haud dolorifico affluxu, rurſus pariendi per aliquot horas atrociſſimos abſque fœtus promotione ſuſtinuit dolores: Situm infantis vitioſum eſſe maſcule aſſerui, neque fœminam vlterius vrgeri permiſi; Digito, vt decet rem examinans, ad operandum me accinxi, & manum infantis ſiniſtram juxta oſculum vteri repertam molliter repoſui, ne ſubſequentibus conatibus foras protruderetur, faciem ſurſum ſpectantem, & frontem cum ſincipite pubi adſtantem non attigi, ſed occiput inteſtino recto incumbens prehendi & vel tantillum loco dimovi, quo facto frons lubricatur, & puer ſalvus feliciſſime in lucem editus eſt. *Jo. de Muralto.*

Puerperarum regimen.

Ubi puer prodierit in lucem, & ſecundæ eductæ ſunt, hæ adhuc calidæ ſunt citiſſimè puerperæ vmbilico apponendæ, quibus ſublatis involvenda quoque puerpera, potiſſimum ſecundum renes & ventrem totum pelle arietina, è vivo adhuc recens & præſenter extracta quod hactenus animadverſum non eſt, etiamſi multi è recentioribus de gynæciis ſcripſerunt. *Joh. le Bon.*

Quibuſdam ſex horas tantùm, quibuſdam verò diem integrum quieſcere convenit: Nonnullæ cum illa pelle arietina degunt abſque ſomno, abſque motu, abſque luce, clauſis feneſtris, in temperato aëre, aut calido, pannis bene tectę ſervantur; has ſi tormina exagitant & excruciant; abſtineant à vino per triduum. Idem ipſum faciendum ſi copia lactis moleſta ſit. Si præceſſerit partus difficilis, & jamdiu puerpera cibo abſtinuerit, exhibendum eſt capi decoctum, aut aliud quidpiam quod celeriter & probe nutriat. *Joh. le Bon.*

Regimen Puerperaurm.

Ne lac ad mammas feratur, & Lac gignatur, in iis quæ Nutrices eſſe nolunt.

Statim poſt pellis arietinæ ablationem, habenda eſt ratio mammarum, idque fieri debet horis ad ſummum ſex à partu, Primo ergo illinantur hoc vnguento, non neglecta ſemper alvi procuratione, quæ præſtari poteſt enematibus, nam mulier gravida, & puerpera, cloaca & immenſum ſtagnum eſt.

℞. *Ol. roſac. myrtillor.* ãã. ℥ iß. *aceti* ʒß. *m.*

Mammas calide bis aut ter 1. die 2. poſt illitum aſperge illas pulvere *myrtillor.* & ſuperpone Emplaſt. ſequens.

℞. *Maſtich.* ʒij. *nuc. moſch.* ʒj. *nuc. cupr.* ℈iv. *bol. armen. terræ ſigill.* ãa. ℈ij. *ſang. drac.* ℈iv. *myrtill. balauſt.* ãã. ʒß. *pulv. ireos Flor.* ℥ß. *ol. myrtill.* ℥ij. *ol. amygd. dulc.* ℥j. *tereb.* ℥j. *ceræ novæ q. ſ. f. Emplaſtrum.* Utrique mammæ aptandum.

⁂ Fiant ex eodem duo oblonga, quæ ſub mammis à primo partus die admoveantur; prohibent enim ne ab vtero ad mammas feratur ſanguis & lac gignatur, Ferenda ſunt hæc emplaſtra ad tempus vſque purgationis perfectæ. *Joh. le Bon Ther. Puerp.*

Balneorum ratio pro Puerperis.

Poſtquam Puerpera perfecte purgata videbitur, jamque tranſierit trium hebdomadarum tẽpus & ſpatium, fueritque integre confirmata, priſtiniſque viribus reſtituta, nulla febris ſuſpicio, nulla in viſceribus obſtructio, neque quicquam Balneorum vſum poteſt impedire, præmiſſa evacuatione humorum, cogitandum erit de Balneis ad eluendas ſordes relictas, tum à præſcriptis vnguentis & litibus, tum à muliebribus evacuationibus, adde quod balneis interna viſcera à puerperii laboribus diſtenta, reſtituantur priſtinæ valetudini, cutis erugatur, politur, lævigatur & molleſcit, quod mulieres exoptant.

Ingredienda ſunt Balnea tribus diebus continuis ante cibos, ventre ab excrementis repurgato, vi naturæ aut arte: Ab initio tepida ſint, in quibus initio

paulatim immorandum erit, illiſque paulatim aſſueſcendum. ij. die diutius immorandum, illudque parandum calidius, calidiuſque tolerandum; iij. die ferendum vſque ad laſſitudinem, & ab egreſſu balnei lecto ſe committendum ſumenda interim à Balneo aliquid de aliquo condito roborante.

Non comeſſationibus vtendum in Balneis, vel ſtatim poſt, vt ſolent bibaculæ mulierculæ & obſtetrices, nec poſt totum diem laſciviendum in Balneo, vt pleriſque mos eſt, non enim omnibus confert Balneum.

Sunt autem variæ parandorum Balneorum formæ pro temporum ratione, Æſtate fiant implendo labrum vel dolium aqua fluviatili limpida, addendo vini albi optimi partem xii. relinquatur per duos dies, poſt ferveant cum *artemiſ. majoran. agrimon. puleg.* āā. m. i. inter fervendum pluries extinguatur ferrum candens: ſub decocti finem adde *roſar. rubr.* ℨiij. *flor. chamom. melil. anethi* āā. ℥j. fiat colatura & balneum primum, à quo egreſſa de aliquo condito, deinde ſudet, ſudore deterſo, paulo poſt ſumat cibum euchymum, cavendo ab aëre frigido.

Reſervetur aqua primi Balnei pro ſecundo, addendo

℞. *Far. fabar. & avenæ* āā. ℔ij. *far. orobi* ℔j. *far. lupin.* ℔ß. *far. gland.* ℔j. *alum, cocti, alum. rochæ* ℥iß. *ſalis* ℥ij. *caryophyl. nuc. m.* āā. ℨj. conterantur f. ſacculus, qui in aqua primi balnei ferveat. Ita paratum Balneum ingrediatur addere licet *granor. tinctor.* ℥iv.. in ſacculo.

Diutius immoretur quam in primo. Eodem modo concinnabitur tertium.

Hyberno tempore ita fiat, Hauriatur aqua fluviatilis cum majori quantitate vini, in ea bulliant *roriſmar. menth. maioran. artemiſ. ſabinæ, heder. ter.* āā. m. j. *alum. rochæ* ℔ß *gran. tinct.* ℥vj. *roſ. rubr. chamam. meliloth. aneth.* āā. ℥ij. *far. orobi, lupin* āā. ℔j. hæc in ſacculo ferveant, addendo *aquæ vitæ* ℔ ß. f. Balneum, in eo extinguendo frequenter ferrum caudens.

Dimiſſis Balneis per octo dies fovebit fonticulum ut ſequitur.

℞. *Roſ. r. p. j. myrrhæ* ℨij. *ſchœnant.* m. ß. *myrtill* ℨiiß. *alum.* ℨß. *maſtiches* ℨiij. *nuc. m.* ℨij.

Terantur, ferveant in *vino rubro ſtyptico*, fiat ſuper pudendum Fomentum bis in die calidè.

Sic reſtauratur vterus ad alios conceptus, & pudendum gratiſſimam formam accipiet. *Joh. le Bon.*

Sanguinis grumi, vel aliud quid præternaturale in vtero remanens.

Si ſanguinis grumi, vel aliud qui p. n. poſt partum in vteri cavitate remanſerit, illud inde dignoſci poteſt quod cervix vteri mollis & aperta remanet, nec internum illius orificium clauditur, neque vterus ſurſum retrahitur, cum omnibus rite ſe habentibus poſt partum vterus ſurſum trahatur, illiuſque cervix atque orificium brevi tempore claudatur: Narrat *Harvæus Tr. de Partu*, mulierem, febre maligna laborantem cum ſumma virium jactura abortiſſe; & poſt excluſionem fœtus integri atque incorrupti, proſtratis tamen viribus, vt moribunda videretur, ſe vterum explorando, ejus orificium laxum, molle & patentiſſimum deprehendiſſe, vna cum male olentibus lochiis, Et digitis immiſſis molam, ovi anſerini magnitudine, foraminibuſque aliquot, atram, viſcidam & fœtentem putrilaginem in ſe habentibus, præditam extraxiſſe, ſtatimque à prædictis ſymptomatis liberatam eſſe. contingit etiam in nonnullis orificium vteri ſtatim à partu adeo conſtringi, vt detentus intra vterum ſanguis ſubito grumeſcens, & putrefactus, ſæviſſima ſymptomata inducat, cumque nulla arte exitus ei parari poſſit, præſentaneam mortem inferat. Refert tamen *Harvæus l. c.* mulierem à ſe curatam tali affectu laborantem. Pudendi labra tumida erant & fervida, orificium vteri durum & clauſum; Ipſe vero inſtrumento ferreo immiſſo per vim aliquantulum aperuit, vt injectionem per ſiphunculum admitteret, indeque grumeſcens, ater, fœtiduſque ſanguis ad libras aliquot effluxit cum præſenti ægræ levamine. *Riverius lib. 15. Pr. c. 24.*

Pudendi muliebris læſio à partu.

Pudendum in difficili partu maxime offenditur & læditur, cui ſtatim à puerperio admovendum quod ſequitur,

℞. *Ovor. album n°. ij. ol hyper.* ℥iß. *ol. myrtillor.* ℥ß. cum ſtupis cannabinis applicetur labiis pudendi. Cavendum ne collum vteri attingat, nam purgationes ſiſteret; Sequenti die fiat Fomentum ſequens.

℞. *Vini & aquæ* āā. ℔ß. *flor. roſ. rubr. & hyper.* āā. *p. ij. f. decoctio*, ex hac fomentum pudendi, ſuperpoſitis prædictis ſtupis.

Supra ſcripta fiant 1. & 2. die, à 3. ad 9. fiat quod ſequitur,

℞. *Vini albi* ℔j. *aquæ* ℔ß. *myrrhæ* ℥ii. *cumini* ℈iv. *alumin.* ℨß. *acinor. à paſſulis extractorum* ℨij. *cortic. granat.* ℨii. *flor. roſ. rubr.* ℨii. f. Decoctio, qua foveto labra pudendi ſemel in die ad ix. vſque diem, deinde vngantur ſequ.

℞ *Ol. hyper.* unc. ß. *ſperm. ceti* ℨiij. *cum cera alba* f. vnguentum. *Joh. le Bon.*

Vulvæ Ruptura.

Interdum in Primiparis, vel anguſtis, vel in partu difficili vbi fœtus eſt grandior, Pudendum *rumpitur, vt vulva & anus fiant vnum foramen*: Malum grave, quod non rite tractatum in gangrænam degenerat. Contra hanc rupturam optima eſt medendi ratio, vt vtrinque labiis vulvæ imponatur gluten *Timæi.*

℞. *Pulv. rad. conſol. major.* ℨii. *Boli armen. maſtich. ſangu. drach. ſarcocoll. far. volat. pomphol.* āā. ℨj. mſ. *cum reſina pini & album. ovi* āā. *q. ſ. pro glutine.*

Poſtmodum anſulis applicatis & invicem connexis ad ſe ducantur labia vulvæ ruptæ, Hoc facto intra rimam inſpergatur *Pulvis rad. conſol. maj.* qui excipiatur *album. ovi* & illinatur blande in locum pudendi, labiis denuo ad ſe adductis: Vel cum plumeolis immittatur. *Balſam. Peruvianus*, qui ſi fuerit acrior deliniatur cum *albumine ovi* & imponatur cum *balſamo ſulph. terebinth. Etmuller.*

Curioſus caſus eſt quem habet *Guillemeau lib. 3. c. 14.* de muliere rupturam vulvæ patiente, quæ neglecta cicatricem induxit, vt vnum foramen remanſerit. Mulier denuo concipit, & altero demum partu fuit curata. Nempe eodem modo quo ſolent curari labia leporina, ſcil. abſcindendo 1. partem cicatriſatam, poſt per filum acu transfixum inſiſtit, vt firmius conjungantur labia, hinc impoſuit *balſamum Elemi compoſitum* mediante quo curabatur, Balſamus hic eſt.

℞. *Gummi elemi* unc. ij. *terebint. Ven.* unc. iii. *olei hyper.* vnc. iiß. *ſangu. drach. myrrhæ* āā. ℨj. f. ſ. a. Balſamus.

Tumor pudendorum, Contuſio, Excoriatio, Fiſſuræ.

Symptoma non eſt rarum, quod in partu, vel primo vel difficili, affligit Puerperas. Tumor pudendorum & Inguinum, cum aliquali inflammatione. In tali caſu nil melius eſt *fotu ex flor. ſambuci & chamom. in aqua vel vino* coctis. Vel

℞. *Beccabungam, contunde cum flor. chamom. & inſtar*

inſtar catapl, calide imponatur, pudendis, Item *Herba meliloti cum ſem. fœnugr.* forma Fotus eſt egregia.

Fit interdum vt in Partu *contundantur, excorientur, ac lædantur Pudenda*, imprimis in Partu violento, vbi convenit ſi miſceantur, *ol. hyperici & roſar.* cum *ovis integris*, & ſub forma linimenti molliores admoveantur.

Si *Pudendum contrahit Fiſſuras*, convenit Emplaſt. ſequens

℞. *Balſami Peru.* ʒiii. *axung. porc.* unc.iij. *ol. vitell. ovor.* ʒiij. *terebinth. Ven.* ʒi. m. f. Balſamus, ex plumaceolis admovendus. *Etmuller.*

Ruga ventris à partu.

Ablata arietina pelle vngendus eſt venter totus ſequ. vnguento, *hinc* ſupponenda *tela* mox deſcribenda, quam ad octavum à partu diem perpetuo deferet ventre faſciis apprime vincto.

℞. *Spermatis ceti* ʒij. *ol. amygd. d. chamomel. hyper.* āā. ℥ ß. *ſevi cervin*, ℥j. *ol. myrtill.* ℥ß. *croci* ℈j. f. Linimentum, quo vngatur venter quotidie calide, ſuperpoſita tela.

℞. *Ceræ novæ quart. j. ſperm. ceti* ℥j. *terebinth. in aqua roſ. bene lotæ* ℥iiß. *ol. amygd. d. & hyper.* āā. ℥j. *croci* ℈j. bulliant omnin.

His infunde telam ex cannabe ad magnitudinem ventris.

Poſt diem viii. ferenda ea quæ ſequitur per totum puerperii ſpatium & decubitum.

℞. *Ol. myrtill. hyper.* āā ℥iß. *ol. aneth.* ℥j. *ſperm. ceti* ʒij. *axung. cervin.* ℥iß. *ceræ albæ quart. j.* bulliant, addendo in fine *decoct. croci* ℈j.

Cum aufertur ab igne impone telam cannabinam, quæ ſtrenue manibus confricta & polita deferatur per totum decubitus tempus. *Joh. le Bon.*

Tumor ventris à Partu.

Quoniam Puerperis nonnunquam neceſſariis peractis ſupereſt magnitudo & tumor ventris, non minor quam cum adhuc vtero geſtabar, aut ob flatus in eo ipſo contentos, aut humorum illuc decumbentium copiam, his omnibus, hæc Diæta inſtituenda.

Principio à cibis flatum gignentibus, cibum parcius aſſumat, purgetur, ſequentia ventri admoveantur,

℞. *Ficuum* ℔j. *far. hord. fabar.* āā. ℥ß. *far. oryzæ* vnc. ij. *gallar. nuc. cupr.* āā. ʒj. *maſtich.* ℥ij. *ſem. fœnic.* ʒiij. *coqu. in aqua fabr. ferrar. donec ſpiſſum* fiat decoctum.

Cum panno lineo calide ventri admoveatur & faſciis ligetur per 24. dies. *Joh. le Bon.*

Lipothymia in Puerperarum.

Imminent quandoque Puerperis graviores *paſſiones hyſtericæ* duplici modo, Interdum mox in partu leipothymiæ imminent, ac tum dormire volunt; vel paſſiones hyſtericæ ſuperveniunt, poſtmodum in curſu puerperii, vel ſolitariæ, vel conjunctæ aliis morbis,

Prius ſi fiat, optimum eſt, vt vtamur ſaltem ſale quodammodo volatili, v. g. ſolus *ſpir. ſalis armon.* cum *liquore c. c. ſuccinato* in calido vehiculo diſſipat imminentes lipothymias repetendo aliquoties, donec mulier evadat immunis.

Verum ſi *poſterius* ſit, nempe paſſionis hyſtericæ complicatæ cum aliis affectionibus, eſt difficile. partim quia non poteſt cognoſci, & quia in cura reſpectus eſt habenda, primipatæ: Nempe ſi aliquot dies à partu ſuperveniunt Suffocationes vteri, ſolent ſaltem conqueri de inſigni anxietate. Hoc ſymptoma ſolet eſſe frequens mulieribus, quando imminet puerperium, Interim tamé in paſſione hyſterica anxietates præcordiorum affligunt circa regionem ſtomachi & præcordiorum quibus vero imminent puerperia, conqueruntur de difficili anhelitu, quod pectus repletum ſit, &c. quod fit ex aliquo ſanguinis ſtatu, propter vitiatam fermentationem circa præcordia. Ubi ergo ſuſpicamur eſſe complicatam paſſionem hyſtericam cum imminente morbo acuto, ſimus cauti in exhibitione remediorum volat. quia non ſemper eadem ferunt morbi acuti; ſaltem ergo temperata ex *myrrha, caſtoreo, ſalibus fixis*, vt *card. bened.* & ſim. convenient, vt partim paſſioni hyſtericæ partim morbo acuto ſuccurramus. *Etmuller.*

Vrinæ incontinentia, & Fæcum.

Puerperis vrina & alvi incontinentia ſæpe accidit, dum muſculi horum viſcerum conſtrictores onere gravati reſolvuntur: *duratque affectus* vſque dum fibræ vrinariæ iterum in ſeſe redeant, & vigorem priſtinum adeptæ ſint, atque genitalia quoque antiquum obtineant, & cauſa vero incontinentiæ vrinæ eſt afflictio muſculoſarum veſicæ partium, & ſphincteris reſolutio,

Imperita plebs ferme manum obſtetricantem accuſat, ſed male, cum fieri vix poſſit, vt manus veſicę reconditæ & obvallatæ vim inferat, Imo ſi quis ſecundinarum loco ipſum extraheret vterum, veſica nihilominus vrinam contineret; Tunc ergo demum id mali metuendum eſt, quando fortia emmenagoga fœtumq; pellentia indiſcriminatim propinantur, matribus humidioribus & crebro micturientibus. Quando item æquo diutius hæſit infans in vagina vteri, partuſque difficilis & perverſus fuit. *Joh. de Muralto.*

Diarrhœa Puerperarum.

In hac duæ circumſtantiæ ſunt conſiderándæ 1. An recte fluant vel fluxerint Lochia. 2. An adjunctus ſit morbus malignus, In vtroque ſtatu acutus ſit Medicus, ſi ſuperveniat Diarrhœa Lochiis recte fluentibus, ſiſtenda venit in ſpecie blandis ſudoriferis, & ſtypticis compeſcenda; Si vero *non manant*, vel non ſufficienter fluxerunt, relinquenda, Teſtantur enim obſervationes, quod loco Lochiorum interdum ſuperveniat Diarrhœa, quæ loco Lochiorum fuit ſalutaris: Cum ergo interdum lochia per diarrhœam ſoleant evacuari; propterea vbi lochia vel non, vel non ſufficienter fluunt, non ſtatim ſupprimenda eſt.

Si vero eſt conjuncta cum morbo acuto, effloreſcentiis cutaneis, &c. eſt periculoſa, propterea venit curanda per ſudorifera fixa: per hæc enim reprimuntur recrementa cauſa Diarrhœæ, conveniunt ergo *c. c. vſtum terra ſigill. magiſter. corall.* cum *ſucco citri* quibus addendum eſt nonnihil de *laudano opiato*, ſic enim prohibetur *cauſa* motus, & *cauſa* ipſa evacuatur, ſtyptica vero fluxum ſiſtunt & diarrhœam compeſcunt. *Etmuller.*

Incontinentia vrinæ.

Sæviſſimum ſymptoma eſt, ſi partes lædantur in partu, ita vt lædatur ſphincter veſicæ, vt non poſſit cohibere vrinam, exinde enim excoriantur & exulcerantur pudenda & femur.

Malum eſt difficile curatu, Recens curari poteſt per *injectiones vulnerarias, linimenta*, &c. verum nitetur quod obſervavit ab *Heer obſ. 4.* & *Boyle in Philoſ. Exper. p. 110.* quod *calcinati bufones vivi* (calcinantur in olla recenti & nova) appenſi, vt immineant regioni ſtomachi, malum hoc ſiſtunt & compeſcunt, Certum enim eſt quod inveteratum malum fere incurabile ſit, niſi forſan Thermæ aliquid conferant Sphincter enim læſus ſic cicatricem contrahit, vt vix curari poſſit malum, quod facile contrahunt quando obſtetrices ignaræ vel incautę vnguibus dilacerant ſphincterem veſicæ. *Etmuller.*

Suppreſſio vrinæ.

Oritur vel à ſanguinis grumis, vel in vagina, vel in aliis locis hærentibus, & vrinæ fluxum impedientibus, Præter interna, vel ſanguinem grumoſum diſſolventia, vſurpentur clyſmata acriora externe *ol. ſcorpion. &c. Etmuller.*

Fluor albus Puerper.

Puerperas fluor albus nonnunquam opprimit, Cauſa eſt ſanguis crudior qui per vteri vaſa effluit. In Curatione talia requiruntur quæ & roborant & incraſſant, Roborat *betonica, plantago, corallium, biſtorta, tormentila*, Incraſſant *gelatina crocus martis, ſymphyt.* &c. *Joh. de Muralto.*

Sanguinis ex vtero profluvium, ſponte deſinens excretâ molâ.

Vxori mercatoris *Alutarii D. Midré* bilioſi temperamenti, (anno 1676. menſe Febr.) partui proximæ ſanguinis ex vtero profluvium accidit, Jubeo accerſiri obſtetricem ad eum promovendum, Vix hæc advenit, vna cum ſanguine expellitur maſſa carnea molem æquans capitis fœtus trimeſtris. Hac excluſa illico deſinit Fluor, Cardiacis recreata duodecimo post die filiam obeſam, ſed cum labore enixa eſt, quia pridie aquæ profluxerant. Subſequuntur partum hyſterica ſymptomata, leipothymiæ crebræ, febris continua evaſit tamen noſtra opera. *T. Bonet.*

Convulſiones.

Convulſiones in puerperis oriuntur partim ab evacuatione ſubitanea, partim ab alteratione nervorum, membranarum & reliquarum vteri partium ob frigus admiſſum. Nunc manifeſtæ ſunt, nunc occultæ, quæ nocentiores. Frænum illis injiciunt *Pulvis Marchionis, ſpir. c. c. ſpir. ſal armon. ſal volat. oleoſum ſylvii, ol. ſuccini, &c. Aqua valerianæ, jaceæ, anagal. paon. meliſſæ*, Notandum Convulſiones in Puerperis ſæpius à conſtrictâ alvo, flatibuſque diſtendentibus excitari; proinde iis ſemper alvus ſervetur libera. *Joh. de Muralto.*

Dolor Inguinis in Puerperis.

Enixus poſt partum ſæpe dolor exercet in inguine, ex Vtero, in illo conglobato, quo in caſu *Riverius in obſ. comm. 2.* extollit ſequens,

℞. *Galbani, aſæ fœt.* āā. unc. j. f. l. a. Empl. rotundum, cum *moſchi gr. iv.* in medio; Admoveatur paulo infra vmbilicum.

Vagi acuti dolores.

Conqueruntur Puerperæ de *vagis doloribus* poſt partum, vbi ſufficit *vngu.* ex *ſpermate ceti cum oleo nuciſtæ expreſſo, cera* & pauco *croco* mixtis in conſiſtentiam vnguenti, vel *Emplaſtri* calide abdomini applicandi. *Etmuller.*

Coſtarum fractura, aliorumque membrorum læſio.

In extractione Fœtus mortui nonnunquam contingit frangi coſtas, aut alia membra, quæ lædunt & compungunt adeo, vt etiam inflammationes, vulnera & vlcera oriantur. Quo in caſu *Potionibus vulnerariis* certandum, linteaque *oleo roſaceo* imbuta imponenda. *Joh. de Muralto.*

De Fœtu mortuo.

Ἔγκυος νεκρός, Fœtus mortuus vitaque privatus, ſæpe extinguitur in vtero fœtus, maxime tempore pariendi in partuſque difficultate, qui niſi ex vtero ocyus expellatur aut eximatur præſentiſſimum exitium & prægnanti infert, *Fr. Joel.* Interdum etiam ante labores partus ex cauſis præternaturalibus; quales ſunt eæ quæ aborſum provocare poſſunt, cum mori contingit, Et ſi nondum determinatum pariendi tempus attigerit, abortum facit, ſi vero ad illud tempus pervenerit, facit partum difficilem, quia ad legitimum & naturalem partum fœtus cum matre cooperari debet, vt è carcere ſuo egrediatur. *Riverius.*

Cauſæ extinctionis in vtero fœtus multiplices ſunt, internæ & externæ, inter quas *προηγούμεναι* præcipuæ ſunt difficultas partus, vbi longa enixionis mora, vt quando parturiens per tres vel quatuor dies laborat, intervenit; *προκαταρκτικαὶ* cauſæ ſunt metus & conſternatio repentina obſtetricis, imprudens chirurgia circa extractionem fœtus, & violentorum remediorum ante & inter parturiendum exhibitio. Caſus item ex alto, contuſio ventris gravidæ, defectus alimenti fœtus ex nimio profluvio ſanguinis, calor p.n. in febribus morbi maligni & alii. Sæpe etiamdum nimis & inordinate fœtus movetur ſuffocatio ſuccedit, involvente ſe fœtu in ductum vmbilicalem, vt vitalem ſpiritum ex arteriis vteri haurire nequeat; atque tum ductus vmbilicalis exareſcit, vti experientia teſtatur. *Fr. Joel.*

Inprimis fœtus extingui ſolet, ſi adeo præpoſtera figura prodeat vt nullomodo excludi poſſit, neque ab Obſtetrice vel Chirurgo extrahi, aut in meliorem ſitum converti. Cum enim hoc modo in orificio hæreat, & omnem conatum matris eludat fit vt in illis conatibus, variiſque motibus, & compreſſionibus interdum mater & fœtus, interdum mater ſola, interdum fœtus ſolus moriatur: Admiratione dignum quod refert *Fabritius Hildanus* de duobus mulieribus ex partu laborioſo extinctis, in quibus vterus diſruptus eſt inventus, & caput infantis in ventris capacitatem demiſſum: vnde colligere eſt quantum ſit validi fœtus impetus ad ſui exclusionem moliendam.

Cognoſcitur fœtus mortuus quando motus illius ceſſat, quem prius in vtero aut mater ipſa ſentiebat, aut obſtetrix, percipiebat admota manu; aut aliis rebus repentibus & roborantibus quibus illius vis ſopita ſolet exſuſcitari; Major ponderis ſenſus cum dolore abdomen infeſtat, quando fœmina de latere in latus ſeſe convertit, fœtum ex vna parte in alteram inſtar lapidis dilabi percipit; Ventris inferioris frigiditas tactu deprehenditur, extincto calore nativo & diſſipatis ſpiritibus, qui in fœtu continebantur; oculi redduntur concavi & perturbati, facies & labra pallent: partes extremæ frigidæ ac lividæ apparent; mammæ flaccidæ evadunt, ac tandem putreſcente fœtu ichores fœtidi & ſanioſi ex vtero emanant; abdomen ob vapores elevatos inflatur, teter odor & graveolens ſpiritus, non ſolum ex ore matris, ſed etiam à toto corpore exhalat. Si ante fœtum ſecundina excludatur, certiſſimum eſt fœtus in vtero mortui indicium. *Riverius.*

Si prægnans ambas manus in calentem aquam imponat, in eaque aliquandiu teneat, fœtumque non ſentiat; mortuum eſſe docet.

Doloris parturientium intermiſſio in totum, eſt ſignum intermortui fœtus, præſertim ſi ſupervenıat horror & pandiculatio, tum enim non amplius ſe commovere poteſt fœtus.

Prognoſtica e fœtu mortuo in vtero remanente, Si fœtu mortuo parturiens crebro in animi deliquium incidat, & acclamantibus nihil reſpondet, nec oculos

attollat,

attollat, aut ſi crebro ſpaſmo corripiatur, omneque alimentum averſetur, interibit & ipſa cum fœtu; Si vero viribus conſtet, & alimentum admittat, & juſſis adſtantium obtemperet, bona ſpes eſt eam evaſuram, quare danda eſt opera ut quam celertime ab emortuo pondere ipſa liberetur. *Fr. Ioel.*

Niſi mature excludatur fœtus mortuus, febres, lipothymias, ſopores, convulſiones & mortem inferre ſolet: Aliquando tamen per longum tempus ſervari poteſt, ex relatione *Skenckij*, qui affert exempla mulierum quæ fœtus in utero corrupti oſſicula per alvum, uterum, veſicam, & tumore in abdomine aperto excreverunt: Nos unam vidimus quæ omnia fœtus oſſa per umbilicum excrevit, & poſtea evaleſcente umbilico perfecte reſtituta eſt.

Curatio tota verſatur in fœtus excluſione vel extractione: cum enim maximum vitæ periculum immineat ex longiori fœtus in utero mora, quamprimum ex ſignis propoſitis certo concluditur fœtum eſſe demortuum ad illius excluſionem properandum eſt; Illa autem iiſdem remediis promovetur quæ ad juvandum partum fuerunt propoſita, Ex iis tamen fortiora & efficaciora eligenda ſunt, quibus nonnulla adhuc majoris efficaciæ addi poterunt, E. g.

℞. *Fol. ſabin. ſicc. ariſtol. rot. troch. de myrrha, caſtor.* ãã. ℥i. *cinnam.* ʒß. *croci* ℈i. *m. f. Pulvis de quo capiat* ʒi. *cum aqua ſabinæ*, Vel.

℞. *Dictamni Cret. ſabin. borac.* ãã. ʒi. *myrrhæ, rad. aſari, cinnam. croci* ãã. ʒi. *m. f. Pulvis, doſis* ʒi. *cum dicto aut ſimili liquore.*

Interim admoveantur pudendo, pubi & perinæo Fotus emollientes prædicti, addendo *rad bryon. cucum. agr. ireos Flor. ariſtol. rot.* & *flor. geniſtæ.* Poſt Fotum inungantur eædem partes *unguen. de arthan.* vel ſequen.

℞. *Ariſtol. rot. colocynth. agar.* ãã. ʒi. *grammon. in vino ſoluti, fell tauri* ãã. ʒii. *ol. Cheir. q. ſ f. Vngu.*

Peſſarium etiam in vulvam immittatur.

℞. *Ariſtol. rot. ireos, helleb. n. colocynth. myrrhæ,* ãã. ʒi. *galb. opopan.* ãã. ʒß. *cum felle bovis f. Peſſarium*, Vel.

℞. *Ammon. opopan. caſtor. ſerap. helleb. n. ſtaphiſ. ariſtol. rot. pulpæ colocynth. ſcammon.* ãã. ℈i. *euphorb.* ʒi. *cum ſucco rutæ, cyclam. cucum. agr.* & *felle taur. f. Peſſarium.*

Zacutus Luſ. Obſ. 154. l. 2. Pr. Adm. fœtum nonimeſtrem, in utero mortuum, & graviſſima ſymptomata excitantem, excluſum fuiſſe teſtatur hujus Peſſarii vi. & balnei oleaginei cum decocto medicamentorum aperientium & vias dilatantium commixti, *Suffitus* ex *galbano*, vel *Vngula aſinæ* per infundibulum excipiatur.

Si res cunctetur diutius, utile erit conſtantibus viribus, catharticum medicamentum exhibere, quo ſimul educuntur vitioſi humores, qui in hoc ſtatu facile & cito colliguntur, & conſecutione quadam fœtus propellitur; *Angelus Saia* in triumpho Emeticorum, teſtatur ſe feliciſſimo cum ſucceſſu pluries in hoc caſu exhibuiſſe *Mercurii vitæ gr.* iv. vel v. idque remedium potentiſſime fœtum mortuum excludere, & reliquis remediis prævalere: quod tamen ob vehementem ſuam operationem ſumma cautione & Medici prudentia indiget.

Si medicamentis diu tentatis fœtus mortui eductio obtineri nequeat, ad Chirurgicam operationem veniendum eſt; quæ fit vel inſtrumentis, ſicut à *Paulo* deſcribitur, vel manus ſolius miniſterio, prout docetur à *Carolo Stephano, Bauhino* & aliis. *Riverius.*

Initio ſi vires ferant collocanda eſt mulier in ſolium cui incoxerint.

℞. *Flor. chamæm. abrot. parietar. pulegii, artemiſ. beton. malvæ cum rad. ſabinæ*, ãã. *m.* ij. *rad. bryon. ariſtol. longæ, ſilic.* ãã. ℥ii. *ſem. fœnugr. lini* ãã. *m.* iij. *coq. q. ſ.* ut mulier ad umbilicum inſidere queat.

Si Balneum perferre nequeat, conſuantur eadem herbæ in ſacculum, in cerevilia coquantur, & imo ventri ac lumbis circumponantur; ſequaturque Litus.

Subjiciatur etiam fumus rerum fœtidarum, *ungula equi* aut *veteris calcei*, vel Trochiſc. ſequ.

℞. *Vernationem ſerpentis unam, myrrhæ, caſtor.* ãã. ʒi. *rub. tinctor. ſtercor. columb.* ãã. ℈ii. *contuſis cum felle bubulo q. ſ. redigantur in Trochiſces.* Fr. Joel.

Si *Fœtum extinctum* ſciamus, infundimus in ſinum uteri *ſuccum pulegii, centaur. min. porri, Mercurialis*, ſeparatim invicemve permixta; vel ſupponimus *rad. dictamni*, vel *rubiæ*, vel *bryon.* recentia in *forma peſſi* ſecta, oleoque inuncta & intruſa, vel.

℞. *Mercurial. contuſæ cum petroſel.* *quantum pro Peſſario ſufficit, ſemin. nigellæ* & *rad. cyclam.* ãã. ʒj. *impleatur ſacculus.*

Fortius adhuc ſic fiet.

℞. *Agar.* ʒii. *rad. ariſtol. aſari, ana* ʒj. *helleb. albi* ʒß. *colocynth.* (quæ venas admodum aperit) ℈i. *myrrhæ* ʒiii. *ſucci mercurial. cocti cum melle in formam ſyrupi, ſubigantur, impleantur ſacculi pro peſſariis.* Platerus.

Interne uſurpanda plurima vide In de Partu difficili *§. Difficilem partum avertunt.*)

Fœtus mortui felix eductio.

Mulier xxxv. annos nata, quarto gravida, ad quintum geſtationis menſem bene ſe habuit; Ad vicinam mortuam, (pro more loci) viſendam invitata, ad horribilem cadaveris vultum adeo exterrita fuit ut illico magnum ſenſerit corpore horrorem, ex quo inclinans ad deteriorem ſtatum, nec tamen ſymptomatis conflictata quæ fœtum mortuum comitari ſolent; Cum menſes fere xii. elapſi eſſent, petiit à me medicamentum, quod ſymptomata illa à ſolo menſium defectu orta eſſe crederet: Erant mihi familiares *Pilulæ de ſagapeno, ſale martis duplicato,* & *ſale ſuccini* permiſtæ, quo remedio nihil unquam potentius ad reſerandas uteri obſtructiones comperi, Iſtis aſſumptis cum euphoria eſt purgata, Sed circa 4. pomeridianam ægrotare cœpit, idque graviſſime & cum animi deliquio; Miſi abſque mora *aquam meam meliſſæ compoſ.* cum *ſpir. c. c. ſuccinato*, ex cujus uſu conſequuti ſunt uteri motus, verique parturientium niſus: Obſtetrix officium fecit, & paulo poſt fœtum eduxit, maſculum, omnibus quidem numeris abſolutum, ſed exſuccum & inſtar carnis fumatæ duratum: mirum in fœmina ſemper ad humidum temperamentum vergente: Cum nulla apparerent Lochia, ſed tamen vires ſe recipere putaret, poſt menſem à partu, Pilularum uſum repetiit, quem menſes ſtatim ſunt ſubſequuti. *Joel Langelotius.*

Appendix ad affectus Hyſtericos.

De Affectibus Hyſtericis in genere.

A quamplurimis ſcriptoribus, tum veteribus tum recentioribus nomine Suffocationis hyſtericæ affectus omnes hyſterici comprehenduntur. Rectius tamẽ *Mercatus* quem alii poſtea ſequuti ſunt, eos diſtinxerunt, cũ *Suffocatio* ſit una tantum ſpecies ab aliis diſtincta, ſed omnium graviſſima *Hyſtericos* autem *affectus* vocamus ſymptomata, eoſq; morbos qui non in utero ipſo, ſed in aliis partibus contingunt, ob conſenſum quem habent cum utero; Vterus enim cum omnibus partibus aliquẽ conſenſum habet, & præcipuè cum iis quæ in abdomine continentur, quibus per venas, arterias, nervos, membranas, ligamenta, ſua connectitur & adalligatur.

Fiunt autem prædicta à variis excrementis in utero retentis, præcipue à ſemine & ſanguine menſtruo, quando vel retinentur, vel alterantur, vel corrumpuntur, vel exuberant, mulieribus jam viro maturis, ut docet *Hippocr.* natura ad uteri venas ſanguinem immittit qui ſi quando ob earum anguſtiam vel ſanguinis craſſitiem, effluere non poſſit, vel remeat in viſcera, vel in ipſis uteri venis corruptus, vapores tetros reliquis partibus communicat: Idem de *ſemine* dicendum eſt.

Hæc autem ſi tantummodo in qualitatibus primis permutentur, æſtuationes faciunt, inquietudinem, ſitim, dolores varios, ſed ſi putreſcant, aut malignam qualitatem acquirant, etiam prædicta concitant ſymptomata, & alia multo graviora, ſæpeque lethalia, non tantum in diverſis fœminis, diverſiſque temporibus, ſed etiam in una eademque ſimul, eodemque tempore, Quo enim res quæque ſua natura purior eſt, & ſubtilior, eo gravius putreſcit quando corrumpitur, & in veneni naturam degenerat.

Varietatis autem horum ſymptomatum faciunt multiplicem cauſam, *Prima* eſt *materiæ putreſcentis varia quantitas*, nam in minori quanto minor eſt virtus; igitur ſi humoris corrupti exigua ſit copia, quid mirum ſi leviores inde affectus pullulent, breviores & facile curabiles, quique ſponte ſæpiſſime ceſſent; Contra vero ſi maxima ſit quantitas, periculoſi, longi, & curatu difficillimi redduntur.

Secunda eſt *varius putredinis modus*, interdum etiam inexplicabilis, veneni vim & naturam interdum inducens, Sæpe etiam ſola eſt in qualitatibus manifeſtis immutatio, & etiam aliquando ſola quantitas excedens, abſque ulla in ſubſtantia labefactatione,

Tertia eſt vitioſorum humorum cum ſemine & ſanguine menſtruo permiſtio, quæ variam labem ipſis inducit.

Quarta eſt diverſus uteri locus in quo materia putreſcit.

Quinta & ultima diverſitas erit partium quibus uterus mali cauſam ſuppeditat. Diximus in Pathologia partes aliis conſentire, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, operis ſocietatem, viciniam & vaſorum communionem: (Quid circa hunc conſenſum ſentiendum, vide §. *Actiones naturales, animales, vitales*) Sic uterus omnibus partibus nervoſis & membranoſis conſentit, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, quia ipſe nervoſus eſt & membranoſus, ſic & veſicæ & recto inteſtino, ob viciniam, reliquis partibus per ſua vaſa & ligamenta: cum cerebro per nervos & membranas ſpinalis medullæ; ſæpius per venas & arterias, per quas tetri vapores capiti communicantur, unde cephalalgiæ, deliria, epilepſiæ, tremores, convulſiones, aliaque affecti capitis ſymptomata: prout vel membranas, vel ſuſtantiam & ventriculos afficiunt; unde motus, ſenſuum tum internorum tum externorum læſiones, excepto utplurimum auditu, qui ſæpe integer permanet, Cum corde per arterias, per quas facile & directe vapores ab eo in cor feruntur, & ſic facile diaphragma, pulmoneſque afficiunt, unde reſpirandi difficultates, anxietates, ſyncopæ, ſuffocationes, mœrores, & interdum deſperationes; quod ſi vapor in thoracis membranas per arterias effundatur, dolorem illic gravem excitat: Pariter hepati, lieni, per venas & arterias facile conſentit, unde hypochondriaci affectus, murmura, dolores, cruciatuſque ventris, Eſtque hic conſenſus adeo frequens ut plurimū tantummodo ſe affectibus ſplenis tentari dicant, cum tamen etiam ab utero laborent, nec facile eſt hos affectus internoſcere; imo ſæpiſſime conjunguntur, unuſque alium accerſit, nam ſi lien malo principiū dederit, uterus utplurimum labem ſuam admiſcet; Et contra ſi cauſa mali in utero primum ſeſe exſerat vix incolumis perſeverat Lien, ſed inter cætera viſcera maxime afficitur, unde in hypochondrio ſiniſtro dolores ab utero ſæpe percipiuntur: Unde mulieres quibus in juventute ſuppreſſa fuere menſtrua, tandem ingraveſcente ætate ſæpe fiunt hypochondriacæ, & etiam ſcorbuticæ, ſi prava victus ratio acceſſerit, & per arterias etiam meſenterium afficit, illique vapores communicantur.

Præterea quoque ventriculum in conſenſum trahit, quoniam uteri venæ cum venis meſenterii anaſtomoſi conjunguntur, unde ciborum faſtidia, picæ, malaciæ, vomitus, cardialgia, & alia ejuſmodi ſymptomata; Nec tantum per venas, ſed etiam per arterias, fieri poteſt ejuſmodi conſenſus unde vapores in ventriculum feruntur, Mammas etiam utero conſentire notum, quin & per nervos fieri conſenſum apparet. *Primiroſius cap. v. lib.* iij. *de m. m.*

Capitis dolor ex utero.

Graviſſimos in capite dolores virginibus, viduis aliiſque, quibus menſtrua ſupprimuntur fieri, ſatis familiare eſt, idque vel in toto capite, vel in alterutro latere, vel in poſteriori parte, vel in anteriori juxta oculos, Suntque graviores quam viris, quoniam mulieribus ſuturæ arctius conſertæ ſunt, ex quibus nihil aut parum exhalare poteſt.

Quamvis autem variis in partibus fieri poſſit hic dolor, præcipue tamen in ſincipite fieri creditur, docente *Galeno 6. Epid. ſect. 1. aph. 1.* varias ob cauſas 1. quia arteriæ & venæ per quas vapores in caput feruntur, in ſyncipur deſinunt, quibus membranæ diſtentæ dolorem percipiunt, 2. quia etiam ſanitatis tempore tenues vapores per ſuturas, ob illarum hac in parte laxiorem compagem, & cranii tenuitatem facilius exhalant, 3. quia membranę cerebri per tenues membranas, pericranio adhærent, quæ membranulæ cum valde ſenſiles ſint; pars anterior cerebri facilius qualibet de cauſa indoleſcit: Addunt alii, quia cerebrum ea parte copioſius eſt & debilius, partes quoque illic magis ſenſiles, unde frequentiſſime in ſyncipite quilibet capitis dolor percipitur, Rationes enim illæ quæ afferuntur à *Galeno* communes ſunt omni capitis dolori per partium inferiorum conſenſum genito.

Alii ſcribunt cephalalgias ab utero potius in occipite & poſteriore capitis parte contingere, ut ſcribit *Joubertus cap. de cephal.* ſe experientia deprehendiſſe dolores ab utero verticem & occiput magis afficere, hancque eſſe viam diſtinguendi dolores à ventriculi conſenſu obortos ab hyſtericis, quod illis in ſyncipite, hi vero in occipite fiant & vertice: Et *Langius* quoque refert ſolum verticem in hyſtericis affici, ubi mulieres ſe pondus aliquod & glaciem frigusque ſentire conqueruntur; Verumtamen certum eſt in qualibet capitis parte poſſe fieri hos dolores, prout quædam capitis pars aliis debilior eſt, ſolet enim natura in partes debiliores ſeſe exonerare: aut calidior, ſicque potentius humores allicit, utplurimum autem fit in ſyncipite & occipite, ſed varia ratione, In ſyncipite quidem, quando per venas & arterias vapores tranſmittuntur, ob rationes dictas quæ etiam communes ſunt, cuilibet dolori per vapores in caput ſublatos genito: Imo etiam in ipſo idiopathico dolore ſæpius anterior quam poſterior pars afficitur, unde per nares & vi cerebrum ſeſe evacuat, quæ ſunt partis anterioris emiſſaria, In occipite vero dolor fit, quando nō per fumos & vaſa conſenſus ſit, ſed per aliud ſympathiæ genus, ob generis & ſympathiæ, ſimilitudinem: Uterꝰ enim ſubſtantia membranoſus connectitur ſpinæ per nervos & vincula, nam per partes nervoſas nervoſis facile ſua mala communicant, docente *Rondeletio Prax. l.1. c.5.* ideo quia uterus ſpinæ adhæret

per

per nervos qui ab occipite habent originem, fit ut illic etiam dolor ſentiatur, ſicut orificium ſuperius ventriculi cerebro,& hoc illi facile conſentit. Quæ autem de differentiis doloris capitis dicuntur, huc referri poſſunt, nam dolor hic poteſt eſſe gravativus; pulſans, tenſivus, vel totum caput, vel partem tantum aliquam poteſt afficere, & ſic de cæteris.

Doloris autem hujus cauſa eſt vapor vel humor: *Vapor* ex ſanguine retento & putreſcente fertur in caput; *Sanguis* quoque incaleſcens illuc ferri poteſt: cerebrum ſiquidem incaleſcens inſtar cucurbitulæ ad ſe trahit partium inferiorum evaporationes: Qualis autem humor ille vel vapor eſt, talis etiam dolor capitis exiſtit, nam vel ſola copia peccat; vel acrimonia & aliis qualitatibus, & ſic dolor fit pulſans, tenſivus, ulceroſus, utplurimum autem pulſans, arteriis ſanguine fervidiori repletis.

Dolorem ægra referre poteſt, quem ab utero eſſe illud indicat quod menſium præceſſit aliquod vitium, vel etiam diminute fluunt, vel inordinate, aut omnino ſupprimuntur; dolorque augeri conſuevit circa menſtruorum tempus; Quod ſi etiam in occipitio fuerit (id proprium eſt dolori, ab utero profecti: Si ſolus *vapor* adfuerit, dolor eſt ſine gravitate tenſivus. Si ab *humore*, gravans erit, ſi ſimplex ſit ſanguinem, ſi pungens bilem; cum pigritie & torpore pituitam, cum triſtitia melancholiam arguit.

Ad ſedandum hoc ſymptoma, vitandæ omnes animi & corporis agitationes, vociferationes. diuturnæ locutiones, fletus nimii, iracundia. *Alvus* libera ſervetur, clyſteribus, pilulis; Frons, tempora, caput univerſum, arcte comprimantur faſciis, ſic vapores humoreſque repelluntur, & vehemens arteriarum agitatio prohibetur, quæ interdum tanta eſt ut ægræ caput ſibi concuti conquerantur? *Somnus* procuretur.

Deinde vena ſecanda eſt, humor noxius purgandus, menſtrua ſuppreſſa cienda ſunt: Topica convenientia capiti admoveantur: utero, parti mandanti, proſpiciendum clyſteribus carminativis frequenter injectis, cucurbitulis umbilico & coxis admotis, fomentis, ſemicupiis, &c. Ad diverſionem quoque utiles erunt *crurum* & ventris frictiones, lotiones, ligaturæ, ſanguinis miſſio ex pede: Si prædicta nihil profecerint, fontanella in crure optimum erit remedium. *Primiroſius lib. 3. cap. 6.*

Dolores Dorſi, Lumborum, Crurum, Abdominis.

Non tantum in capite, ſed & in Cruribus, *Lumbis*, Dorſo & Abdomine, dolores graviſſimi ſentiuntur, ob ſanguinis menſtrui copiam non repurgati, tum quia partes hæ utero vicinæ ſunt, in quas uterus vitioſos humores & vapores facile tranſponit, à majoribus ſcil. venis in minores, & ab his in muſculos & membranas, tum quia uterus ſpinali medullæ annectitur per valida ligamenta, per quæ ſua vitia partibus illis communicat.

Ad Curationem frequenter Clyſteres injiciantur, cucurbitulæ applicentur cum ſcarificatione: Inunctiones fiant ex *oleo violar. amygd. d. lilior.* Fotus fiant ex veſicis decocto anodyno, vel lacte plenis: ſanguis ex pede mittatur. *Idem.*

Cordis affectus ex utero.

Cor per arterias utero conſentit, unde hujus Palpitationes, Syncopæ & Anxietates, præcipue iis quæ pallidis coloribus laborant, in quibus plurimæ in ventriculo fiunt cruditates, in hepate, ſplene & utero obſtructiones, ex quibus tetri vapores in cor feruntur qui Palpitationem inferunt, aut etiam ſyncopen & lipothymiam, unde jacent immobiles abſque ullo ſenſus pulſus reſpiratione evidenti, & manifeſta. Ab utero autem hæc oriri ſymptomata conjicere eſt ſi affecti uteri ſigna præceſſere, ut menſium ſeminiſve ſuppreſſio.

Ad paroxyſmos horum ſymptomatum ſedandos, utile erit dare *confectionem alkermes*, aut *tabellas diamarg. frig.* cum *aqua cœleſti, imperiali, theriacali*, aut ſimili; *Theriaca* ipſa cum *aqua meliſſæ* optima eſt, ſicut & *aqua Mariæ.*

℞. *Cordis porci & bovis, vel cervi* ãã. *n.* ij
Caryophyll. galangæ, cinnamomi, macis ãã. ℥iij.
Semin ocymi ℥ij. *flor. bugl. anth.* ãã. *p.* ij.
Infundantur in vino generoſo, diſtillentur, Servetur Aqua.

Eſſentia macis cum pauco vino albo prodeſt, *lapis bezoar* & alia cardiaca interna & externa inter affectus cordis deſcripta: Sed præterea utiles erunt *Clyſteres* acriores, vel *ſuppoſitoria*, *Frictiones* crurum & tibiarum, *cucurbitulæ* hypochondriis cum multa flamma appoſitæ, & quicquid à corde vapores hos revellere poteſt: Præterea erecto corporis ſitu continendæ ſunt, ut facilius aërem trahant, laxanda veſtium ligamenta, fœtida naribus, grata partibus inferioribus admovenda, & ſtomacho *lintea aqua vitæ* madentia imponenda, &c.

Huc referunt quidam Pulſationem vehementem arteriarum in Dorſo, de qua Capite de melancholia mul. *Primiroſius l. 3. c. 10.*

Periculoſa ſane hæc ſunt ſymptomata, ob partis affectæ neceſſitatem, affectuſque ſæpe ex ſympathico redditur idiopathicus; & curatu difficillimus; Si autem tantum ſit ſympathicus, uteri ſolum habenda eſt cura, parum roborato ventriculo: Sed ſi præterea fuerit idiopathicus, humores erunt purgandi vomitu & catharſi, ut *pilulis aloëphanginis*, *de hiera* & aliis blandioribus, tum roborandus erit ventriculus, *theriaca, mithridatio, aromat. roſ. diarrhod. ſyr. cydon. granat. abſynth. mentha* &c. *Primiroſius cap. 13.*

Lienis & Hepatis affectiones ex Utero.

Etiam utero conſentiunt Lien & Jecur, Cum enim *Jecur* plurimas habeat venas, eaſque ſatis grandes, facile ſanguis ſi ſupprimatur & vitietur ad Hepar regurgitat, unde variæ morborum ſoboles pro humoris peccantis natura, nam vel copia ſua calorem ſuffocat, unde cruditates fiunt & cachexiæ, pallidi colores: vel putreſcit, unde febres, vel ſcirrhum alioſque morbos procreat; Hic nulla alia cura requiritur quam quæ cap. de menſium ſuppreſſione & Pallidis coloribus præſcripta eſt.

Lienis affectus ex utero.

Sed Lien maxime afficitur per arterias hypogaſtricas & cœliacas, unde quamplurimæ hyſtericæ tantum putantur eſſe hypochondriacæ, regurgitantibus pravis humoribus ad Lienem ob mutuas anaſtomoſes venarum & arteriarum: Facilius autem afficiuntur quæ ætate ſunt provectæ, temperamenti calidioris, quibus juvenibus menſes non bene fluxerunt, Sentiunt autem in latere ſiniſtro dolorem quendam qui ad mammas & jugulum protenditur: cogitabundæ ſunt, triſtes, & ex ſanguinis fervore phlogoſis in facie quædam apparet, ſed quæ ſtatim evaneſcit: crebris quoque ructibus infeſtantur, adeſt reſpirandi difficultas, alvus ſicca, fœtidis juvantur, ſuaveolentibus læduntur.

Eſt autem affectus hic curatu difficilis, ſicut & omnes Lienis affectus, multo magis ſi uterus vitia ſuaadmiſcuerit, facile autem in ſcirrhum, & hypochondriacam degenerat.

Cura eadem eſt cum ea quam capite de melancholia ex utero deſcripſimus: Si fiat iis quibus nondum ætatis ratione menſtrua ceſſaverunt erunt ea omni arte revo-

canda, vena ſecanda eſt, hæmorrhoides provocandæ, purgandum corpus melanagogis, *decocto Epithymi meſ. Cathol. diaſenna, conf. Hamech helleb. n. lap. lazuli pilulis tartareis*, antimonio: Demum ad uſum *chalybis* veniendum, eaque omnia facienda ſunt quæ locis prædictis expoſuimus. *Primiroſius* l. 3. c. 12.

Cap. XXVII.

DE MAMMILLARVM AFFECTIBVS.

De Mammillarum morbis.

De Tumoribus.

1. Mammillarum affectus ſunt vel Morbi, vel Symptomata. Ad illos pertinent, *Tumores; Cancer, & Magnitudo.*

[2] *Tumores* mammillarum ſunt quatuor.

I. [3] *Inflammatio*, quæ tumor durus.

[4] *Cognoſcitur* ex rubore, dolore, pulſu & calore, quibus à *grumefactione* & abundantia lactis differt.

Oritur, à [5] ſanguine [6] attracto, transmiſſo, ſuppreſſo vel expreſſo, qui ſeu in venis capillaribus hærens, ſeu extra elapſus incaleſcit & putreſcit. Inter [7] cauſas externas percuſſio, lapſus, nimia veſtium ſtrictura.

Curatur [8]. 1. [9]. Victu tenui [10] infrigidante & humectante.

2. Diverſione, quæ [11] ſanguinis ex talo miſſione; ſi menſes ſuppreſſi ſunt, perficitur.

3. Evacuatione per ſanguinis ex ejuſdem lateris internâ venâ miſſionem, & [12] lenem purgationem.

4. [13] Topicorum, in inflammatione conſuetorum applicatione.

Vbi *nota*, [14] *Repellentia* debere eſſe temperata, ne cor nimis infrigidetur.

In [15] *augmento* laudari cereviſiam calidam cum butyro applicatam.

[16] *Indurationem* [17] quæ nimis periculoſa quia inde ſcirrhi & cancri [18] feliciter medicamento ex *medulla cruris vituli unc. ij. æſypi unc. j. Croci ſcr. IV. Cumini triti ſcrup. ij.* compoſito, prohiberi.

[19] *Suppuratum*, quod mammillæ ſint ſpongioſæ & cavernoſæ, [20] variis plerumque in locis [21] aperiri, *diachylon ſimplex*, & *panis triticeus cum lacte* & *croco* [22] juvant. [23] *Mammillam* affectam, rarò, ni alterius ſanæ lac exſiccetur, quod ſanguis æquè ad utramque ducatur, ſanari.

[24] *Dolorem*, optimè [25] æſtate foliis *hyoſcyami*, hyeme *radicibus* ejusdem ſub cineribus coctis, & cum axungia porcina contuſis; leniri.

De cætero, [26] habet in principio locum *epithema* ex *thure* & *myrrha* coctis, cum *vino* & *aceto* tepidè applicatis addito laudano opiato, ſi dolor urget: & farina *fabarum* in *oxycrato* cocta, in cataplaſma redacta & ſæpius, quia facilè exſiccatur impoſita: prohibet abſceſſus *vernix* præparata, & emplaſtri loco applicata; intra prodeſſe putantur ſpecula pennarum pavonis tria vel quatuor in tenuiſſimas partes diſciſſa, & cum aqua menthæ exhibita.

[1] *Mammillarum*) *Mammas* habent mulieres quia ſunt magnæ, viri *Mammillas*, quoniam parvæ ſunt, Bruta οὔθατα, ubera, obtinent, Dicuntur in Mulieribus mammæ, quia infantes alunt, mamma quippe nutricem & matrem ſonat *Papillæ* capita ſunt, ex *Iſidoro*, mammarũ, quas infantes comprehendũt ſugentes, Appellatæ quod infantes quaſi *pappent*, dum lac ſugunt, Reperitur verbum *pappare* apud *Perſium & Plautum*, & proprie ſignificat minutos ac commanducatos cibos comedere, quales Nutrices infantibus præbere ſolent, Unde & *Pappa* nomen habere videtur quæ *pulticula* eſt, infantibus lactentibus dari ſolita (Sabaudi vocant du *Papet* vel *Papette* quod *Galli* dicunt *de la bouillie*.)

Græci mammas vocant μαζὸς & μαϑὸς, à verbo μασίω, quod eſt quæro, quoniam infantes in illis lac quærunt, Alias τιτϑὸς τίτϑας, & τίτϑια (*Sabaudi* vocant *Tettas*, *Galli*, *les Mammelles*.)

Mirus eſt *mammis cum utero conſenſus*, hinc molliter contrectatæ Veneris accendunt igniculos: hinc obſervatum lac per uterum fuiſſe excretum: Hinc papillis pallentibus uterúm morboſum eſſe ſcribit *Hippocr. 6. Epid. ſ. 5.* Hinc flaccidæ & graciles redditæ abortum in gravidis præſagiunt *aph. 53. 5.* Hinc cucurbitæ maximæ ad mammas appoſitæ menſtrua ſiſtunt, *aph. 50. 5.* Hinc in gravidis portio menſtrui ab utero ad mammas ablegatur, ut fœtui in lucem edendo de commeatu proſpiciatur, & quidem tum cum fœtus grandior factus moveri incipit. *l. de Octim. Partus* Obſervatũ quoq; mãmas inſtante fluxu menſtruo deminuiſſe, ceſſante pleniores tumidioreſque evaſiſſe, *Sebiſius Manualis p. 750.*

Componuntur Mammæ ex multis glanduloſis corporibus, magnitudine diverſis, variis tubulis ac ductibꝰ inter ſe coëuntibus, multaq; affuſa pinguedine junctis & compactis, quæ ſimul membranoſa carnoſa ſuccinguntur, ac ſubjectis muſculis annectuntur.

Riolanus & Warthonus, contra autopſiã, hanc glandularum multitudinem negant, & totam mammam ex uno ſolo glanduloſo corpore, in nullos diſtinctos globulos diviſo, conſtare tradunt, & interim concedunt in mammis male habentibus globulos diſtinctos percipi poſſe, qui certe non perciperentur in ægris, niſi etiam in ſanis mammis, minus tumidis adeſſent.

Glan-

Glandularum una magna in medio ſita eſt, quam reliquæ minores circumdant, Etiam vaſorum lacteorum plexus infiniti glandulis interjiciuntur, quibus mediantibus non ſolum lacteus ſuccus ad omnia defertur verum etiam minores ſuum lac in magnam glandulam effundunt: Præterea in ipſis Glandulis *pori* ſunt ampli, in quibus tanquam in cellulis, lac uſque ad tempus ſuctionis aſſervatur, niſi forte ob nimiam copiam, aut tenuitatem ex iis ſponte citius effluat.

Magnæ glandulæ ſuperſtat *Papilla*, quæ corpuſculum eſt teres ac fungoſum, tenui cute inveſtitum, multiſque foraminulis pervium.

In hanc glandulam lactei ductus terminantur, per ejuſque foraminala, tanquam per tubulum, in os infantis ſuctione per preſſionem infunditur.

Mammæ quintuplicia habent vaſa.

1. *Nervos* ab intercoſtalibus ſuperioribus, qui ad papillam copioſiores delati, acutiorem ei ſenſum tribuunt.

2. *Arterias* ad nutritionem, *interiores* ab arteriæ magnæ ramo ſubclavio, *Exteriores* ab axillari.

3. *Venas* ad ſanguinis à nutritione reſidui reductionem, longe majores & plures quam ſunt arteriæ, eaſque geminas, è mammarum interioribus & exterioribus excurrentes ad ſubclaviam & axillarem venæ cavæ ramum, in eumque ſe exonerantes, per has in nutricibus interdum nimia lactea materia à mammis defertur ad ſubclavias, eodē modo ſicut chylus per ductum chyliferum thoracicum; ac propterea inprimis hæ venæ tam numeroſæ & magnæ ſunt, quia non ſolum à nutritione reſiduum ſanguinem, verum etiam in lactantibus partem redundantis lactei liquoris ad ſubclavias deferre debuerunt; qui etiam liquor in ablactatione infantis reſiduus in mammis non corrumpitur, ſed per has venas eodem defertur.

4. *Vaſa lactea.*

Lymphæ ductus ſecundum nonnullos.

Lymphatica vaſcula in mammis adeſſe non eſt quod quis dubitet, ſed anne tam numeroſa illic ſint atque illa ſe obſervaſſe putat *Warthonus*, de eo aliquantulum dubitari poſſet, Veroſimile eſt, quia lactea vaſcula ſæpe liquorem lacteum valde aquoſum continent, illum hic deceptum, etiam illum hic multa lactea vaſcula pro lymphaticis habuiſſe, atque ſic copioſiorem numerum horum deſcripſiſſe.; Aquoſo autem lacteo ſucco replentur illa vaſcula lactifera cum mulier lactans medium paſſa, multum aquoſi potus aut alimenti aſſumit, atque tunc etiam lac quod è mammis ejus exprimitur, vel exſugitur, valde aquoſum eſt.

Vaſa lactea ab arteriis & venis diverſiſſima, glandulis mammarum plurima interjecta cernuntur, ab inferiore parte toto ambitu enata, ac in mammarum centro coeuntia: quorum tamen communio & continuitas cum ductibus chyliferis intra corporis truncum latentibus, hactenus Anatomicorum diligenti inquiſitione manifeſta fieri non potuit, quoniam in cadaveribus, licet recenter ſtrangulatis, in aditus ſeu communionis exiles ductus deliteſcunt, haud ſecus ac ſeminis viæ è teſtibus in paraſtatas, atque è veſicula ſeminaris in urethram, aliique ſimiles ductus per quos naturam frequentes humorum metaſtaſes in viventibus moliri videmus, Dubitandum tamen non eſt illos ab interioribus partibus (*Caſtellus* putat à ventriculo, *Deuſingius* à pancreate, *ego* à ductu chylifero thoracico) per membranas & muſculos non minus ad mammas tranſire quam venas & arterias: conſpicui tamen non ſunt ſed deliteſcunt, quia chyloſus ſuccus in iis non ſubſiſtit, nec magis detinetur quam urina in ureteribus, ſed compreſſione muſculorum reſpiratoriorum & partium per quas tranſeunt, citiſſime propellitur per eoſque tranſit, Eodem modo ſicut lactea meſenterii vaſcula, chylo in receptaculum effuſo citiſſime evaneſcunt, neque rurſus conſpiciuntur, antequam novo chylo iterum turgeant, qui cum etiam diu in iis non commoretur tantum brevem eorum conſpectum permittit: Neque mirum videri debet hos minimos lacteos ductus verſus mammas extenſos viſum effugere, cum ipſe ductus chyliferus thoracicus, ſatis magnus, ſecundum ſpinæ longitudinem excurrens, à tot ſeculorum curioſiſſimis ac perſpicaciſſimis Anatomicis nec videri nec inveniri potuerit, &c.

Ex modo dictis jam liquet quam longe à vero abſint illi qui ſtatuunt non per vaſa lactea, ſed per ipſas arterias chylum una cum ſanguine ad mammas deferri, ex uſque à ſanguine rurſus ſeparari ac in lac mutari, &c. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 2. cap. 2.*

Quod mammæ ſint organa ſecretoria, non mera receptacula, vel inde eluceſcit, quod ad meram receptionem & aſſervationem lactei ſucci, per venas lacteas huc delati, ſufficeret veſica membranea, nec tanta glandularum mole opus eſſet: Non exiſtimandum ſine eſt hanc carnem in nullum uſum formatam fuiſſe: Verum ſi à venis lacteis lac tantum excipit, non autem immutat, nec ex ſanguine generat, nec per ſecretionem idem à ſanguine ſeparat, nil reliquum eſt quod agat amplius quam quod mera veſica membranacea æque perficeret: Quare exiſtimo glanduloſas haſce ſubſtantias non ſolum lactis accumulationi, ſed & ejuſdem ſecretioni inſervire; Eſſet enim uſus deſpicacior quam partis magnitudo & ſtructuræ elegantia mereri videntur. *Warthon Adenogr. p 243.*

1. *Mammillarum morbis*) Mammarum affectus, vel *morbi ſunt*, vel *ſymptomata*: morbi rurſus, vel *ſimilares*, ſunt, vel *diſſimilares*, ſive *organici*, vel *Communes*.

Similares ſunt *Intemperies*, eæque aut *ſimplices* aut *compoſitæ* utræque vel *materiales* vel *immateriales*: *Diſſimilares ſunt*, *obſtructiones vaſorum mammarum*, omnis generis Tumores, v. g. *Phlegmone*, *Eryſipelata*, *œdemata*, *Inflammationes*, *Scirrhi*, *Cancri*, *Scrophulæ*, *Magnitudo inſolita*, nimia *Gracilitas*, *defectus*, *Numerus auctus*. *Papillarum abſentia*, *Geminæ & Tergeminæ* Obſcuræ, vix ut appareant, cujus vitii cauſa lactare nequeunt mulieres.

Vitiis in *numero* quidam addunt *Lapides*, *Vermiculos* & *Pilos*, à quibus *Pilaris morbus* ſuum nomen accepit.

Communes ſunt *Ulcera & Fiſſuræ*, tum ipſarum *mammarum* tum *papillarum*.

Symptomata ſunt *Lactis defectus*, *Abundantia*, *Corruptio*, *Concretio*, quæ vel eſt τύρωσις, *caſeatio*, vel θρόμβωσις, *grumoſitas*, *Mammarum dolor*; *Sanguinis*, *Puris*, *aliarumque rerum emiſſio*: *Sebiſius Manualis p. 752.*

Mammarum Intemperies.

Quomodo ſint tractandæ, omnibus notum, Requirunt enim *Alterationem* per qualitates contrarias, Etſi materia iis fuerit adjuncta, ejus vel ſenſilem vel inſenſilem vacuationem per *diaphoretica* poſtulant, præmiſſa totius corporis cura.

Alteratio vero illa inſtituitur, partim per *interna*, partim per *externa* præſidia.

Qua ratione autem *frigida materia* extirpanda ſit, in cura œdematis oſtendetur, Quo pacto *calida* eliminanda, in ſanatione phlegmones & eryſipelatis demonſtrabitur: Ut *melancholica* eradicanda, in ſcirrho & Cancro ſignificabitur. *Sebiſius.*

2. *Tumores mammillarum*) Mammæ Tumoribus frequenter corripi ſolent, quoniam materias aliunde advenientes facile excipiunt, & quidem tribus de cauſis. 1. Quia ſubſtantia illarum eſt mollis, rara, laxa, fungoſa & ſpongioſa, ideoque omnis generis humores

haud difficulter ſuſcipiunt. 2. Quia ſubjectæ ſunt cerebro, & ob id non minus ac reliquæ corporis partes humores inde defluentes haud difficulter ſuſcipiunt. 3. Quia magnum habent cum partibus abdominis,& maxime cum utero conſenſum: id quod vel ex metaſtaſi humorum, quæ nunc ἄνω nunc κάτω fieri ſolent, perſpici poteſt. *Sebiſius Manualis p.754.*

Mammarum Tumor monſtroſus.

2. *Tumores mammillarum ſunt quatuor) Sequens ad nullam recenſitarum ſpecierum evocari poteſt.*

Elizabetha Trevers 23. vel 24. annor. vultu eleganti, crinibus nigris, valida conſtitutione, ſtatura parva, honeſti nominis, Julii 3. *1669.* proba fruebatur ſanitate, & ſana lectum petit, quo ſomnum & quietem æque bene ac unquam antea habuit, Cum vero mane ſurrectura erat, & expertecta ſeſe movere in ſuo lecto contendens,id facere non potuit, cum ſuas mammas adeo inflatas invenerit, ut tota terrore attonita remanſerit, tum aſſidere allaborantem ejus mammarum pondus ad lectum depreſſit, quo ſemper exinde jacuit abſque tamen omni dolore vel infirmitate in mammis aut aliis partibus.

Cum ejus rumor increbuiſſet, multi Medici & Chirurgi illuc venerunt, quorum aliqui mammas amputandas cenſuerunt, cui omnino adverſus eram, emollientem & temperate calidum fotum conſulens: Ipſi vero ſemel exhibui bolum purgantem, quo recepto decem motiones deorſum habuit, & Inflatio nonnihil minuta eſt, ſed puella per duos vel tres dies poſtea adeo fuit debilitata, ut nihil hujuſmodi deinceps tentare auſus ſim; *Sed quia menſium ſuppreſſionem per ſex retro menſes paſſa erat, diuretica nonnulla, & ſanguinis menſtrui prolectamenta ipſi præſcripſi, v.ſ. etiam moliens.*

Mulieris mammarum *Tubuli* admodum duri & inflati ſunt,Et quidem integræ mammæ nihil videntur eſſe niſi hujuſmodi tubuli;Nihil vero ineſt venti vel aquę, quoad divinare poſſumus; Mamma ſiniſtra 35 librarum ponderis ferme eſt ſed dextra nonnihil minor; cutis vero tergi,colli & ventris ad mammas retracta, ut diſtenſioni ſufficiat videtur; mammarum menſura hæc eſt.

	Pedes, Digi i
Dextræ mammæ circumferentia	2--7.
Siniſtræ mammæ	3--1 $\frac{1}{2}$
Dextræ mammæ longit. à claviculis	1--5 $\frac{1}{2}$
Siniſtræ mammæ longitudo	1--7 $\frac{1}{2}$
Dextræ mãmæ,ut jacet, diametrus	1--1.
Siniſtræ longitudo	1--1 $\frac{1}{2}$

Quid mirandos hujuſmodi integrarum mammarum tumores tam ſubito,una nocte, efficere poſſit nos maxime ſuſpenſos habet, Nihil ſufficiens hac in re nobis ullus qui de morbis mulierum tractavit ſcriptis,æquale reperitur huic,quod offerri poteſt, ex datis ſanguinis circulatione,lymphaticis ductibus,vaſiſque chyliferis thoracicis,& probabiliter aliquibus capillaribus vaſis, illuc in eorum progreſſu ad ſubclaviales per muſculos intercoſtales tendentibus &c. *Ex Actis Anglicis menſis Octobr. anni 1669.*

Reſponſum Doct. Gulielmi Durſtonii.

Gratias Domine mi, Tibi reddo &c. *Elizabetha* Trevers Octob.21 mortua eſt,&c.Unam tantum mammam amputavimus, vi: majorem,quæ ſiniſtra erat,& cum illam ponderavimus,reperimus eſſe 64.libr.põderis:Quãdo eam aperuimus (id autem fecimus pluribus in locis) neque aquam, neque humores cancroſos, neque aliud quidvis vitioſum, præter prodigioſam magnitudinem cernere potuimus: *Tubuli* vero & *parenchyma* admodũ candida & ſolida erant, nec alia quam in ſaluberrimis mulierum mammis; vel aliorum animalium uberibus conſpeximus; Appetentiam & quietem multis antehac ſeptimanis amiſerat; valdeque de ingenti ſuarum mammarum diſtenſione querebatur; atque ejus corpus valde emaciatum erat; Unam menſuram Tibi committo,quæ ambarum ejus mammarum latitudinis, dum in menſam mortua repoſita eſt, erat, dico à remotiſſimo unius extremo,ad aliud, *trium pedum, duorum digitorum & ſemiſſis:* atque aliam menſuram,*circumferentiam* oſtendentem,ejus mammarum ſecundum *longitudinem*, vi: *4.pedum*,& fere *4.digitorum*:item aliam,quæ *latitudinis circumferentiam* exhibet, vi: *trium pedum,4.digitorum & ſemiſſis.* Rectam mammam non amputavimus, ſed eam xl. librarum ponderis fuiſſe exiſtimamus.

Ante aliquas ſeptimanas ſalivationem ejus incepi,quæ ſuas mammas aliquibus digitis in circumferẽtia minuit, Cum vero non inoriger a ad fluxum continuandum reperta ſit, deſiſtere coactus ſum, admodum vero aliquandiu poſtea eſt reſtaurata;Cum vero hanc methodũ faſtidiret *Cauſticum* applicui,cuj⁹ eſchara cecidit,ſed nihil prorſus è mammis exiit; Tum cultro inciſorio uſus ſum,& inciſionem duos digitos & ſemis profundã,cum cauſticum putarem nõ ſatis profunde pertigiſſe, cõfeci, ſed non majori emolumento fuit quam prius. *Ibidem.*

3. *Inflammatio)* Quemadmodum à ſanguine, ſic & à lacte in vaſis ſuis ſubſiſtente, aut extra ipſa effuſo, exiſtimo fieri *Inflammationem*, volantibus nempe partibus magis ſpirituoſis, & acrimoniam majorem nanciſcentibus partibus acidis, mox cum talinis effervescentiam potentiorem excitantibus, ſed ob partes butyroſas & pingues minime frigidam ſed calidam, quæ *Inflammatio* vocari ſolet.

Exiſtimo namque in omni Inflammatione calorem illum ardentem produci ab utroque Acri, tum propter partium ſpirituoſarum, acre utrumque temperantium, abitum & fugam, tum ob moram ſui diuturniorem acriore facto, ideoque vehementius in ſe mutuo inſurgente, hoc eſt effervescentiam nimiam excitante; quæ ob partium pinguium in ſanguine & lacte abundantium concurſum fieri debet ac ſentiri calida; quia partes igneæ in utroque acri exiſtentes, atque propter conflictum notatum erumpentes in oleoſas & pingues ſe inſinuant, atque tunc demum calorem producunt, ſenſumve calore afficiunt, nam Ignis, quantum ego ſaltem potui hactenus obſervare, nullum producit in noſtro ſenſu calorem, niſi cum in oleo, quod ejus pabulum vulgo dicitur, exiſtit ac ſubſiſtit: &c.

Dum ergo ſic corrumpitur Lac, inflammationem quoque pariens, abit quoque in tantum à ſtatu ſuo naturali ut pus factum amplius homini eſſe non poſſit utile, adeoque tunc abſolute removeri debeat ex parte quavis affecta, res nimirum toto genere præter naturam & in dies pejor fieri ſolita, dum pus degenerat in ſaniem: Ubi notandum 1. Lac coagulatum quidem reſtitui poſſe in integrum, non item corruptum & in pus jam mutatum.

2. Lac non univerſum ſemper ſimul in pus corrumpi, ſed paulatim ac per partes; unde non raro, licet univerſa ejus ſuppuratio impediri nequeat, impediri poteſt ſaltem aliqua ejus pars, quocirca prudentis Medici eſt continuò verſari in impedienda lactis ſuppuratione, etiam tunc ubi nullum amplius dubium eſt de ipſius ſuppuratione inchoata, quo licet in totum impediri nequeat, impediatur ſaltem ex parte.

Diximus autem ab Acido acriore anſam dari lacti tum coagulando tum in pus corrumpendo quæ vero dicuntur puris generationem promovere, illa revera pus non producunt, ſed blandius producunt,

ducunt, atque partes ita diſponuntur ut à pure minus afficiantur male, quin eo ipſo faciunt ut citius pus producatur.

Illa vero ipſa ſunt Emollientia dicta multifaria, inprimis cataplaſmatis forma uſurpanda, ſed pro ſymptomatum conjunctorum diverſitate diverſe mutanda & præparanda.

Quoties igitur Lac in fœminarum mammis ſubſiſtens, ipſaſque diſtendens ac dolorem pariens, Inflammationem, hinc & ſequuturam ſuppurationem minatur, uſurpanda laudata aromatica, tum ſpirituoſa tum ſale volatili abundantia.

Vbi autem obſervamus ex dolore pungente, ac cum calore in mammis perſeverante, ſuppurationem eſſe inchoatam, tum commode laudatis jungentur emollientia, in cataplaſmatis formam redacta, dolentibus induratiſque applicabuntur mammis, quo lactis nondum corrupti ſuppurationem impediamus; coagulatiq; ſolutionem feſtinemus, atque ejuſdem jam corrupti ſuppurationem & maturationem promoveamus. *Sylvius l. c.*

3. *Nota Repellentia &c.*) Non poſſum laudare *Repellentia* vulgo dicta, à pleriſque tantopere in principio Inflammationum probata, cum illa ex præjudicio duntaxat commendentur, ipſaque cura ſine ipſis felicius abſolvatur: Etſi enim curentur ægri multi, quibus in principiis inflammationum uſurpantur, non curantur tamen quia illa fuere adminiſtrata, ſed quia alia & diſcutientia & emollientia ſimul fuere commiſta: Obſervatum enim eſt ſæpius ab illis Repellentibus ſolis, aut cæterorum reſpectu majore copia adminiſtratis notabilem noxam ægris allatam, quin aliquando ipſam gangrænam in partibus inflammatis excitatam: Cujus nullus eſt metus ſi noſtra methodo talia in totum omittantur: hanc optimam eſſe vel hinc patet quod ſymptomata omnia, dolor, tumor, ardor ſic brevi minuantur, ipſaque ſuppuratio citius abſolvatur, & poſt factam ſponte vel arte apertionem, minus puris prodeat, ipſumque ulcus ſi recte tractetur citiùs certiuſque mundetur ac conſolidetur. *Fr. Sylvius ibid.*

Suppuratum) Quamprimis in pus mutatum Lac, quod ex doloris, duritiei ardoriſque diminutione colligitur, niſi ſponte aperiatur apoſtema, mox lanceola aperiendum, quæ via breviſſima & tutiſſima. In meticuloſis, parte tumoris molliori, ungu. baſilicone, &c. ſicuve aſſara promoveatur cutis penetratio; quin aliquando ad cauterium potentiale recurrendum, cum in loco profundiore pus hæret, nec ſatis cito expectari poteſt cutis à pure penetratio, quod interea temporis partes vicinas ſolet corrumpere: quo enim citius in pus lac vel ſanguis mutatur eo minus ab ipſo læduntur partes continentes, ac proinde facilius citiuſque reſtitui poſſunt in integrum. *Idem ibid.*

4. *Cognoſcitur ex rubore &c.* Signa ſunt Tumor, Rubor, Calor, Renitentia, ſive durities, dolor & moleſta pulſatio.

Tumor adeſt ob copiam ſanguinis, qui influxit mammas elevantis.

Durities & renitentia digitis reſiſtit, propter repletionem, factam à ſanguinis abundantia.

Dolor pulſatorius moleſtus eſt, quia arteriæ pulſant, & loca ſibi vicina, quæ jam ante ob continui ſolutionem, & intemperiem calidam dolent, percutiunt. *Sebiſius.*

5. *Oritur à ſanguine*) Diſtinctio facienda eſt Inflammationis quæ ab alia cauſa ſupervenit, ab ea quam facit Lac coercitum in mammis. *Etmuller.*

5. *Oritur à ſanguine attracto*) Cauto opus eſt ne mammæ patiantur inflammationem; Inflammatio ſequitur ſubſiſtentiam & tranſpirationem difficiliorem cauſantur, omnia abſint, pinguia, oleoſa, unguinoſa, illa enim inflammationem vel cauſantur, vel augent, non aliter ac in eryſipelate quovis idem fit; hinc licet videantur dolorem lenire, magis tamen promovent hoc loco, longe humidiori & delicato, glandoſo ac ſpongioſo; Abſint ſpirituoſa, quæ alias, ſi locus id permittat, optime proſunt, etiam in gangræna, exemplo *ſpirit. vini, camph.* Laborabat puerpera dolore & inflammatione mammarum incipiente, obſtetrix, ut ſolent primam quaſi inſtantiam ſuſtinere, mammis applicuit ſpiritum vini, inde vero febris inducebatur manifeſto motu, ſudoriferis abacta, Abſint aquea & humida quævis, ſeu ſola ſeu cum terreis mixta, ſola, ſcilicet & frigida; aqua enim calcis vivæ, leni ſua alkalina natura diſcutere apta nata eſt, modo itidem cautela id cum fiat. *Wedelius.*

6. *Sanguine attracto, tranſmiſſo*) Per partus labores adeo agitatur incaleſcit maſſa ſanguinea cæterique humores, ut mammæ, compoſitæ ex corporibus glanduloſis & ſpongioſis, affluentes undique humores excipiendo, inflammationem ideo facile concipiant, ab iſta quippe repletione oritur admodum dolorifica diſtenſio; quo non parum confert lochiorum ſuppreſſio: Sequitur & nonnunquam ablactationem, quia videlicet lac nimia copia in mammis congeſtum, inibi coercitum incaleſcit, ac à diuturna mora corrumpitur. *Mauriceau De Aff. Puerperarum l. 3 c. 16.*

6. *Sanguine*) Eſt tumor iſte Mammis lactantium & puerperarum valde frequens; *his* ſiquidem ſi purgamenta puerperii ſint ſuppreſſa, *Illis* vero ob copiam lactis, non quod Lac ipſum ſit cauſa inflammationis, hujus enim cauſa ſanguis eſt, unde à *Galeno* ſanguineæ fluxionis ſoboles appellatur, ſed quod ſua copia mammas vehementer diſtendat, doloremque excitet; aut quod incaleſcat & corrumpatur, quo nomine efficit ut ſanguis largius ad mammas fluat, in vaſis illarum aliquandiu hæreat, tandemque extravaſetur, & in laxam ſpongioſamque earum ſubſtantiam effundatur, putreſcat & phlegmonem pariat. *Sebiſius.*

7. *Inter cauſas externas*) Adde dictis decubitum ſupinum, à quibus cauſis contuſio inducitur, hinc extravaſatio &c. Huc accedunt & ea quæ ſanguinem multiplicant & accendunt; ut cibi ſucci boni, liberalius ingeſti, potus vini generoſi, exercitia vehementiora, ira, calidiorum medicamentorum ac balneorum uſus frequens.

8. *Curatur*) Affluxus ſanguinis arcendus, qui affluxit tollendus: Tollitur autem vel per *diaphoretica*, ſiquidem materia ita comparata ſit ut digeri & inſenſibiliter evacuari queat: Vel per *ſuppurantia*, ſi ad ſuppurationem inclinaverit.

Affluxus humorum avertitur per *venæ ſectionem, purgationem & repercuſſionem.*

Venæ ſectio vel inprimis competit plethoricis, menſtruis aut lochialibus purgamentis ſuppreſſis.

Purgatio requiritur ſi phlegmone ſit ſpuria, & ſi cum ſanguine alii humores ad mammas accedant.

De *Repercutientibus* vide proxime.

Vbi principium phlegmones præteriit, digerentia repellentibus admiſcenda, tandem ſolis utendum digerentibus: Vtplurimum autem Inflammationes mammarum ſuppurantur: *Cognoſcetur* hoc ſi digerentibus non cedant, ſi tumor augeatur, ſi durus ſit admodum, ſi dolor urgeat, & quidem cum arteriarum moleſta pulſatione, ſi calor capiat incrementum; Proin opera danda ut Naturæ opera juvetur, & materia contenta in pus vertatur. *Sebiſius.*

In inflammatione mammarum nihil melius eſt quam *der Spiegel* ex pennis pavonum, ſi horum duo vel tria minutim conciſa *ovo ſorbili* miſceantur & deglutiantur, anatim Sanabitur. *Joh. Agricola comm. in Poppium pagin. 560.*

℞. *Aſellor. pulver. n°* iij. dentur in vino, ſecundo die v. poſtea ſeptem, hinc iterum v. & tandem iterum iij. & videbis Mammas ſine inflammatione & dolore: & ſi in tribus locis exulceratæ ſint iterum ſanari videbis, & pleruṁque intra v. dies. Ante exhibitionem horum apponatur mammis cataplaſma emolliens. *Dygbaus. Exper. p. 62.*

Speculum auxilium ferunt *ſpecula illa pennarum pavonum* duo vel tria conciſa, & cum *aqua menthæ* exhibita ſtatim proſunt. *Joh. Hartmannus P p. m. 93.* Nullum præſtantius medicamentum quam ſpecula Pavonum, *Fr. Hofmannus m. m. pagina 316.* Vide ſupra ex *Agricola.*

Ad mammarum dolorem & inflammationem,

℞. *Albi Græci pulveriſ. da in potu cum vino calido,* ſtatim ſedat dolorem. *Joh. David Rulandus Pharm. p. 114.*

9. *Victu tenui, infrigidante*) Diæta ſit refrigerans; *cibi* ſint pauci nutrimenti, ne polyæmia jam redundans augeatur, *Alvus* ſit ſemper libera, quo humores deorſum inclinantes à mammis avertantur, Toto decurſu inflammationis decubitus eſto ſupinus, alias ſtante ægra, mammæ præ gravitate & humorum ſarcina, deorſum vergentes, ingentem dolorem excitant; Brachia etiam quamminimum fieri poterit, exercebit. *Mauriceau.*

10. *Infrigidante & humectante*) *Indicationi non ſolum Diæta ſatisfaciendum, ſed & remediis ſimili vi præditis*: Fervor ergo ſanguinis his, vel ſimilibus temperandus refrigerandus.

℞. *Syrup. violar. nymph. acetoſit. citri ana.* ℥ij. *aqu. ſtillat. cichor. nymph. violar. ana.* ℥iij. *miſce fiat Potio,* de qua ſumat m. & v. ℥iv. tepefactas. Aut

℞. 4. *ſem. frig. major. ana.* ℥ß. *concidantur minutiſſime. adde ſacch. c.* ℥ij. *aqu. cichor.* ℔ij. Simul probe contuſa & agitata colentur & exprimantur, fiat Liquor lactis ſpeciem referens de quo ægra mane & veſperi ℥v. ſumat. *Fr. Joel.*

11. *Quæ ſanguinis ex talo*) Præſertim in puerperis; maximum enim & tutiſſimum præſidium eſt, ad prohibendum humorum in mammas influxum, ſitum eſt in copioſa & cita lochiorum expurgatione; Quapropter, ſi hæc ſubſtiterint, omni arte evocanda ſunt, quo pacto cuncti humores ad inferiora viam affectaturi ſunt: Univerſus corporis habitus deplebitur ſanguine miſſo è brachio, poſtmodum, ad ampliorem diverſionem, & lochiorum expurgationem, venæ ſectio in pede inſtituenda eſt. *Mauriceau.*

12. *Lenem purgationem*) Purgatio requiritur ſi Phlegmone ſit ſpuria, & ſi cum ſanguine alii humores ad mammas accedant. *Sebiſius.*

Tranſacta xv, à partu die, poſt ſufficientem lochiorum vacuationem, ſedatoque inflammationis fervore, ſemel aut iterum purgetur ægra, ad excluſionem vitioſorum humorum qui forte ſuperſtites ſunt in toto habitu corporis. *Mauriceau.*

13. *Topicorum in inflammatione conſuetorum*) Dum univerſalia adminiſtrantur Topica mammis adhiberi debent; ſic initio utilis eſt *embrocatio ex oleo roſato* & aceto ſimul remixtis, admovendo poſtmodum *Ceratum refrigerans Galeni*, addita parte tertia *ungu. populeon.* Vel admovebitur *cataplaſma* paratum ex *terra cimolia*, quæ reperitur in alveis eorum qui cultros acuunt, *oleo roſac. & pauco aceto*; *Si dolor* urgeat, fiat aliud *Cataplaſma ex mica panis albi & lacte*, addito *oleo roſaceo* & aliquot *ovorum vitellis*: ſuper imponi poſſunt *ſplenia oxycrato* madida, vel *aqua plantag.* Cavendo ſemper ab adſtrictoria vi prædiis. *Mauriceau.*

Puerpera mammæ inflammatione laborans intra paucos dies his duobus remediis ſanata eſt, Primis diebus facta fuit *embrocatio oleo roſar.* *compl. partis*: ℥ & j. *omphac.* Sequentibus admotum eſt bis *ungu. de alth.* Riverius. *obſervat. 41. centur. 1.*

Juvenis mulier circa nonum menſem graviditatis correpta eſt mammæ ſiniſtræ phlegmone. Chirurgus *Cataplaſma de mica* panis ſtatim admovet, Unde tumor admodum increvit; Ego *Cataplaſma* præſcribo ex *farina fabar. cocta in oxycrato*, ſæpe immutandum, quia intra paucas horas exſiccatur: Intra xii. horas inflammatio ablata, tumor admodum imminutus, & intra paucos dies evanuit. *Riverius cent. 4. obſ. 74.*

Novi mulierem quæ hoc morbo correpta, ſumpto *rob ſambuci*, ſudoreque provocato, nihil aliud applicabat quam *nodulum ex ſindone rubra*, Cui flores ſambuci inditi ſunt, & ſic omnium exulcerationem ſtudioſe evitabat. *Martinus Blokvvitzius Anat. Sambuc. ſect. 3. cap. 16.*

A proprietate hoc cataplaſma miræ efficaciæ eſt, nempe ex *Cancris fluviatil. & marinis contuſis*, applicatur. Item Cataplaſma ex *oryza cocta in iure pullæ nigræ* ſimul cum pennis coctæ uſque ad carnis liquationem & ſeparationem: His maximo cum fructu uſus ſum, *Claudinus Emp. Rat.*

Admovi *pulticulam ex pane ſiligineo albo contrito*, cortice ablato in *lacte bubulo cocto, cui ol. violar. & roſar, & amygd. d.* aliquid admixtum ſit. Tunc *Croci pulver.* ʒß. adpoſuit; quibus rubedo, dolor, inflammatio & tumor omnis evanuit, nec abſceſſum paſſa eſt. *Foreſtus lib. 11. obſ. 6.*

Lutum efficaci remedio eſt, mixtum cum *ol. roſari* nonnihil. *Oribaſius lib. 4. c. 82.*

Generoſius ad hoc remedium non inveni *Senecione*. (idem facit *bellis*) cum *flor. malvæ, lentis ſtraminibus in lacte coctis*, & forma cataplaſm. admotis. *S. Pauli Quadr p. 150.*

14. *Repellentia debere eſſe temperata*) Nullibi in inflammationum acceſſu tam conveniunt diſcutientia quam in mammis, &c. Nullibi magis nocent *Repellentia* quam in mammis, ob copiam nempe maximam humorum qui iſtis globis inſident, tanquam ſpongiæ imbibiti, ob infinitos poros qui facile obſtrui poſſunt præſente rheumatiſmo: Si quæ repellentia conveniunt, proſunt terrea, ſicca, ex iis quæ alias in eryſipelate proſunt, & mitiora, vegetabilia cum reſolventibus mixta, proſunt acidula, dicto modo adhibenda. *Wedelius.*

15. *In augmento laudari*) Sedato utcunque inflammationis fervore, & vacuata maxima ex parte cauſa antecedente, in uſum ducantur remedia digerendi utcunque prædita; quæ lac in mammis nimia copia coacervatum abſumant; ne per moram in corruptionem abeat. Ea propter evacuari id decet, idque vel ſuctu educendo, vel tentata illius reſolutione, alias ſi copia adfuerit, in ſuppuratum abiturum eſt: Satius tamen eſt reſolutionem procurare, quam vacuationem ope ſuctus moliri, ſi mulier ubera porrigere infanti abnuat; ſuctus enim amplius lac in mammas provocat, unde idem periculum imminet, niſi iterum excluſum fuerit. Sin vero lac ſponte è mammillis effluat, cohiberi id non debet, quæ videlicet ſine attractione effluit.

Reſolutionem conſequeris applicando mammillis cataplaſma ex *melle* ſolo confectum; certiſſimi effectus id eſt remedium, Aut *idem* inducendum *foliis caulis rubri*, ipſis admovendis, prius ad ignem tepefactis, detractiſque craſſioribus coſtis: Sedulo porro cavendo ne thorax arctius ſtringatur, neve imponatur linteum craſſius aut aſperum, contuſionis mammarum metus.

Præſtantiſſimum etiam remedium eſt *ſi braſſica rubra* integra decoquatur in aqua fluviatili quoad molleſcat,

leſcat, ac pene aqua tota abſumpta fuerit, poſtmodum conteratur in mortario ligneo aut marmoreo, per cribrum poſtea tranſmittendo, ut fiat quaſi Pulvis ex quo addito pauco *oleo chamamelino* conficiatur Cataplaſma mammæ imponendum. *Mauriceau p. 365.*

Si vero ex aliis cauſis, in vel extra Puerperium ſuperveniat inflammatio mammæ, Scopus eſt primus diſſolvendi inflammationem quantocyus, Si hoc fieri non poteſt, perducatur ad ſuppurationem: Ad diſcutiendum accipiatur *papyrus cærulea*, propter colorem qui eſt ex lebete, *melle virgineo* probe illita, & calide imponatur, Si vero fuerit Inflammatio gravior, fiat Cataplaſma ex farinis, v.g. ex *farina fabar. lupinor.* coctis cum *aqua & aceto ſtillat.* pauco infuſo, & *album. ovi* in forma Cataplaſmatis imponatur mammis. *Ettmuller.*

16. *Quæ nimis periculoſa*) *Induratio* omnis in mammis eſt periculoſa & ſuſpecta, etiamſi diu duret, Eſt vero & tunc naturæ convenientius tolerare quietum vel in centro detinere morbum quam ſuppurantibus irritare. *Wedelius.*

17. *Indurationem quæ nimis periculoſa*) Non indurationis ſolum metus, ſed & tandem Cancri aliorumq; periculoſorum affectuum, Accedit quod illis in partibus, ſenſu exquiſitiſſimo præditis, inſignis percipiatur dolor, quem ſæpenumero conſequuntur horrores aut rigores, hinc febris adeo intenſa ut ea affectæ ne minima integumenta ferre queant; ſi vero eorum impatientes vel minimum aëris appulſum ſentiant; vel brachia extra lectum exſerant, novi iterum emergunt horrores, à quibus iterum incandeſcit febris: Neque mirum ſi hoc in caſu, cito accendatur, mammæ enim cordi proximæ inflammationem, qua affectæ ſunt, illi prompte impertiunt, quam nonnunquam excipit furor & phrenelis, ſi ſanguis copioſe & ἀθρόως illuc decumbat; indicante *Hippocrate aphor 40. 5. Quibuſcunque mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.* Mauriceau. p. 364.

18. *Feliciter medicamento*) Sequenti Linimento cum maximo fructu utor in Tumoribus mamillarum.

℞. *G. ammon* ℥j. *olei amygd. lilior. alb. pingued. gallinæ ana.* ℥ij. *ſucci cicutæ* ℥iv. *aceti ſcyll.* ℥iv. *mſ. Maneant in infuſione per horas 24. in loco calido, coque ſ.a. colatura cum forti expreſſione ſervetur ad uſum.*

In præparatione cavendum ne humiditas ſucci & aceti omnino abſumatur nullius enim valoris eſſet medicamentum, ideo lentiſſimo igne coquendum. Hoc Linimento calide inuncta mamma, ſequens applicetur Empl.

℞. *Empl. de mucilag & de meliloto. ana.* ℥ij. *gum. ammon. in aceto ſcyll. diſſoluti* ℥iß. M. F. Empl. addendo *cera* parum ſi opus. *Hildanus centur. 3. obſervat. 25.*

Virginis mamma tum ait, indurata fuit, doluitque vehementer, Illam ſic curavi, Mane & veſperi inunxi *balſamo ſulphur.* noſtro, Poſt applicavi *Empl. diaſulph. noſtrum* quibus in dies tumor, durities & dolor diminutus fuit. *M. Rulandus Cent. 8. Cur 2.*

Cataplaſma *ex caulis virentibus fol. & ariſtol. rot. oleo comm. veteri* incoctis ſuper mammam ſcirrhoſo tumore affectam diu noctuque geſtabit, ita ut ſingulis 8. vel 6. horis mutetur. *Zecchius conſult. 14.*

Egregium eſt medicamentum *Ceratum ex mucilagine fol. lilior. arbor. & biſmalvæ cum ol. liliac. incoctum eſt, addita modica cera.* Præſtans ad omnem duritiem in puerperis ſi puerum ablactare voluerit, & ad lactis reſolutionem, & ne in apoſtema abeat, præcavet. *Foreſtus obſ. l. 17. obſ 14.*

Si inflammatio duritiem minatur, hoc unum ſatis efficax eſt, *ſtercus caninum* cum *terebinth. miſtum Mercurialis lib. 3. de m. m. c. 61.*

19. *Suppuratum*) Ex duobus malis minus, & naturæ propius magiſque conveniens eligendum: Valet id in genere de omni inflammationum genere, tum ſpeciatim de mammis; Secus quandoque eo progreſſi eſt inflammatio, ut ob copiam & ςάσιν majorem diſcuti non poſſit, naturæ ipſius nutu & ductu optimum eſt ſuppurationem juvare Nam & ſerum oleoſius in pus abit, imo nullum pus fit ſine ſero, ut facillime ſanguine & ſero magis unitis difficilius ſeparatis: Hinc tumores glandularum reſpective difficilius ſuppurationem ſubeunt, quia minus de ſanguine participant; hinc ſerum minus oleoſum, ut in arthriticis, non ſuppuratur: ſed ad abſurda chirurgica id pertinet; hinc vulnera facilius pus concipiunt; hinc rebelles ſunt cancroſi & cacoethici tumores. *Wedelius.*

Diachylon ſimplex &c.) Adjuvanda hinc ſuppuratio, tum emplaſtris emollientibus, tum ipſis unguinoſis & reſolventibus ne nempe augeant inflammationem, quam adjutum eunt, Et mirandum eſt ſibi relicta natura, hoc modo tamen adiuta, quomodo tam cito ulcera hæc, à ſuppuratione mundata conſolidentur, ceſſante ſcilicet affluxu, & continente ſolum materia in pus promota. *Idem.*

20. *Variis plerumque in locis aperiri*) Aliquando effluit Lac per vias minime convenientes, Apoſtematis puta aperti orificium, non item papillarum tubulos; Illud autem evenire ſolet quoties poſt inflammationem, & ſubſequentem ſuppurationem facta eſt arte aut ſponte Apoſtematis apertio, atque ſimul læſi ſunt quidam tubuli lactiferi, ſive hoc acciderit ratione ipſius ſuppurationis grandioris, ſive Chirurgi lanceola penitus immiſſa.

Notandum enim in quavis ſuppuratione, præter ipſum ſanguinem aut lac in pus mutandum, corrumpi quoque ſæpenumero partes vicinas & circumjacentes, ſed primum carnoſas & molliores, ſegnius membranoſas, ipſaque adeo vaſa, quæ utpote firmiora & tenaciora diutius ſolent reſiſtere corroſioni & corruptioni.

Vnde quivis facile agnoſcit dandam ſedulo operam, ut non tantum præveniantur in totum, ſed quantum licet minima producantur ubique, ac imprimis in Mammis Apoſtemata, quin quantocyus ad ſuppurationem perducantur inflammationes quæ impediri non poſſunt, & quidem 1. ut multiplices noxæ Apoſtemata ſubſequentes aut comitantes tollantur. 2. ex minore ſpatio apoſtemate occupato pauciores partes noxam patiantur. 3. à pure diutius in partibus quibuſvis hærente; ac ſenſim magis magiſque corrupto & acriore facto, plures non lædantur partes, & imprimis vaſa, quippe quorum noxa hominis ſanitati longe nocet magis quam carnium quarumvis corruptio.

Sicut autem allaborandum ut hæc omnia fiant, ſic danda quoque opera ut Suppurationes omnes quantum poſſibile, ad externas trahantur partes, corporiſque ſuperficiem, nam quæ in loco profundiore fiunt Apoſtemata, nec ſponte nec arte aperiuntur niſi cum partium plurium læſione.

Ubi ſponte aperiuntur, id evenit quia ſegnius ad corporis ſuperficiem viam ſibi facit pus, quod interea temporis partes vicinas plures ſimul corrumpit, ipſaque ſubinde vaſa ubi arte aperiuntur Apoſtemata, id evenit quia profundius adigendum eſt ſcalpellum, facile ductus aliquos lactiferos ſimul diſſecantur.

Id autem ideo cavendum maxime; quia tunc Apoſtematis, vel potius ulceris poſt apertum Apoſtema remanentis curatio eſt longe tardior, difficulter namque atque ſegnius conſolidantur, aut carne concluduntur vaſa & ductus Lac continuo effundentia, quia ſegnius

mundantur, & carne implentur ulcera, ex Apoſtemate cava remanentia, Non prius autem curari poteſt illa Lactis effuſio per notatum ulcus quam carne nova vel conſolidata ſint dicta vaſa diſciſſa vel eroſa, vel ſaltem ea ita munita ut denuo tranſitum Lacti naturalem concedant, dummodo tale quid locum habere poſſit, conſolidatis his vaſis vel in totum obturatis. *Sylvius ibid.*

Nonnunquam mammæ non uno ſolum loco abſceſſum patiuntur, ſed una quæque majorum glandularum ſuppurationem patiuntur, quaſi totidem adeſſent abſceſſus, adeo ut nonnunquam quinque vel ſex locis ulcera excitentur, ſingulis pus fundentibus: Ejuſmodi in caſu non quovis in loco adaperta foramen amplius faciendum, ſatius eſt amplam & unicam inſtituere, vel alteram, in locis declivioribus, quia materia ab uno fonte exilit, adeo ut tota illac effluere poſſit. *Mauriceau. De puerp. aff. l.3.c.18.*

21. *Aperiri*) Fœmina laborans tumore mammarum, ſubtus latitante pure, cum ferrum renueret, corroſivo appoſito, licet non tam cito, ſatis tamen tuto ſentiebat ab apertione levamen. *Wedelius.*

21. *Aperiri*) Statim ac abſceſſus ad ſuppurationem deductus fuerit, aperiri ille debet, niſi ſponte id fiat; Suppurationis factæ indicium erit cum pulſatio ante percepta deſinit, dolor etiam febriſque multum remiſerunt, ac præterea abſceſſus in ſui medio in acumen quadamtenus tendit, & mollities manifeſta appoſito digito percipitur.

Indiciis his apparentibus aperto inſtituenda eſt loco maxime idoneo effluxui contentæ materiæ, cavendo tamen ne citior fiat apertio; ac pure nondum plane perfecto ne intenſior excitetur dolor: mammæ enim conſtant ex partibus exquiſito ſenſu præditis; fluxionibus opportunæ, ratione ſubſtantiæ mollis & ſpongioſæ, infinitis vaſis intertextæ: Quapropter expectabitur maturatio materiæ, neque tamen ut ibi plus quam decet morabitur.

Apertio ſcalpello inſtitui poteſt, vel cauſtico potentiali, eaque ſatis ampla, quo grumis, frequenter occurrentibus pateat exitus, at vero ſatius eſt uti ſcalpello; quia nulla accedit ſubſtantiæ jactura, ſuccedenſque cicatrix non adeo eſt deformis, ac ſi ope cauſtici fiat via puri; mulieres enim ſtudentes venuſtati, integritatem partis exoptant, quæ pulchritudine allicit amaſios excitat.

Guido apertioni lunarem formam conciliari vult hoc eſt Lunæ creſcentis mammæ orbicularem figuram imitatus, at parum refert cujuſcunque ſit formæ, dummodo locus eligatur maxime commodus incluſæ materiæ effluxui, & cautio adhibeatur ne vas aliquod inſigne violetur, quorum præcipua axillas ſpectant,

Vacuata omnino materia, excluſiſque grumis lactis qui non raro adſunt, deterſio fiet apoſtematis more ſolito, abſtinendo à turundis longioribus & durioribus, impoſitis ſolum penicillis mollibus ex linteis diſcerptis compoſitis, iiſque non alte immerſis, quorum prior filo alligabitur, ſi neceſſe ad faciliorem extractionem, quia ut plurimum ulcera hæc ſinuoſa ſunt.

Si inſignis adfuerit dolor, intingantur penicilli *oleo* ovorum, vel *baſilico ungu.* digeſtivo remixto; Si quid nondum ſuppuratum hæſitet. Succedunt his detergentia & mundificantia &c. *Mauriceau de Morb. Puerp. l.3.c.18.*

22. *Iuvant*) Externe optimum eſt pro maturando abſceſſu, ut mamma tumida bis vel ter quotidie illinatur *ſpiritu ſalis armoniaci cum calce viva, & ſpiritu vini* parato, melius eſt ſi addatur *crocus & caryophylli*, &c. Hic calide mammis illinatur, & imponatur ſupra laudatum Emplaſtrum, (*vide inferius ubi de coagulatione lactis ex* Etmullero) ſic ſuppuratur abſceſſus, ut ne dimidium doloris percipiant, quam alias ſentirent; Vel illinatur mamma iſto *ſpiritu*, & imponatur deſuper *Empl. diachylon cum gummat.* Sic pedetentim ſuppurat abſceſſus, nunc ſucceſſive in quodam loco levius emerget Tuberculum, quod ſi apparet, digito contingendum eſt, an ſub eo omnia ſint molliora: nam ſi durum eſt, continuentur remedia; Sin vero molle aperiendum eſt, cultello: Alias pro promovenda ſuppuratione in uſu eſt ut imponatur *Empl. ex mica panis, cum lacte, & medulla panis cum ſucco apii* imprægnata, ſed faciunt dolores, Sin vero ſuſpicio ſupervenientis inflammationis abſit, interdum diſſolvitur coagulum, & ceſſare facit inflammationem.

Loco horum etiam tale Emplaſtrum uſurpari poteſt.

℞. *Rad. ireos, ceparum ad ignem aſſatarum* āā. ℥iij. *fermenti* ℥ij. *vitell. ovor. n.* iij. *axungiæ porcinæ rec. ſine ſale, olei roſar. farinæ fabarum, ſemin. lini* āā. ʒj. Omnia contuſa redigantur in formam Cataplaſmatis. *Etmuller.*

23. *Mammillam affectam &c.*) Obſervandum in genere monitum *Amati cent.1. Cur. 49.* quod mamma affecta raro ad ſanitatem perducatur, niſi altera ſana exhauriatur, quia dum lac fluit ad unam mammam, etiam fluit ad alteram & ſic malum exaſperatur. Obſervandum item quod in muliere lacte abundante, ſi fœtus mammam unam ſugit, ex altera etiam lac ploret ſeu ſtillet. *Etmuller.*

24. *Dolorem optime*) Quia phlegmone moleſtiſſimos & urentes dolores in mammis excitat, ſtatim ad doloris mitigationem omnis cura & ſolicitudo convertenda erit: Cavendo tamen ne mammis inflammatis vehementer adſtringentia & frigida apponantur, talia enim mammas in lapideam duritiem cogunt: Debent itaque eſſe remedia quæ partim refrigerando, partim reſolvendo ac digerendo dolores mitigent, qualia hæc ſubſequentia ſunt.

℞. *Olei roſac.* ℥ij. *album. ovor. n.* ij. *aqu. roſac.* ℥j. *conquaſſentur ac miſceantur*, & tepida duplicatis linteolis excepta mammis inflammatis circumponantur. *Fr. Joel.*

25. *Aeſtate foliis hyoſcyami hyeme radicibus*) His ſi dolor fervorque mammarum non mitigetur, ad Narcotica deveniendum. Ut

℞. *In æſtate, folia hyoſcyami, hyeme vero radices ejus q. ſ.* quas ſub cineribus coquito & cum *q. ſ. axungiæ porcinæ* contunde, & in Cataplaſmatis formam redigito, quod linteum extenſum mammis imponito. *Idem.*

26. *De cætero habet in principio locum*) Quando ſupervenit inflammatio facile cognoſcitur, fit rubicunda, & in medio ſui ſenſus pulſationis percipitur; hæc ſi percipiantur certum ſignum eſt properare Tumorem ad inflammationem, & ſuppurationem, Hic fruſtra eſt omnis conatus diſcutiendi grumos lactis & tumorem inflammativum. Jam vero ut maturetur inflammatio, & promoveatur ſuppuratio, Interne propinetur *Pulvis ex oculis cancror. ſale card. ben. & myrrha*, (quæ nimium acorem inprimis viis abſorbent & deſtruunt) Si mulier ſudet, interdum curatio eſt proſpera. *Etmuller.*

Mammarum Eryſipelas.

Cauſa eſt ſanguis tenuis & blioſus, *Calor* adeſt in mammis, *Color* rubeus & pellucidus cernitur in cute, quæ leviter tumet, *Dolor* percipitur, ſed non tantus quantus in phlegmone, neque adeo moleſta eſt pulſatio ut in illa: Non etiam tanta ſe offert diſtenſio & renitentia quanta eſt in phlegmone, calor tamen in Eryſipelate eſt intenſior.

Ratio diverſitatis eſt diverſitas ſanguinis qui utriuſque

que tumoris eſt cauſa, nam in Phlegmone eſt craſſior & obſcurior; in Eryſipelate ſubtilior & fervidior, quia bilioſus.

Hæc tamen de Eryſipelate exquiſito & legitimo accipienda ſunt, non de ſpurio, quod eſt vel phlegmonides, vel œdematodes, vel ſcirrhodes.

Curam quod attinet, ſummo ſtudio refrigerantia adſtringentia, repercutientia, pinguia item oleoſa vitare oportet; Tria enim priora materiam in mammis detinent, faciuntque ut ignea cum ſit, ulcera excitet ægre ſanabilia, Poſteriora vero eandem magis inflammant; quo fit ut mammas etiam exulcerent, Ideoque tutius eſt ut ſtatim *hydrotica* uſurpentur, quo ſubtilior illa ſanguinis, portio, quæ phlogoſin concepit, ardoremque excitavit, diſcutiatur, *Foris* autem *digerentia & ſiccantia*, ſine refrigeratione aut adſtrictione atque repercuſſione applicentur. Noſtri homines Eryſipelatibus adhibere ſolent *ſacculos farinaceos ex farina ſiliginis, hordei, aut fabarum* confectos, eoſque tepide imponunt. *Sebiſius p. 760.*

Puerperæ terrefactæ ſubinde incurrunt Eryſipelas mammarum, vel ſponte horrore correptæ, poſtea gravem æſtum incurrunt, ubi mamma Eryſipelate tangitur.

Eryſipelas mammæ hæc poſt ſe exhibet, Mamma rubet, calet, coccineo colore tracta eſt, & dolores lancinantes & pungentes in ejus ſuperficie percipiuntur.

Lac emulgeatur, interne vero, dum calor durat propinentur remedia diaphoretica fixa, in ſpecie *alkalia*, v. g. *antimonium diaphor. cum ſale cardui ben.* Vel

℞. *Cornu cervi ſine igne* ℈j. *ſalis card. ben.* ℈ß. *m.*

Expellatur ſudor; ſub quo mamma linteis calidis probe integatur, ut ſudor erumpat.

Hoc facto, ſi levius fuerit Eryſipelas, fiant *ſacculi ex flor. ſambuci*, qui interpaſſati irrorentur largiter *ſpiritu vini* probe rectificato, & *ſuffumigetur pulvere ſuccini* & thuris, & calide applicetur, aliquoties repetendo.

Si vero gravius fuerit malum, optimum eſt ut recipiatur *theriaca* & miſceatur cum pauco *ſale abſinth.* E. g.

℞. *Theriaces* ℥iß. *ſalis abſynth.* ʒiß. miſce in formam Emplaſtri & calide mammis applica.

Loco horum egregium eſt ſequens.

℞. *Rob. ſambuci*, quod inducatur linteo, & calidiſſime imponatur mammæ omnique hora repetatur,

Superſtitio eſt quod horrent talia humida in uſu; *Pulvis ad Eryſipelas minſichti*, imprægnatus *ſpiritu vini tartariſato*, ſi calide mammis aſpergtaur, & imponatur, vel linteum, vel ſacculus *ex flor. ſambuci & chamom.* mulierque blande ſudet, aut madeat, confert. *Etmuller. p. 61. Part. 3.*

De Mammarum Glandulis & Scrophulis.

Glandulæ ſunt partes corporis ſimplices ſpongiæ inſtar molles, raræ, friabiles, & in ſe convolutæ: Has naturaliter mammis ineſſe conſtat; quæ ſi præter modum induruerint, affluente ſolo pituitoſo humore, vel etiam acri & bilioſo admixto, *Tumor* fit *Glanduloſus*: At dum in mamma Glanduloſas quidam Tumor denuo progignitur, non quidem tumefacta præexiſtente glandula, ſed denuo altera genita tunc altera fit ſpecies, quæ appoſita ad Strumas ſive ſcrophulas reducitur, Et eſt Tumor ex pituita craſſa vehementer indurata; Vel ex pure & ſanguine ſubter concreto, ut *Celſo* placet; Ac ſi dolor his Tumoribus accedat, Medici exiſtimant hos Cancros eſſe, aut minari; quos tamen decipi conſtat, quia in eodem ſtatu pluribus annis, ſine ulla exacerbatione perſiſtunt; Cæterum mammis *Scrophulas* ſive Strumas adnaſci confirmat *Celſus Mercatus*, *Tagaultius*, ac nobis etiam in pluribus fœminis id experientia compertum eſt,

Tument Glandulæ per *defluxum*, Strumæ per *paulatinam congeſtionem*, Utrique tamen Tumores fiunt, deficientibus potiſſimum menſtruis ac ipſorum recurſu ad mammas, ut illis fœminis accidit quæ cantu, aut quovis alio ſuperiorum partium exercitio utuntur, ſic enim menſtruis ad mammas revocatis, earum glandulæ grandiores fiunt, ut quas antea difficile erat reperire, jam leviſſimo contactu obtrectes: Sed præter hanc cauſam purulentus etiam ac ſanguineus humor in mammas decumbens, Strumam gignere poteſt,

Facilius eſt hoſce duos Tumores noſcere (quia ſenſui parent) quam eoſdem inter ſe diſtinguere, uterq; enim indureſcit ac dolet, ejuſdemque fere magnitudinis exiſtit, ſed hæc eſt differentia, quod *Glandula* magis dolet, & dolor quidem juxta affluentes humoris qualitates exacerbatur, & quovis levi præſidio reſolvitur, nonnunquam etiam ſponte ipſa, ac hinc inde movetur, Contra vero *ſtruma* immobilis eſt, nec facile niſi plurimis adhibitis remediis evaneſcit, dolet minus, dureſcit magis, ita ut ſæpe ſcirrhum referat; A quo tamen, & à *vera ſcrophula differt*, quia etſi indurata, dolet tamen, Inſuper ſcrofula unum obſidet locum, Glandula in parvos divaricata Tumores intra mammas divagatur. *Rod. à Caſtro 1. de m. m. c. 19.*

Difficile eſt *Glandulam à Scrophula* diſtinguere, niſi duratione, habent enim communem duritiem, atque etiam *Glandulæ* non ſemper dolent, ſicut nec Strumę, niſi affluente humore acri: Ideo diſtinguunt quidam quod *Glandula* ſit mobilis, *Scrophula* vero rigida inſtar Scirrhi manet; *Scrophula* unicum tantum locum obtinet, at Glandula in parvos ſecatur tumores intra mammam divagantes, Quæ tamen omnia ſunt falſa, Igitur *Strumæ* proprie loquendo, ſunt tantum Glandulæ induratæ. *Primiroſius libr. 5. de m. m. capite* 4.

Glandulæ in genere totius corporis ad varios ſuccos è ſanguine ſeparandos ſunt deſtinatæ, prout ſunt varii uſus partium, in quas ejuſmodi ſucci deferuntur, adeo ut corpora glanduloſa maxime ſint apta ut in ipſis variorum humorum collectiones & corruptiones fiant, quod ſatis manifeſte deducitur ex vaſorum in ipſis multitudine, exilitate & complicatione, quibus omnibus fit ut qui per illa vaſa tranſcolantur humores in ipſis facile hæreant, & mora diuturna, pro varia partis natura, aut acquiſititia diſpoſitione, labem multiplicem contrahant, aceſcant, concreſcant, putreſcant &c. *Fortzius Tr. de Tum. p. n. p. 74.*

Si ergo *lympha vitioſa, viſcida, acida, & quodam acore auſtero* prædita, in poris & meatibus collecta ibidem induratur, dat *Scrophulas & Strumas*, *Etmuller. Pr. Part. 3. pag. 128.*

Adeo ut diſtinctio affectuum Glandularum mammarum, in Glandulas proprie ſic dictas, Strumas & ſcrophulas, admittenda non ſit, cum utrobique affectæ ſint Glandulæ, Diverſitatis cauſa ex diverſitate humoris tantum petenda.

Curam *Scrophularum mammarum*, perſtringit. *Sebiſius Man. p 782.*

In Cura, ait præmittenda eſt totius corporis vacuatio, Menſes ſi ſuppreſſi ſint movendi, Poſt ad Topica accedendum, ut cauſa continens tollatur.

Tollitur autem per Emollientia & digerentia, (*lympham concretam fundentia, acidam, acrem temperantia &c.*) ſeorſim, mixtim alternatimve adhibita.

His nihil proficientibus progrediuntur Chirurgi ad *ſuppurantia. Cauſtica, & Sectionem.*

Verum *Suppurantia* tuta non ſunt, metuendum enim ne Scrophularum materia corrumpatur, & ulcus inſana-

bile, cancro affine ſubſequatur: *Ignis & ferrum* mulieribus, præſertim delicatioribus & meticuloſis formidabilia ſunt, quia doloroſa; Quare conſultius eſt ut illarum voluntati obſequamur, ſi hiſce operationibus Chirurgicis ſe nolint ſubmittere, Tectæ enim mammæ ſunt, & in conſpectum non veniunt; Carent quoque ſcrophulæ dolore, diuque ſine magno dolore perſeverant.

Materia emollientium & digerentium capite de ſcirrho fuit propoſita. *Sebiſius.*

Curationem per Chirurgiam, moleſtam & operoſam, vide apud *Mercatum, Roder. à Caſtro* & eos qui de magnis majora loquuntur,

Ad emollitionem & diſcuſſionem omnibus præſtantius eſt *Oleum de Bufone*, *aut ungu. ex eodem oleo, pice & plumbo uſto* vel *lithargirio* confectum: Prodeſt etiam incredibili efficacia *Emplaſtr. Hippocrat.* quod fit ex *ſem. lini cum vino albo in mortario plumbeo agitato & pulveriſato*: Id tantæ efficaciæ experimento didicimus eſſe, uti ſcirrhoſis etiam tumoribus prodeſſe frequentiſſime compertum ſit. *Mercatus l. 1. de m. m. c. 17.*

Empl. de meliloto, ol. maſtich. inunctum in Scrophulis Mammarum valde probatur. *Weickardus Theſ. p. 607.*

[27] *Oedema*, quod interdum per totam mammam diffunditur, ut eadem tota æqualiter intumeſcat. [28] *Cognoſcitur* ex eo, quod ſit mollis, per intervalla certis temporibus, menſtruationum nempe, tumor ac dolor exacerbetur, ſemper tamen tumoris aliquid remaneat. [29] *Ortus* & [30] *Curatio* ex generalibus petenda. Hic duntaxat *obſervandum*.

1. *Quod* in menſium retentione toſta & aſſa minus conveniant.
2. [32] *Quod* maturantia, quia materia hic tenacior eſt, fortiora ſint eligenda.
3. *Quod* ventriculi, qui pituitæ receptaculum, ratio quoque ſit habenda.
4. [33] *Quod* in reſolutione nimis calefacientia ne plus ſanguinis ad mammas confluat, ſint vitanda. [34] Proſunt fomenta ex lixivio *ſarmentorum vitis* vel caulium &c.

[27] *Oedema*) Οἴδημα eſt nomen generale Tumorum in quacunque corporis parte, qui à materia frigida, vel pituita, vel flatulentis ſpiritibus (tumores tamen flatulenti φυσώδεις dicuntur non œdemata) excitantur, Eſt autem Oedema laxus ſive mollis tumor, doloris utplurimum expers, qui in tibiis & mammis frequenter (rarum pronuntiat infra *Sebiſius*) oboritur, Cauſæ Oedematis in mammis ſunt aut pituitoſi humores, aut flatuoſi ſpiritus in iis collecti. *Franc. Ioel Op. l. 3. p. 294.*

Eſt tumor pituitoſus, qui tamen raro in mammis naſcitur, ſunt enim ſatis calidæ, & fonti quoque caloris, cordi, necnon & pulmoni, viſceri ſanguineo & calido, vicinæ: Vtplurimum autem iſte humor aliunde ad mammas affluit, & mammis, corporibus raris & laxis facile admittitur. *Sebiſius.* Si mammarum tumor fuerit œdematoſus, ut in illis quæ pallidis coloribus, vel cachexia laborant, fit à fluxione humoris ſeroſi vel phlegmatici in prædictas partes, aut etiam ab horum humorum congeſtione: Fieri etiam poteſt à flatu, vel ſolo, vel cum prædictis miſto. *Primiroſius l. de m. m. 5. cap. 3.*

[28] *Cognoſcitur ex eo*) Tumor eſt laxus & doloris aut exigui, aut nullius; color tumoris ad albedinem vergit, & ſi cauſam habeat *pituitoſum humorem*, digito impreſſus veſtigium relinquit ac foveam; Si vero à *flatibus* originem ducat, eadem ſunt ſigna, niſi quod veſtigium digiti non relinquat, ſed renitatur. *Fr. Ioel.*

[29] *Ortus*) Lympha, ſed vitioſa, ac craſſior & viſcidior reddita, & cum chylo crudo maſſæ ſanguineæ permixta, & hinc inde diſtributa, hinc inde ſtagnans, dat Oedemata, nempe tumores molles, laxos, digito prementi cedentes, ut tamen hujus veſtigia diutius remaneant, &c. *Etmuller. Pr. Part. 3. p. 127.* Mammas autem plurimis vaſis lymphaticis donari docent Anatomici.

[30] *Curatio*) Conſiſtit in eo ut cauſæ externæ, quæ phlegma generant, removeantur, & *Diæta* præſcribatur calefaciens & ſiccans, ut Cacochymia phlegmatica expurgetur, ut denique cauſa continens, ipſum ſcilicet phlegma mammis impactum per diſcutientia & reſolventia conſumatur. Quod ſi Tumor ad ſuppurationem tendat, (quod tamen raro contingit) tunc ſuppuratio topicis removenda. *Sebiſius.*

Curatio perficitur pituitæ præparatione ac ſubductione, aut Flatulentorum ſpirituum reſolutione & evaporatione: Primum itaque pituita digerenda & coquenda eſt decoctis, & potiſſimum *oxymelite*, ac tandem concocta expurganda & ſubducenda, &c. Poſt purgatam pituitam ad Topica remedia, quæ tumorem reſolvere & materiam evaporare, exſiccareq; poſſunt, deveniendum erit. *Fr. Ioel.*

[31] *Quod in menſium retentione*) Quippe adſunt ἀντενδείξεις, & pugna indicationum, nam menſium retentioni humectantia debentur, quæ fluxilem reddant ſanguinem, meatuſque lubricos faciant: Oedemati ſiccans victus ratio debetur.

[32] *Quod maturantia*) Si œdema mammarum in nodos duros, ſive Apoſtema degeneret, Emplaſtra emollientia, quale eſt *Diachyllum*, Nodulis applicandum, Aut conficiendum tale Cataplaſma.

℞. *Mica panis* ℥j. *pulver. ſem. lini, flor. chamæm. rad. alth. ſemin. fœnugr.* ana ʒß. *ol. chamæm. & aneth.* ana *q. ſ. F. Cat.*

Vbi Nodus mollior eſt redditus, aut Chirurgica operatione ferro aperiatur, aut ſequenti Cauſtico.

℞. *Stercor. Columb.* ʒij. *fermenti acerr.* ʒiij. *pulver. Canthar.* ʒß. *cum ſucco flammulæ formetur maſſula, cujus* ʒj. *plus minuſve pro ratione loci tumentis, Nodo imponatur.*

Rumpit in paucis horis Tumores cujuſcunque generis: Id tamen obſervandum, ut ſi queat fieri, apertio, ſive ferro, ſive medicamento fiat in declivior loco mammarum. *Fr. Ioel.*

[33] *Quod in reſolutione*) Valentius non eſt reſolvendum, ne in ſcirrhum, tenui humoris parte diſſipata, tumor degeneret, aut diuturniori calefactione ſanguis attractus ad partem fungoſam putreſcat, & malignos abſceſſus producat, ut in ſcrophulis quotidie obſervari poteſt. *Primiroſius.*

[34] *Proſunt Fomenta*) Plurimum commendatur *aqua calida*, in qua nonnihil *ſalis nitri & aluminis* eſt incoctum, ac cui tantillum aceti ſit commixtum, ut guſtu non ingrata percipiatur, quæ pannis duplicatis excepta tumentibus mammis circumponi debet.

Valentius hoc eſt remedium magiſque reſolvens.

℞. *alumin. ſulphur. myrrhæ, ſalis,* ana ℥j. Quæ tenuiſſime pulverata cum q. ſ. *aceti & olei chamæm.* in pultis formam redigantur, & inſtar cataplaſmatis Tumori applicentur.

Qui in præſenti aliud remedium non habent ſtercus bubulum recipiant, & cum aceto in Cataplaſm. formam redactum calidum imponant. Vel

℞. *Mica*

℞. *Micæ panis* ℥ij. *macera in aceto*, coque ad pultis ſimilitudinem; adde *pulver. rad. alth. ſem. lini* ā ā ℥j. *myrrhæ, croci ana.* ʒj. *vitellor. ovor. n. ij. f. Cataplaſm. Fr. Joel.*

Præmiſſis generalibus; humor reſolvendus erit *fotu thermarum*, aut earundem *luto*, aut fotu ex *decocto ſarmentorum, caulium. roſar. braſſicæ*, addito *ſale & alumine* ad partem ſimul roborandam: Cataplaſmate ex *farina fabar & orobi* cum ſemine *cymini* & aliis reſolventibus, *Empl. diachylon. de meliloto, de ſulphure, de baccis lauri. Primiroſius.*

III. *Scirrhus* mammillarum, [35] eſt vel *Exquiſitus*, vel *Non exquiſitus*. I. [36] *Exquiſitus*, varius eſt.

1. Alius *Incipiens*, qui ad contactum dolet, minimum tamen, qua ratione ab incipiente cancro diſtinguitur, & [37] difficulter curatur.

[38] Alius *Inveteratus* qui durus eſt, ſine dolore [39] medicamentis incurabilis, præſertim ſi capparum colorem refert, vel ſi ei pili ſupervenerunt; manus opera interdum curatur.

II. Alius eſt *per Conſtitutionem*, humoris per ſe craſſi, [40] in quo curando aceto nec inter initia nec diu urendum, ne vel reſiduum lapideſcat, vel ſubſtantia partis exſiccata tabeſcat; Nec manuale opus tentandum, ſi tota mamma induruit, & tumor thoraci ita adhæſit, ut citra periculum avelli nequeat.

Alius [41] *per Reſolutionem*, in quo ſenior pars præpoſteris medicamentis exſiccata eſt, quemque *Galenus* evaporatione ex *aceto acerrimo*, ſuper lapidem pyritem candentem effuſo, ſed præmiſſis liquantibus, curavit.

In [42] omnium *Curatione*, videndum, ut lienis & ſuppreſſorum menſium ratio habeatur, & [43] Emollientia cum reſolventibus alternatim applicentur.

2. [44] *Non Exquiſitus* ſcirrhus ex eo [45] *Cognoſcitur*, quod ſit tumor major cancro, [46] coloris cinericii, cum duritie ac venis in ambitu nonnihil liveſcentibus varicum inſtar: & quod interdum, imminentibus præſertim menſtruis, vexet.

Oritur [47] ab atra bile melancholiæ commixta, præſertim in ſterilibus, vel quæ citò parere deſierunt, vel omnimoda menſium ſuppreſſione laborantibus.

In [48] *Curatione* inter [49] Repellentia abſque adſtrictione laudatur. [50] Vnguentum *de Ranis*, quod apud Caſtrenſem l. 1. de morbis mulier. cap. 21. vide. De [51] Manus opera vide eundem.

[35] *Eſt vel Exquiſitus &c.*) Tumor iſte, ſicut & alii, geminus eſt, *verus, exquiſitus*, ſeu *legitimus*. Et *illegitimus* ſeu *ſpurius*, *Ille* cauſam habet duplicem, *Pituitam* craſſam, glutinoſam, & lentam, quæ exſiccata, Et *humorem melancholicum*: Aliquando miſcellam utriuſque humoris: *Hic* ex dictis quidem humoribus provenit, ſed quibus admiſtus eſt, vel ſanguis craſſior, vel bilis flava, vel bilis atra.

Vterque rurſus aut *conſummatus* eſt, & *abſolutus*, aut *incipiens & imperfectus*.

Perfectus & exquiſitus cognoſcitur ex duritie & doloris abſentia, Itemque ex colore albo, ſi pituita illi occaſionem dederit; vel ſublivido aut nigricante, ſi melancholia fuerit in cauſa, *Incipiens* enim minus durus eſſe ſolet.

Illegitimus cui calidi humores ſunt adjuncti. ex colore, calore, dolore & duritie deprehenditur.

Color variat pro varietate additorum humorum, ſanguinis ſcilicet, bilis flavæ & atræ.

Calor adeſt, quoniam materia impacta calida eſt.

Dolor urget ob calorem & tenſionem.

Durities ſentitur, quia materia eſt ſiccata & indurata, & quia mammæ admodum ſunt repletæ: Corpora quippe tribus modis dura evadunt, juxta *Galenum 5. ſimpl. cap. 5. repletione, concretione* & ſiccatione.

Scirrhus phlegmaticus ſequi ſolet frequenter œdemata mammarum, quando ſubtilior materiei portio eſt diſcuſſa, craſſior relicta.

Scirrhus melancholicus oboritur cum in venis multa melancholica materia eſt cumulata, & poſtea ad mammas ſe recipit, Vel quando in ſpleneticis, à liene eſt excuſſa, vel cum menſtrua ſunt ſuppreſſa, aut conſueta hæmorrhoidum vacuatio eſt intermiſſa. *Sebiſius Manual. p. 764.*

Schirrus Tumor eſt durus, renitens tactui, qui ſenſim ut plurimum generatur in partibus mollioribus, & indolens eſt, & occupat tam internas quam externas partes; *Naſcitur* ex coagulatione aut *ſanguinis* aut *chyli* crudioris, aut *utriuſque* ſimul; Ex *ſanguine coagulato*, quando inflammationibus male tractatis ſupervenit, inprimis quando per repellentia male tractatur, tunc enim talis tumor durus remanet, ſeu ſcirrhus. Ex *chylo crudo*, cum interdum tumoribus. epihematibus nimis valide diſcutientibus tractatis ſuperveniunt, ſicuti *Mammæ, in quibus lac coagulatum* hæret, tandem durum ſcirrhum contrahunt; ut plurimum iſtis ſuperveniunt quibus ſanguis in poris viſcerum per *acidum nimium vel fixius*, dictam materiam coagulans, congeritur. *Etmuller Pr. Part. 3. p. 129.*

[36] *Exquiſitus varius eſt*) Exquiſitus tribus potiſſimum de cauſis in mammis generatur, 1. quia obſtructus lien nequit ſanguinem à melancholia expurgare, ſicque in corpore redundat, & ad mammas convertitur ac tumorem ſcirrhoſum gignit; 2. Quia menſtruis ſuppreſſis, aut alias diminute fluentibus fæculentus humor non expurgatur, ſed paulatim ad mammas regurgitat, 3. Quia ex toto corpore humor per paulatinam, ut aiunt, congeſtionem, in mammarum locis accumulatur: Sæpe etiam Medicorum imperitia paratur cum vehementer eryſipelata & mammarum inflammationes adſtringunt & infrigidant. *Rod. à Caſtro l. 1. de m. m. c. 20.*

[37] *Et difficulter curatur*) Scirrhoſi tumores; ſeu is in quo adhuc ſenſus eſt etiam ſi ſit obſcurus, nec incurabilis eſt nec facultatem curationem ſuſcipit: Ex *Galeno* Scirrhus tamdiu curatur quādiu dolet. *Vigierius.*

[38] *Alius inveteratus, qui durus eſt &c.*) Signa ſunt durities & renitentia mammarum & partis tumeſcentis color lividus ſive fuſcus, & venæ ſimiliter per mammas ſparſæ lividæ turgidæque conſpiciuntur. *Fr. Joel. Oper. L. 3. p. 296.*

Scirrhus deprehendetur frigiditate, quia melancholia eſt frigida, ſenſibilitate, & aliquando colore, duritie & immobilitate; Nam ſcirrhus eſt valde durus tumor, & qui ad lapidis duritiem accedit, cum fiat ab humore valde craſſo & terreſtri: Durus, inquam, indolens, quia aut humorem tam craſſum ſpiritus permeare non poteſt, aut craſſitie ſua non minus quam frigore illius vim obtundit, quia nervus induruit, & humor ſcirrhificus tam craſſus eſt ut impediat commeatum ſpiritus animalis, quo vectore influit facultas ſentiendi: Addunt etiam quod Scirrhus non moveatur, ad tactum, Sicut glandula, ſtruma, ganglium, & alii ejuſmodi tumores qui admoventur; Scirrhus autem eſt tumor immobilis, ac ſi eſſet clavus affixus; Addunt alii quod, ſupra ſcirrhos aliquando oriantur pili, & tunc evadit *exquiſitus* ſcirrhus. *Vigierius Chir. libr. 1. capite 24.*

39. *Medicamentis incurabilis*) Exquiſiti Scirrhi nullam admittunt curationem, remediis potius efferantur, & in cancrum tranſmutantur; Cur vero ſit incurabilis ex eo colligi poteſt, quia privatur ſenſu, conſtat facultatem per nervos amplius influere non poſſe; & cum humor occupet nervos, venas & arterias, ſtrangulari facultatem neceſſe eſt, unde & medicamenta nihil operantur, quoniam à facultatibus non feruntur ſuppetiæ. Qui autem non eſt exquiſitus, curationem recipit, ſed admodum difficilem; qui lapidoſus factus non cedit medicamentis, nec enim mitia quicquam efficiunt, valentiora autem plus indurant. *Vigierius.*

40. *In quo curando aceto.*) Quodam tamen putant aceti uſum non eſſe mammis ſalutarem, propter earum laxitatem, ne vel contabeſcant, vel ſcirrhoſus tumor magis induretur; Verum hi omnia tuta timent, nam neutrum ex his niſi admodum longo & continuo uſu ſucceder. *Primiroſius.*

41. *Alius per reſolutionem*) Si ex aliis cauſis (quam ob *lac* in mammis retentum) in vel extra puerperium ſuperveniat inflammatio mammæ, *ſcopus primus* ex diſſolvendi inflammationem quantocyus, ſi hoc fieri non poteſt, perducatur ad ſuppurationem; *Alter ſcopus*, eſt ut *grumi* reſolvantur, ne abeant in ſcirrhum; *Scirrhi* hi mammarum ſunt *varii*, *Scirrhus enim mammarum oritur vel è cauſa manifeſta, ut ſit indolens, vel pedetentim ab interna cauſa*, qui ſubinde ſunt nonnihil dolentes, non quod continuo, ſed interdum: *Scirrhi* hi poſtmodum *inclinant ad cancrum*, unde relinquendi ſunt, ne exaſperentur & crabrones irritentur; Reliqui vero Scirrhi curandi ſunt, nempe *emollientibus & reſolventibus*; *Ad emolliendum* optima ſunt remedia ex gummatibus, ſpeciatim ex *ammoniaco in aceto* ſoluto, vel galbano, ſufficienter prius mamma *aceto* ſuper lateres affuſo, fota, tunc applicatur cataplaſma, Si non ſufficerit, uſurpa *Empl. Colers.*

℞. *diachyl. magni de meliloto, ceranei.* āā. ℥j. *gummi, ammon. in aceto ſoluti* ℥vi. m. in forma Catapl. impone mãmis donec emolliatur ſeu evaneſcat; Tandem *Emplaſtrum de ranis Vigonis cum Mercurio* ad hos tumores ſcirrhoſos non cancroſos optimum eſt: Poteſt ſumi *Mercurii* vivi dupla dozis. *Etmuiler. pagin. 62. Part. 3. Pr.*

42. *In omnium curatione*) Prætermittenda hic ſunt, ſicut & in aliorum Tumorum cura, univerſalia, itemq; cauſæ antecedentes, ubicunq; tandem lateant, eximendæ; Poſtea ad cauſam *conjunctam*, quæ proxima eſt, & mammis impacta, accedendum, eaque emollienda, incidenda, attenuanda, digerenda. *Sebiſius pagina 766.*

Curatio Scirrhi perficitur, *Venæ ſectione*, *Victus ratione*, & *medicamentorum convenientium applicatione*, Statim ergo initio, præſertim ubi menſes ad mammas fluunt, facienda eſt ſub talo pedis in interna parte, Venæ ſectio; Si vero totum corpus melancholico ſanguine redundet, ſecanda erit vena brachii ſiniſtri inferiori, quæ ſplenetica nominatur.

Victus ratio debet eſſe moderate calida & ad humiditatem declinans, utatur ægra alimentis boni ſucci, id eſt purum ſanguinem generantibus, Potusq; ſit vinum tenue & odoratum; Vitent omnia ex quibus melancholicus ſanguis generatur, Vitanda animi pathemata, ira, mœſtitia &c.

Hinc ad *medicamenta* deveniendum, Primum exhibeatur ægrotanti *Theriacæ* ʒiß. *in hauſtu aquæ ſcordii*, & in lecto probe obtecta patiens ſudet ad ſeſquihoram: Deinde melancholici humores convenientibus remediis extenuentur, concoquanturque primum, Hujuſmodi remedia ſunt *decoctum polypodii, fumar. lupuli epithymi, cum ſyrup. fumar: & epith.* commixtum; Poſt concoctis vitioſi humores ex corpore propellantur, vel *infuſo myrobal. Indor.* aut *diaſenna*, aut *diacarth.* & aliis. Purgatis vitioſis humoribus, ad Topica deveniendum &c. *Fr. Joel.*

Venæ ſectionis hic nulla eſt neceſſitas, quia humor eſt frigidus, niſi ratione cauſæ antecedentis, cum in tota maſſa melancholicus ſanguis manifeſte dominatur: Nam in Quartanis propterea *Galenus* commendat V. S. ea tamen lege ut ſi ſanguis primum laudabilis & purus effluat, ſiſtatur, ſi craſſus, niger & fæculentus, abunde detrahatur &c.

Conſideranda eſt cauſa mali exacte; nam ſi exuperantia humoris melancholici, quæ ſcirrhum fecit & fovet, proveniat à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, aut menſibus, provocentur: Si lienis vitio, de ſanguine limum non attrahentis, qui ob majorem copiam effuſus in venas totam maſſam corrumpit, Lien ſumptis & admotis roboretur, corpus per intervalla humore melancholico repurgetur, quinetiam de lienari ſanguis mittatur; Si prava vitæ & victus ratio ſcirrhum pepererit, emendetur. *Vigierius.*

43. *Emollientia cum reſolventibus*) Topica remollientia eſſe debent & attenuantia, propter humorem durum & craſſum: Ex *attenuantibus* ſolis periculum imminet, ne tenuiori parte reſoluta craſſior remaneat, ſic malum reddatur immedicabile; Ex *humectantibus* vero, ne materia putreſcat, inflammetur, ſicque in Cancrum aut ulcus vertatur; Itaque ex *Galeni* conſilio, vel alternis vicibus, modo emollientibus, modo attenuantibus, vel medicamentis miſtæ facultatis eſt utendum: atque iis etiam tantum per intervalla, ut pars interea poſſit recreari. *Primiroſius.*

Abſtinendum à valde calidis & reſiccantibus: horum namque uſu quæ tenuia ſunt exhalant, quæ craſſa & terreſtria remanent, tandemque fit ut tumor lapideam acquirat duritiem. Vtendum proinde moderate calefacientibus, & temperate humectantibus &c. *Sebiſius. pag. 766.*

43. *Emollientia cum reſolventibus alternatim*) Præſtat alternatim, nunc emollientia, nunc reſolventia, & nunc digerentia, ut quæ illas ipſas facultates habent, ſimul conjunctas & compoſitas mammis applicent, Talia autem ſunt ſubſequentia Emplaſtra & cataplaſmata.

℞. *Bdellii. ammon.* āā. ʒß. (℥ß) *reſolvantur in aceto & percolentur inſtar pultis*, quibus admiſceantur *olei lilior. alb.* ℥ii. mucagin. ex *ſemine fœnugr. & lini facta* ℥iij. Omnibus commixtis adde *ceræ liquefactæ* ℥j. Simul coagulata cogantur in maſſam, quæ per [illegible] inſtar Emplaſtri extendatur & tumori mammarum applicetur. Vel

℞. *Radic. alth. malvæ arboreſc.* āā. ℥iv. contundantur, addıtæ *pinguedini anſerinæ* q. ſ. f. Cataplaſma, calide applicandum. *Fr. Joel.*

Vnguento hoc maximo cum ſucceſſu utor.

℞. *Gummi, ammon.* ℥j. *ol. amygd. d. lilior. alb. pingued.*

guedin. gallinæ āā. ℥ij. *ſucci cicutæ* ℥iv. *aceti ſcyll.* ℥ij. mſ. ſtent in infuſione per horas xxiv. in loco calido, tum coquantur & colentur fortiter exprimendo, Singularem efficaciam habet in tumoribus à viſcida materia ortis. *Hildanus Cent.2. obſ 80.*

℞. *Herbæ geranii ſii aquat.* āā. *m. j. vermicul. m.* ij. *rubiæ m.*ß. *Coqu. omnia viridia in lixivio communi; ad moll tiem. contuſis, adde far. ſem. lini m.* ij *axungiæ porci cochl.* iij. cum brodio decocti prioris miſta bulliant ad pultis craſſitiem, ſemper agitando, Applicetur bis in die calide ſtatim ab initio, Tumor & inflammatio evaneſcet. *Arn. Weickardus Th. p. 332.* Valet in Tumoribus mammarum ubi inflammationis metus à lacte coagulato.

44. *Non exquiſitus ſcirrhus ex eo cognoſcitur*) Duplex eſt ſcirrhus, alter *Exquiſitus*, alter per commixtionem alterius humoris, qui ſi atra bilis ſit, tumor generatur cancro finitimus, *Cancroſum ſcirrhum* recte dixeris, ac definitur: Non exquiſitus Tumor melancholicus per admixtionem atræ bilis, qui in cancrum abire tentat, mediamq; retinet duritiem inter ſcirrhum & cancrum; ſed etiam inter ſcirrhum & alios tumores ab humore craſſo, ut œdemata, glandulas, ſcrophulas, à quibus etiam fieri poſſe autumant; neque abs re, quippe peculiare eſt huic tumori ut à craſſis, pituitoſis & melancholicis ſuccis oriatur, ac poſtea aduſto adveniente humore progreſſu temporis, ni diligenter cures, exulcerationem acquirat.

Ex eo cognoſcitur) Differt *à Scirrho*, juxta *Avicennam, Rhaſin & Vigonem*, quinque accidentibus, Pulſatione, inflammatione, punctione, dolore acuto, & tumore venarum in circuitu; A Cancro vero difficilius diſtingues, nec niſi magnitudine accidentium, minor enim eſt durities & inæqualitas, dolor, punctio, calor & inflammatio, nec adeo turgidas & liveſcentes habet venas (*Vidiſſe ſe ait Cancrum in quo ejuſmodi venarum tumor non apparebat, aſſerit.* Primiroſius. *lib. 5. de m. m. p. 359.*) & nec ita ſubito & ægreſcit, nec indeſinenter vexat, ſed per intervalla, præſertim imminentibus menſibus; *A poſteriori* etiam, quia Tumor is emollientia localia, cum utilitate admittit, à quibus Cancer omnino exacerbatur. Præterea Cancer vix unquam perfecte ſanatur, & ſi ures aut ſeces, gravius, ut ait *Celſus* affligit: Prædicti tumores ſciſſionem admittunt, nec amplius redeunt ſi decenter curentur: Atque hæc ſunt tubercula quæ *Hippocr. 2. de m. m. 24.* non ſuppurari dixit, ſed ſemper fieri duriora, deinde ex ipſis cancros naſci occultos. *R. à Caſtro.*

45. *Quod ſit tumor major Cancro*) Diſtinguitur Scirrhus ab aliis Tumoribus, ut à *phlegmone*, dolore: ab *eryſipelate*, duritie, dolore; ab *œdemate*, tactus renitentia; à *flatuoſis & aquoſis tumoribus*, quia hi percuſſi ſonitum reddunt; ſcirrhus vero minime; A *ſtruma* vero, *ganglio, glandula*, & id genus aliis tumoribus, ſua immobilitate & tandem à *Cancro*, 1. quia in cancro dolor adeſt, iſque pungitivus, Scirrhus vero eſt abſque dolore, 2. Cancer ſcirrho citius augetur, quia ejus materia eſt magis mobilis. 3. Circa cancrum etiam venæ exaltatæ & ſanguine repletæ apparent, non autem hoc eſt in ſcirrho. 4. Cancer utplurimum incipiendo fit, Scirrhus vero utplurimum ex permutatione, & calidi humoris converſione 5. Differunt parte affecta, quia Cancer utplurimum in raris partibus fit, Scirrhus vero ſæpiſſime in duris & ſiccis partibus oritur, 6. differt à Cancro materia, quoniam etſi uterque ex melancholico humore fit, Scirrhus tamen ex melancholia naturali fit quæ eſt in ſanguine, veluti fæx in vino, & amurca in oleo; Cancer vero non ex melancholico humore naturali, ſed ex aduſto & fervefacto. *Vigierius.*

46. *Coloris cineritii*) Diſtinguere oportet ſcirrhum factum à pituita; ab eo qui fiat ab humore melancholico, ut *Galenus* docet *l. de Tum. p. n.* Scirrhi enim *melancholici* color plumbeus eſt; ac *Scirrhus ab humore pituitoſo* habet colorem ſimilem colori reliqui corporis, quia pituita alba eſt. *Vigierius.*

47. *Oritur ab atra bile &c.*) Fieri poteſt Scirrhus duobus modis, 1. ex melancholia naturali in mammis collecta, quæ frigida eſt & ſicca: Si quando *Galenus* fieri dixit ex *atra bile* melancholiam hanc intellexit: Hujus cauſæ ſunt quæcunque ſanguinem melancholicum in corpore acervare poſſunt. Præcipue vero in mulieribus ex obſtructo ſplene; aut ſuppreſſis menſibus fæculentus hic humor in mammas regurgitat, ob magnum uteri & mammarum conſenſum; ob ſubſtantiæ laxitatem, vaſorum multitudinem, quibus facile redundantes ſuccos excipiunt. *Secundo* fit ſcirrhus ex omnibus tumoribus p. n. induratis &c. *Primiroſius.* De cauſis vide ſupra §. 1. *Eſt vel exquiſitus*) & §. *Non Exquiſitus ſcirrhus ex eo cognoſcitur.*

41. *In curatione inter repellentia*) Scirrhum per defluxum interdum fieri docet *Galenus*, Fluxioni autem repellētia conveniunt, Qui ergo ut ea in curatione ſcirrhi rejiciantur, Et *Idem* 7. K. T. 7. diſcutientia duntaxat utilia eſſe dicat? An quia humor frigidus eſt & à frigidis ulterius lapideſcit? At frigido œdemati repellentia adhibemus: An quia aliis humoribus ſcirrhi generantur, inchoantibuſque duntaxat repellentia conveniunt? At incipientes etiam fieri *Galenus* docet; Craſſum humorem ſi dicas, qui non facile retrocedit, At Carbunculo, & Cancro à craſſis genitis humoribus, repercutientia utiliter adhibentur, Non igitur harum ulla eſt ſontica ratio, ſed quia humor ſcirrhi craſſus ſimul & frigidus eſt, & cineritius, ideo repercuſſionem non admittit, In Oedemate vero frigidus eſt, ſed fuſus & liquidus; In cancro & carbunculo craſſus, ſed calidus, qui repercuſſionem non renuit. Minus igitur apte *Trallianus l. 7. c. 18.* in ſcirrho à calidis & ſiccis medicamentis indurato, frigidis utitur & humidis, ſiquidem ſcirrhus etſi à calido, tanquam à cauſa prægreſſa genitus ſit, affectio tamen frigida eſt, & contrarium poſtulat. *Rod. à Caſtro.*

48. *In Curatione inter repellentia*) In Scirrho non exquiſito, ſi vehemens fuerit dolor utilis *eſt herba eryſimi*, ſi ejus folia applicentur, aut Emplaſtrum ex *ipſis coctis cum hydromelite*, quod quidam pro mirifico ſecreto habent. *Roder. à Caſtro de m. m. lib. 1. capite 20.*

In Scirrho Cancroſo ad dolorem ſedandum præſentaneum remedium.

℞. *Ol. roſac.* ℥iij. *ſemin. papav. albi* ℥j. *opii* ℈j. *gum Arab.* ʒii. *ceræ q. ſ.* Fiat Linimentum. *Mercatus de m. m. l. 1. c. 17.*

49. *Inter repellentia abſque adſtrictione laudatur*) Sequens Cataplaſma excellentiſſimum in Tumoribus ſcirrhoſis, mammarum qui in cancrum vergunt.

℞. *Pulpæ pomor. Bordorfrenſium rapar. major.* āā. ℥j. *coqu. cum lacte caprino vel aqua malvæ ad lactis conſumptionem*, adde *medullæ panis alb ſſ.* ℥ß. *far. fabar. ſemin. fœnugr.* āā. ℥ij. *fol. alth braſſicæ rub flor. malvæ arbor. roſar. alb. ana.* ʒj. *ficuum n.* x. *croci* ℈ß. *cum ol. roſ. q. ſ. f. Catapl. Per tres dies* applicetur, rumpitur apoſtema *addi poteſt diachyl. ſ. aut comp. Fr. Hofmannus m. m. p. 416.*

50. *Unguentum de Ranis*)

℞. *Ranas vivas puras n.* xx. *involvantur butyro rec. vel pinguedine anatis.* Sic involutæ in ollam undique perforatam injiciantur, hæc in aliam ollam capaciorem intromittatur, bene lutatam, per partem ſuperiorem ignis applicetur, donec *butyrum & ranas* in majorem ollam ſatis liquata comperies, & ranæ extractæ à butyro comburantur, donec pulveriſari queant; Ex quo Pulvere & ranarum pinguedine fiat Linimentum. Ne in

Cancrum abeat ſcirrhus celebre eſt hoc remedium, ait *P. Mich. de Heredia l. 2. de m. m. diſput. 9. c. 2.* Vide *Mercatum l. 1. de m. m. c. 17.*

[51] *De manus opera*) Si Apoſtema ſive Tumor laxior & mollior evadat, aut *ferro* aut *cauſtico*, aperiatur Chirurgica operatione, & pure exempto Emplaſtro conſolidetur. *Fr. Joel.*

Suppurantia Practici diſſuadent, ne ſcirrhus deſinat in ulcus cancroſum, præſertim ſi ex melancholico humore ſit natus; Proponunt autem *ſectionem & uſtionem*: Vſtionem, per cauterium potentiale, aut actuale, ut materia evacuetur ſenſibiliter, Verum duo ſunt quæ hunc curandi modum diſſuadent, Vnum quoniam ſolum tenues ichores educuntur, materia autem, quæ ſcirrhum gignit, intus manet: Alterum, quia verendum ne Vlcus exſurgat immedicabile, *Sectio* formidabilis eſt ægris pleriſque, magno etiam cum vitæ periculo conjuncta, idque ob hæmorrhagiam quæ neceſſario ſequitur; Ideoque has operationes ſuis relinquimus authoribus. *Sebiſius man. p. 767.*

Quibus manus opera conferat, vide ſupra §. *Ex eo cognoſcitur.*

IV. [52] *Tumor flatuoſus*, [53] qui ex eo *Cognoſcitur*, quod dolor ſit acutus mammæ præſertim ſiniſtræ, cum brachii, totius lateris, coſtarum & ſcapularum cruciatu.

Oritur à craſſo halitu, ex ſuppreſſis vel menſibus vel ſemine; vel aliis excrementis elato, eaſdem tendente.

In *Curatione* [54] nota, linteum *Saponis Spuma* delibutum, vel aqua madefactum & exſiccatum, ad diſſipationem laudari. [55] Dolorem *pane* calido, ut ex furno extrahitur, *oleo nardino & rutaceo* madido, bene mitigari.

[52] *Tumor flatuoſus*) Perſuaſum quibuſdam eſt *Inflationes*, ſive *Flatulentos Tumores*, Græce ἐμπνευματώσεις, in mammis generari non poſſe; *tum* quod in mammis locus gignendis flatibus aptus non exiſtat, *tum* quod nec aliunde illos recipere queant.

Verum ſi Lien ſæpe flatibus turget (NB. *ſæpe multis imponere eam Coli partem, cui Lien ſubjacet, quæ flatibus ſæpius diſtenta, tumidi Lienis opinionem faciat, (fidem faciunt ſubita per Enemata carminantia levatio, quorumvis ad Colum aſſurgit*) Cur non & mammæ ab iiſdem in tumorem attolli poſſent, præſertim ſi vel aquoſi vel pituitoſi humores in illis contineantur, vel etiam lac inibi generetur crudum, frigidum, tenue & aquoſum, Tale enim flatulentum eſt, mammaſque turgidas tumenteſque facere poteſt, Conſtat enim, & in confeſſo eſt, mammas æque laxas & ſpongioſas eſſe ac lienem, & lactentes atroces non raro ventris ſentire dolores; flatulenti aquoſi lactis cauſa. *Sebiſius Mann. p. 703.*

[53] *Qui ex eo cognoſcitur*) Dolor adeſt acutus atque tenſivus, ut eſt flatus conditio, Cor dolitat communicato etiam flatu, mamma præſertim ſiniſtra turget, ſimul cum brachii & totius lateris, coſtarum & ſcapularum cruciatu; Cum hiſce enim partibus mammæ colligantiam habent.

His vero ſymptomatibus plerique decepti Tumorem hunc cancroſum eſſe ſæpiſſime indicarunt, Diſtinguitur tamen à Cancro, & aliis ejuſdem partis tumoribus, quia pars cum albedine nonnihil ſplendet, ob tenſionem, & ſi tangitur ſonitum edit inſtar tympani, ac ſi quis mammam manibus comprimat, reperiet univerſam eſſe in tumorem elatam, tenſam & dolentem, & non unam duntaxat ejus partem: deinde glandulas ejuſdem citra dolorem attrectare licet; ac ſi doleant, ex tenſione potius fit quam ex duritie præter naturam quæ vera ibi nulla reperitur, ſed tenſio & turgor: Præterea in reliquis tumoribus ſemper aliquid durum remanet, doloroſum, & ſine dolore diu perſeverans; at in hoc per intervalla id totum quod tenſum eſt evaneſcit, rurſumque redit, tempore præſertim menſtruationis quibus temporibus fœmina mœſtior eſt, & animo deficit, & uteri, hypochondriorum, lienis, ac cordis dolores ſentit, ejuſdemque ſaltum ac palpitationem; nam dum in utero aliquid putreſcit, vel movetur, magis ac magis conflictatur, quibus tamen occaſionibus ceſſantibus ſponte, vel quovis levi remedio mammæ ſubſident, & cruciatu levantur. *Rod. à Caſtro l. 1. de m. m. c. 17.*

Oritur à craſſo halitu &c.) Flatuoſus mammarum Tumor fit ex craſſo halitu à ſuppreſſis corruptiſve in utero, aut vicinis partibus, menſibus elevato, & ad mammas ob ſympathiam aſcendente, qui neque ab ipſius mammæ, neque aliarum partium diminuto calore evinci aut diſcuti potuit; Sunt coordinatæ cauſæ hujus affectus quatuor; *Prima*, menſium ſuppreſſio, *Secunda* eorundem aut ſeminis excretionis privatio, *Tertia* excrementorum corruptio, ex qua fuliginum, ſive vaporum copia gignitur, quæ *Quarta* cauſa eſt, & ea quidem conjuncta; ex his enim in mammis receptis tentio elevatur, quæ tumoris naturam æmulatur. *Idem ibid.*

Prognoſis.

Verendum eſt ne ſubinde ob dolorem humores aſcendentes ſcirrhoſum gignant tumorem; ideo difficilis ſemper eſt judicii; & quia malignitate flatus ille non caret, & quia plerumque cum aliis tumoribus complicatur; aut mox alter generatur affectus, ſubſequente humore alio. *Idem.*

[54] *In Curatione*) Curatur materia antecedente remota, & continente, ſive mammis jam impacta, evacuata, flatibuſque diſcuſſis; *Antecedens* materia tollitur per plegmagoga & hydragoga, & Diæta calefaciente, flatuſque carminante, *Continens* per diaphoretica flatus diſcutientia. *Sebiſius Man. p. 703.*

Si cauſa Oedematis flatulenti ſpiritus in mammarum cavernis collecti exiſtant, ea ſunt adhibenda, quæ poros cutis aperiendi & meatus dilatandi, ſpirituſque flatulentos evocandi, per vaporemque diſſipandi vim poſſident; In hunc uſum commendatur *vinum acidum calefactum* aut *lixivium ex cinere ſarmentorum, vitium*, aut ex cinere fagi confectum; duplicatis pannis exceptum & tumentibus mammis impoſitum; Idem præſtat *lana ſuccida*, ſive *œſypum* vocatum medicamentum, aut *ſapo Gallicus*, ſive *niger*, inſtar cataplaſmatis impoſitus.

Nonnunquam Tumor flatulentus mammarum, ſolo hauſtu ſudorifero aſſumpto evaneſcit, qui ita confici poteſt.

℞. *Theriaces Androm.* ℥ß. *commiſce hauſtulo aquæ ſcordii*, quo ſumpto ſudet æger bene coopertus. *Franc. Joel.*

Vtiliſſimum eſt hoc Emplaſtrum, in omni rebelli Inflatione ad reſolvendam incluſam ventoſitatem.

℞. *Stercor. vaccini, columb. caprin. ana pug. j. pulv. cumin.*

cumin. carvi, aniſi, baccar. lauri origani, rutaſylv.flor. roriſmar. ãã.vnc.ß. *ſapæ aut mellis q. ſ. aquæ vitæ opt.* unc.ij. *miſce.*

[54] *In curatione nota*) Si vereatis ne calidioribus medicamentis tenella mammarum ſubſtantia offendatur, *ſacculus* poſt *fomentationem* applicetur, ex *milio*, *ſale*, *furfure*, *fol. artemiſ. maioran. ſemin. carminantibus*, florib. *chamom. melilot. ſtæch.* &c. in ſartagine leviter torrefactis. *A. Caſtro.*

[55] *Dolorem*) ſi magnus ſit, mitigatur hoc vngu. ℞. *Oeſip. hum.* vng.ij. *terebenth.ol. nardini* ãã.q.ſ. *A. Caſtro.*

Cap. XXVIII.

De Mammarum Cancro.

De *Cancro mammarum*, præter ea quæ ſuperius de cancro in genere dicta, ſunt quoque & ſequentia notanda.

I. [1] *Difficulter initio cognoſci.* [2] Prorumpit vix ciceris vel fabæ magnitudinem ſuperans tuberculum, quod poſtea in majorem elatum molem, radices longè extendit. [3] venaſque varicoſas & lividas circumcirca habet: exesâ vero cute; ulcus exoritur fœtidum, labris duris, ex quo ſanies tenuis & nigra ſubſidet.

II. [4] *Oriri*, vel *per ſe*, ob ſanguinis menſtrui,& vitioſorum cum eo [5] humorum ab utero regurgitationem; quod inprimis in mulieribus conſtitutionis calidioris & ſiccioris, aduſtos humores colligentibus, & ad hypochondriacam pronis fieri ſolet: [6] Vel per aliorum tumorum in eum degenerationem, vt ſuperiore articulo dictum eſt.

III. Alios eſſe [7] *occultos* ſeu *non exulceratos*, de quibus ſciendum.

1. [8] Curatos citius interimere [9] non curatos diutius durare.

2. [10] Emollientibus& pus moventibus fermentari & exaſperari humorem,ita vt [11] tandem exulceret & erodat, inque vicinas partes diſperſus, reliquos humores fermenti inſtar inficiat.

3. Mitiores reddi, ſi menſes in priſtinum ſtatum vel à naturâ vel à medicamentis revocati redeant, vel ſi [12] corpus à cacochymia liberum, ſeu victus ratione: ſeu medicamentis ſervetur.

4. Eidem ſcopo Inſervire, *geranium Rupertianum, agrimoniam, perſicariam* & [13] *Carduum bened.* contuſas & applicatas; [14] *Cancros* cum aqua cardui benedicti contuſos & impoſitos [15] *ſuccum geranii Rupertiani cum aqua ſpermatis ranarum* miſtum *Vnguentum* ex *lithargyri* in marmorea pilâ cum plumbeo piſtillo ducti, unc.ij. cum *aqua roſar. & olei roſar.* ana unc.ij. incorporatis paratum: *linimentum* ex oleo ranarum viridium per deſcenſum & cinere earum compoſitum [16] Ibuſina ſecari vult ſi in ſuperficie ſunt: modum Arcæus deſcripſit.

IV. Alios eſſe [17] *Exulceratos* de quibus etiam notandum.

[17] 1. Veram [18] eorum curandi rationem in ſectione, & ſi magni, vſque ad profundiora vſtione conſiſtere, de qua conſule *Fabricium Hildanum* in obſervationibus.

2. [19] Sublatos [20] *pulvere benedicto*; *aquâ fuliginis* mundificanre; *oleo arſenici fixo*, de quibus vide *Hartmannum* in chymiatria ſublatos & [21] paſta, ex *aqua fortis* unc.j. *ſublimati crudi* unc.iv. *ſalis armoniaci*, unc.ij. & [22] *arſenici*, dr. ij. deſtillatis in alembico ad ſiccitatem, & addito pari pulveri pondere, iterum deſtillatis ad paſtæ conſiſtentiam admoróque parti medicamento, accenſa febris exortus vomitus, alvi & vrinæ fluxus, durabantque iſta per triduum. Ablutus cancer linteis vino calente imbutis, irritataq; pars extenſa paſta ſupra plumaceolum ſextuplo ipſo tumore minorem, excitata inde intra xxiv. horas ſextuplo plumaceolo major eſchara, quæ poſt carne linteis detritis implebatur, abſumptæ radices pulvere præcipitati rubri cum alumine vſto permixti, provt *Riverius* obſervat, communicatar. p.334. prodidit.

3. [23] *Palliativam* curam [24] præſtare medicamenti refrigerantia & ſiccantia [25] inter quæ [26]. inprimis [27] *plumbeæ laminæ* commendantur: nec non [28] *Extra*, folior. *vrticæ recent. ſuccus* cum *pompholige* ptarmici ex *mercurio vulgari* per oleum vitrioli præcipitato, vnde ſpiritus vini ſemper recens vicies quinquies deſtillatione evocandus, gr.j.

[29] *Intra*, Electuarii ex *Croci Martis* unc.iij. cum *conſervæ Capillor. veneris* unc.ij. drachmæ tres ſingulo manè. *Vnguentum Ægyptiacum* appoſitum malè ceſſit.

4. Adnaſci quandoque cancris exiguos tumores, qui nonnunquam frequenti aquar. papav. rhœados, plantag & roſarum, cum melle roſato permixtarum ab initio, poſt ſolarum aquarum applicationi cedunt, vt *Riverius* habet.

[1] *Difficulter initio cognoſci*) Signa Cancri nondum exulcerati, & adhuc incipientis, valde ſunt obſcura, ait *Galenus, 4. m.m. c.9.* Ratio eſt, quoniam valde parvus eſt, interdum etiam neque dolorificus neque vrens, Initio pro nihilo fere habetur, & propterea negligitur, quia Cancer adeſſe non creditur; Hinc doctos Medicos & peritos Chirurgos ſæpe latet. *Sebiſius man. pag. 771.*

[2] *Prorumpit vix ciceris*) Cancer *melancholicus* fere à Tumore incipit, vti *bilioſus* à puſtula inſtar verrucæ aut ciceris. *Hartmannus Pr.Chim.c.265.§ 3.*

[3] *Venaſque varicoſas*) Vide tamen Cancrum in quo

ejuſmodi venarum tumor non apparebat. *Primiroſius l. 5. de m.m. c. 4.* Vide cauſam inferius §. *Oriri*) ex *Waleo.*

4. *Oriri*) Cauſa proxima eſt ſal & terra concreta, à quibus ſerum eſt ſegregatum, illa materia vertitur in talem conſtitutionem, cum vel ipſa pars, vel materia eſt cancroſa, Pars eſt cancroſa ex conſtitutione, quæ poſtea excreſcit & cancrum facit. Materia cancroſa eſt ſal & terra in corpore abundans ex victu craſſo, ſalſo, mœrore, &c. Materia hæc facit cancrum cum quædam particulæ concreſcant, reliquum in vicinia manet ſeorſim, & ideo circa cancrum, fiunt foveæ. Et cum ille cancer ita concreſcit vt circulationem impediat, inflammationem & eryſipelata facit quæque Medicus non debet aperire vereri. Sed tamen in foveis vicinis apertio eſt facienda; & ſi poſtea inflammatio hæc in abſceſſum aut vlcus deſinat, Ulcus cancroſum dicitur. Si durities hæc circa venas majores ita eſt, iſtas inſtar pedis cancri diſtendit ob circulationem impeditam, & hinc nomen Cancri. *Walæus Med. Pr. p. 218.*

4. *Oriri vel per ſe, ob ſanguinis*) Gignitur cancer ab atra bile, i.e. ex eo humore, qui fœci vinariæ ſimilis à liene expurgatur, vbi tamen calorem conceperit; quem nec per alvum, nec per hæmorrhoidas, nec per menſes natura expellit, aut ad crura decumbit, vbi varices efficit; aut ad vniverſam cutem, vbi elephantiaſis naſcitur (quam aliqui vniverſalem cancrum appellare conſueverunt) aut alias quidem partes impetit, vti os, oculum, vulvam, pectus, colem, anum, præſertim vero ad mulierum mamillas, quia fungoſæ & inanes, tum à capite tum ex vtero, facilis eſt decurſus, quia etiam in parte *Galenus 2. ad Glauc. c. 10.* ſcribit cancri animalis effigiem longe evidentiſſime repræſentari.

Itaque continens & materialis Cancri cauſa humor eſt melancholicus qui jam ferbuit & aduſtus eſt; actu tamen fervidus non exiſtit: Ac ſi iterum referbuerit in exulcerationem duritiem deducit; quo differt ab anthrace, qui ab atrabilario fervidoque ſanguine generatur. *Rod. à Caſtro l. 1. de m.m. c. 22.*

5. *Humorum ab vtero regurgitationem*) Arteriarum & venarum interiorum à ſubclaviis deſcendentium (quæ *Mammariæ* dicuntur) vtrinque vna verſus inferiora ſub muſculis rectis abdominis prorepit, quibus ab infimo ventre obviam veniunt totidem arteriæ & venæ ab epigaſtricis, quæ cum prioribus ſub medio dictorum muſculorum per anaſtomoſin coire dicuntur. per eaſque maximum conſenſum vteri cum mammis fieri, Et ſanguinem ab vtero verſus mammas pro lactis materia deferri antehac creditum fuit; Verum horum vaſorum concurſus mere fictitius eſt, illum enim nec unquam ipſimet invenimus, nec alii nobis demonſtrare potuerunt, Interdum quidem fines eorum propius ad ſe invicem accedunt, ſed nunquam vniuntur. Præterea circulationis, ſanguinis cognitio dictam opinionem jam dudum refutavit.

Illam conjunctionem præterea minime fieri poſſe docet ratio, cum arterioſus ſanguis in arteria redundans in aliam arteriam fini ejus annexam transfundi nullomodo poſſit, nam per vtramque arteriam ſanguis à corde propellitur ad finem, igitur à neutrius arteriæ, fine poteſt aliquid recipi & verſus cor deferri. Atque hinc ſi aliqua ſub dictis muſculis anaſtomoſis ſtituenda foret, deberent arteriæ mammariæ coire cum venis epigaſtricis, & arteriæ epigaſtricæ cum venis mammariis, quam tamen conjunctionem nunquam reperire potui quamvis varii illam tanquam indubitatam deſcribant. *Diemerbroeck Anat. l. 2. c. 2. Et lib. 6. c. 3.*

6. *Vel per aliorum tumorum*) Fit ſæpe Cancer ex Scirrho male curato, & in Cancrum degenerante. Hæc autem tranſmutatio cognoſcetur ſi dolores acuti repetant, qui ſæpe ad brachia, humeros & coſtas extenduntur, ſi pulſatio, inflammatio acciderint, tumor conſpicuus ſit, color cineritius & obſcurus, durities, venæ in ambitu tumeſcentes & lividæ inſtar varicum, ſi ſcilicet tumor non fuerit in profundo ſitus, tunc enim ſufficiet ex dolore & illius modo ea exquirere. *Primiroſius p. 360.*

7. *Occultos*) Veteres non vlceratum cancrum Occultum nominabant, Recentiores non vlceratos, ſed *occultos* quoq; *cancros* eos appellant qui in internis deliteſcunt partibus; neq; in ſuperficie corporis apparent; vt in palato, vtero, inteſtinis & intra anum. *Liebautius comm. in aph. 38. ſect. 6.*

Hippocr. 22. de m. m. oſtendit *Cancros occultos* non ſuppurari nec vlcerari. *Aetius* etiam aſſerit omnium veterum more cancros occultos dici non vlceratos; & ſic etiam intelligit *Galenus*. Ergo *Cancri occulti* dicuntur non *vlcerati*; aliter dicuntur *Profundi*. Verum poteſt eſſe cancer ſuperficialis, & tamē profundus dicetur, quia egit radices in profundum. Poteſt eſſe profundior, quia in hepate, liene, vtero, ventriculo, inteſtinis. Rurſus aliquando dicitur profundus, quia non eſt pofitus in ſuperficie corporis, vt qui eſt in palato, faucibus, ſede aut ſinu pudoris muliebris. Aliter *Philotheus*, alii enim ſunt cancri φαλακροὶ, i.e. nudi & ſuperficiarii, alii κρυπτοὶ, i.e. profundi & occulti. *Hollerius comm. in 36. aph. 6.*

7. *Occultos, ſeu non exulceratos*) Cancer tumor eſt durus, tactui renitens; inæqualis cum circumjectis venis nigricantibus, colore cineritius ad rubrum vergens, aliquando ſublividus, dolorem pungētem inducens, Qua definitione ejus ſigna & natura explicantur. *Primiroſius.*

Nondum exulceratus Cancer aſpicientibus, quidem mollis, tangentibus autem duriſſimus ſentitur, colore lividus, ad nigredinem vergens, cum pungente & vrente dolore, quaſi acu aut cultro ignito mammæ pungerentur: Nō diu autem humor hic intra cutem deliteſcit, ſed cutem exulcerans erumpit, mammaſque in profundum ſuffodit, & ſaniem venenoſam & odore abominandam profundit. *Fr. Joel.*

7. *Occultos, ſeu non exulceratos*) Ex *conditione humoris*. Quo pigrior & ignavior humor eſt, hoc mitiorem cancrum infert; graviorem vero quo is calidior acriorq; fuerit. Ille niſi irritatus excandeſcat, diu citra perniciem conſiſtit. Hic vero coerceri vix poteſt quin brevi exeſa cute ſe detegat, fiatque cancer exulceratus. *Fernelius.*

8. *Curatos citius interimere*) Vide Illuſtrem puellam ab Empiricis in calamitatem tractam, dum ſcirrhoſæ illius mammæ alius cauterium, alius calidum & humidum cataplaſma admoviſſet. *Heurnius aph. 38. 6.*

8. *Curatos*) Incurabilis cenſetur qui venulas habet varicoſas, ſanguinemque è profundo corruptum jugiter attrahit, præſertim in partibus thoracis. *Hartmannus* §. 4.

8. *Curatos*) Quæritur an curari poſſunt? In ſumma omnis cancer inſanabilis eſt, licet *Galenus lib. Q. Q. & Q. vi. purgare oportet & lib. ſimpl.* meminerit quarundam mulierum quas frequenti purgatione liberavit; Sed id fecit initio, cum Tubercula illa propagant fibras ſuas. Ergo initio poteſt curari Cancer phlebotomiis & purgationibus frequentibus. Poteſt ſectione & vſtura, ſed non omnis; nam ſi ſit in vtero & aliis partibus interioribus, eſt incurabilis, quia non poteſt adhiberi remedium.

Si ſit in parte aperta & ſuperficiali, priuſquam ſeces vel vras, videndum eſt an id fieri poſſit, vt fibra nulla relinquatur; nam ſi ſit in papilla, ſi in faucibus, & radices nondum egerit, proderit ſectio aut vſtura, ablatis omnibus fibris aut radicibus. Ponamus

omnes

omnes fibras & radices eſſe excisas, aut vſtas, ſequiturne curatum eſſe? Non eſt neceſſe, ſi enim cancer jam radices egerit, aut nervum, aut in magnam venam, aut arteriam, & velis eas exurere omnino (quod tamen faciendum eſt in Cancro, alioqui ſemper) nihil proficies; Si enim vulneretur nervus, fiet convulſio lethalis, ſi magna vena aut arteria, fiet magna hæmorrhagia, eaque incurabilis. Breviter non eſt locus ſectioni aut vſtioni vbi eſt magna arteria aut vena, neque in parte nervoſa, Eamque ob cauſam Veteres exiſtimabant.

Cancros incurabiles eſſe qui in inguine, thorace, collo, capite naſcerentur; *Cancros* ergo *Occultos* curare melius eſt, quia celerius moriuntur ægri. Poſſumus tamen ſedare dolorem & detergere ſaniem, movere hæmorrhoides (ſi ſiquidem fluere ſoleant) ſecare venam & purgare, At ferrum & ignis minime tuta ſunt. *Hollerius ibid.*

8. *Curatos citius interimere*) Exemplo ſuo comprobavit veritatem aphor. *Hippocrat. ſect. 6. 30.* vidua quædam 60. annum ſupergreſſa, jam per aliquot annos occultum cancrum in mamma fovens. Hæc circumforanei cujuſdam curæ ſe permiſit, qui nullius ſectionis mentionem faciens ex improviſo mammam abſcindit, hæmorrhagiam ſiſtit & reliquias carcinomatis radicitus removere tentat, ſed paucis interjectis diebus miſera morte inopinata corripitur.

In vniverſum Practici plerique exiſtimant Cancrum confirmatum & exulceratum nullum curari poſſe. Et obſervatum eſt ſæpius quamvis exciſi & aliquando curati fuerint cancri in exterioribus, eoſdem tamen poſtea rediiſſe in eadem, vel etiam in aliis partibus, & cancro in mammis curato, alium in vtero subortum fuiſſe, Satius igitur fuerit cancros jam inveteratos & majores eatenus curare ut eorum augmentum prohibeatur. Ego pro certo affirmare auſim, quod plurimos peſſimo hoc carcinomate affectos viderim, ſed nec vnicum ita curatum quin poſtliminio non reverſum fuerit, vnum exemplum è multis profero, Leidæ in præſentia Clar. *Walæ* in vetula à chirurgo Noſocomii, *carcinoma* percuratum videbatur, & totius anni ſpatio ſopitum fuit, ſub cineribus quaſi gliſcens, ſed tandem erumpens, & ægram enecans. *Simon Schultzius Med. Sept. vol.2 pag.159.*

9. *Non curatos diutius durare*) Cancer occultus latet ſæpe diu ſine offenſa, ſed irritatus exedit cutim, eaque ſive ſponte, ſive curantis imperitia adaperta coercetur deinceps nullis repagulis, ſed inſtar ſævientis feræ depaſcitur quicquid obvium, Et quo liberius exhibet vapor illi incluſus, eo impenſius quoque affluit humor tumorem adaucturus: ad cujus intima ſiquidem penetret circumfluus aër, à tunicis antea excluſus, inſequitur illico & major putredo, & vberior partis affectæ luxuries, quam ſi ſatagas vel ferro, vel acribus inhibere medicamentis, idem facis ac ſi primo vere coneris rurſum in gyrum redigere quem ſemel diſſolvens conglomeratarum aranearum globum: Blanda quippe remedia vt nihil proſunt, ſic nocent ſumme acria, & quo plus puris, eo penitius deſcendit virus; Seca itaque mature, vel blandire leniter.

Si lubet audi *Celſum* ſua dolabra expolientem *aphoriſm.* citat. *Pleriq;*, inquit, *nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, ſed imponendo tantum lenia* medicamenta, quæ *quaſi blandiuntur, quominus ad vltimam ſenectutem perveniant non prohibentur l.5.c.38.*

Filia *Geropii Becani*, Medici Antverpienſis tulit in ſiniſtris temporibus quinquaginta amplius annos durum ac inæquale Carcinoma, ſed ſine vlcere, vllave gravi noxa, Verum increſcente paulatim poſt tot annos tum dolore tum prurits, ſive ex adverſa mariti ſui fortuna, ſive ab atra bile eo vberius effuſa, impoſuit tumori improvide, ex conſilio empirici, neſcio quæ adurentia medicamenta: quibus cutem erodentibus concitabatur non modo malum hactenus quietum, ſed degenerabat brevi in carcinoma exulceratum. *Tulpius obſ.47.lib.1.*

10. *Emollientibus*) Tumoribus enim atrabilariis; qui acrimonia gaudent ſalina inſtar mercurii ſublimati, non conveniunt Emollientia. Unde aureum monitum eſt *Galeni 5. de ſ. med. fac. cap. 9. Cancrum & cancroſos tumores ab emollientibus medicinis exaſperari.* Magis enim hoc modo dilatantur pori, vt & affluxus humorum procuretur, & acrimonia corroſiva latius expandatur, cum neque diſſlari queat, neque coqui, ſive ad pepaſmum deduci, adeoque tunc putredinis auctrix eſt & parens mollificatio. Elegans hanc in rem, ſed triſte, exemplum videri poteſt apud *Wierum*, *in obſerv. p.95.* & alia videas non raro tumorum genera: quæ occulta, ſeu non aperta leviora erant, ab adhibitis vero emollientibus pinguibus exacerbantur mirum quantum, & occultum virus in apricum hinc eruntant. *Wedelius.*

10. *Emollientibus*) Quod emollientia in tumoribus atrabilariis non conveniant ſequenti exemplo patebit. Matrona 50. annos prætergreſſa, ſubſiſtentibus menſtruis, tuberculo ad pupillam dextram correpta fuit, ab initio duro & indolente. Annis aliquot poſt cùm accreſceret & dolorem inferret, Chirurgum in conſilium adhibuit, qui emollientia & pus moventia per menſem ferè integrum cùm adhibuiſſet, paulatim aucto dolore ruptum eſt tuberculum, quod mox in malignum, factidumque vlcus tranſiit, quod apti lethala tandem fuit. *Fabritius Hildanus Cent. 3. obſerv. 87. Vide ibidem alia exempla & cent.1. obſerv.89.*

10. *Emollientibus & pus moventibus, &c.*) Id ſane obſervatum eſt duplex in cancro venenum eſſe, vnum putrefactivum, alterum corroſivum: Si itaque ei admoveas calida & humida remedia, quæ pus promovere ſolent in apoſtematibus ac vlceribus pepaſmi capacibus, inde in aliam putredinem degenerabunt, cunctaque vicina putrilagine contaminabuntur, Quod ſi illam fœditatem Cauſticis caſtigare volueris, ſurget alterum quod in cancris venenum eſt corroſivum, ac vicina cuncta exuret. Quare non irritandus Cancer. *Heurnius aph. 38.C.*

11. *Tandem exulceret & erodat*) Niſi Cancer fuerit magnus, & materia jam collecta ſit & putrefacta, tunc enim ſatius eſt materiæ exitum dare, quam materiam illam putrefactam relinquere: Nam experientia didicimus materiam illam graviſſimos dolores inferre qui poſt apertionem mitigantur. *Rondeletius meth. cur. p.387.*

12. *Corpus à cacochymia liberum*) Galenus fatetur cancroſum tumorem in mammilla cujuſdam mulieris ortum ſanaſſe valenter & crebro illi atram bilem expurgans in vere & autumno, *7. aph. comm. 7.* namque

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Nec diſſimili curatione nos quoque nobiliſſimam quandam Comitiſſam à carcinomate mammarum occupante liberavimus, Id nondum inveteratum erat. *Hier. Mentnus.*

12. *Si corpus à cacochymia liberum*) *Beneficio purgationis* humoris melancholici frequenter repetita in quibus non omittantur *cochlearia, fabaria*, & quæ ſunt antiſcorbutica. *Primiroſius*.

Fonticuli in vtroque crure excitati erunt maximi vſus. Pro purgatione *infuſum ellebori n. & agar. troch.* cum *ſyr. de polypod.* etiam atque etiam laudo. Et quoniam humor hic atrabilarius continuo indiget irritamento, hortor Patientem vt familiariter aliquo pharmaco dejectorio vtatur. In hunc finem *pulvis elleb. nigr. præpar.* & *ſucco roſar.* ter aſperſi, ac in vmbra exſiccati, ex ovo ſorbili ad ℈j. datus, & *Vinum ſenna medicatum*, in prima menſa aliquot intervallis bibitum mihi ſummopere arrident. *J. C. Claudinus Reſp. m. 35.*

13. *Carduum benedictum*) Dicitur mulier quædam decocto *carduiben.* fuiſſe curata, quo locum affectum lavabat & pulverem cardui inſpergebat. *Primiroſius.*

14. *Cancros*) Mirifice prodeſt *cancrorum fluviat.* eſus è lacte aſinino, quinque diebus exhibendo; ita vt totidem ſubinde diebus cancri ipſi comēdantur. Talis enim periodus ſepties peracta mammarum canceros effecit placidiſſimos, vt deinceps ſimplicium epithematum vſu ſanitas comparetur. *Aëtius Tetr. 4. ſ. 4. c. 43.*

Quæ ſecreta qualitate hic agunt ſunt *lac* in quo *cancri fluviatiles* ſunt incocti. *Claudinus Reſp. 35.*

15. *Geranii rupertiani*) Quidam *aquam Geranii Robert.* deſtillat, vt & ſimplex ex eo decoctum cum ſpecificis mammarum Cancro obſeſſis ſæpe non infelici ſucceſſu applicant. *S. Pauli Quadrip. p. 65*

16. *Ibuſina ſecari vult, &c.*) Mobilis cancri vt vnicum remedium eſt tempeſtiva ſectio, ſic citra illam inextricabilis error: niſi enim præcidatur præcidit vitæ filum; Sed vitandæ ſunt curioſe alæ, aurium glandulæ & venæ majores, in quarum confragoſis locis ſæpe plus nocet quam prodeſt inciſio.

Ancillæ *Cosmanni* increvit ex ictu in mamma ſiniſtra ingens tumor, inclinans quaſi in naturam carcinomatis, cum dolore æſtu, livore ac prurітu, ſed ne eo malignitatis deveniret decrevimus eum potiùs ſcapello abſcindere; quod etiam dexterrime curatum à Chirurgo Lugdunenſi, qui inciſa duntaxat cute tuberculum hoc, involucro ſuo incluſum tam dextere digito ſuo ſegregavit à circumpoſita pinguedine, vt nihil detraxerit muſculis ſubjectis, & nihilominus integre extirpaverit malum.

Quam curandi viam etiam ab aliis alias vidimus ſatis feliciter decurſam: Sed ſi contigerit aliquas reliquias intus manſiſſe, expedit quidem illas radicitus deinceps evellere per pulverem *mercurii* præcipitati, ſed videndum attente ne æger adducatur in periculoſam ſalivationem, & ars in indelebilem ignominiam. *Tulpius obſ. 53. lib. 1.*

16. *Ibuſina ſecari vult ſi, &c.*) Cancrum amputare non eſt ſemper tutum, revertitur enim ex *Celſi* decreto, ac etiam periculum eſt ne vlcus malignum relinquatur, Niſi tumor fuerit parvus, ſuperficialis, qui nondum coſtis adhæreat, ita vt venæ ſimul cum ipſo amputari poſſint, ſanguiſque ex venis vicinis exprimi. *Primiroſius.*

17. *Exulceratos*) Multi omne malignum vlcus appellant Cancrum, & ſi ea vlcera curent, putant ſe curaſſe cancros, ſed falluntur, Qua in parte Cancri excitantur ſolent naſci tubercula, alia minora, alia majora, vt in ſtrumis) & ea nunquam ſuppurant, ſed creſcunt & duriora fiunt ſemper (vnde vocantur *Durillons* Gallis) dolentque vehementiſſime, ita vt ſibi videantur dilaniari à canibus, Diſpergunt præterea venas nigras & denſas, vt ſuas chelas & pedes diſpergit cancer piſcis. Poſtquam materia illa melancholica contraxit putredinem, exulceratur & dicitur *Cancer* vlceratus. *Hollerius comm. in aph. 38. 6.*

18. *Veram curandi rationem, &c.*) Ex placitis magnorum Medicorum (*Hippocratis, Galeni, Celſi, Avicennæ, Oribaſii, Pauli, Aetii*) elicere licet ſequentem informationem de *Curatione Cancri.*

Cancer incipiens, qui nondum vlceratus, & qui externæ alicui parti inhæret, curari poteſt. Quoniam experientia teſtatum fecit curam admiſiſſe.

Cancer internam partem obſidens tractatur fruſtra, quoniam medicamenta ad illum vix perveniunt, Manuali autem operatione tolli nequit.

Cancer augmentatur, licet externus ſit, & nondum vlceratus, levibus remediis minime cedit, valentibus autem acribus & mordacibus exacerbatur. Propterea palliative ſolum tractandus, vt ſcilicet cauſam eximamus, auctionem vlteriorem arceamus, vlcerationem inhibeamus, doloremque mitigemus, quo æger vitam, cum minore moleſtia tranſigat.

Exulceratus, dummodo curari poſſit, (de quo tamen omnes valde dubitant, artis anteſignani, nonniſi vel *exuſtione*, vel *exſectione* tolli poteſt. Verum pleriq; omnes ab hiſce operationibus abſtinendum eſſe monent, niſi ab ipſis ægrotantibus ad illas pretio ac precibus invitentur, atque quaſi provocentur ac cogantur. Rationes diſſuadentium ſunt ſequentes,

I. Quia fere nulli qui ſecti aut vſti fuerunt evadunt.

II. Quia cancer poſt ſectionem aut inuſtionem revertitur.

III. Quia ad cicatricem minime perducitur.

IV. Quia illâ operatione, intolerabilem partium dolorem, omneſque vires demoliuntur.

V. Quia tanta hæmorrhagia ſectionem conſequitur vt patientes in ſyncopen & mortem tandem præcipitentur.

VI. Quia ad hæc extrema præſidia tum demum acceditur cum pharmacia nihil effici potuit. At tum Cancer jamdiu duravit, ægrumque & propter dolorem, & propter vigilias, & propter inappetentiam ciborum, forſan etiam propter crebras vacuationes adeo enervavit, vt dictas operationes Chirurgicas citra vitæ exitium ſuſtinere nequeat. *Sebiſius man. p. 780.* vbi ſigillatim recenſentur ſententiæ dictorum procerum.

19. *Sublatos*) Multis ego in mulieribus mammæ Cancrum, qui primum vlcerari inciperet, curavi ſolo *gummi ammoniaco* emplaſtri vice impoſito, vlcere prius extérſo ab ichore ſuo virulento. *Hartmannus Pr. cap 265.*

19. 20. *Sublatos Pulvere benedicto*) In vſum veniat *Pulvis benedictus.*

℞. *Aris præpar.* ℥ij. *arſenici præp.* ℥j. *fuliginis ſplendidæ, & lectæ e caminis*, vbi ligna duntaxat quernia aut fagina *vruntur*, ʒiij. m. f. Pulvis ſubtiliſſimus.

Ari præparatio.

Serpentariæ, ſive *dracunculi* majoris radices, menſibus Junio, Julio, Auguſto, collectas ſuſpende in loco perflatui obvio, ſicca & ſerva vſui, Præferendum Arum majus minori.

Arſenici præparatio.

Sume arſenici non ſplendidi inſtar vitri, neque rubri, ſed albi calcinoſi q. v. Pulveriſa, ſubtiliſſime, & repone in loco calido, affunde, ſpiritus vini q. ſ. irrigando, defunde tertio, & novum affunde, hoc fac quinquies: Ultima autem vice ſine ſpiritum illum ſponte vaporare, ſerva vſui.

Pulvis compoſitus ſervetur in pyxide, vel vitreo optime clauſo, vt ne ab aëre humeſcat; Hic vſurpari intra primum annum non debet; quin quo antiquior, eo efficacior atque tutior eſt.

Uſurus ſic vſurpet, Si vlcus Cancer eſt, vlceri probe exterſo inſpergat Pulverem ſic ſatis liberaliter, & tegat goſſypio

goſſypio madente ſaliva ieiuni,& hoc linat proximum vlceri circulum, goſſypium omni manè ſimili ſputo madefaciat, Linamentum ſi contingat vlceri hærere, non prius cadat deinde quam vna ſecum radices educat; Interea, niſi virulentus, qui ſuboritur, ichor per vlcus expurgetur, plerumque doloris aliquid infert, Cuius gratia tamen removere medicinam, vel quid aliud ſuper imponere non licet, ſufficit in circuitu illeviſſe *oleum roſatum*.

Poſteaquam cum linamento cruſta cancrorum excidit, operam adhibere ſolicitam oportet ne qua radix ſuperſit, Quamobrem denuo, & eodem modo Pulvis inſpergendus, præſertim ſtrumatum ſi inſtar, tumor tumori ſuperiacet.

Radicibus eradicatis ſoleo, mundificati cauſa, vti *digeſtivo quod ex terebinthina & vitellis ovorum* cum *lithargyro ac mumia* præparatur.

Vlcere mundato incarnare oportet, huc facit hic pulvis.

℞. *Rad. ariſtoloc. vtr. aloës, maſtich. mumiæ, myrrh. olibani, ſarcocollæ āā.* ℥iij. *mercur. ſubl. cum aqua calcis compoſ.* ʒiß. m. f. Pulvis *Ioh. Hartemannus Pr. c.* 265.

Inter præparationes *Arſenici* eminet *Sublimatio.* Vbi in *cancro* exulcerato optimum remedium ex *rad. ari. præp. arſenico, mercurio dulci* & *pauco fulig. Etmuller comm. in Schroderum p.* 74.

21. *Paſta ex aqua fortis &c.*) Quædam mulier quinquagenaria laborabat cancro in mamma ſiniſtra, vlcerari incipienti, Iuvenis Chirurgus extraneus ſequens remedium admovit

℞. *Aquæ fortis &c.* Eodem remedio cancer in naſi extremitate obortus, qui naſi apicem exederat, in quodam milite curatus fuit *Samuel Formius* apud *Riverium.*

Infelici eventu remedium ex *arſenico & ſublimato* conſtans, vſurpatum notat *Fernelius m. m. l. 6. c.* 18. In mammæ cancro, *ait*, *arſenicum*, & *ſublimatum* mulierem diebus ſex ſuſtuliſſe notavi, perinde ac ſi id hauſiſſet, Horis circiter tribus inſperſo Pulvere, vehementi rigore concuſſa vomitione mox tentari cœpit, & crebris animi defectionibus corripi cum pulſu languido, quæ dein ſenſim aucta, oborto partium extremarum frigore, & facie reliquoque corpore ſupra modum intumeſcente, miſere illam iugularunt, Perriculoſus omnino iſtorum vſus, nec certe ad Chirurgiam neceſſarius, cum ſine fructu vllo pernitioſa, ſint.

Arſenicum quomodo corrigendum, vt impune ad moveatur, vide §. *Arſenici.*)

Cancrum pectoris per apoſitum *cauſticum arſenicale* feliciter manum admovente Chirurgo noſtro *Baulero*, radicitus extirpavimus, & locum ex voto viciſſim conſolidavimus, *Greg. Horſtius obſ.* 35. *l.* 7.

Mortificatus *arſenico* cancer facile ſanatur, etiam ſolo herbarum (*agrimoniæ* &c.) fotu defenſivum doloris eſt *ſolutum ſulphuris* & ſimul ſanativum. In huiuſmodi morbis *ſulphur* ſolvimus *ſpiritu terebinth.* & in ſolutum aliquoties deiicimus *hydrargyrum* ferventem, vel reductum ſublimatum liquorem, ei iungimus, Nobile evadit medicamentum. *Andreas Libavius* apud *Gr. Horſtium obſ. 2. lib.* 9.

22. *Arſenici*) *Arſenicum* (fixatione volatilitas & acrimonia eius tollitur) per *oleum tartari* fixatum, in vlceribus cancroſis, mammarum præprimis, non habet par remedium: Cum enim Cancer ſit curandus per alkali ſulphur fixatum, hinc vltimum refugium Chirurgicum eſt in vlceribus hiſce, ſimul tamen *oleum myrrhæ*, vt *ſchroderus* iubet, *Etmuller comm. Shroder.*

Butyri Arſenic. ſumma medicina *Agricol in Popium*,

23. *Palliativam curam*) Curatio cancri (*perfecta*) eſt difficillima, & fere impoſſibilis, Succus enim virulentus, & melancholicus, ex quo generatur, tenax & craſſus eſt, ita vt nec repelli, nec diſcuti, inſtar aliorum humorum poſſit, mitiora medicamenta plane contemnit valentioribus magis irritatur & exaſperatur.

Ergo in curatione Cancri mitigatio potius, & in eodem ſtatu conſervatio quam vera ſanatio expectanda; dolorem enim mitigando, & ne vlterius ſerpat cancer præſervando, in multos annos vita miſeri patientis protrahi poteſt.

Ne autem latius ſerpat malum, præcaveri poteſt *vena ſectione, victus ratione, melancholici humoris* crebra *vacuatione topicorumque remediorum applicatione.*

Si itaque corporis conſtitutio melancholica exiſtat, & ætas vireſque patientis non prohibeant, vena ſplenetica, ſeu interna cubiti ſiniſtri ſecetur idque bis terve in anno. Vbi autem menſes ſunt ſuppreſſi, & mulier nondum attigit 50. annum, vena interna pedis ſub talo frequenter eſt aperienda, & menſes remediis convenientibus provocandi.

In *victus ratione* alimenta offerantur purum ſanguinem generantia, vitentur omnia ex quibus melancholicus ſanguis generari poſſit.

Poſt venæ ſectionem præparetur atque evacuetur atra bilis, in curatione inſaniæ melancholiæ propoſitis remediis, Aut cōcoquatur humor ſequenti Decocto.

℞. *Polypod.* ℥i. *veratri n.* ℥ß. *ſem. aniſi* ʒß. *cortic. cappar.* ʒij. *aſplen. veronic. beton. epith. āā. m.* ß. contuſa & conciſa imponantur canthari ſtanneo, & ſimul admiſceantur *conſerva fumar. & borrag. āā.* ℥j. *ſyr. de fumar.* ℥iij. *his omnibus affundatur ſeri lactis* ℔iij. deinde oblinatur iunctura canthari paſta farinacea, ne quid liquoris evaporet, & imponatur in ahenum aqua repletum, & ſimul concoquantur ad duas horas, deinde refrigerata colentur; Huius potionis bibat ægra per octiduum mane ac veſperi ℥i. Qua exhauſta, vno & altero die tandē interpoſito, melancholicus humor ſequenti infuſione evacuetur ac ſubducatur.

℞. *Myrobal. citr. chebulor. indor. āā.* ʒiß. craſſiuſcule contuſa macerentur per xxiv. horas in *aqua fumar* ℥viij. altero diē ad miſceantur *thymi, epitymi, follio. ſennæ āā.* ʒj. *rad. liquir.* ʒjß. *ſem. citri* ʒi. *caryoph.* ℈ß. *rad. polypod.* ʒß. ſimul commixta ebulliant donec liquoris *unc.* iij. evaporent, & abſumantur deinde fortiter expreſſa colentur, & colatus liquor tepidus in aurora, vi. horis ante cibi aſſumptionem ægræ propinetur.

Tenuioris fortunæ fœminæ, loco huius liquoris, commede vti poſſunt ʒi. *pilul. de lap. lazuli*, aut *de fumaria*, aut ℈ß. *extractionis hellebori nigri.*

Egregiē quoque atram bilem expellit *Hiera Ruffi à Galeno deſcripta.*

Præſtabit autem ſingulis menſibus lentum & contumacem humorem melancholicum præſcriptis remediis præparare & evacuare, vna enim vice ſubtrahi minime poſſunt. *Fr. Ioel. pr. l. 3. p.* 298.

25: 24. *Palliativam curam præſtare medicamenta refrigerantia &c.*) Quia Cancrorum curatio eſt impoſſibilis, ex decreto *Hippocratis*, ſatius eſt vti prophylactica & palliativa, ſanguinis miſſione &c. Deinde oportet ſymptomata, dolorem, inflammationem, exulcerationem, ſi adſit mitigare; Ad hæc præſtanda maxime laudantur *plumbum, tutbia, ſuccus ſolani, plantaginis, ſempervivi, lactucæ, oleum roſat. omphac. bolus Armena, terra Lemnia*, quæ in mortario plumbeo tam diu agitentur, donec Linimenti conſiſtentiam acquirant Prædicti quoque *ſucci cum oleo* omphacino decoqui poſſunt ad ſuccorum conſumptionem, & cum modica cera permiſceri: Convenit quoque *Lotio ex aquis portulacæ, agrimoniæ, arnogloſſæ, pimpinellæ*, vel herbas ſimul contritas imponere.

Confert quoque *vnguentum ex olei roſat. omphac. unc.* viij. *pulv. ceruſæ, tuthiæ* & *lithargyr.* ãã. ℔ß. quæ ducantur in mortario ad Linimenti conſiſtentiam; *Ioh. de Vigo* fovet *decocto clymeni*, deinde prædicto vng. addit *plumbi vſti unc.* ij. *ſucci clymeni unc.* iv. *terebinth. unc.* ii. *f. Empl.* Primiroſius.

Ad ardorem quoque ſedandum confert catapl. *ex pomis in aqua roſac. decoctis*, vel *oleum roſa. aqua nymph.* lotum, cum *oleo de vitellis ovor.* & pauca *caphura*. *Amygdalæ* quoque *dulces* cum aceto tritæ, ſicut *& caſeus recens* impoſitus ex *ſtockero* valet. *Idem.*

Si ardor nimis moleſtat *ranæ vivæ per* medium ſciſſæ, applicatæ, & denuo mutatæ, ſummo ſunt auxilio: Dolor mitigatur, incendium & tumor mira proprietate reſoluitur. *P. Mich. de Heredia. pr. c.* 34.

Ego Topicis omnibus antepono medicamentum *Galen.* ex *ſucco ſolani* & plumbo vſto, ſimul in mortario plumbeo agitatis paratum, quod eo præſtantius erit ſi addatur *ol. roſac. compl. ſuccus virgæ aureæ*, aut etiam *tabaci*, omnibus pariter in mortario dicto contuſis. *I. C. Claudinus Reſp. m.* 35.

Quæ ſecreta qualitate hic agunt *externa*, primum *Pulvis bufonis* cum *fermento* in olla vitreata in fumo ſiccati. 2. *folia lilii* contrita & appoſita 3. Linimentum ex *pulvere cancr. fluviat.* præpar. cum *pinguedine gallinæ* exceptis 4. *Aqua ſtillat. ſtercoris bubuli* menſe Maio collecti *Claudinus Reſp.* 35.

25. 26. *Inter quæ inprimis*) Laudantur à plurimis *pinguedo s anarum. Vngu. ex bufone, ol. de viperis*, & *earum axungia. pulvis cancror. fluviat.* cum *ovo* integro commiſtus & illitus; vel contundantur *cancri cum ſucco* cardui, Idem facit *fimus caprillus* cum *melle*. *Caro* quoque limacum cum teſtis contrita, & parti impoſita prodeſſe creditur, Alii laudant *carduum*, *herbam Roberti*, *ſcabioſam*, *caprifol. tapſum barbatum* pulverem *ſtercor. humani* cum *anetho*, *Aqua* ex *ſtercore humano* diſtillata, ſicut & *decoctum hederæ terr.* commendantur, etiam ad cancrum vlceratum.

℞. *Herbæ Roberti, verbaſci, ſcabioſ. caprifol. aneth. ſtercor. humani.* ãã. *p. æqu.* vrantur in fictili.

℞. *Huius cineris unc.* iij. *aquæ ſolani unc.* vi. miſce in mortario, & vlceri cancroſo impone ex *Nicolao Rochæo.*

Theriaca cum lacte & roſac. diluta impoſita prodeſt. *Primiroſius.*

Filiæ *Geropii Becani.* de qua (§. *Non curatos diutius durare*) cancer occultus in exulceratum abiit ab admotis exulcerantibus medicamentis, cum labiis inverſis, cruſta cinerea ſinu deformi, tubere inæquali, colore livido, ſanie cadaveroſa, dolore, vigiliis, animi deliquiis, ardore, pruritu, aliiſque conclamati cancri notis, quibus nulla cum prodeſſet medicina applicuit blandiens hoc cerarum, quod vſus comprobavit qualicunque Carcinomati ſumme vtile.

℞. *Olei roſat.* ℥ ij. *ceræ albæ* ʒ vi. *plumbi vſti ac loti* ℥ß. Oleum cum cera liquefiat addito plumbo agitentur horas vi. in mortario plumbeo, vt fiat cerat.

Præter quod vidimus vlceratis cancris, vtique ab aliis feliciter admoveri *pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto cum mercurio vivo*, cui ſiquidem tantillum *mercurii vitæ inſperſeris*, redige omnia in pulverem friabilem, vlcerato cancro adprime vtilem *Tulpius Obſ.* 47. *lib.* 1.

Fraxini arboris folia aqua cocta, trita & calida impoſita mammarum vlcerum dolores mitigant, & aſſiduus illarum vſus mirifice ea diſcutit. *Actius.*

In vlcerato hoc vnguentum nobis probatum eſt.

℞. *Olei roſac. omphac.* ℔ß. *ſevi hircini* & *vitul. cum vngu. roſac. & popul.* ãã. ℥ iiß. *vini granat.* ℥ iiß. *ſucci ſolan. plantag. acetoſæ* ãã. ℥ iß. bulliant lento igne ad conſumptionem ſuccorum, colentur, adde *ceruſſæ* ℥ iiß. *litharg.* ʒ v. *plumbi vſti, antimon.* ãã. ʒ x. *tutiæ unc.* iß. *ceræ alb. q. ſ. f.* vngu molle. *Fr. Actius.*

Ad exulceratum expertiſſimum hoc eſt.

℞. *Herbæ Robert. ſcabioſæ caprifol. aneth. ol. human.* ãã. *q. ſ.* comburantur in cinerem.

℞. *Huius* ℥ iii. *aqu. ſolani deſt. unc.* vi. m. & de hoc aliquid vlceri infunde *Corbæus Gynac. l.* 2. *c.* 1.

Emplaſtrum nobile ad cancrum exulceratum in mammis *calx ſilicis, cum melle bulliant in modum vngu.* impone cum panno linteo, Eſt res divina. *Ortolphus Maroldus Pr. p.* 284.

℞. *Limatur. cupri, ferri*, ãã. *p. æqu.* macerentur per 6. vel 8. dies in vino; hoc ablue Cancrum, Tunc.

℞. *Cortic. granat. albi grac.* ãã. *p æqu. f. Pulvis*, aſperge ſuper cancrum, hinc intege linteolum in *oleum tartari*, & ſuper pulverem apponatur. Experimentum *Runardi. Ioh. David Rulandus Pharm. n. p.* 113.

Mirifice prodeſt *cynogloſſa viridis, in vini* & *aquæ* part. æq. cocta, conquaſſata & loco dolenti impoſita. *Weickardus Theſ. p.* 170.

25. 26. 27. *Inter quæ inprimis plumbeæ laminæ*) *Præmiſſis melancholiam* purgantibus, ſanguine etiam miſſo, Topicum hoc adhibitum.

℞. *Succi plantag. ſolani, ſemperv* ãã. *unc.* ij. *pulv. plumbi vſti* & ſæpe *aqua roſar. loti unc.* i. *thuris unc.* ß. in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, ſæpe omnia tractentur & ad ſolis radios quovſque optime incorporentur, exponantur.

In eo lini pannus imbutus mammillæ applicabatur, & ſæpe innovabatur, quo remedio melius ſe habere dixit, Et merito ſane, quia medicamentū hoc humoris infringit acutiem & eius hebetat ſævitiam, vniverſus enim noſter conatus eo dirigebatur vt Cancer hic remoraretur, in altumque amplius non creſceret, In quem finem, prædicti medicaminis vice, laminam plumbi mammillæ figuræ concinne adaptatam imponeret, neque alia remedia ſupra locum læſum permitteret conſului: Novi enim ipſe nonnullas mulieres cācros in mammillis habentes, ſolo bono vitæ ordine abſque vllo topicorum irritamento, per longum vitæ tempus, ita incolumiter, proſpere & ſane ac ſi nullum paterentur morbum. *Amatus Luſitanus cent.* iij. *curat.* 32.

26. 27. *Inprimis plumbeæ laminæ*) *Cuius admotio non ſemper feliciter ſuccedit*, mercator priuſquam moreretur laboravit magna anhelandi difficultate; Nihil aut parum exſpuebat, tandem vita deceſſit, & in thorace repertæ ſunt ſeri amphoræ quatuor; Quod accidiſſe puto propter laminam illam plumbeam quam ſemper geſtabat, & medicamenta fortiter refrigerantia &c. *Rondeletius Pr. pag.* 387. Ex continuo repercutientium medicamentorum localium vſu materia in pectus & thoracem reſudat, Empyemaque gignit, vt ex continuatione plumbeæ laminæ viſum eſt. *Rod. à Caſtro. p.* 141. *l. de m. mul.*

27. *Plumbea*) *Oleum Saturni* præ cæteris excellit, quod cancri malignitatem obtundit, dolores, lenit ſæpe cancros exulceratos cicatrice obducit. *Vigerius Chir. l.* 3. *c.* 36.

27. *Plumbea laminæ*) Quæ vlcerato cancro vtiliter applicatur, crebris foraminibus ſit pervia; Quidam argento vivo confricant, non ſine ſucceſſu, quia hydrargyrum reſolvit & refrigerat; Advertant *Rondeletius* & *Foreſtus* vbi incipit exulcerari, tollendam ſæpius eſſe, quia virus & materiam putrefactam retinet, cui ſatius eſt exitum dare, nam graviſſimos infert dolores, Interdum ex vſu eiuſmodi repercutientium thorax repletur ſero ſanguineo, Id autem contingit maxime quando cancer coſtis & earum muſculis adhæret, raro autem antea, quando in ſolis mammarum glandulis á ſubjectis partibus ſolutus eſt *Primiroſius.*

27. *Plumbeæ laminæ*) Vidua quædam 38. ann. rumorem in mammilla per annum & vltra ſentiens, mobilem tamen & dolorificum, cancrum minantem, remimplorat

implorat opem, præparè corpus internis evacuantibus, revellentibus, acrimoniam ſeri contemperantibus, Topicorum vſum circumſpectum ſuadeo, ne ſubſequatur exulceratio; *Laminam plumbeam* vt affigar ſuadeo, &c, ne decidat *Empl. diapomphol.* affigat: Duæ parantur laminæ, vt dempta vna altera imponi poſſet, vtraque duorum menſium ſpatio proditur, & in medio in albicantē redigitur partem, prout calcinatio plumbi fieri conſuevit; Apparet hinc quanta ſit ſeri atrabilarij acrimonia vt in corroſivorum etiam naturam degenerare apta ſit quæ ſalia corroſiva plumbum calcinare poſſe nemini non notum eſt; Hæc cauſa videtur eſſe, quod in cancro exulcerato adeo exquiſiti ſolent eſſe dolores, qui opiatis vt plurimum demulcendi ſunt &c. *Ioh. Schmidius.*

[21] *Extra*) Topica remedia ea ſint quæ humorem diſcutiant, illius ferociam obtundant & partem confirment, maximè conferunt omnes intybi ſpecies, ſolanum, hypericum, agrimonia, Coriandri ſuccus &c. Et à facultate recondita cochlearum carnes elixæ, cancri fluviatiles, ranæ virides; præ aliis vnguentum de Plumbo Plumbum ipſum quocunque modo adminiſtretur. Emplaſtrum de Ceruſa oleo roſaceo diſſolutum eximiæ eſt virtutis: Oleum de Ranis excellens eſt huius affectus antidotum, ſic autem paratur.

Ranas virides in arboribus vel aquis puris degentes in vas fictile vitro illitum, multiſque foraminibus exiguis in fundo pertuſum coniicito: Eorum viſcera butyro impleto. Vas ne quid exhalet, luto diligenter oblinito & cooperito cui alterum vas effoſſa terra concluſum ſupponito: ignem in ambitu ad diſtillandum accendito. Oleum ſeu liquorem illum ſtillatitium colligito, & cum pulvere Ranarum viridium, ſi vis ad conficiendum linimentum miſceto. Ad furorem reprimendum, doloremque leniendum ſic facito.

℞. *Olei roſacei* ℥iv. *ſem papaveris albi* ℥j. *ſem. hyoſcyami opij. āā.* ʒß. *gummi arabici* ℥ß. *ceræ modicum ſ. vng. Enchirid. Pract.*

[19] *Intra*) Retulit quidam ſe curaſſe cancrum ſolo decocto *ſaracenicæ*, in vino mane potum, Ego vero addo *artemiſiam* & pulverem *blit*: & curat omnia vlcera & cancrum *Ioh. Fockerus Empir. p. 112.*

Cap. XXIX.

De Mammarum magnitudine, fovea, Vlceribus, & Fiſſuris.

I.

[1] MAgnitudo mammarum [2] indecora viſui eſt expoſita. [3] *Oritur* à crebra earum contrectatione, [4] flatulentorum inprimis copia retentione menſium, &c.

[5] *Curatio* adhiberi vel ideò debet, quòd [6] quò majores ſunt mammæ, [7] eò facilius cancris afficiantur [8] *Peragitur.* 1. *Cibis* adſtringentibus, ſed minimè flatulentis.

2. [9] *Repercutione* ſanguinis vel aliorum humorum affluentium, vbi [10] ſuccus [11] *cicutæ*, & *ova perdicis*, illita locum habent.

3. [12] *Diſcuſſione* illius quod allapſum eſt, ubi Unguentum quod ex [13] *luti in molis tonſorum reperti unc. ij. Ol. myrtini unc. j. aceti unc. ſ.* componitur, [14] laudatur; nec non aqua ſtillatitia ex *conis pini viridibus* cum linteolis [15] impoſita: vel decocto *alchymillæ* eodem modo applicato.

4. *Compreſſione* per formas mammarum plumbearū interius illitarum oleo *ſeminis hyoſcyami*, &c.

II. *Fovea mammarum* rariſſimus affectus, quem *Riverius Cent.* IV. *Obſ.* 57. deſcribit. Obſervata ea, in fœmina quadam bilioſi & melancholici temperamenti, ſecundo poſt menſium ſuppreſſionem anno. Exortus primo in ſuperiore mammæ ſiniſtræ parte, tumor ſubdurus, & digiti craſſitiem æquans. Apparuit paulò poſt in parte inferiore ejuſdem mammæ, (verba ſunt Riverii) tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies foveam effecit in eadem parte exiguam, & ſine dolore, quæ ſenſim incrementum ſumpſit, ut intra biennium dimidiam ferè mammę totius partē ad anteriora retraxerit, & in fundo illius cutis coſtis adhærere videretur. In ambitu fundi quædam percipiebatur durities, quæ compreſſa digitis doloris ſenſum inducebat, pungitivus aliquando in illa parte dolor, ſed exiguus & rarus; calor in regione hepatis & dextra thoracis parte intenſus [16] Putabatur ad cancri occulti naturam accedere [17] Curam vide apud eundem.

III. [18] *Vlcera mammarum* viſui expoſita ſunt, [19] notandumque de eorum curatione. 1. [20] quòd non facilè in puerpera vel lactante [21] curentur [22] propter lactis præſentiam & ſanguinis affluxum 2. quòd pendulæ plerumque mammæ, faſciculo de collo ſuſpendi debeant, & brachium lateris illius quieſcere, ut humorum affluxus impediatur. 3. [23] quòd ad abſtergendum, *rad. rhapontici*, *Zedoar. & folia agrimon.* in vino decocta valeant. 4. quòd effluxus ſaniei cannullâ brevi vlceri insertâ promovendus ſit. 5. quòd [24] ad conſolidandum, vinum [25] adſtringens in quo *nuces cupreſſi*, folia *ſumach* & *agrimon.* cocta; nec non *balſamus ſulphuris Rulandi*, & *Emplaſtrum diaſulphuris*. 6. quod ſi labia callum contrahere incipiant, orificium vlceris ampliari, & callus detrahi debeat, per medicamenta, de quibus in ulcere. 7. quòd denique; Boylæus doceat, in mammis exulceratis nihil felicius propinari, quàm ſuccum vel decoctū *millepedum*: Hartmannus, oleum nucis juglandis expreſſum, leniter in ſartagine inſpiſſatum, & cum turundis applicatum.

IV. [26] *Fiſſuræ* papillas inprimis infeſtant, [27] ſeu à ſuctione, & quando cum lacte ſeroſi & bilioſi humores allabuntur, fitque excoriatio, ſeu ab alia cauſa [28] Quomodo præcaveatur, vide apud auctores. *Curantur oleo de nucleis* recens expreſſo, & ſaccharo ſinapizato deſuper tenuiſſimè pulverizato: *balſamo ſacchari*: nec non *ſebo hircino* cum *melle* ana q. ſ. diſſoluto ad ignem & inuncto.

[1] *Magnitudo mammarum*) Dicunt Phyſiognomi eas quæ habent mammas grandiores vinoſas eſſe & libidinoſas, quia à calore præſertim vterino proficiſcitur hæc magnitudo; Magnum etiam eſſe inter mammas & vterum conſenſum conſtat, vnde ex mammarum colore livido vterum affectum eſſe *Hippocrates* cognoſ-

ci poſſe ſcribit; hinc quoque blanda mammarum contrectatio ad libidinem excitat. *Idem.*

[1] *Magnitudo mammarum*) Creſcunt mammæ puellis quando incipiunt pubeſcere, minuſque creſcunt, & maiorem ſanguinis copiam acervare incipiunt, vnde vberior ſanguis ad mammas affluit, circa tempus primæ eruptionis menſium, quamvis etiam multæ ſint quibus amplificantur mammæ antequam menſes vllam ſui ſignificationem præbeant; Quibuſdam parum dolent ob inſuetam ſanguinis repletionem: Creſcunt etiam mammæ prægnantibus & puerperis ex abundantia lactis. *Primiroſius l. 5. t. t.*

[1] *Magnitudo mammarum*) *mammarum gracilitas* accidit cum molles & pendulæ ſunt, quod pro turpi habetur, ideo corrigere ſtudent mulieres illæ quæ venuſtati, ſtudent, Adhibiuſque indurantibus eas duriores firmioreſque reddere contendunt iiſdem fere præſidiis topicis adſtringentibus & ſiccantibus quibus incrementum ipſarum præpeditur. *Platerus.*

[1.2] *Magnitudo mammarum indecora*) Mammę aliquando ſupra decentem exuberantiam, quæ pulchra habetur nimium augentur, vel adeo turgidæ fiunt, vt in immenſum ſæpe excreſcentes totum pectus occupent; vlteriuſque nonnunquam, niſi conſtrictæ retineantur, exſpatientur, ponderequе reſpirationem nonnihil impeditam reddant, idque in mulieribus, *mammoſis* ob id dictis: Quo & referri poteſt quando & inſtar mammarum moles, cum elevatis ſimiliter papillis in pectore virorum prominet, quod alioquin pinguibus evenit: Vel quod magis præternaturale, ſi mammillæ viris etiam & non ſolum papillæ nudæ creſcant, ſicut in quibuſdam accidiſſe vidimus. *Platerus.*

[2] *Indecora*) Non ſolum *turpis & indecora* eſt mammarum conſtitutio quando grandiores ſunt & prominentes, ſed etiam noxia, quia reſpirationis adimunt libertatem, manuum & brachiorum operationem lædunt: Ideo dicuntur *Amazones* ſibi mãmas dextras reſecuiſſe, vt aptiores eſſent armis & aliis motibus exercendis, *Galenus* tamen 7. *aph.* 43. dixit has mulieres id feciſſe vt manus dextra robuſtior evaderet, diſtributo ſcilicet in manum nutrimento quod mammæ erat dicatum *Hippocrates* credit eas, quibus altera mamma auffertur minus ſanas vivere; quia mammæ, cum ſint glanduloſæ corporis ſuperflua expurgant: Hinc ſi mulieres morbo, aut alio caſu mammis priventur, vox redditur aſpera, humores in ſtomachum ferũtur, ſputis abundant, capite dolent, & ab his ægrotant, Lac enim veniens & fluens ab vtero, cum iam vaſa propria non habeat, in principes nobileſque partes recurrit, cor & pulmones, ſicque ſuffocantur; *lib. 1. de Glandulis ſub finem*, quæ *Hippocratis* ſententia non eſt abſolute intelligenda de omnibus mulieribus quæ mamma privantur, ſed tantum quando lac ad mammas accedit, non autem alio tempore quando non ſunt lactantes, tunc enim ſanæ vivere poſſunt *Prim.*

[3] *Oritur*) Incrementum hic *naturale* notatur, & *præternaturale*; Cauſa incrementi *prioris* ſanguis eſt bonus copioſe collectus, vaſorumque apertio, maxime ab vſu emollientium externorum, aut contrectatione &c. Nec non partium fungoſarum mammas conſtituentium laxitas, præſertim à prima generatione introducta. *Poſterioris* lac vel copioſius debito genitum, vel debite productum non rite evacuatum. *Blaſius Therap. ſpecial. p. 306. & 307.*

Cauſæ vaſtitatis mammarum ſunt internæ atque externæ: *Internæ* ſunt copia pinguedinis, magnitudo glãdularum mammillarum, abundantia lactis, exuperantia ſanguinis caloris mammarum robur, ſanguinem valide attrahentis, & probe concoquentis, hepatis conſtitutio ſanguinea, mãmarum laxitas viarumque amplitudo; quæ magnam alimenti copiam admittit. *Externa* ſunt illa omnia quæ ſanguines producunt, vt cibi ἔυχυμοι, ἔυπεπτοι, ἢ πολύτροφοι vita ignava & ſedentaria, ſomnus multus & diuturnus, menſium fluxus parcus, vita hilaris à curis, laboribus aliena: Huc refer crebram contrectationem, frictionem, & ligularum, quibus thoracem cingere ſolent mulieres, laxitatem. *Sebiſius man. p. 784.*

Mammæ increſcunt poſtea quam puella ad eam magnitudinem fere pervenit ad quam nata eſt pervenire, vel quia incipiunt pingueſcere ob redundantiam alimenti, vel quia multus ſanguis profluit ante menſium eruptionem. *Rondeletius po. p. 386.*

[3] *Oritur*) Eadem agnoſcit cauſas quas totius corporis incrementũ, Vide Caput de *Obeſitate l. 5. tit. 6. c. 2. art. 6.*

[4] *Flatulentorum inprimis copia*) Aliis increſcunt mãmæ, quia aluntur flatulentis alimentis, vt caſtaneis, rapis &c. quod mulieribus monticolis accidit. *Idem.*

[5] *Curatio adhiberi*) Quia grandiores mammæ, præter deformitatem, quæ mulieribus ſemper acerba fuit cancris ſuſcipiendis ſunt magis expoſitę, ideo de mammarum incremento agendum, quia cum fœminæ medicorum ſint præcones, danda eſt opera vt illarum aſſequamur gratiam: Hic affectus præter turpitudinem interdum etiam operationem brachiorum impedit, & lactis boni generationem, &c. *Rod. à Caſtro.*

[6] *Quo maiores ſunt mammæ*) Dicitur à quibuſdam mãmarum magnitudo lactis generationi eſſe incommoda, ea ſcilicet magnitudo quæ thoraci & reliquo corpori nõ eſt proportionata, Inter alias rationes hanc ponunt quidam, quia inflãmationibus & cancro ſunt obnoxiæ, ſed quid hoc ad lactis generationem, nam omnis generis mammæ poſſunt his affectibus tentari. Quidam magnas mammas præferunt, ob caloris copiam viarum libertatem, quæ poſſunt facilius admittere & concoquere accedentem, lactis copiam, & ſine dolore ac inflãmatione cõtinere: Illud lac probum eſſe poteſt, non enim capacitas mãmarum lac immutat, ſed temperies Hanc difficultatem ſic explicat *mercurialis*, magnas ſcil. & parvas dici vel ſecundum carnem, vel ſecundum cavitates, *magnas ſecundum carnem*, quarum vaſa ſunt parva, eſſe malas contra parvas ſecundum carnem, ſi vaſa ſint ampla, eſſe meliores. hæ autem vt plurimum ſolent eſſe mediocres

Hæc ſolutio non tollit omnino difficultatem, Amplitudo partium fit vel à robore facultatis vel à materię copia, vel ab vtraque. Si igitur mãmæ ſint ſimul & magnæ, & ampla habeant vaſa, quæritur an præferendæ ſint aliis? Reſponderem mediocres ſemper eſſe & decentiores & commodiores, Poſt magnas ſemper eſſe præferendas, ob maiorem caloris copiam & rationes iam dictas. *Parvitas* autem mãmarũ nimia & indecora eſt & lacti generando minus apta, cum nec eius quantitatem ſufficientem continere, neque eam probe concoquere, ob ſiccitatem plerumque gracilitatis comitem poſſit, tum ob vaſorum exilitatem & caloris nativi paupertatem: Diſtinguenda autem eſt magnitudo mãmarum ab earum tumoribus phlegmonoſis & ſcirrhoſis, Tũ ab ea magnitudine quę fit ex lacte copioſiore, iis contento, quando prægnantes ſunt, aut nutrices, hæ enim diſpoſitiones adventitiæ ſunt, non autem propriæ. *Primiroſius.*

[7] *Eo facilius cancris*) Ex *Aetio*, qui grandiores mammas cancris ſuſcipiendis & aliis eiuſmodi affectionibus obnoxias eſſe ſcribit.

[8] *Peragitur*) Conantur medici mãmas extenuare minoreſque reddere victu parciore, labore & exercitiis corporis, ſanguinis diminutione, ſcarificatione; topicis accedens alimentum repercutientibus, vaſa coarctantibus, ſanguinem conſumentibus, & arctiori veſtium thoracicarum ſtrictura. Sed parum proficiunt, pręſertim in illis quæ adhuc in iuvenili ætate ſunt conſtitutæ, & creſcunt. *Sebiſius man. p. 785.*

Fungoſitas partium, vaſorumque maior apertio, præterquam quod ſanguinis imminutione non parum mutentur, vſu externorum leniter refrigerando repellentiũ, & adſtringendo affluxum humorũ vlteriorem inhibẽtium, ſoma fomenti, linimenti, aut cataplaſmatis præ-

cipue vſurpatorum maxime corriguntur. *Blaſius.*

Si quis velit illarum incrementum prohibere, ſanguinis attractionem impediat, & partes illas denias reddat ut non facile ſanguinem influentem recipiant, Quod ſi jam accreverint, bonum illum habitum ſolvere oportet, & multum movere menſes, ut ſanguis multus abſumatur, & ſuper partem medicamenta digerentia apponere &c. *Rondeletius.*

8. *Peragitur*) Mammarum incrementum præcipue prohibere mulieres, quæ pulchritudini ſtudent, conantur, tum ut minores maneant, quod venuſtum eſſe putāt; vel ne in nimiam molem excreſcentes oneri etiam ſint, quod totius nonnihil quam in cæteris partibus, cum certo tempore primum prorumpere incipiant, fieri poteſt; Perficiturq; non ſolum iis quę totius quoq, corporis incrementum impediunt, ſed & topicis admotis, quæ nutrimentum ipſarum repellendo, refrigerando aut adſtringendo, vel abſumendo, vi digerente & exſiccante, ſic quoq; ne ultra decorum excreſcant, eas retineant: Quod iiſdem quoq; remediis quæ ad Lactis proventum in uberibus impediendum, vel illud quod genitum eſt diſcutiendum in lactis exuperantia proponuntur, mammillis applicatis ex parte præſtari poteſt: Ad hæc *Fotus* earum ſæpe iteratus cum ſpongia (vel panno linteo intincto) relicta donec ſiccetur: Fit ex *decocto in vino rubro*, addito *& aceto, alchimillæ, equiſeti, myrti, plantag. roſar. meliſſæ, menthæ, gallarum*, aliorumque adſtringentium: Vel ex *diluto*, aut *decocto, ſalis Ammon. & alum. in vino.* Valet *Aq. deſtill.* ex prædictis, addito *alumine. Aq. deſtill. è nucibus pineis immaturis*, Ex *Ovis conquaſſatis cū alum. & creta alba pulv.* in paſtam redactis *aqu. deſtill. Cotonea, poma, pyra immatura, meſpilla, ſorba, pruna ſylv.* contuſa, cum *aceto* miſta, vel in eo cocta appoſita, Vel cocta in *omphacio* una cum *putamine gallar.* Inprimis *Cicuta* recens cōtuſa per ſe, vel cū *aceto* miſta, aut in eo cocta, folia *hyoſcyami, mentha, meliſſa*, Convenit ſequens Empl.

℞. *Maſtich. thur.* ā ā. ℥ß. *gall. nuc. cupr.* ā ā. ʒii. *boli*, vel *argillæ*, aut *terræ cimoliæ, vel rubricæ fabr.* ʒiii. *pulveriſata excipiantur album. ovi & aceto vel melle.*

Squatinam piſcem mammillæ impoſitum admodum eas conſtringere ferunt. *Platerus.* Vel.

℞. *Cortic. granat.* ʒiij. *balauſt.* ℥ij. *acaciæ vel hypocyſt.* ℥ß. *excipiantur aceto & mucilag. ſem. pſyllii.* Platerus.

9. *Repercuſſione &c.*) Ad id commendatur *ſuccus cicutæ*, (prohibet enim incrementum) *aqua myrthi, peculi roſ. & aqu. deſtillationis pinearum*, cum *pauco aceto, & alumine*, poſitæ ſupra mammas intinctis pannis. *Rondeletius.*

10. 11. *Succus Cicutæ*) Quidam etiam *oleum hyoſcyami* adhibent, his tamen narcoticis uti non eſt tutum, ne extinguatur aut enervetur vis γαλακτοποιητικὰ *Primiroſius.*

10. 11. *Succus Cicuta*) Hac inter alias *Cicuta* pollet efficacia ut contuſa cum umbella, atq; virginum mammillis impoſita tumorem & excreſcentiam valeat prohibere fortaſſe nutrimentum impedit, quo minus augeantur, ut in puerorum teſticulis ſuccedit ſi hæc adhibetur: ſic enim meatibus alimenti obtuſis facile exſiccantur. *Ant. le Grand.*

11. *Diſcuſſione*) Rondeletius multis experimentis comprobatum eſſe ait de *Piſce ſquatina* quod mulierum mammis ſuperpoſitus illas adeo conſtringit ut virginum mammillæ appareant: Credunt multi in genitalibus eundem ſimiliter effectum producere.

12. *Diſcuſſione*) Super partem medicamenta digerentia apponendo, qualia præſcribuntur ad lactis reſolutionem, aut *unguenta metallica*, addendo *ſalis commun. ſulphur. alumin.* ā ā ʒj. pro ℥j. *Rondeletius.*

Folia epimedii cum *oleo* trita & impoſita mammas virginum cohibent, *cicuta* cum coma trita & impoſita. *E cote naxia* quod exacuendo ferro deteritur illitum craſſitiem arcet. *Dioſc.* huc pertinet *ungu. veſpertilionis. Pandec.* Epithema cum *ſucco acaciæ, Serapio.* Ex pulvere libani cum *aceto*, *Platear.* Obline *cruore porcelli*, *Enporiſt.*

℞. *alumin. ceruſæ, plumbi uſti, lentis toſtæ* ā ā. ℥j. *cum ſucco plantag. f.* Epithema.

℞. *Lomenti fabar.* ℔ß. *ol. roſat.* ℥ii. *ſucci cichor. & plantag.* ā ā. ℥j. *pulv. putamin. ovorum perdicis* ℥j *f. Emplaſtrum.* Lac arcet, mammas erigit, & prohibet eas increſcere. *Montuus Anaſceves morb. l. 6. c. 20.*

13. *Luti in molis tonſorum*) Limum qui invenitur in fundo alvei eorum qui ad molam cultros exacuunt mixtum cum *oleo roſar.* commendat *authør Enchir. Med. Pr.* Alii attrituram quæ ex cotibus duabus mutuo attritis ſecedit, aceto miſtam: Prior magis obvia eſt & euporiſton præſtans: *Naxiam cotem* illitam mammas cohibere ne excreſcant docet. *Dioſcorides.*

13. *Luti in molis*) Poſtquam detumuerunt, & flaccidæ ſunt factæ, *lutum quod reperitur in molis. quibus acuuntur gladii*, ſuperponendum cum pauco *aceto*, ut indurentur: Lutum enim molarum cum aceto poſitum uſum *cimoliæ* præſtat, aut vulgo dicta bolus, *Rubrica* fabrilis eodem modo præparata, vel cum *oleo myrthino roſac. omphac. vel acacia vulgari*, & quæcunque adſtringunt ſine magna diſtenſione, aut reſolutione, Nam quæ reſolvunt, illas emolliunt. *Rondeletius.*

14. *Laudatur*) *Alumen cum oleo roſaceo* quotidie inungatur, & durabit mammarum parvitas. *Rhazis.*

Ferri ærugo vel crocus Martis cum aliquo oleo adſtringente, Epithema cum *aqua aluminoſa & aceto. Rhazes cimoliam* cum *decocto hyoſcyami albi & oleo myrti* imponit.

15. *Impoſita*) Tum mammis, tum axillis, ad vaſa conſtringenda & ſanguinis affluxum prohibendum.

16. *Putabatur ad cancri occulti*) Cum enim maxima ſit in humoris melancholici & atrabilarii natura varietas, fit ut ab illis humoribus variæ formæ ejuſdem ſpeciei morbi contingant: Vulgo humor melancholicus aduſtus Cancrum efficiens, craſſus eſt, & tumorem durum efficit, qui tandem putredinem & acrimoniam acquirens partem exulcerat, & ulcus inſanabile producit: In hoc autem caſu humor ille tenuis eſt, ideo tumorem exiguum efficit: Sed præterea humor ille malignam quandam diſſolventem qualitatem habet, qua partis ſubſtantiam colliquat & abſumit, quemadmodum videmus quædam ſalia erodendi & exulcerandi vi prædita, qualia ſunt ea ex quibus cauteria potentialia componuntur; quædam vero diſſolvendi duriſſima corpora, ex quibus fiunt aquę fortes; lapides & metalla diſſolventes imo acetum lapides diſſolvit, cutem tamen non erodit: Sic in microcoſmo generantur ſalia ſimilibus facultatibus prædita, quæ humoribus permixta admirandos effectus producunt; Ita in hoc caſu humor qui à natura in mammam, ceu partem mollem & ſpongioſam expellitur, ſubſtantiam illius ſenſim diſſolvit & abſumit, ita ut fovea illa majus in dies recipiat incrementum: Iudicatus fuit iſte affectus incurabilis, eique tantum curam palliativam eſſe adhibendam, metuendumque ne tandem pars ulceretur introducta majori acrimonia. *Riverius l. c.*

Admiranda revera fuit iſtius humoris indoles, qui motu præpoſtero, (cum alias aſſurgere debuiſſet, Tumorem inducturus) verſus inferiora vergens ſtragem inibi exercuit; Nec minus diſquiſitionem meretur quam natura illius humoris qui affectum παιδαρθροκάκην *Aurelio Severino*, dictum parit, alias *Spinam ventoſam*, hic referente *Portzio Tract. de Tumor.* præter naturam à medullis oſſium circa articulos originem ducens, oſſa ab interiori parte erodit, hinc ad carnem ſuperjacentem progreditur, cute ſæpe illęſâ, Tumorem œdematoſum inducens.

17. *Curam*) Remedia præſcripta fuere alterantia, vacuantia, revellentia, roborantia; puta purgationes & phlebotomiæ periodicæ, juſcula alterantia, ſerum lactis, aquæ minerales, cauteria, opiata ſpecifica & ſimilia: Topica vero lenientia humoris ferociam & humectantia, ut linimentum *ex oleo roſac. ſucco plantag. & ſolani, cum mercurio crudo, ungu. de ranis viridibus à Chalmeteo* deſcriptum capite de *Cancro*, Linimentum *è butyro & ol. violaceo*, cum *ſale ſaturni*, fotus ex *aqua roſar. cum ſale Saturnino*.

18. *Vlcera mammarum*) Vlcera mammis, ſicut & reliquis partibus contingere poſſunt, vel primario ab humore acri & erodente, vel ſecundario cum ſuccedunt vulneri, vel tumori ſuppurato, contuſioni & ſimilibus, Eaſdem quoque patiuntur differentias cum reliquis ulceribus, vel enim ſunt ſimplicia & boni moris, vel maligna & complicata cum cauſa antecedente & ſymptomatis, unde fiunt phlegmonoſa, virulenta, cancroſa, ſordida, fiſtuloſa, dolorifica &c. *Primiroſius*.

19. *Notandumque*) Nota præterea hanc partem parum leviterq; comprimendam contrectandamque manibus, quod cito contundatur, unde livida plumbeaque apparet, ac tandem putredinem doloremque inſignem acquirat, indeque multa mammæ ſubſtantia pereat & corrumpatur.

Si quæ ſubſit *durities*, emollietur Emplaſtro *diachylo albo oleo amygd. dulc.* vel *lilior.* vel *adipe anſerino* rec. ſoluro vitanda autem ſunt Emplaſtra ſolida, quod hanc partem inflamment, & tranſpirationem impediant, ſed eorum loco cerata ſequentia uſurpabuntur.

℞. *Pulpæ rad. alth.* ℥iv. *pinqued. anat.* ℥ß. *medullæ cruris vituli & bovis* āā. ℥ß. *ſevi vaccini rec.* ℥j. *ol. amygd. d. & ceræ albæ* āā. *q. ſ. f.* Ceratum molle.

Si *ulcus dolorificum* ſit, circum circa linietur *oleo roſ.* in mortario plumbeo agitato, vel *ungu. roſ.* vel *ol. ovor.* in mortario plumbeo agitato: Vel applicetur *Catapl. ex mica panis, oleo roſ. lacte vitellis ovor. & pauco croco.* Vel

℞. *Diachyli albi* ℥iij. *ceræ albæ* ℥j. *ol. amygd. d. q. ſ.* fiat *Ceratum* molle.

Nota & *Turundas* debere eſſe molles & teneras, breves & tenues ex linamentis carptis; Penicilli molles & Pulvinuli leves & teneri ac ſine ſurura.

Cavendum autem ab uſu Fotuum, quod nimiam copiam materiæ ad partem attrahant: Sicut etiam ab uſu validiorum *reſolventium*, *repercutientia* etiam non erunt ex uſu, niſi quæ in primo gradu talia ſunt, ut oleum roſac. *Vigierius Chir. l. 3. c. 53.*

Si *callus* generetur, & minetur fiſtulam, mature dilatetur orificium, callus abſumatur *pulv. mercurii, ol. vitrioli & ſimilibus* cathæreticis & ſic renovato ulcere cura ordinaria inſtituatur. *Primiroſius l. 5. c. 5.*

20. *Quod non facile*) Hæc ulcera difficillime curantur, ob raram, ſenſibilem, glanduloſam & ſpongioſam partis ſubſtantiam, ut ait *Hippocrates l. de Gland.* Eſſe autem ait ex numero Glandularum mammas earum ſubſtantia indicat, quæ rara eſt, friabilis, σπογγώδης. Eundem cum glandulis uſum habere vult *Hippocrates* l. c. & ideo fluxioni recipiendæ maxime idoneæ, ob earum imbecillitatem; præterquam quod pluribus *vaſis* infarctæ ſunt per quas facile corrumpitur *humor* ſi pars intemperata ſit, unde fit quod ulcera mammarum diuturna ſint ob materiæ fluentis copiam & ſubſtantiæ raritatem, & ſi irritentur facillime cancroſa evadant. *Vigierius Chir. l. 8. c. 54.*

21. *Curentur*) Si ulcus à concretione lactis oriatur, *Diæta* tenuis imperanda erit, ut parum ſanguinis, & *chyli*, qui materia lactis eſt generetur; Si corpus plethoricum eſt *ſanguis mittatur* ex baſilica brachii, & ex ſaphena interna malleoli, deinde *purgabitur*: Applicabuntur etiam *Cucurbitulæ* coxis & hypochondrio dextro, non neglectis *Frictionibus* aſperis & *ligaturis* dolorificis partium extremarum. *Vigierius.*

22. *Propter lactis præſentiam*) Tutiſſima ratio curandi mammarum apoſtemata, evacuata materia, utque impediamus ne foramina facta diutius fiſtuloſa maneant, in eo ſita eſt ut lac omnino excludatur, non ſolum ex mamma abſceſſu tentata, ſi unica fuerit affecta, ſed etiam utraque, quia ſemper communicatio aliqua adeſſet: quo pacto citius faciliuſque ulcera curationem admittent; Eam in finem clyſteribus, purgationibus, humores ad inferiora deducentur &c. *Mauriceau.*

23. *Quod ad abſtergendum*) Vbi quovis modo facta eſt Apoſtematis apertio, cœpitque effluere pus, aliquid Balſami ſulphuris cujuſvis; terebinthinati, ſuccinati, aniſati: alteriuſve orificio indetur, atque emplaſtro conveniente, diapalma puta, vel alio tegetur: atque quamdiu Durities moleſta in mammis permanebit cataplaſma imponetur: Sic enim paulatim, & quicquid noxii Lactis ſupereſt ſuppurabitur, & ulcus mundabitur, conſolidabiturve brevi: Cum durities notata ſublata eſt, deſiſtendum ab ulteriori cataplaſmatis ablatione, ſufficitque ſolus Balſamus cum Emplaſtro laudato, vel alio e. g. diapompholygos, albo cocto. *Sylvius l. 3. c. 11.*

23. *Quod ad abſtergendum*) Factus abſceſſus mundificetur, partim ut grumi foras eliciantur, partim ne in ulcus fœtidum degenerent; Pro his commendatur *externe Empl. diachylon compoſ.* Item *oleum momordicæ*, per infuſionem (infund. poma momordicæ rubicunda) blanda manu inſtillatur in abſceſſum, Quod oleum eſt admirabile in abſceſſibus & ulceribus; In defectu hujus ſumitur *balſamus ſulph.* cum *ol. papav. vel amygd. dulc.* vel nobilitatus cum oleo deſtillato, & vel, ſolus vel ſi acrior fuerit mixtus cum *vitello ovi* applicetur. *Etmuller.*

Si ulcus ſit ſordidum, detergatur *hydromelite*, vel *œnomeliate, ſyr. de abſynthio, roſ. ſiccis, melle roſ. mundif. de apio, ungu. Apoſtol. ægypt. farina orobi & hordei* ſimul mixtis & coctis cum *apii ſucco melle roſat.* & pauca *terebinth. aqua hordei lota.* E. g.

℞. *Terebinth. ven. lota aqua hordei* ℥ii. *ungu. Ægypt.* ℥ß. *far. hordei & lupin.* āā ℥j. *pulv. myrrh. aloës* āā. ʒj. *mell. roſ. col.* ℥ii. *ſucci apii* ℥iii. *m. f. ungu.* Vel

℞. *Far. hordei & orobi* āā. ℥j. *pulv. myrrh. aloës & ireos Flor.* āā ʒj. *terebinth. lotæ aqua hordei* ℥j. *ſucci apii & abſinth.* āā. ℥iß. *mell. roſ. colat. q. ſ. fiat ungu.*

Hoc in corporibus tenellis, illud vero in firmis & robuſtis uſurpabitur: Iis illinentur turundæ & penicilli, & ſuperponetur *Empl. diapalma oleo roſ.* liquatum.

Si majori opus ſit deterſione, addetur unguentis præſcriptis *pulvis mercurii*, cavendo tamen ab omnibus medicamentis acribus & dolorificis, quod hæc pars cito irritetur & inflammetur. *Vigierius.*

24. *Ad conſolidandum*) Vlcere deterſo, ejuſque ſymptomatis mitigatis, carne & cicatrice obducetur ſequentibus.

℞. *Olei roſac.* ℥iij. *ſuccor. caprifol. & pervincæ* āā. ℥iß. bulliant ſimul ad ſuccorum conſumptionem, colaturæ adde *Ungu. aurei* ℥ii. *cortic. thuris, myrrhæ aloes, maſtich.* āā. ʒj. *ſangu. dracon. in lacryma* ʒiß. *ſyrup. roſ. ſiccis* ℥iß. *f. Vngu.*

Vlcere carne obducto, abluetur *aqua aluminoſa*, & poſtea ſuper imponetur penicillus *ungu. pompholig. deſiccat. rub.* vel *ungu. de plumbo*, ac deſuper penicillum cerata adhibebuntur ſequentia, quæ ſiccandi, glutinandi & partem roborandi vim habent.

℞. *Maſtich.* ℥ii. *nuc. moſch.* ʒj. *nuc. cupr.* ℈iv. *myrtill. & balauſt.* āā. ʒß. *pulv. ireos Flor.* ʒii. *ol. myrtill.* ℥ii. *ol. amygd. d.* ℥iß. *terebinth. Ven.* ℥i. *ceræ albæ q. ſ.* f. Ceratum. *Vigierius.*

25. *Adſtringens in quo*) Adſtringentia etiam circa mammam applicabuntur, *Vngu. de bolo, vel roſar.* vel *ceratum ſantal*, Supra humeros *Empl. de maſtich. & contra rupturam* ad humorum fluxus averſionem, *Vigierius.*

26. *Fiſſura*

26. *Fiſſuræ papillas*) Solent Fiſſuræ & rhagades in Papillis mammarum fieri, ſicut in labiis, ano & utero; vel à cauſa externa ut vehementi frigore, forti infantis ſuctione, vel ex ſeroſitatibus acrioribus exudantibus, vel ob lactis acrimoniam. Periculum eſt ne tandem in ulcus degenerent & papillam exedant. *Primiroſius.*

26. *Fiſſuræ Papillas infeſtant*) *Excoriantur*, quia *exulcerantur* plerumque Papillæ, ob infantum ſugentium os, hoc eſt labia, gingivas, palatum & linguam, ardore puſtulis, aphthis aliiſve ulceribus male affecta; Excoriantur aliquando ab *Eryſipelatis* quadam ſpecie, & à variis cauſis; febribus, aliis affectibus internis fœminas corripiente.

Excoriantur aliquando *ab ipſo* lacte ſponte ac continue effluente, ac per acrimoniam non minus excoriante quam ipſas mammas & partes vicinas ad quas pertingit.

Finduntur, quando levi inflammatione turgentes arctius conſtringuntur à gingivis, mordenturve à dentibus ſugentium; à quibus ſolis ſanæ licet, non raro finduntur.

Quando *excoriantur exulcerantürve* ob affectum quemvis infantium os ejuſque partes varias occupantem.

Curatio conſiſtit 1. in ſublatione affectus infantē urgētis 2. in curatione ac reſtitutione Papillarum excoriatarū exulceratarumve: *Affectus varii Infantium os* occupare ſolent, de quibus ſuo loco: Dum curatur, & inprimis poſtquam curatus eſt quivis affectus infantium os & ſalivam corrumpens, Papillis applicari debent auxilia, in *Excoriatione* quidem *æſtum*, ſi quis ſimul adſit temperantia, & blande exſiccantia.

In Exulceratione autem mundantia & conſolidantia; *Æſtum* temperant, *aquæ roſar. plantag.* & ſim. tum *mucago ſemin. cydonior*, *& gummi tragac.* cum dictis aquis paratum: tum *lactis cremor*, cui utiliter additur aliquid *cretæ albæ* in pollinem redactæ, à qua ſequitur quæſita exſiccatio, cum cætera utrumque præſtent, licet creta debilius.

In *Papillarum exulceratione* laudo *ſulphur. balſamum* quemvis, inprimis *aniſatum* infanti gratiorem; convenit quoque *Peruvianus.* Ubi *Eryſipelate* levi tentantur Papillæ, conducit idem *Lactis cremor* cum *creta* mixtus, ut & *aqua calcis vivæ cum mercurio dulci* decocta, quæ utilis eſt quoque in modo memorata papillarum exulceratione ac excoriatione.

In *Eryſipelate* autem, laudo *aquam ſambuci*, Non negligenda interim medicamenta interna, ſi præſertim aliqua *febricula* ſimul concurrit, quo in caſu præ multis aliis medicamentis utilia ſunt *Sudorifera* blanda: Ubi ab ipſo *Lacte ſponte continue fere effluente*, *ac acrimonia* ſua tum ipſas mammas vicinaſque partes, tum papillas rodente fit *excoriatio*, opus eſt medic. blande ac potenter exſiccantibus, *Lixivio* pura *calcis vivæ*, & ſimilibus.

Interim, ne novo lacte continuo effluente renovetur malum danda opera ut vaſe aliquo conveniente mammis applicato excipiatur colligaturque Lac quod ſubinde effundendum: Talia vaſa uſurpantur & vitrea, & alia ex laminis ferri ſtanno tecti ita adornata efformataque, ut mammis applicari poſſint abſque notabili preſſione, excipiendo papillas, & in loco inferiore ipſum Lac colligendo; Ubi *Fiſſuris* ſcatent *Papillæ* danda opera ut 1. quævis mala ipſas occupantia, inflammationes & ſimilia, ſine mora curentur. 2. Fiſſuræ ipſæ in tempore conſolidentur, in quem finem optimus eſt *Balſamus Peruvianus*, ut & oleum ceræ rite paratum. *Sylvius Pr. libr. 3. capite 11.*

Papillarum abſumptarum curatio

26. *Papillas*) Ad Papillas omnino vel ex parte emiſſas aliquo pacto educendas, eouſque ut infans per eas ſugere poſſit, *cupulam glandis*, *vel ſemiteſtam avellanæ*, *reſina laricea* vel alia impletam, illic ubi hæ deſunt, applicare, atque aliquandiu retinere ſolent mulieres. *Platerus.*

27. *Seu à ſectione &c.*) Sæpenumero nutrices, & ubi primum ubera infantibus præbent, obnoxiæ fiunt fiſſuris & excoriationibus papillarum, quibus exquiſitus ſenſus obtigit ratione plurimarum fibrarum nervearum eo pertingentium, unde acutiſſimus oritur dolor, iſque adeo intolerabilis ut ſudorem exprimat cum infans papillas apprehendit, adde quod lac non facile permeet, ſicuti ſæpe accidit primiparis, quo tempore cum id viam nondum nactum ſit liberam per anguſta papillarum foramina, infans multo majores conatus adhibet in ſuctione quam cum ſponte lac mammæ dimittunt; Nonnunquam vero ejuſmodi fiſſuræ & excoriationes in tantum augentur à continuata ſuctione ut tandem plane abſcedant papillæ, unde poſtmodum lactationi ineptæ fiunt mulieres, ſuperſtite ulcere quod aliquando vix ſanationem admittit.

Non raro & idem accidit, quod infantes adeo ſiti vel fame premantur, ut earum impatientes avide lac ſugant; quod cum non ex voto ſuccedit, papillas morſu apprehendunt ac maſticant, citius id allecturi ſive dentibus præditi ſint, ſive non, ut eas excorient ac tandem omnino abſtrahant uti dictum.

Fit & ſæpe ut quibuſdam infantibus oris interiora adeo ardeant, ut ideo papillæ exulcerentur, ut in iis qui aphthis laborant; eoque magis ſi lue venerea infecti fuerint, qua nutrices inficere quoque poſſunt; Ulcera vero à ſimili cauſa excitata remedia ordinaria reſpuunt, quin potius perpetuum incrementum habent. *Mauriceau. de Aff. Puerp. l. 3. c. 19.*

28. *Quomodo præcaveatur*) Mature obviam eundum iſtiuſmodi fiſſuris & rhagadibus, tum ratione ingentis doloris qui lactantes premit quando ubera præbent alumnis ſuis tum ad præcavendum incrementum perpetuum ac ne tandem in ulcera maligna abeant; Quapropter ſtatim ab initio; mater ſi fieri poteſt abſtineat à lactatione ad perfectam uſq; mali curationem, à continuo enim infantis ſuctu, adeoque continuataque irritatione, vix aliter fieri poteſt quin malū exaſperetur; interim ad tempus aliquod lac educendum erit, ne ceſſante omnino extractione, ſuboriatur in mamma inflammatio à lactis exuperantia inducta, Attamen ſi unica papilla affecta fuerit, alteram præbere licet; Admoveantur etiam iſtis papillis excoriatis tantillū *olei ceræ novæ* per aliquot dies, poſtmodum ad exſiccantia deveniendo. *Mauriceau.*

Moleſtiam inſignem inducebant uxori meæ fiſſæ papillæ cum ubera proli porrexit, quam ſævus ſit ille dolor oſtendit & partis natura, ad quam plurimi nervorum ſurculi exporriguntur, & leipſoſychia aliquando ſævi doloris comes: In nutricibus malum incurabile eſt, quia ſubinde ab alumno refricatur malum, Quę papillas exertas habent, dolorem præcavent admoto papilliformi inſtrumento, digitali ſimili; quibus retractæ & parvæ inutile illud eſt; ſed nec omnes infantes id apprehendunt: Certius in præſervatione auxilium, ſi gravidæ aliquot partuum hebdomadis amygdalino dulci illas oblinant. Hoc euporiſto uſa uxor mea, deinceps impune liberis ubera porrexit.

29. *Curantur*) In uſum ducendum ſunt remedia deſiccantia, e. g. *aqu. aluminoſa*, *aqua calcis*, vel ſæpe madeſcant *aqua plantaginis* imponendo linteola mollia prædictis aquis immerſa; Vel imponatur *Emplaſtr. ceruſæ*, aut *diapomphol.* aut inſpergatur *pulvis amyli*, ſed præſertim, cavēdū ne quicquā adponatur quod ſugēti puello diſpli-

ceat, vel illi nocere queat; quamobrem nonnullis ſufficit *mel roſaceum*, (*quo præſtantius eſt ſyrup. roſar. rubr.*)

Nonnulli vice exſiccantium emollientia adhibent; at diſtinctione hic opus eſt; nam Emollientia quidem ex uſu ſunt in fiſſurarum præſervatione; his vero jam obortis, ad exſiccantia confugiendum: Ne vero patienti noxa aliqua accidat in partibus dolentibus, neve lintea adhæreant, extremæ papillæ imponendus eſt *pileolus ex cera vel ligno* confectus, aut etiam ex *plumbo*, ut efficacius exſiccet, ſed plurimis foraminibus pervius, tum ut concedatur exitus ſaniei exudanti ex ulcuſculis, tum ut lac, non raro ſtillans hac via effluat.

Si forte infans papillas omnino truncaverit, tum ut lac diſpereat curandum, quo quam cito fieri poterit exſiccentur excitata ulcera; alias cura vel impoſſibilis vel admodum difficilis, præterea ſucceſſu temporis callum aut cacoëthiam fortaſſe contraherent.

Sin porro infans morbo Venereo laboraret, tum non parvum negotium daret ulcera inducta papillis nutricis quamdiu is ſugeret; quapropter alia nutrix ſubſtituenda, cui remedia luis præſervativa exhibenda ſunt; Sin ſolùm ulcuſcula levia os infantis obſideant, malignitatis expertia, id *aqua hordei* eluendum cui tantillum *ſucci mali citrii* inſtillatum fuerit: Temperandi vero gratia humores incaleſcentes, utatur Nutrix victu refrigerante, ut lac generetur conſimile; purgatione etiam & ſanguinis miſſione inſtituta ſi res exigat.

Papillæ ſi plane abſciſſæ fuerint, vix fieri poteſt ut mulier deinceps lactationi ſit idonea, quod infans nihil habeat quod apprehendat, adde quod foraminula papillarum occludantur ab ulcere, Si tamen ubera præbere exoptaverit, alteri mulieri ubera præbeat, quæ alias papillas efformet, poſtquam ulcera curata fuerint, quæ oris ſuctu foras alliciat; eoque pacto extricet radicem papillarum; Vel id fiat uſu inſtrumenti vitrei, cujus ope ipſamet mulier extractionem moliri poterit quinquies aut ſexies in die, Vtque id quod elicitum fuerit formam papillæ obtineat & conſervet, Ne iterum intra mammam abſcondatur, admoveat pileolum ligneum, aut ex aliis materia cõcinnatũ; qua ratione paulatim, poſtquam papillæ formam adeptæ fuerint, & foraminibus perviæ, infanti mammas præbere illi licebit. *Mauriceau.*

Debent ablui mammæ pauco *vino albo, aqua roſac.* vel *roſar. decocto & plantag. urina pueruli*, & ungi *ungu. de plumbo* vel de *tuthia*, Vnguntur quoque *butyro rec. ol. ovor. larido liquefacto & aqua roſ. loto*, vel *mucilag. ſem. cydonior. & pſyllii* extracta cum *aqua roſar. & ſolani*, *Pomata*, cum *tuthia & ceruſa*, vel *lacte chalyb.* aut *aſinæ Laminam plumbi aqua aluminoſa* irroratam quidam adhibent, vel *ol. amygd. d. myrrh.* cum *cera alba*; *ol. de cera* frequenter illitum convenit: *Pulvis tuthiæ* cum *oleo lil.* vel *ungu. roſaceo.*

℞. *Vngu. popul. de plumbo* ãã. ℥j. *opii gr. V. MS.* Laudatur ab *Amato*.

Ex *Cancris vivis* contuſis, *coagulo vitulino*, cum *cremore lactis* ſimul coctis & expreſſis fortiter fit linimentum præſtantiſſimum: Ex *gummi Arab tragac. in aqua roſar.* diſſolutis fit mucilago optima. Solum *ſacch.* inſperſum quibuſdam profuit, abſterget & mundat levia ulcera quæ poſtea Natura ſponte ſanat. *Primiroſius.*

De mammarum vitioſa gracilitate.

Hoc vitium cauſas habet magnitudini mammarum contrarias, internas ſcilicet atque evidentes.

Internæ ſunt glandularum parvitas; pinguedinis defectus, ſanguinis paucitas, anguſtia meatuum ac vaſorum in Mammis, evacuationes ſpontaneæ multæ, morbi chronici & acuti, ſanguinem mammarumque ſubſtantiam depaſcentes, quam ob cauſam aliæ etiam partes marceſcunt, ſenilis ætas.

Evidentes ſunt ea omnia, quæ ſanguinem conſumunt, ut inediæ, vigiliæ juges & indeſinentes labores, curæ, ſolicitudines, mœror & luctus. Ad hæc medicamenta repellentia, adſtringentia, avertentia, veſtes arctiores. *Sebiſius Manu. p. 789.*

Gracilitatis cauſæ ſunt quæ alimentum aut imminuunt, aut à mammis repellunt, vel revellunt, *Imminuũt* inedia &c. æſtus caloris ambientis, ulcera interna, ut pulmonum, hepatis, totius corporis temperatura ſiccior, vacuationes &c. *Repellunt* adſtringentia omnia, & comprimentia, frigida, narcotica. *Revellunt*, frictiones partium inferiorum, cucurbitulæ, menſium provocatio.

Curatu difficilis eſt affectus, qui graves ſequitur affectus & periculoſiores. *Primiroſius.*

In calidis, ſiccis macilentiſque corporibus, & quæ ſunt rariori habitu prædita, mammæ natura tenues & exiguæ majores vix fieri poſſunt. *Sebiſius.*

Decrementum Mammarum cauſam habet defectum ſanguinis, vaſorum anguſtiam in mammis, & quidem ſpecialius magis obſtructionem, Coalitionem, conſtrictionem, ab humoris, ſeu ſanguinis craſſioris affluxu, tumore mammarum, ulcere, &c. Ipſarum mammarum debilitatem, ſive connatam, ſive adſcititiam, ex lactatione maxime frequenti inductam. *Blaſius. Ther. ſpec. pagina 307.*

Si ab affectibus conſumentibus, ut hectica febri conſumente, phthiſi dependeat, curari debet victu analeptico, polytropho, *lactis potu, juſculis, gelatinis*, *balneis* humectantibus: Cauſæ tamen ſemper eſt habenda ratio, nam febri ardenti refrigerantia conveniunt, Vacuationibus immodicis adſtringentia, Interea foveantur mammæ *lacte tepido, fotibus* emollientibus & humectantibus, *ut oleo amygd. d. de nuce Indica, decocto capit. inteſtin. vervecis. cum malva parietar. flor. Sambuci.*

Si gracilitas iſta nativa ſit, nec ex ullo affectu conſumente dependeat aut ſi ſanguis craſſior ad mammas aſcendere non poſſit, attrahi debet blandis contrectationibus, frictionibus, cucurbitulis mammis appoſitis, fotu vini albi & aquæ tepentis; Tum etiam in contumaci malo *dropax* & levis ſinapiſmus ipſis imponi poſſunt, ſed diutius illic ne retineantur, nam calore vehementi ſanguinem attractum reſolvere, atque etiam inflammationem generare poſſunt: Fieri poſſunt ex *pice in oleo* diſſoluta vel ex *ficubus in aqua decoctis* quarum ℔j. addatur *ſinapi* ℥j. *Victus* ſit incidens & attenuans, ſed non deſiccans, alimentoſus potius quam medicamentoſus. *Primiroſius l. 3. c. 1.*

Curatio tentari poteſt per *cibos boni* ſucci multumque nutrientes, Per ea quæ venas aperiunt & ſanguinem ad mammas attrahunt, quæque mammas calefaciunt, ut ſanguis alliciatur; Removendo ea quæ ſanguinem repercutiunt, conſumunt, & ad loca alia avertunt: *Calefiunt* mammæ *fomentis* & inunctionibus calorificis; frictionibus cum calefactis linteaminibus, emplaſtris & dropacibus.

Aperiuntur venæ, ſanguiſque ad mammas adducitur, iis quæ ſunt *anaſtomotica*, ut ſunt Radices *apii, fœniculi, ononidis, aſparagi, petroſelini, Herbæ roriſmar. hyſſopi, thymi, majoranæ, ſatureiæ, ſerpilli, pulegii, petroſelini, Semina aniſi fœnic. carvi, dauci, ſeſeleos, petroſelini, ammi, amomi. Sebiſius.*

De Mammis mollibus, flaccidis, Pendulis.

Cauſæ iſtius vitii ſunt mammarum exhauſtus, quem facit crebra ſuctio infantis, conſumptio pinguedinis & glandularum, quæ ab iis cauſis proficiſcitur à quibus mammarum gracilitas dependet.

Curari poteſt in junioribus; in vetulis & quæ ſæpius pepererunt abſque lacta runt, nequaquam, Lactantes autem,

autem, ſi jam ſint facti grandiuſculi, ablactentur, ſanguis generetur laudabili & liberali diæta, iiſq; ad mammas invitetur. Mammæ blande fricentur, ut ſanguis alliciatur.

Laxitas & mollities adſtringentibus emendetur topicis. Applicanda ergo decocta, fomenta; unguenta, emplaſtra adſtringendi ſiccandique virtute prædita, cujuſmodi ex ſimplicibus ſunt.

Radices *tormentillæ, biſtortæ, pentaphylli, plantaginis.*

Folia *centinodiæ, burſæ paſtor. hippuridis, plantaginis, anſerinæ. rubi, fragorum, millefol. Leviſtici, myrti, quercus, cupreſſi, ſalicis.*

Roſa rubr. balauſtia, baccæ myrthi, nuces cupreſſi, glandes querc. malicorium. Alumen, aqua aluminoſæ, Bolus Arm. terra Lemnia, &c. Sebiſius.

Ad pendulas & rugoſas mammas, Ex *putamine ovorum perdicis & cera fiat Ceratum, vel Illitio*, Eas erigit. Aliud

℞. *Radic. lilior. alb. cum cera & oleo fiat Ceratum.*

Epidemium uberibus illitum ea recta ſervare poteſt, *Montuus Anaſc. morb. p. 302.*

Muſcus pruneoli ſylv. in aceto forti coctus & expreſſus, mammis flaccidis impoſitus, eas valde conſolidat. *Weickardus Th. p. 5.6.*

Cap. XXX.

De Symptomatibus Mammarum.

De Lactis defectu, redundantia, & coagulatione.

I. DEfectus [2.] *lactis* accidit, vel [3.] ſanguinis, vel [4.] facultatis lactificæ, vel [5.] papillarum vitio.

I. *Sanguinis*, 1. [6.] quando is deficit, vel propter [7.] *externas cauſas*, inediam nempe, vigilias, ſudores, evacuationes nimias, inprimis poſt partum vel propter *internas*, morbos ſcilicet exſiccantes, intemperiem hepatis ſicciorem & alia, Et *tum* [8.] ſigna ab antecedentibus ſumuntur: [9.] ad generandum ſanguinem [10.] proſunt cibi multi & boni ſucci, inter quos juſcula ex contuſo pullorum, gallorum gallinaceorum, caponum, vinum tenue, &c. 2. [11.] quando idem evadit craſſus. Et tum, lac eſt craſſius, habitus mulieris pituitoſus vel melancholicus. Exhibenda diſſolventia.

II. [12.] *Facultatis lactificæ*, [13.] quando mammæ ſanguinem aut non attrahunt, vel [14.] attractum in lac mutare nequeunt: ſeu *abortis*: Et tum [15.] fœminæ poſt partum lac non generant, mammæque ſunt naturæ nimis parvæ, rugoſæ & contractæ: ſeu ob *intemperiem frigidam* per frigidorum ad mammas quando turgere incipiunt applicationem, vel alio modo contractam. [16.] Et *tum* fomenta calida ex decocto *cumini, apii, menthæ* applicanda; vel aliquod cataplaſma ex fol. fœniculi, petroſelini, cum farina hordei & ſtyrace calamita apponendum. [17.] Laudatur aliàs [18.] ad lactis generationem, [19.] *Chryſtallus* [20.] *præparatus*, [21.] folia, radices & ſemina [22.] *fœniculi* recentia: *pulvis* [23.] *lumbricorum terreſtrium* [24.] vinô albo, & ſucco fœniculi lotorum in furno exſiccatorum, vel in olla combuſtorum pulvis, dr. j. pondere ex vino albo horis matutinis exhibitus, pulvis ex *cryſtall. præpar.* unc. ſ. *ſeminis fœniculi* dr. ii. *cinnamomi* dr. j. compoſitus.

III. [25.] *Papillæ*, quando ea [26.] vel latet, vel non eſt perforata.

[1.] *Defectus Lactis*) Etſi hæc excretio naturalis Lactis, *Lactatio* dicta (quæ per papillas ſuctione infantis, eo tempore cum mulier illum enixa eſt, eo uſque donec aliquantum adauctus ſit procedere debet) non adeo matri neceſſaria ſit ut niſi lactet omnino lædatur, cum multas videamus ſtudio, ut habitiores fiant, mammillaſque elegantiores retineant, ſui ipſius corporis venuſtati potius quam liberorum commodo ſtudentes à lactatione abſtinere, nec proin lædi, quod tamen etiam aliquando accidit, quando plethoram ſibi, vel in mammillis inflammationem ob neglectam lactationem accerſunt, Tamen quia infanti hoc utile, quem mater vel nutrix lacte alere debet, ſi tunc fieri nequear, quia incommodat, *Defectus* quoque hujus functionis appellatur. *Platerus.*

[2.] *Defectus lactis*) Lactis defectus eſt cum tempore debito, & à natura conſtituto, mulier vel nullum lac habet, ἐγαλακτίαν vocat *Pollux*, vel admodum exiguam, ut infantis nutritioni ſatisfacere non poſſit.

Eſt ſymptoma in Excretis, ſecundum *Altimarum &* alios, quia excrementum illud utile non adeſt. Verum id negat *P. Salius*, nam ſymptomata in retentione excernendorum ſupponunt excrementorum præſentiam, quæ non poſſunt excerni; Hic autē Lac quod deficit retineri non poteſt: Verius igitur refertur ad actionem læſam, cum pars Lac non generet, ſive ob debilitatē facultatis, ſive ob errorem externum, ut defectum materiæ. *Primiroſius lib. 5. c. 7.*

De Lactis proventu augendo, vel minuendo dicturis, operæ pretium videtur quædam ex Phyſiologicis repetere. V. g.

1. Lactis γένεσιν prærequirere in corpore abundātiā alimēti individualis, non minus ac menſes, quæ niſi adſit vel procuretur, Lac produci ulterius nequit, unde ſi vigiliis, mœrore, inedia abſumatur corp⁹, Lac ſuppetit min⁹.

2. Lac eſſe nil aliud quam ſerum chyloſum, ſeri & ſanguinis alias materiam, huc fermēti, glandoſi, & tubulorum ſecretoriorum beneficio impenſam alii ſcopo, ut alteri nēpe detur, citra ipſius individui uſum proprium.

3. Mammas ex infinitis glandulis conſtare, iiſq; minoribus, vulgo conglomeratis dictis, & ordinarie lympham ad cor diſpenſare magis ad lactis vero productionem opus eſſe excitativo, ſive impulſu, ſive fermento actuali, Eſt illud partim internum, naturæ motus, ut alatur fœtus jam in lucem editus, qui finis unicus eſt, ceſſante vero eodem, etiam Lac ceſſat, & ceſſare debet.

Hinc plura phænomena poſſunt illuſtrari, inprimis *Gravidas Lac non habere, nec virgines*, Deus enim & Natura nil faciunt fruſtra, ceſſante ergo fine, ceſſat etiam id quod ejus gratia inſtituebatur; Decipiuntur ſane Medici, qui inter ſigna graviditatis recenſent lactis præſentiam; illud enim eſt contra experientiam quotidianam, Loquun-

tur contra authoritatem ipſius *Hippocratis*, qui *libro de Nat.Pu* ix.11.12.13. expreſſe contrarium ſcribit, *Cum movetur*, ait, *fœtus, tunc ſane lac indicationem ſui matri præbet, mammæ enim attolluntur, & papillæ gliſcunt ac turgent*, addit vero, τὸ δὲ γάλα οὐ χωρέει, *lac vero non prodit*, Innuens manifeſto non negligendas quidem mammas, ſed non ac expectandum actu præſens, quod edito demum fœtu, ut *capite 22.ſequ.* ſuccedit, ubi, *Et ubi peperit mulier; principio motus facto* (intellige naturæ impulſum, quē diximus) χωρέει τὸ γάλα ἐς τοὺς μαζούς, *lac in mammas ipſas procedit*, ſi lactaverit. Notanter utrumque nominat, internum & externum impulſum, Loquuntur contra rationem omnem; nullus enim finis lactis, imo potius lac præſens fœmina geſtante fœtum notat debilem & moriturum; Indicio quippe Naturam ſine priori relicto alterum jam intendere: Unde lac & menſes ſunt ſororii liquores, unice ſpeciei producendæ dicati. *Wedelius Ani.m.m p.416.*

2. *Lactis*) De Lactis proventu augendo vel minuendo dicturis, operæ pretium videtur quædam pauca ex phyſiologicis ſupponere, v.g. (1.) Lactis γένεσιν præſupponere in corpore abundantiam alimenti individualis, non minus ac menſes; quæ niſi adſit vel procuretur, Lac produci ulterius nequit; unde ſi vigiliis, mœrore, inedia abſumatur corpus, lac ſuppetit minus. (2.) *Lac* eſſe nihil aliud quam *Serum chyloſum*, ſeri & ſanguinis alias materiam, huc, fermenti glandoſi, & tubulorum ſecretoriorum beneficio impenſam alii ſcopo, ut alteri nempe detur, citra ipſius individui uſum proprium. (3.) Mammas infinitis glandulis conſtare, iiſque minoribus, vulgo conglomeratis dictis, & ordinarie lympham ad eos diſpenſare magis: Ad Lactis vero productionem opus eſſe excitativo, ſive impulſa, ſive fermento actuali; Eſt illud partim *internum*, Naturæ motus, ut alatur fœtus jam in lucem editus, qui finis unicus eſt, ceſſante vero eodem, etiam Lac ceſſat, & ceſſare debet, Hinc plura phænomena poſſunt illuſtrari, inprimis gravidas lac non habere, nec virgines: Deus enim & Natura nil faciunt fruſtra, ceſſante ergo fine, ceſſat etiam id quod ejus gratia inſtituebatur; Eſt illud quoque partim *externum*, nempe ſuctus, unde ſi vel fœtus fuerit mortuus, vel ablactatus, vel papillæ deſint, quod à variolis in fœmina quadam pagana obſervavimus, Lac ceſſat, licet aliquando ſæpe ſtagnet, & ob moleſtiam imminuendum ſit. *Wedelius A.m.m.p.416.*

3. *Lactis*) Definiri poteſt Lac quod ſit *Succus albus & dulcis*, temperate calidus & humidus in mammis glanduloſis ope ipſarum temperiei, ſeu εὐκρασίας generatus, ex convenienti materia ad fœtus nutritionem. *Ioh. Iac. Harderus Diſſert. de Humor. c.10.* Vide §. *Defectus Lactis.*)

Vel ſanguinis) Veteres perpendentes quod fœminæ lactantis, utplurimum menſes ſoleant ſubſiſtere, quod eadem lactans, & in utero rurſum concipiens, non tantum ſumma ſoleat affici perturbatione, verum etiam multa lactis deperditione non raro infeſtetur; Quod illæ quibus per ætatem critica menſium evacuatio ceſſat, viciſſim etiam lactis in mammis generationem non amplius videant; Quod inſuper ſummus uteri cum mammis ſit conſenſus, ope vaſorum epigaſtricorum & mammariorum, Quod item obſervatum ſit virgines menſtruis ſufflaminatis lac generaſſe, Vide *aph.39.5.*

Propter has rationes Veteres materiam lactis ſanguinem menſtruum poſuerunt; Verum enim vero, ut præter hoc quod neque viri, in quorum mammillis non raro; neque bruta, in quorum uberibus ordinaria naturæ methodo *Lac* generatur, menſtruum ſanguinis fluxum patiuntur, nihil dicamus, ſunt aliæ rationes quibus objectionibus præcedentibus ſatisfieri poteſt.

Prima eſt, quod falſo aſſeratur vaſa epigaſtrea cum mammariis per anaſtomoſin jungi, hinc magnum eſſe cum mammis cum utero conſenſum: quod in ſanguin ab utero ad mammas fiat refluxus.

2. Quod non ſit abſoluta verum omnibus lactantibus menſtrua ſubſiſtere, plures enim dantur quæ etiam tempore lactationis menſtruæ purgationi ſunt obnoxiæ; Neque etiam perpetuæ veritatis *aph.39.5.* Quod quæ neque concepit, neque peperit, & tamen lac in mammis habet, neceſſario menſibus orbata fuerit.

3. Quod ſanguis menſtruus talis ante vocari non debeat quam eo ipſo momento quo tanquam lunare tributum erumpit, naturæ alias oneri futurus: quis autem cruorem hunc profluentem lactis dixerit materiam, Imò quis ſanguinem hunc ſecundum veteres crudiorem, minuſque ſubig. aptum, imo ſecundum quoſdam venenoſum, pro lactis materia unquam agnoverit.

Aliqui ex Recentioribus aſſerunt *cauſam materialem lactis eſſe chylum*, per vaſa chylifera propria immediate ad mammas delatum, At res certa eſt talia vaſa lactea, materiam lactis ad mammas immediate defferentia non reperiri; prout nec illa quæ tempore geſtationis ad uterum immediate pergere finguntur.

Alvi via hac præcluſa, dicunt lactis materiam eſſe ſubſtantiam quandam chyloſam, per arterias ad mammas deferri ſolitam nempe, ajunt, chylus qui in vaſa convenientia ex ventriculo & inteſtinis recipitur, & ad cor defertur, levi facta in hac mutatione per arterias thoracicas in glandulas mammarum deponitur, ibique in lac mutatur, & quamvis non negent aliquam portionem in ſanguinem tranſeundo mutari, non tamen id omne quod tranſit in humorem eandem converti contendunt.

Probant id & ab experientia; obſervatum enim chylificatione peracta ſanguine V.S. emiſſo corpus quoddam albicans, vel potius gryſeum, gelatinoſum, innatare, certo indicio adhuc aliquid materiæ chyloſæ, nondum in ſanguinem tranſmutatæ, adeſſe: At vero aſſertum hoc valde anceps 1. quia chylus in ſanguinem convertendus inſtillatur guttatim non multa copia uno ictu, unde vix ac ne vix probabile eſt quod ita ſenſim in ſanguinis oceanum infuſus, per varia vaſa tranſeundo ſanguinis tincturam non ſit adepturus. Quia corpus illud gryſeum innatans, chylum neque colore neque conſiſtentia refert, imo ſe videndum non exhibet niſi ſanguine refrigerato, & in partes ſemen quaſi jam ſecante liquore antea eodem omnino & homogeneo exiſtente.

β. Depromptum eſt à ſenſu, quod *Lac*, quod vel emulgetur, vel ab infante exſugitur, chylo, ſubſtantia, colores aliiſque qualitatibus ſimile eſſe conſpiciatur, Aſt nec hoc caret difficultate, quoniam Lac liquor eſt chylo multo præſtantior, & ut ait *Nob. Peyerus*, Si chylo mero lac conſtaret, non opus foret glanduloſa mammarum ſubſtantia, ſed ſimplex ſufficeret membranæ conceptaculum. Accedit huc, quod lac longe magis ſapidum, dulcius & omnino nobilius ſit quam chylus, neq; enim ſanguini, ex quo illud derivabimus ſua deeſt dulcedo.

Rejectis illis opinionibus, adſtruimus *Cauſam materialem lactis* eſſe ipſummet *ſanguinem*, & hunc recentiſſimum, imo quaſi ejus florem, ſive cremorem; (ſuccum nutritium alii dicunt, ſive chymum) è chylo ſanguini recenter affuſo, prodeūtem; Veritas apparebit conſiderando Naturam, quæ prius ſuccum nutritium ad fœtum per arterias uterinas copioſe deferebat, tempore lactationis contrariæ inſiſtere viæ, ab inferioribus pergendo ad ſuperiora; Via hac ita pro certo temporis ſpatio omiſſa, quis non videt neceſſe eſſe ut menſtrua ſubſiſtant, non quidem propterea quaſi ſanguis menſtruus lactis naturam indueret, ſed quia ſubtiliſſima ſanguinis portione, hacque maxime nutritia in materiam lactis faceſſente, reliqua portio corpori nullas faceſſit moleſtias: Quamprimum autem novus factus fuerit conceptus, natura ad opera naturalia redit, fœtuique in mammis alimentum non

amplius neceſſarium eſſe reputans, urgentiori ſatisfacit humoremque hunc nutritium, ſi conceptus acciderit, per arterias deducit ad partes uterinas; Si vero quædam ſunt, quæ quamvis operi lactationis vacent, nihilominus menſtrua patiuntur, in hiſce vel plethoram accuſamus, viſcerumque εὐνεργείαν, quæ non tantum de ſufficienti copia lactis infanti recens nati proſpiciunt, verum etiam totum corpus majori ſanguinis copia, quam illi non opus foret beant; Vel in externam aliquā cauſam, aliaſve in corpore factas turbas idem conjicimus. Neque hoc quis objiciat naturam retrogrado procedere ordine, dum humorem albicantem, quem modo in rutilum mutarat, jam rurſum in lac convertit, At liquoris genitalis generatio perpendenda, ex ſanguine fieri ſolita, &c. *Idem ibidem.*

2. *Defectus Lactis accidit &c.)* Obſervatur Lactis generatio variis modis lædi, 1. cum *Nulla* fit. 2. cum *nimis Pauca*, 3. cum *Nimia*, 4. cum *depravata*, in *colore, ſapore, conſiſtentia* &c. Lactatio certe rum ratione matris vel nutricis, tum lactantis locum habere nequit ut lac generatur, ni è mammis effluere poſſit, Ideo de Lactis generatione agendum; *Nulla* fit, nunc ipſarum mammarum, ſive fermenti lactiferi, nunc ſanguinis (aut chyli) culpa: *Mammarum*, aut *fermenti lactiferi*, quoties ineptæ ſunt mammarum glandulæ ad ſuccum illum & *fermentum Lactiferum* vocandum præparandum; Quoties iſtud in totum deficit, aut iners exiſtit, deficiet quoque Lactis generatio, hinc & lactatio. Deficiet in totum, haud dubie Glandularum in mammis exiſtentium vitio & inprimis ſolidiorum; Notum enim firmiores, ſolidiores, durioreſque obſervari plerumque mammarum Lac minime producentium Glandulas: Nec mirum in Glandulis durioribus ac ſolidioribus minus parari poſſe quoſvis liquores, quippe qui earundem raritatem deſiderant, ut in ipſis, & per ipſas moveri queant & alterari: *Solidiores* ac denſiores erunt iſtæ mammarum Glandulæ, tum à conſtitutione propria, tum ab externis rebus puerperam ad ipſarum incrementum impediendum impoſitis, Auſteris puta & ſimilibus: Nativum vitium petendum videtur à *Succo auſtero* in melancholicarum corpore exiſtente, atque tum maxime quando fœminæ incipiunt fieri puberes, mammæque naturale augmentum capere; quo tempore ſi mœrore afficiantur, halituſve auſteri quaquaverſum attollantur, non mirum ſi mammarum Glandulis novam mutationem ſubeuntes, ideoque variis modis alterari aptiores, præ aliis partibus omnibus male afficiant, ipſiſque noceant. *Sylvius Pr. lib. 3. c. 10.*

2. *Defectus Lactis accidit vel ſanguinis, vel Facultatis lactiferæ, Vel Papillarum vitio)* Lactis è mammis effluxus naturalis fit per Papillas, qui præter naturam læditur modis variis 1. cum Nullum 2. cum Paucius quam decet effluit, 3. cum difficulter ac cum dolore, 4. cum effluit ſponte ac ſine ſuctu; 5. quando effluit cum lactantis debilitate, 6. cum per vias inconvenientes, non per papillarum tubulos, 7. cum lactis loco effluit pus, ſanguis, ſanies, aliuſve humor à lacte diverſus: *Nullum Lac* effluit, etſi præſens ſit in mammis, vel ipſius Lactis, quod puto frequentius; vel viarum, quod exiſtimo rarius, vitio. *Lactis culpa* id evenit cum id coagulatur concreſcitque in ſuis vaſis, ipſiſque adeo mammis. *Ratione viarum* per quas ſolet fluere; quas inprimis conſideramus in papillis, per quas ex ſuis cavitatibus, vel canalibus in mammis exiſtentibus, & lac continentibus exſugi, expellique aut emulgeri ſolet, Illud autem evenit cum Tubuli iſti, vel in ſuo exortu, vel in progreſſu anguſtati ſunt, & quidem ſæpius per compreſſionem, rarius per obſtructionem: *Comprimi* ſolent à tumore aliquo, aut in papillis ipſis aut circa ipſas in mammis exiſtente, ac præſertim ab inflammatione, *Obſtructio* rarius videtur in omnibus iſtis tubulis habere locum, quod tamen ſi fiat, fiet à lacte coagulato, quod haud eveniet facile, niſi à frigore inopinato & graviter ipſas afficiente, lacque in ipſis calens coagulante: *Inflammatio*, tum in *papillis* ipſis, tum in parte mammarum ipſis vicina, ortum habet à ſanguine extra ſua vaſa effuſo, & partes circumjacentes angente & anguſtante. *Curabitur* hæc inflammatio medicamentis in *Lactis coagulatione* dictis, ac inde orta inflammatione, Cataplaſmatis præſertim forma uſurpatis; ubi vulgo notis Emollientibus, ſi jungantur ſalia volatilia blandiora, plurimum præſtabunt, ac ſæpe ſanguinem diſcutient ſine ſequente ſuppuratione, quam ſemper conabitur prævenire Medicus: Quod ſi inflammatio neceſſario tendat ad ſuppurationem, medicamentis laudatis hæc facilitabitur & promovebitur, adeo ut cum doloribus tolerabilioribus perficiatur. Ubi maturum fuerit *Apoſtema* hoc exiguum, ſponte fere aperietur, & *balſamo ſulphuris* aniſato brevi curabitur, *Obſtructio* ſi quæ oriatur in Tubulis papillaribus ex coagulato in ipſis lacte, curabitur ipſa feliciter *fotu aromatico, & ſale volatili* eidem juncto.

Secunda Læſi Lactis motus ſpecies eſt, cum *Lac paucius* quam decet effluit è mammis, etſi præſens adſit, quod fit nunc ob ſui, nunc ob viarum vitium; *Lactis* culpa diminuitur ejus effluxus cum naturali craſſius eſt & glutinoſius, (*Vide cauſas & curationem* §. Danda autem opera ut quamprimum curetur hoc malum, quod neglectum fit gravius, ſuppreſſo in totum lactis effluxu, unde inflammatio, ſuppuratio &c. uſurpanda igitur in tempore Aromatica, & ſale volatili abundantia, tum interna tum externa, quorum ope lac attenuatum, fluidiuſque factum, motum ſervet denuo naturalem: *Viæ* per quas fluit Lac in cauſa ſunt Diminuti ejuſdem effluxus, quia anguſtiores ſunt, (vide §.)

Tertia læſi Lactis effluxus ſpecies eſt quando *cum difficultate*, moleſtia & dolore elicitur effluitque; *Difficulter* effluit quando anguſtæ ſunt ejus viæ, *cum dolore*, quando inflammatæ ſunt mammæ, vel Papillæ, 2. cum *Excoriatæ, exulceratæve.* 3. cum *fiſſæ*, alitérve male affectæ ac dolentes.

Quarta læſi Lactis effluxus ſpecies eſt, cum id *ſponte effluit ſine omni ſuctu*; Obſervatur Lac f. n. colligi ſenſim in mammis, atque tandem ponderis ac diſtenſionis ſenſu fœminas urgere; unde judicavi in Ductibus lactiferis mammarum, ubi papillaribus committuntur, valvulas quaſdam eſſe, quarum ope ſiſtatur lac, ne ſponte effluat; quæque preſſione papillarum per infantis labia ita conſtituantur ut exitus illi pateat liber: Cum proinde abſque ſuctu ſponte effluit lac, toties valvulas illas laxiores arbitror, adeo ut minus exacte claudant Tubulorum bipartitorum commiſſuras: Cum autem nunquam caſum hunc viderim audiverimque curatum, hinc quoque nullum curando illi habeo remedium; etſi putem medicamenta blande aromatica, ſimulque ſubadſtringentia forinſecus applicata, ſi non proſint multum, ſaltem aliquod præſtare poſſe.

Quinta *læſi Lactis Effluxus* ſpecies eſt cum id effluit cum lactantis debilitate, de qua vide §. *fac lactifica.*

Sexta *læſi Lactis motus* ſpecies eſt cum effluit Lac per vias minus convenientes, *Apoſtematis puta aperti* orificium; (vide §. *a.*

Septima *læſi Lactis motus* ſpecies eſt cum ejus loco vel ſanguis, vel pus, vel ſanies aliuſve humor effluit exugiturve per papillas: Evenit enim aliquando, ut: vel una cum Lacte, vel poſt tantillum lactis prodeat ſanguis, qui deglutitus ab infante facile corrumpitur in ejus ventriculo, ipſique noxas affert multas: *Prodit* autem *lactis loco Sanguis* quoties, ut cenſeo, in mam-

marum glandulis non mutatur idem in lac, ſive avidius eliciatur & copioſius è mammis lac, adeo ut in lac non poſſit mutari ſanguis tam cito: Sive ſuctu vehementi lædantur vaſa ſanguinea, ubi committantur mammarum ſubſtantiæ glanduloſæ, adeoque non accedat guttatim, ut ita dicam, ad notatas glandulas ſanguis, ſed confertim, prodeatque minime, minus ſaltem quam decebat, mutatus per papillas: Hinc eſt quod plerumque antecedentem mammarum dolorem ſequatur ſuctus ſanguineus: Quocunque autem id fiat modo, *curabitur* feliciter uſurpato in mixtura cujuſvis fœminæ conſtitutioni conveniente *ſanguine draconis*, commendabili in quovis ſanguinis effluxu præternaturali: Nec tantum ſæpius Sanguis, ſed aliquando *Pus* quoque, *ſanieſve* lactis loco prodit, ſuctu; in apoſtemate ad papillarum tubulos pertingente atque ibidem exitum quærente purulenta materia, Quod ſi haud grande ſit Apoſtema, licebit forſan, non quidem infantis, ſed ſuctricis opera per illam viam pus elicere, uſurpando forinſecus & extrinſecus medicamenta ulceris mundationem ac conſolidationem promoventia, ut ſunt fomenta & decocta vulneraria ſatis penetrantia cum addito vini ſpiritu parata; ut & Balſamus ſulphuris. Quod ſi ſuperficiei proximum ſit Apoſtema, cenſerem utiliter poſſe ipſum in loco maxime declivi, ac præſertim molli aperiri, atque ſic citius tutiuſque curari medicamentis laudatis. *Sylvius l. c.*

[3] *Vel Sanguinis)* Lacte nuper natus fœtus eſt nutriendus præparatur in mammis, & quidem plurimorum judicio ex ſanguine per Arterias eo delato, quamvis nonnulli exiſtiment chylum per vaſa propria ex inteſtinis eo deferri atque in Lac abire: Hi, quo ſuam probent opinionem difficultates plurimas movent, ratione viarum longarum per quas alimento medicamentove nuper aſſumpto meandum antequam ad mammas perveniat, ſi per Lacteas venas prius ad cor, atque hinc ad mammas eſſet deducendum quocirca brevio es nonnulli finxerunt, quas ſe oculis uſurpaſſe narrant, Lacteas nempe Venas recta ad mammas tendentes. *Sylvius ibidem* qui *multis argumentis probare contendit ſanguinem eſſe lactis materiam.*

Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 1. *Martianum: Giffartum & Entium* ſequutus, ſtatuit Lac ex chylo generari, Hujus rei veritatem, *inquit*, confirmat ſubſtantiæ chyli lactiſque exacta conſideratio, ſi enim albicans chyli ſuccus penitius inſpiciatur, quantillum à lacte differt? Inter lac aquoſum & chylum exigua, vel nulla erit differentia, in colore, ſapore & conſiſtentia, ſola chyli ſeroſitate in mammarum glandulis nonnihil ſeparata atque imminuta optimum habebitur lac, idque eo pinguius & craſſius quo ſeroſitas illa parcior chylo adfuerit, vel in mammarum glandulis magis ſequeſtrata aut diſſipata fuerit: Si vero illa chyli ſeroſitas non ſatis ſeparetur (quod fit ob mammarum glandularum debilitatem nimiamque flacciditatem) tunc ſincerus chyloſus liquor tenuis & albicans, nec quicquam fere à chylo in ductu chylifero thoracico contento differens, è mammis exſtillat, ut contingere videmus in infantibus primo natis, tam maſculis quam fœmellis, in quibus ob pororum & ductuum chyliferorum laxitatem, chylus ad mammas libere confluit; & quia tenellæ flaccidæque mammarum glandulæ ad ulteriorem præparationem iſtius chyli non ſatis validæ ſunt, hinc chylus eo perveniens, ob ſeroſam ſuam tenuitatem, & pororum papillæ laxitatem vel ſponte, vel levi preſſione facile effluit: Vaſa autem Lactea, ab arteriis & venis diverſiſſima glandulis mammarum plurima interjecta cernuntur, ab inferiore parte toto ambitu enata, ac in mammarum centro coëuntia, quorum tamen communio & continuitas cum ductibus chyliferis, intra corporis truncum latentibus hactenus manifeſta fieri non potuit: haud ſecus ac ſeminis viæ è teſtibus in paraſtatas, atque è veſiculis ſeminariis in urethram aliique ſimiles meatus, per quos Naturam frequentes humorum metaſtaſes in viventibus moliri videmus: Conſpicui non ſunt illi chyli ad mammas meatus; quia chyloſus ſuccus in iis non ſubſiſtit, nec magis detinetur quam urina in ureteribus, ſed compreſſione muſculorum reſpiratoriorum, & partium per quas tranſeunt, citiſſime per eos propellitur & tranſit &c. *Pecquetus* in catella lactente oſtendit prope tertiam coſtam ſuperiorem, Lacteum canalem ad mammas pertinentem, *Ant. Everardi* in cuniculis invenit tubulos ex deſcendente lacteo trunco protenſo ad mammas &c. *Plura vide ibidem de lactis generatione: Wedelius med. Phyſiol. S. 3. cap. 32.* cenſet Lac eſſe partem chyloſiorem & ſeroſiorem ſanguinis.

[3] *Vel ſanguinis, vel facultatis lactificæ)* Deficit lac, vel *defectu materiæ ex qua*, vel *vitio mammarum*, in ſpecie *glandularum*, Deficit materia in his quæ nimis ſunt macilentæ: hinc deficit lac defectu materiæ in febribus: *Item*, parce vel plane nihil alimenti ſumentibus, *Item* quæ ſolent uberius purgari per lochia, Iis quæ nimis ſudant & minus bibunt &c.

Mammarum vitium eſt, quando glandulæ ſunt vitioſæ, quarum primum vitium eſt quando ſunt ſcirrhoſæ & induratæ, vel quando nimis adſtrictæ, minus poroſæ, & poris arctis conſtantes, unde viæ ſunt nimis anguſtæ: Fit hoc arte, quando virgines tenſius pectus conſtringunt, aut quando admotis externis mammarum augmentum, & glandularum debita ſtructura impeditur in pubertatis annis: Accedit infans minus aptus ſuctui, nam quo magis fœtus ſugit, eo major copia lactis allicitur; Si ipſæ mammæ in culpa ſunt, ſubtile iſtud Acidum, quod chylum in mammis præcipitando coagulat, ſi vitioſum ſit, cauſa eſt ſupervenientis lactis defectus. *Etmuller.*

[4] *Facultatis lactificæ)* Lactis cauſam efficientem ſtatuimus eſſe certum glandularum fermentum, quod quale ſit licet determinare non poſſimus propterea tamen non eliminandum non enim fruſtra tanta glandularum ſerie Natura mulieri proſpexit, in quas ſingulas arteriæ, venæ & nervi pergunt; Si nuda aliqua tranſcolatione opus hoc abſolvi potuiſſet, certe levior foret hic loci glandularum uſus: Dicant nobis qui mera colatione contenti ſunt, qui fiat quod lac in beſtiis poſt fœtus excretionem ſanguinolentum interdum emulgeatur? Num glandularum poroſitas hic accuſari poteſt? non videtur, ſiquidem alio tempore lac ſatis laudabile emulgebatur; in fermentum potius adhuc dum obdormiſcens culpa rejicienda venit &c. *Idem.* Vide ibidem plura lectu digna.

Diemerbroeck, qui Chylum materiam Lactis ſtatuit, hujus mutationis cauſam hanc ſtatuit. Omnes, *ait*, glandulæ iſti officio dicatæ ſunt, ut ex ſanguine tenuem aliquem liquorem lymphaticum, (in ore ſalivoſum) eliciant, & illum leviuſcula quadam, ſubacidiuſcula qualitate perfundant, eaque donatum ſanguini, chylo, aliiſve humoribus affundant, ut eos leviuſcula quadam effervescentia ab aliis inutilibus humoribus aliquantulum ſeparent, ac nonnihil incraſſent, ſicque impediant ne ſubtiliſſimi ſulphurei ſpiritus evaneſcant (Ita videmus ad chylum in ventriculo coctum in inteſtino duodeno hunc in finem mox affluere ſuccum pancreaticum, ac paſſim aliis pleriſque lacteis vaſis lympham per vaſcula lymphatica infundi) & ſimul efficiant & dulces ſulphurei lactei ſpiritus in ſubpingui leviter condenſato liquore paulo magis inſpiſſati, adhuc dulciores & candidiores evadant.

Eadem de cauſa etiam ſuccus lacteus (cui in itinere per vaſa lactea interiora hic illic aliquid lymphatici liquoris modo affuſum eſt) in glandulis mammarum

magis

magis perficiendus venit, ut in iis dulces ejus ſulphurei ſpiritus, per admiſtionem pauci ſubacidiuſculi glandularum ſucci, paulo magis incraſſentur, ſeu figantur, ſicque magis uniti, pinguiores, candidiores, & ad infantis nutritionem aptiores fiant.

Rem ita ſe habere ex eo patet, quod cum ille glandularum mammariarum: lacteo ſucco iis infuſo admiſcendus liquor, aliqua de cauſa vitioſius, vel nimis acidus evadit, tum etiam lac in mammis corrumpatur, vel aceſcat (teſtantur hoc ex pravo ſapore mulieres illæ ſuctrices, quæ interdum loco infantis mammas exſugant) imo & coaguletur in caſeoſam duritiem, mammaſque ſæpe inflammari & exulcerari faciat. *Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 2.* Ubi fuſe de Lacte, vide *& eundem Lib 1. c. 6.*

Statuimus *materiam Lactis eſſe chylum*, *& motum materiæ ad* mammas non fieri per vias ſingulares, ſed mediante ſanguine arterioſo per arterias, ſicuti præſupponitur modum generandi lactis fieri partim per *tranſcolationem*, partim per *quandam in glandulis mammarum præcipitationem*; Quando nempe ſerum chyloſum, cum ſanguine eo diſtributum, ibidem beneficio certæ quaſi tincturæ, ſeu fermenti glandularum mammarum ſecernitur, & à lympha glandularum propria acidula ex ſero præcipitatur, & quodammodo diſponitur chylus pro materia lactis: Probatur, quia ex ſero, beneficio ejuſdem tincturæ acidæ, præcipitatur grumus lacteus, unde blandum acidum, in dictis glandulis una elaboratum, probabile eſt præcipitare ex ſero dictum chylum, & eum condenſare in lac, qui deferatur tandem ad papillas: Notum ergo eſt quod mulieres brevi à partu tempore percipiant motum materiæ ad mammas; ita ut primum lac ſit aquoſius, ſicut 3. vel 4. die cum febre lactea proprie dictum lac generari ſolet, Lac iſtud præbendum eſt infanti, quod eſt alimentum medicamentoſum. *Etmuller Prax. Part. 3. p. 57.*

4. *Papillarum*) Ut Lac in fœminarum uberibus paratum utilitatem afferat infantibus, moveri debet ad ipſarum Papillas, quin per ipſas quem in finem Ductus & canales, ſive Tubuli ſingulares formati ſunt à Glandulis mammariis ad Papillas per quæ Papillas: Non terminantur hi in unum grandiorem ac communem, ſicut evenit glandularibus, & pancreaticis, verum notantur per Papillas penetrantes plures, preſſa manu mammæ, expreſſoque ex ipſa Lacte pluribus quaſi radiis tunc ſaliente: Cur vero Lae non uno, ſed pluribus ductibus feratur per Papillas, credo fieri quod ſi uno tantum ductu majore effunderetur lac per papillam, metus ſit ne omnibus continue exſtillaret lac, quæ exſtillatio facilius impeditur in ductibus exiguis & anguſtis quam majoribus & amplioribus: Succedit autem Lactis effluxus iuprimis quando preſſioni conjunctus eſt ſuctus, cujus ope undique comprehenditur papilla circa radicem ſuam ac cum mamma conjunctionem, eliciturque facilius lac è mammis, accedente applicataque circa papillam lingua, quæ proculdubio aliquod quoque confert ad lactis eductionem, nempe ſalivam ipſi applicanda & poros leniendo; unde forſan fœminæ multæ, antequam fœtum mammæ admoveant, ſolent ſaliva propria papillam madefacere, atque ſic lactationem feliciorem experiri.

5. *Vel papillarum vitio*) Lactatio quidem eaptopter impediri poteſt, lactis vero defectus illi nequaquam imputari debet, ſiquidem ad lactis generationem nil conferunt, cui ſolum commeatum præbent: ratione Infantis quidem; qui lacte ideo privatur, *defectus lactis* dici poteſt.

6. *Quando is deficit*) Menſium & Lactis proportio ſequitur ſanguinis & ſeri abundantiam, vel defectum: Utraque non fiunt niſi cum quadam abundantia reſpectiva, ſuperfluum quod eſt in individuo ad hoc impenſo: Utut igitur non ſint è diametro oppoſita, quin dato hoc caſu ſimul ſtare & dari queant, ut & menſes fluant, & lac ſtillet; quod ipſi in nutricibus ſucci plenis ſæpiſſime vidimus; Quæcunque tamen ita cient menſes ut ſuperfluitatem illam tollant, viam naturæ alteram oſtendunt, unde lac deficere poteſt: Hinc obiter notandum in praxi, in nutricibus nunquam ciendos menſes; quando enim non fluunt, uti id ordinarie quaſi fit, indicio eſt ſuperfluum illud unice ad mammas amandari, adeoque, ut lac augentia proprie dicta non menſes cient, ſic nec proprie dicta emmenagoga lac augent, quin potius amaritie, tenuitate & diſſipante vi ſua idem imminuunt. *Wedelius A. m. m. pag. 431.*

7. *Externas cauſas*) Cauſæ quædam externæ lac minuunt, ut admodum calefacientia, quia reſolvunt; Refrigerantia, quia ſanguinem incraſſant, *5. ſimpl.* Attamen quædam calida lac generant, ut *fœnicul. apium,* ſemen *agni caſti*: quædam etiam frigida, ut *lactuca*: Reſpondeo, quæ lac generant, vel per ſe id faciunt, ut quæ materiam ſuppeditant, ut alimenta copioſa, polytropha; unde quæ nimium reſolvunt, ut calefacientia, vel quæ incraſſant, ut refrigerantia, lac minuere dicuntur, vel per *accidens* id præſtant, vel quatenus ſanguinem provocant ad mammas, Vel vitia emendant à quibus defectus cauſatur: Sic refrigerantia, ut *lactuca*, in calidiori temperatura, & ſicciora & apertientia in frigidiori, quando craſſior eſt, conveniunt; Eadem in corpore calido, ſicut priora in frigido, hanc paucitatem facere poſſunt: Etiam pueri imbecilliores, ſi minus valide lac ſugant, aut nutrix ob ulcera & fiſſuras mammarum, non audet lac præbere, ſenſim deficit: Proprietate quædam lac minuere dicuntur, ut ſemen *Circeæ*, ex Plinio. *Primiroſius.*

8. *Signa*) Cognoſcitur facile lactis defectus, tum ex mammis flaccidis, quæ nihil aut parum emittunt, Tum ex infante qui plorat, neque exhibita mamma ſedatur; parum dejicit, mingit, macilentior evadit, ita ut nulla alia cauſa poſſit accuſari.

Inquirendum ſedulo num nutrix ſit menſtrualis, libidinoſa, coitu utatur, mœrore, ira, vel alio quopiam morbo laboret; *Defectum ſanguinis* præcedentes cauſæ declarant; corporis habitus ſiccus, macilentus; præcedentes omnes vacuationes, Si ſolæ *mammæ* flaccidæ ſint, abſque præcedentibus cauſis, ex earum imbecillitate & intemperie ſicca defectum lactis provenire cenſendum eſt: *Sanguinis* vero vitium, num ſit bilioſus, pituitoſus, &c. ex colore, ſubſtantia & ſapore cognoſcetur, præſertim ſi non omnino defecerit, expenſa prius victus ratione, temperamento, ætate & reliquis humorum cauſis. *Mammarum* quoque parvitas & magnitudo viſu cognoſcitur; *Primiroſius.*

9. *Ad generandum ſanguinem proſunt*) Si ſpes ſit poſſe augeri & reſtitui lac, ut in ſucculentis, in quibus ob leve aliquod vitium iſte affectus contingit, aggredienda curatio eſt, quam recte ſcribit *Galenus 5. ſimpl. c. 21. his verbis*, Cum minus quam expediat ad ubera lactis venit, velis autem copioſe provenire, ipſum contemplare ſanguinem, aut enim parcior eſt quam conveniat aut deterior; Itaque qui *parcior* eſt, victus rationem expoſcit humectantem & calefacientem: Qui autem *deterior* eſt, ſi bilioſus fuerit, purgationem primo deſiderat, mox victum quem diximus, Sin *pituitoſus*, medicamenta requirit excalefacientia, aut 1. aut 2. ordine, non tamen deſiccantia, Verum inter ea potiora ſunt, quæ non tantum ſunt medicamenta, ſed & alimenta, ut *eruca*, *fœniculum*, *anethum*, Dico autem herbas ipſas virentes & humidas, nam ſiccæ plus quam oportet calefaciunt & deſiccant; Hujus generis

eſt *apium Smyrnium*, *ſium polium*, eaque ſint virentia priuſquam ſiccentur, quippe tum ea quæ deſiccant, humorem ſanguinis depaſcentia ipſum craſſiorem pauciorемque efficiunt; quocirca quæ ſunt ejuſmodi extingunt magis lac, quam provocant, At quæ calefaciunt, nullamque inſignem habent ſiccitatem, lactis procreatricem habere facultatem merito dicta ſunt.

10. *Proſunt cibi multi*) Quæcunque ergo ſunt πολύχυλα, illa etiam ſunt πολύγαλα; ſeu quæ ſubſtantifice ſerum, ſanguinem, & horum materiam primam, chylum adaugent; Adaucta enim materia, ipſam collectionem majorem fieri neceſſum eſt, & quod cauſa eſt cauſæ, per vulgatum axioma, illud etiam eſt cauſa cauſati: Infans ſane per diem & noctem ad libram unam vel alteram deplet lac ex corpore, pro ætatis modulo; hinc ut ſine *Cerere* & *Baccho friget venus*, ita & Veneri litans Lac; Pertinent ergo huc quæcunque ad victum plenum ſpectant, quæque ex hoc ipſo humidum oleoſum, ſeu aqueo ſulphureum ſuperfluum principium corpori magis fœnerare norunt, alimenta boni ſucci, digeſtionis facilis, moderate calida & humida, & alimenta, medicamentoſa, & vice verſa, non confundenda tamen inter ſe; unde fruſtra ſunt qui *ubera vaccina* inter γαλακτοποιοὺς Pulveres recenſent; quod maxime inconveniens eſt: Pertinent huc *Emulſiones*, tanquam *Lac artificiale*, *lac vaccinum*, & cum eo parata decocta, inprimis *florum ſambuci*, hi enim non minus ac *ſemen nigellæ fœnic. aniſi* &c. oleoſitare ſua chylo orgaſmum fœnerant majorem, vegetatis partibus aqueis. *Wedelius*.

Ea quæ proprietate quadam Lac gignere, atque ſanguinem calore ſuo attenuando, fluidumque reddendo, & ad mammillas derivando, lactique ſic materiam ſubminiſtrando Lac augere dicuntur. Exhibentur commode eo nomine inter alimenta *Lac*, *Ova*, *ubera animalium lactantium*, *cerebra*, non tantum quia bene nutriunt, ſed quod & proprietate quadam lactis proventum faciunt: *Fructus* item lacteum ſuccum fundentes, *amygdalæ*, *pineæ* &c. comeſtæ, aut *emulſio* eorum propinata; *Pulvis ex ovis, vino, butyro, & ſacch.* *Oryza* cum *lacte* cocta, In *Juſculis* coquantur herbæ recentes, *caulium*, *malvarum*, (*lactucam* lac augere etſi ſcribant, cum tamen genituram extinguat, credere minime poſſumus) *erucæ*, *anethi*, *fœnic. petroſelini* & *aniſi*, herbæ pauciores vel omnes, juſculumque bibant & herbas comedant; *Cepa* quoque in brodio coctæ aliove modo toſtæ & comeſtæ, *Radix tragoponis* flore purpureo decocta in juſculo & comeſta cum *zinzibere*, *Cicerum* & *hordei* decocta: *Vinum* optimum, cum nutriat & calefaciat, nutricibus magnum in lactatione affert adjumentum.

11. *Quandoque idem evadit craſſius*) Hinc quæcunque ſerum oleoſum reddunt fluxile & colationi aptum ab intra, ſunt πολύγαλα: fluxile ab intra & mediate reddunt, ſunt blanda *ſudorifera*; unde videmus vel ipſa natura indice lactis appulſum à partu fieri cum quadam heterogeneitate, & difficultate, ita ut niſi accedat ſudatio, diſcuſſoria, & adjuvans hunc illapſum, & prohibens διαχώρησιν morboſam, faciliime & quaſi ordinarie oriatur febris, *Lactaria* dicta, unde diaphoretica eo caſu utramque abſolvunt paginam, lac mammis ſanguini vigorem afferunt; Fluxile ab intra reddunt id ipſum ſerum temperata *alkalina*, acorem, ſulphuri oleoſo contrarium, abſorbentia, adeoque coagulum in fieri exuentia: Pellunt quaſi à centro ad circumferentiam hanc ſudorifera dicta; hæc vero alkalina temperata tranſcolant quoque, ut imperturbato ordine poris illabatur; hinc quæ plurimo abundant acido in primis viis lactis imminutionem experiuntur facile: Hinc diaphoretica in febribus ipſis ardentibus ſæpe præſtant lac, ut quod contra naturam videtur morbi, natura provida ſpeciei lac poſſideat, ad ultimum ſæpe halitum; quod majus eſt, infantes in ipſis illis morbis malignis, etiam morientibus matribus non evadant ſolum illibati, ſed & optime habeant: Faciunt huc ex ſimpl. fl. *ſambuci*, herbæ, *vincæ pervincæ*, ſem. *aniſi*, *lumbrici terr.* laudati à nonnullis, licet minus commode videantur in uſu frequentari: Ex mineral. *cryſtall. præp.* & *lac Lunæ*, de quo D.D. *Major*, Et compoſitis, *ſpecies diacryſtalli*, acceſſione *lactis lunæ* roborandæ, & *Rotul. lac augentes mynſ.* aliaque præcipitantia naturæ amica, potos liberos reddentia. *Wedelius*.

12. *Facultatis lactificæ, quando mammæ ſanguinem &c.*) Ad facultati lactificæ vitium referri debet, quando *Lac effluit cum Lactantis debilitate*, quod non tantum, imo non ſemper accidit, quando multum effluit, aut ſponte aut ſuctu lac; ſed non raro quando parum Lacti, ſuctu licet, poteſt elici aut elicitur: Multæ namque mulieres vix poſſunt vel minimam ferre lactis jacturam quin maxime inde debilitentur, dum aliæ robuſtæ permanent, licet Lac multum illis pereat & elabatur vel eliciatur: Cauſa ergo debilitatis non ſemper pendet à multo lacte effluente, ſed ſæpe à peculiari fœminæ conſtitutione, nullam vel minimam Lactis jacturam abſque notabili virium dejectione ferre valente: Vires quas nunc dejici obſervamus, plerumque cum animi deliquio, aut ſuffocatione hypochondriaca primarium habent commercium & affinitatem maximam; Videntur enim tales fœminæ languere & animo quaſi deficere cum ipſis Lac exſugitur: Hanc proinde virium dejectionem, animique languorem produci exiſtimo, quatenus Halitus varii, nunc acidiuſculi, nunc auſteriuſculi, à tenui inteſtino ad ventriculi orificium ſuperius, hinc & œſophagum fauceſque, quin ad cor quoque per vaſa lactea pergunt, & quandoque animi deliquii metum, aliquando id producunt: Ideo autem cenſeo hos halitus in tenui inteſtino excitari, quia in talibus ad lactis ſuctum dolor excitatur in mammis, ac ſi avellerentur ipſæ à reliquo corpore, ob quem dolorem, memores præteriti, futuri metus eas invadit: A quo animi affectu utroque & acidum & auſterum reddi ſuccum pancreaticum paucos exiſtimo amplius ignorare, poſtquam, tam multis probatum habemus & argumentis & experimentis practicis: In quibuſdam ob nimiam Lactis productionem eductionemque ſanguinem in dies minui corpuſque paulatim macreſcere, atque ſic earum vires ſenſim deficere obſervamus, abſque tamen notabili languore, aut animi deliquio fœminas ubi lactant corripientre: In priore caſu, ſi dolor ille mammarum tolli nequeat, ceſſandum ab ulteriore lactatione; In poſteriore, niſi minui poſſit lactis generatio atque deperditio, itidem omittenda erit Lactatio: Dolor ille mammarum videtur ortum habere ex Ductuum lactiferorum nimis brevium, & valde ſenſilium tractatione ac extenſione ſuctu facta; ut enim partes omnes membranoſæ valde ſunt ſenſiles, atque ſui extenſionem magnam ferre nequeunt, ita Lactiferi Tubuli, utpote membranoſi, quoties ſolito breviores ſunt, partibuſque vicinis ſunt intricati & implexi, toties, dum ſuctus fit, extenduntur valde; atque eo ipſo dolorem excitant exquiſitum & moleſtum, ob quem, ſicut dictum, animi languor vel deliquium producitur: Malum hoc tum præveniri, tum & curari debet blanda ductuum iſtorum extenſione, tum frictione, tum illitione abſolvenda: Frictio manu molli ſæpius iteranda: Illitio, oleis lilior. albor. amygdal. dulc. verbaſci. & aliis peragenda: Quoties *nimium Lactis* producitur, ſanguiſque adeo paulatim conſumitur, toties danda opera ut illa productio minuatur.

nuatur, quod fiet inprimis alimentis ſucci, non quidem noxii, vel inutilis, ſed aliquanto craſſioris & fermentationis difficilioris, carne puta bubula, pane haud fermentato &c. Idem fiet quoque uſurpando Remedia blande adſtringentia, ſanguinemque adeo craſſiorem præſtantia, E. g. corallia, terra ſigillata, quævis & pinguis, plantago, myrtus &c. quæ mihi videntur conferre, quatenus *Acidum volatile*, à quo ſanguinem in lac mutari diximus, blande infringunt; quocirca hic ſanguinem draconis, lapidem hæmatitem, cratam & ſimilia ſimiliter conferre arbitramur, dummodo quantitate parva & prudenter uſurpata fuerint: Externe adſtringentia vix auſim concedere, ne lac in mammis coagulent atque inflammationem pariant: Quod ſi ne ſic quidem minuatur lactis proventus, viriumque dejectio, in tempore ceſſandum ab ulteriore lactatione, ſatius enim eſt infantem aut alieno lacte uti, aut ablactari, quam ejus cauſa ſenſim matrem confici. *Sylvius ibid.*

12. ij. *Facultatis lactiferæ &c.*) Nulla fit Lactis generatio mammarum, aut fermenti lactiferi culpa, cum ineptæ ſunt mammarum glandulæ ad ſuccum illum *ſubacidum*, & fermentum; lactiferum vocandum, præparandum: Si rite conſtaret nobis quale ſit hoc fermentum ſanguinem in lac mutans, clarius poſſemus illius vitia explicare, Quamvis enim putemus plus minus ipſum de Acidi natura participare, quia tamen plurimæ ſunt Acidorum ſpecies, paucis obſervatæ ad Medicum ſaltem uſum revocatæ, non mirum ſi hactenus lateat id fermentum: Exiſtimamus autem illud optime cognoſci per medicamenta tum interna tum externa, Lactis generationi promovendæ ſiſtendæve conducentia, ex æquo expenſa, & cum cæteris omnibus circa lactis generationem obſervabilibus collata; Et quamvis multa adhuc deſideremus experimenta huic negotio expediendo neceſſaria, inter alia tamen in mentem mihi venit Alumen uſurpati externe ad impediendam lactis generationem, in quo tamen occurrit *Acidum*, ſed *ſubauſterum*, à quo & arceri mammarum incrementum quidem ſtatuunt; quinimo extingui omnem lactis generationem: hoc ſi verum, neceſſum eſt concludamus fermentum illud lactiferum non eſſe naturæ acerbæ, ſed illi plus minus contrariæ, adeoque potius naturæ volatilis, atque valde temperatæ, cum nullæ ſecundum naturam ſoleant in fœminarum mammis ſentiri lancinationes, ſatis frequentes autem cum ipſæ male habent, ac præſertim aut inſtantibus menſibus, aut ſubſiſtente in ipſis lacte, aut animi affectu gravi: Unde ſi quid conjectare valeo, cenſeo huic *fermento* lactifero, multum ineſſe ſalis volatilis aciditatem ipſius temperantis; quod videtur confirmari ab iiſdem ſalibus volatilibus, & lactis generationem & ejuſdem effluxum promoventibus, ac notatas lancinationes non tantum tollentibus ac curantibus, verum prævenientibus quoque: Quod à ſalibus volatilibus deſumptum experimentum confirmat ſimiliter, haud acerbum eſſe lactiferum fermentum, ſed nec valde acidum, verum temperatiſſimum, & ita tamen ut aptum natum ſit ſanguinem in lac mutare: Cur deficiat hoc fermentum, vide ſupra §. 2) *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 10.*

13. *Quando mammæ ſanguinem non attrahunt*) Deficit aliquando Lactis productio ſi mammarum vaſa nimis exilia ſint; nec durante uteri geſtatione, ac inprimis appropinquante partu expandantur, In tali caſu exiſtimamus vitio conformationis vaſa eſſe minora, & forſan ſolidiora, niſi forſan ex præpoſtera pectoris anguſtatione ac compreſſione difficilius poſſit reddi, ſi non produci etiam hoc malũ: Vix putem autẽ hoc niſi lente paulatimque poſſe curari, ex parte ſaltem emendari, & quidem frictione frequenti blandaque loci per quem ad mammas tendunt vaſa ſanguinea, additis unguentis & oleis emollientibus, e. g. *Vnguen. Althææ, mucagin. neruino* & ſim. *oleis lilior. alb. amygdal. dulc. pingu. humidum*, & *aliorum animal.* quorum omnium ope emolliri laxarique poſſunt tunicæ arteriarum, ſenſimque aptæ fieri ut magis explicentur, grandioreſque factæ plus ſanguinis transferant ad mammas: Cavendum autem ſedulo ne frictione vehementiore aut diuturniore quaſſentur lædanturque Mammarum Glandulæ, ſicque inflammationi anſa detur, Non feſtinandum proinde, aſt procedendum lente in partium continentium emendatione & mutatione à ſtatu nativo, quippe quæ ſegnius & difficilius obtinetur. *Fr. Sylvius ibid.*

14. *Attractum in lac mutare nequeunt*) Partem in qua paratur lac non putem aliquem negaturum eſſe *mammas*, & in ipſis exiſtentes glandulas, Nec puto eos qui lactis materiam chylum arbitrantur exiſtimare nullam in mammis mutationem ſubire chylum antequam in lac abeat, cum non parum à chylo differat lac, quod proinde nonniſi ex mutato in mammis chylo conficietur.

Si quis autem mammas examinaverit, obſervabit facile ratione Glandularum peculiarium differre ipſas à cæteris corporis partibus omnibus, ac proinde illas publicæ miniſtrare functioni, h. e. lactis generationi.

In Glandulis itaque mammarum producitur Lac, dum per ipſas pertranſiens ſanguis parte ſua convenientiſſima mutatur in lac.

Sola vero per glandularum mammariarum poros tranſcolatione (uti multis videntur hoc tempore omnes perfici functiones naturales in corpore) ſanguinem mutari nullatenus arbitror, verum alicujus rei acceſſu; quæ ſanguinem ibi ſecretum & colore & conſiſtentia plurimum à reliquo ſanguine differentem faciat; Quidnam autem illud ſit quod iſtam ſanguini mutationem affert non ita facile dictu, At ſi quidem 1. non tantum ratione ſolida, verum multiplici variorum experientia conſtat Liquores in glandulis præparati ſolitos plus minus participare de *Acido*, aliquando magis manifeſto, aliquando magis obſcuro, & ab aliis concurrentibus tecto. Quoniam 2. multis experimentis chymicis manifeſtum eſt colorem rutilum ab acido mutari in albicantem; Quoniam 3. iiſdem experimentis notum eſt ab acido admiſto coagulari & inſpiſſari quælibet coagulabilia; Hinc non ſine gravi cauſa exiſtimamus in mammarum Glandulis præparari liquorem acidiuſculum, ſed valde temperatum, qui partibus ſanguinis ibidem à reliqua maſſa ſecretis admiſtus, eaſdem tum magis conſiſtentes, tum intimius commixtas, tum albicantes præſtet, adeoque in lac mutet: Novimus quidem Salivam in Glandulis conglomeratis præparatam & inſipidam, plurimum differre à ſucco pancreatico, itidem in glandulis conglomeratis præparato, & ſubacido, vel ſubſalſo muriatico, Aciditatem tamen in Saliva latere probant plurima experimenta cum ipſa inſtituta. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 10. §. 38. & ſequen.*

Nulla fiet *Lactis generatio*, nunc ipſarum *mammarum*; ſive *fermenti lactiferi*, nunc ipſius *ſanguinis* culpa, *mammarum*, aut *fermenti lactiferi*, quoties ineptæ ſunt mammarum glandulæ ad ſuccum illum ſubacidum, *& fermentum, lactiferum*, vocandum, præparandum: Si rite nobis conſtaret quale ſit hoc fermentum, clarius poſſemus ipſius

vitii explicare; Quamvis enim putemus plus minus ipſum de acidi natura participare, quia tamen plurimæ ſunt Acidorum ſpecies, paucis obſervatæ, ad medicum ſaltem uſum revocatæ, non mirum ſi natura ipſius eſſentiaque adſit obſcura.

Exiſtimamus autem illud optime poſſe cognoſci per medicamenta tum interna, tum externa, Lactis generationi ſiſtendæ promovendæque conducentia, ex æquo expenſa, & cum cæteris omnibus circa Lactis generationem obſervabilibus collata.

In mentem mihi venit *Alumen* uſurpari externe ad impediendam ſiſtendamque Lactis generationem, in quo tamen occurrit *Acidum* ſed *ſubacerbum*, Quin norunt nonnulli ex immoderato aluminis uſu non tantum impediri cohiberique, ac tandem ſiſti lactis generationem, verum impediri quoque mammarum incrementum, quinimo extingui omnem lactis generationem.

Hoc ſi verum ſit (de quo mihi non ſatis conſtat) neceſſe eſt concludamus fermentum illud lactiferum non eſſe naturæ acerbæ, ſed illi plus minus contrariæ, adeoque potius naturæ volatilis atque valde temperatæ, cum nullæ ſecundum naturam ſoleant in fœminarum mammis ſentiri Lancinationes, ſatis frequentes autem, quando ipſæ male habent, ac præſertim aut inſtantibus menſibus, aut ſubſiſtente in ipſis lacte, aut animi affectu gravi, mœrore inprimis, aut terrore ipſis ſuperveniente; Vnde ſi quid conjectare valeo, exiſtimem huic Fermento lactifero multum ineſſe ſalis volatilis, aciditatem ipſius temperantis, quod videtur confirmari ab iiſdem *ſalibus volatilibus, & lactis generationem, & ejuſdem effluxum promoventibus, & notatas lancinationes non tantum tollentibus, ac curantibus, verum prævenientibus quoque.*

Quod à volatilibus ſalibus deſumptum experimentum confirmat ſimiliter haud *acerbum eſſe lactiferum fermentum*, ſed *nec valde acidum*, verum temperatiſſimum, & ita tamen ut aptum natum ſit ſanguinem in lac mutare. Quoties iſtud *fermentum in totum deficit*, aut *iners* exiſtit, deficiet quoque *Lactis generatio*.

Deficiet in totum, haud dubie vitio Glandularum in mammillis, & inprimis ſolidiorum. Notum enim firmiores, ſolidiores, durioreſque obſervari plerumque mammarum lac minime generantium glandulas: Nec mirum in glandulis durioribus ac ſolidioribus minus parari poſſe quoſvis liquores, quippe qui earundem raritatem deſiderant, ut in ipſis & per ipſas moveri queat & alterari.

Solidiores erunt ac denſiores iſtæ glandulæ, tum à conſtitutione propria, tum ab externis rebus perperam & more peſſimo ad ipſarum incrementum impediendum impoſitis, *Auſteris* puta & ſimilibus.

Nativum vitium petendum mihi videtur à *ſucco auſtero* in melancholicarum corpore exiſtente, atque tum maxime quando fœminæ incipiunt fieri puberes, mammæque naturale augmentum capere; quo tempore ſi mœrore afficiantur, halituſque auſteri quaquaverſum attollantur, non mirum ſi mammarum glandulas, novam ex Dei ordinatione, mutationem ſubeuntes, ideoque variis modis alterari aptiores, præ aliis partibus omnibus male afficiant. *Idem §. 52. & ſequ.*

15. *Fœminæ poſt partum)* Decipiuntur Medici qui inter ſigna graviditatis recenſent Lactis præſentiam, illud enim eſt contra experientiam quotidianam; loquuntur contra authoritatem ipſius *Hippocratis*, qui l. *de nat. pu.* cap. 20. t. 11. 12. & 13. expreſſe contrarium ſcribit. *Cum movetur*, ait, *fœtus, tunc ſane lac indicationem ſui præbet matri, mammæ enim attolluntur, & papillæ gliſcunt, ac turgent*, addit vero, τὸ δὲ γάλα οὐ χωρέει, *lac vero non prodit*, Innuens manifeſte, non negligendas quidem mammas, ſed non lac expectandum actu præſens, quod edito demum fœtu, ut *cap. 22. ſequ.* ſuccedit, *Et ubi peperit mulier, principio motus facto*, χωρέει τὸ γάλα ἐς τὰς μαζὰς, *Lac in mammas ipſas procedit*, ſi lactaverit, loquuntur contra rationem omnem, nullus enim ibi finis lactis, imo potius Lac præſens, fœmina geſtante fœtum, notat debilem & moriturum, indicio quippe naturam fine priori relicto alterum jam intendere: Vnde lac & menſes ſunt ſororii liquores unicæ ſpeciei producendæ deſtinati. *Wedelius.*

Diæta.

Diæta maxime facit ad Lactis generationem; *Aër* debet eſſe temperatus, præſertim ſi delicato corpore nutrix nam robuſtiores, etiam in frigido aëre magnum habent, lactis proventum; forſan quia lautius epulantur.

Vacuationes omnes & *vigiliæ* ſint parciſſimæ, quia corpus abſumunt; ſint ideo moderatæ exercitationes, & partium ſuperiorum, ut ſanguis attrahatur, mammæ calefiant & dilatentur; non autem inferiorum, ne humores ad uterum derivent, quod frictionibus & cucurbitulis fieri poteſt.

Venus nocet, ne mulier gravida fiat, aut menſes provocentur; *Coitum* tamen concedit *Varandæus* admodum libidinoſis, ne ex gravi hoc animi pathemate lac corrumpatur.

Somnus longior ſit.

Cibus ſit euchymus, polytrophos, eupeptos, cavendo ſemper ne ex ejuſmodi victu ſanguis craſſior generetur, in illis quæ ſunt nimium obeſæ & venas habent anguſtiores.

Potus ſit moderatus, *vini* tenuis, albi, bene diluti, ne humores efferveſcant, vina autem craſſa, auſtera, recentia nocent, quia obſtruunt; Tamen ſi nutrix ſit abſtemia, nullum inde periculum, nam *aquæ potus* etiam convenit ſi nutrix ſit calidioris temperiei, aut ipſius lac fuerit fervidius: Proſunt quoque *cereviſia* dilutior, *decoctum liquir. coriandri, hordei, paſſular. cinnam.* maxime ſi adſint obſtructiones, ſanguiſque ſit craſſior: *Panis* ſit optime fermentatus, *Carnes* ſint eupeptæ, humidæ elixæ potius quam aſſæ: Sic proſunt omnia quæ ad febrem hecticam præſcripta; *Caſtaneæ* laudantur elixæ cum *fœniculo & aniſo.*

Laudant *Aetius* & *Arabes capita piſcium ſalitorum*, Videntur tamen ſalſa omnia exſiccare, niſi admodum moderatus ſit eorum uſus, tantummodo ut gratiores cibos reddat, & eorum penetrationem juvet; Sic dicitur *Apollonius*, *Herophili* diſcipulus homines macilentos ſalis uſu ſaginaſſe.

Piſces etiam proſunt delicati ut *ſolea trocta*, & ſimiles; Ex *herbis paſtinaca, eruca, borrago, braſſica, aniſum, fœnic. petroſel. anethum*, *eryſimum* quæ juſculis incoqui poſſunt, maxime in iis quæ ſanguinem habent craſſiorem, & obſtructiones in corpore plurimas.

Ex *fructibus, paſſulæ, piſtaciæ, ſtrobyli, amygdalæ dulc.* modo non ſint hyſtericæ, nam dulcia nocet, ut *paſſul. mel, ficus*, & cætera quæ aliis concedi poſſunt. *Primiroſ. l. 5. c. 7.*

16. *Et tum Fomenta calida)* Si fermentum lactiferum in vitio fuerit, Curabitur hoc malum uſurpando tam interne quam externe medicamenta *volatili ſale abundantia*, & *aromatica*, ſpirituoſaque, Inter *Interna* laudabimus merito Aquas ex aromaticis plantis & vini ſpiritu paratas, & quidem diſtillatione potius quam ſola infuſione; quia liquor talis tum gratior erit tum penetrantior efficaciorque, quod inprimis deſideratur in hoc caſu, ut ſcil. medicamenta non impediantur à partibus craſſioribus, quæ in ſola infuſione ſimul eliciuntur, & vini ſpiritui junguntur; in diſtillatione autem iterum à vini ſpiritu recedunt, cum quo ſubtiliores duntaxat & maxime aromaticæ aſcendunt, huic operi utiles: Tali aquæ ſpirituoſæ jungentur com-

commode aliæ aquæ itidem aromaticæ, non item ſpirituoſæ, e. g. menthæ, fœnic; meliſſæ &c. quibus diluantur, vt commodius vſurpentur, additis præterea ſyrupis convenientibus, vt & ſalibus, oleis aromaticis, & quandoque ipſo laudano. Inter medicamenta *externa* conveniunt eodem modo laudatæ aquę ſpirituoſæ & aromaticæ, cum ſale volatili quovis iunctæ, atque fotu ſiccus mãmis applicatæ cum linteo mundo, humectando ſubinde dicta lintea, eodẽ liquore, Quin cõducent quoque vnguenta & olea aromatica, quibus ſi ſa·ia volatilia admiſceantur, plus præſtabunt. Sed cõmodum erit quoque blande fricari mammas, quo facilius per ipſarum cutim penetret ad ipſarum glandulas vis medicamentorũ aromatica & ſalina volatilis: medicamenta vero hæc ratione ſui ſalis volatilis corrigent humorem auſterum ipſarum ſubſtantiam compingentem ac incraſſantem, quem paulatim reddent magis volatilem, ſpirituoſum ac dulcem, vnde ipſis producetur tandẽ fermentum ſubacidumquidem, ſed blandiſſimũ, & lacti generando aptiſſimum. Quamvis autem talia non fuerint à vulgaribus medicis in vſum revocata, non dubitamus eadem commendare, vtpote rationi & noſtræ experientiæ conſona. *Sylvius ibidem.*

[16]· *Et tum Fomenta*) Quæ & affluxum ad mammas promovent, vti & *Frictiones*, Fiunt autem Fomenta ex decoctis, *ſem. fœniculi, anethi cum lacte*, emplaſtra item ex commendatione nonnullorum id præſtant; Pręcipue vero eum in finem ẽ vegetabilibus laudem meretur *pimpinella* recens herba inter mamillas poſita, laudata *à S. Pauli in Quadr.* E mineralibus *Cryſtallus* & præ omnibus aliis *argentum vivum.*

De hoc vero ipſo locus elegantiſſimus, & qui inſtar omnium eſſe poteſt, extat apud *Herc. ſaxoniam Pr. med. l. 10. c. 53.* vbi refert primo experimentum muliercularum Patavinarum, & vulgata notitia, quæ lactantes, cum primum lac amiſerint, à Pharmacopolis corticem avellanæ in hunc vſum à medulla excavatum, & foramine anguſto fabrefacto, argento vivo plenum emunt, obturato cera orificio, & collo appendunt, vt Lac reſtituatur, quod ipſis ex voto ſuccedit.

Deinde etiam rationem modo agendi addit duplicem, alteram vulgatam, alteram propriam, *Illam* quidem, quod opinio ſit mulierculatum vtentium, id faſcinationibus prodeſſe, & lac à faſcino ablatum hoc modo reſtitui, *Hanc* vero quod hydragyrum vaporoſam in ſe habeat ſubſtantiã, & vſque adeo tenuium ſit partium, vt nõ modo in qualcunque penitiores partes inſinuare ſeſe poſſit, verum etiam tophaceos tumores diſſolvat, ac digerat, Vnde arguit ideo prodeſſe deficienti lacti, quod valeat craſſum ſanguinem fundere & attenuare, qui propter ſui craſſitiem & lentorem, venas mammarum & glandulas ingredi non poterat; Id ipſum vero experimentum valere & ſuccedere noſtra experientia corroboramus, ſæpius enim id cum fructu ſuaſimus. &c. *Wedelius de ſ. m.m. F. p. 196.*

Externe vſurpentur partim emollientia mammas, partim irritantia & lac promoventia, vnde facta ſunt Fomenta ex emollientibus, quo facto fricentur mammæ moderate cum pannis aſperis, vt probe incaleſcant, vt ita mediante ſanguine vberius affluente, pomoveatur vberior lactis proventus. *Etmuller.*

Quæcunque ſerum oleoſum reddunt fluxile ad extra, ſunt, πολύγαλα Invenies puerperas quæ nullo modo lac augendo fœtui obtinent, vel ſaltem alterutra mãma id ſolum poſſident; In altera, v. g. ob prævium abſceſſum poris glandoſis calleſcendo ſubſidentibus: Quibus ergo hæc difficultas fuerit veluti nativa, ibi fruſtra lac citaveris, renitente quippe natura; Vti vero ſuctio impellens eſt extrinſecum immediatum, & inſtar antliæ ex fonte hoc hauriens, ita eundem quoque appulſum citant Topica, *Frictiones* blandæ inſtituendæ, quæ alliciant, non diſſipent. *Fomenta* paulo rariora, quorſum pertinet *angelica ſylv. erratica*, quæ externe cum lacte cocta adhibita, lac certo experimento augere dicitur.

Topica tria ſicca laudantur, *pimpinella recens, cryſtallus* & *mercurius vivus*: *Pimpinellæ* odor penetrans eſt & aperitivus, vt conferre aliquid poſſit manifeſtis effluviis, vti & vino indita, illud ſtatim alterat.

De *mercurio vivo* res certa eſt, illum mammis externe adhibitum affluxum citare maiorem & lac reſtituere; Notandum hanc in rem 1, quod potenter ſerum fundat, exemplo ſalivationis, quod 2. effluviis volatilibus calore rarefactus poros facillime afficiat, gaudens maxima vi elaſica, quod ad oculũ patet, elaſtica ſi ad thermometri formam aptetur, vel vaſe etiam ligneo aperto: calore dilatantur eius pori manifeſto, vt excurrat & turgeat; frigore conſtringuntur, vt interiora petat, & in ſe ſubſideat, ad inſtar omnium humidorum, quod mirandum eſt; 3. convenit tamen, vt omnia hæc, magis præſente impellente intrinſeco, & cæteris paribus. *Wedelius Am. m. m. p. 418.* De mercurio vide §. vterum ſupra hoc ipſo §.

Si ſanguis non fluat ob anguſtiam venarum, optimum erit *aqua tepida* mammas fovere, vel ſinapiſmum debilem, aut dropacem ſupra pectus apponere, vt ſanguinem ad partem trahant, Sed diutius non oportet ſuper mammas ſinere, ne id quod attrahunt digerant, aut inflammationem in ea parte procreent, hoc modo fiet.

℞. *Ficuum maceratar. in aqua.* ℔j. *piſta, adde ſem. ſinapi ſubtil. triti* ℥j. *m.* appone ſuper mammas.

Vel diſſolvatur & permiſceatur multo *oleo*, & poſt aliquam frictionem applicetur ſupra mammas vel potius in circuitu mammarum ſub claviculis, & ſub alis, nam per illas regiones venæ ad mammas perveniunt, Frequenter ſugere mammas vel exprimere, lac fluere facit: *Cucurbitularum* appoſitio cum pauco *igne*, paulo infra claviculas, ad ſanguinis attractionem prodeſt Si menſes nimis fluant, retinendi ſunt prius. *Rondeletius Pr. p. 384.*

[16]· *Et tum fomenta*) Commendatur fotus ex decocto *anethi, aniſi, apij, cumini, fœniculi, menthæ.* Ex *camomel. fœnugræc. ſeſam. caric. radicibus althea* &c. ſimplic. calidè mammis adhibit.

Item cataplaſma ex *farina hordei* & *fermento*: vel ex *farina hordei, ſeminibus nigellæ, ſtyrac. calamit.* & *oleo liliorum albornm.* Ex *fol. fœniculi & petroſelini, farina hordei* & *ſtyrac. calamit.*

Valet & *Emplaſtrum* ad lactis promotionem *Gruling.* Med. Pract. p. 208. *Gieſvvein* Hodeg. Med. p. 1537.

[16]· *Et tum fomente calida*) Vt lac ad mammas attrahatur, applicentur cucurbitulæ ſiccæ infra mammas, hæquè ſequentibus *fomententur.*

℞. *Summitat anethi. pulegij, thymi, menthæ ana* mi ß. *Florum camomillæ, roſarum rubrarum* ana pij. bulli in ſufficienti quantitate *vini albi*, Colaturã cum ſpõgiã intinctã, foueantur mammillæ bis vel ter de die ſat diu, poſtea vngantur oleis calidis, vt pote *nardino, chamæmelino. lumbricorum terreſtrium* &c. Item frictiones mammillarum lac ad illas potenter attrahunt.

Noſtrates in *defectu lactis* ſumunt *pulverem cryſtallorum preparat.* vel loco ejus *pulverem lumbricorum terreſtrium.* Item *lapidem Galactiten*, appendunt anterius, ſi verò extirpare velint lac, poſterius, ex eodem *lapide* pulverem quoque aſſumunt, vel *ſemen ſeſamineum* aut *raphanum* cum vino eſitant, pro augendo lacte. *Paulus de Sorbait* Med. Pract. tract. iij. cap. 5.

Sequentia in lactis defectu maximè etiam commendantur.

Cryſtal. preparat. Lactis lunæ ana ʒiß. *ſemin. nigell. Cardui mariæ, fœniculi ana* ʒj. *cũ ſacchar. in aq. fœniculi ſolut.*

q. ſ. fiant, *rotula* quæ eſpergantur *Ol. ſtillatit. fœniculi.*

Item ℞. *Margarit. preparatar.* ℥ß. *corallor. rubror. preparator.* ʒiß. *ſemin. fœniculi* ℥iiß. *macis* Gran. jv. ſacchar in aq. nuciſt. ſolut. q. ſ. f. rotulæ. valet & pulvis ſequens.

℞. *Semin fœniculi, cardui Mariæ ana* ʒiß. *cryſtallor. preparat. lactis lunæ* ana ʒj. ny. fiat pulvis.

Mynſycht commendat *pulv. de corne mammill. vaccin.* ſed facilè fit rancidus, propterea *Hartmannus vtitur carne mammarum vaccin.* in cibo. *Ioh. Michaelis.*

Mentha contuſa aplicata lac allicit, vel fiat hoc Emplaſtrum.

℞. *Fol. petroſel. fœnic. menth. rec. an. m.* j. *coqu. contuſis adde far. hordei p.* j. *ſtorac. cal.* ʒij. *ſem. nigell.* ʒj. *ol. lil* ℥ii. *f. cat. Sinapiſmis & dropacibus* mammis appoſitis aliqui ſanguinẽ, ſi omnino eo ferri nolit attrahunt, ſed levioribus vtendum, cum facile inflamentur, *Frictio* tutius id facit, Et ſi *Cucurbiculæ* juxta axillas, illic vbi maiores venæ, quæ lactis materiam ferre ſolent, & lividæ apparere ad mammillas deſcendunt, apponantur, *Sugere* ſæpe mammillas, vel ex illis lac mulgere, vt libentius lactatio procedat efficit. *Platerus.*

17. *Laudatur alias*) In vſu ſunt *cryſtallus, lac Lunæ, ſpecies diacryſtalli mynſicthi.*)

℞. *Lactis Lunæ* ℈ij. *cryſtalli prep.* ʒj. *olei deſtill. aniſi. fœnic. ãã. g.* .vij. m. f. Pulvis pro 2. vel 3. dozibus capiat in *brodio gallinæ,* vel *decoctionis fœnic. Etmuller.*

Laudatur inprimis *decoctum flor. ſambuci;* hi enim non minus ac *ſemen nigellæ, fœnic. aniſi,* &c. oleoſitate ſua chylo orgaſmum fœnerant maiorem, vegetatis partibus aqueis.

Quacunque præterea *ſerum oleoſum reddunt fluxile & colationi aptum* abintra ſunt πολύγαλα Fluxile adintra & mediate reddunt blanda *ſudorifera,* vnde videmus, vel ipſa natura indice, lactis appulſum à partu fieri cum quadam heterogeneitate & difficultate, ita vt niſi accedat ſudatio diſcuſſoria & adiuvans hunc illapſum, & prohibens διαχώρησιν morboſam, facillime & quaſi ordinarie oriatur *febris lactaria* dicta, vnde diaphoretica eo caſu vtramque implent paginam, lac mammis, ſanguini vigorem afferunt; *Fluxile ab intra* reddunt id ipſum ſerum temperate *alkalina* acorem, ſulphuri oleoſo contrarium abſorbentia, adeoq́ue coagulum in fieri exuunt, pellunt quaſi à centro ad circumferentiam hanc *ſudorifera* dicta, hæc vero *alkalina* temperata quoque tranſcolant, vt imperturbato ordine poris illabatur; Hinc quæ plurimo abundant acido inprimis viis, lactis imminutionem experiuntur facile; Hinc diaphoretica in febribus ipſis ardentibus ſæpe præſtant lac, vt quod contra naturam fere videtur morbi, natura pouida ſpeciei lac poſſideat ad vltimum fere halitum: quod maius eſt, infantes in ipſis illis morbis malignis, etiam morientibus matribus, non evadant ſolum illibati, ſed & optime habeant.

Liquor filicum ad defectum lactis approbatum eſt remedium *Agricola in Poppium p. 848.* ibi præparatio.

Mulier mea ſemper eſt vſa *lacte decocto* cum *hordeò excorticato,* in partes contrito, quo cibo perpetuo vtens miraculi inſtar lac ad mammas evocabat.

Certiſſimum hoc eſt.

℞. *Semin trifol. prat. aniſi, ſeſami fœnic. papa. ãã. a* ℥ß. *f. Pulvis ſubtiliſſ. dozis* ʒj. *mane cum vino vel decocto cicer. rubr.* Grulingius *Pr. l. 2. p. 3. c. 5.*

Valde laudatur *confectio ſem. carui,* vehementer enim lac allicit. *Herlicius de cura Gravid. p. 361*

Mirum in mocum lac auget hic.

℞. *Semin. fœnic. aniſ. paſtinac. ãã. unc. ß. ſem. lini.* ℥j *cinnam.* ʒij. *ſacch. c. unc. i. ß. f. Pulvis. dozis* ʒiß. m. &c. cum *vino* Fr. Ioel.

Species diacryſtalli lac adeo augent vt omnis fere ſumptus cibus fere lacteſcat. *mynſicth. Arm. am. p. m. 110.*

Oleum ex rad. dauci cret. (*circa* 15. 16. 18. Auguſti effodi debet) aſſumptum mire lac auget. *Turabenſetus Herbilic. c. 15.*

Flores tiliæ cocti in lacte mirabiliter lac provocant. *Stockerus.*

Mirabile invenimus *lactucas coctas* in *aqua hordei* in potu mire lac auget *Varignana.*

Vaccarum vngulæ ex prioribus pedibus exutæ crematæ & ſubtiliſſime pulveriſatæ, Lac nutricibus augent ſi detur in *iure,* vino &c. *m. Ant. zimara. Antromas. p. 55.*

Matronæ in primo puerperio ex mœrore mammę exaruerunt omnino, 1. vt ſe exhilararet admonui 2. corpus leniter *pulvere Senæ Braſſavolæ* leniter expurgavi, 3. ſingulis diebus in aurora ad ℈ij. *pulv. lumbric. terr.* præpar. cum *pulv. augalacti liquir. & ſumm. fœnic.* popinavi. 4. mammas *ol. lumbric.* bis de die inunxi, obſervata etiam proba victus ratione, lac copioſe profluxit. Idem ſuceſſit in àliis. *Hildanus cent. Obſ. 27.*

17. *Laudatur alias*) *Decocta* medicata hæc ſunt.

℞. *Hordei p.* j. *h. fœnic. petroſel. ãã. m.* j. *coqu. addito ſacch.* Vel

℞. *Rad. echii.* ℥ß. *h. rec. malvæ braſſicæ polygalæ. fœnic. petroſel. anethi, erucæ, ocymi, mentæ, ãã. m.* j. *hordei, cicerum, ãã. p.* j. *ſem. aniſi.* ʒiij. *ſem. nigellæ* ʒj. *f. decoctio adde ſacch.* q. ſ. bibat ſingulis matutinis.

Ex ſuccis ſic.

℞. *Succor ſonchi. & tragopogi* ãã. ℥ß. *detur cum vino albo vel addito ſaccharo.*

18. *Ad lactis generationem*) Vnde hanc vim habeat diſquirendum eſt Eadem ratio eſt quæ *Lactis Lunæ* itidem commendati, Nimirum hæc & alia huiuſmodi ſiccæ naturæ, lac *materialiter* non efficiunt, chylum videlicet conſtituendo nec *inſtrumentaliter* aut *directive,* chyli ad mammas tranſitum iuvendo, ſed tantum *diſpoſitive,* vbi inquinamia acida (inprimis viis colliquamento alimentorum accedentia, quorumque culpa concoctio vitiatur, chyluſque vel nullus vel paucus, vel minus laudabilis conficitur, vnde mãmæ lacte debito defraudantur) imbibit, abſorbet, præcipitat; ac ita lactis impedimenta removet. *Georgius Francus Diſſert de Lacte virginis.*

18. *Ad lactis generationem*) Lac generans medicis ſumitur tam pro eo quod materiam ad lactis generationem ſubminiſtrat, quam quod genitam iam lactis materiam ad mammas deducit; quorum prius quaſi materiei poſterius vehiculi quaſi rationem habet: Priori intentioni velificantur quæ lacte materiam ſuggerunt, poſteriori quæ eandem ad mammas deducunt, & promovent, vt inibi lactis formam nanciſcatur, moderata nempe incidendi, attenuandi, fluxile *reddendi* aperiendique poros facultate, quo ſanguis chyloſus reddatur ſubtilior, meatus dilatet, ac per illos humorem chyloſum ad mammas transferat. *Wedelius.*

18. *Ad Lactis generationem*) Leve videtur poſtulatum mulierculariim *Lac facere,* attamen ſatis magnum eſt ſæpe, Lac quæ *augent* & eius copiam producunt.

Vel 1. augent chylum, ac partes ſanguinis ſeroſas, chyloſioreſque qualia ſunt non tantum alimentoſa, εὔχυλα καὶ πολύχυλα, facile in ſuccum & ſanguinem convertibiliâ, *ova ſorbilia, iuſcula amygdalina, ex Lacte nucleis pinis oryza & ſim. potus largior,* quem ideo non ſine cauſa concedimus nutricibus, vt eius ſuggeſtione lac hinc ſuppetat, vnde etiam cum *lacte* decocta & *ipſum* hauſtum per ſe, quam maxime huc faciunt. Pertinent huc *vbera vaccina,* quæ rectius alimentis iunguntur quam medicamentis, quia facile rancorem contrahunt; Sed & *medicamentoſa,* quæ partes ſeroſas cum aqueis communicant, & immerſas habent; quo chyle

chylo & lacti maxime conforme eſt; quippe quod nihil eſt aliud quam partes oleoſæ ſubſtantificæ aquoſis remixtæ: *Semen card. mariæ &c.* Faciunt quoque huc Oleoſa temperata alia, *ſemen nigellæ, fœnic. paſtinacæ* & ſimilia.

Vel *vias patulas præſtant*, & *reddunt poros liberos, vt commode influere poſſit*, vnde recte elogio *Ch. Langij. m. ſ. cur. Diſſ. 19. diaphoretica & ſudorifica*, ſingula, præſertim ſi blanda illa ſint & temperata; effectum illum præſtant, *Abſorbentia* ſcilicet, quæ coagulum impediunt, & potius alkalina ſua natura, vti ſal interpres eſt coniunctionis partium oleoſarum cum aqueis commixtionem, ſeu confuſionem hanc procurant, ſic Idem, ceu arcanum commendat *Decoctum* ex *flor. ſambuci exſiccat.* cum *lacte vaccino* factum ceu probatiſſimum experimentum, quo pro vehiculo ſæpe vſi ſumus: Sic *criſtallus* præparatus, *lumbrici terreſtres* præparati, & præ omnibus *Lac Lunæ*, hunc cenſum maxime ſubeunt. Et *vinca pervinca*, quovis modo hauſta vel propinata vim habet γαλακτοποιητικὴν.

3. Vel affluxum ad mammas promovent, vti ſunt frictiones, Fomenta, de quibus §. *Et tum Fomenta Wedelius deſ. m. Fac. p. 195.*

. Pertinent huc quæcunque ad victum plenum ſpectant, quæque ex hoc ipſo humidum oleoſum, ſeu aqueo-ſulphureum ſuperfluum principium corpori magis fœnerare norunt, Pertinent huc *Emulſiones*, tanquam lac artificiale & cum eo parata decocta, *Idem Am. m. m. p. 4. 18.*

19. *Cryſtallus*) De Cryſtallo vulgaris eſt opinio, quod dorſo applicata lac imminuat; anterius vero adaugeat, Cuius rei rationem facile patet: niſi dicamus illud fieri frigore & frictione mediante (nam de loco practici conſentiunt) hoc frictione & accubitu, ſiquidem facile in rarioribus corporibus, vt ſunt mammæ, appoſita poros geſtatione ſua, dilatant, vt ſudent quoque facile, cryſtallus vero inprimis id fecerit, quia alienæ qualitatis omnis eſt expers. *Wedelius A. M. M. p. 419.*

Cryſtallus lac nutricibus auget; Quod à Tridentinis mulieribus didicimus. *Matthiolus.*

20. *Cryſtallus præparatur*) *Ad vſum videlicet internum*, At audiendi non ſunt practici qui pulveres ex *ſemine fœniculi*, & aliis calefacientibus & attenuantibus & exſiccantibus componunt, vt *corallo* (cryſtallo) &c. Quid enim poteſt corallium ad generationem ſanguinis, cum non concoquatur, nec in ſanguinem vertatur, ob ſiccitatem & duritiem, neque propter eius qualitatem, cum ſit frigidus & ſiccus, poteſt iuvare concoctionem, neque ſanguinis generationem. *Rondeletius pr. p. 383.*

20. *Cryſtallus præparatus*) Vt. ℞. *Cryſtalli ſubtiliſſime triti.* ʒj. detur cum decocto aliquo.

Corallium eodem modo exhibitum laudant: *Lac Lunæ* appellatum, ex Alpium cavernis abraſum ad lactis generationem, ſi ʒi. pondere ſæpius exhibeatur, vtiliſſimum cenſent. *Platerus.*

21. *Folia radices & ſemina fœniculi*) Eminent *fœniculum* hinc *aniſum* eorumque decocta, vnde decoctũ *ſemin. fœniculi* & ſũmitatum eius, experimentum eſt *Amati*: Hæc enim & ex illis *olea* deſtillata proficua ſũt; quia lac generant, & quia lac etiam medicamentoſum reddunt; *Kerkringius* obſervavit quod nutrix lacteſcẽs fœtum, aſſumpſerit *oleum diſtill. aniſi*, vnde fœtus emiſit crepitus ventris aniſi odorem referentes. *Etmuller.*

8 *Fœniculi recentia*) Fœniculi herba ob ſuam humiditatem minus ſiccat, & ad ſanguinis diſtributionem multum valet, & proinde ad lactis generationem. Quod ſi ſemen ſiccum ſit deſiccat, vt eruca recens ſemen auget, ſicca minuit, ſic de ſemin fœniculi ſentiendum eſt. *Rondeletius Pr. l. 2. c. 18.*

℞. *Folior. fœnic. virid.* q. ſ. bulliant in *vino vel aqua* ad ſufficientiam, deinde coletur; vtatur in prandio, cœna, vel aliis temporibus pro potu ordinario, fieri nequit quin lac abundet; *Alexis pedem.*

22. *Radices & ſemen fœniculi*) Vſus *lac augentium* eſt determinatus ad nutrices, ſeu lactantes, quæ alias ſanæ penuria lactis laborant, ad ſugentium ſuſtentationem, præcipue ſi infans fortius ſugat: niſi enim ſufficiens quantitas ſuppetat, nutrire non poteſt, vnde tormina, inquietudo, clamores: Plurimi ſane infantes moriuntur Lactis culpa, vnde faciunt hæc ipſa ad lac etiam depurandum quaſi, vnde conſulto aſſumuntur frequenter ab iiſdem ſemina carminativa *aniſi, fœniculi, carvi*, duplici hoc nomine, vt & flatus abarceant torminoſos, & lactis proventum facilitent, optimo ſane conſilio & effectu; Addi & tertium poteſt, quod ſubtiliſetur hoc pacto lac paulo ſpiſſius & oleoſius, facile daturum epilepſiam, quod corrigatur lac nimis aquoſum, diatriteas citans: Optime ſe eadem gerunt, vt lac in prima culina probe concoquatur, nec cruditates generet, vtriuſque vero hæc generis lac augentia vt plurimum coniungenda ſunt, vel coniuncta ſaltem efficacius ſe gerunt, Et ſuctu ipſo videmus toto die continuati illum appulſum. *Wedelius.*

Quæ ſicciora ſunt, minus Lac generare poſſunt, tamen probantur multa ſemina, quorum herbæ vtiliores ſunt, vt

℞. *Semin. aniſi.* ʒiii. *ſem fœnic.* ʒj. *ſem. erucæ, nigellæ, ãã.* ʒß. *f. Pulvis, dentur* ʒij. *cum decocto aliquo* ſimplici vel compoſito. *Platerus.*

23. *Lumbricorum*) Eorum decoctum valde laudatur, factum in *brodio carnium* ſimplici, vel in quo *fœniculum, hordeum* aliaque incocta ſint, & neſciat nutrix quid illi ſit exhibitum Eorundem Pulvis ſic exhibetur.

℞. *Lumbric. exſicc. pulv.* ℥ß. *ſacch.* ℥ß. *ſem. aniſi.* ʒj. *zinzib. cinnam. ãã.* ʒß. *f. Pulvis, Detur cochlear cum decoctis.* Platerus.

23. *Lumbricorum terreſtrium*) Sex aut ſeptem *terræ lumbricos*, pulver. cum *palmulis* contuſis miſceto, & in *zythi* cyatho mulieri tribus diebus poſt balneum propinato, & admiraberis quam copioſum lac fuerit, *Aetius tetr. 1. ſ. 1. c. 6.* commẽdantur *lumbrici terr. vino albo & ſucco fœnic.* prius loti, & in furno exſiccati; datur ʒi. vel ij. *ex vino* diebus aliquot, *Sennertus.* mirabilis efficaciæ eſt *pulvis lumbric.* ʒi. vel quod melius *Aqu. lumbric. deſtill.* ℥iij. aſſumpta cum pulvere, extemplo enim lac redit. *Gotofr. Buch. Part. 3. c. 5.*

24. *Vino albo*) Puto beneficio potus conſueti avidius hauſti promoveri lactis non tam generationẽ quam effluxum, fruſtra ſiquidem hoc tentatur, expectaturque in fœminis pauco lacte præditis, feliciter contra in iis quę lacte abundant: Exiſtimo namque in talibus lac quidem produci continue, ſed ſatis craſſum, quod à partibus potus aqueis & ſpirituoſis ſolvitur, nec tamen aliam lacti affert mutationem; ſicut videmus quotidie lacti brutorum additam aquam ipſum amplius diluere aliam vero ipſi noxam non afferre, Vnde lactantes ſolito magis ſolent ſitire, atque potum aquoſiorem deſiderare, quin ab ipſo optime habere, non nocet tamen parum ſpirituoſi adeſſe; *vinum* namque, potuſque generoſus quivis non tã conducit lactis proventui quam cereviſia tenuis, aliuſve potus conſuetus, aquoſior, qualis eſt lactis ſerũ, & in quibuſdam lac ebutyratum, notum enim eſt vini ſpiritum, vinumque quodvis, ſed maxime potens ac generoſum nocere lactis productioni; Cõferre contra potum quemvis, maxime aquoſum, ipſumque adeo vinum in validum & ſatis aqueum. *Fr. Sylvius. pr. l. 3. c. 10. §. 21. 22.*

25. *Papillæ, quando ea vel &c.*) De Papillarum vitiis conſule caput de mammarum vlceribus.

[25] *Papilla quando ea vel latet*) Deſunt aut deeſſe ſaltem videntur papillæ in quibuſdam ante impręgnationem atque partum; aliis etiam poſt partum & lactationem iam inſtitutam: Ante partum videntur deeſſe, quia retractæ ſunt latentque in mammis, quæ ſponte ſolent poſt partum emergere, blando ſaltem affrictu, pileolorumque cereorum, aliorumve impoſitione iterum prodire: In quibuſdam tamen revera deſunt, nec dictis remediis blandis emanant, ſed nec vi foras extracta, & in ambitu circumligata, papillam repræſentante, aut mentiente parte: Poſt partum & lactationem ipſam deſunt aliquando Papillæ, per fiſſuras tranſverſas profundiores tandem à mammarum corpore ſecedentes, ab infantibus mordicus amputatæ: unde patet alias eſſe hoc malum incurabile, alias ſenſim & artificioſe papillas nunc latentes foras elici, nunc deſideratas efformari, quamvis minus commodas, quæ tamen paulatim reddi ſolent aptiores. *Sylvius l.3. cap.12.*

[26] *Vel latet, vel non eſt perforata*) Adde ſi deficit, quod à variolis in fœmina pagana ſe obſervaſſe ait *Wedelius A.m.m. p.416.*

Appendix

De parciore Lactis generatione.

Generatur Lac parcius itidem nunc *Glandularum mammariarum*, ipſiuſve *Fermenti lactiferi*, nunc *Sanguinis* culpa: Glandularum, fermentive, cum id *parcius* vel *invalidius* exiſtit ad ſufficiens infanti nutriendo Lac producendum; Parcius, eſt cum non tam exiles ſunt glandulæ mammariæ, quam producendo lacti ſatis copioſo minus aptæ, quod ſæpe videmus contingere ob animi mœrorem, frigusve externum grave, & alimenta craſſiora, unde merito putamus id fieri ratione humoris alicuius craſſioris, melancholici & auſteri, quavis de cauſa in corpore producti, & ad mammarum glandulas delati; Lactiſque productionem minuentis: Si proinde ab Animi mœrore terroreve, aliavè de cauſa qualicunque auctus eſt in corpore humor melācholicus Lactationis tempore mammæ, ipſarumque Glandulæ præ aliis partibus omnibus ab ipſo afficiūtur male, ideoque *Lactiferum fermentum* in ipſis paratur parcius & minus volatile, minuſque dulce ac temperatum, quin Lac generatur & parcius & vitioſum: Non tantum à memoratis cauſis externis producitur fermentum Lactiferum parcius, ſed minus quoque volatile, minuſque dulce ac temperatum, deoque ad ſanguinem in Lac mutandum *invalidius*, unde & vitioſum & parcius gignitur Lac, adeo ut tum ob fermenti quantitatem minorem, tum eiuſdem qualitatem obtuſam ac inefficacem Lac generetur parcius.

Curabitur illud vitium medicamentis aromaticis ſpirituoſis, & ſale volatili abundantibus, quorum ope humor ille melancholicus & auſterus, undecunque ortus corrigetur, & noxa in mammis ab ipſo producta emendabitur, fermentumque adeo laudabile, ſatis copioſum in poſterum gignetur denuo, ubi tam interna conducent quam externa, ſupra §. recitata: Ubi notandum ſi à *frigore externo*, vento nempe boreali & aſpero fuerit productum malum, utiliter uſurpari *Sudorifera* laudatis medicamentis ſimilia, quorum ope foras propellebitur iterum quicquid penetravit per cutis poros ab aëre & vento, noxio quodque nōnunquam tamdiu remanet in corporis habitu, donec per ſudores repellatur quod in eo permanſit. Si *Alimenta noxia* & *auſtera* fuerint copioſius ingeſta, utile fuerit poſt præviam humorum auſterorum correctionem ac præparationem blandis purgantibus educere ipſos per alvum, quia tunc non tantum corrupti ſunt humores corporis naturalis, verum aucti quoque iidem, unde non ſolum alteratione indigent, ſed & evacuatione ac diminutione: Sin à ſolo *Animi affectu gravi* ortum habuerit hoc malum: ſola ſufficient alterantia modo laudata, licet utile ſit nonnunquam, ubi animus agitatus fuit vehementer, Sanguinem mittere, etiamſi abſit plethora, vel eius æſtus, quatenus in vehementi animi affectu ſiſtitur plus minus ſanguinis motus turbantur ſaltem non tantum illius effervescentia, ſed eadem non raro augetur aut minuitur; augetur fere ab ira, minuitur à triſtitia & pavore; quia vero metus eſt ne ceſſante ſanguinis motu, ſanguinis partes variæ in dextro cordis ventriculo hærentes ſuffocationem &c. imo mortem inducant, utile eſt aperta in tempore vena ſanguinem à corde alio derivare, motumque ipſi conciliando noxium illud quaquaverſum diſpergere.

Sanguinis quoque *culpa* imminuitur Lactis generatio, cum nunc *parcus* eſt in corpore; nunc *parcus accedit* ad mammas; nunc *viſcoſior* & *glutinoſior* ſegnius ac parcius mutatur in lac: *Parcus* eſt in *corpore* vel ob ipſius iacturam notabilem, in lochiis, menſibus magna copia effuſis; hæmorrhagia quavis: Si proinde à quavis memorata cauſa Lactis generatio parcior ſit, ad curationem requiritur ut 1. cauſæ illæ removeantur 2. ſanguinis effluxus præſens cohibeatur, 3. ſanguinis reparatio procuretur; *Parcus accedit ſanguis ad ubera*, cum viæ ipſum eo deducentes, Arteriæ (vel *vaſa lactifera*) ſunt nimis exiles ac paucæ, ſive à prima conſtitutione, ſive ab affectu aliquo in mammis arterias quaſdam aut conſumpſerit aut notabiliter anguſtaverit; *Arteriæ exiles* blando frictu nonnunquam extenduntur ampliantúrque paulatim, & ita quidem ut *fœminæ* quibus poſt primum partum paucum generabatur Lac, id ſequentibus partubus producant copioſius: Quod ſi blando frictu non ſuccedat, nec alia Lactis defectus cauſa ſubſit, matres frictionibus &c. haud moleſtandæ: Si ab *affectu* quovis fortuito aut alio *corrugatæ* aut *exſiccatæ* conſumptæve fuerint ex parte ſaltem, arteriæ mammariæ, videndum an remediis externis, oleis, Linim. ungu. Empl. catapl. Fotibus, Balneis &c. emolliri poſſint, & ab adhærentibus viſcoſis humoribus & auſteris pedetentim liberari, mox & iterum ampliari explicarique; qua ſola ratione putem aliquid laudabilis ſperari poſſe in affectuum tam difficilium curatione. Diminuitur tandem Lactis generatio, cum *viſcoſior* & *glutinoſior* eſt ſanguis, ideo ſegnius, hinc & parcius in lac mutatur, Segnius mutatur quatenus magis reſiſtit fermento lactifero temperato, quin quatenus ipſum *fermentum* eſt nimis *glutinoſum* & ad ſanguinem in lac mutandum minus aptum quoniam enim id fermentum naturæ eſt ſubacidæ ac temperatiſſimæ (*non enim ſine gravi cauſa exiſtimamus in mammarum glandulis præparari liquorem acidiuſculum, ſed valde temperatum qui partibus ſanguinis ibidem è reliqua maſſa ſecretis admiſtus eaſdem tum magis conſiſtentes, tum intimius commiſtas, tum albicantes præſtet, adeoque in lac mutet: Novimus ſalivam in glandulis conglomeratis præparatam & inſipidam plurimum differre à ſucco pancreatico, itidem in conglomeratis glandulis præparato & ſubacido vel ſubſalſomuriatico; Aciditatem tamen in ſaliva latere plurima probant experimenta cum ipſa inſtituta. §. cap. 10. §.7.*)

fe-

facillime impeditur in ſua operatione à ſanguinis glutinoſitate: Sed impeditur idem adhuc magis, cum ipſum exiſtit temperatum, ſed inſuper glutinoſum adeoque obtuſum ac iners, ob ſanguinem ſimilem à quo ſuum habet ortum: Dum autem ſic ſegnius in Lac mutatur ſanguis, mutatur idem parcius quoque, minus enim eius illam ſubit mutationem: Diminuta vero ob ſanguinis glutinoſitatem nimiam Lactis generatio curabitur ſanguinis inciſione ac emendatione, Ideo 1. vtendum aromaticis & ſale volatili abundantibus 2. medicamentis aciditate blanda & volatili præditis, medicamenta Aromatica ex vegetabilibus præſertim petenda, vti ſalia volatilia ex animalibus, Acida nobis promunt multa vegetabilia, ſed longe magis efficacia mineralia, & inprimis ſalia, ex quibus diſtillatione elici ſolent ſpiritus acidi & acres, qui additione ſpiritus volatilis, & cohobatione frequenti redduntur blandiores. *Sylvius ibidem.*

II. [27] *Redundantia lactis* [28] σπαργάνωσις [29] *vel fit à ſanguinis nimio poſt partum ad mammas allapſu*, lactificâ vi ſimul forti. [30] Et *tum* [31] faciles tumores, lactis coagulatio, concretio & corruptio: [32] ſanguis [33] diætâ tenuiore, & ſi nimius [34] venæ ſectione aut *cucurbitulis ſcarificatis* [35] ſubtrahendus eſt: [36] repellentia, vt folia *lactucæ*, *nymphææ*, *papav. ſempervivi*, ne mammæ inflammentur, & [37] adſtringentia, vt ol. myrtin: roſar folia plantaginis [38] cautè ſupra mammas [39] verſus brachia ponenda: *vel à collectione*, ſeu [40] quia matres lactare nolunt: Et [41] tum abigitur [42] lac ſi in prunas emulgeatur; ſi *ſmegma* alis brachii [43]. inungatur, quod Danicis mulieribus ſuetum, ſeu, quia infantes [44] non tantum [45] exſugere poſſunt, quantum conficitur. Et tum [46] repellentibus quoque & [47] lac abſumentibus agendum, qualia ſunt, *fæx aceti* emplaſtri modo mammis impoſita: *muria* cum pulvere cymini: *cicuta* in aqua *chærefolii* & aceto decocta: ſpongia in aceto in quo cyminum coctum demerſa, aut ſuffumigium cum aceto acerrimo.

[27] *Redundantia Lactis*) Vt deſideratur quandoque Lactis productio, ſic contra generatur aliquando *Copioſius*, vnde lactantes non tantum gravantur, quatenus ipſi valde diſtenduntur mamæ quæ ipſas neceſſario gravant & pondere anguntur; ſed & debilitantur, quatenus ſanguis plurimus conſumitur ipſis, ſive ſponte effluat lac, quo tempore magis debilitantur, ſive lactatione ſola educatur: Augetur vero Lactis proventus, alias à ſanguine, alias à fermento lactifero, alias ab vtroque, ſanguini debetur lactis vbertas cum is non tantum laudabilis & optimus, ſed ſimul fluidus exiſtit ac tenuis ob vſum alimentorum multi ſucci & fermentationis facilis, ac ſpirituoſorum & ſale volatili abundantium, vnde fluiditas ſpirituoſa producitur, ob quam, vt ſic loquar, videtur facilius fermenti lactiferi, itidem ſpirituoſi vim excipere ipſe ſanguis: Tunc ergo annitendum vt ſanguini maior concilietur viſcoſitas & glutinoſitas; Id autem fiet, 1. mutando Aërem in aſperiorem ac frigidiorem. 2. alimenta in aliquantu viſcoſiora & ſalita vel fumo indurata, 3. corpus minus movendo & ad quietem deducendo. 4. ſomno magis indulgendo. 5. animum ad triſtitiam inclinando 6. partium ſubtiliorum eductionem per alvum leniter augendo: Inprimis abſtinendum ab vſu alimentorum maxime ſpirituoſorum, & ab omni ſale volatili quorum loco vſurpanda quæ ſuccum craſſum ac glutinoſum producunt, qualia ſunt vegetabilia valde ſucculenta plantago, portulaca bekabunga, pyra cydonia, meſpila &c. *Fermento lactifero* adſcribenda lactis vbertas, cum id exiſtit tum copioſum, tum potens ac ſpirituoſum, Tale vero fit propter *Aerem ſerenum* atque ad frigus vergentem, inprimis ob alimenta volatilia acido condita, à quibus non tantum augetur eius copia, ſed inſuper robur & efficacia: Immutabitur vero illa *Fermenti Lactiferi aucta vis* & ſpirituoſitas, tum abſtinendo ab iis quæ eius productioni anſam præbuerunt; tum vſurpando ea quæ obtundere ac figere poſſunt acidum, vt ſunt pinguia, glutinoſa, acerba, aquea, & ſalſa lixiva fixa: Eiuſdem *Fermenti copiam* minuent ſudores blandi ſubinde excitati: Præter ſanguinem laudabilem, ac fermentum valde ſpirituoſum ac copioſum ad Lactis productionem vberiorem facere obſervantur *Glandulæ mammarum* molliores, cum rarius ac multum producatur cum duræ ſunt mammarum glandulæ; quæ *molles* mihi videntur ob Acidum minus acre acerbūque in ipſis productum ab auſtero namque & acerbo indurantur magis partes quævis, atque adeo ipſæ glandulæ, donec eodem ſenſim acriore facto lancinationes in ipſis excitentur, ac tandem Cancer producatur. Glandularum hæc mollities, vt pote minime vitioſa vel noxia, nullo modo mutari debet, ne induratæ noxam patiantur. *Sylvius ibidem.*

[27] *Redundantia lactis*) Fit hoc vel abſolute, vel reſpective: *abſolute* quando mulieres non lactantes plus lactis conferunt quam fœtus exſugere poteſt, *Reſpective* quando lactare nolunt; & ita lac in mammis colligitur. *Etmuller.*

[27] *Redundantia lactis*) Vitium eſt mulieribus familiare vbi pepererũt, Quod ſi lac è mammis effluat ſymptoma eſt in genere excretorum; Si non effluat, ſed retineatur, volunt eſſe morbum in magnitudine aucta. *Pr.*

[28] σπαργάνωσις) Hoc verbo generaliter omnis ferox humorum impetus intelligitur, vt in animalibus quæ ſemine turgentia in venerem feruntur aliter ὀργασμὸς dicitur, Idem nomen mammis lacte turgentibus accommodatur, quando præ nimia copia adeo tenduntur vt lac ſtillent, Σπαργᾶν exponit *Heſychius* ὅτι οἱ μάζοι πλήρεις ὦσι γαλάκτος. *Primiroſius.*

[29] *Vel fit à ſanguinis &c.*) Cauſæ remotæ inveſtigandæ ſunt in vberiori alimento aſſumpto, *hinc* in laudabili digeſtione ſtomachi, *hinc* mammarum laxitate, & mollitie glandularum copioſarum & mediocris cõſiſtentiæ, Et in ſpecie, volatili acido præcipitante lac ex maſſa ſanguinea: *Etmuller*; oritur ſemper à nimia ſanguinis ad mammas, affluentis copia; quæ exuberat, vel ob copiam alimenti calidi, euchymi, vel ob alias cauſas ſanguinem augentes, vt ſunt otium, balnea, ſuppreſſio excrementorum præcipue menſtruorum, quæ ſemper ſupponenda eſt, omnes denique cauſæ ſunt priori affectui contrariæ. *Primiroſius.*

[30] *Et tum faciles Tumores*) Venas tumor occupat interdum eas quæ Lac deferunt in mammillarum vna vel altera, qui eas vel omnino tumidas & diſtenſas reddit, vel collectus alicubi & durus, partim mammillis *inſertus*, partim *exertus* deprehenditur, cum dolore aliquo ſe alias offerens, alias & cum rubedine circum circa, quæ in inflammationem aliquando, dolore invaleſcente convertitur: Cuius redundantiæ Lactis cauſa ſanguinis, vnde lac oritur copia eſſe poteſt Inprimis vero Lactis iam geniti in mammillis

retentio & collectio, idque plerumque poſt partum, lactationis tempore, quo ſi mulieres vti multæ ſolent, infantem non lactent, hoc illis interdum evenit, alias etiam licet infans lac ſugat, qui tamen exſugere penitus non poteſt, ob copiam, novo ſemper lacte ſuccedente, ſeque cumulante, idem ſolet accidere; Frequentius autem cum infantem ablactantes à lactatione ceſſant, hunc affectum diebus aliquot poſt ſentiunt, Vix autem ante partum, etſi mamillæ creſcant, & lac generari incipiat, interdumque è papillis emanet, illius cauſa *Tumorem* patiuntur: Cæterum, non ſolum lactis hanc exuperantiam, cauſam eſſe huius mamillarum intumeſcentiæ, ſed & illius *concretionem*, plerique docent; quod ſi eſſet, tumor inde collectus & durus, qui in illis interdum apparet, ea in ſede vbi concreſcit, potius quam alia illius diſtenſio oriretur, atque lacti hoc, quia è propriis vaſis excidit, accideret, & tunc, cum lac coagulatum, vti & ſanguis concretus, citra ſuppurationem vel corruptionem, diutius in parte non poſſit perſeverare, nec niſi ægre diſcuti queat, hic tumor in abſceſſum facile convertetetur. *Platerus.*

31. *Et tum faciles*) Vitium hoc non modo infantes, ſed etiam ipſas nutrices lædit, quin ex lactis copia mammæ diſtentæ dolent, & interdum inflammantur, Lac copioſius etiam craſſeſcit, corrumpitur, deinde exulcerat, varioſque morbos parit; *Ariſtoteles 7. de Hiſtor. An.* ait pueros ſæpe convulſiones pati ob lactis copiam, etiamſi illud bonum & iucundum, Cauſam *Mercurialis* vult eſſe repletionem nimiam nervorum, verum dubito num lac probum nocere poſſit; Potius dicerem ex lacte avidius ſumpto, fieri cruditates multorum malorum cauſas; tunc lac aceſcit, corrumpitur, concreſcit & in alia vitia tranſmutatur, Affectus hic non eſt ſpernendus, ob ſuffocationis periculum, quia lac corrumpitur, inflammat febres, vlcera, papularum eruptiones, ſimileſque morbos creat maxime ſi vitioſum ſit, in caſei ſpeciem cogatur, vel retineatur, vt docet exemplum mulieris, 1. Epid. 2. quæ vbi lactabat, ſemper vlceribus plena erat, Quod ſi ſponte lac effluat, aut commode à puero ſugi poſſit, nihil mali portendit. *Primiroſius.*

Omne lac reſtagnans, nec exitum ſuctu inveniens, concreſcit, grumeſcit, vnde tenduntur mammæ, inflammantur, & non raro ſuppurantur, ſive terror aliquis præcedat, vel alius gravis affectus, mœror, triſtitia, quod frequentiſſime accidit, ægrotantibus vel morientibus infantibus, vt reſtitet, nec in vaſa æque, vt alius ſanguis, ad cor tunc ruens recipiatur, vnde proximus eſt ad coagulationem gradus. *Wedelius de ſ. m. F. p. 197.*

31. *Faciles Tumores*) Cauto ergo opus eſt inprimis, ne mammæ patiantur *inflammationem*, Inflammatio ſequitur ſubſiſtentiam, quæcunque ergo inflammationem, ſubſiſtentiam & tranſpirationem difficiliorem cauſantur, abſint, *pinguia*, oleoſa, vnguinoſa, illa enim inflammationem vel cauſantur, vel augent, non aliter ac in eryſipelate quovis idem fit, hinc licet videantur dolorem lenire, magis tamen eundem promovent hoc loco longe humidiori & delicato, glandoſo ac ſpongioſo: Abſint *ſpirituoſa*, quæ alias, ſi locus id permittat, optime proſunt, etiam in gangræna, exemplo *ſpir. vini camphorati*, Laborabat puerpera dolore & inflammatione mammarum incipiente, obſtetrix applicat *ſpiritũ vini*; Inde febris inducebatur manifeſto motu, ſudoriferis abacta; Abſint *aquea* & humida quævis, ſeu ſola, ſeu cum terreis mixta, ſola ſcilicet & frigida, aqua enim calcis vivæ, leni alkalina ſua natura diſcutere apta nata eſt, modo itidem cum cautela id fiat *Wedelius.*

32. *Sanguis diæta tenuiore*) Lac minuentia duo dicunt vel complectuntur, in eundem effectum conſpirantia, quæ nempe & minuunt & minuendo reſolvunt; Cum ergo intentio ſit lac collectum & factum emittere, futurum vero arcere, hinc poſſet quidem & tenuior victus ſuaderi, id vero cum fieri non æque liceat, nam nutriri debet corpus, à natura ſæpe magis intenta, vt lac adſit pro fœtu quam, vt ſuperfluum in corpore alimentum ſit, nec æque concedatur a delicatis, vix fere niſi ſecundario id præcipi ſolet. *Wedelius.*

32. *Sanguis diæta tenuiore*) Occurritur vel per ea quæ lac intro revocant, vel quæ idem diſſipant, diſcutiunt, exſiccant, abſumunt, Liniantur ergo mammæ ter, quater in die *ol. roſar. myrtillor.* & *aceto roſar.* ſimul mixtis dein poſt litum ſuper aſpergitur pulvis myrtillorum, poſt ſuperponitur Empl. conſtans ex repercutientibus & adſtringentibus: *Limus qui invenitur in fundo alvei eorum, qui ad molam cultros exacuunt mixtus cum oleo roſarum* tepide admotus mammis ſedat dolorem & brevi lac fugat: Lac *diſcutiunt & exſiccant oxycratum* in quo ebullierit *hedera terreſtris, vinca, pervinca, ſalvia; apium, ruta, roſa,* & *alumen rocha*, *fæx vini rubri* cum *aceto* mixta: Cataplaſma ex *mentha* & *abſinthio* ſiccis, & radice *chelidoniæ majoris*, decoctis, tuſis & per cribrum trajectis, addita *farina fabarum orobi, lupinorum, cum oleo lilior.* Fotus ex *fœniculo, apio, petroſ. malva, althæa, ſem. ruta, agni caſti.* quæ duo lac & ſemen conſumere putantur, Fiunt Fotus *ex aceto* tepido in quo *cancri fluviatiles ſiccati* fuerint macerati: Ad eundem affectum illinuntur mammæ *ol. populeo* cui *cuminum* mixtum ſit; Hic exſurgit quæſtio, *An vbi mammæ dolent*, lac *ſit exſugendum?* *Aetius* id fieri vetat, quia, *inquit ille*, quo magis exſugas, eo magis augetur, quod ſcilicet dolor ſponte trahit ſanguinem, vnde lac multiplicatur, cui niſi detur exitus, metus eſt ne cõcreſcat, hic autem exſuctio duobus modis, vel inſtrumento quodam ad id fabricato, vel à lactantibus infantibus, vel à mulieribus *Enchir. med. pract. p. 336*

33. *Sanguis diæta tenuiore &c.*) A Lacte profectæ mamillarum exuberantiæ tumoris cura, alias cum ſponte plerumque ceſſet, non ſuſcipitur; Quod ſi vero adeo vrgeat, vt metus ſit *inflammationis*, tunc cura eo maximè dirigitur, vt *proventum lactis* & in fluxum illius in mammas impediamus, atque genitum ex parte abſumamus; vel illico educamus, Si vero concretum, tumorem collectum & duriorem gignat, eum quoque diſcutere & abſumere ſtudebimus; Si in abſceſſum vero vergat, maturare, aperire, vlcuſque inde ſanare: Quod ſi vero ex hoc illovè tumore inflammatio ſequatur, illo vt phlegmone curanda. Impedimus lactis proventum *victu tenui, evacuationibus per ſanguinis miſſionem & purgationem*, propinandoque quæ vt *ſemen*, ita *Lac abſumant*, vti eſt *agnus caſtus* & *ſemen rutæ*: *Influxum revellendo & derivando* alio ſanguinem, ſiſtimus ſanguinis miſſione è brachio, vel pede ſi præſertim mulier in partu non rectè purgata fuerit, aliiſque quæ menſes promovent, *ſcarificatione*, cucurbitularum applicatione in *ſcapulis*, ſupra genu, *frictionibus* aliiſve. *Platerus.*

32. *Sanguis diæta tenuiore*) Cum intentio ſit lac collectum iam & factum emittere, futurum verò arcere, hinc poſſet quidem & tenuior victus ſuaderi; id vero cum fieri non æque liceat, nam ali debet corpus, à natura ſæpe huc magis intenta, vt lac adſit pro fœtu, quam vt ſuperfluum in corpore alimentum ſit, nec concedatur æque à delicatis vix fere, niſi ſecundario, id præcipi ſolet. *Wedelius A. m. m. m. p. 420.*

33. *Diæta tenuiore*) Imminuit materiam lactis tenuis *victus ratio*, ex oligotrophis, ſed maxime media, *Panis* ſit craſſus, furfuraceus, olera & fructus horæi, piſces, carnes avium ſiccæ & aſſæ, *vigiliæ, exercitia*, partium inferiorum, *curæ*, ſolicitudines, animi pathemata, vacuationes omnes conveniunt liberales, *Aer* frigidus, ſiccus

ſicutiaut calidus ſiccus, vnde apud Æthiopes lac minùs abundare dicitur: *Potus* ſit exiguus, aqua ſcilicet, cui incoqui poſſunt ruta, aut viticis ſemen, *cyminum*, *ocymum*, *caryophyll.* quæ etiam admota proſunt, *Poſca* quoque commendatur, non *vinum*, quamvis craſſum, auſterum in quibuſdam poſſit convenire. *Primiroſius.*

34. *Venæ ſectione, aut cucurbitulis ſcarificatis ſubtrahendus*) Uictu inſtituto, maxime prodeſt Venæ ſectio, quæ ſanguinem affatim vacuat, maxime ex ſaphena ad menſes revocandos; quamvis etiam venarum in brachio ſectio, modo ſit copioſa, ſanguinis etiam copiam demat; *Cucurbitulæ* quoque, & *ſiccæ* & *ſcarificatæ*, cruribus & femoribus admotæ proderunt, *Primiroſius.*

Noſtra experientia *Cucurbitulæ* dorſo admotæ, certiſſime lac ſubtrahunt.

35. *Subtrahendus eſt*) Ad curationem ſciendum eſt, ea quæ Lac minuunt, vel materiam ejus imminuere, vel à mammis repellere, vel alio revocare, vel deſiccare, vel etiam hæc omnia ſimul facere. *Primiroſius.*

In cura duo ſcopi obſervandi ſunt 1. genitum lac vel medicamentis ſudorificis, vel per papillas removendum, quod poſterius etiam obtinemus per ſudorifera, mediantibus quibus etiam promovetur Lochiorum excretio; Pro his ſcopis obtinendis externa parcius vſurpari ſolent. *Etmuller.*

35. *Subtrahendus eſt*) Nec etiam erit inutile humores noxios idoneis *catharticis* vacuare, *Mercurialis* quidem non admodum curat cathartica, quia ſanguinis copiam non minuunt, verum tamen quia ſanguinis curſum ad vterum juvant, non ſunt rejicienda. *Primiroſius.* Juvant & ſubtracto ſero, quod ὀχηματῆς λεγῶς, imo ex ſententia quorundam, & ipſum in nutrimentum abit.

36. *Repellentia*) Vide §. *Lac abſumentibus.*)

36. *Repellentia*) Repellimus ſanguinem influentem Topicis, quæ ſupra venas cutaneas conſpicuas, ad mammillas ab axillari deſcendentes, & in ambitu mammillarum glandularum potius quam ſupra medium illarum ponimus, cum lac, ſi illic concreſceret, repelli amplius minime poſſet; Verum & extra mammillas, vbi venæ ab axillis deſcendunt, eadem etiam apponi poterunt. *Platerus.*

36. *Repellentia, vt folia, &c.*) Applicantur Emplaſtra repellentia, defenſiva dicta, ex *bolo* parata, qualia in phlegmones cura præſcribuntur, & in oculorum doloribus ſi à fluxione fiant, in fronte temporibuſque applicata, defluxiones ſiſtunt, vel alia etiam ex aliis parata repellentia, quæ & in ambitu circumponi poſſunt, Præcipue ea quæ in mammarum incremento adſtringendo impedire ſcripſimus, hic quoque idem præſtare in lactis affluxu prohibendo queunt; Quod & Epithema ex *aqua roſar. aceto roſaceo* & *alumine* faciet, addita etiam ad penetrationem, magis quam refrigerationem camphora. *Platerus.*

36. *Repellentia*) Lac imminuunt *Repellentia*, quæ vi vocis vſitatæ illapſum & adventum in poros glandoſos, prohibent; vias & aditum præcludunt, ne turgeant tam & dilatentur, quam conſtringantur pori. Repellunt actu frigida dicta vegetabilia; Repellunt, non æque tamen tuta, oleoſa, terrea, aquea. Repellunt acida, auſtera & quaſi talia, Repellunt anguſtantia thoracem, omnia tamen cum moderatione. *Wedelius Am. m. m. p. 422.*

36. *Repellentia*) Nullibi magis nocent repellentia quam in mammis, ob copiam nempe maximam humorum qui i ſtis globis inſident, tanquam ſpongiæ imbibiti. Ob infinitos poros, qui obſtrui poſſunt præſente ἰδ.μαπεμῶ. Si qua repellentia conveniunt, proſunt terrea, ſicca, ex iis quæ alias in eryſipelate proſunt, & mitiora vegetabilia cum reſolventibus mixta, proſunt acidula dicto modo adhibenda. *Wedelius.*

37. *Adſtringentia*) Quibus contraria ſunt *Emollientia*, quæ tamen *lac imminuunt*. Nec obſtat contrarium videri, poſſe eadem & lac augere & imminuere, variat enim id pro diverſo ſtatu. Emollientia poros, lac augent, non præſens & collectum æque: Emollientia lac imminuunt, præſens & ſtagnans, quam in rem nota. 1. Omne lac ſuctu non prolectum ſtagnat in mammis. 2. Stagnans gravat & in coagulum abire promptum eſt, Ergo 3. omnino dimittendum eſt: hinc aliquandiu etiam emulgeri poteſt & debet, vt ſenſim deplentur nec negotium faceſſit, Viæ ergo proximę ſunt dilatandæ, remotæ, adſtringendæ, dilatant vero emollientia, calida & humida temperata, mammis ipſis applicata; Emollitio hæc prohibet ſtagnationem, prohibet coagulationem. *Wedelius Am. m. m. p. 421.*

37. *Adſtringentia*) Ex longo horum vſu periculum eſt, ne lac in mammis concreſcat, aut ex obſtructione pororum cutis putrido ſequatur. Ideo admiſcenda ſunt *reſolventia*, vt ex *farina fabar. orobi, lupiner. ſem. cymini*, coctis in *oxymelite*, fiat Cataplaſma, quod ſecretum remedium eſſe ait à *Caſtro.* Laudatur *aqua marina* in qua *myrti bacca* coxerint, *fax aceti* impoſita, *Suffumigium* ex *aceto* acerrimo in lateres candentes injecto. *Primiroſius.*

38. *Caute, &c. ponenda*) Repellentia in mammis non æque locum habent, tum ob viciniam cordis, tum quia facile coagulationem & caſeationem lactis inducunt, & motum humorum fluxilium quaſi figunt & impediunt, vt minus in vaſa remeare, diſcuti, vel effluere poſſit, hinc nonniſi in principio ſtatim, & mitiora, vel *cum digerentibus mixta* applicanda. *Wedelius.*

38. *Verſus brachia ponenda*) Repellentia lac melius dorſo applicantur, vt nempe influxurus liquor avertatur potius, quam ſi in mammis illud fiat, qui influxit perperam detineatur; Sive hoc pacto experti ſumus *Emplaſtrum ex ſpermate ranarum* cum *albi cocti* ana dorſo applicatum, anterius vero Emplaſtrum *diachylum* optimo conſilio & ſtratagemate. Ita enim quod influxurum eſt lac impeditur quaſi in via, & quod influxit exitum invenit; Id quod in aliis quoque ſimilibus imitari licet. *Wedelius.*

Repellentia origini quam inſertioni viarum certius & tutius applicantur; Originem intellige viarum; Viæ vero per quas humores appellunt, ſunt duplices, communes pori, propria vaſa, quod nullibi magis quam in mammis patet; Ubi ergo id licet inconveniens eſt repellere in loco inſertionis ſeu influxus; Repellere enim eſt, non admittere influxum, arcere humorem, defendere poros & partes recipientes: Turpius & hoc loco ejicitur quam non admittitur hoſpes. Si itaque hanc rationem attendamus penitius, facile patet. Repellentia hoc caſu non mammis, ſed dorſo applicandas eſſe, Sine dubio viæ iſtæ, ſeu notæ ſeu ignotæ, per quas ad mammas ducitur lac, ab inferioribus reſpective ἄνω tendunt lex quibus, tanquam centro ad circumferentiam, ſphæræ mammillaris prodeunt; Hunc in finem & *cryſtallus* ibi appendi poteſt, & *Empl. de ſpermate ranar.* apponi poteſt. *Idem Am. m. m. p. 424.*

39. *Verſus brachii*) Repellentia origini quam inſertioni venarum citius & tutius applicantur; Originem intelligo viarum, viæ vero per quas humores appellunt ſunt duplices, communes pori, propria vaſa, quod nullibi magis quam in vaſis patet; vbi ergo id licet, inconveniens eſt repellere in loco inſertionis, ſeu influxus; Repellere enim eſt non admittere influxum, arcere humorem, defendere poros & partes recipientes; Turpius ex hoc loco ejicitur quam non admittitur hoſtis, Valet id in aliis

quoque, vbi repellentia ſub defenſivorum nomine, locum habent, in fracturis, gangræna & ſphacelo ac ſimilibus: Tunc nempe ipſi affectæ parti traumatica ſanæ defenſiva applicamus, illique remotæ, que ſuſtinet tanquam origo & via propior influxum, Si itaque hanc rationem attendamus penitius, facile patet repellentia hoc caſu, non mammis ſed dorſo applicanda eſſe.

40. *Seu quia matres*) Vide §. *Lac abſumentibus.*)

40. *Quia matres lactare nolunt*) Conſtringendo mammas, adhibitis tamen emollientibus, lactis proventus præcaveri, & jam geniti copia imminui poterit. Qua ratione quædam mulieres in Gallia & Anglia, quibus proprios infantes lactare alienum & inconſuetum, lactis proventum impedire, & jam geniti copiam diſſipare ſolent, nempe lino aut *ſemine eius* in ſacculis mammis impoſito, eaſque poſtea arcte conſtringendo. *Platerus.*

40. *Seu quia matres*) Conveniunt lac imminuentia indicatione præſervativa magis quam curatoria; imo illa ipſa fere potior eſt, tum abſolute, ſi lac ne quidem generari debeat, ſed averti, Tum ſecundum quid, quando generatum ſubſiſtere debet, nec ſtillare & fundi amplius, vna vero eademque eſt curatio.

40. *Seu quia matres*) Uſum habent *repellentia* triplici in caſu, ſive infantes ablactentur, quod toto die fit, & eo caſu res facilius ſuccedit, ſive moriantur, vbi difficilius, item apud magnates, aliaſve quæ ipſæ lactare nolunt, præſervative; quo pacto feliciſſime ſæpe adhibuimus Emplaſtra. *Wedelius.*

40. *Quia matres lactare nolunt*) Notandum quod ait *Rondeletius* in illis quæ nutricatus tædia ferre nolunt, optimum eſſe vt ante partum remedia adhibeant, ne mammæ ſanguinem recipiant, nam ſemel receptus ſanguis per mammas evacuari debet, non poteſt enim repelli, ſed ſugi debet, aut alia ratione vacuari.

41. *Et tum abigitur lac*) Quædam Obſtetrices mammas oblinunt *melle*; aliæ *linteum aceto inſuccatum*, in quo prius ebulliat *crocus hortulanus* commode applicant, Sunt qui prohibent lactis generationem cum *vngu. popul.* aut *panno lineo ſucco menthæ* imbuto, Matronæ Venetæ inhibent lactis proventum à partu *Empl. ex melle, croco, terebinth.* confecto; atque eo tempore juſcula non ſumunt, neque vinum album bibunt neque tenue: *Aqua etiam marina* prodeſt *fotu*, obſtetrices Delphenſes lac exſiccant in puerperis panno lineo *oleo raparum* intincto, vndique mammillis impoſito, aliumque pannum lineum *melle* illinitum primo panno ſuperponunt, interim ſub parte inferiore incipiendo mammillas debite conſtringunt, vt minus propendeant. Illud in cognata noſtra experti ſumus. *Foreſtus lib. 17. obſ. 20.*

Tale conficiatur Emplaſtrum

℞. *Ceræ albæ, flavæ, pinguedin. gallinæ*, axung. *cervinæ* ãã. ℥ß. ms. *& liquatis adde camphoræ, myrrhæ, aſæ fœt.* ãã. ʒß. *croci* ℈j. In eo intingantur lintea mammis admovenda, ſed perforata, vt papillæ exeant. Sic geſtentur ſex ſeptimanis.

Aliæ imponunt *chartam cæruleam* cum *butyro rec.* & linteamina intingunt in *album. ovi* cum *camphoræ* pauxillo & croci, & exſiccata ſuperponunt chartæ. *W. Hæſerus H. M. l. 7. c. 5.*

42. *Lac ſi in prunas*) Lac reſolvunt, experimento *Helmontiano*, magneticâ quaſi, Prunæ; ſi in eas, vel laterem candentem lac emulgeant. Sine dubio hoc fit ab averſatione Archei, quatenus incutitur eidem velut horror, & dum alii fini impenditur idem, hinc amplius renuat profundere hunc vilem ſuccum, vt taceam hunc ipſum actum expreſſionis per ſe quoque conferre. *Wedelius.*

42. *Lac ſi in prunas*) Diſcutitur lac experimento vulgato, quod & *Helmont.* aſſerit, multo, *ait*, ablactans infantem, quo citius vbera ſibi ſterileſcant, in prunas lac emulget, & mox vbera flacceſcunt; In leviori caſu juvat, quod experti ſumus, in graviori, vt ſæpe alia omnia; minus. Neque obſtat muliercularum timor, inde nullum omnino lac redire, quod contra experientiam eſt. *Wedelius de m. s. p. 19.*

Reſolvunt experimento *Helmontiano*, magneticæ quaſi prunæ, ſi in eas, vel laterem candentem lac emulgeant, Sine dubio hoc fit ab averſatione Archei, quatenus incutitur eidem quaſi horror, vt dum alii ſini impenditur idem, hinc amplius renuat profundere hunc vtilem ſuccum; vt taceam hunc ipſum actum expreſſionis per ſe quoque conferre. *Idem Am. m. m. p. 422.*

43. *Inungatur*) Pinguia in reſtagnatione lactis non adhibenda; non humectant ſolum magis & influxum majorem cauſantur, verum etiam facile inflammationem, ſi qua non adeſt procurant, & præſentem augent; Unde quoties vidimus applicata in dolore hoc à lactis copia pinguia, toties fere ſuppurationem conſequutam notavimus. Præſtant eo caſu diſcutientia, qualis eſt v. g. *aqua calcis vivæ*, quæ ſi qua alia, inflammationem omnem avertit, & refrigerat, & diſcutit. *Wedelius.*

44. *Non tantum exſugere*) Ut natura ipſa copiam lactis effuſione è papillis ſpontanea toto die deplet, ne oneroſa fiat, ita ſuctu omnino ordinario ceſſante per hanc viam (vide §. *adſtringentia*) commodiſſime depletio lactis ſtagnantis, laxatis poris, inſtituitur. Natura ab vno extremo ad alterum nunquam ſine medio, ſibi relicta, & citra noxam progreditur. Ceſſante ergo ſuctu, impellente extrinſeco non ſimul & ſemel deſiccare hunc fontem poteſt, vnde effundendum reliquum, adjuvandaque ipſa. *Wedelius.*

45. *Exſugere*) Cum dolent mammæ, & inflammãtur, multi negant lac eſſe exſugendum, quia magis attrahitur, ſicque dolor & inflammatio augentur, contrarium alii obſervârunt, qui volunt lac exſugi; nam alias increſcit & majorem illius copiam dolor allicit. Utiliſſimum credo eſſe exſugere, ſed per longa intervalla, nam frequens exſuctio magis attrahit, & niſi exugatur, concreſceret, quod ſi jam cõcreverit, tunc exuctio nihil aut parum educit è mammis, potius attrahit; at ſi lac non ſit concretum poteſt exſugi, ne concreſcat. *Mercurialis* dicit in illis, quæ non ſunt aſſuetæ lactationi non eſſe lac exſugendum, nec etiam in aſſuetis, niſi ſit immoderatus illius exceſſus. Verumtamen in non aſſuetis, etiam interdum illud exugere nõn eſt inutile, ſi adſit periculum concretionis & inflammationis, & quamvis mulier nolit aſſueſcere lactationi, natura tamen ſæpe copioſius ad mammas tranſmittit ſanguinem quam neceſſe ſit. *Primiroſius.*

46. *Repellentibus*) Et hæc ſive *terrea & aquea*, vti è *bolo alba communi* & *ceruſſa* cum *aqua roſar.* ſolet fieri vſitaté maſſa & applicari; ſive *acida*, vt *acetum* ſimplex, vel *ſaturniſatum*, ſive ſola applicata, ſive cum diſcutientibus mixta, vnde egregium experimentum extat apud *Morellum p. 567. ſpongia* nempe *immerſa* in *decocto cumini* vel *coriandri*, facto cum aceto acerrimo, & admota, idque ſecretum quorundam eſt, quod ipſe etiam cum fructu experti ſumus; Pertinet huc *oxycratum, vngu. roſatum*, catapl. è *farina fabar. lentium, ſemine cumini, coriandri cum ſucco ſolani, plantaginis, aceto & oleo roſac.* ſic *aceti fæcem* commendat *Plinius lib. 23. c. 2.* Pertinet huc exterius facta compreſſio *thoracis* per veſtimenta arctiora. *Wedelius de S. M. 261. d.*

47. *Lac abſumentibus*) Reſolvimus Lac retentum in venis, *exſiccantibus* & *digerentibus* ſupra mammillas vndique appoſitis, ſi *diſtenſæ* ſint. Sin timor in illis *collectus* appareat, ſupra eum, quæ & lac abundans, & concretum nonnihil aliquo pacto abſumere poſſunt, ſi

non

non omnino à natura derelictum ſit, cum tum facilius maturatione in pus convertatur. Hoc autem præſtant *mentha* inprimis, *calaminthа*, *apium*, *coriandr. vites, abſinth. marrub. bacchar:s, ruta, eruca, chelidon. caulis*, *ſecale, fol. bryon. radix nenuph. rec.* contuſa, vel prius in *vini & aceti* partt. æq. & *mellis* tertia parte cocta, in catapl. redactis. Aliud, Ex *pane triticeo*, vel *furfure, far. fabar. hordei, lent. lupin. orobi, fœnugr.* coctis, additis ſimul interdum herbis & permiſcendo *ol. aneth. chamam. lilior.* vel *Panis* diſtemperetur in *aqua portulac.* & *ſalv.* addito *melle*. Aliud, *Panis* in *aq. mentha*, *ſalvia* & *portulac.* diu macerata, & admotâ. Supra papillam *radicem chelid. maj.* contuſa, poſita, lac concretum diſſolvere dicitur. *Cicutam* lac extinguere docet *Dioſcor.* quam & mammarum incrementum prohibere, uti & alia narcorica novimus, non vi refrigerante, ſed potius admodum diſcutiente, qualem ipſis ineſſe, adeo vt etiam duros tumores diſſolvant multoties oſtendimus. *Unguento* ex *ſuccis herbar.* enarratarum parat. additis nonnunquam & *oleis*, vt de *mentha* aliiſque, lac quoque abſumunt, & concretum diſſolvunt, quale hon eſt

℞. *Succi apii, mentha* ãã. ℥ij. *aceti* ℥iß. *mellis* ℥ij. *coquantur parum pro Illitione.*

Vini fæcem cum *aceto* miſtam, inunctam probat *Dioſcor.* *Fotus* cum ſpongia, vel linteo in decocto herbarum prædictarum, admodum convenit; Inprimis in *decocto ſem. cymini*, & *coriandri* cum *aceto* acerrimo facto, immerſa. Vel factus ex *vino* generoſo, ut *malvatico*, addito etiam pauco *croco*. *Platerus.*

47. *Lac abſumentibus*) Lac minuentia præſtant id reſpiciendo, vel 1. *vias eas emolliendo*, & laxando, Hinc expertum eſt medicamentum quod commendat *Williſius lib. de Febr. pag. 289.* vbi lac, ait in mammis, emplaſtris è *diachylo* applicatis cito diſparuiſſe. Idipſum ſæpe experti fuimus feliciter, imponendo Emplaſtr. *diachylon ſimplex*, ea tamen cautela (quod de aliis item omnibus ſimiliter valet) vt foramen in medio relinquatur, pro papilla, vt libera exiſtente eadem effluere poſſit. Sic quidam *pulmentum & aqua calidiſſima.* Sic Fomenta cum *lacte* adhibent quædam. His per dies aliquot continuatis lac profluit, vel conſumitur ſine dolore.

Vel 2. *reſtagnationem* reſtituunt, *diſcutiendo & reſolvendo* vnde facta ejuſmodi reſtagnatione, non ſolum *interne* conducunt *bezoartica, ſudorifera.* regreſſum in vaſa promoventia, & diſſipantia, verum etiam omnia quæ grumos impediunt, & coagulum, idque prætériam recenſita præſtant, tum cum *ἐμπυημα*, *emollientia*, vt *ſperma ceti*, vnde ad tumorem mammarum in lactis copia, nil æque præſtare ſcribit *Timæus* quam Emplaſtrum, ſeu *ſparadrapum* potius *mynſichti* de *ſpermate ceti*, *Chærefolium*, item ac *petroſelinum* impoſita commode diſcutiunt & reſolvunt, Tum *volatile ſulphure* vel *ſale* pollentia, *camphora*, *crocus*, quos tamen parce adhibendos, &c. Tum *ſalſa*, unde ſolent pro euporiſto appendere *crocum*, *ſal & ſalviam*; *Radicem armoraciæ, lac* ſuppurari *Schroderus* & alii ſcribunt, cujus *folia* etiam cum fructu ſæpius impoſuimus ad eryſipelas præcavendum & curandum, Tum *amara*, quæ coagulationem impediunt: & conſiſtentiæ lactis inimica ſunt, Unde omnia quæ ſemen, eadem etiam lac imminuunt, *mentha*, *Cicuta*, *abſinthium*, *ruta*, *&c.* Sic & externe frictiones lenes, non aſperæ, v. g. cum *pelle muſtelæ* egregie diſſipant, Sic huc pertinent *pectinationes* quaſi cum excutia factæ.

Vel 3. affluxum, proventum vlteriorem impediendo, qualia ſunt tum *adſtringentia*, tum *repellentia*, de quibus ſupra. *G.V. Wedelius de S.M.T. p.196.*

Lac imminuunt *Reſolventia*, Utroque caſu optima ſunt, tum in initio ſtatim, tum in progreſſu, tumore & duritie jam præſente, Reſolvunt in genere, id eſt, caſeationem, grumeſcentiam & coagulum, turgeſcentiam ac quietem conſequentem tollunt *Sudorifera*, Reſolvunt divertendo laticem ad extimam veſtem, ſerumque diſſipando, vna vero ſalem omnem expedientia, ne febris ac inflammatio, ne dolor inde conſequatur, data hanc in rem *Tinctura bezoartica camphorata*, aliiſque paulo volatilioribus, Puerperis & ablactantibus ſudorifera optima ſunt præſidia, & velut vniverſalia.

Reſolvunt, *ſalina*, *amara*, *ſale & ſulphure activo fæta*, ut *cherefolium*, *petroſelinum*, *crocus*, *ſal ſalviæ*, & quæ alias *ſemen imminuunt*, inprimis enim hac ipſa oleoſum characterem ſero demunt, vt hinc diffluat magis; Actuali ſuo frigore aliquo modo repellunt, ſalino principio activo calefacta, reſolvunt & diſſipant, vel ſola exhalatione ſua cum glandulis extimioribus communicata: Pertinet huc *herba* medica quam lac extinguere dudum *Ariſtoteles* aſſerunt, admovenda mammis facillimo & ἀσφαλεῖ remedio.

Reſolvunt *Frictiones*, quæ grumoſitatem impediunt, qua facta glandulæ, alias conglomeratæ putatæ, ipſas conglobatas æmulantur duritie & magnitudine.

Reſolvunt quoque *Acida*, præſente ſcilicet coagulo, vel quaſi tali, & cum aliis mitigata ſulphureis, vt fotus apud *Morellum* laudatus, modo provide id fiat. *Idem A.m m.p.422.*

Præmiſſis adſtringentibus, digerentibus & reſolventibus reliquia ſunt abſumenda. Id præſtare poſſunt *Decocta ſudorifica guajaci*, *ſalſapar. ſaſſafras* tum validiora *diuretica & menſes moventia*, quæ ſicca debent vſurpari, nam viridia plurima lac augere diximus. *Mercurialis* commendat medicamentum Arabum ex *lactis vaccini* ℥iij. *muria* ℥j.

Extrinſecus conveniunt *Suffumigia*, *fotus*, *Emplaſtra*, Laudat *Mercurialis* fotum ex *decocto cymini* cum *aceto*, quo *ſpongia imbuta* ſupra mammas detineantur, Una nocte lac diſſipat, Supra papillam radix *chelidon. maj.* cocta & impoſita vtilis eſt. Sequens laudat *Amatus.*

℞. *Farin. lentium, fabar. rad. caulium* ãã. ℥iß. *ciner. cancr. fluviat.* ʒß. *lacca, litharg.* ãã ʒij. cum *decocto fœnugr. terantur in mortario*, adde *mucilag. ſem. pſyllii* ℥iß. *aceti acerrimi* ℥ß. *f. Empl.*

Sequens laudat *Varandæus.*

℞. *Terebint. vino lotæ* ℥iv. *ſemin. lini cymin. pulveriſ.* ãã. ℥ij. *pulv. ireos. Flor.* ʒj. *alum.* ʒß. *cera & ol. chamæm.* ãã. *q. ſ. f. Ceratum.*

Fiat Emplaſtrum ex *gumm. ammon. in aceto ſoluti* ʒij. *olei in quo raphanus & rad. ireos incocta fuerint* ℥j. *cera q. ſ.*

Quidam laudant *fol. ricini* torta & impoſita.

Si hæc non profuerint, ex *ceruſſa*, *lithargyro*, *cadmia* & alii quæ citra calefactionem digerunt, Emplaſtra fiant. *Primiroſius.*

Expertum hoc eſt miraculo, Lactis exſiccationem præſtat ſine metu futuræ inflammationis.

℞. *Fœnic. apii, petroſ. malva, alth. cum rad.* ãã. p. j. *fol. lauri, flor. chamæm.* ãã. mß. coque in aqua, *quo decocto* mammas primùm fove, & eodem eas ablue, hinc *roſac. omphac.* illine, quo tempore leniter quoque exſugantur, permitte, ut reliquum lac in mammis fuſum & liquatum promptius foris effluat, Tandem

℞. *Reſina, terebinth. q. ſ.* cum *vino & aqu. roſac. ſæpius ablue*, cui *duo vel tria ova cocta*, ac *croci* ℈j. *adde fiat Emplaſtr. D. ab Altimaro pro cap. 57.* Ex

quo *Mercatus* Fotum præſcriptum laudat.

℞. *Salviæ, vincæ perv. apii & caſcutæ ãã. q. ſ. exprimatur ſuccus, deſtilletur*, Aqua hac madida lintea apponantur. *Item.* Quæ nimio lacte abundant, vt in de metuenda ſit ſebris, *Cherefol. ſuper prunis calefactum cum aceto & ol. roſar. miſce & impone. Obſtetrix Gallica p. 1. cap. 23. & pag. 125.*

℞. *Panis ſiligin. part. j. ſalis part. ß. coqu. in aqua ad formam cataplaſm.* ſæpe impone & renova. *Cunradus Kunrath.*

Maxime juvabit ſæpe mammas lavare *lentibus in aqua marina coctis* & contuſis, Tandem vti poſſumus Emplaſtro ſępius à nobis experto, quod fit ex *ovis tribus integris croci* ℈j. *ceræ q. ſ.* f. Ungu. *Pulverinus Pr. cap. 48.*

Si capita tantum mammarum liniantur ex *ſucco plantag.* fit ſubito exſiccatio lactis & hoc habe pro magno ſecreto. *Gul. Varignana.*

47. *Lac abſumentibus*) Lac imminuunt 1. *Emollientia*, Nec obſtat contrarium videri poſſe eadem & Lac augere & minuere, variat enim id pro diverſo ſtatu, Emollientia poros lac augent, non præſens & collectum æque, Emollientia lac imminuunt præſens & ſtagnans, Quam in rem Nota 1, Omne lac ſuctu non prolectum ſtagnat in mammis. 2. ſtagnans gravat & in coagulum abire promptum eſt, Ergo 3. omnino dimittendum eſt. Hinc aliquandiu etiam emulgeri poteſt & debet, vt ſenſim depleatur, nec negotium faceſſat, Viæ ergo proximæ ſunt dilatandæ, remotæ conſtringendæ; Dilatant vero Emollientia, calida & humida temperata, mammis ipſis applicata. Emollitio hæc prohibet ſtagnationem, prohibet coagulationem. Optimum hoc fine præſidium eſt *Emplaſt. diachylon ſimpl.* frequentiſſime à nobis vſurpatum cum ſucceſſu, conſtat id ex mucilaginibus & emolliendo vnice prodeſt. Unum hoc inſtar omnium eſt, Cataplaſmatibus aliiſque omnibus contra proficuum; vt vero natura ipſa copiam lactis effuſione è papillis ſpontanea toto die deplet, ne oneroſa fiat, ita ſuctu omnino ordinario ceſſante, per hanc viam commodiſſime depletio lactis ſtagnantis, laxatis poris inſtituitur; quem in finem Emplaſtra illa rotunda quidem eſſe debent, vt complectantur ſphæram mammæ, in medio vero perforata, vt ne effluxus impediatur, maxime expetitus: Natura ab vno extremo ad alterum nunquam ſine medio, ſibi relicta, & citra noxam progreditur; Ceſſante ergo ſuctu, impellente extrinſeco, non ſimul & ſemel exſiccare hunc fontem poteſt, vnde effundendum reſiduum ipſaque adjuvanda. (ij.) Lac imminuunt *Reſolventia*, vtroque caſu optima hæc ſunt ipſa, tum in initio ſtatim, tum in progreſſu, tumore & duritie jam præſente, Reſolvunt in genere, id eſt, caſeationem, grumeſcentiam & coagulum, turgeſcentiam ac quietem conſequens, tollunt *Sudorifera*: Reſolvunt divertendo laticem ad extimam veſtem, ſerumque diſſipando, vix vero ςάσιν omnem expedientia, ne febris ac inflammatio, ne dolor inde conſequatur; data hanc in rem *tinctura bezoard. camphorata*, M. S. aliiſque paulo volatilioribus. Puerperis & ablactantibus ſudorifera optima ſunt præſidia, & vel vniverſalia: Reſolvunt *ſalina, amara, ſale & ſulphure* activo fœta, vt *cherefolium, petroſel. alſine, crocus, ſal, ſalvia*, & quæ alias ſemen imminuunt; inprimis enim hæc ipſa oleoſum characterem ſero demunt, vt attenuatum hinc diffluat magis. Actuali ſuo frigore aliquomodo repellunt, ſalino principio activo calefacta reſolvunt & diſſipant, vel ſola exhalatione ſua cum glandulis extimioribus communicata; Pertinet huc etiam *herba Medica*, quam Lac extinguere dudum *Ariſtoteles* aſſerint, admovenda mammis, facillimo & euporiſto remedio. Reſolvunt *Frictiones* quæ grumoſitatem impediunt, qua facta glandulæ, alias conglomeratæ, putatæ, ipſas conglobatas æmulantur, duritie & magnitudine. Imprimis vero *ſperma ceti* inter reſolventia pectoralia, traumatica, nephritica alias laudatiſſimum, ſeu cum *emplaſtr. diachylo*, addito *gummi ammon. cum aceto* ſol. & camph. parum miſceatur, ſeu *ſparadr. Minſ. de ſperm. ceti*, apponatur, mature. Reſolvunt quoque *Acida*, præſente ſcilicet, coagulo, vel quaſi tali, & cum aliis mitigata ſulphureis, vt Fotus apud Morellum laudatur modo provide id fiat. iij. Lac imminuunt *Repellentia* quæ vi vocis vſitatæ illapſum & adventum in poros glandoſos prohibent, vias & aditum præcludunt, ne tam turgeant & dilatentur, quam conſtringantur pori. Repellunt actu dicta frigida vegetabilia, repellunt non æque tamen tuta, oleoſa, terrea, aquea. Repellunt acida, auſtera, & quaſi talia, Repellunt anguſtantia thoracem, omnia tamen cum moderatione. Conveniunt nempe Lac imminuentia indicatione præſervativa magis quam curatoria, imo illa ipſa fere potior eſt tum abſolute, ſi lac ne quidem generari debeat, ſed averti; tum ſecundum quid, quando generatum ſubſiſtere debet, nec ſtillare & fundi amplius, vna vero eademque eſt curatio; Suaſimus illo caſu Emplaſtra commendata bina, emolliens & repellens; In junioribus vero ob Coſmeticæ falſo licet perſuaſæ ſtudium majus quaſi emplaſtris forma decens pereat, notavimus illud non facile admitti, vbi noduli ſaltem ſuaderi gaudent. *Wedelius A. m. m. p. 421.*

III. [48] *Coagulatio* lactis [49] fit, quando partes ſubtiliores & tenuiores ſenſim exhalant, & craſſiores remanent; vnde [50] glandulæ indureſcunt, & tumores, imò & abſceſſus, exoriuntur. In hoc caſu, infans ex ubere affecto lactari non debet: [51] ſugendum tamen lac, ne id quod de novo gignitur, à caſeato lacte coaguletur, & pars coagulati quæ incipit diſſolvi putreſcat. Ad [52] diſſolutionem facit *juſculum caulium*, [53] ablutio mammillæ cum *aqua, vino & aceto* inſimul miſtis. Fomentatio decocto *Althea, fænugræci, Meliloti*, &c. ſuperimpoſito linimento ex *ol. roſar. amygdal. dulc. ſucco apii, petroſelini, aceto, in quo prius* [54] *coagulum leporis* ſit diſſolutum *Aqua cicutæ* putatur utramque palmam obtinere.

48. *Coagulatio Lactis fit, &c.*) Coagulatur & concreſcit Lac in mammis, quemadmodum vbivis, ab *Acido* undecunque, ac præſertim à cauſa vehemente ac potente in corpore producto vel aucto, & ad mammas delato: Vel ab eodem Acido forinſecus imprudenter mammis applicato, vel ab aëre frigido & acri mammas, & imprimis ſudantes corripiente & ſimilibus; Aqua puta frigida ipſas tangente, &c. *Acidum* in corpore *producitur* inprimis ab alimentis, condimentis, medicamentis Acidis copioſius vel diutius aſſumptis. *Augetur*, intenditurque ejus vis ab animi mœrore, aut terrore gravi, fœminas lactantes vehementer afficiente, vt & à frigore febrili moleſto, à quo ſæpenumero evenit Lactis coagulatio, hinc & mammarum inflammatio.

Augetur

Augetur autem tunc eatenus', Acidum in corpore, quatenus, ſuccus pancreaticus in obſtructis ſuis ductibus ſtagnans, ideoque amplius aceſcens, vbi febrilem paroxyſmum excitat, quaquaverſum in vniverſum corpus diſpergitur, adeoque ad mammas quoque pervenit, quarum lac nocentius efficit quam ipſum ſanguinem, quippe quod facilius acidi vim excipit quam ipſe ſanguis, ob Acidum copioſius, in ipſo exiſtens, atque novi acidi operationem noxiam promovens. *Forinſecus applicatur* quoque nonnunquam *Acidum mammis*, quando in earum eryſipelate, vel inflammatione externa, tum acetum, tum alumen, tum alia hiſce affectibus curandis imponuntur, haud conſiderando Lac eodem in ipſis produci, & ab illo acido coagulari. Imprudenter etiam aëri frigido exponunt mammas Lactantes, præſertim ſudore madentes, dum aperti ſunt ipſarum pori, per quos aëri ingreſſus patet. *Sylvius Pr. lib. 3. cap. 11.*

48. *Coagulatio*) Quando lac in mammis coagulatur, multa tum mulieri tum infanti incommoda affert, dolorem, tenſionem, inflammationem, putredinem: Concreſcit autem duobus modis, vel in *grumos*, vel in *caſei ſpeciem*, Multi idem otium eſſe cenſent, alii vero differre volunt natura & cauſis generationis. Quando grumeſcit ſanguis fit θρόμβωσις, θρόμβος enim proprie eſt vnius rei in maſſam concretæ fruſtum, Derivatur ſecundum *Euſtathium* à τρέφω, quod ſignificat πήξαι diciturque de ſanguine quum è venis effuſus coit & condenſatur, Ideo Medici θρόμβωσιν vocant quoties lac in mammis in exigua fruſta concreſcit, & generaliter θρόμβος ad omnem concretionem refertur. Dicuntur etiam grumi στραγγαλίδες, aliter πῶρος, ſive *tophus* aut durities ex humore concreto, maxime in articulis. Ubi concreſcit *in caſei ſpeciem* Τύρωσις vocatum ſive caſeatio, *Dioſcorides* vocat mammas illas χονδρώοντας, χόνδρος enim non tantum ſignificat *alicam* ſed etiam alicujus rei particulam quæ ſeorſim concrevit, tanquam granum fruſtum, aut grumus, vt *thuris mica*, quæ χόνδρος λιβάνου appellatur. Sunt igitur mammæ χονδρώοντες, in quibus ſunt lactis χόνδροι, i. e. grumi concreti.

48. *Coagulatio*) Dicuntur hi affectus ſic differre, quod in *thromboſi* omnes lactis partes ſentiantur coagulatæ etiam ſeroſa in *tyroſi* vero non totum lac, ſed tantum pars butyroſa & caſeoſa; Alii dicunt *Thromboſi* lac in minores & diſtinctas partes concreſcere in *Tyroſi* vero eſſe vnum continuum corpus inſtar caſei coactum. Rectius Tamen *Petrus Salius* vult eundem prorſus eſſe affectum duobus expreſſum nominibus nam *Galen. l. de cibis b. & m. ſucci* caſeationem lactis comparat grumefactioni ſanguinis, idemque *Aëtius* & *Paulus* cenſuetunt. *Primiroſius l. v. de m. m. c. 9.*

48. *Coagulatio*) Poſſunt reduci iſti affectus ad ſymptomata in genere excretorum mutatorum, quia ſive grumeſcat, ſive in caſeum lac concreſcat, ſemper mutatum eſt iſtud excrementum. Quod ſi mammæ turgeant, volunt quidam eſſe morbum in magnitudine; *Altimarus* voluit eſſe morbum in magnitudine & numero, Sed male ut advertit *Salius*, nam propria ſubſtantia mammarum non augetur, ſed tantum materia concreta in his retinetur; Præterea ſæpe in mammis minoribus fiunt hi affectus, in quibus non multum abundat lac, nec ſemper magnitudinem auget; Verum quidem eſt ſemper eſſe excrementa mutata', atque poſſe eſſe cauſas morborum; quia lac replet & facit intemperiem in mammis; Quamvis igitur lac in mammis ſit tanquam in proprio loco, alterari tamen poteſt cauſis p. n. & corrumpi. *Idem.*

49. *Fit quando partes ſubtiliores*) Quæ hujus concretionis cauſa ſit, dubium, Alii perſuaſum habent θρόμβωσιν fieri à mammarum frigore, præſertim cum in ſpongioſa mammarum ſpatia lac eſt illapſum perinde enim vt ſanguis, qui extravaſatur, in grumos vertitur.

Nonnulli τύρωσιν & à calore & à frigore oriri autumant, quemadmodum & θρόμβωσιν, Aiunt enim calorem ſiccando, aut ſegregando id quod tenue eſt & ſeroſum τύρωσιν efficere. Frigus vero cogendo & conſtringendo facere, ut tota ejus ſubſtantia in grumos & caſeum coeat. Verum vix videtur tantum frigus in mammis eſſe quod lac in grumos & caſeum vertere poſſit; Probabilius eſt utramque concretionem fieri à calore, nam ſi lac diutius in mammis detineatur, ſubtiliores iſtius partes exhalant, craſſiores vero, quæ caſeoſæ manent, indeque glanduloſa mammarum corpora indurantur. Terrena quippe caſeoſa eſt lactis ſubſtantia, & per ſe ad indurationem apta atque idonea. *Sebiſius man. pag. 1711.*

Verum hæc apud Medicos recentiores vocantur in dubium; Nam nec tantum eſt in corpore frigus vt poſſit congelare, Nec tantus calor vt poſſit partes tenuiores tam cito abſumere; Quin etiam lac extra corpus non concreſcat, aut per reſolutionem partium tenuiorum, aut per coagulationem, ſed per ſeparationem partium lactis à ſe invicem. *Primiroſius,*

Coagulatio fit 1. occaſione *acidi aſſumpti*, vel in *lacte geniti*, Acida aſſumpta, in ſpecie auſtera, ſi copioſius ingerentur, vel applicentur externe, lac coagulare valent; præ cæteris tamen à cauſa externa originem ducit, nempe coagulatur lac, nunc ſubito, in animi affectibus, nunc *pedetentim* ſi diutius coerceatur in mammis. In animi pathematis mulieres ex terrore ſubitaneo mox percipiunt lactis grumos in mammis. Si iracundia ſint affectæ, lactis coagulationem & eryſipelas contrahunt'; *Pedetentim* coagulatur quando lac diutius in mammis coercetur, ſic enim retentum tepore loci alteratur, alteratum acorem contrahit, & ſeipſum coagulat, Prompte etiam coagulatur, quia occultum gerit *acidum* in ſeipſo, & præterea in glandulis mammarum à lympha acida impregnatur. His ſi accedat ſpirituum defectus, ex motu eorum in animi pathematis perturbato, facillime acidum fit manifeſtum, & cogit lac in grumos. *Etmuller.*

50. *Glandulæ indureſcunt & tumores*) *Alind* eſt durities mammarum à lacte nimio mamma, diſtendente, *aliud* lac *coagulatum* in mammis; Ordinario in puerperio, quando 3. vel 4. die lac defertur ad mammas duriſſimæ apparent, ſed tunc ſunt æqualiter duræ, verum quando lac coagulatum eſt in mammis, mammæ inæqualiter tument, Nempe percipitur in quodam loco tumor durus factus, renitens, qui nunc eſt ſimplex, nunc duplex, nunc triplex; baſis eſt ſuper glandula lacte circumfeſſa. Tumor hic in principio eſt ſine dolore, vtut ſucceſſive doloroſus evadat, nempe ex lactis coagulatione. Tres ſunt modi evacuandi, *aut* ſucceſſive emollitum diſparet, *aut* ſuperveniente inflammatione beneficio abſceſſus evacuatur, *aut* 3. prompte induratur & in ſcirrhum abit; Familiare eſt vt ſuperveniat huic tumori inflammatio mammarum in loco grumi coagulati. *Etmuller.*

51. *In hoc caſu infans, &c.*) Curabitur hoc malum tum removendo cauſas *externas*, tum emandando *internas*, tum *ſolvendo lac coagulatum*, reſtituendoque ipſi motum amiſſum. Abſtinendum proinde ab omni abuſu vlteriore Acidorum, quia aſſumenda quoque quæ Acidum in corpore infringant & blande concentrent, vt ſunt ſalia volatilia quævis, quovis tempore ac modo lactantibus maxime commodo & grato vſurpanda: Sedulo quoque *Animi mæror & terror* præcaveantur, aut minuantur ac ſuperentur, quia vſurpanda inſuper dicta Salia volatilia, quod auctum ab animi affectibus Acidum temperent, & blande concentrent, Inpri-

mis *Febrile frigus* præveniendum, minuendumque medicamentis non tantum ſale volatili abundantibus, ſed inprimis aromaticis tum ſpirituoſis tum oleoſis, qualia ſunt *aqua vitæ Matthioli, Theriacalis ſimplex* & aliæ ſed præ omnibus laudatur oleum caryophylor. ſtillatium, quo hactenus præſtantius nullum reperimus ad frigoris febrilis moleſtias ſuperandas moderandaſque. Removendum autem in tempore omne Acidum forinſecus mammis quovis tempore admotum: cujus loco imponenda quæ vitioſum illud Acidum corrigant; ut ſunt aromatica quævis, quovis modo præparata & mammis applicata. Sic plantæ aromaticæ, mentha, majorana, ruta, abſinthium, &c. decoqui poſſunt in vino, addito ſub finem vini ſpiritu, & cum pannis lineis laneiſve admoveri calide mammis, renovando quamprimum minuitur fomenti calor, cum frigus quodvis externum maxime ſit noxium. Ex iiſdem plantis cum vino decoctis, & contuſis, fieri poſſent cataplaſmata; Sic olea, vnguenta, emplaſtraque aromatica inungi poſſunt in iis quæ pinguia ferre poſſunt, nam omnes ferre talia non poſſunt. Vitandus etiam aër frigidus & acer, vt & aqua frigida ac pluvia. Atque hiſce rite curatis danda, opera vt *Lac* à notatis cauſis variis *coagulatum* diſſolvatur iterum, fluxileque factum effluat. Obſervatum autem multiplici experientia omnia *Aromatica* & *ſpirituoſa* plurimum conferre ad dicti lactis coagulati diſſolutionem; quo ipſo videtur mihi confirmari magis ejuſdem coagulatio ab Acido: notum, *inquam*, ab acido congulari lac, cum id, caleſcere ſoleat. Poſſunt autem convenienter jungi aromatica ſpirituoſis, cum e. g. decoquuntur *menthæ, majoran. rutæ hortenſis, abſinthii*. &c. folia, eorumdemve flores aut ſemina in vino generoſo, fotus forma mammis admovendo; addendo ſi vis ſpiritum vini ut fiat medicamentum efficacius. Sic ſi ſal volatile quodvis, *ſalis armoniaci* puta cum vini ſpiritu & aqua aliqua aromatica miſceatur, & vix tepens mammæ exponatur, & aliquoties renovetur, plurimum promovebitur lactis coagulati diſſolutio. Gummi multifaria, *galbanum, ſagapenum, ammoniacum, opopanax. bdellium, &c.* Emplaſtri forma cum *cera & ceti ſpermate* (quod merito hic valde laudatur, & ſale volatili abundare videtur) redacta, quale jam notum eſt *Empl. de ſpermate ceti*, in hoc caſu efficax. *Sylvius lib. 3. cap. 11.* Inter ea quæ Lactis coagulati diſſolutionem abſolvere poſſunt, & cataplaſmatis commodè jungi, haud poſtremum locum ſibi vendicant *Cepæ*, tum vtiliter ſub cineribus aſſandæ, quo ipſarum acrimonia excellens minuatur, & cum minori ægrarum moleſtia opus earum perficiatur: Inter *Emollientia* laudantur merito *liliorum alb. bulbi, rad. althææ*, ejuſdemque vti & *malvæ folia, farina lini, fœnugr. & ſimilia. Idem ibid.* §. 58. Vide cap. 1. art. 1. Tit. 8. §. *Inflammatio*.

[51]. *Sugendum tamen lac*) An hoc in caſu ſuctio facienda, Vide ſuperius caput de Redundentia lactis §. *Non tantum exſugere poſſunt.*

[52]. *Ad diſſolutionem facit juſculum*) Ubi adeſt ſuſpicio vel præſentia lactis in mammis coagulati, opera danda vt lac nondum concretum mature removeatur, lac diſſolvatur, & reſolutum emulgeatur: Unde ſubito, quando puerperæ percipiunt ſibi naſci tumorem in mammis, emulgent, ne lac coaguletur, vel ſi non poſſunt lac emulgere, lac exſugere permittunt; Hoc facto propina interne *Sudorifera*, ſpeciatim *ſalia volatilia*, quæ præter ſudorem, & vi ſalina lactis grumos diſſolvunt coagulatos. Principatum *ſpiritus ſalis armon.* prole rectificatus dictus ad ℈j. ſudorem largum promovendo, gerit, Et ſi recte ſudant, mox ſenſibile levamen in mammis percipiunt, tam in lactis coagulatione, quam ſi ſupervenit inflammatio. Sed neceſſe eſt vt fiat in principio, ſi enim per biduum aut triduum lac coagulatum in mammis hæſerit, fruſtra eſt vt diſſolvuntur grumi & inſenſibiliter diſpareant. *Etmuller.*

Alia remedia *intemperie frigidæ*, alia *calidæ* conveniunt; Alii dicunt *Grumo* calefacientia & attenuantia, *Caſeationi* refrigerantia deberi, ſed curatio ſemper eo redit; In frigida erga cauſa calefaciendum & attenuandum, quod præſtant *radix eryngii, raphani, cymini, myrrha, mel, ſal, crocus, lentes*, ſed præcipue *mentha* commendatur à *Dioſcoride*, quia mammas lacte turgentes compeſcit, concretionem prohibet, & lac concretum ſolvit.

℞. *Rad. eryngii, fœnic.* āā. ℥ß. *fol. malvæ, menthæ, fœnic.* āā. m. s. *cicer. rubr.* p. j. *ſem. apii* ʒj. *coqu. in aqua hordei, In colat.* ℥ij. *diſſolve oxym. ſimpl. ſyr. de ij. vel v. rad.* āā ℥j. m. fiat Potio.

Laudant quidam *ceram* ſi ad quantitatem x. piſorum degluriatur.

In *calida intemperie* frigida conveniunt, potius tamen ſint tepida, ne graviora mala contingant, ac etiam attenuantia, ſanguis enim ſemper diſſolvendus.

℞. *Rad. cichor. v. aperient.* āā. ʒv. fol. *cichor endiv. borrag. ſumm. fœnic. menthæ* āā. m. ß. ſemin. *melon. althea, petroſ.* āā. ʒj. ſ. *decoctio ad* ℔ß. *In colat. diſſolve ſyr. de limon. de cichor. de v. rad. oxym. ſimpl.* āā. ℥. *ſpir. vitriol. gtt. vi. f. Julep.* Pr m oſius.

Omnibus irritis, *ſumenda* ʒj. *pulver. milleped. præpar.* in juſculo per duos dies, curatur. *Riverius obſ. 89. cent 4.*

[53]. *Ablutio mammillæ, &c.*) Ubi ſudaverunt, mox in principio ad diſſolvendos lactis grumos, Empl. ſequens ſuper imponi poteſt,

℞. *Empl. de galbano crocati Mynſichti, gum. ammon. in aceto ſoluti* āā. liquefacta induc ſuper linteum craſſum, ut integram mammam obtegat, tranſcindendo foramen pro papilla, poſt applicetur calide mammæ, & imponantur ſacculi *ex oryza* vel *milio*, vel *hordeo* contuſo fervidi, & mulier diſponatur ad ſudorem; ſic fac ſucceſſive, evaneſcit, ſed neceſſe eſt, ut fiat in principio. Item hic in vſu eſt ut ad lactis grumos diſſolvendos *rutha & mentha* contuſæ calide mammis imponantur. Quidam commendant *decoctum chelidonii major.* forma fotus impoſitum, Verum hæc ſaltem juvant in principio, hinc vel ſupervenit inflammatio mammarum, vel gangræna, vel indurantur in ſcirrhum. *Etmuller.*

Extrinſecus in *cauſa frigida*, conveniunt fotus, cataplaſmata, linimenta, qualia ſuperiori capite deſcripta, *Lentium, apii, cymini, croci, menthæ* decoctum laudatur ab *Aetio* maxime ſi in *muria* vel *aceto* decoquantur; Imo *Paulus* & *Aetius* vtuntur ſola *muria* calente, aut *furfuribus* cum *aceto*; imponunt *juglandes* contritas cum *melle*, quibus adde *mentham, crocum & cyminum.*

℞. Radic. *alth. apii, ebuli, rub. tinctor.* āā. ℥ß. folior. *erucæ, menthæ, rutæ, calaminth. melilot. ſinapi* āā. m. ſ. ſemin. *cymini, napi, rutæ* āā. ʒj. flor. *chamæm. melilot ana p. j.* fiat decoctio in *oxycrat.* pro Fotu partis, & ex reſidentia cataplaſma, cum farina *ſemin. lini, ſœnugr. ireos Flor. & oleo aneth.* vel *chamæmel.* Quidam *ſtercus caprill.* coquunt & applicant cum *oxymel.*

℞. *Muria* ℔j. *aceti* ℥ij. *cymini, croci* āā. ʒ ß. m. f. Epithema.

Quidam vtuntur *ſapone*, Aquæ *chelid. menthæ, lilior.* et am

etiam proſunt; Cavendum ſemper à nimium calefacientibus, ne nimia fiat attractio Plura ex capite præcedente repetuntur.

In *calida intemperie* frigida conveniunt, *Aetius* commendat *oxycratum tepidum*, *furfures cum aceto* & *ſucco*, *apii*, *pſyll. coriandri ſucco*, *palmulas cum pane & poſca*, Si adſit magna inflammatio coque *fol. braſſicæ* & *halicacabi* in aceto, adde parum *myrrhæ* & *croci*, Nec utendum ſolis refrigerantibus, ſed etiam parum reſolventibus, ut fotu ex *decocto fænugr. althææ, lini, malvæ, melilot. plantag. apii, anagallidis, violar. menthæ, & ſimil.* Ex his catapl. fieri poterit cum *farina hordei & oleo roſac.* Primiroſius.

Efficax hoc eſt.

℞. *Ceræ* ℥j. *fol. portulac.* ℥iß. Utere hoc cum *oleo ſeſamino*, tanquam probatiſſimo. *Aetius.*

Ad lactis concretionem mirifice facit *apium hortenſe* tritum & mammis impoſitum. *Rod. à Caſtro.*

Menthæ criſpa contuſa & mammis applicata, ſæpius renovata, lactis coagulationem ſingulariter corrigit; hoc nunquam me fefellit. *Michael Cimgnerus.*

Vngu. hoc valde bonum eſt.

℞. *Coaguli hœdi* ʒvi. *ſter. liquir. abſinth. cumin. ſem. aneth.* ãã. ʒi. *oleo. abſinth. pinguedin. anatis, ana unc* ß. *f. unguen. adde croci* ℈j. miſce. *Rud. Conclenius.*

Lac in mammis concretum diſſolvit *ruta* per ſe tuſa, aut cum *aceto:* Item *cuminum* tuſum & applicatum intra paucas horas, incantamenti inſtar lactis concretionem arcet, & jam generatam expellit. *Quercetanus.*

Apium hortenſe tritum, & impoſitum mire prodeſt. *Weickardus.*

54. *Coagulum*) Quod quidam valde commendant diſſolutum cum *aceto* ad mammas illinendas, vel cum oleo quopiam reſolvente: Imo potum cum *aceto, aqua nucum virid.* ipſum ſanguinem in corpore concretum diſſolvit, Eo utitur *Mercurialis* cum *cymino & vino* feliciſſime: Eſt autem *coagulum* attenuantis & diſſolventis facultatis: *Averroes 1. coll.* dicit habere vim adſtringendi, unde alvi fluxus coagulo ſiſtitur; *Mercurialis* ait diſſolvere ob qualitates manifeſtas, quia eſt calidum, ſicut fermentum attenuat, coquit & diſſolvit, adſtringere autem occulta proprietate, Dicere poſſumus hanc eſſe *coaguli* vim, ut concreta diſſolvat, & diſſoluta cogat, propterea dum cogit humores ſiſtit fluxum. *Primiroſius.*

Coagulum leporinum, præſertim ſi cum pauco *aceto*, butyro aut aliquo oleo illinatur, in grumos converſum lac ſummopere diſſolvit. *R. Dodonæus.*

Ego uti ſoleo *coagulo leporino*, una cum *cumino & vino* ſumpto, & expertus ſum ſæpius ſubitaneum & maxime præſentaneum auxilium attuliſſe. *Mercurialis.*

Auxilium hoc ſæpe à nobis expertum eſt, *Coagulum leporis in aceto* ſolutum & ſuper mammas extenſum. *Pulverinus.*

Appendix de Lactatione læſâ.

Lactatio eſt Lactis in mulierum mammis producti allectio per papillas, & quidem ope ſuctus ab infante facti: Hinc quædam concurrunt in fœmina, quædam in infante: In fœmina ad commode Lactationem perficiendam requiruntur 1°. *Papillæ* tum *craſſitie* tum *longitudine* mediocres, ut commode poſſint ore labiisve infantis ſugentis prehendi; unde culpantur aut *prægrandes*, os infantis plus juſto replentes, aut *breviores*, ut prehendi nequeant infantis labiis, ſed fugiant ipſa: 2. Sint *integræ* & à dolore immunes, unde culpantur *Fiſſæ*, aut ob inflammationem, excoriationem, exulcerationemve dolentes. 3. Requiruntur *Lactei tubuli* per papillas pervii, unde culpantur papillæ Tubulis deſtitutæ, adeo ut nulla via lacti pateat; Requiritur 4. *Lactis laudabilis moderatus affluxus*, culpatur *nimius*, à quo ſolet obrui infans; vel *parcior*, unde multum flatum in ventriculum ſuum allicit, plurimumque inde diſtenditur angiturque infans: In *Sugente infante*, ad Lactationem abſolvendam requiruntur 1. *Labia* tum *integra*, tum *contigua*, tum *mobilia*; *Integra*, ut papillis undique applicari poſſint proxime, *Contigua* & mobilia, ut papillas complecti queant & comprimere, ac viciſſim relaxare: 2. *Lingua* quaquaverſum mobilis, h. e. tam antrorſum, ut papillæ occurrat, quam retrorſum, ut lac exſuctum ad fauces deferat, quin papillam quodammodo complecti debet, & blande illam retrorſum trahere ad alliciendum exſugendumque Lac per illam è mamma: 3. Requiritur *Reſpiratio libera per nares*, & integra, ſine qua neceſſe habet infans commode à Lactatione deſiſtere ut per os apertum reſpiret, lactationemque redintegret poſtea, cum ſumma ſui & matris moleſtia, dum agitur papillam alternatim prehendere iterumque dimittere, quod infantes ita vexare ſolet, ut inde excandeſcant vehementer, & ira quidem ut aliquando epilepticos inſultus patiantur: Fœminis autem reciproca illa papillarum prehenſio & relaxatio cum dolore tandem conjuncta eſt, quin plurimum facit ad papillarum excoriationem & fiſſuras producendas: Hæc de Lactatione naturali, jam videndum quot modis lædi queat.

Læditur autem 1. cum in totum impedita eſt, ac *Nulla* 2. cum *Inſufficiens* contingit, nec totum lac exſugi poteſt 3. cum *abundantior* eſt atque facilior, infantemque opprimit: *Nulla* fit, vel potius fieri poteſt Lactatio, vel *lactis*, vel *partium* in lactante ad lactandum deſideratarum ſugentis culpa: *Lactis* culpa nulla fieri poteſt, cum ipſum eſt ad motum ineptum (*vide cauſas & curationem* §.) 2. *Partium*, cum deſunt Papillæ, vel vaſa ipſum lac per papillas vel mammas deferentia quovis modo ſunt nimis anguſta; de quorum vitiis vide ſupra, *Deſunt*, aut deeſſe videntur Papillæ in quibuſdam fœminis ante imprægnationem atque partum; aliis etiam poſt partum & Lactationem jam inſtitutam. 3. *Sugentis* culpa nulla fit fierive poteſt Lactatio, 1. cum *Labia* non ſunt integra, ſed fiſſa & hiulca, ſicut evenire ſolet in eorum affectu *Leporinorum labiorum* nomine inſignito, atque ipſorum quoque vulneribus tranſverſis. 2. cum eadem *Labra* non ſunt *voluntarie mobilia*, ſed nunc *paralyſi* nunc convulſione laborant: vel motu etiam convulſivo, vel Aphthis, aliiſve ulceribus ſcatentia motum neceſſarium ferre non poſſunt, 3. cum eadem non ſunt *contigua* ſed continua & cohærentia, adeo ut papillas etiam mediocres ac rite formatas excipere nequeant, 4. cum *Lingua* vel antrorſum exporrigi nequit ad complectendam papillam, vel circa papillam plicari non poteſt, ad exſugendum lac, vel aphthis aliiſve ulceribus ſcatens rite moveri nequit: *Lingua* ſæpius *ob frænum brevius* minus mobilis, eodem diſſecto reddi ſolet quaquaverſum mobilior ut & *eadem Aphthis* aliiſve ulceribus ſcatear.

Inſufficiens fit Lactatio, itidem aut ipſius *Lactis*, aut *partium* in Lactante ad lactandum requiſitarum, aut Sugentis *culpa*: *Lactis* culpa, cum ejuſdem pars aliqua in ipſis eſt coagulata: *Partium* ad lactandum requiſitarum, Tubulorum puta Lacteorum culpa inſufficiens fit lactatio, cum ipſorum pars aliqua eſt obſtructa, vel valde compreſſa, unde per illos ſaltem exugi lac non poteſt quod proinde in mammis permanens ibidem coagulabitur, & notata ſuperius mala producet:

Sugentis denique infantis culpa, cum ipſe aut valde debilis eſt, aut Labia Linguave ſuperius notatis malis, non quidem extreme, ſed quodam modo laborant, Debilitas infantis duplex obſervatur, Vitalis & Animalis. Vitalem, ſeu Naturalem voco, ratione functionum naturalium, ac præſertim mutationi ſanguinis in corde obvenientis, à qua proxime pendet vita, unde etiam ipſa multum læſa vita quoque periclitatur, quæ *pulſu* dignoſcitur *debili*. *Animalem* voco ſenſu & motu voluntario conſiſtentem, in quo caſu imbecillius functiones dictæ animales peraguntur: Vtriuſque autem nomine inſufficiens fit Lactatio, & vitalium quidem virium ratione, quoties languens infans multum ferre haud poteſt lac, quin ab illo gravatus mox reſpuit aut rejicit, deſinitque plus ejus exſugere: *Animalium* vero ratione, cum animalis motus infantis languet, adeo ut cum difficultate & labore Lac exſugat, adeoque à ſuctu cito ceſſet valde defatigatus: *Vitale*, *infantium vires* deficiunt fere ratione *Acidi exuperantis*, vel *Biliosi & amari deficientis*, *Acidum* exuperans domatur aromaticis, & ſale volatili non minus quam fixo abundantibus, coralliis, margaritis, creta, &c. mox temperatum; quoties quantitate quoque redundat evacuantibus tam per alvum, hydragogis, quam ſudorificis & diureticis minuendo; cavendo à Vomitoriis præcipitanter uſurpatis, cum facile noxam notabilem afferunt teneris infantibus: *Biliosum & amarum deficiens* reparabitur per aromatica blandiora, cinnamom. fœnic. mentham, &c. ac præſertim eorum aquas & ſyrupos; ut & confectionem alkermes, ambram griſeam &c. *Animales* infantium vires deficiunt fere ob animalium ſpirituum penuriam, tum dolores, tum vigilias, tum anxietates conſequentem: *Reparantur iidem ſpiritus* 1. tollendo ac demulcendo dolores per anodyna, & quandoque narcotica conciliando ſomnum per eadem, 3. ſuperando *anxietates*, quæ halitibus & flatibus ventriculum pulmoneſve obſidentibus debentur, per blanda diſcutientia & anodyna: 4. uſurpando ſpirituoſa, ſed temperatiſſima & parva quantitate, e. g. miſcendo aquam vitæ *Matthioli*, vel quemvis alium vini ſpiritum rectificatum, ſimplicem aromaticumve ad ʒj. cum aquæ fœnic. aut menthæ ℥ij. vel iij. addito ſyrup. grato, ſtœch. puta vel betonicæ, aliove cephalico, exhibendo cochleare parvum.

Tertiam Lactationis læſæ ſpeciem docuimus eſſe cum ipſa fit *abundantior & facilior*, & ita quidem ut Sugentem opprimat, quin pene ſuffocet: Contingit autem proprie ratione *Lactis*, vel *partium* in Lactante ad lactandum requiſitarum, & quandoque forſan ſugentis culpa, Ratione Lactis, cum id non tam redundat quam *nimis fluidum* exiſtit, quamobrem nullo labore profluens, è mammis majore copia & impetu ad infantis os pergit quam ut commode ac ſat cito queat deglutiri, unde ſuffocationis periculum nonnunquam imminet, quoties ejus pars notabilis ad pulmones vadit, eorumque aſperam implens arteriam, inſpirando expirandoque aëri viam intercludit: Ratione *partium in lactante* requiſitarum, *tubulorum* puta *lacteorum*, facilius, ideoque copioſius exſugitur Lac cum illi ſunt patentiores ac ampliores, inprimis ſi valvulæ tubulos mammarios à papillaribus diſtinguentes ſunt laxiores: Horum Tubulorum & valvularum laxitas tum ſingulari conformationi, tum pituitæ in univerſo corpore redundanti adſcribenda: *Curabitur*, ſi ſpes curationis adſit, medicamentis blande adſtringentibus, forma humida aut ſicca mammis, præſertim circa papillas applicatis: *Humida* parando Fotum ex radic. ſol. flor. & aliis adſtringendi vi blanda præditis in aqua ferrata, vel ſpongia, calide applicatis; cavendo ne iſta humiditate diutine uſurpata excorientur papillæ: *Forma ſicca*, ſi eadem in pulverem redacta ſacculis inſuantur, & calide mammis admoveantur: *Sugentis infantis* culpa, proprie loquendo, facilius copioſiuſque non fit lactatio, niſi infans robuſtus & vegetus multo lacte indigens ſugat potentius ac diutius, itaut lactis loco ſanguis prodeat, verum ut ea de cauſa plus ſanguinis ad mammas alliciatur, plus ſanguinis generetur, ac lactans hinc debilitetur. *Curabitur* hæc lactatio infantem rarius uberibus admovendo, ipſumque aliis alimentis paſcendo. *Sylvius Pr. l. 3. c. 12.*

De Depravata Lactis generatione, quoad colorem, ſaporem, conſiſtentiam &c.

Depravari diximus Lactis generationem, cum id ratione *Coloris*, *Saporis*, Conſiſtentiæ, aliuſve qualitatis producitur vitioſum; *Colore* laudatur Lac ex cœruleo albicans, culpatur *flaveſcens*, aut *impenſe albens*: Laudatur Lac Sapore *dulce*, culpatur *amarum*, *ſubſalſum*, aut quovis alio ſapore præditum: Laudatur lac *conſiſtentia* mediocre; culpatur *valde craſſum*, aut valde *dilutum & tenue*: *Flaveſcere* videtur Lac à bilis tinctura, in ſanguine exuperante, ac lacti communicata: Impenſe *albere* videtur lac à pituita in ſanguine plus minus redundante: *Amaricare* videtur à bile non ſatis ſanguini permiſta, ſed in ſanguinis ſero exiſtente, licet raro ipſa in eo obſervetur, *Subſalſum* redditur Lac à ſero ſanguinis ſalſo muriatico, Lacti arctius juncto; *Conſiſtentia* Lactis mediocris debetur ſanguini laudabili; *Craſſities nimia* craſſiori, & valde glutinoſo; *Tenuitas nimia*, tenuiori & fluidiori: *Lac flaveſcens* corrigetur educta per intervalla bile, ac inprimis præcipitata, correctave ipſius excellente tinctura: Bilis per cholagoga nota excludenda: Quæ ejus excellentem Tincturam corrigant præcipitentve, vix puto hactenus nota eſſe; exiſtimo tamen conducere vitriolum depuratum, inprimis ex marte paratum; quod ſi ulterius præparetur, artificioſe plus præſtabit, ac præſertim ejus *ſulphur anodynum*; *Lac impenſe albens* ac ſemper forſan ſimul craſſius, corrigetur pituitæ correctione ac eductione, corrigent feliciſſime aromatica & ſalia volatilia: Minuent ac educent phlegmagoga, ſed per epicraſin data, *Amaricans Lac* corrigetur diminutione bilis univerſali per cholagoga blanda: *Salſum*, diminutione ſeri ſalſi, in ſanguine redundantis per hydragoga, ſæpius & minore quantitate exhibita: *Craſſius* attenuabitur per aromatica & ſalia volatilia, diutine cum alimentis uſurpata. *Tenuius* incraſſabitur diutino & prudenti uſu auſteriorum blandiorum alimentis junctorum. *Fr. Sylvius Pr. l. 3. c. 10.*

Alienas qualitates, ſaporem &c. lacti induci ab ingeſtis notum eſt, adeo ut nutrices curatas eſſe deceat, quin & Medicos: Mulier cum in febrim prægnans incidiſſet, eluctata tandem ut firmaretur debilis ventriculus, capit diu quotidie in juſculo guttas xxx. *extracti abſinthii*, hinc enititur filiolam, quam cum proprio lacte educare deſtinaret, advertit plorare ab aſſumpto nutrimento, virgunculam, & torminibus ventris divexari, comite diarrhœa & viridium egeſtione continua: Itaque hortatu prudentiorum nutricem circumſpicit cujus lacte ut convenientior: alatur infans: Dictum factum, quieſcit illa nutricis lacte aſſumpto, ceſſant ſymptomata, ſiſtitur diarrhœa: Mater ſubtrata mammillis ſuis exprimit inviſum ſuccum & deguſtat, ſed ut merum fel ſe libare mœſta advertit, à nimio nempe abſynthii uſu ante puerperium. *Olaus Borrichius.*

Sed & vitium ſanguinis lacti imprimitur, Fœmina Nobilis, tẽperamenti ſanguineo bilioſi, poſt partũ gemellarum

rum, lichenibus in facie, brachiis,& pectore obſeſſa,ac dolotibus colicis afflicta, nihilominus gemellas lactans, infantes ambo ventris tormina perſæpe patiebantur, & vix admota matris ubera abhorrebant, unde ſuſpicio de lacte corrupto orta,quod & colore ſubflavum, ac guſtu amarum inventum fuit:Ideoq; ex conſilio meo,præmiſſo apozemate univerſali & alterare,in puerperio quidem , catelli lactentes per dies aliquot bis terve, priuſquam infantes ſugerent, uberibus admoti , ut ſic prius extracto pejori lacte, reliquus lactis liquor albus ac ſub dulcis infantibus ultra non nocuit: Catellorum vero unus cum magna tortura & convulſis crutibus intra biduum vitam perdidit, alter tortis collo ac cruribus miſere ſupervivit. *Helvvigius in Obſervat.*

De pravis Lactis qualitatibus (bis, ubi.

Lac peccat vel in *quantitate* vel *in qualitate :* In *quantitate* tripliciter , 1. cum prorſus deficit, 2. cum paucum. 3. cum admodum abundat. In *qualitate,* quando in conſiſtentia , colore, ſapore , & odore ab optimo lacte recedit.

Optimum eſt, & quaſi idea boni lactis, quod eſt albiſſimum, dulciſſimum, boni & ſuavis odoris,denique juſtæ *Conſiſtentiæ*, nempe quod neque nimis eſt tenue & aquoſum , neque craſſum nimis ; Malum contra primum eſt in conſiſtentia , quod tenue valde, aut copulentum aut craſſum nimis.

Deinde in *Sapore* , quod ſalſum acre , acidum aut amarum.

In *odore* , quod olidum.

In *colore*, quod lividum, cæruleum, aliove colore infectum.

De Lacte tenui & aquoſo.

Illud Lac tenue & aquoſum cenſetur, quod multum ſeroſæ & aquoſæ ſubſtantiæ in ſe habet ; *Cognoſcitur* ſi ungui,patinæ,aut ſpeculo inſtillatum mox aquæ inſtar diffluat.

Curatio negligenda non eſt , nam crudum & aquoſum infantem male alit, unde emaciatur , aut in diarrhœam incidit,præſertim ſi ſit ſalſum , acre & mordax, aut tormina ventris inde concipit,quia flatulentum, aut puſtulis & tuberculis deformatur.

Cauſa aquoſitatis eſt interna vel externa, *Interna* vel ἀσθενχία αἱματώσεως in hepate , intemperie frigida laborante , vel frigida mammarum dyſcraſia & humida. *Externa* multiplex, frigidæ potus immoderatus , ciborum refrigerantium & humectantium eſus , cujuſmodi ſunt olera, acetaria , fructus horarii, frequens piſcium eſus , *Sebiſius* man. p. 17. 23.

Tribus ſignis cognoſcetur 1. ſi ſuper unguem vel ſpeculum ponatur , & ſtatim defluat, aquoſum eſt , ſi vero conſiſtit minime. 2. ſi pilus Lacti immergatur , ſi lac non adhæret fluidum eſt. 3. per coagulum id innoteſcet, ſi pars ſeroſa copioſior eſſe videatur quam ſeroſa & butyroſa; His adde ſi pueri multum mingunt , & lintea madefaciunt,vel diarrhœa laborant & emaciantur. *Primiroſius l. 5. c. 10.*

Fluidius conſiſtentia eſt lac à majori ſeri copia in ſanguine & fermento acido diſſolvente nimis. *Margravius Prodromi p. 168.*

Ad *curationem* victus ſit ſiccior & calidior , ut ſunt *panis bis coctus, aniſo, coriandro conditus, carnes avium montanarum,* aut craſſiores & ſolidiores, ut *bubula*, aſſæ potius quam elixæ, attocreata : Vitentur omnia nimium humectantia , ut piſces , fructus horarii, lac, omnia, juſcula , *Potus* ſit exiguus, vinum craſſum;auſterum, Ejus loco *decoctum guajaci, chinæ, coriandri, cinnamomi,* & aliorum aromaticorum ; Præterea humores ſeroſi purgandi ſunt *mechoacanna, Jalapa* , & aliis hydragogis , Tum etiam ſudorificis, laconicis, calefacientibus omnibus internis & externis. *Primiroſius.*

Conducunt quoque Tragemata ex *ſpeciebus aromatici roſati* , & *caryophillati ſpecies dianiſi* , *diacinnam. diagalangæ* , *diaxylo aloes* , *diambræ* parata, *Acorum cond. nux moſch.* condita , *zinziber.* cond. *galanga* condita , *Theriaca Andromachi, mithridat. Dam.* Sebiſius.

Poſt hydragoga alterantibus & corroborantibus aromaticis utendum : A fermento acido vero , infringenda aciditas , temperanda , & concentranda. *Marggravius.*

De Lacte craſſiori.

Præcedenti lactis vitio contraria eſt ejuſdem craſſities , Cognoſcitur autem craſſum eſſe ſi parum ſeri habeat, Parum autem illius habere dicitur , ſi alicui rei inſtillatum ſubſiſtat , eaque mota vel reclinata non facile defluat.

Niſi emendetur , infantem lædit , Eſt enim δύσπεπτον & facile in ventriculo coagulatur ; alvum quoque infantis conſtipat, unde tormina ventris, febres, capitis dolores , inedia & vigiliæ: prompte quin etiam concreſcit, quo nomine θρόμβωσις aut τύρωσις metuenda , nutrici & lactenti incommoda; *Illi* , quia diu in mammis retentum dolorem excitat diſtendendo, qui poſtea ſanguinis affluxum allicit inflammationis materiam , *Huic* vero , quia lacte deſtituitur. *Sebiſius.*

Lac craſſum difficulter concoquitur & diſtribuitur, unde in ventre corruptum diutiuſque retentum epilepſias parit , convulſiones, alvi conſtipationes , flatus furunculos, pueros reddit inappetentes , torpidos, difficulter reſpirantes, ſomnolentos, multorumque aliorum morborum cauſa fit : *Primiroſius.*

In victu vitanda edulia craſſa, utpote *lentes, fabæ, piſa, phaſeoli, caro bubula* , *vaccina, cervina, aprugna , parenchymata viſcerum* , *lacticinia* , *opera piſtorum* , *ova indurata* , *caſeus* , &c. Aſſumenda contra quæ facilis ſunt concoctionis, bonique ſucci ; *Vinum* bibendum album, tenue , aut *cereviſia* ſimilis. *Condiri* poſſunt *fercula* rebus attenuantibus , & incidentibus, *fœniculo*, *aniſo* , ſeminibus , *carvi* , *cinnamomo* , *mace* , *galanga* , *roſmar. majorana*, &c. *Potus* parandus ex *cicer. rubr.* radic. *Ononid.* ſemin. *fœnic. aniſi* , *cinnam. galanga*, Proſunt & tragemata ex ſpeciebus ſupra dictis: Quod ſi craſſi viſcoſique humores lactantem infeſtaverint catharticis evacuandi ſunt. *Sebiſius.*

Ad lentum & craſſum lac *à ſeri defectu* , augendum ſerum aqueis , ſale volatili præditis ; *fermento minus acido* , uſurpanda acida volatilia , aut volatilibus juncta , ut eſt *ſinapi* , *raphanus ruſtic. cappares* , *geniſtæ , ſambuc. flores* aceto conditi & condimentorum loco ſumpti. *Marggravius.*

De Lacte Acri , Salſo , malique Coloris & Saporis.

Lac utut ſit conveniens alimentum, nec debet eſſe nimis tenue, nec nimis craſſum ; Præterea lac probum *Colore* , *Odore* & *Sapore* æſtimatur. Color debet eſſe albus & ſplendidus, qui peculiariter lacteus vocatur, quia ſimilis in cæteris humoribus albis, ut ſero & pituita non reperitur ; Vnde miror quare *Ariſtoteles* lac lividius, ad cœli colorem tendens, cæteris prætulerit, Sic male *Avicennas* lac album improbat, quod ſit nimis pituitoſum , cũ tamen lac quodlibet pituitã cãdore ſuperare teneatur; Quũ ab hoc colore recedit, pravũ cenſetur

ob cruditatem, exuſtionem, humorum pravorum miſtionem, bilis, pituitæ, melancholiæ; à quibus colorem præter ſui naturam nanciſcitur.

Odor debet eſſe ſuavis, quamvis vehemens non ſit; Si *acidum oleat*, teſtatur ipſius refrigerationem; *nidorulentus* acrimoniam, exuſtionem, corruptionem; facile enim lac à qualibet cauſa alteratur, non ſolum in ventriculo, ſed etiam in mammis.

Sapor debet eſſe dulcis & gratus, non quidem ut mel & ſaccharum quæ ſunt lacte calidiora, ſed ſapor ille eſt, ipſi lacti proprius, quem etiam *lacteum* dicere poſſemus quoniam ſimilis reliquis dulcibus non ineſt, Eſt autem optimæ temperiei index, Quod ſi guſtanti acrius, ſalſum, amarum appareat, erit calidius: Contra, ſi fuerit inſipidum, acerbum, acidum, frigidius judicabitur, Hæc illi contingere poſſunt ex prava victus ratione, ut ſi alliis, cæpis, ſalſis, piperatis, frixis, & ſimilibus uſa fuerit.

Vbi igitur lac priores qualitates amittit, & vitioſas acquirit multi nutrici & infanti mala ingruunt, nam nutricum mammas erodit & exulcerat, pueris alvi tormina, exulcerationes, inflammationes, pruritus excitat, Sic ſcribit *Galenus* infantem quendam cum nutricem malo victu utentem ſuxiſſet, totum ulceribus repletum fuiſſe; nulla ſubſtantia in corpore tam facile à quibuslibet rebus alteratur quam lac; Sic videmus butyrum pro ratione victus varium odorem & ſaporem acquirere, ut ſi verno tempore alliaria vaccæ veſcantur.

Vitiatur igitur lac, vel nutricum prava victus ratione, ut ſi pravis eduliis, ſalſis, acribus, aromaticis, alliis, porris, cæpis, vino liberalius utantur, ſi aliquo gravi animi pathemate torqueantur, ſed præcipue libidine, atque in victu errata commiſerint; *Altera cauſa eſt* earum *intemperies*, ſi calidior aut frigidior fuerit, bilioſa, pituitoſa aut melancholica, Ipſarum quoque *Mammarum intemperies* lac vitiant, & *apoſtemata*.

Cognoſcitur autē ejus vitium, 1. ex lacte ipſo, ut breviter *Aetius* explicat: *Probandum eſt lac* viſu, *guſtu & olfactu, nam guſtantibus & olfacientibus jucundū, videntibus album & aquale, mediocriter ſpiſſum: At vitioſum lac, ut craſſum, aut caſeoſum, ac ſeroſum & liquidum, vel lividum, aut ſpumoſum, aut fœtidum, aut cito aceſcens, aut amarum, aut ſalſum, aut alia quadam qualitate praditum. Ex his conjecturam facies mulierem morboſam eſſe, & ad aliam tranſibis.*

Præterea ex eodem *Aetio*, ſi lintea munda & candida, lacti immergantur, poſt ſiccentur in umbra, referent colorem lactis; nam ſi fuerit bilioſum, flaveſcent; ſi pituitoſum, tantum maculata abſque ullo colore apparebunt; quæ tamen non ſunt admodum certa, niſi inſignis in lacte fuerit humorum exceſſus.

Secundo cognoſcetur lactis vitium ex ipſo *infante*, ut ſi libenter non ſugat, vel ſi ſugat quidem non tamen proficiat, multum ploret, parum dormiat, carnes laxas, flaccidas habeat, emacietur, aphthis, aliiſque ſymptomatis afficiatur.

Tertio ex ipſa muliere, ſi iracunda ſit, libidinoſa, ebrioſa, melancholica, bilioſa, pituitoſa, idque ex aliarum intemperierum ſignis cognoſcetur. Itaque *bilioſum lac* erit ſeroſum, tenue, ſubflavum, amarum, habitus erit gracilis, temperies bilioſa, ætas florens, & aliæ adſunt bilis cauſæ; *Pituitoſum* erit craſſius album acidum, Temperies, habitus, ætas, anni tempus, regio, victus ratio præcedens pituitam indicabunt, *Melancholicum* erit craſſius, paucum fuſci coloris, & cætera melancholiam indicantia. *Primiroſius.*

Salſum evadit lac ob ſerum ſalſum in ſanguine exiſtens.

Amarum, non ob ſerum ſanguinis amarum, quod nunquam obſervatum fuit, ſed ob admixta lacti, ſive à ſanguine vitioſo, ſive à fermento lacteo.

Flavum colorem à ſulphurea pinguedine contrahit, ſoluta per alkali. *Marggravius, ex Sylvio de le Boë.*

Curationem quod ſpectat, ſi à pravo victu vitium iſtud lactis dependeat, illius mutatione emendabitur, Ideo vitandæ ſunt omnes vehementes animi paſſiones & motus, corporis nimiæ exercitationes, ſed venus præcipue, lac enim reddit tenue & fœtidum, multoque pejus ſi mulier concipiat, ex *Tralliano*; Moderata tamen exercitia, præcipue partium ſuperiorum commendat *Aetius Alvus* lubrica ſervanda eſt, ne retentorum excrementorum vapores lac contaminent, vitentur omnes *cibi* acres, mali ſucci, ut *cepe, allia*, omnia calida admodum, ſalſa dyſpepta edulia: *Strobylos* improbat *Aetius*, ſunt, *inquit*, bilioſi & oleoſi, ventriculo innatant, Venerem ſtimulant; Vtatur contra omnibus eupeptis & euchymis, nam vitiata coctio & cruditas lac alterant; *Vinum* propterea nec generoſum nimis, nec debile, modice lymphatum, nec copioſe potum à *Paulo* laudatur, ab eo dicit lactis fœtorem corrigi.

Sed præterea ad vacuandos Nutricis noxios humores purgatio erit utilis, juxta illorum naturam; *Purgantia* tamen improbat *Aetius*, quia ſanguinem à mammis avocant afferme ſunt omnia diuretica, & menſes moventia; Verum qua alia ratione Cacochymia lac inficiens poſſit emendari non video, cum expurgationem indicet; quæ ſi non quidem ex valentioribus, ſed ex benignis pharmacis inſtituatur, ſanguinem reddit puriorem, & lac infanti gratius & commodius, nec tamen humorum fluxum à mammis avertent, ſicut etiam quotidiana docet experientia; Benignis igitur contentus Medicus, à valentioribus abſtinebit; Quo autem die purgatur nutrix, lac infanti non exhibeat, niſi ſimul illum purgare velimus; nam purgantibus nutrici exhibitis lac evadit ſolutivum: Sic capra apud *Hippocratem*, elaterium aut tithymalum comedens, lac habet amarum & catharticum; Poteritque etiam nutrix non ſemel tantum, ſed bis terve aut ſæpius in menſe expurgari, pro dominantis cacochymiæ quantitate, donec lac ad priſtinam bonitatem revertatur; Præterea Nutricis temperies in contrarium mutanda, ut calidis balneis, cibis humectantibus, refrigerantibus, tum alimentis tum medicamentis; ſic in qualibet intemperie iis utendum quæ ipſam oppugnare poſſunt; Verum ſi intemperies ſit inſignis, longo tempore contracta; vel à pravis affectibus, ut lue Venerea, dependens, aut nativa nutricem omnino mutare conveniet, & infantem alteri tradere, ne in contumaci morbo corrigendo, dum forſitan etiam irrito conatu Medicus occupatur, conveniens alimentum fœtui deficiat. *Primiroſius.*

De Trichiaſi, ſeu morbo mammarum Pilari.

Affectus iſte *Pilare malum*, Græce Τριχίασις & Τριχίας dicitur, quæ vox tria ſignificat, 1. Renum vitium quo una cum urina corpuſcula quædam oblonga, capillis albis ſimilia excernuntur, 2. ſpeciem quandam cranii fracturæ tenuiſſimam & ſenſum fere latentem. 3. ſonat affectum de quo hic ſermo, Eſt autem ſecundum opinionem eorum qui Pilare mammarum vitium tuentur, Mammarum vehemens dolor, quem pilus in potu hauſtus aliquando movet, iſque cum rubore, fervore, tumore mammarum & febri conjunctus.

An malum reale ſit, ab aliis mammarum affectibus diſtinctum magna eſt apud artis proceres diſputatio. *Ariſtoteles 7. H. An.* c. 11. iſtud pro certo & peculiari mammarum

marum

marum affectu habet, Sic enim ille, *Vbera tota fungoſa iſta ſunt, ut ſi ex poculo forte pilum mulier hauſerit, dolor in mammis excitetur, quod malum pilare τριχίαν appellant, nec dolor ſedatur, donec pilus vel exeat ſponte vel cum lacte exſugatur, tam in homine quam in quadrupedum genere viviparo.*

Plinius Ariſtoteli ſuffragatur, & ſimul medicamenta proponit, *lib.31. cap.10. cancros fluviatiles* aut marinos mammæ illinitos, aut *muricum* carnes appoſitas; hæc remedia pilos evellere dicit. *Alzaravius* teſtatur ſe morbum illum vidiſſe, ſigna eſſe *dolorem ac ruborem mammarum, febrim capitiſque cruciatum,* quæ ſymptomata pilo egreſſo evaneſcant. Aſſentiuntur *Th. à Veiga comm. ad loc.6. de loc. aff. Cardanus, Manardus.* At non pauci morbum iſtum pro fabula habent, *Rondeletius hiſt. Aquat.* ſcribit malum hoc exhauſto pilo fieri neutiquam poſſe, ſed arbitratur cum malum ejuſmodi mammam infeſtat, id ex vermiculo capilli ſpecie, ex pituitoſioris & putreſcentis ſanguinis copia generari, qualem aliquando ſe in Nobilis fœminæ mamma natum ſe vidiſſe teſtatur. *Al. Benedictus* arte malefica & magica id accidere credit. *Veſalius* Anat. l.5. c.18. ita ſentit, mammas mulierum lactantium eo raritatis nunquam pervenire ut pilum in ſe recipiant, Nec credibile eſſe pilum per tot angiportus, renueſque anfractus ab ore ad mammillas duci poſſe: Non eſſe tamen omni ex parte abſonum, ſi dicatur aliquid pilo ſimile in illis, ſicut in renibus & meatibus urinariis generari poſſe. *Mercurialis* hunc pili ad mammas tranſitum figmentum eſſe ait; ac vanam mulierum opinionem quando ajunt pilum ſe habere in mammis cum ob lactis abundantiam dolorem in mammis & febrim ſentiunt.

Quod ſentiam ſequentibus ediſſeram propoſitionibus; Pilus cum potu hauſtus pilare mammarum in mammis non producit, 1. quia via à ventriculo ad mammas nimis eſt longa, flexuoſa, & ambagibus prædita. (*longa non eſt iis qui lac è chylo generari exiſtimant*) 2. quia pili in viis intermediis retardantur ut ad mammas abire nequeant: adhærent enim vel partibus ipſis, vel humoribus eorumque excrementis. 3. Ratio diverſitatis nulla dari poteſt cur non & alia ſolida corpora, quæ quandoque cum potu ex poculis hauriuntur, ad mammas abeant. 4. quia ſi maxime concedatur pilum tranſire ad mammas poſſe, non tamen apparet quomodo corpuſculum tenue, leve, flexile, glabrum, tam varia in mammis ſymptomata excitare valeat, ſi enim hæc in mammis efficeret, eadem quoque in partibus aliis, iiſque admodum ſenſibilibus procrearet; cum in aliis priuſquam ad mammas concedat, contineatur.

Pilis ſimile quid in mammis generari poſſe concedimus, ſcimus enim in abſceſſibus peregrina corpora, oſſibus, cornibus &c. analoga reperiri; Pilos autem iſtos mammillares fibras ſanguinis non eſſe exinde probatur, quia fibræ à ſanguine ſuis in conceptaculis minime ſeparantur, Sed potius vermiculos eſſe ex putrido ſanguine, aut lacte corrupto, aut quavis alia humorum colluvie genitos, Vel corpuſcula pilis ſimilia eſſe arbitramur, cujus generis ea ſunt quæ in renibus & ureteribus naſcuntur. *Sebiſius man. pag.1702.*

Prædictum affectum (*Lactis coagulationem*) *Pedemontanus* & alii vocant *Pilum*, & ſolum curare volunt ubi Pilus aut manu educitur, aut ab infante exugitur. Scimus quidem ex multorum obſervationibus aciculas aliaque plurima devorata fuiſſe per varias corporis partes reddita, verum ea ſunt rara: Quamvis igitur fieri poſſit ut pilus epotus ad mammas per has viarum ambages forſan aliquando pervenerit, tamen id admodum rarum eſt, cum tamen concretio lactis & inflammatio mammarum affectus ſint ordinarii: Raro pilus devoratur, & id accidere poteſt viro, virgini, ſicut & lactanti, ſed etiamſi à lactante devoretur, non neceſſario ſubibit venas, quidni excernetur cum ſtercoribus? Quin etiamſi ſubeat venas non erit quoque neceſſarium illum ad mammas potius quam ad urinas ferri aliaſve partes, Natura enim varia in variis operatur, non eſt igitur verisimilis opinio, Probabile eſt ſi quid è mammis pilo ſimile educitur, fibras eſſe ſanguinis pilum repræſentantes. *Primiroſius de m.m. lib.5. cap.9.*

APPENDIX.

Ad pag. 47. artic. de uteri cancro. §. 48.

De Cancro uteri.

Sæpe ſcirrhus in cancrum vertitur ſi humor aduratur, fiunt enim ambo à materia melancholica, ſed ſcirrhus à frigida nondum aduſta, vel pituita craſſa; Cancer vero ab aduſta. Unde quæcunque humores ejuſmodi generare poſſunt, ut temperies atrabilaria, ætas inclinans, victus ratio craſſior & ſanguinem adurens, mœror, timor, triſtitia, & alia hujuſmodi huic morbo occaſionem præbent. *Primiroſius l.2. de m.m. c.11.*

Duplex vulgo ſtatuitur, ulceratus & non ulceratus: quandiu materia morbifica acrimoniæ minoris & malignitatis particeps eſt, *Cancrum* efficit *non exulceratum*; Acrior vero facta per putredinem vel aduſtionem, tumorem exulcerat & cancrum exulceratum producit. *Riverius.*

Non ulceratus magis in uteri corpore, ulceratus vero in cervice fit. *Primiroſius.*

Cancer non raro ſcirrhum ſequitur, id quod contingit quando humores, intra uteri ſubſtantiam contenti, inducta fermentatione incaleſcunt, ob nimiam in illo loco moram, hinc acrimoniæ malignæ fiunt participes, à qua exulceratur uterus.

Succedit & nonnunquam Cancer inflammationi aut abſceſſui in utero genito, difficilem partum conſequentibus: Poteſt & fieri ex aliis occaſionibus, quibuſvis mulieribus, tum junioribus tum vetulis, quin & virginibus.

Ortum quoque debet fluori albo maligno, & inveteratæ gonorrhœæ, eroſione in utero inducta, ſed maxime generatur eo tempore quo mulieribus menſium fluxus ceſſare incipit, à xl. ſcil. anno ad quinquageſimum; eo quod vaſa uteri quæ huic vacuationi deſtinata erant tunc occludi incipiunt, Eapropter menſtruo fluxu ſolito ſuppreſſo, congeries inſignis fit ſanguinis, uteri ſubſtantiam adeo infarcientis, ut ſæpenumero natura, excretioni non amplius aſſueta, maximum & ſubitum adhibet conatum ad illius excluſionem, unde ſequitur diſruptio nonnullorum uteri vaſorum inſignium, cui hæmorrhagia enormis ſuccedit, ex temporum intervallis reditura, ob continuum humorum in illam partem affluxum, coalitum illorum vaſorum impedientem, hinc oboriuntur ulcera malignitatem tandem adipiſcentia, ac in *Cancrum* incurabilem deſinentia. *Mauriceau de morb. Puerp. l.3. c.13.*

Signa ſunt quædam cum ſcirrho communia, ut durities, gravitas, renitentia, ſed præterea adeſt inſignis dolor: quaſi acuum per intervalla pungentium, circa inguina, ſummum ventrem, pectinem & lumbos &c.

Scirrhum autem in cancrum mutari cognoſcimus, ſi qui tumor prius indolens erat, dolore incipiat, ob humoris putredinem, calorem & incendium, &c. Ex exulcerato effluit per vulvam humor tenuis graveolens, fæci vini non abſimilis &c. Volunt *Paulus* & *Aëtius* interdum

albicantia eſſe ejuſmodi ulcera, quod, ut recte animadvertit *Mercurialis*, falſum eſt, ſive materiam exeuntem ſpectes, ſive ulceris ipſius & cutis colorem; hæc enim ſunt livida, nigra, aut ex nigro & rubro mixta. *Primiroſius.*

Mulier cancro uteri affecta, ibi loci dolorem pungitivum percipit, & ſimul gravantem, propter acrimoniam humorum ex utero effluentium, & pondus uteri, ſcirrhoſa affectione tunc ſemper tentari: Dolor hic lumborum regioni & inguinibus communicatur, cum ſumma gravitate imi ventris, comite totius corporis laſſitudine, urinæ difficultate: Ejuſmodi ulcera perpetuo ſunt inæqualia, ſordida, cum adeo inſigni corruptione ut vermes ibi generentur, ſicuti id accidiſſe vidi in uxore veſtiarii, quæ non diu poſt interiit. *Mauriceau.*

Prognoſis.

Cancer niſi curetur totus cum ſuis radicibus, redit, quare cum id in utero fieri nequear, incurabilis eſt, Cum incipit, negligitur, & vix etiam cognoſcitur, quia magnam non affert moleſtiam; increſcens autem poſtea curari nequit, mitiora ſpernit, gravioribus exacerbatur, & in utero vix illi remedia applicari poſſunt, quare *Hippocr.* conſilium amplecti debemus: Vlceratus autem pejor eſt non ulcerato, & citius interficit.

Hic notandum eſt tantum eſſe inter mammas & uterum conſenſum, ut unius partis cancer alteri communicetur, curatus in mammis ſæpe in utero repullulet, ut multorum experientia obſervavit, Equitis uxor cancrum habebat in mamma ſiniſtra, cui ſimilis alter exortus, eſt in utero & hinc periit. *Primiroſius.*

Etiamſi cum plures Empirici jactabundi, Cancri uterini curationem impudenter polliceantur, plane tamen incurabilis eſt, tum quia nequaquam extirpari poteſt ſicuti in mammillis, quia uterus continuo excipit impuritates totius corporis, quapropter fit ut malignitas ulceris continuo incrementum capiat, nequicquam conferente uſu remediorum, donec tandem occumbant miſeræ mulieres, dolorum aſſiduitate confectæ per annos integros; ſicuti id à me obſervatum in triginta & ultra mulieribus, quarum nonnullæ ſemeſtre tantum ſupervixere ab invaſione iſtius ægritudinis, aliæ biennium aut triennium languide vixerunt, mortem perpetim invocantes quo liberarentur à ſævis, quos perpetiebantur cruciatibus. *Mauriceau.*

Præſervatio.

Siquidem uteri Cancer omnino incurabilis exiſtit, ſi confirmatus fuerit, omni ratione Præſervatio tentanda eſt cum diſpoſitio aliqua ad hunc affectum apparet; Diſpoſitæ autem ſunt mulieres quibus uterus ſcirrhoſus eſt, in quibus abſceſſus aliquis generatus eſt; quibus hæmorrhagiæ uterinæ frequenter contingunt; quibus defecere menſes propter ætatem, aut pro more fluere deſinût, Illo enim præſertim tempore hunc affectum incurrunt; Optima præſervandi ratio præſertim in frequenti venæ ſectione ſita eſt, quo ſuppleatur defectus vacuationis ordinariæ, & prohibendi gratia ne ſanguis aliive humores in uterum influant; Ex intervallis temporum celebretur hoc remedium aliquot annorum decurſu, donec Natura omnino deſueverit ſanguinem ad uterum tranſmittere, ac vaſa ſanguinem fundentia coaluerint; Sin crebro accidant hæmorrhagiæ ex utero, omnimoda ſit coitus abſtinentia, ſiquidem veneris uſu incaleſcit uterus & agitatur, promoveturque ſanguinis fluor: Victus ſit refrigerans & humectans, abſtineat ab omnibus aperiendi & diuretica vi præditis, validioribus catharticis: Temperandæ vero gratia acrimoniæ humorum ab aſſumpto leviori purgante, utatur lacte vaccino ad aliquod tempus recenter emulcto; utatur quoque nonnunquam juſculis pullorum, ſemin. frigidis infarctorum, In uſu porro lactis videndum an è vacca bene valente eductum ſit, quæ non ita pridem vitulum pepererit proboque alimento enutrita; Lac enim retinet qualitates eorum quibus veſcuntur: Ejuſmodi ſunt vaccæ per hyemem enutritæ ſeminibus quæ in cereviſiæ confectione uſurpata fuerunt, improbamque aquam & corruptam bibunt, Hæc ſi animadverterentur, cauſa forſan deprehenderetur cur lac ægri citra emolumentum adſumant. *Mauriceau.*

Curatio.

Cum igitur vere curari nequeat, totus curationis ſcopus in eo conſiſtit ut dolorem mitigemus, exulcerationem prohibeamus, ſi nondum ſit exulceratus, aut exulcerati ſaltem incrementum; Quod fiet 1. *victus ratione* idonea, quæ cum melancholico & atrabilario humore pugnet, ſitque cibus euchymus, eupeptus, refrigerans, & humectans, vitatis omnibus quæ ſanguinem accendere poſſunt & melancholiam generare ut vinum generoſum, acrium eſus, & alimenti copia ex *Paulo*, utpote quibus cibi cito corrumpuntur. *Primiroſius.*

Curatio integra cum ſperabilis non ſit, ad alteram quæ Palliativa dicitur, confugiendum eſt, Eaque eo dirigenda ut cancri non ulcerati ulceratio prohibeatur, & ne ulceratus majus incrementum ſuſcipiat, & in utroque doloris atrocitas temperetur; Quod fiet primum corporis univerſalibus evacuationibus, & aliis remediis quæ humorem melancholicum & atrabilarium alterent, evacuentque, ejuſque generationem impediant; E quorum numero ſunt emiſſio ſanguinis ex brachio, malleolo, hæmorrhoidibus, apozemata, julepi, juſcula, lac, ſerum lactis, aquæ minerales frigidæ, & alia hujuſmodi, quæ ad cujuſlibet Cancri, in quacunque parte ſiti curationem præſcribi ſolent; Purgationes præſertim frequenter iterandæ ſunt, ut antecedens cancri materia ſubtrahatur. *Riverius.*

Scio Chirurgos nonnullos curationem Cancri in utero ſuſcepiſſe provocato ptyaliſmo, eadem ratione qua in Luis Venereæ cura, ſed defuit ſucceſſus, imo fatum miſerarum acceleratum fuit, Id vero ſedulo obſervandum eſt ab iis qui curationi morbi Venerei incumbunt, ſcilicet ſalivationis ope facile curari ulcera quæ vulvæ labia exteriora obſident, nequaquam vero ea quæ ipſam uteri ſubſtantiam obſident, unde prodit ſaniei fœtidæ copia, adeoque hujus remedii ope amplius exacerbantur, Quare Chirurgus ſuſcipiens curationem Cancri uterini, curam tantummodo palliativam adhibeat. *Mauriceau.*

Admovenda erunt *Topica* quæ moderate refrigerent & adſtringant, ſine ulla mordicatione; Linimentorum forma inprimis uſurpantur, quorum præcipua ita componi poterunt.

℞. *Ol. myrtin. & roſar.* ãã. ℥ii.
Succi *ſolani & ſempervivi* ãã. ℥i.
Agitentur in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, donec nigreſcant, deinde.
Adde *lithargyr. & ceruſæ in aqua ſcabioſ. lotor.* ãã. ℥iij.
Tutiæ præpar. ʒii. *camph.* ℈ß. fiat linimentum, quo illinatur ter vel quater in die. *Vel.*

℞. *Olei ex vitell. ovor & roſac.* ãã. ℥. ß. *ſach. ſaturni*: Agitentur in mortario plumbeo, donec colore mutet.
Sequens præcellit, eoque tumores mammarum, qui cancroſi putabantur, curati ſunt.

℞. *Ol. ex vitell. ovor.* ℥ii.
Succi ſolani & veron. vel ſempervivi, ãã. ℥ß.
Mercurij crudi ʒij.

Agitentur

Agirentur in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo, donec craſſitiem linimenti acquirant.

Linimenta prædicta in uterum immittenda ſunt cum turundis oblongis, vel candelis cereis linteo obvolutis: Injectiones tamen multo facilius immitti poterunt (*ſed ut docet Rhazes, uterus cancroſus nec clyſteres, nec ſuppoſitoria, aut alia ſuſtinere poteſt, quæ nimis ſint acria aut calida*) in hunc modum compoſita.

℞. *Aquæ hordei* ℔ß. *aquæ ſolani & plantag. ana.* unc. ij.

Aquæ veron. unc. j.

Troch. albor. Rhazis ℥ij. *ſacchar. Saturni* ʒj. *f.* Injectio.

Si dolor atrociter urgeat, adde injectionis unc. iv. *ſyr. de papav.* unc. j.

Foveatur etiam pars affecta *aquis plantag. & ſolani* vel eorum decoctis, quibus addi poterunt) *nymph. papav. albi, roſæ rubræ & camph.* Quod etiam decoctum injici frequenter poterit in uterum, fietque efficacius, ſi in mortario plumbeo agitetur, vel *ſacch. ſaturni* permiſceatur.

Inter ſpecifica commendantur *ranæ lotæ & coctæ, & catapl.* loco impoſitæ, Vel earum decoctio per injectionem adhibita; Tum etiam *decoctum* aut *ſuccus cancrorum fluviat.* in uterum injectus, Sicut & *herba Roberti* ſumpta vel admota.

Si Cancer *ulceratus* ſit, mineralium dozis augeatur, iiſque *cinis cancrorum fluviat.* utiliter addi poterit, Injectionibus vero *Troch. albi Rhaſ. & aquæ hordei* cum ſuperiori Injectionis materia admiſceri.

Si dolor valde urgeat, fomenta ex *malva, althea, nymph. papav. hyoſcyamo, coriandro viridi, anetho, ſem. pſyllii; lacte, croco & ſimil.* per intervalla uſurpanda, vel Catapl. ex iis parata imponenda: Ex quibus etiam Decoctis Injectiones & ſemicupia parari poterunt.

Hæc tamen omnia aliquando non ſufficiunt ad immanitatem doloris placandam, qui nullum quieti & ſomno locum relinquit, unde cogimur non raro ad Narcotica recurrere, quæ hoc in caſu minus nocent ob intenſum fervorem: Et vidimus mulierem, cancro in mammis laborantem, quæ ſingulis noctibus per 4. menſes laudani gr. ij. vel iij. innoxie & cum maximo ſolatio ſumebat.

Si ex Cancro ulcerato multus ſanguis prodeat, ut ſæpe fit, injiciatur in uterum *ſuccus plantaginis* cum *thuris* tantillo. *Riverius.*

Peſſus ex *plumbo* prædictis ſuccis inebriato indatur utero, *metallica* diligenter lævigata & abluta, quæ citra morſum refrigerant & exſiccant, *oleo ovor. ſucco ſolani &c.* addi poſſunt, *antimon. tuthia, plumbum, ceruſa, ſal ſaturni, cum ſuccis, ol. roſar. omphac. myrtill. de vitellis ovor. cera & ſevo hirc.* nam reliquæ axungiæ putrefaciunt, Pauperibus paretur *Catapl. ex ſucco arnogl & ſtercore hum.* ſicco in pulverem deducto cum *ol. ranar. vel ovor. Carnibus pullor. gallin.* appoſitis & ſæpius mutatis cancrum in facie curatum fuiſſe *Mauritius Cordæus, 1. γυναικ.*

Quidam tandem etiam cauſticis utuntur, ut *oleo antimon. auripigm. plumbi. troch. Andr. de arſenico*, & aliis quæ ad nomas deſcribuntur; quæ tamen in utero, parte ſenſu i adeo exquiſito donata locum non habent, ſed potius honeſta fuga, ut ait *Varandæus* capeſcenda, malum enim incurabile eſt. *Primiroſius.*

Nympharum excreſcentia) *Nymphas* in quibuſdam mulieribus *Riolanus* ſæpius defuiſſe ſcribit; At in iis quæ partes illas petulcis digitis demulcere ac protrahere conſueverunt, aliquando, (*non ſecus ac Clitoris*) in miram magnitudinem excreſcunt, quale naturæ vitium Ægyptiis tam familiare eſt, tantamque moleſtiam infert, ut eas exſcindere cogantur, teſtibus *Galeno* & aliis, quos tamen hac in re deceptos fuiſſe opinamur, Nymphotomiam enim appellant partium illarum ablationem, ob quarum nimiam extuberantiam in nupturis virginibus, ſponſus copula quandoque fruſtratur aut ſaltem difficulter admittitur, & in conjugatis coitus cum moleſtia peragitur.

Quomodo autem Nympharum excreſcentia Coitum impedire poſſit, non videmus, quandoquidem tunc mulieres, quæ partes illas ob frequentem Veneris uſum majores habent, difficilius cum viris coirent quam virgines, cujus contrarium tamen quotidiana nos docet experientia, Ideoque judicamus per *Nymphotomiam* Auctores Clitoridis, & non Nympharum amputationem intellexiſſe, quod *Riolanus* pluribus probare nititur: Non ſolum apud Aegyptios particulas illas, Clitoridis magnitudinem ſequi ſolitas, in ingentem molem excreſcentes, at in hiſce quoque regionibus obſervavimus Nymphas illas à clitoridis regione uſque ad infimam Pudendi partem duos digitos latas, & dimidium craſſas deformiter extra vulvæ labia propendere, neque propterea illas difficilius virum admiſiſſe unquam potuimus intelligere: Contingit etiam aliquando ut ſi alterutra tantum ita præter naturam excreſcat, aut ſi ſint ejuſdem magnitudinis, diverſam tamen figuram ſortiantur ſingulæ. *Graef. p. 100.*

Nympharum Excreſcentia.

Adde *Nympharum excreſcentiam*, ſunt autem *Nymphæ*, aliis *Pterygumota*, ſeu *Alæ* dictæ, Productiones dictæ membranoſæ, & carnoſæ, figura & colore palearia galli referentes; nunquam ultra labiorum pudendi dimidiam partem naturaliter deſcendunt, figura veluti triangulari, puellis valde tenues, virum paſſis craſſiores. Ab externis injuriis ut pulvere, frigore uterum tuentur; tum urinam dirigunt ne in cavitatem cervicis diſtillet: Aliquando in uno latere, rarius in utroque adeo excreſcunt ut exciſione ſit opus quare referente *Galeno* in *Introd. & Aetio Tetr. c. 103. ſerm. 4.* Aegyptiis familiare erat eas, antequam excreſcerent, amputare, quod adhuc conſuetum eſſe apud *Presbyteri Ioannis* gentem referunt. *Jovius in hiſtor. & Ballonius l. 3. obſ. 25. Primiroſius.*

Natta ab Uteri ſiniſtro labio propendens.

Fœminæ 27. annorum ab uteri ſiniſtro labio, pediculo lato, pendebat Natta, quæ peracta ſectione pependit ℥xiiiß. ponderis civilis; Cancro præciſa erat alba, pinguis, ſpongioſa, ſero citrino repleta, à quo forte enata, accreta, & hactenus ſuſtentata, nam in diſſectione, præter venulas dicta lympha plenas, nec venula, nec arteriola, & hinc ne guttula ſanguinis apparuit.

Serum autem quoque nutrire, admotum igni concreſcere, agglutinari, membraneumque fieri, ſat notum, unde non impoſſibile ex ſero ſuperabundanti ejuſmodi tumores gigni: Sedulo inquiſivi in arteriolam illam ab *Hornio in Microtechne* §. 33. tumoris nutriculam, ac in fundo ſitam, ſed fruſtra.

An etiam Nervis, præter vaſa lymphatica ad mentem *Warthoni Adenogr. cap. 37.* aliquid concedendum hæreo, nam ſubinde acutiſſimum dolorem afflicti patiuntur, ut & hæc fœmina atteſtatur, cui præterea dicta Natta ſingulis menſibus inſtante menſtruo fluxu cum dolore intumuit, fluentibus vero modice menſibus detumuit, Intumuit autem cum dolore ob copiam & affluxum ſeri & diſtenſionem tuberum adhærentium: qua de cauſa tunc temporis vix ſe loco movere, ſcalas vero aſcendere nullo modo potuit. *Gotofr. Schubartius Med. Sept. vol. 2 p. 13.*

Colli uterini dolor, à bilioſo humore, Exanthematis prodeuntibus deſinens.

Anno 1674. Menſe Dec. Vxor Dom. *Beſſonet*, Mercatoris Ferrarij, quæ ſtranguriam ab excoriato veſicæ collo ante bimeſtre perpeſſa erat; & meâ cura liberata, de doloribus in collo uteri, ſeu vagina, conquerebatur; urinæ puræ erant & fere naturales: Edixi maſſam ſanguineam ſale & bile plurima perfuſam eſſe, (bilioſi, eſt temperamenti, & rufa) quæ depurari debeat & temperari: Paucos poſt dies Exanthemata per univerſum corpus eruperunt, quæ quamdiu effloruerunt, à dolore prædictæ partis immunis fuit, alio, raptis humoribus, acribus, Tuſſis ſicca ſimul urgebat, dolorque capitis, ideo ſanguinis ℥vi. detrahendas præcepi, qui rutilus effluxit, nequaquam concreſcens: In patinæ medio qua exceptus fuit, humor atramenti inſtar niger conſpicuus erat; ad cochlearis quantitatem: Nocte ſequenti adſumpſit Potionem expulſivam, ſed incaute admiſſo frigidiore aëre delituere, quanquam citra noxam, Ecthymata, in abdomine ſolo conſpicua: Cucurbitulas ſiccas admiſit, dorſo & femoribus interni admotas: Redeuntibus doloribus uteri colli præſcripſi Tincturam Rhei; aqua levis excitata diarrhœa morbo finem imponens. *T. Boneti.*

Vteri Cervicis Dilaceratio ſeu Perruptio.

Juvenis quidam cum ſponſa juvencula prima nocte congreſſurus, valida veretri intruſione, & violenta feſtinatione, non modo cervicem, ſed & ipſum inteſtinum rectum perrupit; Cujus rei non aliam cauſam eſſe judico, quam quod vulva non aſſueta erigi ad novum opus languida flacceſceret, nec peni irruenti directam viam præbere noſſet; Perſonas nominare poſſem, ſed prohibet Hippocratis juramentum. *Plazzonus de mul. org. gen.*

Partium Genitalium Pruritus.

Partium Genitalium ſeu Vulvæ Pruritum rarum eſſe ſymptoma, & quod tantum fœminas, præcipueque annoſas afficit plerique inter Practicos ſtatuunt, de quo Mercatus cum Furore uterino & Nymphæ magnitudine promiſcue agit; ſed rectius *Aetius & Moſchio*, inter Neotericos *Sennertus*, *Joel & R. à Caſtro* diſtinctis capitibus agunt (Nos ejuſmodi affectum in puella decenni, elegantis formæ, qui fere per annum duravit, & præſertim circa veſperam & noctu exacerbabatur; Suſtulimus evacuationibus levibus aliquoties inſtitutis, balneo aq. dulc. unguent. roſac. & renibus & dorſo; illito, atque lotione partis affectæ cum aquis refrigerantibus & humectantibus, à quo jam ferme ultra biennium liberata eſt.

Tradit *R. à Fonſeca* ejus affectus prolixam curationem *Conſ. 68. Tit. 2.* in muliere 38. ann. *Pareus l. 23. cap. 64.* mulierem curavit. *Vngu. Aegyptiaco. Simon Schultzius Med. Sept. vol. 2. p. 13.*

Pudendorum inflammatio.

Inflammatione aliquando tentantur Pudenda, cujus perpetuo comes eſt febris; qui affectus plerumque letalis eſt, & pauciſſimis diebus à partu in puerperis: Inflammatio enim quæ in illis partibus ſe prodit effectus tantum eſt & progenies uteri phlegmone occupati, ſi cuti in non paucis id à me animadverſum: Quo pertinet *aphor. 43. lib. 5. Si mulieri prægnanti fiat in utero Eryſipelas lethale.*

Mulieres & gravidas & vacuas vidi, quibus tumores in alterutro labiorum vulvæ excitati ſunt originem ducentes à peculiari humore quadam veluti cyſti incluſo, qui inflammationem concipiens, ad ſuppurationem deducebatur citra periculum, quia videlicet uterus expers affectionis alicujus:

Iſtiuſmodi Tumores non raro mulieribus ſuſpicionem herniæ faciunt, etiamſi hernia abſit, nam facile utrumque affectum ab invicem diſtinguere, nam iſti tumores ſolummodo occupant vulvæ labium exterius, neque ad inguen uſque pertingunt ſicuti herniæ, D. D. *Morellus & le Clerc*, Mei collegæ viſendam mihi oſtenderunt Matronam ſexagenariam, quæ à viginti quinque annis ejuſmodi tumore laborabat; magnitudine duobus pugnis pari, labium vulvæ ſiniſtrum occupante, in quem nuper fluxio humorum irruperat, inſignis, & ad ſuppuratum vergebat; Deliberatum inter nos de apertione tumoris, id quod biduo poſt præſtitum, ut concederetur exitus materiæ incluſæ; Plurimum pus, inde prodiit, fæci vini ſimile; quam operationem ſequuta eſt integra ſanitas, diſcuſſuſque omnino tumor, Cujus curationem ſuſcipere auſa non fuerat, herniæ opinione deluſa. *Mauriceau lib. 1. c. 24.*

De Tumoribus labiorum Vulvæ œdematoſis, vide ubi de Affect. Gravidarum, ex Eodem.

APENDIX.

Ad pag. 174. Titul. calculi Vteri.

Lapis in utero.

Adde recenſitis *Lapides in Vteri cavitate repertos.* Puella Warſavienſis annorum V. Vrinæ partim ſuppreſſione, partim omnimoda veſicæ compreſſione, tandem cum gravi dolore moritur: Facta ſectione in veſica præter ſpatium nihil inventum, ſed ipſa *uteri cavitas diſtenta*, & in ea lapis albus oblongus, aliquo modo ſpongioſus ſed tamen gravis, forma ovi columbini pauliſper excedens qui veſiculam compreſſit. *Andreas Cnoffelius Med. Sept. vol. 2. p. 17.*

APPENDIX.

Ad pag. 73. Articul. Lumbrici in Vtero reperti.

Vteri Pruritus à Vermibus.

Mulier 50. ann. lacticiniis aliiſque crudioribus aſſueta, tribus jam elapſis annis incredibilem ſentit *Pruritum* & fervorem circa genitalia, ſubſequo *dolore* rodente & igneo quaſi ac urente per aliquot dies continuante, tandem per muliebria ingenti *aſcaridum*, caſei vermiculos apprime referentium, copia excluſa, dolor quidem & pruritus aliquatenus remittunt omnis tamen moleſtia penitus non aufertur, ſed per vices malum dictum recrudeſcit, ac aliquoties jam fœtore maximo, & ſymptomatibus hyſtericis antecedentibus, vermium copiam ſatis largam excrevit: Affectum hunc per medicamenta interna, pariter ac externa, inprimis per clyſteres ac peſſos uterinos, ut & balnea, penitus profligari poſſe nullus dubito; At præ pudore medicinam reſpuit, miſeramque vitam agere cogitur. *Benjamin Scharffius Med. Sept. vol. 2. p. 16.*

Aſcarides Vteri.

Mulier ſeptuagenaria, *Meſſalina* altera, Labiorum ac Colli uterini pruritu intolerabili laborabat; Evacuata primum; hinc clyſteribus uterinis, primo ex *abrotano*

tano & lacte, dein *abſynthio, ex tanaceto* metrenchyta applicatis, ingentem potiori ex parte adhuc viventium ex utero Aſcaridum excrevit turmam, & à pruritu liberata eſt Nic. *Gulielmus Beckers Med. Sept. vol. 2. p. 12.*

Cap. XXXI.

De Affectibus Abdominis.

De Hernia umbilicali, & Muſculorum abdominis inflammatione.

1. INter affectus abdominis eſt *Hernia umbilicalis*, & *Muſculorum abdominis inflammatio.*

[2] *Omphacele eſt* [3] *umbilici ab inteſtinis, omento, aqua, flatu, vel carnoſa ſubſtantiâ, in eundem prolapſis, vel ibidem exortis intumeſcentia.*

Signa, Cauſæ, Curatio, pro ratione Differentiarum variant.

Differentiæ à cauſis ſumuntur.

Alia eſt *Inteſtinalis, ſeu ἐντερόμφαλος, quando inteſtina in umbilicum prolabuntur*; quæ ex eo.

Cognoſcitur, quod tumor nec admodum ſit durus, nec mollis; retento ſpiritu increſcat, & ad ſupinum ægri decubitum, inteſtinis cum ſtrepitu & rugitu in ſuum locum regreſſis, ſubſidat.

[4] *Oritur* à percuſſione, caſu, ſaltu, ponderis gravis elevatione, partu difficili, equitatione, vociferatione, ploratu, riſu, &c.

In *Curatione* exigit 1. *Inteſtinorum in ſuum locum repoſitionem.* 2. *Peritonæi laxati adſtrictionem, rupti conſolidationem.* Inter medicamenta ſunt, *Conſolida, ſanicula, perfoliata, herniaria*, in vino rubro decoctæ & exhibitæ. *Inciſio* tum demum admittenda, cum alia nihil juvant. *Ligatione* interdum affectui conſulitur.

Alia eſt *Omentalis*, ſeu ἐπιπλόμφαλος, *quando omentum in umbilicum prolabitur:* quæ ex eo.

Cognoſcitur: quod tumor ab una parte ſit mollior, ad baſin latus, & in verticem anguſtus, quod omnis dolor abſit, & eodem digitis compreſſo, redeunte in ſuum locum omento ſubſidat.

Oritur ab iiſdem cauſis.

Curatio eſt eadem; ſed in corpore molliore & juvenili facilior.

Alia eſt *Aquoſa, ſeu ὑδρόμφαλος,* [5] *quando umbilicus ab aqua in tumorem attollitur*, quæ ex eo.

Cognoſcitur, quòd tumor ſit laxus, & ſi prematur, nec augeatur, nec mutetur, quod cum fluctuatione conjungatur, & candelâ appoſitâ limpidus & perſpicuus appareat.

Oritur ab Aqua inter peritonæum & abdominis cutem collecta à cauſis in hydrope enarratis procedente.

In *Curatione* habent locum *Exſiccantia* & *Diſcutientia*, his non ſuccedentibus *lunata ſectio.*

Alia eſt *Flatulenta, quando flatus umbilicum diſtendunt:* quæ ex eo.

Cognoſcitur, quod tumor ſit mollis, digitis cedat, tympâni inſtar ſonitum, reddat, & quocunque tandem modo decumbente ægro non mutetur.

Curatur difficulter, ſi cauſam in viſceribus latentem & foventem habeat, facilè in infantibus Diſcutientibus tollitur.

Alia eſt *Carnoſa, quando carnoſa ſubſtantia umbilicum in tumorem attollit*, quæ ex eo.

Cognoſcitur, quod, tumor ſit durus, nec preſſus cedat, & ad nullum decubitus modum mutetur.

Curatur ſectione carnis medicamento cauſtico vel ferro peracta, niſi in cancrum deſinat; ſic enim malum incurabile eſt.

Muſculorum abdominis inflammatio, vel *Rectos muſculos*, vel *Tranſverſos* afficit. Si *illos*, tumor oblongus eſt, & per totum ventrem extenditur. Cutis non ſine dolore contrectatur, & apprehenſa minimè ſequitur, in omni decubitu eadem tumoris magnitudo manet. Si *hos*, magis partes profundæ afficiuntur, & quia iſti muſculi ſunt membranoſi circa finem, & plures nervos obtinent, dolor eſt vehementior. [6] Ab *Epatis inflammatione* eo diſtinguitur, quod figuram muſculorum ſequatur, nec ita ſit rotundus. *Curatio* talis eſt, qualis in aliis inflammationibus. Et tantum de Morbis infimi ventris.

[1] *Inter Affectus Abdominis*) In ventris regione duros collectos Tumores, hinc inde per Abdomen diſſeminatos aliquando obſervavimus, adeo ſæpe, ſi plures præſertim, concurrant ventrem attollentes, ut hydropicos, vel ſi mulieribus hoc contingat, gravidas eſſe, vulgus ſuſpicetur; A qua intumeſcentia facile hujus

tumoris ventris inæqualis durities cum diſcernit, tandemque nihil horum eſſe diuturna illius perſeverantia patefaciat, cum ad finem vitæ ventrem ejuſmodi induratum aliquas geſtaſſe obſervavimus, etiam ſine magno aliquo partium naturalium incommodo: Quos tumores ad ſcirrhos quoque, niſi Glandulæ etiam ſint induratæ illius loci, vel Omenti, huc uſque etiam prominentes referimus. Præter quos Tumores in abdomine alii etiam patefaciunt qui à ſubjectorum viſcerum exuberantia, & tumoribus in ſede hac, quæ illis cedere poteſt, diverſis illius in locis protuberantibus prodeunt. *Platerus.*

2. *Omphalocele eſt umbilici*) In ventris ſeu abdominis aliis ſedibus tumores *Herniis* ſimiles prodeunt, maximeque in umbilici regione, tuncq; *Omphalocele* dicitur, In qua umbilicus alias leviter ſaltem, nucis inſtar; alias magis adhuc, pomi magnitudine ſe exerit, atque *Umbilici exitus, Eminentia & Prominentia* appellatur: Aliquando vero ex ipſius ſede tumor magnus emergit, & ſacci alicujus inſtar propendet; Interdum & in ambitu umbilici, ejuſmodi tumores minores majoreſve erumpunt, qui κήλης ſeu Herniæ generale nomen obtinent; Retrocedunt hi omnes preſſione & decubitu tumores, quod alias ægre fit, ſed iterum, niſi caveatur, remeant. *Platerus.*

3. *Eſt umbilici*) De hac *Hippocrat. ſect. 1. lib. 2. Epid. ſic ait, Abdominis ruptiones quæ circa pubem fiunt utplurimum ſtatim ſunt innoxiæ; quæ vero paululum ſupra umbilicum in dextra parte, hæ doloroſæ ſunt; & anxioſæ, & ſtercoris Vomitum inducunt, ut Pittaco accidit: Fiunt autem hæ aut à plaga, aut vulſura, aut alterius inſultu.* Ballonius *Epid. p. 18.*

4. *Oritur à percuſſione*) A *relaxatione* ſeu *peritonæi dilatatione*, citra *rupturam* Omphalocelen prodire poſſe, vel hoc ſatis comprobat, quod in conatibus magnis, maximeque in partus difficultate, umbilicus aliquando in tumorem admodum attollitur, inteſtinis hoc conatu in hanc potiſſimum ſedem peritonæi, ubi proceſſus brevis, umbilico inſertus, qui in fœtu chordæ umbilicali patuit, poſtea coaluit, impulſis, illicque peritonæum diſtendentibus, & ceſſante conatu, atque inde profecta dilatatione, tumor interdũ omnis recedat, nec amplius redeat; Quod ſi à ruptura proceſſus prodiret, minime fieret; Ob quam cauſam, ſicuti *Omphalocelen* hanc non perſeverantem fieri manifeſte videmus, etiam illam quæ permanet, promanare poſſe, facile licet colligere, peritonæo à cauſis prædictis adeo relaxato, ut ſe recolligere nequeat; Quod in aliis Peritonæi ſedibus in abdomine, præter eam ubi ſe proceſſus in inguine exerit, uti & hic in umbilici ſede, vix citra rupturam poterit accidere. *Platerus.*

Hydrocele Inguinalis in mulieribus.

5. *Quando umbilicus ab aqua*) In *inguinum mulierum* ſpatium feroſus humor deſcendens, tumorem Hydroceli quodammodo ſimilem in ea ſede aliquando gignit: Idque ob laxatum foramen per quod vas quoddam ab utero deductum, extra peritonæum in pubem defertur, illi quod vaſa ſeminaria in viris emittit nonnihil correſpondens: Quæ relaxatio quoque ab aquæ illius humectatione, & quod illa prius in abdomine congeratur, ab iiſdem quibus & hydrocele cauſis poteſt proficiſci. Inter quas conatus vehemens in partu, uti rupturis, in hac quoque ſede factis, ſic dilatationi, & per conſequens huic tumori aliquando occaſionem præbet. Aquoſus hic Inguinum tumor eandem fere curationem cum hydrocele virili requirit, applicando ſimilia quæ aquam abſumant. *Platerus.*

6. *Ab Hepatis inflammatione*) In muſculorum Abdominis inflammatione cutis circumtenſa eſt, ut ſi quis digitis apprehenſam attrahere velit, ea minime ſequatur. Rectorum muſculorum tumores oblongi, & per totum ventrem extenſi umbilicum comprehendunt; Sic etiam aliorum muſculorum inflammatio eorum figuram quodammodo repræſentat: Contra vero hepatis inflammatio partis laborantis figuram & circumſcriptionem refert, cum ſi muſculi manibus tractentur, tacti cedere videntur & tumor profundior apparet ad ictericum vergens: Hujus rei inſigne habetur exemplum apud *Galenum*, 5. loc. aff. 7. de quodam *Steſiano*, qui cum ab aliis medicis judicatus fuiſſet abſceſſum habere in hepate, *Galenus* vocatus ex ſola faciei inſpectione ſtatim pronuntiavit non eſſe abſceſſum in hepate; & ventre poſtmodum explorato, cum in muſculis abdominis latere comperit: hoc autem ita judicavit, quod æger non haberet faciem ita immutatam ut in hepatis inflammatione vel abſceſſu eſſe debuiſſet; Simile exemplum habetur apud *Valeriolam lib. 4. obſerv. cap. 5.* de quadam muliere quæ ab alio medico judicata fuerat habere tumorem phlegmonoſum in hepate. At ille *quum vero*, inquit, *ægra me ad curam adhibuiſſet, non pati illam ſecundum hepar phlegmonoſum tumorem judicavi, ſed in muſculis ſuprapoſitis*, & paulo poſt *utprimum ad hanc vocatus, locum tango, invenio in hypochondrio dextro tumorem oblongum, qui ſe ad umbilicum uſque proferebat, tumor porro ſeſe mox tactui offerebat, color in facie rubicundus, vividus, roſeus, ex rubeo & albo mixtus per omnem morbi decurſum in eodem ſtatu permanens, urinæ optimæ conſiſtentiæ coloris atque contentorum apparebant: Ex quibus omnibus deprehendi non jecur in hac, ſed ſolum muſculos abdominis ſupra poſitos morbo teneri: Ubi namque hepar morbo afficitur, vitiatum in facie colorem apparere neceſſe* eſt; Ex colore namque plurimos ſecundum hepar laborantes deprehendiſſe *Galenum* ipſemet teſtis 5. loc. aff. cap. 7. hepaticorum enim color ad citrinitatem & albedinem, cum fuſco quodam virore plerumque inclinat. *Riverius.*

Plura vide in Corpore Chirurgico noſtro.

CAP. XXXII.

De Artuum Affectibus.

De Arthritide.

1. ARtuum morbi ſunt *Arthritis* & *Rheumatiſmus.*

2. *Arthritis eſt* 3. *artuum & partium circa articulos* 4. *dolor,* 5. *à defluxu* 6. *humoris feroſi & acris* 7. *e venis & arteriis in eas effuſi, per periodos invidens & motum impediens.*

8. Latinis dicitur *morbus articularis*, quo loco per articulum articulatio ſeu conjunctio duorum oſſium, ſeu per συνάρθρωσιν, quæ motum obſcurum edit, ſeu per διάρθρωσιν quæ evidentem;

dentem; & *morbus juncturarum*, morbi nomine pro dolore ſumpto, Barbari vocant *arthriticam paſſionem* & [9] *guttam*, à defluxione guttatim factâ.

[10] *Subjectum* ſunt [11] omnes partes quæ exterius oſſium extremitates amplectuntur, ac ſenſu circa articulos præditæ ſunt, nempe, perioſtium, membranæ, [12] tendines muſculorum, nervi muſculos ambientes, ipſæ muſculorum extremitates [13] ligamenta adeoque membranoſa. In illis major excitatur dolor, tum quod [14] humores à venis & arteriis eò detrudantur; [15] tum quòd eò delati, anguſtius habitent.

1. *Artuum morbi ſunt Arthritis*) Arthritis, Articularis morbus ab *articulis* dicitur, Sed cum dicimus Articulorum morbum, intelligimus articulorum dolorem, ut differat ab Eluxatione, quæ eſt etiam articulorum morbus, in quo quanquam gravis ſit dolor, non proprie articulorum ſeu arthritis dicitur: Quod ſi ab ictu vel eluxatione fiat defluxio, tunc articulorum dolores huic morbo ſuperveniſſe dicimus, eritque hic prius tollendus, poſtea ad eluxationem veniendum, Eſt enim Eluxatio morbus articulorum, ſed in ſitu; Et quia proprium nomen non habet, utemur hic nomine generis, niſi in articulorum doloribus particularibus; Sed cum articulus ſit oſſium connexio per ligamenta, non in omni conjunctione articulorum eſt dolor, ut in ea quæ per ſymphyſim fit, ſed tantum in ea quæ per diarthroſin: Verum in hac raro fit; fit tamen in pedio, in illa carpii aut metacarpii articulatione quæ eſt per ſynarthroſin; Cum enim in iſtis fit, magis fit per decubitum quam defluxum & cum tumore; ut etiam Chiragram vocaverunt œdematoſum illum tumorem metacarpii, per abuſum etiam tumores & dolores qui per defluxum fiunt. *Rondeletius.*

2. *Arthritis*) Vt norunt omnes ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, articulum, eſſe ἡ ἀρθρῖτις, non ἀρθρῆτις, ita pauci quid diſtincte loquentibus h. l. ſit ἄρθρον: Non ſignificat connexionem oſſis cum oſſe, qualiſcunque ſit illa, quomodo in Phyſiologia accipitur, ſed more vulgi, pro omni illo quod ad articuli conſtitutionem concurrit, præcipue pro ligamentis & tendonibus muſculorum qui articulum obvolvunt: Intelligo autem ligamenta membranoſa, ſeu lata, in quæ fluit materia morbifica. *Hoſmannus Inſt. l. 3. c. 107.*

2. *Arthritis eſt dolor*) Qualis eſt morbus? Mirificæ ſunt ambages, aliis dicentibus Dolorem eſſe, itaque *ſolutionem continui*: aliis *Tumorem*, aliis *Intemperiem*, modo nudam, modo cum affluxu ſubſtantiæ: aliis *Debilitatem articulorum*, Vno verbo eſt Rheumatiſmus ἡ διάθεσις ῥευματικὴ, quæ præſupponit *viarum laxitatem*, oppoſitam *Viarum occluſioni*, ſeu obſtructioni, & ideo morbus conformationis. *Hoſmannus ibid.*

3. *Eſt artuum & partium circa articulos*) Arthritidis nomen ſubjectum ejus plane denotat, quod nempe fere tantum eſt *articulus*, ſive ſpatium ubi duorum, aut plurium oſſium capita conveniunt. *Willis.*

3. *Arthritis eſt artuum & partium &c.*) Hujus affectus phænomena hæc ſunt, *Paroxyſmi*, (utpote qui fere ſemper intermittens eſt) aut *vage* aut *periodice* invadunt; quibus modo citius, modo tardius finitis, intervalla ſatis lucida eveniunt: A primo ſtatim inſultu *dolores* plerumque ſine ullo tumore oriuntur; tametſi poſtea circa morbi ſtatum pars affecta non raro intumeſcat: Dolores circa initia vix ullis remediis cedunt, quin à *catharticis* plurimum exacerbari, & à *Topicis* haud ſtatim abigi aut compeſci ſolent: *Paroxyſmus* ſæpenumero derepente & ſine affectu prævio ingruit, quandoque tamen effervescentiam in ſanguine, ſive febriculam præcedaneam habet: Diſpoſitio ad hunc morbum, modo eſt *hæreditaria*, modo propter *malam victus rationem, acquiſita*, *Occaſiones*, ſive *cauſæ*, quæ diatheſin actuare ſolitæ, dolores arthriticos cient, ſunt alterationes quævis violentæ, aut paſſiones *humoribus* vel *ſpiritibus* inflictæ; Hinc *crapula, potus immodicus*, præcipue vinorum acidorum & tenuium, tranſpiratio impedita, indignatio; Venus immodica, triſtitia, necnon aëris & anni τροπαὶ & mutationes magnæ morbi hujus paroxyſmos paſſim inducunt, Huic obnoxii etiam Nephritidi, ſive renum calculo, quandoque affici periclitantur; & contra, Quinimo Arthritis ingraveſcens ubique circa locos ſuos, nempe in articulis calculoſam materiam congerit, ibidemque moles tophaceas concitat. *Willis.*

3. *Arthritis eſt artuum &c.*) Eſt dolorifica ſolutio continui ligamentorum, partiumque nervoſarum & ſenſibilium, artus omnes circumſtantium, inducta à qualitate acri & mordicante Tartari cujuſdam, aut Salis à maſsâ ſanguineâ ſecreti, ac illud cum proprio vehiculo, ſeu ſeroſo humore tranſmiſſi, utpote nutritioni inutilis & in carnis concretionem inepti, ad partes maximè debiles & ad ſuſceptionem idoneas. *Theodor. De Mayerne. Tract. de Arthritide p. 15.*

3. *Arthritis eſt artuum & partium circa articulos dolor*) Multi Arthritidem edocent nunc, ut *morbum*, nunc ceu *ſymptoma* definiri poſſe; *Hos affectus*, inquit *Nic. Piſo, Si tanquam dolores conſiderabis*, ſymptomata eſſe haud quaquam dubitabis; *Inflammationes vero & morbi dici etiam poſſunt, ſi Tumorem & fluxionem etiam inſpicias ob quam articulationes implentur, ac ea quæ ipſis circumjacent extenduntur.*

Attamen quidam ut *Tumorem* & *Inflammationem* conſiderari malunt; *Dico*, inquit *Joh. Conr. Vecthlerus, Primo Arthritis eſt affectus præter naturam articulos affligens, adeoque non ſymptoma, ſed verus & realis morbus, nam eſt Ens per ſe exiſtens, ſequiturque immediate cauſam morboſam, id quod nulli ſymptomatum convenit; Dein Arthritis conſideratur, vel ut eſt intemperies, vel ut tumor, vel ut divulſio, ergo morbus eſt & non ſymptoma: Dicitur autem affectus præter naturam, quia eſt hæc ratio formalis morbi qui partem occupat, ſicut arthritis*, quæ, ut conſtat, conſiſtit in *intemperie, tumore & divulſione, vel vitioſa compoſitione articuli, quem proinde affligere dicitur. Quod ſi tamen affectum hunc quis ſymptoma dicat. doloremque appellet, per me licet, ſed per hoc non explicatur ejus natura, quia dolor eſt tempore poſterior ipſa præternaturali conſtitutione articuli*, Miratur vero *Franc. India libr. 1. capit. 1.* cum optimi Medici conſilium ſit rationem curandi non à nominibus, ſed à ſola rei natura depromere; quoſdam Medicos in definitione harum ægritudinum præponere Dolorem; quaſi vero dolor ipſe, qui eſt ſymptoma, ſit potius affectus quam ſymptoma, & ſic, dum male dolorem, veluti potiorem in definiendo recenſent, morbum & illius eſſentiam poſt habentes, negligunt & prætermittunt; à quibus germanam curandi viam elicere omnino debebent.

Verum non novum eſt affectus, in quibus ſymptoma & morbus concurrunt, per ſymptomata, ut magis urgentia, ægris moleſta, & manifeſta definire; Ita Phrenitis per delirium, Pleuritis per dolorem definitur, etſi utrobique morbus, Inflammatio ſcil. adſit: Ideoque præſtantiſſimi quique Medici ſuos de hoc affectu tractatus de *Articulorum dolore* inſcripſerunt; Neque

etiam hic ita incommode per Tumorem arthritis ſemper definiri poteſt, cum ſæpe nullus tumor evidens in partibus externis appareat, & tamen tum dolor ſit vehementior quam ubi intumuit: Neque vero recte hoc malum per defluxum definit *India*, nam non arthritis defluxus eſt, ſed ex defluxu generatur. Vide infra §. *cognoſcitur ex tumore ingenti, calore, rubore.*)

3. *Artuum & partium circa articulos dolor*) Non omnes dolores articulos occupantes Arthritidis nomen merentur, fiunt enim tumores in articulis, præcipue in genibus, à quibus etiam dolores excitantur, ab humoribus craſſis, pituitoſis & melancholicis profecti & diutiſſime perſeverantes, qui ad dolores arthriticos non referuntur, ſed diverſam omnino naturam ſortiuntur: quæ diverſitas ex peculiaribus arthritis characteribus, in diagnoſi deſcribendis, clarius innoteſcet. *L. Riverius.*

4. *Dolor*) Dolor, quem percipiunt ægri, fere triplex eſt, *Pungens, Lacerans & Pulſans*, plus minùs tamen intenſus, & interdum ſimul accedit cum tumore ſimul eryſipelaceo in arthritide calida. *Etmuller.*

4. *Dolor*) Genus, formalem rationem, quæ in triſti ſenſatione conſiſtit, exprimit, adeoque Arthritis recte ad ſymptomata refertur, licet ſi fluxio reſpiciatur, ob quam articuli dolent, Morbus appellari queat, Imo ſecundum *Coum & Galenum 6. aph. 49. & Aetium*, inflammationibus adnumerari queat. Intelliguntur autem non inflammationes proprie dictæ, ſed quæcunque φλογώσεις. *Rolfincius.*

4. *Dolor*) Non omnis articulorum dolor Arthitis dicendus eſt, ſed is demum, qui genitus ab ejuſmodi cauſis tartareis, talem effectum parit, ſumma partibus inductâ debilitate, dolore deſinente. *De Mayerne.*

5. *Dolor à defluxu*) Hoc modo accepta Arthritis tripliciter accipitur, quod pauciſſimis notum; Communiter, propriè, & propriiſſimè *Communis* acceptio eſt, cum dicitur de quocunque dolore articulari, ſive fiat ſubito, ſive ſenſim; Poſteriore hoc modo fit in Gallicis, Colicis & Scorbuticis, quæ aliquandiu quidem moleſta eſt, ſed progreſſu temporis in paralyſin deſinit: Huc pertinet dolor articularis, qui ex ſiccitate ambientis, 3. aphoriſm. 16. qui ex uſu ervi. 4. in *6. Epidem. 13. Propria* acceptio eſt cum à ſubito influxu malum eſt, non autem à congeſtu paulatino, 10. K. τόπ. 2. Tu puta, cum primum quidem doler unus tantum articulus, v. g. pollex, deinde pes totus, mox genua quoque; *Propriiſſima* eſt, cum ſubito quidem fit, Sed intra paucas horas occupat vel totum corpus, vel pleraſque partes: Hæc duo habet peculiaria, 1. Eſt criſis poſt alios morbos, utplurimum febres. 2. Non eſt periodica, niſi poſt ſimiles morbos: Uno verbo, eſt morbus acutus, cum Podagra ratione paroxyſmorum ſit chronica: Hanc Arthritida primum oſtendit Vir eximius *Joh. Viſcherus* in Theſ. Tubingæ diſputatis anno 1581. ex Hippocrat. περὶ παθῶν. t. 31. & 32. & *Gal. 6. aphor. 30.* In univerſum igitur dicendum eſt Arthritidem quidem vocatam non eſſe periodicam, Podagram autem eſſe; Dictus *Viſcherus* ponit etiam hanc differentiam, quod *Podagra.* quidem ſit in omnibus articulationibus, ſive per συμφυσιν fiant, vel ἄρθρον, ſive per διάρθρωσιν, vel συνάρθρωσιν, Arthritis autem proprie dicti in ſolis iis quæ per διάρθρωσιν. *Hofmannus l. c.*

5. *A De fluxu*) Cauſa eſt ῥεῦμα συνισάμενον, influxus humorum in articulum ſolutionem unitatis inducens; Influxum humorum eſſe neceſſarium teſtatur *Galenus 6. aphoriſm. 28.* ubi docet duo ad podagræ generationem eſſe neceſſaria, *Imbecillitatem partis & influxum cujuſdam ſuperflui ſucci*: Hæc Arthritidi commodè applicari poſſunt; non ſufficit Imbecillitas nativa articulorum, ut accedat neceſſe eſt fluxus humoris, alias nunquam talis futurus eſt morbus: Quemadmodum fluviorum inundationes fiunt continuis imbribus adpluantibus, in diluvium quoddam cōcurſitantibus & alveum excedentibus, ſic humores ex arteriis exiliunt, & in membranis congregantur; *Galenus 10. X. T.* docet omnes doloroſos hos affectus eſſe ſoboles fluxionum. Eoſdem autem *6. aph. 28. & 6. tu. val. c. 13.* à duabus cauſis neceſſario pendere, nempe ex articulorum imbecillitate & materiæ ſuperfluæ copia, atque adeo utramque eſſe neceſſariam, ut altera ſine altera nequeat conſiſtere: Cum enim fluxio inde occaſionem habeat, quia pars fortior ad imbecilliorem id impellit, quod illi moleſtum, neque moleſtiam hanc creare queant, niſi quæ aut multitudine ſua gravant, aut mala qualitate irritant, neceſſe eſt ut ſupervacanea vel excrementitia materia in cauſa ſit cur fiat impulſio; Materiam vero ſupervacuam non admittunt, niſi partes quæ imbecilliores ſunt: Unde ſi pars valida & fortis repellat irruentia excreta, repellens ſervatur: Si vero purum ab excrementis ſit corpus, nihil cauſæ habent viſcera cur impellant, aliquorſum humorem, unde poſſunt morboſi affectus concitari. *Rolfinkius.*

6. *Humoris ſeroſi*) Quæ materia eſt? Cauto heic eſt opus, ne cum *Galeno* in 10. illo K. τόπ. recipiamus omnes humores, ſanguinem, bilem utramque, & pituitam ſeu crudum humorem, omiſſo Sero, Imo & in rei veritate ſolum Serum eſt quod ipſum etiam ſolum lapideſcere poteſt, ob exhalationes terreſtres plurimas quas in ſe habet: Sed qui fit quod pars affecta modo ruber, modo pallet, modo inflammata, modo œdematoſa eſt? *Scherbius* dicebat, irritata ad expulſionem Natura irritatur ſimul totum genus venoſum, (*vel potius arterioſum*) ut una cum ſero affluat aliquid ſanguinis illius qui in corpore eſt. *Hofmannus l. c.*

7. *E venis & arteriis*) Quæ pars eſt mandans, ſeu terminus à quo? De hoc dubium eſt ingens; Sed tum Arthritis, tum Podagra eſt intra vaſa; E multis argumentis nonniſi potiſſimum afferam quod *Galeni* eſſe ajunt. 2. *Nat. hum. ſ.* & ita proponunt, *Videmus Podagricos mori tum ſi humores influentes repellantur ad viſcera*, Quæ repulſio quomodo fieri poſſet niſi humores intra vaſa eſſent: Ego ita; *Videmus podagricos mori tum ſi viſcera tam ſint debilia ut humores ad ſuperficiem pellere non poſſint.*

8. *Latinis dicitur morbus*) Nomen, ξυνὸς μὲν ἁπάντων τῶν ἀρθρῶν πόνος ἡ ἀρθρῖτις, ait *Aretæus de diuturnis lib. 2. c. 12.* ἀλλὰ ποδῶν μὲν ποδάγραν καλέομεν, ἰσχιάδα δὲ τῶν ἰσχίων, χειράγραν τῶν χειρῶν, Cum corporis articulos omnes dolor infeſtat, affectus hic nomine communi Arthritis vocatur ἀπὸ τῶ ἄρθρω, à parte communi, in qua excitatur, læſa authore *Galeno 2. m. m. cap. 2.* ac ſi diceres, *Doloroſus* articulorum affectus: *Tartarus* juncturarum à *Paracelſicis* indigitatur, & *Synovia*; *Tartarus* quidem, quod nonnunquam inſtar Tartari in articulis concreſcat in tophum; *Synovia*, quod in κορύζα, muco articulorum, ipſi nonnunquam ſynoviam vocant, ſedem habeat, Speciatim tamen cum Arthritis ſit genus, alia nomina à partis privatis affectis à Practicis excogitata ſunt. *Rolfinkius.*

9. *Et Guttam*) Gutta ab Italis nomine primitivo appellatur, at iis, quod quidam putant, eſt diſtillatio guttatim facta; diſtillare enim dicuntur quæ ſtillatim vel guttatim defluunt. *Rolfincius.*

10. *Subjectum ſunt*) Cenſemus partem primario affectam in Arthritide eſſe non interſtitia oſſium ſimul articulatorum, ſed membranea ligamenta ipſos articulos vincientia & colligantia: Hoc probamus 1. per *dolores* athritidem utplurimum comitantes, qui in oſſibus ſentiri non poſſunt, verum in partibus tantum membranoſis adeoque ſenſibilibus. 2. per *Doloris metaſtaſin*, & Arthritidis non tantum ſponte, ſed inſuper ad repellentium medicamentorum applicationem non raro ab uno articulo ad alium tranſmutationem, quod fieri non poſſet ſi in articulationis cavitatem effuſus eſſet humor illum dolorem gignens; Sed nec *muſculi* aut *carnes* articulis

culis vicinæ ſunt locus primario affectus, tum quia ſenſu exacto non ſunt præditæ, niſi ratione fibrarum & membranarum; tum quia ubi dolores Arthritici obſervari ſolent; carne fere ſunt deſtituti articuli; Neque hoc evincit dolor Iſchiadicus, aut in humero vexans, quamvis enim multa carne tectæ ſint illæ partes, dolor tamen non ſentitur in iſtis carnibus, utpote quæ ſine doloris augmento contrectari poſſunt; verum circa ipſum articulum, qui ſine notabili doloris augmento contrectari nequit: In motu autem illo Ligamenta inprimis tenduntur, ad quam tenſionem augetur dolor. *Franc. Sylvius.*

10. *Subjectum*) Subjectum eſt *articulus*, duas ſc. motus magnitudine differentes habens ſpecies, quarum prima *diarthroſis*, altera *ſynarthroſis*: utraque tres ſub ſe habet ſpecies, *Enarthroſin*, *Arthrodiam*, *Gynglimum*, *Initio vero*, inquit *Aretæus l. nervi*, *articulorum vincula*, *& quæcunque ex oſſibus ſunt exorta*, *& in oſſa inſeruntur*, *dolere incipiunt*, *Magnum vero*, ſubjungit, *hoc eſt miraculum*, *non dolent quidem hæc*, *imo oſſa & dentes ne quidem ſentiunt*; *etiam ſi quis ſecet aut tollat*, Subjectum, hoc quomodo ac ordine infeſtetur oſtendit, *Magnum pedis articulum dolor occupat*, *rurſum calcem in priori parte*, *qua nitimur*, *deinde in concavam ſubit malleolus autem poſtremus intumeſcit*, *quibuſdam in omnis corporis ambitum vagatur*, *plerumque à pedibus in manum proſilit*: *Tranſitus quoque in dorſi thoraciſque muſculis ſit incredibileque eſt quam late malum ſerpat.* Rolfincius.

11. *Subjectum ſunt omnes partes*) Pars affecta erit pars admodum ſenſilis, circa articulos ſaltem ſituata, adeoque nil aliud quam membranea ligamenta ipſos articulos Vincientia & colligantia: Quinimo his affectis ipſum Perioſtium in locis oſſium articulationi proximis, pati ſimul probabile videtur ex acerbitate lacerante doloris, in profundo inprimis ſiti & apparenter oſſium capita immediate afficientis: Sed quod articulos in ſpecie afficiat videtur eſſe ex *Synovia*, ſeu aqua glareali, quæ eſt ros dulcis chyloſus, ſeu alkali temperato turgidus, qui ceu nutrimentum ligamentorum & membranarum, ipſorumque forſan oſſium, abundans, collectus pro motu facilitando, & inſtar axungiæ oblinens oſſium articulationes: Hoc ceu appropriatum ſpecifici arthriticorum *acidi* objectum inquinari inprimis ſolet, quo facto mox varia circa articulos pathemata ſuperveniunt, dum partes vicinæ membraneæ neceſſario rodi incipiunt, hinc ſucceſſive *ſynovia* iſta ab *acedo* peccante inſtar albuminis ovi ſpiſſari, & tandem in *cretaceam* ſeu *gypſeam ſubſtantiam* coagulari ſolet, ut patet ex *tophorum* ſeu *nodorum* intra articulos collectione, qui inciſionis via exempti *calceum & gypſeum tophum* omnino repræſentant, & effectum non cauſam arthritidis conſtituunt, quorum Tophorum examen Chymicum vide in *Kerkringii ſpic. obſ. 28. Etmuller.*

12. *Tendines*) Tendines etiam dolent, ut per anatomen cognovimus eorum qui hoc morbo ſunt conflictati: Inter tendinem & ligamentum, quod integit tendinem, colligitur materia, quæ ſic indurata eſt ut plane appareat cruſta illa quæ à parietibus vel pellibus abraditur; Talis materia ob aſperitatem majorem dolorem excitat, & illa ligamenta ſentiunt quæ à perioſtio naſcuntur, reſolutaque parte tenui exſiccatur & in gypſeam materiam vertitur. *Rondeletius.*

13. *Ligamenta*) Ligamenta duplicia ſunt, alia enim ſenſu prædita ſunt manifeſto, alia vero nullum omnino ſenſum habere deprehenduntur: Quæ à media oſſis parte oriuntur inſenſibilia ſunt, ut quæ tibiam cum coxa conjungunt, & femur cum coxendice: Talia cum ab oſſis cartilagine naſcantur, & cartilagine, χονδροσύνδεσμοι appellantur, inſenſibilia eſſe oportet, de quibus nolo intelligere: Alia ſunt quæ à perioſtio membrana fiunt & membranoſa ſunt, talia ſentiunt: Nam ſi perioſtium ſenſibile ſit, Cur inſenſibilis erit illa membrana quæ duo extrema oſſium retinet? *Rondeletius.*

14. *Humores à venis & arteriis eo detrudantur*) *Columbus* & alii nonnulli medulla nutriri volunt Ligamenta, ſed ſanguine aluntur, qui per capillares, arteriolas viſum ſubterfugientes affunditur. *De Diemerbroeck. Anat. p. 838.*

15. *Tum quod eo delati &c.*) Morbus iſte frequentius circa internodia oſſium pedis excitari ſolet, quoniam hæc pars maxime declivis, & à præcordiis, ſive caloris fonte remota materiam morbificam promptius ſuſcipit, eamque haud facile ſubigit, aut celeriter remandat. *Willis.*

[16] *Signa inſtantis*, cum ægri [17] nec ſudant ut ſolebant, nec mingunt: vereque & autumno maximè infeſtat, tum quia major eo tempore humorum copia, tum quia motus. [18] *Præſentis*, ex relatione ægri ſunt evidentia, primo impetu dolor pollicem pedis & plerumque ſiniſtri invadit: poſt tumor, calor, & rubor manifeſtè percipitur: accedit motus impotentia, & in diuturna arthritide [19] tophi &c.

16. *Signa inſtantis*) Imminentis ſigna ſunt ſenſus in articulis ſolito exquiſitior, ut à leviſſima cauſa lædantur, puta novi calcei compreſſione, ambulatione longa, vel levi aliquo ictu, aut ad lapidem aliudve corpus duriuſculum alliſione; *Febris* plerumque arthritidis invaſionem antecedit, quæ fit à ſeroſis humoribus aliiſq; in venis & arteriis contentis, commotis & exagitatis, dum Natura eos ad partes illas ignobiliores expellere nititur, viciniorem vero Arthritidis inſultum, & quaſi incipientem ſignificant torpor & formicationis ſenſus in articulis & quidem in iis fervor præter conſuetudinem invadens. *Riverius.*

Notat *Helmontius* quod podagrici præſentiant tempeſtatis mutationem, Et quod ſi mutentur ſordes pedum digitorum, iiſdem immineat paroxyſmus: Quoties imminet paroxyſmus alvus fere ſegnior evadit; ægri moleſtiam quandam haud explicabilem circa præcordia ſentiunt; conſuetum excrementum intra digitos pedum non reperitur, & circa articulos tenſio percipitur. *Etmuller.*

17. *Nec ſudant ut ſolebant, nec mingunt*) Docti Medici omnes ab experimentis didicerunt corpora quæ multum urinæ emittunt, & ſudant frequenter, minus à Podagra tentari, in quibus vero illa duo excrementa, ſudor, inquam, & urina detinentur; ii ad hunc affectum maxime proclives ſunt: His de cauſis moveor ut *Saſſafras* uſum ad præſervationem nequaquam improbem, ſi facultatem habet urinam & ſudorem ciendi &c. *Crato.*

18. *Signa*) Conſentiunt Practici Arthritidi comitem eſſe Febrem (*hic prætermiſſam*) quæ nunc die uno præcedat, nunc & plerumque ſimul invadat, & quidem cum frigore ac horrore levi, ſubſequente mox calore, quandoque majore quandoque minore, ut & Siti, Una cum pulſu concitatiore, & urinis magis rubentibus, quæ nonnunquam ante acceſſum erant magis tinctæ. Febrem hactenus in Arthriticis obſervavi, non tamen ſemper æque moleſtam, quinimo quandoque

lis inferuntur, tumor.

2. [37] Aliquando caput offendi & [38] aliquid demittere, inprimis, plethorâ & humorum copiâ præſente.

[39] Vel *internè* [40] ſeu per venas & arterias jugulares tam internas quàm externas in cavam & arteriam magnam; ſeu per ejus ramos ſub jugulo ad articulos.

[41] Vel *Externè*, à cervice ſeu per humeros ad cubitos & manus; ſeu per dorſum, in coxendices, genua, pedes, & quidem ſenſim cum frigoris aliquando aut horroris ſenſu. Sciendumque hic, non ſemper humorem in extremos articulos ruere; [42] nec in ſpatio quod eſt inter articulũ conſiſtere, ſed per brachium fluentẽ vel in humeri vel in cubiti articulo per aliquot dies conſiſtere, & tum demum ad extrema tendere, ſed quòd articuli compacti ſint & denſi, in quibus humores commodè ſubſiſtere poſſunt; intermediæ regiones amplæ & laxæ; ſeu quod materia per majores & minores ramos, ad articulos tanquam extrema detruſa, & ibidem, tanquam in loco frigido arctè concluſa, dum, nec diſſipari nec concoqui potis, dolorem propter adguſtiam concitat, per eoſdem ramos in majores venas refluit, per quas deinceps ulterius in inferiores articulos, per ramos minores nutritioni inferiorum articulorum inſervientes protruditur. III. [44] *Mitti ad articulos*, & quidem I. [45] propter illorum ſeu nativam à parentibus, ſeu adſcititiam, à labore, [46] aëris exceſſu, aliiſque cauſis articulos alterantibus, unde molliores laxioreſque fiunt, imbecillitatem; naturâ copiâ ſtimulatâ ſe exonerante, interdumque à cauſis externis, ut aëre verno vel autumnali, quo humores mutantur, affectibus animi, ſudoris & aliorum excretorum retentione, adjutâ. 2. [47] *Ad articulos potius quam alias partes*, fortè quod ligamenta & tendines magis terreſtri ſanguine & cum humore tartareo cognationem habente alantur. 3. [48] Semper ferè in membranis, tendinibus, & vinculis externis à perioſtio originem ſuam habentibus, oſſium extrema & muſculorum tendines nectentibus, conſiſtere; [49] non in cavitate quam duo oſſium extrema ſibi invicem juncta conſtituunt. Hinc fit, quod tophi plerumque è digitorum articulis eruuntur, externo vinculo integro: quod magnus dolor excitetur, qui obtuſus eſſet, ſi in vinculo interiore, duo extrema nectente, utpote ex oſſe ortum, nec quicquam ſenſus habente, hæreret. 4. [50] In iiſdem excrementum tartareum dum humores arthritici generandæ arthritidi apti, ſanguini commixti eò feruntur, & [51] cum alimento oſſium ſeſe in ſubſtantiam inſinuant, [52] futuræ arthritidis rudimentum colligi, [53] quod affluente ſimili humore, non aliter ebullit ac cum calci vivæ aqua admiſcetur, ſicque ad vicinas partes diffunditur, & dolorem inprimis in epiphyſibus, è quibus ligamenta oriuntur, & partes circa articulos ſenſiles connectuntur. Sanè [54] liberati aliqui à podagra per torturas, liberati & quibus digitus amputatus: ſolent in ægris vitioſi humores ad definitas partes ferri, ut in plica ad capillos: ſolent & podagrici aëris mutationes præſentire, quia per eas humores excrementitii moventur.

[20] *Cauſa*) Non naturales Cauſæ etiam ad Arthritidem diſponunt. Inter Neceſſario nobis occurrentia, nullaque induſtria evitabilia, principem locum tenet *Aer*, ſecundum regiones, tempeſtates, anni tempora, vel cœleſtium influxuum ſiderum alteratus, *Mercurialis lib. 1. Var. lect.* refert Conſtantinopoli habitantes continuo vexari Podagra; *Moravis & Vngaris* familiariſſimus eſt affectus: *Vere & Autumno* dolores tales imminere traditum *6. aphor. 55.* Cum enim Articulares dolores ſint ſoboles aut cacochymiæ aut plethoræ, Ver autem ex proportione maxime reſpondeat, qui ex repletione ſunt facti, morbis, & Autumnus illis quod vitioſis ortum debent humoribus, ideo vere morbi, ex multis qui fiunt humoribus, ſunt frequentiores, Autumo vero qui ex pravis & corruptis: Si enim Ver corpora facta pleniora reperiat, fundens humores, qui prius in penitioribus partibus latebant, & fluere faciens, eos movebat; Inde fit, ut diffuſi per univerſum corpus primum, deinde fortioribus particulis ad imbecillas impulſi, inde facile poſſunt arthritides generare, ſed tamen diverſe pro diverſitate rationis victus, qui præcedente hyeme fuerat ſervatus, & pro ratione errorum in ea perpetratorum; Interdum vero *Autumno* fiunt, teſte *Galeno l. c.* in illis qui æſtate pravis uſi cibis cõgeſſere multos vitioſos humores. Præſertim vero coxendices ſuum ſolent autumno ortũ habere, utpote quæ, ex *Hippocr. & Gal. eodem aph.*) plerumq; a frigida & maligna materia ortum habeant: *Aſtrologi* dolores articulorum provenire ſtatuunt à luminaribus afflictis per Conj. & opp. Planetarum maleficorũ in ſignis infirmitatem: Aries, Taurus, Canc. Scorp. Capric. Aquar. & Piſc. ita ut alterutrum luminare, vel alterutet maleficorum, domum vel exaltationem habeat in 1. vel 6. Hæc enim conſtellatio non modo à pueritia valetudinarios, ſed etiam poſt conſiſtentem ætatem arthriticos conſtituit; authore. *Garc. c. 33. de judic. Geneth. Victus ratio prava* ſuum confert *Hipp 2. Epid. ſ. 4.* Ex Ocno, ex eſu leguminum, crurum impotentia orobum comedentes genua dolebant, Genialis palati delitiis dedita vita in ducem excludit Bacchi & Veneris filiam Podagram μισοπτωχόν: *Vina* in Moravia & Hungaria Arthritides endemias producuut, quo generoſiora eo ſubtiliorem acutiorem habentia Tartarum multa & potentia vina lædunt, maxime ſi quis ante cibum præſumptum iis utatur, teſte *Galeno 6. aph. 28. Affectuum animi* vis magna, itæ præcipue, quæ ſpiritus humoreſque agitat & incendit; *Rolfinckius.*

[20] *Cauſa*) Prima cauſæ materialis ſcaturigo eſt in ventriculo, quæ poſtmodum inde derivatur & paſſim effunditur per univerſum venoſum genus, ac mediante cauſa efficiente, habituali reddita iis in partibus (vel hæreditario jure, vel erroribus diætæ) acrimoniam contrahit ac ſe inſinuat iis, ut pote ſumme debilibus, ad excipiendum & patiendum pronis, minuſque reſiſtere aptis. *De Mayerne.*

[21] *Non eſt intemperies ſimplex ſed humor ſeroſus*) De ſimplici intemperie diſſenſum fluit, Ac ex recentioribus Paræus; *Mihi aliquando majore animi contentione in ſtudio occupato, ideoque externas quæ corpus ingruere poterant, injurias non ſentienti, ventibus per biblio-*

thecæ anguſta rimarum clanculum ſubiens, coxam ſiniſtram perculit, tandem ſtudendo laſſus, cum primum ſurrexi progreſſurus, ſtare in pedes non potui, tanta erat doloris ſine ullo tumore, aut humore, qui quidem cerni poſſet acerbitas. Nunc quoque de ſiccitate *Salius Diverſus & Adr. Spigelius.* Tenues, ſeroſi, & calidi humores ſemper concurrunt, ac ea de re conſtare videtur. *Bilis* raro deerit, quam lentus ille, & ut vocant *phlegmaticus humor* etiam aliquando confunditur, ſed non ſemper, nec hic, ut mavult *Fernelius*, ſemper familiam ducit: Nec nihil loci *Melancholicis* humoribus erit, Licet enim illi æque ac pituitæ inepti ſint ad concitandam repentinam inflammationem, tamen eos aliis mixtos natura in artus promovere poterit: *Arabes* igitur ſcienter omnes humores enuntiant: Nec *Paræus* erit inſcius craſſos humores tenuioribus ita dilui poſſe, ut omnes ſimul in aliquod membrum aliquando concurrant; Nuda intemperies, non veram facit Arthritidem: Afflatu auræ gravioris etiam humor intus coit. Proinde talis dolor ſedatur ſedatione: Sed & ſcire convenit terreſtrem illam materiam, quam *Paracelſus* & ejus aſſeclæ Tartarum vocant etiam ſanguini immiſceri poſſe, ut cum eo circumferri queat, donec Naturæ impulſa ſecedat. *C. V. Schneiderus.*

21. *Non eſt intemperies ſimplex*) *Pareus l. 17. Chirurg. c. 2.* ex ichoroſorum humorum ad articulos decumbentium maligna & venenata qualitate tam vehementem dolorem excitari putat, Cum vulgaribus remediis non cedat, ſed exacerbatur potius, & theriaca tam intrinſecus quam extrinſecus ſæpe curetur: Nec adeo cordis paſſionibus animique deliquio ſubjecti eſſent arthritici: niſi malignitas quædam interdum ſubeſſet.

21. *Intemperies ſimplex*) Multi authorum Arthritidem ſola intemperie aliquando oriri opinantur. *Trallianus, Fluxiones*, ait, *non ſolum ob materiæ influxum articulis oboriri ſolent, ſed etiam propter nudam qualitatem calidam & humidam*, mox & δυσκρασίαν ſæpius cõmemorat: *Paræus* Iſchiagram comperit ipſe ex aura frigidiore afflante ortam fuiſſe: Sed recte *Fernelius*, *Proxima continenſque omnis Arthritidis ac doloris cauſa eſt, non ſimplex ulla intemperies, ſed humor præter naturam infixus, & adhærens, qui ſæpe tumore manifeſto ſe prodit: atque tametſi nonnunquã (ut iis qui primum incipiunt illa tentari) citra inſignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen ac paucus aliquis humor ſubeſt;* Hippocrates ipſe quidem prodidit Iſchiagram ſiccitate articulationis aliquando fieri, at eum commode interpretatur. *P. Sal. Diverſus.* Nos vero hac via philoſophamur, Cauſa quidē, ut vocant procatarctica, poteſt eſſe aër, quo humores fiunt concitatiores, quibus de tandem naſcitur hic morbus; Interdum arthriticus humor in confinio artuum hæret, qui fœda ac aſperatempeſtate rurſus ſævit: Atque ſi nudus aër, ſine humoris conſortio quendam artuum dolorem facit, is non continuo vera aut Arthritis eſt exiſtimanda, aut Podagra, Chiragra aut Iſchiagra: Commode *Fridericus Van der Myc.* Cauſa per accidens eſt omnis intemperies ſimplex, tam corporis univerſi quam articulorum, hæc enim vel membrum debilitat, & ad recipiendum humores paratum reddit, vel humores gignit in ipſis articulis, *C. V. Schneiderus l. de C. Ep.* Vide plura l. c. p. 554.

22. *Humor ſeroſus*) Cauſa proxima & immediata Arthritidis eſt humor ſeroſus, ſua vel quantitate partes ſenſiles articulos ambientes diſtendens, vel acrimonia vellicans: Seroſam eſſe illam materiam inde colligitur, quod humores craſſiores in articulos tam facile confluere non poſſint, & tumorem in articulis magis conſpicuũ efficerent; qui perexiguus eſſe ſolet: Imo vero initio nullus apparet, licet dolor acerbiſſimus excitetur Adde: quod ille tumor nunquã ſuppuretur, quod aliis humoribus craſſioribus ſæpe contingit ſi tantillũ ſanguinis ſecũ admixtum habeant: In Arthritide autẽ ſanguis ad articulos attrahitur, qui ex inflammatione partis innoteſcit, nunquam tamen ſuppuratio contingit, ob ſeri prædominium, quod ſuppurationi reſiſtit. *L. Riverius.* Hic duo notanda 1. ſerum purum per arterias & venas nequaquam decurrere, ſed ſanguinis maſſæ partem id conſtituere, hinc ut ſincerum per dicta vaſa in articulis influere nequeat; 2. Vtut vaſa per quæ influunt humores in articulos exilia ſint, eaque capillaria, ſanguini tamen tranſitum illa concedere neceſſe eſt, per hæc enim nutritio fieri ſtatuitur, ac partes alimentum ſuſcipere, Fidem facit adnata Oculorum tunica, cujus vaſa, nonniſi per inflammationem conſpicua fiunt, ſanguinem tamen admittunt, qui nunquam in ſuppuratum abit.

22. *Humor ſeroſus*) *Galenus* monumentis literariis reliquit, hos humores eſſe *ſeroſos*: Seroſi & ichoroſi humores nonnunquam mites ſunt, nonnunquam acres; Non ſemper pũra puta aqua ſunt, ut ſtatuere videtur *Car. Piſo l. de coll. ſeroſa in Conſil.* ſed ichorem aliquem vel pituitoſum, bilioſum, melancholicum, ſanguineum, interdum ſalſum, ſabuloſum excrementum, unde Tophi generantur, conjunctum habent: Lymphatica vaſa ſerum tale copioſum advehere queunt, *Rolfincius.*

22. *Humor ſeroſus ſalſus*) Serum raro purum atq; ſincerum eſt, ſed alios humores aut ichores eorum ſecum admixtos habet, unde diverſitas inſignis exoritur. Sed & Serum per ſe majorem aut minorem acrimoniam habet, prout magis vel minus *Salis* ſecum admixtum habet: Cum enim Serum ſalia heterogenea, quæ ex alimentis in corpore cumulantur, diſſolvere & in ſeſe rapere ſoleat (hinc omne ſerum ſalſum eſt) prout major vel minor Salis copia in eo recipitur, & prout ſalia illa majorem vel minorem acrimoniam obtinent, major vel minor dolor excitari conſuevit. *Riverius.*

Solum ſerum (*inquit Caſpar Hofmannus in Inſtit.*) eſt quod ipſum etiam ſolum lapideſcere poteſt. Ille peculiaris Sal in maſſa ſanguinea latet abditus; tandem coitu in ſe, connivente quaſi Anima reſidente in ſanguine: Similis humor in cavitate Renum magis cumulatur, magiſque dureſcit in confiniis artuum; In ſanguine, cum nunc Natura retinet diutius, nunc cum citius expellit; nonnunquam idem inibi in dies augetur: Quo fit ut etiamnum juvenes, & ſenes tandem aliquando reddantur Podagroſi: nam vix illius humoris expultrix provectiore ætate quaſi infringitur, aut illius materiæ obruitur multitudine ut ſurgat, & noxium ſuperfluumque abiicere aggrediatur. *Schneiderus l. de Cat. ſp. p. 610.*

23. *Salſus, acris, tartareus*) *Cauſa Efficiens* omnium optime in *Tachenio, Morb. principe*, expreſſa & explicata videtur, Nempe *Acidum volatile ſpirituoſum*, ſui tamen generis, ſeu ſpecifici ſaporis, ſpiritui influo maritatum, *ſynoviam* inprimis, & partes vicinas membranaceas inquinans & affligens, primarius tortor eſt; Prima hujus *Acidi ſpirituoſi* origo eſt ex primis viis, quam potius ex depravata digeſtione prima cum *Tachenio*, quàm ex *Pancreate aut Glandulis*, cum *Sylvio*, derivare placet; adeoq; non in Pedum articulis ipſam Podagram eſſe recte dicitur, ſed ejus ſolum fructum, cujus radix habitat in ſtomachi fermento vitali; Ita ut ſi dolentẽ pedem abſcideris, Podagrã proinde non ſanaveris: Quod ſi mature non occurratur malo, *Acidum* illud *ſpirituoſum* furtive & ſucceſſive Acido ſtomachi fermentativo ſe adſociat, donec fermenti more pedetentim hoc ſuperet, ita ut in poſterum nec naturali nec artificiali ſeparationi obediat, adeoque inveteratum incurabile ſit, ut eleganter loquitur *Tachinius l. c p. 438.*

Hinc nempe *Hereditaria* obſervatur Podagra, cũ ſpiritu influo genitali odore acido podagrico cõmunicato fœtui: Nobilem curavi Juvenem, qui ab ineunte

8. ætatis

8. ætatis anno ſæpius Podagra correptus fuerat, quod Parens ejus & ipſe inſigniter Podagricus in ipſo paroxyſmo eum genuerat: Hinc 2. etiam *animi pathematibus* gravioribus aut diuturnioribus, curata obſervata Podagra, ut *ſubitanea conſternatione*, aut *ira* inſigni aut *mœrore* diuturno, ut in divitibus vel pauperioribus factum, quo pertinet *Tortura ex Hildano cap. 1. obſerv. 79.* Nempe perturbatio animi & ſpirituum peculiaris motus ac alteratio extinxit fermentum podagricum, aut ſaltem plus minus alteravit illud, principaliter quidem in *ſtomacho* primario, qui cum reliquis præſideat digeſtionibus, & has exinde alterari neceſſe eſt, quantum nempe *animi pathemata* fermenti digeſtivi, & hinc digeſtionis primæ negotium alterent; Quo etiam confidẽtiã ægri erga medicũ vel remedia pertinere per ſe notũ eſt; Hinc 3. etiam ut plurimũ arthritici nephritici eſſe ſolent; eodem acido ſpirituoſo utrobique authore: Hinc 4. *Lacticinia* modernorum methodo, ſed continuato uſu, ut invertantur quaſi humores, ſpiritus & fermentum digeſtivum, curant arthritidem. 5. *Vini* abuſus, *volatilis acidi* ratione, ſpiritus inprimis afficiens, plures in hoc malum præcipitat: Obſervanda tamen differentia inter *vina*, dum ea quæ plus de tartaro, vel acido facile fermentante in nobis continent, nocentiora ſunt; Quo alia *vegetabilia* plus minus *tartarea* pertinent, ut recte aſſerit *Glauberus*: Hinc 6. *abſtinentia vini* è contra quoſdam ab Arthritide liberaſſe obſervata eſt, Sic *Lotichius* in *obſervat. pagina 88.* Podagram ex abſtinentia per integrum annum ceſſantem, ſed hujus copioſa ingurgitatione recidivantem. Ex eo eſt, quod in Arthritide producenda tria vulgo nota, ceu cauſæ remotæ principaliores conſpirare videantur, dum *Bacchus*, ceu Pater vini, quo innuitur nocivum *acidum* ex nimio abuſu, à *fermento ſtomachico* minus debite ſuperabile ac corrigibile; *Venus* ceu *mater*, quatenus repetito congreſſu, poſt copioſos ſpiritus influos, chylo temperato alkalino prædives, ſub genituræ forma ſuccus nutritius excernitur, & hinc nervoſum ſyſtema inſigniter debilitatur, Et *Ira*, ceu *obſtetrix*, commovendo contenta corporis. & ſpiritus, & acidum volatile, in nobis augendo, adeoque & ſpiritus influos aſperiores reddẽndo, in producendo arthritidis fœtu occupata. Dictis ex cauſis, & *viri* magis quam *fœminæ*, arthritidi obnoxii dicuntur, cum ex *Hipp. ſectio. 6. aph. 29* mulieres non laborant Podagra niſi menſes deficiunt, utut hodie contrarium experiri liceat, cum ſecundum *Senecam*, non natura, ſed vita mulierum mutata ſit. Par ratio eſt *Eunuchorum*, quos nec Podagra laborare, nec Calvos fieri olim Hippocrat pronuntiavit, Ita *Puerorum*, quos ante Veneris uſum non laborare podagra aſſeruit; Quæ ita quidem ſub priſci ævi innocentia & temperantia obtinuerunt; hodie vero ex parentum & avorum vitiis ipſa progenies adhuc vitioſior puta & ulterius exorbitans dictorum veritatem eludit: *Scorbutici* quoque admodum Podagræ ſunt obnoxii qui ſubinde eos atrocius affligit. *Etmuler.*

23. *Sed humor ſeroſus, ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*) Quoniam una cum febre (vide §. *Signa*) obſervatur ſemper adventurus paroxyſmus arthriticus, & quidem cum majore aut minore frigore, ipſumque ſubſequente diverſo calore (unde quoque humoris primario peccantis qualitas amplius manifeſtatur) facile patet *non unum duntaxat humorem ſemper peccare, ſed aliquando plures, ita tamen ut ab eo qui primario & maxime peccat deſumatur denominatio*, Præter hos primarios humores, Arthriticum dolorem parientes, nil obſtat alios concurrere a quibus reliqua deducantur ſymptomata, *Nodi, Tophi &c.* Non parum diſſentiunt Authores de *Foco & Loco* in quo *generatur vel coacervatur humor Arthritidem producens*, nam alii *Caput*, eiuſque nunc ſuperficiem nunc interiora culpant; Alii in *vaſis* venis puta & arteriis cauſam ejus quærunt; Nos unicuique aſſertionis probationem committentes, putamus eundem eſſe *Arthritidis & Febrium intermittentium, Catarrhalicum præſertim Focum Glandulas puta, tum Pancreatis conglomeratas, tum paſſim Conglobatas omnes:* Neque enim hactenus ex iis, quæ per Anatomen patent, alias partes eruere valuimus, in quibus Febrium Intermittentium, ſive cum apyrexia perfecta occurrentium, ſive confuſarum, & intercurrentes paroxyſmos habentium, (quando ſcilicet priuſquam prior paroxyſmus ceſſaverit, poſterior ſe illi immiſcet, adeo ut nulla vera contingat intermiſſio, & libertas à febre) fomitem generari aut coacervari ſolide poſſit aſſeverari: præter ſolas Glandulas, tum Conglobatas quaſvis, tum Pancreatis Conglomeratas, utpote quæ mox cum corde per Vaſa lymphatica participant; Ut hæc magis pateant, paucula de Febribus Intermittentibus, tum de Catarrhalibus quibuſdam dictis placet adjungere. *Intermittentium Febrium omnium Focum arbitramur Pancreas*, illarumque *cauſam primariam Succum Pancreaticum. in quibuſdam, non omnibus ejus Glandulis hærentem ac vitiatum, & diverſo tempore pro ſui conſtitutione varia in communem Ductum, hinc & tenue Inteſtinum erumpentem, atque cum Bile nunc Laudabili. nunc vitioſa, perperam effervescentiam; atque pro Pituita inſuper in tenui inteſtino tunc reperta, aut cibi potuſque, medicamentorumve &c. eo tunc confluentium diverſitate, diverſimodo alteratum*, uti hoc ex ſymptomatibus ægros circa ſingula cujuſvis paroxyſmi tempora infeſtantibus facile deduci poteſt: *Catarrhales febres*, ſic dictas quibuſdám quod attinet, *Cum illæ ortum habeant fere à frigore, externo calens corpus & inprimis caput & colli glandulas* (utpote partes; aëri externo magis expoſitas) *afficiente* arbitror ipſas produci *à male affecta in glandulis Conglobatis, tum in cerebro exiſtentibus, tum adſtantibus Lympha, eaque ob ſpiritus animalis ad eas affluxum impeditũ acriori & acidiori facta*, ideòque in cordis ventriculo dextro Effervescentiam vitioſam, hinc & febrem excitante, & quidem non Intermittentem, at continuam, non tamen ardentem, ſed intermiſtum frigus non raro habentem: *Cui quoties concurrit Bilis*, ob diætam in aëre æſtuoſo, Alimentis nimis aromaticis, acribus vel ſalſis, Ira, vigiliis. Corporis exercitio &c. nimis peccantem acrior, toties ardentior exiſtit febris, adeoque ob cauſas oppoſitas concurrentes curatu difficilior; Neque enim tunc ſe mutuo temperant humores contrarii; alias non urget ita febris, ſed utrique ſuo modo intemperati confluentes, febrem producunt moleſtiorem. Idcirco autem Arthritidis & Intermittentium Catarrhalium febrium cenſemus focum eundem, quoniam ſemper, quantum ego ſaltem & alii mecum obſervare potuimus, cum febre tali accedit paroxyſmus arthriticus, cui hoc tantum peculiare accidit, quod febrilis cauſa tunc bona ſui parte circa articulos hæreat, & dolores ibidem nunc majores nunc minores pariat, quod in cæteris febribus non ſolet accidere: Putamus autem non *Bilem* primario peccare in Arthritide, quoniam alias continuus eſſet affectus, Bilis enim omnis in uno eodemque folliculo generata tota ſibi eſt ſimilis; atque ideo continuum producet effectum, ſive effundatur per vias ordinarias, quod accidit in febribus continuis; ſive non effundatur, quod accidit in Ictero, ductu ſcilicet, inteſtinali tunc obſtructo: Putamus contra, Liquorem in Glandulis præparatum peccare primario in Arthritide, quoniam is coacervari poteſt in quibuſdam Glandulis, aut etiam in quibuſdam Glandularum ductibus & ſinubus; qui tandem aut ſpon-

te,aut ab externo errore in diæta,aëre inprimis aut potu, cōmiſſo,motus paroxyſmnm novum producat,nunc tardius,nunc citius repetentem. Quamvis autem Arthritidi comes ſit ardor, non tamen idcircò judicamus primario peccare bilem, verum ipſam tunc ſimul peccare, in vitioſa ſaltem ſua cum ſucco Pancreatico, vel Lympha acidiore inſtituta effervescentia ita immutati ut calor ejus magis ſe manifeſtet, quamvis non ſemper tam calor ſit moleſtus; quam Dolor à calore diverſus: Hoc enim obſervandum, Liquores ad ſui confuſionem effervescentes, non parum & alterari & mutari pro adverſi liquoris differentia quod plane reciprocum eſt, Hoc ut exemplis è Chymia petitis demonſtremus, velim à curioſis conſiderari, & ſolertibus rerum naturalium indagatoribus, quam diverſa excitetur Effervescentia pro diverſitate ſubjectorum, metallorum puta vel mineralium, cum eadem aqua forte effervescentium, dum non tantum quædam citius, alia tardius ab ipſa ſolvuntur & corroduntur, ſed inprimis quædam cum majori vi commotione efferuntur, alia cum minori, quædam hunc, alia alium odorem, colorem & ſaporem promunt aut relinquunt, Nec tantum tanta obſervatur diverſitas Efferuescentiæ pro diverſitate Subjectorum cum eodem Acido Effervescentium, verum etiam pro diverſitate Acidorum cum eodem ſubjecto effervescentium; Sic aliter procedet Effervescentia cūm eodem ſale tartari excitata à ſpiritu vel oleo vitrioli; aliter à ſpiritu ſalis, aluminis, nitri, aceto ſtillatitio vel communi: alias enim potentior, alias debilior; exiſtet; elevatique odor, ſapor, &c. erunt diverſi. Simili plane ratione in corpore humano, tam pro Bilis, quam pro Succi Pancreatici, aut lymphæ diverſitate continget tam in tenui inteſtino quam corde Effervescentia, modis plurimis varians,nec niſi temporis tractu, & multiplici eaque accurata obſervatione,in certas claſſes diſtinguenda, Intereſt itaque diverſitates illas, ſi quæ ſint, accurate conſiderari, & in certa capita redigi, quo aliquando in praxi facienda ſerviant: Utique ſi ab Effervescentia vitioſa ortum ſuum ducant febres Intermittentes omnes,ut & Catarrhales, quinimo ipſæ quoque Continuæ,uno verbo Febres omnes, Nonne rem Arti medicæ apprime utilem proferent illi qui modum & rationem quamvis effervescentiam vitioſam præveniendi compeſcendive invenient & aliis patefacient, ſicque methodum febres curandi optimam eruent atque manifeſtabunt;Nec tantum Febrium generationis & curationis ratio inde deducetur,verum plurimorum inſuper affectuum ab eadem Effervescentia vitioſa, meo judicio prodeuntium,quales ſunt omnes *Affectionis hypochondriacæ ſpecies, ſcorbutus, paſſio Hyſterica, Incubus, vertigo, Epilepſia, Oſcitatio, Sternutatio, Nauſea vomitus, Alvi fluxus, & adſtrictio, Flatuum generatio, una cum dolore Colico, Tympanites, Cordis palpitatio, Anhelatio, Aſthma, cordis anxietates, Animi deliquia &c.* Quos affectus omnes arbitror ego ortum ſuum habere ab Effervescentia bilioſa vel in tenui inteſtino vel in corde facta; Sed ut ad rem noſtram revertamur,& aliquid ad vitioſæ Arthritidem parientis Effervescentiæ naturam &cauſas dilucidandas proponamus,conſiderandum inprimis Quid peculiare ſit Arthritidi præ cæteris affectibus omnibus Febrem comitem habentibus, quo inde eliciatur quod lucem nobis afferat; *Peculiare autem Arthritidi eſt dolor circa articulos hærens*,iſque differens 1.ratione vehementiæ majoris aut minoris, 2. ratione adjuncti *caloris*; ejuſque majoris vel minoris vel minoris, cum aliquando nullus adſit,aliquando vehemens,3.ratione *Tumoris* itidem majoris vel minoris,nam etiam nullus aliquando obſervatur, 4. ratione Coloris, qui nunc rubeus, quandoque pallidus,vel minime à naturali mutatus. 5.ratione *Motus* magis vel minus impediti. 6.ratione *durationis* majoris vel minoris. 7. ratione nodorum ſuccreſcentium,aut nullorum. 8.ratione *volatilitatis* aut *fixitatis*, cum alias in una ſede fixus maneat dolor, alias ab uno articulo vagetur & properet ad alium vel alias. Atque *ex dolore Articulorum*,utpote Arthritidi peculiari deducimus 1. Cauſam ejus habere in ſe *qualitates ſenſui externo*,& quidem *Tactui & Coloris ſenſui* moleſtus,cum illi ſoli afficiantur. 2.Cauſam eandem affinitatem habere cum ea *Sanguinis parte*, quæ in ſui circulatione deferri ſolet ad *partes articulorum ligamentoſas & membranoſas*, quæque ob vitioſam ſui conſtitutionem in ipſis hæreat, & ob qualitatem ſenſui moleſtam dolorem in ipſis pariat: iſque cauſa efficiens Arthritidem deducitur ex *ſanguine*, poſtquam: uti dictum, cum mox præcedente aut comitante febre producitur; Nullam autem febrem niſi ab iis quæ cum ſanguine ad cor pergunt: excitari in confeſſo eſt, facili ſaltem negotio probari poſſet. Si ex *ſanguine Arthritidis cauſa* deducitur,neceſſe eſt aut omnem ſanguinem eſſe in culpa, aut quoſdam ejuſdem partes: *Omnem ſanguinem* non eſſe vitioſum, vel inde patet, quod ante & poſt paroxyſmum pleri que arthritici ſint ſatis ſani, Unde iterum patet eos qui extra paroxyſmum male habent, præter arthritidem alio inſuper laborare affectu, qui non raro curatu difficiliorem facit Arthritidem, Cum proinde quædam duntaxat ſanguinis partes vitioſæ ſint in Arthritide; producenda, neceſſe eſt vitium illud exiſtere in partibus ad *ligamenta & membranas* articulorum delatis; aut illis ſaltem eſſe admiſtas: Ad ligamenta & membranas peculiariter deferri dicuntur illæ ſanguinis partes quæ illorum nutritioni inſervire debent, quamvis non ſit negandum ſanguinis maſſam promiſcue propelli ad quaſvis partes. Interim nec hoc negandum *Sanguinis maſſam eſſe quid confuſum*,non *permiſtum*, cujus ſcilicet partes multum inter ſe diverſæ, quippe diverſis oſſibus deſtinatæ; confluunt quidem ſimul per eoſdem canales, facile tamen ab invicem ſecedere poſſunt; Sed nec hoc negandum, Inter diverſas illas ſanguinis partes alias penitius, alias laxius conjungi cum aliis, Sic partes aquoſæ penitius copulantur ſalſis vel ſpirituoſis, laxius oleoſis aut terreis, & quidem ob rationes ex Phyſicæ ſcientiæ fundamentis & principiis veris deducendas, & per experientiam quotidianam confirmatas & confirmandas utique toto cœlo mihi videntur errare, atque parum rationi aut experientiæ conſentanea proferre, qui perſuadere conantur, *Sanguini contingentem in corde mutationem, vergere ad intimam partium ejus omnium permiſtionem, atque excrementitiarum quarundam tanquam inutilium ſecretionem*, cum plane contrarium ſuadeat Ratio evincat Experientia: Cum enim ſanguis in corde non longiore & protracta fermentatione, aut Digeſtione potius elaboratus, ſed momentanea Effervescentia perfectus pluribus inſervire debeat uſibus, & longe diverſiſſimis liquoribus materiam ſubminiſtrare(neque enim tantum partium corporia omnium plurimum differentium nutritioni materiam conferre diverſam debet Sanguis, ſed inſuper in cerebro ac Cerebello ſpiritibus animalibus, in Pancreate ſucco Pancreatico; in Glandulis maxillaribus Conglomeratis, tam ſuperioribus quam inferioribus, Salivæ, in cæteris Conglobatis Lymphæ, ac meo judicio in Veſica Biliaria Bili, in Teſticulis Semini &c. materiam promere) nonne decet partes ejus eſſe tam laxe diſpoſitas & compoſitas,ut ubique facile ſecedant illæ quæ in hunc aut illum liquorem abire debent? ſuadet proinde, & tantū non perſuadet ratio Sanguinis partes non requiri intime ſed laxe cōjunctas. Experientiam vero ſi inſuper conſulas, teſtabitur ipſa ſanguinem vel maxime laudabilem ſaniſque ex apertis vaſis extractum, ſponte ac brevi in partes varias, tres

ſaltem

ſaltem notabiles ſecedere, Caſeoſam ſubſidentem, Butyroſam, ſuperficiem legentem, & Seroſam plurima continentem & toti maſſæ circumnatantem: Quis vero obſervavit Liquorem aliquem, ex partibus diverſis confuſis conſtantem non fermentatione, (hæc enim ſeparationem partium producit, nullam conjunctionem) ſed Digeſtione diutina in unam maſſam redactum & ſibi relictum, non dicam paucis horis, ſed multis diebus ſeptimaniſve ſponte in partes varias iterum ſecedentem? Poſtquam ergo & ratione & experientia conſtat ſanguinis partes tam multifariis uſibus deſtinatas non requiri, ſed nec inveniri intime ſimul, ſed laxe duntaxat conjunctas, & quaſi confuſas, nemini valde mirum videri debet, ſi dum tota ſanguinis maſſa, à fermento febrili inquinata, prout ab illo hæc aut illa ejus pars, cum hac aut illa corporis parte majorē affinitatem habens magis inquinatur, & à laudabili ſua conſtitutione pervertitur in ipſa etiam hærens moleſtiam, dolorem anguſtiam &c. producit; Hinc accidit ut in quibuſdam febribus infeſtentur ægri, nunc nauſea & vomitu, nunc ventris diſtenſionibus ac torminibus, nunc etiam aliquot alvi dejectionibus, nunc ſiti, nunc etiam fame, nunc inquietudine & corporis jactatione, nunc cordis Palpitatione, nunc anhelatione, nunc tuſſi, nunc capitis gravitate, pulſatione aut dolore, nunc vigiliis, nunc ſomno, nunc delirio. eoque vario, nunc dolore membra contundente, oſteocopo dicto, nunc circa *Articulos dolore* plerumque intolerabili: Quis autem tam variis ſymptomatibus, tam raro ſimul in eodem ægro concurrentibus, ſed modo pluribus, modo paucioribus Febres comitantibus rite obſervatis atque expenſis, non agnoſcet adſcribenda eſſe iſta omnia diverſitati materiæ febrilis, & quidem pro relatione & affinitate quam habent cum partibus tunc magis affectis? Hæc vera ejus diverſitatis cauſa ſi non ſit, aſſignetur alia corporis fabricæ convenientior, tam difficultatibus omnibus removendis apta, tam curationi legitimæ conformis. Illud ergo in Glandulis paratum fermentum febrile, ſanguini communicatum, febremque pariens, aut per ſe eſt cauſa doloris articularis, dum ligamenta membranoſa circa articulos conſiſtentia pertranſiens illis adhæret, atque in ipſis dolores producit; aut per accidens ejuſdem doloris cauſa eſt, quatenus cum cæteris ſanguinis partibus in corde, aut Bile atque Pituita in tenui inteſtino efferveſcens, illas ita afficit ut acrimonia noxia inde reſultet, quæ ad articulos delata, & ibi hærens, Dolores producat, Arthriticos: Cum autem fermentum illud febrile, juxta ſuperius dicta, *conſiſtat in aliqua ſucci Pancreatici parte, in quibuſdam ejus glandulis aut ductibus retenta & vitiata, vel Lympha itidem in quibuſdam Glandulis conglobatis retenta & corrupta adeoque, acriore facta, h. e. aciditate nimia moleſta*, ubicunque *ardor* conjunctus eſt dolori arthritico, quem *à Bile* petendum duximus, *ibi præter ſuccum Acidum & Bilem ſimul peccare in corpore, vel in paroxyſmo ſaltem, atque Efferveſcentia febrili ita depravari putamus, ut inde calor ille ſimul moleſtus producatur, dum tamen potiſſimam doloris arthritici cauſam ad Acido deducimus.*

Dolorem igitur Arthriticum proprie ac primario deducimus *à Succo Acido acriore, à Lympha* præſertim aut *ſucco Pancreatico vitiatus* originem ſuam habente: *Ardorem* vero plerumque Arthritidi conjunctum *à Bile* itidem *vitioſa*, vel ſaltem ex febrili efferveſcentia vitiata oriri putamus: Atque his ita conſtitutis non difficile erit Differentiarum ſupra enumeratarum cauſas reddere, (quas vide § *Differentia*) *Fr. Sylvius.*

13. *Humor ſeroſus, ſalſus, acris, tartareus, aliquando ſanguini &c.*) Quoad materiem morbificam, videtur inprimis, nec *ſanguis*, nec *ſuccus nerveus*, per ſe eſſe, nec etiam unicus aut ſimplex humor, ab eorum alterutro depoſitus: *Sanguinem* ab hoc cenſu eximimus: (*vide inferius §. ſanguinea, in qua ſimul Sanguis*) *Succum Nerveum* (utcunque acris aut acidus, videlicet pungitivus vel velliçans ſupponitur, dolores arthriticos per ſe non excitare conſtat, quia tunc affectus æque in aliis quibuſque partium nervoſarum ductibus, ac in oſſium internodiis dolores accerſeret, Propter eamdem rationem improbabile eſt, humorem, aut materiem quamvis ſingularem, excrementitiam, aut ſuperfluam à *ſanguine*, vel *ſucco nerveo* depoſitam, dolores arthriticos inferre; quippe ſi talis ſolummodo per nervos deferretur, non primum in pede, aut articulis extremis, verum in toto itinere nervoſum genus irritando, ἀλγήματα ſeriatim & tractu continuo excitaret: Neque præterea impuritates quædam à ſanguine efferveſcente deciduæ, & ab articulis ſuſceptæ, accuſandæ (*vide §. Fluere 1. primario ab hepate*) Cum itaque *humor* quiſpiam ſingularis (qualiſcunque ſupponitur eſſe) pro inſultus arthritici apparatu, haud ſatis efficax videtur, ſtatuamus oportet in morbi hujus *foco*, ſive *minera*, (ſive unica ſive multiplex fuerit) ſuccos plures fermentativos, & non facile miſcibiles coire; deinde ex eorum lucta & efferveſcentia fibrarum nervearum vellicationes dolorificas exoriri; Siquidem autem experimento ſatis vulgari conſtat, *ſales in ſtatu diverſimodo poſitos*, alios nempe *fixos*, ſive *alkaliſatos*, alioſque *fluorem adeptos*, ſive *acetoſos*, invicem commiſſos admodum ebullire & efferveſcere, eorum humiditate in coagulum album & duriuſculum faceſſente, prout inſtantia notiſſima quando *ſpiritus vitrioli oleo tartari* affunditur, manifeſto liquet, quidni pariter ſimile quiddam in paroxyſmis arthriticis fieri putemus? nempe à liquorum, qui ſunt *diverſæ indolis ſalinæ*, pugna & mutuo conflictu fibras nerveas acriter pungi & irritari, & demum à variis utriuſque ſucci coagulationibus *materiam tophaceam calculoſam* in locis affectis interdum congeri.

Ut *genuinam Arthritidis materiem* apte deſignaremus, huc referri oportuit, quæ alibi de partium ſolidarum nutricatu à nobis dicta ſunt, Enimvero in munus illud tum *ſanguinem*, tum *liquorem nerveum* tributa ſua conferre oſtendimus, nempe cum *Succus nutritius è ſanguine* per *arterias* ad omnes potius corporis partes defertur, *liquorem alterum à cerebro* per *nervos* eorumque appendices diſpoſitum, priorem illum actuare, & velut ſpiritu afflato, proinde ut fœcundius & quaſi fertilis factus, in partis alendæ toros & meatus facilius inſinuetur, ejuſque ſubſtantiæ aſſimiletur: Quæ ſuper his olim fuſe diſſeruimus, non opus erit hic repetere, quod ſpectat ad rem præſentem, advertimus *humorem nutritium* à ſanguine diſtributum, è *ſpiritu pauxillo, aqua, terra* & *ſulphure* copioſis, atque *ſalis* aliquatenus *volatiliſati* modico conſtare; porro dum materies nutritia diſtribuitur, ſiquidem particulæ ejus cuique parti alendæ proportionari, & juxta ipſam manere debet idcirco dum *ſpirituoſa cerebro*, & *ſulphureæ carni, parenchymatis* & *pinguedini* deſtinantur, maxime *ſalinas* & fixiores circa oſſium internodia deponi, iiſque dein, *liquore nerveo*, fœcundante, aſſimilari oportet. Quod ſi propter *ſanguinis dyſcraſiam* vitioſam particulas ſupra modum ſalinas & fixas in articulis deponi contigerit, iiſque ob incongruitatem haud ſtatim aſſimilari, brevi in aggeriem, ſive *mineram* quandam *morbificam*, accreſcent; attamen non propterea *paroxyſmus arthriticus*, ſed membri affecti gravitas ſolum & languor excitari ſolet, quæ ſæpenumero abſtinentia, aut exercitio, aut pharmacia tolluntur, particulis extraneis diſcuſſis, vel in ſanguinem reſorptis. Sin vero *liquoris nervei* à volatilitate in *fluorem* ſive *acetoſitatem* degeneris *particula*, fluxionibus ſubinde exortis, uberi nimis copia in

articulos deſcendunt, quatenus ibidem *illa* cum *minera ſalina*, ſive *lixiviali* prius aggeſta efferveſcunt, *paroxyſmos arthriticos* ciebunt.

Itaque *materies ſalina*, ſive *tartarea*, à *ſanguine arterioſo* circa oſſium intercapedines depoſita, morbi hujus quaſi *ſemen fœmininum eſt*, quod tamen, uberi licet copia aggeſtum, per ſe infœcundum prorſus (quaſi ovum ſubventaneum) exiſtit, donec *liquor nerveus* turgeſcens *excrementave acetoſa*, à ſe decidua, in prioris focum dimittit, quæ velut *ſemen maſculinum*, mox alterum prolificum reddunt: Nam in quantum binæ iſtæ particulæ, quæ diverſi ſtatus & originis ſunt, occurrunt, & mutuo congrediuntur, membranarum ac tendinum fibras vellicant, adeoque paroxyſmum arthriticum cient; cujus ſedatio à particularum utriuſque generis acriū mutua ſua actione & difflatione omnino depēdet.

His de Arthritidis *ratione formali* & *cauſa conjuncta* ita ſtatutis, ad cauſas ejus *procatarcticas* adhuc clarius explicandas procedamus: Has autem dicimus eſſe *materiam ſalinam* è *ſanguine* in *articulis* depoſitam, atque *recrementa acetoſa*, è *nerveo liquore turgeſcente* in eundem focum demiſſa. Primo itaque *mineram* ejuſmodi *ſalinam*, circa *oſſium intercapedines* deponi, plane arguitur à ſubito ac improviſo morbi inſultu, ejuſque ſolutione difficili: quippe materies haud ſimul ac ſemel tam uberi copia in locum affectum influeret, ut paroxyſmum ita gravem ac diuturnum excitare poſſit: Præterea ſi quidem dolores intra aſſuetum uſque focum repetunt, videtur eorum *fœtatio* ab *ovo* alicubi prædiſpoſito certiſſime pendere: Quod autem materies iſta non ſit mere *excrementitia*, ſed *ſucci nutritii* verſus ſalem fixum degeneris portio, partibus ibidem oſſeis deſtinata, conjicere licebit, quoniam humor mere excrementitius loco affecto moleſtiam continuam & tumorem inferret; Inſuper hoc plane convincitur ab *Arthritidis curatione* per *torturam*, aut *amputationem* adhibita; quippe authores fide digni in ſcriptis referunt, membro, cui ægritudo inſidere ſolebat, amputato, aut graviter vulnerato, morbum ſine recidiva ceſſaſſe, pariter quidem ac *odontalgia* graviſſima ac diuturna, avulſo dente affecto, ſæpiſſime curatur. Quod ſi *humor arthriticus* (uti vulgo fertur) *bilioſus* aut *pituitoſus*, aliuſve mere excrementitius eſſet, iſte mox ad aliud membrum, poſtquam prius affectum amputaretur, affluens, mineram ibi novam excitaret: hoc autem in *articulis* quibuſdam aſſuetis ſolum modo contingit, quatenus pars hæc vel illa debilior facta portiones quaſque fæculentiores facilius in ſe admittit, eaſque neque aſſimilans, nec amandans, in mineram morbificam accreſcere ſinit: Porro in eandem partem, propter debilitatem ejus, etiam *humoris nervei* recrementa acetoſa promptius decumbunt.

Cæterum ad morbi hujus *procatarxin ſalinam* in articulis iaciendam, haud tantum *membri* affecti debilitas, ſed longe potius ac prius *ſanguinis dyſcraſia* confert: Vtriuſque rationes & fiendi modos expendamus: Et 1. *Sanguinis* culpa eſt, quod elementares ejus particulæ, & præſertim *Salinæ*, in ſtatu idoneo non fuerint: Illæ nimirum intra maſſam ſanguineam mediæ infra *fixitatem* & *volatilitatem* conſtitutionis eſſe debent: *Fixæ* dicuntur, quando ſulphuri ac terræ combinatæ, iis pertinaciter adhærent; prout obſervare eſt in *urina* recenti ac cruda, è qua per deſtillationem nec *ſalem* neque ſpiritum facile prolicies; atqui particulæ *ſalinæ* volatiliſantur, quando *ſulphure* ac *terra* relictis ſpirituoſis adhærent cumque ipſis avolant, uti cernitur in *ſpiritu urinæ* poſt longam digeſtionem deſtillato; dein media inter hæc conſtitutio eſt, quando *particulæ ſalinæ* à partibus *ſulphureis* & *terreſtribus* laxantur adeo & diſſociantur, ut data occaſione à *ſpirituoſis* facile apprehendi & una aſcendere poſſint; ſicuti habet in *urina* per digeſtionem *putrefacta*, à qua leviſſimo calore *ſpiritum* & *ſalem* urgebis: Pariter in corpore animato particulæ ſalinæ 1°. intra chylum in fixitatis gradu eſſe videntur, è quo tamen per coctionem in viſceribus rite peractam paululum evadere incipiunt. ij. In *ſucco nerveo* iſtæ volatiliſantur, atque iij. in *maſſa ſanguinea* conſtitutionis mediæ ſunt, nempe quæ *circulatione* diuturna, vel digeſtione exaltantur, adeo & *volatiles* fiunt, ut partim particulis *ſpirituoſis* aſſociatæ, cumque iis in cerebrum exſtillatæ, in *ſpiritus animales* evadant partimque in *ſuccum nutritium* una cum *ſulphureis* aliiſque abeuntes, *partibus ſolidis* inter alendum accreſcant.

At vero interdum accidit particulas *Salinas*, ſaltem non omnes, intra maſſam ſanguineam rite exaltari, verum intra fixitatis ſtatum manentes pluribus morbis ortum aut ſomitem præbere: ut nihil de *Scorbuto*, *hydrope* aliiſque multis in præſenti dicamus, ſuſpicari licet affectus articularis prima velut ſeminia ab hac cauſa pendere: Quippe cum *ſuccus nutritius* oſſium capitibus (ubi maxime excipitur) deſtinatus, ſale plurimo conſtare debet, neceſſe erit particulas ejus, ſi quidem nimis fixæ & craſſiores intra poros & meatus ſtatim admitti nequeunt, in mineram morbificam excreſcere; Quod inſuper facilius ac ſæpius contingit, ſi corporum juxta conſitorum fibræ debiles, aut infractæ; ſe corrugando, quod ſuperfluum aut moleſtum eſt, excutere nequeant.

Quod ſpectat ad cauſas προηγουμένας aut *Evidentes*, de quibus *Liquor nutritius* è *ſanguine* articulis allatus, *ſale fixo* nimis imbuitur, & ob quas hæ partes, ob ſuſcipiendum quod iis improportionatum eſt, nimis promptæ & faciles evadunt, illarum præcipuas, cum variæ ac multiplices fuerint, breviter, perſtringemus.

Et primo *diſpoſitio Hæreditaria* utramque labem producere ſolet, quippe arthritici utplurimum gignunt arthriticos, atque morbus hic à parentibus in natos deſcendens, in utriſque non modo pares fructus, & circa eaſdem ætatis periodos, maturatos habere ſolet, ſed plerumque in iiſdem membris radices agit primas, & ſimiles ubique progreſſus obſervat. 2. Cæterum vero *diathesis arthritica*, abſque labe originali, ſæpe ob *malam victus rationem*, & *errata in ſex rebus non naturalibus* infertur; nam qui crapulæ & compotationibus dediti multum ac inordinate comedendo & bibendo genio indulgent, atque inprimis ſi alimentis ſalſis & opiparis veſcuntur, & vini pocula copioſe hauriunt, facile hunc morbum contrahent: Etenim hoc ritu *chylus* non niſi indigeſtus, atque particulis efferis & inidoneis præditus, in viſceribus paratus, dein à largiori vini potu craſſamenta ſalſa, & fæculentiæ heterogeneæ, quæ alioquin in primis viis ſubſiſterent, nimis exaltata, in ſanguinem deferuntur: quibus in victu enormitatibus, ſi vita ſedentaria, otium, & ſomni meridiani accedunt, proinde ut nec ſuperfluitates exhalent, nec impuritates ſalinæ, quo minus circa articulos ſubſidere poſſint, ab exercitio diſflentur, certe plus nimis hujus ſeminis alchaliſati in uberem morbi Articularis ſegetem confeRetur.

3. *Articulorum debilitas*, & diſpoſitio arthritica, non tantum hæreditaria, ſed propter varias προφάσεις crebro excitatur: Materiæ morbificæ decubitus hanc ſæpe inducit; nam ſi forte contigerit in hac aut illa parte primum arthritidis paroxyſmum extitiſſe, in idem poſtea membrum humor peccans facilius decumbet, & brevi quaſi nidum ſuum, ubi ova continue deponantur, conſtituet; Propterea item *ſolutio continui*, aut noxa à

frigo-

frigore aut *madore*, *plaga* aut *luxatione* articulo cuipiam inflicta, non raro diatheſin arthriticam ciet.

ij. At vero ut *ſanguis mineram ſalinam* pro ſemino morbido conferat, & articuli eam prompte ſuſcipiant & recondant, hic tamen apparatus, abſque *ſeminis alterius* acceſſu, inſtar ovi ſubventanei omnino ſterilis & infœcundus perſtat: quia ad morbum hunc in actu conſtituendum, requiritur ut *liquor nerveus* forte turgeſcens, impuritates *ſalinas* alterius conditionis, nempe *acetoſas*, efferveſcentia quadam deciduas mineræ priori quaſi ſuccendiculum ſuffundat, Quare alteram morbi Arthritici procatarxin in *humore nerveo* ejuſque *affluxionibus acetoſis* ſtatuere viſum eſt: Et quidem *liquoris* hujus particulas *ſalinas* à *volatiliſatione* in *fluorem* degeneres, *acidas* evadere, pluribus inſtantiis & rationibus ſæpe oſtendimus: Attamen ad morbi hujus apparatum, non requiritur totam *ſucci nervei* maſſam continue acetoſam exiſtere; verum ſufficit ejus vel portiones in *cerebro*, aut alicubi in nervoſo genere depravatas, vel recrementa hic illic depoſita, ejuſmodi indolem contraxiſſe, à quibus poſtea turgeſcentibus, cum *particulæ acidæ* ad mineram *ſalinam* in *Articulis* reconditam accurrunt, modo prædicto *paroxyſmum arthriticum* cient.

Enimvero *fluxiones acetoſas*, ab *humore nerveo* profectas, crebro accidere, inſtantia, ſive experimento notabili liquet, viz. frequenter adverti *nervoſi generis* pathematis obnoxios, quandoque levem in toto corpore rigorem (qui partium fere omnium nervoſarum corrugatio eſt) paſſos fuiſſe; & deinde ſtatim *affectionem ſpaſmodicam* ſucceſſiſſe, quo tempore urina valde copioſa, & limpida, quæ ſaporis *lixivialis*, aut *nitroſi* (quem alias ſemper habuit) expers, valde *acetoſa*, quaſi merum acetum eſſet, reddebatur; indicio ſane luculento, humorem in partibus nerveis ad plenitudinem aggeſtum, & turgeſcentia oborta commotum, *affectiones* ſpaſmodicas intuliſſe; cumque iſtius portio exundans in glandulis deponeretur, mox illinc *venarum*, aut *lymphæ ductuum*, commeatu in ſanguinem reducta, urinæ acetoſæ profluvium excitabat: Pariter equidem ab eodem humore in minori copia turgeſcenti, ac inde intra ductus nerveos manente, inque *articulos* ſubſidente, inſultus arthriticos exoriri putamus.

Profecto *materiæ Arthriticæ* partem à *cerebro* & *nervis* procedere, argumentum eſt quod plerique huic morbo obnoxii, cum paulo ante paroxyſmum de *capitis gravitate* & *hebetudine*, cum *vertigine* & *ſomnolentia*, querantur, quamprimum dolores arthriticos pati incipiunt, velut nubibus à cerebro diſcuſſis, ingenio mox liberiore cum magno & inſolito acumine fruuntur: Præterea cum morbi hujus inveterati quandoque plures ſunt *mineræ ſalinæ*, in diverſis membris diſpoſitæ, obſervare eſt, dolores utplurimum loca ſuperiora primum invadere, & dein gradatim ad reliqua deſcendere; quare cum initio forſan *vertebræ cervicis* laborant, mox brevi poſtea *ſcapulas*, aut alia *brachii membra*, dein *lumbos* aut *Iſchiada*, ac ultimo *crurum articulos*, primo hos, deinde inferiores morbus occupabit.

Cauſæ Evidentes, quæ reſpectu *humoris nervei* paroxyſmos arthriticos cient, *vel* particulas, & portiones in acetoſitatem pervertunt, vel eas, prius degeneres, in fluxiones concitant. 1. *Liquores acidi*, uti vina tenuia, pomaceum, cereviſia vetuſta ab arthriticis (experientia magiſtra) cane pejus & angue vitantur, Nam ejuſmodi potus non modo latentem affectus cauſam in actum deducunt, ſed particulas acetoſas plures, cerebro ac fibris nerveis ingerendo, fomiti ejus contribuunt & materiam morbificam adaugent. 2. *Immodica* aut *intempeſtiva corporis exercitia* violentæ *paſſiones*, *venus* immoderata, & *victus* inordinatio, quæcunque inſuper ſpiritus & humores valde perturbant, aut exagitant, proindeque *ſucci nervei*, aut recrementorum ejus fluxiones concitant, *dolores arthriticos* inducunt. 3. *Evacuationes* ſolemnes ſuppreſſæ, item *frigoris* & *madoris* admiſſio, quatenus hac ratione *ſanguis*, & per conſequens *liquor nerveus efferveſcentias* & *fluxiones* concipiunt, morbi iſtius inſultus accerſunt. 4. Propter eandem rationem *Cœli* ac *aeris* mutationes, necnon anni Ἰεσπαὶ, dolores arthriticos inferre ſolent, ut in Proverbii conſuetudinem venerit, *Podagricos ephemerin ſuam in articulis geſtare*, & tempeſtatum prognoſtica certiſſima ab algematis ſuis deducere: Nam quoties anni conſtitutio humida, ac flatus auſtrini, aut boreales, aut nives imminent, à dolorum acceſſionibus hæc prædicere ſolent: Porro ſingulis anni quadris, præſertim vere & autumno, gravius plectuntur: Quamobrem Æquinoctia ab iis ſemper religioſe obſervantur, Horum ratio partim in eo conſiſtit, quod διαπνοὴ propter aëris & anni mutationes varie alteratur; idcirco enim effluvia, quæ tranſpirare ſolent cohibita, *ſanguinem* & *humorem nerveum* fermentant, eoſque in fluxiones arthriticas, facile concitant; Præterea corporum noſtrorum humores, uti & vegetabilium ſucci, aliique liquores, naturales aut artificiales, juxta temporum mutationes diverſimode efferveſcunt, atque varios modo *fixationes*, modo *volatilitatis* aut *fluoris* ſtatus ineunt. *Willis.*

23. *Acris*) Vt cauſam Efficientem Arthritidis veram aſſignemus, obſervandum Dolorem utplurimum adeſſe acrem, non tamen ſemper, eundemque dolorem cum ardore occurrere fere conjunctum, raro ſine calore, quocirca etiam anodynis ardorem ſimul temperantibus inprimis ipſum demulceri; Vnde facile patet; cum à cauſa interna ad locum affectum aliunde delata, oriatur ille dolor, ipſum pro cauſa efficiente neceſſario agnoſcere *Humorem Acrem*, & quidem, quoties *cum ardore* conjunctus reperitur, *Bilioſum*, *ſale* ſaltem *lixivo*, vel *fixo* vel *volatili abundantem*, ac *ſeroſum*: Quoties autem ardor ipſi comes non adeſt, toties ſi *Dolor acris* extiterit, *Humorem Acidum* exiſtere; Quoties vero nec *ardor*, nec *acris dolor* urget, toties *humorem pituitoſum* inprimis peccare, à quo, præter tumorem ſubœdematoſum major excitatur motus impotentia & gravitas quam dolor. *Fr. Sylvius.*

a Tartareus) *Paracelſus* Tartarum principalem cauſam hujus affectus conſtituit, quem ita in humano corpore ſalia ſua purgare docet, quemadmodum herbæ & frutices virorem & flores producunt, *Tartarus* eſt duplex, reſolutus & ſolidus, *Reſolutus* fluidus eſt communiſque eſt ſudorum, urinæ, lacrymarum materia, qui quo acriori & mordicantiori ſale fuerit imprægnatus, quod cum primis fit ſi ille ſecretus, nec copioſo humore dilutus fuerit, eo acutiores, intenſiores, vel remiſſiores dolores: *Salia* autem corroſiva & acria ſpiritibus ſuis acutis dolorem inducere cum membranoſas partes vellicant, veriſimile eſt; Spiritales quoque Tartari evaporationes penetrandi vi ſumma præditæ ſunt, doloreſque hos afferre queunt; *Solidus* Tartaro vini doliis adhæreſcens ſimilis eſt, qui in articulis concreſcere poteſt, ut ægri lapidicinas circumferre ſoleant: *Foreſtus Obſ. 10. l. 29.* teſtatur in Noſocomio Delphenſi pauperem decubuiſſe, qui in articulis craſſam induratamque materiam inſtar cretæ eximebat, qua parietes & tabulata depingebat, non aliter ac ſi creta alba eſſent depicta: meminimus in Noſodochio Romano, idem nos obſervaſſe: Concreſcit autem Tartareum hoc ſerum à ſpiritu & ſucco ſalino, qui cum materia ſimul habitat, cujus vi coagulum materiæ tandem obrigeſcit, ac in lapideam

duritiem vergit. *Rolfincius.* Vide §. Accedente *vitioſa viſcerum) ex Paracelſo.*

24. *Bili*) An Bilis primario peccet in Arthritide Vide §. *Sed humor ſeroſus, ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*

25. *Pituita*) *Galenus x. de comp. med* X. T. ait aliquando quidem confluere materiam pituitoſam, & illam quidem, quatenus ad ejus naturam pertinet, craſſam & crudam, quæ interdum magis pus imitari ſubſtantia vel conſiſtentia videtur quam Pituitam: Hanc quoque alii recipiunt, Et ſi quis objiciat, quomodo igitur & defluere per ea, per quæ defluit loca, recipique in articulorum loca poteſt adeo craſſa & lenta materia? Reſpondeo eam ſemper intermiſtas habere aliquas alterius calidi & tenuioris humoris partes, à quibus aliquantiſper attenuata, & quaſi eliquata fluidior redditur; quo fit deinde, ut ſæpe evaporantibus calidioribus partibus pituitæ, immiſtis ad craſſitiem & lentorem priſtinum, imo & aliquando majorem reverſam, præſertim ſi acceſſerit importunus uſus eorum medicamentorum quæ plus juſto calefaciant & deſiccent, in tophos circa articulos concreſcat, & frequentior eſt iſtius generis materiæ defluxus ad articulos, *Rolfinkius.* Adde, ſiquidem partium, quæ articulos conſtituunt, alimentum craſſum ſit & terreſtre, pro natura partium ejuſmodi, illucque viam ſibi paret, nihil admiratione dignum ſi & humores craſſiores illuc confluunt.

Sanguini Bili) *Galenus* lib. 10. K. T. ait Aliquando confluere materiam pituitoſam, ſed non minus & *Sanguineam* materiam, quandoque, aut cum aliquo iſtorum, mixtam *Bilem*: Vnde inſinuare videtur ſolam Bilem non concitare dolores, ſed tantum ſi cum ſanguine, vel cum pituita, vel cum utriſque ſit permixta, & id fortaſſe bona ratione, quia cum ſit tenuis admodum, quando ſola eſt non fertur in profundum, ſed ſemper verſus cutem extimam fertur; quod indicat Eryſipelas, quod ſummas particularum partes occupat. *Rolfincius.*

26. *Cyprinorum*) Novit podagricum *Jul. Alexandrinus*, ut refert lib. 15. c. 6. de ſalubr. cui cyprinorum eſu pinguium parata ſemper erat podagra, ut in manu illi eſſet eo pacto accerſere cum vellet.

27. *Vinorumque tartareorum*) Vide §. *Salſus, acris, tartareus*) ex *Etmullero.*

28. *Vinorumque tartareorum*) Quales Potus excitent Arthritidem, vide §. Humor *ſeroſus, ſalſus, tartareus &c.* ex Williſio & §. *Diætam convenientem, in qua aëris &c.*)

29. *Accedente vitioſa viſcerum &c.*) Hæc & ſequentia de ſchola *Paracelſi* deſumpta ſunt, Omnia, *inquit*, quæ terra producit ſunt lapilloſa, Stomachus autem ſtatim ubi ad ſe recipit comeſta & ingeſta, ſeparat impurum à puro, quod nutrimentum eſt; Si fortis eſt ſtomachus, purum tranſit ad membra nutrimenti cauſa, impurum per ſeceſſum exit: Si ſtomachus debilis mittit impurum etiam ad hepar, ubi quoque ſeparatio fit; Si hepar forte, recte ſeparat, & ſimul mittit mucilaginoſum cum urina ad Renes; Si hi bene ſeparant, recte eſt, ſin minus, remanet in iſtis mucilaginoſum & lapideum, & coagulatur in arenam, quam Tartarum voco: In Aqua eſt materia lapidea, ſicuti ſi diu bulliat, vel deſtilletur, adhæret ut Tartarus in vaſe: Tartarus ſæpe per alvum exit: Si vis expulſiva debilis eſt, vis ſalis coagulativa facit Tartarum: Tartarus poſt primam digeſtionem, ut dixi, quæ fit in ſtomacho, tranſit ad ſecundam ſeparationem & digeſtionem quæ fit in Renibus; poſtea nulla eſt ſeparatio aut digeſtio, ſed illud ſal, quod deſcendit ad Renes, ſal ſcilicet reſolutum jacet in renibus & ſeparatur, ſuperfluum expellitur in veſicam, & mingitur, Si vero ſeparativa & digeſtiva virtus in Renibus non eſt perfecta, jacet in Renibus, hinc morbi: Vrina non eſt niſi ſal, ſic ex petra naſcitur ſal petræ, ſic ex urina coquitur lapis & ſal nitrum: Vt dixi generatio Tartari venit ex defectione ſeparationis ſtomachi vel hepatis, Homo habet in ſuo corpore ſal, Sal Sanguinis eſt amarum, Sic ergo jectigatio venarum eſt ex oppilatione Tartari in venis, & ſic ſæpe fit quod vena inciſa non fluit; Tunc dicunt noſtri quod melancholicus ſanguis ſit, quod non eſt verum, ſed eſt Tartarus qui oppilat, ideo bis aut ter vena ſecanda eſt, magis verſus principium obſtructionis, donec fluat; vel imponendum quod Tartarum internum reſolvat; nam ſi ſanguis ille lavetur, invenies lapillos, ideo non ſolum arena eſt hæc, quæ per urinam tranſit, ſed ea ubique eſt: Sic & in oculis ſæpe naſcuntur lapides, nam liquor ſalis qui eſt in capite, ſedere poteſt ad oculum, Ita etiam in vulneribus capitis ſæpe vidi lapillos albos emplaſtris adhærentes: Quando Natura ſe ipſam purgare vult, purgat ſe per ſudorem, ſudorem externum ſi guſtaveris, ſalſus eſt, & ſi in vitro lente permiſeris ſiccari, videbis lapides: Vide *Sennertum* qui & hinc deſumpſiſſe videtur.

30. *Vitioſa viſcerum*) Ex depravata digeſtione prima deducit *Tachenius*, Vide §. *ſalſus, acris, tartareus*) ex *Etmullero.*

31. *Permiſcetur ſanguini*) An humor ſincerus extra venas in articulos illabatur, oſtendit *Pet. Salius Deverſus*, Dicunt, *ait*, venas ab externis jugularibus deductas, extra calvariam ſub cute ſua excrementa tenuia & ſeroſa deponere, Quod idem cum cæteræ venæ terminantes ad articulos poſſint vi facultatis expultricis agere, non erit dubitandum quomodo extra venas traduci poſſit ſincerus humor, qui cum iis affirmantibus poſſit eſſe frigidus, nihil refragatur quod etiam poſſit eſſe calidus, qui ratione ſuæ caliditatis facilius frigido in articulos deponi poteſt: Nec eſt quod ſi unus humor extra venas tranſmittatur cum eo, ſanguis ei commixtus tranſmitti etiam neceſſario debeat, quoniam hoc fit vi facultatis naturalis, quæ noxium & ſuperuacaneum tantum excludit humorem: alias in quacunque expulſione omne humoris genus promiſcue & una commiſtum educeretur nunquamque daretur humor purus vel à ſanguine, vel à bile, vel ab alio humore: Animadvertatur tamen quod cum concedimus ſyncerum humorem extra venas in articulos decidere, non credatur ita ſemper ſincerum eſſe ut nullius mixtionem unquam admittat, ſed ſyncerus dicitur à prædominio, quoniam vel nihil vel parum quid ei commixtum eſt.

32. *Et quia ſimul ad ſpirituum naturam accedit*) Acido arthritico ſpirituoſo cum ſpiritibus quavis occaſione inſignius commoto, quod v. g. in motu corporis, aut animi, aëre frigido, humido, pororum aperturam debitam prohibendo, poſt effervefcentiam in ſanguine febrilem, inprimis ſe inſinuat ſynoviæ, & hujus medio articulorum loca affligit, & cum hac ipſa ſimul aliqualem probabiliter effervefcentiam facit, donec acido ſpirituoſo maximam partem ab eadem intra articulos ſuſcepto, ulterius illa ſpirituum & humorum ceſſet agitatio, ſed in articulis malum adhuc hæreat non citius ceſſans, quam acido ſpirituoſo ſaturato ab alkali, & in ſalſum volatile mutato, hinc dolore ceſſante, fibrarum contractura ceſſat, & pori aperti magis liberiorem tranſpirationem permittunt, quo facto omnia reliqua ſymptomata abſunt. *Etmuller.*

33. *Fluore primario &c.*) Quia in Arthritide, ſicut in omni fluxione, quatuor conſiderantur, Materia fluens, Pars mandans, Pars recipiens, & viæ per quas fit Fluxio, De *Parte mandante* eſt diſſenſio, *Fernelius* omnem Arthritidis materiam, quam pituitoſam & te-

& tenuem eſſe vult, à *Capite* defluere exiſtimat, non quidem à cerebro ipſo, cujus excrementa vel per nares excernuntur, vel per palatum effluentia ad os, fauces aſperam arteriam, aut ventriculum propelluntur Sed ab externis capitis partibus & extra calvariam poſitis, Cum enim venæ quamplurimæ ab externis jugularibus deductæ eo excurrant, (*adde Lymphatica vaſa plurima*) excrementa tenuia ac ſeroſa ibi deponere aſſerit, Et cum capitis cutis craſſa denſaque ſit, & humores facile per eam non expirent, temporis progreſſu ibi cumulari, & per ſumma corporis ſub cute ad articulos defluere exiſtimat; Alii vero Caput quidem defluxionis arthriticæ originem agnoſcunt, ſed à partibus illius interioribus, Cerebro nimirum, effluere cenſent: Alii denique à viſceribus imo ventre contentis: puta Hepate, Liene, utero, aliiſque, tum etiam à toto corpore humores illos noxios per venas & arterias in articulos defluere pronuntiãt: Quæ omnes ſententiæ, meo quidem judicio, ex parte veræ ſunt, ex parte falſæ: Veras cenſemus in eo, quod humores Arthritidem committentes à capite per internas & externas partes, Et à viſceribus totoque corpore per venas & arterias defluere pronunciant, Falſas aſſerimus in eo, quod vel ſolas capitis partes externas, vel internas tantum, vel ſola viſcera in inferiora materiam arthritidis ſuppeditare volunt; Cum enim totum corpus confluxibile ſit, poſſunt omnes partes humores ſuperfluos ad articulos tranſmittere, ſi illi eorum receptioni diſpoſiti ſint: Cum igitur certiſſimo theoremate, ab omnibus Medicis receptiſſimo, ſancitum ſit, partes robuſtiores excrementa ſua deponere in debiliores, aſſerendum omnes partes prædictas, ſuperfluitates ſuas in articulos poſſe deponere; ſi illi imbecilliores facti ſufficienter reſiſtere nequeant; Et ut Sigillatim prædictæ omnes opiniones refutentur *Fernelius* quidem ſatis perſpicue oſtendere videtur humorem extra calvariam collectum per ſumma corporis & ſub cute in articulos defluere, cum interdum dolor in capite incipiat, inde ad cervicem, humeros, ac tandem in articulos excurrat, Sed nunquam ab aliis locis, aliiſque partibus humores in articulos deferri, nullo modo probat; neque ullus probare poterit; Sic etiam qui à ſolo cerebro fluxiones hujuſmodi oriri dicunt, contra ſenſum pugnare videntur, cum enim partes articulos ambientes venas & arterias recipiant, per quas ſanguis nutritionis cauſa ad eas transferatur, quidni etiam ſeroſus humor in majoribus vaſis collectus ad eaſdem partes per eaſdem vias deferri poterit? Hoc docuit præciſe *Galenus* aph. 20. 3. ubi docet in tuberculis & doloribus articulorum profundum corporis expurgari, vitioſis humoribus à partibus principibus ab ambitum corporis protruſis: Hoc etiam oſtendit Febris quæ in Arthritidis principio ſæpe excitari ſolet; Si enim illa à ſeroſa illuvie in venis contenta & commota, atque ebulliente, quando Natura ad illius excluſionem ſeſe accingit, & cum foras omnino eam tranſmittere nequeat, ad partes ignobiliores & debiliores deponit: *Tertia* vero *ſententia*, quam *Sennertus* defendit, à ratione etiam aliena eſt, & in eo peccat quod nunquam à Cerebro fluxiones podagricas fieri contendit, cum enim ad omnes alias partes, tum internas tum externas fluxiones à cerebro decumbant, quomodo articuli ab iis poterunt eſſe immunes? Et ſi humores catarrhum efficientes per venas & arterias defluunt non raro, unde febres catarrhales paſſim oriuntur, humores vero in venis & arteriis contenti (ut ipſe *Sennertus* aſſerit) ad articulos facile confluunt, demonſtrative concluditur defluxionem fieri à cerebro in juncturas: Illum præterea humorum defluxum à cerebro per venas, oſtendit copioſa urinarum profuſio quæ fit non raro cerebro ab inſolatu aut nimio frigore commoto, Tunc enim humores ſeroſi in cerebro collecti agitantur à cauſis illis procatarcticis & ad venas arteriaſque propelluntur per quas ad renes & veſicam confluunt, unde copioſa illa urina promanat. *Riverius*.

33. *Fluere*) Proclive non eſt & facile *Modum* explicare atque *vim* cujus ope à Foco illo (vide §. *Humor ſeroſus ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*) transferatur ad partes dolentes articulos Cauſa efficiens Dolorem arthriticum, Non eſſet tamen valde arduum ſi nobis conſtaret de modo quo ſecundum naturam & in ſanis moventur ac promoventur omnes in corpore exiſtentes humores tam à Glandulis Conglomeratis Pancreatis & cæteris conglobatis, quam aliunde propulſi: Arbitror ego, (cæterorum opinionibus miſſis) in genere, ex quibuſvis Glandulis ſecretum ac temperatum in ipſis humorem, aut per vaſa lymphatica, aut per Ductus ſuos proprios propelli, aut in Ductus majores, aut in cavitates ſingulares, Inteſtinum tenue puta, aut Oris cavitatem, Propulſionem vero illam fieri putamus 1. Impulſi per arterias ſanguinis, per nervos autem Spiritus animalis, impetu & vi; quoniam ab utroque hoc liquore arbitramur ſuum ortum ducere quicquid præparatur in Glandulis quibuſvis. 2. Compreſſione & vaſorum Lymphaticorum, & Ductuum in conglomeratis Glandulis obſervatorum, eaque periſtaltica, 3. Efferveſcentia ubivis excitata, & liquores ſic Efferveſcentes non tantum magis mobiles reddente, at inſuper actualem motum in ipſis excitante. 4. Contractione arctiore atque ſæpius iterata canalium per quos deferuntur illi liquores, irritatorum ſcil. ab humoribus ob majorem ſui acrimoniam efferveſcentiam moleſtam excitantibus: Sicut enim humores in tenui inteſtino Efferveſcentes aliquando magis magiſque implicantur humoribus pituitoſis & viſcidis ibidem hærentibus, ideoque tormina vel diſtenſiones in ipſis producunt inteſtinis, ita in ſecundo aut in corde Pulmonibuſve, aut in capite, aut in corporis habitu vel ſuperficie obſervantur: Sed & accidit nonnunquam ut humores acres tormina in inteſtinis prius parientes, poſtmodum in alias transferantur cavitates corporiſve habitum, atque ibi nunc dolores ac cruciatus. nunc motus producant læſiones varias, Paralyſin, Convulſionem, motuſve convulſivos, Sicut id accidere ſolet in Pareſi ex colica dicto affectu, eoque & gravi & moleſto curatuque difficili, cujus generandi modum vix aliquis alium proferet prædicto æque manifeſtum: Putamus ergo modum, quo ex foco ſuo non tantum movetur, ſed & inſuper ad locum in Arthritide affectum promovetur humor Dolores arthriticos pariens, principiis anatomicis & mechanicis plane convenientem propoſuiſſe nos & explicaſſe. *Fr. Sylvius.*

33. *Fluere 1. primario ab hepate &c.*) Si juxta *Hollerii*, *Sennerti*, aliorumque recentiorum ſententias, ſtatuatur impuritates quaſdam, à ſanguine efferveſcente deciduas, & ab articulis ſuſceptas, inſultus podagrici *cauſam materialem* eſſe, tunc ſequeretur omnes qui arthritidis affectibus ſunt maxime obnoxii, etiam in ſanguinis efferveſcentias febriles maxime proclives eſſe; atque efferveſcentiam febrilem morbi iſtius quemque inſultum præcedere: quorum neutrum eſſe verum obſervatio communis teſtatur; Nam arthritici, quaſi cum privilegio (nempe ob ſalinas humorum dyſcraſias diatheſi febrili immunes habentur: Porro inſultus arthritici, abſque ſanguinis turgeſcentia immani, aut ebullitione ſæpiſſime improviſo oboriuntur, & ſtatim ab initio atroces ſunt; *Willis*.

33. *Fluere primario ab Hepate*) Vide §. *Sed humor ſeroſus ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*) ex Fr. Sylvio.

34. *Ab Hepate & Liene*) Termini à quo, ſeu loca, à quibus fluunt humores, poſſunt eſſe varia, nam ſæpe à cerebro & *capite* diſtillant, Sæpe enim ſunt quaſi ſoboles deſtillationum, unde qui obnoxii ſunt deſtillationibus frequenter ab his doloribus capiuntur, præſertim ſi viæ per quas hæ ſuperfluitates evacuari ſolebant, obſtruantur: Quandoque etiam à *Ventriculo* deſtillant; Sæpe enim vidimus dolores in ventriculo concitatos deſiiſſe in dolores articulares, doloribus ventriculi recedentibus & materia ad articulos translata: Interdum ab *Inteſtinis*, ſæpe enim dolores colicos in dolores articulorum terminaſſe eſt compertum: Sic & renales dolores in podagricos dolores ſæpe permutantur: Solent præterea ſæpiſſime *doloribus Renum* articulares dolores ſuccedere, *Vterus* ſæpe in cauſa eſt, Mulieres, teſte *Hippocr. 6. aph. 29.* facile hoc affectu capiuntur ſuppreſſis menſibus, minuitur menſtruis purgationibus, ut viri ſuppreſſis hæmorrhoidibus, & in ſumma, omnis conſuetæ vacuationis interceptio cauſa eſſe poteſt hujus affectionis. *Rolfinkius.*

Privata illa membra, ut Hepar, Renes, matrix, ſtomachus, non proxime ac ex ſeſe humores fundunt in artus, ſed vitioſus ſabuloſuſque ſanguis, in valetudine cujuſdam viſceris ita moveri poteſt, ut articularius morbus protinus inſequatur. *Schneiderus Tr. de Arthrit.*

34. *Ab Hepate & Liene*) Vide §. *Fluere primario.*)

35. *Hinc per articulorum dolores in febribus continuis criſes*) Vide §. *Sed humor ſeroſus, ſalſus, &c. aliquando ſanguini.*)

35. *Hinc per articulorum dolores &c.*) *Hæc ex Adriano Spigelio deſumpta, qui mentem ſic explicat*, Unde & per quas vias humor hic dilabatur in has articulorum partes, ex veterum & recentiorum ſcriptis cognoſcere perquam eſt difficile, Nonnulli enim à *capite* fluxionem fieri putant, alii ab *hepate*, nos ab utroque, &c. Qui ab Hepate materiam fluere dicunt per venas in articulos, his rationibus nituntur, *Quod criſes fiant in febribus continuis, per articulorum dolores*, quod in *arthritide frequenter conſpiciantur inflammationes*, quod fieri non poſſet ſi à capite, juxta, *Fernelium*, flueret humor intra cranium & cutem: Non enim poteſt ſemel extra venas conſiſtens venas rurſus intrare: His addo alias, quod videmus per *hemorrhoidum* & *menſium purgationes* reſtrictas, podagras, morbos articulares, tum viris tum mulieribus evenire: Dicebat enim *Hippocr.* Mulier podagra non laborat niſi cum menſtrua defecerunt; Videmus ortas nonnullas Podagras à ſanguine & bile ceſſare, vel præſervari venæ ſectione, *Adr. Spigelius.*

36. *Inſtante denique paroxyſmo*) De paroxyſmis in Arthritide Vide §. *Aliquando humor ſeroſus, ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*)

37. *Aliquando caput offendi*) An aliquid è cerebro ad articulos confluat, Vide §. *Humor ſeroſus, ſalſus, tartareus, aliquando ſanguini &c.*) ex Williſio.

37. *Aliquando caput offendi*) Vide §. *Fluere primariò.*)

37. *Caput offendi & aliquid demittere*) Vide §. *Humor ſeroſus, ſalſus, acris &c.*

38. *Caput offendi & aliquid demittere*) Addenda nonnunquam & ea quæ defluxiones, ſi hæ ſenſibiliter *à capite deſcendere* deprehendantur, ſiſtunt hoc pacto.

℞. *Maſtiches, thuris*, ãã. ℥j *ſtiracis* ℥ß. *boli*, ſeu *terra pinguis & pura* ℥iß. *raſur. dentis apri, bedegar.* ãã. ℥ß. *ſpica celtica* ℥ß. *croci* ℈ß. *opii gr. v. cum ſyr. de papav. f. Pil. maſſa.* capiat duas vel plures, verſus veſperam & diluculum.

Capiti in defluxione à *ſeroſa illuvie*, à *capitis interioribus exterioribuſve* dimanante, poſtquam decenter purgatum fuerit, quæ illud ſiccant, roborant, extra paroxyſmum interdum in defluxione jam facta, & cum non metus eſt recidivæ, in ipſo paroxyſmo adhibentur multa remedia externa, in aliis capitis affectibus à pituita profectis expoſita, uti ſunt, *Lotiones capitis ex ſalvia, majorana, betonica, yua, flor. ſtach. lavend. roſar. agar. ceteriſque decoctis in lixivio* facto ex *cineribus* ſarmentorum vitis, aliiſve, additis & aliis multis ſiccantibus, cerebroque convenientibus: Poſt quam *ablutionem*, ne defluxiones inde concitentur, ſtatim caput iterum ſiccari debet, panno calido illud ſiccando, quod *maſtiche, ſandaracha, ſuccino* aliiſve ſuffumigatum ſit, dein diligenter pectinari: Pulveres quoque in *cucuphas* capiti admoventur, aut pilis inſperguntur &c. *Platerus.*

38. *Et aliquid demittere*) Si ſeroſus humor à *cerebro* defluens, ut plerumque fit, huic affectui dederit originem, Cerebri ratio habenda maxime eſt, ut nimirum intemperies illius corrigatur, & humores in eo geniti deturbentur, & diſcutiantur, quibus uſibus conveniunt *Cauteria, veſicatoria, errhina, maſticatoria, Pulveres, Cucupha, ſuffitus*, aliaque remedia in affectuum cerebri curationibus propoſita: *Riverius.*

39. *Vel internè, ſeu per venas &c.*) Mea eſt opinio tum à Capite tum à Jecore fieri poſſe fluxionem, Et *à capite per venas & arterias*, raro *per locum ſub cute*, ut putat *Fernelius*, nunquam vero per foramen medullæ, quo ſpiritus continetur, (paralyſis nunquam fieret in defluxione) vel per *foramen nuchæ* ſuper membranam extimam ſpinalis medullæ, in nervos tranſſudare, & per eos in tendines muſculorum defluere: Nam humor intra calvam & ſupra meningem non fluctuat: expurgarique is ſi adeſſet, poſſet per nares ut omnis humor qui in cerebro continetur per nares & palatum pellitur à natura commodius. *Adrian. Spigelius.*

40. *Per venas & arterias*) Vt vias manifeſtem patentes per quas à foco & loco in quo generatur efficiens illa cauſa properat & ad articulos fertur, obſervandum eſt à Pancreate (ſi hoc habeamus pro Arthritici doloris foco) (vide §. *Sed humor ſeroſus, ſalſus &c.*) *aliquando ſanguini &c.*) Ductum eſſe manifeſtum & patulum in tenue inteſtinum, Ex hoc vias eſſe manifeſtas, Lacteas venas in communem Ductum, vulgo Thoracicum dictum, aut potius Spinalem (quoniam non minus per abdomen quam per thoracem, & quidem ſecundum ſpinã dorſi fertur) dicendum deſinentes: A Ductu autem hoc Lymphatico ſpinali patens via eſt in venam Jugularem vel Axillarem ſiniſtram, in cavam, hinc in dextram cordis Auriculam & dextrum ejus ventriculum: Ex dextro cordis ventriculo manifeſta eſt via in arteriãm, hinc & venam pulmonalem, ipſamq; adeo ſiniſtram cordis auriculam, mox & ſiniſtrum ventriculum. Ex hoc denique in Arteriam Aorram, & per hunc in univerſi corporis partes omnes ac ſingulas, uti denuo ab iſtis per venæ cavæ propagines iterum ad cor; Per Portæ autem ramos prius ad Hepar, & inde itidem per venam cavam ad cordis dextrum ventriculum. Quod ſi quis habeat Focum, ſicuti ego utplurimum habendum arbitror *Glandulas corporis univerſi conglobatas*, & inprimis in *abdomine* atque *meſenterio* ſitas, ut & non raro in Capite reſidentes, tunc ab ipſis manifeſta via eſt per *Vaſa Lymphatica ab ipſis omnibus & ſingulis prodeuntia, & ad communem Truncum ſpinalem properantia*, & in ipſum Lympham ſuam exonerantia, A quo cæteras vias mox deduximus: Viæ ergo à Glandulis tum conglomeratis Pancreatis, tum conglobatis omnibus & ſingulis ad cor, & hinc ad articulos manifeſtæ ſunt à nobis aſſignatæ, utpo-

vtpote quas & nos, & alii non ſemel ad oculum demonſtravimus in ſectionibus tam publicis quam privatis, *Fr.Sylvius.*

Diſtinguere oportet primum ſi à capite fluat, vel ſi à venis magnis internis, quod cognoſcitur ſi citra dolorem capitis, vel gravitatem dolor aliquam partem occupat, ſed cum febricula vel aliqua inæqualitate fit, & pars cito intumeſcit, rubet, dolet, ab vna in aliam partem movetur. Si *biliosa*, citius ab vna parte in aliam movetur, Eſt cum majore ardore partis, & dolor acutior eſt, citra magnum tumorem; Initio color è rubeo fiat flavus, & omnia quæ in Eryſipelate eſſe debent adſunt. Si à *ſanguine* major tumor & rubor, & extenditur vſque ad partem carnoſam vicinam. Si *pituitoſa* ſit materia, œdematis naturam habet, magnus dolor non adeſt, ſed tumor & impotentia diutius partem occupat. Sed tales defluxiones ſynceræ non ſunt quæ per defluxionem fiunt ut illæ quæ per decubitum, quia à venis ſubito defluit materia in quibus omnes humores ſunt permixti. *Rondeletius.*

Vias quod ſpectat defluunt humores hi per Vias per quas aliæ fluxiones delabuntur, nempe per arterias & poroſitates, hinc inſtante paroxyſmo non ſolum vaſa, ſed & ipſæ carnes ſæpe ſolent tumere. *Rolfinkius.*

41. *Vel externe, à Cervice*) *Fernelius* cum docet ſub cute capitis congeſtum humorem tenuem deorſum ad articulos currere per ſumma cutis, nullo argumento id mihi videtur probaſſe, niſi fortaſſe per laxitatem noſtræ cutis, & dolorem quem ægri percipiunt ætate provecti, in frigidis regionibus, & jam antea arthritidem perpeſſi, (craſſiore reddita materia ac tardiore ad motum) è cervice, vel per humeros in cubitos & manus, vel per dorſum in coxendices, genua pedeſque ſenſim, devolvi, ſenſu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorreſcit. Sed quia in multis arthriticis hic dolor non ſemper obſervatur, etiamſi cum eo morbo conflictati fuerint, & materia dilabens craſſior facta ſit, credendum eſt materiam non in omni arthritide, ſi quando ea à capite defluit, per humeros vel dorſum in ſubjectos articulos repere per ſumma cuti ſubjecta, vel ſumma cutis ipſius, ſed per *venas & arterias jugulares*, non ſolum externas, ſed etiam internas (per quas ab infernis partibus, Jecore præſertim ferebatur humor in capitis internas externaſque partes, nempe cerebrum) remeare in venam cavam & arteriam magnam, vel ejus magnos ramos ſub jugulo conſtitutos, atque ſic in articulos involvi, quod nullus ſanæ mentis negabit, modo intellexerit in ampla hæc vaſa in vivo corpore repentinum ac facilem fieri refluxum, ac fluxum humoris, quique obſervarunt, ante vniverſalem totius corporis vacuationem, ab externis remediis, manui vel pedi applicatis, materiam refluxiſſe ad partes nobiles, febres continuas excitaſſe, multoſque celebres in arte medica viros, qui podagram ſecundum communem opinionem Medicorum periculo vacare temere pronuntiaverunt, eventu mendaces fuiſſe. *Adr. Spigelius.*

Quia adverſus *Fernelium*, hunc virum, non eſt nobis agendum ſcriptorum authoritatibus, iis dimiſſis rationibus & experientia demonſtrabimus illius ſententiam nequaquam veram eſſe. Quid enim non ſemper colligatur hæc materia in capite i. hæc eſt ratio, Nam ſi origo mali ſemper eſſet in extima corporis parte, ſequeretur etiam debere ſemper apparere ſigna ab ipſo relata & ſymptomata, vel gravitatem capitis, vel ſomnolentiam, vel aliud aliquid hujuſmodi, at experientia comprobatum eſt eos qui articulariis morbis capiuntur optime valere capite, naturalem fere capitis conſtitutionem *obtinere* neque offendi ſecundum partes internas atque externas; imo ſcribit *Fernelius* ſomnolentiam eſſe ſignum collectionis materiæ: Quæro ab ipſo ſomnolentia à quibus efficitur humoribus? proculdubio ab humoribus intra cranium. Præterea ſi omnis arthritis efficeretur hac ratione; Sequeretur non poſſe eam alia ratione curari niſi per medicamenta capiti adhibita & exſiccantia, ſed plerumque curantur dolores articulares ſine medicamentis capiti adhibitis. iij. Si fierent dolores articulares ex defluxu materiæ, proculdubio deberent interdum perſentiri humores fluentes ſub cute, ſicuti percipimus fluxus perreptantes; Ultimo ſi hoc verum eſſet ſequeretur vbi Arthritis fit ab humoribus craſſis, debere ſemper prius ſuperiores partes infeſtari quam inferiores, quia humor craſſus cum facile non deſcendat, nec facile labatur, proculdubio facilius ſiſtitur in loco vnde eſt fluxus quam in remotioribus, ſed hoc non ſemper uſu probatur. Experientiæ quoque repugnat opinio *Fernelii*, quia ſæpe videmus ex morbis diuturnis & acutis fieri homines arthriticos, & materia quæ facit morbos acutos non colligitur in parte cutis extima capitis, ſed eſt in internis partibus. Præterea etiam ſæpe videbitis Podagricos bene valere capite; quod ſi materia faciens Podagram ab eo dimanaret, deberent vel in ipſo morbo, vel paulo ante morbum apparere ſigna, quæ non perpetuo apparent. *Hieronymus Mercurialis.*

Nec illi aſſentior qui omnem eum humorem à capite ferri putat, & ſub cute per ſumma corporis in externas partes influere. Primum enim quis concedat à ſolo pericranio fluxionem fieri, cum apud Medicos receptum ſit, & axiomatis fidem habeat, robuſtas partes excrementa ſua in debiliores deponere? Hæc autem depoſitio tranſmiſſioque fluxionis quædam ſpecies eſt. Deinde vero, ſi demus, quod certe veriſſimum eſt, maximam fluxionum partem à cerebro deſcendere, quid opus eſt inſuetum quoddam iter comminiſci ſpretis iis vaſis quibus, ceu canalibus, fluxus & refluxus humorum natura fieri conſuevere? veriſimilius mihi quidem videtur humorem in articulos non modò ſecundum membranas nervoſque effluere, ſed per venas etiam, perque arterias, per quas alimentum ad omnes partes pervenit, non minus vitioſi ſucci quam boni capaces, & plerumque eo refertas, quem in articulos ejus, copia aut mala qualitate irritatæ deponunt, ſi cum à ſe illi repellere nequeunt. *Gorræus Def. med. l. 1.*

Velim dicat *Fernelius* cur potius venæ Jugulares deponunt in calvariam ſua excrementa quam cæteræ venæ in articulos imbecilliores? Arthritici inſuper *Fernelii* conſilio, capiti Cauteria admoverunt ad intercipiendam fluxionem; quidam felici admodum ſucceſſu, alii nullo profectu: quod facile perſuader aliquando, non ſemper fluxiones arthriticas à cerebro incipere? *Valerius in Hollerium.*

42. *E cervice, ſeu per humeros*) Vide §. *Humor ſeroſus ſalſus, acris, &c.*

43. *Nec in eo ſpatio*) *Lud. Mercatus 1. de m. int. cur.* docet hoc habere omnes articulorum dolores communes, quod vt vere articularis ſit morbus, ſive arthritis, podagra, aut iſchias prærequiritur materia fluens, quæ prolabatur in cavitatem articuli; & vadat in ſedem illam per quam caput oſſis ſpatiatur: Quod ſi ibidem non ſit, ſpurium & illegitimum fieri articularem morbum eſſe putandum, intenſos licet creet dolores: Quippe vniverſa hujus mali ratio ſita eſt in hac peculiari conditione, qua

velut eſſentiali differentia ab omnibus aliis articulorum morbis differt; Id probatur ex *6. aphor. 49. comment.* cum *Galenus* docet inflammationes Podagricorum fieri *fluxione primum delabente in articulorum ſpatia, eandem poſt recipiunt quæ in orbem circumſtant omnia uſque ad cutem. P. Salius Diverſus, de aff. partic. cap. 6.* concedit intra pyxidem coxendicis materiam in Iſchiade contineri, ſed non ab ea, verum à materia quæ circumſtantes occupat partes, nervoſque extendit & tendines excitari. *Paracelſus etiam lib. de Podagra*, hanc ſententiam videtur amplexari, cum docet tartarum ſolutum confertim ſynoviæ, id eſt, glutini naturaliter articulis cohærenti, dum illabitur, ex horum duorum humorum ἀντιπαθῶν efferveſcentia & pugna repleri, tendi & diſtrahi partes: *Helmontius lib. à ſede Animæ ad partes*, inter morbos qui centraliter originem ſuam deſumunt ex ſtomacho, ac ab Acido oriuntur refert etiam Arthritim, Archeus ſtomachi concipit furorem, accenditurque ſponte propria, ſic ut acor non feriat in cibos, ſed errabunde ipſum Archeum inficiat, tunc concepta eſt Arthritis & archeus per totum diffuſus, proxime tamen afficit ſynoviam ſive ſemen crudum, proxime adſimilandis oſſibus adjudicatum. Nos putamus per accidens repleta κοτύλη. acetabulo, diſtentis ligamentis & tendinibus muſculorum, & dolorem ſuboriri poſſe; id tamen non eſſe neceſſarium, ſed ſujectum hujus doloris principale eſſe partes membranoſas, adæquatum autem articulum. *Rolfinkius.* Vide §. *Subiectum.*) Quod multa? Nec in defunctorum articulis illa humoris ſedes notari potuit. *Conr. Victor. Schneiderus lib. de cathar. ſpec. pag. 548.*

44. *Mitti ad articulos*) Cur remotiſſimi maxime afficiuntur? Primo Arthritidis acceſſu Natura humorem quam longiſſime agit, Et hoc eſt quod *Pollex* plerumque princeps laboret, Unde *Aretæus* Articuli etiam ita fere dolere incipiunt, magnum pedis digitum dolor occupat, rurſum calcem in priori parte, qua nitimur, deinde in concavam ſubit, maleolus autem poſtremus intumeſcit. Item *Eſculapius*, Podagricos apprehendimus ex tardo dolore pedum, inchoante à majore digito, id eſt, à pollice, aut veſtigio, aut capite plantæ. Non incommode *Conſtantianus Africanus*, Materia podagrica in parva deſcendit membra, id eſt, pollicem, quorum concatenatio parva eſt, vt materiam pro parvitate ſui capere nequeant, ſimul ia ſit, Unde nimium extenduntur & dolor augmentatur. Addit *Schneiderus*, Non ſemper, ſed ſæpius pollex pedis aut manus affligitur interdum alia pars, Tam varie ludit natura expellando, *C. V. Schneiderus.*

44. *Mitti ad articulos*) Humores Arthritidem efficientes, non ſolum in articulos; ſed etiam interdum in alias partes, ut caput, dentes, latera, imo & partes internas, ut Jecur & Lienem influere poſſunt, in iiſque varios dolores excitare, qui tamen Arthritici dicendi non ſunt. quamvis à materia Arthritidem generante efficiantur. *L. Riverius.*

45. *Propter illorum ſeu nativam*) Articulorum imbecillitas quum ex aliis quibuſdam vitiis æſtimanda eſt, tum maxime ex vinculorum membranarumque laxitate, & ex viarum amplitudine. Hæc autem vitia vel ab ortu ſunt, ex parentum imbecilli ſemine, fitque tum Arthritis hæreditaria, vel aliis ex cauſis evidentibus, quæ laxant & emolliunt membranaſque feriunt, cujuſmodi ſunt Veneris Balneorumque vſus crebrior & quæ foris incidentia articulos contundunt. *Fernelius.*

Iſta connata articulorum infirmitas certis quibuſdam naturis ineſt, neque cunctis quibus contigit, neque etiam in omnibus articulis eadem: huic vel illi major vel minor, quemadmodum naturæ à naturis differre ſolent. Solet alia eſſe facilioris in articulos humoris fluentis receptus cauſa, nimirum nativa quædam alia imbecillitas, cum ſcilicet articulorum acetabula patentiora ſunt, in prima corporis in utero conformatione efficta, ita ut os exceptum ad amuſſim, atque ut decet, Undique non amplectatur. *Hippocr. ſane lib. de Artic.* luxationis facilioris aut difficilioris cauſas iſtas optima ratione agnoſcit, nec dubium eſt quin eodem modo ad faciliorem humoris receptionem iſta nativa imbecillitas anſam præbeat. *Solenander ſect. 4. conſ. 24. & ſect. 5. conſ. 1.* Aſt hic ſupponit humorem Arthritidis cauſam in eo ſpatio quod eſt inter articulum & articvlum conſiſtere quod ei non conceditur.

45. *Propter illorum ſeu nativam, &c.*) Vide §. *Humor ſerroſus, ſalſus, acris, &c.*

46. *Æris exceſſu*) Sub dio mulier nunquam articulares dolores experta, dum in multam noctem ſermonem protraheret, influxu Lunæ caput graviſſime doluit. Ab eo tempore omnes Arthritides ſpecies experitur nullis malum ceſſit remediis. *Ballonius Epid. p. 11.*

47. *Ad articulos potius quam*) *Partis recipientis & deducentis* diſpoſitio plurimum facit ut in hanc vel illam partem defluxio potius cadat ſæpeque redeat. Talis autem eſt viarum, nervis alioquin & reliquis vaſis quæ cum nervis corpus pervadunt, deſtinatarum, ſediumque quæ circa articulos ſunt, nimia laxitas, tum ab ortu, inſitis de cauſis à parentibus eveniens, cauſaque una quod hæreditarius ſit affectus, cum ea quæ à cerebri imbecillitate inde quoque deducta eſt, exiſtit; Tum etiam aliis de cauſis, & à morbis, tum maxime ob continuum defluxum, ſæpeque redeuntem, viaſque pervadentem & dilatantem contracta, unde fit ut per ejuſmodi ampliatas vias & laxas humor licet non tam à copia, quæ alioquin requiritur, congeſtus vel leviter commotus, facile defluat, & conſuetas haſce vias repetat. Et cum ad extrema vſque articulorum perferri potius quam in viis intermediis ſubſiſtere, defluxio tenuis præſertim, viis ſic laxis exiſtentibus, ſoleat, illicque retenta loca hæc non ſolum relaxare, ſed & ſenſim ſeparando ab invicem veluti excavare, ideo evenit vt podagra & chiragra frequentiores, ſint cæteris ſpeciebus, & quod, ſi ſemel ægrum invadant per intervalla vel menſium, vel anni, prout cauſa præſto erit, redeant, necdum penitus amplius abigi poſſint: Coxendicus vero, aliiſque ſuperiorum artuum dolores, etſi aliquando illic ſubſiſtente materia eveniant, tamen cum hoc rarius fiat, humorque potius deſcendat, non adeo illis quos hi ſemel corripuerunt, niſi eo defluxiones ſæpe delatæ, locum quoque (vti dictum) laxum reddant, conſueti ſint: Uti & quod Arthritis generalis non adeo frequens ut cæteræ illius ſpecies exiſtat, & licet aliquando fiat, non tamen facile, vel etiam nunquam amplius redeat, non ſolum hujus cauſa eſt, quod nonniſi magnam illius cauſam eſſe oporteat, humorum ſcil. copioſum proventum, qui in omnes fere corporis articulos ſe exonerare poſſit, ſed & quod cum rarius eveniat, partes nondum debilitatæ minus humorem ſuſcipiant, & quod ab alia cauſa quam defluxione à capite frequentius prodeat. *Platerus.*

48. *Semper fere in membranis*) Partes dolore affectæ ſunt membranæ, tendines nervi, omneſque partes nervoſæ articulis vicinæ, quæ ab humore in eas influente diſtenduntur, vel ab ejuſdem acrimonia punguntur & vellicantur. Ligamenta vero ab oſſibus

oſſibus oriunda ſenſus ſunt expertia. *Riverius.*

49. *Non in cavitate)* Raro humores Arthritidem efficientes in ipſas articulorum cavitates influunt, nec niſi in affectu diutiſſime perſeverante, & vbi ampliores ſunt cavitates, vt in dolore Iſchiadico diuturno, in quo os femoris nonnunquam excidit, laxatis ligamentis, aliiſque partibus articulum connectentibus, & tunc articuli cavitas mucoſa pituitoſa repletur, vt eſt apud *Hippocr.aph.59 ſect.6.* Riverius.

50. *In iiſdem excrementum tartareum, &c.* §: Vide *Humor ſeroſus, ſalſus acris, &c.*

51. *Et cum alimento oſſium) Sennertus* præter articulorum imbecillitatem aliam commentus eſt cauſam cur hic humor ad articulos potius quam ad alias moveatur partes. Sanguinem, ait, in corpore noſtro non eſſe plane homogeneum ſed diverſas partes obtinere, & diverſis illis partibus diverſas corporis partes ali certum eſſe, temperatiore carnem, craſſiore oſſa, ſubtiliore pulmones & ita reliquas corporis partes conveniens ſibi nutrimentum ex ſanguine attrahere; Id quod lapis oſteocolla, dictus, quod inſignem tracta oſſa glutinandi vim habeat: probare videtur qui ad oſſa potius quam alias partes aſſumptus penetrat, & facit ut calli brevi tempore generentur. Neque hæc ſolum fiunt in corpore ſano, ſed & ipſi humores vitioſi non quivis ad quaſdam partes inclinationem habent, ſed alii ad alias, id quod Plica præſertim Polonica docet, Ideoque cum recte ſcribat *Herc.Saxonia l.de Plica c 20.* humorem Plicæ cauſam habere proprietatem articulis, ligamentis, tendinibus, nervis membraniſque omnibus adverſariam, cum Pilis autem & extrema cute familiaritatem, recte ſe ſtatuere putat *Humorem arthritidis cauſam etiam familiaritatem aliquam & naturæ cognationem habere cum oſſibus, membranoſis vero partibus eſſe adverſam*; ſi non occulto modo, acrimonia tamen & facultate vellicante ac lancinante, veriſimile enim eſſe cum oſſa & ligamenta tendine ſanguine magis terreſtri, & cum tartareo humore cognationem habente alantur, alios etiam humores tartareos, tam craſſos quam ſubtiles magis ad articulos quam alias partes detrudi, & præcipue ad articulos partium externarum, cum natura quantum fieri poteſt vitioſos humores à regiis viis ad remotiſſimas partes propellere ſoleat. Diſquirit deinde Idem *Quæſt.8. An in ipſis oſſibus aliquid, quod ad paroxiſmum arthriticum excitandum faciat delitescat.* Ac tale quid in hepate ac liene accidere putat quale quid in Renibus accidit, in quibus vis λιθοποιητικὴ deprehenditur; Nec diverſo modo rem ſe habere in arthriticorum viſceribus quandam vitioſam conſtitutionem ſalis, ſeu tartari illius effectricem, exiſtimat, ob quam humor ille arthritidis cauſa producitur, qui ubi abundat poſtea ad articulos protruditur; Atque vitioſam hanc conſtitutionem quibuſdam à parentibus communicari, aliis ex cibi & potus ſimili uſu & in diæta erroribus contrahi, &c. Si ergo humores Arthritidi generandæ apti ſanguini ſunt commixti, *credibile eſt eos ad articulos ferri, & cum alimento* oſſium in eorum ſubſtantiam ſeſe inſinuare, atque ibi excrementum oſſibus proprium, futuri arthritidis mineram & rudimentum colligi: vel quidem illud excrementum tartareum præcipue in oſſium epiphyſibus colligi veriſimile eſſe dicit quæ reliquis oſſium partibus poroſiores ſunt, & ideo quoque ex *Laurentio* constructa ſunt ut ſint tanquam ventres oſſium, in quibus coquatur oſſium alimentum, quod ſenſim in eorum cavernas percoletur. Si ergo humores, vel excrementum *tale in oſſibus colligitur, affluente ſimili humore effervescit,* quod cum fit, in vicinas partes diffunditur, & dolorem in iis excitat, atque id maxime fit in epiphyſibus, è quibus ligamenta oriuntur, & quibus partes circa articulos ſenſiſiles connectuntur, Si vero idem humor diſſipetur, vel alio modo effundatur, ægrum ab arthritide planè liberari credibile eſt.

Hoc *Sennerti* paradoxum ſalſe damnat *Jacob. Balde lib.qui ſolatium Podagricum* inſcribitur, Neſcio, *ait*, quam aliqui ſympathiam ſomnient ridicule, cur non potius antipathiam? Quis enim obſecro occultus hic conſpirandi vel attrahendi modus? An ſicut magnes ferrum attrahitur, ſic junctum dolorem infeſtum? Nova philoſophandi ratio. Dicamus ſanius pituitam bile miſtam deorſum tendere naturali pondere gravitatis ſuæ, velut fluxum cujuſlibet aquæ, ſed in genuum internodiis, ſpiſſitudine ſuræ carnoſæ nervos conſtringente ſæpe intercipi; prius apparet etiam ex eo quod delapſus humor oſtia quærat, ideirco tentat pollicem, calcaneum talos & extrema pedum ac manuum, nullam moleſtiam faceſſiturus ſi emittatur. Cohibitus inſtar vndæ ad ſaxum alliſæ, ad nervum ſtrepitat, rodit, æſtuat, furit, putreſcit, atque ut gutta cavat lapidem Deucalioneum imo & lapides creat, quos tophos vocant, digitorum nodos: Tales ferias reſidendo agit, vt dolor tamen interim non ferietur, nam lentiſſime ibi conſumitur. Videt *hic* & alias ruinas; *Jul.Caſ.Benedictus* ſupra humorem ſentiebat ex mediis articulis inſtar *auræ epilepticæ* erumpere, ac Arthritidem facere poſſe. *Sennertus* nunc humorem ait in articulis ineſſe, nunc alium in eos vinculo neſcio cujus cognationis ferri, Quæ diſputationes quam longe abſunt à vero? Artus non illa quam fingunt multis magnetica vi humores trahunt, ſed arteriæ hos ipſos infundunt; Atque *oſteocolla* in cibo ſumpta æque in alias partes ac in artus tractos vehitur &c Nec ſi quis *Plica Polonica* vrgetur humor noxius ſua ſe ſponte aut levitate ad *pilos* & ad ſummam capitis cutem iter affectat, ſed provida vi expultrice eo à ſanguine bonæ notæ amandatur *In maſſa ſanguinea* latet *ſeminarium morborum*; nam ſi talibus humoribus non datur exitus, mala corporis ſubito naſcuntur; *Tartarum* illum *Sennertus* ait oſſibus amicum, adverſum vero ligamentis eſſe, Cur non *oſteocolla*, quæ & oſſa eam quam prodit *Sennertus*, cognationem inter ſe habent, æque perniciosa ligamentis eſt? Ille terræ ſal, quem *Sennertus* vocat *Tartarum*, latenter quidem alimentis continetur; atq; hæc cum a facultate altrice corporis varie digerantur, cum ſalem *Helmontius* negat cum fæce vini perite comparari poſſe: Jam vero chylus, vbi homo magnā vim oſteocollæ ingeſſit, in omnes partes ex æquo per arterias funditur; Talis chylus tunc quoque ad pulmones pervadit; ejus quidem quod ſupereſt viciſſim cum ſanguine retro commeat; Interea talis eſca tam commoda pulmonibus non eſt; Sic & *Potiones vulnerariæ* in omne corpus penetrant; ac partes illas ſauciatas tandem ſiccant. Earum vi quoque interdum ductus cholidochus oppilatur: Quare cum arteriæ primum liquorem ciborum captorum circumvehant, iſta analogia, vt nominat *Sennertus*, non agnoſcitur; Idem *Sennertus in Plica Polonica* affirmat non ſolum ad capillos, ſed etiam ad vngues trahi eos humores quos inde is tantopere miratur. Hi igitur *capillis & unguibus* æque amici erunt aut æq; adverſi. Quid ſimile? differunt ſane *capilli & ungues*: Humor ſcorbuticus gingivas infeſtat & oſſa. Horum & gingivorum natura quam diverſa! In maſſa ſanguinea ineſt arthritidis aut calculi humor, qui & inibi varie verſatur; In ſanguine & ejus in vaſis calculi fuerunt adinventi; Renibus ſolis aut vrinariæ veſicæ illam vim λιθοποιητικὴν aſſignare fas non eſt, Et membranę ſæpius finguntur in quibus humores ſpiſſi aut indurati concluduntur, *Helmontius* & quaſi aberrantem vim formatricem tunc cognominat; *Oſteocolla* certe non fingit callum, ſed ea vis quæ illo ceu materia ad id magis aptata vtitur: Adhæc *Sennertus* humorem, qui facit Arthritidem ait *cum alimento* in ipſorum oſſium ſubſtantiam inſinuari, Oſſa quam ſolida ſunt? eorumque foramina;

quibus concipiuntur venæ & arteriæ, quam exilia? craſſorum igitur alimentorum, de oſteocolla petitorum tranſitiones quam difficiles erunt? Atque ſi humor tartareus ſingulari cognatione, vt vult *Sennertus*, in naturam oſſium convertitur, illa reddentur magis mollia: Tartarum illum *Sennertus* ait eſſe ſalem terræ, Hoc *Sal* & *oſſa ipſa*, quo quæſo, nexu affinitatis cohærent; Atque illæ *epiphyſes* hanc ſalis naturam maxime induent: hæ quoque tartari ritu aqua fervida tabeſcent? Quin etiam intima illa oſſium medulla erit penitus ſalſa; *Epiphyſes ſenſu* deficiuntur, atque vero quantum creat hic morbus cruciatum doloris? Humorem quidem contendit *Sennertus* ab intimis infimiſq; partibus oſſium rurſus emergere, cur hic humor jam influens non facit dolorem? primo ſuo appulſu certe tangit ligamenta & membranas quæ ſenſu acriore gaudent. Ita minus perite inſtituta ratio exitum invenire non poteſt, Ego vero profiteor quoque humores aliquando circa articulos reliqui, ac repetente Arthritide eoſdem aliis affluentibus confundi; Aſt nego novos humores occulta analogia aut cognatione in articulos concurrere, aut à relicta materia trahi. Hæc paradoxa mihi non placent. Facultas mali expultrix majori cura eſt memoranda, hæc in artuum cutem movet humores, hi non ſuapte vi ſe agitant, ut apud *Homerum* inſtrumenta *Vulcani*. Omnia fere partium inflammationes cientur, cur non ſimili ratione cutis articulos integens accendi poteſt quę ad commiſſiones articulorum maxime annectitur, vt illa etiam eo loci admodum rugoſa deprehendatur cum palmam facimus, diductis extenſiſque digitis; talis cutis & ligamenta arctius cohærent, non mirum eam portionem cutis ſimiliter affici inflammatis intus ligamentis, &c. *Conr. V. Schneiderus l. de cat. ſp. p. 635. & ſeq.* vbi plura.

52. *Factura arthritidis rudimentum colligi*) Obſervandum crebrius vel recurrentes paroxyſmos, vel diutius articulos affligentes relinquere ſui veſtigia, h. e. vltra partis dolentis debilitatem, ex ſpiritus inſiti aliquali deficientia, obruti plus minus à ſpirituoſo acido peregrino & fibrarum nervearum relaxato tono, ipſis partibus membraneis ſolidis antea dolentibus, infixa permanere de acido peccante ſpicula occulta, quavis & facili occaſione ac motu in actum doloroſum excitabilia, & ſpirituum reliquorum hinc facta commotione paroxyſmum novum provocantia: Nempe ex iſto acido podagrico, inprimis in fermento digeſtivo ſtomachi commoto, & hinc totum corpus penetrante anxia iſta præcordiorum pathemata ortum ducunt. *Etmuller.*

53. *Quod affluente ſimili humore*) Cum inſultus arthritici, abſq; ſanguinis turgeſcentia immani (vt oſtenſum) aut ebullitione ſæpiſſime improviſo exoriantur: & ſtatim ab initio atroces ſint, id arguit materiam morbificam haud ſenſim in parte affecta, velut in minera deponi, & dein plenitudine ſua dolores excitare; Ita namque ſi haberet, morbi initia & incrementa, ſemper gradatim facta, longiora & durabilia magis eſſent: neque affectus (vti crebro aſſolet) ſtatim vehemens, ſubinde ſedem ſuam mutaret, atque brevi in vno loco evaneſcens mox in alio emergeret. *Willis.*

54. *Sanè liberati aliqui, &c.* Vide §. *Humor ſeroſus, ſalſus, &c.*

54. *Liberati aliqui à Podagra*) Vide ſupra §. *Salſus, acris, Tartareas*) ex *Etmullero.*

Prognoſis.

Si Podagricis varices ſupervenerint, ſolvitur Podagra, ex *Avicenna*, quin humores ad articulos fluere conſueti, ad exteriores cruris partes derivantur.

Si Arthitis ſicut periodos ſervare conſueta non revertatur, graviſſimos & ſæpe lethales morbos portendit, niſi materia morbifica diligenti profilaxi ſublata fuerit, Si enim ob debilitatem naturæ materia congeſta non excernatur, maximos morbos & periculoſos producit.

Quibuſcunque morbi Podagrici fiunt, iis ſedata in xl. diebus inflammatione finiuntur Hippocr. lib. 6. aph. 49. In partibus enim exiguo calore præditis materia morbifica nonniſi longo tempore diſcuti poteſt. Certa tamen & perpetua non eſt illa periodus ab *Hippocrate* propoſita, nonnulli enim citius alii tardius ſanantur, quod dependet ex materiæ morbificæ quantitate, craſſiore vel contumacia, partium affectarum robore aut imbecillitate & ægrorum obſequia in victus ac remediorum adminiſtratione. *Riverius.*

Curatio 55. non eſt quidem *impoſſibilis* quia multos 56. reſtitutos exempla teſtantur, & plærumque hic ab ægris, qui vel ineptos Medicos adhibent, vel vſum medicamentorum non continuant, vel diætam non obſervant, peccatur: eſt tamen 57. *in totum difficilis*, 58. tum ratione ipſius affectus, ob diætæ errores & alia; tum ratione paroxyſmi, quòd humores per ligamenta, membranas & nervos diſperſi, propter 59. iſtarum partium denſitatem & frigiditatem 60. difficulter diſcutiantur. Et licet ingraveſcenti ætati idem ſint arthritides, quod pueris exanthemata, juvenibus hæmorrhagiæ: abominandum tamen genus remedii eſt, 71. ſanitatem morbo debere, ut Seneca ait. *Nulla* ferè *ſi* morbus aliquis lethalis conjungitur, *ſi* adeſt luxatio. quia licet articulus reponi poſſit, ligamenta tamen laxiora manent: *ſi* in luxatione cavitas articuli 68. materiâ tophacea repletur, quia antequam iſta tollatur, articulus reponi non poteſt. 64. *Reſpicit* I. *Paroxyſmum.* II. *Præcautionem.*

55. *Non eſt quidem impoſſibilis*) Licet diatheſis arthritica viſceribus penitiſſime infixa, & nativa articulorum imbecillitas radicitus extirpari nequeant, poſſunt tamen arthritidis inſultus maxime retardari, ita ut nonnulli ſola vini abſtinētia; alii purgationibus uſualibus frequenter iteratis per multos annos ſeſe ab arthriticis doloribus immunes ſervaverint. *Hippocr. 2. Prorrh.* multos arthriticos ſanari poſſe affirmat, eoſque ab illis qui ſanari non poſſunt diſtingui his verbis, *De Podagra hoc dico, quicūque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnoſe vivunt, ſiccam alvum habentes, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantum ego novi. Sanat quidem hos optime dyſenteria ſi ſupervenerit, ſed & alia eliquationes valde proſunt, quæ ad inferos locos repunt. Qui vero juvenis eſt, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accurate vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſane Medicum intelligentem nactus ſanari poterit.* Riverius. Vide ſupra §. *Salſus, acris, tartareos*) ex *Etmullero.*

56. *Reſtitutos exempla teſtantur*) *Franc. Alexander* de *Franciſco Pechio* ſcribit cum jam quinquagenariū morbo articulari graviter afflictum totis annis xx. turri incluſum fuiſſe, vixiſſe autem ſola aqua & pane. Ea Diæta beneficio naturæ materiam abſumptā, & motu & exercitio articulos adeo roboratos, ut liberatus nullos vnquam dolores podagricos ſenſerit. Ex quo perſpicuum eſt immoderationem in victu hujus morbi quaſi matrem eſſe, *Joh. Crato conſ. 21. lib. 4.*

Ante annum xx. obiit D. *Melchiſedec Pinaldus*, Caulidicus celeberrimus, Abſtemius tota is tota vita fuit, quamvis uvarum avidiſſimus eſſet, tantum copia eas adſumens toto autumno & per hyemem, vt vini abſtinentiam ea ratione compenſaret, Aquæ ingentem

haustum

hauſtum bis vel ter in ſeptimana, in fine paſtus ingerebat, quam protinus ſinceram, & cujuſmodi ingeſta fuerat, ſalutato tantum ventriculo, vomitu excludebat: Atthritide is circa quinquageſimum annum prehenſus eſt, quam diæta & exercitio exterminare decrevit, Eapropter villam ſibi comparavit milliari vno Geneva diſſitam: Singulis matutinis illam pedes adibat jejunus & jejunus hora prandii redibat, niſi tempeſtas admodum eſſet iniquia quo pacto ſanus & vegetus octogeſimum annum præterit.

57. *In totum difficilis*) Θεϱαπείας adeo difficilis ratio eſt, quod ad tollendam morbi procatarxin requiratur tum gemini humoris, ſc. *ſanguinei* ac *nervei* emendatio perfectiſſima, nempe vt particulas *ſalino fixas*, aut *acidas*, omnino nullas gignant, Tum inſuper articulorum labefactatorum reſtitutio (quarum neutra facile unquam obtineri poteſt) Cui accedit quod morbi hujus cauſa conjuncta in locis maxime diſſitis, quo nullius pharmaci virtutes pertingunt ſubſiſtit. *Willis.*

57. *In totum difficilis*) Defluxiones in habitum corporis generatim labentes, licet frequentiſſimæ ſint, & in diverſa loca fiant, ubi plus minuſve moleſtant, frequenterque & levem aliquando ob cauſam accidant redeantque, niſi ad interiora quoque, ſeptum præſertim, aliove vbi periculum offerunt, procumbant, non adeo periculoſæ, minorique negotio quam *articulorum dolores* ſanantur; hi enim, omneſque illorum ſpecies, pertinaces admodum ſunt, & quando invadunt diu perſeverant, facileque recidivam faciunt; Inter eos *Arthritis generalis*, etſi gravius affligat, atque interdum non ſine periculo, accedentibus, aliis quoque ex dolore accidentibus tamen cum, vt ſint magnam cauſam eſſe oporteat, quæ in tot loca feratur, illa non adeo eſt frequens, rariuſque vel tardius, quam particulares illius-ſpecies, vel etiam nunquam amplius revertitur; Frequentiores ſunt *Podagra* & *Chiragra*, pluresque invadunt, & vbi ſemel inceperint, certo tempore, nunc per menſes, nunc annuatim redeunt, atque ubi ſemel pedem fixerint, ægre amplius eradicari poſſunt, per ſe alioquin minime exitium ferentes, niſi tandem generaliores factæ, aut ob alios affectus accedentes, hominem conficiant, cum multi multos annis podagra afflicti, ſeniunt tamen attigerint, atque in eo diu vixerint, alii quoque à gravioribus malis, quæ defluxio in nobiliora loca cadere ſolita illis pepereat, per hanc illius derivationem, ſuperveniente podagra liberati fuerint. Medio modo ſe *coaxendicis* & *homoplatæ dolores* habent, minus quidem quam Podagra, magis tamen quam Arthritis familiares, & qui rarius quam Podagra, citius tamen quam Arthritis, etſi ad annos aliquot ſæpe inducias dent, rurſum remeare ſolent; atque vti arthritis quare diutiſſime, aliquando ad menſes aliquot, ſed minori vitæ periculo perſeverare. Quibus obſervatis Prædictiones noſtras ad ea dirigere debemus, & præſertim in *Podagra*, quæ jam habitum contraxit, aut hæreditaria eſt, non temere nos eam abigere poſſe polliceri, ſed ſaltem id nos, vt vel mitius vel tardius redeat tentaturos, & ſi fieri poſſit procuraturos, eoque quod hac ætate miteſcere ſoleat conſolari. *Platerus.*

Si crebrius redeant paroxyſmi, ac pro more vehementius affligant, inſigniter debilitantur articuli ac motus eorum multum imminuitur, adeo vt tandem ad paralyticam quaſi conſtitutionem redigantur, flacceſcant ſimul, & in nutritione deficiant, ſubinde laxentur: Interdum circa articulos contrahuntur & rigida ma ıenr membra; aut ſaltem intra articulos contracturæ ſeu tophi & nodi colliguntur, qui motum articulorum impediunt. *Iſchiadicus dolor* ſpeciatim ad claudificationem, nonnunquam coxæ luxationem, aliquando cruris atrophiam diſponit. Imo ſi inveteratum fuerit malum, præſertim ſi in paroxyſmi declinatione ſudores neglexerunt ægri, pertinacia in articulis veſtigia relinquit arthritis. adeo vt levi occaſione, & vel fortiore ſaltem articuli motu & agitatione mox nonnihil recrudeſcat, aut ſaltem punctionibus ſupervenientibus ſe manifeſtet. *Etmuller.*

Quoties Arthritici quibus plures articuli alias occupari ſolent, paroxyſmo corripiuntur qui non more ſolito ſuceſſive articulationes iſtas quoque occupet (niſi per curam præſervatoriam malum plus minus in radice mitigatum fuerit) ei vel diutius languidi permanent, vel brevi poſt novo paroxyſmo corripiuntur, vel alius morbi gravioris, aut etiam mortis ipſius periculum ſubeunt, notante *Sennerto de Arthritide c. 4.* & *Hœfero H. m. p. 222.* Hinc in Podagricorum vel leviter confirmatorum, & aliis morbis correptorum cura ad acidum podagricum ſimul reſpiciendum venit quod in omnibus aliis morbis ſymptomata intendere ſolet, idque tamdiu fere donec vel ipſum vi naturæ aut artis correctum fuerit, aut artus occuparet, quo facto omnia rem iſſiora & leviora mox apparere ſolent.

Arthritis morbus lethalis non eſt, Sæpe enim arthritici diu vivũt, ſeneſque fiunt, Et potius ex Podagra deficiente quã eadem ordinaria ratione ſuperveniente moriuntur; Inter omnes Arthritidis ſpecies *Iſchiadicus dolor* graviſſimus eſt nihilominus tamen in principio facilius quam cæteri curari ſolet: ſicut in progreſſu æque rebellis eſſe ſolet.

Si dolores ſenſim ingraveſcentes, ad jugulum & ſuperiores partes tranſeunt, perniciem minantur: Item; quo plura & frequentiora conveniunt ſymptomata eo difficilius curatur, vt fit quando ab externis repellentibus, aut ſtupefacientibus ægri in anxietates, lipothymias, aut alia mala incidunt. *Etmuller.*

58. *Tum ratione ipſius affectus*) Inſanabili arthritidi merito ea annumerari poteſt quæ hæreditaria eſt. *Riverius.*

59. *Iſtarum partium denſitatem*) Hinc *Seneca lib. 2. Ep. 79.* dolorem in anguſto docet eſſe ſtrictoque. Quo in anguſtiori ſolutio continui major, quo in ampliori, minor; Occupante itaque cauſa doloris majus ſpatium, dolor minor, & naturam victricem cauſam expellere ex dolentibus indicatur partibus cum tumet mebrum.

60. *Diſculter diſcutiantur*) Solvitur Arthritis fere quatuor modis 1. ordinario fere, in totum finito paroxyſmo diſcutitur morbus in articulo, vt nullum ſui relinquat veſtigium, niſi ſucceſſu temporis ſuperveniant tophi. 2. Rarum eſt quando humor podagricus in materiam ichoroſam aut ſaniem purulentam mutatur, quæ partibus intercutaneis eroſis foras exſudat. 3. Quando tophi poſt paroxyſmos relinquuntur. 4. Quando incipiens paroxyſmus ſua paroxyſma non abſolvit, aut plane deficit acido podagrico alias partes extra articulos occupante, id quod peſſimum eſt, & mille mala poſt ſe trahit. *Etmuller.*

60. *Difficulter diſcutiantur*) Modus Eventus, quadruplex; 1. *Reſolvitur*, eo quod in articulos influxerat diſcuſſo, vi naturæ vel medicamentorum; 2. *Maturatio* rariſſima eſt. 3. *Induratio* fit tenui expirante, relicto in tophum faceſſente craſſo; 4. per μετάστασιν in alios quandoque morbos terminatur, multis in aquam intercutem deſiit Podagra, multis in aſthma; hœc ſucceſſu immedicabilis eſt & inevitabilis: meminit etiam *Galenus lib. de Ther. ad Piſonem*, ſæpe Pulmonum ſuccedere affectus: Διαδοχὴ fit aquis ſeroſis per *lymphatica vaſa* hinc inde diſcurrentibus. In Coi monumentis 6. Epid. ſect. 30. t. 34. arthriticus dolor ceſſat colico exacerbato, & contra; Nempe tranſponuntur humores fitque συμπαθεία inter articulos & inteſtina: Obſervavimus ſæpe ceſſare Arthritin ſubortis renum à calculo doloribus.

61. *Sanitatem morbo deberi)* Arthritidis Prognoſin vnuſquiſque è plebe paſſim inſtituere ſolet, nempe *morbum* eſſe ſatis rutum, ſed curatu difficillimum. Quoad *prius* hic affectus haud tantum per ſe periculi expers eſt, ſed contra pleroſque alios morbos προφυλακτικός. Nam arthritici ob ſanguinis dyſcraſian ſalino fixam febribus minus obnoxii ſunt: Cæterum à Phthiſi, aliiſque viſcerum aut capitis pathematis gravioribus plerumpue immunes degunt, quatenus tum ſanguinis tum ſucc inervei recrementa in articulos continuò deponuntur. *Willis.*

61. *Sanitatam morbo deberi)* Utut in quovis paroxyſmo debilitentur plus minus articuli, ſeu partes ſolidæ, fluidas tamen, tam humoroſas quam ſpirituoſas, eo ipſo quaſi depurari; ſiquidem non tantum acidum iſtud ſpirituoſum, ſpiritibus ſatiatum, dum ſynoviam inquinat, illorum ſpirituum conſortium plus minus deſerit, ſed etiam ſubinde alia maſſa ſanguinea heterogenea fermenta, febrili efferveſcentia ſecreta, nunc vna circa loca dolentia colliguntur, ex fibrarum partium dolentium contractura, nunc per ſudorem excernuntur in declinatione; ſicut in incremento hi ipſi moderate proliciti maturant articulorum ab acido podagrico invaſionem, & hinc abbreviant inſigniter paroxyſmi tempora. *Etmuller.*

62. *Si morbus aliquis,&c.)* Interdum accidit propter *materia arthritica* fluxiones ſuppreſſas, aut repercuſſas, modo ventriculi, aut viſcerum abdominis tormina, modo dyſpnoeam, aſthma, alioſve pectoris affectus ſoporoſos quandoq; etiam apoplexiam alioſque morbos aut convulſivos excitari, ex quibus obſervatis obvium erit objicere Arthritidis mineram non ejuſmodi eſſe ac deſcriptionis; quia pars ejus *ſalina*, cum eadem ſit quæ articulis nutriandis deſtinatur, exinde depelli; aut alio deferri, vel deponi nequit: dein quoad parteın alteram, nempe *ſeminium acidum* in loco aſſueto depoſitum, videtur illud facile repercuti poſſe, atque per ſe, aut in via ſuppreſſum, aut alio translatum, parti cuipiam haud valde nociturum: Verum enimvero facile erit his referre, materiæ atthriticæ *partem acetoſam*, per ductus nerveos affluentem repelli aut ſupprimi poſſe; eamque aliis partibus ſuffuſam mala ſæpe graviſſima excitare. Profecto *liquor nerveus*, ejuſque recrementa, cum particulis valde ſubtilibus & activis conſtat, à levi quovis obice, aut repulſu, in ῥυσμοὺς & fluxiones diverſi modas adiguntur, Porro cum iſta circa partes nobiles, vel intra ductus nerveos turgeſcunt, vel aliuſmodi aliorum humorum particulis occurrunt, cumque iis efferveſcunt, affectiones varias aut *dolorificas*, aut *ſpaſmodicas* cient: ac non raro quatenus particulæ diſſimiles mutuo coagulantur, tumores modo ſtrumoſi, modo cancroſi, aliaſve maligni oriuntur. Cujuſmodi effectus inſtantias notabiles in Tract. de convulſivis morbis tradidimus. *Willis.*

62. *Si morbus aliquis lethalis)* Contingit non raro in corporibus debilioribus, vel iam ſenio confectis, vt quando natura humores noxios intus conſervatos expellere non valet, morbi inde lethales oriuntur, vt febres acutiſſimæ, viſcerum inflammationes, apoplexiæ, convulſiones, phrenitides, orthopnœæ cordis palpitationes, aliique graviſſimi affectus. *Riverius.*

62. *Si morbus aliquis lethalis coniungitur)* Varia & mirabilia pathemata ſubinde accidunt *acido podagrico* alias partes, ac frequentiſſime nervoſos plexus occupāte extra articulos, quæ omnia ſuperveniente paroxyſmo ceſſant: Sic arthritidem in colicam & contra mutabilem refert à *Caſtro*: Epilepſiam gravem notat *Lotichius* ſicut paroxyſmo non rite procedente, nec acido volatili ſufficienter excluſo, vel ob internarum partium defectum ſpiritibus iſtis languentibus, & acido podagrico nimis in contentis corporis dominante; vel ob externorum ineptam applicationem, tam diuturna virium proſtratio & languor & appetitus defectus ſuperſunt: Interdum palpitationes cordis, ſæpiſſime tuſſes ſiccæ, aut ſæpius adhuc aſthmata occulta convulſiva, ſubinde ipſa mors ſuperveniunt. *Etmuller.* Id mihi nuperrime, obſervare licuit in viro cælibe quadragenario; hic ter podagra laboravit ab erroribus crebris in diæta: Aſthmate prehenſus fuit cum indiciis obſtructionum in imo ventre, contra vtrumque malum præſidia inſtituta, irrito ſucceſſu, per menſem integrum: Author fui vt pediluviis vteretur ſumni provocandi gratia, & revocandæ podagræ; ſucceſſit hæc ægrumque ab aſthmate liberavit: Deſinente podagrico paroxyſmo denuo recurrit aſthma ſed levius, quo iterum ceſſante, acceſſit vomitus & dolores ventris qui deſiere gonagra invadente, à motu erroneo acidi iſtius arthritici doloris parentis,

63. *Materia tophacea repletus)* Ex ſynovia coagulata, Hinc *Hippocr. 6. 59.* Quibus diuturno coxendicum dolores infeſtatis coxa excidit, rurſumque incidit, iis mucores ſuperveniunt *Etmuller.*

64. *Reſpicit)* Methodus therapeutica tres primarias indicationes ſuggerit, quarum prima *curatoria* tantum, in paroxyſmis ad dolores ſedandos, aut citius finiendos adhibetur, *ſecunda præſervatoria*, acceſſionum intervallis deſtinata, morbi procatarxin (propterea vt dolorum inſultus rarius, aut mitius, aut non omnino repetant) tolendam molitur, *Tertia* vitalis inſtruit, quo victus genere, & quibus remediis vires inter diros cruciatus ſuſtentari, atque vita, non obſtantibus morbi crebris, aut continuis fere moleſtiis, prolongari, ſimulque refocilari poſſit. *Willis.*

Omnis. Arthritidis curatio in eo conſiſtit vt humoris ad articulos influxus inlibeatur, Qui iam influxit & articulis inhæret ſubmoveatur, Et dolor interim, ſi acerbus fuerit leniatur. *Riverius.*

I. 65. *Paroxyſmi ergò reſpectu,*

I. 66. *Humores ebullientes* 67. *ſunt compeſcendi, & ad partem affectam ruentes tollendi* 1. 68. *Venæ ſectione*, ſi ſanguis abundat, eaque *Cita*, quia fluxus urget, & dolor eum validè ad partem attrahit; 69. non tamen *frequente*, tum quia corpus refrigerat & nervos debilitat; tum quia quod majus, facultas expultrix infirmatur: imò bis coquere natura cogitur, dum nampe effuſo ſanguini alium coctum ſufficere conatur. *Baſilica* in dextro vel ſiniſtro latere, ſi omnes aut plurimi articuli afficiuntur: in *oppoſito*, ſi vnus tantum. *Vnicâ vice adminiſtratâ*; pluribus, & 70. quantum plenitudo repoſcit, ſin minus. 71. Vicariæ ſunt cucurbiculæ ſcarificatæ, & 72. hirudines. Et illæ quidem parti ſanæ oppoſitæ & diſtanti affiguntur; ſcapulis, ſi caput morbo conſentit: hæ hæmorrhoidibus. II. 73. *Evacuatione per inferiora*; 74. ſtatim in principio; imminentibus doloribus; materiâ nondum cum impetu ruente; 75. *defenſivo* ad præcautionem ſeu interceptionem fluxus 76. ex poſca in qua muſcus quercinus; tormentilla, flores roſarum & alia cocta, in faſcia ſupra caput partis affectæ impoſito, & per diem ibi relicto; habito expultricis quæ robuſta eſſe debet, ægri, & humorum accurato reſpectu; 77. medicamentis fori

tis fortioribus, ne humores tantum agitentur, ſed qui ventrieulo parcant, inſtitutâ.[78] *Conveniunt* in minus robuſtis & materiâ nimis ebulliente [79] *Syrupus de ſpina cervina* Solenandri, *Mechoacanna*, *Hermodactyli*, *Ialapa*. Fortiora ſunt, *eſſentia hellebori nigri* [80] *Pulvis Caryocoſtinus* ex *hermodactyl. turbith, diagrydio. Pulvis Paracelſi*, ex *hermodactyl. diagrydio*, *raſura oſſium humanorum* vel calcinatis juvenis modò humati ana dr. j. doſi dr. ſ. aut ſcrup. ii. *Gummi gottæ*, quòd ideò gummi ad podagram vocatur. III.[81] *Evacuatione per vomitum*, in illis qui facilè vomunt, per benigna, & à ſolis vicinis partibus educentia, excitatum. Franciſcus india pulverem ſuum ex *Barbarea* ſeu *ſcopa regia*, cum aqua ſtillatitia aurantiorum immaturornm vehementer laudat: alii, *aquam benedictam* vel vinum Malvaticum in quo helleborus albus maduit, IV.[82] *Evacuatione* [83] *per ſudorem*, temperatis, ſi ebullitio vehemens, & febris præſens, motum. Convenit *cornu cervi* raſpatum in aqua Cardui benedicti decoctum.[84] Decoctum *bardanæ* ſeu *lappæ majoris* quod laudatiſſimum, *Ebuli*, & *Antimonium* diaphoreticum. Abſente febre non oberit, decoctum radic. Chinæ, ligni ſaſſafraſſæ, in aqua, cichorii, acetoſæ &c. V. Per *Cauteria* brachio ſiniſtro affixa ſi caput afficitur: cruris internæ parti, ſi jecur. VI.[85] *repulſione*, ne humor tam ἀϑρόως ruat, per repellentia, ſi ſubito & nimio humorum affluxu dolor augeatur, ſed non ſola, ne motus à natura inſtitutus vitæ periculo ſiſtatur, materia articulis impingatur, & dolor exaſperetur, verum anodynis permiſta, ſupra articulum ponenda.[86] Proſunt, *Aqua* ex *vlmariæ*, *capræ barbæ*, radicibus, floribus & foliis deſtillata. *Cataplaſma* ex *farina hordei*, cum pauxilo *nitri* ſi rubor adeſt. Aliud, ex *ſale*, *fuligine cum albumine ovorum* ſubactis. *Liquor florum verbaſci* ad ſolem expoſitorum. *C. C. vſtum in aqua florum verbaſci* maceratum & coctum, *Aqua ſpermatis ranarum* petiis applicata, *roſarum*, *plantaginis* &c.

[65] *Paroxyſmi ergo reſpectu)* Prima Indicatio, nempe dolorum ſedatio, duas haſce præcipuas intentiones continet, nempe vt *ſolutio continui* auferatur, interea vt *fibrarum*, ſive ſpirituum in iis ſcatentium irritatio, ſive excandeſcentia compeſcatur Ad tollendam locis affectis *vnitatis ſolutionem*, & humorum qui illuc rendere apti ſunt, fluxiones inhiberi, atque minera iamiam impacta diſcuti, aut diſſipari, eiuſque particulę à mutuis effervéſcentiis ſupprimi debent: In hos fines remedia *evacuantia*, & *alterantia*, ac vtraque tum *interna* tum *externa* deſtinantur *Willis*, Cum in hoc inprimis naturæ motus vigeat, cuius impetu ille excitatur, vnde ex deficiente naturæ robore deficientibus paroxyſmis ægri in periculoſo ſunt ſtatu, id non ſiſtendus, ſed promovendus, impedimenta removendo, *Acidi ſpecifici* vim mature infringendo, vrgentia nimis ſymptomata mitigando, ſemper ſimul pro legitima remediorum adminiſtratione quatuor particularia morborum tempora attendendo. *Etmuller*.

Obſervationes in Arthritidis curatione.

I. In remediorum vſu hoc vnice annotandum eſt, vt à juvantibus & lædentibus ſumatur indicatio; ſi quidem variæ ſunt hominum naturæ, varia temperamenta & varii generis excrementa in iis colliguntur vnde ſumma in morbis varietas, ſolet exoriri; Ideo quod vni prodeſt alteri ſæpe eſt inutile, quod maxime vſu venit in Arthritidis curatione, Eaque ratione vnicuique practico medicamentorum ſylva habenda eſt, vt ſi vnum fruſtra tentetur, ad aliud atque aliud confugere poſſit, ea ſemper deligendo quæ rationali methodo magis conſentanea videbuntur. *Riverius*.

ij. In Præcautione Arthritidis illa quæ per *ſudores* fit evacuatio ſanguinem à ſeroſis recrementis repurgat & cauſam antecedentem educit: In hunc vſum inſtitui poterit *Diæta ſudorifica* vere & Autumno, ex *Decocto zarzapar, chinæ*, *ſaſſafras*, aut etiam *guaiaco*, prout ægri temperies ſuadere videbitur. At ſine ſudorum provocatione, per *Symplicem diaphoreſin*, materiam morbificam educens Decoctum à recentioribus quibuſdam Practicis in vſum revocatum eſt cum eximio fructu, Illius compoſitio & vtendi modus talis eſt.

℞. *Rad. ſalſapar. antimon. crudi*, *putaminum nucum ãã.* ℥vj. *rad. chinæ* ℥j. *ligni Braſiliani parum*; *aquæ* ℔i *bulliant ad medias*; Antimonium & putamina pulverentur, & in nodulo includantur, qui in olla ſuſpendatur ne fundum attingat: Colaturæ capiat bonũ, hauſtum mane tribus horis ante paſtum, poſt meridiem quatuor horis à prandio, & tribus horis poſt cœnam per XV. dies, Præmiſſa venæ ſectione & purgatione vniverſali. Ex reſidentia cum pari aquæ quantitate fiat Bochetum, ad quartæ partis conſumptionem, pro Potu ordinario, addendo *coriandri & liquir.* q. ſ. ad ſaporis gratiam *Riverius*.

iij. Ingens ſe offert difficultas in curatione Arthritidis, cum ob impatientiam ægri, tum ob doloris acerbitatem, Dolor enim perpetuo vt cæcias ventus nubes ad ſe allicit ac rapit vitioſos humores ex reliquis partibus, & auget dolores: Studendum eſt itaque tyronibus medicinæ, vbi præſcripta Topica ſemel atque iterum vſurpata atque applicata, parum aut nihil adjumenti attulerint, ne ea amplius admoveant, ſed [illegible]tim ad novum aliud remedium, ſimile tamen, aut nonnunquam ad contrarium confugiant, & tranſgrediantur: Sæpe enim vnus & idem articulari morbo laborans eodem remedio & ſanitati reſtitutus eſt, & ſæpe lædi viſus, Si autem omnia præſcripta non contulerint, ablegetur patiens ad *Thermas*, naturæ morbi convenientes, inter quas celeberimæ habentur in germania *Carolinæ*. *Fr. Ioel.*

IV. *Dextro oculo corpus*, *ſiniſtro articuli reſpiciendi*. In contracturis quidem, vbi principaliter malum articulum occupat, contrarium evenit, ſi ab externa aliqua iniuria motus & articulatio fuerint vitiata, aſt in Arthritide alia res eſt, longe, Sapiens ſupra vulgus, ſeu medicus pluſquam vulgus ſapere debet Felicius ſæpe degunt, & promptius morbo defunguntur qui in ſilentio & ſpe auxilium expectant, patientia enim hæc ipſis, eſt præmium; ſanitatem ingerens certiorem: *Corpus reſpiciendum primario* & noſcendum *Arthriticos omnes eſſe una hypochondriacos*: Fruſtra eſt effectum & affectum hunc citra ſuam cauſam removere, Ergo ſemper dictum ſibi putet medicus, Hoc age, Nec facile à via regia deflectere ſe patiatur, quo

facto facilis eſt error, Non negligendi tamen articuli quoque penitus, ſeu reſolvendo, quæcunque ipſos lædere vel debilitare queunt, quaſi articulorum venena, Seu applicando quæ non noceant, ſed proſint, & ſalutarem effectum edant, Valet enim & hic illud Hippocraticum, Si prodeſſe non poſſis ſaltem ne noceas. *Wedelius Am.m.m. p.212.*

66. *Humores ebullientes compeſcendi*) Interea dum præſidia celebrantur ad materiam morbificam in loca affecta effluxuram alio devocandam, aut eliminandam, inſuper medicamenta *alterantia* & *placantia*, quæ *ſanguinis* & *ſucci nervei* turgeſcentias ſedant, & recrementorum ab iis deciduorum fluxiones ſiſtunt vices ſuas habeant; Propter hunc finem *victu tenui*, *ac hydropoſia*, (ſi convenit inſtituta, *Emulſiones*, *Iulapia*, *Apozemata* ex blandis & anodynia præſcribantur *Willis.*

In principio fluxionis, temporibus vacuationum intermediis, quæ eam ſiſtant exhibenda ſunt, qualia ſunt, quæ in cathatrhi calidi curatione propoſita ſunt, præcipue vero Iulepi ex aquis, vel decoctis & ſyrupis reſtigerantibus & incraſſantibus. *Riverius.*

66. *Humores ebullientes ſunt compeſcendi*) Durante Paroxyſmo Arthritico accerſitus medicus ad quatur ipſius tempora attendat, *Initium*, *Augmentum*, *vigorem* ac *Declinationem Incipiente* Paroxyſmo, quem ſemper cum febre accedere docui, *Effervescentiam* ita *temperare*, quin & cohibere ſtudebit medicus, vt *humoris tam primario quam ſecundario peccantis acrimonia ſimul corrigatur* Effervescentiam præter naturalem omnem temperant, & quandoque cohibent *opiata* omnia, cæteraque *anodyna*, vndecunque parata, quo & *vitrioli aliorumque Sulphura*, pertinent, cum omnia rite parata *ſint anodyna* & pacativa. Quinimo hæc eadem vim habent *corrigendi contemperrandique quamvis Acrimoniam*, ſive *Acidam* ſive *ſalſam lixivioſam*, Hinc eſt, meo ſaltem iudicio, quod circa febrium intermittentium à vitioſa effervescentia ortarum initia exhibita narcotica & opiata, *theriaca*, *mithridatium Diaſcordium*, *Philonium Romanum* quin & *Laudanum*, *opiatum*, & ſimilia, *febris vehementiam minuant*, *compeſcant*, & *quandoque ſiſtant*: Quod verum eſſe per experientiã, norũt etiam plebeii quamvis effectus rationem ignorent, æque ac multi è magni nominis medicis: Vtique, vbi dolores graves exercent ægros, vbi inquietudo ex humorum agitatione in ipſis deprehenditur, ſolent ad opiata & Narcotica, tanquam ad ſacram anchoram recurrere prudentes medici; quamvis non putem multos reperiri qui tanti tamque ſalutaris effectus cauſam cognoſcant, quam cenſeo eſſe, quatenus *omnia narcotica & anodyna ſulphure abundant*, *cuius vis eſt omne acre tam* acidum quam lixivioſum temperare, vti non ſemel hoc exemplis manifeſtis evicimus, idemque comprobari poteſt infinitis experimentis medicis. Præter iſta primaria, vitioſam Effervescentiam per effervescentium acrium contemperationem coercentia Anodyna Narcotica, ſulphure ſive oleo abundantia, vtilia quoque ſunt *ſpirituoſa* & *aquea*, *Illa* quidem dum vtrumque Acre demulcent, Hæc dum vtrumque diluunt & enervant, quod pluribus experimentis non ſemel oſtendimus verum eſſe; Hinc eſt quod non raro cum ſucceſſu laudabili exhibeantur ægris febre intermittente corripiendis ipſe *vini ſpiritus*, & *Aquæ* variæ *cum ſpiritu vini paratæ*, qualis eſt, *Iuniperina*, *Theriacalis*, &c. Obſervandum autem hic opus eſſe circumſpectione, cum non omnibus æque conducat *ſpiritus vini* qualiſcunque datus, nec facile niſi iis, quos frigus moleſtius & gravius infeſtare ſolet, ſit dandus Vti contra commode ſoleat exhiberi *acetum ſtillatitium* aliave *Acida*, quibus gravis ſolet adeſſe calor: Denique vtraque ſimul miſta, quibus frigus & calor ſolent eſſe moleſta: Vbi autem *ſpiritus ſolus Acidus* peccat, præter iam enumerata conducet *ſal lixivum tam fixum quam volatile*, *Sal Tartari* puta *cardui bened.* abſinthij. *centaur*, &c. quo referri debent, *Oculi cancri*, *corallia*, *margaritæ*, creta, *lapis hæmatites*, *ſanguis draconis*, *limatura chalybis* &c. Inter *Salia volatilia* numer. 1. *Sal volatile corn. cervi*, *vrinæ*, *ſal. armoni.* & ſim. 3. *Spiritus omnes aromatici* & *acres* ex ſupradictis, vt ex *cochlearia* ſimilibuſque parati, Hæc enim omnia vim excellentem habent, diverſam tamen, omnem in corpore noſtro Aciditatem contemperandi & concentrandi, quamvis quędam id agunt potentius fixiuſque, quædam debilibus laxiuſque: Quo enim purus magis eſt ſpiritus acidus, ſalque lixivus, eoque arctior fit eorundem coniunctorum complexus: Quo rurſus magis eſt impurus, h. e cum aliis, oleoſis puta ſpirituoſis Aqueiſve mixtus, eo laxior fit ipſorum coalitio, Quod de vtroque puro & ſimplici, vt & impuro & mixto dictum, idem dicendum de alterutro, niſi quod tũc medio modo ſe habeat illorum confluxuum inſequens coniunctio & commixtio, ad quæ per infinita experimenta confirmanda niſi qui attenderit ſedulo, nihil laudabilis præſtabit vnquam tam in mutationibus in corpore noſtro conſtingentibus cognoſcendo quam in iiſdem corrigendis: Quod ſi præter *ſpiritum Acidum* ſemper plus minus vitioſum *Bilis* inſuper occurrat in Arthritico Acrior, ita contemperanda erunt medicamenta Effervescentiam vitioſam febrilem atque Arthriticam correctura & ſedatura, vt huius quoque *Bilis* ratio habeatur exacta. Hic autem mirari ſubit, quod tamen millies me docuit alioſque experientia, commiſta, an confuſa potius, hoc in caſu Acida non quibuſvis promiſcue ſalſis, ſed lixivioſis, atque non tam puris quam naturaliter miſtis, *oculis cancri* puta *coralliis* & ſimil: vtrique ſatisfacere indicationi, atque *non Bilem* tantum temperare, ſed inſuper *Liquorem Acidum* in corpore peccantem, ſive illum quis ſuccum Pancreaticum ſive alio nomine velit indigitare obſervarunt certe Auditores noſtri ægros in Noſocomio Adſtendemico. Intermittentibus febribus laborantes mixturis, pro Frigoris cloriſque ipſos vrgentis ratione præſcriptis; ſemper ex ipſis levamen ſenſiſſe, poſtquam illis caſu vel ſponte neglectis ſemper habuerunt peius, vti contra iiſdem aſſumptis melius: Quod accidere docuimus & per experientiam demonſtravimus in febribus inmittentibus, idem obſervabunt fieri in Paroxyſmis Arthriticis quotquot ſub illorum initia exhibebunt ægris ſimilia remedia; additis tamen ſemper ob dolorem ipſos præſertim vrgentem, *ſtardynis* & *Narcoticis* copia & quantitate ſufficiente: Cum enim primarium & maxime vrgens in Arthritide ſymptoma ſit dolor circa articulos hærens, merito illi ante omnia medicina aptatur conveniens, Hæc non tantum vbi dolor ſævit exhibenda, verum vt quantum poſſibile præcaveatur; in tempore ſaltem minuatur & tollatur mox ſub paroxyſmi initia vſurpanda; ſatius namque eſt prævenire quam præveniri; Quaprorer moneo omnes ac ſingulos qui ſibi ægriſque ſuis bene conſulere volent, vt in anteceſſum arthriticis præſcribant *mixturam* ipſorum humoribus convenientem ipſamque *Febrifugam* & *Anodynam*, quam mox vbi acceſſum ſentiunt arthriticum aſſumant ægri, ne procraſtinando eius aſſumptionem paroxyſmum ſuo damno & culpa patiantur graviorem Experientiam enim ſi ſi quis conſulat, comperiet illa medicamenta quavis ſymptomata nec dum valde vrgentia demulcere ſolita humorum acrimoniam contemperare atque ſic aut emendare, aut ſaltem ad faciliorem ſecretionem excretionemque diſponere. 2. Dolores, anguſtiis,

aliaſque

aliaſque moleſtias præveniendo leniendove vires omnes corporis conſervare, atque à ſui proſtratione ſemper noxia præſervare. *Fr. Syvius.*

67. *Sunt compeſcendi*) Humor afficiens *Serum* eſt, Salium rodentium vehiculum, adeoque *Arthritica primi generis* ſunt *Seri correctoria*, ſeu quæcunque eius quantitatem, copiam oneroſam, qualitatem, acrimoniam acidam & ſalinam, & affluxum motumque ad articulos, vna vero & huius fontem reſpiciunt: Corrigunt Serum vniverſalia excernicula v. g. *Purgantia*, *Diaphoretica & Diuretica*, in & extra paroxyſmum, vt citra hæc Arthriticos curare plane ſit fruſtraneum: Imo hæc ipſa communia quædam hoc reſpectu quaſi ſpecifica redduntur & obſervantur, v. g. ex diaphoreticis *Spiritus eboris*, *c. c. lumbricor. volat. ſalis armon. Tartari ſimpl. & comp. Sal. c. c. volat. antimon. diaph. Bezoart. mart. miner. Ioviale. cachecticum*, Ex Diureticis, *lapid. cancror. ſpir. ſalis tart. Aperit. Peneti*, *mixtura antipod. Cnœſel. Tinctura Tartari. ſ. &c. Arcan. Tartari*, *Clyſſus antimon. omnis*, *cumprimis vero Tartareus ſimpl. & martialis* Ex purgantibus, *maſſa Pil. Tart. hermodactyli*, *oſſa humana calcinata* vt *Elect. Caryocoſt.* &c. Corrigunt *Seri vitia*, quoad cauſam remotiorem antecedentem, nempe *obſtructiones*, & *δυσθέσεις* hypochondriacas, aperientia, hypochondriaca, ſcorbutica, antartarea (Vide §. *Tartareus* ex *Wedelio*) aliaque quæ amurcam venarum abſtergunt, & generationem ſalinorum acriumque humorum impediunt, v. g. *Aqua antiſcorb. mixt. ſ. & antiſcorbut. Tinctura martis* variæ, *Antimon. Pul. cachecticus*, *cinnabarinus & alia*: *Corrigunt ſerum* leni terreſtreitate, vel oleoſi ſitate ſalino volatili balſamica demulcentia, *radix chinæ*, *cariophyll. ſalſapar. ſucciſa*, maxime in arthritide vaga ſcorbutica laudatæ, Ex herbis *chamædr. Succinata* item & ex his præparata, *Extr. chama.* ligna *aloes*, *ſaſſafras*, *Tinct. corall. cum ſpir. lign. eſſ. lign. chamædr. chamæpith. pinei*, lumbric. vtraque ſeu ſale volatili pollentia, ſeu ſulph. blando, ſunt arthritica, Corrigunt denique *Reſolventia*, (de quibus vide §. *Reſolvenda & diſcutienda*) ex *Wedelio.*

Compeſcendi) Cum iam humor in articulorum ſedem illabitur quæ eum ſiſtunt exhibentur; vt ſi ſanguineus ſit, quæ id *refrigerando incraſſandoque* faciũt veluti ſunt *ſyrupus violac. nymph. de endivia*, *de roſi. rubr ſiccis myrtinus*. *iulep roſac. violac. diſſolvendo cum aquis idem præſtantibus*, *acetos. plantag. lactuc. roſar. & ſim.* Decoctum item *prunor iniubar. ſebeſten* &c. quæ in febribus ſynochis conveniunt; Quod ſi vero humor defluens ſeroſus excrementitius in articulorum regionem feratur quæ & illum ſiſtunt varia proponantur, imo nonnumquam, & neceſſitate vrgente, Narcotica, in vtraque cauſa, ad dolorem atrocem mitigandum propinantur, Nec in illis vti creditur tantum eſt periculi, quin potius vtilitas in eo quod dolorem compeſcant, & ne novus fiat cavent maior ſequitur, & pro theriaca, mithridatium, doloris nomine in vtraque cauſa exhibentur, ſæpeque reperuntur, Quæ etſi à refluxu humoris ſeroſi fiat, ſi cum pauco addito dentur, eam cohibent & ſiſtunt, vnde & præcautionis gratia hæc nonnunquam dantur *Platerus.*

68. 1. *Venæ ſectione*) Phlebotomia in Arthritide recenti, aut non multum inveterata, & præſertim in conſtitutione calidiori, circa morbi initium celebrata, ſæpe iuvamen confert verum in morbo habituali, nec non temperamento frigido, ac ætate ſenili, plus obeſſe quam prodeſſe ſolet, quatenus *ſanguinis* & *ſpirituum*, haud nimis efferatorum vigorem deprimit, abſque materiæ morbificæ diminutione. *Willis.*

68. *Vena ſectione*) Sanguinis detractio erit convenientiſſima ſi illius penuria non adſit, & humor pituitoſus non abundet, quia ab humoris in articulos fluentis motu ſanguis exagitatur, & quaſi ebullit, & à dolore in partem affectam attrahitur, illius ideo revulſio neceſſaria eſt, quæ fit ex oppoſito partis affectæ; atque adeo ſi brachium dextrum afficiatur, in ſiniſtro vena ſecanda: ſi pes dexter laboret, vena dextri brachii aperienda, Idem quoque de brachio & pede ſiniſtro dicendum, Eſt autem ſanguis detrahendus ſtatim ab ipſo morbi initio, & quantum opus eſt, ſi vires ferant, vnica vice detrahendum, Sin minus iteratis vicibus, donec plenitudini ſit ſatisfactum *Riverius.*

Venæ ſectio, niſi arthriticis adhibeatur, vix curatio ſuccedit, inprimis in arthritide vaga ſcorbutica, ad deplendum ſeri ὀργασμὸν & exacerbationem, Venæ ſectio & purgatio catholica, ſunt remedia, quibus adhibitis, a reliquis vtplurimum intra xiv. dies liberati ſunt ægri penitus: Omiſſis vero ſæpe ſex, ſeptem & plures heldomadas magnis cum doloribus conſumpſere, non ſine metu etiam recidivæ; quæ non facile contingit ſi duo hæc obſerventur, *Wedelius Am. m. m. p. 208.*

69. *Non tamen frequente*) Multi ſunt quibus arthriticæ fluxiones ſunt, & propter dolorem ſubinde ſibi detrahi ſanguinem patiuntur, An ii pecant? ita ſane quia corpus & refrigeſcit, & nervi debilitantur, & quod maius eſt, facultas retentrix infirmatur. *Ioh. Picquet* fluxio arthritica & valde dolorifica incredibilis humorum rabies modo in has modo in illas partes, quia nervi, & venæ, & arteriæ ſanie quadam ſcatebant; phlebotomia quinquies celebrata melius habebat, prudentis, eſt medici videre, annon ſecure vena in his morbis aperiatur, an vero prudenter prætermittatur, Si facultatis retentricis imbecilitas, eſt, prudenter omittitur, Si cacochymia eſt, imo virulentia, quæ tantæ tragœdiæ author ſit, audacius id faciendum. *Gul: Ballonius l. 2. Ephem. & Epid.* Scio quoſdam exiſtimaſſe ſe iuvamentum accipiſſe ſi aliquoties in anno, non tamen doloribus affecti, venam ſecarent in pede, vel Cucurbitulas adhiberent; verum quam facti ſint miſeri memini. Initio venam ſecare in brachio rectiſſimum eſt, ſed tamen ſi ſæpe redeat malum propter intemperantiam, minime rectum. *Ioh. Crato lib. 4. Epiſtol.*

70. *Quantum plenitudo*) Hoc præ oculis ſemper habendum eſt copioſam ſanguinis detractionem, in iis qui illam facile ferre poſſunt, morbum maxime abreviare, ſi ſtatim ab initio celebretur, partitis ſaltem vicibus. *Riverius.*

71. *Variæ ſunt cucurbitulæ ſcarificatæ & Hirudines*) *Scarificatione*, adhibitis ſimul *cucurbitulis*, non ſolum ſi à ſanguine fiant, ſanguinem alliciendo, ſed & ſi ab aliis humoribus ſeroſis prodeant, quia eoſdem ſimul aliciunt, in præcautione vtimur: Quibus & in cruris carnoſis ſedibus, internis: vel pedum ſuris per vices factis, privatim podagricis, iſchiadicisque admodum competere experientia comprobatum eſt: Inprimis in Novilunio, ſingulis menſibus in planta pedis, circa *pollicis monticulum* inſtituendam pro ſingulari remedio ad podagram nondum inveteratam præcavendam nonnulli habent & ſuadent; Sed & in defluxionibus, & articulorum doloribus incipientibus, hæc quia humorem alio deducunt, conveniunt, ſi in parte ſanæ opoſita vel diſtante fiant, Et in *iſchiadicis* in *natibus* & ſuris, Atque *in homoplata dolore* in *ſcapulis ſcarificatio cum cucurbitulis* vel etiam *cucurbitula ſola* adhibeantur: Ad quæ & *Hirudines* referre poſſunt, quæ venis hæmorrhoidalibus admotæ, ſanguinem exhauriendo, in conſuetis præſertim, Emolumentum quoque afferre poſſunt. *Platerus.*

72. *Hirudines*) Inter Derivantia remedia locum habent *Hirudines* parti dolenti admotæ, poſt ſufficiēter evacuatum corpus, Tunc enim valde proſunt præſertim cum venæ in parte affecta diſtentæ & ſanguine turgidæ apparent. *Riverius.*

73. *Evacuatione per inferiora*) De purgatione circa morbi initia res valde controverſa eſt; dum medici quidam à catharſi omni ante paroxyſmi declinationem, aut finem, religioſe abſtinent. Aliqui è contra circa morbi initia Purgantia fortiora cōſtanter exhibent, & non raro cum bono ſucceſſu; Diſcriminis ratio potiſſimum in hoc conſita videtur, nempe quod arthriticis quibuſdam humorum ac vaſorum continentium conſtitutione, & tunc adhuc firmis, atque articulis nondum debilitatis, quoties *ſanguis & liquor nerveus* a pharmacia perturbátur, haud ſtatim ſuperfluitates eorum & recrementa in morbi mineram præcipitantur; quin ea medicamento irritanti, ſimulque incitanti obſequentia, ex arteriarum oſculis in cavitates inteſtinorum emulgentur, ac interim vaſa inanita materiæ morbificæ partem quandam retrahunt aut reſorbent: Secus autem in cōſtitutionibus teneris, & debilitatis, à leviſſima medicamenti commotione, vtriuſque humoris purgamenta in locum arthriticum decidunt. *Willis.*

Non tantum præmiſſis alterantibus vtendum initio paroxyſmi arthritici, cum non ſemper ita jn totum reſtitui queāt humores acres vitioſe effervescentes, quin copia ſimul excedentes ſui diminutionem non raro indicāt, Sicut enim humores quivis qualitate peccantes. In alterationem ac emendationem, ſic etiam iidem quātitate nimia peccantes ſui diminutionem poſtulant quæ nunquam fieri poteſt vtilius & commodius quam in paroxyſmorum principiis, quando ſcil. turgent humores, dūmodo ſint ad evacuationem apti, nec aliis craſſis viſcidiſque immerſi aut commixti, quod tamen non raro accidit: Quoniam vero de humorum in Arthritide copia peccantium vacuatione hic agimus. Obſervandū humores illos aliquando in tenui inteſtino prius vitioſe effervescere quam ad cor delatis paroxyſmum febrilem hinc & arthriticum producant, quando nimirū in Pancreate eſt huius mali *fons & focus* aliquādo vero in corde tantum fieri illam Effervescentiā vitioſam, quando nimirum in *Glandulis conglobatis* quibusvis latet huius mali origo prima: Quapropter prout in Glandulis conglomeratis pancreatis, aut conglobatis quibuslibet Focum Arthritidis ſtatuemur, ita diverſa erit purgantiū ratio ineunda Quotieſcunque enim in pancreate focus huius mali ſtatuitur, toties ad tres humores varios in purgatione inſtituenda erit attendendum, ad ipſum *ſuccum Pancreaticum*, ad Bilem, & ad *pituitam* in tenui inteſtino ſtabulantē: Succus pancreaticus cum à nobis Aciditate vitioſa peccare ſit dictus atque adeo alterationem non evacuationem indicet, fieri tamen poteſt vt ſimul copia peccet, cui evacuatio debetur: verum tamē *mihi hactenus incompertum eſt medicamentum humoribus Acidis, qua Acidis, evacuandis aptum*, Quinimo conſtat per experientiam multiplicem, cum difficultate atque ægrorum incommodo inſtitui purgationem in iis in quibus Acidus humor peccare obſervatur, propter tormina intolerabilia à purgantibus excitata: Quapropter donec compertum ſit medicamentum humori Acido cum ἀφοϱίᾳ educendo non auſim aut inſtituere in tali caſu purgationem, aut illam, aliis commendare: Novi equidem dari medicamenta Hydragoga, non tamen Acidos humores vacuantia: Atamen non negaverim illorum, ſi prius temperentur, ipſorumque Aciditas mitigetur, aut concentretur, inſtitui tunc poſſe per Hydragoga eductionem, verū vbi hoc extra paroxyſmum Arthriçum fuit neglectum, in principio ipſius tentari nequit, cum ſenſim pergat omnis alteratio nec ſubito contingat; Ergo ſucçi pancreatici, vtpote Acidioris, quoties ante Paroxyſmum quodammodo ſaltem non fuit temperatus, in eius principio per purgantia evacuatio inſtitui non debet, quia cōmode non poteſt, *Bilem* quod attinet, quoties illa ſimul peccat, & inprimis copia quoque, cum illius proprium ſit turgere, ipſa commodiſſime mox in paroxyſmi initio poteſt evacuari ac debet: quicquid enim eius educetur, ſive ſurſum ſive deorſum (prout viam deprehendetur affectare diverſam, id omne nullam producet Effervescentiam vitioſam, vt nec ardorem ægris tam moleſtum: Conſiderandum autem, ac ſedulo expendendum an pituita viſcida hæreat in tenui inteſtino cui implicetur, adeoque difficilius educatur tunc Bilis; Niſi enim ad fuerit viſcida pituita, ſine hæſitatione præſcribi & adſumi poteſt cholagogum: Quod ſi pituita, craſſa & viſcida deprehendatur in dicto inteſtino, illi & incidenda, & ſimul educendæ convenientia erunt adiungenda remedia, ne fruſtretur expectatione ſua medicus quin & Aeger ipſe, Poteſt enim fieri vt & *pituita* (tertius nempe in tenui inteſtino repertus humor) redundet, quæ idcirco etiam erit tunc educenda & vacuanda, Hæc pituita cum alias conſiſtentiam ſervet naturalem, alias viſcidior occurrat, non tantū ratione alterationis, ſed & ratione evacuationis peculiaris deſiderabit remedia, *Agaricus* enim *manna* & ſimilia pituitā dicuntur naturali cōſiſtentia prędıtam expurgare: *Turbith* vero *Hermodactylus, colocynthis* & ſimilia, pituitam perhibentur craſſam & viſcidam evacuare: viſcidam vero incidunt omnia *Sale volatili* abūdantia, & *ſapore aromatica* prædita, inprimis Gummata, *Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, opopanax, Sagapenum, maſtiche*, &c. Quoties ergo purgatione opus eſt vbi ſola *Bilis* redundat & turget, cholagogo vtendum & inprimis *Rhabarbaro*, vel *Scammonio*, à quo non quod ſibi metuat medicus dūmodo non peccet in dozi: Eſt enim medicamentum potens quidem, at ſimul blandum & Naturæ amicum; quod qui negant citra & contra experientiam loquuntur: Vbi præter *Bilem*, Pituita redundat, Purgans exhibendum ex *cholagogo* & *phlegmagogo* mixtum. Notandum autem ubi dubium eſt qua dozi commode purgari poſſit ęger, ſatius eſſe in defectu peccare quam in exceſſu, inprimis vbi turget Bilis, vt pote quæ tunc levi pharmaco educitur, adde quod tunc facile ſequatur hypercatharſis: Quare optimum in tali caſu eſt non ſimul ac ſemel, ſed repetitis vicibus exhibere medicamentum blandum, atque inprimis Apozematis forma, poteſt enim tunc ſingulis horis, aut rarius aſſumi eius hauſtulus donec incipiat fieri evacuatio tunc enim ab vlteriori aſſumptione ceſſandum, niſi per vnam vel alteram horam nulla deiectio, nullus deiectiones futuræ conatus obſervetur, parumque deiecerit æger; tunc licet repetere eiuſdem Apozematis aſſumptionem, dūmodo eam alia nō impediāt ſymptomata. *Fr. Sylvius.*

73 *Evacuatione per ſeteriora*) Cathartica podagricum humorem reſpicientia verè ſunt hydragoga: *ſyrupus de Rhamno* adverſus id malum ſpecificum eſt, immediatè ante cibum ſumendus, doſis ſit ℥ij. vel ℥iij.

Cremor tartari, additis 15. 12. cum 10. granis ſcammonij in aq. roſar præcipitatis, ſimul in vino albo diſſolvendo, ex juſculo, ſumendo addita guttā oleiè Cinamomo ſtillatitij, evadit remedium vtiliſſimum.

Cidoniatum laxatiuum, Lugdunenſe dictum, eiuſdem eſt efficaciæ.

Valet *radix hialapa* ex vino albo ſumpta ʒj. quantitate aut ℈iv. vtile & iucundum eſt remedium.

Sed omnium remediorum potentiſſimum eſt *Mercurius dulcis*, cuius ℈j. feliciſſimo ſucceſſu exhibetur, additis ſtimuli gratiā, ne moram trahat in corpore, xx. vel xxv. granis *maſſ. pilul. cochiar.* minor. fideliter diſpenſatarum & correctionis gratia aliquot auri ſolis, guttiſuè *oleorum diſtillatorum roriſmarini, aniſi* aut *cinnamomi*. *De Mayerne.*

73·Eva-

71. *Evacuatione per inferiora*) Purgantibus accedat ſpecificum pulvis ſcilicet noſter arthriticus, qui ſemel ſaltem in menſe, circa plenilulium, cùm maximè turgent humores, à ʒj. ad ℈iiii. plus aut minùs, pro morbi magnitudine, virium præſertim ægri habitâ ratione; vſurpari debet: Qui ſunt plethorici & podagrâ grauiter vexantur, ij. quoque illum in vſum ducere poterunt ſuſceptis præcipuè temperantibus, vno aut altero die aute nouilunium ex pingui caponis iuſculo vino albo, cremore hordei, lactis ſero, cuius hauſtum à ſumpto medicamento ingerere convenit.

℞. *Raſuræ cranij humani inſepulti, Turbith. hermodactyll. gialap. ſennæ cremor. tartar. diacryd. caryophyllor. ãã. ʒj.* miſceantur ac in ſubtilem pulverem terantur.

Bairus Medicus Italus, Summis laudibus extollit caryocoſtinum, cuius ſimplicia cùm maximè caleant, eiuſque operatio paulò vehemētior ſit, vix vtile puto ſiccis corporibus, ſed tātum ſummè frigidis & humidis ita ut prædictus pulvis vicem aliorum ſupplere poſſit, excepto mercurio cuius vim & energeian omnibus antepono, vehiculum ei debetur quod citò operationem perficiat, quales ſunt pilulæ cocciæ minores, ſimiliaque purgantia colocynthidē admittentia, ſcāmonium, helleborum nigrum, è quibus, ſi lubet, concinnati poterit extractū pilulari formâ permiſcendū Mercurio *De Mayerne*.

74. *Statim in principio*) Purgatio quamprimum, & in ipſo paroxyſmi initio inſtituenda eſt ſic enim fluens & fluxurus humor ab articulorum viis avocatur & ad inteſtina attrahitur. *Riverius.*

75. *Defenſio*) Ex *Solenandri* placito, qui vult vt exhibito medicamēto artus ſupra genua & cubitos obvolvantur aliquo defenſivo, quo humor fluens, ſi quis aſſumpto medicamento cōmotus eſt intercipitur; minus minore que impetu in articulos decumbat: In eum vſum ex *bolo malicorio, bolanſtiis, radicibus, biſtortæ*, vel *tormentillæ*; *roſis cum albumine ovi* & *aceto* conficit vnguentū, idq; inductum tæniis, ſeu faſciis palmū latis, & mediocriter longis ſupra dictis locis obvolvi; Vbi autem fluxio eſt vehemēs, faſciæ inducit linimentū ex *bolo, ſanguine draconis, album ovi*, & oleo roſarū omphacino: Vel prius ſine oleo cōpoſitum, cui ne ſiccatum & induratū dolores exciret parum olei prędicti, aut vngenti comitiſſæ addendum erit. *Riverius.*

76. *Ex poſca*) Si priora nō ſint ad manus, ſimplex vſurpatur

77. *Medicamentis fortioribus*) Ex *Solenandri* præcepto Purgatio fiat non blandiori aliquo & leniente medicamēto quo humores magis cōmoventur quā evacuantur & ad articulos pręcipitantur, vnde dolor & tumor acerbior iis ſolet ſuccedere, Sed aliquo ex fortioribus, quod humorem cōmotum evacuet & ab articulis avertat.

78. *Conveniunt*) Quibus Purgatio convenit, cum medicamento fortiori & elaterio inſtitui debet: In hanc rem vulgo celebria, ſunt *Electio Carioc. ſyr. de rhamno cath. Pulvis hermodactyl. compoſ. Pil. ex duobus, Pilulæ Raſis*, quæ, ſi authori credendum ſit, incedere non valentes mox pedibus inambulare faciunt.

℞. *Aloes opt.* ℥ß. *roſ. rub.* ℈ij. *hermodactyl. de cortic.* ʒiß. *diagr.* ʒi. *mell. roſ. q. ſ. Fiant Pilulæ.*

Rod. à fonſeca mire prædicat *rad. hellen. n.* & inter alia *Pomum cum fibris eius infixis ad* ʒß. ſub cineribus coctum & comeſtum.

℞. *Calomel.* ℈i. *reſin. Ialap. vel ſcamm. gr.* iij. *ol. caryoph. g. i. Balſam. Peruv. q. ſ. f. Pil.* iij. *vel* iv. *pro vna dozi. Willis.*

Laudatur Pulvis *Paracelſi a Crolio* deſcriptus, *Ialapa* omnibus præcipit palmam. *Pulvis hermodactylatus* à *Traliano* l. 11. commendatus commodius eſt,

Recipit, *hermodactyl. turbith.* ãã. ʒiij. *dacryd.* ʒiß. *maſtich.* ʒß. *ſacch.* ʒii. *m. Doſis* ʒß. *Rolfenkius.*

78. *Conveniunt in minus robuſtis*) Ingruēte podagrę paroxyſmo convenit, ſin minus *Purgantia blanda*, ſed miſtis *temperantibus acida* v. g. *oſſibus humanis prap.* vel *calcinatis*, conducunt; Aut *Pilulæ aloetica* cū appropriatis prębeātur ad imitationem *Tachenij* 439. *Etmuler.*

79. *Syrupus de ſpina cervina*) Olim in aula frequens fuit *Syr. de ſpina Cerv.* qui domeſticus appellatus fuit, quo multi Aulici in podagra & aliis morbis, cum leviter purgot, & ſeroſa educat, qua preſervatione cum fructu uſi ſunt: quem ſyr. ſingulis ſeptimanis, exhiberem ſemel, vel certe ſingulis quatuor decim diebus. *Ioh. Crato in conſ.*

80. *Pulvis Caryocoſtinus*) *Ex hoc paratū* Electuariū mirabile eſt ad auferendos dolores juncturarū, ſubito ſolvens ſine moleſtia ignitum calorem extinguens & contēperans membra patientis in tantū vt à ſella redeat ad locum proprium ſine alterius auxilio, ſicut in me ipſo expertus ſum &c. Tandem cogitavi longe præſtantius eſſe vti regimine pręſervativo quā expectare quoad dolores me ſurriperent, nam ſtatim cum ſentiebam me habere ſigna repletionis, capiebam de dicto Elect. vt ſupra, & hocter vel quater in anno, ita quod ſunt modo plus quam xxvi. anni, quibus nullo modo a dictis doloribus fui moleſtatus, & adhuc eundem modum abſervo: *Galenus 2.* ℔. ad *Glav* huius Elect. mentionem facit: *Pect. Bayrus Pract. l. 18. c. i*

Non abſ re fuerit ſi ſemel ſaltem in menſe caperet ex *Elect. Caryocoſtino* ʒii. *vel* ʒiii. *vel ad ſummū* ℥ß. mane horis 4. ante prandium, quod maxime cōmendatum eſt in hoc genere morbi, ſicut experimento ſæpiſſime cōprobatum: Non ſolum ſolvet alvùm, ſed etiam materias morbificas educet. *Hier. Capavicaccius in conſ. Scholizii conſ. 26. l. 7.*

In ipſo paroxyſmo materia iam articulos obſidente, purgatio adhiberi debet: Exhibeatur tum *Electuar* quod *Baynis Caryocoſtinum* vocat: *Solenander conſ. 24. & 25. ſect.* 4. vide §. 73. pag. 167.

81. *Evacuatione per vomitum*) Ingruente podagra vomitus convenit, ſed præmiſſo vſu *lapidum cancror prapar.* Nam acidum eius oritur in ſtomacho, hinc imminēte podagra appetitus ſine manifeſta cauſa eſt proſtratus, & ſudores conſueti alias ſponte ſupprimūtur, Sin vomitus inſtitui nequeat, purgātia blāda. *Etmuller.*

81 *Evacuatione per vomitum*) Vomitio, quibus tuta ſolet eſſe, ac facilis, etiam in hoc morbo convenit, ob quem finem *Tartarus emeticus minſicthi. ſulphur antimon flores eius mercurius vita, vinum Emet. gutta gamba* adhiberi poſſunt. *Willis.*

81. *Evacuatione per vomitum*) Præter proprie dictam Purgationem, qua per alvum evacuantur humores præter ſanguinē redundātia peccantes, non raro locum habere poteſt evacuatio per *vomitum*, qui tum tantū inſtituendus 1. quando ſurſum vergunt humores, atq; nauſea id manifeſtanti 2. quando facilitas eſt in ægro ad vomendum. 3. cum ſatis conſtant vires, ſuntque illæ non proſtratæ aut conſumptæ oppreſſæ namque vomitione optime levantur. Abſtinendū autem á vomitoriis, quādo nullus eſt humorum conatus ſurſum 2. cum nulla eſt ad vomendum facilitas, ſed contra magna vomendi difficultas in ægro 3. quādo deiectę cōſumptæve ſunt ægrorum vires ipſique languent. Cæterum quoties vomitus inſtitui poteſt; commodiſſime inſtituitur, quoniam ab Inteſtino duodeno, & Loco vbi in hoc inteſtinū ſeſe exonerant Folliculus Fellis & pancreas, ad ventriculum via eſt breviſſima, raro tranſverſam manum ſuperans, à ventriculo autē per oeſophagum via eſt brevis, & facile vomentibus tuta & commoda hanc autem viam & vomitionem curandę Arthritidi vtilem eſſe non ſemel cōprobavit experientia, per quam conſtat vno vomitorio non tantum paroxyſmū arthriticū, verum inſuper novi ortum in longum tempus dilatum. Id contigit Dom. N. bis hoc & ſuperiori anno & quidem cum ſucceſſu felici, quamvis vomitio ipſi acciderit cum ſummis difficultatibus: Hoc experimēto confirmatur *Focus* à me nominatus. Pancreas vna cum inteſtino tenui, Hoc eodem experimēto confirmatur mea ſollicitudo de vomitoriis non quibuſvis ægris, ſed ad vomendum facilibus & be-

ne diſpoſitis exhibendis, quamvîs enim felix fuerit ſucceſſus in prædicto N. fuit tamen cum manifeſto vitæ diſcrimine coniunctus, Inter vomitoria præ cæteris omnibus præfero *Antimonialia*, quotiès *bilis* præcipue peccat, vbi *Pituita* redundat, *mercurialia* laudo vel ſola vel aliis admiſta, quia præ cæteris Pituitam etiam viſcidam educunt, quam etiam incidunt, quapropret *mercurius ſublimatus dulcis* optime hic audir etiam ad humores pituitoſos per oleum educendos: Ex *vitriolatis* conveniunt quoq; *vitriolum album* ac *vitrioli ſal* quæ vim quoque habent humores viſcidos incidendi hinc & ipſos & facilius educendi. *Fr. Sylvius*

Blanda vomitoria exhibenda ſunt, quæ tantum partes ventriculo vicinas evacuant, Si enim vehementia ſint, & è venis attrahanr humores, eoſdem ad articulos præcipitare poterunt: Tum poſt vomitiones catharſis etiam molienda, quę ſi vnica non ſufficit iteranda. *Riv.*

81. *Evacuatione per vomitum*) Vomitus podagræ prophylacticum eſt præſtantiſſimum, qui poteſt provocari emeticorum ope, in inſigni plenitudine, vbi juncturæ admodum laxæ & morbus præ foribus eſt, atque vbi podagricus ſui eſt juris, Medici imperio non parens, ſed genio in valetudinis incõmodum plerumq; indulget.

Ex vomitotiorum claſſe, hoc vſu tritiſſimum eſt, ſucceſſu nunquam irrito exhibitum, ſcilicet infuſi croci metallorum in alkool redacti, optimè loti, macerari in ℥ij. vel ℥iij. vini albi per horas 24. exhibendo eiu s colaturam cũ ℥j. oximell. ſimpl. manè vacuo ventriculo, dato pauco juſculo pingui, poſt ſingulos vomendi impetus.

Id genus remedij vim ſuam cum aliqua violentia exſerit; ideo non omni corpori æquè eſt conveniens, ſed illi ſolùm quod ritè à natura ad id eſt comparatum: malùm verò radicitùs tollit, neque vnquam fruſtra probatur, & quamvis comite aliquâ moleſtiâ, innoxium tamen eſt modo tempeſtivè exhibitum.

Vitrioli albi depurati ʒj, in aquâ hordei diſſoluta aut cùm concervâ aliquâ exhibita, inferto deſuper eiuſdem aquę magno hauſtu, cui multa liquiritia incocta ſit, eluit ſimulque roborat ventriculum in mollioribus corporibus & vbi humor è penitioribus partibus nõ eſt elieiẽdus

Valet quoque emulſio 25. aut 30. granorum Catapuciæ majoris, additi 2. vel 3. amygdalis, facta cum iure pulli & tranſcolata, aut aqua hordei ſacchari dulcorata. *De Mayerne.*

81. *Evacuatione per Vomitum*) Per vomitum purgatio corporis neceſſaria eſt, præmiſſâ priùs præparatione per remedia leptomeniâ prędita, & ſpirituoſa quę ἀκερ?πτως tartareas adotiantur qualia ſunt ſpiritus acidi vitrioli, ſulphuris, ſalis qui ex quovis liquore, conſervis, aliiſque propinari poſſunt; Tartari. tum Cremor, tum ſpiritus tùm ſal, materiam ad excluſionem patant. *De Mayerne.*

Convenit quoque ſæpius à cœnâ concitatus vomitus; ventriculo cibis prius gravato, cuius laborem nox ſequens emendabit, patientemque inſtaurabit: Semel ad minimum in menſe id evacuationis genus advocabitur, vt pote maximè efficax remedium, ſaltem vere & autumno vel neceſſitate poſtulante, cujuſvis tempeſtatis initio. *Idem.*

82. *Evacuatione*) Quæritur num *Salivatio* vacuationis vniverſalis vicem ſubire queat, Et An *illa* conveniat circa initia Paroxyſmi Arthritici? Reſpondeo me nullam eius rei habere experientiam; neque vllam quoque mihi ſuccurrere rationem quæ eius vſum ſuadeat, ſed plures quæ diſſuadeant, Neque enim in pleriſque mox feri poteſt ſalivatio, ſed poſt aliquot demum dies, quo nomine inepte inſtitueretur hic ſalivatio, Addę quod lente hæc procedat, hic vero opus eſt vacuatione celeriter ac brevi abſolvenda: Accedit quod ſi quis ſalivationem nimium promovere ſtudeat, in evidens vitæ diſcrimen ægrum coniiciat: Non negaverim tamen in quibuſdam pituita multa, eaque viſcida gravatis, Arthriticis vtilem quandoque fore, ac non in ipſo paroxyſmo, verùm tempore libero & vbi conſtãt vires, dummodo alia tunc nõ negligantur, verum cæterorum humorum ſimul peccãtium ratio habeatur exacta Salivationem à *mercurialibus* medicamentis excitari notiſſimum, & vix ab aliis, quamvis non ſemel obſervaverim *Salia volatilia* levem excitaſſe Salivationem, minime gravem aut moleſtam, qualem ſolent producere mercurialia cum gingivarum & genarum & linguæ exulceratione & profunda & nonnunquam periculoſa. *Fr. Sylvius.*

83. *Evacuatione per ſudorem*) Convenit & per *Diureſin*, ſed præmiſſa purgatione: Qui enim Arthriticos curare præſumũt methodo *Helmontiana*, ſine venę ſectione, ſine purgatione, ſolis diureticis vel diaphoreticis, fruſtra ſunt, & longius macerant ægros, & ſæpe ex vaga fixam. ex fixa nodoſam arthritidem reportant. *Wedelius.*

83. *Evacuatione per Sudorem, temperatis ſi ebullitio vehemens*) Poſt ſufficientem purgationem *Sudorum provocatio* maxime conferre poteſt, ſic enim ſeroſa materia per habitũ corporis diſcutietur: Verum cum in Arthritidis invaſione fiat quaſi quędam ebullitio, & plerumq; febris adſit, calida ſudorifica non convenient, ſed temperata tantum, Ex quibus cõmendat *Sennertus cornu cervi* vel *crudum*, vel *ſine uſtione præparatum*, aut ſolũ aut cum *aq. card. ben.* Tum etiam *antimon. diaphor Riverius.*

In omnibus Articularis morbi ſpecibus nullum ſalutarius, nobilius, præſentiuſque remedium experientia longa comprobare potui quã Potionem Sudorificã ex nobiliſſima rad. *chinæ* & Sarmẽti Indici paratam *Fr. Ioel.*

83. *Evacuatione per ſudorem*) In paroxyſmo arthritico proſunt *lapidum, oſſium*, & *teſtaceorum*, nec non *vegetabilium acrium* pulveres, quæ morbi huius *alexiteria* dicta, particulas quaſque ſubiugant, cumque iis effervescendo quaſi mortificant, & demum ſubiugatas per vrinam aut ſudores foras eliminant.

℞. *Pulve. chelis compoſ.* ℥ij. *eboris, rad dictam. cr. rad. peon. mar.* ãã. ʒj. *ligni aloes. ſant citr.* ãã. ʒß. *f. Pulvis, ſumatur* ʒß. *aut* ʒj. *aut per ſe in cochl. aqu. papav. rh. ſuperbibendo aqu. cochl.* vj. *Vel redigatur in Bolum aut Pilulas cum theriac. Androm. aut tereb. ven. q. ſ. dozis* ʒj. *bis in die ſuperbibendo aq. diſtill. ſupra præſcripta* ℥ii. *vel* iii. *vel*

℞. *ejuſdẽ pulv.* ʒvj. *conſ. flor. tunic. beton.* ãã. ℥. ß. *diaſcord.* ʒij. *ſyr. de mecon. q. ſ. F. Elect. dozis.* ʒj. *aut* ii. *m & c Willis*

Martinus Rulandus ſequenti vſus eſt feliciter.

℞. *Summit. contaur. min. m. rad. aſari* ℥ii. *bulliant in aqua* ℔x. ad *medias & colentur. capiat.* ℥vii. *calide mane per aliquot dies & ſudet.*

83. *Evacuatione per ſudorem*) Ad vacuantia pertinet *Nitrum*, educit id per renes & veſicam ſubſtantiam tartaream, quæ facilè coit in calculum, in iis qui ad podagram vergunt, aſſumitur declinante lunâ ad ʒi. aut ʒii. quantitatem cum aquâ hordei, vel ſaccharatâ.

Tandem Antimonium diaphoreticum Crolliano modo præparatum, ſudores promovet, in laconico vel lecto exhibitum, ex ſapâ vel 2006. granorum ſambuci, ſemel aut bis in menſe pro corporis plenitudine, aut ſi in diætâ grauius erratum ſit. *De Mayerne.*

83. *Evacuatione per ſudorem*) Ad evacuantium claſſem pertinent quoque *Sudorifera* humores noxios expellẽtia; vt & *Diuretica* eoſdem per vrinas propellentia: Hæc vtraque ſecundũ magis & minus differre videntur, vnde non raro eadem medicamenta vtramque præſtant evacuationem: Eadem vero *Sudorifera* & *Diuretica* vim fere habent humorũ acrimoniam temperãdi ſicque Effervescentiam vitioſam cohibendi, quinimo humorum vitioſorum à bono & laudabili ſanguine ſecretionem, hinc & excretionẽ dictam geminam promovendi. Prout enim humores alterandi expellendique craſſiores ſunt ac viſcidiores, aut tenuiores magiſque ſeroſi, ita vel per vrinas vel per ſudores expelluntur frequentius:

Ad

Ad *Sudoriſera* verò & Diuretica, quodammodo revocari poſſunt medicamenta alterantia ſupra (Vide §. *Humores ebullientes ſunt compeſcendi*) memorata, & initio paroxyſmi commendata; utpote quæ alterando humores vitioſos emendant, eoſdemque in totum emendari ſi nequeant, aliqua ſui parte correctos à ſanguine bono ſecernunt, & ſi ſecerni potuerint, una opera cum urinis aut ſudoribus è corpore expellunt. Illud enim notandum, medicamenta iſta, ſi modo à me præſcripto, & millies in ægris à me obſervato exhibeantur, nec ægri tegumentis multis, utplurimum noxiis urgeantur, ſed blande eorum operatio expectetur, ſemper cum εὐφορίᾳ uſurpari, ac inde ægros levamen ſentire, quia nihil adeſt hic coacti, quin omnia peraguntur leniter & blande: Pleraque autem *Sudoriſera* & *Diuretica* ſi quis accurate examinaverit, obſervabit abundare *Sale* volatili, quin omnia fere *Sale volatili abundantia eſſe Sudoriſera & Diuretica*: Non nego eſſe nonnulla Sudoriſera & Diuretica, in quibus fruſtra ſalem volatilem perquiras, ſed & affirmare auſim, eadem non tam per ſe quam per accidens eſſe talia, dum ſcilicet impedimenta quædam tollant magis, quam ut vel Sudores vel urinas moveant, qualia ſunt *Tartarum vitriolatum*, & ſimilia quæ pituitam viſcidam incidunt, & hactenus Sudoris urinæque impeditorum propulſionem adjuvant. *Fr. Sylvius.*

Ego & ratione & experientia multifaria adductus, ratutam c. c. in petia, & impoſitam potui, certum habeo & urinam provocare, & corpora modo ad id proclivia ſint, facile ad ſudorem diſponere, ſi præſertim mane in lecto ſe contineant & membra foveant, quod qui faciunt, Podagra fere liberi ſunt. Ioh. Crato. Obſervatum quibus ſudor largior contingit, quibus *diaphoretica & diuretica* adhibentur, in & extra paroxyſmum unice levari, ut citra hæc arthriticos curare plane ſit fruſtraneum. *Wedelius Am. m. m. p. 205.*

84. *De coctum Bardanæ, ſeu Lappæ)* Retulit mihi N. ſe cum in lecto decumberet ex articulorum doloribus, ut nulla membra movere poſſet, bibiſſe *Decoctum cereviſiæ* in qua *radix* lappæ incocta erat, quo epoto, cum nullis remediis à Medicis curari poſſet, plurimum minxit lotium album inſtar Lactis, à doloribus curatus fuit. *Petr. Foreſtus Obſerv. 7. lib. 29.*

84. *Decoctum Bardanæ*) A *Foreſto* laudatum, quod incidat, diſcutiat, ſudores & urinas moveat: Is refert quendam arthriticum in lecto decumbentem, ut nullum membrum movere poſſet, bibiſſe cereviſiam calidam, in qua dicta radix cocta erat, qua epota, cum nullis remediis à Medicis curari poſſet, plurima minxit alba inſtar lactis & à doloribus liberatus fuit.

Hercules Saxonia panis recenter è furno extracti & aut xii. ordines ſecundum omnem corporis circumferentiam admovet, quibus ſudor copioſe promovetur, & dolores auferuntur.

Convenit etiam non parum ſtupha humida ex *decocto ebuli, lauri, Salviæ, roriſmar. & ſim. cum vino* albo parata, ut illius decocti fumum recipiat æger in doliolo, unde copioſus ſudor excitatur.

Aquæ etiam thermales balneo ſudores provocant, & materiam in articulis contentam prompte diſcutiunt: Ideo cum ægri eas adire nequeunt, aqua earum transferri ſolet, & in lebete calefieri pro Balneo. *Eraſtus* conſerv. 115. hoc reliquis præfert ad mitigandos dolores, ſed in aqua tantum ſalis incoquit, ut guſtus clare ſalſedinem percipiat. *Riverius.*

85. *Repulſione*) Etiamſi fluenti in partem humori Repellentia debentur, attamen hic improbantur, ſaltem ſola, & ſine aliorum permixtione adhibita; Nam ſi humorum in partem influxum omnino impediant, metus eſt ne illi ad partes internas retrocedentes, periculoſos affectus inducant, niſi ad alium aliquem articulum transferantur: Adde quod humor jam influxus ad partem intimius impingatur, unde dolores acerbiores excitantur: Attamen ſi maximus initio fiat humorum, præcipue calidorum affluxus, ex quo doloris acerbitas metuenda ſit, cum quadamtenus reprimere conveniet, admotis repellentibus non ſolis, ſed cum anodynis permixtis, poſt univerſales & ſufficientes evacuationes, Tum enim nimis laxantia humorum affluxum promovent, Itaque prædictis cataplaſmatis &c. *plantaginem*, *lactucam*, *portulacam*, *ſempervivum* & ſimilia addere licebit, E. g.

℞. *Far. hordei* ℥iij. *coqu. in oxycrato, adde vitell. ovor. no.* ij. *croci* ℈j. *f. Catapl.* Vel.

℞. *Roſar. rubr. m.* j. *far. fabar. hord. & fœnugr.* ā ā. ℥j. *ſantal. rub.* ʒiß. *flor. chamom. p. j. coctis & contuſis adde vitell. ovor. n°.* ij. *aceti* ℥iv. *ol. roſar. q. ſ. Catapl.* Riverius.

Repellentia ſupra partem tumidam adhiberi non debent, ſed mitigantia & refrænantia, ut vocant. Nam in ea parte humor fluens dolorem facit, qui in medio muſculi inter deſcendendum non faciebat, ob partium ſtricturam & ſenſum: Vaſa ſunt magis conſtricta, neque tam libere partes ob dolorem dilatari poſſunt; at adſtringentia illa dilatationem impedirent & conſtrictionem augerent; quare ab illis eſt abſtinendum, niſi tempore ſanitatis, quia illa partem corroborare poſſunt, & laxitatem caſtigare: Verum paulo altius verſus emunctorium, & in parte interna magis quam externa; in eo enim loco ſunt plura vaſa majora & magis denudata; illa enim materiæ tranſitum prohibent: quare ſi multa eſſet plethora, prius inanita eſſe vaſa oportet, ne corpus lædatur, vel ſtatim evacuare redundantiam: Illa enim eſſe poſſunt communia, quæ in circuitu partium inflammatarum, vel in fluxu ſanguinis apponuntur. *Rondeletius.* Vide §. *Doloris mitigatione per*) ex Fr. Joele.

Externa Repellentia ſunt duplicia 1°. quædam agunt refrigerando, hæcque nonnunquam tolerari queunt: 2. Quædam adſtringendo, & hæc nullo modo. Non raro cum in morbo articulari & Podagra humores penetrarint, & inde repulſi in partem irrepſiſſent principem, ingentibus hominem correptum fuiſſe *periculis* obſervavimus, Utramque ſalutis ſpem fuiſſe, ſi ad artus eos rettahere potuiſſemus. *Rolfinkius.*

85. *Repulſione*) Quæcunque magis impingunt & figunt humores, præ cæteris nociva ſunt articulis: Repellentia hinc dum exhalationem & diſcuſſionem remorantur, nocent; Adde quod ſpiritus coagulent & figant, quibus deſtituta pars cedit in morbi poteſtatem magis; ut taceam gangrænam inde ipſam per extinctionem caloris fieri poſſe: Exemplum hujus rei præbet egregium *Renealmus* Obſer. 39. ubi de *phlegmate vitrioli* prædixit ab externe applicito illo ad horam ſedatum iri dolores, exin ſolito acerbiores recurſuros podagrico, quod factum. *Wedelius Am. m. m. p. 213.*

86. *Proſunt aquæ*) Probatur ſequens Cataplaſma *Symphoriano Campegio*, Anodyna, *inquit* catapl. in acceſſionibus podagricis & arthriticis, à me experta ſæpius, & maxime quando dolor eſt acutus cum multa inflammatione loci à materia calida.

℞. *Far. lentium* ℔j. *ſangu. drac. boli Arm.* ā ā. ℥iij. *camph.* ʒj. *far. hordei* ℔ß. *diſtemperentur cum oleo roſato, & aceto, f. Cat.* Ex eodem, *Platani folia viridia trita.* &

cataplaſmati impoſita, in genibus inflammationes tollunt, podagricis & arthriticis ſuccurrunt.

86. *Proſunt aqua*) *Repellentia* mox in principio, dum cauſa fluit adhibentur, quæ vel *adſtrictione* vel *frigiditate*, ſi à ſanguine ſit affectus, aut ſummopere locus calcat, illud præſtent; Quibus *repellentibus*, vel ſolis, vel admixtis ſimul *anodynis*, aut nonnihil *reſolventibus*, hoc pacto utimur; *Aqua frigidiſſima* dolentem locum perfundere docet *Hippocrates*, quod cum admodum repellendum & refrigerandum fieri poteſt: *Nivem* adhibitam aliquibus profuiſſe conſtat: *Acetum frigidum* infuſum, vel ex panno applicatum, ſæpe repetitum aliqui valde laudarunt; Miſtura ex *aqua* tribus partibus, *aceti* una; vel ex *aquæ* tribus, *vini rubri adſtringentis*, p. ij. in qnibus *furfur. farina ſem. lini*, coquuntur, emplaſtri vice commode verſus *augmentum* applicantur: *Platerus*, ubi plura.

II. [87] *Dolor mitigandus*, [88] cæteris ſæpe indicationibns poſtpoſitis [89] per anodyna [90] & narcotica, ne nimiæ vigiliæ concitentur, vires dejiciantur, & attractu humorum malum aggravetur. [91] Inter *illa* eſt [92] *Lactis* cremor, *Medulla panis* albi in lacte decocta cum pauxillo [93] ſacchari ſaturni, vel etiam cum ovi vitello & exiguo croci, additâ caſſia· [94] *Caſeus ovillus* recens ſæpius admotus. *Butyrum* inſulſum in quo vivæ ranæ decoctæ ſunt: *Phlegma* ex diſtillatione cranii humani nigrum & fœtidum. *Pulvis lapidis Bezoar*, vel *C.C. præparati* cum melle & aceto roſaceo calore levi permixtus & appoſitus. *Spiritus ſalis armoniaci* apud Hartmannum· [95] *Aqua antipodagrica Rulandi* apud eundem· *Sanguis humanus deſtillatus cum ſale armoniaco.* [96] *Cataplaſma* ex *medulla Caſſiæ* unc. ij. *theriacæ recent.* dr. ij. *farinæ hordei* & *avenæ* ana unc. jſ. *micæ panis albi* unc. ii. *lactis vaccini* lib. jſ. addito *vitrioli calcinati* & ſubtiliſſimè pulverizati dr. ii. coctis. Aliud ex *lenticula aquatica* & *floribus Chamameli* in lacte coctis, cum *farinæ hordei* pauxillo, [97] *Oleum* ex pedibus vitulinis contuſis, confractis & ad putrilaginem coctis, [98] olea ceræ & α oſſium humanorum non humatorum, confractorum, ignitorum, in oleum vetus conjectorum, hinc per retortam diſtillatorum, Cratoni laudatiſſima. Nota tamen. [99] Cautè adhibenda pinguia, tum quia inflammatio in arthritide ad eryſipelatis naturam accedit; tum quia illa poros obſtruendo, humorem retinent, & dolorem augent. [100] Ex *Narcoticis* ſunt, [101] *Folia Nicotianæ* recentia contuſa & admota. Decoctum *ſolani*, *ſempervivi*, *capit. papav.* *hyoſcyami*, *mandragoræ*, cum *floribus chamameli* in lacte. *Mixtura* ex *ſacchari ſaturni* ſcr. iv. *ſalis ſaturni* dr. ſ. [102] *Opii*, [103] *Caphuræ* in aceto ſolutæ ana ſcr. ſ. *Aquæ flor. ſambuci* unc. j. pluma ſæpius repetendo illita. [104] *Alia*, ex *Spiritus vini* per croci infuſionem flaveſcentis unc. iv. *Camphoræ* ſcr. j. parum bullitis & *opii* diſſoluti dr. j. qua pars dolens illinenda.

87. *Dolor*) Dolores Arthritici non videntur remedia externa reſpuere, quæ aut Dolorem ipſum *præveniunt & arcent*, aut ipſum *leniunt & demulcent*? Præveniunt & arcent remedia externa, quæ *partem laxant* ſicque minus ſenſilem efficiunt, ut & quæ *humorum acrimoniam* temperant de quibus ſupra actum, (vide §. *Humores ebullientes compeſcendi*) quo referri quoque poſſunt quæ ſenſum partis hebetant & ſtuporem ipſi inducunt, *Narcotica* omnia, *Theriaca* &c. Augeſcente autem paroxyſmo Arthritico una cum dolore, augenda ſunt eadem Anodyna & Narcotica, eademqve copia majore, frequentius ſaltem exhibenda; Sed non tantum interna, quin Externa quoque adhibenda ſunt, uſurpantur vero forma varia, *Cataplaſmatis*, *Fotus*, *Linimenti* &c. Inter cataplaſmata non immerito laudatur paratum ex *mica panis triticei* & *albi*, Ex *lacte dulci* cocta, addito tantillo *croci*, quod dolores admodum demulcet: Ubi autem *ardor acrior* comes eſt, loco *lactis dulcis* uſurpari poteſt *ebutyratum*: Quin & *ſambuci*, *chamameli*, *Romani* præſertim *flores* & ſimilia non incommode poſſunt ſimul incoqui & addi. & quidem pro ſymptomatum diverſitate diverſa: *Fotus* fiunt ex ſimilibus, in *aqua*, *Cerevisia*, *Lacte* &c. coctis, & cum ſpongiis aut pannis applicantur; *Linimenta* parantur ex *pinguibus* & anodynis, quoties pinguia ferre poſſunt ægri, quo ſpectant *axungia porcina*, *Vngu. roſ. popul. martiatum &c.*) *Ol. lilior. albor. violac. chamæmel.* &c. pro humorum peccantium varietate diverſa: Huc referri poteſt *Sapo Venetus* (ut taceam quædam ex Sapone extracta medicamenta) ſi linteo affricetur & parti dolenti applicetur: Inter cætera etiam laudo *Theriacam* Emplaſtri forma dolenti parti mox applicatam, uti hoc aliquoties cum ſucceſſu notabili uſurpavi. Quod ſi, (ſicuti fere fieri ſolet) augeatur, permaneat ſaltem febris in arthritici doloris augmento, uſurpanda ſunt medicamenta illi debellandæ utilia, in arthritico dolore tanto utiliora, quod cum febre accedat, cum febre augeatur. Arthritis. Vnum monemus, In quibuſvis medicamentis febri Arthriticæ præſcribendis, ad ipſam arthritidem attendendum, cujus ratio exacta ſemper habenda. In *ſtatu* paroxyſmi Arthritici, quo tempore ſymptomata omnia, Dolores præſertim, ſolent eſſe graviſſima, uſurpanda medicamenta eadem, potentiſſime ſedantia & lenientia, niſi ex iiſdem ſtatim ab initio commode uſurpatis ſymptomata omnia reddita fuerint leviora, ipſeque adeo paroxyſmi ſtatus & vigor ſolito blandior & levior. Obſervandum enim quamvis ſibi & Naturæ relictus affectus, ſymptomata ſoleat in augmento quam ſui principio habere graviora, & in ſtatu graviſſima, idem tamen non ſemper accidere, ſi convenientibus utatur Medicus medicamentis, quorum ope non tantum uniuſcujuſque paroxyſmi duratio ſæpe numero redditur brevior, ſed inſuper ſymptomatum vehementia levior, adeo ut futurus ſtatus nonnunquam ita lenis ſit ut pro declinatione haberi tunc poſſit. *Fr. Sylvius.*

87. *Dolor mitigandus*) Ante tentandam mineræ impactæ diſcuſſionem; fibrarum & ſpirituum excandeſcentiæ leniendæ: Poſteriori enim huic intentioni incumbendum erit, qua non peracta alteri minime ſatisfiet: In hunc finem igitur remedia tum *Externa*, ſcil. *topica* varii generis, tum *interna*, ſcilicet hypnotica adhibere expedit. *Willis.*

Dolorem Lenientia hic maxime neceſſaria ſunt, quia ſymptoma graviſſimum vires maxime dejicit & humo-

humores ad partes affectas attrahit: Præterea uſu anodynorum partes relaxantur, & humor qui antea ad profundiores circa articulum partes fluebat, ad exteriora & ambientes diffunditur; Unde arthritici dolores, antequam pars intumeſcat, ſunt vehementiſſimi; mitigantur vero ubi pars intumeſcit. *Riverius.*

Cum ex noſtra ſententia Arthritidis ſemper ſit comes febris uno cum dolore articulorum, utriuſque nomine videntur Topica convenire: Ad febrilem paroxyſmum tollendum vel minuendum uſurpari varia notum, quare iſta in uſum revocari nil vetat, ſed habita ratione partium ab Arthritide inprimis affectarum, ne ſi illic applicentur Topica, aliqua inde ipſis concilietur noxa: Si proinde affectæ parti admovenda ſunt Topica, talia eſſe debent à quibus non tantum non augeatur, ſed potius minuatur ſimul Dolor. *Fr. Sylvius.*

88. *Cæteris ſæpe indicationibus*) Alias ſtatim uſurpanda non ſunt antequam univerſalia præmiſſa fuerint, alioqui plus damni quam commodi afferre ſolent: Vel enim materia quam Natura ad articulos expellere conatur ad interiora repellitur, unde gravia ſymptomata excitantur, vel articulis impingitur doloŕque exaſperatur, vel pars effœminatur laxaturq́ue, atque ita fluxus augetur: Quæ cum vulgo non obſerventur, & Topica non ſatis tempeſtive & caute adhibeantur, plus plerumque damni quam utilitatis inde ægri percipiunt. *Riverius.*

89. *Per Anodyna & Narcotica*) Cum præcipuum articulorum affectorum ſymptoma ſit Dolor, non minimus indicantium tyrannus, merito tertii generis Arthritica ſunt quæ triſtem hunc ſenſum, & membranarum vellicationem præviam, ſeu conjunctam reſpiciunt; Licet enim mediate & ſimul utraque priora etiam hunc attendant, nihilominus tamen plurimum ſitum eſt in hujus præſertim medela, quam ægri unice expetunt, imo extorquent ſæpe à Medico, Digeſſimus hæc ipſa in *Paregorica*: Longum foret omnia recenſere quæ hinc inde contra Podagram laudantur Topica, ab Empiricis & Dogmaticis integris plauſtris congeſta, ex quibus facilius quod non proſit quam quod proſit elicias: Dolorem inquam, Podagricorum ſolantur *Paregorica*, optima ideo quod exhalationi materiæ morbificæ veliſicentur, unaq́ue blande demulceant affectas membranas: Talia ſunt *diſcutientia emolliendo, ut Lac recens* in dolentes articulos emulctum: *Fotus catellorum incumbentium*, Empiricus pulverem feliciter adhibebat ex *ſem. avenæ* & aliis mixtis, calefaciendo cum cereviſia calida, ſicq́ue imponendo: *Anodyna* vero & *Narcotica* quod attinet, cum falſa hypotheſi olim putaverint iiſdem ſenſum figi & ligari, hodie contrarium potius innotuit ratione & experientia.

Optima ſunt inter externa dolorum remedia *Nervina* (Vide §. *Antipodagricorum uſum*) quæ una roborant, quæ cauſæ morbificæ contrariantur, nec ſiniſtri effectus timorem incutiunt; Hinc merito cautelæ attendendæ.

1. Sæpe *optimum medicamentum Topicum arthriticum eſt medicamento non uti*: Præſtat ſane internis ſæpe tollere materiā morbificā, roborare nervoſum genꝰ, domare acrimoniam, quā externis inhærere; Si ullibi Topica poſt præmiſſa univerſalia in uſum vocanda, id ſane valet circa Arthritica, Si tamen quid faciendum eſt, ad bene eſſe conferunt, ut placemus querulaures & delicatos ægros.

2. Cavendum eſt *ne dum per externa hæc juvare intendimus Articulos, tonum eorundem diſſolvamus.* Deſtruitur tonus tum variis aliis modis, tum ſerum nimis exhauriendo, vel exſiccando; inde enim ad contractutas & motus ineptitudinem membrum diſponitur magis, Loco fundamenti in omnium Topicorum applicatione eſſe debet, quod circulo ſanguinis impedito, & velut ſpina infixa, motus ille ſeri peregrinus & ſubſiſtens, in ordinem debeat redigi, corrigi & diſpelli, Quod ſi vero *ſudatoriis Laconicis* ſiccis, vel uvidis etiam Balneis id tentemus, illis turbulentiis, & inæqualis quidem motus humorum inducatur, non tamen æque cum juvamento materiæ, quin coactiva illa impulſione facile ad interiora, a peripheria ad centrum fieri poteſt, retractio; *Balnea* vero laxare quidem poros, ſed facile ſύριν ſeri, copioſioris majorem inducere poſſunt, quatenus laxatis poris magis illabitur humor, non prompte æque refluit; Valet id de *Thermis* quoque, quæ ubi robur addendum eſt articulis, ubi ligamenta, & tendines ſuaviter in motum citanda, ubi exſiccandum habent locum; Cavendum tamen & in illis eſt, ne in extremum alterum membrum deducant, dum motum exſiccando nimis minorem fœnerare poſſunt.

3. Topica dum blandiuntur ſæpe inſidioſa ſunt; Adeoque in ſingulis hiſce potior eſt habenda ratio motus quam ſenſus; vel ita ſenſui triſti eſt medendum ne motum cum ſenſu auferamus: Ita in præſenti eſt curandum, ut in futuro quoque facti non pœniteat: Hinc duo adhuc axiomata notanda (1.) Non conſtantem æque effectum expectari poſſe à quocunque topico, emplaſtro antipodagrico; ſpiritu articulari, balſamo arthritico, litu fotu Exemplum hujus rei præbet Rex Poloniæ *Vladislaus* de quo videatur integra hiſtoria (*in Medicina Septentrionali &c.*) (2.) Seligenda inprimis *defenſiva & roborantia*, In mentem venit elegans locus *Verulamii* de Topicis podagricis, *Sylva ſylv. cent. 1. n. 60.* Plurima ſunt medicamenta (inquit) quæ per ſe nullam curam faciunt, & fortaſſis noxia ſunt, ſed applicata certo ordine, unum poſt alterum, magnam curam faciunt, Hinc experimento ſe didiciſſe remedium, addit, adverſus Podagram, quod raro fefellit, ſed abigit ſpatio xxiv. horarum, &c. (Vide illa in textu.)

IV. Quæcunque magis impingunt & figunt humores, præ cæteris noxia ſunt articulis; (Vide Repellentia.)

V. Diſtinguenda ſunt Articularia medicamenta pro diſtinctione morborum quibus adſidentur, Quæ enim in contracturis & aridutis, vel ſpaſmis quoque conveniunt, non æque locum habent in doloribus, Unctuoſa hujus rei præbent exemplum: Vide §. *Caute adhibenda pinguia*) Wedelius Am. m. m. p. 211.

Remedia eadem prorſus hic conveniunt quæ de *Doloribus* in genere ſunt laudata, varia nempe *Nervina*, *Aromatica & volatilia*; calefacientia vulgo dicta, quæ *ſale ſuo volatili*, *acidum podagricum* invertere, & per inſenſibilem tranſpirationem eliminare ſolent; quibus in ſpecie ſemper adjungantur *ſpecifica & appropriata*, *chamædrys*, *chamepytis*, *ſpiritus ſalis armon. ſpir. & ſal volat. lumbric.* &c. quæ vide in *Riverio*, *Williſio* & aliis, *Etmuller.*

90. *Narcotica*) Hęc in diris & diuturnis cruciatibus exhiberi debent internè, Ex iis maxime commendamus *Opii cum ſale tartari*, aut *tinctura ejus præparationes*, Valent *Paracelſi laudanum*, *Londinenſe*, *Pilula de ſtyrace & cynogl. Syrupus de meconio*, *Theriaca Androm. diaſcordium &c.* Willis.

Interdum neceſſitate urgente *Narcotica* exhibenda ſunt nam & fluxionem ſiſtunt & dolorem atrocem mitigant; Ex his *Theriaca* recens erit opportuniſſima, & ſæpe iterari poterit ſine periculo ad ʒß. vel ʒj. Cui utiliter ad fluxionem cohibendam tantillum *Boli* admiſceri poterit: Hujus tamen loco Laudanum opiatum, aliaq́ue Narcotica ſubſtituere non erit inutile. *Riverius.*

90. *Et Narcotica*) Opiata ſolum nunquam proficua, nec interne nec externe; Sic enim malū contumaciꝰ reddūt, utut dolores remittant; motumq́ue naturæ impediunt,

Imò abuſus Opiatorum ad paralyſin arthriticos diſponit; adeoque cautè uſurpentur, nec niſi præmiſſis univerſalibus, nec niſi adjunctis purgantibus, aut ſudoriferis, aut ſpecificis: Suſpicor tamen commodè propinari poſſe eadem ingruente paroxyſmo, præmiſſo vomitu cum ſpecifico ſudorifero: Quoad *miſtionem cum purgantibus*, illuſtrant hoc *Pilulæ antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat, *Veni amice, ſurge & ambula.*

℞. Maſſæ Pil. alœphang. ℨij. laudani op ℈ß. m f. Pilulæ, dividantur in 4. partes æqu. cujus pars una in vino aſſumenda, & *3. vel 4. hoc jejunium imperandum.*

Miſtio cum diaphoreticis etiam vulgo nota eſt. *Etmuller.*

90. *Narcotica*) Si viget atrox dolor, à narcoticorum admotione nihil pertimeſcendum, cùm certum ſit dolorem, vel unâ die urgentem, majorem nervis inferre labem & debilitatem, quàm topicorum admotionem ſex dierum ſpatio continuatam, ſupponamus verò ſtuporem inde aliquem ſuperſtitem eſſe in partibus, mille præſtò ſunt remedia eam labem eluere valentia, *balnea, fotus, emplaſtra, laconica* & alia, quæ brevi tempore id præſtant; his adde narcoticum fore innoxium ſuæ antido annexum.

Omnes prope Authores in vehementiâ doloris podagrici hyoſciamum in uſum ducunt: ad opium quidem aſcendunt. Si ſplen multùm induruit, cicutam illi innoxiè apponimus, quod & acutis utiliter ſuper imponitur, quanquam cerebro proximis.

Ego autem non vereor, comprobante felici eventu, in uſum ducere utramque illam plantam cataplaſmatis formâ, additâ *caſſiâ, camphorâ, Croco, ſpermate Ceti, atque axungiâ* humanâ, quæ præſtantiſſimum eſt anodynum eo in affectu. *De Mayerne.*

91. *Inter illa eſt*) Valet ad Podagram *cinis caulium* cum *axungia rec. porcina*, Vngu. inſtar, Celebris quidam Medicus *ſtipites ciner. caulium* miſcebat cum *axungia & cera*, & componebat Vng. Cuidam Podagrico, poſt univerſalia *viſcum querc.* in *cereviſia communi* decoxit, & colaturam panno lineo intinctam loco affecto impoſuit; quo ſolo remedio dolor ſedatus: *Oleũ ligni Guajaci* mirabile eſt pro arthriticis: *Iodocus Philippi Regis* Chirurgus *ſaponis nigri* ℥i. cum *vitello unius* ovi mixtã applicabat Podagricis & Chiragricis miro ſucceſſu cũ ſtupa, & per tres dies non removebat. *Foreſtus* Obſ 15. l. 29.

91. *Inter illa eſt*) Mucago *fœnugræci* extracta cũ aqua & aceto, adjecto poſtea melle, multis probatur tanquam efficax remedium, ſi triduo hæreat. *Ant. Chalmeteus.*

91. *Inter illa eſt &c.*) Cum ſit immenſa Topicorum ſylva, ea vel tantum *Anodyna*, dolorem per ſe reſpiciunt, vel ad hunc ſimul & tumorem collimantia, aut ſunt *Repellentia*, vel *Reſolventia*: Horum cujuſque generis variæ ſunt Formulæ & adminiſtrationum modi: præcipui tamen uſus ſolent eſſe *Fotus, cataplaſmata* & *Emplaſtra*: Ex his quædam maximè celebria ſubdemus, & 1°. applicationes Anodynas, quæ mulcimine quodam fibras leniant, & ſpiritus compeſcunt; Propter hunc uſum *Catapl. ex lacte & mica panis*, quibus addi poſſunt *mucago folior. & radic. malvæ, althææ* & ſimil. Alii laudant Catapl. ex *vaccino ſtercore rec.* calide applicatum. Item *Aqua diſtillata à Tinctura viridis æris, in aceto diſtillato* facta, ſæpe dolorem ſedat. Audivi à Generoſo Podagra gravi ori ſæpe obnoxio, ſe inter diros iſtius morbi cruciatus, præſentaneum ſemper levamen habuiſſe *à Fotu* cum *aqua ſtillatitia è contentis ſtomachi bovini* recens occiſi. *Willis.*

Ex *Lacte* paratur Cataplaſma incoctis *foliis hyoſciami* aut *violariæ*: Fit & ex *pulpa rad. althææ* cum *lacte* permiſta: Ex *Caſſia* vel ſola, vel cum oleo roſaceo & ſequ.

℞. Medulla panis albi in lacte decoctæ ℔ß *medullæ Caſſiæ* ℥iii. *f. Catapl. Riverius.* Pro leniendo dolore feliciter mihi ſuccedit; præter illitum factum cum *oleo roſac. completo* & *vitello ovi*, Irrigatio facta cum *decocto verbaſci*, nec non ex *embrocha ex lacte*, ac Illitio ex *oleo ranarum* partibus dolentibus adhibita. *Jul. Cæſ. Claudinus conſ. 6.*

Partes dolentes illinantur Oleo catellorum, deinde integantur *pelle arvetina* recens detracta *Gul. Ballonius Conſ. 3. lib. 2.*

Catellus vivus parti dolenti admotus dolorem valde demulcet. *Riverius.*

Adrianus Spigelius apud moravos in uſu, & nobile experimentum pro ſanandis illico doloribus podagricis, *Vlmariæ cum radic. & floribus* exſtillatæ aquam eſſe ſcribit, quæ & Sileſiis in frequenti uſu eſt: Commodũ etiam eſt decocto parietariæ partem affectam fovere.

91. *Inter illa eſt*) Nobilis quidam nullum præſtantius experimentum teſtabatur doloribus podagricis quam pinguedinem *Erinacei* inunctam, quod Chirurgi cujuſdam Auſtriaci ſummum ſecretum ſæpe feliciter uſurpatum viderat. *Hieron. Reuſnerus Obſ. 115.*

91. *Inter illa eſt*) Pro excitando calore nativo, membrorumque cruciatibus demulcendis *Catelli* præſtantiſſimi etiam ſunt *Galeni* 7. m.m. teſtimonio; Illi autem præferuntur quibus pilus concolor eſt: *Ant. le Grand Comp.*

92. *Lactis cremor*) Quo ſolo, poſt univerſalia remedia, oblinendo partes affectas, dolorem mirum in modum ſe ſedaviſſe aſſerit. *Foreſtus Obſ. 3. l. 29.*

92. *Lactis*) Lac tepens parti dolenti admotum, cum pannis lineis in eo intinctis, dolorem demulcet; Tum etiam ſi pars eo irroretur, præcipue cum primum ex mamma detrahitur, quod maxime commendat *Amatus Luſitanus* cur. 41. cent. 6. his verbis, *Qui Podagra ingentes dolores patiebatur, capram intra cubiculum ſuum adducere & ex ea lac ſupra membrum dolens & male affectum emulgere ſatagebat, quo dolores evidenter imminui ſentiebat; nec quidem injuria, nam lac ſic recens emulctum dolores demulcet, & mitigat ac remittit: Eſt autem remedium Turcarum principibus commune & familiare ſatis &c.*

Ad *Lactis* ℔j. ſi *ſulphur.* vel *litharg.* ℥j. addatur, id quod collectum eſt diſcutit: Ab initio *chalybeari* poteſt; Et ut dolor magis ſedetur, *ſem. lini, fœnugr.* in eo decoqui; & cum parti appropriatum reddere volumus *hermodactylos* aliave addere poſſumus *Platerus.*

93. *Sacchar o Saturni*) Quod cum *oleo violato* vel *roſac.* paratum dolorem ſedat efficaciſſime. Vel in ſpiritu vini diſſolutum idem præſtat. *Riverius.*

94. *Caſeus Ovillus recens*) Sicuti refert *Sennertus* arthriticum quendam ſummo cum fructu eo uti ſolitum ad dolores ſedandos, plane recenti impoſito, verum ſæpe renovato; quamprimum enim à calore partis pingueſcere, & quaſi butyrum fundere Caſeus incipiebat, dolor intendebatur.

95. *Aqua Antipodagrica Rulandi*) Pro doloribus cito mitigandis, compeſcendis ac cito ſubmovendis, lintea duplicata in *Aqua* ſua *Antipodagrica* intincta & parum expreſſa tepide applicabat partibus affectis & dolentibus, idque reiterabat quoties lintea ſiccata fuerant, Quo ſolo epithemate paucarum horarum tempore ex toto liberatus eſt æger à dolore: Et hæc ſane Aqua divina neminem hactenus in relevanda & tollenda Podagra, Gonagra, Chiragraque fefellit: ſed omnes ad ſui ſalutem, cum Dei laude, uſi ſunt feliciſſimo & indubitato cum profectu. *Martinus Rulandus Cur. 35. cent. 5.*

Cum circumferantur ſpuriæ deſcriptiones illius Aquæ, genuinam hic adſcribimus, præſertim cum ad miraculum illa operata & probata dicatur.

℞. Aq. terræ ſanctæ ℔j. *aquæ martis* ℔ij. *liquor. mercur.* ℥ß. *cro-*

℥ß. croci metall. ʒi.m. & ebullitione facta in vitro [illegible]ventur.

Aqua terræ ſanctæ ſequenti paratur modo.

℞. *Boli orient.* ʒviii. *terræ ſigill.* ℥iii. *aqu. leviſti-ci* ℔v. *maceaentur per dies novem in loco calido, & deſtilla.*

Aqua martis ita componitur.

℞. *Aquæ per veſicam deſtill.* ℔viii. *in quibus infun-de ſcoriar. ferri prepar.* ℔ß. *ſtent infuſa per dies* vj. *ac per alembicum evocentur.*

Liquotis Mercurii, hæc eſt præparatio.

℞. *Mercur. ſublim.* ℥iv. *quibus affunde aceti fortiſſimi* ℥iii. *& per noctem macera:* Crocus metallorum quomodo conficiatur omnibus notiſſimum eſt. *Loſelius de Podagra ſect. 2. membr. 2 artic. 2.*

⁹⁰· *Cataplaſma ex medu.la Caſſiæ*) Quidam crapulæ deditus, Podagra in pede ſiniſtro afficiebatur, Exhibita *Caſſia* ad fæces communes educendas ad ℥viij. extrahere juſſi, Purgato deinde leviter corpore pecias lineas infundi juſſi in *aq. roſ. & ſolani* cum *ol. omphac.* & *medullam panis cum lacte, caſſia, & vitello ovi crudo* apponi; Quale & illud eſt à *Lemnello* commendatum.

℞. *Caſſiæ noviter extractæ* ℥ii. *pulv. hermodact.* ʒß. *vitellum ovi unius m. cum ol. roſac. ad formam linim.* Et hæc huic ægro profuere. *Pet. Foreſtus Ob. 6. l. 29.*

⁹⁷· *Oleum*) Vnguentum ſequens *Panius* aſſerit multis præſidio fuiſſe, & valere experimento ſe didiciſſe ait. *Joh. Sylvius.*

℞. *Thyſorum caulium* ℥iv. *axungiæ porcinæ aqua roſac. lotæ* ʒii. m. f. Vngu. quo locus dolore affectus inungatur.

a. Oleo) Sicuti Olea anodyna parùm convenire dictum, idem de *oleis reſolventibus* dicendum eſt, quia poros cutis occludunt, ſicque liberam tranſpirationem impediunt & calorem augent, neque propter ſuam viſcoſam ſubſtantiam ad intimas articulorum partes penetrare poſſunt, ut humores acres, ſalſos, tartareos in iis latitantes temperent & reſolvant: Attamen ſi prædicta olea per Retortam deſtillentur, huic uſui maximè idonea, utpote valde penetrantia ac minime viſcida efficientur; Ex illis præſtantiſſima ſunt *Oleum cheirinum*, *Hyperici*, & de *vitellis ovorum*, quæ ſimul mixta, & per retortam deſtillata, dolori ſedando ejuſque cauſæ diſcutiendæ utiliſſima ſunt. *Oleum* etiam *ſcorpionum Mattbioli*, modo prædicto deſtillatum præſtantiſſimum eſt. *Oleum cera ad id* etiam præſtantiſſimum eſt: At cæteris omnibus præfertur, & non ſolum à Chimiatris, ſed & Doctoribus Dogmaticis, ut *Cratone, Platero* &c. laudatur *Oleum ex oſſibus humanis*, eodem modo paratum, quo Oleum de lateribus conficitur, Nimirum Oſſa humana, non humata, confracta, & ignita, in oleum vetus injiciuntur; poſtea vero oleo imbibita contunduntur & in retortam conjiciuntur, ſicque vi ignis extrahitur Oleum. In Oſſium humanorum defectu aliorum animalium oſſa ſub rogari poſſunt. *Riverius.*

⁹⁸· *Oſſium humanorum*) Vide §. *In Oleo.*)

⁹⁹· *Caute adhibenda pinguia*) In quibuſdam tamen corporibus *Oleum roſac.* & ſim. convenire poterunt, ſaltem cum aliis medicamentis permixta, quandoquidem pro variis hominum naturis varia conferre ſolent, Ideo ingens remediorum numerus habendus eſt, ut paſſim immutari valeant, quia vix ullum inveniri poteſt adeo efficax, ut omnibus æque proſit. *Riverius* Vide §. *Caſeus ovillus.*)

⁹⁹· *Cautè adhibenda pinguia*) Diſtinguenda ſunt articularia medicamenta pro diſtinctione morborum quibus obſidentur, Quæ enim in Contracturis, vel ſpaſmis quoque conveniunt, non æque locum habent in doloribus, Vnctuoſa hujus rei præbent exemplum, Proſunt hæc in dictis morbis etiam non adeo Nervina ſimul, ſeu partibus æthæreis ſulphureis vigorata, ſola emolliendi virtute: Proſunt in ichore ulcerum ſeroſo, ſi ſimul fuerint neruina, Proſunt in doloribus articulorum veneteis, ſi fuerint ſimul reſolventia, Arthriticis vero non item: Solet quidem eo nomine *Oleum ſaponis* commendari, ſed & illud caute adplicandum, neque æque niſi in frigidiori defluxione prodeſt: Notabilis eſt obſervatio *Sylvii*, qui in Podagrico dolore valde rodente cum admiratione ſumma expertum ſe ſcribit vim ſtupendam *Balſami ſulphuris ſuccinati*, ad paucas guttas dolenti parti illiti, unde confeſtim efferveſcentia in parte affecta excitata eſt calens, imo urens, at mox iterum ceſſans, una cum dolore atrociſſimo in momento quaſi ablato; Dubitat tamen an idem ſit futurus in omnibus ſucceſſus, quandoquidem omnes oleoſa, & inprimis per diſtillationem parata ferre non poſſunt; dixerim potius, pauciſſimos *Wedelius Am. m. m. p. 214.*

⁹⁹· *Cautè adhibenda pinguia*) Et inſenſibilem tranſpirationem inhibendo, tandem contumaces contracturas inferunt, Vnde loco Vnguentorum potius Emplaſtra varia Nervinis conſtantia, Et cataplaſmata calida ſunt adhibenda; quæ ipſa tamen ſæpius ſunt renovanda, ne actuali ſuo frigore, poſt modum ſtricturam pororum inferendo malum exaſperent.

¹⁰⁰· *Ex Narcoticis ſunt*) Cataplaſma efficaciſſimum.

℞. *Flor. ſambuci ſicc. fol. hyoſcyami, ſub prunis coctorum prius fol. caulium rubr. involutor.* ℥iv. *contuſa coq. in lacte capr. aut vaccino pingui ad pultis conſiſtentiam,* quibus ab *igne remotis, adde croci orient.* ℈j. *vitell. ovor. n.* ij. *vel* iij. *miſce.*

Torpedinis corium admotum, vel oleum in quo coxerit illium ſtuporem inducendo, multum prodeſſe poſſe creditur. *Platerus.*

¹⁰⁰ *Ex Narcoticis ſunt*) Ad extremos Podagræ cruciatus *Narcot. externa* nonnunquam adhiberi debent.

℞. *Fol. hyoſcyami, cicutæ ãã. m.* iij. *indantur aquæ ebullienti, & quamprimum tenereſcunt, eximantur, quibus contuſis adde pulv. flor. Chamom.* ℥ij. *vitellum unius ovi, f. Catapl.* Vel.

℞. *Tinct. Croci in ſpir. vini facta* ℥j. *camph. Opii ãã.* ʒj. *digerantur clauſe & calide ad diſſolutionem, Pars dolens hoc liquore illinatur:* Willis.

Quando dolor eſt intolerabilis, utatur hoc

℞. *Opii* ℥ß. *croci* ʒj. *tere cum lacte Vaccino & cum medulla panis ſimilagines, donec totum cum lacte incorporetur, ad ſimilitudinem Empl.* & ſuper loco ponatur; Illinatur *etiam locus Theriaca.* Barthol. Montagnana Conſ. 245.

¹⁰⁰· *Ex Narcoticis ſunt*) Dolore admodum ſæviente ad Narcotica licet confugere, licet ea diu in parte retinenda non ſint, cum calido nativo & nervis ſint inimica.

℞. *Fol. hyoſcyami m.* ij. *ſolani. ſemper. ana. m.* j. *cap. papav. hort. n.* j. *rad. mandrag. unc.* j *flor chamam. violar. ãã. P.* j. *f. decoctio in aqua vel lacte, pro fotu partis.*

Reſidentia piſtetur addendo far. ſemin. lini ℥iß. *far. tritici* ℥j. *ol. chamæm.* ℥iij. *f. Catapl.*

¹⁰¹· *Folia Nicotianæ*) Quæ vim narcoticam obtinere creduntur.

¹⁰²· *Opii, caphuræ*) Opium præcipue diverſis formis anodynis additum, ea efficacia facit, ſemper fere tunc addita *croci* portiuncula; ſicque uſurpatur cum lacte, ſi ℥ij. illius *Opii* ʒß. addatur: Cum *Panis* emplaſtro addendo opii ad ʒij. vel cum aliis cataplaſm. Inunctionib⁹ quoque diverſis permiſcetur, ſed pinguibus additum minus eſt efficax: Inprimis in *ſpiritus vini ſimplicis* vel admiſtione aliorum compoſiti ℥iij. per croci infuſionem flaveſcentibus, ſi *camphoræ* ℈j. decoctione addatur, & *Opii* ʒj. diſſolvatur, eoque liquore pars

dolens ungatur, tutum & efficaciſſimum erit remedium. *Platerus.*

103. *Caphura)* Quam majores ad gradum uſque iij. frigidam ſtatuunt, Recentiores è contra calidam; Neque obſtat quod inflammationes extinguat, id enim per accidens fit, non à qualitate frigida, ſed quia vi penetrabili exitum exhalationibus calidis reſerat, atque per ſudorem inſenſibilemve tranſpirationem diſcutit: In Arthritide prodeſt ea ratione, & quia acidis contrariatur ob ſal volatile balſamicum & reſinoſum.

104. *Alia, ex ſpiritu vini)* Tutum & efficaciſſimum eſt remedium. *Riverius.*

III. *Materia* [105] *quæ influxit* [106] *reſolvenda & diſcutienda,* [107] ubi locum habent: Muria ex fungo quercino rubente in tenues particulas ſecto, ſale trito aſperſo, in cella ſubterranea collecta & illita. *Aqua* in qua æs & ferrum extincta, & poſtea Mercurius vitæ maceratus. *Decoctum urticæ* cum pane triticeo ſale, aquâ & vino factum. *Mixtura*, ex ſale, cinere, fraxini inprimis, urinâ pueri & aceto agitatis, panno albo imbuta, expreſſa & impoſita. *Sal armoniacum* ſæpius ſublimatum, in vino vel alio liquore diſſolutum & applicatum. *Vrina* pueri vetus. *Balſamus antipodagricus Rulandi*, qui fit [108] ex *ſapone Veneto*, & *Camphora* in ſpiritu vini diſſolutis, quibus addi poſſunt; *Sal armoniacus* & *lumbrici terreſtres:* vide Mollenbrochium p. 149. de Varis. [109] Verulamio iſta tria in uſu. *Primum*, *Cataplaſma*, ex *panis ſimilaginei* medulla minutim ſciſſa, in lacte in pulticulam cocta, [110] *roſar. rubrar.* dr. j ſ. *croci* gr. x. & *olei roſar.* unc. j. linteolo illita, & ad tres horas impoſita. *Alterum*, *Fomentum*, ex folior. ſalviæ m. ſ. radic. cicutæ conciſæ dr. vi. radic. Bryoniæ unc. ſ. folior. roſar. rubrar. pug. II. in aqua in qua chalybs extinctus ad quadrantem conſumpta coctum, colatum, & additamento dimidii pugilli ſalis nigri caſtigatum, & lana coccinea, ſepties ſpacio dimidiæ horæ impoſitum. *Tertium.* [111] Emplaſtrum diachalciteos in oleo roſarum diſſolutum & applicatum. Qui *per tranſlationem* curare volunt illi demunt ægro in utroque crure novaculâ pilos, de manibus & pedibus ungues, ſtato tempore, vere ſcilicet, pridiè ante novilunium, poſt foramini terebrâ in populo albâ vel quercu vireſcente; ad medullam uſque facto indunt, idque ex arboris cujuſdam ramo paratè accuratè & profundè claudunt, ligneolum verò extans, ſeu prominens, ſecuri amputant, & vulnus admoto fimo vaccino oblinunt. Vide Loſelium de Podagra.

105. *Quæ influxit reſolvenda & diſcutienda)* Topica reſolventia & diſcutientia non ejuſmodi requirantur quæ tantum poros aperiunt, ut ſerum evaporet, & ſanguis circulationi reddatur, prout in phlegmone aut œdemate; attamen quorum particulæ ſalinæ, iſtis mineræ arthriticæ ſalinis oppugnandis deſtinatæ, eas aut amplectendo foras educant, aut præcipitando ab effervesſcentiis dolorificis ſupprimant; Quamobrem in hoc morbo cum Fotus aut Cataplaſmata ex *chamamelo*, *malva*, *althea*, *ſemin. lini*, *fœnugr.* purum aut nihil juvaminis præbent, imo partes nerveas relaxando ſæpe multum afficiunt, ſalis *armoniaci*, aut *marini*, *nitri*, *vitrioli*, *calcis vivæ*, & *ſimil.* diſſolutiones, aut liquores ſtillatitii, in aliis tumoribus aut doloribus ſemper infeſti, maximi emolumenti eſſe ſolent. Hujuſmodi liquores in paroxyſmis arthriticis, parti dolenti applicandi, à *Quercetano*, *Crollio*, *Hartmanno*, aliiſque Chymicis varie præſcribuntur, quos cum Medici alii celebres, ſæpius experti, comprobarunt, eos ob rationem prædictam juvamen conferre concludimus. Formulam unam aut alteram hic adjicimus.

℞. *Salis tartar. armoniac. pulv.* ãã. ℥ii. *diſſolve in aqu. pluviæ, vel fontis,* ℔iv. *uſurpetur tepide cum pannis linteis intinctis.*

℞. *Spir. vitriol. non rectif.* ℔i. *ſalis mar. calcin. & pulv.* ℔i. *m. & deſtilla in retorta vitrea calore arenæ, prodibit purus fere putus ſpiritus ſalis, qui nempe a ſedibus ſuis per ſtagma vitriolicum expulſus, illique poſſeſſionem relinquens, facile aſcendit: Capiti mortuo affunde ſpiritus vini* ℔ii. *digere clauſe & calide, addendo camphor.* ʒii. *applicetur tepide cum pannis linteis parti dolenti.*

℞. *Limaturæ ferri, flor. ſal. armon.* ãã. ℥vi. *miſce ſimul terendo, deſtilletur in retorta vitrea donec flores ſublimentur: Capiti mortuo trito affunde ſpiritum vini, digere & ſerva pro uſu.*

Audivi quoſdam ad dolores podagricos ſedandos, pedem affectum ſacculo *ſale marino calcinato & pulveriſato* impleto, includere, à quo levamen uſque certum & citum expectant. *Willis.*

106. *Reſolvenda & diſcutienda)* *Reſolventia*, quæ humorem abſumunt, in progreſſu morbi quando defluxio ſubſtitit, uſurpanda; calidis moderate & rarefacientibus, ſi præſertim à ſanguine facta ſit, materiam diſcutiendo: Calidioribuſque, ſi à ſeroſo excrementitio humore proficiſcatur, eum diſſipando, & ne in nodos convertatur, penitus conſumendo: Et ſi in profundo lateat, ut in coxendico dolore, validioribus adhuc metaſyncriticis extrorſum eum evocando, attractum abſumendo; Permiſcendo ſimul ea quæ membranis nerviſque articulorum appropriata ſint; *Arthritica* dicta, & quæ proprietate quadam uſu explorata operantur. *Platerus.*

106. *Reſolvenda & diſcutienda)* *Serum* denique corrigunt *Reſolventia*, quæ extravaſatum vel quaſi humorem, ſeu ſalinum & pituitoſum coagulum ſubſiſtens reſolvunt, quod quidem & dicta remedia (Vide §. *ſunt compeſcendi & ad partem affectam ruentes pellendi*) ex *Wedelio*, ſeorſim vero reſolventia *Cinnabarina* ac *Mercurialia*, & ex his præparata, ut *Arcanum Cnoffelii* deſcriptum quodammodo in Epiſt. de Podagra curata, nihil vero aliud eſt quam *Arcanum Corallinum Paracelſi* ab *Helmontio* quoque l. de febr. & alibi maxime laudatum, Notabile vero eſt 1°. *Cinnabarina* hoc nomine maxime h. l. prædicari, quod reſolvant, gaudent enim duobus elementis hiſce particulis ſulphureis metalicis puris, fixis ac anodynis, Et particulis mercurialibus itidem puris, Vnde tantum abeſt ut venenum ſit Cinnabaris, etiam vulgi, ex *Mercuris vivi* & *ſulphuris* connubio orta, nativa & antimonii communis, vel curioſior *Helmontii* à Tachenio deſcripta, ex *ſulphure antimonii* & *Mercurio*; ut potius remedium ſit probatiſſimum: Duo ergo præcipue præſtat; vi elementorum, ex quibus conſtat, acrimoniam acidam, nervis inimicam, abſorbet, edulcat, invertit, præcipitat, annihilat, & ſubſiſtens hic illic h. l. circa articulos, fermentum peregrinum, immutans liquores vitales affluentes in ſimilem

buno-

humorem morboſum diſiicit; Nam ex principiis Chimicis ſulphur omne acido contrarium, ſi æqualibus committantur frontibus *Mercurius*, ſeri coagulum unice diſiicit, fluxileſque reddit humores, quod ſalivationis exemplo claret: Hæc fundamenta ſunt generalia virtutis cinnabarinæ, ex quibus omnia reliqua fluunt, ceu Poriſmata, *Cinnabarina eſſe nervinum, cephalicum, antepilepticum pectorale, nephriticum, uterinum, arthriticum, verbo, quaſi catholicum remedium*, *Notabile* ij eſt, *Mercurialia* & intus & exterius eſſe Arthritica, diverſo tamen reſpectu loci decubitus materiæ, ipſiuſque naturæ, Interius tum dicta eximie proſunt, & quæ ex his alia affinia, ut *Præcipitata Mercurialia* indemnia otra ſunt, tum & *Mercurius dulcis* inter purgantia, ob dictas rationes: Exterius vero Mercurius ipſe in ſubſtantia, vel ſaltem citra præparationem, ullam cum Emplaſtris miſtus, diſſociatis ejuſdem rotundis mobilibus atomis per viſcoſa, terebinthinata & emplaſtica, verbo mercurialia; ut enim inter reſolventia conveniunt *Emplaſtrum diaphoreticum*, Empl. *Oxycroceum*, diſtinctione habit a inter ſubjecta, in ipſis arthriticis, ſeu doloribus obſeſſis articulis, ita ſi vel exterius magis vergat dolor, ſi extra articulos, vel profundius majoribus inſideat, ſi maligno charactere Venereo debeatur, Emplaſtra Mercurialia apprime faciunt officium; Sic *Emplaſtrum de Ranis vigonis* cum *Mercurio*, hoc fine laudatiſſimum, vel ſolum vel mixtum cum jam laudatis, doloribus Venereis, & tumoribus quam maxime convenit impoſitum, diſiiciendo ſerum viſcoſum ſpiſſius & concreſcendo ſubſiſtens: Sic in aliis quoque doloribus diſcutiendis exoptato cum ſucceſſu imponitur. *Wedelius Am.m.m. p. 207.*

[107] *Ubi locum habent*) Reſolventia medicamenta ſub variis formis uſurpari ſolent. E. g.

℞. *Vitriol. alb. & virid. ana.* ℥j. *camph.* ʒii. *aquæ vitæ & vini albi ana.* ℔j. *m. cum intinctis linteis applicentur.* Vel

In *urina calx. viva* extinguatur, & cum ea per reſidentiam aut colaturam depurata, locus dolens foveatur: Idem ex *aceto & calce* factum probatur.

Quercetanus in Pharmac. ſequentes Aquas antipodagricas proponit.

℞. *Muria ſalis & urinæ pueri ana. part. æqu. diſtillentur &* aqua foveantur partes cum linteis ſæpe renovendis.

℞. *Folior. & flor. ſambuc. virid. ana.* ℔j. *contundantur & macerentur in aqua vitæ per* ij. *aut* iij. *dies. Deſtillentur per vas vitreum vel cupreum ad ſiccitatem.*

M. *Rulandus* ſuam Aquam antipodagricam mire prædicat, quam hanc eſſe cenſent *Libavius Petræus*, aliique.

℞. *Aquæ fontis* ℔j. *aquæ fortis* ℥ß. *ſublimati* ʒj. *bulliant per horæ quadrantem hoc liquore panni linei madefacti partibus dolentibus admoveantur. Riverius* apud quem plura extant.

Olea præcipue competunt ſequentia, *Verbaſci flor.* quod ex *flor.* rec. in vitro bene clauſo ſoli expoſitis ſponte effluit: *Oleum* in quo *ſambuc.* vel *ebuli rad.* & *fol. vel ſuccus* inde extractus coxerint: Inprimis *Ol. ſemin. ebuli* commendatur, ſumendo ſemen bene maturum, quod in paſtam contuſum in *aqua* coqu. ſpumam colligendo, quæ vitro oblongo poſita in loco tepido per quatriduum collocetur, donec oleum, quod viride eſt, fundum petat: Idem ex *ſeminibus* expreſſum efficaciſſimum eſt; uti & ex *ſem. raphani, &c. Nuc. Indicis & è glande Unguent. Ol.* item *Cucum. aſin. Sicyonium* dictum, & in quo coxerit *flammula* contuſa herba: *Ranarum ol. & lumbric. vulpinum* & in quo *coxerit muſtela vel ciconia, vel millepedes*, Item *Oleum ex oſſibus hum.* factum, vel *maxillis equorum*, quod fit ſi illa confracta, ignita, *oleum antiquum* imbibant, & poſtea ex illis contuſis per retortam *Oleum* eliciatur: *Oleum ex ſanguine cervi* probant Chymici: ut & *ſalis oleum* cum *lateribus* ignitis factum, *cum ol. granor. ebuli.* Plateтus.

[108] *Ex Sapone Veneto*) Excellunt hic *Saponacea*, & ex iis paratus *Balſamus Antipodagricus Rhumelii*, Item *ſapo Ven.* in aqua vitæ diſſolutus, & applicatus, Siquidem in forma ſolida quæ adhibentur, majorem ſæpe & utiliorem effectum relinquunt.

[109] *Verulamio iſta tria*) Vide *§. Anodyna & Narcotica.*

[110] *Roſarum rubrarum* ʒ ß. *croci &c.*) Simile medicamentum proponit. *Barthol. Montagnana conſult.* 238.

℞. *Pulv. roſar.* ʒij. *maſtich.* ℥j. *croci* ʒj. *camph.* ʒß. *farinæ hordei* ℔ß. *bulliant omnia lento igne in vino albo uſque ad eorum convenientem inſpiſſationem, eadem continuo cum ſpatula commiſcendo, & de hoc calido membra omnia complaſtrentur & circumligentur.*

Hoc medicamen, *inquit*, non ſolet me decipere in confortando membra, ſedando dolores, reſolvendo & ſiccando materias: Dico etiam quod ſi magna quantitas *pulver: hermodactylorum teratur cum lacte caprillo, & ſpongia iis infuſa calidis fomententur membra*, confert ſolenni juvamento.

[111] *Empl. diacalcitheos*) De quo hæc *Solenander* Feliciter utor ſolo & ſimplici *diachalciteos*, cujus facultates apud *Galenum* I. K. T. habentur, Hoc illitum ſuper alutam applico juncturis quæ pati ſolent, atque jubeo ut continuo applicitum circumferant, ſub noctem auferentes ſi lubet, & exſiccantes, mane reponant, Teſtatorque hic Genuenſes eſſe prædivites quibus alias cum ſolent eſſe res cum podagra, jam ſe hujus uſu integrum quinquennium reddiderunt.

[111] *Empl. diacalciteos*) Detinentibus paroxyſmis, familiaris eſt uſus *Empl. diacalciteos*, quod revera innoxium eſt, ſed exigui auxilii; proſtant meliora, qualia ſunt, *Empl. de Hermodactylis, de minio magiſtrale*, vocant *Empl. Sandicis*: *Gummi Caranna Spiritu vini* diſſolutum, ut & *Tacamahaca*, ſingularis ſunt efficaciæ. *Empl. Betonica, Maſtiche, Storax* ac *Benjoin* liquefacta cum prædicto Spiritu, egregie conferunt. *Balſamus Ebuli* paratus cum *lumbricis, Catellis lactantibus*, addito *ſale* præſtantiſſimus eſt. *De Mayerne.*

II. [112] *Præcautio* repoſcit.

I. [113] *Diætam convenientem*, in quâ, aëris exceſſus, cibus ſalitus, fumo induratus, [114] vina Auſtriaca & Moravica. venus, [115] animi affectus &c. vitari debent. Nec exponendi ægri poſtquam dolores ceſſaverint, [116] ante quadrageſimum diem aëri, nec ſuetis paſcendi cibis, inprimis ſi pulſus eſt frequens, febris etiam leviſſima præſens, & urinæ ſpumea corona ſupernatat.

II. [117] *Venæſectionem* [118] niſi corpus ſit frigidius. Sunt qui venas ad pollices pedum ſingulis menſibus aperiunt: ſunt & qui crura biduo ante novilunium ſcarificant.

III. *Purgationem*, quæ [120] ſtato ſolſtitiorum & æquinoxiorum tempore, per leniora potius quam valida inſtitui debet.

[121]. Proſunt [122]. *pilulæ Cratonis*, ex *myrrhæ, aloës hepat. ligni aloës, Cinnam.* electi, *maſtich. rhabarb.* electi ana dr. II. moſchi gr. v. cum oxymelite, num. xxxvi. factæ, & per menſem alternis diebus, poſt ſingulis ſeptimanis uſurpatæ. [123]. Hermodactyli non trahendi in uſum, quia non ſunt detrahendi humores, quo non decidere.

IV. [124]. *Vomitum*, ſingulis menſibus per biduum factum, inprimis cum Luna eſt in ſignis ruminantibus, Tauro nempe vel Capricorno.

V. [125]. *Antipodagricorum uſum*, inter quæ præcipua: *Magiſterium perlarum* Riverii ab Hartmanno in Chimiatria deſcriptum: vel ſolum *Chamædryos* decoctum Carolo V. uſitatum. *Pilulæ Doringii*, quæ recipiunt pulv. *Chamæpityos, Chamædryos veræ* ana dr. ii. *Centaur. minor. ariſtol. rotundæ, Rha Pontici veri, Gentianæ, ſemin. hyperic. Cranii human. præpar.* ana dr. iſ. *radic. Cichorii, ſantali rubri* dana dr. i. cum *ſucco Chamæpit. & Terebinth. Cypriæ* q. ſ. ſingulis anni quadrantibus poſt ſolſtitia & æquinoctia quotidie dr. ſ. pondere per dies triginta ſumptæ. Tinctura *Antimonii Hartmanni*, de qua in Chymiatria.

VI. [127]. *Articulorum roborationem*. Fovendi ergò articuli *vino ſtiptico* ſingulis lunæ quadris. Immergendi iidem *vindemiarum tempore* [128]. *in vinaceis poſt expreſſionem calentibus*, vel muſto calido calefactis per dies xv. [129]. Adhibendum [130]. *balneum aquæ ferratæ*, [131]. in quâ hypericum, ſalvia, roſæ & Guajacum decocta. Admovendum [132]. *Emplaſtrum diapalma*, vel *vulgare*, vel [133]. in vino decoctum, & cum *pulvere myrtillor. maſtich. tartari, Chamæpit. Chamomillæ* permixtum.

[112]. *Præcautio repoſcit*) Per introſumpta alterantia, nos *Præcautionis* loco, in arthritidis ſpeciebus potiſſimum, quæ tam frequenter redeunt, ſi à ſanguine fiant, illa quæ cum refrigerant, vel contemperant craſſioremque reddunt, propinamus; Inter quæ & *Acidarum aquarum* potum recenſemus, quarum uſu noſtro ſæculo Podagrici quoque aliqui ſe diutius ab ea immunes manſiſſe aſſeverarunt: Præter quas *locum* ex *berberis prunis, pomis & pyris ſylveſtr.* aliiſque auſteris & acidis paratam, additis etiam interdum *baccis juniperi* pro communi potu multis annis ſenem podagricum ſine noxa bibiſſe, minuſque tunc à podagra infeſtatum fuiſſe, & ætatem longævam attigiſſe cognovimus: Sed & *Lactis aſinini* ſolius potu, quidam ſe arthritides avertiſſe teſtantur, Alii *aceti* ad plures dies uſu ſe idem præſtitiſſe docent: *Acetum mulſum* commendat *Dioſcorides*, *ſcilliticum* alii probant.

Quod ſi vero à ſeroſis defluxionibus articulorum affectus fiant, tunc ea quæ ſeroſitates haſce abſumunt, Et quæ *Cerebro nervoſoque generi* accommodata illorum imbecillitatem corrigunt exhibentur: quorum continuo uſu ſæpe podagra, illiuſque genera mirabiliter præcaventur. Inter quæ & multa, præſertim non multum calefacientia, in Podagra à ſanguine genita, cum ipſius ichores ſeroſitatemque abſumendo, eum puriorem minuſque fluxilem reddant, competentia, eam quoque præcavent. *Platerus*, vide infra §. *Antipodagricorum*.

[112]. *Præcautio repoſcit*) Indicatio *Præſervatoria* dicta, Arthritidis cauſas procatarcticas tollendas reſpicit, propterea ut dolorum paroxyſmi rarius, ac minus, aut non omnino infeſtant: In hunc finem remedia *Evacuantia, Alterantia, & Corroborantia*, una cum exacta *victus ratione* extra paroxyſmos adhibenda præſcribuntur. 1. Igitur *Arthritici* vere & autumno ſolemniter *Purgari* debent, atque *Vomitionem*, ſi nihil contra indicet, tunc celebrari & poſtea interdum ex intervallis repeti expediet: Stomacho & præcordiis firmioribus prædiri, *Emetica* mineralia, ex *antimonii* aut *mercurii* præparationib⁹ ſumãt; Qui conſtitutione teneriori ſunt, poſt paſtum ex cibis lubricis, *vinum ſcilliticum*, aut *ſalem vitrioli* cum *ſero lactis* capiant; dein ſtomacho, *aqua tepida* aut *liquore poſſetico* ſimplici, aut cum foliis cardui incoctis, impleto, bis, ter, aut amplius Vomitio excitetur; Pro Catharſi, crebra etiam vice, cum interſtitiis idoneis celebranda, Purgantium formulæ ſuperius præſcriptæ (vide §. *Conveniunt in minus robuſtis*) ſatis conveniunt. Vel

℞. *Fibrarum helleb. ni. mundat.* ℥j. *ligni aloës, caryophyll. ana* ʒij. *contuſis affunde ſpirit. vini non rectificati* ℔ij. *digerantur clauſe & calide per plures dies. Doſis cochl.* ij. *vel* iij. *mane, bis aut ter in ſeptimana*: Et vomitio & purgatio ſemper ante æquinoctia incipiantur; ne forte paroxyſmus prius contingens, medicinæ curſum prævertat: *Phlebotomia* aut *vaſorum hæmorrhoidalium apertio* Arthriticis, temperamento calido & ſanguine acriori præditis nonnunquam vere & Autumno Conveniunt: *Canteria in brachiis & juxta homoplatas* excitata, quibuſque fere huic morbo obnoxiis, utilia ſunt. *Willis.* De *alterantibus, corroborantibus & diæta vide ſuo loco.*

Præſervatio eo reſpicere debet, ut materiæ ad articulos ruituræ collectio impediatur, ut ſi quæ collecta ſit auferatur, Ac denique ne articuli tam facile humorem influentem recipiant; Impeditur materiæ collectio optima victus ratione, & remediis viſcerum intemperiem corrigentibus: Materia collecta auferetur remediis Evacuantibus, Et articuli non tam facile recipient, ſi roborantibus confirmentur. *Riverius.*

[113]. *Diætam convenientem*) Vivendi ratio, quæ ad Præcautionem præſertim inſtituitur, in eo potiſſimum, ne excrementa & humores ſupervacanei accumulentur, aut ad fluxionem concitentur, conſiſtit: *Aër*, in quo ordinarie verſantur temperatus ſit, & ſiccus, cum frigidus nimium, ventoſus, udus, uti & calidus admodum ac fervens defluxiones protitet, & tunc maxime cum ſubito ab uno aëre, frigore aut calore excedente, in contrarium fit mutatio: Sed nec arthritici *manus* debilitatas, nec *pedes* aqua abluant, cum & frigida & calida obeſſe ſoleat, Ideoque vino, aliiſque artus roborantibus commodius abluuntur; *Victu* quoque quantitate qualitateque convenienti, *exercitiis* inſuper, *ſomno* cæteriſque *corporis animique motibus* decentibus utendum. Inprimis juro in iis qui Arthritidis ſpeciebus aliquibus, quæ facile redeunt, & præcipue Podagræ obnoxii ſint, licet & in aliis omnibus defluxionibus hæc conveniant, tria præcipue in vivendi modo, in *victu* ſcilicet *Vino & Venere* comprehenſa, ſi decenter obſerventur, ut vel Podagra non amplius, vel rarius ſaltem invadat, aut mitius tractet, præ cæteris poſſunt efficere: Si nimirum *Victus* quam exquiſitiſſimus & ſimpliciſſimus ſit; ſemel in die tantum, vel omni tempore, vel aliquoties ſaltem ſumptus: *A vino* vel penitus vel ſaltem per annos aliquot abſtinendo, aut illud quam parciſſime, debiliusve aut dilutum

lutum bibendo, Cujus loco vel *aqua*, variis modis præparata, vel Potiones aliæ medicatæ ut *hydromel* &c. pro naturæ diverſitate uſurpari poſſunt: *Venus* autem vel omnino intermittatur, vel rariſſime, nunquam ſtando exerceatur: Quæ cauſa forte exiſtit quod ante Venereorum uſum Podagra vix invadat; uti de mulieribus hoc ſtatuit *Hippocrates*, Atque illi qui ob caſtrationem Veneri inepti fiunt, ab ea quoque liberi fere exiſtant: In *Curatione* vero, cum jam defluxionibus tentantur articuli, *Victus* exquiſitus & tenuis adhibendus, & *inedia*, ſi ferri poſſit, aliquando imperanda; Loco *vini*, ſi caleant arthritici, aut febricitent, aquam chalybeatam bibant, cui julepos ſyrupoſve acidos, vel auſteros, ſi defluxio adhuc in actu ſit, permiſcere poſſumus; Alias *Decoctum coriandri*, miſcendo *ſyrupos aliquos*, vel *Hydromel* dandum: *Exercitii* vices teneat *frictio* in parte ſana, & ad derivandum quoque in oppoſita adhibenda. *Platerus*.

[113] *Diætam convenientem*) Quotquot Veterum more maximam curæ partem Naturæ committunt, atque tunc excepta *Diæta*, quam quodammodo regunt, ſpectatores ſunt tantum pugnæ quam inter Naturam fabulantur & morbum excitari, atque ſic arbitri ſunt victoriæ, nunc morbo nunc naturæ cedentis, illi revera peccant in defectu: Quotquot vero præter *Diætam in ſex rebus non naturalibus rite adminiſtratis conſiſtentem*, medicamenta quoque cenſent à Medicis cordatis, in pleriſque ſaltem affectibus præſcribenda, quæ id omne quod p. n. ſe habere deprehenditur in ægris, corrigant vel eliminent, utique non ſpectatores, at ſimul Actores volunt medicos, Et certe non videtur officio ſuo & muneri, ægrorumque expectationi æque ſatisfacere Medicus, qui unam tantum muneris ſui partem, in Diæta recte ordinata conſtitutam abſolvit, dum binas cæteras in Chirurgia & Pharmacia rite dirigendis negligit; Neque enim puto facile accidere, ut locus non ſit pharmacis quibuſdam præſcribendis: Non nego quidem curari poſſe, quinimo revera curari ægros quibus nulla præſcripta fuere à Medicis pharmaca, Nemo autem facile mihi perſuaſerit æque cito, tuto & facile jucundeque curari eoſdem ac ſi medicamenta convenientia ſimul fuiſſent adminiſtrata: Sæpius namque obſervare licuit, tales ægros ſola Diæta adiutos diutius male habuiſſe, non raro recidivas periculoſas paſſos eſſe, aut nonniſi cum difficultate ac moleſtia è malis ſuis evaſiſſe: Cum è contra ij quibus apta fuere adhibita medicamenta, & brevi, & tuto & jucunde fuerint curati. *Fr. Sylvius*.

Ne tamen morbus gravior emergat cavendum: Optimam victus rationem inprimis requiri manifeſtum; crudiras vitanda, & cum nauſea adeſt à cibo abſtinendum, ac ſi fieri poteſt, vomendum, vomitu enim ad præcautionem in morbis articularibus nihil conducibilius: Monentur Medici ratione & obſervatione ut morbis articularibus obnoxiis interdicant uſum *pomorum, caponum frequentem anſerum & carpionum*, nam *poma humores ſolvunt & fluere faciunt, Et Caponum caro* humorem quendam habet quem ad articulos natura extrudit, *Piſcium* vero humidiorum par eſt noxa, Non minus nocent quæ replent corpus cruditatibus quam quæ materiam ipſam fundunt, vel ad articulos deducunt, *Joh. Crato conſ. 26. l. 2.*

[113] *Diætam convenientem*) Sicuti hæc neglecta fœcunda eſt Podagræ parens, ita obſervata eadem hunc ſuum fœtum abortivum rurſus abolet: In ſpecie vero *Diæta Sudorifera, & Diæta Lactea* heic remedii vim abtinent, Cum funditus iiſdem Podagra eradicara ſit: Antiquis *illa* magis in uſu fuit, *hæc* vero *modernis*. *Ettmuller*.

[114] *Vina*) Vinum arthritidi eſt maxime noxium, multoque ejus abſtinentia penitus fuere liberati: Si tamen æger propter alia valetudinis incommoda non poſſit ab eo omnino abſtinere, bibat pauciferum & valde dilutum. *Hollerius* loco vini commendat melicratum valde dilutum, ſcilicet ex aquæ partibus xl. vel xlviij. & mellis parte una, quod tamen non convenit Picrocholis & ſitibundis. *Bochetum* ſequens omnibus naturis convenit, & plurimis valde profuit.

℞. *Rad. zarzapar.* ℥ij. *liquir.* ℥j. *cinnam. & ſemin. aniſi* ʒß. *f. Pulvis tenuiſſimus*, cujus cochl. j. miſceatur cum ea aquæ quantitate quæ pro uno paſtu ſufficit: Agitentur in duobus vaſis ter aut quater, poſtea colentur pro Potu ordinario, ſingulis paſtibus idem iterando. *Riverius*.

Vina potentia &c. acetoſa fugienda, nec prius potandum, quam cum ſolidior cibus ingeſtus fuerit, valde enim noxium eſt ſumpto ſaltem juſculo aut panco cibo, vinum bibere, multo vero magis inani & jejuno Ventriculo, vel jam concoctionem cibi elaborante vino ſo obruere. *Joh. Conſ. 26. l. 2.*

[114] *Vina*) Si ventriculus hominis Arthritici imbecillus, & facile colligit excrementa, an dolores attuum vinum circumcidet (Nequaquam, nam nova materia morbo ſuppeditatur, Id experientia verum deprehendimus. *Ballonius Epid. p. 17.*

[115] *Animi affectus*) A gravioribus animi affectibus quomodo curata Podagra vide §. *Salſus, acris, tartareus*) ex *Etmuliero*.

[116] *Ante quadrageſimum diem*) Vide §. *Prognoſis alia*.

[117] *Vena ſectionem*) Si revulſionis cauſa,

[117] *Vena ſectionem*) Per ſectiones venam aperiendo, ſanguinemque detrahendo defluxiones articulorumque dolores aliquomodo præcavemus in corporibus plethoricis & cacochymicis, cum horum cauſa generalem evacuationem Veris & Autumni tempore, vel etiam alio inſtituimus: Tuncque inprimis ſi à ſanguinis influxu hæc fiant, hæc locum habent, Unde & *Galenus* Arthritidem *ſanguinis* detractione & purgatione, in illis qui temperanter vixerunt, præcaviſſe ſe teſtatur: Aperitur autem vel ad generalem faciendam vacuationem, *vena brachii*, vel particularem *vena in pede* juxta poplitem vel malleolum: Quod ut fœminis, ſi menſtrua ſimul ſuppreſſa ſint, prodeſt; Sed etiam ſi bis in anno in *pede*, podogræ obnoxio hoc fiat, ſingulare ad præcavendum illam multi remedium ſe expertos eſſe affirmarunt, Licet & in ſano pede ſi fiat, *derivando*, hoſce affectus præcavere poteſt: *Platerus*.

[117] *Venaſectionem*) Inſtituenda præſertim vere & autumno, in iis qui ſanguine abundant, ejuſque effervſcentiæ obnoxii ſunt. *Riverius*.

[118] *Niſi corpus ſit frigidius*) Si à ſeroſi humoris defluxione arthritides particulares hominem infeſtent, vena non temerè ſecanda, ne humores commoveantur, Niſi ob dolorem ſummum, ob metum novi affluxus à ſanguine, hæc revulſionis alicujus gratia quoque requiratur. *Platerus*.

[119] *Purgationem*) Per alvum dejectiones locum habent, ut corpora ab excrementis munda reddantur, unde non ſolum veris & autumni, ſed & intermediis temporibus, ſi corpora expurgari debent: Evacuationes prout vel *ſeroſus* excrementitius humor, ubi majore evacuatione opus eſt, vel *ſanguineus*, ubi mitius procedendum cauſam præbent, inſtituendæ, præparatione, ſi neceſſe ſit, præmiſſa; Quod ſi vero jam defluxio imminet, caute, ne hiſce illa amplius concitetur; affectuſque hi accelerentur, uti ſæpe incuria fit, purgantibus utendum, Idque inprimis in articulorum doloribus, non ſolum à *Sanguine* profectis in quibus alvum laxam ſervare, obvioſque humores ſaltem evacuare ſufficit; ſed & ſi à defluxionibus ab humore excrementitio hi fiant, quia tenuis cum ſit, facile concitatur, levioribus ſal-

tem, & quibus adſtrictio quædam ineſt, vel additis adſtrictionem quandam habentibus, materia potius divertenda quam validioribus purgantibus vehementer commovenda erit: Quod & in principio præcipue advertendum erit, ut & aliis affectibus à defluxione oriundis: In acceſſionibus præterea ſatius eſt à purgantibus abſtinere eo quod cum ob dolorem commotionem factam, quæ in dejectionibus magnis requiritur, ægre ferant ægri, unde tunc levioribus alvus ſubducenda, Et in morbo inclinante, primum ad purgationes validiores progrediendum: *Clyſmata* cæteris purgantibus etiam præcautionis loco factis præmittuntur, & in curatione non ſolum alvum eluunt, ſed etiam à juncturis aliiſque ſedibus cauſam aliquo pacto divertunt, Inprimis in *coxendico dolore*, uti & lumborum dorſiquè doloribus ex defluxione natis. *Suppoſitoria* acria naturam ſolicitando à loco affecto quoque derivant. *Platerus.*

120. *Quæſtio Solſtitiorum*) Obſervavit jamdudum *Galenus 6. aphor. 47.* ſi tempore verno vel autumnali, quo utplurimum faces dolorum accenduntur novis paroxyſmis, Purgantia & V. S. inſtituantur, poſſe Arthritidem præcaveri: id quod experientia tota die ſtabilitum videmus. *Wedelius Am.m.m.pag 205.*

In Arthriticis tempore verno & autumnali, quibus ſerum maxime deſpumat, tempeſtive adhibita univerſalia S.m. & Purgatio) arcent feliciter arthriticos & podagricos inſultus vel ſaltem mitigant, ut levius & brevius hinc affician, dempta materia morbifica. *Idem ib, pag 208.*

120. *Stato Solſtitiorum*) Non ſolum vere & autumno, ſed etiam quater in anno, imo & ſingulis menſibus in valde cacochymicis celebranda eſt. *Riverius.*

121. *Proſunt*) Multæ Purgantium formulæ circumferuntur, præcipue vero quæ ſequuntur à Medico prudenti ita uſurpandæ ut plerumque ita immutari debeant, tum ratione materiæ, tum ratione dozis, juxta varia ægrorum temperamenta.

℞. *Sennæ mundat. turbith. hermodact. & raſ. cranii hum. non humati ana* ℨj. *diagr.* ℨß. *f. Pulvis de quo capiat* ℨi. *cum aqua ivæ arthrit. vel juſculo.* Vel

℞. *Salſapar.* ℥i. *ſennæ mund.* ℨvi. *turbith. hermodact. jalapæ, mechoac ana* ℥ß. *agar. troch.* ℨii. *diagrid. cinnam. ana* ℨß. *f. Pulvis cujus* ℨj. *infundatur in vino albo per noctem, Capiat æger mane pulverem & vinum* Riverius.

122. *Pilulæ*) *Rhaſis* Pilulas ſuas laudat eo encomio quod *incedere non valentes faciant ire pedes*, Illæ ſic ſe habent.

℞. *Aloës opt.* ℥ß. *roſar. rubr.* ℈ii. *hermodact. alborum à cortic. exterioribus mundat.* ℨiß. *diagr.* ℨi. *cum aqua ivæ arthrit. & melle roſac. f. maſſa Pilul. cujus dozis erit.* ℨi.

Utiles etiam ſunt quæ ſequuntur, quæ quia minus purgant frequentius exhiberi poterunt.

℞. *Aloës, hermodact. ana.* ℥ß. *chamæp.* ℨii. *chamædr. ſtoech. Arab. ana* ℨi. *ſem. hyper.* ℨß. *cum tereb. Veneta f. maſſa.* Riverius.

123. *Hermodactyli*) Licet à *Foreſto* reiiciantur; nec iis utendum putetur niſi in valde robuſtis corporibus, attamen inter δραςικὰ à nemine, quod ſciam referuntur, quin mitiores potius & ſegniores ſunt. Radix eſt Colchici non venenoſi, cordis figura fere conſpicua, non acris, mordax, ſed farinaceum pulverem largiens: Determinatur vero communiter ad affectus arthriticos, item luem veneream, adſtrictione inde conſequente ob partes terreas: Sero debitum eſt medicamentum, uti radices fere bulboſæ omnes eidem vel demulcendo vel acuendo faciunt, præterea etiam omnes fere tales radices nauſeam cient: Præſtat eandem vel in pulvere dare cum aliis, cum tarde operetur, & nauſeam ventriculo creet; vel in infuſo pro vino ad ℥ii. vel ℥ß. Pilulæ *de hermodactylis* crudiores ſunt: *Pulvis hermodact. compoſitus* deſcribitur in *Pharmac. Londinenſi pag. 177.* ſociatus *pulv. oſſium human. calcinat.* qui ipſi communitet eodem fine commendantur in Podagra, alkalina ſc. vi non alia. *Wedelius.*

124 *Vomitum*) Provocari poterit ſingulis menſibus per biduum ſequens, quia ſecundus dies prioris reliquias extrudit: Ea enim vacuatio in præſervatione magno ſucceſſu adhibetur, ſi æger eam facile ferat, Quod indicavit *Alſaharavius* inſignis Medicus, his verbis, *Vomitus utilior eſt laxativo, ad eradicationem craſſorum humorum, quæ ſunt ab infra genu & uſque ad pedem, ſicut in dolore ſciatico, & dolore genuum & ſimilium.* A cœna autem provocare utile eſt, ingeſtis prius cibis variis, pinguibus, acribus, aliiſque in magna copia: poſtea ventriculum fricando, & digitos in fauces immittendo: Quod ſi non ſufficiat Vomitorium exhibendum eſt, præſertim ex *radice azari & geniſtæ decocto* conflatum, quæ alioquin in arthritide curanda idonea eſſe ſolent. *Riverius.*

Virum Nobilem novi nondum quinquagenarium, qui patre ſatus podagrico, diſpoſitionem nativam gemo nimis indulgens acceleravit. Hic à decennio nullum arthriticum paroxyſmum paſſus eſt, quia illi curæ eſt ſaburratum ventriculum ſtatim deplere vomitu, in quem adeo pronus eſt ut levi radicis linguæ titillatione illum provocet, ad palæſtram menſariam ut ante mox paratus: Medicus quidam noſtras morem illum ventriculum deplendi improbat; Revera ſatius eſſet temperante & ſobrio victu morbum illum declinare, ſed cum à comeſſationibus abſtinere nequeat, (parcus alias potor) utilius eſt præſidio illo immunem ſe ab Arthritide tueri quam eo neglecto tyrannidi morbi ſe exponere.

125. *Antipodagricorum*) Quæ & *Arthritica*, ſeu *Articularia* dicuntur, Articularia autem in Scholis Medicis dicuntur quæ motum articulorum ſalvum præſtant, illorum cumprimis qui in extremitatibus ſiti ſunt, ut in portitoribus machinæ corporeæ pedibus, illiuſque habenis manibus: Cum enim limitaneos quaſi terminos conſtituant totius corporis, in illis ſæpiſſime materia morbifica ſedem ſuam parat ſi ad recipiendum inveniat aptos. *Wedelius Am. m.m.p 204.*

125. *Antipodagricorum uſum*) De calidis iſtis medicamentis notandum, ea non ſolum calidis naturis non prodeſſe, ſed etiam immedicabiles reſolutiones, aut alia incommoda inducere, ideoque ſumma cum præmeditatione eſſe exhibenda, Tutius, & forſan utilius, uſurpari poterit Opiata ſequens, quæ minus calefaciendo totum corpus ſenſim, & per epicraſin ab omni ſuperfluitatum illuvie expurgat,

℞. *Sennæ mundat.* ℥ß *turbith. hermodact. ana* ℨvi. *ligni guajaci, ſaſſafras & rad. zarzæpar. ana* ℥ß. *rad. Chinæ* ℥iß. *ligni Nephritici* ℥ii. *triumſantal, ana* ℥i. *ſemin. aniſi* ℥ii. *mellis optime depurati* ℥xiv. *m. f. Opiata, dozis* ℨi. per integrum annum, exceptis diebus canicularibus. *Riverius.*

125. *Antipodagricorum uſum*) Secundi generis Arthritica (*primi generis* Vide §. *Sunt compeſcendi & ad partem affectam ruentes tollendi*) ſeu *Articularia* remedia ſunt *Nervina*, ſeu quæ nervos, membranas, tendines, ligamenta, & fibras nerveas reſpiciunt: utpote ad articulationem requiſita neceſſaria, ſeu motus organa principalia, imo & ipſum perioſtium; maxime ſenſile & delicatum: Sive irritentur nervi, cumprimis in doloribus, unde & ſpaſmi & pavores ſolennes ſunt arthriticis; ſeu debilitentur. ſpirituum robore exuto, facta velut mollificatione, facta contractura & exſiccatione aliiſque vitiis.

Talia ſunt in genere, ex *ſulphuris & ſalis volatilis*, claſſe

claſſe petita Nervina. v. g. 1. ſale volatili oleoſo pollentia, ut cephalica omnia, herbæ *chamom. chamæpit. roſmar. ſalviæ, flor. anthos, hyperic. ſpicæ, lavendulæ, ſtœch. arab. primul. ver. extr. chamædr. & alia* ex his parata, *Elix. cephal.* item *caſtor. euphorb. galbanum*, quæ tamen calidiora imprimis conveniunt, vel ubi profundius latet affectus, adeoque revulſione & diſcuſſione majori opus eſt, vel ubi nervi puncti & vulnerati, vel ubi atrophia pars laborat, ad motum ſpirituum & ſeri promovendum: Pertinet huc illo ſenſu etiam *Balſamum de Peru, de Capaiba, Oleum tartari fœt*, & balſamica alia. Item *aqua apoplect. aqua articul.* ad extra. Infuſa nervina pro uſu interno & externo, ut & fœtus in contracturis, ex nervinis cum vino coctis, quibus etiam ſcorſim unctuoſa, ut *pinguedo taxi, vulpis, humana* conveniunt; Variant nempe hæc pro diverſitate affectuum, vel calidorum, vel frigidorum, quorum ordo non confundendus.

2. Nervina etiam ſunt *Sulphure* non tam volatili quam fixo conſtantia, quo utroque nomine *Cinnabarina* ſunt laudatiſſima; quorſum etiam *ſulphur auratum antimon. purius, ſulphur vitrioli anodynum.* Ex vegetabilibus *lignum aloes, ladanum eorumque extracta* ſpectant.

3. Nervina etiam ſunt *Acido ſulphurea*, utut enim per *Hippocrat.* decretum, Acida nervis inimica habeantur recte; illud tamen magis eſt intelligendum de Acidis circa membranas & nervos ſubſiſtentibus, immediate applicatis, ſolis, ſibi relictis, fixioribus, non tam cauſæ morbificæ mediatæ, v. g. obſtructionibus debitis; non item de acido ſulphureis, interius vel exterius uſurpatis, utpote mitigatis, & amicis potius: Quin per dicta non incongruus eſt uſus Acidorum internus in Arthritide, ubi non tam ſpiritus ſunt fixati quam irritati; Secus ac quidam hodie Arthriticis omne Acidum arcent remedium, cum tamen *ſpir. vitr. ſimplex & martialis ſpir. ſalis, clyſſus antimon. Tinct. roſar. violar.* toto die cum inſigni alterationis ſucceſſu adhibeantur, pro tartareo humore craſſo, & in coagulum prono diſſolvendo, pro hypochondriis, pro prima culina in ordinem redigenda, unde audiendi non ſunt. In mentem venit podagricus ſenex, 62. annor. qui loco degens ubi nullus morabatur Medicus, interne ſolo *ſpiritu vitrioli* quotidie uſus ad aliquot guttas, Externe vero impoſito *Empl. Noriberg.* plantis pedum, brevi curatus eſt, Sic vinum acido ſulphureum nervis & articulis maxime eſt amicum, ratione *ſulphuris* lenit, ratione *Acidi* blandi defendit, ratione utriſque diſcutit & roborat, Sic *ſpiritus vitrioli* cephalicus nervinus eſt, tum aliis modis paratus. Sic *aqua magnanimitatis*, ſeu *ſpiritus formicarum*, inter præſtantiſſima arthritica localia merito habetur, Conſtat vero nonniſi *acido ſulphureo elemento*, quod per analyſin chymicam ad oculum patet.

4. Nervina præcipue etiam ſunt *Salia volatilia liquida & ſicca*, pro interno & externo uſu varie miſcenda; Cum de illo dictum ſit, reſtat de exteriori dicamus; Probatiſſimi hoc nomine ſunt hoc nomine *ſpiritus c.c. & ſalis Armon.* Ille ſolus quoque vel mixtus, hic cum aliis, v. g. cum *aqua magnanim. cum ſpiritu cochleariæ, carminat.* addita ſi vis *theriaca & eſſentia cortic. citri*: Vſi ſumus frequentiſſime *Linim. nervino ex ſpiritu formicar.* v. g. ℥i. *c. c.* ʒii. *vel* ʒiii. *ad* ℥ß. *ſpirit. ſalis armon.* ℥i. *vel* ij. in doloribus ipſis arthriticis & iſchiadicis, in defluxionibus catarrhalibus ad collum, ſcapulas & aliis. Speciatim quoque commendandi ſunt *Lumbrici*, tum ſimplices per ſe contuſi, tum præparati: Vir primarius, arthriticis inſultibus affectus, à nullo remedio magis juvabatur, quam *lumbricis recentibus cum vino* per linteum trajectis: Sunt qui addunt *miſturam ſimplicem* quoque Sutor doloribus iſchiadicis in dorſo laborabat, adhibebantur varia, & inter alia quoque Emplaſtrum euporiſtum ſatis commodum ex *ſulphure & pice*, tandem curabatur ſolo cataplaſmate ex *lumbricis* contuſis: Experimentum etiam inſigne conſtituunt eodem modo uſurpati in Paronychia: Fœmina quædam laborans arthritide vaga ſcorbutica, præſentaneum ſentiebat levamen ab inunctione *ſpiritus lumbricorum* volat. urinoſi, quem ſpeciatim etiam ſolemns in linimentum nervinum recipere: Proſunt hęc ipſa quando præter dolorum genera jam enumerata, ſeorſim nervoſum genus, ut in omnibus doloribus gravioribus, afficitur, quando materia intro vertitur; quando ſublimius tegimen cerebri ab his minorum gentium diis, Articulos intelligo, in conſenſum vocatur. *Wedelius Am. man. pagin. 209.*

Antipodagricis accenſenda ſunt *Diuretica*, de quibus ſic diſſerit *Etmuller*, Sicut *Diaphoretica Opiatis* maritata intra paroxyſmum, ſic *Diuretica extra paroxyſmum* in cura *Præſervatoria* ſunt optima, quæ duo in plurimis conſpirant, ita ut unum alterum ſublevet; Vtrobique ergo proſunt *Alkalia* tam *fixa* quam *volatilia*, *Acidum podagricum* & corrigentia, & correctum eliminantia; Inprimis vero *Diuretica* tam in *præſervando* quam *curando*, ſunt optima, magis tamen in *præſervando* & ſpeciatim nulla *purgantia*, nulla violenta *ſudorifera*, tantum valent quantum appropriata *Diuretica*, imprimis *volatilia*, qualia ſunt *ſpiritus ſalis armoniac. Spirit. carminativus de tribus*, qui aliquoties multum præſtitit in abuſu vini, ad præcautionem variorum malorum, quatenus urinam movit: Sic egregia *lumbricalia* in Podagra, ad diureſin, item *arcanum duplic. Mynſ.* præmiſſis fixis eſt nobile: Hinc *ſcarabei*, ſpeciatim *unctuoſi* nobile ſuggerunt remedium ad podagram per urinam, utut cum doloroſa ſtranguria operentur. *Etmuller.*

115. *Antipodagricorum uſum*) Medicamenta *Alterantia*, à veteribus *Arthritidis Antidota* dicta, egregii ſunt uſus, & longo tempore, una cum exacto circa ſex non naturalia regimine aſſumpta juvamen ſæpe magnum præſtant; In hoc cenſu medicamenta *ſale volatili*, ac *ſulphure balſamico* prædita, quatenus nempe *hac* ſalem fixum exaltant, *illaque acetoſum* reducunt, præcipua habentur; Inſuper *amara & adſtringentia*, uti herbæ *chamædrys, chamæpitis, centaur. rad. gentianæ & ariſtoch.* &c. (ſiquidem experientia duce in hoc morbo comprobantur) hac ratione utilia eſſe videntur quod *pepſeos & chylificationis* munia adjuvant, atque *fæculentias ſalino fixas*, ne in ſanguinem ferantur, cohibent, Cujuſque horum formulas quaſdam ſubdemus.

℞. *Pulv. chamæpit.* ʒvj. *Ocul. canc.* ʒij. *tereb. Ven q. ſ. f. Pilulæ exiguæ, ſumantur* iij. vel iv. *veſperi, & mane per* xxx. *aut* xl. *dies ſuperbibendo aquæ diſtill. ſequ.* ℥ij. *vel* ℥iij.

℞. *Fol. cupreſſi, abietis, viſci pomor.* āā. *m.* vj. *radic. caryophyll. bardanæ*, āā. ℔j. *cortices exter.* x. *aurant. &* vj. *limon. nuc. moſch. macer.* āā. ℥j. *contuſis & conſciſſis affunde lactis rec.* ℔vij. *vini malagani* ℔j. *deſtillentur ſ. a. Liquor totus* miſceatur.

Vel paretur *Aqua fol. bardanæ ſimplex, bis vel ter cohobando ſuper folia recentia.*

℞. *Pulv. ſemin. bardanæ* ʒvi. *ocul. Cancr.* ʒij. *nuc. moſch.* ʒß. *balſam. Capivi q. ſ. f. maſſa quæ formetur in Pilul. exiguas, ſumantur* iv. *Veſperi & mane per plures dies.*

℞. *Tinct. antim* ℥j. *doſis gtt.* xx. ad xxv. *veſperi & primo mane cum* ℥iij. *aquæ modo deſcriptæ.*

Pauperibus præſcribere ſoleo ad hunc modum.

℞. *Pulv. fol. ſalv.* ℔ß. *ocul. cancr. ſacchar. cryſtall.* āā. ℥ij. *m. ſervetur in vitro, ſumatur cochleare unum bis in die cum hauſtu decocti fol. ſalviæ vel rad. bardanæ.*

Vel *Pulvis Derncrellii* ſumatur eodem modo.

℞. *Pulv. fol. chamædr, ivæ arthrit. centaur. minor. majoran. ſalviæ, beton. rad. gentianæ, ariſtol. rot.* ãã. ℥j. *ſacchar.* ℔j. *miſce fiat* Pulvis.

Vel *Pulvis Joh. Anglici*, ab ipſo *Saracenicus* dictus.

℞. *Pulv. fol. chamæpityos* ℥j. *oſſis humani ped. combuſti* ʒij. *liquir.* ʒiij. *miſce.*

Pro *Potu ordinario* paretur *Bochetum ex ſalſapar. ſantalis, ligno Rhodio, raſura eboris, c. c.* vel paretur *Alla tenuis* pro doliolo quatuor congiorum capaci, cui vice *lupulorum*, incoquantur *fol. chamædr. & chamæpit. Et poſt* fermentationem indantur *fol. ſalviæ ſicc. m.* iv. *ſaſſafras* ℥ij. *rad. caryophyll.* ℥viij.

Inter *Alterantia* locũ non infimum ſibi vindicat *Diæta ex Lacte*, nempe ut patiens per tres aut quatuor menſes nullo alio alimento utatur; mane & veſperi Lac recens mulctum bibat; Circa meridiem & alus temporibus comedat cum pane albo, hordeo, aut farina avenacea coctum: Novi quoſdam ab hoc victus genere inſigne juvamen accepiſſe: Alios vero à Lactis uſu multo deterius habuiſſe, & Arthritide nullatenus curata viſcerum obſtructiones magnas & cacochymiam contraxiſſe: Itaque methodus iſta ſine prudentis Medici conſilio, & obſervatione ſedula, utrum conveniat necne haud temere ineatur.

Non ita pridem mos vulgo inoleverat, ut *Arthritici* unoquoque mane *urinam propriam* biberent, quod nonnullis commodo fuiſſe memini, Cujus juvaminis ratio videtur eſſe, quod urinæ latex ſalinus, ſanguinem denuo pertranſiens, particulas ſalino fixas, prius in articulos deferri ſolitas, ſecum ad renes deducerent, Quamobrem hæc methodus, ſi quando *arthriticum* ſublevat, plerumque nephriticum auget. *Willis.*

Vſum *Betonicæ* ſibi faciat familiarem, ſingularem enim proprietatem habet in Arthritide ad ipſius ſymptomata mitiora reddenda. Dominum *Roſetum*, Syndicum Genevenſem, quotidiano Betonicæ uſu ab arthritide, quam in juventute fuerat vexatus; tandem in ſenectute curatum fuiſſe ex ipſius ore didici: Diverſis autem modis *Betonica* uti poterit, primo foliis adhuc tenellis in acetario, & cum juſculis & carne coctâ: Item *conſerva ipſius*, aut etiam Extracto: Nobilis Bernenſis exſiccatam in pulverem redigit, eoque pulvere *ſaccharo* permixto ad ʒj. vel ʒiß. utitur cum fructu. Alii tabellas cum pulvere & ſaccharo conficiunt: Medicamenta autem ex ea duabus vel tribus horis poſt cœnam brevem ſumenda ſunt, noctu enim propter vaporum abundantiam qui in ſomno ſurſum feruntur, vis medicamenti facilius quam interdiu ad cerebrum elevatur & ad nervos pervenit. *Fabritius Hildanus obſ. 32. Cent. 6.*

Aliquando comedat *folia Salviæ*, vel ſola, & ſine condimento, vel cum modico *ſalis*, *Olei ac vino* reſperſa, & capiat quando it cubitum. *Capivaccius in Scholtzii conſiliis.*

Ad Arthritidem præcavendam; ejuſque radices in viſceribus latentes extirpandas, quidam Practici commendant uſum *Antipodagricorum* per annum integrum exhibitorum, quibus multos in integrum fuiſſe liberatos pronuntiant, Ex multis eorum formulis ſequens præcipua eſt.

℞. *Salſapar.* ℥iv. *ſemin. hyperic. fol. chamæpit. & chamædr.* ãã. ℥iv. *ſemin. hyperic. fol. chamæpit. & chamædr.* ãã. ℥iv. *ariſtol. rot* ℥vj. *angelicæ* ʒiij. *cinnam.* ʒij. *caryophyll.* ℈iv. *Croci* ℈ij. *omnia in tenuiſſimum pulverem redacta incorporentur cum mellis Hiſp. coctiq. ſ. f. Opiata, qua utatur æger per annum integram ſumendo ſingulis diebus veris, autumni & hyemis* ʒiß. *æſtate tantum* ʒj. abſtinendo omnino diebus canicularibus. Vinum bibat valde dilutum, & abſtineat à rebus venereis.

Inter vulgares quidam pro magno remedio prophylactico habent, ut tres alliorum bulbi integri mane deglutiantur, continuando per menſem integrum: Etenim ventriculum calefaciunt & roborant, citra hepatis aliorumque viſcerum calefactionem, nam integri cum fæcibus excernuntur, ſed cocti & pituita viſcida obvoluti quam à ventriculo & inteſtinis deturbant, *Riverius.*

Syrupus uſuatis excellens in omnibus Arthritidis ſpeciebus.

Zarzapar. ℥ij. *rad. acori vulg. pentaph. ariſtol. rot.* ãã ℥j. *angel.* ℥ß. *rad. aſar.* ʒij. *herb. ivæ arthet. herniar. betonicæ, chamædr.* ãã. *m.* j. *ſalv. thymi, menthaſtri, major.* ãã. *m.* ß. *primul. ver. conſol. regal.* ãã *p.* j. *flor. roriſm. ſtæch. vel lavendul.* ãã. *m* ß. *ſem. aniſ.* ʒß. *ſem. hyper.* ʒij. *ſem. ocymi, ſeſel. rutæ*, ãã. ʒj. *f. decoctio in aqua & tertia parte vini, colat. adde mellis optimi* ℔j. *coq. ad conſiſtentiam ſyrupi, aromat. cinnam.* ʒij. *caryoph.* ʒj. *Doſis* ℥j. *aut amplius per ſe vel diſſolvendo aquis convenientibus, ut aqua ivæ, beton. &c.*

Pulvis *ex cineribus* admodum exſiccans corporis ſeroſitates.

℞. *Ciner. cranii hom.* ℥j. *ciner. priapi tauri* vel *caſtoris*, ſi haberi poteſt, ℥ß. *ciner. hirund.* vel *cuculi*, vel *milvi*, ʒij. *Cornu cervi, eboris uſti* ãã. ʒj. *ſuccini opt.* ʒß. *margar.* ʒß. *cinnam.* ʒij. *pulv. diagal. diamoſch.* ãã. ʒß. *ſacch. roſat tabul. & ſacch. candi ad pondus omnium f. Pulvis ſubtiliſſimus, Capiat* ʒiß. *ſuperbibendo parum vini diluti aquis ſupradictis:* Ex eo poſſunt fieri Tabellæ diſſolvendo *ſacch. in aquis betonic. vel ivæ.* Platerus.

[126] *Chamedrios Decoctum*) Omnium antipodagricorum inſtar forſan id eſſe poterit, quod propterea Car. V. Imper. à Medicis Genuenſibus valde commendatum fuit; & *Solenander* plurimos qui hoc medicamento per lx. dies bibiſſent, penitus liberatos fuiſſe; Hæc compoſitio.

℞ *Chamædr. dum floret lecta & bene aſſervata m.* j. *vini mediocris maturi* ℔iij. *coque in duplici vaſe per horas* v. *Colati vini capiat æger hauſtum, corpore ad ſudorem compoſito. præmiſſa purgatione.* Riverius.

[126] *Chamæpityos*) Alias yvæ, Hæc adeo eſt in Arthritide præcipue conveniens, ut Arthetica proin dicatur; ſanat *Iſchiadicos* ipſius *decoctum* in *hydromelite, œnomelite*, vel *oxymelite* factum, ſi diu bibant; Vel *ſyrupus ex ſucco illius* paratus: confert & conſerva ſæpe exhibita, vel Pulvis. *Platerus.*

[127] *Articulorum roborationem*) Quoties in partibus affectis languor & debilitas remanet, tunc medicamenta *ſpiritu volatili*, ut & *oleo aromatico* prædita curatur præſertim. *Fr. Sylvius.*

[127] *Articulorum roboratione*) Sedato dolore ad roborantia accedendum, inter quę vinum optimum, quod ut extus admotum partibus remotis utile eſt, intus aſſumptum maximè infeſtum eſt, omnibuſque cerebri propaginibus.

Præſtantiſſimum remedium eſt ſequens nutritum.

℞. *Olei Cheirini* iteratis infuſionibus & additione florum verbaſci parati ℔j. *ſalis marini* decrepitati diſſoluti & in alkool redacti ſuper porphyrite, *Saponis albi Veneti* ãã. ℥iv. Miſc. fiat inſtar nutrit; Eo veſperi omnes articuli inungendi, præſertim pedum & manuum, præ cæteris partibus maximè doloribus obnoxii; poſt inducantur tibialia & Cheirothecæ laneæ in lecti introitu. *De Mayerne.*

[127] *Articulorum roborationem*) Partibus quæ à defluxionibus excrementitiis, vel etiam ſanguinis affluxu affici ſolent, præcautionis gratia, ne facile humorem admittant, ea apponimus, quæ cum debiles & laxæ

multo

multo influxu reddantur, eas firment robuſtioreſq́ne reddant, & ſi quid in illis reſidui remanſit, ſimul abſumant; ex quorum numero, & aliquibus in declinatione horũ affectuum vt partes debilitatas rurſum confirmemus reliquiaſque diſcutiamus, vti poſſumus, Id autem per varia perficitur *Immergenda* frequẽter, aut *fovenda*, vel *perfundenda* aut *abluenda, manus & pedes*, *Lixivio* parato *ex aqua communi* vel *pluviali*, aut *ciſterna*, *ferrata* aut *chalybeata*, transfuſa *per cineres* combuſtorum lignorum, *fagi, quercus*, *iuniperi*, *ſarmentorum vitis* inprimis *oſſium equi, cervi* &c. cum quibus dum vruntur, plantæ aliquæ vtiles, vt *roriſmar. laurus* &c. vſurpari poſſunt: Huic *Lixivio*, ſimplici, vel compoſito, ad maiorem efficaciam addi poſſunt *vinum vrina*, *alumen* vel *ſal*, imo *tartari*, vel *ſulphuris vivi* aut *cœli* portio. *Aqua ſalſa naturalis* vel *artificialis*, vel per ſe, vel per *cineres*, quoque fuſa, cui *myrrha* addita bona quantitate ad *Fotum*. valde commendatur, Cum *laxus tumor* in declinatione remanſit.

℞. *Rad. ebuli* ℔j. *chamæpyt. m ſ. roſar. rubr. chamom. melilot.* ā ā. *p.* j. *balauſt. ſem. myrtill.* ā ā. ℥j. *lumbr. terr. q. ſ. coque in lixivii part.* ij. *aceti p.* ß. vt efficacius adſtringat laxas partes, *gallæ, acacia, hypocyſtis, ad* ℥ß. adduntur, *Inunctiones* partes debiles & laxas confirmantes, ſunt *Oleum ex acinis vvarum expreſſum cum oleo ſalis* inunctum; Vngu. roborans.

℞. *Ol. myrtill.* vel *roſac. compl.* ℥ij. *ſalis* ʒij. miſce, interdum & *myrrha* additur ad ʒj.

Termæ aliquæ ad tempus vſurpatæ, præſertim *ſulphureæ ſalſæ, nitroſæ* prætérquam quod per ſudores, ſuperfluitates in corpore, abſumunt, robur articulis addendo, in defluxionum & arthritidis præcautione aliquid præſtare poſſunt, vti & ſi per modum *embrochæ* vel duciæ, capiti etiam admoveantur, ſcaturiginem mali avertunt, Quorum & *reſidentia*, ſeu *lutum*, partibus infirmis applicatum, eas confirmãt: *Corium canis* applicatum proprietate valere creditur. Quorum omnium vſu diutius adhibito, ne humores calore & madore horum, ad partem, quæ ad ſuſcipiendum prona eſt, concitentur, illa interdum defenſivis Emplaſtris muniri poteſt.

127. *Articulorum roborationem*) In paroxyſmi declinatione ad partem corroborandam, atque materię morbicæ reliquias diſcutiendas, *Emplaſtra* vtiliter adhibentur, quæ tamen non omnia indifferentia omnibus, verum his magis, illis minus calida conveniunt: Pleriſque autem maxime efficacia eſſe ſolent ea quibus *minium*, *lythargyrus*, mercurius, aliaque mineralia aut ſalina inſunt: Nobis præcipue in vſu eſt Empl. ex *minio, ceruſſa*, & *ſapone* cum oleo coctis, vel quod recipit.

℞. *Empl. de minio p.* ii. Parac. p. j. m. extende ſuper alutam. *Willis.*

128. *In Vinaceis*) Inter præcipua roborantia numerandis, quæ materiæ morbificæ reliquias diſcutiunt calore actuali & adſtringendi vi partes maxime roborant: *Duretus* in *Hollerium* ea ita commendat; *Sed mirifice prodeſt vinaceorum vſus tempore vindemiarum, ſi vinacea exportentur ex torculari in horreum, & ſtragulis operta incaleſcant: In his æger contineat pedes, tibias, crura, ac brachia, vel etiam totum corpus*, Poſtea vero addit Gallico idiomate, *Ie lay pratiqué cent fois, il ny à rien de meilleur ſous la chappe du ciel.* Solenander vero conſ. 21. ſect. 4. hoc remedium ſequenti elogio prædicat, *Sero inter optima remedia, & tutiſſima, quæ partes etiam affectas roborant, ac calorem innatum fovent, hoc ponendum. & diligenter ſingulis annis, cum amplius fieri nequeas, vſurpandum, videlicet vt tempore vindemiæ immergantur pedes atque manus affecta vinaceis, poſt expreſſionem calentibus adhuc, vel muſto calido calefactis, mane per dies xv. Ac poſſem* nominare virum præſtantem cui hoc medicamentum communicavi, atque ab eo præclaro munere ſum donatus, *qui plane incedere non poterat & illo remedio beneficio Dei reſtitutus eſt quo autem vva maturiores ſunt eo plus adiumenti vinaceorum vſus afferre ſolet.*

Vrut vero grandibus elogiis exornentur vinacea, diſtinctio tamen tẽperamentorũ adhibẽda eſt, iis enim qui fervido & bilioſo donati ſunt, nocent potius quam iuvant: Nec ratio deeſt ex circulatione ſanguinis petenda, hic enim in extremis excalefactus, per ſemihorę moram totus ab iis incaleſcit: Si quis in eiuſmodi temperamentis vſurpare voluerit, exſucca vinacea adſumat & torculari valde expreſſa; ab affuſione muſti calentis abſtinendo, quod præcipit *Solenander*, ne calor eorum intendatur & penetratio adiuvetur. *Dureti* & *Solenandri* authoritate fultus illa olim Illuſtriſſimo *Dom. de Mollendinis*, Proprincipi Neocomenſi, præſcripſi, pręmiſſis ad vnguem præmittendis, & procul à paroxyſmo arthritico; ſed vix octava partis horæ moram ſuſtinuit, cum ex vultus rubore, febre accedente cum vertiginibus, quã non verum ſit vniverſaliter illorum effatum apparuit.

129. *Adhibendum Balneum*) De Balneo ex *ovis Formicarum* res omnibus vetulis in Sileſia nota, Exſiccent multum, ſi lubenter vtitur inceſſionibus non poterit nocere *ægro*: vtuntur etiam mulieres ad impręgnationem. *Ioh. Crato lib. 4. Epiſtol.*

Obſtetrix Gallica idem Balneum componit ex integro formicarum maiorum globo, vna cum ovis, parte terræ ab ipſis collecta, & ſegmentis quibus inhabitant ita vt hæc omnia ſacco incluſa aqua fervente calefiant, & æger inſidens tamdiu duret donec vires ferunt, vix vnquam fallit. *Volffangus Hæferus Herc. med. l.* 4.

Multi confidunt *ſenecione*, in ea lavantes ex diebus, ſemper dimidiam horã ante cœnam: multi etiam ſalutariter vtuntur ligno Iuniperi, & in eo aliquot diebus lavant. *Crato conſ. 26. lib. 2.*

130 *Balneum aquæ ferratæ*) Termæ ſulphureæ & nitroſæ, quales ſunt *Balerncana*, non ſolum ſudores evocando, ſed etiam roborando articulos, ad præcautionem non parum conferre poſſunt; ſicuti ſi per modum embrochæ, vel duciæ, capiti admoveantur: Earundem thermarum lutum partibus infirmis applicatum, eas etiam corroborat. *Riverius.*

130. *Balneum aquæ ferratæ, in qua*) Conſcindunt aliqui *ligni iuniperini* ſcobem aut ramenta, aqua *pluvia chalybeata* ſufficiente coquunt donec aqua ex ligno tingatur, & cum ea fiat crurum, pedum & articulorum lotio, Ita enim vidi aliquoties incipiens malum percuratum diſcuſſumq́ne *Solenander conſ. 24. & 25. ſect. 4.* Probant multi partium pati ſolitarum lotiones. ex *Aqua aluminoſa*; quæ mihi magis placerent ſi alumini *ſalis* aliquid, & ſulphuris modicum adiiciatur; vt *Gainerius* habet, nam ita ſulphuris vi reſolvente & emolliente aliorum efficacia temperatur. *Idem.*

Balnea adſtringendo quæ roborant, & repellunt vitanda non ſolum in critica arthritide, verum etiam in ea quæ à membro principe tranſmiſſa excitatur colluvie. Periculum eſt ne mobiles retrocedant humores, magno cum Oeconomiæ turbatione. *Rolfincius.*

130. *Balneum aquæ ferratæ*) Mulier quædam Podagrica, continuo hoc affectu infeſtata, dum in matrimonio eſſet, vidua poſtea facta, conſilio meo, vt ſi curari non poſſet, ſaltem minus ab eo affligeretur, vſa eſt, Poſt corporis purgationem, iuſſa pedes Podagræ obnoxios ſæpe immergere in ſequenti lixivio mane & veſperi.

℞. *Oſſium diverſorum combuſtorum cum ligno quercino cineres, per quos coletur aqua fabrorum extinctionis ferri, addita menſura vini rubri vna & vrina pueri; fiat Lixivium ſatis efficax, in quo decoquẽ*

Imò abuſus Opiatorum ad paralyſin arthriticos diſponit; adeoque cautè uſurpentur, nec niſi præmiſſis univerſalibus, nec niſi adjunctis purgantibus, aut ſudoriferis, aut ſpecificis: Suſpicor tamen commodè propinari poſſe eadem ingruente paroxyſmo, præmiſſo vomitu cum ſpecifico ſudorifero: Quoad *miſtionem cum purgantibus*, illuſtrant hoc *Pilulæ antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat, *Veni amice, ſurge & ambula.*

℞. *Maſſæ Pil. alœphang.* ʒij. *laudani op.* ʒß. *m f. Pilula, dividantur in 4. partes æqu. cujus pars una in vino aſſumenda*, & *3. vel 4. hoc jejunium imperandum.*

Miſtio cum diaphoreticis etiam vulgo nota eſt. *Etmuller.*

93. *Narcotica*) Si viget atrox dolor, à narcoticorum admotione nihil pertimeſcendum, cùm certum ſit dolorem, vel unâ die urgentem, majorem nervis inferre labem & debilitatem, quàm topicorum admotionem ſex dierum ſpatio continuatam, ſupponamus verò ſtuporem inde aliquem ſuperſtitem eſſe in partibus, mille præſtò ſunt remedia eam labem eluere valentia, *balnea, fotus, emplaſtra, laconica* & alia, quæ brevi tempore id præſtant; his adde narcoticum fore innoxium ſuæ antido annexum.

Omnes prope Authores in vehementiâ doloris podagrici hyoſciamum in uſum ducunt: ad opium quidem aſcendunt. Si ſplen multùm induruit, cicutam illi innoxiè apponimus, quod & acutis utiliter ſuper imponitur, quanquam cerebro proximis.

Ego autem non vereor, comprobante felici eventu, in uſum ducere utramque illam plantam cataplaſmatis formâ, additâ *caſſiâ, camphorâ, Croco, ſpermate Ceti, atque axungiâ* humanâ, quæ præſtantiſſimum eſt anodynum eo in affectu. *De Mayerne.*

91. *Inter illa eſt*) Valet ad Podagram *cinis caulium* cum *axungia rec. porcina*, Vngu. inſtar, Celebris quidam Medicus *ſtipites ciner. caulium* miſcebat cum *axungia & cera*, & componebat Vng. Cuidam Podagrico, poſt univerſalia *viſcum querc.* in *cereviſia communi* decoxit, & colaturam panno lineo intinctam loco affecto impoſuit; quo ſolo remedio dolor ſedatus: *Oleũ ligni Guajaci* mirabile eſt pro arthriticis: *Iodocus Philippi Regis* Chirurgus *ſaponis nigri* ℥i. cum *vitello unius* ovi mixtâ applicabat Podagricis & Chiragricis miro ſucceſſu cũ ſtupa, & per tres dies non removebat. *Foreſtus* Obſ 15. l. 29.

91. *Inter illa eſt*) Mucago *fœnugræci* extracta cũ aqua & aceto, adjecto poſtea melle, multis probatur tanquam efficax remedium, ſi triduo hæreat. *Ant. Chalmeteus.*

91. *Inter illa eſt &c.*) Cum ſit immenſa Topicorum ſylva, ea vel tantum *Anodyna*, dolorem per ſe reſpiciunt, vel ad hunc ſimul & tumorem collimantia, aut ſunt *Repellentia*, vel *Reſolventia:* Horum cujuſque generis variæ ſunt Formulæ & adminiſtrationum modi: præcipui tamen uſus ſolent eſſe *Fotus, cataplaſmata* & *Emplaſtra:* Ex his quædam maximè celebria ſubdemus, & 1°. applicationes Anodynas, quæ mulcimine quodam fibras leniant, & ſpiritus compeſcunt; Propter hunc uſum *Catapl. ex lacte & mica panis*, quibus addi poſſunt *mucago folior. & radic. malvæ, althea* & ſimil. Alii laudant Catapl. ex *vaccino ſtercore rec.* calide applicatum. Item *Aqua diſtillata à Tinctura viridis æris, in aceto diſtillato* facta, ſæpe dolorem ſedat. Audivi à Generoſo Podagra graviori ſæpe obnoxio, ſe inter diros iſtius morbi cruciatus, præſentaneum ſemper levamen habuiſſe *à Fotu* cum *aqua ſtillatitia è contentis ſtomachi bovini* recens occiſi. *Willis.*

Ex *Lacte* paratur Cataplaſma incoctis *foliis hyoſciami* aut *violariæ:* Fit & ex *pulpa rad. althææ* cum *lacte* permiſta: Ex *Caſſia* vel ſola, vel cum oleo roſaceo & ſequ.

℞. *Medullæ panis albi in lacte decoctæ* ℔ß. *medullæ Caſſiæ* ℥iii. *f. Catapl. Riverius.* Pro leniendo dolore feliciter mihi ſuccedit; præter illitum factum cum *oleo roſac. completo* & *vitello ovi*, Irrigatio facta cum *decocto verbaſci*, nec non ex *embrocha ex lacte*, ac Illitio ex *oleo ranarum* partibus dolentibus adhibita. *Jul. Caſ. Claudinus conſ. 6.*

Partes dolentes illinantur Oleo catellorum, deinde integantur *pelle arvetina* recens detracta *Gul. Ballonius Conſ. 3. lib. 2.*

Catellus vivus parti dolenti admotus dolorem valde demulcet. *Riverius.*

Adrianus Spigelius apud moravos in uſu, & nobile experimentum pro ſanandis illico doloribus podagricis, *Vlmariæ cum radic. & floribus* exſtillatæ aquam eſſe ſcribit, quæ & Sileſiis in frequenti uſu eſt: Commodũ etiam eſt decocto parietariæ partem affectam fovere.

91. *Inter illa eſt*) Nobilis quidam nullum præſtantius experimentum teſtabatur doloribus podagricis quam pinguedinem *Erinacei* inunctam, quod Chirurgi cujuſdam Auſtriaci ſummum ſecretum ſæpe feliciter uſurpatum viderat. *Hieron. Reuſnerus Obſ. 115.*

91. *Inter illa eſt*) Pro excitando calore nativo, membrorumque cruciatibus demulcendis *Catelli* præſtantiſſimi etiam ſunt *Galeni 7. m.m.* teſtimonio; Illi autem præferuntur quibus pilus concolor eſt: *Ant. le Grand Comp.*

92. *Lactis cremor*) Quo ſolo, poſt univerſalia remedia, oblinendo partes affectas, dolorem mirum in modum ſe ſedaviſſe aſſerit. *Foreſtus Obſ. 3. l. 29.*

92. *Lactis*) Lac tepens parti dolenti admotum, cum pannis lineis in eo intinctis, dolorem demulcet; Tum etiam ſi pars eo irroretur, præcipue cum primum ex mamma detrahitur, quod maxime commendat *Amatus Luſitanus* cur. 41. cent. 6. his verbis, *Qui Podagra ingentes dolores patiebatur, capram intra cubiculum ſuum adducere & ex ea lac ſupra membrum dolens & male affectum emulgere ſatagebat, quo dolores evidenter imminui ſentiebat, nec quidem injuria, nam lac ſic recens emulctum dolores demulcet, & mitigat ac remittit: Eſt autem remedium Turcarum principibus commune & familiare ſatis &c.*

Ad *Lactis* ℔j. ſi *ſulphur.* vel *litharg.* ℥j. addatur, ĩd quod collectum eſt diſcutit: Ab initio *chalybeari* poteſt; Et ut dolor magis ſedetur, *ſem. lini, fœnugr.* in eo decoqui; & cum parti appropriatum reddere volumus *hermodactylos* aliave addere poſſumus *Platerus.*

93. *Sacchari Saturni*) Quod cum *oleo violato* vel *roſac.* paratum dolorem ſedat efficaciſſime. Vel in ſpiritu vini diſſolutum idem præſtat. *Riverius.*

94. *Caſeus Ovillus recens*) Sicuti refert *Sennertus* arthriticum quendam ſummo cum fructu eo uti ſolitum ad dolores ſedandos, plane recenti impoſito, verum ſæpe renovato; quamprimum enim à calore partis pingueſcere, & quaſi butyrum fundere Caſeus incipiebat, dolor intendebatur.

95. *Aqua Antipodagrica Rulandi*) Pro doloribus cito mitigandis, compeſcendis ac cito ſubmovendis, lintea duplicata in *Aqua* ſua *Antipodagrica* intincta & parum expreſſa tepide applicabat partibus affectis & dolentibus, idque reiterabat quoties lintea ſiccata fuerant, Quo ſolo epithemate paucarum horarum tempore ex toto liberatus eſt æger à dolore: Et hæc ſane Aqua divina neminem hactenus in relevanda & tollenda Podagra, Gonagra, Chiragraque fefellit: ſed omnes ad ſui ſalutem, cum Dei laude, uſi ſunt feliciſſimo & indubitato cum profectu. *Martinus Rulandus Cur. 35. cent. 5.*

Cum circumferantur ſpuriæ deſcriptiones illius Aquæ, genuinam hic adſcribimus, præſertim cum ad miraculum illa operata & probata dicatur.

℞. *Aq. terræ ſanctæ* ℔j. *aquæ martis* ℔ij. *liquor. mercur.* ʒß. *cro-*

℥ß. croci metall. ℨi. m. & ebullitione facta in vitro ſervetur.

Aqua terræ ſanctæ ſequenti paratur modo.

℞. Boli orient. ℨviii. terra ſigill. ℥iii. aqu. leviſſimi ℔v. maceaentur per dies novem in loco calido, & deſtilla.

Aqua martis ita componitur.

℞. Aqua per veſicam deſtill. ℔viii. in quibus infunde ſcoriar. ferri prepar. ℔ß. ſtent infuſa per dies vj. ac per alembicum evocentur.

Liquoris Mercurii, hæc eſt præparatio.

℞. Mercur. ſublim. ℥iv. quibus affunde aceti fortiſſimi ℥iii. & per noctem macera: Crocus metallorum quomodo conficiatur omnibus notiſſimum eſt. *Loſelius de Podagra ſect. 2. membr. 2 artic. 2.*

96. *Cataplaſma ex medulla Caſſiæ*) Quidam crapulæ deditus, Podagra in pede ſiniſtro afficiebatur, Exhibita *Caſſia* ad fæces communes educendas ad ℥viij. extrahere juſſi, Purgato deinde leviter corpore pecias lineas infundi juſſi in *aq. roſ.* & *ſolani* cum *ol. omphac.* & *medullam panis cum lacte, caſſia, & vitello ovi crudo* apponi; Quale & illud eſt à *Lemnello* commendatum.

℞. *Caſſiæ noviter extracta* ℥ii. *pulv. hermodact.* ℨß. *vitellum ovi unius m. cum ol. roſac. ad formam linim.* Et hæc huic ægro profuere. *Pet. Foreſtus Ob. 6. l. 29.*

97. *Oleum*) Vnguentum ſequens *Panius* aſſerit multis præſidio fuiſſe, & valere experimento ſe didiciſſe ait. *Joh. Sylvius.*

℞. *Thyſorum caulium* ℥iv. *axungia porcina aqua roſac. lota* ℥ii. m. f. Vngu. quo locus dolore affectus inungatur.

α. *Oleo*) Sicuti Olea anodyna parùm convenire dictum, idem de *oleis reſolventibus* dicendum eſt, quia poros cutis occludunt, ſicque liberam tranſpirationem impediunt & calorem augent, neque propter ſuam viſcoſam ſubſtantiam ad intimas articulorum partes penetrare poſſunt, ut humores acres, ſalſos, tartareos in iis latitantes temperent & reſolvant: Attamen ſi prædicta olea per Retortam deſtillentur, huic uſui maximè idonea, utpote valde penetrantia ac minime viſcida efficientur; Ex illis præſtantiſſima ſunt *Oleum cheirinum*, *Hyperici*, & de *vitellis ovorum*, quæ ſimul mixta, & per retortam deſtillata, dolori ſedando ejuſque cauſæ diſcutiendæ utiliſſima ſunt. *Oleum* etiam *ſcorpionum Matthioli*, modo prædicto deſtillatum præſtantiſſimum eſt. *Oleum cera ad id* etiam præſtantiſſimum eſt: At cæteris omnibus præfertur, & non ſolum à Chimiatris, ſed & Doctoribus Dogmaticis, ut *Cratone, Platero* &c. laudatum *Oleum ex oſſibus humanis*, eodem modo paratum, quo Oleum de lateribus conficitur, Nimirum Oſſa humana, non humata, confracta, & ignita, in oleum vetus injiciuntur; poſtea vero oleo imbibita contunduntur & in retortam conjiciuntur, ſicque vi ignis extrahitur Oleum. In Oſſium humanorum defectu aliorum animalium oſſa ſubrogari poſſunt. *Riverius.*

98. *Oſſium humanorum*) Vide §. *In Oleo.*)

99. *Caute adhibenda pinguia*) In quibuſdam tamen corporibus *Oleum roſac.* & ſim. convenire poterunt, ſaltem cum aliis medicamentis permixta, quandoquidem pro variis hominum naturis varia conferre ſolent, Ideo ingens remediorum numerus habendus eſt, ut paſſim immutari valeant, quia vix ullum inveniri poteſt adeo efficax, ut omnibus æque proſit. *Riverius* Vide §. *Caſeus ovillus.*)

99. *Cautè adhibenda pinguia*) Diſtinguenda ſunt articularia medicamenta pro diſtinctione morborum quibus obſidentur, Quæ enim in Contracturis, vel ſpaſmis quoque conveniunt, non æque locum habent in doloribus, Vnctuoſa hujus rei præbent exemplum, Proſunt hæc in dictis morbis etiam non adeo Nervina ſimul, ſeu partibus æthæreis ſulphureis vigorata, ſola emolliendi virtute: Proſunt in ichore ulcerum ſeroſo, ſi ſimul fuerint nervina, Proſunt in doloribus articulorum venereis, ſi fuerint ſimul reſolventia, Arthriticis vero non item: Solet quidem eo nomine *Oleum ſaponis* commendari, ſed & illud caute adplicandum, neque æque niſi in frigidiori defluxione prodeſt: Notabilis eſt obſervatio *Sylvii*, qui in Podagrico dolore valde rodente cum admiratione ſumma expertum ſe ſcribit vim ſtupendam *Balſami ſulphuris ſuccinati*, ad paucas guttas dolenti parti illiti, unde confeſtim efferveſcentia in parte affecta excitata eſt calens, imo urens, at mox iterum ceſſans, una cum dolore atrociſſimo in momento quaſi ablato; Dubitat tamen an idem ſit futurus in omnibus ſucceſſus, quandoquidem omnes oleoſa, & inprimis per diſtillationem parata ferre non poſſunt; dixerim potius, pauciſſimos *Wedelius Am. m. m. p. 214.*

99. *Cautè adhibenda pinguia*) Et inſenſibilem tranſpirationem inhibendo, tandem contumaces contracturas inferunt, Vnde loco Vnguentorum potius Emplaſtra varia Nervinis conſtantia, Et cataplaſmata calida ſunt adhibenda; quæ ipſa tamen ſæpius ſunt renovanda, ne actuali ſuo frigore, poſt modum ſtricturam pororum inferendo malum exaſperent.

100. *Ex Narcoticis ſunt*) Cataplaſma efficaciſſimum.

℞. *Flor. ſambuci ſicc. fol. hyoſcyami. ſub prunis coctorum prius fol. caulium rubr. involutor.* ℥iv. *contuſa coq. in lacte capr. aut vaccino pingui ad pultis conſiſtentiam*, quibus ab *igne remotis, adde croci orient.* ℈j. *vitell. ovor. n.* ij. *vel* iij. *miſce.*

Torpedinis corium admotum, vel oleum in quo coxerit illitum ſtuporem inducendo, multum prodeſſe poſſe creditur. *Platerus.*

100 *Ex Narcoticis ſunt*) Ad extremos Podagræ cruciatus *Narcot. externa* nonnunquam adhiberi debent.

℞. *Fol. hyoſcyami, cicuta* āā. *m.* iij. *indantur aquæ ebullienti, & quamprimum tenereſcunt, eximantur, quibus contuſis adde pulv. flor. Chamom.* ℥ij. *vitellum unius ovi, f. Catapl.* Vel.

℞ *Tinct. Croci in ſpir. vini facta* ℥ij. *camph. Opii* āā. ℨj. *digerantur clauſe & calide ad diſſolutionem, Pars dolens hoc liquore illinatur:* Willis.

Quando dolor eſt intolerabilis, utatur hoc

℞. *Opii* ℨß. *croci* ℨj. *tere cum lacte Vaccino & cum medulla panis ſimilaginei, donec totum cum lacte incorporetur. ad ſimilitudinem Empl.* & ſuper loco ponatur; Illinatur *etiam locus Theriaca.* Barthol. Montagnana Conſ. 245.

100. *Ex Narcoticis ſunt*) Dolore admodum ſæviente ad Narcotica licet confugere, licet ea diu in parte retinenda non ſint, cum calido nativo & nervis ſint inimica.

℞. *Fol. hyoſcyami m.* ij. *ſolani. ſemper. ana. m.* j. *cap. papav. hort. n.* j. *rad. mandrag. unc.* j *flor chamæm. violar.* āā. *P.* j. *f. decoctio in aqua vel lacte, pro fotu partis.*

Reſidentia piſtetur addendo far. ſemin. lini ℥iß. *far. tritici* ℥j. *ol. chamæm.* ℥iij. *f. Catapl.*

101. *Folia Nicotianæ*) Quæ vim narcoticam obtinere creduntur.

102. *Opii, caphura*) Opium præcipue diverſis formis anodynis additum, ea efficacia facit, ſemper fere tunc addita *croci* portiuncula; ſicque uſurpatur cum lacte, ſi ℥ij. illius *Opii* ℨß. addatur: Cum *Panis* emplaſtro addendo opii ad ℨij. vel cum aliis cataplaſm. Inunctionibus quoque diverſis permiſcetur, ſed pinguibus additum minus eſt efficax: Inprimis in *ſpiritus vini ſimplicis* vel admiſtione aliorum compoſiti ℥iij. per croci infuſionem flaveſcentibus, ſi *camphora* ℈j. decoctione addatur, & *Opii* ℨj. diſſolvatur, eoque liquore pars

dolens ungatur, tutum & efficaciſſimum erit remedium. *Platerus.*

[103]. *Caphura)* Quam majores ad gradum uſque iij. frigidam ſtatuunt, Recentiores è contra calidam; Neque obſtat quod inflammationes extinguat, id enim per accidens fit, non à qualitate frigida, ſed quia vi penetrabili exitum exhalationibus calidis reſerat, atque per ſudorem inſenſibilemve tranſpirationem diſcutit: In Arthritide prodeſt ea ratione, & quia acidis contrariatur ob ſal volatile balſamicum & reſinoſum.

[104]. *Alia, ex ſpiritu vini)* Tutum & efficaciſſimum eſt remedium. *Riverius.*

III. *Materia* [105] *qua influxit* [106] *reſolvenda & diſcutienda,* [107] ubi locum habent: Muria ex fungo quercino rubente in tenues particulas ſecto, ſale trito aſperſo, in cella ſubterranea collecta & illita. *Aqua* in qua æs & ferrum extincta, & poſtea Mercurius vitæ maceratus. *Decoctum urticæ* cum pane triticeo ſale, aquâ & vino factum. *Mixtura*, ex ſale, cinere, fraxini inprimis, urinâ pueri & aceto agitatis, panno albo imbuta, expreſſa & impoſita. *Sal armoniacum* ſæpius ſublimatum, in vino vel alio liquore diſſolutum & applicatum. *Vrina* pueri vetus. *Balſamus antipodagricus Rulandi*, qui fit [108] ex *ſapone Veneto*, & *Camphora* in ſpiritu vini diſſolutis, quibus addi poſſunt; *Sal armoniacus* & *lumbrici terreſtres*: vide Mollenbrochium p. 149. de Varis. [109] Verulamio iſta tria in uſu. *Primum*, *Cataplaſma*, ex *panis ſimilaginei* medulla minutim ſciſſa, in lacte in pulticulam cocta, [110] *roſar. rubrar.* dr. iſ. *croci* gr. x. & *olei roſar.* unc. j. linteolo illita, & ad tres horas impoſita. *Alterum*, *Fomentum*, ex folior. ſalviæ m. ſ. radic. cicutæ conciſæ dr. vi. radic. Bryoniæ unc. ſ. folior. roſar. rubrar. pug. ii. in aqua in qua chalybs extinctus ad quadrantem conſumpta coctum, colatum, & additamento dimidii pugilli ſalis nigri caſtigatum, & lana coccinea, ſepties ſpacio dimidiæ horæ impoſitum. *Tertium.* [111] Emplaſtrum diachalciteos in oleo roſarum diſſolutum & applicatum. Qui *per translationem* curare volunt illi demunt ægro in utroque crure novaculâ pilos, de manibus & pedibus ungues, ſtato tempore, vere ſcilicet, pridiè ante noviluninm, poſt foramini terebrâ in populo albâ vel quercu vireſcente; ad medullam uſque facto indunt, idque ex arboris cujuſdam ramo paratè accuratè & profundè claudunt, ligneolum verò extans, ſeu prominens, ſecuri amputant, & vulnus admoto fimo vaccino oblinunt. Vide Loſelium de Podagra.

[105]. *Quæ influxit reſolvenda & diſcutienda)* Topica reſolventia & diſcutientia non ejuſmodi requirantur quæ tantum poros aperiunt, ut ſerum evaporet, & ſanguis circulationi reddatur, prout in phlegmone aut œdemate; attamen quorum particulæ ſalinæ, iſtis mineræ arthriticæ ſalinis oppugnandis deſtinatæ, eas aut amplectendo foras educant, aut præcipirando ab efferveſcentiis doloriſicis ſupprimant; Quamobrem in hoc morbo cum Fotus aut Cataplaſmata ex *chamamelo*, *malva*, *althæa*, *ſemin. lini*, *fœnugr.* purum aut nihil juvaminis præbent, imo partes nerveas relaxando ſæpe multum afficiunt, ſalis *armoniaci*, aut *marini*, *nitri*, *vitrioli*, *calcis vivæ*, & *ſimil.* diſſolutiones, aut liquores ſtillatitii, in aliis tumotibus aut doloribus ſemper infeſti, maximi emolumenri eſſe ſolent. Hujuſmodi liquores in paroxyſmis arthriticis, parti dolenti applicandi, à *Quercetano*, *Crollio*, *Hartmanno*, aliiſque Chymicis varie preſcribuntur, quos cum Medici alii celebres, ſæpius experti, comprobarunt, eos ob rationem prædictam juvamen conferre concludimus. Formulam unam aut alteram hic adjicimus.

℞. *Salis tartar. armoniac. pulv.* ā ā ℥ii. *diſſolve in aqu. pluvia, vel fontis,* ℔iv. *uſurpetur tepide cum pannis linteis intinctis.*

℞. *Spir. vitriol. non rectif.* ℔i. *ſalis mar. calcin. & pulv.* ℔i. *m. & deſtilla in retorta vitrea calore arena, prodibit purus fere putus ſpiritus ſalis, qui nempe ædibus ſuis per ſtagma vitriolicum expulſus, illique poſſeſſionem relinquens, facile aſcendit: Capiti mortuo affunde ſpiritus vini* ℔ii. *digere clauſe & calide, addendo camphor.* ʒii. *applicetur tepide cum pannis linteis parti dolenti.*

℞. *Limaturæ ferri, flor. ſal. armon.* ā ā ℥vi. *miſce ſimul terendo, deſtilletur in retorta vitrea donec flores ſublimentur: Capiti mortuo trito affunde ſpiritum vini, digere & ſerva pro uſu.*

Audivi quoſdam ad dolores podagricos ſedandos, pedem affectum ſacculo *ſale marino calcinato & pulveriſato* impleto, includere, à quo levamen uſque certum & citum expectant. *Willis.*

[106]. *Reſolvenda & diſcutienda)* *Reſolventia*, quæ humorem abſumunt, in progreſſu morbi quando defluxio ſubſtitit, uſurpanda; calidis moderate & rarefacientibus, ſi præſertim à ſanguine facta ſit, materiam diſcutiendo: Calidioribuſque, ſi à ſeroſo excrementitio humote proficiſcatur, eum diſſipando, & ne in nodos convertatur, penitus conſumendo: Et ſi in profundo lateat, ut in coxendico dolore, validioribus adhuc metaſyncriticis extrorſum eum evocando, attractum abſumendo; Permiſcendo ſimul ea quæ membranis nerviſque articulorum appropriata ſint; *Arthritica* dicta, & quæ proprietate quadam uſu explorata operantur. *Platerus.*

[106]. *Reſolvenda & diſcutienda)* *Serum* denique corrigunt *Reſolventia*, quæ extravaſatum vel quaſi humorem, ſeu ſalinum & pituitoſum coagulum ſubſiſtens reſolvunt, quod quidem & dicta remedia (Vide §. *ſunt compeſcendi & ad partem affectam ruentes pellendi*) ex *Wedelio*, ſeorſim vero reſolventia *Cinnabarina* ac *Mercurialia*, & ex his præparata, ut *Arcanum Cnoffelii* deſcriptum quodammodo in Epiſt. de Podagra curata, nihil vero aliud eſt quam *Arcanum Corallinum Paracelſi* ab *Helmontio* quoque l. de febr. & alibi maxime laudatum, Notabile vero eſt 1°. *Cinnabarina* hoc nomine maxime h. l. prædicari, quod reſolvant, gaudent enim duobus elementis hiſce particulis ſulphureis metalicis puris, fixis ac anodynis, Et particulis mercurialibus iridem puris, Vnde tantum abeſt ut venenum ſit Cinnabaris, etiam vulgi, ex *Mercurii vivi* & *ſulphuris* connubio orta, nativa & antimonii communis, vel curioſior *Helmontii* à Tachenio deſcripta, ex *ſulphure antimonii* & *Mercurio*; ut potius remedium ſit probatiſſimum: Duo ergo præcipue præſtat; vi elementorum, ex quibus conſtat, acrimoniam acidam, nervis inimicam, abſorbet, edulcat, invertit, præcipitat, annihilat, & ſubſiſtens hic illic h. l. circa articulos, fermentum peregrinum, immutans liquores vitales affluentes in ſimilem

humo-

humorem morboſum diſiicit; Nam ex principiis Chimicis ſulphur omne acido contrarium, ſi æqualibus committantur frontibus *Mercurius*, ſeri coagulum unice diſiicit, fluxileſque reddit humores, quod ſalivationis exemplo claret: Hæc fundamenta ſunt generalia virtutis cinnabarinæ, ex quibus omnia reliqua fluunt, ceu Poriſmata, *Cinnabarina eſſe nervinum, cephalicum, antepilepticum pectorale, nephriticum, uterinum, arthriticum, verbo, quaſi catholicum remedium*, *Notabile* ij eſt, *Mercurialia* & intus & exterius eſſe Arthritica, diverſo tamen reſpectu loci decubitus materiæ, ipſiuſque naturæ, Interius tum dicta eximie proſunt, & quæ ex his alia affinia, ut *Præcipitata Mercurialia* indemnia orta ſunt, tum & *Mercurius dulcis* inter purgantia, ob dictas rationes: Exterius vero Mercurius ipſe in ſubſtantia, vel ſaltem citra præparationem, ullam cum Emplaſtris miſtus, diſſociatis ejuſdem rotundis mobilibus aromis per viſcoſa, terebinthinata & emplaſtica, verbo mercurialia; ut enim inter reſolventia conveniunt *Emplaſtrum diaphoreticum*, Empl. *Oxycroceum*, diſtinctione habita inter ſubjecta, in ipſis arthriticis, ſeu doloribus obſeſſis articulis, ita ſi vel exterius magis vergat dolor, ſi extra articulos, vel profundius majoribus inſideat, ſi maligno charactere Venereo debeatur, Emplaſtra Mercurialia apprime faciunt officium; Sic *Emplaſtrum de Ranis vigonis* cum *Mercurio*, hoc fine laudatiſſimum, vel ſolum vel mixtum cum jam laudatis, doloribus Venereis, & tumoribus quam maxime convenit impoſitum, diſiiciendo ſerum viſcoſum ſpiſſius & concreſcendo ſubſiſtens: Sic in aliis quoque doloribus diſcutiendis exoptato cum ſucceſſu imponitur. *Wedelius Am.m.m. p. 207.*

107. *Ubi locum habent*) Reſolventia medicamenta ſub variis formis uſurpari ſolent. E. g.

℞. *Vitriol. alb. & virid. ana.* ℥j. *camph.* ʒii. *aquæ vitæ & vini albi ana.* ℔j. *m. cum intinctis linteis applicentur.* Vel

In *urina calx. viva* extinguatur, & cum ea per reſidentiam aut colaturam depurata, locus dolens foveatur: Idem ex *aceto & calce* factum probatur.

Quercetanus in Pharmac. ſequentes Aquas antipodagricas proponit.

℞. *Muria ſalis & urinæ pueri ana. part. æqu. diſtillentur* & aqua foveantur partes cum linteis ſæpe renovendis.

℞. *Folior. & flor. ſambuc. virid. ana.* ℔j. *contundantur & macerentur in aqua vitæ per* ij. *aut* iij. *dies. Deſtillentur per vas vitreum vel cupreum ad ſiccitatem.*

M. *Rulandus* ſuam Aquam antipodagricam mire prædicat, quam hanc eſſe cenſent *Libavius Petræus*, aliique.

℞. *Aquæ fontis* ℔j. *aquæ fortis* ℥ß. *ſublimati* ʒj. *bulliant per horæ quadrantem hoc liquore panni linei madefacti partibus dolentibus admoveantur. Riverius* apud quem plura extant.

Olea præcipue competunt ſequentia, *Verbaſci flor.* quod ex *flor.* rec. in vitro bene clauſo ſoli expoſitis ſponte effluit: *Oleum* in quo *ſambuc.* vel *ebuli rad. & fol. vel ſuccus* inde extractus coxerint: Inprimis *Ol. ſemin. ebuli* commendatur, ſumendo ſemen bene maturum, quod in paſtam contuſum in *aqua* coqu. ſpumam colligendo, quæ vitro oblongo poſita in loco tepido per quatriduum collocetur, donec oleum, quod viride eſt, fundum petat: Idem ex *ſeminibus* expreſſum efficaciſſimum eſt; uti & ex *ſem. raphani, &c. Nuc. Indicis & è glande Vnguent. Ol.* item *Cucum. aſin. Sicyonium* dictum, & in quo coxerit *flammula* contuſa herba: *Ranarum ol. & lumbric. vulpinum* & in quo *coxerit muſtela vel ciconia, vel millepedes*, Item *Oleum ex oſſibus hum.* factum, vel *maxillis equorum*, quod fit ſi illa confracta, ignita, *oleum antiquum* imbibant, & poſtea ex illis contuſis per retortam *Oleum* eliciatur: *Oleum ex ſanguine cervi* probant Chymici: ut & *ſalis oleum* cum *lateribus* ignitis factum, *cum ol. granor. ebuli.* Platerus.

108. *Ex Sapone Veneto*) Excellunt hic *Saponacea*, & ex iis paratus *Balſamus Antipodagricus Rhumelii*, Item *ſapo Ven.* in aqua vitæ diſſolutus, & applicatus, Siquidem in forma ſolida quæ adhibentur, majorem ſæpe & utiliorem effectum relinquunt.

109. *Verulamio iſta tria*) Vide *§. Anodyna & Narcotica.*

110. *Roſarum rubrarum* ʒ ß. *croci &c.*) Simile medicamentum proponit. *Barthol. Montagnana conſult.* 238.

℞. *Pulv. roſar.* ʒij. *maſtich.* ℥j. *croci* ʒj. *camph.* ʒß; *farina hordei* ℔ß. *bulliant omnia lento igne in vino albo uſque ad eorum convenientem inſpiſſationem, eadem continuo cum ſpatula commiſcendo, & de hoc calido membra omnia comp laſtrentur & circumligentur.*

Hoc medicamen, *inquit*, non ſolet me decipere in confortando membra, ſedando dolores, reſolvendo & ſiccando materias: Dico etiam quod ſi magna quantitas *pulver. hermodactylorum teratur cum lacte caprillo, & ſpongia iis infuſa calidis fomententur membra*, confert ſolenni juvamento.

111. *Empl. diacalcitheos*) De quo hæc *Solenander* Feliciter utor ſolo & ſimplici *diachalciteos*, cujus facultates apud *Galenum* I. K. T. habentur, Hoc illitum ſuper alutam applico juncturis quæ pati ſolent, atque jubeo ut continuo applicitum circumferant, ſub noctem auferentes ſi lubet, & exſiccantes, mane reponant, Teſtatorque hic Genuenſes eſſe prædivites quibus alias cum ſolent eſſe res cum podagra, jam ſe hujus uſu integrum quinquennium reddiderunt.

111. *Empl. diacalciteos*) Detinentibus paroxyſmis, familiaris eſt uſus *Empl. diacalciteos*, quod revera innoxium eſt, ſed exigui auxilii; proſtant meliora, qualia ſunt, *Empl. de Hermodactylis, de minio magiſtrale*, vocant *Empl. Sandicis*: *Gummi Caranna Spiritu vini* diſſolutum, ut & *Tacamahaca*, ſingularis ſunt efficaciæ. *Empl. Betonica, Maſtiche, Storax* ac *Benjoin*] liquefacta cum prædicto Spiritu, egregie conferunt. *Balſamus Ebuli* paratus cum *lumbricis, Catellis lactantibus*, addito *ſale* præſtantiſſimus eſt. *De Mayerne.*

II. 112. *Præcautio* repoſcit.

I. 113. *Diætam convenientem*, in quâ, aëris exceſſus, cibus ſalitus, fumo induratus, 114. vina Auſtriaca & Moravica. venus, 115. animi affectus &c. vitari debent. Nec exponendi ægri poſtquam dolores ceſſaverint, 116. ante quadrageſimum diem aëri, nec ſuetis paſcendi cibis, inprimis ſi pulſus eſt frequens, febris etiam leviſſima præſens, & urinæ ſpumea corona ſupernatat.

II. 117. *Venæſectionem* 118. niſi corpus ſit frigidius. Sunt qui venas ad pollices pedum ſingulis menſibus aperiunt: ſunt & qui crura biduo ante novilunium ſcarificant.

III. *Purgationem*, quæ 120. ſtato ſolſtitiorum & æquinoxiorum tempore, per leniora potius quam valida inſtitui debet.

[121]. Proſunt [122]. *pilulæ Cratonis*, ex *myrrha, aloës hepat. ligni aloës, Cinnam.* electi, *maſtich. rhabarb.* electi ana dr. II. moſchi gr. v. cum oxymelite, num. XXXVI. factæ, & per menſem alternis diebus, poſt ſingulis ſeptimanis uſurpatæ. [123]. Hermodactyli non trahendi in uſum, quia non ſunt detrahendi humores, quo non decidere.

IV. [124]. *Vomitum*, ſingulis menſibus per biduum factum, inprimis cum Luna eſt in ſignis ruminantibus, Tauro nempe vel Capricorno.

V. [125]. *Antipodagricorum uſum*, inter quæ præcipua: *Magiſterium perlarum* Riverii ab Hartmanno in Chimiatria deſcriptum: vel ſolum *Chamædryos* decoctum Carolo V. uſitatum. *Pilulæ Doringii*, quæ recipiunt pulv. *Chamæpityos, Chamædryos veræ* ana dr. ii. *Centaur. minor. ariſtol. rotundæ, Rha Pontici veri, Gentianæ, ſemin. hyperic. Cranii human. præpar.* ana dr. iſ. *radic. Cichorii, ſantali rubri* dana dr. i. cum *ſucco Chamæpit. & Terebinth. Cypriæ* q. ſ. ſingulis anni quadrantibus poſt ſolſtitia & æquinoctia quotidie dr. ſ. pondere per dies triginta ſumptæ. Tinctura *Antimonii Hartmanni*, de qua in Chymiatria.

VI. [127]. *Articulorum roborationem.* Fovendi ergò articuli *vino ſtiptico* ſingulis lunæ quadris. Immergendi iidem *vindemiarum tempore* [128]. *in vinaceis poſt expreſſionem calentibus*, vel muſto calido calefactis per dies XV. [129]. Adhibendum [130]. *balneum aquæ ferratæ*, [131]. in quâ hypericum, ſalvia, roſæ & Guajacum decocta. Admovendum [132]. *Emplaſtrum diapalma*, vel *vulgare*, vel [133]. in vino decoctum, & cum *pulvere myrtillor. maſtich. tartari, Chamæpit. Chamomillæ* permixtum.

[112]. *Præcautio repoſcit*) Per introſumpta alterantia, nos *Præcautionis* loco, in arthritidis ſpeciebus potiſſimum, quæ tam frequenter redeunt, ſi à ſanguine fiant, illa quæ eum refrigerant, vel contemperant craſſioremque reddunt, propinamus; Inter quæ & *Acidarum aquarum* potum recenſemus, quarum uſu noſtro ſæculo Podagrici quoque aliqui ſe diutius ab ea immunes manſiſſe aſſeverarunt: Præter quas *locum* ex *berberis prunis, pomis & pyris ſylveſtr.* aliiſque auſteris & acidis paratam, additis etiam interdum *baccis juniperi* pro communi potu multis annis ſenem podagricum ſine noxa bibiſſe, minuſque tunc à podagra infeſtatum fuiſſe, & ætatem longævam attigiſſe cognovimus: Sed & *Lactis aſinini* ſolius potu, quidam ſe arthritides avertiſſe teſtantur, Alii *aceti* ad plurês dies uſu ſe idem præſtitiſſe docent: *Acetum mulſum* commendat *Dioſcorides*, *ſcilliticum* alii probant.

Quod ſi vero à ſeroſis defluxionibus articulorum affectus fiant, tunc ea quæ ſeroſitates haſce abſumunt, Et quæ *Cerebro nervoſoque generi* accommodata illorum imbecillitatem corrigunt exhibentur: quorum continuo uſu ſæpe podagra, illiuſque genera mirabiliter præcaventur. Inter quæ & multa, præſertim non multum calefacientia, in Podagra à ſanguine genita, cum ipſius ichores ſeroſitatemque abſumendo, eum puriorem minuſque fluxilem reddant, competentia, eam quoque præcavent. *Platerus*, vide infra §. *Antipodagricorum.*

[112]. *Præcautio repoſcit*) Indicatio *Preſervatoria* dicta, Arthritidis cauſas procatarcticas tollendas reſpicit, propterea ut dolorum paroxyſmi rarius, ac minus, aut non omnino infeſtant: In hunc finem remedia *Evacuantia, Alterantia, & Corroborantia*, una cum exacta *victus ratione* extra paroxyſmos adhibenda præſcribuntur. 1. Igitur *Arthritici* vere & autumno ſolenniter *Purgari* debent, atque *Vomitionem*, ſi nihil contra indicet, tunc celebrari & poſtea interdum ex intervallis repeti expediet: Stomacho & præcordiis firmioribus prædiri, *Emetica* mineralia, ex *antimonii* aut *mercurii* præparationib⁹ ſumãt; Qui conſtitutione teneriori ſunt, poſt paſtum ex cibis lubricis, *vinum ſcilliticum*, aut *ſalem vitrioli* cum *ſero lactis* capiant; dein ſtomacho, *aqua tepidâ* aut *liquore poſſetyco* ſimplici, aut cum foliis cardui incoctis, impleto, bis, ter, aut amplius Vomitio excitetur; Pro Catharſi, crebra etiam vice, cum interſtitiis idoneis celebranda, Purgantium formulæ ſuperius præſcriptæ (vide §. *Conveniunt in minus robuſtis*) ſatis conveniunt. Vel

℞. *Fibrarum helleb. ni. mundat.* ℥j. *ligni aloes, caryophyll. ana* ʒij. *contuſis affunde ſpirit. vini non rectificati* ℔ij. *digerantur clauſe & calide per plures dies. Doſis cochl.* ij. *vel* iij. *mane, bis aut ter in ſeptimana:* Et vomitio & purgatio ſemper ante æquinoctia incipiantur; ne forte paroxyſmus prius contingens, medicinæ curſum prævertat: *Phlebotomia* aut *vaſorum hæmorrhoidalium apertio* Arthriticis, temperamento calido & ſanguine acriori præditis nonnunquam vere & Autumno Conveniunt: *Cauteria in brachiis & juxta homoplatas* excitata, quibuſque fere huic morbo obnoxiis, utilia ſunt. *Willis.* De *alterantibus, corroborantibus & diæta vide ſuo loco.*

Præſervatio eo reſpicere debet, ut materiæ ad articulos, ruituræ collectio impediatur, ut ſi quæ collecta ſit auferatur, Ac denique ne articuli tam facile humorem influentem recipiant; Impeditur materiæ collectio optima victus ratione, & remediis viſcerum intemperiem corrigentibus: Materia collecta auferetur remediis Evacuantibus, Et articuli non tam facile recipient, ſi roborantibus confirmentur. *Riverius.*

[113]. *Diætam convenientem*) Vivendi ratio, quæ ad Præcautionem præſertim inſtituitur, in eo potiſſimum, ne excrementa & humores ſupervacanei accumulentur, aut ad fluxionem concitentur, conſiſtit: *Aer*, in quo ordinarie verſantur temperatus ſit, & ſiccus, cum frigidus nimium, ventoſus, udus, uti & calidus admodum ac fervens defluxiones proritet, & tunc maxime cum ſubito ab uno aëre, frigore aut calore excedente, in contrarium fit mutatio: Sed nec arthritici *manus* debilitatas, nec *pedes* aqua abluant, cum & frigida & calida obeſſe ſoleat, Ideoque vino, aliiſque artus roborantibus commodius abluuntur; *Victu* quoque quantitate qualitateque convenienti, *exercitiis* inſuper, *ſomno* cæteriſque *corporis animique motibus* decentibus utendum. Inprimis vero in iis qui Arthritidis ſpeciebus aliquibus, quæ facile redeunt, & præcipue Podagræ obnoxii ſint, licet & in aliis omnibus defluxionibus hæc conveniant, tria præcipue in vivendi modo, in *victu* ſcilicet *Vino & Venere* comprehenſa, ſi decenter obſerventur, ut vel Podagra non amplius, vel rarius ſaltem invadat, aut mitius tractet, præ cæteris poſſunt efficere: Si nimirum *Victus* quam exquiſitiſſimus & ſimpliciſſimus ſit; ſemel in die tantum, vel omni tempore, vel aliquoties ſaltem ſumptus: *A vino* vel penitus vel ſaltem per annos aliquot abſtinendo, aut illud quam parciſſime, debiliuſve aut dilutum

lutum bibendo, Cujus loco vel *aqua*, variis modis præparata, vel Potiones aliæ medicatæ ut *hydromel* &c. pro naturæ diverſitate uſurpari poſſunt: *Venus* autem vel omnino intermittatur, vel rariſſime, nunquam ſtando exerceatur: Quæ cauſa forte exiſtit quod ante Venereorum uſum Podagra vix invadat; uti de mulieribus hoc ſtatuit *Hippocrates*, Atque illi qui ob caſtrationem Veneri inepti ſiunt, ab ea quoque liberi fere exiſtant: In *Curatione* vero, cum jam defluxionibus tentantur articuli, *Victus* exquiſitus & tenuis adhibendus, & *inedia*, ſi ferri poſſit, aliquando imperanda; Loco *vini*, ſi caleant arthritici, aut febricitent, aquam chalybeatam bibant, cui julepos ſyrupoſve acidos, vel auſteros, ſi defluxio adhuc in actu ſit, permiſcere poſſumus; Alias *Decoctum coriandri*, miſcendo *ſyrupos aliquos*, vel *Hydromel* dandum: *Exercitii* vices teneat *frictio* in parte ſana, & ad derivandum quoque in oppoſita adhibenda. *Platerus*.

[113] *Diætam convenientem*) Quotquot Veterum more maximam curæ partem Naturæ committunt, atque tunc excepta *Diæta*, quam quodammodo regunt, ſpectatores ſunt tantum pugnæ quam inter Naturam fabulantur & morbum excitari, atque ſic arbitri ſunt victoriæ, nunc morbo nunc naturæ cedentis, illi revera peccant in defectu: Quotquot vero præter *Diætam in ſex rebus non naturalibus rite adminiſtratis conſiſtentem*, medicamenta quoque cenſent à Medicis cordatis, in pleriſque ſaltem affectibus præſcribenda, quæ id omne quod p. n. ſe habere deprehenditur in ægris, corrigant vel eliminent, utique non ſpectatores, at ſimul Actores volunt medicos, Et certe non videtur officio ſuo & muneri, ægrorumque expectationi æque ſatisfacere Medicus, qui unam tantum muneris ſui partem, in Diæta recte ordinata conſtitutam abſolvit, dum binas cæteras in Chirurgia & Pharmacia rite dirigendis negligit; Neque enim puto facile accidere, ut locus non ſit pharmacis quibuſdam præſcribendis: Non nego quidem curari poſſe, quinimo revera curari ægros quibus nulla præſcripta fuere à Medicis pharmaca, Nemo autem facile mihi perſuaſerit æque cito, tuto & facile jucundeque curari eoſdem ac ſi medicamenta convenientia ſimul fuiſſent adminiſtrata: Sæpius namque obſervare licuit, tales ægros ſola Diæta adjutos diutius male habuiſſe, non raro recidivas periculoſas paſſos eſſe, aut nonniſi cum difficultate ac moleſtia è malis ſuis evaſiſſe: Cum è contra ij quibus apta fuere adhibita medicamenta, & brevi, & tuto & jucunde fuerint curati. *Fr. Sylvius*.

Ne tamen morbus gravior emergat cavendum: Optimam victus rationem inprimis requiri manifeſtum; cruditas vitanda, & cum nauſea adeſt à cibo abſtinendum, ac ſi fieri poteſt, vomendum, vomitu enim ad præcautionem in morbis articularibus nihil conducibilius: Monentur Medici ratione & obſervatione ut morbis articularibus obnoxiis interdicant uſum *pomorum, caponum frequentem anſerum & carpionum*, nam *poma humores ſolvunt & fluere faciunt, Et Caponum caro* humorem quendam habet quem ad articulos natura extrudit, *Piſcium* vero humidiorum par eſt noxa, Non minus nocent quæ replent corpus cruditatibus quam quæ materiam ipſam fundunt, vel ad articulos deducunt, *Joh. Crato conſ. 26. l. 2.*

[113] *Diætam convenientem*) Sicuti hæc neglecta fœcunda eſt Podagræ parens, ita obſervata eadem hunc ſuum fœtum abortivum rurſus abolet: In ſpecie vero *Diæta Sudorifera, & Diæta Lactea* heic remedii vim obtinent, Cum funditus iiſdem Podagra eradicata ſit: Antiquis *illa* magis in uſu fuit, *hæc* vero *modernis*. *Etmuller*.

[114] *Vina*) Vinum arthritidi eſt maxime noxium, multoque ejus abſtinentia penitus fuere liberati: Si tamen æger propter alia valetudinis incommoda non poſſit ab eo omnino abſtinere, bibat pauciſerum & valdè dilutum. *Hollerius* loco vini commendat melicratum valde dilutum, ſcilicet ex aquæ partibus xl. vel xlviij. & mellis parte una, quod tamen non convenit Picrocholis & ſitibundis. *Bochetum* ſequens omnibus naturis convenit, & plurimis valde profuit.

℞. *Rad. zarzapar.* ℥ij. *liquir.* ℥j. *cinnam. & ſemin. aniſi* ℥ß. *f. Pulvis tenuiſſimus*, cujus cochl. j. miſceatur cum ea aquæ quantitate quæ pro uno paſtu ſufficit: Agitentur in duobus vaſis ter aut quater, poſtea colentur pro Potu ordinario, ſingulis paſtibus idem iterando. *Riverius*.

Vina potentia &c. acetoſa fugienda, nec prius potandum, quam cum ſolidior cibus ingeſtus fuerit, valde enim noxium eſt ſumpto ſaltem juſculo aut pauco cibo, vinum bibere, multo vero magis inani & jejuno Ventriculo, vel jam concoctionem cibi elaborante vino ſo obruere. *Joh. Conſ. 26. l. 2.*

[114] *Vina*) Si ventriculus hominis Arthritici imbecillus, & facile colligit excrementa, an dolores artuum vinum circumcidet (Nequaquam, nam nova materia morbo ſuppeditatur, Id experientia verum deprehendimus. *Ballonius Epid. p. 17.*

[115] *Animi affectus*) A gravioribus animi affectibus quomodo curata Podagra vide §. *Salſus, acris, tartareus*) ex *Etmullero*.

[116] *Ante quadrageſimum diem*) Vide §. *Prognoſti alia*.

[117] *Venæ ſectionem*) Si revulſionis cauſa,

[117] *Venæ ſectionem*) Per ſectiones venam aperiendo, ſanguinemque detrahendo defluxiones articulorumque dolores aliquomodo præcavemus in corporibus plethoricis & cacochymicis, cum horum cauſa generalem evacuationem Veris & Autumni tempore, vel etiam alio inſtituimus: Tuncque inprimis ſi à ſanguinis influxu hæc fiant, hæc locum habent, Unde & *Galenus* Arthritidem *ſanguinis* detractione & purgatione, in illis qui temperanter vixerunt, præcaviſſe ſe teſtatur: Aperitur autem vel ad generalem faciendam vacuationem, *vena brachii*, vel particularem *vena in pede* juxta poplitem vel malleolum: Quod ut fœminis, ſi menſtrua ſimul ſuppreſſa ſint, prodeſt; Sed etiam ſi bis in anno in *pede*, podogræ obnoxio hoc fiat, ſingulare ad præcavendum illam multi remedium ſe expertos eſſe affirmarunt, Licet & in ſano pede ſi fiat, *derivando*, hoſce affectus præcavere poteſt: *Platerus*.

[117] *Venæſectionem*) Inſtituenda præſertim vere & autumno, in iis qui ſanguine abundant, ejuſque effervescentiæ obnoxii ſunt. *Riverius*.

[118] *Niſi corpus ſit frigidius*) Si à ſeroſi humoris defluxione arthritides particulares hominem infeſtent, vena non temerè ſecanda, ne humores commoveantur, Niſi ob dolorem ſummum, ob metum novi affluxus à ſanguine, hæc revulſionis alicujus gratia quoque requiratur. *Platerus*.

[119] *Purgationem*) Per alvum dejectiones locum habent, ut corpora ab excrementis munda reddantur, unde non ſolum veris & autumni, ſed & intermediis temporibus, ſi corpora expurgari debent: Evacuationes prout vel *ſeroſus* excrementitius humor, ubi majore evacuatione opus eſt, vel *ſanguineus*, ubi mitius procedendum cauſam præbent, inſtituendæ, præparatione, ſi neceſſe ſit, præmiſſa; Quod ſi vero jam defluxio imminet, caute, ne hiſce illa amplius concitetur; affectuſque hi accelerentur, uti ſæpe incuria fit, purgantibus utendum, Idque inprimis in articulorum doloribus, non ſolum à *Sanguine* profectis in quibus alvum laxam ſervare, obvioſque humores ſaltem evacuare ſufficit; ſed & ſi à defluxionibus ab humore excrementitio hi fiant, quia tenuis cum ſit, facile concitatur, levioribus ſal-

tem, & quibus adſtrictio quædam ineſt, vel additis adſtrictionem quandam habentibus, materia potius divertenda quam validioribus purgantibus vehementer commovenda erit: Quod & in principio præcipue advertendum erit, ut & aliis affectibus à defluxione oriundis: In acceſſionibus præterea ſatius eſt à purgantibus abſtinere eo quod cum ob dolorem commotionem factam, quæ in dejectionibus magnis requiritur, ægre ferant ægri, unde tunc levioribus alvus ſubducenda, Et in morbo inclinante, primum ad purgationes validiores progrediendum: *Clyſmata* cæteris purgantibus etiam præcautionis loco factis præmittuntur, & in curatione non ſolum alvum eluunt, ſed etiam à juncturis aliiſque ſedibus cauſam aliquo pacto divertunt, Inprimis in *coxendico dolore*, uti & lumborum dorſique doloribus ex defluxione natis. *Suppoſitoria* acria naturam ſolicitando à loco affecto quoque derivant. *Platerus.*

120. *Quæſtio Solſtitiorum*) Obſervavit jamdudum *Galenus 6. aphor. 47.* ſi tempore verno vel autumnali, quo utplurimum faces dolorum accenduntur novis paroxyſmis, Purgantia & V, S. inſtituantur, poſſe Arthritidem præcaveri: id quod experientia tota die ſtabilitum videmus. *Wedelius Am.m.m.pag.205.*

In Arthriticis tempore verno & autumnali, quibus ſerum maxime deſpumat, tempeſtive adhibita univerſalia S.m. & Purgatio) arcent feliciter arthriticos & podagricos inſultus vel ſaltem mitigant, ut levius & brevius hinc afficiant, dempta materia morbiſica. *Idem ib, pag 208.*

120. *Stato Solſtitiorum*) Non ſolum vere & autumno, ſed etiam quater in anno, imo & ſingulis menſibus in valde cacochymicis celebranda eſt. *Riverius.*

121. *Proſunt*) Multæ Purgantium formulæ circumferuntur, præcipue vero quæ ſequuntur à Medico prudenti ita uſurpandæ ut plerumque ita immutari debeant, tum ratione materiæ, tum ratione dozis, juxta varia ægrorum temperamenta.

℞. *Sennæ mundat. turbith hermodact. & raſ. cranii hum. non humati ana* ʒj. *diagr.* ʒß. *f. Pulvis de quo capiat* ʒi. *cum aqua vvæ arthrit. vel juſculo.* Vel

℞. *Salſapar.* ℥i. *ſennæ mund.* ʒvi. *turbith. hermodact. jalapæ, mechoac ana* ʒß *agar. troch.* ʒii. *diagrid. cinnam. ana* ʒß. *f. Pulvis cujus* ʒj. *infundatur in vino albo per noctem, Capiat æger mane pulverem & vinum* Riverius.

122. *Pilulæ*) *Rhaſis* Pilulas ſuas laudat eo encomio quod *incedere non valentes faciant ire pedes*, Illæ ſic ſe habent.

℞. *Aloës opt.*℥ß. *roſar. rubr.*℈ii. *hermodact. alborum à cortic. exterioribus mundat.* ʒiß. *diagr.* ʒi. *cum aqua vvæ arthrit. & melle roſac. f. maſſa Pilul. cujus dozis erit.* ʒi.

Utiles etiam ſunt quæ ſequuntur, quæ quia minus purgant frequentius exhiberi poterunt.

℞. *Aloës, hermodact. ana.* ℥ß. *chamæp.* ʒii. *chamædr. ſtœch. Arab. ana* ʒi. *ſem. hyper.* ʒß. *cum tereb. Veneta f. maſſa.* Riverius.

123. *Hermodactyli*) Licet à *Foreſto* reiiciantur; nec iis utendum putetur niſi in valde robuſtis corporibus, attamen inter δραστικὰ à nemine, quod ſciam referuntur, quin mitiores potius & ſegniores ſunt. Radix eſt Colchici non venenoſi, cordis figura fere conſpicua, non acris, mordax, ſed farinaceum pulverem largiens: Determinatur vero communiter ad affectus arthriticos, item luem veneream, adſtrictione inde conſequente ob partes terreas: Sero debitum eſt medicamentum, uti radices fere bulboſæ omnes eidem vel demulcendo vel acuendo faciunt, præterea etiam omnes fere tales radices nauſeam cient: Præſtat eandem vel in pulvere dare cum aliis, cum tarde operetur, & nauſeam ventriculo cieat; vel in infuſo pro vino ad ʒii. vel ʒß. Pilulæ *de hermodactylis* crudiores ſunt: *Pulvis hermodact. compoſitus* deſcribitur in *Pharmac. Londinenſi pag. 177.* ſociatus *pulv. oſſium human. calcinat.* qui ipſi communiter eodem fine commendantur in Podagra, alkalina ſc. vi non alia. *Wedelius.*

124. *Vomitum*) Provocari poterit ſingulis menſibus per biduum ſequens, quia ſecundus dies prioris reliquias extrudit: Ea enim vacuatio in præſervatione magno ſucceſſu adhibetur, ſi æger eam facile ferat, Quod indicavit *Alſaharavius* inſignis Medicus, his verbis, *Vomitus utilior eſt laxativo, ad eradicationem craſſorum humorum, quæ ſunt ab infra genu & uſque ad pedem, ſicut in dolore ſciatico, & dolore genuum & ſimilium.* A cœna autem provocare utile eſt, ingeſtis prius cibis variis, pinguibus, acribus, aliiſque in magna copia: poſtea ventriculum fricando, & digitos in fauces immittendo: Quod ſi non ſufficiat Vomitorium exhibendum eſt, præſertim ex *radice azari & geniſtæ decocto* conflatum, quæ alioquin in arthritide curanda idonea eſſe ſolent. *Riverius.*

Virum Nobilem novi nondum quinquagenarium, qui patre ſatus podagrico, diſpoſitionem nativam genio minus indulgens acceleravit. Hic à decennio nullum arthriticum paroxyſmum paſſus eſt, quia illi curæ eſt ſaburratum ventriculum ſtatim deplere vomitu, in quem adeo pronus eſt ut levi radicis linguæ titillatione illum provocet, ad palæſtram menſariam ut ante mox paratus: Medicus quidam noſtras morem illum ventriculum deplendi improbat; Revera ſatius eſſet temperante & ſobrio victu morbum illum declinare, ſed cum à comeſſationibus abſtinere nequeat, (parcus alias potor) utilius eſt præſidio illo immunem ſe ab Arthritide tueri quam eo neglecto tyrannidi morbi ſe exponere.

125. *Antipodagricorum*) Quæ & *Arthritica*, ſeu *Articularia* dicuntur, Articularia autem in Scholis Medicis dicuntur quæ motum articulorum ſalvum præſtant, illorum cumprimis qui in extremitatibus ſiti ſunt, ut in portitoribus machinæ corporeæ pedibus, illiuſque habenis manibus: Cum enim limitaneos quaſi terminos conſtituant totius corporis, in illis ſæpiſſime materia morbiſica ſedem ſuam parat ſi ad recipiendum inveniat aptos. *Wedelius Am.m.m.p 204.*

125. *Antipodagricorum uſum*) De calidis iſtis medicamentis notandum, ea non ſolum calidis naturis non prodeſſe, ſed etiam immedicabiles reſolutiones, aut alia incommoda inducere, ideoque ſumma cum præmeditatione eſſe exhibenda, Tutius, & forſan utilius, uſurpari poterit Opiata ſequens, quæ minus calefaciendo totum corpus ſenſim, & per epicraſin ab omni ſuperfluitatum illuvie expurgat,

℞. *Sennæ mundat.* ℥ß. *turbith. hermodact. ana* ʒvi. *ligni guajaci, ſaſſafras & rad. zarzapar. ana* ℥ß. *rad. Chinæ* ℥iß. *ligni Nephritici* ℥ii. *triumſantal, ana* ℥i. *ſemin. aniſi* ℥ii. *mellis optime depurati* ℥xiv. *m. f. Opiata, dozis* ʒi. per integrum annum, exceptis diebus canicularibus. *Riverius.*

125. *Antipodagricorum uſum*) Secundi generis Arthritica (*primi generis Vide §. Sunt compeſcendi & ad partem affectam ruentes tollendi*) ſeu *Articularia* remedia ſunt *Nervina*, ſeu quæ nervos, membranas, tendines, ligamenta, & fibras nerveas reſpiciunt: utpote ad articulationem requiſita neceſſaria, ſeu motus organa principalia, imo & ipſum perioſtium; maxime ſenſile & delicatum: Sive irritentur nervi, cumprimis in doloribus, unde & ſpaſmi & pavores ſolennes ſunt arthriticis; ſeu debilitentur. ſpirituum robore exuto, facta velut mollificatione, facta contractura & exſiccatione aliiſque vitiis.

Talia ſunt in genere, ex *ſulphuris & ſalis volatilis*, claſſe

claſſe petita Nervina. v. g. 1. ſale volatili oleoſo pollentia, ut cephalica omnia, herbæ *chamom. chamæpit. roſmar. ſalvia, flor. anthos, hyperic. ſpica, lavendula, ſtæch. arab. primul. ver. extr. chamædr. & alia* ex his parata, *Elix. cephal.* item *caſtor. euphorb. galbanum*, quæ tamen calidiora imprimis conveniunt, vel ubi profundius latet affectus, adeoque revulſione & diſcuſſione majori opus eſt, vel ubi nervi puncti & vulnerati, vel ubi atrophia pars laborat, ad motum ſpirituum & ſeri promovendum: Pertinet huc illo ſenſu etiam *Balſamum de Peru, de Capaiba, Oleum tartari fœt*, & balſamica alia. Item *aqua apoplect. aqua articul.* ad extra. Infuſa nervina pro uſu interno & externo, ut & fœtus in contracturis, ex nervinis cum vino coctis, quibus etiam ſeorſim unctuoſa, ut *pinguedo taxi, vulpis, humana* conveniunt; Variant nempe hæc pro diverſitate affectuum, vel calidorum, vel frigidorum, quorum ordo non confundendus.

2. Nervina etiam ſunt *Sulphure* non tam volatili quam fixo conſtantia, quo utroque nomine *Cinnabarina* ſunt laudatiſſima; quorſum etiam *ſulphur auratum antimon. purius, ſulphur vitrioli anodynum.* Ex vegetabilibus *lignum aloes, ladanum eorumque extracta* ſpectant.

3. Nervina etiam ſunt *Acido ſulphurea*, utut enim per *Hippocrat.* decretum, Acida nervis inimica habeantur recte; illud tamen magis eſt intelligendum de Acidis circa membranas & nervos ſubſiſtentibus, immediate applicatis, ſolis, ſibi relictis, fixioribus, non tam cauſæ morbificæ mediatæ, v. g. obſtructionibus debitis; non item de acido ſulphureis, interius vel exterius uſurpatis, utpote mitigatis, & amicis potius: Quin per dicta non incongruus eſt uſus Acidorum internus in Arthritide, ubi non tam ſpiritus ſunt fixati quam irritati; Secus ac quidam hodie Arthriticis omne Acidum arcent remedium, cum tamen *ſpir. vitr. ſimplex & martialis ſpir. ſalis, clyſſus antimon. Tinct. roſar. violar.* toto die cum inſigni alterationis ſucceſſu adhibeantur, pro tartareo humore craſſo, & in coagulum prono diſſolvendo, pro hypochondriis, pro prima culina in ordinem redigenda, unde audiendi non ſunt. In mentem venit podagricus ſenex, 62. annor. qui loco degens ubi nullus morabatur Medicus, interne ſolo *ſpiritu vitrioli* quotidie uſus ad aliquot guttas, Externe vero impoſito *Empl. Noriberg.* plantis pedum, brevi curatus eſt, Sic vinum acido ſulphureum nervis & articulis maxime eſt amicum, ratione *ſulphuris* lenit, ratione *Acidi* blandi defendit, ratione utriſque diſcutit & roborat, Sic *ſpiritus vitrioli* cephalicus nervinus eſt, tum aliis modis paratus. Sic *aqua magnanimitatis*, ſeu *ſpiritus formicarum*, inter præſtantiſſima arthritica localia merito habetur, Conſtat vero nonniſi *acido ſulphureo elemento*, quod per analyſin chymicam ad oculum patet.

4. Nervina præcipue etiam ſunt *Salia volatilia liquida & ſicca*, pro interno & externo uſu varie miſcenda; Cum de illo dictum ſit, reſtat de exteriori dicamus; Probariſſimi hoc nomine ſunt hoc nomine *ſpiritus c.c. & ſalis Armon.* Ille ſolus quoque vel mixtus, hic cum aliis, v. g. cum *aqua magnanim. cum ſpiritu cochleariæ, carminat.* addita ſi vis *theriaca & eſſentia cortic. citri:* Vſi ſumus frequentiſſime *Linim. nervino ex ſpiritu formicar.* v. g. ℥i. *c. c.* ʒii. *vel* ʒiii. *ad* ℥ß. *ſpirit. ſalis armon.* ʒi. *vel* ij. in doloribus ipſis arthriticis & iſchiadicis, in defluxionibus catarrhalibus ad collum, ſcapulas & aliis. Speciatim quoque commendandi ſunt *Lumbrici*, cum ſimplices per ſe contuſi, tum præparati: Vir primarius, arthriticis inſultibus affectus, à nullo remedio magis juvabatur, quam *lumbricis recentibus cum vino* per linteum trajectis: Sunt qui addunt *miſturam ſimplicem* quoque Sutor doloribus iſchiadicis in dorſo laborabat, adhibebantur varia, & inter alia quoque Emplaſtrum euporiſtum ſatis commodum ex *ſulphure & pice*, tandem curabatur ſolo cataplaſmate ex *lumbricis* contuſis: Experimentum etiam inſigne conſtituunt eodem modo uſurpati in Paronychia: Fœmina quædam laborans arthritide vaga ſcorbutica. præſentaneum ſentiebat levamen ab inunctione *ſpiritus lumbricorum* volat. urinoſi, quem ſpeciatim etiam ſolemus in linimentum nervinum recipere: Proſunt hęc ipſa quando præter dolorum genera jam enumerata, ſeorſim nervoſum genus, ut in omnibus doloribus gravioribus, afficitur, quando materia intro vertitur; quando ſublimius regimen cerebri ab his minorum gentium diis, Articulos intelligo, in conſenſum vocatur. *Wedelius Am. man. pagin. 209.*

Antipodagricis accenſenda ſunt *Diuretica*, de quibus ſic diſſerit *Etmuller*, Sicut *Diaphoretica Opiatis* maritata intra paroxyſmum, ſic *Diuretica extra paroxyſmum* in cura *Præſervatoria* ſunt optima, quæ duo in plurimis conſpirant, ita ut unum alterum ſublevet; Vtrobique ergo proſunt *Alkalia* tam *fixa* quam *volatilia*, *Acidum podagricum* & corrigentia, & correctum eliminantia; Inprimis vero *Diuretica* tam in *præſervando* quam *curando*, ſunt optima, magis tamen in *præſervando* & ſpeciatim nulla *purgantia*, nulla violenta *ſudorifera*; tantum valent quantum appropriata *Diuretica*, imprimis *volatilia*, qualia ſunt *ſpiritus ſalis armoniac, ſpirit. carminativus de tribus*, qui aliquoties multum præſtitit in abuſu vini, ad præcautionem variorum malorum, quatenus urinam movit: Sic egregia *lumbricalia* in Podagra, ad diureſin, item *arcanum duplic. Mynſ.* præmiſſis fixis eſt nobile: Hinc *ſcarabei*, ſpeciatim *unctuoſi* nobile ſuggerunt remedium ad podagram per urinam, utut cum doloroſa ſtranguria operentur. *Etmuller.*

115. *Antipodagricorum uſum*) Medicamenta *Alterantia*, à veteribus *Arthritidis Antidota* dicta, egregii ſunt uſus, & longo tempore, una cum exacto circa ſex non naturalia regimine aſſumpta juvamen ſæpe magnum præſtant; In hoc cenſu medicamenta *ſale volatili*, ac *ſulphure balſamico* prædita, quatenus nempe *hac* ſalem fixum exaltant, *illaque acetoſum* reducunt, præcipua habentur; Inſuper *amara & adſtringentia*, uti herbæ *chamædrys, chamæpitis, centaur. rad. gentiana & ariſtoch.* &c. (ſiquidem experientia duce in hoc morbo comprobantur) hac ratione utilia eſſe videntur quod *pepſeos & chylificationis* munia adjuvant, atque *feculentias ſalino fixas*, ne in ſanguinem ferantur, cohibent, Cujuſque horum formulas quaſdam ſubdemus.

℞. *Pulv. chamæpit.* ℥vj. *Ocul. canc.* ʒij. *tereb. Ven q. ſ. f. Pilulæ exiguæ, ſumantur* iij. vel iv. *veſperi, & mane per* xxx. *aut* xl. *dies ſuperbibendo aquæ diſtill. ſequ.* ℥ij. *vel* ℥iij.

℞. *Fol. cupreſſi, abietis, viſci pomor.* āā. *m.* vj. *radic. caryophyll. bardana*, āā. ℔j. *cortices exter.* x. *aurant. &* vj. *limon. nuc. moſch. macer.* āā. ℥j. *contuſis & conſciſſis affunde lactis rec.* ℔vij. *vini malagani* ℔j. *deſtillentur ſ. a. Liquor totus* miſceatur.

Vel paretur *Aqua fol. bardanæ ſimplex, bis vel ter cohobando ſuper folia recentia.*

℞. *Pulv. ſemin. bardanæ* ʒvi. *ocul. Cancr.* ʒij. *nuc. moſch.* ʒß. *balſam. Capivi q. ſ. f. maſſa qua formetur in Pilul. exiguas, ſumantur* iv. *Veſperi & mane per plures dies.*

℞. *Tinct. antim* ℥j. *doſis gtt.* xx. ad xxv. *veſperi & primo mane cum* ℥iiij. *aquæ modo deſcriptæ.*

Pauperibus præſcribere ſoleo ad hunc modum.

℞. *Pulv. fol. ſalv.* ℔ß. *ocul. cancr. ſacchar. cryſtall.* āā. ℥ij. *m. ſervetur in vitro, ſumatur cochleare unum bis in die cum hauſtu decocti fol. ſalviæ vel rad. bardanæ.*

Vel *Pulvis Derncrellii* ſumatur eodem modo.

℞. *Pulv. fol. chamædr, ivæ arthrit. centaur. minor. majoran. ſalviæ, beton. rad. gentianæ, ariſtol. rot.* āā. ℥j. *ſacchar.* ℔j. *miſce fiat* Pulvis.

Vel *Pulvis Joh. Anglici*, ab ipſo *Saracenicus* dictus.

℞. *Pulv. fol. chamepityos* ℥j. *oſſis humani ped. combuſti* ʒij. *liquir.* ℈iij. *miſce.*

Pro *Potu ordinario* paretur *Bochetum ex ſalſepar. ſantalis, ligno Rhodio, raſura eboris, c. c.* vel paretur *Alla tennis* pro doliolo quatuor congiorum capaci, cui vice *lupulorum*, incoquantur *fol. chamædr. & chamæpit. Et poſt* fermentationem indantur *fol. ſalviæ ſicc. m.* iv. *ſaſſafras* ℥ij. *rad. caryophyll.* ℥viij.

Inter *Alterantia* locũ non infimum ſibi vindicat *Diæta ex Lacte*, nempe ut patiens per tres aut quatuor menſes nullo alio alimento utatur; mane & veſperi Lac recens mulctum bibat; Circa meridiem & aliis temporibus comedat cum pane albo, hordeo, aut farina avenacea coctum: Novi quoſdam ab hoc victus genere inſigne juvamen accepiſſe: Alios verò à Lactis uſu multo deterius habuiſſe, & Arthritide nullatenus curata viſcerum obſtructiones magnas & cacochymiam contraxiſſe: Itaque methodus iſta ſine prudentis Medici conſilio, & obſervatione ſedula, utrum conveniat necne haud temere ineatur.

Non ita pridem mos vulgo inoleverat, ut *Arthritici* unoquoque mane *urinam propriam* biberent, quod nonnullis commodo fuiſſe memini, Cujus juvaminis ratio videtur eſſe, quod urinæ latex ſalinus, ſanguinem denuo pertranſiens, particulas ſalino fixas, prius in articulos deferri ſolitas, ſecum ad renes deducerent, Quamobrem hæc methodus, ſi quando *arthriticum* ſublevar, plerumque nephriticum auget. *Willis.*

Vſum *Betonicæ* ſibi faciat familiarem, ſingularem enim proprietatem habet in Arthritide ad ipſius ſymptomata miniora reddenda. Dominum *Roſetum*, Syndicum Genevenſem, quotidiano Betonicæ uſu ab arthritide, quam in juventute fuerat vexatus; tandem in ſenectute curatum fuiſſe ex ipſius ore didici: Diverſis autem modis *Betonica* uti poterit, primo foliis adhuc tenellis in acetario, & cum juſculis & carne cocta: Item *conſerva ipſius*, aut etiam Extracto: Nobilis Bernenſis exſiccatam in pulverem redigit, eoque pulvere *ſaccharo* permixto ad ʒj. vel ʒiß. utitur cum fructu. Alii tabellas cum pulvere & ſaccharo conficiunt: Medicamenta autem ex ea duabus vel tribus horis poſt cœnam brevem ſumenda ſunt, noctu enim propter vaporum abundantiam qui in ſomno ſurſum feruntur, vis medicamenti facilius quam interdiu ad cerebrum elevatur & ad nervos pervenit. *Fabritius Hildanus obſ. 32. Cent. 6.*

Aliquando comedat *folia Salviæ*, vel ſola, & ſine condimento, vel cum modico *ſalis*, *Olei ac vino* reſperſa, & capiat quando it cubitum. *Capivaccius in Scholtzii conſiliis.*

Ad Arthritidem præcavendam; ejuſque radices in viſceribus latentes extirpandas, quidam Practici commendant uſum *Antipodagricorum* per annum integrum exhibitorum, quibus multos in integrum fuiſſe liberatos pronuntiant, Ex multis eorum formulis ſequens præcipua eſt.

℞. *Salſapar.* ℥iv. *ſemin. hyperic. fol. chamæpit. & chamædr.* āā. ℥iv. *ſemin. hyperic. fol. chamæpit. & chamædr.* āā. ℥iv. *ariſtol. rot* ℥vj. *angelicæ* ʒiij. *cinnam.* ʒij. *caryophyll.* ℈iv. *Croci* ℈ij. *omnia in tenuiſſimum pulverem redacta incorporentur cum mellis Hiſp. cocti q. ſ. f. Opiata, qua utatur æger per annum integram ſumendo ſingulis diebus veris, autumni & hyemis* ʒiß. *æſtate tantum* ʒj. abſtinendo omnino diebus canicularibus. Vinum bibat valde dilutum, & abſtineat à rebus venereis.

Inter vulgares quidam pro magno remedio prophylactico habent, ut tres alliorum bulbi integri mane deglutiantur, continuando per menſem integrum: Etenim ventriculum calefaciunt & roborant, citra hepatis aliorumque viſcerum calefactionem, nam integri cum fæcibus excernuntur, ſed cocti & pituita viſcida obvoluti quam à ventriculo & inteſtinis deturbant, *Riverius.*

Syrupus uſuatis excellens in omnibus Arthritidis ſpeciebus.

Zarzapar. ℥ij. *rad. acori vulg. pentaph. ariſtol. rot.* āā ℥j. *angel.* ℥ß. *rad. aſar.* ʒij. *herb. ivæ arthet. herniar. betonicæ, chamædr.* āā. *m.* j. *ſalv. thymi, menthaſtri, major.* āā. *m.* ß. *primul. ver. conſol. regal.* āā *p.* j. *flor. roriſm. ſtæch. vel lavendul.* āā. *m.* ß. *ſem. aniſ.* ℥ß. *ſem. hyper.* ʒij. *ſem. ocymi, ſeſel. rutæ,* āā. ʒj. *f. decoctio in aqua & tertia parte vini, colat. adde mellis optimi* ℔j. *coq. ad conſiſtentiam ſyrupi, aromat. cinnam.* ʒij. *caryoph.* ʒj. *Doſis* ℥j. *aut amplius per ſe vel diſſolvendo aquis convenientibus, ut aqua ivæ, beton. &c.*

Pulvis *ex cineribus* admodum exſiccans corporis ſeroſitates.

℞. *Ciner. cranii hom.* ℥j. *ciner. priapi tauri* vel *caſtoris,* ſi haberi poteſt, ℥ß. *ciner. hirund.* vel *cuculi*, vel *milvi*, ʒij. *Cornu cervi, eboris uſti* āā. ʒj. *ſuccini opt.* ʒß. *margar.* ʒß. *cinnam.* ʒij. *pulv. diagal. diamoſch.* āā. ʒß. *ſacch. roſat tabul. & ſacch candi ad pondus omnium f. Pulvis ſubtiliſſimus, Capiat* ʒiß. *ſuperbibendo parum vini diluti aquis ſupradictis:* Ex eo poſſunt fieri Tabellæ diſſolvendo *ſacch. in aquis betonic. vel ivæ.* Platerus.

125. *Chamædrios Decoctum*) Omnium antipodagricorum inſtar forſan id eſſe poterit, quod propterea Car. V. Imper. à Medicis Genuenſibus valde commendatum fuit; & *Solenander* plurimos qui hoc medicamento per lx. dies bibiſſent, penitus liberatos fuiſſe; Hæc compoſitio.

℞ *Chamædr. dum floret lectæ & bene aſſervatæ m. j. vini mediocris maturi* ℔iij. *coque in duplici vaſe per horas* v. *Colati vini capiat æger hauſtum, corpore ad ſudorem compoſito, præmiſſa purgatione.* Riverius.

126. *Chamæpityos*) Alias yvæ, Hæc adeo eſt in Arthritide præcipue conveniens, ut Arthetica proin dicatur; ſanat *Iſchiadicos* ipſius *decoctum* in *hydromelite, œnomelite*, vel *oxymelite* factum, ſi diu bibant; Vel *ſyrupus ex ſucco illius* paratus: confert & conſerva ſæpe exhibita, vel Pulvis. *Platerus.*

127. *Articulorum roborationem*) Quoties in partibus affectis languor & debilitas remanet, tunc medicamenta *ſpiritu volatili*, ut & *oleo aromatico* prædita curatur prætertim. *Fr. Sylvius.*

127. *Articulorum roboratione*) Sedato dolore ad roborantiæ accedendum, inter quę vinum optimum, quod ut extus admotum partibus remotis utile eſt, intus aſſumptum maximè infeſtum eſt, omnibuſque cerebri propaginibus.

Præſtantiſſimum remedium eſt ſequens nutritum.

℞. *Olei Cheirini* iteratis infuſionibus & additione florum verbaſci parati ℔j. *ſalis marini* decrepitati diſſoluti & in alkool redacti ſuper porphyrite, *Saponis albi Veneti* āā. ℥iv. Miſc. fiat inſtar nutrit; Eo veſperi omnes articuli inungendi, præſertim pedum & manuum, præ cæteris partibus maximè doloribus obnoxii; poſt inducantur tibialia & Cheirothecæ laneæ in lecti introitu. *De Mayerne.*

127. *Articulorum roborationem*) Partibus quæ à defluxionibus excrementitiis, vel etiam ſanguinis affluxu affici ſolent, præcautionis gratia, ne facile humorem admittant, ea apponimus, quæ cum debiles & laxæ multo

multo influxu reddantur, eas firment robuſtioreſque reddant, & ſi quid in illis reſidui remanſit, ſimul abſumant; ex quorum numero, & aliquibus in declinatione horũ affectuum vt partes debilitatas rurſum confirmemus reliquiaſque diſcutiamus, vti poſſumus, Id autem per varia perficitur *Immergenda* frequẽter, aut *fovenda*, vel *perfundenda* aut *abluenda, manus & pedes*, *Lixivio* parato *ex aqua communi* vel *pluviali*, aut *ciſterna*, *ferrata* aut *chalibeata*, transfuſa *per cineres* combuſtorum lignorum, *fagi, quercus*, *iuniperi*, *ſarmentorum vitis*, inprimis *oſſium equi, cervi* &c. cum quibus dum vruntur, plantæ aliquæ vtiles, vt *roriſmar. laurus* &c. vſurpari poſſunt: Huic *Lixivio*, ſimplici, vel compoſito, ad maiorem efficaciam addi poſſunt *vinum vrina, alumen* vel *ſal*, imo *tartari*, vel *ſulphuris vivi* aut *cocti* portio. *Aqua ſalſa naturalis* vel *artificialis*, vel per ſe, vel per *cineres*, quoque fuſa, cui *myrrha* addita bona quantitate ad *Fotum*. valde commendatur, Cum *laxus tumor* in declinatione remanſit.

℞. *Rad. ebuli* ℔j. *chamæpyt. m ſ. roſar. rubr. chamom. melilot. ãã. p. j. balauſt. ſem. myrtill. ãã.* ʒj. *lumbr. terr. q. ſ. coqu in lixivii s part. ij. aceti p.* ß. vt efficacius adſtringat laxas partes, *gallæ, acacia, hypocyſtis, ad* ℥ß. adduntur, *Inunctiones* partes debiles & laxas confirmantes, ſunt *Oleum ex acinis vvarum expreſſum cum oleo ſalis* iunctum; Vngu. roborans.

℞. *Ol. myrtill.* vel *roſac. compl.* ℥ij. *ſalis* ʒij. miſce, interdum & *myrrha* additur ad ʒj.

Termæ aliquæ ad tempus vſurpatæ, præſertim *ſulphureæ ſalſæ, nitroſæ* præterquam quod per ſudores, ſuperfluitates in corpore, abſumunt, robur articulis addendo, in defluxionum & arthritidis præcautione aliquid præſtare poſſunt, vti & ſi per modum *embrochæ* vel duciæ, capiti etiam admoveantur, ſcaturiginem mali avertunt, Quorum & *reſidentia*, ſeu *lutum*, partibus infirmis applicatum, eas confirmãt: *Corium canis* applicatum proprietate valere creditur. Quorum omnium vſu diutius adhibito, ne humores calore & madore horum, ad partem, quæ ad ſuſcipiendum prona eſt, concitentur, illa interdum defenſivis Emplaſtris muniri poteſt.

[127] *Articulorum roborationem*) In paroxyſmi declinatione ad partem corroborandam, atque materię morbicæ reliquias diſcutiendas, *Emplaſtra* vtiliter adhibentur, quæ tamen non omnia indifferentia omnibus, verum his magis, illis minus calida conveniunt: Pleriſque autem maxime efficacia eſſe ſolent ea quibus *minium, lythargyrus*, mercurius, aliaque mineralia aut ſalina inſunt: Nobis præcipue in vſu eſt Empl. ex *minio, ceruſſa*, & *ſapone* cum oleo coctis, vel quod recipit.

℞. *Empl. de minio p.* ii. Parac. p. j. m. extende ſuper alutam. *Willis*.

[128] *In Vinaceis*) Inter præcipua roborantia numerandis, quæ materiæ morbificæ reliquias diſcutiunt calore actuali & adſtringendi vi partes maxime roborant, *Duretus* in *Hollerium* ea ita commendat; *Sed mirifice prodeſt vinaceorum vſus tempore vindemiarum, ſi vinacea exportentur ex torculari in horreum, & ſtragulis operta incaleſcant: In his æger contineat pedes, tibias, crura, ac brachia, vel etiam totum corpus*, Poſtea vero addit Gallico idiomate, *Ie lay pratiqué cent fois, il ny a rien de meilleur ſous la chappe du ciel.* Solenander vero conſ. 21. ſect. 4. hoc remedium ſequenti elogio prædicat, *Sero inter optima remedia, & tutiſſima, quæ partes etiam affectas roborant, ac calorem innatum fovent, hoc ponendum, & diligenter ſingulis annis, cum amplius fieri nequeat, vſurpandum, videlicet vt tempore vindemiæ immergantur pedes atque manus affecta vinaceis, poſt expreſſionem calentibus adhuc, vel muſto calido calefactis, mane per dies xv. Ac poſſem* nominare virum præſtantem cui hoc medicamentum communicavi, atque ab eo præclaro munere ſum donatus, *qui plane incedere non poterat & illo remedio beneficio Dei reſtitutus eſt quo autem vva maturiores ſunt eo plus adiumenti vinaceorum vſus afferre ſolet.*

Vtut vero grandibus elogiis exornentur vinacea, diſtinctio tamen tẽperamentorũ adhibẽda eſt, iis enim qui fervido & bilioſo donati ſunt, nocent potius quam iuvant: Nec ratio deeſt ex circulatione ſanguinis petenda, hic enim in extremis excalefactus, per ſemihorę moram totus ab iis incaleſcit: Si quis in eiuſmodi temperamentis vſurpare voluerit, exſucca vinacea adſumat & torculari valide expreſſa; ab affuſione muſti calentis abſtinendo, quod præcipit *Solenander*, ne calor eorum intendatur & penetratio adiuvetur. *Dureti* & *Solenandri* authoritate fultus illa olim Illuſtriſſimo *Dom. de Mollendinis*, Proprincipi Neocomenſi, præſcripſi, pręmiſſis ad vnguem præmittendis, & procul à paroxyſmo arthritico; ſed vix octava partis horæ moram ſuſtinuit, cum ex vultus rubore, febre accedente cum vertiginibus, quã non verum ſit vniverſaliter illorum effatum apparuit.

[129] *Adhibendum Balneum*) De Balneo ex *ovis Formicarum* res omnibus vetulis in Sileſia nota, Exſiccent multum, ſi lubenter vritur inceſſionibus non poterit nocere *ægro*: vtuntur etiam mulieres ad imprægnationem. *Ioh. Crato lib. 4. Epiſtol.*

Obſtetrix Gallica idem Balneum componit ex integro formicarum maiorum globo, vna cum ovis, parte terræ ab ipſis collecta, & ſegmentis quibus inhabitant ita vt hæc omnia ſacco incluſa aqua fervente calefiant, & æger inſidens tamdiu duret donec vires ferunt, vix vnquam fallit. *Volffangus Hœferus Herc. med. l. 4.*

Multi confidunt *ſenecione*, in ea lavantes ex diebus, ſemper dimidiam horã ante cœnam: multi etiam ſalutariter vtuntur ligno Iuniperi, & in eo aliquot diebus lavant. *Crato conſ. 26. lib. 2.*

[130] *Balneum aquæ ferratæ*) Termæ ſulphureæ & nitroſæ, qualẽs ſunt *Balerncana*, non ſolum ſudores evocando, ſed etiam roborando articulos, ad præcautionem non parum conferre poſſunt; ſicuti ſi per modum embrochæ, vel duciæ, capiti admoveantur: Earundem thermarum lutum partibus infirmis applicatum, eas etiam corroborat. *Riverius.*

[130] *Balneum aquæ ferratæ, in qua*) Conſcindunt aliqui *ligni iuniperini* ſcobem aut ramenta, aqua *pluvia chalybeata* ſufficiente coquunt donec aqua ex ligno tingatur, & cum ea fiat crurum, pedum & articulorum lotio, Ita enim vidi aliquoties incipiens malum percuratum diſcuſſumque *Solenander conſ. 24. & 25. ſect. 4.* Probant multi partium pati ſolitarum lotiones. ex *Aqua aluminoſa*; quæ mihi magis placerent ſi alumini *ſalis* aliquid, & ſulphuris modicum adiiciatur; vt *Gainerius* habet, nam ita ſulphuris vi reſolvente & emolliente aliorum efficacia temperatur. *Idem.*

Balnea adſtringendo quæ roborant, & repellunt vitanda non ſolum in critica arthritide, verum etiam in ea quæ à membro principe tranſmiſſa excitatur colluvie. Periculum eſt ne mobiles retrocedant humores, magno cum Oeconomiæ turbatione. *Rolfincius.*

[130] *Balneum aquæ ferratæ*) Mulier quædam Podagrica, continuo hoc affectu infeſtata, dum in matrimonio eſſet, vidua poſtea facta, conſilio meo, vt ſi curari non poſſet, ſaltem minus ab eo affligeretur, vſa eſt, Poſt corporis purgationem, iuſſi pedes Podagræ obnoxios ſæpe immergere in ſequenti lixivio mane & veſperi.

℞. *Oſſium diverſorum combuſtorum cum ligno quercino cineres, per quos coletur aqua fabrorum extinctionis ferri, addita menſura vini rubri vna & vrina pueri; fiat Lixivium ſatis efficax, in quo decoquẽ*

pruna ſylv. ſiccata ad p.j. vel ij. *ſalviæ, chamæp.* ā̄ā. *m.* j. *ſalis p.j. vtatur frequenter purgato corpore.* Totum biennium ab hoc hoſte libera fuit; poſtea nubens eo iterũ corripitur, à quo etiam, quia medicamenta neglexit, ad extremum vitæ vſque afflicta fuit. *Fel. Platerus obſerv. l.2.p.508.*

[151]. *In qua hypericum &c.*) In Thermarum defectu *Lotiones* pedum aut *Fotus* aliarum partium parari poterũt, ex decocto herbarum nervalium, additis quibuſdam adſtringentibus, vt *balauſtiis, myrtillis, nucibus cupreſſi, alumine* & *ſale cum aqua ferrata & vino rubro.* Riverius.

[152]. *Emplaſtrum*) Commendantur etiam *Inunctiones* frequentes vſurpatæ E. g.

℞. *Olei omphac.* ℥ii. *maſtich.* ℥i. *ſalis torrefacti* ʒii. *boli Arm.* ʒiij. *ſangu. dracon. hypocyſt. thuris, maſtich.* ā̄ā. ʒiß. *terantur ſingula per ſe prius ſubtiliſſime, tum cum oleis miſceantur in formam vngu.*

℞. *Ol. myrt. vel roſac.* ℥iii. *ſalis* ʒii. *m. f. Linimentum* Riverius ex Solenandro.

[152]. *Emplaſtrum Diapalma*) Non parum vtile eſt ad articulos robotandos Empl. Diachalciteos, ſeu Diapalma impoſitum, eſtque vtile in omni arthritide, à quocunq; humore ducat originem, ſcribitque *Solenander conſ.* 25. ſect. 4. ſe noviſſe quoſdam, qui alias frequenter podagræ paroxyſmis tentari conſueverunt, vſu huius Emplaſtri continuo, & purgationibus per intervalla aſſumptis, quinquennium integrum ab iſtis doloribus liberatos fuiſſe, Atque Emplaſtrum hoc non inquinat, non pruritum aut puſtulas excitat, neque odore aut alia qualitate moleſtum eſt, aptatur autem ad formam membri, In pedibus ex aluta tenui fiunt calcei, qui hoc Emplaſtro obducti pedibus aptantur, Eadem aluta emplaſtro hoc obducta carpis & aliis partibus applicari poteſt: vt vero idem Empl. in vino decoctum & cum pulvere *myrtillor. roſar. maſtiches, tartari, chamæpyt. chamom* permiſtum ad eoſdem vſus multo præſtantius eſt: Et nos vidimus arthriticos qui *huiuſmodi Empl.* in pedibus & carpis continuo geſtarent feliciſſimo ſucceſſu. *Riverius.*

Pro Articulis Linimentum ex *communi ſale* vſto & in pulverem deducto cum *oleo roſat. completo* in plumbeo mortario, vſque adeo ducto, vt vngenti conſiſtentiam ſubeat, citra omnem controverſiam primas partes obtinet *Ioh. Zecchius conſult.* 5.

[133]. *Vel in vino decoctum*) Maximo in vſu eſt, vel addita *camphora*, in hunc modum.

℞. *Maſſæ Emp. Diapalmæ* ℔ß. *camphor* ʒij. miſce & *applica partibus affectis.* vel forma ſpanadrapi.

℞. *Maſſ. Empl. diachalc.* ℔ß. *de ſulphure* ℥j. *ſtirac. calam & benzoini,* ā̄ā. *unc.* ß. *gummi tacamach. unc.* ii. *ol. hyper. & lumbricor.* ā̄ā. *unc.* j. *cera nova q.ſ. liquefactis omnibus ſimul immergatur tela bis aut ter, qua polita & ſiccata ſervetur ad vſum.*

At vero idem Empl. cum ſequentibus permixtum inter præſtantiſſima arthritica remedia cenſeri debet.

℞. *Empl. diachalcit. vino rubro auſtero ſoluti* & ad vini *conſumptionem cocti* ℔j. *myrtill. roſar. rub. maſtiches, tartari vini rubri pulv.* ā̄ā. ʒii. *chamæpyt. & chamom. odor. pulv.* ā̄ā. ʒß. *f. Empl.* applicandum, tumore valde imminuto. *Riverius*

[134]. *Differentiæ* ſumuntur à cauſis, partibus, morbis & acceſſionibus: ne de ſubjectis & duratione dicam. Infeſtat ſane 1. [134]. *Mulieres* [135]. etiam non interceptis, ut olim, menſibus. 2. [136]. *Puerperas*, ut Platerus obſervavit II. 3. [137]. *Pueros* etiam ante veneris uſum, anno quinto, octavo, decimo &c. Eſt alia *recens*, alia *inveterata.*

I. *A* Cauſis:

I. Alia eſt [138]. *Hæreditaria*, quæ ab ortu, accedente poſt humorum vitio, venit. Generant podagrici podagricos, ſeu quòd ſemen morboſum ab omnibus corporis partibus decidatur: ſeu quòd (idque verius) materia ſanguinis quam teſticuli tanquam materiam cum ſpiritu à magnis vaſis attrahunt, fit in podagricis podagrica, ſpirituſque ab humorum in maſſa ſanguine a pravitate ſtabulantium, ex qua elaboratur, inquinatur. Vix tolli vel præcaveri poteſt.

Alia *Adſcititia* cui occaſionem maximè prabent, I. [139]. *Venus*, quæ membra & vaſa laxat, articuloſque debilitat. [140]. Unde Eunuchi podagrâ non laborant, niſi intemperantem vitam egerint. obſervatumq; arthriticos eſſe libidinoſos, tum quia vaſa dilatata & teſtes turgentes etiam in doloribus habent; tum quia coguntur ſupinè cubare, & incalefacta ſpinali medulla turgeſcunt tum quia multo & acri ſero abundant; tum quia præ dolore magna humorum ad inferiora καταῤῥοπή. II. *Bacchus*, vniverſaque repletio: quibus adde, luxationem, contuſionem, ſolitæ evacuationis ſupreſſionem.

II. [141]. Alia eſt *ſanguinea* in qua ſimul [142]. ſanguis plethora peccat. quæ [143]. *Cognoſcitur* ex tumore ingenti, calore moderato, rubore inſigni, pulſu profundo, exacerbatione aſſidua, dolore extenſo, urinis fulvis cum ſubſtantia mediocri & ſedimento albo. qvidam in capite, facie & fronte ſudant, ſomnolentiq; ſunt. plæriq; durante morbo irritatione per circuitus vexantur, laſſitudine conficiuntur, finiturq; citius. Supurari aliquando obſervavit Piſo: [144]. ſi non ſuppuratur. cauſa eſt, ſeu quod ob articulorum frigus humor calidus refrigeſcat: ſeu quod partes nervoſæ duræ, carne deſtitutæ frigidiores, non tam facilè humores influentes corrumpi. *Curatur* 1. [145] *Venæ ſectione* in acceſſione adminiſtrata: vel *Cucurbitulis* ſcapulis affixis 2. *Purgatione* per cholagoga, quia ſanguis bileſcit, & ſerum fit acrius 3. [146]. *Doloris mitigatione*, per *decoctum parietariæ* & alia.

Alia eſt *Bilioſa*, in qua bilis ſimul peccat: afficitque iuvenes temperiei calidæ & ſiccæ. [147]. *Cognoſcitur*, ex tumore conſpicuo, colore cutis ſubrubro (ſolet verò aliquando cutis vel propter aërem vel propter medicamenti frigidi applicationem alba vel livida apparere) dolore acri, *Curatione* nota 1. *Cautè purgandum*, ne febris ardens excitetur. Acceſſione inſtante leniſſimè fine membri gravitate, febri in ipſa acceſſione validâ, cum ſiti & rigore, exacerbationeque de tertio in tertium, urina ſubflavâ, tenui & acri. *Finitur* intra ſeptem aut quatuordecem dies ſi modica; quadrageſimo, ſi aliquis error obvenit: ſolet & interficere, ſi repletio interveniat. In

ſyrupo

ſyrupo roſar. multipl. infuſionis cum floribus caſſiæ, præmiſſis, ſi ita videtur, [148] refrigerantibus: ſingulis quatuor vel quinque diebus ſemel, admixtis hydragogis. 2. [149] *Dolorem mitigandum* [150] *floribus verbaſci, lenticula paluſtri, nymphaa* &c. *Oleo mellis* quod ſingulare, *Cataplaſmate* ex *pane albo* & *vino rubello* cum *cryſtallis nitri* & *oleo roſaceo*; vel *Mixtura* ex *ſalis Saturni* unc. ſ. cum *aquæ roſar.* & *plantag.* ana unc. j. [151] *Vitelli ovi* N. j. & *Olei roſati* unc. j. quæ æſtate tepidè, hyeme calidè applicari debent. 3. *Articulos roborandos*, foliis Cichorii ſylveſtr. in Majo collectis, decocto *chinæ* cum *roſis, rad. cichor. plantag. ſonchi* & *ſem. pſyllii* parato.

[152] *Alia* eſt *Pituitoſa*, in qua phlegma ſimul in vitio eſt, quæque otioſos, phlegmaticos, mulieres, ſenes invadit, fitq; in illis qui indiſcriminatim, aliquando ex periodica continua. [153] *Cognoſcitur* ex tumore œdematoſo & digitis cedente, qui fluxione exiſtente paulatim augetur; dolore aliquando mitiore, aliquando acerbiore; qui quotidiè exacerbatur, paulatim irruit & per plures horas durat; urinis craſſiſſimis perturbatis &c. [154] *De Curatione* habe, 1. Nullam adhibendam *venæſectionem.* 2. *Cauterium*, cui anodyna admiſceri debent, brachio vel parti internæ admovendum. 3. *Vomitum* ante & poſt cibum in aſſvetis per vomitoria blanda, ut oxymel cum jure carnis pingui, decocto hordei &c. movendum 4. Purgandum [155] præmiſſo præparante, quippe valida humorem ad ventreculum ducunt. 5. *Dolorem mitigandum*, per ſuperiorem ſalis ſaturni *mixturam* aſſumpto loco aquarum ſpiritu vini: per *mixturam*, ex [156] *olei de vulpe* unc. ii. album. trium ovor. & lixivii querni ciner q. ſ. per teſticulos caſtorei, diſſectos, cum aqua vitæ in ſartagine ad conſumptionem illius frixos, expreſſos, & illitos. 6. *Reſolvendum* Cataplaſmate ex *maſtich. cymin. puleg. ſalviæ, baccar. lauri, ſabinæ* ana part. æqual, cum melle parato. fomento ex [157] *ſale torrefacto.* Cataplaſmate, ex *pane, vino, lixivii modico.* cum portivncula *ſalis.* 7. *Articulos roborandos*, balneo ſæpius memorato, vinaceorum tempore vindemiæ per xxx. dies uſu.

[158] *Alia* eſt *Melancholica*, quando melancholicus humor ſimul peccat, quæ homines inclinantis ætatis, ſicciqve & frigidi temperamenti afficit. [159] *Cognoſcitur* ex tumore duriore, frigore ſenſum aliquando habente, dolore in profundo quaſi corpora atterente, exacerbatione de quarto in quartum, magnitudine & impetu mediocri. [160] Purgari debet *foliis ſenæ, polypodio, epithimo,* in *ſero caprino.*

Alia eſt humoris mixti, bilis inprimis & pituitæ ſalſæ, quæ *Cognoſcitur* ex tumore œdematoſo cum calore & rubore, (ſæpe bile ad circumferentiam tendente, rubedo cum flavedine & calore in cute ſentitur, eâdem vel ab aëre vel à calido medicamento alterata acrimonia, urinis modò turbidis, modò aqueis, tenuibus, craſſis. Proſunt pontagoga. Emplaſtro Fallopii, foliis plantagin. cum ſale tritis mitigantur dolores; *ol. myrrhæ* & ſuffvmigium cum *foliis urticæ vivæ* diſcutiunt.

III. *Alia* eſt *vera* de qua hic agitur. *Alia ſpuria* ſeu *Pſeudoarthitis* quæ à ſiccitate ſeu glutinoſæ & unctuoſæ humiditatis, qua ſolidæ articulum ipſum conſtituentes partes ad faciliorem motum ſubunguntur & humectantur conſumptione. Hinc namque articulis in coactis motus impeditur, & dolor etiam in leviſſimo afficit: [161] ſuccedunt quandoque convulſiones & ratione dolorum febres. Invadit temperaturas ſicciores, & quidem per ἀυχμὺς ϗ ξηρότητας, ſeu immodicas aëris ſiccitates, valida ſub ſole exercitia, diuturnas febres &c. de quibus vide *Salium Diverſum* de affectibus c. XVII. *Cognoſcitur* ex relatione ægri, & cauſarum prægreſſu: validiſſimaque illa quæ ab exercitio. *Curatio* requirit *humectationem* & *humiditatis naturalis reſtitutionem.* Itaque 1. Purgantia acria vitanda. 2. Præter humidos cibos, inter quos pedes vituli, lac recens mulctum, potum, &c. balneum aquæ dulcis cum herbis emollientibus & pedibus caſtrati quotidiè adhibendum. 3. *Æger*, ut ambulare aſſveſcat, & humiditas ad articulos attrahatur, inprimis poſt balneum ex quo antequam caro detumeſcat educendus eſt, *deducendus*, & oleis humectantibus actu calidis inungendus. 4. *Aër*, tam *calidus*, quia poros laxando affluentem humorem diſcutit, quam *frigidus*, quia articulos conſtringendo, in eoſdem humorem illabi non ſinit, & tendines muſculorum rigidos facit, vitandus. 5. In defectu balneorum fomenta adhibenda.

134. *Differentia*) Vnde ſint petendæ vide §. *Sed humor ſeroſus, ſalſus &c. aliquando ſanguini &c.*) Cauſarū *Vehementior*, producitur ab humore acriore, *Levior*, à minus acri 2. *Calor & ardor* percipitur, quando per ſe, aut per accidens ſimul, male affecta eſt Bilis, pro cuius vitio maiore vel minore Ardor excitatur maior vel minor; Sicuti ipſa peccante minime nullus ab ægris percipitur calor quod nonnunquam accidere teſtatur experientia. 3. *Tumor* vbi ſimul cōcurrit, ibi humorē craſſiorē non halitum duntaxat, vel ſpiritū, ex ſanguine in partes affectas effundi, adherere, ipſaſque expandere, atque in tumorem attollere indicio eſt, atque pro effuſi humoris copia maiore Tumor quoque maior producitur vel minor, qui ſi nullus appareat, in materia valde ſubtili & ſpirituoſa conſiſtere acrimoniam arthriticam ſponte patet. 4. *Calor*, qui plerumque rubellus, rarius pallidus exiſtit, aut bilem ſimul peccare, aut pituitam arguit: 5. *Partis affectæ motus* magis *impeditus*, agnoſcit aut cauſæ dolorificæ acrimoniam magnam, aut Humoris ſimul effuſi copiam notabilem: vti contra idem magis integer ſignificat cauſæ dolorificæ acrimoniam levem, humoriſque effuſi copiam parvam 6. *Duratio Arthritici doloris* protracta & longior pendet à *copia fermenti febrilis & arthitici*, non ſimul ac ſemel at ſenſim erumpentis, novumque producentis, ac per intervalla propulſi, aut humoris comitis viſciditate notabi-

li, vti contra mox recedens malum, & fermenti arthritici copiam exiguam, & humoris coniuncti fluiditatem vel paucitatem 7. *Nodi* arthritidi coniuncti humorum aliorum ad gypſeam vel cretaceam naturam vergẽtium in corpore præſentiam: vti itidem deſiderari eorundem abſentiam arguunt. 8. *Arthriticus dolor in* eadem parte *permanens fixuſque*, innuit humorem tenacem parti ſemel affectæ firmius adhærentem vti contra idem *dolor vagus*, & in vna parte ad alteram ſubito translatus mobilem, renuem, atque minime viſcidum *Fr. Sylvius.*

Differentiæ, 1. Generis ratione, alia vehementior alia remiſſior 2. alia magis hyeme, alias magis ætate affligit, *Cauſæ* ratio parit endemiam & vernaculã. 3 Eſt vniverſalis, qua omnes afficiuntur articuli, vel particularis, in qua certi λαγχὼνη coxendis iunctura aut commiſſura, ad ſedem affecta fuit in Iſchiade dextra Eupolemi in Ocniadis decumbentis. *E. Epid. 4 20. Foeſ.* Rolfinkius.

134. *Differentiæ ſumuntur &c.*) Morbi huius Differentię præcipuæ ſumuntur à *locis affectis*, proindeque eiuſdem quaſi diſtinctæ ſpecies ſtatuuntur, nempe *Chiragra* &c. interim dolores in aliis quibuſque membris excitari ſoliti communi Arthritidis nomine inſigniuntur: Hic Affectus quoad originem ſuam dicitur *Hereditarius* vel *Acquiſitus*: Quoad relationẽ ad alios morbos, vel *Affectus ſingularis* eſt, vel *cum aliis morbis*, ac potiſſimum cum *ſcorbuto*, aut *Nephritide* complicatur *Arthritis* diuturna ſæpe *ſcorbutum* ſibi acceſſit, & affectus quidam *Scorbutici* Arthritidem ita plane mentiuntur vt non facile diſtingui poſſint. Prioris ratio eſt, tum ſimilis in vtroque affectu *ſanguinis dyſcraſia*, à *ſale fixo* pendens, tum inſuper quod *Arthriticis*, ſi quidem lecto aut cathedræ diutius affixi nullo exercitio vtuntuntur, *diſpoſitio ſcorbutica* facile ſupervenit 2. Affectus quidã ſcorbutici Arthritidẽ imitantur *Rheumatiſmus*, *Arthritis vaga ſcorbutica*, de quibus ſuis locis.

Arthritis autem cum *Nephritide* neceſſitudinem adeo coniunctam habet, vt vtrique affectus, quaſi eiuſdem originis eſſent, ſæpiſſime concurrant; quippe nullus fere *morbo iſto* laborat, quin etiam *huic* obnoxius reperitur: Porro inveterata, *Arthriticis* concretiones lapideas in Articulis, quales *Nephritis* in renibus excitare ſolet: Hinc veriſimillimũ exiſtimo Nephritin à ſimili, ſeu prorſus eadem cauſa, quam pro Arthritide aſſignavimus exoriri, nempe materia ſalino fixa, à ſanguine in renibus depoſita, cum *humore acido*, per ductus nerveos illic ſubinde ſuffuſo, efferveſcere, & proterea dolore, Nephriticos crebro induci, dein ab *vtraque materia*, poſt efferveſcentiam *coagulata* calculum formari. *Willis.*

135. *Mulieres*) Mulieris arthritide laborantis, & curatæ vide exemplum apud *Platerum Obſerv. l. 2. p. 491.*

135. *Mulieres*) Vide ſupra §. *ſalſus acris, tartareus*) ex *Etmuller.*

136. *Etiam non interceptis*) Mulieres cum virorum licentiam æquarint, corporum quoque virilium vitia æquaſſe non eſt mirum, neque enim minus pervigilant, nec minus potant, oleo & mero, viros provocant, invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, vinumque omne vomitu reiiciunt, & nivem rodunt ſolatium ſtomachi æſtuantis: Libidine vero neq; maribus cedunt, pari natę Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderũt, & quia fœminam exuere damnatæ ſunt morbis virilibus: Quid ergo mirum maximum medicorum ac Naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi. *Celſus.*

137. *Pueros*) *etiam* Vide §. *Salſus acris, tartareus*)

137. *Pueros etiam*) Ex *Hippocr.* Pueri Podagra non laborant; Puero tamen annorum xij. exanthemata: extinctis his dolores cutanei oborti ſunt implacabiles. ad ſolum manuum appulſum irritati: Ab eo tempore ſtatis temporibus articularibus doloribus eſt conflictatus: Forte gẽtilitium hoc malum, nam novimus matrem arthriticam; quanquam morbillorum materia ſuppreſſa id genus doloris invehere poteſt, quod in multis obſervavimus *Ballonius Eph. p. 18.*

138. *Hæreditaria*) Vide §. *Humor ſeroſus, tartareus, aliquando ſanguini &c.*) Ex *Williſio* §. *Salſus, acris tartareus*) Ex *Etmuller.*

139. *Venus*) Quomodo podagram generet vide §. *Diatã convenientẽ in qua aëris exceſſus &c. vina Venus, vitari*)

139 *Venus quæ membra*) Id pulchre atteſtatur *Scaliger de ſubt. Exerce. 177.* Coitus, *ait*, calor debilitatur, laxatur, corpus, inanitur, fitque defluxus cerebro langueſcente, & humor in laxitates, qui ob caloris exiguitatem crudus & irreſolubilis eſt factus recipitur; idcirco mater æ pertinacia, qua tandem molitur duritiem; & caloris imbecilitas omnem tranferunt in ſe culpam.

140 *Vnde Eunuchi*) Teſtium avulſio (verba ſunt *Cardani*) ſicuti contrarios effectus producit, calvitium enim barbamque naſci prohibet, ob caloris diminutionem, ex qua ſequitur mentis glabrities; quippe pilus à deſicatione, deſicatio à calore, vt Eunuchi teſtantur ita quoque tuetur hominem à Podagra.

141. *Alia eſt ſanguinea*) Intra venas (vaſa) concluſus ſanguineus humor, ſi in articulorum ſedem influat, *Arthritidem* quam aliqui *calidam*, quod febre comitata ſit caractereſque caloris articulorum ſede proferat, vocarunt, interdum progignere poteſt: enim ille quaquaverſum per vaſa in habitum corporis diſperſus, in carneas, membraneas partes, & cutem ipſam ſe inſinuare poteſt, illicque inflammationes, vel etiam ſine inflammatione vera diſtenſionem caloremque excitare (ſicuti ex dolore ſanguine attracto, parte nondum inflãmata & tamen rubente ac calente hoc fieri poſſe apparet) ſic. & ſi in articulorum regiones nervoſas feratur, illiſque ſe inſinuet diſtendo, caloreque ſuo inflammante dolorem arthriticum efficiet: Idque quando ſua copia in vaſis redundat, aut calidior exiſtens & inflammatus, febrem accendens ſynochum, quæ plerumque huic arthritidi calidę ſtatim ab initio ſupervenit, & aliquandiu comes eſt, per eam portionem illis in articulorum haſce ſedes propellit, nã ſicuti ab iiſdem cauſis in febribus ſynochis in ſuperficiẽ cutis ſanguine Eryſipelata hac febre comitata gignãtur, ſic & ſi in haſce ſedes articulorum, hoc in huſce febribus moliatur natura, quo etiam frequenter ſe exonerare ſolet, arthritis potius febre ſynocho comitata naſcetur: Vnde & plerumque accidit ob hanc cauſæ ſimilitudinẽ, vt qui arthritidi obnoxii ſunt, aliquando à ſanguine in cutem effuſo febre, quæ eryſipelas profert facile corripiantur, ægrique qui vtriſque obnoxii ſunt, podagræ tumore quando illa invadit, Eryſipelatis opinione ſe cõſolentur; Sed & ſanguis ſero excrementitio, ichoribuſque humorum perfuſo impurior fluidiorque factus, à natura interveniente plerumque febre etiam aliqua, ſed mitiore (vix enim ſine febricula *calida* vocata *Arthritis* incipit) vti in alia loca aliquando, ſic in articulorum regionem expurgatur, arthritidem inducit; Qui & quando generalis eſt, ſæpiuſque repetit, plerumque à ſanguine, cum copioſus ſit humor, totumque corpus pervadens, in plureſque ſedes ſimul effundi poſſit, provenire ſolet; quod ſi à defluxione à capite fiat, cum nonniſi magna ſit cauſa, rarius fit, Licet & *particularis Arthritis*, & *Podagra*, nonnunquam & *coxendicus dolor*, ab eodem ſanguine in vnam aut paucioreſ ſedes tunc ſe exonerante non infrequenter febre quoque comite gignatur: In quibus à ſanguine genitis articulorum doloribus, ſi ſanguis qui influxit fervidior fuerit, nervoſũq; genus gravius afficiat & inflãmet, dolor & ardor maior erit, rubedoque & tumor, niſi in profundo hæc omnia, vt in Iſchiadico dolore lateant, citius apparebunt, atque eryſepelatoden aliquam phlegmonen referent; ſi vero ſeroſior, ad œdematis naturam tumor late diſperſus potius accedet; dolorque non adeo magnus erit niſi quatenus, ſi in multis locis hoc fiat, ea ratione magis moleſtus eſt. *Platerus.*

141. *Alia*

141. *Alia eſt ſanguinea, alia biliosa &c.*) Nec affe-ctus quoad ægrotantis temperamentum calidus, aut frigidus, ſive *ſanguineus*, aut *pituitoſus*, quatenus ob ſanguinem circa loca affecta in circuitu præpeditum, quandoque *phlogoſis*, aut *oedema* doloribus ſuperveniunt.

141. *Sanguinea, in qua ſimul ſanguis &c.*) Sanguinem à cenſu cauſarum merito eximimus, quia dolores iſti corpora vtplurimum exanguia, eaque fere tantum infectat: Nam licet in vicinia, propter impeditum ſanguinis curſum, tumor cum phlogoſi interdum eveniat, tamen iſte non morbus, ſed ſymptoma eſt, atque Arthritidi plerumque ſupervenit: Porro tumores podagrici raro aut nunquam *ſuppurantur*, quod certe indicio eſt, eos nequaquam à ſanguine, ob plenitudinem propriam, aut ſeroſam extravaſato, ſed circuitu, ob partium nervoſarum corrugationes impedito procedere. *Willis.*

142. *Sanguis plethora peccat*) Sanguis in vaſis fervoris & impuritatis cauſæ, vti variæ ſunt, ita inprimis vini potentioris præſertim immoderatus vſus, non ſolum quod cetebro toties ſtuporem inducens illud debilitando, ſed & quod ſanguis inde copioſior, calidiorque & tenuior continuo gignatur, qui poſtea facile inflammatur, febremque, per quam portio illius in articulos excutitur; accendat, Podagræ cauſa, hæcque illius poena ſtatuenda erit; vnde & ditiores præſertim, qui vino generoſo ſæpe inebriantur, ciboſque aromatibus variis conditis, vnde ſanguis quoque tandem accenditur, perpetuo vtuntur, Podagram ſibi familiarem reddunt; quæ tamen & pauperes aliquos non prætetire ſolet. *Platerus.*

143. *Cognoſcitur ex tumore ingenti, calore moderato, rubore &c.*) Quæ Inflammationis ſigna ſunt, Hinc *Liberatis* podagra, *inquit*, difinitur *Affectio articulorum pedis inflammatoria, ſubinde repetens cum dolore*: Inflammationem eſſe ponit *Hippocrates*, aph. 6.42. *Qui podagrici morbi fiunt ſedata inflammatione intra dies xl. conquieſcunt*, Et libro de Iudicat. *Si qui morbi podagrici fiunt, xl. diebus plerumque eorum inflammationes pituitaque ſiſtuntur, tametſi longo tardove decretorio, tamen in melius plerumque tendente.* Cum autem non deſint quibus definitio illa Hippocratica, *Galeni* & Accin. videatur abſurda, operæ pretium exiſtimamus, vt eam defendamus, diſſolvere eorum argumenta qui contrarium aſſerere nituntur; 1°. Dicunt, Arthritidem Inflammationem dici non poſſe, cum inflammatio ſit tumor factus ex ſanguine puro: hic morbus autem ſæpe oriatur ex phlegmate, ſive humore frigido & ſeroſo, vnde ſæpe ſubnaſcuntur tophi circa iuncturas: ii. Inflammationem eſſe morbum partium carnoſarum, guttam vero Iuncturarum, quæ multum ab iis differant: Iuncturas enim conſtat eſſe partes frigidas & ſpermaticas, contra carnoſas eſſe calidas, humidas, & ex ſanguine genitas. iij. Si podagra eſſet inflammatio; perveniret vtique ad ſuppurationem; atque non videmus hoc fieri, cum ex ſanguine genita non ſit, cuius proprium eſt ſuppurationi ſubiici: Ad 1. reſpondemus Inflammationem ex *Galeno* tribus modis dici pro Inflammatione ſicca, in qua ſine aliqua defluxione humoris calor naturalis inflammatur; ii. Pro omni Tumore aut calore, ſive ortus è fluxione ſanguinis vel phlegmatis, vel bilis, ſeu melancholiæ, iii proprie & abſolute pro ea tumoris ſpecie, quam *Galenus* & recentiores appellant phlegmonen: Nos igitur dicimus podagram Inflammationem dici non proprie, ſed ſecundo modo, quo ſumitur pro omni tumore calido, ex quacunque tandem materia genito: Sic *Hippocr. Galen. Avicennas*, Lethargiam vocarunt inflammationem, etſi oriatur ex phlegmate; Ad ij. dicimus inflāmationē proprie loquendo morbum eſſe partium carnoſarum; at Arthritis dicitur Inflammatio non in tertia, ſed in ſecunda ſignificatione: Ad iij. Revera inflammatio proprie ſic dicta ad ſuppurationē pervenit, quod morbus articularis non facit, quia ad ſecundam ſignificationem refertur, pro quovis tumore qui cum quodam ardore coniunctus ſit: quamquam etiam viſum ſit morbo articulari ſuppurationes ſuperveniſſe, vbi calor cum ſanguine dominatus fuit; quod cum fit per accidens fit, cum materia calida & humida, virtute iuncturarum & ligamentorum eiicitur in partes carnoſas, in quibus cum aliquando commorata eſt, tandem ad ſuppurationem perducitur. *Andreas Laurentius.*

Multi veterum medicorum hoc morbis genus curant ea via qua Inflammationes, ſic *Rondeletius* Præſentem, *inquit*, materiam & prædominantem inſpicere oportet, & ad ea remedia colligenda, curari debet vt aliarum partium inflammationes & tumores.

144. *Si non ſuppuratur*) Cur ſuppuratio arthritidi non ſuccedat, ſi quidem conſtat fluxionem per arterias & venas fieri: Inflammationibus accenſeatur, & à ſanguine aliquando ortum ducat, oſtendit *Gorræus* l. 1. *defin. medicar.* qui ſic *Fernelium* redarguit, Non eſt quod obiiciat ſanguinem non poſſe videri materiam arthritidis, quod in articulo collectus phlegmonem excitet, quæ in pus nunquam converti viſa ſit, Neque enim neceſſe eſt omnem ſanguinis affluxum phlegmonem concitare, niſi in muſculum aut carnem fiat: Nec poteſt effuſus ſanguis in pus mutari, niſi loci calore ſuppuratio iuvetur; Id quod in articulo membranoſo, exangui, frigido contingere nequit, *Hactenus Gorræus*, Adde teſtimonium *Hippocratis*, qui vmbilicum ſuppurationum terminum conſtituit; quanquam ad podagram potiſſimum pertineat.

145. *Vena ſectione*) Qua crebra in phlethoricis, præſertim vere & autumno, nihil eſt ſalutarius, quod non præſervet tantum; ſed ſæpe in vniverſum morbum extinguat. *Fr. Ioel.*

146. *Doloris mitigatione per*) Perpurgato corpore loco dolenti *Topica* & dolorem mitigantia remedia tuto articulis imponi poſſunt, antè autem corporis purgationem periculoſa eſt Topicorum applicatio, Repellunt enim vitrioſos humores ad interiora viſcera: In ſanguinea conſtitutione hæc ſequentia commode imponi poſſunt, *Acetum roſac. cum album. ovor. concutiatur & linteis duplic. excepta affectæ parti imponatur*: *Oleum roſac. cum pauxillo aceto mixto, aut vngu. popul. &c. ceruſa ſimul mixtis dolens locus commode inungi poteſt.*

℞. *Fol. braſſica q. ſ. coque in aqua ad mollitiem, exemtere, adde lutea ovor & aceti roſ. parum f. catapl.*

Nota tumentibus articulis non eſſe temere imponenda repellentia & adſtringentia, ſed mitigantia tantum, circa tumorem autem tuto imponi poſſunt, præſertim ſi adſit inflammatio ſ. q.

℞. *Succi prun. ſylv. calic. roſar. cum ſemin. & gland. rec. āā. m. j. contundantur, ſuccus exprim. linteolis exceptus inflammato loco imponatur.*

Si defluxio fiant per aliquod emunctorium, quod facile ſenſu percipi poteſt, ad cohibitionem fluentis, ſequ. Linim. impone.

℞. *Boli Arm.* ℥ij *pulv. biſtorta gallar. nuc. cupr. āā.* ʒß. *m. cum pauco aceto roſac. inſtar pultis impone emunctoriis.*

Si defluxio ſit copioſi ſanguinis inflammati.

℞. *Mucag. ſem. pſyllj. cum ſucc. & aqua plantag. & aceto roſ. facta q. ſ. adde album ovor & medullam panis ſiligine f. catapl.* Ne cito ex ſiccat, l quod poteſt addi *oleo roſ.* Et inflammato tumori articulo uni imponatur, crebro removendo *Fr. Ioel*, Vide §. *Repulſione*) ex *Rondeletio*.

147. *Cognoſcitur ex tumore conſpicuo*) Bilem cum ſero redundantem ſignificant *Dolor* vehemens, & lancinans, *tumor* exiguus, *color* ſubrubeus aut ſubpallidus, *calor* magnus & febris in ſtatu perſeverans, *febris* intenſa, *vrina* tenuis flava & ſubrubra, *auxilium* à frigidis, ſælio à calidis. *Riverius.*

148. *Refrigerantibus*) In Arthritide biliosa *Aquæ acidulæ*, *vitriolatæ* & refrigerantes plurimum conferunt ita ut earum vſu plures ab ea immunes per longum tempus evaſerint. Ad eundem finem laudatur ab *Hippocrate l. de morbis*, vſus *lactis aſinini*, qui etiam multis arthriticis plurimum contuliſſe experientia docuit: Ac denique omnia remedia quæ calidiori hepatis intemperiei corrigendæ eique viſceri roborando idonea ſunt, hic etiam convenire poterunt. *Riverius.*

149. *Dolorem mitigandum*) *Aqua frigidiſſima* locum dolentem perfundere docet *Hippocrates*, quod cum admodum repellendum & refrigerandum fieri poteſt, *Nivem* etiam adhibitam aliquibus profuiſſe conſtat. *Acetum* quoque frigidum infuſum, vel cum panno in eo medefacto applicatum, ſæpiuſque repetitum, aliqui valde laudarunt. *Fel. Platerus Pr. med. tom. c. 16. p. 643.*

Aliqui cum inceperunt hoc morbo laborare, frequenter in aqua frigida nataverunt, & ſic evaſerunt morbū, roboratis partibus & vaſis cōſtrictis expulſis humoribus ad partes internas. *Rondeletius c. 8 l. 3. Pr. med.*

149. *Dolorem mitigandum, &c.*) Viro xl. annor: Arthritide ex *materia calida* laboranti, propinata *caſsia*, venam in brachio ſecari iuſſi, deinde *caſſia* diſſoluta cum *ſucco ſolani* appoſita iuxta *Avicennam* egregiè profuit. Si *ſuccus* deficit *Petrus Bayrus* ejus *aquam* accipit, & vna cum caſſia infuſa, petias ex panno in iiſdem infundit & æſtate frigide, hyeme calide frequenter applicat: Si dolor non fuiſſet ſedatus, locum affectum obliniſſem iuxta eundem *vitello ovi ſoluto cum ol. roſac.* aut cum *ſantalis rub. ſucco ſolani, portulac. aqu. lenticulæ, ſucco rad. ſalicis, Oleum de ranis* etiam mirabiliter prodeſt: Conferunt hæc in Arthritide calida, remittendo dolorem & prohibendo fluxum humorum ad locum dolentem. Plurimi antiqui & moderni vtuntur in forti dolore *Linimentis ex opio*, ſed illud non probo cum *Bayro*, quia impingunt materias in parte affecta, quæ poſtea tarde aut nunquam reſolvuntur. Ego potius vtor (quod etiam idem *Bayrus* commendat) lacte calido cum pannis ex lino infuſo, vnum poſt alium ſæpe imponendo, id multum profuit *Pet. foreſtus Obſ. 2. l. 29.* Chirurgus quidam Leydamus *lenticulam aquæ* & flores chamom decoquebat in lacte, addendo parum *hordei farinæ in fine ad modum cataplaſmatis*, & ad ponebat ad ſedandum dolorem cum maximo miraculo. In progreſſu addebat plus de *farina hordei*, Idem Obſ. 3. l. 29.

Pro Arthritide optimum mihi remedium hoc.

℞. *Vivas ranas, has coque in butyro inſulſo*, hoc illinat ſe In Arthritide calida maximo ſucceſſu vtor *Fotu aquæ ſeminis Ranarum*. Ioh. Heutnius *comm. ad aph. 16. ſ. 3 Et 25. 5.*

149. *Dolorem mitigandum*) *Aqua ſpermatis ranarum menſe* maio deſtillata, impoſita, mire dolorem ſedat, & partis inflammationem ac dolorem temperat. Cum illa ſequentia vtiliter admiſceri poterunt.

℞. *Aqu. ſperm. ranar. tapſi barb.* filicis āā. ℔iß. in quibus infunde *tutiæ, litarg.* āā. ℥ij. *vitrioli calcin. aluminis* āā. *unc.* 1. *foveantur partes dolentes tepide.*

Acetum ex infuſione lithargyri paratum, & nonnihil evaporatum, vt omnino dulceſcat, admodum prodeſt Arthritidi calidæ. *Riverius.*

Mirum in modum ferventem dolorem podagricorum & ichiragricorum mitigant folia *ſempervivæ Hiſpanicæ* quæ Aloës eſſe iudicatur; & in maritimis locis in æſtuaris ſuſpenditur, vbi in plures annos creſcit ac vireſcit ex tepore hypocauſtorum) cum radice contuſa & ferventibus tum oribus impoſita, vel

℞. *Succ. ſemperv. mai. (quæ in tectis ruſticorum creſcit) & lyſimach. (ſalicariæ)* āā. ℥iv. *miſta excipiantur panno, & admoveantur.* Fr. Ioel.

150. *Floribus verbaſci*) Fomenta partibus dolentibus admota valent. E. g.

℞. *Fol. verbaſci* ℔vi. (*man.* vi.) *vini rub.* ℔ii. *Trita macerentur per aliquot dies, diſtilletur Aqua* qua foveantur partes dolentes tepide cum linteis ea imbutis, vel

℞. *Flor. verbaſci q. ſ.* iis ampulla vitrea impleatur & orificio obturato igni imponatur, ſic enim in liquorem diffluunt, qui linteo parti affectæ impoſitus dolorem lenit. *Riverius.*

Dolor arthriticus citiſſime ſedatur, fovendo partem aqua *folior fraxini deſtillata* in alembico plumbeo *Samuel Formius obſ. 39.*

151 *Vitelli ovi &c.*) Sequenti remedio vidi dolores in inſtanti ſedatos, Et ſi renovetur ſæpe, non fuit mihi neceſſarium recurrere ad alia auxilia, Et non eſt mirabile, in hoc enim compoſito latet virtus anodynitatis melior fere quam reperiri poſſit.

℞. *Vitellor. n°. x. conquaſſentur in frixorio, & ſuper cineribus calidis coque leniſſime cum* ℔iß. *ol. roſati vſque ad inſpiſſationem, addendo croci* ℥ii. *Bartholomæus* montagnana conſ. 242.

152. *Alia pituitoſa*) Vanum eſt putare a pituita per venas in articulos influente non fieri arthritidem, quod per cachexiam pituitoſus humor in crura & pedes decumbens, neque Iſchiadem neque podagram efficiat, Niſi enim intra ipſius articulum humor deſcenderit, quantumvis per vniverſam carnem, parteſque circumpoſitas diffuſus, Arthritis non erit *Gorræus Def. med. l. 1.*

Otioſos, phlegmaticos &c.) Contingit in ſenibus magis quam in juvenibus, & poſt neglectam materiæ prioris reſolutionem: Pars reddita imbecillior excrementa non repellit quæ non bene concoxit, Et ſic morbus calidus compoſitus fit ex calido & frigido; Fit in juvenibus crapuloſis, qui paſſi ſunt morbum Italicum, vel qui ob natationem in aqua frigida partes plus iuſto refrigerarunt: Fit in mulieribus poſt amiſſam menſtruam purgationem ante tempus. Fit maxime poſt membrorum deſatigationem, vel humectationem & potiſſimum qui à morbo Italico id morbi genus contraxerunt. *Rondeletius.*

153. *Cognoſcitur ex tumore œdematoſo*) Pituitæ cum ſero redundantis ſigna ſunt *Tumor* partium affectarū ſublaxus, qui impreſſis digitis foveam relinquit *dolor* minus acerbus, *vrina* craſſæ ac perturbatæ, *læſio* à frigidis, *auxilium* à calidis, *Calor* fere nullus, *Calor* albus à naturali parum recedens. *Riverius.*

Si dolor ſit à materia frigida, non ſubito nec affatim fit neque vehementes ſunt dolores, humores laxi ſunt & diutius durant in vna parte nec ſic de vna parte in partem moventur, ſed illam partem quam occuparunt, diutius obſident, & illius partis robur deiciunt & actionem impediunt, Quin etiam ſi dolor ſedatus ſit pars illa, cui inpacta eſt maior facta inflatos tendines vel compreſſos adhuc retinet in aliqua parte, ſic vt dolorem faciat in motu & membra ob tumorem flecti non poſſint, & cum tentant movere, dolorem ſentiunt; *Rondeletius.*

153 *Cognoſcitur ex tumore oedematoſo*) Excrementa à nutrimenti quo partes aluntur cruditate, vel etiam vitioſiori portione, vel ob aſſimilationis imbecillitatem, aut pravitatem ſenſim coacervata, nec aliunde eo defluxa, Arthritidem quandam gignere poſſunt, quæ ſenſi

ſim non ſubito, vt illa quæ à defluxione fit, prodit, nec adeo dolorem gravem infert: & *tumorem œdematoſum* potius quam alium profert: Quæ Arthritis rarius primum incipit, ſed aliam quæ à defluxione oritur, præcipue ſequi ſolet; idque loco affecto ex multis defluxionibus debilitato, nova excrementa illic congerente, vnde qui ſic affecti ſunt, à podagra raro immunes, nunc ob defluentem, nunc congeſtum humorem ſemper illius indicia quędã ſecum circumferunt, aliquidque patiuntur: Vel ſi ſpecies aliqua arthritidis ſic fiat, quæ tandem ceſſare ſolet, vt iſchiadicus dolor diu admodum protrahitur, magnaſque patit mutationes. *Platerus.*

154. *De curatione, habe*) Mulieri Arthritide ex materia pituitoſa laboranti pilulas ex *Hiera* & *Agarico* exhibuimus, craſſoſque humores extenuavimus cum *oxymel. ſimpl.* & *compoſ.* poſtea purgavimus cum infuſo *agar.* & *oxymel.* Deinde *decoctum ſalſepar.* dedimus, & locis affectis imponi iuſſimus (iuxta *Bened. veronenſem*) *rapas concoctas & contuſas*, idque calide, Nam *Rapa* fervenris calor impoſitus prodeſt vti & *radix cucum. ſylv. ex aceto* cocta & illinita, & *menthaſtrum*, tritum impoſitum, quę egregie iuverunt. *P. Foreſtus ſch. ad obſ. 8. l 29.*

155. *Præmiſſo præpurante*) Abſumũt & extenuanr craſſam materiam arthritidis *guttæ* vij. *ſpir vitrioli alternis diebus* cum iij. cochlearibus *aquæ betonicæ* exhibita *Fr. Ioel.*

156. *Olei de Vulpe*) Aliqui *anſerem* pinguem medicamentis, felibus parvis bonæ hubitudinis minutatim conciſis farciunt, cum ſale, & paulatim in veru aſſantes, deſtillantem inde liquorem colligunt vt membra arthritica inungunt. *Geſnerus* ex Ioh *Goevioto.*

157. *Ex ſale*) Inter externa remedia vtilis eſt *ſal tritus* oleo dulci commixtus atque artubus affricatus quo tempore dolores non vrgent; nam partes quaſcunquę dolore affectas non eſſe irritandas, ſed in quiete detineri debere apud omnes conſtitutum eſt Hier. *mercurialis conſ. 75. l. 1.*

158. *Alia melancholica*) Dolor articularis ex melancholico humore rarius accidere conſuevit, idque potiſſimum in ſcorbuticis, ob craſſitiem & ſtabilitatem humoris; niſi forte humor melancholicus per vehementem calorem quaſi in cinerem ſit converſus, ſanguineęque maſſæ admiſtus. *Fr. Ioel.*

159. *Cognoſcitur ex tumore duriore*) Melancholiæ redundantis ſigna ſunt *color* partis obſcurus, ad livorem tendens, *dolor* profundus, *vrina* tenuis & aquoſa, *laſſitudo* totius corporis eiuſdemque temperamentum ad melancholicum accedens. *Riverius.*

160. *Purgari debet*) Convenit victus ratio moderate refrigerans, & pro conſtitutione corporis, ſi neceſſitas exigit, *vena ſecetur ſplenetica*, & quidem ſtatim initio doloris, poſtea concoquatur digeraturque cum *ſero lactis cap. conſ. fumar. meliſſa* ãã. ℥ij. *polypod.* ℥ß. *ceterach. m.* ij. *ſeri ſint* ℔iv. *coq. in duplici vaſe. concoctus*, humor *purgetur.*

℞. *Diacarth.* ʒx. *aqu. fumari* ℥v. *f. poo* vj. *horis ante prandium ſumenda.*

Aut, exhibeantur xxvij. *pilulæ ex* ʒj. *pilul. de fumar.* quæ acuantur *diagrid. gr.* v.

Quibus peroctis *Topica* dolorem mitigantia & diſcutientia loco affecto applicentur E. g.

℞. *Fol. roriſmar. conizæ mai.* ãã. *m.* ii. *conciſa coque in vino, contunde, admiſce medull. panis, & addita q. ſ. pingued. anſer. & œſypi. f. catapl.* Fr. Ioel.

161. *Succedunt quandoque convulſiones*) Quæritur cur in vera, ab humoribus in partes nervoſas & membranoſas influentibus, eaſque diſtendentibus aut vellicantibus, non fiat Convulſio? Reſpondemus partes quæ in Arthritide magis afficiuntur eſſe membranoſas quæ cum motui nullo modo inſerviant, convulſionem efficere non poſſunt quantumvis diſtendantur aut vellicentur: Licet autem Tendines & nervi motui dicati etiam dolore afficiantur, convulſionem tamen non pariunt, quia vt fiat convulſio debent muſculi retrahi verſus ſuum principium, & iſta retractio debet fieri per contractionem nervorum qui in eos inſeruntur; quando vero à muſculis egreſſi ſunt, aut ad extremitatem eorum pervenerunt, licet diſtendantur, muſculos contrahere non poſſunt. *Riverius.*

162. II. A *partibus.*

I. 163. Alia eſt *Podagra* 164. quæ pedes infeſtat. 165. *Curata* fuit in quibusdam mutato cœlo: in M. Agrippa demerſis in acetum calidum cruribus; in Sexto Pomponio triticum; in aliis, annuo aquæ potu. *Secatur* in ea non vena poplitis oppoſiti lateris propter rectitudinis vaſorum carentiam, ſed brachii ejuſdem cum pede lateris. Trallianus 166. *veſicatoria* commendat. *Dolorem* leniunt *ſanguis humanus* cum ſale armoniaco. *Carnis bubulæ* fruſtum macrum ſuperligatum. *Caules rubei* ad ignem calefacti, butyro recenti, & impoſiti obliti, & impoſiti. Pulticula ex *ſpermate ranarum* & *radice urticæ* communis contuſa. *Pediluvium* ex lixivio ſarmentorum vitis, oſſium humanor. vini rubri chalibeati, cum herbis ivæ, chamædryos, abſynthii, ſalviæ, roſarum, chamæli, & furfurum tritici, ſimul mixtis. Sali menſali poſſunt calcinata *humana oſſa* admiſceri. Adſtringentia paulò altius à loco affecto, ſupra partem affectam internam adhibenda, ſufficitque *Bolus Armena* cum *lacte* & *pulvere radicis biſtortæ* in *Cathaplaſma* redactus. Licetus ſcribit, ſe *annulis ferreis* ex *clavo* qui pedem ſiniſtrum equi, maximè Friſonis dicti, ad ungulam poſteriorem interius perforaſſet diuque ſoleam ferream ungulæ ſubſtratam firmaviſſet, cum felici ſucceſſu uſum. Alius *oleo ſulfuris* partem afectam inungebat, eidem ſanguineam carnis ſalitæ muriam circumponebat, ut apud Tulpium l. III. obſ. 56. videre eſt.

Huc referri poteſt *pedum dolor periodicus* certis horis cum tenſione vehementer affligens, ob affectas infimi Pedis nervoſas & membranaceas partes, ab evaporatione biliosa, circa ramos ſplenicos & meſentericos collecta, acrimoniamque ex aduſtione contrahentes cui commodè vino chalybeato & aliis ſubveniri poteſt, & de quo vide Horſtium obſerv. parte 2, l. 3. pag 284.

Altera eſt 167. *Chiragra*, quæ manus infeſtat. & in qua, ſi dextra manus laborat, ex ſiniſtra mittendus eſt ſanguis.

Altera eſt 168. *Gonagra*, quæ genua obſidet, & in qua pedis ejuſdem vena, poſtquam in cubito primò ejuſdem lateris ad revulſionem & evacuationem ſecta eſt, materiâ fluere incipiente, ad derivationem aperienda *Cauterium* poplitis internæ parti applicandum.

162. *A partibus*) Articulorum regionem obſidens, & circa eam præcipue verſans dolor, Arthritis, ſeu articulorum dolor in genere dicitur, Qui cum in diverſis articulorum per habitum corporis poſitis occurrat, in eo primum differt, Quod alius eſt generalis, pluribus articulis, vnde generale Arthritidis nomen ſervat, quam vulgo *Podagram* ſi etiam pedes attigerit, vti fere fit, vocant; In *artubus, brachiis, manibus*, ipſorumque *fulcris. coxa, ſummo humero ſe* exerens, & in *dorſum cervicemque* interdum quoque ſe extendens, aliquando & circa maxillæ articulum ſe manifeſtans, Alius vero dolor articulorum *particularis* eſt duntaxat quibuſdam articulis, artuum præcipue; nonnunquam *articulos magnos*, quibus artus innituntur occupans, vt *articulum coxa cum femore*, qui *Coxendicus* vel *Iſchiadicus dolor* dicitur. Alias *articulum humeri cum ſcapula in ſummo humero*, ſeu *homoplata*, poſſidens, vnde Homoplatæ dolor appellatur: Nonnunquam vero in *artuum articulis* ſe offert in *pedibus* circa *digitorum internodia*, maxime *pollicis articulum*, vel in *pedio*, vel juxta *malleolum*, & *Podagra* tunc verius nominatur, vel circa *Genu* & *Gonagra* vocatur. Alia in *brachiis* circa *digitorum articulos, pollicis* quoque præcipue, vel circa *carpum* & *metacarpium*, tuncque *Chiragra* dicitur. Rarius in *cubiti articulo* ſolo hic affectus, vti vero in *genu* permanet; ſed ſi illic fiat, communis quoque fere cum aliis articulorum locis eſt dolor, & ſub arthritide dicta comprehenditur. In quibuſdam autem accidentibus diverſæ hæ ſpecies arthritidis conveniunt, in aliis vero diſcrepant: *Platerus.* Præter quas partes & *ſcapulas* & *vertebras colli*, & interdum *ſternum* occupat; Imo obſervavi in ſene admodum podagrico & alteram *naſi* quaſi *medietatem* fuiſſe affectam. *Etmuller.*

163. *Alia eſt Podagra*) Podagra eſt τῶν ποδῶν ἄγρα, pedes ſive tendicula pedum; Ab hac voce fluit ἡ γονάγρα, καὶ ἡ χειράγρα, vltra quas qui fingunt alias voces quoque, ποδάγροι: Tamen dicendum eſt in ſola Coxendice eſſe nomen proprium, ἰσχιὰς vnde ἰσχιαδικοὶ, qui hoc morbo in hac parte affecti ſunt. *Hofmannus in Inſtitut.*

Quatuor Arthritidis differentiæ vulgo conſtituuntur, ex diverſis articulis affectis repetitæ, *Chiragra* cum manum dolor occupat, *Iſchias* cum coxendicem invadit; *Ganagra* cum genua, & *Podagra* cum pedes hujuſmodi dolore afficiuntur. Reliquorum articulorum dolores generico Arthritidis nomine donant: licet *Paræus* propria nomina impoſuerit, à partibus affectis deſumpta. Dolorem in maxillæ articulis reſidentem *Syagonagram* appellans; in cervice *Trachiedagram.* In ſpinâ dorci *Sachiſagram.* In humero *Homigram.* In cubito *Pechyagram.* Sed iſtæ nomenclaturæ in uſum Medicum relatæ non fuerunt. *Laz. Riverius.*

164. *Podagra quæ pedes infeſtat*) *Podagra*, articularis morbus in pedibus *Chiragra*, articularis dolor in manibus eſt, Partes pedum ac manuum magnam habent inter ſe & in configuratione motuque analogiam & cognationem, etſi ſitu & vſu inter ſe differant, morbi autem earum partium ad Arthritida; i. e. dolores articulorum referri debent.

. Signa tum Podagræ tum Chiragræ manifeſta ſunt, In Podagra enim articuli pedum, in Chiragra manuum dolore acerbo aliquandiu infeſtantur, qui deinde ceſſat. Hic dolor ſenſim oboritur. In *Podagra* non nunquam initium ſumit in articulis magni digiti pedum, aut in calcaneo, & deinde in genuum coarticulationem procedit. In *Chiragra* vero incipit dolor nonnunquam in tuberculis digitorum, unde tandem & ad reliquas coarticulationes progreditur,

In Curatione Podagræ & Chiragræ videndum, quæ intemperies, calidias an frigiditas, ſit adjuncta; In calida affectione, quæ ſemper aut ex ſanguinis, aut flavæ bilis fervore oboritur, (poſt inſtitutam convenientem Diætam, & ſi neceſſitas exigat v. s. humoriſque vitioſi confluentis præparationem & vacuationem) refrigerentia cum in potione, tum in Topicis admovenda erunt: Ubi Podagricorum Chiragricorumque dolori adjuncta eſt frigida intemperies, quæ vt plurimum exoritur ex affluxu pituitæ aut melancholici excrementi, ſic procedendum, Poſt vitioſi humoris concoctionem, vacuationem per vomitum & alvi ſubductionem, v. s. & victus præſcriptionem, In Potu vtatur æger *Hydromelite*, in quo *fol. roriſmar. ſalv. & chamæpyt.* ſunt macerata. Utatur æger ſingulis ſeptimanis *Theriaca Androm. ad* ʒij. & ſingulis diebus quantitatem ſemijuglandis *conſervæ roriſmar.* devoret, aut ſequ. Elect.

℞. *zz. condit. cortic. aranit. condit.* ãã. ℥ij. *craſſiuſcule concidantur adde conſ. roriſmar. beton.* ãã. ℥j. *ſpec. diamoſch. diambræ* ãã. ʒj. *cum pauxillo aquæ junip. fiat Elect.*

Vel ſumat patiens m. ac v. *cum juſculo ſubpingui ol. vitr. gtt. ix.* Loco affecto Topica hæc admove.

℞. *Ol. laur. irin. vulp. lumbr.* ãã. ℥ß. *med. cruris cervi* ʒvj. *tereb.* ʒij. *galbani in aceto diſſol. & per linteolum trajecti* ʒiß. *Ceræ q. ſ. f. Vng. cui admiſce olei vitr.* ʒß. *bis in die inunge partem.*

Aut inungatur *ol. vitr. cum vino generoſo mixto.* Poſt inunctionem adde unum ex ſequ. Catapl.

℞. *Malv. alth.* ãã. ℥ij. *fol. chamom. meliloti.* ãã. ℥j. *far. fabar. fœnugr. lini* ãã. ʒx. *Pulveriſatis admiſce q. ſ. juris in quo caput pedeſque vituli ſunt incocti, coqu. ad conſiſtentiam craſſioris pulmenti, quibus adde pingu. ſuillæ vet. aut ol. chamam. q. ſ. f. Catapl.* Aut

℞. *Stercor. vaccini* ℔. ß. *pulv. cimin. in aceto macerati* ℥ij. *mell. crudi q. ſ. f. ſ. a. Catapl.* Fr. Joel.

165. *Curata fuit in quibuſdam mutato cœlo*) Mutationem Aëris multû poſſe in morbis diuturnis notiſſimum. Ea ratione Galenus mittebat Phthiſicos ad Tabias, quo ſolo remedio vtplurimum ſanabantur. Et jam Angli ſcorbuto laborantes mutant Cœlum & inde valent. Si quis quoque in exoticis regionibus languore diuturno marceſcat, aërem nativum ſpirare conſulimus non ſine fructu; nec mirum, nam circumfluus aër nos ſubit per poros & ſpiratione trahitur ad intimum pectus: At cum in diverſis regionibus variè alteretur à vaporibus ex lacubus, montibus, ſylvis, &c. elevatis vt & à calore & frigore, nos quoque variè alterat atque afficit: hinc ſalubrior hic, illic deterior. Ne quis tamen audacior factus aëris mutationem temerè conſulat, ſciat experientiâ duce potius quam ratione de aëris clementia ſtatuendum & decerneudum. Atque mutationem aëris nonnihil ſemper habere periculi, ſive ex ſalubri in deteriorem, ſive ex deteriori in ſalubrem fiat tranſitus.

166. *Veſicatoria*) Per *uſtiones* veſicas excitando, cutemque ulcerando, ſeroſi excrementitii humoris fluxus à parte quam petere ſolebat, alio divertitur, ſicque ne in eam procumbat præcavetur; quod ad præcautionem tam fluxionum in genere, quam articulorum tanquam vltimum remedium adhibetur. Ad *Curationem* quoque, vt materiam defluxam aperte ei ocemus, hoc idem poſtremum fere, quod juvare poteſt, eſt remedium: tunc potiſſimum vſurpandum quando in profundo admodum latens humor, ægre medicamentis diſcutitur, vt in Iſchiadica, Homoplata dolore vel alioquin in Arthritidis aliis Speciebus, & cæteris in membra defluxionibus, ſi cauſa morbi pertinaciter hæreat, hac ratione tandem elicitur.

167. *Chiragra*) Vide § *Podagra quæ pedes infeſtat.*)

168. *Gonagra*) Mulier Arthritide & præcipue Gonagra laborabans, horum remediorum vſu ſanata eſt

℞. *Ligni Guaiaci raſi* ℔ß. *rad. Enulæ* ℥ß. *ebuli* ℥ß. *hermod actyl.* ℥ß. *ſenæ* ʒiij. *agar.* ℥ß. *zinzib.* ʒj.

rib. ʒj. *mellis* ℔ß. *vini pocul.* j. *aqu. menſur.* iiß. *coqu. ad conſumptionem medietatis, Aromatiza cinnam.* ʒj. *Bibit dies aliquos cum levamine ſingulis diebus poculum.*

Cumque *Gonagra* potiſſimum illam excruciaret, deque hoc dolore præſertim præ aliis conquereretur, Aquam hanc, qua Genu inungeret præſcripſi

℞. *Aquæ vitæ compoſ. ex ſpec. cal. herbis capitalibus, aromat. & caſtoreo parata* ℥iß. *aquæ vitæ ſimpl.* ℥iij. *opii diſſoluti in aqua vitæ* ʒj. *croci, ſtorac. liquid.* ãã.℈j. m. qua aliquoties vſa tantum tavaminis ſenſit, vt quiete fruens nullam ſe vſam remedio quod citius & rectius quam hoc dolorem ſuſtuliſſet prædicaret. Verum cum poſtea nonnihil dolor erumpiſſet denuo, & prius medicamentum abſumptum eſſet, ſequens ordinavi.

℞. *Aquæ vitæ compoſ. vt prius* ℥iij. *croci. ſtorac. liquid.* ãã.ʒj. *ol. ſpicæ* ℈ß. *caſtor.* ℈j. vtatur, Quod ita profuit ut nunquam dolorem amplius in genu ſenſerit. *F. Platerus obſ. l. 2. p. 496.*

Dolente Genu in viro quodam hoc Cataplaſma valde profuit.

℞. *Medullæ panis albi* ℔j. *coq. in lacte, adde far. ſem. papav. nigr.* ℥j. *pſyllii* ℥ß. *lini* ℥j. *ol. chamæmel. ranar.* ãã.℥ij. *croci* ℈j. Curatus ſic fuit. *Idem.*

Cauterium poplitis) Ex *Rondeletio*, Qui, *inquit*, Gonagra laborant, adhibito cauſtico parti internæ poplitis vindicantur à defluxione acri, veſicatorio adhibito ſuper partem evacuatur materia acris, qua vacuata dolor ſedatur.

[169] *Alia* eſt *Iſchiadica*, [170] quæ coxendicem invadit, de qua notandum.

I. [171] Diſtingui debere ab illo dolore, [172] qui quidem vehementiſſimus eſt, ſed nec tumorem ſibi adſciſcit, nec ſemper circa articulum, ſed & in mediis ſpaciis inter articulos conſiſtit, & ſæpe poſtquam hominem ſemel atque iterum afflixit, toto vitæ tempore non revertitur.

II. Hoc ei proprium, quòd latiùs quam in aliis articulis & ſæpè ad vicina loca, tum propter coxendicis oſſis amplitudinem, [173] tum nervorum qui à lumbis & oſſe ſacro ad eam articulationem veniunt, ad diverſas partes diffundatur.

III. [174] *Curari* difficillimè, tam [175] propter loci profunditatem & amplitudinem, quam propter [176] materiæ colligi ſolitæ copiam.

In [177] Curatione I. [178] ſecanda vena brachia ejuſdem lateris ad revulſionem; in poplite, aut juxta externum malleolum iſchiadicam, [179] ſi dolor extra vergit: [180] ſaphænam, ſi intra, ad derivationem.

II. [181] *Purgandum* fortioribus, præmiſſis & repetitis clyſteribus.

III. [182] *Vomitorium* exhibendum ex aſaro, quod plus ferè quam aliquod purgans conducit multique vomitu ſanati ſunt.

IV. [184] Repellentibus omiſſis reſolventia [185] in uſum deducenda. Et primò quidem agendum, [186] *benignioribus*, vt [187] *Ol. chamomill. lilior. rutæ*, [188] *vngu. dialtheæ* cum pauxillo *olei ſcorpionum* [189] proceſſu temporis *validioribus*, ut *ungu.* ex ſucco *folior & radic. Ebuli. baccis juniperi, foliis ivæ arthrit.* parato *Cataplaſmate* ex [190] *iberidis* man. IV. in vino decoctis, contuſis, addendo *farinæ lupinor. orobi, fabar.* ana. dr. iij. *pulver. rutæ ſiccæ, flor. chamom. & rad. coſti* ana. dr. I. *ol. therebinth.* unc. ſ. & *ol. lumbricor.* q. ſ. confecto, [191] *Balneo* ex *radic. bryoniæ lib. ii. ebuli lib. j. baccar. juniper, lib. ſ. cum iva arthritica, mentha, ſalvia, &c.* parato.

V. Contra *dolorem* nihil præſentius *medullâ equi* ex vulnere mortui.

VI. [192] *Attrahendum* vel [193] per *cucurbitulas* ſine ſcarificatione, vel per aliquot [194] *ſanguiſugas* parti appoſitas, vel per [195] *Emplaſtra* [196] initio leviora, quæ ex *pice navali, ſulfure, maſtiche, & terebinth.* parantur; [197] poſt validiora, quæ ex *gummi ammoniaco, ſagapeno.* aceto diſſolutis & iterum inſpiſſatis, *Euphorbio, ladano, galbano, cantharidibus*, &c. concinnantur; de quibus *Platerum* vide; vel per [198] *veſicatoria* parti admota.

VII. [199] *Cauterium* cruris ejuſdem parti externæ admovendum eſt.

Alia eſt *vertebrarum dorſi*, quæ eandem cauſam & curationem habet: & à qua diſtingui debet [200] *Dolor dorſi* à materia ſeroſa ſecundum ductum muſculi cucullaris, à capite deſcendente, & ad ſpinam in fine ejus muſculi hærente: qui momentaneus eſt, dormientes affligit, & poſt ſomnum evaneſcere ſolet.

III. A *morbis & ſymptomatibus*; quæ denominatur.

[169] *Alia eſt Iſchiadica*) Dolor Iſchiadicus ab aliis Arthritidis ſpeciebus non differt, quod in his dolor ſolos articulos occupat, in illo vero dolor non in ſolâ eſt coxendice, ſed etiam ſummam natem, & lumbos, & os ſacrum occupat, ac in femur, tibiamque & extremum pedem exporrigitur; quod fit ob nervos à lumbis & oſſe ſacro emergentes, qui à coxendice feruntur, & inde ad femur, tibiam & pedes diſſeminantur. *Riverius.*

[169] *Iſchiadica quæ coxendicem*) Ισχὰς coxendix, vel dolor circa coxas, ἰσχίον enim Latinis coxam ſignificat, Eſt autem ἰσχίον latum os in clunibus, in cujus medio rotunda cavitas eſt, cui caput ſuperius oſſis cruris coarticulatum involuitur, in qua coarticulatione creberrime gravis dolor excitatur, qui coxendicus dolor circa coxas nominatur.

Cum oſſe coxæ analogiam habent *Scapulæ*, quod à Græci ὠμοπλάτην nominatur, in qua coarticulatione ſi dolor excitetur, Græcis ἄλγος ſive ἀνία ὠμοπλάτων vocatur.

Utriuſque autem partis morbi Arthritidis ſunt ſpecies, & ex iiſdem cauſis originem trahunt, iiſdemque remediis curari poſſunt. *Fr. Joel.*

[169] *Alia eſt Iſchiadica*) Ισχίας, Iſchias, *morbus coxarius, dolor coxendicum*, ὁ τῶν ἰσχίων πόνος, Ισχιὰς dicta ab ἰσχίον coxendix. Ab hoc ἰσχιακός, ab illo ἰσχιαδικός, per aphæreſin τοῦ ι. factum vt Medici ſequioris ſeculi *Sciatica* & *Schiatica* & *Schiaticus* dixerint, &c.

Non vbique obvia voce, ſed proba tamen, illi ex defluxione affectus, cum in omnibus articulis ἐξαιρέτως δὲ τὰ ῥεύματα περὶ τὰ κατ' ἰσχίον dicuntur Κεδμάτα, vt *Galenus* tradit in Lexico, & *comm.5. ad lib. Epid.* annoravit κεδματα vocari τὰ εἰς τὰ σάλη κατασκήπτοντα ῥεύματα, καὶ μάλιστα γὰρ αὐτῶν τὰ εἰς τὴν πρώτην ἄρθρωσιν τὴν κατ' ἰσχίον.

Nomen habet ab ipſa parte affecta ſeu particula læſa ἴσχιας, & continetur inter coxarum morbos, vt ipſa Podagra à fluxione quapiam in pedes, &c. Et qui eo affectu laborant ἰσχιαδικοὶ nuncupantur, *Iſchiacos* nominat *Gellius*, Eſt ergo *Iſchias*, ea arthritidis ſpecies quæ coxendicem invadit, non tam ſtricte in eo articulo

ἔνθα τε μηρὸς
ἰσχίῳ ἐνστρέφεται κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσι.

Homerus ιλ. *v. 306.* ſed altius etiam ad ſummam natem, qua nervi à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes feruntur crura. *Dietericus Iatrei.* §,409.

Ab *Hippocr.* modo ſingulari numero ἴσχιας, modo plurali ἰσχίαδες dictus. Aliis coxendicum morbus, vel etiam, vt nobis videtur, commode *Arthritis lumbaris* audiens. *Wedelius Diſp. de Iſch.*

170. *Quæ coxendicem invadit.*) ἰσχίον coxendix; Cavitatem habet amplam coxæ pars altera, intra quam globoſum femoris caput, reconditum, & oſſis ſacri lateribus gemino conſtringitur vinculo, Coxendicis cavitati os femoris inſeritur, & copulatur ligamento valido, quod ob crebriores catarrhi decubitus adeo laxatur, vt excidat os femoris, mucoribus ſupervenientibus, *6. aph. 59.* vbi improprie ἴσχον vſurpatur pro *femoris capite. Dietericus Iatrei* §,410.

170. *Quæ coxendicem invadit*) *Subjectum denominationis* conſtituimus τὴν ὀσφὺν, de qua vide *Ariſtot. l. 1. H. Art.*) καὶ σπονδύλους, lumbos & vertebras eorundem, quatenus & hæc conſtituunt, τὰ ἄρθρα, articulos, ſeu articulantur per γιγγλυμον, & ad inflectendum varie corpus faciunt. Notabile hoc eſt tanto majores communiter eſſe articulorum dolores, quo major fuerit & inſignior eorum motus, Unde graviſſimus eſt circa acetabulum oſſis coxendicis conſiſtens.

Subjectum Inhæſionis principale ſunt *partes membranoſæ* fibris nerveis abunde inſtructæ circa dictum clima accurrentes, ipſumq; perioſtiũ quoniã hę partes ſolę mediocritatem obtinent, ut quam *Philoſophus lib. 2. de An. c. 12.* ad ſenſum requirit, ſeu, ut idem aliis tantum verbis magis diſtincte exprimamus; Quia non dantur in loco affecto partes præter has quæ maxime ſint temperatæ, ac ſpiritu, alkooliſato inprimis animalis nomen adepto, ſufficienter vigoratæ.

Adæquatum & minus principale abſolvunt, inguina, os femoris genu, ſura & extima pedis ſinguliſque vicini muſculi, ad humerum quoque, brachium & manum moleſtiis nonnunquam derivatis.

Si enim omnia quæ circa *Oſſa* obſervantur, examinare libido ſit, tantum abeſt vt illorum ſubſtantiam primario affici ſtatuamus, vt omnem manifeſti tactus ſenſum illis denegare quam attribuere tam inſignem rectius exiſtimemus, ne ipſo quidem *Pareo* contradicente, qui tamen exiguas nervorum fibras in ea diſſeminari aſſerit. Quamquam enim ſat celebris ſit dolor ὀστοκόπος, illum tamen improprie ita vocari certo perſuaſi ſumus, quod tam exquiſitus dolor immediate oſſibus circumjecti perioſtei, & vicinarum membranarum ſit.

Cartilagines nemo principale affectus ſubjectum conſtituit, nec in eas, vt in oſſa, nervulos derivare quiſquam eſt conatus, ſed ſenſus illas expertes vno quaſi ore omnes Anatomici pronunriant, Cui aſſerto vel non ſolum ſatis patrocinatur, quod inevitabilis ſemper foret dolor, quando fœmoris e.g. & acetabuli cartilagines continuo in motu invicem alliduntur.

De *vaſis ſanguiſicis & lymphaticis*, dubium, dicimus autem ſubſtantiam hæc quidem ſortita eſſe membraneam, minus tamen nervoſas, eſſe fibras, quas vtriuſque generis *venis Galenus* aliique attribuunt: in ſpecie autem ſic dictis *Fallopium & Veſaliũ* penitus denegare *Rolfincius* refert *Diſſ. An. p. 821.* in arteriis nihilominus dari experimento & ratione confirmat *Diemerbroeck An. l. 6. c. 1.* Præterea enim quod ancutiſmata & varices ſine tantillo fere dolore perſetantur, vena quoque ſecta nullam inducit, niſi quia neceſſario ſimul læſa accidit cute, indicio ſit manifeſto ſenſu illam ſi quis adeſt perquam obſcuro gaudere.

Nec de *arteriis* in ſpecie ſcrupulus magni momẽti eſt, ſanguinem ſcil. ſpiritibus refertum, per illas meantem majori ipſarum ſenſui vel ſificari: Arterioſi enim ſanguinis canales venoſi vaſa denſitare. vt hunc ille ſpirituum copia prævalent, quod ita providenti ſtatim naturæ partim perpetuis pulſationibus adſcribendum eſſe arbitramur, occaleſcere illos ſenſim facientibus. Accedit motus cauſæ morbificæ per ipſas celerior, unde non mirum eſt experiri ejus potius inſultus partes non ſolum delicatiores, ſed in quibus ſubſiſtere inſuper hoſtis hoc poteſt.

Ligamenta non ſuponemus ἀναισθῆτα promiſcue pronuntiare, De cartilagineis res quidem in vado eſt, membranoſis autem ſenſum denegandum eſſe negamus.

Medulla itidem *ſpinali* vel ſucco potius vertebrarum medullari, ſubjecti primarii titulum denegamus, quod per ſe animali ſenſu non polleat. Hinc neque conſiſtens in cavitate articuli dolor, quod *Trallianus, Arculanus, Mercatus* aliique contendunt ipſi κοτύλῃ ſeu acetabulo repleto venit adſcribendus niſi per accidens, diſtentis ligamentis & tendinibus muſculorum. *Wedelius.*

171. *Diſtingui debere*) Ne confuſio nominum remoretur, operæ pretium erit, ex genuinis Hippocraticis fontibus, ipſaq; quotidiana innixi praxi, concipere dolorem Iſchiadicum duplicem, vnum diffuſum, latius patentem; Alterum ſtrictiorem, potiſſimum circa acetabulum oſſis iſchii, in quo femoris os circumvoluitur vnice conſiſtentem. Ille potiſſimum hujus eſt loci, cujus tum alibi ſæpius meminit *Hippocr.* tum præcipue *lib. de int. aff. c. 54.* &c. *vt poſterioris l. de aff. c. 30.* Wedelius.

In articulo femoris, circum cavitatem oſſis Iſchii generatur arthritis, quæ Iſchias dicitur, Si humor influat in acetabulum, & exorbitare cogat os femoris, morbus hic in ſitu, curatu difficilis, claudicationem tandem affert. Si humor acerrimus putris erodat, cariem inducat. *Phthiſin coxariam* producit, quæ ſenſim ducit ad interitum: Si ad exortum magni iſtius nervi, qui poſticas partis partes perreptat, humor influat. *Notha Iſchias* excitatur. *Riolanus Ench. l. 5. c. 3.*

171. *Diſtingui debere*) An Κέδματα & morbus coxarius idem ſunt? Κέδματα *Galenus in Exegeſi* exponit Diuturnos ex defluxione affectus, qui ſcilicet circa articulos omnes aut præcipue circa coxam fiunt. *Idem comm. 1. in lib. 6. Epid.* Κέδματα vocat decumbentes in crura fluxiones, eaſque potiſſimum quæ primam articulationem, quæ eſt juxta coxendicem occupant.

Proſper Martianus comment. in Hippocr. p. m. 169. Latiori, *ait*, denominatione hoc nomen (*coxendici morbi*) adaptatur etiam aliis doloribus coxendicis (*genuinam* vide infra, §. *Tum nervorum qui à lumbis*) & potiſſimum illis qui à materia obſidente juncturam coxæ fiunt, qui quidem quando à materia frigida & pituitoſa ortum ducunt, magis proprie Κέδματα appellati debent, Et hi duo affectus *Iſchias* & Κέδμα plurimum inter ſe differunt, & ideo *Hippocrates* diſtincte de his mentionem fecit, *l. de A. A. & L. ſect. 2. Vbi enim* ait. *multum & frequenter equitant homines, ibi plurimi à cedmatibus, & à coxendicis morbis, & à podagra corripiuntur.* Ergo hi duo affectus inter ſe diſtincti ſunt, *Cedmata* enim quemlibet articulum invadere poſſunt

Iſchias

Iſchias vero eſt morbus proprius coxendicus. Illa à materia frigida ſemper originem ducti. *Hæc* vero abſque bile non fit, quæ ſæpe pituitæ prævalet. Quod ſi Hippocrates vt dolores omnes, qui ad Iſchium fiunt, vno comprehenderit capite. ἰσχιάδα etiam appellavit fluxiones materiæ pituitoſæ ad coxæ juncturam, *l. de int. affect. t. 35.* id ab eo factum eſt ex abundanti, & quia diſtrictam curationem facit, juxta materiæ diverſitatam, ideo nominis receptio impropria nihil affert incommodi. *Martianus.*

171. *Diſtingui debere*) Nam alia eſt ſpecies de qua *aph. 59. ſect. 6.* ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τούτοισι μύξαι ἐπιγίνονται. *Quibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris ſummum coxæ excidit, iis mucoſa ibidem pituita colligitur.* Nam ex Anatome intelligimus os femoris in capita duo deſinere, quæ inſeruntur acetabulis coxæ. Notandum etiam quod firmiſſimum eſt vinulum teres & breve, quo intercedente capita femoris nectuntur acetabulis coxæ. Accidit aliquando vt à diſtillatione cerebri, aliarumque partium corporis, & à malis vteri, vt vinculum illud imbibatur multo muco, & ob id relaxetur articulatio, Neque ſolum hæc relaxatur, ſed & aliquando propter lubricitatem caput femoris excidit ſuo ſinu; Vinculum id quo ſit firmius oporter, neque nimis reſiccatum eſſe, neque minùs humectatum. Si caput femoris per relaxationem & humorem immodicum excidit, excidit ſæpe in partem domeſticam & verſus inguina, & tum crus totum altero multo longius, ſed rarius luxatur in partem exteriorem, & tum crus fit brevius: Sæpius id accidit ob cauſam ab *Hippocrate* allatam, propter *mucores*, Μύξαι. *Hippocr.* aliquando eſt phlegmaticus & pituitoſus humor, Interdum, vt *lib. de Artic.* eſt *mucus*, i. e. humor lentus, viſcidus & albus, qui naſci ſolet ex imbecillitate cartilaginum & oſſium in ipſis articulis, Cartilagines enim & oſſa nutriuntur muco, craſſo & viſcido; ob id ſi in iis ſit imbecillitas, multum colligunt illius excrementi, à quo redditum læve & lubricum caput femoris, facile ſua cavitate excidit. Hanc rationem affert. *Galenus 3. de artic.* tribuitque hujus morbi cauſam imbecillitati articulorum & oſſium. Aliquando multitudini pituitæ confluentis ad articulos, & ita is mucus poteſt gigni ratione ipſarum partium, aliquando ratione materiæ defluentis à cerebro, & reliquo corpore, vt ab vtero, vnde multæ mulieres ſunt coxariæ. *Hollerius comm. in l. aph.*

171. *Diſtingui debere*) Coxendicus dolor nonnunquam eſt ab vtero, ſic *Hippocr. l. 2. Epid.* narrat de muliere *Cui coxa dolebat antequam conciperet, poſtquam autem concepit non amplius doluit: xx. autem die à partu rurſum doluit, peperit igitur maſculum.* Illud haud dubie os vteri erat contortum in coxam per morbum vterinum, nam *l. de ſuperfœt.* ſcribit, *Si cui dolores in coxendice, aut in capite, aut in manibus aut alia aliqua corporis parte fuerint, cum vero pregnans eſt deſinunt, conceptu autem ab vtero exoluto rurſum inſunt, odorata & bibere, & ad vteri os apponere, conducit:* Porro *1. de m. m.* dicit, *Quibus os vteri diſtortum eſt, & ad coxam allapſum, ſunt enim talia prohibentia ne vterus ſemen ſuſcipiat, Quum igitur tale quid acciderit odoratis fomentis fovere oportet, Poſt fomentum autem per digitum avulſum à coxa detrahito.* Quibus conſtat illum dolorem coxæ morbum vteri fuiſſe, Nam illi morbo congruit curatio quæ odoratis ſuffitibus agitur. *Walleſius comm. p. 125.*

Sic *Polemarchi vxori arthritide laboranti dolor quidam coxæ vehemens ſupervenit, cauſa erat quod muliebria non fluerent, lib. 5. Epidem.* Nam ſi ſanguis in vteri venas influat quidem, ob earum autem obſtructionem, aut ejus craſſitiem non exeat, facit vteri retractiones, aut in partem alteram diſtorſionem, hinc coxarum dolores, &c. *Valeſius p. 556.*

171. *Diſtingui debere*) Affectus quidam in Epiſcopatu Trevirenſi vagatur, in quo cruciatus ſunt acerbiſſimi, vnam aliquam partem vt dorſum, &c. ſubito aggredientes, maxime tamen *coxendices*, Quare interdum pro Iſchiadico dolore habetur. Comites ſunt amplæ & latæ maculæ, quaſi valido digito impreſſæ, quæ oriuntur ab humore ſcorbutico ſeroſo, ſalſo & acri, in quo ſcil. ſal ſcorbuticum vrget, qui juncturis prius moleſtiam creat, ac poſtea ad cutem dejicitur, Hoc malum ſi negligitur, cruris aut femoris atrophia & motus impotentia ſubſequi ſolet. *Mollenbroccius Tr. de Varenis cap. 5.*

171. *Diſtingui debere ab illo dolore*) Ex Lymphæ per vaſa ſua in corporis habitu diſtributa, & obſtructa, hinc rupta effuſione in partes vicinas, producuntur Dolores varii Catarrhi vulgo adſcripti, partem brachii ſuperiorem, collum, invadentes; & dolorem Iſchiadicum mentientes, inceſſum impedientes, in natibus hærentes: Cum ejuſmodi dolores Coxendicem affecerint, & inprimis partem ſpinæ inferiorem ita occuparint, vt vix erigi queat corpus & ad motum deduci, præſtantiſſimus erit Balſamus ſulphuris terebinthinatus, ſi paucis ejus guttis pars affecta illinatur, quo ſæpius vna nocte curavi homines miſeros. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 50.*

171. *Diſtingui debere*) Diagnoſis ex loco affecto deſumitur, vnde etiam nomen habet, dolor enim præcipue Iſchii regionem occupat. Hoc etiam habet peculiare quod nullus tumor nullaque inflammatio apparet ſicuti in aliis arthritidis ſpeciebus fieri ſolet, quia humores affluentes in partes profundiores & ampliores, multaque carne contectas ſeſe inſinuant, & vſque ad corporis ſuperficiem ipſamque cutim non diffunduntur. *Riverius.*

Dolor in articulo, vbi femoris caput inſeritur coxendici, inprimis percipitur, etiam clunes ſeu nates hinc intra oſſis fieri & lumborum regionem plus minus occupans, quin nervorum & membranarum connexarum, & deorſum pretenſarum ratione, inferius verſus ſuram & pedem vſque, & ad extremum malleolum tandem extenditur, noctèque fere gravius affligit; Et quia partes primario dolentes in profundo; ſub tegmine copioſiorum muſculorum deliteſcunt, fere nulla extrinſecus mutatio facta conſpicitur. Sæpius quidem dolores alii iſtam ſuperiorem cruris & coxarum regionem occupant, & ſubinde pertinaciter affligunt, non tamen præciſe dolorem Iſchiadicum conſtituunt, Confer *Sennertum Tr. de Arthr. cap. 6. Etmuller.*

Dolor cum caliditate conjunctus eſt acerbior, cum frigiditate vero diuturnior. *Fr. Joel.*

172. *Dolore*) Cauſa immediata eſt ſolutio continui, διάςασις τῶν συμφυλῶν μέρων, connatarum partium diviſio, vocata *Ariſtoteli 6. Top. cap. 8.* communis omnium dolorum genitrix, non ea conſumnata quæ ſolutæ vnitatis nomine venit, ſed incipiens, intentata & in fieri, vt perfectam illam in facto, uti & juxta *Hippoc. 2. aph. 47.* dolores tunc oriri & perſentiri conſtat dum pus fit, non autem eo confecto, ſiquidem major longe efficacia eſt cauſæ triſtem inferendi ſenſum quæ diſtendit partes, & rupturam minatur, quam quæ hanc ipſo actu inducit.

Prius autem quam definiamus quæ cauſa mediata propinquior ſit, ex pathologicis ſupponemus 1. In omni dolore eſſe veluti ſpinam infixam, ſeu circulationem ſanguinis impeditam, quo facto: continuata nihilominus perpetua pulſione, neceſſum eſt fieri ῥευματισμὸν, ſeu influxum confertim & cum impetu, vnde dolor, calor, tumor, variantibus his

ipſis pro agentis humoris & patientis membri circumſtantiis.

II. Serum natura ſua blandum, roſcidum & dulcem humorem eſſe, qui ſibi relictus, tantum abeſt ut affligat, vel triſti ſenſu mactet, vt potius partes, quas continuo alluit, ſuaviter afficiat.

III. In Hypochondriacis vero & ſcorbuticis, aliiſque, inquinari illud ipſum ſalinis, acidis, tartareis, improportionatis atomis, quæ vel fluidæ hinc inde fluctvant congeſtæ, vel in coagulum faceſcunt, vel ſaltem *στάσιν* pariuntur & inducunt, poris membranularum inæqualiter illabando.

IV. Omnem dolorem materialiter à ſalibus eſſe, rodentibus, findentibus, lancinantibus, quando vel non dilata temperantur, vel δυσχωρίαν patiuntur, prædominium nacta.

V. Illi parti potiſſimum infigi ſpicula, & labem affricari, quæ vel ab externa injuria, vel aliunde, nativa, vel adſcititia gaudet debilitate fibrularum nervearum, vnde excipere quidem allabentes ſuccos, non vero dimittere nec reſiſtere æque valet.

VI. Salium evolutionem ἀθρόον fieri inchoative in culinis viſcerum infimi ventris; continuatione vero facta in reliquis locis, vbi filtrari & tranſire ſolent humores idque tum ratione objecti, ſi abundent in aſſumptis acuentia ſenſim ſenſimque ſerum, tum culpa efficientis; ſi deturpatis fermentis privatis ex bono cibo pravus chylus, ſanguis & ſerum naſcitur. *Wedelius.*

Signa & ſymptomata.

172. *Dolore, qui quidem vehementiſſimus, eſt &c.)* Ex allatis cauſis enatus affectus ſequentia producere ſolet ſymptomata, 1. *Dolorem profundum* nonnullis Lumborum, ob partem ejuſdem conditionis *inſignem* ob exquiſiti ſenſus ſubjectum, *Continuum* adhuc ob vires materiæ peccantis.

2. Dolor nonnunquam *verſus inguina* frequentius verſus os femoris protenſus, partim ob nervorum lumbarium decurſum, partim eorundem concurſum ad articulationem toto corpore inſigniorem præſtandam, vnde affectæ ibidem ſentiuntur potiſſimum partes ſenſiles.

3. *Ardor femoris* aliquando ſentitur à materia morbifica per arterias in partes haſce ſenſiles confertim illabente.

4. *Triſtis ſenſus ad genu, ſuram & extima pedis productus,* diffuſæ in ſubjectas vicinas partes ſalinæ morbificæ cauſæ debetur.

5. *Motus impotentia*, impeditæ articulationi tum lumborum tum imprimis oſſis femoris imputanda, ſimulac enim motus animalis imperatur, diſtenſionem majorem exacerbatio fit doloris, cum ob tumorem latentem nonniſi doloroſa fit motitatio.

6. *Verſus ſuperiora nonnunquam* in humerum & brachium ipſum diſſeminat dolorem materia illac delata & tranſſumpta.

7. *Nullus rubor & tumor adeſt externe* ob profundiorem mali decubitum.

8. *Torpor labantia genua* & manus occupat à doloribus hactenus (diu) perceptis, vigore partium læſo.

9. *Accenſis dolorum facibus extrema nonnunquam frigent*, ob recurſum ſanguinis & caloris verſus ſuum centrum.

10. *Criſpantur venæ ac tumeſcunt*, à turgentibus in iiſdem & efferatis ſalibus.

11. *Vagus æſtus tum totius corporis, tum laborantium præſertim partium*, à ſanguine & ſero intemperatis & vitioſe rarefactis oritur.

12. *Somni defectus*, tum ob inquietatos ſpiritus animales, importuno etiam tempore pandentes cerebri poros, tum ob lympham quoque minus blandam.

13. *Appetitus mediocris*, ob conſenſum dolorificum, minus vrgente eſu, conſtantibus tamen ſic ſatis adhuc calore & menſtruo, coctionis præſidibus. *Wedelius Diſput. de Ægro dolore Iſchiad. laborante.*

173. *Tum nervorum qui à lumbis & oſſe ſacro, &c.)* *Hippocrates lib. de Affect. ſect. 2. v. 25.* ait, *coxendicis morbus quum fit, dolor corripit coxæ juncturam, & ſummas nates ac coxindicem. Tandem vero etiam per totum crus dolor vagatur, &c. Morbus hic fit quum bilis & pituita in ſanguifluam venam incubuerint, aut ex alio morbo, aut aliter, quantumcunque ſanguinis, à pituita & bile compactum ægrotanti. Hic enim per crus vagatur per ſanguifluam venam. & vbicunque conſtiterit, ibi etiam dolor fit manifeſtus maxime, moleſtus quidem ſed non lethalis, &c.*

Hoc manifeſtum in quanto errore verſentur ii qui doloris extenſionem in hoc morbo ad *nervos* referunt, qui à ſpinali medulla juxta coxendicem à ſummis natibus per femur & crus totum ac pedes diſſeminantur. Certum enim eſt hanc doloris extenſionem per ſolam irradiationem, abſque materiæ concurſu ad partem dolentem minime fieri; alioqui dolores nervoſarum partium ſemper communicarentur omnibus partibus ad quas communicantur nervi. Nec eſt veriſimile materiam doloris per nervos denſiſſimos ferri ad partem adeo remotam in qua dolor excitatur, quia id abſque convulſione non contingeret. Aſſentiendum igitur *Hippocrati* aſſerenti materiam doloris per venas ſanguifluas ferri ad partes in quibus excitatur dolor, quas quidem *ſanguifluas* vocat, ad differentiam arteriarum, quas eodem nomine appellari conſuevit antiquitas.

Quam quidem *Hippocratis* ſententiam cognovi veriſſimam per ea quæ obſervavi in Cæmentario quodam, hoc morbo laborante; qui cum à vehementia doloris afficiebatur, (idque per quoſdam paroxyſmos contingebat) venæ omnes per exteriorem partem læſæ coxæ & cruris diſſeminatæ, mirum in modum intumeſcebant, remiſſoque dolore ſubſiſtebant ſtatim, nec earum apparebat veſtigium; In hic igitur conſiſtit eſſentia veri coxendici morbi, quia dolor vagus per crus totum, modo huc, modo illuc conſiſtit, fitque à materia per venam coxatiam diſcurrente. *Proſper Martianus comm. in c. l. p. 169.*

174. *Curari difficillime)* Dolor cum caliditate conjunctus eſt acerbior, cum frigiditate vero diuturnior. *Fr. Joel.*

Prognoſis doloris Iſchiadici hoc habet peculiare quod diu perſeverans coxæ luxationem infert: humor enim ſeroſus & pituitoſus in articuli cavitatem, quæ ampliſſima eſt, ſeſe inſinuat, & ſi diu in ea immoretur, pars illius tenuior diſcutitur craſſiori remanente, quæ mucoſa redditur, & ligamenta articuli oſſa connexentia emollit ac relaxat, vt os coxæ ex alveo ſuo excidat, inde luxatio contingit, ex qua etiam claudicatio ſequitur, & cruris totius tabes atque atrophia, quia os è ſede ſua elapſum muſculos, venas & arterias comprimit, vnde motus impeditur & ſanguis ac ſpiritus in partes inferiores commode fluere non poſſunt; Prædictam doctrinam confirmant duo *aphor.* nempe 59. 6. *Quibus diuturno coxendicum dolore infeſtatis coxa excidit, rurſumque incidit, iis mucores ſuperveniunt*, Et aphoriſm. 60. ſequ. *Quibus diuturno coxendicum dolore infeſtatis coxa excidit, iis crus contabeſcit & claudicant niſi vrantur.* Riverius.

Eventus

Eventus ratione, Hippocraticum verum eſt effatum quod morbus hic ſit ἐπίπονος, θανατώδης δὲ οὔ, moleſtus ſed non lethalis, moleſtum ſanè eſt malū quod & dolorum continuatione & vigiliis, aliiſq; ſymptomatibus ſatis fatigare ſolet ægros: Prognoſticum tamen generale arthritidem & podagram non tam eſſe ex numero morborum necantium quam torquentium, etiam affectui huic quadrat, quandoquidem ex ipſis ſanguinis undis, naturæ quodam robore ad membra ignabiliora materia vitioſa pellitur; Inprimis cum latius diffundatur, non uno iſchii articulo, fixo dolore contentus, non adeo affligat, ut decumbat, æger, vel vires ſint debiliores, nec coxas & lumbos ſolum obſideat, ſed infernas partes vergat magis quam verſus ſuperiora, confitendum eſt facilius eundem tolli poſſe; Monendus tamen æger facile redire poſſe malum, præſertim annuis ſolennioribus revolutionibus, vere vel autumno, unde mature tunc antevertendo malo operam impendat.

Durationem, ſeu *tempus eventus*, breve determinare ipſa morbi indoles vetat, ad chronicarum enim claſſem pertinet. *Modum eventus* deſignamus διάλυσιν, ſeu reſolutionem, materia peccante attenuata, & partim per inſenſibilem tranſpirationem, partim per ſudorem, urinam eliminata.

Poſſibile etiam eſt ſuccedere, quod nonnunquam fieri aſſolet, calculum, ad renes ablegato & concreſcente humore tartareo: quo metu liberabitur æger ſi materiale illud calculi probe diſſolvatur, ejuſque generatio uberior prohibeatur, Neque ex circumſtantiis adductis timendum eſt ne claudus fiat æger, quod iſchiadico affectu (*qui coxendicem ſolum afficit*) laborantibus non inſolitum eſt. *Wedelius Diſput. de Ægro Iſchiadico.*

175. *Loci*) In *lumbos* nonnunquam decurrit materia, ſuntque *pars recipiens*, Cur vero huc potiſſimum regiam ſuam cauſa morbifica ſtabiliat, diſquirendum, Nominari poſſunt decubitus cœco ductu factus: Debilitas partium, à ſeminali idea impreſſa; inprimis quod partes illæ, ob craſſius oſſium vallum minus ſin poroſæ & tranſpirabiles, adeoque facilius ibidem conſiſtat humor, & circuitus impediatur, Accedit in quibuſdam vita ſedentaria, Veneris frequentatio, externum frigus: Adde quod in adultis facile poſſunt lapſu, ſaltu, aliiſque aberrationibus motus partes ſuſcipere promptiorem morbi admiſſionem. *Wedelius.*

175. *Propter loci*) Os Ilium & Coxæ, & Pubis, idem os eſt, vero prægrande, & quod tribus in partibus tria nomina accipere poſſit; Hoc os coarticulatur cum Femore, atque ita in eo volvuntur crura: Coaleſcens cum oſſe ſacro & dictam magnitudinem, figuram & poſitum habens, ſimul cum oſſe coccygis munit, & commodum locum parat pudendis & podici Nam Pudenda erumpunt inter os pubis & internos illos proceſſus coxæ, Et Podex inter hos proceſſus & os coccygis; ea per tentatur dolore & articulus ille magnus, & ipſum coxæ os, & illi hærentes carnes; Articulus quidem, quia maximus, profundiſſimuſque eſt, & aſperitatem etiam quandam habet, & interius quaſi in centro, ligamentum, quoddam quod imbibit fluxionem, quam ob magnitudinem articulus recipit: Os vero ipſum, (ut oſſa dolere poſſunt,) & caro, & reliquæ partes, quæ illi hærent, quia poſitæ ſunt in ipſo ſordium confluxu Nam per id Os & urinæ & fæcum viæ decurrunt, & genitales, & illi proximæ ſunt venæ hæmorrhoidales præter venas & arterias ſatis magnas quæ in crura deferuntur; Has ob cauſas ſolet hæc pars recipere multas variaſque fluxiones, & ab omni fluxionis genere cruciari, nunc in articulo, nunc etiam extra os, aut ad interiorem partem, verſus inguen aut ad imam ad interfemineum, aut ad poſticam ad nates; ſæpeque fluxio ipſa in pus abit &c. *Walleſius comm. in 5. Epid. p. 461.*

176. *Materia*) Cauſæ proximioris vicem ſubit, quoad eſſentiam, *Serum*, Neque aliud dicit *Synovia Paracelſi, Tr. de Podagra & Helmontii* quam ipſum ſerum, pro nutrimento ſpeciali, ut & aliarum partium γλισχρότητα ſuam expandens: Quoad *eſſendi motum* peccat *quantitate*, *qualitate* & *motu* duplici generationis & locali: Non evacuatum decenter per loca debita, poros cutis, renes, aliaque emunctoria, congeſtum plus juſto excrementitiam induit naturam, & acrius, aſperius, ſalſius, acidius redditum, accedente aliquo Scorbutico charactere, improportionatum conſtituit partibus laborantibus objectum.

Quod ſi *motum generationis* perputemus, Non à capite ἐπίῤῥοιν ſeu influxum derivare opus eſt cum Veteribus quibuſdam, qui lymphæ vaſorum ignari, quod eandem in capite copioſam invenirent, & referri inde cognoſcerent, nec raro deviare; inducti ſunt credere, & Arthritidem, & omnia adeo fluxionum genera inde velut à fonte proficiſci: Sine dubio *Pars mandans* idem membrum erit ac ſucci nutritii, nec *Via* diverſæ quam ejuſdem latores; Quid miri enim eſt partem, quæ juxta receptam regulam, dulcibus nutriri debebat, male ſe habere ſi alimentum acceſſerit peregrinum, & ibi evadat hoſticum? Neque enim opus eſt, data in maſſa ſanguinea, vel toto, quopiam peregrino, omnes æque affici partes, ſed ad unam, hanc vel illam, amandare archeum, amurcam, poſtquam ibi labefactari cœpit œconomia, & labes affricari, Arteriæ fundunt morboſum ϛαγμὰ, Venæ & lymphatica vaſa non reportant, ſed bonam relinquere partem magis magiſque fraceſcentem, & vappeſcendentem adeoque rodentem &c. *Wedelius.*

Curari difficillime.

Hippocrat. Sect. 5. lib. 2. Epid. Solutio doloris coxarum fit per oculorum diſtortiones, & cæcitatem, non quod hic ſit bonus Abſceſſus, ſed quod fieri ſoleat, etſi ſit malus: Nam & 1. *Prædict.* ita ſcriptum, *Ex lumborum recurſu oculi diſtorſio malum*, I. e. oculi diſtorſio fieri ſolet ex lumborum dolore, eſtque mala permutatio, quia ex recurſu humorum ab infernis & ignobilioribus ad ſuperna & nobiliora, à quibus ſolent, eſtque ſatius excrementa in humiliora derivari, ut ergo ex lumbis, ita ex coxa, ſolent ſucci recurrere in caput, ita faciunt oculorum diſtorſiones, ita & cæcitatem, Nam ut antea dicit *Hippocrat. ex dolore capitis ſolent ſucci in pectus hypochondria* & coxam *deſcendere*, eſtque hic bonus abſceſſus, ſi contra aſcendunt, malignus recurſus eſt; &c. *Walleſius comm. p. 201.*

176. *Materia colligi ſolita*) Materia dolorem Iſchiadicum efficiens aliquando *ſuppuratur*, & in abſceſſum convertitur, quod docuit *Hippocrat. 3. Epid.* in hiſtoria *Eupolemi*, qui talem abſceſſum paſſus eſt & ex eo tabidus interiit: Si abſceſſus aperiatur, ulcus remanet ſordidum & cacoethes, quod etiam ad tabem perducit; Eam tamen cum ulcere curatam ſæpe à ſe fuiſſe gloriatur *Zacutus obſ. 126. l. 1.* decocto *ligni S. & radicis Zarzapar.* Quæ obſervatio legenda. *Riverius.*

177. *In Curatione*) Curatio doloris Iſchiadici cum reliquarum Arthritidis ſpecierum curatione multa habet communia, in multis tamen differt propter loci affecti ſtructuram & amplitudinem, ideo à prædictis diſtinguenda fuit & ſeorſim deſcribenda. *Riverius.*

178. *Secanda vena brachii*) *Quum accidunt fluxiones in coxam venæ in auribus poſteriores aperiendæ ſunt* Hippocrates *ſect. libr. 6. Epid.* Venam ſecari poſt aurem ob Iſchiadem, & inde ſanguinem affatim educi

nunquam vidi, (*inquit Valleſius in comm.* Tamen ſcio Empiricos quoſdam Iſchiadicis omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago velut replicata, tumorem quendam habet cauterio urere, Et eorum quoſdam, ut ipſimet narrant, eſſe juvatos : Ego ejus rei cauſam eſſe ratus ſum quod multis iſchiadicis ex capite fluat materia, & ejus loci uſtione intercipiatur ; Nam *ſect. 5. lib. 1. Epid.* legimus, *Si caput doleat in pectus venit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam*, Itaque poteſt venire fluxio à capite in coxam, quod cum fiet, non erit præter rationem uſtione interceptis viis ſublevari eos dolores &c. *Saraceni* aurium ſcarificatione utuntur, quam poterit quiſpiam in hunc *Hippocratis* locum referre: Neque ſane ego ut noxiam vitupero, neque ut omnino inutilem, debilem vero eſſe dicam, ac fortaſſe illi ut mittendi ſanguinem timidiſſimi, atque adeo ut raro profuſa vacuatione indigentes ob parſimoniam, illa ſcarificatione contenti juvabantur &c. *Valleſius.*

Quod ſi per *Venas in Auribus* Hippocratem Jugulares intelligere dicas? Hæ namque illac iter inflectunt, quarum propagines ſunt venulæ aurium : Hæ certe manifeſte deplent caput, & proxime, à quo morbi coxendici cauſa fluxio deducitur : Remedii univerſalis vicem tenere recte cenſet. *Willis*, affatim enim ex illis erumpit ſanguis, & rivulo majore quam ex quavis vena corporis ſciſſa : Equis non aliæ venæ tunduntur in illorum affectibus.

Adde *Hippocrat. l. de Affect.* oriri quum bilis & pituita per *ſanguifluam venam* (αἱμόῤῥοον) incubuerint, quod epithetum eſt vaſorum amplorum & inſignium, cujuſmodi eſt vena cruralis: At nequaquam proportione illi reſpondent venæ circa aures, inſufficienſque præſidium fluxioni avertendæ, niſi de Jugularibus intelligas, quarum apertio juvare poteſt quatenus imminuit maſſam ſanguineam, non quatenus influxum in venam cruralem intercipit; hoc enim ſanguinis circulationi repugnat.

[178]. *Secanda vena brachii &c.*) Primo præmiſſo clyſtere, aut levi pharmaco, vena brachii ejuſdem lateris aperiẽda eſt ad revellendum, poſtea vero ad derivandum ſecari debet in poplite, aut juxta malleolum exteriorẽ illa vena, quæ ob inſignem utilitatem quam affert in hoc affectu Iſchiadica nominatur, quæ & ſæpe ſola ſecta hunc affectum ſanat; In crure dolente ſecari ſolet, licet & in ſano apertam admodum profuiſſe ſubitoque omnem dolorem ſuſtuliſſe viſum fuerit: *Galenus l. de v. ſ. c. 18. Memini*, inquit, *me Iſchiadas uno die facta ex cruribus evacuatione curaſſe, nempe ubi non ex frigore ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt, venis proveniſſent, quare ſecta ex poplite vena illis commodior eſt quam in malleolo.*

Ex Hæmorrhoidibus etiam ſanguis per hirudines eductus mirum in modum Iſchiadicis opitulatur, quod ſanguis in coxendicum venis contentus educatur ; harum enim partium maximus eſt per venas conſenſus. *Riverius. Recchius.*

In crure dolente vena ſecari ſolet, licet & in ſano hoc tentatum admodum profuiſſe, ſubitoque omnem dolorem ſuſtuliſſe experientia comperimus, Adeoque hiſce in locis pedis venæ apertio convenit, ut ẽtſi non à ſanguine hic dolor ortum traxerit, tamen utilitatem aliquam afferat, omiſſa tunc ea quæ in brachio alias illi præmitti ſolet. *Platerus.*

Venam juxta nates, in lumbis patentem ad præveniendum quidam certo tempore aperiunt. *Idem.*

[178]. *Secanda vena*) Ex Chirurgia laudamus generoſum illud & magnorum morborum remedium, *Venæ ſectionem*, Obſervatum eſt per frequentiorem experientiam nec arthriticos alios, nec iſchiadicum cumprimis dolorem feliciter tolli poſſe ſine ſanguinis miſſione. Hæc enim revellit à loco affecto conſiſtentem ſanguinem, & in motum legitimum aſſerit : Hæc temperat & alterat ebullientem plus juſto ſanguinem, ut deferveſcens mitius influat; Hæc educit improportionaliter excedentem, Sic non mole tamen virtute, (ut ita loquamur) ſanguinem : Hæc fluxiliorem eundem reddendo coagulationem prohibet, & conſiſtentiam ſtabilit. *Wedelius.*

[179]. *Si dolor*(Si *dolores* urgeant, & *vigiliæ* inde productæ, illis quoque ſeorſim medela quærenda eſt, tanquam ſymptomatibus cauſæ veſtem induentibus, Hoc fine & Emulſiones & Anodyna, tum veſtem induentibus, tum per ſe data, tum cum aliis remiſcenda.

℞. *Amygd. d. ambroſ.* ℥ß. *ſem. 4. fr. maj. papav.* ãã. ℥ii.

MS. fiat l. a. cum aqua hypnotica Dorncrellii ℥iii *acacia ceraſ. nigr. chamædr. ſambuc. ana.* unc. 1. Emulſio.

Colat. adde magiſt. anodyni Rolfinc. gr. viii. *Julep. roſ.* miſce, *Wedelius.*

[180]. *Saphænam*) Compreſſionem nervi facit ſæpe vicinarum partium tumor ex plethora, & tollitur ſola *venæ ſectione* Iis quibus coxa dolet ſolet crus è regione poſitum uſque ad extremum pedem ſtupeſcere ob nervos crurum, qui omnes juxta ipſum coxæ os ab ultimis lumborum vertebris, decurrunt, præcipue vero ob ordinem quartum, qui etiam eſt poſtremus & maximus eorum qui deſcendunt à lumbis, quia cum tribus ſequentibus ſacri oſſis nervis coaleſcit ; Is enim ſimul cum arteria & vena magnis, penetrat per foramen, quod ex oſſis ilii & ſacri coarticulatione velut in hunc ſolum uſum formatum eſt : Si ergo evenit propter fluxionem coxæ dolorem inferentem aliqvid in nervum reddundare ; aut à venis & arteriis, ac carnibus etiam multitudine tumentibus comprimi, atque ob diverſum affectionis modum quendam dolorem productum per totum crus, ſecundum illius longitudinem ſentiri, Illi malo occurrendum videtur ſectione venæ in contrario crure, Quanquam niſi crus doleat, ob dolorem coxæ ſecanda eſt in eodem. *Valleſius comm. in ſ. 6. l. 6. Epid. p. 719.*

[180]. *Saphænam*) Quia inter alias in pede manifeſtatur, ſeu *malleoli*, fertur in interno cruris latere, cum nervo attenſo inter cutim & membranam carnoſam, ad genu & per tibiæ internam partem fertur ad malleolum internum : Hæc venæ *Cruralis* propago eſt, ut & *Iſchias minor*, huic appoſita, Eſt enim ramus ex crurali exterior, & brevis, fertur extrorſum & tranſverſim in coxendicis cutim, & ejus loci muſculos : Cruralis item propago eſt *Iſchias major*, partem dans ſuræ muſculis, quæ deinde in propagines abſumitur, ſingulis digitis binas tribuens, Notandum non adeo magnum venarum delectum in venarum pedis ſectione, cum omnes ex uno trunco propagentur, & ab extremis partibus arteriiſque ſanguis aſcendat, *Th. Barthol. Anat. lib. 2. c. 9.*

[181]. *Purgandum fortius*) Purgationes fortiores hic locum habent, nam leniores humores magis ad partem affectam præcipitant, Ideo conveniunt maxime Pulveres Arthritici, *Caryocoſtinum*, *Pilulæ de Hermodactylis* & ſimilia Chymici *Purgationes Mercuriales* & antimoniales in robuſtis corporibus feliciter aliquando uſurpant. *Mercurius* cum *ſcammonio*, vel aliis purgantibus exhibitus ſatis frequenter humorem Iſchiadem efficientem potenter eradicat. *Riverius.*

Pilulæ probatæ.

℞. *Pulv. chamæp.* ℥vi. *g. ammon. opopana. ana.* ℥i. *myrrhæ* ʒß. *Caſtor.* ℈i. *Euphorb.* ℈ß. *cum reſina abiegna* vel *laricea fiat maſſa.* Capiat ℥i. in dies. *Platerus.*

[182]. *Repetitis Clyſteribus*) Toto curationis decurſu iniiciendis, ut materiæ morbificæ portio ad inteſtina derivetur, Tum etiam ad doloris cauſam proximam diſcutiendam Sequens aliquando profuit.

℞. *Vini generoſi* ℔ß. *ol. nuc. & rutac.* ãã. ℥iii. *ol. terebinth.*

rebinth. unc. ß. *ms. f. Clyſter iniiciendus urgente dolore.*

Sequens humores à parte affecta potentius extrahit, propter viciniam quam habet cum inteſtinis.

℞. *Pulpæ colocynth.* ℈i. *furfur. macr. m.* j. *vini albi* ℔ß. *coqu. ad* ℔j. *ex colat f. Clyſter ſervandus per horam.* Riverius.

183. *Vomitorium*) Emetica à multis præferuntur Purgantibus per alvum, cum per locum à parte affecta remotiorem humores vitioſos evacuant.

Diaphoretica, Diuretica.

Diaphoretica mire ſolantur, digregando, & per poros, quos ſimul aperiunt, diſſipando materiam morbificam, non ſolum in articulos ſævientem, ſed in ipſo etiam totius corporis habitu, ut adeo & cauſam continentem, & antecedentem foventem reſpiciant, & ceu divina ſeri exorbitantis præſidia ſymptomatis tam præſentibus quam metuendis egregie obviam eant.

℞. *Rob. ebulini* ℨj. *antimon. diaphor. gr.* xv, *cinnabar. nativ. gr.* vi, *laudan. op. gr.* ß. *ſyr. card. ben. & ſacch. q. ſ. m. f.* Bolus.

Plurimum item auxilii *Diuretica* polliceri liquet, quæ non minus ac diaphoretica cauſam morbificam prompte aggrediuntur, aperitiva genuina, & incidendo ac reſolvendo quod minus halituoſum & diſſipabile per renes evacuando expediunt, Unde & inter ſpecifica locum apprime inveniant in utraque utraque: Nec timemus *Capivaccii* fulmẽ apud *Cratonẽ conſ.* 54. diureticis, *inquientis*, calculus inducitur & Iſchius augetur, Valet enim potius altera regula practica *Cratoniana conſ.* 352. non aliud præſtantius eſſe remedium pro podagra *adde & Iſchiade*) quam quod urinam movet & ſudores ciet.

℞. *Sem. 4. frig. maj. milii ſolis ana* ℨj. *amygd. d. excort.* ℥ß. *aqu. petroſ. alkek. chamædr. ana. q. ſ. roſac.* ℨvi. *m. f.* Emulſio.

Colat. adde magiſt. ocul. cancr. ℈ß. *ſyr. de alth. Fern. q. ſ.*

184. *Repellentibus omiſſis*) Quod metuendum ſit ne humores ad partem affectam magis promoveantur.

184. *Repellentibus omiſſis reſolventia ſunt in uſum ducenda* (Topica Repellentia in malo jam dum confirmato proſcribimus, ne æger incidat in Syllam dum charybdim vitare vult: Diſcutientibus, & articulos roborantibus rem totius committi poſſe arbitramur, quorum agmen ducat, Unguentum meum nervinum.

℞. *Magnaminat.* ℥ii. *lumbric. volat. ſpir. ſal. armon. ana.* ℨß. *ms.*

℞. *Emeth. diaph. Mynſicthi* ℥ß. *magn. de ran. Vigon. cum mercur. ana.* ℥ii. *ol. ſapon. q. ſ. MS. F. l. a. Empl.*

℞. *Empl. diaſulph. de tacamahaca ana.* ℥ß. *Vngu. arthritic. q. ſ. m. f. Empl. extende ſuper alutam.*

185. *In uſum deducenda*) Præmiſſis univerſalibus ad Topica dolorem demulcentia confugiendum erit conſiderando prius utrum calida aut frigida intemperies dolori ſit adjuncta.

Illud tamen diligenter notandum, ut neque in calidis neque in frigidis doloribus vel refrigerantia repellentiaque & poros obſtruentia imponantur, loco affecto, ſed moderate calida in frigidis, & moderate frigida in calidis doloribus, idque in morbi initio: Nam ob vehementiam doloris, ſi diu duret, & levioribus non mitigetur, nonnunquam cogimur & ad *ſtupefacientia* & ad *Cauſtica* utique progredi.

Si itaque inflammatio ſit adjuncta fomentetur locus *decocto malvæ flor. chamom. melilot. violariæ, rad. alth. & ſem. lini*, Ex quibus & balnea in doliis concinnari poſſunt: Poſt Balnea autem Fotuſque, inungatur locus affectus *Oleo vulp. roſar. & aneth.* ſingulis per ſe, aut commixtis. Aut

℞. *Ol. roſar.* ℥i. *pingu. anſer.* ℥ß. *aceti roſ. parum, m. f. Vngu.* Vel fiat *Cataplaſma ex rad. alth. coctis & tuſis, ol. roſar. Ungu. popul. q. ſ. & far. ſem. lini.*

Si *frigida intemperies* dolori ſit conjuncta, Topica imponantur quæ calefaciendi vim habent, à moderate calefacientibus auſpicando paulatim ad valentiora procedendo, *Leves dolores* præſertim *muſculorum* ſola *frictio* cum *calidis linteolis* tollere poteſt, In *gravioribus* autem doloribus *Balnea* & *Fomenta* adhibenda, In quem uſum plurimum conferunt *vinum* in quo decoqu. *radic. helenii, ebulus cum rad. gr. junip. ſabina, chamæpence, ſalvia, ruta, pulegium, & ſemina ex acervo fœni prætenſis excuſſa*: Poſt Balnea, aut Fotum inungatur locus dolens, *ol. vulp. rutac. è caſtor*, aut ex *euphorbio*, aut *ex granis junip.* Vel

℞. *Vngu. Martiat.* ℥i. *ol. vulp.* ℥ß. *ol. è gran. jun. p.* ℨi. *ol vitr.* ℈ii. *ceræ q. ſ. f. Vngu.* aut

℞. *Sapon. Veneti deraſi* ℥i. *aq. junip.* ℥ii. *in ollula ad lentum ignem diſſolvantur & ebulliant ſemper agitando; quæ ubi refrixerint pultis formam adquirunt*, Poſt Inunctionem admove ſequens Catapl.

℞. *Salv. roriſmar. chamæpenc. rutæ ana. m.* ii. *gr. junip. m. j. coque in vini q. ſ. terantur, adde far. fœnugr. lupin. ana. q. ſ. f. Catapl.* cui ne facile areſcat adde *ol. è caſtor.* pro libitu.

Aut impone ſequ. Empl.

℞. *Ol. Coſti, è piper. ana* ℥i. *gr. junip.* ℨii. *galb. ammon. bdell. in aq. junip. ſolut. ana.* ℨiii. *Ceræ q. ſ. m. f. Empl. Cui priuſquam indureſcat adde pulv. bryon.* ℥ß. *pyreth. ariſtol. rot, caſtor. ana.* ℨj. *Euph.* ℈i. *f. Empl.*

His validiora ſunt remedia quæ veſiculas excitant, Si vero non contulerint, doloreſque coxarum & ſcapularum non ſedaverint; ad Thermas ex ſulphure conſtantes, & aluminoſas, quales ſunt *Carolinæ* in valle Joachimica, Aut ad uſum *rad. chinæ* vel *ſarmenti Indici* ablegandus eſt patiens. *Fr. Joel.*

186. *Benignioribus*) Statim initio Reſolventia admovenda ſunt, primo mitiora & minus calida, ne magis humores ad partem attrahant poſtea vehementiora: *Sacculi* parari poterunt ex *ſale, milio & furfure* frixis in ſartagine cum *vino generoſo*, calide admoti: Vel efficaces ex ſolis *granis juniperi* contuſis & prædicto modo etiam in ſartagine calefactis: *Riverius.*

187. *Oleo chamomillæ &c.*) Quæ partes exteriores relaxando motum humorum ad eas conciliabunt, ut ſic internæ minus afficiantur. *Riverius.*

188. *Vnguento Dialthea*) Id partes exteriores laxat. & materiam morbificam blande diſcutit. Ideo circa initia eo inungi poterit totum crus & tibia ad extremum uſque pedem, juxta ignem luculentum. *Riverius.*

189. *Proceſſu temporis validioribus*) Admodum efficax eſt ſequens.

℞. *Ol. nucum, cui alia miſceri poſſunt* ℥vi. *fol. rec. cucumer. aſin.* vel *flammulæ*, vel *iberid.* vel *rad. cyclam rec. contuſor.* vel *ſuccor. illorum ad* ℥iii. *lumbric. diſſectorum in partes num. xx. g. ſagapen. ammon. diſſol.* ℥i. *vini malvat.* ℥ii. *aqu. vitæ* ℥i. *coqu. ad conſumptionem ſuccorum*, Cola & ſerva oleum. *Platerus.*

190. *Iberidis*) Multum laudata ab authoribus, quod hæc planta huic affectui curando ſit valde efficax. *Riverius*, Laudatiſſimum Catapl. ex rad. Iber. rec. contuſis cum q. ſ. *pingu. porcinæ*: Verum ultra 4. horas non eſt perferendum, dolorem enim excitant, ſuperficiem nonnihil exulcerant. *Fr. Joel.*

190. *Iberidis*) *Iberis* recens contuſa, vel ſub cineribus parum toſta, applicata admodum convenit; Cujus loco *cardamine, naſturtium hort* æſtatis, & *aquaticum* hyemis tempore ſumi poteſt. *Platerus.*

191. *Balneo*) *Balneum* etiam *formicarum* evocabit ac roborabit ſimul, ſive nidum ſylv. majorum incluſum ſacculo coquas in aqua, ſive addere malis plantas ſpecificas, *Wedelius.*

191. *Balneo ex radicibus &c.)* vel ſemicupio, quod ingrediatur æger, bis in die, per biduum aut triduum, In principio parari poterit Decoctum ex *ſola aqua*, poſtea in aqua & vino albo: Ex eodem aut ſimili decocto, poteſt foveri pars dolens calide frequenter. *Riverius.* Vide §. *In uſum deducenda.*)

192. *Attrahendum vel per &c.*) Quæ ſubſequuntur præſidia eam Iſchiadici doloris ſpeciem reſpiciunt quæ non late diffuſa eſt, quam præcipue ſpectat Clar. *Jonſton*, ſed ambitu coarticulationis femoris cum iſchio circumſcribitur, de qua *aphor. 59. & 60. ſect. 6.* Cujus Curationem ſic perſtringit. *Hollerius comm. in aph. 60.*

Si accidat ut dolor coxarius fuerit diuturnus & inde caput femoris excidat ſuo acetabulo, non dubitandum quod curari poſſit, idque duobus modis, Vel medicamentis articulo circumpoſitis, quæ vim habent ſiccandi quo modo multos, pueros præſertim, curavit *Galenus*, ut in genu cum propter relaxationem nervorum & ligamentorum ingreſſus non eſt ſatis firmus: Vel etiam, ferro & igni:

Primum itaque ubi fuerit repoſitus articulus imperabimus quietem; deinde admovebimus medicamenta admodum ſiccantia, quæ circumponentur, 3, Rationem vitæ valde ſiccantem inſtituemus & corpus purgabimus: At ſi contingat his medicamentis nihil effici, veniemus ad Cauterium, utemurque; maxime ſi ſit pus, ignitis ferramentis.

Sed præterea priuſquam de remediis aliquid ſtatuamus, videndum an humor iſte, ſeu mucus gignatur propter imbecillitatem partis, an aliunde confluat; Si aliunde confluat, nihil hac ratione proficiemus niſi prius conſulamus parti unde influit; Tum ergo purgamus corpus inſtituemus clyſteres acres vomitionem victus rationem reſiccantem, parti laboranti topica valde reſiccantia: Si mucus ille gignatur ob imbecillitatem partis utemur in ea maxime parte in qua eſt luxatio, Primum in femoribus ſupra genu in plexu natium, ſupra malleolas quatuor digitis in parte carnoſa, ſed tum declinabimus quantum poterimus venam ſaphænam, Præſcribemus etiam interim clyſteres acres & alia remedia; Si morbus ſit contumacior, & fluat humor è cerebro, inſtituemus ea quæ purgant, cerebrum, Id inuremus, & adhibebimus paracenteſin parti capitis poſteriori; Similiter ſi ab utero, ei prius medebimur, deinde veniemus ad partem affectam. *Hollerius.*

Quibus mucus in coxendicis articulo congeritur, iis fit vel ob partis imbecillitatem, vel quia à capite illabitur aut ab utero, Siccandum igitur totum corpus, & partes firmandæ, Hoc optime fit à proviſione habita totius corporis *decocto Zarzapar. & illius Electuarii*, quod alibi deſcribimus: *Zarza* enim una dolores potenter placat. *Heurnius comm. in aph. 59.*

193. *Per Cucurbitulas*) *Hippocrates libr. 4. Epid. ait qui cucurbitam affixit, cum in coxa dolorem haberet, huic in crus deorſum venit, & melius habuit.* Vulgares hujus temporis Medici reformidantes cucurbitarum uſum, neque jam affigentes niſi jam moribundis, & qui revocari nequaquam poſſunt, fecerunt id remedium infame, cum tamen *Hippocrat.* frequenter illo uteretur, ac fortaſſe non rarius quam V.S. nam in doloribus pleriſque, & in aliis quos ſolum vacuare ſtudium eſt, ut qui ex alto ceciderunt, Sed quid eſt quod tantopere reformidant? Ne dicunt, in partem cui affigitur, undique trahant; At vero *Hippocrat.* dicit affixa cucurbitula coxæ ad crus deorſum veniſſe & melius habuiſſe, Tam longe abeſt ut ſemper ad partem laborantem trahat, cui ſuperponitur; Quid ergo? nunquid cucurbitula inde detruſit materiam? Non certe, nam quomodo poſſet? Sed ex alto in cutem trahens ac digerens fecit ut ex expediriori articulo natura deturbaret; An parum eſt Cucurbitam ex loco affecto, qui in alto poſitus ſit in cutem trahere, niſi etiam in illum undique convocet; An non poteſt locus, qui præter naturam erat diſtentus vacuari quin tantundem aliunde recipiat? An non poſſunt partes ſubſidere? falluntur certe quam maxime, Nullum enim in omni magno dolore remedium magis præſentaneum; & ut à parte affecta in aliam ignobiliorem materia abſcedat, ſæpe cauſa eſt, ut huic evenit. *Walleſius in comm.*

193. *Per Cucurbitulas*) Ad materiam morbificam foras extrahendam, convenit Cucurbitula, in ſumma parte doloris, quæ ad os ſacrum pertinet, quater ſine ſcarificatione repetita. *Riverius,*

194. *Sanguiſugas*) Valde conferunt octo vel decem parti affixæ, quæ à *Paulo & aureliano* probantur: Et *Zacutus* ſe decem horarum ſpatio dolorem iſchiadicum ſuſtuliſſe aſſerit, qui omnibus aliis remediis auferri non poterat. *Riverius.*

195. *Emplaſtra*) Quæ in frequentiſſimo ſunt uſu & hac in re plurimum poſſunt; Si mitiora parum fuerint, ad vehementiora tranſeundum, quem ordinem in eorum formulis obſervaturi ſumus.

℞. *Picis navalis* ℥j. *ſulph. comm. ſubtiliſſ. triti* ʒiij. *maſtich.* ʒij. *terebinth.* ℥ß. *mi.*

℞. *Picis navalis* ℥j. *g. ammon. bdellii in aceto diſſolut.* āā. ℥j. *ſulphur. vivi, turbith. hermodvct.* āā. ℥ß. *caſtor.* ʒj. *terebinth. parum, Cera q. ſ. m.*

℞. *G. Ammon. & Sagap. in aceto diſſol. & denuo inſpiſſat.* āā. ℥ij. *Empl. diachyl. cum gumm.* ℥iß. *liqueſiant omnia ſimul, Deinde adde cinnabar. & æris uſti* āā. ℥j. *auripigmenti & virid. æris* āā ʒij. *f. maſſa Empl.* Si veſicæ excitentur, ponatur linteum inter partem & Empl. *Riverius.* Vide §. *In uſum deducenda.*)

196. *Initio leviora*) *Oleum ſcorpionum Matthioli* inunctum eſt valde efficax: *Aqua Balſami Guidonis* inunctione admota, Vel

℞. *Ol lumbricor. de lateribus, de terebinth.* āā. ℥ij, *ol. vulpini* ℥j. *g. ammoniaci & ſagap. aqua vitæ ſolut. ana.* ʒvi. *caſtorei pinguis* ʒiij. *euphorbii* ʒii. *Cer. q. ſ. f. Vnguent.*

Sapo durus cum *ſpiritu vini* diſſolutus optimus inunctione facta ad ignem *Oleum de lateribus* ſolum, *poſt ſex cucurbitulas parti dolenti & in ambitu* ejus admotas calide impoſitum, poſtea tegendo linteis valde calidis contumacem dolorem Iſchiadicum una die curavit. *Lacuna* comm. in *Dioſcor.* Vnguen. hoc tanquam mirabile commendat.

℞. *Succorum rad. ebuli & folior. ana.* unc. i. *olei chamom.* unc. vi. *bulliant ad ſuccorum conſumptionem, deinde adde cera q. ſ. aceti guttulas aliquot ad penetrationem, f. Vngu.*

Platerus plurimum prodeſſe teſtatur ſi *ſalvia* recens in tegulam cavam ignitam poſita, ſæpeque ne aduratur agitata, & hoc modo ſemicocta, aceto perfundatur, regulaque linteis obvoluta ſub ægri coxa ponatur, vaporque indeque excitatus recipiatur. Conducit *panis recens* è furno extractus, valde calens per medium ſectus, *aqua* vitæ irroratus & admotus, *Riverius.*

197. *Poſt validiora*) Expreſſe *Sinapiſmi*, qui ex ſinapi pulvere ſolius, vel prius cum *aceto* ſubacti; parte una cum *pulpa* ficuum *vel fermenti* part. duabus aut tribus eo nomine parantur, vel aliis etiam additis, ut *fimo columbino.* Validius hoc efficiunt *veſicam excitantia*, etiam ſupra partem appoſita: Quæ hoc præſtant ſunt *flammula, ranunculus, diaphnoides, capſicum, dracontium*, contuſa admota, veſicas excitantia, vel ipſa *urtica urens* cuti admota; Id *lac ficulneum cum farinis & aceto* ſubactum facit. *Platerus.*

197. *Poſt*

197. *Poſt validiora*) Evocant quoque *Vrticationes*; *Vnguentum de amiantho* commendat *Wurtzius part.3. capit.25.* paratum ex *alumine plumoſo reverberato & oleo.* vel unguento nervino , quod alias in Tinea, deſcriptum *à Schrodero, Bootio à Boot,* & aliis habetur pro experto : Ipſeque *pulvis amianthi* affrictus rubedinem manifeſtam inducit ob hamata ſpicula. *Wedelius Am.m. m, pag. 86.*

198. *Veſicatoria) Veſicatoria* nonnunquam ad fermentum febrile eliciendum extremis partibus adhiberi ſolita , non facile affectis afficiendiſve partibus applicanda,ne ſic malum augeatur,niſi apta ſint acrem humorem doloris cauſam ſimul elicere, de quo cum nonniſi per experientiam conſtare poſſit , verendum ne quis inexpertus hoc tentet in perſonis primariis,utpote quæ nonniſi prius experta, & quidem ſæpius experta ſibi cupiunt adhiberi, alias enim ægerrime ferunt in ſe fieri alicujus remedii aut incerti periculum. Interim nihil impedit ſanæ parti adhiberi remedia febrifuga, cum ſic non raro ſimul doloribus Arthriticis ſint futura remedio. *Fr. Sylvius.*

In dolore diuturno & valde contumaci , à materia præſertim frigida oriundo confugiunt nonnulli ad *Veſicatoria* partibus affectis admota, Eorum mentionem facit *Sennertus*, ſed quæ anodynis permiſceantur : At *Emplaſtro Veſicatorio*, quod in noſtris Officinis habetur, ſolo & impermixto *Varandeus* feliciter uſus eſt , eoque curavit magnum & contumacem tumorem genu occupantem, cum alii Medici multas purgationes & diætam ſudorificam, nec non topica permulta fruſtra uſurpaſſent. *Riverius.*

198. *Veſicatoria*) Si malum pertinaciter hæreat ad ea tranſeundum , quæ parti admota materiam morbificam evellunt. Emplaſtrum igitur veſicatorium admovendum eſt, vel ſolum, vel, ut mitius agatur, cum aliquo ex prædictis Emplaſtris, æquis partibus permixtum, ſic enim per longum tempus in parte poterit detineri, vel ſequens paretur.

℞. *Picis navalis albæ , ceræ , ana.* unc. iß. *Colophoniæ, thuris , maſtiches ana.* ʒij. *euphorb. ladani , ſulphur. vivi , opopan. ammoniac. bdell. ſagapeni ,* unc. ß. *ſtyrac. calam. benzoini ana.* ℥ij. *canthar.* ʒiij. *galangæ, caryophyll. ana.* ʒij. *ſtyr. liquid. q.ſ.f. Empl.* Riverius.

Valet ſequens Cataplaſma vel *Sinapiſmus.*

℞. *Sem. ſinapi per noctem in aceto macerat. & pulv.* ℥ij. *ficuum arid.* unc. iv. *ſtercor. columb. in vino diſſolut. & ad pultis formam cocti* unc. iij. *mell. anacard.* unc. i. *m.* Aut

℞. *Pulv. Canthar.* ʒi. *ſemin. ſtaphiſ.* ℥iß. *fermenti acerr.* ℥j. *mucilag. ſemin. pſyllij cum aceto facta q.ſ. m.f. Catapl.*

Humores elicit & veſicam ſine dolore excitat , quæ pungenda ut ichor eliciatur , Veſtigium veſicæ vel *ol. roſar.* vel mucag. ex *ſem. cydon. cum aqua roſ.* facta oblinatur.

198. *Veſicatoria*) Probatiſſima eſſe doloris iſchiadici remedia unanimis quaſi omnium Authorum eſt ſententia , & ſi ſunt ægri fruſtra aliis remediis uſi,ab hoc ſolo ſæpe repeniſſe levamen. *Wedelius.*

Frictiones.

Frictiones ſubſiſtentibus humoribus seroſis diſpellendis unice debitæ , ut ſæpe viſæ ſunt vel ſolæ mitigaſſe dolorum incendia, ita cordi merito habendæ, inſtitutæ vel ſola manu, vel ſimul nervinis litibus , ut eo promptius juvent parte una roborata. *Wedelius.*

199. *Cauterium)* In diuturno affectu *Cauſticum* tibiæ lateris dolentis materiam morbificam derivat & morbum interdum tollit : *Zecchius* admovendum eſſe vult parti tibiæ exteriori , Si vero ſuſpicio fuerit catarrhi à cerebro defluxus, alterum etiam occipiti admovendum eſt,Id enim aliquando Iſchiadicum dolorem curavit,qui nullis aliis remediis vinci poterat : *Zacutus* Cauterium *retro aures* inuſtum , quando fluxio à capite irruit miro ſucceſſu in uſum ſe vocaſſe aſſerit : Sed tum alia remedia cerebri intemperiem emendantia adjungenda. *Riverius.*

Cauteria ad præcautionem in cervicis poſteriore ſede, quem nuchum vocant, vel in brachiis adhibentur, diuque aperta ſervantur : In *curatione* vero, ut materiæ fluxus intercipiatur dum fluit, paulo ſupra locum affectum; vel quando jam fluxit, infra,cum in articulorum doloribus infra juncturas, & in Coxendico dolore, in *pedis ſura* ; vel etiam in clunibus inuruntur ; In Gonagra in poplite. *Platerus.*

199. *Cauterium*) Commendanda quoq; venit *Inuſtio actualis)* hodie denuo ſub *Moxæ* peregrinis habitæ, & ab Indis repetitæ, apud nos tamen naſcentes artemiſiæ concerptæ mollugine præſtanda : Audiamus *Hippocrat.* qui *lib. de Aff. cap 36. tit. 12.* ait, *Si in unum aliquem locum incubuerit dolor , & conſtiterit & medicamentis non fuerit exutus, urito quocunque loco fuerit dolor, urito autem lino crudo:* Non potuiſſet autem *Moxæ* tam decantatæ meliorem deſcriptionem dare ; Per *linum* autem Crudum non intelligit ſine ulla præparatione, ſed nondum in fila aptatum : Proceſſum integrum ſic deſcribit *Pr. Martianus* in *comm. pagin. 170.* Accipiatur linum crudum, & arcte conglobatum, reducatur in formam pyramidis , cujus latior in anguſtam coarctetur : Magnitudinem ſeu latitudinem baſis indicabit locus inurendus , non ignorato uſtionem aliquando latiorem fieri quam ſit baſis pyramidis : Hæc igitur in ſummitate accenſa loco inurendo apponatur, ibiq; reſideat donec tota materia ſic abſumpta , nam ignis ſerpendo ad cutem perveniens uſtionem facit , Et quod mirum videtur , fere inſenſibiliter & ſine dolore , Extincto igne *porrum* elixum imponebat *Hippocrates,* donec quod exuſtum eſt decidat , Noſtri butyrum cum caule adhibent, indeque ulcus apertum ſervetur ad libitum. *Wedelius.*

199. *Cauterium) Ad Inuſtionem nonnunquam deveniendum, ut fiat via puri in quod converſa fluxio præ illac decubuit* Sæpe fluxio ipſa in pus abit,quod niſi tempeſtive educatur, ſponte erumpens ipſa Fiſtulas eo loci facit, aut interius manens acerbius cruciat,Suppurationes quum à cute non abſunt,plurimum,facile deprehenduntur,vel ipſo chirurgi tactu,cum vero in alto latitant, majori arte opus eſt ad cognoſcendum: eas quæ in thorace,aut magno alio ventre ſuppurationes aut parte cordi vicina,neceſſario febres antecedunt, atque; quum pus conficitur creſcunt,fiuntq; horridæ, & quum rumpuntur novos rigores cient,& jam inde faciunt pro dolore pondus , atque adeo fluctuationes in converſionibus,durantq; febriculæ remiſſiores, ſed ex quibus, niſi cito liberentur tabeſcunt homines.

Verum accidunt Suppurationes quibuſdam in locis, in quibus non potes hæc expectare,Nam in brachio,aut parte longe à corde ſita,poteſt adeſſe pus in alto latens, juxta ipſum os citra febrem,non quidem erit multū,neq; ex inflammatione magna,ſed exiguum,& ex corroſione particularum juxta os, aut etiam oſſis tunicam factum: Sed & quibuſdam in partibus,inter inguina & alas fieri poteſt; ut pus lateat, cum neq; febris maxima anteceſſerit, neque ſenſus ponderis neque fluctuatio ſubſequuta ſit *Febris* quidem magna , quod etiam longe ſit pars à corde,& non ex magna aliqua inflammatione in ſuppurationem affatim abeunte proceſſerit malum , ſed ex

fluxione aliqua paulatim putreſcente & corrodente: *Fluctuatio* aut *pondus*, quod non habeat pars ventrem aut vomitum inſignem, ſed inter muſculos & perioſtium, aut hoc & oſſa interfluat, velut imbibitum partibus pus. Velut *Eupolemo 5. Epid.* factum eſt pus in coxa, inter os ipſum & perioſtium; perioſtio ipſo, ut arbitror, corroſo.

Quæ ergo ſigna in talibus expectanda ſunt? Certe febricula non poteſt abeſſe, ubicunque pus notatu dignum, quod ſectione dico, aut uſtione extrahi ſit neceſſe, collectum ſit inter inguina & alas, non ſub cute, ſed in interioribus moram faciens, Nam ubicunque ſit, aut tenet arterias aliquas magnas, aut illis proximum eſt pus, per eas autem neceſſe eſt fuligines putridas in cor tranſmitti; Quo fit ut quibus incautis interna aliqua ſuppuratio eſt, lente ignarique quid patiantur, tabeſcant, non quibuſdam febriculis, quas neque ea febres vocent ſatis certo ſciunt vulgares Medici, Et hoc quidem commune eſt omnibus internis ſuppurationibus, magis vero accidit iis quæ ſunt in ventribus, in quibus quidem dolor tunc ceſſat, quum pus erupit, & pro eo fit ſolum pondus, In iis, vero quæ juxta oſſa, aut inter ipſa carneſque proximas ſunt factæ, febris non adeo apparet, ſed quanto puris generatio magis procedit, tanto magis dolores ipſi ingraveſcunt, quia tanto magis procedit perioſtii & partium aliarum ſentientium corruptio & exeſio: Cum ergo os aliquod, aut partes illi adhærentes dolore afficiuntur, & vacuato expurgatoque corpore, & adhibitis idoneis medicamentis, quanquam reliquo corpore videatur æger habere melius, & ſecundum ipſam adeo partem juvatus, ac ſi quid tumoris carnei, aut inflammationis ſublatum ſit, dolores tamen durant, ac rurſum augentur, & corpus debilitatur, quod vel ob dictam cauſam cum febricula *fiet*, vel etiam ſine ea (ut erit pars) Ob aſſiduum dolorem merito ſuſpicabitur Chirurgus corruptionem ſubeſſe & pus, parabitque auxilia ad eam affectionem neceſſaria.

Ea porro, ut ex *Hippocrate* pluribus in locis præcipue *lib. de int. affecto* ſunt duo, uſtio & ſectio, Nam medicamenta in his ſola raro ſunt ſatis: *Uſtio* præterea eſt duplex, aut enim eſt penetrans uſque ad ipſum pus, ut ſimul ſit uſtio & ſciſſio, velut ſi cultello aut ſtylo ferreo ignito pungas, aut ſeces: Aut eſt *Inuſtio*, hoc eſt uſtio vulnerans ſuperpoſitam cutem, & cruſtam gignens non penetrans tamen: Priori uſtione, non minus quam ſectione educitur affatim pus, Inuſtione non ita, ſed ulcuſcula fiunt, ut per ea natura demittat ea quæ ad internam partem colligebantur, aut etiam quæ collecta erant paulatim trudat interna expurgans.

Proſunt etiam Inuſtiones ſiccando ac roborando partes quum ſunt humidæ ac laxæ, & intercludendo, viam fluxionibus; nimirum cicatrice durantur conſtringunturque partes; Hinc fit ut cum educere pus quod in alto eſt volumus, ſectione uti debeamus, ſi pus malignum non ſit, nec pars putredini opportuna, ſolo Inciſorio; Sin autem ſit, ferro candente, quia ignis cohibet & extirpat putreſcentiam, At vero ſolum uti debemus Inuſtione cum fluxio nondum in pus mutata ſubeſt, aut mucores adſunt, & laxitates partium, velut ligamentorum in dolore coxæ, & aliis articularibus; aut niſi forte cum ſectionem non audemus facere, etſi alioqui eam petat morbus, velut ſuppuratis intra thoracem jubet *Hippocrat. l. c.* ſectionem facere penetrantem, qua pus effluat, (nimirum id conſulens quod morbus petit) Alii tamen inuſtionibus in ſpatiis intercoſtalibus contenti ſunt, qui ſcilicet magnitudinem auxilii & difficultatem in debili jam ægro reformidant.

Huic igitur *Eupolemo* dolebat coxa, os ſcilicet coxæ, & inguen & coxæ pars anterior; Huic ſanguis detractus eſt ex talo, qui exiit valde multus craſſus & niger, Datum pharmacum elaterium, purgatuſque eſt multum, & melius habuit; Dolores autem non deſinebant, quia non pendebat malum ex ſola redundantia ſucci cujuſpiam circa eam partem, ſed ſuppuratam jam habebat & coxam, & coxarum ad ſedem commiſſuram, Juvatus autem eſt S. m. & purgatione, laxatis ſcilicet circa partem venis dolore, minui neceſſe fuit, verum cũ in parte pus maneret, neceſſe etiam cito creſcere denuo ſuccreſcente putreſcentia, & in majores etiam abire quam eſſent prius: Pus vero fiebat non juxta cutem, ſed in profundo, verſus os magis quam circa carnem, Quod quidem duplicis mali erat cauſa, & quod, dolores eſſent graviores, & quod multo magis falleret, neque cognoſceretur affectio, Ut ſane factum eſt, nam non intelligens quid mali haberet per tempus ſatis multum non magni faciebat, Tandem debilis factus, tunc intellexit curatione aliqua majori opus eſſe, & inuſtæ ſunt cruſtæ valde multæ, & illæ quidem exeuntibus eſcharis, ut in combuſtis fieri ſolet, factæ ſunt magnæ & proximæ invicem, Qua in curatione peccatum eſt 1. quia Sero eſt adhibita, quam æger præ debilitate non poſſet ferre, 2. Quod major quam pro facultatẽ adeo debilis: Nam multæ majores & propinquiores invicem factæ ſunt, non arbitror quam morbus petere, ſed quam facultas ferre poſſet, Ita factum eſt ut pus flueret multum & craſſum, morbo ſcilicet tantam curationem poſtulante, homo tamen moreretur magnitudinem ulcerum facultate præ imbecillitate non ſuſtinente, Si igitur huic adhibita fuiſſet curatio opportune antequam debilitaretur, veriſimile eſt ſervari potuiſſe, quandoquidem cœperat ſublevari evacuationibus univerſalibus, & alioqui affectio non eſt incurabilis, Atque tunc non opus fuiſſet Inuſtionibus, neque ſectionibus tam multis, Nam cum pars non admodum cæpiſſet putreſcere, neque virus malignum, ſed pus bonum eſſet, non oportebat ignito inſtrumento ſecare, ſed inciſorio ſolum, Nam ut in aphor. legitur, Ignis ſanare debet quod non poteſt ferrum & hoc quod non poteſt medicamentum; Porro cum pars nondum facta eſſet diuturnitate admodum ſinuoſa, non opus erat tam multis ulceribus, ſed ſufficiebat una aut altera ſciſſio bene fluens, ſcilicet accommodatiſſima ad expurgationem ſinus, alta aut ampla quantum oportet, & declivis, ut pus ſponte effluat, ſi fieri poteſt, Sin minus ſaltem ut minimo negotio extrahatur. *Valleſius comm. in lib. 5. Epid. pagin. 461. &c.*

De dolore Iſchiadico à Bile & Calidis humoribus,

Dolor Iſchiadicus interdum à bile & humoribus calidis generatur, qui quidem dignoſcitur cum dolor eſt acerbiſſimus & pungitivo ſimilis; exacerbationes alternis diebus ſæviores efficiuntur, habitus eſt gracilis, temperamentum bilioſum, ætas juvenilis, regio & tempeſtas calida; dolor à calefacientibus exacerbatur, morbi præceſſerunt bilioſi, victus calefaciens, exercitatio vehemens, tunc enim ad bilem & calidam intemperiẽ remedia dirigi debent. Ideo conveniunt Venæ ſectio, purgationes cholagogæ, nunc lenientes, nunc etiam vehementer purgantes, additis diagridiatis, ut materia morbifica eliciatur: julepi refrigerantes, lac, balneum, aliaque remedia in calida hepatis intemperie propoſita: Hoc perpetuo caventes, ut *Aperientia vitentur*, incraſſantia potius eligantur, qualia in catarrho calido & acri proponuntur. Dolore acerbiori exiſtente, Narcotica exhiberi poſſunt, præſertim *ſyrupus* de *papavere*, quo dolor ſedatur, & fluxio cohibetur humoris incraſſatione; At longe potentius operatur *Laudanum Opiatum ad gr.* iij. *vel* iv. exhibitum, quod etiam in *Clyſtere ex juſculo* vel *lacte* diſſolutum, præmiſſo oleo laxante dolorem ſæpe

ſæpe in momento ſanat. *Topica* erunt mitiora, *ut oleum lilior. violac. chamem. & amygd. dulc. Cataplaſmata ex lactuca, ſolano, endivia farina hordei* cum oleis prædictis, & circa declinationem *fomenta*, *linimenta*, *emplaſtra* mitiora & minus calefacientia. *Reverius.*

Dolor Iſchiadicus à ſiccitate, ubi non pauca de dolore Iſchiadico in genere.

De hoc *Hippocrates lib.* περὶ τῶν ἐνδ. παθ. Coxendicis, *ait*, dolor maxime fit in multis ex hac occaſione, ſi quis iter fecerit in Sole multo tempore, & coxendices incaluerint, & humiditas reſiccata fuerit quæ eſt in articulis præ ardore, ſimul ac ſiccata fuerit immotis articulis manet, Hoc autem mihi certum ſignum, æger enim non poteſt vertere vel movere articulos præ dolore ipſorum, & quoniam pedum digiti immoti manent: Dolet etiam plurimum lumbos & vertebras quæ ſunt obliquo modo ad coxam ſitæ & genua: Figitur etiam dolor in inguinibus multo tempore, & in coxis acutus & æſtuans, & ſi quis ipſum erigat, aut agitet, ejulat quantum poteſt præ dolore, Interdum etiam & convulſio ſuccedit, & rigor & febris: &c. Sic oportet curare eum qui propter Solem hoc morbo correptus fuerit: Corpus hujus fotu humecta, & de cibis & de potionibus, & de aliis oblatis calida & humida adminiſtra, & ea omnia elixa; utatur autem panificio, & maza molli non ſubacta: bibat autem vinum album aquoſum, corpore autem quieſcat, licet poſſit exurgere, ſed parum uno quoque die obambulet & non algeat, & modice lavet; & cum videbitur tibi bene habere, & corpore ſatis humectus eſſe, multo tepido fotu perfunde, magis autem articulum immotum; relaxat, & humectat; deinde poſtridie *granum cnidium propina &c.*

Johannes Martinus, Medicus Pariſienſis, Profeſſor Regius, & *Mariæ Mediceæ* Archiater *qui Prælectiones in prædictum librum edidit*, *Hunc Textum ſic explanat.*

§. 1. Iſchiadem *Hippocrates* duplicem agnoſcit, unam citra fluxionem, alteram cum fluxione, prima reſiccata humiditate oleoſa, quæ in ſingulis articulationibus ad faciliorem motum fit; Secunda dividitur, in tres partes, in bilioſam, pituitoſam & ſanguineam &c.

§. 2. Hic locus confirmabit idipſum de quo dubitat *Galenus ad aph. 16. l. 6.* quomodo in ſiccitatibus arthritides contingant? Nam quæ arthritis à fluxione fit, tunc contingere non poteſt niſi immoderatus, vel calor vel frigus cum ſiccitate conjungantur, Sed fieri poteſt ut conſumpto articulorum humore, inducatur partis ſiccitas, difficilis motus, dolor, quem affectum non putat *Galenus* arthritidem vere dici poſſe, Erit tamen *Hippocr.* Arthritis, ſi affectio quæ coxendici contigit à reſiccatione oleoſi humoris dicatur Iſchias.

§. 3. Demonſtrat *Hippocrates* reſiccato humore immotam partem reddi, imo etiam vel totum hominem, argumento ducto partim à doloribus, partim etiam ab eo quod ſi digiti pedum immoti, multo magis totum corpus: Quæ omnia quæ hic deſcribuntur, manifeſtum faciunt ab *Hippocrate* veram Iſchiada ſtatui in conſumptione humoris oleoſi citra ullius alterius materiæ affluxum, nam *Avicenna l. 3. fen. 21. tr. 1. c. 5.* dolorem coxendicis & Iſchiadem diſtinguit, quod ille in ſola ſtet articulatione, coxæ, hæc autem totum crus & partes vicinas ſuperiores in conſenſum trahat; Quæ eadem cum hic deſcribantur vera erit Iſchias, proindeque contra Galeni ſententiam ad *aph. 16. 3.* ſtatuetur aliqua arthritis ſine fluxione.

§. 4. Hic locus manifeſte oſtendit erraſſe *Fernelium 6. Path. c. 18.* qui non putavit Iſchiada fieri in acetabulo femoris, ſed ad ſummam natem, quoniam in ligamento proprio nullus dolor eſſe poſſet; nam hic *Hippocr.* in ipſa articulatione dolorem ſtatuit, non quod ligamentum doleat, ſed quod, ut ait *Galenus c. 2. l. 12. K. T.* poſtquam articuli cavitas repleta fuerit humore, tum nervoſæ partes, id eſt, communia ligamenta contenduntur, & hac tenſione valde dolent; Et quod dicitur de Iſchiade cum materia, hic intelligetur idem de Iſchiade quæ ſine materia eſt, ſcil. quod conſumpta ligamenti communis humiditate nativa, ipſoque ligamenti corpore ſolis æſtu concalefacto, dolor percipitur.

§. 5. Hæc eadem agnoſcit *Paulus*, ſcil. à natibus per totum crus dolorem extendi poſſet: *Aretæus* quoque l. de *Sign. &c. morb. c. 12.* tam varium hanc dolorem eſſe ſcribit, per femur, poplitem, tibiam, nates & lumbos, ut ſæpe nihil minus videatur eſſe quam Iſchias, cauſaque eſt ex *Hippocr.* Quia dolor per totum crus poteſt decerrare: *Archigenes* quoque apud *Aetium tetr. 3. ſerm. 4. c. 1.* maxime in *lumborum muſculis* Iſchiadem locat, Cauſaque eſt, quoniam muſculi pſoæ, qui dicuntur lumborum muſculi, circumagendi femoris cauſa ad trochanteres perveniunt: Sed hoc periculoſum ſit necne, diſtinctio petenda ex *Hippocr. 2. Prorrh.* qui agnoſcit diuturnam iſchiadem in ſenibus; in juvenibus vero die xl. ceſſaturam: Sed diuturnam Iſchiadem ceſſaturam: Sed diuturnam Iſchiadem duplicem facit, *unam* ſecuram, cum a lumbis deorſum dolor fertur ad inguen & crura; *alteram* periculoſam, cum à lumbis ſurſum transfertur.

§. 6. Sic *Paulus* ab inguine ad genu dolorem producit; per communicationem vaſorum: Sic *Aretæus* à poſtica femoris parte ad poplitem; Cauſaque ex Anatome petenda, Nam inter os ilium & coxendicem magnus eſt ſinus, ut ſcribit *columbus lib. 1. c. 28.* per hunc multi magni nervi ex foraminibus oſſis ſacri emergentes feruntur, & in femore in unum coeunt; atque per crus diſſeminantur, Hinc, ut ſcribit *Hippocr. l.* περὶ τῶν E. Π. ingens dolor ſentitur ad extremas nates juxta ejuſmodi ſinum; & per continuationem hujus nervi per reliquum crus protenditur.

§. 7. *Archigenes* apud *Aetium* ſcribit tum fieri ſtranguriam cum in inguinibus dolor Iſchiadicus eſt; atque id contingit propter veſicæ viciniam: Quod autem Iſchiadicus dolor in inguinibus eſſe poſſit, oſtendit femoris ad inguina luxatio: vide hiſtoriam *Eupolemi 5. Epid.* qui Iſchiadicus coxa & inguine dolebat.

§ 8. Cur hic convulſio? An tranſlatione materiæ ab articulo in nervoſum genus? minime, ſed, ut ſcribit *Archigenes* apud *Aetium*, quia dolor à coxendice ad calcaneum uſque eſt, ſi pars agitetur, convelletur æger; quia dolor nervi & muſculi commoti ſatis per ſe ad convulſionem faciendam ſatis eſt, Præſertim cum hic deſcribatur morbus ab inſolatu; & nervi non ſecus ac chordæ aprico ſole reſiccatæ facile diſtendantur.

§. 9. Imperat victum in quo ſit per ſe vis humectandi, atque id intelligitur per ὑγρὸν, itemque per coctionem, quod intelligitur per ἑφθὸν: Sed cur arbitria χλιαρὸν, i. e. calidum? Id intelligetur ex contrariorum collatione *Hippocr.* in ὑδέρῳ ab alba pituita ſcopum habet deſicandi, Id autem præſtat piſcibus elixis pridie, qui frigidi apponantur, ut igitur elixa frigida vim ſiccandi habent, ſic calida humectandi.

§. 10. Textus Græcus habet ἀδύνατος, erronee, Sed indignum *Hippocrate* ei qui à lecto ſurgere non poſſit quietem imperare, quam jam à morbo habet, Legendum ergo δυνατὸς hoc ſenſu, ut quamvis æger exſurgere poſſit, & exerceri, tamen corporis humectandi cauſa quieſcat, ſicciſſimi enim adhuc ſunt articuli.

§. 11. Cur ſi in ſiccitate morbus eſt, *Hippocrates*

purgat? Triplex eſt cauſa 1. quia ſimplex intemperies diu ſola eſſe nequit. ij. quia Sol humores aliquos attenuavit & ad fluxionem præparavit. iij. Quia tota præſcripta victus ratio humectans, aliquam morbo materiam poteſt ſuggerere. *Granum* igitur confert *Gnidium*, quoniam & bilem expurgat, à qua hic propter inſolatum metus eſt; itemque ſuccos ſeroſos, qui ex colliquatione redundant &c.

Arthritis generalis curata.

Advocatus quidam poſt varios morbos, quibus à teneris annis obnoxius, & tandem poſt dyſenteriam & Podagram in Arthritidem, plurimis articulorum locis ſimul affectis & dolentibus incideret, cujus cauſam cum illi expoſuiſſem, curationem ſequentem præſcripſi.

℞. *Hermodactyl. veri* ℥ij. *agar. rhabarb.* ana ʒj. *myrobol. citr. chebul.* ana ʒß. *rad. pentaph. ariſtol. rot.* ana ʒß. *ſpicæ, maſtiches, ſuccini,* ana ℈j. *cubebar. zinzib.* ana ℥j. *diagrid.* ℈j. *Extr. chamæpyt.* ʒj. *reſin. laric. q. ſ. Fiat maſſa Pilul. ſumat bis in ſeptimana ad* ʒß.

Multum ille ſucceſſum Pilul. prædicavit, Electuario etiam ſequ. uſus eſt.

℞. *Fol. chamædr. chamæp.* ana ℥ß. *fol. ſalviæ, beton. thymi,* ana ʒj. *ſem. hyper.* ʒii. *rad acori veri, pentaph.* ana ℥i. *ſuccini, eboris. ciner. cranii hum.* ana ℥iß. *margar.* ʒß. *mellis anthoſ.* ℥iv. *f. Electuar. capiat* ʒi. *alternis diebus, mane ſuperbibendo aquæ hyper. & chamæp.* ℥ii. *dulcorando eas cum hydromel. vero* quod malvaticum vinum refert ut ſudaret quoque altero die, quoties Pilulis præcedentibus uſus eſſet. *Fr. Platerus Obſ. l. 2. pag. 498.*

Domina quædam Arthritide univerſali laborans liberata fuit beneficio *Croci metallorum. Pet. Pachequus.*

Pharmacopœus quidam decumbebat ex doloribus articulorum, qui pedes & brachia aliaſque partes affligebant, cum tumore, inflammatione & febricula; A xx. diebus laborabat, ei novies proprio nutu ſecta fuerat vena, aliquoties etiam purgatus fuerat, Tandem meo juſſu illi exhibetur Pulvis in juſculo ex *Calomelano* ℈j. *diagrid. gr.* viij. *caryoph. n°.* j. Blande & copioſe purgatus eſt ac multo melius habuit: Deinde ſumpſit mane & ſero Julepum refrigerantem, in cujus dozi matutina infundebantur *Sennæ* ʒiij. *cum ſem. coriand.* ʒß. frigide per biduum, Poſtea ſumpſit eundem Pulverem pari ſucceſſu, & integre curatus eſt. *Laz. Riverius Obſ. 31. cent. 1.*

[200]. *Dolor dorſi*) Si à frigore externo, Vento nempe Boreali & aſpero fuerit productus, uſurpantur utiliter *ſudorifera*, quorum ope propellitur iterum, quicquid penetravit per cutis poros ab aëre & vento noxio, quodque nonnunquam ſatis diu remanet in corporis habitu. *De le Boe Sylvius prax. Med. l. 3. c. 19. §. 93.*

[201]. *Alia* eſt *Scorbutica*, quæ vaga, de qua in ſcorbuto vide.

Alia Gallica, quæ lue venerea laborantes poſt bubones non ſuppurantes, ſed repercuſſos affligit. *Oritur* à partium excrementis ſenſim ſine manifeſta defluxione collectis. *Cognoſcitur* ex tumoris carentia, dolore perioſtii, capitis, ſterni, ſcapularum; de nocte, maximè, flante Auſtro, modico calore lecti commotâ materiâ ex acerbatione. [202]. Antipodagricis admiſcenda in *Curatione* antivenerea.

Alia eſt *Nodoſa*, [203]. in qua nodi & tophi in articulis excreſcunt. *Oritur*, & à victu nimio, craſſorumque & crudorum humorum copia. 2. à præaſſatis humoribus, à validis ſiccantibus, 3. à nimio Narcoticorum & diſcutientium uſu, per quæ fit, ut tenues partes exhalent, craſſæ indureſcant. Eſt [204]. vel *Inveterata*, quæ incurabilis, in ſenibus inprimis. *Vel non admodum inveterata*, qualem Spigelius in ætate juvenili & conſiſtente curatam vidit. [205]. In *Curatione* I. *Evacuandum*, *Hermodactyl.* & *Electuario Caryocoſtino* &c. II. [206]. *Reſolvendum*, & *emolliendum*, [207]. habentque hic locum, *Pedes ſuilli* in mucilaginem decocti cum veteris caſei part. ij. & ana naſturtii. *Cataplaſma* ex *Caſei veteris & acris* unc. iij. vel q. v. intinctæ in juris carnis ſuillæ ſalſæ ſ. q. in mortario ſubacti paratum. *Emplaſtrum* Hartmanni ex *vitriolo Romano*, *alumine Rochæ* & *ſale* calcinatis, cum *farina hordei & fæcibus vini* paratum & appoſitum cum pauxillo *gummi Guajaci*. [208]. *Liquor* ex *limacibus* cum *ſale* & *ſemine ebuli*, facto ſtrato ſuper ſtratum quinquies, manicæ Hippocraticæ inditis, in cella vinaria defluens, poſt ſoli expoſitus & inunctus. *Succus* ex *radic. bryoniæ nigræ* excavatâ, *Mercurio ſublimato* impleta, & in cella ad dies decem repoſita expreſſus, illitus: quo exareſcente, locus linimento ex ol. chamom. deſtill. dr. ij. ceræ unc. ſ. adipis ſtruthiocameli unc. ij. liquefactis parato, inungi debet. III. [209]. *Aperienda cutis* & *attrahendum*, de quibus [210]. conſule Hartmannum.

IV. Ab *acceſſionibus*.

[211]. Alia eſt *ſtata* quæ ſtatis temporibus recurrit, periodoſque ſervat. Ingruente paroxyſmo mittendi in lixivium, ut ſupra diximus, pedes &c.

Alia eſt *vaga*, quæ certas periodos non obſervat, & [212]. nunc has nunc illas partes exagitat. Et ad hanc referri poteſt, *Dolor partium externarum vagus*, qui non ſolum articulos, ſed medios etiam artus & omnem externum corporis habitum invadere ſolet, exaſperari verò circa horam ſecundam matutinam, quando nempe primâ concoctione abſoluta, peccans materia, tepore lecti calefacta movetur: & poſtquam per unam plus minuſve horam ſæviit, ſponte remittit, relicto formicationis ſenſu, quia tenuior fluxus ſenſim evaporat. In *Curatione* 1. præcavendus ſeri proventus, 2. quod influxit diſcutiendum *Thermis & ſudoribus*, ligno inprimis *Saſſafras* vel *Guajaci*. Vide Horſtium in obſervationibus.

[201]. *Alia eſt Scorbutica*) Hic affectus idem plane eſt cum eo quem *Weſtphali*, *Friſii*, Geldri, item & Hollandi, apud quos ſæpe vidi, *de Varen*, vel *lopen de Varen* appellant, Se prodit cum vagis doloribus in omnibus corporis membris valde cruciantibus, potiſſimum in dorſo & lumbis: Doloris ſpeciem ſtatuunt

ipſi

ipſi ægri exedentem corrodentemque, qui vermiculum, muſculos & alias partes ſubito, nonnunquam momento variis ſimul locis permeantem depaſcentemque arguere videtur: Ejus cauſa propria & proxima eſt tartarus ſcorbuticus reſolutus, & cum fluxili materia humorum, ſingulari proprietate nervoſum ac muſculoſum genus petente permixtus: Curatur hic morbus in Weſtphalia per *lumbricos*, ejus alexipharmacum à *Wiero* tantopere decantatum, hoc modo.

℞. *Lumbricos in mortario contuſos cum* ij. *cochlearibus vini, expreſſos, his addatur dimidia vini menſura, ſumantur cochlearia tria mane, meridie & veſperi.*

Medicus Campenſis apud *Foreſtum*, præmiſſa conveniente evacuatione hanc potionem proponit.

℞. *Rad. ſucciſæ* ℥i. *ariſtol. rot.* ʒiij. *fol. ſalviæ, beton. abrotan. rutæ, vincæ pervincæ, Sabinæ* ãã. *p.* j. *coqu. in aqu fluviat. ad medias, cum hujus decocti* ℥iv. *trajiciantur lumbrici terr. circulis in collo inſigniti, vino abluti & triti n°.* v. *deinde admiſce theriacæ,* ℥ß *pulv. cinnam* ʒi. *ſacch. q. v. exhibe mane calide ad ſudorem per aliquot dies.*

Quidam etiam *talpæ adustæ cinerem* in hoc affectu exhibent cum vino aut cereviſia, qui tartareas quidem collectiones prompte diſſolvere poteſt: qua ratione *Geſnerus* etiam *cinerem talparum cum melle ſubactum ſtrumis* convenire ſtatuit. *Henricus Petræus & Gregorius Horſtius Obſ. 8. lib. 8.*

In hoc affectu *aqua lumbricorum* Magiſtralis in Pharmacopœa Londinenſi preſcripta egregiè convenit, quin *Spiritum & ſalem C.C. ſpiritum ſanguinis, flor. ſal. armon.* cum bono ſucceſſu ſæpiùs adhibui; porrò *pulveres teſtaces*, ſcilicet *oculi cancror. corall, margarit.* & *Vegetabilia*, quæ arthritidis antidota feruntur, ut rad. *ariſtol.* fol. *chamepyth. Chamedr.* & ſimilia antiſcorbuticis conjuncta, morbi hujus ſanationi conducunt.

Inter externa *ol. lumbric. ranar. & buſon.* non rarò ſunt proficua.

Accepi à viro inſigni huic morbo obnoxio, quod aqua è contentis ventriculo bovis nuper mactati exemptis per diſtillationem elicita, levamen certiſſimè adferret, ſi ei petiæ calidæ intingantur, atque pro fotu applicentur. *Thomas Willis*, tractatu de ſcorbuto.

202. *Antipodagricis admiſcenda)* Empirici rationale hoc remedium introduxerunt.

℞. *Ovorum vitellos coctione induratos & diſſolutos n°.* xl. *cum pyrethri in pulverem redacti* ʒvi. *contundito, & per retortam deſtillato lento primum igne; poſtea vehementiori: Liquorem qui fluxerit cum* ℥i. *caſtorei & ℥ß. thuris albi commiſceto adjectus hermodactyl.* ʒvj. *& ut ante deſtillato; tertio liquorem cum facibus ſuis ſubigito, & lauri baccis adjicito ac deſtillato*, Si ſæpius id feceris, oleum elicies in diſcutiendis morbi hujus doloribus nulli remedio conferendum: Cuidam qui in tibia dolorem ex hac lue habebat, cum nullo modo curari poſſet (*Amatus cent. 3. cur. 72.*) *theriacam* veterem appoſuit, & dolor evanuit, ut mus conſpecto fele. *Pet. Foreſtus ſchol. ad Obſ. 23. l. 12.*

Plura vide cap. de lue Venereâ.

203. *In quanodi & tophi in articulis excreſcunt.)* Articulos nodis obſitos eleganter depingit *Hieronymus Gabucinus*, Tum articuli, *inquit*, tumentes inflantur, ac deinde dureſcunt, ut in lapidoſam tranſeant qualitatem, Nigriores etiam atque contorti fiunt, ut in obliquas partes digiti vertantur, aut reflexi ſupinentur, aut vicinis affixi incumbant; & aliquando humore purulento, vel muculento, vitreoque collecto aut viſcoſo generant poros, qui in tophos lapidoſos coaleſcant, quoque articulos ſolvant, cutemque diſtendant atque erumpentes promineant, chirurgiaque detrahantur & rurſum enaſcantur.

204. *Vel inveterata)* In Arthritide nodoſa jam facta longe facilius eſt conſilium dare quam conſulta exequi ipſe optime ſcio, &c. An aliquo modo poſſint diſſolvi Tophi, & quibus medicamentis, cum maxime curationi obſtare videantur, magnam hæc difficultatem habent: Quidam magnæ eruditionis & authoritatis viri exiſtimant, atque ſic præſcribunt, poſſe ſolvi tophos, ſi *caſeus putridus, cum jure in quo ſuila perna cocta* fuerit imponatur: *Julius ſcaliger* pulverem *piperis uſti* addit, Quidam *Coccognidium* cum *myrrha & aceto* tritum adhibent ut rumpant emollita: hæc experiri minime laborioſum: Sed inter optima remedia & tutiſſima, quæ partes etiam affectas roborant, & calorem innatum fovent hoc ponendum, & diligenter ſingulis annis, cum amplius fieri nequeat uſurpandum, videlicet ut tempore vindemiæ immergantur pedes atque manus affectæ *Vinaceis* &c. *Joh. Crato Conſ. 34. lib. 7.* Vide §. *Vinaceis*, Ex *Solenandro*, è quo deſumpta videntur, quæ de eorum uſu habet. *Crato.*

Tentari tamen reſolutio iis poteſt medicamentis quæ emolliendi & modicè digerendi habent vim; Talia ſunt *medulla cervi, vituli, Emplaſtra emollientia, axungia humana*: Εὐπόριστον notiſſimum paratur ex *caſeo veteri acerrimo diſſoluto in jure in quo petaſo, vel ſuilla caro cocta ſit ad conſiſtentiam cataplaſmatis:* Hoc quamvis inſignites ſit fœtidum, cutaneas tamen partes intra paucas horas emollit, & glutinoſum illum ſuccum, qui extractus, & aëri expoſitus ſtatim calcem mentitur, ad exitum diſponit, imo coagulatum tartarum, ut gypſi aut cretæ inſtar eximi queat, cutim alias tenuem excedit & aperit. *Rolfinkius.*

205. *In curatione 1. Evacuandum)* Podagricorum Nodi, qui circa internodia digitorum pedis vel manus, nonnunquam etiam aliis in locis excreſcunt, ægre rurſum diſſipantur, ſed plerumque vel aperti humorem aliquem vel tophos proferunt; vel alioquin indurati fiximanent prominentque, & articulum figentes, ut digiti recti vel curvi maneant, cauſam præbent: Ut tamen ſi fieri poteſt incrementum ipſorum prohibeatur, vel diſſipentur aut citius matureſcant primum curatio ipſi Podagræ erit accommodanda, quæ hiſce cauſam præbuit, corpus evacuando, exhibendo antipodagrica, quæ adeo operari dicuntur, ut ſi per menſes aliquot, vel etiam toto anno avellanæ quantitate ſumantur, etiam nodos podagricorum diſſolvant, Quod & ſequens ſic uſurpatum efficere docetur.

℞. *Hyper. chamædr. chamæpit.* ãã. ʒvi. *ſumm. centaur. minor.* ℥ß. *rad. ariſtol. rot. phu, mei, hermodactyl. agar.* ãã. ʒiij. *rad. gentian. petroſel.* ãã. ʒii. *ſpic. nardi* ʒi. *pulveriſata* optime excipiantur *melle* f. Electuarium. *Platerus.*

206. *Reſolvendum & emolliendum)* Nodi difficilius imo rarius curantur, niſi ad ſuppurationem prius deducantur, Si tamen innoteſcerent medicamenta calculos ſolventia, ſperarem fore ut facilius nodi quoque Podagricorum curari poſſent: mihi autem nondum licuit tam eſſe fortunatum ut tale medicamentum offenderem. *Fr. Sylvius.*

207. *Habentque hic locum)* In principio quando primum excitantur Tophi, diſcuti & emolliri poſſunt ſequentibus, Fomententur nodoſi articuli bis ſingulis diebus accerrimo aceto & ſale marino ſimul calefactis ſpongiaque exceptis, & tophis ſive tuberculis manuum ac pedum impoſitis, Deinde imponatur iiſdem ſequens Ceratum.

℞. *Ol. lumbric. lilior. alb. aneth.* ãã. ℥j. *vini Rhen.* ℥vi. *ranar. comm. n°.* iv. *quæ ſimul concoquantur donec caro ab oſſiculis abſcedat, deinde fortiter exprimantur; adde terebinth.* ℥i. *ceræ q. ſ. f. Cer.*

Aut fiat *Empl. ex veteri caſeo acerrimo cum pinguedine ex carne ſuilla excocta.* Aut impone *Empl. Diachyl.*

Prius autem inunge *oleo lumbric.* cui nonnihil *ol. ſulph.* admiſce, *Fr. Ioel.*

Pr.Pr.applicantur dein quæ Nodos emolliant, & quod emollitum eſt obiter digerant, vel quæ eos maturent, ſicuti etiam aliis tumoribus hæc adhiberi eo modo debere oſtendimus, è quibus multa, atque ex illis efficaciora hic quoque poſſunt competere: Inprimis vero ſequ. ut Cataplaſma hoc,

℞. *Rad. alth.* ℥ii. *rad. ireos rec.* ℥ii. *ſem. lini* ℥ß. *coqu. in vino & melle addatur parum terebinth. applica.*

Præſerrim competunt *rad. Cannab. ſylv. dipſaci*, *h. vermicular. ſenecio, cicuta, hyoſcyam.* recentia contuſa, vel prius cocta in vino vel *aceto*, addito interdum *melle* vel *oxymel.* nonnunquam & axungia: E. g.

℞. *Fol. ruta burſ. paſt.* additis *paſſul. enucleatis*, contundantur, *Bulbi capar.* & *allii* toſti, vel cocti parum, quibus *axungia gallina* &c. præſertim *taxi aut muris mont.* addi poteſt: *Poma putrida* admota: *Ammon. ſagap. galban.* diſſoluta in *aceto* acerrimo, vel *oxymel.* addito interdum *furfure* minutim cribrato, vel *ol. terebinth.* aut ſpiritu ejus rectificato.

Vt ℞. *Galb. in aceto forti ſol.* ℥ß. *viſci* ſeu *colla* emollitæ in *aceto, tereb. & cera* āā. ℥ß. *miſce.*

Stercus capr. vel caninum cum oxycrato, addita interdum *far. hordei: Nigella ſemina* & *rad. ireos pulveres* cum *cera* liquefacta: Pulvis *nuca quercus & avellan.* cum *ſapone gallico* addito *nitro.* Vel ſic.

℞. *Ochra* ℨii. *ciner. cortic ſalic. ſem. nigellæ ana* ℨi. *ſtercoris canis* ſicci ℥iß. *f. Pulvis. Excipiatur caſeo putri*, fiat paſta, cui & *gummi* in aceto liquefactum addi poteſt.

Succum capparis & *ol. nuc. Indic.* commendant *Fomenta* quoque apponuntur, & ut reliquæ applicationes melius operentur: aqua calida prius, vel alio decocto emolliente foventur. Maxime vero *Fomentis* vel *Embrochis* utimur ad tophos abſumendos & partem ſimul corroborandam, ex Decocto facto in *vino rubro, alth. malva, lapatho* &c. Ex eodem Decocto per fiſtulam, ſeu canalem ſuffitus ad locum affectum diu mane admiſſus durities diſcutit admodumque partem roborat, uti magno ſucceſſu expertum fuit. *Platerus.*

208. *Liquor ex limacibus*) Qui etiam laudatur ad dolorem ſedandum & materiam arthritidis reſolvendam, qui ſic componitur, In manicam Hippocr. conjice *Limacum integrorum m. j.* tum ſuper illos injice *ſales comm. m. j.* ſuper ſalem *ſeminis ebuli* ſubtiliſſime triti m.j. donec omnium ſigillatim quatuor vel quinque ſtrata confeceris: Manica dependeat in cella vinaria humida, & poſt paucos dies diſtillabit ex ea liquor lubricus & pinguis quem ſoli exponito per quatriduum, & locum affectum eo illine. *Riverius.*

209. *Aperienda cutis & attrahendum*) *Inciduntur* quandoque *Nodi*, & ſic aperiuntur ut materia contenta prodeat, unde vel ſubſident, vel cum medicamenta admota tunc melius in reſiduum agant; citius curantur. *Platerus.*

210. *Conſule Hartmannum*) Si, (*inquit pr. Chym. c. 280. §. 38. & 39.*) inveterata Podagra, ſeu prorſus nodoſa fuerit, non curatur niſi Chirurgia accedat potentior: Tunc hoc modo procedendum.

℞. *Mercur. ſublim.* & arſen. albi āā. q. v. miſce cum *aqua forti*, & fiat in modum pultis; deinde impoſito prius Emplaſtro *baſil. mas.* vel quopiam aliquo defenſivo, aut ſparadrapo, quod parvum medio foramen habet, pultis illius aliquid, magnitudine lentis ſupra foramen & rurſus emplaſtrum huic imponatur, ac relinquatur donec cutis bene aperta ſit, & tumor aliquis atque eſchara ſupervenerit; hanc *butyro inſulſo*, vel *oleo roſaceo* emollitam remove, & impone attractivum ſpecificum, quo nempe omnes tophos concretos in aquas reſolvat & extrahat, Tale eſt.

℞. *Litarg. auri, lap. calam ſaccini, magnet.* āā. ℥ii. pulvera *tenuiter & coque in ol. lini* ℔ß. *adde cera* ℔i. *terebint.* ℔ß. *vernicis* ℥iv. *coque iterum donec inſpiſſentur: adde opopan. ſerapin. galbani, bdell. ammon. aceto ſolut. colatorum, ad conſiſtentiam redactor.* āā. ℥iß. *Coque leniter, in fine adde maſtich. thur. myrrh. aloes hepati pulver.* āā. ℥i. *diligenter move ſpatula, malaxa & in magdaleones* redige.

211. *Alia eſt ſtata, quæ ſtatis temporibus*) Vide §. *Humor ſeroſus, ſalſus, acris* &c. ſub finem.

212. *Nunc has nunc illas*) Vaga arthritis, qualis ſcorbutica etiam eſt, ſuam ſemitam ex uno in aliud membrum dum ſumit, ſemper per ventriculum cordis utrumque iter ſuum conficit. *Rolfinkius.*

Cap. XXXIII.

De Rheumatiſmo.

1. R*Heumatiſmum* [2] ſubjungimus arthritidi [3] propter affinitatem, [4] nihilque is aliud quam *dolor vagus, acris, gravis & ἰσοτόνιος, varias corporis partes & præſertim medios artus, alternatim &* [5] *vicibus repetitis infeſtans, à ſeroſi, ſalſi, fervidiſſimi & tenuiſſimi humoris, jecoris vel lienis vitio* [6] *in vaſis cumulati decubitu exortus.*

1. *Rheumatiſmum*) Ρευματισμὸς ſpecialiter pro catarrho nonnunquam auditus, ſive humoris è capite decubitu: Interdum generatim, ac juxta vim etymi ſumitur pro materiæ undecumq; ad quamvis partem appulſu, qua ſignificatione Congeſtioni opponitur, Et tumores vel κατὰ ῥευματισμὸν, ab humore advena, vel κατὰ συνάθροισμὸν, à materia indigeſta dicuntur generari. *Menjotius Diſſert. de Rheumatiſmo.*

2. *Subjungimus Arthritidi propter affinitatem*) Vide inferius §. *Ab arthritide tum quia.*)

3. *Propter affinitatem*) Quæ tanta eſt ut vulgus medicorum, qui Rheumatiſmi naturam ignorant, eum Arthritidem univerſalem nominare ſoleant, In utroque enim affectu dolor articulorum reperitur, ſed in hoc differunt quod in arthritide ſoli articuli dolent, in Rheumatiſmo vero non ſolum articuli, ſed etiam totum corpus, media inter articulos ſpatia, muſculi nimirum, eorumque membranæ, ac præſertim perioſtia, totuſque corporis habitus, imo vero interdum corporis partes internæ, ut ventriculus, inteſtina, uterus Pulmo, rheumaticos affectus experiantur. *Riverius.*

Arthritis ſæpe audit, quamvis eſſentialiter ab illa diſtinguatur, prout cuivis facile conſtabit cui uterque morbus intimius fuerit perſpectus, unde forſan petenda eſt ratio cur tam ſicco illum pede tranſiverint ſcriptores Medici, Niſi forte arbitremur hanc morbi peciem ad reliquam malorum iliada de novo acceſſiſſe: *Sydenham Tr. de morb. acutis.*

Rheumatiſmum ſub innuere videtur *Hippocr.* aph. 74. ſect. 4. *Quibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos,*

culos, eos liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa & alba, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam fieri incipit: Si vero etiam ex naribus fluxerit ſanguis, brevi admodum ſolutio fit: Humorum enim decubitus qui ad articulos fiunt cum Rheumatiſmo quandam habet analogiam, Tum etiam idem *Hippocr.* quandam Rheumatiſmi adumbrationem proponere videtur, *2. Prorrh.* ſuppreſſæque hæmorrhagiæ illius generationem adſcribit, *Quibus circa articulos dolores fiunt & tumores, & ſolvuntur non podagrico modo, in iis comperies viſcera magna, & in urina ſubſidentiam albam* &c. poſtea addit, *Fit autem hic morbus iis quibus in pueritia & juventute ſanguis ex naribus fluere ſolitus deſiit.* Riverius.

4. *Nihilque aliud eſt*) Hic affectus morbus novus non eſt, attamen è veteribus non eſt ſufficienter deſcriptus: Illius delineatio habetur apud *Hippocratem l. de loc. in homine* & apud *Galenum 1. de diff. febr. & 1. de comp. med.* K.T. Riverius.

4. *Eſtque is nihil aliud*) *Sic deſcribit Ballonius Tract. de Rheumatiſmo*) Eſt conferta humoris ſeroſi diluvies non modo in Articulos, ſed in medios artus & externum corporis habitum irruens, verè Arthriticorum & eorum qui à lue venerea excitantur æmulos: Quem affectum committit ἰχὼρ φαῦλος καὶ μοχθηρός, quatuor humorum proprius, à fervido Hepate genitus, qui dum à robuſtis partibus in debiliores fertur, & ab iis in omnium maximè ignavas, æſtuans in venis αἱματοποιητικαῖς fluctuat, à quibus evomitur modò in hoc modò in aliud latus, improviſo inſultu, ſæpe ſine rubore aut tumore, non ſine febre tamen, perioſtium membranoſumque genus acuto dolore exercens: Prout is humor tenuis eſt & calidus, quaquaverſum pervadit & ab una parte ad aliam ſubito decubitu tranſmigrat: prout acer eſt & mordicans, affectas partes pungit & lancinat: quod ſi quoque copioſus, quaſi piſtillo tundit, δυσκινησίαν parit & partes in modicum tumorem rubrum, inæqualem, excruciantem attollit.

4. *Nihilque aliud quam dolor vagus*) Vſus obtinuit ut Rheumatiſmi nomine dolores erratici intelligantur externum corporis habitum occupantes, ab efferâ materia ultro citroque volitante: Quemadmodum populares morbi ſub eadem ſpecie plures homines peræque corripiunt, ſic in rheumatiſmo unius ſpeciei dolores: ceu privata quædam epidemia in plures hominis partes ſparſim graſſantur. *Menjotius.*

5. *Vicibus repetitis infeſtans a ſeroſis, &c.*) Moventur vagæ illæ dolorem tempeſtates à bilioſa vel ſeroſa colluvie, ex alto corporis in tertiam ejus regionem ablegata, cujus ἐρεθισμὸν cum ſingulæ partes ægre tolerent, eam confeſtim à ſe amandant, unde humor horſum verſum impellitur, nec ullibi locorum deſidet, ita ut non pauciora ſint ſupplicia quam membra, Imo ſubitanei ac incerti ejuſmodi transfluxus cauſam agnoſcimus non modo conatum naturæ, humoris γαργαλισμὸν impatienter ferentis, verum quoque indolem ex ſe volubilem ipſiuſmet humoris, qui non ſolum qualitate qua naturam proritat, acerrimus eſt, ſed etiam ſubſtantia tenuiſſimus, & temperamento vel corruptione calidiſſimus, ideoque ſpontaneo, & velut meretricio, appetitu alias aliaſve partes πολυπλανῶς affectat, nova ſemper quærens hoſpitia; quæcunque enim calore excellunt, ſimulque conſtant exilitate partium, ſunt αὐτοκίνητα καὶ εὐκίνητα, ut patet ſpirituum exemplo. *Menjotius.*

5. *A vicibus repetitis*) Quamvis modo veluti critico humores à vaſis expellantur, motus tamen eorum non eſt ita ſubitus, ſed lente & paulatim efficitur, cum nempe humores pravi & corrupti in venis fervent & ebulliunt, & poſtmodum à venis ſenſim expelluntur, ac veluti evomuntur, unde ναυσίασις venatum ſatis appoſite motus iſte appellari ſolet. *Riverius.*

6. *In vaſis cumulati decubitu exortus*) Quidam forte arbitrabuntur frequentem illam ac inordinatam dolorum παρεμπλαγὴν minimè pendere ab unius ejuſdemque humoris actuarii atque ἐναγῆτα huc & illuc deportationes; ſed vel materiæ propagationem ſubinde fieri; Vel materiam in omnibus partibus eodem tempore contineri, atque in illis ſucceſſivam, pati fermentationem: ſimiliter ac pruriginoſi mox unius mox alterius membri prurigine uruntur, non humore hinc inde traducto, ſed ſucco acri, qui ſub univerſa cute diſperſus eſt, modo hic modo illic fervente: Verumtamen, ſi daretur in rheumatiſmo materiæ morbificæ non μετάστασις ſed ἐπίγενεσις, recentes dolores priſtinis adjicerentur, ac nullo pacto ſeſe invicem, exciperent nec uno dolore naſcente alter actutum denaſceretur; tam momentanea etiam atque fugax eorundem humorum in eodem loco conſiſtentium, nunc commotio, nunc quies vix poſſibilis eſt, ita ut erroneos dolores à divagante, & quaſi omnivola materia oboriri longe probabilius videatur. *Menjotius.*

7. *Signa* ſunt [8] *dolor erraticus* qui varias corporis partes, [9] nonnunquam & articulos impetit, ita ut ab uno ad alterum migret, qui etiam eſt *acris*, quia ſalſus & ſæpe cum bile permixtus, [10] *profundus*, [11] quia nec tactu nec preſſu partium externarum exacuitur, quia internæ membranæ & perioſtia laborant, unde & oſſa quaſi contundi videntur; ſecundum longitudinem & latitudinem qui membranarum proprius, extenſus; noctu ingraveſcens, tum quia humiditate & frigiditate pori obſtruuntur, & ſic ſeroſitas adaugetur, tum quia calore lecti attenuata concitatur, admotis externis non remittens, & ſæpe ſecta in oppoſitâ parte vena ad ſanam tranſſiliens, *motus difficultas* propter gravitatis, tenſioris & ulceris in partibus affectis ſenſum, eoque major quo magis humor tenuatur, & in carnes diſpergitur [12] *horrores* & horripilationes.

13. Differt [14] à *Catarrho*, quia hujus fons eſt caput & cerebrum, humorque catarrhalis plærumque frigidus.

Ab [15] *Arthritide*, tum quia medios artus plerumque occupat; tum quia, ſi articulos, ſemper vagus eſt & à calida cauſa oritur.

An [16] à dolore ſcorbutico vago multum differat, judicandum relinquo.

7. *Signa ſunt*) Diagnoſis hujus affectus ex definitione patet, quæ tamen paulo uberius explicanda 1°. igitur partes doloribus afflictæ, nempe muſculi, eorumque membranæ & perioſtia hunc affectum à reliquis omnibus diſtinguunt: Licet enim dolores Venerei artus & internodia occupent, & maxime perioſtia, differunt tamen in eo quod non ita univerſaliter corpus univerſum infeſtant, neque ita continui ſunt, noctu tantum & parum interdiu vexantes, neque utplurimum à conſuetis officiis ægros avertunt, cum rheumatiſmus ipſos lecto perpetuo affigat, ut ſeſe vix commovere valeant; neque à miniſtris, niſi cum moleſtia

moleſtia & dolorum exacerbatione moveantur, Ac denique alia Luis Venereæ ſigna adſunt, aut præceſſerunt, ut gonorrhœa, bubones, caries pudendi &c. Alia etiam ſymptomata hunc affectum concomitantia ad illius diagnoſin plurimum conferre poſſunt, admota enim manu partibus dolentibus, caloris & acrimoniæ ſenſus percipitur, febris utplurimum adeſt, ſed & perexigua, interdum vero nulla: ſanguis qui detrahitur plane corruptus eſt, craſſus & glutinoſus, tum poſt multas phlebotomias ſero copioſo diffluit, ita tamen mutatus ut ſanguinis ſpeciem amiſerit: Poſtquam ceſſavit vel intermiſit dolor, nulla remanet imbecillitas partis ut in arthritide contingit: Purgantia & Topica ab initio uſurpata nihil proſunt, imo dolorem augent, in declinatione vero utraque ſunt proficua. *Riverius.*

7. *Signa ſunt*) A rigore atque horrore orditur tragœdiam, quos ſtatim excipiunt calor, inquietudo, ſitis, & reliqua illa infelix ſymptomatum caterva quibus ſtipantur febres, Elapſo die uno alterove (eſt & ubi citius) æger atroci dolore nunc in hoc nunc in illo artu infeſtatur, in carpis, humeris, genubus præſertim, qui locum ſubinde mutans viciſſim illos occupat, rubore quodam & tumore in parte quamprimum affecit reſiduis. Primis aliquot diebus febris & ſymptomata jam memorata raro coincidunt, Febris autem ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immanius ſæviente, materia ſcil. febrili in artus translata; quod ſatis arguit febris ipſa ſæpius recrudeſcens ob materiam morbificam ab externorum intempeſtivo uſu repercuſſam. *Sydenham obſ. in Acut. p. m. 436.*

7. *Signa ſunt*) Fit dum non tantum articuli, ut in podagra, ſed etiam ipſi muſculi & iis adjacentes partes ſūmas habent vellicationes, & dolores arthriticis ſimillimos, dū nempe ex jecoris imbecillitate copioſi, iiſq; ſeroſi generantur humores, qui primitùs ad caput aſcendunt, ac deinde totum irrigant corpus, neq; illum ob tenuitatem, humor iſte facit tumorem, neque facilè ſuppuratur, ob ineptitudinem, uti plerumq; eſt variolarū materia. Non tamen negaverim, etiam immediatè à jecore ad ambitū corporis protrudi poſſe humorem hunc ſeroſum, ſi nec capitis, nec occipitis, nec colli aut ſcapularum præceſſerit dolor; plerumq: tamen tenuitatem, primùm in caput ſublimitatur, deinde cadit in ſubjectas, partes in quibus univerſalem dolorem, eumq; vagum, excitat. *Sorbait.*

8. *Dolor erraticus*) Dolores pro materiæ qualitate modo leviores involant in exteriora membra, modo acutiores, ita ut ægri à ſubjectis ſtragulis, & in ſtratis veſtimentis non impune tangantur, *ἐν στρώματι καὶ ἱματίοισιν ὀδυνώδεες, inquit Hippocrates 3. Prorrh. 16.* Eo autem crebrior rariorve eſt dolorum alternatio, quo humor propter majorem minoremve tenuitatem irrequietior tranquillior ve fuerit. *Menjotius.*

9. *Nonnunquam & articulos impetit) Partes corporis membranoſæ afficiuntur, ſed* Articuli præterea non raro & infeſtari ſolent Rheumatiſmo Arthritidem mentiente: *Menjotius.*

10. *Profundus*) Situm dolorum quod attinet, hi ſæpe ſæpius ſublimes ſunt; rarenter profundi atque ἰστοκόποι, quoniam materia λεπτομερὴς perioſtio vix adhæreſcit, ſed corporis ſuperficiem appetit, pariter ac in febris tertianæ rigoribus oſſei cruciatus abſunt, qui in horroribus quartanariis, ob materiæ in imo deliteſcentis παχυμερείᾳ ſæpiſſime torquent. *Menjotius.*

11. *Quia nec tactu nec preſſu &c.*) Imo dolores plerumque ſunt ſublimes & ſuperficie tenus, ita ut ægri vix ſuperpoſita ſtragula tolerare queant.

12. *Horrores & horripilationes*) Cauſa Rheumatiſmi, ulceroſæ laſſitudinis, & rigoris, tametſi cognata ſit, adeo ut hi tres affectus perſæpe conſocientur, differt tamen quod ulceroſæ laſſitudinis materiæ immota perſtet membris pertinaciter adſtricta, humor vero οἰκίσιμος, circa particulam cui adhæret, agitetur quidem, ſed ſedem non mutet, neque inde alio tranſmigret, hinc enim fit ut concutiantur partes ob objecti laceſſentis ac immorantis excuſſionem; quod non contingit in Rheumatiſmo, cujus humores palantes, vel potius diſcurrentes acriter, ſed non diu unamquamque partē fodicant. *Menjotius* Vide §. *Alius cum febre.*)

13. *Differt*) Morbus hic quoties à febre ſejungitur, *Arthritis* ſæpè audit, quamvis eſſentialiter ab illâ diſtinguatur, prout cuilibet facilè conſtabit, cui uterq; morbus intimiùs fuerit perſpectus; unde forſan petenda ratio, cur tam Sicco illum pede tranſiverint Medici: Niſi fortè arbitremur, hanc morbi ſpeciem ad reliquam malorum Ibiada de nouo acceſſiſſe. *Sydenham.*

13. *Differt*) Differt Rheumatiſmus ab arthritide, in eo quòd cū illo fere ſēper febris jungatur, cum hac vel nunquam vel rariſſimè, niſi ſolùm cùm primùm artus adoritur, Præterea cùm in *Rheumatiſmo* dolor deſinit, partes ad motum faciles remanent, ſecus in *Arthritide* quæ poſtquam deſierit, articulos deſerit tam graviter affectos atque imbecilles, ut ægrè motum ferant. Raró denique *Rheumatiſmus* repetit; at verò *Arthritis* nedum per certa tempora redit, ſed hos invehit paroxyſmos ſubinde atrociores. *Tozzi.*

14. *Differt à Catarrho*) Ex allatis planum eſt eos hallucinari qui hanc paſſionem catarrhis adſcribunt, Nam ſicut aqua è fluminis alveo in proximos campos exundans pluvia dici non debet, quippe quam de cœlo cadere neceſſe ſit, ita in corpore humano humorum è venarum rivis effuſio catarrhi nomen non meretur, quod hujus materia ad imbris modum è capite neceſſario defluat; Adde quod in univerſali catarrho membrorum dolores conſtantes permaneant, vel ſaltem ſuperne deorſum devolvantur; non ſint vero ἄτακτοι καὶ πεπλανημένοι, nec φορὰν habeant inferne ſurſum, aut è latere ad latus ſaliant. *Menjotius.*

Licet catarrhus Rheumatis nomine donetur apud Græcos, differt tamen ab eo Rheumatiſmus, qui in genere quidem fluxionis eſt, ſed alterius naturæ ab ea fluxione quæ vulgo catarrhus nominatur, qui quidem à cerebro tantum exoritur, & unam aut alteram ſolum partem infeſtat, cum Rheumatiſmus ab internis viſceribus, tum venis & arteriis procedat, & in corpus univerſum effundatur. *Riverius.*

14. *Differt a Catarrho &c. Ab arthritide*) A vulgo Catarrhi nomine donatur; etiam minus periti Medici hoc genus morbi ignorant propter inſolentiam & quia ab antiquis pleriſque eſt prætermiſſus: falsò autem catharrus dicitur (nam id nominis Κατ' ἐξοχὴν diſtillationem à capite ſignificat) ideo à refrigerantibus & ſanguinis detractione vulgus abſtinendum putat, Sic infelix curatio propter iſtam ignorantiam decerni ſolet. Nec Arthriticus dolor dicendus, qui certis periodis repetit certiſque temporibus, hic ῥευματισμὸς non item, niſi quod in iis qui in vitæ genere peccarunt, ut nervis redditis infirmioribus, & ſuccreſcente cacochymia, tandem habitum aut Diatheſin Arthriticam afferre poſſet. Melius ἀπόστασιν quandam vocabimus aut καυσίμων τῶν φλεβῶν, quia fit in habitum corporis ἐγκελσεις, ἀποστάσεις &c. partim, per abſcedendi modum, ut in longis morbis & Quartanis febribus id evenire obſervavi critico modo: partim per ἀπόστασιν quandam ſymptomaticam, in iis qui cum jamdiu malè haberent, & tamen ὀρθοστάδην viverent, tamen ſubeſſet cacochymia multa, ſymptomatica facta eſt in univerſum genus muſculoſum ἐκβολὴν, argumentum autem cacochymiæ reſidis in venis & habitu, eſt putris vitioſique ſanguinis, ejuſque multi, vacuatio: fieri etiam poteſt ut natura ab interno corpore ad externum materiam non pellente, dolores iſti oriantur, calefacto, moto, putrente ac irritato habitus ipſius proprio humore & excremento *Ballonius Lib. de Rheumat. pag. 161.*)

14. *Differt*

14. *Differt à Catarrho*) Licet Catarrhus rheumatis nomine donetur apud Græcos, differt tamen ab eo Rheumatiſmus, qui in genere quidem fluxionis eſt, ſed alterius naturæ ab ea fluxione quæ vulgo Catarrhus nominatur, qui quidem à cerebro tantum exoritur, & unam aut alteram ſolummodo partem infeſtat, cum Rheumatiſmus ab internis viſceribus, tum venis & arteriis procedat, & in corpus univerſum diffundatur. *Riverius.*

14. *Differt à Catarrho, quia hujus fons eſt caput*) Catarrhos ad caput retulerunt Medicorum plurimi; cauſam arthritidis & ſimilium aliorum quoque affectuum: Confuſionis hujus cauſa fuit Catarrhi & Rheumatiſmi, uno defluxionis nomine communi venientium; Vterque eſt vitioſus motus humorum, diverſus tamen, non unus: Catarrhus ſero proprius, Rheumatiſmus, ſero & ſanguini conjunctis magis: *Illius* defluxus magis fit in cavitates manifeſtas, fauces, nares, pulmones, *Hujus* in poros & carnes: Catarrhus ſucceſſive magis; Rheumatiſmus ἀθρόως ϗ βιαίως, confertim & cum impetu, adeoque & dolore; *alter* influendo effluit ſeu extravaſatus, hic effluendo influit & ςάσιν habet conjunctam longe acerbiorem. Non minus & altera cauſa laudari meretur, *Helmontio* notata, Latinis ignorantia catarrhos finxit: Circulatio lymphæ læſa Catarrhos efficit, Sanguinis Rheumatiſmum, utrobique agentis, & patientis habita ratione decenti. *Wedelius Diſſertat. de Catarrho & Rheumat.*

14. *Differt à Catarrho*) Non negamus à capite fluxiones oriri arthritidis authores, ſed omnes negamus, quibus caput humidius, iis proclivis eſt defluxus in partes ſubjectas, hinc morborum proventus. *Ballonius lib. de arthrit. pag. 38.* Si ſemper à capite eſt, cùr qui chæradas habent, quarum origo maximè tribuitur ab *Hippocrate* capiti, non ſunt podagrici, aut alia ſpecie arthritidis laborant? veriſimile id eſſet, ſi caput author eſſet mali &c. *conſil. 93. lib. 1.* ſi malè caput fons mali ſtatuitur, dum pilulis, fotu, catapl. hæc immerens parto affligitur, nativum ſic temperamentum corrumpendo, mala graviora acceſſuntur: ſi enim humorem nox um non continet, medicamentis eliquatur, denique aliqua imbecillitas ei conciliatur. *Ballonius lib. de Arthritide.*

15. *Ab Arthritide, tum quia &c.*) Articuli non raro infeſtari ſolent Rheumatiſmo Arthritidem mentiente, diſtinguntur tamen quod ille careat circuitu (quia nondum adepta eſt articulorum imbecillitas, reducem faciens morbum) hæc vero periodice recurrat: Deinde quod hic plures ſimul articulos, *hæc* unum fere articulum affligat; Rheumaticos articulorum dolores *Hippocrates* ὀδύνας vel πόνους τῶν ἄρθρων, aut περὶ τὰ ἄρθρα ſolet appellare, interdumque addit οὐ ποδαγρικοῦ τρόπου, quo ſenſu eos qui in Aeno (8. 4. l. 2. Epid.) ex nimio ervi eſu ejuſmodi dolores genuum contraxerant, non arthriticos vocat ſed γυιαλγέας, Ita Eunuchi, mulieres, & pueri, in quibus podagræ ἀπορίαν ſive vacuitatem tribus aphoriſticis ſententiis ratam eſſe voluit *Hippocrates* à Rheumatiſmo articulorum immunes non ſunt. *Menjotius.*

15. *Ab arthritide tum quia*) Analogia inter hos affectus tanta eſt ut vulgus Medicorum, qui Rheumatiſmi naturam ignorant, eum Arthritidem univerſalem nominare ſoleant, In utroque enim affectu dolor articulorum reperitur; ſed in hoc differunt, quod in arthritide ſoli articuli dolent, in Rheumatiſmo vero non ſolum articuli, ſed etiam totum corpus, media inter articulos ſpatia, muſculi nimirum, eorum membranæ, ac præſertim perioſtia, totuſque corporis habitus, Imo vero interdum corporis partes internæ, ut ventriculus, inteſtina, uterus, pulmo, Rheumaticos affectus experiuntur. *Riverius.*

16. *An à dolore ſcorbutico vago*) Non rarò accidit ut ubi æger male fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc mitioribus, nunc atrocioribus per omnem vitam miſere diſcrutietur, qui quidem minus cautis nullo negotio imponunt, & pro *Scorbuti* ſymptomatis vulgo habentur: At licet nullus dubitem quin Scorbutus in his plagis ſeptentrionalibus revera inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem perſuaſum mihi habeo; multos autem ex iis affectibus quorum nomine ſcorbutum incuſamus, vel morborum Fientium, nondum Factorum, quique nullum adhuc certum induerunt typum, effecta eſſe; vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus decreti, à quibus ſanguis cæterique humores contaminantur, V. g. quibus in corporibus materia aliqua *Arthritidi* producendæ apta recens generatur, nondum tamen is artus depluit, varia ſe oſtendent ſymptomata, quæ Scorbuti ſuſpicionem habent, donec Arthritis jam formata, atque actu ſe exſerens, nullum amplius dubitandi locum relinquat, Neque ignoramus non pauciora ſymptomata Scorbutum mentientia, Podagricos jam à paroxyſmo liberatos infeſtare; dum vis, vel intempeſtivis evacuantibus, vel ægri affecta ætas, vel alia aliqua cauſa naturam interpellaverit, quo minus materiam omnem arthriticam in artus exonerare valuerit, quæ adhuc retentæ, dum τὸ ἀνεπιτήδειον exiſtat, totam ſanguinis maſſam inquinat, & conſertiſſimo peſſimorum ſymptomatum agmine hominem laceſſit, Quod quidem non de Arthritide tantum, ſed & de hydrope adhuc incipiente dictum volo.

16. *An à dolore ſcorbutico vago*) De doloribus ſcorbuticæ, ita diſſerit *Charleton* tract. de ſcorbuto. Latiùs adhuc alas explicare ſolet hic Vultur, non viſcera ſolùm, Tyranni more, quotidie dilacerans, ſed & cæteras partes, pro vario ſui influxu, excrucians. Quippe nunc *Cerebri*, *artuum*, *lumborum*, oſſium membranas dico cruciatu affligit: nunc *articulorum* ligamenta & tendines, ſub *arthritidis* larvâ redendo exurit: nunc *nervulos lumbares*, interdum & *renes*, ſimulatâ nephritide, torquet: Varios ubique dolores inferens, pro partium quaſcunque inſederit, diverſitate. De his autem non eſt quod ſigillatim dicamus; quandoquidem ex iis, quæ de doloribus *pſeudocolicis* diximus, cuivis ad ſacra Hygeæ facienda ſolenniter admiſſo facilè ſit colligere; eos exoriri omnes ab acrimoniâ vel *ſalinâ* vel *acida* ſucci nervoſi; Omneſque pariter compeſcendos eſſe quâ *ſubductione*, quâ correctione illius ita peccantis materiæ.

17. *Cauſa* eſt 18. humor ſeroſus, aliquando bile exacuatus, fervens, ebulliens, & 19. turgens, 20. in partes corporis membranoſas elapſus, eaſque divellendo, feriendo, & diſtendendo laceſſens.

21. *Provenit* is 22. ab hepate calidiore & ſicciore, ſanguinem ſeroſum & ichoroſum generante, dum quicquid in cibis eſt aquoſum, vehementer, quodque ἄπεπτον & ἄχρηστον in venas una cum ſanguine transfundit.

Provenit 23. & à liene, qui ἀπὸ τῆς κοιλίης ἕλκει τὰς ἰκμάδας τὰς περισσάς, humiditates per arteriam

cœliacam in aortam refundit, & inde membranoſum genus per tenues arterias irrigat: [24] notatumque, fluxiones ſeroſas ſiniſtras inprimis partes ſecundum rectitudinem viſceris infeſtare.

Accumulando inſerviunt [25] tum extrinſecus calor liquans & frigus exprimens; tum Saturni & Martis in ſigno aqueo conjunctio, quæ ventos & pluvias cauſatur; tum liberior vini potus: tum denique [26] habitus corporis denſus, [27] nullam commodam & ſufficientem transſpirationem admittens, unde major ſeri fervor & ex putredine aliquando febris.

[28] *Fluit* ad partes corporis membranoſas, [29] vel pulſus à natura copiâ vel qualitate irritata, vel attractus per calorem & dolorem, [30] accedente ſimul habit⁹ corporis imbecillitate: *fluit* vel per venas & arterias, per diapedeſin vel anaſtomoſin; vel per occultos meatus & inania ſpacia.

[17] *Cauſa eſt humor*) Si quis duabus dictis cauſis, bili & ſero acri, pungentes *vapores flatuſque* diſtendentes annumeret, ille profecto à veritate non aberrabit, cum in halituoſa ac flatulenta materia nullæ earum conditionum deſiderentur quæ ad mobiles àc circumvagos, dolores membris infligendos neceſſariæ ſunt. *Menjotius.*

Licet ſeroſus humor ſit cauſa præcipua & frequentiſſima dolorum qui in Rheumatiſmo contingunt, non eſt tamen à ratione alienum, flatus aliquando concurrere ad eorum productionem, Conjecturam facit ſubita doloris permutatio de loco in locum, & quod non eſt pondus aut gravitas in partibus dolentibus: Si quis objiciat morbos à flatibus non tamdiu durare, cum flatus facile diſcutiantur? Reſpondemus flatum in partibus dolentibus contentum facile diſcuti, unde frequens dolorum permutatio contingat, ſed mineram adeſſe in *Vaſis*, ex qua fieri poteſt continua flatuum elevatio, qui poſtmodum ad partes prædictas deferuntur: Minera autem flatibus generandis idonea eſt humor craſſus, viſcidus & pituitoſus, quem in Rheumatiſmo laborantibus ſæpiſſime redundare oſtendit ſanguis ipſis detractus, qui non raro craſſus & glutinoſus eſt, pituitam crudam & putridam referens. *Riverius.*

[17] *Cauſa eſt*) Vtraque hæc morbi ſpecies (*Rheumatiſmus & Lumbago Rheumatica, de qua in Differentiis*) ab inflammatione videtur oriri, quod tum cætera phænomena (vide Signa) arguunt, tum præſertim ſanguinis venæ ſectione educti color, utpote qui Pleuriticorum ſanguinis tam eſt ſimilis quam ovum ovo, Neque quiſpiam reperiatur qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit. *Sydenham p. 438.*

[17] *Cauſa eſt humor ſeroſus*) Cæteri ſucci, ut pituitoſi, atque melancholici, utpote qualitate mites, ſubſtantia craſſi, ac temperie frigidi, & naturam minus percellunt, & pigriores ſunt, quam ut tam prompte currere & transcurrere queant: Sanguis quoque, partim quia viſcidior atque βραδύπορος, partim quia ἄκεντρος carens aculeo, inconſtanter ejuſmodi dolores nuſpiam ciet, niſi vel putredinis maleficio faceſſat in bilem, vel caloris colliquãtis ope ſereſcat. *Menjotius.* Catarrhi materiam ſerum ſtatuit. *Wedelius*; Serum & ſanguinem Rheumatiſmi, Circulatio lymphæ læſa Catarrhos efficit, ſanguinis Rheumatiſmum *Idem* Vide §. *Differt à Catarrho quia hujus fons eſt caput.*

[17] *Cauſa eſt humor ſeroſus*) Oritur ab humore ſeroſo ſummâ acrimoniâ prædito, cum flatibus quandoque conjunctis. Corporis etiam partes internæ, ut ventriculus, inteſtina, uterus, pulmo; Rheumaticum hunc affectum aliquando experiuntur. *Thomas Burnet* theſ. Med. practic. tom. 2.

[17] *Cauſa eſt humor ſeroſus*) Cauſa proxima & immediata hujus affectus eſt humor Seroſus qui propter tenuitatem partes in tumorem non elevat, & ob ſubſtantiam minime ſuppurationi idoneam nullum unquam abſceſſum producit, ſed tantum diſpoſitionem quandam inflammatoriam, ex ſeri fervore oriundam. Illi autem humores ſeroſi & ichoroſi, ſumma acrimonia præditi, partes ad quas deducuntur, lancinant & pungunt, unde dolores & cruciatus oriuntur: Humorem autem ſeroſum eſſe cauſam præcipuam horum dolorum multiplici ratione convincitur, 1°. quod nullam coloris mutationem, utplurimum partibus inducit, licet aliquando cum humor valde eſt copioſus in exiguum & prærubrum tumorem partem elevat, qui tamen facilè diſcutitur. 2°. quod dolores iſti admodum mobiles ſint, & nunc hanc nunc illam partem invadant, & ab uno loco in alium ſubito mutentur, priori ſubito immuni reddito, ac dolore omnino vacuo, quæ repentinæ mutationes nonniſi ab humore mobili, ſummaque tenuitate prædito fieri poſſunt. 3°. Quod ſudoribus ſæpe morbus iſte terminatur. 4°. Quia pleonexiæ ſeroſæ multa in hiſce ægris apparent indicia, nempe urinæ tenues ac copioſæ potus quantitatem excedentes, & magna ſeri copia in ſanguine detracto apparens. Licet autem ſeroſus humor ſit cauſa præcipua & frequentiſſima dolorum, qui in Rheumatiſmo contingunt, non eſt tamen à ratione alienum *Flatus* aliquando concurrere ad eorum productionem: Rei conjecturam facere poteſt ſubita doloris permutatio de loco in locum, & quod non eſt pondus aut gravitas in partibus dolentibus: Hæc eſt *Avicennæ* ſententia, qui hunc affectum deſcribere videtur, illiuſque generationem flatibus tribuere, *fen. 1. lib. 5. tr. 2. cap. 7. In dolore facto ex flatibus extenſio augetur & gravitas minuitur, & aliquando eſt cum punctione, aliquando etiam cum corroſione, & in flatuoſo dolore quidem gravitas nulla eſt, & quandoque etiam cum ipſo fit permutatio doloris frequens de loco ad locum*; Quibus ſequentia ſubjungit quæ ad Rheumatiſmi deſcriptionem propius accedere videntur: *Et flatus eſt quandoque in tunicis membrorum & villis, ſicut in colica flatuoſa, aut in tunicis muſculorum, & ſub membranis & ſuper oſſa, aut in circuitu* muſculorum, inter carnem *mollem & cutem, aut in ipſo membro latitans, ut muſculi in pectore.*

[17] *Cauſa eſt humor*) Hunc affectum committit ἰχὼρ φαῦλος καὶ μοχθηρὸς, quatuor humorum proprius, à fervido hepata genitus, qui dum à partibus robuſtis in debiliores fertur, & ab iis in omnium maximè ignavas, æſtuans in venis αἱματοποιητικοῖς fluctuat, à quibus evomitur modò in hoc, modò in aliud latus, improviſo inſultu, ſæpè ſine tumore & rubore, non tamen ſine febre, perioſtium membranoſumque genus acuto dolore exercens. Prout is humor tenuis eſt & calidus, quaquaverſum pervadit & ab unâ parte ad aliam ſubito decubitu tranſmigrat prout acer eſt & mordicans, affectas partes pungit & Lancinat. *Ballonius lib. de Rheumatiſmo pagina 294.*

[18] *Humor ſeroſus, aliquando bile exacuatus &c.*) Materia Rheumatiſmo duplex conſtituitur, *Bilis* flava, eaque ſubtiliſſima, ardens atque mordax, ſeu putrefacta, ſeu putredinis expers, & *Serum*, quod non eſt pura puta aqua, ſed phlegma, ut loquitur novitia pyrotechnicorum gens, ſale impregnatum, Si itaque ſerum vel uberiore, vel acrive ſale aſperſum fuerit, dolores πλανητικὰς

procreare

procreare aptum natum eſt: Appoſiteque *Ariſtoteles 2. de Part. an. 4.* Ichorem ita diſtinxit, ut alius generetur neceſſitate materiæ, alius vero gratia finis, quo tanquam vehiculo per omne corpus ducitur ſanguis; hic per ſe mitior, ille agreſtior, ac rheumatiſmorum parens cujus quoque feritatem auget διάκρισις: Nam quemadmodum tertianarum intermittentium paroxyſmi crudelioribus ſtipantur ſymptomatis quam continuarum anadiploſes, quoniam illic extravaſata ac ſincerior bilis, eſt ἀχάλινος, totaque ſui juris; his vero bilis quæ in venis ſtabulatur, non eſt αὐτόνομος, ſed à commixto ſanguine χαλιναγωγεῖται, ſic in rheumatiſmo bilioſi ſeroſique humores exinde petulantiores evadunt, quod à proborum ſuccorum cœtu ſint ſecreti, nec ſanguinis commercio amplius contemperantur. *Menjotius.*

18. *Humor ſeroſus*) Humorem ſeroſum eſſe cauſam præcipuam horum dolorum multiplici ratione convincitur, 1. quod nullam coloris mutationem, utplurimum partibus inducit, licet aliquando, cum humor valde copioſus eſt, in exiguum ac prærubrum tumorem partem elevet, qui tamen facile diſcutitur. 2. Quod dolores hi admodum mobiles ſint, & nunc hanc, nunc illam partem invadant, & ab uno loco in alium ſubito mutentur, priori ſubito immuni reddito, ac dolore omnino vacuo, quæ repentinæ mutationes nonniſi ab humore mobili, ſummaque tenuitate prædito fieri poſſunt. 3. Quod ſudoribus ſæpe morbus iſte ſolvitur, 4. Quia pleonexiæ ſeroſæ multa in hiſce ægris apparent indicia, nempe urinæ tenues ac copioſæ, potus quantitatem excedentes, & magna ſeri copia in ſanguine apparens. *Riverius.*

19. *Turgens*) Hi dolores deſultorii, ac humorum ὀργασμὸς ab *Hippocrate* celebratus in eo conveniunt quod in utroque affectu errabundus humor quaſi laſciviat, more animalium quæ libidinis œſtro percita ſtare loco neſciunt, At in tribus diſcrepant, 1. quidem Hippocraticus humorum orgaſmus acutiſſimarum ac malignarum febrium comes eſt; ac licet hæ velociter ſua tempora percurrant, orgaſmus tamen rapidiore adhuc celeritate ſuum conficit curſum: furit ſiquidem per initia febrium, ſed iiſdem jam provectis conquieſcit; contra vero rheumatiſmi non infrequenter ſunt ἀπύρετοι, vel ſaltem blanda febre comitati, ac diuriſſime ægros exercent.

ij. Raro turgent humores, τὰ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ, inquit *Hippocrates 1. aphor.* rheumatica autem affectio haud inſolenter ſævit.

Denique in orgaſmo impacati humores, atque proceloſi, penetralia corporis magis quam ejus atria perambulant, ideoque juxta *Hippocr.* præceptum *4. aphor. 10.* in ipſo ægrimoniæ principiò, quamvis integra ſit cruditas ipſos cathartico feſtinanter deturbari æquum eſt, ne impetuoſe ruant in partem aliquam internam & principem, Rheumatiſmorum vero dolores corporis duntaxat pomœria obſident, nec penitiora ejus ſubeunt adyta; proindeque ſi alicui parti humor ſeſe affigere meditetur, hæc externa eſt atque ignobilis, nec iccirco materiæ inclinatio præcipitem ante pepaſmum purgationem extorquet. *Menjotius.*

20. *In partes corporis membranoſas*) Patientem locum dicimus exteriorem corporis habitum vide licèt vel illud totiùs corporis integumentum quod panpanniculum carnoſum Anatomici vocitant, vel muſculos, ſive ſecundum eorum carnem, ſive ſecundum membranam unicuique muſculo peculiarem; aut etiam commune m illam tunicam quæ omnem muſculorum turbam amicit, ne in motibus diſſiliant, nam, authore *Hippocrate* lib. de Arte, *Interſtitia muſculorum ut ſpiritu plena ſunt in ſecunda valetudine*, ſic ichoribus in adverſa. *Menjotius.*

21. *Provenit is ab Hepate*) Origo primaria hujus affectus Hepati adſcribenda eſt, quod fervida intemperie affectum, atque debilius redditum, alimentum non ſatis conveniens nutritioni generat, & totum corpus pari imbecillitate afficit, ut ita ſuperfluitatum receptioni reddatur maxime idoneum: Ex eadem vero Hepatis intemperie ac imbecillitate multus fit pravorum humorum proventus, qui in venis & arteriis diutius retenti pravam quandam adquirunt corruptelam, ibique colliquantur, atque in ſeri & ichorum naturam abeunt & tanquam onus grave expelluntur à natura ad partes ignobiliores, cum ſatis robuſta non ſit ut eos extra corpus omnino eliminare valeat: Licet autem Hepar primariam hujus affectus originem præ ſe ferre à nobis cenſeatur, à *Cerebro* tamen humores iſtos interdum immediate defluere ex eo patet, quod ſæpe dolores in cervice incipiunt, poſtmodum vero ad humores & brachia deſcendunt: Verum prima humorum actium generatio fuit in hepate fervidiori, qui ad cerebrum tranſlati confluunt poſtmodum in partes ſubjectas. *Riverius.*

21. *Provenit is ab hepate calidiore &c. provenit & à Liene*) Bilioſam illam ſeroſamque πλεονεξίαν cumulant *hepar & lien*, ſi prægcalida æſtuent intemperie; ac ſicut hepar bilis ἐργαστήριον, ita lien ſeri μητρόπολις exiſtimari debet, Viſcera hæcce nobilia, ut vegetavis expultrix & ad propriam tutelam ipſis naturaliter indita eſt, ſic degeneres ac noxios; quos progenuerunt humores, tanquam adulterinam ſobolem reſpuunt, eoſque propulſant in vaſa primum majora, deinde in minora, ac tandem in minima, è quibus in habitum corporis eructantur *Febris ardens fit*, (inquit *Hippocr.* 4. de v.Ac.) *cum venulæ æſtivo tempore exarefactæ, acres & bilioſos ichoras ad ſe attraxerint*, Origo atque genitura Rheumatiſmi à diametro oppoſita eſt, ubi nempe venulæ acri & bilioſo ſero prægnantes, illud in corporis ambitum per quandam veluti ναυτίασιν evomunt: Itaque affinis eſt Cauſi & Rheumatiſmi materia; ſed in illo fertur humor foris intro, in hoc intus foras movetur: illic venulæ exhauſtæ ſunt atque ſitibundæ; hic vero turgidæ atque ſaturatæ: *Menjotius.*

21. *Provenit is ab hepate calidiore*) Eſt Rheumatiſmus dolor vagus univerſum ferè corpus pererrans, imò etiam interna viſcera ac ferè momento temporis ab uno in aliam partem tranſiliens: Pendere videtur à vitio ſanguinis ob lympham abundantiorem ſimul & acriorem, vel acidiorem illi ſuggeſtam. Experiri tamen aliquando contigit, Venas in his aliquantulùm turgere, & arterias pulſationes ſuas edere elatiores & vibratas. Et quamvis à ſolâ lymphâ vitiatâ, nec adjectâ ſanguini id ipſum eſſe poſſit, quia tamen Rheumatiſmum plerumque febris comitatur, videtur ſanguis quoque in fermentationem adactus, Vnâ ſimul cum lymphâ vitiari. Atque hinc etiam differt Rheumatiſmus ab Arthritide; cum illo enim fere ſemper febris jungitur, cum hac vel nunquam vel rariſſimè niſi ſolùm cùm primùm artus adoritur. *Lucas Tozzi. Med. Pract p.268.*

22. *Ab hepate calidiore & ſicciore*) Quando phlogoſibus laborat corpus, hepar laborare dicunt ſed falſo, Oriuntur enim illæ ex vitioſa efferveſcentia ſalis volatilis in bile exiſtentis cum acido peregrino vitio digeſtionis primæ orto, unde non tantum phlogoſes ſed & tormina in iiſdem percipiuntur. *Etmuller.*

23. *Provenit & à liene*) Exemplum rheumatiſmi ſingularis orti vide §. *Differentiæ ſunt.*

24. *Notatumque fluxiones ſeroſas*) Vide inferius §. *Differentiæ ſunt*) ex Menjotio.

25. *Tum extrinſecus calor liquans & frigus exprimens*) Nullo non tempore inceſſit hic morbus, maxime Autũno, & præ cæteris annis florentes & οἷς γόνυ χλωρόν. Hac utplurimũ occaſione naſcatur, Aeger ſcil. ſive exercitio

aliquo vehementiori, ſive alio modo excalefactus mox repentinum frigus admiſit. *Sydenham.*

26. *Habitus corporis denſus &c.*) Favet huic morbo cæcorum cutis ſpiraculorum, ſeu obſtructorum, ſeu denſatorum anguſtia, obſtans τῆ ἀδήλω διαπνοῆ, quam *latentem diſjectionem* vocat alicubi *Aurelianus*: unde hyeme dolores μεταβλητικοὶ ſunt magis familiares, ac per noctem potiſſimum invaleſcunt; Attamen vidimus inveteratum Rheumatiſmum in juvene robuſto, ac per æſtatem ψυχρολουσία perſanatum, collecto per antiperiſtaſin intus calore, qui materiam morbificam vel mitificavit vel diſcuſſit, eo pacto quo liberalis aquæ perfuſio tetano medetur 5. aphor. 21. *Menjotius.*

27. *Nullam commodam*) *Ideo* laxitas cujus apprime facit ad curationem hujus affectionis, ſed ægrorum impatientia non permittit, ut ſe facile lecto contineant, ne minimam quidem ſtragulam aut operimentum præ dolore ferunt, & ob copiam & inflammationem neſcio quam, toto corpore ſparſam, vix ac ne vix ſudor ſaluber manare poteſt. *Ballonius ibid,*

28. *Fluit ad partes corporis*) An bonum eſt refluere humorem à robuſtis partibus ad infirmas (cujuſmodi eſt univerſus corporis habitus) an contra ab infirmis ad robuſtas? nam robuſtis ineſt vis quædam vernacula & calor vegetus, quo ſe tueantur ac vindicent, coctione digeſtionéque id præſtabunt, Quæ opinio eſt *Hippocr. parte 5. 2. lib. de natur. humana. Qui morbi*, ait, *ab imbecillibus partibus ad fortiores pervenerint, ij ſolutu ſunt faciliores, influxus enim facilè à robore excludentur:* at meliùs eſt à partibus præcipuis in minùs præcipuas humores repere, Nam, cur, ait *Galenus parte 5. lib. 2. de natur. humana.* Sæpe viſi ſunt interire quibus ſucci, in dolore articulorum, in artus delati, deinde repulſi, in partem principem pervenerint, & una ſalutis ſpes erat ſi iidem ipſi humores ad artus revocarentur? *Ballonius ibidem, p. 77.* Dicat quis, Si univerſus corporis habitus eſt imbecillior, confirmetur, ut dolendi ægrotandique pereat occaſio; id quod in ῥευματικαῖς διαθέσεσι *Galenus cap. 8. lib. de miſſione ſanguinis* commendat, *Curationis ſcopus eſt, non vacuatio, ſed totius habitus roboratio:* quanquam, ait, curationis initium à ſanguinis miſſione fit; Reſpondendum, fine & intentione curationis ſcopus prim⁹ eſt partis roboratio, opere tamen poſterior eſt, vix enim robur corpori conciliaris, niſi corpus vacuaris; Vbi enim pravus humor eſt, licet multitudine non lædat, tamen corpori gravitatem & morboſam diſpoſitionem non deſinit inferre: iſte autem tam gravis & dolorificus affectus non ſolet accidere, niſi jam & in vaſis & extra vaſa collecto pravo humore, id quod declarat frequens evacuatio pravi & impuri ſanguinis: infirmitas quidem habitus valet ad ἐπιδεκτικὸν, ſed non ad ποιητικὸν: Notandus enim eſt iſte locus. 6. *Sanit. tuend.* & *comm. ad aph. 28. lib. 6. Qui nil colligunt ſuperſlui, his manent imbecillæ partes ſemper in tuto*, argumento eſt, quoniam aliqui ſex menſibus infirmis pedibus laborant, quod ſi ſola imbecillitas id faceret, perpetuò laboraret pars infirma, ut cui nunquam cauſa abeſſet ut laboraret; Et in Aphor. diſces; Quod partis imbecillitas non ſufficiat ad generandam affectionem ex intermedio tempore, in quo nulla ferè infeſtantur, licet nativa imbecillitas continua ſit, ſi nil in vita deliquerint. *Ibidem. pag. 180. & 181.*

29. *Vel pulſus à Natura*) Inſignis eſt & perſpicuus locus *Galeni* de hoc affectu 1. de diff. febr. cap. 7. *Hujuſmodi quapiam ratione provenire ſcito hujuſmodi rheumaticos* nominatos *affectus, toto videlicet corpore infirmo, principibus vero illius partibus, paululum licet ſanguinis, gravari tamen ſolitis, eumque ad carneas cutis partes protrudentibus*, Vnde legitimam rheumaticæ affectionis naturam in eo ſitam eſſe conſtat, juxta *Galeni* doctrinam, quod corpus univerſum ea impotentia ſit affectum, ut ubi principem ejus partem aliquo ſanguine gravari contigerit, licet non ſit in copia plurimum excedens, ad carnoſas partes & habitum corporis protrudat: Illud tamen & ſimpliciter admitti nequit quod dicitur à *Galeno*, partes principes ſanguine gravatas, eum ad carneas cutis partes protrudere; inde enim inflammationes & tumores in illis partibus exorirentur, At conſtat experientia in Rheumatiſmo nullum tumorem, nullam inflammationem, nullamque coloris mutationem in partibus dolentibus utplurimum apparere. *Riverius.*

29. *Vel pulſus à naturâ*) Quamvis modo veluti critico humores iſti à venis expellantur, motus tamen eorum non eſt ita ſubitus, ſed lente & paulatim efficitur, cum nempe humores illi pravi & corrupti in venis fervent, & ebulliunt, ac poſtmodum à venis ſenſim expelluntur, ac veluti evomuntur, unde nauſeoſis venarum ſatis appoſite iſte motus appellari ſolet. *Riverius.*

Quia potius humor iſte ebulliens, fervens, turgensque cito expellitur, indicio eſt ſanguinis emiſſio, ille enim his in affectibus affatim & confertim erumpit aperta vena; indicio præcipitis & celeris motus in vaſis.

30. *Accedente ſimul habitus corporis imbecillitate*) Juvat humorum μετάληψιν partium ſuſcipientium imbecillitas, nam Oeconomia corporis Oligarchiæ jure comparatur, in qua Magnates plebeculam opprimant, publicis oneribus in ipſam depoſitis. *Menjotius.*

30. *Accedente ſimul corporis imbecillitate*) Rheumatiſmi natura ita *a Domino de Turqueto de Mayerne*, tract. de Arthritide explicatur. *Arthritis* quædam vaga eſt, Anglis *Ninning* dicta, erratica, nulli articulo parcens, plures ſæpè ſimul occupans, cujus terminus, finitâ inflammatione ab *Hippocrat.* quadrageſimo die circumſcribitur. Oritur ea à generali humorum cataclyſmo, in corporibus plethoricis, ſeroſis humoribus redundantibus, qui cavitatem articulorum ſubeuntes, partium adjacentium tenſione potiùs quàm acrimoniâ moleſti ſunt. Hujuſmodi vitioſam diatheſim ſoluunt frequentes phlebotomiæ vel inſignes evacuationes per hydragoga, facta revulſione & ſubductione peccantis humoris.

Prognoſis.

Affectus iſte raro aut nunquam vitæ periculum infert, ſed longitudine ſua magnam parit moleſtiam, ad duos enim vel tres menſes perſeverat, ſi ſit ſine febre; imo vero interdum, præcipue ſi non recte curetur, ad annum vel plures annos extenditur: *Franciſcus Portus*, qui eleganti carmine *Decadem Medicam* ſcripſit, agens de Rheumatiſmo, refert ſeipſum per biennium fere hunc morbum expertum eſſe, quem tamen ſuperavit adnitentibus ſex Medicis Pariſienſibus illuſtrioribus, *Baſino, Allino, Belliquerco, Santacobæo, Seguino, Hollerio.*

Si cum febre Rheumatiſmus oriatur, brevior eſſe ſolet, ſed diris cruciatibus & acerbioribus ægrum exercet, & tunc intra xx vel xl. dies ſolvitur, aut maximam ſaltem patitur imminutionem.

Rheu-

Rheumatiſmus aliis morbis ſuperveniens, ut apoplexiæ & convulſioni, periculum imminuit, tranſlata materia morbifica à partibus internis ad habitum corporis.

Sudores in declinatione morbi advenientes, ſalutares.

Urinæ craſſæ & multæ in declinatione prodeuntes, morbi ſolutionem afferunt. *Riverius.*

b [30]. *Curatio* eſt maturanda, tum quia fluxio eſt acris & corrodens; tum quia coctionem non admittit; tum quia ad interiores partes converſa, pleuritidem, peripneumoniam, hydropem &c. inducere ſolet; tum quia [31]. ſi copioſa, XL. dies durat.

[32]. *Abſolvitur* 1. [33]. *Evacuatione* humoris per hydragoga, [34]. laudaturque *ſyrupus florum perſicorum.*

2. [35]. *Revulſione* fluentis vel fluxuri [36] per *venæ ſectionem in* oppoſitâ ægræ parte.

3. [37]. *Doloris mitigatione* per medicamenta præterito capite recenſita. Prodeſt & *Cataplaſma ex lactis vaccini lib. ſ. mic. panis unc.* iij. *vitell. ovi n.* II. *aquar. ſtillat. ſolani, ſemperv. roſar. ana unc.* II. *Croci ſcr. ſ. opii gr.* IV. *butyri recent. q. ſ. paratum.*

4. [38]. *Epatis correctione* [39]. per refrigerantia, abſtergentia & diuretica, [40]. quæ parantur ex *hordeo, radic. fragar. cichorii, gramin. ſeminib. quatuor, cryſtallo minerali.*

5. [41]. Sudoris concitatione circa declinationem.

6. [42]. *Diæta*, dequa non eſt quod aliquid dicamus.

Præſervatio.

Curato affectu Prophylaxis ad aliquod tempus eſt neceſſaria, ne nova accumulata materia recidiva contingat, Illa præcipue verſabitur in Purgatione periodica, ſemel aut bis in menſe iteranda, quod commode fiet ſyrupo magiſtrali ſequenti, qui magis alterando & roborando hepar quam purgando proderit.

℞. *Succor. recenter expreſſorum, & per reſidentiam depuratorum, ex foliis endiviæ, cichor. agrimon. fumar. lupul. & bugloſſi* ℔iij. *ſucci pomor. redolent. recens expreſſi & depur.* ℔ij. *ſennæ mundat. unc.*vi. *Epith.* unc.ij. *rhei el. & agar. trochiſc. ana* unc.j. *macis & caryoph. ana* ʒß. *Infundantur & decoquantur ſ. a. donec colaturæ ſuperſint quart. v. in quibus diſſolve ſacch. albi quart. v. f. ſyrupus perfecte coctus, de quo capiat.* ℥iii. ſemel aut bis in menſe, cum *juſculo pulli aut vituli, foliis borrag. pimpin. ceterach & agrimon. alterato.*

Venæ ſectio etiam vere & autumno erit convenientiſſima, *Riverius.*

[30]. *Curatio*) Ad curationem materia morbifica revellenda, derivanda & evacuanda eſt, Viſcerum intemperies corrigenda, omniumque partium, tam mandantium quam recipientium robur conſervandum eſt. *Riverius.*

Cum utraque hæc morbi ſpecies (*Rheumatiſmus propriè ſic dicitur* & *Lumbago rheumatica*) ab inflammatione videatur oriri, Curationem non aliunde quam à phlebotomia debere ſumi, ſanguine interim contemperato, ejuſque nimio fervore repreſſo, tum medicamentis refrigerantibus, atque incraſſantibus, tum etiam convenienti regimine. *Sydendam.*

Prognoſis.

[30]. *Curatio eſt maturanda*) Si effrænis humor poſt tot vellificationes & circumlationes in membro aliquo externo tandem ſiſtatur, ac [illegible] fiat στάσιμος, & quaſi involucris, illud in tumorem attollit, motu ſpoliat, doloreſque ſtabiles ei infert, prioribus tanto rebelliores quanto incuneata materia volatili minus eſt morigera, Notum eſt illud *Hippocr.* P. 16. ſ. 6. l. 6. Epid. *In morbis* facile-mutabilibus mutationes juvant. *Menjotius.*

Lubricus eſt Rheumatiſmi in articulum tranſitus, præſertim ſi æger peccet in vitæ genere, & articulari tormento alias vixerit obnoxius; communis namque eſt utriuſque morbi materia, ita ut nonnulli rheumatiſmum univerſalis arthritidis nomine donaverint: At internæ ac principales partes ab incurſu ſeditioſi humores tutæ eſſe ſolent, ni tanta ubertate circumfluat, ut vix ullum ſit membrum, vel externum vel internum quod oberrantis cacochymiæ ictus declinare valeat. *Idem.*

Rheumatiſmus utiliter urinis, ſed commodius ſudoribus ſolvitur.

Quandoque etiam craſſior hujus materia in cutaneas turpitudines, ut ſcabiem & phlyctænas egerminat: Datur enim Rheumaticus criticus, (Vide §. *Differentiæ*) *Idem.*

Si cum febre oriatur brevior eſſe ſolet, ſed diris cruciatibus & acerbioribus ægrum exercet, & tunc intra 20. vel 40. dies ſolvitur, aut maximam ſaltem patitur imminutionem.

Eſt hic affectus non tam periculoſus, quàm moleſtus & longus & ſi apoplexiæ vel convulſioni superveniat, bonum. *Paulus de Sorbait.* Med. Practic. Part. 1. cap. 37.

Si ab ægro vel Medico negligatur, in longum tempus protrahi, imò multos menſes non ſolùm, ſed & annos durare poteſt. *Mollenbrochius.*

Licet rariſſime hominem è medio tollat, febre ſemel depulſa, tamen & vehementia doloris & diuturnitas eum prorſus contemni non ſinunt, etenim ſi minus perite tractetur noxa ad menſes tantum, ſed annos etiam aliquot, imo per omnem adeo vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat, quamvis in hoc caſu non eodẽ ſemper vigore, ſed paroxyſmis quibuſdam periodice repetitis, ad inſtar, Arthritidis ſubinde laceſſit, Imo vero poteſt fieri ut ubi diu multumq; vexaverint dicti dolores, tandẽ ſpõte deſiſtant, atque interim æger omni membrorũ motu ad mortem uſq; privetur, digitorum articulis quaſi inverſis, & protuberantiis, ut in arthritide, nodoſis in interna magis quam externa digitorum parte ſe prodeuntibus, ſtomacho nihilominus valeat, & cætera ſanus vitam toleret. *Sydenham.*

[31]. *Si copioſa xl. dies durat*) Rheumatici dolores ut ſede & nocturna exacerbatione, ita etiam contumacia cruciamenta Venerea æmulantur, Nam plurium menſium, imo etiam annorum ſpatia quandoque ſuperant, cum ob partium nutritiarum firmatam intemperiem, quæ perẽni & continuata generatione materiã renovat; tum quod vagabunda ac diſſeminata materia coctiva non ſit, nam ut ait *Hippocr. p. 23 ſ. 2. l. 6. Epid. Quæ mutationem poſtulant, ea occludi convenit.* Menjotius.

Affectus iſte raro aut nunquam vitæ periculum infert, ſed longitudine ſua magnam facit moleſtiam, ad duos enim vel tres menſes perſeverat, ſi ſit ſine febre, Imo vero interdum, præcipue ſi non recte curetur, ad unum vel plures annos extenditur; Sic *Franc. Portus* refert ſe ipſum per biennium fere hunc morbum expertum eſſe, adhibentibus quamvis ſex Medicis peritiſſimis. *Riverius.*

32. *Abſolvitur*) Ad curationem hujus affectus, materia morbifica revellenda, mitiganda & evacuanda eſt, viſcerum intemperies corrigenda, omniumque partium tam mandantium quam recipientium robur conſervandum eſt, &c. Dum Phlebotomiæ, Vide §. *per venæ ſectionem*) celebrantur clyſteres ſingulis vel alternis diebus uſurpandi, tum etiam Julepi exhibendi, qui viſcerum intemperiem corrigant & humorum acrimoniam.

32. *Curatio abſolvitur*) Cum hæc morbi ſpecies ab Inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt phænomena, tum præſertim ſanguinis venæ ſectione educti color, utpote qui Pleuriticorum ſanguini tam eſt ſimilis quam Ovum ovo, neque quiſquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit; his inquam, ſe ita habentibus, cenſeo ego, Curationem non aliunde quam à phlebotomia debere ſumi, ſanguine interim contemperato, ejuſque nimio fervore repreſſo, tum medicamentis refrigerantibus atque incraſſantibus, tum etiam conveniente regimine: Ac proinde ut primò accerſor, ſanguinis ℥x. è brachio lateris affecti mitti jubeo, & Julapium refrigerans incraſſanſque ad hanc fere normam præſcribo.

℞. *Aqu. nymph. portulac. & lactuc.* ana ℥iv *ſyr. è ſucco citri* ℥iß. *ſyr. violac.* ℥i. *Fiat Julep de quo bibat ad bibitum.*

Vel etiam emulſionem in curatione morbi lateralis convenientem: Ad dolorem ſedandum cataplaſma è *mica panis ſiliginei & lacte croco tincto* parti affectæ applicandum & ſæpe renovandum curo. *Diætam* quod ſpectat, carnibus prorſus interdico, quin & earum juſculo quantumlibet tenui limpidoque, quibus ſubſtituo *Juſcula avenacea, Panatellam* &c. ejuſmodi: Cerevisiam tenuem mitemque pro Potu tantum concedo, vel etiam (quæ magis ad rem facit) Ptiſanam *ex hordeo, radice liquir. acetoſæ*, &c. in *aqua fontana decoctis*: Volo interim ut per aliquot horas ſingulis diebus lecto ſe abſtineat, cum calor qui à jugi decubitu naſcitur, morbum promoveat intendatque: Die ſequente *ſanguinis tantundem detrahi* præcipio, atque intercalato die uno alterove, pro ægri viribus, tertio dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo, (prout ægri vires, ætas, conſtitutio, aliæque circumſtantiæ ſuadent monentque,) quarto, atque ultimo ut plurimum, V. S. repeto raro enim uſu venit, ut ultra quartam vicem venam tundamus, niſi vel regimen juſto calidius præceſſerit, vel medicamenta calidiora ægro præter neceſſitatem fuerint ingeſta: Quin & *anodyna*, ſive *paregorica* dicta remedia effuſiorem ſanguinis miſſionem poſtulant; quamobrem utut ſæviat dolor, per omnem hujus morbi decurſum, cum illorum uſu figatur morbus, religioſe mihi ab his temperandum exiſtimo, neque tam facile V. S. cedat, quæ ideo ob hæc ipſa medicamenta, officioſe nimis exhibita, ſæpius quam erat opus celebranda eſt, Quid quod & in morbi ſtatu, neque eam quam titulo pollicentur ἀναλγησίαν valeant præſtare. Interim dum prædicta remedia Diætaque ſedulo uſurpantur, *Enema è lacte ſaccharato ſubinde injici* curo, diebus ſcil. à V. S. vacuis: Porro ut hæc omnia ad dies minimum octo ab ultima V. S. diligenter obſerventur, ſerio hortor moneoque, quibus elapſis, Potionem catharticam è *lenitivis* præſcribo mane hauriendam, & inſequenti veſperi dozin paulo liberaliorem *ſyr. de meconio in aqua flor. paralyſ.* quo ſcil. ſanguinis orgaſmus, unde & recidivæ periculum aliter intentari poterit penitus reprimatur; quibus rite peractis, ut priſtinum vitæ genus, quoad victum, exercitia, atque aërem pedetentim ſe recipiant lubens patior, ita tamen, ut neque vinum neque liquorem ſpirituoſum quemlibet, neque etiam cibos ſive ſale, ſive aromatis conditos, ſive etiam δύσπεπτα quæcunque, niſi diu poſtea, deguſtare liceat; Poſt venam, quoties ſupra innuimus pertuſam, ægro dolores admodum imminuentur, neque tamen prorſus evaneſcent: at vero reſarcita, quam fecerat ſanguinis detractio, virium jactura (ſuperveniente maxime proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quam id quo primum decubuit æger) ſymptomata ad unum omnia certo certius ceſſabunt, atque æger pancratice impoſterum valebit. Jam vero tametſi prædicta methodo, tempeſtive atque ſub ipſo morbi ingreſſu adhibita, eum, quem jam dixi, finem ut plurimum ſortiatur, non raro tamen accidit, ut ubi æger per errorem contrario plane modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc mitioribus, nunc atrocioribus, per omnem vitam miſere diſcrutietur, qui quidem minus cautis nullo negotio imponit, & pro Scorbuti ſymptomatis vulgo habentur, At licet nullus dubitem, quin Scorbutus in his plagis Borealibus inveniatur, tamen eũ morbum non tã frequẽtẽ [illegible] occurrere perſuaſũ mihi habeo: Sed hic notãdũ non adeo conſultum eſſe, quando Rheumatiſmus aliquot annorũ diuturnitate altas radices agit, ſanguinem tam brevibus ac ſub ejuſdem primordiis fiebat intervallis mittere, quin præſtare ſeptimanarum aliquot intercapedine repetitas illas V. S. diſterminare, quæ tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel ſaltem eo conducent, ut Fontanella in crure alterutro excitata, & ſpiritu volatili Dom. D. *Goddardi* in vino Canarino mane & ſero exhibito, reliquiæ ejus extirpentur. *Sydenham.*

33. 1. *Evacuatione humoris*) Purgatio in hujus affectus initio, augmento & ſtatu nullum adfert auxilium, imo vero noxia eſt, fluxionem enim irritat, & dolores intendit, ſicut in omnibus inflammatoriis diſpoſitionibus evenire ſolet, At in declinatione neceſſaria eſt & multoties celebranda, idque blandis medicamentis, ut per epicraſin cacochymia in univerſo corpore reſtagnans educatur, E. g.

℞. *Sennæ mund. & tamarind.* ana ʒß *ſem. aniſ. & cremor. tart.* ana ʒj. *fol. acetoſ. m.* ß. *coqu. ad* ℥iij. *In colat. diſſolve manna & ſyr. roſac.* ana ℥ij. *f. Potio, pro neceſſitate iteranda.*

Vel ℞. *Caſſiæ recens extr.* ʒvj. *cathol. dupl.* ʒiij. *rhei pulv. & crem. tart.* ana ʒj. *cum ſacch. f. Bolus.*

33. 1. *Evacuatione humoris*) Purgare ab initio, non eſt conſultum, quin potiùs & viſcerum intemperies & humorum acrimonia augetur: Hoc tamen in morbi declinatione commodè fieri poteſt, debentque humores ſeroſi præcipuè è corpore eliminari. *Paulus de Sorbait.* Medicinæ Practicæ, Part. I. cap. XXVII. de Catarrho & Rheumatiſmo.

Dum Remedia Diætaque ſedulo uſurpantur, *Enema e lacte ſaccharato* ſubinde injici curo, diebus ſcil. a phlebotomia Vacuis, Porro ut hæc omnia ad dies minimum octo ab ultima venæ ſectione diligenter obſerventur ſedulo hortor moneoque, Quibus elapſis Potionem catharticam è Lenitivis præſcribo mane hauriendam, & inſequenti veſperi *ſyr. de meconio in aqua flor. paralyſeos* &c. Sydenham.

Morbus,

Morbus Purgatione irritatur, more eorum morborũ qui in inflammatione conſiſtunt, *Ballonius.* medicamẽta calidiora nocẽt, irritãt humores in partes inferiores: Pilulæ initio nõ tutæ; licet *arthriticarum* nomen ſibi falſo arrogent non tam uſu, furente humorem quam abuſivè. *Id.* Crebra tamen Enemata conveniunt, refrigerantia, humectantia. *Idem.*

34. *Laudaturque ſyrupus*) Leniter purgans tale præſcribi poterit.

℞. *Flor. caſſ.* ℥j.
Rhab. el. tartar. alb. præpar. ãã. ʒß.
ſeri lactis caprini q. ſ. pro diſſolutione, fiat potio brevis.

Innoxiè ſemper diſſolvi poſſunt. *Mann. el.* ℥ij. in juſculo & cum *ol. amygd. dulc.* ℥ß. *crem. tartar.* ʒß. addit. Vel in formà pilul.

℞. *Maſſ pil. Sine quibus Extr. Rh.* ãã. gr. xv.
Extr. agaric. ℈ß.
cum *ſyrup. de ſtœchad.* f. pil. ãã. ix. *Sorbait.*

34. *Laudaturque ſyrupus*) Potio ſequens præſcribi poterit.

℞. *Sennæ mundat. & tamarind.* ãã. ℥ß.
Sem. aniſi & crem. tart. ãã. ʒj.
Fol. acetoſ. m. ß.
Coqu. ad ℥iii.
In colat. diſſolve mannæ & ſyr. roſac. ãã. ℥ii.

Fiat Potio per intervalla iteranda: Si efficacius purgare deſideres adde *rad. Jalapæ* ℈i.

Si purgationes iſtæ non ſufficiant, ad effectum (ſæpe admodum contumacem) prorſus eradicandum, ad vehementiora purgantia, ut *Elect. diaprun. ſolut.* & alia hujuſmodi confugiendum erit, modo febris abſit; Ego ſemper hunc affectum ſuſtuli poſtquam prædicta remedia rem abſolvere nequiverant, *Mercurio dulci ſexies ſublimato, aliquoties exhibito ad grana* xx. *cum ſcammon. vel reſinæ Jalapæ gr.* x. Cujus curationis exemplum Videre eſt in *Obſerv. 43. cent.* iij. Vnicus Clyſter ex *vino emetico* paratus hunc curavit affectum in Nob. muliere, ut *cent. 3. obſ. 22.* habetur. *Riverius.*

35. *Revulſione fluentis vel fluxuri per venæ ſectionem*) Vt primum accerſor ſtatim ſanguinis ℥x. è brachio lateris affecti mitti jubeo, & Julapium refrigerans incraſſanſque præſcribo. &c. Die ſequenti ſanguinis tantundem detrahi præcipio, atque intercalato die uno alterove pro ægri viribus, *tertio* dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo (prout ægri vires, ætas, conſtitutio, aliæque circumſtantiæ ſuadent monentque) *quarto*, atque ultimo utplurimum V.S. repeto: Raro enim uſu venit ultra quartam vicem venam incidamus, niſi vel regimen juſto calidius præceſſerit, vel medicamenta calidiora præter neceſſitatem fuerint ingeſta. *Sydenham.*

36. *Per venæ ſectionem*) Præmiſſo ſequenti Clyſtere, qui iterandus ſingulis vel alternis diebus per integrum morbi decurſum.

℞. *Fol. malv. violar. betæ; lactuc. borrag.* ãã. *m.* j.
Sem. aniſi ʒii.
coqu. ad quart. v.
In colat. diſſolve mell. violac. & butyr. rec. ãã. ℥ii.

F. Clyſter iniiciendus hora commoda.

Vena brachii Mediana ſecari, ac tribus quatuor, vel quinque diebus continuis repeti poterit, ſingulis vicibus detrahendo ad uncias ſex, donec iſta humorum turgeſcentia omnino tollatur.

Galenus ſæpiùs repetita *Venæ ſectione* Rheumatiſmum curavit, quod repetitis vicibus præmiſſo tamen ſequenti clyſtere, fieri poterit.

℞. *Fol. atripl. malv. alth. betæ, bliti, lactucæ, violar.* ãã. *m.* j. *ſemin. lini, fœnugræci, & aniſi ana* ʒj. coquant. ad libram unam, in colaturâ diſſolve *elect. cathol. Nicol.* unc. j. *Mell. anthoſat. & Mercurialis* ãã. ℥ij. *Butyri recentis* ℥j. Miſce fiat Clyſter. *Paulus de Sorbait Med. Practic. Part. 1. capit. 37.*

30. *Per venæ ſectionem*) Juvenis quidam laboravit Rheumatiſmo univerſali, omnes propemodum corporis articulos infeſtante, cum febre aſſiduâ, Præcipuâ fuere remedia *Venæ ſectio, decies* uſurpata & *julepi refrigerantes & incraſſantes*, quibus bis aut ter acceſſerunt *leves purgationes.*

Tandem malo perſeverante exhibitus eſt bolus ex *conſervâ roſarum* cum *calomelan.* gr. xx. *Extracti* jalap. gr. vj. tertio quoque die; multa ſeroſa & porracea dejiciebat, quo remedio quater uſurpato dolores omninò ſublati ſunt, poſtmodum tumores œdematoſi, qui in nonullis articulationibus præſertim pedum remanebant, *Emplaſtris reſolventibus & roborantibus* diſcuſſi ſunt. *Lazarus Riverius cent. 3. obſ. 41.*

In alio hic affectus ſublatus fuit intra quindecim dies ſeptem Venæſectionibus in principio celebratis & aquâ papaveris erratici manè & ſerò exhibitâ, remittente verò dolore, purgatus fuit ter pulvere arthritico alternis diebus. *Idem* obſ. 42. cent. 4.

36. *Per venæ ſectionem*) Rejecto clyſtere (qui iterandus ſingulis vel alternis diebus per integrum morbi decurſum) Vena aperienda eſt alterutrius brachii, & detrahendæ ſanguinis ℥vii. vel ix. Non refert ex quo brachio ſanguis primum detrahatur, quandoquidem pluries iteranda eſt phlebotomia, atque adeo utriuſque brachii venæ ſæpius erunt pertundendæ: Singulis igitur diebus ab initio ſanguis detrahendus eſt, donec morbus remiſerit, & dolores imminuti fuerunt: Nec refert ſi per x, xii, aut etiam plures dies ſanguis detrahatur, ſiquidem iſte morbus hoc habet peculiare, ut ex frequenti V.S. vires non deiiciantur, ſicut in aliis morbis ſolet cõtingere: Ideoq; mihi in uſu eſt in hujuſmodi affectionibus, V.S. adeo frequentem præſcribendo, ne ęgri vel adſtantes deterreantur à toties repetita S. m. hanc reſtrictionem addere, ut continuetur ſingulis diebus M.S. donec imminuti fuerint dolores, aut vires multum debilitatæ. Cum autem hujus evacuationis uſum continuando virium dejectio inde non emergat, eum ægri libere patiuntur, ejuſque frequenti iterationi facilem aſſenſum præbet: Facilem autem illam tolerantiam facit ſanguinis conditio, qui in hoc morbo admodum putridus ſemper educitur.

Copioſæ hujus ſanguinis evacuationis utilitatem oſtendit experientia, ſiquidem ex ea ſedulo continuata, morbus qui longus eſſe conſuevit, (ut in prognoſi dictum) intra ſatis breve ſpatium non raro evincitur.

Ante aliquot annos egregiam puellam rheumatiſmo laborantem curandum habui, octies intra octiduum ſanguinem emitti curaveram, qui ſemper putridus eductus eſt, Adſtantes mulierculæ increpabant liberalem illam & largam ſanguinis emiſſionem (quam ipſa ægra efflagitabat, quia manifeſtum ſolatium, citra virium detrimentum experiebatur) Ab *illis quæſii cujus coloris eſſet ſanguis? Cum reſponderent naturaliter rubere, Oſtendi patellas non rubicundo liquore, ſed putri cruore refertas, qui innoxie intra corpus manere nequeat; & hæ quod reponerent non habuerunt, Puella autem intra quindecim dies omnino ſana facta eſt, Nomen illi Domicella Merode.*

Tum etiam *Idem* quandam Rheumatiſmi adumbrationem proponere videtur *2. Prorrhet.* illiuſque generationem ſuppreſſæ hæmorrhagiæ conſuetæ aſcribere. *Quibus*, inquit, *circa articulos dolores fiunt, & tumores, & ſedantur non podagrico modo, in iis comperies viſ-*

cera magna, & in urina ſubſidentiam albam &c. poſtea addit, *Fit autem hic morbus iis quibus in pueritia & juventute ſanguis ex naribus fluere ſolitus deſiit.* Riverius.

35. *Per venæ ſectionem*) Quæ hoc in affectu princeps eſt remedium, Nam hæc affectio ferè in naturas validas cadit & in eas maximè quæ ſynochas febres putres experiuntur: ſic idem canon ferè curationis eſt in hoc affectu, qui in laſſitudine ulceroſa aut phlegmonode, & in febre ſynocho putri: in iis autem affectionibus largè & ſæpe ſanguis mitti debet: Vulgus etiam medicorum (id quod medicos doctos dedecet, ſed ob inſolentiam morbi eis parci debet) quoniam videt partes omnes pariter æqualiterque dolere, ratum falsò catharrum eſſe, aut veritum ne provocetur fluxio in brachium è quo ſanguis duceretur, ferè à ſectione venæ abſtinet, aut trepidè cunctanterque eam aggreditur: ægri enim eo ſe habent modo toto corpore, quo Arthritici in ſuo paroxyſmo, in una aut paulò pluribus partibus, videtur enim hæc affectio eſſe Arthritis univerſalis: tamen ab inſtituta vacuatione per luculentam frequenremque venæ ſectionem id non debet nos revocare: imò etiam in Paroxyſmo Arthritico utiliter laxatur vena, id quod hæmophobis & parùm expertis medicis haud placet: maximè verò ad id invitamur, quòd impurus, imò planè corruptus ſanguis in eo affectu laxata vena detrahatur *Ballonius p. 279.* Spes omnis ſanitatis in venæ ſectione poſita, quæ vacuando, revellendo, derivando, refrigerando, eſt *ὑγιεινικὸν Ibid p 300.* Andegavenſis Comes eo affectu per ſex integras hebdomadas laboravit: decies miſſus ſanguis, expertus eſt ſudorifica, deterius habuit: hic hæmorrhagiis copioſis erat obnoxius, tandem cum nullis morbus ceſſiſſet remediis & deſperatus penè foret, ecce tam copioſa hæmorrhagia, & quæ credentis opinione major eſſet, ſupervenit, ut de funere cogitaretur, convaluit evacuato ſupra modum ſanguine, hinc pater morbum eum ad febres laborioſas referri poſſe aut ad laſſitudinem phlegmonodem: Quanti autem in febre laborioſa facienda ſit hæmorrhagia, docet Hippocrates 4. acut. 74. Quibus ſperatur in Articulos abſceſſus, liberat urina multa, qualis in febribus laborioſis: ſi verò ex naribus ſanguis fluxerit, brevi fit ſolutio. *ibid. p. 282.*

37. *Doloris mitigatione*) In Rheumatiſmo Genua maxime dolent, *Ballonius.* Genua cum valde laborant & tument, placet *Empl. ex ſigillo B. Mar. Crudo, Empl. de bacc. lauri* cum *pulv. ireos* Ichore replentur carnes & muco maligno nervi & ligamenta, qui mucus cum laudabilis eſt, apte & ſine dolore moventur partes, ſin minus, contra; Et quo magis ægri extenuantur partes, replentur tetro ichore & muco, & ex *Galeno comm. in lib. 7. de Artic.* iſte mucus nec Catapl. nec medicamento attrahitur, ſed coctione & mitificatione eget; potius valet *Catapl. ex farinis in vino coctis*, addendo *ſapam, facem vini, ſigillum crudum B. Mariæ*, Experiendæ ſunt *ſtupha ſicca* ſub finem, *aquæ plumbares* primas forte tenebunt. *Ballonius Conſ. 67. libr. 3. p. 278.*

37. *Doloris mitigatione*) Vtut ſæviat dolor, per omnem hujus morbi decurſum, religioſe mihi ab his temperandum exiſtimo (*internis*) cum illorum uſu figatur morbus, neque tum facile venæ ſectioni cedat, quæ ideo ob hæc ipſa medicamenta officioſe nimis exhibita, ſæpius quam erat opus, celebranda eſt: Quid quod & in morbi ſtatu, neque eam quam titulo pollicentur, *ἀναλγησίαν* valeant præſtare *Sydenham.* Veſperi purgationem inſequente, doſin paulo liberaliorem *ſyr. de Meconio.* in *aqua flor. paralyſ.* exhibeo, quo ſcilicet ſanguinis orgaſmus, unde & recidivæ periculum aliter intentari poterit, penitus reprimatur. *Idem.*

37. *Doloris mitigatione*) Aegri, quia ſenſum habent caloris acris, aliquatenus juvantur uſu rerum frigidarum, ſed nocent bifariam, partim quia difflatum prohibent, partim, quia ubi quis uſus eſt paulo frigidioribus remediis, remanet, domito morbo, major infirmitas nervorum, unde Arthritidis occaſio poſtmodum naſci poteſt. *Ballonius Ibid. p. 180.*

In hoc affectu Paregoricis remediis eſt utendum, ab his quæ ἀποχυστικὰ vocantur, præſertim à valentioribus eſt abſtinendum, *Ibid. p. 181.* Inter Topica, oxyrrhodinum & oxycratum morbi hujus contumaciam expugnant, quæ cùm omittuntur, effuſi ad Articulos humores abſceſſus pariunt, movendique libertatem artubus auferunt. *Idem* Vide §. *fuit ad partes.*

38. *Hepatis correctione per*) Non negligenda ſunt illa quæ hepar confortant, ut ſunt talis mixtura.

℞. *Rob. cynosbati, paſſul.* cum *cichor. coctar.* & trajectar. ā ā. ℥j. *conſerv. roſ. flor. tunic.* ā ā. ʒß. *pulv. diarrhod. abbat. roſat. novell. diatrion ſantalon. trochiſc. de eupatorio, diacurcum.* ā ā. ℈j. cum ſufficienti quantitate *ſyrupi de eupatorio* f. mixtura, cui addi poteſt *ſucci citri recens* expreſſi quantum ſatis ad gratam aciditatem.

Vel ℞. *Pulver. deopilativi rubei.* ℈ij. *detur omni mane cum* ℥iij. *aq. ſtillat. Cichor.*

Externè convenit ſeq. linim. ℞. *Cerat. ſantalin.* ℥j. *ſucc. Cichor. rec. extract.* ℥ij. bull. ad ſucci conſumpt. reſiduo adde *ol. roſ. de cappar. ana.* ʒß. *acet. roſ.* ℥j. M. f. linimentum. *Paulus de Sorbait.*

38. *Hepatis correctione per &c.*) Dum phlebotomiæ celebrantur, Clyſteres ſingulis vel alternis diebus iniiciuntur, Julepi exhibendi qui viſcerum intemperiem corrigere & humorum acrimoniam atque agitationem cohibere valent; Huic uſui maxime conducit *aqua papav errat.* quæ cum ualde proficua ſit in hoc affectu, ſola exhibenda eſt mane & ſero ad ℥vi. cum *ſyr. de limon.* vel granat. ad formam Julepi, quanquam ſine ſyrupo non minoris ſit efficaciæ &c. Poſt ſufficientes evacuationes, imo dum illæ celebrantur, partium principum, & totius corporis roborationi incumbendum eſt: Quam indicationem *Galenus* 1. de diff. febr. cap. 6. ubi Rheumaticam affectionem exponit, reliquis præferendam aſſerit, *Merito ergo his curandis ſcopus eſt, non evacuatio, ſed totius corporis roboratio*: Quod quidem ita intelligendum eſt, non quod nulla omnino competat evacuatio (idem enim *Galenus* hujus affectus curationem orditur à S. m. ac ſi pravam qualitatem habuerint excrementa etiam habet purgationem) ſed quod magis & frequentius roborantibus: minus vero & parcius purgantibus agendum ſit: Certum tamen eſt partes non poſſe roborari niſi prius excrementorum illuvies, qua onerantur, expurgata fuerit. Præterea ad hepatis fervorem temperandum utiliſſimum erit *Balneum* aquæ tepidæ quod per totam æſtatem frequenter erit iterandum; Vel ut commodius uſurpari valeat, ſemicupium erit utiliſſimum: In eundem finem *conſerva Cynorrhod.* aut Opiata iiſdem prædita facultatibus, & *Tabellæ triaſantali* frequenter uſurpari poterunt. *Riverius*, Vide inferius §. *Per refrigerantia.*

39. *Per refrigerantia &c.*) Refrigerandi vi prædita eſſe debent *roborantia* illa, ſiquidem fervida hepatis intemperies prima huic morbo originem præbere ſolet, Horum maxima ſuppellex apud authores invenitur, Ex his nos quatuor proponemus, quæ efficaciora & minus ingrata exiſtimavimus, Primum eſt *Tinctura corallor.* cujus ℥ii. æger ſumere poterit mane duabus horis ante paſtum, ſingulis diebus vacuis ab aliorum remediorum uſu: Quia vero Tinctura illa diu ſervari nequit, ad uſum longiorem in *ſyrupum* reducitur cum ſaccharo, cujus cochlearia duo mane ſumi poterunt, ſed multo minor eſt efficacia quam Tincturæ illius ſimplicis.

Secundum

Secundum eſt conſerva fructus cynorrhodi, quæ guſtui gratiſſima eſt, hepar refrigerat & levi adſtrictione corroborat: hanc ſumere poteſt æger ad nucis magnitudinem mane & ſero. *Tertium eſt Electuar. Triaſant.* quadruplicato Rheo, in tabellas redacto, cujus dr ii. ſingulis diebus ſumi poterunt, ſuperbibendo partim aquæ potus ordinarii: *Tinctura roſarum* (*potior flor p. av. errat.*) cujus cyathum unum æger haurire debet ſemel, bis, ter in die, longe à paſtu, Illius præparatio talis eſt.

℞. *Roſar. rubr. ſiccat.* ℥j. *aquæ cep.* ℔iij *ſpir. ſulphur. aut vitrioli* ʒiß *infundantur per horas* vj. *colentur, adde ſacchar. albi* ℔ß. ſerva in vaſe vitreo ad uſum.

Prædicta remedia, vel eorum nonnulla alternatim uſurpabuntur, ne natura eidem aſſueſcat. *Riverius.*

40. *Quæ parantur ex hordeo &c.*) Ad hepatis refrigerium & corroborationem utiliſſima ſunt ſequentia.

℞. *Radic. acetoſ. cichor. gramin. lapathi acuti* ana unc. j. *fol. Endiv. Cichor. acetoſ. capill. vener.* ana mj. *flor. cichor. borrag. bugloſſ.* ana pj. coq. ad ℔j. in colat. diſſolue. *ſyrupi de limon.* unc. iij. f. julep. clar. pro tribus doſibus bis in die ſumendis: Si magis refrigerare ſtudeas, adde ſingulis doſibus *ſpirit. ſulphur.* aut *Vitrioli*, q. ſ. ad gratam aciditatem. Poteſt etiam miſceri *ſalis prunellæ* ʒj. ad majus refrigerium.

Poſſunt etiam parari julepi ex ſuccis efficaciſſimi & guſtui gratiſſimi, quorum hoc, omnium loco eſto exemplum.

℞. *Succi pomor. redolent.* & per reſidentiam depurati unc. iij. *ſucci limon.* unc. ij. *aqu. roſac.* unc. ij. *ſucci malor. granator.* unc. j. *ſacch. albiſſ.* ℔ß. f. julep pro 3. doſib.

Convenit etiam opiata ſequens.

℞. *Conſerv. flor. cichor. viol. nymph. & bugloſſ.* ana unc. j. pulv. elect. triaſant. ʒiß. cum *ſyrup.* de limon. f. Opiata.

Serum lactis ad idem eſt efficax, ſi ad 15. dies vel plures uſurpetur. Elicitur autem commodè per lactis ebullitionem, affundendo parum aceti vel ſucci limonum & poſtea colando.

Amatus Luſitanus id præparat in hunc modum.

℞. *Seri lactis* ℔i. *ſyrupi acetoſi* valdè acidi unc. iij. Miſce, & factâ unâ ebullitione capiat ad modum aquarum mineralium, ſcilicet per duas aut tres vices, poſtea deambulando.

Quercetanus verò in hunc modum præparat.

℞. *Seri lactis* ℔ii. *ſucci limonum* unc. ii. *ſucci pomor. redolent. recent. extr.* unc. iij. *omnia ſimul cum album. ovi agitata ad ignem clariſicentur*, addendo parùm *Sacchari.* De colat. capiat. unc. vi. vel viij. continuando per plures dies. *Riverius.*

α. *Radic. fragariæ*) De herba cum ſua radice conſentiunt omnes in paſſivis ſiccam eſſe; De activis lis eſt, *Trago* dicente calidam eſſe; reliquis omnibus frigida eſt: His accedo, & cum *Matthiolo* accepto 1. gradum, nam ſapor aqueus, cum evidenti adſtrictione, & tantillo amaro id volunt. At habet vim deobſtruendi viſcera, icterum curandi, urinam & menſes ciendi, alia, quæ à calore ſunt? Reſpondeo, habet, ſed nonniſi malum ſit à cauſâ calida; Et quia Fragaria non tantum ab amarore vim habet obſterſivam, ſed à partibus terreſtribus adſtrictionem, fit ut illa eiiciat ſordes meatibus inhærentes, hac autem roboret quicquid à calore flaccidum eſt. *Hofmannus de m. off. p 235.*

β *Cichorii*) Veteres ad claſſem inthybaceam traxere *taraxacum, endiviam. cichorium, lactucam &c.* omnibus illis commune quod ſint frigida, hinc hepati conveniunt. *Panarolus* exinde in inæquali viſcerum temperie nil melius quam *cichoreum* convenire credit; Plantæ interim cichoraceæ in ſubjectis bilioſis multum præſtant, Vis conſiſtit in tale alkali multum temperato, quo ipſo abſtergunt per urinam, & mitigant in abdomine ortas phlogoſes. &c. *Etmuller comm. Schord. p. 110.*

41. *Sudoris concitatione*) De Sudorificis idem dicendum quod de Purgantibus, ea nimirum in principio, augmento & ſtatu non eſſe proficua, imo vero plurimum nocere; Quod vulgares Medici plurimum experiuntur, qui vel catarrhi ſpecie deluſi, & morbi contumaciæ pertæſi ad ſudorifica confugiunt, unde morbus geminatur & dolores intenduntur, Attamen in declinatione poſt debitas purgationes, nulla febre præſente, plurimum conferre poſſunt, eaque parari poſſunt ex decocto *China*, vel *ſalſapar.* vel provoci poſſunt ſudores in laconico, cum *vapore ſpiritus vini*, aut decocti alicujus appropriati. *Riverius.*

41. *Sudoris concitatione*) Diuretica quoque quale eſt decoctum *rad. lappæ major. & polypod. querc.* cum *cereviſiâ* factum, eadé ad unc. vj. vel unc. vij. ſumptum, ad ſudores & urinas provocandas, crebriùs propinanda: utpote ad invitationem naturæ; quæ per largos ſæpe ſudores vel urinas copioſas & craſſas, malo huic imponit coronidem: quod patet ex Hippocr. *Quibus circa articulos dolores fiunt & ſedantur, non podagrico modo, in iis comperies viſcera magna & in urina ſubſidentiam albam.* Huic decocto ſi addas rad. *ſarſapar.* ſudoriferum efficies, ad tollendos humores ſeroſos aptum, non tamen nimis frequenter adhibeatur, ne viſcerum intemperies augeatur. *Sorbait.*

Vidi qui *thermis* & decocto ligni in dies uti voluerint, ſed nullo profectu, imo omnia pene recrudueruntſaltem niſi diligenter toti corpori per ſanguinis detractionem proviſum fuerit per Clyſmata, & inflammatio deficerit, ab iis omnino temperandum eſt, Imo tales ægrotantes febrientium more regere convenit: *Ballonius.*

Abſorbendæ tam fœdæ illuvies fruſtra ſudores ſollicitantur, aut hœmigni (purpuratarum febrium inane præſidium) admoventur: fruſtra quæruntur hypocauſta, vel deſiccantia medicamenta præſcribuntur. *Idem.*

42. *Diæta*) Accedat Optima victus ratio, ex cibis boni ſucci & concoctu facilibus, perdicibus, capis. pullis gallinaceis, & pipionibus, præcipue vero juſculis & conſumminatis, juribus carnium expreſſis, & ſimilibus, quæ omnia ſumenda ſunt mediocri quantitate, ut facilius concoqui valeant. Pro *Potu ordinario* Priſana *ex hordeo, gramine, & liquiritia*, vel *ex decocto rad. acetoſæ*, vel *Tinctura roſar.* uſurpari poterit, A *vino* prorſus abſtinendo; quod omnium fluxionum vehiculum eſt maximum. *Riverius.* Vide §. *Curatio abſolvitur*) ex Sydenham.

42. *Diæta*) Carnibus prorſus interdico, quin & earum juſculo quantumlibet tenui limpidoque; quibus ſubſtituo juſcula à venac à, hordeacea, panatellam, &c. ejuſmodi, Cereviſiam tenuem inutentique pro Potu tantum concedo, vel etiam (quæ magis an rem facit) *ptiſanam ex hordeo. rad. liquir. acetoſæ*, &c. in aqua fontana decoctis: Volo interim ut per aliquot horas ſingulis diebus lecto ſe abſtineat, cum calor qui à jugi decubitu naſcitur morbum promoveat intendatque. *Sydenham.*

A Juſculis non eſt abſtinendum, ut falſo crediti catarrhi nomine vulgus Medicorum putat, quia enim tales ægrotantes eo fere ſe habent modo, quo ij qui παρεγλυπηκὸν λέγεσι nervos muſculoſumque genus habent irrigatum fluxionibus à capite manantibus, ideo falſo putant id à capite eſſe, & cauſam frigidam putant; at vero paralytica non ita dolent, non ita febriunt. *Ballonius.*

42. *Diæta*) Accedat optima victus ratio, ex cibis boni

ſucci & concoctu facilibus, ut perdicibus, capis, pullis, gallinaceis, & pipinionibus, præcipue vero juſculis & conſummatis, juribus carnium expreſſis, & ſimilibus, quæ omnia mediocri quantitate ſumendo, ut facilius concoqui poſſunt. Pro Potu ordinario *Ptiſana*, ex *hordeo gramine & liquir. vel ex decocto rad. acetoſ. vel ex tinctura roſar.* uſurpari poterit, à vino prorſus abſtinendo quod omnium fluxionum vehiculum eſt maximum. *Riverius.*

At hæc Diæta nec ſibi nec affectui conſona eſt, Praeſcribitur Potus refrigerans, non nutriens, Cibus plurimi ſucci, coſque calefacientis, Juſcula *enim conſummata bilis feracia ſunt, ſanguinem incendunt, qui hic exæſtuat, Revera morbus eſt chronicus, qui tenuem diætam reſpuit, ſed diſtinctio adhibenda eſt temporum morbi, nec ubi vinum abnegatur, craſſior ille victus concedendus fuit. Niſi forſan Diætam illam ad prophylaxin accommodet, quæ nihilominus ſuſpecta eſt, cum ubertatem ſanguinis ingeneret, Sed male prætermiſſa eſt Diæta in morbi decurſu obſervanda.*

Prophylaxis.

Curato affectu, prophylaxis ad aliquod tempus eſt neceſſaria, ne nova accumulata materia recidiva contingat; Illa igitur præcipue verſabitur in Purgatione periodica, ſemel aut bis in menſe iteranda, quod commode fiet ſyr. magiſtrali ſequenti, qui magis alterando & roborando hepar quam purgando proderit.

℞. *Succor. rec. expreſſor, & per reſidentiam depurator.* ex *foliis endiv. cichor. agrimon. fumar. lupulor. bugloſſo* ℔iij. *ſucci pomor. redol. rec. expr. & depurati* ℔ii. *ſennæ mund.* ℥vi. *epith.* ℥ij. *rhabarb. eb. & agar. rec. troch.* āā. ℥j. *macis & caryoph.* āā. ʒß. *Infundantur & coqu. ſ. a. donec colat. ſuperſint quart.* v. *diſſolve ſacch. albi quart.* v. *diſſolve ſacch. albi quart.* v. f. ſyr. pe rfecte coctus, de quo ſumat. ℥ii. ſemel aut bis in menſe cum *juſculo pulli*, aut *vituli fol. borrag. pimpin. ceterach. & agrim.* alterato.

Venæ ſectio etiam vere & autumno erit convenientiſſima.

Præterea ad hepatis fervorem temperandum utiliſſimum erit *Balneum aquæ tepidæ* quod per totam æſtatem frequenter erit iterandum, Alias ſemicupium ſufficiet.

In eum finem *conſerva cynorrh.* aut Opiata iiſdem facultatibus prædita, & *Tabella triaſant.* frequenter uſurpari poterunt. *Riverius.*

Poſt venam, quoties ſupra innuimus, pertuſam, ægri dolores admodum imminuentur, neque tamen adhuc prorſus evaneſcent; at vero reſarcita, quam fecerat ſanguinis detractio, virium jactura, (ſuperveniente maxime proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quam id quo primum decubuit æger) ſymptomata ad unum omnia certo certius ceſſabunt, atque æger pancreatice impoſterum valebit. Jam vero tametſi prædicta methodo, aut aliæ huic ſimili, tempeſtive, atque ſub ipſo morbi ingreſſu adhibita, eum, quem jam dixi, finem utplurimum ſortiatur, non raro tamen accidit ut ubi æger per errorem contrario plane modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc quidem mitioribus, nunc vero atrocioribus per omnem vitem miſere diſcrucietur, qui quidem minus cautis nullo negotio imponunt, & pro Scorbuti ſymptomatis vulgo habentur. *Sydenham p. 442.*

Quando Rheumatiſmus altas radices egit, ratioribus intervallis Venæ ſectiones diſterminandæ, quæ tandem vel materiam morbificam evertuncabunt, vel ſaltem eo conducent, ut *fontanella* in crurum alterutro excitata, & *ſpiritu volatili D. D. Goddard. in vino Canarino* mane & ſero exhibito reliquiæ ejus extirpentur. *Idem pagina 445.*

Differentiæ.

[43.] *Differentiæ* ſunt paucæ.

I. *Alius eſt ſine febre*, licet in habitu corporis & pulſu, à ſeroſi humoris bile perfuſi ebullitione, ἐπιπλόγισμα & φλεγμονῶδες τι membranis & muſculoſo generi accidat.

II. [44.] *Alius cum febre* eaque obſcurâ, concluſâ, & latente, in qua pulſum diutius tangenti calor quidam acris tactum feriens & per totum corpus diffuſus deprehenditur. Concitatur aliquando à doloribus: dum à validiore motu accenduntur ſpiritus, & materia ipſa defluens, interceptâ tranſpiratione putredinem concipit. [45.] *Ballonius* ejus ſedem in habitu corporis conſtituit.

III. *Alius febrem ſequitur*, quod in quartana idem obſervavit, facta materiæ ab interioribus ad exteriora metaptoſi.

IV. Alius [46.] *cum conſenſu cerebri*, quando ſerum efferveſcens tenue in venis ad caput prompte delatum in eo tanquam loco frigidiore & vapores in aquam mutante craſſitiem aliquam concipit, & inter decidendum ex permixtione mucoſorum excrementorum mucoſitatem acquirit, ideoque tum potiùs artus quàm articulos infeſtat.

Vide poſt *Franciſcum Portum*, & *Iohannem Vigierium, Ballonium & Catierium*, qui accuratiſſimè ſcripſit.

Huc referri poſſunt, 1. *Dolores* in capite de arthritide nominati.

2. *Dolores in humeris* ad manus deſcendentes torporeſque inducentes, qui vomitu bilis atræ ſolvuntur.

[43.] *Differentiæ ſunt*) Porro ſicuti dantur Orgaſmi particulares, ac humores V. g. intra cranium tumultuante, mox cephalalgiæ, mox convulſiones, mox deliria per vices conſequuntur; horumque rurſus magna exſurgit diverſitas, prout materia, ut ita loquar, epithemica varios cerebri tractus peragrat, Ita nec deſunt *ſingulares rheumatiſmi* aliquod membrum impetentes, intacto reliquo corpore: Non ita pridem vir ſplenicus, XL. annos natus, rheumatiſmo brachii ſiniſtri, κατ' ἴξιν affecti lienis laborabat; diri dolores, omnes alternatim particulas inter humerum & extremos digitos ſitas, raptim, & quaſi petaurica jactatione percurrebant, ita ut mulierculæ veneficium ſubeſſe ſuſpicarentur. *Menjotius.*

[43.] *Differentiæ*

40. *Differentia*) Datur etiam Rheumatiſmus *Criticus*, natura ſub finem morborum ἀπόςασιν, ſive ſeceſſionem humoris moliente non κατ' ἔργον, ob vires materiæ eliminandæ impares, ſed κατ' ἀπόθεσιν, tanquam excretionis vicariam. *Menjotius*,

Lumbago Rheumatica.

43. *Differentiæ*) Eſt & alio hujus morbi ſpecies, licet non hujus morbi eſſe proſapiæ vulgo credatur, quæ *Lumbago Rheumatica* aptiſſime dicatur, immanis ſcilicet dolor, idemque fixus circa lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os ſacrum ſe demittens; Paroxyſmum nephreticum mentitur, niſi quod æger non vomitet; nam proter dolorem atrociſſimum, & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & ureteres, per omnem eorum ductum ad veſicam uſque eodem, licet miriori, tentatur; Qui & mihi olim impoſuit, tanquam à materia aliqua ſabuloſa in iis partibus hærente penderet, cum revera materiæ Rheumatiſmi peccanti & inflammatæ ortum ſuum debeat: quæ quidem partes illas jam ſolas urit, intacto reliquo corpore, Immanis hic dolor, niſi abigatur eodem modo quo prior ſpecies, pariter etiam perdurat pari ſævitia excrucians, adeo ut miſer nequeat procumbere, ſed vel e lecto exiliat, vel ſuper eodem erectus ſedeat, corpore interim perpetua agitatione, nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato reductoque, Curatio eadem quæ priori &c, *Sydenham p. 438.*

44. *Alius cum febre*) Crebri quandoque ac leviuſculi horrores fatigant, ſed ἀπύρετος, aut ſaltem febris quæ affectatur, tepida eſt, à ſimplici videlicet efferveſcentia feroſæ plenitudinis, eademque noctu recrudeſcit, quo tempore ichoroſis humoribus, ob ſymbolicas aquoſæ ſubſtantiæ, cum nocte qualitates, datur perturbari; Quod ſi febris æſtuoſior emicet, hanc utique præter rheumatiſmi genium aliunde accedere indubitatum eſt; Sæpiſſime autem per rheumatiſmos perfecta notatur integritas à febre, vel quod humor præfervidus ſit, ſed incorruptus; imputris enim humorum excrementitiorum φλόγωσις nullam febrem ſuccendit, ut liquet ex cholerico pathemate, maniæ ac hypochondriali, in quibus omnibus, ſicut in ira, calor augetur. ſed non πυρωδῶς, Vel quod licet humor computruerit, hic tamen à præcordiis procul ad circumferentiam corporis arceatur, natura legitimos ſuccos ad vitæ cuſtodiam intus aſſervante, unde ſanguis primis diebus corruptus detrahitur, ſed iterata aliquoties phlebotomia, tandem laudabilis effluit, aut ad ſummum ἄχρηλος, id eſt orbatus rorulenta ſua humiditate, quæ è venoſo genere quaquaverſum in carnes tota ferme diffunditur; niſi forte ea ſit ſeri copia, ut venas repleat, ſimulque in carnes reſtagnet: Quidquid ſit, febres Putridæ in continuas & interpolatas dirimuntur, quorum illæ in grandioribus vaſorum ſtipiritibus, hæ in partibus alvinis focum ſuum habent; at nullarum minera poſita eſt in corporis habitu; ſic à laſſitudine phlegmonoſa febris per ſe remota eſt, licet omne muſculoſum remotumque genus ὑποφλόγισμα perpetratur, *Menjotius.*

45. *Ballonius ejus ſedem in habitu corporis*) Aliter *Jac. Thevart.* in *Theſibus de Rheumatiſmo*, qui in compendium adduxit *Ballonii Tract. de Rheumatiſmo*, Si alibi *ait*, dolor uſquam fatigat, maxime in Rheumatiſmo, qui eſt totius corporis, præſertimque externi, artuum articulorumque ἀπόςασις; cum dolore ὀςεοκόπῳ & moleſto, caloris gravitatiſque ſenſus: Fit acer hic affectus, cum partes internæ, venæ & arteriæ, ſeſe in externas & genus muſculoſum, per ναυτίασιν quandam exonerant; licet non raro internæ quoque corporis partes, ut inteſtina, uterus, pulmo, ῥευματικὰς διαθέσεις experiantur.

46. *Cum conſenſu cerebri*) Licet primariam hujus affectus originem hepati adſcribendum cenſeat, *Riverius*, in partes tamen venire cerebrum credit; atque ex eo humores iſtos interdum immediate defluere, inde patere, quod ſæpe dolores in cervice incipiunt, poſtmodum ad humeros & brachia deſcendunt: At nequaquam inde à cerebro humoris deſcenſus probatur, cum revera effuſio ſit lymphæ & ſeri in illas partes ex vaſis illa continentibus.

Cap. XXXIV.

DE MORBIS VENENATIS.

De Lue Venerea.

HActenus de morbis non venenatis actum eſt. Ad *Venenatos* pertinent, *Peſtilentia*, *Lepra Arabum*, *Lues Venerea*, & *Venena*. De prioribus duobus ſuperiùs egimus; jam de Lue Venerea agendum eſt.

1. Lues autem *Venerea eſt virulenta &* 2. *contagioſa* 3. *totius corporis cachexia*, 4. *plerumque cum dyſcraſiâ calidâ*, 5. *defluvio capillorum*, 6. *maculis*, 7. *tuberculis*, *ulceribus contumacibus & dolore immani*, *nocturno præſertim ſæviens, epati &* 8. *facultati nutrienti adverſa*, *ab excremento maligna & venenata qualitate infecto*, *per contagium*, *inprimis vero concubitum illato*, *exorta*, & 9. *pluri mis ſymptomatibus ſæviens.*

10. *Nomina* habet varia. Dicitur morbus 11. Gallicus, Italicus; Neapolitanus, 12. Hiſpanicus, Indicus, 13. Syphilis, Pudendagra, Variola magna, &c.

14. *Subjectum* adæquatum eſt totum corpus: 15. fons verò mali eſt ipſum *epar*, ex quo inquinato crudus corruptuſque ſanguis in totum corporis habitum diſpergitur, & ſingularum partium nutritio vitiatur.

[1] *Lues autem Venerea eſt*) *Eſt morbus malignus contagione inductus, humorum maſſam & partes corrumpens, maculis rubris, tuberculis, ulceribus & cruciatibus ſe prodens*, Ex tractatu Manuſcripto D.D. Barbeyrac Practico Monſpelienſi famigeratiſſimo, adſcripto.

[1] *Lues Venerea*) Quidam *Luem* dictam putant ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd omnia diſſolvat. Hæc *Venerea* dicitur cùm inde plerumque contrahatur: Revera corporis œconomiam diverſimodè afficit, & diſſolvit.

[2] *Contagioſa*) Hujus accidentia ideo diligentiùs ſunt recenſenda, ut maturè eâ cognitâ, hac correpti, à ſanis ſeparentur; quibus etiam ob id magiſtratus propria noſodochia, ſi pauperes ſint, quò relegentur deſtinavit. *Platerus.*

Quo pacto hoc venenum, à venenatâ causâ, per contagium *ex commiſtione maris & fœminæ; vel alio contactu, vel etiam ſputo in corpus aliunde, vel per vaporē aut humorem transferatur, illicque membraneas ſedes invadat, eaſque inficiat, accidentiaque varia proferat abunde explicatur ab eodem capite de Elephantiaſi.*

[3] *Totius corporis*) Cùm nulli parti continenti contentæve parcat Lues, non mirum ſi & functiones in ipsâ lædantur, & Naturales & Animales; *Naturales* non tantum ſecundum Nutritionem in affectis partibus vitiatam; ſed inſuper ubi præſertim malum ingraveſcit, ſecundum ipſas omnes plus minùs labefactatas, unde videas & Appetitum ſenſim proſterni, Alimentorum fermentationem vitiari, Excrementorum ſecretionem minus recte procedere, hinc & corpus paulatim mareſcere, aut cachexia multifaria vexari, *Animales* functiones læduntur tum ratione doloris ſenſum externum afficientis; Tum ratione motus animalis multis modis lædi ſoliti: Vt jam ſileam motus Animi non parum tunc conturbatos, unde nec mens ſatis ſibi conſtat, quin non raro ſimul delirat. *Fr. Sylvius.* Vide infra §. *Facultati Nutrienti.*

[4] *Plerumque cum dyſcraſia calida*) Quidam valde ſiccam & paulo calidiorem per contagium impreſſam arguit, ac eam primum quidem ſimplicem, deinde vero increſcente humore noxio, compoſitam, qui in carnis ac corporis habitum à natura propulſus & continuum ſolvat, & puſtulas ulceraque excitet, dolores, tophos, aliaque incommoda innumerabilia accerſat: Neque mirum videri debet ſi medicamentis, quæ ad omnis generis intemperiem comparata ſunt, hactenus non ceſſerit, quod omnis ſicca intemperies partis alicujus nobilis, maximeque hepatis humidi primigenii plurimum abſumat atque diſſipet; nec niſi arte ſumma, & ſummo remediorum uſu tolli emendarive poſſit, cum reliquæ omnes intemperies facile tollantur.

Intemperiem calidam eſſe à natura rei cognoſci, & ab ejus effectibus, ſi quidem Puſtulæ & ulcera, quæ in hoc ſunt morbo, duritiem habent inſignem durities autem fit vel à pituita craſſâ, vel à melancholia; at pituita craſſa facta non corrodit, Eroſiones enim quæ cum duritie affligunt, ſui cauſam materiam craſſam & denſam agnoſcunt; Adhæc materia tenuis Eryſipelata vel Herpetes excitat, Vlcera autem Luis profunda ſunt & cava: Denique Luis ulcera iis tolluntur remediis quæ veteres Arabes ad ulcera à ſica & torrida materia compararunt, quo circa à materia calida, ſicca & denſa emergunt.

Intemperiem autem ſiccam cauſam non eſſe Luis ex invadendi ſerpendique modo conſpicuum eſt: Omnis enim viſcerum intemperies præſertim vero ſicca, paulatim contrahitur, idque vel potus, penuria, vel rerum calidarum & ſiccantium diuturno uſu: Eſt enim ſiccitas patiens qualitas, minimam agendi vim ſortita; Atqui Luis cauſa, quanquam non ſemper ſubito ſe prodit, ſed Interdum ut rabidi canis virus aliquandiu deliteſcit, repente tamen ſemper contrahitur, eo ipſo die vel altero, vel certe brevi admodum temporis ſpatio qua parte contracta eſt, ex ulcere aliove ſymptomate certa de ſe indicia prodit: totumque corpus, vel optime ſanum pervertit; At poteſtne Jecur (vide §. *Fomes mali eſt ipſum Hepar*) tam cito ſicceſcere, humidumque ejus primogenium abſumi, & retorridus in eo genitus humor in corporis ambitum propelli? quænam iſta, aut in quo alio morbo tam repentina perſpecta eſt humorum ſecretio, genitave intemperies? Neque vero ſi Tubercula dura & ulcera exedentia, luem ſtatim excipiunt, idcirco ſane horum principium, Jecur, ſicca intemperie ſtatim laborat, Ea quippe non tam Jecoris vitio & noxa, quam à malignitate cauſæ, quæ humores in ſui naturam depravar, proficiſcuntur, In febre quidem peſtilenti cor, ſuæ affectionis indicia, Carbunculum & Bubonem foras eructat, Ac minime tamen accenſa aut reſiccata ſunt viſcera, Cor ſiquidem maligna qualitate obſeſſum ſæpe prius extinguitur quam viſcerum temperies poſſit permutari: Itaque calida & ſicca hepatis intemperies Luis cauſa eſſe non poteſt. *Fernelius cap. 3. de L. V.*

[4] *Plerumque dyſcraſia calida*) *Rondeletius* morbum hunc in intemperie frigida & humida collocat, Nos, *inquit*, hunc morbum ſub intemperie collocavimus, quia primum intemperies maſſam ſanguinis inficit; deinde cacochymia naſcitur, à qua puſtulæ, tumores, ulcera, doloreſque naſcuntur: Nemo ibit inficias morbum eſſe intemperiem quæ humores corrumpit, Nam in hoc omnes fere conveniunt, ſed à nobis in ſpecie diſſentiunt, ut *Montanus*, qui putavit eum morbum calidum & ſiccum eſſe, quem tamen curat calidis & ſiccis, ut *guajaci decocto* & aliis omnino deſiccantibus, quæ potius foverent & exacerbarent morbum ſi ſtaret ejus ſententia; Verum cum frigida & humida huic morbo plane & velut ex diametro contraria eſſe nos & experientia, & eorum quos lues infeſtat teſtimonia doceant, nemo *Montano* adhærebit, A frigidis autem & humidis humoribus tantos excitari dolores nemini mirum eſſe debet, Nam vidi ego multos ex ſola capitis & pedum lotione in ſummos incidiſſe dolores ob introductam frigiditatem & humiditatem nimiam, quos tamen dolores multum calidis ſedari quotidie experimur, Quare ſi à juvantibus & lædentibus ſumitur indicatio, haud dubie morbus hic intemperies frigida & humida erit, ut ex rei natura atque affectibus apparet, Cæterum materia illa humida diutius moram in corpore trahendo incraſſatur & acrimoniam acquirit, tandemque partium temperamentum immutando ipſaſque partes divellendo aut rodendo continui ſolutionem efficit: Hæc autem frigida & humida intemperies pro corporum in quibus concluditur varia natura alia atque alia evadit, nam ſe in corpus quod hoc morbo corripitur, ſanguine abundet ſtatim infecto ſanguine puſtulæ erumpunt ſine dolore quod arguit materiam non eſſe aduſtam: Sunt & in aliquibus puſtulæ veluti carnoſæ, in aliis icbores in capite à ſubſtantia craſſa & viſcida; quæ quidem puſtulæ mitiores ſunt ob humiditatem, minus frigidæ ob ſangvinis calorem; ſed hoc tantum initio? & eo tempore quo maligna illa qualitas nondum infecit ſanguinem neque immutavit: Poſtea verò oboriuntur dolores qui noctu infeſtant interdiu ceſſant; mitigantur autem calidis, frigidis verò & humidis exacerbantur; procedente vero magis morbo, & corpore magis affecto, frigidior redditur morbus, Et cum fiunt ulcera, id à pituita ſalſa fieri certum eſt, quare nos materiam pituitoſam & viſcidam hujus morbi cauſam eſſe hinc colligimus, quod dolores articulorum ſine calore fiant circa noctem & citra

manifeſtum

manifeſtum tumorem in partibus carne denudatis ac ligamentoſis vt circa cervicem claviculam, caput, ſternum anteriores tibiæ partes & in aliis oſſibus multum à capite diſtantibus, nam hæ partes omnes frigidæ cum ſint alimento pituitoſo nutriuntur. Et cum hi dolores à recrementis partium fiunt, vt in tibia, vel à defluxione à capite, à quo pituita redundat; vel ex aliis oſſibus non poteſt eſſe alius humor; Et fiunt hinc dolores homoplatarum qui pituitam ſubeſſe declarant; Fiunt etiam in pituitoſis corporibus per defluxionem, cum ſubito tumores & dolores contingunt. Fieri autem à Pituita tumorum apertio oſtendit, qui cum ſecantur vel vruntur, pituitam viſcidam vel pus viſcoſum emittunt; Quare miror cur alii melancholiam, alii aſſatum humorem vel aliam materiam eſſe dicunt, hoc enim vnum argumentum ſatis eſt efficax ad ſententiam noſtram probandam, quo etiam *Galenus* vtitur cum docet inflammationem ſanguine fieri. Illud quoque probare poſſumus ex iis quæ poſt ſudationem excernuntur, quandoque enim exſpuitione liberantur à dolore & perfecte curantur: Morbum hunc humidum eſſe ſatis oſtendit ſanatio, curatur enim reſiccantibus & moventibus ſudores potius quam moventibus vrinas vel ventrem laxantibus.

Steatomata etiam & *Exoſtoſes* (Gallice *Subros*. Italice *Qnies* vocantur) nonniſi à materia viſcida craſſâ fieri contingit, vt diſſectio eorum qui mortui ſunt, & tumorum præter naturam apertio, denique ipſa curatio oſtendit. Non me latet in multis *Herpetes* fieri, ſed miliares, qui ex bilis & pituitæ admixtione ortum habent, idque in corpore bilioſo; Neque tamdiu durarent *Herpetes* niſi illa pituitæ admixtio adeſſet; Fiunt etiam *Furfures*, aut inæqualitates in cute, & Pruritus, Quæ omnia non minus à pituita ſalſa fieri exiſtimandum eſt quam à bile. Quod ſi *Vlcera* fiant, non curantur niſi corpore prius repurgato, & hoc potiſſimum per ſudores: Quare ſi à materia calida & ſicca morbus fuerit, hiſce remediis potius foveretur quam curaretur: Nec vero minus ridendi ſunt qui *frigidum & ſiccum* eſſe morbum ſtatuunt, Nam hæc remedia ſicciorem redderent, atque ideo magis læderent, Et tamen quæ ſicca ſunt curant, vt *Guaiacum*, *China*, *Salſaparilla*, *argentum vivum* & alia. Ergo nullomodo frigidus & ſiccus morbus eſt. Qui excernunt excrementa pituitoſa ſatis declarant morbum eſſe frigidum; neque aliquis contrarium docere poteſt, etiamſi in quibuſdam aliqua bilem oſtendant, vt herpetes, aliqua ſanguinem hoc enim evenit quia morbus in corpore pleno bile factus ſit, vel melancholico vel ſanguineo, Et hoc initio. Nam morbus tandem corporum illorum temperiem immutat & pituitoſus morbus vere tunc fit & apparet. *Rondeletius*.

5. *Defluvium Capillorum*) Id frequenter accidit, eamque denotat potiſſimum circa tempora & occipar, item ſuperciliorum & in viris barbæ pili, ſi labantur, certius adhuc erit ſignum, eoque magis ſi alia quoque indicia concurrant; licet & ſi hoc tantum eveniat, hanc luem oſtendere poſſint, quando alterius affectus, in quo quoque pili excidere ſolent, nulla adſunt indicia, & ſi concubitum cum ſuſpectis mulieribus fateantur. *Platerus*.

6. *Maculis*) Quibus quandoque cutis hinc inde, nunc certis in locis, in facie, collo, thorace; ventre, circa pudenda præcipue, nunc per vniverſum corpus conſpergitur, non tamen attollitur, qua pulicum morſus alias repræſentant, & rubent, alias lentiginum inſtar obſcure flaveſcunt ſeu livent, Vidimus & ſæpe continuatis maculis ejuſmodi lateſcentibus, amplo ſpatio cutem alicubi commaculatam, frequentius in pectore & dorſo, nonnunquam & abdomine; vel etiam aliis in locis, quibus preſſis, colore alieno refugiente, veſtigium preſſum albicabat, quod mox ad calorem priſtinum redibat. Hæ *maculæ*, vel ſolæ, ſi non aliam illarum cauſam quam congreſſum impurum eſſe conſter, Luis hujus initium, vel leviorem illius ſpeciem, ſicuti & pilorum defluxus ſolus, conſtituunt & arguunt, quæ tamen aliis inſuper accidentibus certiora erunt, morbumque graviorem eſſe oſtendent. *Platerus*.

7. *Tuberculis*) *Puſtulæ* elevatæ indolentes aliquando prodeunt, ſubrubræ vel ſubflavæ, rotundæ, duræ & ſicca ſquama, ſeu cruſta obductæ, in fronte, in aurium, narium, faucium ambitu, ac in capilloſâ capitis ſede potiſſimum apparentes; necnon in collo, thorace, mammillis, brachiis, cæteriſque partibus interdum etiam occurrentes, quæ *Puſtulæ* hanc Luem certo indicant. Præter quas & aliæ *Puſtulæ malignæ* in interioribus locis, vt ore faucibus, naribus, & viribus membri præputio; mulierumque obſcœnis oboriuntur. Quæ Puſtulæ, ſi præſertim plures concurrant, *Luem* hanc certo produnt, maximeque ſi alia quoque illius indicia præceſſerint, vel ſupervenerint; In infantibus infectis hæ in ore erumpentes potiſſimum illius infectionis ſignum præbent. *Platerus*.

8. *Facultati nutrienti*) Quæritur vulgo Quænam functio in Lue maxime afficiatur? Nos inter diſſidentes variorum opiniones accedimus iis qui ſtatuunt primario ac per ſe functiones Naturales ac imprimis *Nutritionem* lædi, ſecundario ac per accidens tantùm Animales. Probatur autem illud quia ſemper in Lue vel totius corporis, vel quarundam ſaltem partium nutritio læditur: Univerſi corporis quando vniverſa ſanguinis maſſa eſt infecta: Quædam partes, quidem illæ tantum quæ infectæ fuerunt, quandiu tota ſanguinis maſſa needum eſt infecta, nec proinde venenum per vniverſum corpus eſt diſtributum, vel quando ita conſtitutum & affectum eſt Venenum Venereum vt non æque noceat partibus ſingulis ſed quibuſdam duntaxat, quod inprimis obſervamus fieri melancholicis, qui ſicuti diutius reſiſtunt veneno Venereo, ita dolores fere patiuntur circa oſſium membranas pertinaces atque magis rebelles, curatuque magis difficiles quam cæteri, & inprimis ſanguinei, quorum conſtitutio ſicuti venenum facile admittit & mox manifeſtat, ita ab eodem citius & facilius liberatur & curatur.

Animales autem functiones læduntur ſecundario, quatenus humores Acidi & Acres, quoties ad partes ſenſiles accedunt, dolores in ipſis excitant, & tum hactenus, tum quatenus partes à ſe eroſas ad motum ineptas reddunt, Animali motui adverſantur. *Fr. Sylvius Append Tr. xiii. §. 57.*

9. *Plurimis ſymptomatibus*) Quæ aliquando plura aliquando pauciora obſervantur, & quidem tam pro perſonarum affectarum temperamento vario, Luis contractæ modo diverſo, quin ejuſdem duratione atque tractatione diverſa, quæ omnia in ſequentibus magis patebunt. *Fr. Sylvius*.

10. *Nomina habet varia*) Parum noſtra referre puto quibus vulgo nominibus, cum variarum Nationum infamia celebretur, aut quando primum in Europa, aut quibus occaſionibus innotuerit hic affectus, cum ad Medicum inprimis ſpectet ipſum rite cognoſcere ſecundum ejuſdem cauſas tum internas tum Externas quo rite quoque curari queat; Illam proinde de odioſis ejus Nominibus contro-

verſiam iis determinandum relinquens, quibus volupe eſt ſingula in aliorum ignominiam fingere, trahere ac referre dabo operam vt aptiſſimo *Luis Venereæ* nomine contentus ipſam rem ex æquo explicem. atque ita medicinam facturos de ipſa imformem, vt ipſam & dignoſcere, & cognoſcere & curare diſcant.

Hoc certe ſatis notum eſſe poteſt cuivis Medicorum Veterum ſcripta legenti Luem Veneream ignotam fuiſſe veteribus, nec niſi ante duo circiter ſecula innotuiſſe Europæis, quamvis non negemus morbis quibuſdam ſubinde laboraſſe qui Veneri nimium ſtudebant, aut cum cachecticis, vel alias minus ſanis rem habebant; non fuerunt tamen, iſti affectus ſimiles Lui Venereæ nunc notæ atque tantopere in multos ſævienti *Fr. Sylvius App. Tr. 3.*

10. *Nomina habet varia*) Recte *A. Paræus*, ab eo qui inquinatus eſt hac lue nomen deducendum. Si Gallus infectus fuerit Gallicus morbus dicatur; Si Hiſpanus, Hiſpanicus. Si Italus Italicus, & ſic de cæteris.

Rondeletius ſuum de Lue Venerea tractatum De *Morbo Italico* inſcripſit, in Italos retorquens telum quod in Gallos vibrant. *Luem Indicam* rectius vocari cenſet *Platerus* quod ex Indis primum promanarit.

11. *Gallicus*, *Italicus*, *Neapolitanus*) Annus fuit à *Chriſto* nato, poſt M. & CCCC. nonageſimus tertius, aliis ſecundus, cum irrepſit Lues Venerea apud Neapolim primum in Gallorum exercitum Unde à Gallis Neapolitanus, à Neapolitanis Gallicus morbus eſt appellatus. *Fernelius.*

12. *Hiſpanicus Indicus*) Ego vel ab Inſulis quibuſdam Americis, in quibus populariter affectum hunc graſſari audio, per Hiſpanos in Gallorum exercitum vitium allatum crediderim; Aut illic certe ſcorti cujuſpiam magna impuritate contractum, cujus dein contagio in omnem Europam, Aſiam, Africam, omnemque orbis partem quæ noſtratum commerciis vtitur impleverit. *Fernelius.*

13. *Syphilis*) Quo nomine à *Fracaſtorio* indigitatur; Vide ejuſdem egregium de Lue Venerea Poëma, quam ibi hoc nomine inſignivit.

14. *Subjectum*) Quæritur in quonam *ſubjecto* hæreat Venenum Venereum, an in partibus ſolidis & continentibus, an in partibus fluidis & contentis? Nos putamus ipſum primario conſiſtere in contentis, ac pro ſubjecto vero agnoſcere Humores Acidos naturaliter in nobis exiſtentes, hoc eſt venenum Venereum forinſecus communicatum, inficere ac inquinare inprimis partem humorum noſtrorum Acidam, & illam ita corrumpere, atque à ſtatu naturali abducere vt Acrimoniam rodentem acquirat, cujus ope non tantum totam ſanguinis maſſam, omneſque in nobis alios obſervabiles humores, Bilem, Salivam, Succum Pancreaticum, Lympham, Spiritus Animales, ac imprimis ſemen atque Lac inquinet atque inficiat, ſed partes quoque ſolidas & continentes quaſvis, Cutim, carnem, glandulas, membranas & ipſa oſſa rodat & tandem corrodat & conſumat. Venenum ergo Venereum, & in Acido acri conſiſtens. Acido noſtro, ſed ſecundum naturam temperato blandoque facillime ſe jungit, illud alterat & in ſui naturam vertit lac noſtri reſpectu corrumpit, vnde priori ac externo ſimile factum & acre, tum contentas, tum continentes partes corporis omnes inficit ac corrumpit, omniaque ſymptomata obſervabilia producit, quod ex ſingulorum ab acri Acido deductione apparebit. *Franciſ. Sylvius.*

14. *Subjectum adæquatum eſt totum corpus*) Colligendum eſt morbum hunc eſſe partium Externarum, vt cutis, carnis, juncturarum & partium frigidarum, Ob id infeſtantur frigidæ partes doloribus, vt caput, articuli, ſuræ, ſternum, Partes vero internæ non multum inficiuntur, quia calidiores ſunt & excrementa facilius concoquunt aut expurgant. *Rondeletius pag. 834.*

Venenum huic Lui producendæ aptum membranea involucra potiſſimum infeſtare, in illiſque non ſolum vitia, ſed & quandoque dolores excitare manifeſtū eſt, Nam vt in illa circa *perioſtia* dolores atroces circa excarnem oſſium ſedem in *capite. tibiis, ſterno*, excitat, nodoſque in quibuſdam locis ſic & in aliis ſpeciebus eodem modo, vt elephantica lues, cutem potiſſimum invadens, & ſuccingentem os fauces, nareſque tunicam, pilorum in cute defluvium, in eaque maculas, puſtulas vlcera hinc inde; & circa pudenda, atque in ore, faucibus, naribus parit. *Platerus.*

15. *Fomes mali eſt ipſum Hepar*) Materiam cui Lues inhæret non aliunde peti poſſe quam ab Hepate, qui contendunt hoc argumento vtuntur, Medicum eſt theorema *Actione aliqua per totum corpus læſa æquabiliter, principium ejus naturale neceſſario eſſe male affectum*, Neque enim (quod exempli cauſa dictum ſit) motu & ſenſu totum corpus privari poteſt illæſo cerebro, motus & ſenſus principio; Neque aſphyxia, id eſt, ſumma pulſus imbecillitas, in toto corpore deprehendi poteſt, illæſo ejus principio corde. Sic profecto vitiato ſanguine in omnibus corporis partibus neceſſe eſt Hepar eſſe læſum, & cujuſmodi eſt ſanguinis vitium talem quoque eſſe Hepatis noxam: At omnes eo modo affecti lividi fere & ſub nigri cernuntur, floridumque faciei tum reliqui corporis amittunt colorem, qui fit vt in Hepate ſanguis gignatur craſſus, denſus & mordax, qui poſtea in ſuperficiem protruſus, eum colorem invehit, nam talis eſt cutis in ſuperficie quales ſunt humores in intimo corpore exſuperantes, niſi ad profundum frigore aut alia occaſione decubuerint receſſerintve. *Fernelius de Luis Vener. curatione cap. 3.* qui hanc opinionem rejicit, nulla adducta ratione. At vero Hepar, ex Neotericorum ſententia Facultatis Naturalis ſedes nequaquam conſtituitur, ſed Cor fons & officina ſanguinis; idemque ideo Facultatis Naturalis principium, quæ à vitali non contradiſtinguitur; ſiquidem duæ tantum Facultates œconomiæ animalis rectrices conſtituuntur à Neotericis. Animalis, cerebro aſſignata, & Naturalis cordi, ſub qua vitalis comprehenditur.

16. *Signa ſunt*) contrahitur *Lues Venerea* concubitu, acubitu aut alio quolibet contactu.

Si concubitu inſertum fuerit virus, in *partibus obſcænis* primò ſe profert labes, & in iis comparent *gonorrhoëa* vel *caries pudendi*, vel *puſtulæ, herpetes* & alia id genus.

Si accubitu, in ſumma cute erumpunt *puſtulæ, Herpetes* & alia id genus, in nutricis papillis *vlcera* naſcuntur, ſi inquinatus fuerit infans, in ore & faucibus infantis, ſi infecta fuerit nutrix. Et ſi quis è poculo biberit vel è cochleari ſorbſerit, qvo uſus eſt paullò ante laborans, in ore, linguâ, palato, & faucibus *vlcuſcula* oriuntur, *Barbeyrac in tract. Manuſcript. de Lue Venerea.*

16. *Signa ſunt*) Luem veneream multis ſignis ſtipatum dignoſcere, haud difficile eſt, vt ſi poſt *gonorrhoëam, cariem pudendi* & ſimilia, *dolores* in mediis artubus, vel in ipſis articulis oriantur, qui noctu ingraveſcunt, & dolor capitis continuò ægrotantem fatiget, Si *os, palatum* & *fauces* exulcerantur ſi *puſtulæ* & in capite & in toto corpore exoriantur? Si *condylomata* anum occuparent

occuparint & *Herpetes* ſcrotum & alias partes infeſtarint, de *Lue Venerea* ampliùs non eſt dubitandum, eamque inveteratam judicandum. Si *gummata* ſeu *exoſtoſes* in oſſibus emineant, quòd non ſolùm carnes & membranas tunc invaſit, ſed ſolidam etiam oſſium ſubſtantiam penetraverit ibique radices altas egerit.

Si commemoratorum ſymptomatum aliqua tantùm contingant, paullò difficilior & obſcurior erit diagnoſis, difficillima admodum ſi aliorum morborum ſymptomata mentiatur, vt ſi *ophthalmia*, vel *Cæcitas*; vel *ſurditas*, vel *aurium-tinnitus*, vel *vertigo* ejus comes ſit, & tunc ſagaci & exercitato Medico, ad eam explorandam opus eſt, qui præteritorum malorum memoriam ægrotanti refricet, & ab eo petat an *gonorrhoëa* vel *carie pudendi* vel *bubonibus* laboraverit, vel *porros* & quibus remediis vſus fuerit. Ex his latentis hoſtis inſidias poterit perſpectas habere, & in eum aperto marte, tela ſua dirigere. *In Tractat. M. S. D. D. Barbeyrac* adſcripto.

[16]. *Signa* ſunt, [17]. *Incipientis*, *Laſſitudo* omnium membrorum levis cum gravitate totius corporis, quia ſpiritus naturales, qui ſunt immediatum ſuſtentantis facultatis inſtrumentum, infecti ſunt. *Dolor* per vniverſas partes vagus & parvus, quem vapor ab hepate elevatus inducit. Ab eodem *Color* faciei immutatur, & ſub oculis circulus lividus quaſi in menſtruatis apparet. *Calor* inſignis in veſtigiis pedum & manuum etiam in hyeme oboritur, ſomnus interrumpitur. *Caries* circa pudendum moderata; ſeu quia ſanies pudendi fœminei eroſit pelliculam; ſeu quia hepar communicatum ſibi per ſpiritus naturales contagium ad pudendum propellit. *Bubones* moderati, parvi, non doloroſi, non validè creſcentes; quia hepar ad inguina tanquam ad partes emulgentes excrementa mala depellit. *Gonorrhœa* Gallica, quæ ad labefactationem ſpirituum, facultates, teſtium regentium infertur.

Confirmati ſunt: *Puſtulæ* in vniverſo corpore, capite præſertim & barba duræ circa quartum vel ſextum menſem exortæ, aliquando cum cruſta, aliquando non; aliquando cum ſanie, aliquando non; quæ vel à materia contagioſa ab hepate tranſmiſſa, vel à parte excrementa propter virium concoctionis congerente, oritur. *Vlcuſcula* in pudendis calloſa. *Vvulæ* in faucibus *mollificatio* & dependentia, quam *raucedo* vocis excipit, ſpiritu namque naturali labefacto, in ventriculo pituita, in cerebro mucus, in venis ſanguis pituitoſus exoritur, & proceſſu morbi aduſtus, acris evadit. *Tumores* glandularum in faucibus, materiâ infectâ, & ab emunctoriis excretâ, capiti communicatâ. *Corruptio* palati & dentium, quæ gradum morbi intenſiſſimum indicat. [18]. *Dolores* firmi, clamoſi, ante veſperam exorti, qui vel à vapore maligno, vel ab excremento circa perioſtia cujuſlibet partis congeſto, exoritur. *Vlcera* maligna vniverſum corpus, propter jam datas cauſas obſidentia. *Defluvium* pilorum. *Cruſtæ*, *calli*, *rhagades*, in volis manuum & plantis pedum, quæ à materia pituitoſa valdè exuſta oriuntur. *Tinnitus* aurium, qui; cum vapor noxius à capite, nec per cutim, nec os, nec nares, expelli poteſt, & ideò vltimo conatu ad aures protruditur, producitur. Plura vide apud Practicos.

[16]. *Signa ſunt*) Hoc notatu dignum eſt non ſemper facile eſſe nominatim determinare Luis præſentiam, ſi quidem certum eſt in hoc affectu materiam virulentam diutius cum ſanguine circumvehi, neque tamen è vaſis egredi, ea ſaltem copia quæ invehat ſymptomata manifeſta. Nam nonnunquam ſimulat, in muſculos & carnes diffunditur. Natura hanc foras protrudit, vel vna cum ſanguine menſtruo, vel per vaſa hæmorrhoidalia; alias cum humore, gonorrhœam, quæ habitum contraxit, patiente; vel tandem vna cum ſanie ex ulceribus & fiſtulis manantes: Adde quod tam diverſimode agit pro varietate ſubjectorum quibus inſidet, vt nondum licuerit deprehendere ægrum, in quo concurſus fuerit & ſyndrome omnium ſymptomatum. Quin & nonnulli animadverſi ſunt, in quibus oſſa putredine affecta fuerint, nullis prægreſſis Lui familiaris ſymptomatis. Attamen ſi eorum nonnulla, aut maxima ſignorum pars apparuerint; ſi præterea contagium præceſſerit, Si perpendantur affectus præſentes, & quem exitum habuerint illi qui præceſſere commercium: ac ſymptomata concomitantia; Tandem conſtitutio eorum qui contagio infecti ſunt, aut geniti ab ægris qui examen diſquirunt, procul dubio æquum ferri poterit judicium. Interim caveant Ægri qui de lue latente ancipites ſunt, ne quoſvis ſine diſcrimine adeant & in conſilium adhibeant; nam non pauci, vel præ imperitia, aut experientia deſtituti, aut lucro ſolum inhiantes intrepide Luis præſentiam adſtruunt, apud quos vel leviſſimæ cutis excoriationes pro vlceribus venereis habentur. Ulcera vulgaria pro carie virulenta cenſentur. Apud eos nihil non inſigne eſt, vel leviſſima cutanea vitia Luem arguunt, ſcabiem pus fundentem nomine Ulcerum venereorum donant, ſiccam & cruſtoſam, Verrucarum & Porrorum; Herpetes & impetigines ſimplices, Puſtulas venereas nominant, ſcirrhoſa tubercula Exoſtoſes. Tandem omnia vitia Acidorum Venenorum ſobolem eſſe aſſerunt. Quin & nonnulli impoſtores eo pravitatis deveniunt, vt aſſertiorum fidem facturi, leviſſimis vlceribus cauſtica medicamenta admoveant, dolorem inducturi, duritiem & ſuppurationem ſicuti in Ulceribus virulentis evenit; vt pro ſymptomatis luis habeantur; Hinc ad peſſimum ſtatum deducunt applicatione vnguentorum ex arſenico & ſublimato corroſivo confectorum. Denique inducta fictitia hac Lue ejuſmodi artibus, ulterius illam confirmant applicatione Ungendi Veſicatorii ab admixtis cantharidibus, &c. excitandarum gratia veſicarum in vniverſa cute, vnde ſerum eliciunt, quod pro humore virulento haberi volunt; idque remediorum vſurpatorum authoritatem elevare videtur. At hinc maximum imminet periculum, ſi quidem cantharides non inflammationem ſolum & exulcerationem in veſica excitant, ſed & cruentam quandoque mictionem imò & Iſchuriam lethalem. *Nic. de Blegny Tract. Gall. de Lue Ven.*

[16]. *Signa ſunt*) Morbus hic ſyncerus eſt & nulli permixtus cum partes externas occupat, nec offuſcatus alio morbo evidenti, vel ſymptomate aliquo, Tunc

manifeſtus eſt lippis & tonſoribus, ſcilicet cum vlcera in pudendo poſt coitum, & puſtulæ in fronte & capite erumpunt, Quod qui videt morbum eſſe Italicum ſecure poteſt pronuntiare, & præſertim ſi occupat eum qui habet cum ſcortis conſuetudinem. Quod ſi virgini aut Religioſo accidat, dubii ſumus quodammodo, & talem morbum eſſe dicere veremur, ſed fucato pronunciamus calorem hepatis eſſe cum fiſſuræ manuum, vel papulæ, vel alia exanthemata apparent. Item ſi Herpetes appareant cum tali morbo, vel morbi diſpoſitione, tunc morbo evidenti omnia affingimus, & ſub manifeſto alium occultamus, vtpote Italicum cum quo difficillime dignoſcitur & ſic rectus facillime latitat. Si in capite ac aliis partibus nihil extra adparuerit, tunc multi negant ſe morbum pati, propterea quod neque vlcera neque tumores habent in manibus aut aliis membris; quare oportet hunc morbum dividere in *primum morbum* & *recidivum* & rurſus in *primum* & *ſecundum*; & *ſecundum in cauſas morbi* & in corporis intemperaturas, Nam alius eſt ſi ex contactu Venereo immediate factus ſit vel mediate; Alius in ſanguineo, alius in bilioſo, alius in melancholico, alius in pituitoſo, alius in recidivam patientes, alius ſi renaſcatur, vel à novo concubitu, vel quia imperfecte fuerit curatus. *Rondeletius.* Junge ſequentia ex eodem §. *Incipientis.*

Non arduum eſt ex plurimis ſignis latentem Luem deprehendere, ſicut, exempli gratia, ſi prægreſſis pudendorum vlceribus gonorrhœa, aliiſve ſimilibus ſymptomatis perſentiuntur dolores in artubus aliiſve partibus, noctu præſertim moleſtis, aut cephalalgia continua ſi premitur æger; ſi os, palatum fauces vlceribus ſcatent, ſi caput & corpus vniverſum puſtulis obſidentur, ſi anum vlcera occupent, ſi ſcrotum aliæve partes inflammatione tenteutur, de Luis præſentia nullus amplius dubitationi eſt locus, quam inveteratam arguunt exoſtoſes & tophi in oſſibus. Paulo vero difficilior eſt hujus morbi cognitio, ſi aliqua tantum enarratorum ſymptomatum ſeſe prodiderint, difficillima vero ſi aliorum morborum ſymptomata induat, ſi v. g. ophthalmiæ implicitus fuerit, viſus debilitati, ſurditati, aurium tinnitui, vertigini; Tunc interrogandus æger de morbis prægreſſis, num alias gonorrhœam paſſus ſit, aut bubones, & quibus remediis vſus fuerit, quo Medicus latentem hoſtem deprehendere queat, ipſumque ictu non irrito ferire; Hinc manifeſtum fit Luem veneream non vnicum eſſe morbum, ſed plurimos, eoſque graves, nulli corporis parti parcentes, functioneſque omnes depravantes. *Ex Tractat. novis Medicis Gallice emiſſis Anonymi.*

Præter accidentia, Pilorum caſum, maculas, Puſtulas, vlcera, dolores, &c. Luem vere conſtituentia & ſignificantia, nonnunquam concurrunt quæ ſola quidem, cum & in aliis accidentibus concurrere poſſint, certe quod de hac lue ſignificare nequeunt, niſi poſt coitum cum immundis mulieribus evenientia magnam ſuſpicionem illius præbeant; quod tamen nec tunc quidem, niſi alia accidant ſigna, indubitanter pronuntiare poſſumus, cum & antequam hæc Lues ad nos perveniſſet, ex congreſſu citra hanc infectionem bubones venerei, aliaque accidentia aliquos corripuerint. Quæ ſi in Lue hac eveniant, mox alia quoque illius indicia, vt prædicta ea comitantur, Sunt autem ejuſmodi accidentia, quæ tum in hac Lue, tum citra hanc in aliis morbis poſſunt contingere; Sic *Bubo in inguine Venereus* dictus, aliquando mox in hujus Luis initio erumpit & rurſum evaneſcit, vel remanens induratur vel ſuppuratur, nec ab alio Bubone Venereo, citra hanc Luem genito vel ſimplici differt.

Condylomata in pudendo muliebri, & in podice, tam viri quam fœminæ alias naſcuntur; quæ eodem modo vti cum ſi ſine hac infectione facta eſſent, ſe habent.

Sciſſura in manibus & pedibus aliquando etiam ſuperveniunt, cutiſque craſſa in manuum vola à ſubjecta cute interdum abſcedens, ſine ſenſu doloris abradi detrahique poteſt; ſicuti etiam ſine hac lue hoc aliquando evenit. *Ungues* digitorum nonnunquam decidiſſe, ſimulque pilos defluxiſſe obſervatum fuit.

Nodi & tuberoſitates in ea luis ſpecie, quæ doloribus circa oſſium ſedem ſe potiſſimum exerit, in *fronte* nonnunquam alia calvariæ ſede, tibiis aliiſque, vbi dolor vrget, excarnibus locis ſe aliquando ſicur in ea ſpecie, in doloribus qui circa oſſa verſantur, qui non admodum illis diſſimiles ſunt, qui citra hanc luem dictis in locis interdum oriuntur. *Purulenta materia* nonnunquam maribus, præcipue è pene & aliquando fœminis ſponte emanat, atque induſium ſubflavo colore commaculat, quem effluxum virulentæ cujuſdam materiei, ſeu ſeminis emanatio præceſſit, in *gonorrhœa virulenta* dicta, quæ & interdum cum lue hac copulatur, aliquando extra eam accidere ſolet. *Mictio ardens*, ſeu *vrens*, cum conatu magno & vrinæ ſtillicidio, vti in aliis affectibus, ita & in hac lue nonnunquam offertur.

Quod reliqua attinet in functionum quarundam læſionibus accidentia, cum non per ſe ab hoc morbo proveniant, ſed ex accidenti enarratorum vitiorum cauſa; ſi ea adeo invaleſcant, vt illas quoque incommodent, cum generalia tantum ſint, in aliis quoque diuturnis morbis conſueta, hancque luem nec conſtituant, nec ab illis certa ſigna aliqua deſumi poſſunt, omittimus: vti & ex *urinis* vel *ſanguine detracto* hic aliquid prædicere, vel affirmare cum experientia repugnet, ſuperfluum eſſe putamus. *Platerus.*

17. *Incipientis*) Deprehenditur morbus ex cauſis præcedentibus, & ex iis quæ mox apparent & quæ ſequuntur, Si vir aut mulier vago concubitu vtatur, hujus morbi ſuſpicio habenda eſt. Si vero qui nos adit & conſulit morbum hunc ſit paſſus, nobis ſuſpicio augetur, magis etiam ſi in fronte papulæ carnoſæ, vel puſtulæ in capite aut cruſtæ appareant ſine dolore, & ſubito obortæ ſint, aut ſi cum his ſignis vlcus in pudendo, vel intus vel extra ſentiatur humidum curatu difficile, vel cum tumore vel extuberantia carnis, vel gonorrhœa; Sunt enim hæc certiſſima morbi Italici ſigna & indicia, quæ forte in ſanguineis & bilioſis apparent. Hinc etiam conjecturam facere licebit, ſi poſt concubitum nulla purgatione vſi fuerint, aut ſanguinem ſibi mitti non curaverint, hoc enim ſolent facere, qui morbi hujus ſuſpicionem habent aliquam, vnde ſolent morbum incipientem curare, aut ita debilitant, vt nonniſi poſt longum tempus ſeipſum extra prodere aut proferre poſſit; Quare cum in aliquo aliquas notas videmus, debemus interrogare vtrum illa ſupradicta egerint, an aliquo morbo correpti fuerint ab eo tempore, qui quidem potuerit immutare & retardare Luem, vt febre tertiana aut alia, in qua multi ſudores erumpunt: Quod ſi morbus ſit in habitu corporis, & refrigeretur, tunc latitans morbus erumpet: vt accidere vidi cuidam, qui morbum latitantem patiebatur, ex fiſſuris & craſſitie volæ manuum & pedum conjeci. Is dyſenteria correptus fuit, qua curata, graviſſimo capitis dolore fuit divexatus, qui dolor nunquam ſedari potuit, niſi inunctione mercuriali.

Si qui

Si qui *dolores omoplatæ*, *clavicularum*, & *ſterni cum* vel *ſine vlcere*, *& tumores illos duros* in capite vel brachiis vel labiis patiantur, præceſſeritque *exulceratio in mentula* intra vel extra & *bubones* qui non profluxerint, ſed retroceſſerint vel indurati ſint, eos Lue laborare certo & intrepide, etiamſi negent, affirmare poſſumus. Si *vlcus* in aliqua parte ortum ſit ei, qui aliquando Luem paſſus eſt, adhibita fuerint remedia convenientia, & non curetur, hunc in Cachexiam ex Lue incidiſſe certum eſt. Itaque in vnguento *ſublimatum* vel argentum vivum addere oportet. vt vlcus curetur; Quod ſi non ceſſet ob id, vetendum ne in habitu corporis retineatur ac tegatur aliqua Lues, quare toti corpori adhibenda erunt remedia. Si *corpus extenuetur*, & *Iſchiadicum dolorem* patiatur, Luem ſubeſſe cenſendum eſt, & remediis opportunis curare oporter; Si quis *dolorem Dentium* frequenter *ſine carie*, cum *iſchiadico* dolore ſentiat, vel cum *dolore capitis*, vel *omoplatarum* vel *ſterni*. & dolor magis noctu quam interdiu infeſtar, & poſt aliquam levem calefactionem, tunc Luem certo poſſumus pronunciare, Si quis *areas* habeat *circa crotaphitas*, & in *occipite* à Lue, eſt vulgo dicta *la Pelade*. Quod ſi *barba cum ſuperciliis decidat*, magis etiam certum erit. Qui *fiſſuras manuum & pedum* frequenter habet à Lue imperfecte curata, iſta ſibi accidere credat; Si quis *vngues veluti leproſos* habeat, hoc Lui referat acceptum. Hæc autem affectio vulgo ab vnguibus *Onglade* vocatur, Denique qui *cuticulam manus ſine pruritu* mutant, hanc ſciat Luis eſſe ſobolem, quæ vulgo *la Pelarelle* dicitur. Hæc autem quæ ſequuntur inter notas Luis non obſcuras licet agnoſcere. Qui hoc morbo corripiuntur triſtes ſunt, & ſtatim poſt contractum morbum in illis extinguitur Venus, & mentula mollis & humida efficitur, dummodo non ſit vlcus in interna vel externa parte, nam vlcus ſolet priapiſmum ſive diſtenſionem provocare, & aliquando ad Venerem irritare ob excrementa acria; *Sternum dolet* in hoc morbo, quæ vna eſt ex certiſſimis notis: Sentiunt & contractionem thoracis, ſine difficultate manifeſta reſpirationis. *Dolet* etiam *evomis* & *omoplata*, quia muſculi tenues & membranoſi ſunt, atque etiam pars occipitis dolet. *Rondeletius*.

18. *Dolores firmi*; *clamoſi*) Dolores circa nudam ſeu excarnem oſſium ſedem plerumque in hac lue ſe exſerunt, in tibiis, omoplata, circa claviculas in *ſcapulis*, in *capite* maxime *circa frontem* & *in temporibus*, aliquando & in *ſterno*, quod tantum in hac lue dolere creditur. Qui dolores atroces ſunt, & verſus noctem præſertim ſæviunt, contactuque exacerbantur, nec anodynis adhibitis, vti alii dolores miteſcunt, ſed increbeſcunt; Hi ſi abſque aliis indiciis hac ratione ſe offerunt, genus hujus morbi conſtituunt: Quod ſi aliis quoque accidentibus jam enarratis jungantur, diverſum ab illo genus efficiunt, & facilius tum quoque cognoſcitur. *Platerus*.

19. *Corruptio oſſium*) Proximum vlceribus locum aſſignamus Cariei oſſium tam frequenti & tam moleſtæ. Cranio imprimis atque narium oſſibus, &c. infeſtæ: quemadmodum autem partium mollium corruptio & conſumptio vlceris nomine venit. Ita partium duriorum ac oſſium præſertim corruptio atque exeſio *Caries* vocatur; Tantum abeſt vt à Lixivo ſale producatur oſſium caries, vt ab ipſo tanquam cauterio potentiali non raro curetur, æque ac à cauterio actuali, hoc eſt, ferro ignito carioſo oſſi applicato, Si proinde à lixivo ſale curetur caries, corrigaturque ipſius cauſa, ſiquidem oſſa corrodat itidem acris, ad aliam acrimoniam erit recurrendum, ergo ad Acidam, poſtquam præter Acidam & Salſam lixivam, tertia hactenus fruſtra quæſita eſt ab iis quoque qui hanc ob rem multum laboris huic perquiſitioni impenderunt. Concludimus proinde, non ex ideis innatis, at ſecundum experientiam; Omne Acre aut eſt ſalſum lixivum, aur Acidum, oſſiumque cariem, vti alias ſemper, ita & in Lue Venerea, pendere ab Acido. *Fr. Sylvius*.

19. *Corruptio oſſium capitis & brachiorum*) Si os carioſum ſit cute adhuc integra, primum cauterio aut novacula, aut ruptorio aperienda cutis ac detergendum os, tum auferendum quicquid in oſſe, vel circa os p. n. eſt, Quibus peractis, cum volemus vlcus ad cicatricem perducere, tale parandum eſt Linimentum.

℞. *Axung. porci* ℔ß. *quat. vngu. calid.* ãã. *qu. j. ol. irini & laurini* ãã. ℥iij. *ol. de ſpica* ℥j. *argenti vivi* ℥v. *maſtich. thuris*, *ſarcocollæ ariſtol. rot.* ãã. ʒiij. *opopan. diſſol. in aqua vitæ* ℥j. *myrrhæ* ℥ß. *reſinæ pini* ℥iv. *m. f. Linim. admovendum poſt mundificationem & oſſis reparationem.*

Eo ducemus vlcus Tumorum durorum Luis inveteratæ ad cicatricem. Quod ſi velis oſſis diſceſſionem accelerare, pores vti ſupra partem vngu. vel Emplaſtr. ad duritiem facto (vide §. *vel extra per inunctionem*) quia *Euphorbium* recipit, quod quidem deſquamınat oſſa eadem die, vt ait *Dioſcorides*, & optimum eſt, Vel huic vngu. adde *Euphorbii* unc. j. vel vni parti vnguenti tantum, qua parte vratur in circuitu partis affectæ & ſupra partem; In hac ſpecie vtiliſſimum erit etiam vti Diæta ex *Guaiaci decocto* ad pituitæ reſiccationem. *Rondeletius*.

20. *Vlcera*) ex enarratis *Puſtulis*, (Vide §. *Tuberculis*) quibuſdam perverſa ac ſordida prodeunt, vti variis ſic frequentius in cutis tenerioribus locis, vt facie, juxta nares & labia, & in ambitu obſcœnorum ac podicis. Et in *præputio* vlcus illud perverſum, quod *cancrum* vocant; In pudendo mulieris vlcera nata; dein & in vtroque ſexu, *vlcera in faucibus*, ore, naribus nonnunquam & in podice exorta. Quorum aliqua vlterius ſerpentia, partes ſubjectas exedunt, atque oſſa ſimul interdum corrumpunt, partibus graves noxas, illarumque mutilationem, vel omnimodam amiſſionem pariunt. Alia in facie naſum depopulantia, faciem turpem reddunt. Alia labia depaſcentia, quo minus poſtea bibere poſſint, in cauſa ſint. Alia *columellam* abſumentia, *palatum* perforantia, *vocem raucam* ac veluti per nares efflatam; *cavam* dictam reddunt. Quæ & *Glandem* corrumpentia, ad actum venereum perficiendum ineptos vel impotentes reddunt; Ex quibus & ſi plura præſertim prodeant, hanc luem cognoſcimus, certius tamen ſi alia ſimul accedant indicia. *Platerus*.

20. *Vlcera maligna*) Ulcera Venerea hoc diſtinguantur ab iis quæ inducuntur ab excrementis ordinariis, quod in prioribus, etſi tantum ſuperficie tenus partem occupent, obſervare liceat id quod in poſterioribus accidit in progreſſu & dum jam profunda ſunt, videlicet in medio illorum colorem obſcurum deprehendi; ac fibrillas carneas corroſas & abreptas apparere. Adde quod perpetuo ortum ducant ab impuro contactu, ac exiguo temporis ſpatio eo in ſtatu permaneant. *N. de Blegny Tr. Gal. de Lue Ven.*

[21.] *Cauſa* eſt excrementum [22.] venenoſa malignitate inquinatum, [23.] totum corpus vel [24.] aliquas ejus partes occupans, [25.] ſanguinemque in venis contentum corrumpens, & ad bonam nutritionem ineptum reddens. [26.] *Communicatur* per contagium [27.] quod promovent.

Internè. 1. Vis imbecilla ſpirituum naturalium, & ipſius hepatis. 2. Dilatatio vaſorum, ut vaporibus & ſaniei tranſitus patere poſſit. 3. Facilis humorum accenſio, qua illud facillimè rapitur. 4. Subſtantiæ natura & mollities in partibus 5. Animi affectio, quæ ſi intenſa eſt, non facilè congredientes inficiuntur.

[28.] *Externè*, *Contractus* per communicationem ſubſtantiæ, ſaniei nempe, ichoris, vel fuliginoſorum vaporum: quæ facilior eſt, ſi partes ſint molles, raræ, & incaleſcant. quo facit, *Coitus* cum infecto, ſuctus lactis, ſalivæ aſperſio, exoſculatio, lectus communis, uſus veſtium infectarum &c.

[21.] *Cauſa eſt*) Cauſa huius tam immanis affectus, conſiſtit in *fermento* quodam diſſolutente humores & membra, quod poſtquam per aliquot dies in parte cui iunctum eſt remanſit, ſopitum reviuiſcit demum, ipſamque vel inflammat vel exulcerat, vel *puſtulis* & *tumoribus* exaſperat, & niſi ipſi diligenti manu ſuccurratur, altiùs intro ſubiens, humores & totum corpus intoxicat, eorum texturam ſoluit, & *luem venere am* producit. *Barbeyrac.* in tractat. m. ſ. *de lue Venerea*.

[21.] *Cauſa eſt excrementum venenoſa &c.*) Quamvis contagioſus ſit venerea Lues, affectus, nec niſi per contagium excitari poſſe putemus illam in vllo, inprimis apud nos in Europa, nondum tamen inde patet, *quanam & qualis ſit eiuſdem cauſa proxima & continens, cui* omnia ſymptomata memorata queant debeantque adſcribi: Hanc vt eruamus facilius, conſideranda imprimis eiuſdem ſymptomata primaria & graviora, ex quorum conſideratione attenta, non ita difficulter forſan eius Cauſa vera & adæquata innoteſcet.

Sunt autem primaria *Gonorrhoea virulenta*, *puſtulæ*, *vlcera*, *Oſſium caries*, *Tophi*, & *Dolores ſatis acres*; quæ omnia cum nonniſi ab *humorum acrimonia* deduci queant, merito ad *humores acres* hic recurrimus: Cum vero docuerimus alias, *Omnem acrimoniam humorum* eſſe *ſalinam lixivam*, vel *Acidam*, ab alterutra vel vtraque pendebit venerea lues: Ab *acrimonia ſalina lixiva* ſola non facile quis Luem deducet, qui tum ſalis lixivi vires, tum venereorum ſymptomatum naturam habuerit perſpectas: Roſio namque à ſale lixivo fieri ſolita cum calore notabili eſt coniuncta, qualis vix vnquam obſervatur in Lue venerea, in qua per lancinationes ſolent dolores infeſtare: Adde quod à lixivo ſale partes ad internecionem & mortificationem & nigredinem brevi perducantur; quod cum in Lue venerea non accidat, merito *ſalis lixivi* acrimonia ſola hic à prudentibus rerumque gnaris non facile culpabitur: Vtique in Lue lente ſolet procedere quarumvis partium corruptio, licet nonnunquam cum atrocibus doloribus ſit coniuncta: Hiſce accedit quod ſal lixivum, quando vni parti adhæſit, non facile ab illa recedat, ſed in ipſam vim ſuam continue exerat; quod cum aliter ſe habeat in Lue, vtique à lixivo ſale ipſius noxa erit deducenda; Si quis contra *ſpiritus Acidi* actionem in corporis partes varias examinaverit, haud cunctanter ab ipſius acrimonia Luem deduci poſſe fatebitur. *Acidum* enim non tantum *lancinantes* in corpore *Dolores* producere ſolet, verum talem quoque in partibus corruptionem excitare, qualem in Lue obſervamus; Inprimis autem id accidit quando *Pituita vicida* admiſcetur, quam in Lue ſimul peccare plurima ſunt quæ evincunt, vti ex ſequentibus patebit. *Concludimus* proinde *venenum venereum in Acido, ſed ſuo modo peccante conſiſtere.*

Non negamus interim aliquando in Lue *ſal lixivum ſimul* peccare, inprimis vbi Puſtulæ prodeunt vel maculæ, non putamus vero eſſentiam Luis ab illo Lixivo ſale tunc adiuncto, ſed ab Acido ſpiritu pendere, licet plus minus lixivi ſalis admiſtum habeat ſubinde, idem ſpiritus Acidus, tunc ac ſemper primario peccare *ſpiritum Acidum* in corpore affecti corruptum & modo peculiari vitiatum ita cenſemus *ſal Lixivum* in ipſo *itidem plus minus corrumpi ac vitiari*, ſed ſecundario duntaxat: Fieri enim nequit in ſua integritate permaneat Bilis, ſalis lixivi noſtri fons & ſcaturigo, quoties ſpiritus Acidus in ſucco pancreatico inprimis vt & Lympha glanduloſa luxurians à conſtitutione naturali recedit, atque vitium qualecunque contrahit, poſt quam neceſſe habent meo ſaltem arbitratu, tum in tenui inteſtino, tum in dextro cordis ventriculo confluere ac in ſe mutuo agere; Hæc autem actio non fiet convenienter quoties horum agenrium alterutrum male conſtitutum & à naturali ſuo ſtatu receſſit: cum autem illa actione commiſceri debeant bini hi humores, & ita quidem vt cætera ipſis admiſta quodam modo in vnam eamque coeant maſſam laxam, ſanguinis nomine notam, quodam modo à recrementis ſuis ſecedant, quis non videt, vbi depravatur illa actio, beneficium quoque ab ipſa expectandum ſimul depravari & perire, ſi non in totum, ſaltem ex parte? *Fr. Sylvius.*

In quo conſiſtat venenoſa hæc malignitas, vide infra §. *malignitatis & virulentiæ tum humoribus*)

Venenoſa) Dicere quod morbus habeat occultam quandem naturam ac venenum, eſt confugere ad ſacram illam anchoram: Non nego in quibuſdam morbis proprietatem quandam ineſſe, in aliis idioſyncraſiam, ſed in quibuſdam magis eſt evidens quia magis familiaris, ſicuti phlegmone differt ab eryſipelate, febris tertiana à quartana & ephemera, In aliis minus evidens, vt in epilepſia, ſuffocatione hyſterica, apoplexia & etiam in hoc morbo. Cui ſi ineſt vis aliqua deleteria occulta, & in ſcabie quoque erit, quia ſcabies non minus contagioſus eſt morbus quam Italicus; quod ſi in ſcabie idem ſit, etiam in herpete eryſipelate & aliis morbis idem erit; Verum in hoc morbo proprietatem & ſingularem quandam naturam concedemus, corpus enim ita inficit, vt oſſa dura emolliat afficiatque tumoribus & carie nullo extrinſecus apparente vitio in cute; Dolores pituitæ morum ſequuntur, vel ſeroſorum humorum naturam; quare non tam occultus eſt, vt ſibi & alii multi magni viri perſuaſerunt; Et quia hoc crediderunt remedia proprietate occulta curare, coacti fuerunt dicere, quanquam rationem non minus evidentem reddere poſſumus, quam cur aqua maris ſcabiem curet, vel lixivium ſiccet partem perhumidam; Indocti eſt ſtatim ad ſacram illam anchoram confugere; hoc tum faciendum eſt cum evidens nulla cauſa eſt; Sed quod argentum vivum, guaiacum &c. curent hanc affectionem, cauſa evidens eſt non occulta, quia ſcil. morbo adverſentur, & ſiccando movent ſudores, & evacuant

cuant à partibus affectis humorem morbum facientem *Rondeletius pag. 838.*

22. *Venenoſa malignitate*) Vide §. *Bubones* infra.

23. *Totum corpus vel aliquas eius partes Sanguinemque &c.*) Quiſquis attenta mente omnes Functiones in homine perfici ſolitas conſideraverit, facile agnoſcet ipſas omnes ita pendere ab invicem, vt nulla queat notabiliter lædi quin & reliquæ aliquid inde patiantur detrimentum atque itidem plus minus lædantur; Quod ſi functiones in homine lædantur, illa quoque lædentur plus minus quæ ab ipſis expectantur tanquam effecta E. g. Si chylificatio dicta, in ventriculo perfici ſolita, ſive Alimentorum fermentatio lædatur, neceſſe eſt vt chylus, ſive alimentum fermentandum non ſe habeat rite, quin hoc vel illo modo reddatur vitioſum, quo vitioſo exiſtente, quis non videt functiones cæteras iſtam primam conſequentes itidem futuras vitioſas, & quæcunque à ſingulis expectantur effecta futura itidem vitioſa?

Hinc putamus neceſſarium, vt quemadmodum à ſe mutuo, immediate aut mediate dependent functiones corporis naturales omnes, ita ſuas læſiones ſibi quoque communicent ac vitia: Hoc certe inprimis verum de contentis; quippe quæ quaquaverſum deferuntur, atque noxam ſuam vniverſo corpori facile ac brevi communicare poſſunt, quod de partibus continentibus æque dici non poteſt, cum ſegnius noxam ſuam remotioribus communicare queant, nec niſi per contenta ſua, & inprimis ſanguinem affluentem ac refluentem, cui noxam inprimunt, atque ſic aliis quoque tranſmittunt: Hoc itidem in Lue locum habere arguunt ſymptomata, nunc citius nunc tardius prodeuntia, nunc ab vna, nunc ab alia parte initium ſumentia, & tandem ad cæteras quoque tranſeuntia. Cũ enim per contagium excitetur Lues, venenum illud nunc per partes generationi dicatas, nunc per os, nunc per cutis poros penetrat in corpus ſanum, illud pro ſanguinis præſertim, ac cæterorum contentorum diverſitate citius vel tardius, plus vel minus inficit, etiam ſecundum partes continentes, cutim, membranas, glandulas, carnes & ipſa quoque oſſa; ita nulla in corpore humano pars, vel continens vel contenta forte occurrit, quæ non ſubinde afficiatur in Lue venerea. *Fr. Sylvius*. Vide ſupra §. *Facultati nutrienti.*)

24. *Vel aliquas eius partes*) Quamvis nullis partibus parcat Lues, præ aliis tamen omnibus ſævit maxime in *Glanduloſis*, vnde non tantum peni, proſtatis & omnibus mulierum obſcoenis, verum Naribus, Gingivis, Labiis, Palato, Tonſillis & ſimilibus infeſtior exiſtit: An quia venenum initium habet à ſemine corrupto, ac præter ſui naturam de Aciditate participante: quod quia in glanduloſis paratur partibus, id circo forſan in ipſas rurſus agit facilius & potentius; Docuimus autem alias videri nobis Succum ſubacidum ſecerni à ſanguine in glandulis, eundemque in ipſis contemperari à ſpiritibus Animalibus per nervos ad eaſdem delatis: Quod ſi Acidum reddatur in corpore acrius, an mirum ſi idem in glandulis ſecerni ſolitum quoties ſimul redundat, eaſdem citius ac potentius lædat quam partes alias, in quibus ſecundum naturam non ſecernitur à cæteris ſanguinis partibus: Inde diximus poſſe deduci cancri productionem frequentiſſimam in glandulis; Ab Acido enim Acri cancrum generari non dubitamus amplius, poſtquam novimus tantum ipſi lancinantes dolores eſſe comites, verum quibuſvis Acidum concentrantibus ac contemperantibus leniri eundem. *Fr. Sylvius.*

25. *Sanguinemque in venis corrumpens*) Hæc qualitas in vapore vel humore à corpore in corpus translata partem quam primum attigerit, inficit, rariuſque illic permanet, ſed vlterius per corpus diſperſa, ſicuti venena ſolent, partibus membraneis potiſſimum inſidiatur, atque illis Luem inprimens, ſi hoc in ſuperficie corporis fiat, vti Elephantiaſis quædam, quamquoque has præcipue partes obſidere certum eſt, pilorum defluvium, puſtulas, vlcera, parit; Si vero corporis ſolidioribus partibus profundioribus ſe inſinuet, tunc circa perioſtia membranaſque maxime vigens, dolores circa oſſium nudam regionem præcipue, vbi plures nervoſæque partes concurrunt, moleſtantes, in capite, ſterno, tibia, ſimilibuſque locis gignit, qui dolores calore, cum luem hanc veluti ſopitam in actum deducat, irritantur, atque interdum nodos perioſtiis abraſis in tibiis vel fronte præcipue proferunt; Præter quæ aliis vix dum corporis partibus grauiora affert incommoda, Neque quicquam eiuſmodi in vrinis, excrementis aliiſvè functionum læſionibus apparet, niſi ob dolorum vehementiam, morbi diuturnitatem, aut medicamenta violenta, quibus cura inſtituitur, potius quam ob hanc luem, tandem ſupervenianr accidentia. *Platerus.*

26. *Communicatur per contagium*) Qualitas illa occulta à corpore alterius hominis, qui hac lue infectus eſt prodit, ſive hæc ita illum, vt ex ea æger decumbat, occuparit, ſive nondum adeo impreſſa, aut ex ea penitus ægrotet, exiſtat, ſed in obſcoenis præſertim hæreat, qua ratione ſcorta illic infecta, etſi aliquando minime decumbant, aut alia accidentia graviora huius luis ſentiant, alios nihilominus vt poſtea ea vehementer affligantur, inficiunt, imo quandoque cum infecta hac lue venerea, rem habentia proſtibula in ſequentes procos mox cum iis congredientes, licet ipſa non inficiantur, hoc occultum virus transfundunt: Hæc autem qualitas ab vno corpore exurgens, contactu in alterius corpus per *contagium* fertur, eamque potiſſimum corporum coniunctionem in qua iunctis modo per coitũ genitalibus, lociſque illis nudis & teneriotibus, virus hoc ab obſcoenis vnius in alterius tranſiens, vel illa ſolum; quod in fœminis privatim interdum evenit vel totum corpus poſtea, quod frequentius accidit, inficit, qua ratione etiam per eiuſmodi coitiones hæc lues ab Indis ad noſtros translata & propagata fuit, Licet & cum excrementis ab infectorum corpore in corpus aliud ſæpius aut vehementer traductis hæc infectio tranſmitti poſſit, vt ab illorum ſudoribus evenire poteſt, ſi in linteis adhuc impuris cubent, vel induſia infectornm induant: Quod forte & ex ſputo fieri ex eo colligimus, quod ſicut beſtiarum virus per ſputum in morſa ſubit corpora, ita & luem hanc per pocula, vel cochlearia, aliave ori indita ſputo conſpurcata, vel etiam per oſcula, qua ratione ab obſtetricibus ſæpe infantes inficiuntur, in alios transferri fit veriſimile, Qua ratione Pariſiis obſtetrix ſexagenaria, cui à ſcorto lue venerea ſcatente inter obſtetricandum in manu dextra, vlcus virulentum inuſtum, ichore cuius, cura vlceris neglecta, multas honeſtiſſimas matronas, brevi tempore illis miniſtrando eadem lue inquinavit, referente *Lodoica Bourgeois*.

A quibus tamen omnibus vixdum corpora, niſi ſumme tenera & rara, vt infantium; & ſi admodum vel ſæpe hiſce impetantur, contaminantur; vti neque facile per *halitum*, cum tunc multi ſimul, quod tamen non fit eam contraherent, licet plerumqne has cauſas prætexentes, vt erratum illiciti congreſſus celent, illis culpam attribuant *Platerus.*

26. *Communicatur per contagium*) Inprimis ad huius affectus cognitionem plurimum facit conſideratio modi, quo ſingulos ægros obſervatus eſt invaſiſſe, per *contagium* ſcilicet ſive id acciderit per *congreſſum*, ſive per *oſcuſcula* & ſalivæ communicationem, tum ori tum papillis factam, ſive per *ſudorem* quovis modo immediate aut immediate per linteamina quavis alteri

communicatum, ſive per humoris virulenti ex *pene* aut *muliebribus pudendis* effluentis & acris, hinc & vlterius ſerpentis communicationem, ſive alio quovis modo poſſibili translatum: Quotquot enim hactenus mali huius originem accurate examinarunt, invenerunt omnes, in Europa ſaltem, de qua tantum agimus, per contagium ipſum translatum eſſe vno ad alterum: Et quamvis non ſemper licuerit obſervare occaſiones ſecundum quas communicatum fuit ſingulis hoc malum, non bene concluditur tamen ipſum tunc abſque contagio fuiſſe ortum, quoniam quoties manifeſtæ fuerunt ipſius cauſæ externæ, toties manifeſtum quidem fuit eiuſdem contagium, vnde merito concludimus etiam tunc habuiſſe ipſum à contagio ortum, quando ipſius cauſæ externæ & accaſiones nobis ſunt ignotæ. *Fr. Sylvius.*

Hanc Luem contagioſam eſſe nemo negare poteſt niſi ſenſum & experientiam negare non veretur; Nam ex contactu Venereo primum fit, & magna ex parte tunc à pudendo incipit; fiunt enim extra vlcuſcula, quę quamvis parva ſint, dyſepulotica tamen ſunt & curatur difficillimè: Vel intus fit inflammatio, in glandulis paraſtatis, qua parte fluit ſemen cum pure, ob id hoc aliqui appellat Gonorrhoeam; Si vero ſpuma vel ſanies aliqua inguina contingat, vel cum hoc plus iuſto moventur vel cum partes internæ reſeratæ & externæ ſanguinem trahunt, tunc fiunt Bubones venerei: Pueri lac ſugendo vitioſum ore malum contrahunt, cum vero nutrices à pueris accipiunt, tunc in mammis primum fiunt vlcera: Fit etiam hic morbus iis qui poſt aliquem infectum bibunt; Alii cum ægrotis dormiendo luem contrahunt, & tunc in cute tota apparet, & præſertim ea parte qua ægrum tetigerunt: Initio fiunt papulæ & ichores, & potiſſimum in inguinibus in iis qui concubitu morbum ſibi contraxerunt, *Rondeletius.*

Pueros & ſenes, aut alioqui coitus expertes rarius occupat; ſæpius & facilius quo quis ſalacior & in venerem proclivior, qua de re & à partibus obſcoenis ſæpiſſime incipit, Inquinatur autem duntaxat vel impurus ab impuro, vel impurus ab eo qui longe ſit impurior, à ſimili vero vel minus impuro nunquam: Aeque impuro citra offenſionem congredi licet & vterque tamen alium puriorem congreſſu labefacat, Hauritur etiam interdum lues à ſcorto, quod nondum ſit inquinatum, cumquis cũ eo volutatur, mox ab alio impuro ſcortatore Impuritas non ex cute expectatur, quod ſæpe inveterata luis fermentum intus reconditum ſit. *Fernelius.*

[27] *Quod promovent interne)* Cum fiat per contactum hic morbus, quæ prius tangantur partes, excrementis pituitoſis vel humidis abundant, primæ omnium inficiuntur; Et ſi vlcus primum in pene ſit, ex coitu fiat neceſſe eſt, à contactu partis affectæ: Deinde emunctoria Inguinum, quia hæ partes agitatæ incaleſcunt, vel à materia venenoſa tanguntur: Si vero ob dormitionem, tunc cutis afficitur ob panni aut hominis venenoſi contactum: His autem Partes oris & pulmonum læduntur, qui inter coenandum aut accubandum, & ore tetram & venenatam auram hauriunt, & veluti venenatum alterius ſpiritum excipiunt: quo fit, vt qui feſtinanter & ſine oſculo, averſoque capite coëunt, non tam facile hoc morbo corripiuntur necque illis puſtulæ in fronte & occipite excitantur, quia non multa materia in eo loco abundat, & quia partes illæ excrementa tertiæ concoctionis, quæ morbum faciunt, facilius expellunt, ſicuti videre eſt tempore ſanitatis; nam cum ſudamus ſudor fere à fronte incipit. *Rondeletius p. 835.* In pituitoſo, vel in eo qui recidivam patitur, dolores frigidi fiunt: In bilioſis vlcera κακοήθη. In habentibus tenues humores, Alopecia: In aliquibus fiſſuræ manuum & pedum: Sunt quibus cuticula ſola perditur, quia humor ſeroſus & ſalſus ob ſuam tenuitatem cutim penenetrat, ac cuticulam abſcedere facit, vt ſiccata decidat in fruſtra: *Idem pag. m. 838.*

[27] *Quod promovent interne)* Quos coripuit Lues, vt quiſque vivit, ita eum aut cito deſerit, aut diu tenet & in totum abſumit: In Italia & Hiſpània, ac ſicubi præterea ſobrij ſunt homines, mitior: In germania propter crapulam, & victus intemperiem diutius hæret, ita prehenſos inſenſiſſime torquet & acerbiſſime affligit, ſecundo loco ſunt Galli. *Fernelius. c. 4.*

[28] *Externe, contactus) Vide §. communicatus per contagium)*

[29] *Curatio* eſt *difficilior*, *ſi* ſemel ſanatos adoritur. [30] *ſi* in intemperiem calidam & ſiccam incidit, quia vel appropriata adhiberi non poſſunt, vel ſi adhibentur, aliud corpori damnum attrahitur: *ſi* in tempus anni calidum & ſiccum incidit, quia vires tum maximè exhauriuntur: [31] *ſi* febris, tabes, [32] aut aliud grave ſymptoma conjungitur: *ſi* in artubus calloſi, ſcirrhoſi & duri tumores apparent, [33] *ſi* æger eſt infans, & cum lacte hoc malum ſuxit, quia cum lacte hoc malum virulentia ventriculum ingreditur, quæ hepar & ſanguinem inficit: *ſi* ulcera circa anum, [34] in ore, faucibus, artubus reſident. *Nulla* ferè, [35] ſi oſſa naſi eroſa febriſque lenta adeſt: *ſi* faucium aſperitas infeſtat eamque vocis obſcuritas aut ſuppreſſio ſequitur.

Reſpicit I. *Præſervationem*, quæ tamen bona conſcientia, ne fores libidinibus pandantur, doceri non poteſt: niſi fortè præcautionem illam intelligas, quâ aliquis infectus, ſolitis ſymptomatibus ne ingruant, occurere conatur.

II. [36] *Curationem*, quæ abſolvitur, 1. [37] *Sanguinis*, *ac vitioſorum humorum bene præparato-* [38] *evacuatione.*

Ubi nota 1. [39] *Venæ ſectionem* non inſtituendam, ſi bubo ſuppuretur, ne materia ad interiora revocetur. [40] *Inſtituendam*, ſi ſanguis abundat, ut tutiùs medicamenta appropriata calida & ſicca dari poſſint: *ſi* materia ad peculiarem partem non movetur. Cephalicam tundendam, ſi materia ad caput intendit. Baſilicam, ſi ad nullam partem. In pene, ſi adſit caries, vel gonorrhœa. In partibus inferioribus, ſi bubo ad ſupurationem non tendit.

2. [41] *Purgationem* inſtituendam in principio, nę corpori impuro per Alexipharmaca noxa detur. Continuandum toto curationis tempore, ſi materia colligatur. *Omittendam*, ſi materia [42] in externis præcipuè partibus hæreat. Mechoacannam & Ialapam additis ſpecificis [43] maximè hic inſervire.

1. [44] *Man-*

I. [44] *Malignitatis & virulentiæ tam humoribus inhærentis, quam partibus, & præcipuè epati* [45] *impreſſæ* [46] *expurgatione*, quæ [47] per inferiora & ſalivationem perficitur.

Medicamenta *ſudorifera appropriata* hic ſunt [48] *Guaiacum* quod melius in [49] decocto vel ſpiritu quàm ulla alia forma præbetur, ut oleaginoſa ipſius & reſinoſa pars, in qua vis tota conſiſtit, educatur; & minore quantitate in principio, ne [50] aliquam noxam nimio calore, catharrhis præſertim præſentibus adferat. [51] *Salſaparilla*, cuius inprimis radicis cortex medullâ abjectâ ſumi, nec dolore oculorum præſente adhiberi debet. [52] *China*, quæ temperata, & [53] aliquid alimentatii obtinens, a trophia præſente commodiſſinè adhibetur. *ſaſſafras* aromatici odoris, [54] *Lignum quercus*, [55] *juniperi* [56] cum baccis, fagi, [57] buxi: de quibus obſervat. Renealmi vide. [58] *Bezoarticum animale*, *Mixtura ſimplex*, *Perſiccariæ arcanum*, *ſpiritus Mercurii albus* Hartmanni, ciuſdem *rubeus*, &c. [59] *Modum utendi* Fallopius, & Quercetanus in peculiaribus de lue venerea tractatibus, Hartmannus in chymiatria, Sennertus l. 6. Practicæ luculenter deſcripſere.

[60] *Salivatio* excitatur [61] *Mercurio* ſeu argento vivo, [62] vel *intra ſumpto*, [63] ubi locum habet *Turpethum* à gr. j. ad iij. ſumtum. *pilulæ ex maſtiches* pulver. ſcr. j. granis aliquot puta à iij. ad viij. [64] *Mercurii ſublimati* dulcis cum melle in paſtillos formatæ, & ad dies interdum triginta maſticatæ: [65] Vel *extra per inunctionem* quantitate hydrargyri [66] nunc majore, nunc minore,(ſingulis vicibus ſcr.ij. adſumi poſſunt) adhibito, quam *antecedere* debet corporis per purgationem aut venæſectionem evacuatio. [67] *Mercurii* puri & ex cinnabari vivificati cum pinguedine porcinâ, oleo, butyro, terebinthinâ, mixtio & mortificatio. *Sequi*, [68] Mercurii ex corpore, ne quid in eo relinquatur, per ſudores, aureornm nummorum in ore retentionem, ramentorum auri hauſtu, & cæter. eductio. [69] Oris & faucium lacte tepido ablutio. Inflammationum decocto plantaginis, prunellæ, &c. prohibitio. In *genere vero obſervandum* Mercurium adhibendum, cum decocta lignorum propter aliquod prohibens admitti non poſſunt, vel morbus aliis remediis expugnari non poteſt; idque nonniſi, cùm vires ſibi conſtant; corpus nec nimis impurum, nec nimis emaciatum; Aër non valdè calidus; Æger ante morbum, paralyſeos & tremoris expers erat. [70] Suffumigia nimis ſunt vehementia, ideo inter extrema remedia computantur.

III. [71] *Diætâ conveniente*, cujus accuratam deſcriptionem apud Authores vide.

[72] *Notandum* verò, ſolere ſæpè fermentum occultum in aliqua corporis parte manere; quod multò poſt, etiam trigeſimum annum aliqua occaſione excitatum, morbum reducit, & aliquando gangrænam, ſpaſmum &c. producere ſolet.

[29] *Curatio*) Antequam agñitæ Luis curationem aggrediamur, multa ſunt pernoſcenda, ac 1°. quandiu ea afflixerit, & quibus ſymptomatibus ſtiperur: Recens quippe humores ac carnes tantum obſidens, aut vix dum ſolidas attingens, nullo gravi ſymptomate, ſolis maculis, aut puſtulis quibuſdam conſpicua, facile curationem recipit, ægrius vero quæ præterea doloribus, & ſcirrhoſis tumoribus moleſta eſt, omnium difficillima quæ confirmata, quæ oſſium carie ac partium cartilaginearum exeſione ſe prodit, quam in interioribus etiam viſceribus vlcera & tubercula multa proferre, in mortuorum corporibus diſſectis notavi. Ab his conſiderandus venit totius affecti corporis habitus, & viſcerum, præſertim vero jecoris conſtitutio & temperies, nam qui ſicco ſunt & ſqualido corporis habitu & os ventriculi debile nacti ſunt, mitiora quam qui frigido & humido ſunt corpore, remedia expoſcunt, vt qui raro & laxo ſunt corporis habitu quam qui craſſo & denſo: Idem de his quoque ſentiendum qui improba vivendi ratione intemperiem hepatis calidiorem & ſicciorem contraxerunt; hi enim omnes nec magnam inediam, nec validas vllas exſiccantes purgationes perferre poſſunt, cum tenui bile & malis humoribus os ventriculi imbuatur atque compungatur, vnde in graves ſtomachicas ſyncopes incidunt.

Inſpicere verò oportet & qui in ipſis viſceribus humores exſuperent, nam ſi vel partium nutrientium inſito vitio, vel vivendi errore & longa crapula, vel alimentorum impuritate & intempeſtivo vſu illuviem multam in primis venis & viſceribus collegerint, quæ etiam inde in venas maiores effunditur, antequam Luis propria ſuſcipi poſſit curatio, purgandum corpus ſæpius eſt, & cacochymiæ focus prorſus exhauriendus: Ab hoc deinde ad ea venietur, quæ è venis maioribus aliquid evellant tandemque ad venæ reſerationem; Quod ſi quis temerarius, & rei medicæ faciendæ ignarus cacochymia manente, tentare audeat Luis curationem, vt ipſam (opus ſane quam difficile) tollat, corpus ſane variis affectibus in omne fortaſſe virium obnoxium relinquet, Non enim bilioſa, melancholica, aliave craſſa illuvies circa viſcera collecta tota in ſudores digeri diſſiparive poteſt, vt quæ circum membranas, nervos ac ſolidas omnes partes maligna Luis congeſtione ſuccreſcit, ſed tenuiore parte reſoluta ſicceſcit impingiturque viſceribus, ac tandem acrem malignamque qualitatem contrahens ipſorum ſubſtantiam labefactat: Hinc profecto curata Lue Lienis ſcirrhus comparet vel Iecoris tenſio: hinc & herpetes ſæpius in manibus, nonnunquam in aliis corporis ſedibus maligni erumpunt, qui nonniſi longa viſcerum deterſione, humectatione & refrigeratione miteſcunt: Contrario errore tenentur, qui partibus externis iam impactam craſſam lentamque materiam alvum ducentibus, aut vomitoriis medicamentis validioribus revocare contendunt, atque ita Luem curare veneream: Hi certe ventriculum & viſcera omnia gra-

viter offendunt, ac multis ſymptomatis, nullo pene vſu laborantem convellunt, eiuſque vires adeo proſternunt, vt nequeat poſtea propriam curationis viam perficere: Neque igitur quæ in primis eſt corporis ſedibus humorum illuviem per vrinas aut ſudores evacuare, neque quod externis partibus tenacius iam inhæſit per alvum evocare tentandum, ſed Hippocrati auſcultandum *Quæ ducere oportet per loca conferentia, quo natura vergit ducere*, monenti.

At vero ſi per vniverſum corpus fuſa iam ſparſaque erit cacochymia, quæ tamen a viſceribus prodierit, non modo ante Luis curationem primæ & ſecundæ corporis ſedes iuſtis purgationibus identidem repetitis detergendæ erunt, ac omni illuvie liberandæ, ſed & per totam curationem, ne quæ in affectis viſceribus denuo ſuccreſcant ſordes, diligenter providendum; Conſideranda & *conſuetudo*, hæc enim nec ſanis nec agris repente mutari poteſt ſine diſcrimine, oportet igitur ad inſueta paulatim tranſire: videndum & quod *anni tempus* ſit, quæ *regio*, quæ ambientis *aeris* conditio, hæc enim ſi ad calidum declinarint, blandioribus agendum eſſe ſuadent, ſi vero ad frigidum validioribus: *Aetas* quoqne *puerilis* & *ſenilis* eandem indicationem præbent, cæteræ contrariam.

Sed & *ſymptomata* gravia cum ſupervenerint, ſi vires ademerint, curationis ordinem pervertunt, dum leniantur *Fernelius c. 7.*

29. *Curatio reſpicit*) Cum tum ex ſymptomatibus, tum ex medicamentis præcipuis Luem certo tutoque curantibus, oſtenſum ſit cauſam ipſius conſiſtere in *Acido Acri*, proximum eſt vt eiuſdem curationem tum *vniverſalem*, tum *particularem* proponam: *vniverſalis* eſt quæ in *maſſa ſanguinea* in hac lue corruptæ, atque vitiatæ purificatione conſiſtit. *Particularis* eſt quæ ſingulis eius ſymptomatibus in ſpecie debetur, Eam quæ ſanguini purificando debetur *curam* ideo voco vniverſalem, quia ex *Sanguine omnes corporis partes tam continentes quam contenta* ſuum hauriunt accipiuntque nutrimentum: vnde ſi corruptus vitiaruſque fuerit ſanguis, vt plurimum partes, ſi non omnes, pleræque ſaltem noxam inde nanciſcuntur notabilem; quod & in Lue cum eveniat, merito de vniverſali ſanguinis purificatione fit mentio in eius curatione inſtituenda: Cum vero probatum ſit venenum Venereum conſiſtere in ſpiritu Acido, ſed Acriore, ſanguinis maſſæ admiſto, illamque non minus quam cæteri humores ex ipſo genitos inficiente, manifeſtum ſit vniverſalem Luis curam quærendam ponendamque in *ſpiritus iſtius Acidi & Acris correctione, ac cum toto genere ſit præter naturam, nec talis in homine requiratur, in quantum corrigi ac reſtitui nequit, in eiuſdem eliminatione & expulſione*: *Duobus* ergo abſolvetur *venereæ luis cura vniverſalis, correctione ac cotemperatione ſpiritus Accidi Acrioris, atque Expulſione eiuſdem per vias convenientes.* Fr. Sylvius.

30. *Si in intemperiem calidam & ſiccam*, Quæ methodus obſervanda, ſi cum Lue complicata ſit eiuſmodi intemperies, vide apud *Fernelium* cap. 15. Trat. *de Lue.*

31. *Si Febris, Tabes aut aliud*) Cum Lui alii affectus implicantur, quid agendum docet *Fernelius* Cum plures, *inquit* cum Lue cōcurrant & implicentur morbi, aut iam diu inveterata eſt, quænam tenenda curandi methodus tenendum, Lues venerea morbis quibuſcunque componitur ac complicatur, interdum omnino conſentit atque congruit: interdum diſſentit, conſentit cum eius curatio aliis quoque ſanandis conducit aut nihil ſaltem obeſt, Diſſentit cum eius curatio alteri incommodat moremque adfert.

Lui conſentiunt Arthritis omnis, & Dolores omnes externarum partium à capitis diſtillatione; Intemperies ventriculi aut iecoris humidior, aut frigidior, hincque nata obſtructio, vel etiam ſtupor, paralyſis, aliique complures ab humida cauſa etiamnum præſente contracti, His Itaque & ſimul cum Lue & ſeorſum ſanare licet, cumque id tentare libet, ab vrgentiore ſemper incipere iubemur, altero tamen, quoad poteſt minime neglecto.

Diſſentiunt febris omnis, intemperies hepatis calidior & ſiccior pſora, lepra, aliaque omnia ſcabiei ſicca genera, omnis ſanguinis ſive ex vtero, ſive ex ano ſive ex pulmone rejectio, aliique affectus complures à calida & ſicca cauſa etiamnum præſente profecti: humorum enim legitima curatio legitimis & refrigerantibus medicamentis perficitur, quorum vſus quoniam Lues deterior fit multo, eius quoque & difficilior futura eſt, quæ calidis & ſiccis & valde attenuentibus remediis perficitur curatio.

Itaque cum horum quiſpiam *acutus* & *præceps*, vt pleuritis, vel febris ardens, Lui complicatur, poſthabita Lue, eius ſtatim debet tentari curatio, iis tamen remediis, quæ quam minimum Luis cauſam augeant; In connexis enim affectibus vrgentiori vel præpoſtero ordine inprimis eſt ſuccurendum, atque in id quod eſt graviſſimum omni cura & cogitatione primum eſt incumbendum, ſive id ante Luem & cœptam eius curationem partum iam erat, ſive recens, dum legitima tentabatur curatio intervenerit Graviſſimum porro eſt, vel quod graviſſime ægrum in vitæ diſcrimen adducit, vel de quo is maxime conqueritur, cuius interdum precibus cedere cogimur.

Iam vero ſi Lui complicatus diſſentaneus affectus diuturnus & lentus eſt, cuius nequear ſtatim curatio perfici, & à quo etiamnum aliquando neglecto, minus quam Lue impendere poteſt periculi, eo poſt habito Lues curanda periculoſior, iis tamen remediis, quæ contrario & diſſentienti morbo quam minime obſint, niſi æque graves & periculoſi exiſtant, non huic aut illi prorſus, ſed vtrique mediocritate quadam & remediorum contrariorum contemperatione eadem opera ſuccurrendum *Fernelius c. 14.*

32. *Aut aliud grave ſymptoma ſuperveniat*) Huic morbo quædam accidentia ſuperveniunt, vt videlicet inter ſudandum ex nimia ac repentina calfactione iuxta ignem, incidunt aliquando in *animi deliquium*, qui quidem ſunt ſublevandi aeris frigidi inſpiratione, & aſperſione aquæ frigidæ cum pauco vino revocandi: Quod ſi ſymptoma illud poſt multos ſudores accidat, recreandi ſunt pane immiſſo in vinum, & infectos vnguento pannos permutare optimum erit, vt reſumant vires, quo ſymptomate ſedato, ſenſim erunt rurſus vngendi, vt curentur: At ſi *fluxus ventris ſequatur*, ſinendus ſi vires ferre poſſint; Sin minus ſucco carnis, iuſculis, panatella, hordeato reficere oportet, & leviter adſtringentibus aſſumptis mederi, ſed primum evacuanda materia eo commota, Quod ſi non tota evacuari poſſit, moderanda tamen eſt, & non in totum relinquenda.

Aliquando etiam *Dyſenteria* huic morbo ſupervenit, quam clyſteribus detergentibus curare oportet, in quibus pinguedo hirci addenda erit, vel *axungia porci*, ſi magna ſit acrimonia, *Axungia* enim *porci* optima eſt ad retundendam acrimoniam medicamenti inducentis dyſen-

dyſenteriam; *Theriaca recens* cum *limaturâ auri* curat dyſenteriam mala qualitate caſtigata: Hæc dyſenteria curanda eſt alia', adſumendo ſcil. *rhabarb. myrobal.* & hoc ad humoris evacuationem. *Rondeletius p.861.*

33. *Si æger eſt infans*) Curatorum infantium feliciter exempla habentur apud *Riverium.* Puer, *inquit* xxx. menſes natus Lue laborans, & fœda ſcabie totum corpus occupante ſequentibus remediis curatus eſt

℞. *Raſ. ligni Guaiaci* ℥ij. *aquæ fontis* ℔ij. *infunde per* xxiv. *horas, deinde bulliant ad tertiæ partis conſumptionem colaturæ capiat* ℥iij. *ſingulis diebus mane, duabus horis ante paſtum,* corpus regendo paulo plus ſolito & continuando per xx. dies.

℞. *Diagr. pulver. gr.* vj. *calomel. gr.* v. *f. Pulvis tenuiſſimus, detur cum cochleari uno vel altero panatellæ ſacchar ſuperbibendo parum juſculi:* continuetur hoc remedium quinto quoque die, augendo dozin vtriuſque medicamenti iuxta operationem.

℞. *Reſidentiam prædicti Decocti, aquæ fontis* ℔iij. *f. Bochetum pro Potu ordinario, addendo ſacchari & liquir.* ii. *ad ſaporis gratiam:* His remediis per menſem continuatis probe convaluit. *Laz. Riverius obſ. 95. cent. 2.*

Mulier Lue infecta puellum peperit Puſtulis & vlceribus in variis partibus affectum, qui curatus fuit *Præcipitato albo ad gr.* ii *vel* iii. *exhibito cum ſaccharo & lacte,* ſingulis vel alternis diebus continuando per menſem integrum. Incepta eſt remedii exhibitio xv. nativitatis die *Samuel Formius Obſ.26.*

Puellæ duæ maior vix attigerat quintum minor vero tertium ætatis annum, laborabant Lue per contagium ſuſcepta cum vlceribus multis in ore & pudendis, nec non puſtulis & fœda ſcabie per totum corpus erumpentibus, Fruſtra exhibitum fuerat. *Decoctum Guaiacinum* per menſem integrum; Vocatus ego intra xv. dies prædictas puellas curavi *mercurio præcipitato albo*, Exhibendo ſingulis diebus maiori puellæ gr. vi. minori vero gr. iv. augendo tamen vtriuſque dozin aliquando iuxta operationem, quæ talis fuit vt vtraque ſingulis diebus bis aut ter alvum deponeret, nec vomitus vllus nec ptyaliſmus vnquam ſequutus eſt: Perſeverabant per dictum tempus in vſu Bochet. *Simon Iacoz. Obſerv. 16.*

Curatus à me eſt Puer v. annorum *Precipito albo ad* gr. iv. exhibito ſingulis diebus per xx. dies *cum panatella,* per inferiora tantum purgabat, neque ullus vnquam ſequutus eſt ptyaliſmus *Samuel Formius Obſ.51.*

34. *Si vlcera in ore. faucibus*) Aliquando fiunt *vlcera in ore* quæ quidem initio gargariſmis detergentibus erunt detergenda, deinde *aqua forti*; temperata *aqua roſar. & plantag.* erunt tangenda. Poſtremo Gargariſmo adſtringente etiam fortiter ſiccante curanda, ſed vt ordine procedamus ſic erit faciendum, primo Gargariſmata paranda ex decoctione *hordei mundati* & *ſyr. de roſis ſiccis* E. g.

℞. *Hordei int. p.* ii. *roſ. p.* ß. *f. decoctio, & in* ℔i. *colat. diſſolve ſyr. violat.* (*ob calorem & fœtorem*) ℥iii. *f. Gargar.* quod quidem refrigerabit & non adſtringet multum.

Si autem vlcera fuerint à principio, Gargar. ex adſtringentibus parare oportet, ne pars affecta tam avide materiam recipiat E. g.

℞. *Fol. oleæ, myrthi lentici* ãã. *m. j. plantag. m.* ß. *roſar. p.* ß. *hordei p. ij. fiat decoctio ad* ℔ij. *in colat. diſſolve vini malor. granat.* ℥i. *diamor & ſyr. roſar. laxat.* (qui abſtergit) ãã. ℥j. m. f. Gargar. magis illo adſtringit & ſiccat *ſyr. de roſis ſiccis.* quare poſt deterſionem, vel ſufficientem exſiccationem adſtringentia fortiora addi debent, vt cum vlcus ſiccandum eſt, efficaciſſimum erit hoc Gargar.

℞. *Piloſellæ m.* ii. *fol. pyri ſylv. vel myrthi, vel mali cydon. ſumach. aut ſorbor. m. j. cortic. mali granat vel balauſtior.* ℥j. *roſ. p. j. fiat decoctio in aqua & in colat.* ℔iij. *diſſolve mellis roſ. col. ſyr. roſar. ſicc.* ãã. ℥iij. *f. Gargariſma clarificatum,* quia cortex mali granati denigrat linguam & aſperam reddit, *huic adde alum* ℥j. & ſiccabit, vel *aquæ fortis* ʒj. *in* ℥iv.

Nota quod nunquam ceſſat defluxio donec vlcera integre curata ſint, & dentes deterſi, nam illa lippitudo, vel fuligo, quæ expiratione fit, exulcerat linguam: Itaque oportet *aqua forti* confricare dentes vt auferatur vis illa arrodendi vel putrefactiva, Hæc aqua deterget dentes, & dealbat & firmat, Fricantur Dentes panno alligato ſpecillo vel bacillo, & immiſſo in aquam illam caſtigatam *aqua roſar. & plantag.*

Si vlcus perſeveret, & inflammatum appareat, oportet tundere venam linguæ, & cucurbitulas cum ſcarificatione admovere cervici deinde Gargariſmis ſupradictis repellere, ſicare & cicatricem inducere: At quia aliquando peccat Iecur, ad eius deterſionem & purgationem, bonum erit vti ſyrupo ſequenti, qui ægros vindicat à recidiva & aliis ſubvenientibus affectionibus *Rondeletius p. 863.* Prædicti ſyrupi deſcriptionem vide §. *Quorum curationem vide apud Hartmannum.*)

35. *Si oſſa Naſi eroſa*) Aliquando accidit etiam *Vlcus Narium*, quod difficillime curatur, Et vt huic poſſimus mederi, ſicut & reliquis, hic apponitur exemplum tale, *Quidam* vlcus Narium à morbo Italico *patiebatur*, quod non potuerat curari neque à medicis Italiæ, neque ab aulicis, neque à cæteris imon ſpeliencibus.

℞. *Cortic. thuris. ſangv. draconis* ãã. ʒj. *cortic. mali granati* ʒiij. *g. tragac leniter aſſi.* ʒjß. *f. Pulvis tenuis qui immittatur naribus cum penna, addita mucilagine ſequ.*

℞ *Ichthyocollæ* ℥ß. *calcis vivæ novies lotæ in aqua ciſternæ deinde cum aqua plantag.* ℥j. *f. mucilago.*

℞. *Cortic. thur. maſtich. olibani, myrrhæ, ſtirac. gummi iuniper.* ãã. ℥ß. *roſar. rub. ſantal. omn.* ãã. ʒj. *auripigm. r.* ʒiij. *marchaſ. i. e. lapid. pyrit.* ℥ii. *r.* ℥iij. *cum mucilag. g. tragac. f. Trochiſci quibus ſuffumigentur capitis operimenta, addendo balauſtior. & ſpongiæ bedegar* ãã. ʒiij.

℞. *Cortic. mali granat.* ʒj. *gallas n°. x. plantag. caudæ equin polygon. mar. herniar.* ãã. *m. j. herbæ tetrahit m.* ß. *f. decoctio in aqua ferrata de qua abluentur partes affectæ:* Deinde apponatur *Pulvis* cum *mucag. gummi præſcripta. Reiteretur Fumigium prius ordinatũ addendo cinabrii* ℥iij. & formentur *Trochiſci cum Terebinthina,* & *fumigentur vt prius.*

Hic omiſſimus omnia alia quæ illi & in Italia & in gallia præſcripta fuerant, tum propter multitudinem præſcriptionum, tum quia ab eis non fuerat curatus *Rondeletius p. 669.*

Curationes variæ.

I.

36. *Curationem*) Ego curavi pauperem facta evacuatione; *aqua illa ablutionis aloes* ad pilularum alephanginarum præparationem; quam quidam aquam abiiciunt pharmacopolæ, Et eſt aqua citernæ in qua decocta odorata, & in qua abluitur Aloe, Et quia relinquitur in ea vis aliqua ſiccandi, quam deſideramus ad morbi curationem, & præcipue eius qui cum doloribus vel ſcabie infeſtat, hanc retinemus. & vtimetur *Rondeletius.*

II.

Puella quædam xviij. annor. penes Nob. Herum Lue laborantem ſerviens, & cum eiuſdem concubina lecto communi vtens, poſt varia ſymptomata nocturnorum dolorum anguſtiæ pectoris & ſimil: tandem vndique Puſtulis & condylomatibus in partibus obſcœnis inficitur; Hæc in Noſodochium recepta ita ſanitatem obtinuit, Per tridum hic *Pulvis digeſtivus* quotidie bis in brodio *decoct. rad. petroſel.* fuit exhibitus,

℞. *Magiſt. tartar. vitr*, ℈ii. pro vna dozi.

Quarto die Purgatio fuit inſtituta per *mercur. dulc.* ℈i. *diagrid. corr. gr.* viij. *cum conſerva roſ. f. Bolus.*

Bis tantum per ſeceſſum operatio ſubſequuta fuit. Corpore per Digeſtivum præmiſſum mediocriter etiam reſpectu primarum viarum purificato, mox ad *Ligni decoctum* acceſſimus hoc modo.

℞. *Ligni Guaiaci* (quod ſingulari proprietate contra hunc morbum pugnat) *ſalſapar.* maioris digeſtionis ac inciſionis gratia (*āā.* ℔ß. *corticis ligni* (ob ſingularem vim ſiccandi) *āā.* ℥iß. *fr. Decoctio* (*facta prius infuſione per* xxiv. *horas in tribus aquæ fluvialis menſuris*, (quarum quælibet ℔iv. habebat) *lento igne*, *vaſoque clauſo, coque ad conſumptionem tertiæ partis*, *vbi tempore medio coctionis* maioris inciſionis & deterſionis gratia *addantur rad. helen.* ℨvi. *baccar. iunip. liquir. raſ. āā. unc.* ß. *Huius Decocti bibat unc.* vj. *cum ſulph. aurati diaphor. gr.* ij. *continuando*, Poſtea iterum purgetur hoc modo.

℞. *Mercur. d.* ℈i. *diagr. corr. gumm. Gamand. āā. gr.* vi. *croci metall. rite præpar. gr.* iij. *m. & cum pauxillo. conſ. roſar. exhibeatur*; *hauſtu calido brodii piſor. ſuperdato.*

Eius operatio ſemel per vomitum abſque dificultate; & ſexies per alvum ſucceſſit; Intermiſſo demum vnico die, per dies continuos rurſus ſumpſit *Decoctum Sudoriferum cum gr.* xii. *ſulph. aur. diaphor.* ſub ſequente tandem hoc cathartico.

℞. *Mercur. dulc. gr.* xxvi. *cr. metall. gr.* v. *diagr. gr.* viij. *miſce pro dozi.*

Sexies tantum per alvum evacuatio facta eſt, hinc per octiduum iteratum fuit *Decoctum Sudoriferum*, vt ſupra, cum additione, ſubſequente etiam ſuperiore *cathartico*; repetitum rurſus per aliud octiduum *Decoctum*, vt ſupra, & rurſus inſtituta fuit purgatio per *mercur. dulc.* ℈j. *gutt. gamandr. gr.* ix. *croci metall. gr.* vi. *conſ. roſar.* ℨij. *miſce*,

Aliquando adhibitum fuit *Balneum Sudoriferum*, Humectata etiam aliquoties fuere *condylomata*, externæ Puſtulæ, & Exulcerationes, *Aqua cauſtica mercuriali*, Atque his remediis tam internis quam externis reſtituta ægra poſt duos menſes ad ſuos ſana redijt *Greg. Horſtius obſ.* 3. *l.* 7.

III.

Multas *Gravidas*, in quibus erat Luis ſuſpicio, aut quarum fœtus ex patre inquinato ſuſceptus fuerat, *Decocto Guaiaci*, *rad. Chinæ ligni ſaſſafras*, *aut rad. ſalſa par.* per xl. dies, aſſumpto cum Diæta convenienti feliciter percuravimus: Plurimas in quibus maior erat huius mali labes vidimus *Inunctiones ex hydragiro, aut Emplaſtra mercurialia* cum ſputationibus conſtanter & impune ſuſtinuiſſe ab Empiricis inſtituta: vbi enim adſunt cauſæ morbificæ; adverſus quas valentioribus remediis eſt pugnandum, non eſt dubium quin natura mediocriter robuſta magis levetur ex eorum vſu quam opprimatur, quia concurrit ſimul cum illis ad conflictum iſtum perficiendum & poſt partam victoriam felicius conquieſcit, quam ſi peſſimarum illarum diſpoſitionum inſultibus ad finem vſque impraegnationis confflictetur, *Ioh. Varandaus l. de m. mul. c.* 2.

Prægnantis mulieris xxiv. ann. ad menſem quintum Rhagades & fiſſuras exulceratas in partibus obſcœnis, exulcerationem in ore malignam, dolores artuum &c. patientis, feliciter curatæ vſu præſertim mercurii dulcis & Decocti ſudorifici, vide apud *Gr. Horſtium Obſ.* 4. *l.* 7.

IV.

Celebris quidam medicus in galliis ita procedebat in Luis curatione 1°. vomitorium per biduum exhibebat, tertio die Purgationem per *extractum catholicum* 4°. *aurum diaphor.* cum *theriaca & pulv. ſerpentum*, Poſtea totum corpus *aqua mercuriali ſudorifera inungebat*, linteis ægrum involvebat, & ſudorem quotidie provocabat. *Auri diaphoretici* deſcriptio hæc eſt.

℞. *Mercur. vivi opt. & purif. unc.* iß. *auri puri* ℨi. *hoc diſſolvatur aqua regia, mercurius vero aqua forti*, *coniunge ſolutiones & diſtilla aquoſitatem per Balneum*; *In fundo remanebit præcipitatum*, *quod edulcoretur aqua calida.*

Deſcriptio Aquæ mercurialis ſudoriferæ

℞. *Mercur. ſublimati* ℨii. *arſen. albi* ℨj. *euphorb.* ℨiI *ſpr. vini op t.* ℔ii. *aquæ roſar.* ℨxii. *digere per* xxiv. *horas* Poſtea toti corpori penna illinatur. *Gr. Horſtius Obſ.* 13. *l.* 7.

V.

Dom. *Pet. Fuhnmannus* in Luis curatione hunc ordinem ſervavit, diſpoſuit corpus primum ad evacuationem per Nodulum. Triduo poſt *vomitorium* ſuum ſibi in vſu medico familiare adminiſtravit: Tum de *mercur. dulc.* gr. xxx. plus minus pro ſubiecti habilitate, in *conſerva roſar.* & *conſ. Alkermes* exhibuit, Et ſi poſtridie ſalivare coeperunt ægri (quod ſymptoma ipſis familiare eſſe ſolet in materiæ illius vitioſæ commotione) ceſſat ab vlteriori remediorum applicatione: Aegros interim tenuiſſime, aut omnino non cibans donec ſaliva fluere deſiit: Si vero tertio die à prima mercurii exhibitione non dum ſaliva fluit iterum exhibuit prædictum mercurium, ſed aucta dozi ad gr. vi. vel viij. Si pariter hac exhibitione nihil ſequutum eſt tertia vice dedit temporis ſimul & augmenti obſervata proportione. Dum fluxit ſaliva quievit. Conquerentibus autem de palati & faucium exulceratione, & vacilatione dentium (quod malum nemo adhuc à *mercurio* arte potuit avertere) gargariſmum fecit ex *adſtringentibus aquis & alumine* Vlcera ſi adfuerunt ablui curavit aquis *veronicæ & roſar.* in quibus aliquid *mercurii ſublimati* communis ſolutum fuit Finito palati fluxu, *decoctum ligni*, *dedit* & ſudoribus diſcuſſit ſi quid fuit reſiduum *Andreas Schiling. in Epiſt. ad Greg. Horſtium obſ.* 12. *lib.* 7.

VI.

Scatebat quidam è grege mendicabulorum Lue venerea aliquot diebus vniverſum corpus equino fimo obruit, vt tantum eſſet qua reſpiraret, Erat ſtercus ſtabularium equino lotio ſæpius perfuſum, quodque iam computruerat, Effecit ille hac arte vt totum virus exprimeret: Addidit aliquoties enchriſtum ex axungia larigna & hydragyro nec alia vitæ lex ſervata quam mantica offerebat, atque his remediis curatus eſt. *Iac. Hollerius L.* 1. *Inſt. Chir. l. c.* 1. *Ballonius* Paradigm.

VII.

Ab initio curationis ad finem uſque continuus debet eſſe uſus Decoctionis ſequentis pro Potu & pro ſudoribus movendis.

℞. *Rad. Salſapar.* ℥iij. *rad. Chinæ* ℥ij. *polypod qu. & cich.* ãã. ℥ß. *infunde per iv. horas in aquæ* ℔x. *Coque deinde, addendo ſub finem pulver. tartari albi* ʒiij. *fol. fragar. pimpin.* ãã. *m.j. liquir.* ℥ß. *cinnam.* ʒj. *f. ebullitio & paretur ſ. a. Decoctum, quod præcipuum eſt Luis alexiterium, nec guſtui ingratum ut olim ex Guajaco parabatur, Cogatur æger, ſi fieri poteſt, haurire hujus Decocti ad* ℔.v. *vel* vj. *in die.* St. Jaques.

VIII.

Vidi juvenem, qui cum à recenti hoc morbo convaleſcere per potionem *Guajaci* ex aqua non poſſet, ab antiquo liberatus eſt per potionem ejuſdem ex vino: Soleo ego recipere *ligni Guajaci* ℔j. aquæ ℔vij. & facta maceratione totos tres dies, decoquere uſque ad aquæ fere conſumptionem; deinde conjicere vini ℔iiiß. & colaturam facere per torculare expreſſum, Vinum enim decoctum mutat omnino vires. *Chriſt. Guarinonius conſult.* 315.

IX.

Chymicus & Empiricus inſignis felici ſucceſſu ſequenti Electuario Luem hanc curabat, continuando uſum ejus in robuſtioribus mane & veſperi per xv. dies.

℞. *Cortic. Guajaci* ℥iv. *ligni ejuſdem, Ebeni Quercus aut Buxi* [illegible] ℥ [illegible] *ſalſapar.* ℥vj. *hermodactyl.* ℥iv. *turbith.* [illegible] ℥ [illegible] *caryoph.* ʒij *aniſi* ℥j. *ſaſſafras* ℥iij. *fol. ſenn* [illegible] *aquæ* ℔viij. *ſtent in cineribus calidis per diem unum aut alterum, colentur, Poſtea iterum affundatur aquæ eadem quantitas, Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem Expreſſione facta prima infuſio cum hoc Decocto* [illegible]*, per evaporationem denuo igne factam ad* [illegible] *ſiſtentiam inſpiſſatis, Addantur mell. optimi de* [illegible] *& inſpiſſati parum* ℥iij. *pulverum zarzæ par.* [illegible] *hermodactyl.* ãã. ℥ß. *turbit. gummoſi, rad.* [illegible] ãã. ʒij. *Caryophyll.* ʒj. *extr. ſcammon* ʒij. *F. Electuar dozis à* ʒiß *ad* ʒij. *&* iij. *Æger quamdiu hoc Electuario utitur, bibat Decoctum factum ex zarzepar. China, hermodact. aniſo, caryoph. & guajaco.* Fel. Platerus Prax. l. 3. p. 458.

X.

Auriga militaris uxorem Lue infecit, hæc vero remedii penuria in ulcus exedens ſeſe diſtendit, Unum ſaltem vidi ab aure in cervicem, humerum cubitum, pone per omoplatas, totum latus coſtarum & thoracem devaſtans: Exhibeo *corallatum Paracelſi* per albumen ovi paratum, & xxvi. diebus tota convaluit, Ingentia enim ulcera feſtinato impetu pelle tegebantur. *Johann. Helmontius Fr. De cauſis & initiis naturalium.*

XI.

A me curata eſt Lues Venerea in pluribus *Decocto ex ſudoriferis & purgantibus* per xx. dies uſurpato: Si hæc non ſufficerent ad *Frictiones ex Unguento Mercuriali* deveniebam: Multi in media hyeme hoc ſolo Decocto curati ſunt, quibus Diæta Sudorifica adminiſtrari non poterat propter inclementiam aëris. *Laz. Riverius obſ.* 78. *cent.* 1.

XII.

Mercator Lue laborans ab aliquot menſib⁹ à me curatus eſt ſine ullo alio remediorum apparatu per *Opiat. Neapolitan. Renodæi*; cui addebam, Singulis diebus *Mercurii præcipitati albi cum ſpirit. ſulph. præparati* ℈ß. & per intervalla exhibebam *Calomelanos Turqueti*, ſeu *Mercurii dulcis ſexies ſublimati* ℈j. cum *reſina ſcammon.* gr. xii. in forma pilulari, Cum uſu *Bochetı* ex decocto *Guajaci & zarzepar.* per xx. dies, Multos etiam alios curavimus uſu ſolius prædictæ Opiatæ cum *Mercurio* prædicto & Decocto ſalſæpar. per longum tempus Quibus autem alvus multum movebatur, illi tantum alternis diebus ſumebant prædictæ opiatæ ℥ß. *Simon Iacoz. obſ.* 91. *cent.* 4. *Riverii.*

XIII.

Henricus Tertius Galliarum Rex Lue laborans à Medicis ordinariis curari non poterat: Monitus fuit *Penam* tunc temporis *Lutetiæ* Medicinam facientem multos ab hoc morbo liberare remedio peculiari, quod à quodam Turca didicerat, Illum vocari juſſit, ab eoque curatus eſt, Remedium tale erat.

℞. *Rad. bardanæ in taleolas ſectæ* ℥viii. *vini albi & aquæ fontis* ℔ij. *bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem Sennæ mund.* ℥j. *vel* ℥iß. *pro diſpoſitione agri, Colaturæ capiat mane* ℔ß. *Sudores provocando cum ſilicibus majoribus calidis linteo obvolutis, quorum unus admoveatur plantis pedum, duo tibiis, duo cruribus, duo juxta medium parte exteriore, & duo juxta humeros, probe tegendo ægrum*, Sudores copioſi excitantur per horam unam cum dimidia, & circa veſperam alvus ſolvitur bis aut ter: Hoc remedium præmiſſis univerſalibus uſurpabatur per ſpatium xv. aut xx. dierum: Poſtea capiebat mane ſingulis diebus *Decoctum Bardanæ ſine Senna*, & ſine ullo regimine per menſem integrum aut dies XL. *Samuel Formius obſervat.* 41.

36. *Curationem quæ abſolvitur)* Adverſus tam fœdum & ferum affectum fortioribus artis præſidiis pugnandum eſt, ad ſordidam & malignam putredinem in vaſis, viſceribus & partibus ſolidis impactam expugnandam & extinguendam membranarumq; labefactatarum robur reſtituendum; Quæ *Diatâ, Chirurgiâ & Pharmacia* perfici poterunt.

Chirurgia & pharmacia hoc ordine debent intermiſceri. *Venæ ſectio* celebranda eſt ex brachio dextro, ut putredo venarum hac evacuatione poſſit imminui, & *Hydrotogoris* tutiùs & felicius inſtitui.

Ipſi tamen V. S. debet præmitti clyſter emolliens & refrigerans.

Poſt V. S. debent ſordes alvinæ regionis & partium adjacentium elui, vel *apozemate* vel *ptiſanâ laxativâ* per triduum repetitâ, vel *bolo*

℞. *Rad. bruſci & aſparag.* ãã. ℥ii. *fol. cichor. cum toto agrimon. & borrag.* ãã. mj. *tamarind.* ℥ii. *fol. ſen. mund.* ℥i. *Rhab. elect. & agaric. rec. troch.* ãã. ℥ß *Cremor. tartar.* ʒii, coq. ad ℔ ß ut fiat apozem. Clar. pro tribus doſibus matutinis, addendo cuilibet doſi *ſyrup. roſ. ſolut.* ℥j. ultima doſi ſi reliquæ non ſufficienter purgauerint, adde *Mann. Calabr.* unc. j *pulv. rad. jalap.* ℈ß.

℞. *Caſſ. rec. extract.* ʒvi. *confect. Hamech.* ʒiii. *aquilæ albæ* ℈j. *Cremor. tartar.* ʒi. Ms. f. boli plures devorandi manè & ſequenti die iterandi.

℞. *Tamarind.* ℥i. *fol. ſen.* unc. ß. *limon.* fruſtula aliquot *roſar. rubr. pi.* infund. in cyath. 2. aq. fontan. frigidè & manè cola, capiat cyathum unum horâ ſextâ matutinâ, alterum verò duabus poſt horis, continuando per triduum.

Corpore ſic purgato, ſecabitur Vena brachii ſiniſtri, ad vaſcula duo vel tria, pro modulo virium & ſanguinis abundantiâ.

Deinde immittetur æger in balneum aq. dulcis tepentis per octo vel decem dies continuos & bis in die

poterit uſurpari, manè ſcilicet & veſperi, in eoque morabitur ſingulis vicibus per horam vel, ſeſquihoram. Quòd ſi vires ei ferendo non ſint pares, utatur tantum ſemicupio per 12. vel 15. dies, interpoſitâ poſt 6. vel 7. dies, duorum vel trium dierum quiete. In ipſo autem balneo vel ſemicupio, *juſculum* herbis refrigerantibus alteratum exhibebitur, vel lactis caprilli lb.j. vel cyathus aquæ hordei cum ſyrupo Capill. Veneris.

Si corpus plethoricum ſit, in medio balneorum uſu aperiatur Vena ex alterutro pede & ſanguinis unciæ octo detrahantur, intermiſſo eo die balneo, Vnâ vel alterâ à Venæ ſectione die, ipſi in balneo collocato exhibenda eſt ptiſana laxans ſuprà præſcripta.

Exacto balnei tempore multi movent ſudores vel ſub arculo, vel intra papilionem ex vapore aquæ vitæ, propinata priùs decocti ſarſæparil. & guajaci doſi.

Verùm hac methodo, tenuiori humoris portione exhauſtâ, indomita & ineluctabilis remanet craſſior fæx, quæ *Mercurii* vim & conatum ſæpè eludit, ideoque hæc praxis expungenda eſt tanquam afflictis noxia: Cùm *Hydrargyrum* ſit ſpecificum luis Venereæ remedium, alia omnia quæ ipſi præmittuntur, debent viam quaſi ſternere, poros aperiendo & materiam craſſam, Siccam, & corrodentem attenuando, diluendo, & demulcendo, ut virus ptyatiſmo poſſit faciliùs expurgari.

Dum *purgationes & balnea* fiunt, æger debet uti ſequenti decocto.

℞. *Radic. ſarſaparill. minut. inciſ.* unc.ii. *ligni ſancti* unc.ß. infunde per 12. horas ſuper cineres calidos in ib.iv. aq. fontan. deinde coque ad 4. partis conſumpt. donec lb.iij. ſuperſint. Hoc decocto utatur pro potu ordinario ſine vino, dum prædicta remedia fiunt. *Barbeyrac.*

37. *Sanguinis ac vitioſorum humorum bene præparatorum vacuatione*) Morbus à plenitudine eſt, itaque Evacuatione curabitur, Sed cum plenitudo poſſit eſſe conjuncta cum aliqua prava qualitate, morbo correptus non refrigerabitur etiamſi evacuetur per *ſanguinis miſſionem*, quæ quidem conveniens erit modo ætas, regio, tempus, & vires conſentiant, & modo morbus ſit in principio, & cum puſtulis, ſcabie, vel ulceribus, Nam ſi dolores capitis & articulorum ægrum divexent, miſſio ſanguinis tunc non competit, quia refrigerat, & refrigerando morbum auget & deteriorem reddit, latitantemque frequenter detegit; quare cum ſumma animadverſione videndum eſt, an ſanguis mitti debeat, Quod ſi morbi magnitudo ac corporis vires, & temporis conſtitutio ſuadenat, primum excrementa alvi & ventriculi evacuanda, vel Pilulis, vel Bolo, vel Syrupo. *Pilulis*, ſi alias formas remediorum admittere non poſſit, vel ſi pituita evacuanda ſit, *Pilulæ* enim ex *aloë* tantum *non lota*, vel ex *hiera*, vel *Pilulis ante cibum*, vel *ſabelliis*, & aliis quæ plus *aloës* recipiunt: In omni Lue inter omnes Pilulas, convenientiores erunt Pilulæ ex *aloë*, nam ſola morbum curat exſiccando; In *principio morbi, & temperaturis calidioribus* ſic erit progrediendum, Si morbus initio eſt cum *ſcabie*, vel *herpetibus*, vel *ulceribus*, minoretur, *ſyrupo roſarum ſolut.* qui ſyrupus magis dicetur convenire, & etiam in temperamentis calidioribus, E.g.

℞. *Syrup. roſar. laxat.* unc. ii. *decocti mercurialis* unc.iii. *miſce, capiat mane die precedente miſſionem ſanguinis:* Vel ſi quis malit, *caſſiam cum catholic.* forma boli ſumat; Si morbus inveteratus & pituitoſus magis ſit, uel in corpore pituitoſo, ea quæ componuntur, ex *ſena, carthamo & agarico* fiunt efficaciora, vel ex *diaphœnico*, cum *aqua enulæ camp.* vel *betonicæ*, vel *abſinthii* miſceantur, Sed talibus in morbi augmento erit utendum, nam nũc *morbi incipientis* curationẽ trado, & in plethorico, vel multum ſanguineo: In craſtinum ergo minorativi loco *mittatur ſanguis* à vena baſilic. dextri brachii, niſi ulcus vel affectus in altera parte fuerit, altera illæſa vel minus affecta, Quantitas ſit unc.iii. vel iv. primum; craſtinum ergo, unc.vi. vel vii. ſi vires ferunt rurſus detrahantur: Hic affectus; ut laſſitudo curandus eſt, in qua *Galenus* iterat miſſionem ſanguinis ad animi uſque deliquium; quod nunc non cenſeo faciendum, ſed quantum vires ferre poterunt. Si morbus ſit adhuc in principio, & materia ſanguini permixta, materiam illam ab habitu retrahere non poſſumus, niſi evacuatione magna: Quæ etiam ratio inſtituenda erit in iis quibus *ſanguinem mittere non licebit*, Eos enim *purgabimus* multum & frequenter apozematibus & ſyrupis compoſitis ad ſeroſos & pituitoſos humores detergendos, quales ſunt *ſyrupi de fumar. compoſ. ſyr. de epith.* qui dantur cum ſero lactis; ſi bilioſus vel calidior fuerit; vel cum *decoctione mercurialis & borraginis*, vel cum *aqua abſint.* quæ in iſta ſpecie optima eſt, ac etiam pituitoſa, ſiccat enim & adſtrictionem depoſuit ſeparata aque à & aërea ac ignea ſubſtantia à terreſtri; Vel fiat ſyrupus & ad ſeroſa recrementa & aquea, & ad illa quæ ſatis ſunt præparata à natura, & ſeparata ab humoribus laudatis, qui quidem purget, ſed prius præſcribendum eſt medicamentum laxans, utpote minorativum, ex ſupta ſcriptis.

℞. *Cichor. endiv. ſcariolæ, lupuli, fumar. acetoſæ. h. capill.* ãã. *m.j. braſſicæ marinæ (ſi ſicca fuerit ponatur ad* ℥iii.) *prunor. ſebeſten. paſſular. ficuum ana. par.* xx. *aniſi* ʒiii. *ſemin. carth. polypod. qu.* ãã. unc.iii. *ſennæ orient.* unc.iv. *ſi braſſica ſicca ſit. ſin minus* ℔ß. *fl. bugl. borrag.* ãã. *p.j. anthos, chamæm.* ãã. *p.* ß. chamæmelum caput & partes *relaxat, & dolores ventris à ſenna & polypod.* excitatos *compeſcit, aut inhibet ne fiant*) *ſacchar. q. ſ. f. Syrupus quem continnet per v. dies.*

Priuſquam autem præſcribatur *medicamentum laxans*, conſideretur evacuatio per Syrupum; quod ſi non moverit ſyrupus ob corporis conſtitutionem, ei *adde ſyr. roſ. lax.* unc. i. & alternis diebus tunc utatur, vel die præcedente medicamento eradicativo: Quod ſi laxaverit quinquies, ſexies, vel pluries, conſiderata corporis plenitudine, vel cacochymia, medicamentum paretur ex *confect. Hamech.* vel *ſucco roſar.* vel *elect. diacarth.* utile enim eſt corpus bene purgare: Quod ſi non poſſit tolerare, frequentius non erit dandum medicamentum. *Rondeletius.*

38. *Evacuatione*) Si copia humoris Acidioris, Acrioris tum & Pituitoſi viſcidioriſque nimia in corpore obſervetur, Educendi ſunt ac *Evacuandi per vias convenientes*, ac *medicamenta convenientia*; Viæ humoribus tam pituitoſis quam ſeroſis evacuandis aptæ ſunt in Lue, tum *Os*, ſive hoc fiat per *Vomitoria*, vel *Salivationem* moventia, Tum *Alvus* per *Purgantia deorſum*; tum *veſica urinaria* per *Diuretica.* tum *Cutis pori* per *Sudorifera*, Adeo nulla via eſt, quæ non conducat Lui curandæ; Tutius quidem ac jucundius & blandius eſt curam illam, peccantiumque in Lue humorum vacuationem inſtituere per Sudorifica, Diuretica & deorſum purgantia, citius autem, at difficilius eadem perficitur per Salivationem moventia, & quandoque *Vomitoria*, quippe quæ Salivationi ſimul promovendæ ſunt aptiora: Satius certe foret ſudoriferis, Diureticis ac per Alvum purgantibus abſolvi curam Luis, ſi ſemper illis abſolvi poſſet, licet plus temporis deſideret, quoniam tutius procedet quam ejuſdem per ptialiſmum & vomitum inſtituta cura, in qua vis major corpori infertur; Adde quod facile in vitæ periculum incidat, ſi minus prudens fuerit Medicus in feſtinatione nimia, vel uſu medicamentorum minus recte præparatorũ, vel non obſervat ſatis accurate ægri conſtitutione vel idiogineraſia aut ſimilibus:

ſimilibus: Periclitatur & ipſe æger ob imprudentiam ſi in Diæta peccaverit; facile enim ab ipſo ſalivante delinqui poteſt, ſive aëri aſperiori aut frigidiori ſe exponat; ſive Potum paulo frigidioremve uſurpet, &c. *Fr. Sylvius.*

Quamvis in *Vomitu* ad Luis curationem ciendo haud incongruentia putem varia ex *Antimonio* parata medicamenta, non poſſunt tamen cum *Mercurialibus* conferri ac his æquiparari, ſi unum forte excipias *Vitæ Mercurium*, *medicamentum vero Antimoniale, in Regulum quippe facili negotio, & ſola cum ſulphure fuſione reducendum:* Niſi quis ergo ad Vomitum ciendum uti malit *Vitæ Mercurio* ad Luis Curationem optimo medicamento, uſurpare poterit varia ex *Mercurio* ipſo parata medicamenta, præcipitata aut ſublimata: Inter *Præcipitata* præferuntur *minus fixa*; Inter ſublimata potentius efficaciuſque exiſtit Corroſivum, at ſimul periculoſius; Quia facilius frequentiuſque vomitum cient *Præcipitata minus fixa*, quam *ſublimatum dulce*, illa igitur præferenda quoque. *Idem.*

Purgato corpore materiam conjunctam, quæ in habitu corporis eſt, *Evacuare* oportet, Evacuatur autem per *Maſticatoria*, *ſi morbus firmatus ſi in capite:* Si in *Juncturis*, Cucurbitulis cum Scarificatione. Si cum *frequenti ſqualore*, vel *ulceribus corporis miſſione ſanguinis è venis linguæ*, ſi aliqua *pars oris ulcerata* ſit: De maſticatoriis poſtea, Nunc de cauſa quæ ſanguini permiſta eſt dicamus, Evacuamus quod *in carne collectum* eſt, ſudore per cutim, tanquam per propinquiorem & convenientiorem regionem: Sudor provocatur vel externis auxiliis, vel internis, verum alia aliis ſunt efficaciora ad hunc morbum propulſandum: Provocabunt Sudores *Balnea*, *Stuphæ*, *Emplaſtra*, *Vnguenta*, verum *Balnea* quæ ſiccant digerendo citra adſtrictionem longo uſu hanc affectionem curare poſſunt: At quæ ex aqua dulci fiunt: plus nocent ſua humiditate quam evacuando prodeſſe poſſunt: At *ſublimata in doloribus & ulceribus*, *Nitroſa in ulceribus & ſcabie: Aluminoſa in doloribus articulorum*, *& ſtupharum* frequens uſus proderit: Nam morbum debilem curare poteſt ſed longo tempore, *Emplaſtra ex Mercurio* eadem ratione curant qua Vnguenta ſed magis inſenſibiliter & ſiccando quam movendo ſudores Hinc quibus ob negotia ſudare & domi manere non licet, Emplaſtrâ conveniunt, ſed ad dolores magis quam ſcabiem, vel ad tumores & oſtracoſa ulcera. *Rondeletius.*

39. *Venæ ſectionem inſtituendam)* Vide §. 36. Curationem quæ abſolvitur.

40. *Purgationem)* Vide §. 36. Curationem quæ abſolvitur.

Luis Cura per Purgationem.

40. *Purgationem inſtituendam)* Per Purgationes quæ potiſſimum inſtituitur curādi ratio, non adeo frequens, cum non adeo dudum inventa ſit, exiſtit; Perficiturque corpus ſæpius, vel valide admodum, exhibitione Purgantium, *expurgando*, & per vices *reficiendo*; Solaq; interdum hac ratione Lues hæc curatur; ut non opus ſit inſuper per *ſudores* vel *exſputiones*, aliove modo factis evacuationibus; Alias vero aliæ maxime, quæ per ſudores fiunt, ſimul in cura adhibentur, præcipue ſi dejectiones quæ per alvum fiunt, longiores vel violentiores, uti ſi per eas ſolas curari debet fere requiritur, ferre nequeant; tunc poſt purgationes aliquoties repetitas, ſudores exhibitione *Decocti Guajaci*, aliove modo; diebus aliquot movemus, indeque ruiſum purgationes molimur, & ſic vice verſa donec morbus integre curatus ſit: Aliquando & medium curationis tempus purgando, reliquum ſudores provocando abſumimus, idque cura quæ per ſudores, exhibitione præſertim hidroticorum perficitur, ſed & extrinſecus balneis ſiccis in hanc rem aliquoties utimur; eaq; purgationibus hiſce, quando ab illis quieſcunt intermiſcemus. Ad ejuſmodi Purgationes moliendas non certa humori alicui ſaltem deſtinata cathartica ſeliguntur, ſed quævis naturam ad excretionem hanc ſolicitantia hic locum haberē poſſunt, cum illa excitata eos qui redundant potius quam alios expellat.

Ex decoctis, ſeu apozematibus dictis frequentius, Illa, præmiſſa generali corporis evacuatione ad tempus aliquod propinandi ſpatio breviore, ſi continuis diebus ſemel in die mane, vel etiam bis, mane ſcilicet & veſperi, ea ad dies xv. vel etiam ultra aſſumere queant, vel longiore, ſi æger debilior factus diem unum aut alterum quieſcere cogatur, & poſtea rurſum ea repetere, tuncque ad ſeptimanas tres vel quatuor cura protrahenda: Sed & in aliquibus purgatione per hęc apozemata, ter quaterve in ſeptimana facta, poſtea ſpatium quieſcendi per tres dies reliquos illius ſeptimanæ conceditur, quibus mane & veſperi quoque interdum corroborantia aſſumant; hacque ratione & purgando & reficiendo, ſeptimanas quatuor vel quinque complent; In qua cura decens quoq; *vitæ* regimen obſervandum, non tamen adeo exquiſitum & ſtrictum, in cibi præſertim ſubtractione eſſe debet; cum qui ſic expurgantur cibo exquiſito ſæpius ſint reficiendi; nec quoque, ut cum per ſudores cura inſtituitur ab aëre liberiore tantopere ſunt arcendi; quin ſi temperatus ſit cum poſſint in conclavi admittere, vel etiam in publicum prodire.

Parantur autem ejuſmodi Decocta hoc pacto, In calidioribus & bilioſioribus corporibus, & cum *maculæ ac puſtulæ, ulcerave* erumpunt illud præcipue competit.

℞. *Polypod.* ℥iii. *fol. Sennæ* ℥ii. *epithym. myrobal. chebul. citr.* ãã. ʒii. *flor. cordial.* ʒii. *herb. capillar. bugl. utr.* ãã. *m. j. rad cichor.* ℥ß. *ſem. aniſi* ʒii. *f. Decoctio in aqua pro* v. *vel* vi. *dozibus, dulcorando cum ſacch.* diſſolvendoque in qualibet *ſucci roſar. & fumar.* ãã. ℥ß. quædam purgantia addendo ſi amplius laxare volumus.

Pro *pituitoſis, ſeroſioribus & frigidioribus*; ſi dolores circa oſſa præſertim moleſtent, ejuſmodi Decocta fiunt.

℞. *Sem. carth. conquaſſ.* ℥iß. *fol. ſennæ* ℥ii. *polypod.* ℥i. *turpet.* ℥ß. *epithi* ʒii. *paſſular. mund.* ℥i. *ficuum n.* x. *rad. liquir.* ℥j. *rad. Enul.* ʒvi. *galangæ* ℥ß. *thym. betonic. majoranæ, hyſſopi, chamæp.* ãã. *m.* j *flor. bugl. utr. roſmar. ſtæch. vel lavend. ana. p.* j. *flor, cham. p.* ß. *ſem. coriand. aniſi, fœnic. ana* ʒi. *ſem. nigell.* ʒß. *f. Decoctio in aqua pro* v. *vel* vi. *vicibus, dulcorentur melle &c.*

Alia quoque Decocta hic competere poſſunt, quibus & quæ Lui huic adverſa creduntur, ut *guajacum, zarza* &c, ſimul incoquuntur; quæ ſæpe repetita, uti aloes pertinaces morbos, ſic & Luem hanc interdum ſanant: Huc & referuntur *Decocta Helleborata*, ut in melancholicis morbis, aliiſque gravibus ſic & lue hac curanda commendata, Inprimis probatur hoc.

℞. *Cortic. helleb. n.* ℥vi. *myrobal. omn. ana* unc. ß. *fol. ſennæ polypod. ana* unc. i. *epith.* unc. ß. *ſonchi m.* j. *flor. cord. p.* j. *ſemin. citri* ʒi. *ligni guajaci raſi* unc. iv. *bulliant in* ℔viii. *aq. & vini albi* ℔iß. *Colentur & dulcor, ſacchar. aromatizentur cinnam. & caryoph.* Doſis unc. iv. vel vi. prout operabitur. *Vinum helleboratum* ex ſimplici infuſione idem præſtabit citra decoctionem.

Chymicus, & Empiricus inſignis felici ſucceſſu ſequenti Electuario Luem hanc curabat, continuando uſum in robuſtioribus per xv. dies mane & veſperi.

℞. *Cortic. guajaci* unc, iv. *ligni ejuſdem, ebeni. quercus aut buxi ana* unc. vi. *zarzapar.* unc. vi. *hermdactyl.* unc. iv. *turbith. gumm.* unc. ii. *caryoph.* ʒii. *aniſi* ℥i. *ſaßafr.* unc. iii. *fol. Sennæ* unc, vi. *aq. comm.* lb. vii. *ſtent in ciner.*

calidis per diem unum aut alterum, colentur poſtea iterum affundatur aqua in eadem quantitate;bulliant fortiter ad tertiæ partis conſumptionem : Expreſſione facta prima infuſio cum hoc decocto miſceatur, per evaporationem lento igne factam, ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſatis, adde *mellis opt. deſpum. & inſpiſſat parum* ℥iv. *pulver. zarzapar. fol.ſennæ, ana.* unc.ß. *turb. gumm. rad. Jalap. ana.* ʒiij. *caryoph.* ʒj. *Extr. ſcammon.* ʒij. *f. Electuar. dozis à* ʒiß. *ad* ij. & iij. Aeger quamdiu Elect. hoc utitur bibat Decoctum factum ex *zarzapar. China, hermodact. aniſo. Caryoph. & guajaco.*

Per pilulas ex *argento vivo præcipitato* quidam idem perficiunt, Vide §. *Maxime hic inſervire)* Et §. *Quibus curandis egregia.*

In Apozematum prædictorum, quibus Luem ſanare ſolemus, uſu, ſi vires labaſcant, die vel uno ſaltem in ſeptimana vel duobus aut tribus, prout neceſſitas requirit, *Mithridatium, Theriaca*, aliaque corroborantia dentur, Necnon in *helleboratorum* decoctorum & infuſorum uſu. *Platerus.*

41. *Purgationem*) Evacuationem per cutim tentare non oportet quin prius corpus ſit mundatum à recrementis, ne fiat major attractio quam per cutim evacuari poſſit, Quod ſi fiat vel non curabitur, vel recrudeſcet brevi morbus, vel deterior reddetur; Novi ego multos qui poſt inunctiones & diætas: dolores vel exoſtoſes paſſi ſunt cum antea nihil tale paſſi eſſent, quia materia fuit attenuata, liquefacta, & ad partes externas attracta, non autem evacuata. Quare multum vel frequenter corpora illa vacuanda cenſeo in principio; Si minus licet tantopere vacuare, poſt tres certe inunctiones exhibendum purgans, ut quæ liquata ſunt evacuentur; Medicamentum debile non poteſt vacuare ob ſudationem quæ extra ad cutem evacuat materiam : Forte vero medicamentum periculoſum eſt tum ob virium imbecillitatem, tum quia frequenter materia per ventrem vacuatur, quare neque debile, ut *Caſſia*, vel *Catholicum*, neque forte, ſed medium convenit, ut ſi detur *confectio Hamech ad* ℥ij. *cum aqua hordei & ſyr.roſar. laxat.* ℥ij. Vel ſi volumus naturam excitare, ventrem primum deinceps partes inferiores inungemus unguento circa umbilici regionem: Si unguentis utamur, *vel decoctione Guajaci*, ſemel in hebdomede purgantibus alvum movemus. *Rondeletius pagina 144.*

In morbo inveterato.

Si morbus fuerit inveteratus cum *doloribus & tumoribus duris* tum primum diſtinguere oportet an morbus ſit cum corporis conſumptione an non, An *dolores* ſint capitis ſine *tumoribus*, an vero cum *tumoribus*, An denique ſint cum *oſſis carie*, an non; Et pro variis his modis remedia varia erunt adhibenda; Si morbus eſt inveteratus, ſiſcitandum ab ægro uſus ne ſit aliquo remedio, an non, ut intelligamus quid fuerit in cauſa cur minus fuerit, curatus; Quod ſi ob Unguenti imbecillitatem curatus non fuerit, fortius erit exhibendum, quia fortius medicamentum expoſtulat hujus morbi contumacia: Si ob defectum evacuationis videndum ne in eundem errorem incidamus; Cum ergo inveteratus morbus frigidior ſit & materia craſſior, magis calefaciendum atque attenuandum, & fortius trahendum erit per aſſumpta & admota, Primum itaque fiat hoc modo minorativum ex *diaphœnico & catholicone*, ut pituitoſa excrementa ventriculi & inteſtinorum purgentur, Et incidentibus;ut medicamentum ad partes deducatur ſiv.

℞. *Cathol. & diaphœn. ana* ℥iii. *m. f. Bolus*, Vel diſſolve cum aqua *betonica vel hyſſopi* & fiat Potus Vel utatur *Pilulis de hiera* fortificatis *agarico*, Vel *Pilul. ſine qu.* vel *aureis*, in minori quantitate, ſcilicet ad ʒß. vel ℈ii. Deinde utatur ſyrupis incidentibus, qualis eſt, *ſyrup. de ſtach. de artemiſ.* cum *melle ſcyllit. vel anthoſ.* Alii vero ſyrupi non conveniunt, quia frigidi, vel humidi, vel quia corpus non eſt aptum frigidis; Quare *ſyrup. de fumaria, roſar. laxat.* non conveniunt hoc tempore, niſi approprientur cum Decoctis E. g.

℞. *Decoct. beton. Calaminth. hyſſopi* ℔.iß. *ſyr. de ſtach.* ℥vi. *aromatiz. cum* ʒii. *diarrh. & fiat ſyrupus, utatur in quinque matutinis.* Vel

℞. *Syr. de artemiſ.* ℔ß. *aqu. abſinth. hyſſopi, cichor. bugloſſ. ana. quart. j. aromatiz. cum* ʒj. *aromat. roſ. capiat in 4. matutinis.* Tertio quoque capiat ʒi. *Pil. ex Aloë, vel ſabell.*

Finitis ſyrupis capiat medicamentum ex *Elect. de Citro*, vel *diacarth. vel Ind. major. forma Boli aut Potionis.*

℞. *Elect. de citro ſolut.* ℥iij. *conf. Hamech* ʒi. diſſolvantur in *Decoctione Mercurial.* & cum ℥i. *ſyr. roſ. laxat. f. Potio*; ſumat mane & in craſtinum detur *Maſticatorium ex pyrethro.*

℞. *Pyrethri cocti* in oxymelite ℥j. maſticet per tres dies mane expuendo, Poſt cujus aſſumptionem detur Tabella una *Elect. diagalangæ*, & relinquatur æger per aliquot dies ad virium refocillationem, Poſtea utetur ſequenti ſyrupo laxativo.

℞. *Rad. helenii* ℥ii. *galangæ ma.* ℥i. *herbar. capill. bugloſſi borrag. cichor. ana. m.ß. beton. hyſſopi, ſampſuchi ana m.j. aniſi* ʒii. *polypod. ſennæ ana* ℥iv. *agar.* ℥i. *flor. anthos ſtach. chamæm. bugl. borrag. ana p. j. f. Decoctio in aqua fontis, abſinth. & bugl.* ℔i. *In colat.* lb.iii. *diſſolve ſy. de fumar. compoſ. & roſar. lax. ana* ℥iv. *mellis anthoſ.* ℥iii. *ſacchar. q. ſ. fiat Syrupus, cujus media pars coquatur ad perfectionem & ſervetur uſui : reliquam capiat in v. dozibus, Prima die capiat* ℥vi. *mane*; *Secunda* unc.v. *mane*; *& ante cœnam* unc.iv. *& tantundem die ſequenti.*

Quod ſi fatigetur ob majorem laxationem, quieſcat per unum diem poſt duas dozes, vel capiat ſemel tantum in die. Talis Syrupus ſolus poteſt incipientem morbum curare ſi bis in die aſſumptionem continuet & magnam evacuationem ferre poſſit: Et plus prodeſt hic ſolus ſyrupus quam fortiores Pilulæ, vel alia medicamenta, & longis intervallis ſumpta, quia in illis intervallis viſcera replentur recrementis, quæ attractionem materiæ habitus corporis impediunt : Verùm cum illa excrementa continue evacuentur, ut mane communia, à prandio, ſecunda ab hepate; tertia potio matutina à vena magna, & quarta à ramis, ſic curantur quia evacuantur exquiſite : Ego curavi incipientem morbum quinque diebus ſimilibus medicamentis: Si ergo facta fuerit inſignis vacuatio, pauca erit materia quæ in cute & carne remaneat: Quare illud remedium, quod ſequetur, vehemens non ſit oportet, nam mediocri uti neceſſe eſt, quia longius eſt ſecurius, corpora enim extenuata non poſſunt fortiſſima medicamenta ferre. *Rondeletius. p. 849.*

Poſſunt & fieri Pilulæ, (vide de *Pilulis Barbaroſſæ* §. *Quibus curandis egregia*) ſic

℞. *Ladani puri, hypociſt.* ana. ℥i. *aloës* unc.j. *ambræ, moſchi ana* ℈j. *argenti vivi loti in vino* unc.ij. *incorporentur cum ſyr. roſar. laxat. &c.* fiant Pilulæ, dozis ℈i. ſingulis matutinis.

Verùm hæ Pilulæ non debent aſſumi niſi purgato corpore Et qui utentur, debent uti donec aut venter laxetur liberalius (quod pro quantitate medicamenti fiet) aut in ore fœtor, aut calefactio appareat & ſentiatur. NB. Hæ Pilulæ debent ſervari, pieque in officinis præſcribi ob calumniam, quia etiamſi poſt decem

cem annos aliquo morbo corriperentur qui hoc remedio uſi fuerint, huic impingerent ac imputarent; quare Medicus ipſe poteſt parare, ac parata ſervare, & quotidie præbere, aut quando neceſſum erit; idque ne argentum vivum cognoſcant, quod non poteſt facere cuidam datum; Ar ſublimatum dare cavendum eſt, quia urit ut præcipitatum. *Rondeletius.*

42. *In Externis præcipuè partibus*) Quod dolor (*affectus*) ſit potiùs in externis quàm in internis partibus inductione patet, Pericranium enim læditur, à quo dolores fiunt extenſivi, ita ut videantur pili ſurſum erigi: Circa ſternum etiam & in epomide & in ſuris eſt dolor; Oſtendit etiam id ſolutio, quod nonniſi ſudore morbus ſolvatur, aut frequenti & magna alvi dejectione, quæ longo temporis tractu habitum corporis ſiccar, & Inedia quæ tales humiditates abſumit; Quare cum Elephantiaſi convenit quia partes occupat externas, ſed in hoc differt quod Lues à partibus externis, Elephas, ſive Lepra à partibus internis ortum habet, Et ad externas progreditur Elephas, ad internas verò repit morbus Italicus.

Hoc etiam in pueris natis ex parentibus infectis oſtenditur hic enim morbus in partibus externis apparet, *Ego vidi puerum naſci totum coopertum puſtulis morbi Italici:* Hoc facit etiam ut morbus ſit contagioſus, nam partes externæ, ſi èxternis objectis apponantur magis afficiuntur, ut qui carne ſunt molliore & rariore cute citius hoc morbo corripiuntur per contactum, quare non mirum ſi ophthalmia videndo adquiratur, ſcabies & hic morbus contactu, quia cum in extremitate cutis exiſtat, effluit aliquid quod intus receptum oculum inficit, ſic carnem, jecur & reliquum corpus; Argumento eſt, quia morbus Italicus, qui neq; ſcabiem neque puſtulas habet, ſed dolores tantum, raro contactu illo contrahitur, niſi cum ulcus vel ſcabies, vel puſtulæ ægrum infeſtant, Neque etiam poſt ſudationem morbus hic ut prius infeſtat, neque ab aliis corripitur niſi per contactum Venereum. *Rondeletius.*

43. *Maximè hic inſervire*) In blandiore Luis curâ uſurpantur quoque *Purgantia per alvum*, quæ cum ex præmiſſis, (*Vide* §. *Decocto*) conſtet requiri *Phlegmagoga*, non parum noſtram ſententiam confirmat hic Experientia omniumque Practicorum conſenſus, *Colocynthidis pulpa* inter vulgaria, & *Mercurialibus* inter Chymica primas tribuens: Sunt autem iſta præcipua *humori pituitoſo viſcidiori evacuando dicata*; Non male proinde concludebamus *Pituitæ viſcidæ admiſceri Venenum Venereum*, quin illam etiam tum producere tum augere, atque nunc cum eadem commodè evacuari, ſed poſtquam prius fuit quodammodo ſaltem correctum: Sunt, inquam *colocynthis* & plerumque, *ex mercurio præparata medicamenta*, tum *humori pituitoſo viſcido*, tum *Lui curandæ* omnium Practicorum per experientiam doctorum calculo, convenientiſſima remedia.

Cui autem vulgaria videntur magis tuta, illi commendamus ipſam *colocynthidis pulpam in decocti ſudorifici* parte, aliove apozemate decoctam, & bis terve in hebdomade ad humores craſſiores viſcidioreſque, nec facile una cum ſudore per corporis poros expelli aptos deturbandos uſurpatam, Nam præterquam quod admodum difficulter Humores pituitoſi ſanguinis maſſæ confuſæ expelli poſſint cum ſudore per corporis poros, accedit quod Pituita multa, tum una cum ſaliva, tum una cum ſucco Pancreatico deponatur ad inteſtina; unde ſatius eſt ipſam aliquoties in hebdomade deponi per alvum, quam continua ſolaque ſudoriferorum uſurpatione reduci ad ſanguinem, atque ſic curam reddi tum longiorem tum difficiliorem: Cui non libet ob ſummum *colocynthidis* amarorem, illa uti in decocto, licet *Trochiſcos alhandal* ex ipſa paratos uſurpare in *Pilulis*, additis quæ pituitam eandem ſimul incidunt & educant, *Gummatibus* præſertim, *Galbano*, *Sagapeno*, *Opopanace*, *Ammoniaco*, *Bdellio*, *Maſtiche* &c. quales Pilulas non ſemel noſtris præſcripſimus in noſtro Noſocomio ægris: Poteſt quidem ſola *Colocynthide* vacuari humor pituitoſus in Venerea lue peccans, longe autem felicius faciliuſque idem fiet ſi mercurialia medicamenta illi copulentur, aut ſola uſurpentur, poſtquam & blandius & potentius illud efficere ſolent *mercurialia* quam vulgaria omnia, Merito igitur non tantum à Chymicis, ſed à Galenicis quoque laudantur tum in *omni pituita viſcida educenda*; tum maxime in *Lue curanda*, *medicamenta ex mercurio*, tam *ſublimatione* quam *præcipitatione* præparata: Sublimata bina occurrunt *Corroſivum & dulce* dictum: Perinde autem eſt an ex *Mercurio cum vitriolo*, *& Sale vulgari*, Nitro, aliove miſto, atque ſemel aut ſæpius ſublimato; an ex eodem *Mercurio* in ſpiritu aliquo acido vel Aqua forti prius ſoluto, hinc poſt lentam liquoris evaporationem tandem igne fortiori itidem ſublimato paratus ſit *Mercurius* ille *corroſivus*, nec facile talis ab ullo in uſum revocandus, & quidem ob ſummam ſui acrimoniam & ſummum noxæ futuræ periculum: Hoc ergo temerariis relicto, commendo unicuique *Mercurium ſublimatum dulcem* dictum qui paratur ex prædicto corroſivo una cum *Mercurio vivo* trito, & ſic ſimul ſublimato, unde blandus & dulcis non vero corroſivus amplius elevatur; Plerique quidem ipſi *Mercurio* adſcribunt vim noxiam in ſublimato corroſivo notabilem, cum tota pendeat à Spiritibus acidis una cum ipſo elevatis, & à recenti *Mercurio* temperatis: Noxa igitur à Mercurio *ſublimato corroſivo* metuenda pendet à *Spiritibus acidis* copioſe in ipſo concentratis nec temperatis, quos temperat idem *Mercurius crudus corroſivo* admiſtus, & cum ipſo denuo ſublimatus: An verò tum per Vomitum evacuandi vis debeatur ipſi *Mercurio*, an ipſis quoque *ſpiritibus acidis* cum *Mercurio* elevatis nemo facile determinaverit: *Mercurium* certe *crudum* vim habere ſolvendi ac per ſalivationem inprimis deducendi ac *ſpiritibus* ipſi tum in *ſublimatione* tum in *præcipitatione* admiſtis mutationem aliquam notabilem ipſi accidere unde humorum quoque vacuatio immutetur, mihi ſaltem ſit valde probabile; poſtquam mihi non minus quam multis aliis conſtat, ſola per ſalia fixa convenientia, *Nitrum* præſertim; aut *ſpiritus acidos*, ignemque perfecta fixatione plurimum alterari & immutari mineralium metallorumque vires, adeo ut quæ prius fuerant vomitoria potentia, ſenſim reddantur purgantia duntaxat mox & ſudorifica, vel roborantia & alterantia blandiſſima; Quo fit ut putem tum ipſi *Mercurio*, tum *ſpiritibus acidis Mercurio* diverſa quantitate junctis, tum igni vario modo & gradu adminiſtrato, aliiſque ſimul accedentibus, vini puta *ſpiritu* &c. adſcribendam vim tam diverſam in Mercurialibus medicamentis occurrentem: Nam præter dictum *Mercurium ſublimatum*, tam *corroſivum* quam *dulcem*, commendantur plurima *Præcipitatorum mercuriorum* genera, quorum alia ſolius *ſpiritus acidi abſtractione* abſolvuntur: alia *liquoris alicujus lixivioſi affuſione*, vel alias ſalini, in *Mercurium ſpiritu acido ſolutum*, peraguntur, alia denique ſolius *ignis* beneficio parantur. Non parum autem colore differunt Præcipitata, nam quædam *albent*, *flavent*, plus minus *rubent*; Differunt eadem *viribus*, alia enim *magis*, alia minus *potentia*; Differunt denique *operandi* modo, dum

alia *per Alvum* duntaxat operantur, alia etiam, vel imprimis per *Vomitum* aut *Salivationem*, unde pro re nata modo his, modo illis uti convenit: Vſurpari poſſunt commodiſſime quando *Pilularum* forma exhibentur, ne Salivatio tam facile nondum quæſita promoveatur: Cum hoc loco *Mercurium præcipitatum* laudamus, ad Pituitam Luis veneno infectam per alvum expurgandam, ſciendum conducere in hunc finem maxime fixum, nam *quo fixior eſt Mercurius præcipitatus, eo minus vel vomitum vel ſalivationem promovet & contra.*

Pendet autem ipſius fixatio à copiâ majore Spirituum acidorum ipſi conjunctorum, unde præ aliis omnibus fixus eſt *Mercurius* ſolo Ignis beneficio paratus: huic proximus eſt, à quo non tantum ſemel at ſæpius abſtractus eſt Spiritus Acidus; adde quod ab uno ſpiritu magis figatur, ita *ſpiritus Nitri* præ cæteris omnibus potenter figit Mercurium, Omnium autem minime fixus eſt, qui per præcipitationem cum aqua ſalſa perficitur: Inter omnes autem *Mercurios præcipitatos* commendatur *Corallinus* ab eleganti ſuo colore nomen habens: atque iterata ſæpius Spiritus Acidi abſtractione paratus: Tali ergo *Mercurio* diverſimode præparato, & pro re nata, hoc eſt ægri conſtitutione diverſa, humoribuſque in ipſo repertis variis, ſelecto, uti convenit ad Luis eradicationem: Tamdiu autem perſeverandum eſt in *Mercurialium* medicamentorum uſu, donec omnia Luis ſymptomata ejus ope fuerint ſublata: Imprimis autem cavendum, ne quid nimis fiat & nimia illa copia adhibeantur, quin ſatius eſt eadem minori quantitate, & ſæpius adſumi, ne potentius commotis humoribus plus noceant quam proſint: Mirum enim præ aliis medicamentis effectum habent *Mercurialia*, dum cætera utplurimum brevi opus ſuum abſolvunt, *Mercurialia* vero lenté inchoatum opus diu continuant, nec ſemper facile aut tuto ſiſti queunt: Majus autem à *Mercurialibus* medicamentis periculum imminet ęgris ob Salivationem, quam tum facile, tum una cum evacuatione per alvum Vomitumque cient, unde quoque plus periculi ægris accedit ob ſuffocationis metum, pituita viſcida turgentibus glandulis circa fauces: Prudentia ergo eſt in Mercurialium adminiſtratione, videlicet in lento eorum uſu, & accurata obſervatione turbarum & agitationum quas excitant nonnunquam in corpore prius, quam potentius expurgent humores: Solent inquam, præ cæteris medicamentis omnibus *Mercurialia* tum circa regionem lumborum, tum circa gingivas, genas ac fauces ſingulares alterationes excitare, atque operationis ſequuturæ certa ſigna præbere.

Quoties igitur poſt aſſumpta *Mercurialia* ægros ſuos audit Medicus aliquid moleſtiæ in prædictis partibus percipere, toties conſideret attente, num aliqua evacuatio inchoetur, atque illa moleſtia per nauſeam, ſimilemve irritationem futuram brevi excretionem ſpondeat: Quæ idcirco lentius procedere ſolet; quoniam in humore pituitoſo viſcidoque ſuperando occupatur *Mercurius*, quem ſolvi ac diſſolvi oportet priusquam expellatur: Quamdiu ergo agitatio illa humorum pergit vel augetur, tamdiu ab ulteriori medicamentorum *Mercurialium* uſurpatione abſtinendum, nec niſi Juſculum forſan, aut Decoctum conveniens ægro dandum, cujus ope diſſolvatur facilius & magis humor viſcidus, ſicque adjuvetur Mercurialis medicamenti actio, Decoctum in hunc finem conveniens erit laudatum (vide §. *Decocto*) ſive ſumatur debilius & ſoli humori alterando dicatum, ſive uſurpetur potentius & Sudoribus ſimul propellendis ſerviens, ſive præferatur quod ſimul per alvum aptum eſt evacuare, quo magis deorſum, minus ſurſum feruntur humores, à *Mercurio* ad evacuationem agitati: Plurimum ergo hic requiritur Medici prudentia, qui pro re nata ſeligere ſciat maxime operi ſuo promovendo convenientia medicamenta: Atque hæc quoque de purgatione per Alvum, tam per *Colocynthidem* quam per Mercurialia rite tenranda dicta ſunto, *Fr. Sylvius.*

Ad ejuſmodi Purgationes moliendas, non certa humori alicui ſaltem deſtinata cathartica ſeliguntur, cum qualis hanc luem efficiat ignoretur, ſed quævis naturam ad excretionem hanc ſolicitantia hic locum habere poſſunt, cum illa excitata, eos qui redundant potius quam alios expellat; Quod & pleroſque Medicos, etſi humori vel melancholico vel pituitoſo aliive quem cauſam hujus luis ſtatuunt, hæc accommodare debere doceant, nihilominus tamen facere debemus, & promiſcue cujuſcunque generis catharticis uti, eaque invicem commiſcere: Quæ nos maxime pro corporis temperatura & conſtitutione, & pro virium ratione, mitiora in debilioribus, fortiora in robuſtioribus uſurpanda, & prout vel maculæ, puſtulæ, ulcera doloreſve ſe offerunt, ſicuti in ea purgatione facienda, quæ in cura per ſudores fit, obſervari quoque debere dicimus, dirigenda eſſe cenſemus, quæ diverſis modis præparantur. *Platerus.* Vide §. 41. *Luis cura per Purgationem.*

44. *Malignitatis & virulentia tam humoribus &c.*) Siquidem ex noſtra ſententia *Venerea Lues producitur ab humoribus Acidis & acrimonia ſua cùm ſanguinem ipſum, cæteroſque ex ipſo humore, ortos, tum Pilos, tum Glandulas, parteſque glanduloſas omnes, tum Cutim, tum oſſa ipſa corrumpentibus & rodentibus*, ita fundamento poſito, putamus longe planius & facilius poſſe nos in hujus affectus Cura Rationali & Dogmatica progredi, quinimo, ejuſdem curæ hactenus fere Empirice duntaxat inſtitutæ rationes veras elicere atque explicare: Non parum autem noſtram de Luis cauſa in Acido acri conſiſtente opinionem confirmant medicamenta multiplicia illam curantia: Hoc ut paucis oſtendamus, obſervandum Luis hujus primaria remedia eſſe aut *Mercurialia*, aut ex *Lignis radicibuſque* gummoſis, atque Sudores moventibus petita.

Optimum certe atque tutiſſimum Luis remedium eſt *Mercurius crudus* cum Unguentis, axungia &c. forinſecus illitus: finis namque ſcopuſque Illitus ut illius cum Mercurio eſt Salivatio, cujus ope una cum pituita copioſa expurgatur ex univerſo corpore Virus Venereum, ſicque ſatis feliciter ac certo curantur Ægri, In eundem finem exhibentur ſæpenumero varia medicamenta ex *Mercurio* tum *ſublimato* tum *Præcipitato* parata, & humores non tantum per Ptyaliſmum, ſed per vomitum quoque atque alvum, imo Urinas & ſudores educentia: Laudamus autem non ſine cauſa imprimis *Mercurium crudum*, *axungia porcina*, aliiſve Unguentis & oleis admiſtum, & forinſecus variis articulationibus affrictum, quoniam Pituitam omnem in corpore univerſo ſolvit, hinc ad Conglomeratas, tum ſalivares tum Pancreaticas glandulas ipſam deducit, atque tum Ptyaliſmum, tum quandoque Nauſeam Vomitumque vel Alvi fluxum excitat: Cum pituita vero quia ſpiritus Acidus in corpore occurrens ſe facile unit & conjungit, una cum ipſa ſolet tunc vacuari & è corpore exturbari, atque una eademque opera Lues Venerea curari: Præter Pituitam vero in corpore humano occurrentem, nil forſan eſt extra ipſum, cui facilius ac penitius ſe viribus integris admiſceat *Spiritus Acidus*, quam ipſe *Mercurius*; Nec proinde mirum, ſi pituitæ tunc naturaliter admiſceatur *Spiritus Acidus* ad ipſius conſtitutionem; tum præter naturam, quoties in corpore redundat, idem Spiritus Acidus admiſceatur copioſius & facilius: Sed nec mirum quo-

que

que ſi ob eundem *Spiritum Acidum* & naturaliter & præter naturam Pituitæ admiſtum, eidem pituitæ admiſceatur facile *Mercurius*, in quem vim ſuam mox & potenter exerit Spiritus Acidus, atque ſe illi uniendo Pituitæ admiſtæ itidem ſe adjungit: Hanc igitur rationem puto mercurii in Lue curanda utilis.

Ptyaliſmum autem promovet, quia pituitoſæ ſanguinis parti ſe admiſcens, h.e. materiæ ſalivari, una cum ipſa Saliva ſecedit in Glandulis ſalivaribus, quinimo Salivæ copioſius ſecretæ; h. e. *Ptyaliſmi cauſa* exiſtit. Quoties autem à Mercurio ſimilis materiæ pituitoſæ ſecretio accidit in Glandulis Pancreaticis, toties ſecretio humoris Pancreatici, & quidem viſcidioris contingit copioſior, unde non tantum Nauſea & Vomitus, ſed & Alvi fluxus quoque ſatis gravis conſequitur aliquando: Quod de *Mercurio crudo* jam dixi, de eodem *Præcipitato*, vel *ſublimato dulci*, imo *Corroſivo* etiam dicendum. Nam quod *Mercurius crudus* efficit deducendo Acidum in ſanguine diſperſum ad Glandulas, idem efficit *Mercurius* per *ſpiritus Acidos* tum præcipitatus tum ſublimatus: Spiritus enim Acidi in Mercurio concentrati, efferveſcentiam in tenui inteſtino cum Bile atque Pituita excitant talem, unde vel nauſea vomituſque vel alvi dejectio vel utrumque producitur: Talis enim efferveſcentia requiritur, quæ confluentes ibi humores turbet, agitet, & ad ſui expulſionem inteſtina ventriculumque irritet; Ad quam efferveſcentiam concurrunt ſemper humores Acidi, vel in corpore contenti & ad inteſtina delati, vel forinſecus aſſumpti.

Ad Ptyaliſmum verò excitandum magis conducunt medicamenta mercurialia minus Acidi continentia; quemadmodum alvum vomitumq; movent potentius, quæ copioſiore & Acriore abundant Spiritu Acido.

Hinc eſt quod *Mercurius ſublimatus corroſivus* vix ad granum unum exhibitus, vomitum potentiſſime ciet, & alvi fluxum; *Mercurius* vero dulcis dictus, & ex *corroſivo* cum *mercurio crudo*, ſuperaddito paratus, tuto ad grana xxx. & plura exhiberi queat, qui rarius vomitum, ſæpius alvum tantum movet, rariſſime Salivationem; Excitatur autem Salivatio facilius cum *Mercurio præcipitato*, & quidem non nimis fixato, quo vis *Mercurii* magis libera permanens, facilius ſe immiſceat Pituitæ in corpore redundanti: Ergo ratione ſpiritus Acidi *Mercurio præcipitato ſublimatove* admiſti, facilius ſe admiſcet Pituitæ idem medicamentum, quo per vices ac intervalla ſufficienti quantitate aſſumpto, ad Glandulas Salivares pancreaticaſque movetur Pituita corporis corrupta, quo è corpore exturbetur & Lues ſenſim curetur: Ergo ratione ſpiritus Acidi & Acris in Venerea Lue peccantis conducit Mercurius, quin ejuſdem vitium arguitur ex mali hujus medela per Argentum vivum feliciſſime uſurpatum.

Eundem *ſpiritum Acidum in Lue* peccantem arguunt *Ligna, Cortices, Radices Gummoſa:* Gummi ſi quidem tale ſali volatili & oleo aromatico abundat, à qua proinde cum curetur Lues, patet id accidere, quia occurrit ſuo contrario quod corrigat & emendet; *Salis autem volatilis oleique aromatici contrarium eſt Spiritus acidus* excedenti acrimonia peccans: Hinc colligeſi à Sale volatili, adeoque aromatico curetur Lues, hanc ab Acido acriore pondere. *Fr. Sylvius.*

45. *Impreſſa expugnatione*) *Fr. Sylvius* indicationi huic ſatisfacit, *Spiritus Acidi Acrioris correctione ac emendatione.*

Abſolvitur hæc, *inquit*, illis omnibus *Acrimoniam Acidam temperantibus*, *tam ſimplicioribus* quam magis *compoſitis:* Inter ſimpliciora quæ Acrimoniam Acidam temperare ſolent numero.

1. *Spirituoſa volatilia*, *Spiritum vini*, *frumenti*, ac quemvis alium poſt debitam miſtorum fermentationem diſtillatione prolectum.

2. *Oleoſa pinguia omnia*, uti ſunt *olea è fructibus*, *olivis*, *ſeminibus*, *nucleis*, *Lini* puta, *Raparum*, *nucum juglandium*, *amygdalis dulcibus & amaris* & ſimilibus expreſſa, *Pinguedines varias animalium* &c.

3. *Salia lixiva fixa ex combuſtarum rerum*, *plantarum maxime cineribus* extracta.

4. Adde ſi vis *Aquea*, circa quæ moneo, ut conſideretur *Aquea non tam contemperare quam diluere Spiritum Acidum:* quo nomine etiam conducunt ubi commode jungi poſſunt tribus prædictis notabiliter *Acidi* vim frangentibus.

Eadem namque ſi commiſceantur & componantur; felicius & blandius debellant Acidi noxam, Inter quæ magis compoſita numerantur *Salia volatilia ex Sale lixivo fixo, & ſpiritu volatili*, *vel natura vel arte junctis orta*, qualia ſunt *Sal volatile cornu cervi*, *urinæ*, cujus ſpecies exiſtit *Spiritus ſalis Ammoniaci* dictus, *Sal tartari volatile* &c.

2. Huc referuntur *Olea omnia aromatica*, ex *ſale lixivo, ſed volatili & oleo* genita, qualia ſunt *Oleum ſuccini, cornu cervi, Aniſi*, *cinnamomi*, *macis*, *caryophyllorum*, *majoranæ*, *Roriſmarini* &c. *Galbani, Myrrhæ*, *Maſtiches &c.* Huc ſpectant.

3. *Tinctura Aromatica*, *ex plantarum præſertim partibus aromaticis per vini ſpiritum extractæ*, ſive id ſola fiat *infuſione* aut *decoctione*, ſive accedat *diſtillatio*, in qua partes maxime volatiles duntaxat cum *vini ſpiritu* aſſurgunt & obtinentur, Tales ſunt *Tinctura cinnamomi*, *Aqua theriacalis, vitæ Matthioli*, &c.

4. Huc pertinent Apozemata ſive *Decocta aromatica*, ex *plantarum partibus aromaticis* cum aqua, & quandoque *cerevisia* vel *vino* decoctis parata, Qualibus frequenter utimur in Luis curatione; Aromaticæ obſervantur quævis plantarum partes, adeo ut nullæ ſint in plantis, quas non in his aut illis notemus aromaticas, *Radices* puta, *cortices*, *Ligna*, *Truncos*, *Folia*, *Flores*, *Fructus*, *Semina*, *Gummata* & ſi quæ ſunt alia. *Aromaticas* vero vocamus *partes Plantarum*, quæ *ſapore ſunt acriore*, ac plerumque *Odore* itidem ſunt *Acriore*, ſaltem cum accenduntur, ſunt enim quædam quæ prius odorem ſuum ſaporemque aromaticum non promunt quam urantur; Sic in ſpecie *Cornu cervi* inſipidum & inodorum eſt, donec aut lima odor ejus Acris manifeſtetur, aut igne ipſius tam odor quam ſapor aromaticus latens excitetur.

5. Ad Compoſita medicamenta Spiritum Acidum temperantia reducendus quivis *Sapo*, ex *Sale lixivo cum aqua ſoluto & oleo* ſive *pinguedine decoctione longa paratus*, & humores Acidos utriuſque componentis nomine mire temperans, inprimis ſi cum aliis liquoribus apte jungatur, *Lacte* puta & aliis.

6. In compoſitione medicamentorum Acidum temperantium cenſum referendæ Emulſiones ex Aqua & ſeminum parte ſolubili & ſatis oleoſa conſtantes: Ex quibus omnibus ad Luis curationem in frequentiori ſunt uſu *Decocta ex binis Radicibus* totidemque lignis parari ſolita, *Radicibus puta Chinæ & ſalſaparillæ*, *Lignis* vero *Gajaci & Saſſafras.*

Temperant quidem humorem Acidum Radices debilius, potentius Ligna. Quæ ligna præterea humorem pituitoſum (cui ſe mox admiſcet ac inſinuat venenum venereum Aciditate acriore peccans, ipſumque in corpore auget & viſcidiorem efficit) hactenus efficaciter corrigunt, atque ſic quoque Luis curam promovent, poſt quam experientia quotidiana conſtat ſegnius ac difficilius curari hac lue infectos in quibus dominium habet humor pituitoſus valde viſcidus, *humoris melancholici* nomine notus *Franc. Sylvius.*

46. *Expugnatione*) Ideo tamdiu perſeverandum eſt in Alterantium, & tum Humorem Acidiorem Actioremque contemperantium quam pituitoſum & viſcidiorem, quoties ſimul concurrere deprehenditur emendantium uſu, donec obſerventur ex functionibus prius læſis, & nunc integratis ad ſtatum bonum & laudabilem redacti. *Fr. Sylvius.*

Curatio per Sudorifica & ſimul Diuretica.

47. *Medicamenta ſudorifera*) Sudorifera Decocta per *urinas* quoque operantur in multis, ac præſertim quando ſimul aut ſeorſim quædam *Diuretica* uſurpantur; quæ ſimul commodius uſurpantur ſi *radices aperientes*, aliæve plantarum Diureticarum partes, baccæ, ſemina &c. incoquantur cum cæteris ſudoriferis, tunc enim & *Sudores & urinæ* ſimul propelli poſſunt; neque putem aliquem hic metuere impedimentum evacuationi alterutri futurum à diverſitate medicamentorum, poſtquam plerique iudicant utrique indicationi promovendæ inſervire utraque, & tam Sudorifera promovere quodammodo urinas quam *Diuretica* promovere Sudores.

Non eſt proinde ut in Luis curatione per Diuretica inſtituenda diu hæream, cum difficultatem inſignem nullam habeat conjunctam: Inprimis obſervandum An æger aſſumptis Decoctis ex ſudoriferis & Diureticis paratis magis vergat ad ſudores aut urinas, quo illa Evacuatio maxime promoveatur quæ facilior eſt ægris, & à qua plus commodi expectari poteſt; quoties ergo notamus ægrum difficilius ſudare, copioſius autem urinam tum craſſam, tum ſedimento multo & laudabili plenam excernere, non decet vi ſudorem in tali propellere, verum ex ſola urinæ expulſione curationem primariam expectare, Quia non erit extra rem ut in tali caſu augeatur in Decoctis Diureticorum quantitas, vel ſeorſim ſubinde adſumant ægri Decoctum ex convenientibus Diureticis paratum: Humor namque pituitoſus convenienter à reliquo ſanguine ſecretus, vel in Renibus ipſis, vel in *corde*, emendata efferveſcentia in dextro ipſius ventriculo à diverſis eo confluentibus orta, deponitur feliciter cum lotio, proditque facilius quam cum ipſis ſudoribus. *Franc. Sylvius.*

Curatio Luis per Hidrocathartica.

Sunt qui duo adhibent remedia, & illa contraria, *Sudationem* & *Alvi ſubductionem*; quæ duo ſimul & ſemel fieri nec bene, nec facile, nec utiliter poſſunt; Nam ſi multum ſudet, non poteſt alvus fluere, ſi fluit alvus, non poteſt ſudare, quare ſatius eſt alternatim fieri, (*Hoc tamen conjugium hidrocatharticorum admittit Riverius in Luis curatione*) Poterit igitur ſudare æger per tres vel quatuor dies, quinta vero ſubducatur alvus, & non cogatur ad ſudorem: Nam cum iſti motus ſint contrarii, ſimul fieri non debent, quia purgans medicamentum ad circumferentiam trahit, Sudor vero contra: Juvant autem plurimum *Decoctiones: Syrupi cientes Sudorem,* Aquæ ut Aqua illa noſtra *Theriacalis* quæ potentiſſime movet Sudores, & curat dolores ſi detur cum Aquis infra ſcriptis.

℞. *Theriacæ vet.* ℔j. *acetoſæ m.* iij. *flor. chamamel. pulegii gramin. card. bened.* āā. *m.* ij. temperentur omnia *in vino albo*, *& deſtillentur*, *Aqua ſervetur uſui*, *Doſis* ℥ii. *cum aqua acetoſæ & bugloſſi* ℥iij.

Hoc autem faciendum eſt cum ingreditur lectum aut ſtupham: Hæc aqua curat dolores ſi per ſe detur, vel cum *decoctione milii ſolis*, vel *China*, vel *bardanæ:* Ego cum optimo Succeſſu curavi multos, pueros, ſenes & debiles, hac *aqua theriacalis* potione, vel addendo guttas aliquot *decoctionis communis Guajaci*, nam propter tenuitatem cito penetrat & extra propellit: Hæc cum *aqua extinctionis auri* omne vitium *argenti vivi* emendat.

Eſt alia ratio curandi Luem, & potiſſimum quando cum doloribus fit, ſcilicet per *Decoctum rerum odoratarum*, cui additur *mel* & datur cum *vino* ut materia incaleſcat, attenuetur & expellatur, Valet autem *in lue inveterata.*

℞. *Galangæ maj. & min. macis*, *caryophyll. cinnamomi, ſcœnanthi, ſpicæ celticæ*, āā. ℥j *flor. anthos, ſtechad. chamom.* āā. *p.* ij. *f. Decoctio in vino albo*, *Et de hac decoctione cum melle fiat Potio, capiat ſingulis matutinis* ℥iij. *Et provocetur ſudor.*

Alii *Purgantia Sudorifica* præſtantiora putant *Solis ſudorificis* quia juvant operationem medicamenti; Alii vero addunt laxantia medicamenta, ut *veratrum nigrum* non ſine multorum magno malo, Alii *colocynthida*, alii *ſennam*, *agaricum*, *turbith* & alia laxantia, At non eſt methodice factum, velle & per ſudorem & per alvum ſimul & ſemel evacuare, Quare ſatius erit unam partem Decoctionis accipere, & in illa purgantia diſſolvere, & de illa dare tertio, vel quarto, vel quinto die, vel quotidie, & non provocare ſudorem, Quod utile eſt in principio, quando morbus externas partes non infecit adhuc, vel læſit, Fiant ergo Decoctiones ſimplices, vel compoſitæ. Simplices ex ſimplici raſura *ligni Guajaci*, & aqua E. g.

℞. *Raſura ligni Guajaci* ℔j. *corticis ejuſdem* ℥iv. *f. Infuſio in* ℔xii. *aquæ*, *& decoctio ad conſumptionem tertiæ partis.*

Vtatur, Fiat *Decoctio ſecunda* ex eodem ligno, i. e. reſidentia primæ decoctionis, ut prius.

Deinde facta eſt *Decoctio compoſita*, nam alii addiderunt multa E. g.

℞. *Ligni Guajaci* ℔j. *rad. helenii*, *benzoini*, *ſantal. omni ſennæ orient.* āā. ℥ii. *herm.* ℥j. *colocynth.* ʒiii. *f. infuſio, deinde Decoctio, cujus colaturæ adde mellis* ℔j. *fiat ſyrupus & clarificatus & aromatiz. cum* ℥ij. (ʒij.) *cinnam. quibus adde vini* ℔ij. Alii mediam partem addunt; Vel ſic.

℞. *Ligni Guajaci* ℔j. *cortic. ejuſdem* ℥iij. *polypod. quec. rec. mumiæ*, *ſantal. carabæ*, *benzoini*, āā. ℥ii. *ſennæ, Orient. quart.* j. *f. infuſio in aquis partibus aquæ & vini albi, cui adde mellis* ℔ij. *f. ſyrupus aromatiz.* ℥ii. *cinnam. electi.*

Decoctio quæ hodie fit uſitatiſſima in aquis diſtillatis, quæ cito morbum curat, laxat potenter & ſiccat.

℞. *Raſura ligni Guajaci* ℔j. *cortic. ejuſdem* ℥iij. *agar.* ℥j. *ſennæ orient.* ℔j. *aloës quart.* j. *fiat Decoctio in* ℔vi. *aquæ bugloſſi*, *& tantundem abſynthii*, *Et fiat Decoctio ad conſumptionem quartæ partis*, *De cujus colatura capiat mane & ſero* ℥vi. Multum laxat & ſiccat, ob id curat potenter.

Infinitæ aliæ Decoctiones parari poſſunt additis aliis, ut *radice cyclaminis*, quia urinas & ſudores movet, Vel *milio Solis* quod potenter ſiccat & ſudores movet: In pauperibus uſus ſum *ſyrupo S. Ambroſii*, qui ex Decocto *milii* paratur, *& ramentis ligni ficuum.*

Inter *laxantia medicamenta Sena* maxime laudanda, quia ſuo ſapore non eſt moleſta, & minus impedit ſudores: Alia autem *laxantia*, vel quia potentius trahunt, vel quia adſtrictionem ſervant, minus laudantur, ut *rhabarb. polypod.* quæ nonniſi in declinatione debent dari: *Rhabarbarum* & *polypod.* cum vino propinantur

pinantur cùm dolores, in articulis ſentiuntur; *Rhabarb.* cum *Scabies, herpetes, ulcera* ægrum infeſtant, adſumi debet.

Poſtea quum ad ſumenda venimus, non erit præter inſtitutum de aliis remediis quæ ad hunc morbum faciunt, aliquid in medium afferre, & de illis tractare: Sunt qui *Ligni* ſubſtantiam in forma Pulveris vel conditi adminiſtrant, ſed id parum emolumenti ac adjumenti adfert, quia ramenta illa ſunt nimium craſſarum partium, atque adeo ſudores movere nequeunt, Quare hunc modum curandi tanquam inutilem relinquimus. *Rondeletius p. 854.*

47. *Per Sudorifera & Salivationem*) Abſque *ſudoribus* abſque Salivatione, abſque Inunctionibus, Lues facile ſequenti remedio curari poteſt, licetque nec cubili nec cubiculo immorentur, Modus eſt ejuſmodi.

℞. *Antimon. & Salſæpar.* ãã. ℥vi. *Antimonium nodulo includatur, & in ſex aqua amphoris, in quibus ſit zarzaparilla,* cum xl. *nucum putaminibus & hylis ſuſpenſum coque ad tertias, ejuſque Decocto utatur æger capiendo ter in die, mane, meridie & veſperi, hauſtum ſumendo longe à cibis.* Antimonium autem quater utile eſſe poterit. *Pet. Borellus Obſ. 29. cent. 2.*

47. *Medicamenta ſudorifera*) Vide §. 36. curationem quæ abſolvitur.

48. *Guajacum*) Inſula quædam ſuperioribus annis inter novas terras reperta eſt, ea parte Americæ ſita qua longitudine in Septentrionem deſinit: Huic *Spagniola* à repertore Hiſpano nomen inditum eſt Iſtius Inſulæ accolis omnibus Luem quandam Venereæ hic graſſanti perſimilem, aliquando familiarem eſſe & Endemiam, quæmadmodum Exanthemata & Ecthymata hic nobis, literis prodiderunt, Hujus Luis unicum remedium illis eſt ligni cujuſdam Decoctum; quod cum animadvertiſſet Nobilis quidam Hiſpanus, illic Gallico morbo, quem in Hiſpania contraxerat, diutius & immaniùs diſtortus, eadem medicina uſus feliciter convaluit; cujus idcirco uſum poſtea in Hiſpanias attulit, primùm anxius ne non trans mare, qualis in Inſula, eſſet ejus effectus, &c. Cortex hujus cum ad nos pervenit, colore cinereo, haud ita denſus, ſed immodice durus, Color, qui buxeo ligneo, externæ parti, nigreſcens interna; quam medullam dicunt; Pondus ei quale nulli præterea ligno; nulla ejus quàm minima pars in aqua fluctuat, ſed mergitur protinus & ſubſidit; duritie robur omne ſuperat, & idcirco quam minime hiat, neque facile videas quod rimas traxerit: uritur, ac inflammatum odore ſuavi, ab accenſo gummi profluit ſubnigrum & prædurum ubi refrixerit: Hujus ligni ſapor ſubamarus, miti acrimonia palatum & fauces compungens, qui ſemel cognitus nunquam errare in dignoſcendo ſinit emptorem, ut neque odor &c. Præferendum quod recens ſatis, non vetus aut carioſum exiſtit, cui cortex proxime adhæret, quod quamplurimum nigri habet, & veluti lineis quibuſdam colore fuſco per longum interſectum eſt, quod quam maxime pingueſcit & pondere valet, hujus enim ſenecta levitas eſt & macredo, &c.

Præcipiunt nonnulli fugiendum eſſe uſum ejus cujus trunci afferuntur magni & valde craſſi, ubique nigri, id enim contingere ſeneſcentibus arboribus ut ſucco deſtitutæ paulatim nigreſcant, At vero cum omnes eos truncos experiundi gratia ſæpius diſſecuiſſem, ac non modo gummi multis locis concretum deprehendiſſem, ſed etiam è ligno accenſo profluere vidiſſem, ejus decoctum uſurpare cœpi, quod ut maxime craſſum & albidum, ita omnium efficaciſſimum longa experientia deprehendi; quo circa hoc ego vel natali ſolo, vel arboris parte, non ſolo ſenio ab aliis differre exiſtimo, ejuſque ut maxime ſucculenti uſum, inprimis commendo: &c. Quanquam vero Guajacum calidum deprehenditur & ſiccum, eſt tamen humiditatis cujuſdam particeps, maxima parte interiore nigra præpingui & reſinacea, quæ viſcerum & partium ſolidarum humidum primogenitum conſervat, & alit, Ventremque lubricū facit, præterquam cum ſudores promoventur &c. Jam vero materia *Guajaco,* ejuſque Cortici, ineſt valde *tenuium partium,* cujus vi, ac ſua temperie, præſtantiſſima edit opera: Hinc enim craſſa incidit, obſtructa aperit & liberat, ſudores provocat, urinas ciet, ſputa adjuvat, ſtomachum præhumidum, nauſeabundum & reſolutum ſua ſiccitate, adſtrictionis participe, exſiccat & corroborat, ut & alia omnia viſcera, Odoris malum odorem tollit, Diuturnas & inveteratas Jecoris & Lienis obſtructiones, icterum, hydropem, aliaque vitia ex iis nata curat, Omnium corporis partium ſuperfluos humores frigidos diſſipat atque abſumit, Capitis deſtillationes omnes exhaurit, ex iiſque natos dolores tollit &c. Vlcera cacoethe & Chironia exſiccat & cicatricem obducit; Luis puſtulas, tubercula, ulceraque omnia, atque omnes ex iis natos dolores aliaque ſymptomata, nulla corporis noxa nullaque virium jactura paulatim cohibet & tollit, Vt non abs re lignum hoc Guajacum, ob admirabiles in hoc morbo percurando proprietates, Sanctum à multis dictum ſit, ut autem *cortex ligno* aliquanto acrior & amarior guſtu deprehenditur, ita majorem vim ſiccandi ac ſudores promovendi obtinet, præſtantiorque & efficacior in ſiccando & renuando haberetur, niſi Jecori calida & ſicca intemperie laboranti & febricitanti eſſet noxius. *Fernelius c. 10. & 11.*

49. *Decocto*) Modus tam Decoctis aromaticis quam cæteris Acidum ſpiritum temperantibus medicamentis utendi optimus eſt ſi ſæpius in die aſſumantur, & quidem quantitate minore quo lentam eoque laudabiliorem mutationem ac emendationem introducant in ſanguinem: Omnis enim mutatio ſubita, & præſertim magna periculoſa, docentibus *Hippocrate* & experientia: Quinimo licet, atque utile eſt, eadem alterantia alimentis admiſcere, atque tum in prandio tum in cœna Potus alterius loco Decoctis uti, quo alimentis admiſta una cum chylo, quem præſtantiorem faciunt, facilius, blandius & tutius toti maſſæ ſanguineæ admiſceantur ipſamque inſenſibiliter emendent; ſicut id ſæpius tum in Lue, tum in aliis affectibus cum magno ægrorum commodo à me factum novi, & ut ab aliis quoque fieret author fui. *Fr. Sylvius:* Sudorifera parantur ex *China* & *zarza*, Et lignis, *Saſſafras* & *Guajacino*, ut & hujus *Cortice* qui ligno multo eſt potentior, magis aromaticus & gummoſus: Idem dictum eſto de Radicibus, corticibus, Lignis, &c. noſtratibus: Eodem igitur *Decocto* (cujus ope corrigi docuimus humorem tum acidiorem tum viſcidiorem ſi copia mediocri aſſumatur) promovetur quoque Sudor, ſi copia ſumatur majore, aut paretur potentius, ſi ſumatur calens, ſi corpus componatur ad ſudorem, vel in lecto ſub ſtragulo, vel in laconico, vel ambulando, currendo &c. ſi juſculum calens ſuperbibatur: Non parvi pendendum eſt quod eodem medicamento & corrigi & expelli queat humor in corpore peccans; quod mirum negari à quibuſdam &c. *Idem.* Sumantur proinde Decocta in *quantitate* dupla vel tripla, & quidem ſimul aut vicibus partitis, ſed per intervalla brevia, e.g. intra horæ dimidium, ſic enim non tantum aucta Sudoriferorum vi, ſed liquore ipſo aucto Sudoris eruptio promovebitur: Quod ſi ægro grave ſit majore copia ſæpiuſque aſſumere idem Decoctum, paretur *Potentius*, quod fiet ſi minus liquoris Plantis affundatur, & quandoque diutius decoquatur: Longiori namque coctura plus virium è plantis elicitur, ac præſertim è lignis ſolidioribus, ac ſegnius vim ſuam aquæ concedentibus: Notum inſuper

multa aqua dilutius ac debilius reddi cujuſvis rei decoctum, pauca verò ſpiſſius ac potentius.

Ad promovendum ſudorem multum quoque facit ſi Decoctum uſurpetur calens, longe nempe citius, longe potentius quoque penetrant medicamenta calentia quam tepida vel frigida: Adde quod calenti Decocto comes Ignis ſolvat quoque pituitam in corpore viſcidam, temperetque hu[mo]res Acidos in hoc affectu debellandos expellendoique: Sed & præterea utile eſt ut corpus diſponatur ad ſudorem ferendum, quod fiet componendo corpus in lecto, illudque operiendo ſtragulis, vel ingrediendo Laconicum, vel currendo, ſaltando, aut alias vehementer corpus agitando: Cum enim hæc ſola ſudorem ſoleant excitare, ita eadem ipſum non poſſunt non promovere: Sed & quandoque utile eſt ſegnius adveniente aut erumpente ſudore, Juſculum calens aſſumere, cujus unius ope non raro vi propellitur Sudor, prius minime prodiens.

Tempus autem Sudori promovendo convenientiſſimum eſt matutinum, & quidem ſtomacho vacuo, Tunc enim & facilius & copioſius prodit Sudor, nec metus eſt ullius noxæ, quam merito metuimus, ſi poſt alimenta nuper aſſumpta urgendus foret Sudor: Aliud namque eſt inter prandendum cœnandumque, aut paulo poſt adſumere prædicta Decocta, non quidem ad ſudorem movendum, ſed ad pituitam incidendam corrigendamque, atque humores acidos temperandos; aliud iiſdem ad ſudores mox expellendos & quidem potenter, Sicut enim iſtud probo, ſic etiam hoc ego improbo. *Idem. Sudorifera* igitur quoties Sudorem mox cupimus promotum, exhibebimus ventriculo cibis vacuo, & inptimis tempore matutino, & quandoque veſpertino, quando præſertim bis volumus in die propellere ſudorem, quod tamen non facile tentandum niſi in valde robuſtis, exolvuntur namque nimio ſudore vires, id quod cavendum cum diu perſeverandum in affectus alicujus cura. *Fr. Sylvius*: De Sudoriferorum uſu vide plura §. *Medicamenta Sudorifera.*)

49. *Decocto*) Lignum lima oportet in ſcobem ac pulverem redigere, quo penetratu ſit facilius & melius ejus excoquatur virtus: Nonnulli ad tornum in fruſta quantumvis puſilla comminuunt, quod ut inefficacius eſt, ita limpidius reddit Decoctum: Hunc Pulverem pondere ſelibræ in aquæ fontanæ, aut fluviatilis libris ſex diem unum macerare oportet, deinde percoquere lento igne, leni vapore, in fictili olla nova, plumbo intus illita, & diligenter prius elota, ad prunam, dum ad libras duas fere imminuat, magna cura & attenta cuſtodia ne nimio calore ebulliat, neve exæſtuet aut efferveat; nam ſi quid exundaverit multum de vi & efficacia perit, minuſque efficax reliquum exiſtit ob idque ad flammam coqui non debet, & primam quoque medicam petit, atque ollam quæ non repleatur, ſed cujus quarta pars ad minimum vacet, quæque perpetuo ſit cooperculata ne quid virium exſpiret, Sunt qui ad dimidias tantum percoquunt partes, ſed ego illud certe Decoctum magis probo quod ad ignem diutius fuit, & quod à multo paucum pervenit, Ita ut ſuadeam ad morbos inveteratos ad quartam etiam partem decoquere, modo nulla obſit calidior hepatis intemperies: Sic Decoctum perfrigerari ſinendum dum ſcobs deſideat, dein percolare & in vitreum vas defundere oportet, in quo diligenter obſtructo conſervetur ad uſum: Hoc primum Decoctum alii *Guajaci cremorem* appellant, alii *Serapinum*: Color huic decocto eſt qui aquæ ex limo minimum turbatæ, ſapor guſtanti ſubacidus, initio quidem ingratus, ſed paulatim aſſueſcenti jucundus: Nonnulli ex relicta denuo ſcobe cum libris ſex aut octo aquæ quandam quaſi loram percoquunt ad libras iv. aut vj. Hoc tenue percolatum ad cibum potui dant, cum prius medicinæ loco ſorbeatur: Ego vero pulverem novum Guajaci pondere ſelibræ in libris decem aquæ tepidæ horis xv. maceratum ad prunas decoquo dum ad libras vij. redigantur; Hoc non modo alit & humectat, ſed etiam medicatæ cujuſdam eſt virtutis particeps, ut idcirco in paſtu & extra paſtum quantumlibet tuto concedi poſſit.

Acerba hoc loco de *Guajaci* natura & viribus exorta quæſtio eſt, alii quidem ejus ſolius uſu Luem penitus extingui, nec aliorum medicamentorum miſtionem ipſum ſuſtinere, quin de vi & efficacia deperdat, Alii contra ejus imbecillas vires aliorum validorum miſtione intendi augerique, & quod ejus naturæ deeſt, id aliorum admiſtione ſuppleri contendentibus, ſi perfecta Luis ejus uſu expectatur curatio: Ego vero opinionem indefinite prolatam falſi inſimulo, Neque enim ita per ſe efficax exiſtit Guajaci decoctum ut nullius alterius præſidii ope Luem percurret; neque ita imbecillum ut non niſi aliorum miſtione vires habeat, cum ergo ejus quidem ſolius uſu abſumptis humoribus Luis ſymptomata cohibeantur, vis tamen & qualitas partibus jam inſidens eodem penitus Decocto extingui delerive nequit niſi cum eo aliquod incoquatur alexipharmacum aut ejus præmittatur miſceaturve decocto, Itaque ſi ſolius Luis ſuſcipitur curatio, ſolius Guajaci ad Sudores promovendos Decoctum, cohibendaque ejus omnia ſymptomata ſatis eſſe profiteor; cui tamen ad extinguendam latentis veneni perniciem, impediendamque recidivam, noſtrum alexipharmacum, qua ratione jam dicetur, adiungetur: Niſi forte pauca quædam incoquere placet quæ ipſum *jucundius* reddant, cujuſmodi ſunt uvæ paſſæ inprimis & glychyrriza. Quod ſi quis cum eo tot ſimplicium medicamentorum ſarcinam decoquere jubeat, ejus ſæpe vim & efficaciam ita obtundet ut optatus minime ſuccedat effectus non enim bene illi cum omnibus convenit, ſed habent nonnulla certam inter ſe repugnantiam medicamenta, quam niſi Medicus longo uſu & experientia agnoverit, unius interdum permiſtione multorum ſæpe egregias vires obtundet & effectus cohibebit: At vero ſi Lues in corpus inciderit vel aſthmate, vel arthritide, vel jecoris aut lienis inveterata obſtructione vel ſcirrho, vel certe inſigni aliqua intemperie preſſum, cujus eadem opera tentanda curatio, Guajaco ea incoquenda erunt medicamenta, quæ particulæ laboranti ejuſque affectui ſint accommodatæ. Exempli gratia, ſi annuo Aſthmati Luis conjungatur Venerea, multis iiſque diris ſymptomatis ſtipata, eſt quidem uterque affectus diuturnus & curatu difficilis, ſed Lues tamen multis doloribus acerbior, Ejus itaque curatio quamprimum fieri poterit ſuſcipienda eſt, ſed iis admiſtis *Guajaci* decocto medicamentis quę aſthmatis fontem & ſcaturiginem exſiccent ac cerebrum corroborent, cujuſmodi ſunt flores *roriſmarini*, *ſalviæ*, *betonicæ ſtœchados*, & quæ pulmones multa pituita craſſa ac lenta infarctos & obſtructos expediant; Hujus ordinis inprimis commendantur *enulæ campanæ radix ſicca*, *glychyrriza*, *polypodium*, *hyſſopus*, *ſatureia*, *ſcabioſa*, *ungula caballina*, mel, & nonnunquam *liquor Cyrenaicus ſtirax calamita*, modo jecoris intemperies non reclamet; Hujus *Decocti* Lues pariter atque Aſthma ita juvari aliquando mihi viſa ſunt, ut eodem pœne temporis ſpatio utriuſque ſequeretur ſanatio: Sed ſunt interim topica alia multa Lui minime adverſa remedia ad Aſthma afferenda; ejuſmodi ſunt tum ſyrupi tum linctus omnes qui craſſa attenuant & incidunt, ac ſputa promovent, Item quæ extrinſecus capiti admota ipſum exſiccant & corroborant, cujuſmodi ſunt calida omnia, præſertim vero hæc quæ modo nominavimus, tum ſuffitus, hic mane & veſperi in ſudoris exitu per nares & os excipiendus: Et ut paucis perſtringam,

erunt ea ſemper *Guajaci decocto* incoquenda, quæ tum adverſus affectum Lui implicitum vires habere putantur, tum partes primario obſeſſas corroborent; Eſt enim Guajaci decoctum optimum aliorum omnium, quæ vel illi permiſcentur, vel præmittuntur, vehiculum, ad ſolidas partes quaſque, etiam illa deducens. *Fernelius cap.* xii.

Rationales quidam Medici magnifice de ſe ſentientes, Decocto aliquid addendum exiſtimarunt, & addiderunt caſtigantia calorem & tenuitatem partium, Et id facere ſe affirmabant, ne corpus calidius redderetur, Sed ſi dum caſtigationis caloris curam habere, ſe exiſtimant, tantum abeſt ut calorem caſtigent, ut omnino ipſum calorem impediant: Verum ſatius erat morbum curare cum levi aliqua noxa, quam non curare, poteſt enim vitium amoto morbo emendari; nam hi rationales exiſtimarunt lignum calidius eſſe quam oporteat, & ſic decepti tenuitate partium: Præterea hi addebant *Scariolam*, *endiviam*, *lactucam* & alia ſimilia, & ſic præſcribendo impediebant ſudores, atque adeo morbi curationem: Sunt & alii qui non caſtigare nituntur ſed juvare: Sunt qui dum herbas humidas addunt in principio, medicamenti vim corrumpunt. *Rondeletius p.* 855.

Magna eſt controverſia de Ligni præparatione, dum quidam volunt ut Decoctum fiat cum vino, alii vero in aqua; In biliosis & calidis temperaturis decoctio eſt in aqua ſimplici vel endiviæ facienda, ſed in obeſis, frigidis & pituitoſis, cum vino fieri poteſt, unde *Angerius* ait, Hodie & primum & ſecundum Decoctum cum vino fit, & plurimum confert (quod tanquam venenum fugiendum monet *Fernelius*) præterquam in bilioſis & calidis temperaturis, ætatibus & temporibus, in quibus præſtat aqua, ſed quomodocunque fiat, ſive cum vino, ſive cum aqua; *ſpuma* diligenter colligenda eſt, hac enim illinenda ſunt ulcera: *Foreſtus Sch. obſerv. 7. lib. 32.* Decocto ſecundo quidam addunt vinum, quod bonum eſt, aliquando tamen malum in doloribus externorum membrorum, & in duritiebus & aliis, Valet tamen illa vinoſa decoctio in doloribus capitis. *Rondeletius pag.* 856.

50. *Aliquam noxam nimio calore*) Si metuendum ne ſudatoriorum calidorum uſu, hepar aliave viſcera nimium incaleſcant, exhibitis per vices conditis, ſyrupis nonnihil refrigerantibus, calor contemperari poterit. *Platerus.*

51. *Salſaparilla*) Ex Salſa parilla eadem Decoctio paratur quæ ex China, & eadem victus ratione uti oportet, quia non nutrit ut *Guajacum*: quare conceditur caro avicularum aſſatarum, & eodem modo adminiſtratur purgato jam corpore exacte, Etiam ſemel in hebdomade ſumendo medicamentum laxans, provocando ſudores coopertur is vel calidis lateribus *Rondeletius.*

52. *China*) *China* radix eſt cujuſdam junci, ſimilis ferme radici Rhodiæ, nodoſa, rara, ponderoſa, cum recens eſt, cum vetus leviſſima, quæ quidem levitas eam antiquatam & deteriorem eſſe oſtendit: Ad colorem galangæ maj. accedere debet ſi bona ſit, viribus tamen differt, nam eſt plane ſine ſapore, unde dicta eſt nonnullis ἄπιος, quod nomen multos decepit, exiſtimantes eſſe, ἄπιον *Dioſcoridis*, quæ quidem viribus & forma differt & nominis impoſitione. Nam *Dioſcoridis* ἄπιος dicitur, quod pyri agreſtis formam referat, hæc autem quod nullo ſapore prædita ſit, At ſatius eſt eam *Chinam* nominare, cujus uſus talis eſt

Radix *China* dividatur in taleolas, & decoquatur in aqua fontis, & ex illa aqua bibant ægri mane & ſero. Decoqui debet ter, Et ſecundum ac tertium Decoctum, cum minori quantitate aquæ debet fieri quam primum vel diutius coquenda, facta prius infuſione per xij. horas, Eſt autem decoquenda ſine fumo & ſervanda in loco calido, E.g.

℞. *Rad. China in taleolas diviſa* ℥ii. *aqua fontis* ℔ii. *infundantur per* xii. *horas*, *& decoquantur ad conſumptionem tertia partis*, *Et de hac capiat tepide mane*, *& cooperiatur*, *& ſudet in lecto.* Fiat & ſecunda Decoctio ex eadem radice jam cocta, quæ prius ſiccetur oportet: Fiat & tertia eodem modo.

Delicatis, & iis qui aliquibus aliis uſi ſunt remediis iſta ſufficit, etiam ſi addatur *mel vel ſaccharum*, vel *vinum*, Si autem nullis remediis ſint uſi, nec uſuri, illa ſine melle, ſaccharo, aut vino, uti debent, quia minus nutrit & magis ſiccat, At hi uti poſſunt amygdalis, pineis, prunis & pane aſſo, Delicatis, & qui nullo alio remedio utuntur, vel qui diu hoc volunt uti, conceditur uſus aviculatum toſtarum.

Si vero hi utantur *Decocto Guajaci*, quia magis nutrit, tenuante victu eſt utendum, quia illud habet aliquem ſuccum quo nutrit, ob id diutius utendum, & parcius nutriendum, ut tota materia abſumatur; Abſtineant à carnibus & vino, utantur pane puro fermentato & bene cocto, & regantur hoc modo. Facta prius purgatione, ægri accipiant bis in die *decoctum China* mane hora quarta, & ſero hora tertia, poſt meridiem, ad quantitatem ℥vi. & ſudet in lecto; De ſecunda autem Decoctione bibant quantum voluerint, Poterunt uti fructibus alvum lenientibus, paſſulis, ficulus, amygdalis, pineis, prunis coctis, pane bis cocto, In *Guajaci vero diata* nihil ultra: In *Diata* vero *Salſaparilla*, ut *China*, uſus avicularum multum toſtarum conceditur ſero vel mane: Abſtineant à Juſculis, aliſque niſi in die quo medicamenta adſumuntur; At ſi æger imbecilior ſit, ſemel in hebdomade capiet de ſyrupo laxativo præſcripto vel de opiata laxante, vel infunde *ſenna* ℥i. Et hæc in levi morbo, & capiat mane, Et eo die nullo modo provocet ſudores, Opiata ſic fiat.

℞. *Cathol. & confect. Hamech.* ā ā. *p. æqu. quibus adde Senna orient.* ℥ii. *pro* ℔i. *Capiat ſemel in hebdomade dum fiet Diata*, Et detur in forma Boli, vel diſſolvatur in parte Decoctionis. *Rondeletius.*

53. *Aliquid alimentarii*) In Guajaco majorem nutriendi vim agnoſcunt *Rondeletius & Fernelius*, Vide §. *China*) (& §. *Modum utendi*) quocirca, non ob atrophiam præſentem præſcribenda, ſed alias ob cauſas, quas vide §. *China.*)

54. *Lignum quercus, juniperi &c.*) Quamvis illa exoticorum medicamentorum quadriga, *China*, *Salſaparilla*, *Guajaco*, *Saſſafras*, ſoleamus omnes Practici plerumque uti, non deſunt tamen apud nos tum Radices, tum ligna, tum Cortices quæ idem tam potenter, tam facile, tam tuto & tam jucunde præſtare poſſunt quam illa exotica, & ſubinde ſuis ex parte viribus, privata & exoleta; Talia vero ſunt noſtratæ: Radices *Smilacis aſpera*, *Petaſidis &c.* Radices, cortices, *lignum*, *bacca juniperi*, & ſimilia plura. Vtique non contemnenda ſunt exotica, ſed nec negligenda ſunt noſtratia, quæ ſicut nata ſunt in noſtro ſolo, ita cum noſtris corporibus majorem habent affinitatem, faciliuſque imo efficacius in eadem operari cernuntur quam exotica. *Fr. Sylvius.*

55. *Juniperi*) Ex *juniperini ligni*, admodum odorati, & nonnihil acris decoctione pauperes lue hac infectos aliquos ſanavi: Sumendo ſcobis vel raſuræ illius non tantum quantum *guajaci*, cum efficacius fere ſit, ſed mediam vel tres ſaltem illius partes, & cum ℔ii. aquæ eodem modo quo *gajacum*, coquendo & utendo: Cui & *guajacum* aliæve radices addi poſſunt; Egregium ſane ſudatorium & innoxium; *Platerus.*

56. *Cum baccis*) *Semen juniperi* efficaciſſimum, cujus decoctum ſic factum, cum admodum à ſemine ſaporem acrem & odorem concipiat, erit & præ cæteris in cura hac per ſudores facienda efficaciſſimum. *Idem.*

57. *Buxi*) Non dubito raſuram *Buxi*, quia ſudores movet, morbum curare poſſe, ſed quia dolorem capitis facit, & fœtidior eſt, negligitur. *Rondeletius.*

De curatione ulcerum per Suffumigia. Vide §. *Suffumigia.*)

58. *Bezoarticum animale, mixtura ſimplex &c.*) Notavimus non tam ligna ſolum pro ſudorifero conducere, quæ ſerum alterandi vim poſſident omnino ſummam, & quicquid præſtant, hoc uſu efficiunt. verum etiam alia Sudorifera eidem ſcopo velificari, ita ut vis lignorum contra hanc Luem tanto magis eluceat, in quo conſiſtat. *Wedelius An. m. m. p. 349.*

58. *Bezoarticum Animale*, *mixtura ſimplex &c.*) Corrigendæ Aciditati in Lue peccanti conducere quoque novi, & quidem per experientiam, non tantum radicum, corticum, lignorum, & præſertim aromaticorum decocta, ſed *ſalia* quoque *lixiva* & præſertim *volatilia*, quæ proinde medicinam facientibus commendo: Uſus *inquam* Salium volatilium frequens plurimum præſtat in correctione tum ſpiritus Acidi tum Pituitæ viſcidæ in Lue peccantis: Sed & in eundem finem accommodari poſſunt pro perſonarum affectarum, infantium, puerorum, adoleſcentium, fœminarum diverſitate cætera quoque *ſpiritum Acidum* temperantia, tam ſimplicia quam compoſita à me memorata. *Fr. Sylvius.*

59. *Modum utendi*) In conclavi, hyeme præſertim, curatio tentanda, aëri minime, nedum ventis obnoxio, ubi ignis continuo ſit, aut ut in Germania, intra æſtuarium tepidum, cujus oſtio velum aut tapetes obtendantur intus & foris, ne qui egredietur, aut intrabit, aërem frigidiorem intromittat; melius enim eſt corporis ſpiracula laxa habere & patefacta, quo virus undique exſpiret: Aeſtate eſt hæc cautio noxia, nedum ſupervacua.

Primo ſtatim die *alvus* ducetur medicina purgatoria, quæ ad eximendam noxii humoris in corpore exſuperantis portionem dicata ſit, ac is poſtea remediis concitatus curationem cœptam interturber: Concinnetur autem fere ejuſmodi ut ad coercendum graſſantem veneni perniciem apta ſit: Poſtridie purgationis aperienda eſt vena mediana aut baſilica, maxime ſi plenum & ſucculentum ſit corpus; aut aliqua venarum plenitudine preſſum.

Hinc opus auſpicari ſic licet in hunc modum, Prius illud & *valentius Decoctum* bis die propinetur, tepidum, ad cyathum unum, mane quidem ad quintam, veſperi ad quartam aut quintam, Porro cyathum voco ℥vi. quanquam dimidium libræ commode datur.

Hauſto *Guajaci Decocto*, interquieſcendum horis aliquot, & tamdiu ſtragulis munitum & contectum eſſe oportet, dum caloris ope digeſto in artus medicamento noxium exudet æger: Cumque hauſto potu alii ſudoribus diffluant, alii nonniſi poſt duas treſve horas, nemo poſſit certum ſudoris excipiendi tempus præfinire; conſtat tamen quibus ab hauſta potione ſudores erumpunt, citius detergendos eſſe, & calidis linteis extergendos, ne vires labaſcant, qui contra vero, tardius, Sudandum ergo erit quamdiu vires ferre poterunt, & cum deficere ſentientur, etiamſi vix parum quid eruperit ſubſiſtendum, ac reſiccato corpore, & venis concidentibus, è lecto ſurgere, & ad cibum ſe præparare par eſt.

Bis enim die Cibus eſt exhibendus, mane quidem poſt quartam aſſumpto poculo horam, ad nonam, vel juxta horam; veſperi ad ſeptimam, ſitque is quidem ſatis tenuis & exiguus ſed boni ſucci, nam inanem inprimis ventrem quærit hoc medicamentum; Itaque qui celertime ſaneſcere cupiunt, cibum ſumunt, non qui vires augeat, ſed deficere qui non ſinat, Neque periculum metui debet, ſiquidem vis tanta ineſt *Guajaco* reficiendi alendique, ut nullus hactenus defecerit quantumcumque parum ederet; qui ejus cremore fideliter præparato uteretur, Sit autem cibus aſſus potius quam elixus, pulli ſcilicet columbini aut gallinacei adhuc molliuſculi magnitudinem non excedentes: Non ignoro alios eſſe qui carnes omnes ablegunt, ſolum biſcoctum panem ad ℥ii. cum Vvis; quod ut inveterato morbo & altius fixo interdum concedi poteſt, ita in recenti minime neceſſarium eſt, Sed hi ſolis reſiccantibus Luem curare contendunt, nos alexipharmacis extinguimus & cohibemus: Panis vero quatuor uncias delicatioribus, validioribus ſex non amplius in diem, ſcilicet, concedantur: bellariorum loco ſint paſſulæ, & modicum panis nautici biſcocti, aut ad ignem exſiccati, aut etiam intermedia panis cruſtula.

Potus erit alterum aquoſius ſupradictum *Guajaci decoctum*: Vinum *ne delibare quidem oportet toto curationis decurſu*, tale enim huic ligno eſt vinum quale cicutæ, cum qua ſi hauſeris nullo remedio reſtitui poſſit: Nonnulli cœnæ tempus circumcidendum volunt & ad meridiem tantum rejiciendum, Ego vix bis die ſudoribus tuto corpus exerceri diu poſſe exiſtimo, niſi cibus aliquis interveniat qui vires diſſolutas recreet & reficiat; Alii non ante cœnam, ſed tribus horis ab eo hauſto Decocto ſudores provocant, crudum aut ſemicoctum cibum in totius corporis partes male disjicientes.

Porro inter utrumque paſtum oblectamenta quærat æger, ab omni cura gravioribuſque negotiis conquieſcens.

Jam verò ſi hauſtu *Guajaci* ſudores non facile proliciantur, utres aqua calente pleni, vel lapides candentes, vel titiones in vino extincti, pedum plantis & genubus admovendi, ita enim repente calore fuſus liquatuſque craſſus & frigidus humor, in extima corporis digeſtus facilius in ſudores abibit, Sed & hauſto calidiore Decocto Guajaci, ſacculi ſequentes calidiſſime admoveantur capitis externæ parti, totumque caput linteis calidis diligenter ſuperintegendum eſt ne aerem frigidiorem ſentiat, idque præſertim cum dolore caput obſidetur; non enim in parte frigida collectus vitioſus humor decocti beneficio in ſudores facile reſolvetur niſi externorum præſidiorum ope incaleſcat: Sudore quantum vires ferre poſſunt effuſo, linteis calidis extergendum exſiccandumque corpus eſt, & lenibus frictionibus quod in partibus extimis hæſit diſſipandum, ſed & inprimis calidis linteis aut pannis corroborandum caput eſt, aut etiam calentibus ſacculis perfricandum.

Servetur alvus toto curationis tempore quam tenerrima itaque ſi ſponte ſua non fluet, vel *Senna* carnium juſculo, vel certe *Caſſiæ fiſtularis* ſemiuncia alternis diebus paſtus initio voranda; hæc enim præterquam quod ventrem inanem reddunt, quæ in ventriculo & hepatis cavis, & in die fortaſſe jamdiu deliteſcebant, detergunt & expurgant.

Sed nihilominus in ſextum aut juxta curationis diem ſæpe fit ut incidentis & attenuantis decocti uſu vitioſi humores concitati, non modo conſuetos artuum aut capitis dolores crudeliores reddant, ſed alia quoque varia, in qua inhærent, pro partis conditione ſymptomata proferant, ut in os quidem ventriculi incidentes nauſeam, inappetentiam, interdum propter malignitatem ſyncopas cardiacas, in pulmones vero, tuſſes, initio inanes, & ſiccas, ſed tandem incraſſato humore

humore humidas, In thoracis partes externas, ſi liquefactus humor eſt, aut à capitis externis partibus *influat*, novos dolores omnium attrociſſimos, ac ſpirandi difficultatem ſine febre pleuritim mentientes *invehit*: Si vero poſterioribus aut etiam in iſchion illabatur alteriuſque ſubeat, ditis adeo cruciatibus laborantem *proſternit*, vt in peiore res ſtatu videatur eſſe quam vnquam.

Hæc aliaque multa, curationi huic ſupervenientia non modo laborantibus ſpem de ſalute conceptam adimunt, ſed & medicos nondum artis longo vſu confirmatos dæceptacurandi ratione ad aliam tranſire cogunt; itaque hic mire geſtiunt Tonſores, atque dum *Hydragiri* vim & efficaciam in cælum laudibus efferunt, neque guaiaci decocto, neque aliis vllum vnquã reſtitutum fuiſſe imprudenter mentiuntur, ſolum Hydrargyrum vim alexipharmaci habere contendunt, At ea certe *guaiaco* vis in eſt, eaque natura vt quos initio impetus agitatis humoribus concitaverit dolores, hos tandem iiſdem abſumptis cohibeat atque compeſcat ſi quis eo conſtanter vtatur.

Itaque iis imminentibus, aut certe iam exortis purgans medicamentum initio vſurpatum, aut ei ſimile repetendum, quod humores concitandos è toto corpore potenter expurgat, intermiſſo eo die calidiore decocto; Sed & ſexto & ſeptimo quoque huius curationis die catharticum aliquod validum repetendum, Ita enim modo quod *guaiaci decocto* ſenſim attenuatum concitatum fuerit, ſed & quod de quotidianis alimentis pro partium vitioſa actione corruptum, & curationem retardat, repente extrahitur, vacuumque excrementis marcet ægri corpus, Interea quibus perieras appetentia reſtituitur, aliis poſt ſecundam medicinam purgatoriam, ſeptimo ſtatim die, aliis non niſi decimo aut decimoquinto, Hac ratione moderari oportet, & in victus ratione initio prudenter inſtituta conſtanter perſeverare, vnicum vbi ſolatium eſt non videre plures cibos, non videre edentes, & nidorem non ſentire, Ad diem huius curationis x. aut xii. corpore bis aut ter iam purgato, liberis obſtructionibus viſcerum, totoque corpore iam aperto & parente *Opiata* noſtra ſuperioribus remediis adiicienda hunc in modum, Quotidie mane & veſperi Decoctum validius *guaiaci* hauſturus, Opiatæ ſeſquidrachmam devoret, hinc ſtatim prædicti Decocti ℥vi. aut ℥vii. ſuperbibat, ac lecto ſe ad recipiendos ſudores, qua ratione ſupra poſitum eſt, componat. Huius per octo decemve dies continuandus eſt vſus, aut etiam diutius, dum veneni radix ſit avulſa, extinctaque eius pernicies, quod quoniam ſit alias breviore temporis ſpatio, alias ſerius pro veneni conditione & affectionis diuturnitate, tutius omnino eſt paulo vltra progredi quam infra ſubſiſtere, Itaque ſi quis perfectiſſime liberari cupit, hyeme, aut coelo frigidiore & aquilonio conclave vbi ipſe cubat non excedat priuſquam omnis in totum morbus ſit abactus & reſtituta valetudo.

Sed & ſedatis doloribus, omnibuſque ſymptomatis ſuperiorum remediorum vſu ſublatis, ne quid altius demerſum non prorſus extinctum denuo ſe prodat, perutile ſit Laconicum adire, exquiſite paratum, in quo ſudores, ſumpto in ingreſſu *guaiaci decocto opiato* dies aliquot promoveantur pro viribus; In eius vero exitu, dum in lecto rurſum ad ſudores excipiendos ſe componet, *aquæ noſtræ* ad omnia venena ſane quam efficacis ℥v. hauriret: Hæc vbi iam ſeptem octove dies, aut amplius pro affectionis diuturnitate, & ſui ipſius natura ac viribus pertulerit, ſum en dum iterum erit quoad purget medicamentum, atque ab eo quatuor ſexve diebus in paſtu aquoſum bibendum decoctum, omiſſo fortiore.

Poſt ad priſtinam vivendi rationem paulatim redeat, ac exire incipiat, ſed caute, & longius ac longius, nec in apertum ſtatim, ſed primum intra parietes, & de vno cœnaculo in aliud inambulandum, deinde ad viciniam aliquam, nec longius, domum donec aëreni ferre aſſueſcat; nihil enim hic repente mutari aut fieri debet, ſed omnibus paulatim adſueſcendum.

Alii xx. alii xxx. dies ſatis eſſe putant quibus concludatur æger, ſed *ſecundarium Decoctum* minimum dies xv. bibat valde dilutum: Ita ſane eſſe in *recens affectis* comperio, quos cum xv. aut ad ſummum xx. dies in cubiculo continui, exire ſino, & ad conſuetam vivendi rationem paulatim redire, vlceribus etiam non dum cicatrice obductis, nec maculis prorſus extinctis, quæ tamen poſtea paulatim exſiccantur evaneſcuntque omnia, idque hyeme: Nam æſtate & temperato coelo domi laborantem continere ſuperuacuum puto, quin & deterſis ſudoribus matutinis, ſumptoque cibo vel foris inambulare, vel quotidianis muniis vacare permitto, dum ad veſpertinos ſit redeundum, ac nihilominus perfecte curantur; tanta eſt *opiatæ* vis atque efficacia.

At vero cum vel minimum huius Luis fermentum aliquando diu conſopitum intuſque deliteſcens recidiva in haud raro invehat, quando vel tubercula, vel vlcera, vel maculæ vel ſudores ſuperſunt, tamdiu profecto ſuſpecta eſſe debet medico futura valetudo quamobrem ſi quis exiſtimationem integram tueri, & nominis famam prælatis rationibus extendere contendit, remediorum vſum minime intermittat, dum omnem Luis ſobolem radicitus extirpaverit, tantiſquè ac tam crudelis tyranni omnia veſtigia deleverit.

Quod ſi forte vel cubantis intemperantia vel exoleti ligni infirmitate quidpiam aliquando reviviſcat recurtatque, poſt aliquot menſes aut annos, ſimul atque hoc deprehenſum fuerit, eandem omnino ſuaſerim ſubire rationem dum nihil prorſus ſuperſit.

Neque igitur dierum numerus, neque ligni & opiatæ pondus vtendum certo definiri poteſt, Recens inquinati ſæpe xv. aut xx. diebus perfecte liberantur qui vtuntur, ligni pondere ſex ſeptem octove ad ſummum librarum. Opiatæ unciæ tres aut paulo amplius, At qui morbi diuturnitate extenuati ſunt & doloribus ac nodoſis tuberculis iam defeſſi, vix xl. l. diebus evadunt, Ligni ℔xv. aut xx. aut vltra inſumunt, opiatæ ℥iij. aut iv. Qui ſæpius etiam fuerunt peruncti, omnium difficillime, & vix vnquam in totum liberuntur, duplici de cauſa, quod & ea ſit hydrargyri vis & proprietas, vt qui eo fuerunt peruncti aliorum remediorum vires vix ſentiant, & quod etiam morbi cauſam altius illa in corpus impingant, metuunt ac vetentur nonnulli cum gracile & ſiccum corpus, aut morbi diuturnitate exſangue & exarefactum occurrit, viribus ne deſtituatur in hac curatione, aut etiam in hecticam tandem conjiciatur, vel corporis atrophiam, ob idque parum quid ſatis eſſe putant cum vis cedere poſſit, dum vires recreantur. At certe multorum fide & experientia comprobatum eſt hac obſervatione ſiccos humeſcere & macros pingueſcere, eſtque huius cremoris natura neminem deſtitui vt ſinat, quare etiam infirmiſſimis non minus, ſed aliquanto plus etiamnum dandum eſt, quia nihil cum impetu facit, cum eius iuvamentum ſit paulatim ſanare; In his tamen aut nulli aut pauci movendi ſunt ſudores, dum vires paulatim huius beneficio receperint.

Interim niſi vlcera & vulnera ſint, nihil foris illinitur &c. vide § *Vlcerum curatio.* Fernelius cap. 13.

Opiata ſupra memorata deſcriptio.

℞. Scordii, polij mont. pulegii, praſſij. albi origan. calam. hyper. centaur. min. ſtoech. chamedr. ſpicæ n. āā. ʒij. *ſemin. aniſi. fœnic. petroſel. dauci. ſileris mont. rutæ ocymi. hormini. thlaſpi. baccar. lauri, ſem. paeon. mar.* āā. ℥ß. *rad. ariſtoloch. rot. gentianæ. dictamni. valerianæ. aſari* āā. ʒj. *zinzib. nuc. moſch. caryoph. piperis croci* āā. ℈iv. *cinnam. ol. myrrhæ caſtorei. ſtyrac. calam.* āā. ʒiij. *mellis boni. q. ſ. f. opiata.*

Aqua mirifica Fernelij. de qua ſupra.

℞. Scord. m. j calendul. morſus, pimpinell. hypericon. beton. maioranæ, bugloſſæ. ſcabioſæ āā. *m. j. hyſſopi. meliſſ* āā. *m j. ß. contundantur, & in vaſe terreo novo ad ſolem exponantur, adiectâ ea aquæ quantitate qua omnia bene mergi poſſint, ita vt aqua ſuperet, vbi ſex ſeptemve dies in ſole efferbuerint, exprimere vehementer ea oportet. deinde in remanente humore ſimiles herbas contuſas reponere, & rurſus Soli exponere, vt ſupra, dum octo aut decem dies efferbuerint, ſed interim ſemel ſaltem quotidie iſta moveri debent baculo, ac tum exprimere. Deinde in manente liquore* ſequentia miſcere.

℞. Rad. tunicæ, tormentillæ. ſem. card. ben. āā. ℥ß. *zedoar. nuc. moſch caryophill.* āā. ʒj. *macis* ʒß. *ſemin. pimpin.* ʒiß. *croci* ʒj. *mithridat. opt.* ℔j. *theriac. vet.* ℥iv. *coniuncta Soli exponentur ad 5. aut 6. dies aut amplius in alembico obturato, Dein fiat omnium deſtillatio in vaſe duplici & ſervetur ad vſum.* Fernelius c. iv.

60. *Salivatio excitatur*) Vltima humores pituitoſos peccantes in lue venerea evacuandi ratio & via eſt per *Salivationem*, præ cæteris omnibus Affectui huic curando convenientem, quæ curatio cæteris præfertur quia non facile vllum recidivæ metum poſt ſe relinquit niſi in Lue inveterata & cum oſſium Carie coniuncta; Eſt autem *Salivatio* evacuatio humorum in vniverſo corpore peccantium, ſed maxime pituitoſorum ſeroſorumve per vaſa ſalivalia & os vna cum ſaliva inſtituta: De Salivatione longe clarius diſtinctiuſque hoc tempore pronuntiare poſſumus quam olim, poſtquam non tantum viæ *vaſaque ſalivam in os deferentia* innotuerunt Anatomicis non ita pridem, verum partes quoque in quibus illa præparatur vel ſecernitur à ſanguine, glandulæ puta, & quidem non *conglotta* ad quas & à quibus feruntur vaſa Lymphatica, verum *conglomeratæ*, viis certis & ductibus, per quos in cavitatem determinatam ſuos liquores corpori vtiles effundunt donatæ: Sicut autem in ſtatu hominis naturali & ſano defertur ſola ſaliva ex glandulis maxillaribus conglomeratis ad os, ita non raro in ſtatu eiuſdem præternaturali & morbido defertur vna cum eadem ſaliva humor vel pituitoſus & viſcidus, vel ſeroſus & tenuis, Hic autem humoris pituitoſi vel ſeroſi motus ad os quia vna cum ſaliva perfici ſolet, ſalivationis nomine venit, ſive contingat ipſa ſponte atque Naturæ ſponte, ſive eadem excitetur à medicamentis & Artis opera; In hiſce præſertim regionibus ſatis frequenter ſponte contingit Salivatio, non tantum infantibus, verum ſcorbuticis multis, ac melancholicis factis, quod nec veteribus fuit ignotum, quamvis rarius forſan id in Græcia, Italia, Gallia & Hiſpaniis fuerit obſervatum: Idem frequenter obſervavi factum in *Aphthis*, Aliquando quidem ſpôtanea hæc Salivatio *Critica* exiſtit, morbumque ſolvit, aliquando vero eadem *ſymptomatica* eſt, atque pro ipſo ægri affectu eiuſve ſymptomate habenda eſt, ex qua nullum levamen accipit æger, ſed noxam manifeſtam & gravem: Sic obſervavi non ſemel ægros per plures annos Salivatione moleſta & gravi vexatos, à qua noctu diuque cum ſummis lancinationibus & exquiſitis doloribus vrgebantur, profluente ipſis humore acerrimo, ſimul & mediocriter viſcido, eoque copioſo, à quo lintea quævis imo coria quoque corrodebantur, adeo, vt in ſtatu calamitoſo animam miſeri traherent multis annis: Triplex proinde occurrit Salivatio *Critica, Symptomatica & Artificialis*, ſive *medica*. *Artificialem* aut *medicam* illam voco quę medicamentorū vi excitatur, ſive illa fiat non expectata & caſu, ſive eadem optata quæratur: tum & quæ cum ægri commodo vel incommodo peragitur, Accidit enim non raro vt ad pediculos abigendos, vel ſcabiem curandam, *zona ex mercurio crudo* cum *therebinthina* miſto circa regionem lumbalem applicata vtantur nonnulli ac præter expectationem excitetur ſalivatio & moleſta & aliquando lethalis, ſed & ſalivationem nonnunquam intendit medicus, à qua tamen non ſemper in melius, ſed in peius aliquando ruit æger, hinc caute procedendum in ſalivatione inſtituenda: Neque ſufficit feliciter ſucceſſiſſe Salivationem excitatam, quin videndum ne vnquam ſuccedat male; ſolent namque multi caſui vel Naturæ adſcribere omnes in ægris eventus bonos, medico vero & medicamentis quoſvis eventus malos. *Fr. Sylvius.*

60. *Salivatio excitatur mercurio*) Qua ratione Ptyaliſmum excitet vide ſupra §. *malignitatis & virulentiæ*)

61. *Mercurio*) Ex infra dicendis apparebit Argentum vivum antidotum, & maxime accommodatum remedium ad morbum Italicum, quia quomodocunque adminiſtretur illum curat id quod alia medicamenta non faciunt, quia vel adſtringunt, vel ſudorem impediunt; Argentum autem vivum ſiccando ob aëream quandam ſubſtantiam cum tenuitate quam habet, curat, & ſuo calore moderato, non autem ſtupefaciendo vel refrigerando, vt aliqui ſomniatunt. *Rondeletius p. 872.*

61. *Mercurio ſeu argento vivo*) Corpore purgatione, v. ſ. balneo &c. præparato ad *hydrargyroſin* concurrendum, quâ ſola mali radix evellitur ſudoriferis quidem guaiaci ſalſæparill. & aliis minuitur quidem affectus, ſed nonquam prorſus aufertur, ea inchoant curationem, ſed non perficiunt tempore ſiquidem reviviſcet virus & recurrunt ſymptomata, ideoque tota curationis ſpes in hydrargyro ritè adminiſtrato recumbit *Barbeyrac.*

62. *Vel intra ſumpto*) In medicamentorum ex mercurio tum ſublimato tum præparato delectu ac præparatione prudentia opus eſt, ne, cum per ſpiritus Acidos ſublimetur præcipiteturque mercurius, vſurpentur nimis acria verum debite prius contemperata. *Fr. Sylvius.*

62. *Vel intra ſumpto*, *De medicamentis mercurialibus adſumendis* vide §. *malignitatis & virulentiæ cum humoribus.*

63. *Vbi locum habet*) Internè aſſumitur ad excitandam ſalivationem *Mercurius minime fixatus, præcipitatus* præſertim *Idem.*

64. *Mercurij ſublimati dulcis*) Salivandi ſcopo prodeſſe poteſt aſſumptus repetita per aliquot dies dozi. gr. v. vj. vij. cum *extracto ſcorzon. ligni ſ.* &c. in pilulas redactus *Wedelius.*

65. *Vel extra*) Curatio per vnguenta ex argento vivo ab Empericis primùm tentata fuit, quæ cùm ſcabiei & illi generi tumoris, quod *achores* dicitur, & aliis hujuſmodi conferre vidiſſent, eoque ſcabiem capitis & totius cutis curari, huic morbo accommodare non veriti ſunt, eoque deinceps ratione optimâ, atque adeo feliciſſimo ſucceſſu vſi ſunt. *Rondeletius p. 872.*

65. *Vel extra*) Foris admotis cura quæ per *ſudores* ſine vſu *argenti vivi* præcipue inſtituitur, vix dum perfi-

perficitur, ſed nonnunquam non ſolum *Aëre calidiore*; in quo dum in lecto ſudant, moram trahere ſeque continere debent, ſed & Balneo adiuvatur, ſeu quæ inprimis ex aëre in hypocauſto, vel labro anguſto calefacto illicque coercito parato, quod eum corpus in eo concluſum calefaciendo & rarefaciendo, atque ad ſuperficiem ſic humores attrahendo, ſudores provocet, ad curam huius luis interdum adhibetur; Quam & fortis cum vna cum illis Luis huius ſemina ſimul educat & abſumat, diu continuata; præſertim altius radices ſi non egerit, curari poſſet: Verum cum vix hoc adminiſtratum ſufficiat, ſi eo vti lubeat, tunc potiſſimum locum habebit, cum ſudores per exhibita commoti in lecto minus prompte ſuccedunt, tum enim Balneum ingredi, illiuſque calore ſudoribus viam aperire, & ad eos corpus ſic diſponere, ſemel iterumve donec natura eo ſponte tendat licebit, præcipue vero Balnei ſicci in fine curæ huius luis vſus exiſtit, vt per illud, ſi quod in ſuperficie corporis remanſerit impactum ponitur abſumatur, ſordeſque ſi quæ adhæſerint, ſudoribus qui eas abluunt auferantur, Tuncque etiam in Balneo ſicco ablutio, quæ prius nec conceſſa nec neceſſaria erat, *Lixivio*, *vino* & *Aqua*, conceditur; Cæterum non tantum in cura Luis huius Balnea ſicca vt rectius perficiatur, adhibentur, ſed & antequam illius cura ſuſcipiatur, ſi de ea, quia ſigna non adeo aperta, ſed obſcura ſolum ſe patefaciunt, dubitetur Balneis eiuſmodi ſudatoriis aliquoties iteratis, latentia huius luis ſeminaria ad ſuperficiem evocando, ex maculis, puſtulis, aliiſque vitiis ſi quæ tunc ſe prodant, luem hanc cognoſcimus, de eaque eo magis certi ſumus: Quæ Balnea qua ratione adminiſtrari debeant, notum, vt tamen ſudores potentius educant, ante ingreſſum ægro Theriacam vel ſudatoria quædam propinamus *Humidum Balneum* quod ex aqua diverſimode, natura vel arte calefacta concinnatur, ad evacuationem huius luis vix dum vſurpatur, cum madore ſuo plus obeſſe, quam prodeſſe experientia docuerit: Sunt tamen qui licet balnea aquædulcis vel alia nimium adſtringentia improbant; aliaque tamen quæ admodum rarefaciunt, vel valide attrahunt, vt eorum quæ in cura per ſudores operantur actio adiuvetur ſi minus commode ſuccedat, vt prius in Balneo humido ex iis præparatio aliquandiu ſedeat, permittunt; In quibus calidas herbas, flores & ſemina omnis generis, inprimis *ebulum* & *enulam* cum toto & *artemiſiam*, & flores *chamom. meliloti*, gran. *iuniperi* & alia incoquũt quę tamen cũ non adeo ſint tuta, nec multum proficiant, rectius omituntur, Sed & *Thermarum* quarumdam potenter exſiccantium vſum in certis hujus ſpeciebus convenire aliqui docent, quas tamen nullo modo juvare, ſed plurimum nocere ſæpe obſervavimus: Niſi forte hiſce vel aliis Balneis, poſt curam exacte abſolutam, ad refectionem aliquam corporis, vſu tot medicamentorum defatigati, & membris robur addentium vti velimus rűeque prioribus artificialibus balneis quæ artubus appropriata ſunt veluti ivam & ſimilia addimus. *Platerus*.

•5· *Vel extra per inunctionem*) Mercurius vario modo vſurparur, alii enim frictionibus ex vnguẽto mercuriali vtuntur, alii emplaſtris alij fumo hydrargiri, alij denique præcipitato albo vel rubro ore aſſumptis ad movendam ſalivationem: Sed his omnibus meo calculo præſtat frictio ea enim *Mercurius* facilius intro ſubit & intoxicatos humores citiùs & promptius ad os evehit; hæc fit cum vnguento Neapolitano, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. *Mercurii crudi & defæcati* ℔j. *terebint. Vene.* ℥iij. agitentur diu in mortario metallico, donec *Mercurius* planè extinctus fuerit, deinde paulatim adde *pinguedinis ſuillæ dulcis* ℔ij, hæc omnia per horas quatuor ſimul agitentur & f. vnguent. ad vſum.

Inungi autem debet hoc vngnento totum corpus à calce ad radicẽ pilorum exceptis abdomine & pectore, quibus ob eontentorum dignitatem parcendum eſt.

Vt autem ſuccedat inunctio, igni luculento exponendus eſt æger, vel ſi debilis ſit, in lecto decumbens inungendus.

Pro quavis autem frictione inpendi debent ℥v. vel ℥vi vnguenti. In delicatioribus prima frictio debet eſſe tantùm unc. iii. & in iis plantas pedum tibiæ, crura, nates, & brachia tantùm illinenda ſunt, modò brevis ptyaliſmus excitetur, alioquin ſpina tota & ſcapulæ, ſicut in aliis fricandæ ſunt.

Non multoties autem eſt celebranda frictio, ſed ſemel tantùm in die vt plurimùm vſurpanda, vel manè iejuno ſtomacho, vel veſperi duabus horis ante coenam; Et ſi poſt tres frictiones nulla ptyaliſmi ſigna adſint, vna die poterunt celebrari duæ manè ſcilicet & veſperi, modò æger robuſtus ſit, vel vna tantùm ſufficiet, auctâ doſi vnguenti.

Illud autem eſt obſervandum, nunquam vltra ſeptem vel octo frictiones prætergrediendum & ab iis abſtinendum eſſe, cùm ſalivationis ſigna appatent, quod dum accidit, caput dolet, gingivæ intumeſcunt, facies rubet, fauces exaſperantur, lingua tumida fit vlcera in ore innaſcuntur, ſputum copioſum & frequens, poſt aliquot dies, vt plurimùm totum os vnũ vlcus occupat, & tunc intercipitur ſermo, tanto palati & linguæ ardore, vt niſi lacte tepido colluantur continuò, dolor intolerabilis accedat & tum ſputum ſine intermiſſione exſtillat, omni fætore olentius.

Si accidat autem vt humor in fauces & guttur vehementius irrumpat, & ſuffocationem minetur, ab eo periculo æger venæ ſectione vindicandus ſemel aut bis repetitâ, & ptiſanis laxantibus alternis diebus iteratis, ſi malum vrgeat, nec primis cedat,

Contingit aliquando vt poſt duos vel tres frictiones, tormina & alui fluxus ægrotantem fatigent & ſalivationem avertant, ideoque ſtatim hæc demulcenda 1°. iniectis bis aut ter in die enematis ex lacte tepido, ſaccharo & vitellis ovorum, vel ex lacte ſolo.

In medio & ſub finem ptyaliſmi ad vlcera detergenda, talis gargariſmus convenier.

℞. *Hord. integr. pi. liquirit. & paſſul. mundat.* aut ℥j. *ros. rubr. pi. coque ad* ℥viij. *colat. diſſolue mell. ros. colat.* ℥ij *M. f. gargariſm, quo frequenter os colluat, vel ſolo vino aquâ diluto, modo id ferre poſſit æger, efficaciùs illud præſtare poterit.*

Quandiu ſalivatio durabit, decoctum ſalſæparillæ antea præſcript § curationem quo abſoluitur. propinabitur niſi nimius ardor id impediat & decoctum potiùs refrigerans & humectans hordec & radic. bugloſſ. ſuadeat.

Sedato ptyaliſmo. v. ſ. & purgatione celebratis balneũ ex aquâ tepidâ per quinque vel ſex dies renovandum, vt empyreuma à Mercurio relictũ extinguatur & deinde per aliquot dies diætâ refrigerante & humectante & in quibuſdam vſu lactis aſinini corpus reſtaurandum & contemperandum eſt.

In inueteratâ lue, evenit ſæpiſſimè, vt poſt hęc remedia, remaneât exoſtoſes, cum oſſis carie & dolore inſigni. In eo caſu os denudandũ eſt & ferro vel igne à putredine vindicandum, aliiſque remediis in priſtinum ſtatum reducendum.

Si frictionibus vt dictum eſt rite adminiſtratis ptyaliſmus non excitetur, nec vlla eius appareant ſigna, a qui eſcendum eſt poſtquam ſaltem per ſex vel octo dies poſt frictiones in linteolis vnguento Mercuriali intinctis iacuerit æger, & tum v. ſ. purgatione & balneo peractis is dimittendus eſt, nec tamen de eius curatione deſperandum, in multis enim hoc accidit, qui perfectò curati ſunt: Mercurius enim non ſolùm ſalivatione, ſed etiã aliquando alui fluxu luem veneream ſanat, aliâs ſolâ

tranſpitatione & vitus extenſione morbum curat, nullâ ſotſibile humorum evacuatione factâ.

His tum vt tutiùs vivant, imperandum eſt vſus decocti antimonii infra §. gonorrhtëa: & ſatſæparill. per 20. vel 25 dies vel opiata Neapolitanâ Renodoei & poſt hęc vſus acidularum maximè iis proficuus erit & aliis omnibus qui talem luem experti ſunt ſi anni tempus opportunum fuerint.

Infelices ſunt laborantes vlceribus in guttute & tonſillis, ſi ptyaliſmus non proriterur, vix enim aliis remediis curantut & ſi quæ ſint, quæ illos poſſint à tanto incommodo liberare, ea eſſe exiſtimo, quæ propoſita ſunt, decoctum ſcilicet antimonii &c. modò quarto quoque die exhibeatur purgans ex infuſione ℥iij. ſenn. mun. ℥vi. decocti antimonij.

Interim vlcera amygdalarum vel gutturis debent nungi *ſpiritu vitrioli* vel *ſulphuris*, vel *aquâ ſublimatâ* os & fauces debent frequenter collui cum decocto hordei additâ quartâ parte *Collyrię Lanfranci* vel *aqua Calcis*.

Qui ſalivationē *Emplaſtro* concitare conſueverunt, ſequenti modo procedunt. Alutæ debitam *Emplaſtro de vigò quadruplicato Mercurio* quantitatem imponunt ex quâ parant Emplaſtra, quibus teguntur plantæ pedum, tibiæ, crura, nates, lumbi, dotſum, ſcapulæ, collum & brachia, eaque ægrotantibus geſtanda in lecto præſctibuntur, donec ptyaliſmi ſymptomata ingruant, quod accidit aliquando die ſecundâ, aliquando quatta aliquando ſextâ.

Quod ſi intra hoc tempus ſalivatio nulla immineat Emplaſtra renovanda ſunt & frictiones aliquæ inſtituendæ.

Vltima curandi ratio inſtituitur; cum *mercurio præcipitato albo*, imò & *rubro* ore aſſumptis. Exhibentur autem illius grana 12. vel 15. per ſex, octo vel duodecim dies continuos, donec copioſe fluat & ſalivatio rectè procedat: Quæ ſi tarda fuerit, debet accelerari præcipitato rubro ad grana ſex vel decem ad ſummum ptæſcripto.

Sed ab hac methodo abhorrendum eſt, mali enim radix nunquam eo modo teſcinditur, quia exigua ſunt vlcuſcula, quæ ab hoc remedio in ore excitantut, ita vt tenuior tantùm pars matericæ euehatur, & per ea expurgetur, reſtitante fæce, quam non poteſt tam parva mercutii quantitas ad os deducere, nec ejus virus extinguete, ſicut à frictione fit, in qua mercutii magna copia per totum habitum intrans, eius penitiores corporis partes penetrat, & virus funditùs evertit. *Barbeyrac.*

65. *Vel extra per Inunctionem*) Vnguenta fiunt ad materiæ eductionem, Nam quæ ſolet morbum facere evacuatur per poros cutis Igitur vnguenta ex chalaſticis, areoticis & epiſpaſticis & moventibus ſudores paranda ſunt, ſi morbi diſpoſitionem per totum habitum ſparſam videamus: Quod ſi vel vlcus particulare, vel ſcabiem, vel herpetem aut alium quendam morbum curare voluerimus, nobis particulari remedio erit vtendum: Solent enim illa particularia impedire ſudorem, qui tamen neceſſarius eſt ad diſpoſitionem vniverſalem quæ quamprimum emendanda venit: Deinde veniendum ad particulares cuiuſlibet membri curationes quæ (vt iam dictum eſt) vniverſalem & ſudores impedire ſolẽt, vt quæ fiunt per *Cinabrium factitium*, ob *ſulphur, ceruſam, acetum, oleum amygdali* quæ quidem ſolent vim *argenti vivi* minuere; Er illa particularia ſunt; Eſt autem ad id maximè accommoda *axungia porci*, quæ veluti baſis horum vnguentorum, quia relaxat, emollit, & *argentum vivum* excipit, ſi præparata ſit vt debet, ſcil: non ſalita, non liquata, ſed recens, vel ſine ſale ſervata, aqua ablatę ſint membranæ diligenter in mortario contuſa, vt melius miſceatur, Liquefacta vero axungia nunquam poſt liquefactionem bene coaleſcit aut retinet argentum vivum; *Axungia galinæ, anſeris, vrſi* ponuntur, ſed ob particulârem affectum & in parva quantitate, quia tam magna quantitas non repetitur; quæ cum tenuium ſint partium minus tetinent argentũ vivum, & tãtum in doloribus poni debent: *Butyrum* his ſuccedit, quod tamẽ multo magis quam prædictæ axungiæ argentum vivum tetinet; verum tamen ad *dolores* & *papulas* præſcribi ſolet quia *papulas magis & melius digerit quam aliud quodvis*, & maiori quantitate quam axungia anſeris, & aliæ ſimiles poni non debet; *Olea* conveniunt rarefacientia & digerentia, vt *chamamelinum, liliorum, irinum, rutaceum, de ſpica*, &c. Oleum *amygal. comm. ſeſaminum, aneth.* quia nimium humectant, non conveniunt; Sed *in prima Luis ſpecie*, quia corpus calidius eſt, *oleo chamamel & lilior.* poſſumus vti & magis vſurpari debent; quibus etiam adduntur aliquot vnciæ *laurini* ſi *ſcabies* & *papulæ* adſint, quia illas curant emoliendo & digerendo; At in *doloribus* oleum *irinum, anethinum*, cum *laurino* & *de ſpica*, In *doloribus articulorum* hæc valent; At in *doloribus capitis*, propter odorem inſignem minus valet hoc; Et ſi poſuerimus parum admodum erit ponendum, vt in extremo morbo; *Terebinthina abietina*, & aliæ liquidæ conveniunt quia acopa ſunt medicamenta, corpus calefaciunt & humores evacuant ac digerunt, *Reſina cocta* & *cera*, ad inſpiſſationem ponuntur, ſcilicet cum pulveres non recipit vnguentum; Tunc etiam vnguento apponimus *lithargyrum*, etiamſi aliqua ex parte ſudores, ſupprimat; non enim ponimus niſi cum multis relaxantibus aliis & magna *argenti vivi* quantitate: *Argentum vivum* & axungia vnguenta conficiunt. *Novi aliquot qui* ſolo *mercurio, axungia porci* & *cineribus curabant* Luem & pauciſſimis diebus: Verum vidi aliquos etiam in *tremorem incidiſſe ex intempeſtivo mercurii vſu:* Itaque ſatius eſt remedia minus efficacia habere, ac longiori tempore curare quam periculo ſe exhibere, quia ſat cito, ſi ſat tuto: Non enim bonum eſt repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare liquare, vel multa excrementa attrahere ad partem per quam egredi non poſſunt, hoc enim eſt periculoſum, & plus lædit quam proſit.

℞. *Axungia porci non ſalitæ nec liquefactæ* ℔j. *olei chamamel. & irini* ā ā. *unc.* iij. *terebinth. & reſinæ* ā ā. *unc.* ij. *ceræ parum, argenti vivi extincti ſucco limon. unc.* iv. *m. f. vnguentum:*

Vngantur partes extremæ circa iuncturas & emunctoria & ſpinam, & ſenſim provocetur ſudor, cooperiendo, vel apponendo lateres, Tegatur bene ne ab aëre frigido tangatur, aut impediatur perſpiratio & vacuatio integra fiat: Vngatur ſemel pro prima vice, deinde ſemel, & ſic fiat donec medicamenti vis ad partes internas penetraverit.

Conficiatur hoc modo efficaciſſimum, quod nunquam me fefellit.

℞. *Vngu. martiati & Aregon.* ā ā. *qu. j. axungia porci non ſalitæ nec liquefactæ* ℔j. *ol. chamamel aneth.* ā ā. *unc.* j. *Olei laurini unc.* ij. *mercurij unc.* v. *reſinæ, terebinth.* ā ā. *unc.* ii. *m. f. vngu. quo vngatur vt ſupra.*

Vtile erit ſi non fluat alvus ſyrup. laxat. præſcribere vel appozema: porro hæc evacuatio impedit effumationem ad os, a qua vlcera oris & dentium ſordes proveniunt; Raro autem eiuſmodi effumatio ſine vlcere accidit, quare ad hæc vel maiora, vitanda vtile erit purgare: Vbi ergo vel fluxus ventris accidet, vel anhelitus fœtidus emittetur, tunc *pituitam inflammari* certiſſimum eſt ſignum, itaqe ceſſandum erit ab Inunctione & mutanda lintea erunt

quibus

Quibus vero iſta non apparent, certo coniicere licet non ſufficientem eſſe argenti vivi quantitatem; vel adſtringentia aut obſtruentia aut emplaſtica addita fuiſſe vnguento, quæ vim medicamenti impediverint, Ita quo fortius erit reddendum, vel frequentius inungendus æger, vt ſi ſemel inungi conſueverit, bis inungatur, Inungantur etiam Emunctoria, In quibus autem videmus paucam evacuationem factam eſſe per ſudores, morbum fore contumacem certo pronuntiare poſſumus.

Interdum non erit inutile purgare per os, ſi vires ferant, & vti *Decoctione Guaiaci* vel *chinæ* ſimplici, ſi talis ſit affectus qui *ſcabiem* vel *tenuia vlcera* habeat, ſi contumacia ſint, laxantia medicamenta erunt propinanda; Si vero *dolores* & tophi adſint, compoſita erunt adhibenda. *Rondeletius p.845.*

In morbo Inveterato.

Præmiſſis præmittendis & poſt vſum excellentis *ſyrupi laxat* (vide §. *Purgatione*) parabitur vngu. ſequens quod erit pro *vlceribus*, *ſcabie*, Doloribus cum corporis extenuatione, à longo tempore.

℞. *Axungiæ porci non ſalitæ neque liquatæ, butyri recent: axungiæ gallinæ & anatis* āā. ℥ii. *ol chamæmel. aneth.* āā. ℥iij. *olei de ſpica* ℥ß. *mercurij. extincti in prædicta axungia* ℥vj. *maſtiches, myrrhæ, irid.* āā. ℥ß. *terebinth. lotæ in aqua vitæ* ℥jv. *reſinæ & ceræ parum f. vngu.*

Vngatur incipiendo à iuncturis, deinde inferior pars, poſtea tota ſpina cum emunctoriis. Iſta autem debent fieri ſine magna calefactione. vt ſenſim trahantur excrementa, fundantur & evacuentur.

Vnguentum tum ad *Dolores capitis, Iuncturarum, & ad* duros *Tumores*, quod ſedat dolorem materiam calefaciendo, liquando, evacuando per ſudores, & per oris expurgationem.

℞. iv. *Vngu. calid.* āā. *qu. j. axungiæ porci* ℔j. *olei laur. aneth. & irini* āā. ℥ij. *ol. de ſpica* ℥j. *mercurii.* ℥vj. *terebint. lotæ in aqua vitæ* ℥iij. *flor. chamæmel. tenuiſſ. pulv. rad. iridis* āā. ℥j. *reſinæ & ceræ* āā. ℥ii. *f. vngu.*

Vngantur partes externę dolentes excepto capite, Incipiat ab inferioribus & emunctoriis inguinum, vt materia à capite divertatur; quo facto vngatur ſpina & cervix, donec os ſit calefactum & ſpuat frequentius, Et in hac ſpecie diutius purgetur per os.

Si vero *Tumores* adſint *duri* hoc idem vngu: valet non quod ſupra duros illos Tumores ponatur, ſed melius erit ſequens ceratum apponere.

℞. *Vngu. præſcripti,* ℔ß. *Euphorb.* ℥j. *gummi hederæ* ʒiij. *ammon. opopan. bdellii diſſolutor. in oleo lilior.* āā. ℥j. *ſtirac. rub. & calamit.* āā. ʒiij. *ariſtol. long. & rot.* āā. ʒj. *terebinth. abiet:* ℥ij. *ol. lilior. & laur.* āā. ℥ß. *mercurii* ℥ij. *miſce. vngatur pars.* vel addendo *ceræ multum fiat ad formam cerati idque vt diutius ſupra partem hæreat.*

Vel ſi malueris *Empl. de ranis.* i. è. *de vigò*, adde *argenti vivi euphorb. irid.* āā. ℥j. *malaxentur cum terebint.* lota in aqua vitæ & applicetur.

Aliud Emplaſtrum ad *Tumores duros.*

℞. *Empl. filii. zachar. & ceronei* āā. ℥iij. *euphorb.* ℥ß. *malaxentur & fiat Empl.*

Emplaſtra omnia ex *gummi* idem efficient addito *mercurio.*

Sunt autem iſti Tumores à pituita viſcida & concreta, quæ nonniſi calidis diſſolvi poteſt.

Alii *myrrham, thus, ſarcocollam, maſtichen* addunt ſi cum *vlceribus* ſit morbus: In *ſcabie* vero & *vlceribus* alii vtuntur *viridi æris*, quod valde prodeſt ſi poſt inunctiones aliquas apponatur, quia compeſcit, ſudores: Alii *ſal* apponunt quod in *ſcabie & pruritu* valet detergendo, verum minus laudatur, quia ſudores nimiũ impedit; ſed poſt ſudationes, addi debet vt & *ſulphur, chalcitis* & alia adſtringentia, Alii ex *cineribus ſarmentorum* & *argento vivo* parant Linimenta, efficaciora ſunt ſed minus tuta; Sunt qui duo remedia ſimul adhibent, alii bene, alii male, qui bene vtraque velut conſpirantia adhibent; qui vero male, inter ſe pugnantia: Conveniunt autem quæ ſudores movent, ſive initio ſumpta, ſive admota, Externa ſunt vnctiones & ſtuphæ, quæ quidem *ſtuphæ* præparant corpus ad Sudationem, & ad humores trahendos ad partem externam; Et ſatius eſt primum ingredi ſtuphas, deinde vti vnguento, quia apertis poris facilius penetrat vnguentum: Etiam in fine ingredi ſtuphas vtiliſſimum, quia attrahunt humores & Linimenti ſordes auferunt: Alii initio dant *Decoctum Guaiaci*, & poſt aliquot dies Linimentum applicant, Quod malum non eſt in quibus frigidi ſunt humores & in alto deliteſcentes, vt qui *doloribus* afficiuntur capitis & Articulorum, Alii in fine Diætæ Linimenta adhibent, Quod non ſit tuto, quia corpus redditum debile non poteſt tam forte & inſigne remedium ferre; itaque ſatius eſt poſt primam à diæta hebdomadã, vel ante diæta m vti vnguento, Deinde dum ob *imbecillitatem*, vel *ob oris affectionem*, deliteſcunt in cubiculo, *decoctione Guaiaci* in potu mane vti poſſunt, etſi non provocetur ſudor: Vtile autem erit poſt vſum vnguenti quando non fluet alvus vti medicamento purgante, ſcilicet poſt tres aut quatuor dies vt quod diſſolutum intus eſt, aut commotum expurgetur. *Rondeletius.*

Multi curati ſunt in Noſocomio Delphenſi hoc vngu. quo communiter vtebantur.

℞. *Sulphuris vivi* ℥i. *argenti vivi* ℥vi. *ceruſæ; tartari albi cinnab.* āā. ℥ß. *litharg. & arg. plumbi* āā. ʒij. *ſalis* ʒj. *rad. helleb. n. & albi baccar. lauri camph.* āā. ʒii. *ol. laur.* ℥iv. *axungiæ porc.* ℥iij. *ſucc. fumar. rad. oxylap. enul. ſcab. chelid. borrag.* āā. ℥iij. *Bulliant cum oleo axungia ad ſuccorum conſumptionem, deinde admiſce argentum vivum cum ſaliva extinctum & reliqua.*

Hoc vnguento indifferenter pro omnibus vtebantur, quinque diebus, ſemel in die, mane ſcil. in cubiculo valde calido & parvo inungebant brachia & crura, & inguina, & ſemel vmbilicum tantum & tunc faciebat fluxum. *Foreſtus Obſ.13. lib.32.*

Hoc obſervandum quod vbi plus *Gummoſitatum* videtur, plus pinguedinum vnguento addimus; vbi vero minus, ſed plus *Puſtularum* & *colorum* plus pulverũ apponimus: In delicatis quoque parum *mercurii* addimus, veluti cum complexio calidior fuerit, multum *butyri* & *olei roſar.* aut *ſucci plantag.* res calidas fugiendo, adiungimus. *Idem*

Curatio per Emplaſtra.

65. *Vel extra*) Præſertim in iis qui ob negotia domi manere non poſſunt, ſed equitare & ad negotia ire coguntur, aut qui morbum detegere nolunt; Omnibus talibus Pilulas dare oportebat, atque etiam *Emplaſtris* eos curare poſſumus, præmiſſis tamen multis purgationibus, Illis autem fient *Emplaſtra* magna ad formam lati ſcuti, vt omoplatas & ſternum vſque ad lumbos integere poſſint vel latiſſimæ faſciæ quæ veluti zona corpus cingant, ita tamen ne in anteriore parte Emplaſtri materia ponatur, ſed in lateribus & parte poſtica: Poſſunt & fieri manilia, carpiſque ac malleolis apponi

ſed multo melius erit ſi emunctoriis apponantur dicta Emplaſtra & locis affectis, ſed Emunctoriis primum deinde ſuper tumores vel partes dolentes: Emplaſtra fiunt ex iis quæ ex alto trahunt per ſudorem, vel per inſenſibilem tranſpirationem: Parari etiam poſſunt ex vnguentis minuendo oleorum quantitatem, & addendo picis vel reſinæ q. ſ. Poſſunt etiam fieri ex omnibus Emplaſtris digerentibus & malacticis, addendo *mercurii unc.* iv. pro ℔i. Emplaſtri, Fieri etiam poſſunt Emplaſtra ex Empl. de *meliloto Oxycroceo, ceroneo*, vel fiat hoc modo Empl. pro iis qui ob negotia, domi manere nequeunt vel nolunt omnibus morbum patefacere.

℞. *Maſſæ Empl. de meliloto vel oxycrocei* ℔ß. *argenti vivi unc.* j. *malaxentur cum terebinth. & oleo laur. vel irino, vel rutac. aut de ſpica & reducantur ad formam cerati.*

Eſt Empl. paratum in officinis *de vigo* nomine, vel *de rams*, quod adhiberi poteſt, verum erit efficacius ſi dozi *hydrargi.* augeatur, vt pote pro Empl. ℔i. addatur *mercur.* ℥i. conveniet hyeme, vel cum tempus fuerit frigidum, & quando oſſium fragmenta attrahenda ſunt: Nam *Argent: vivum videtur antipharmacum Luis, tum ob ſiccandi vim quam tantam habet, tum ob tenuitatem partium*, & evacuationem quam facit potius quam alia qualitate. *Rondeletius* vide ſupra.

Curatio per *Lavatoria.*

Vel extra) *Argentum vivum ſublimatum*, ad curationem Luis extrinſecus quoque adhibetur, cum liquore aliquo dilutum: Quo liquore extremitates corporis, veluti tibiæ & brachia illinuntur & madeſcunt *lavatoriaque* dicta ex eo ſic parantur, Nam cum *ſublimatum* corpori ſic affigitur, quia adhuc *argenti vivi* vires retinet eaſdem perinde, vt Lue hac ſananda exerit ac ſi inungeretur, vel ſuffumigaretur; ſicque exputiones, vnde etiam os vitiatur, provocando, Luem hanc ſanat; Atque vt inſuper acri, quam miſtione *chalcanthi*, atque ſublimatione adipiſcitur, cutem aduren, veſicaſque excitans, ſic quoque in *dolentibus* præſertim, vel *nodoſis locis* illitum, venenum hoc evocando operatur, Et tandem ſic vel ſola vſurpata hanc luem ſanant *doloreſque* preſertim & *nodos* tollunt, vel ſi per alias curas hæc non cedant, ea penitus extirpant: In hiſce autem *Lavatoriis* parandis *Sublimati* quantitas idonea & media erit ſi *unc.* i. illius cum liquoris illius ℔ij. permiſta ſit aqua prout operabitur aſcendere deſcenderene augendo minuendove mercurium licebit: Hac itaque ratione per *Decoctum* ablutio talis fit.

℞. *Mercur. ſublim. unc.* j. *aqu. comm.* vel *roſarum* boni odoris cauſa, vel *ſcabioſ. fumar. maioran. ſalviæ &c.* ℔ii. *vini albi unc.* iiij. *vel aqu. vitæ unc.* ii. *bulliant parum & ſerventur ad vſum.* Vel

℞. *Sublim. unc.* j. *alum. vſti unc.* ii. *litharg. & ceruſ.* ãã. *unc.* j. *aq. vitæ* ℔iß. *aqu. alicnius* ℔iij. *coq. ad vſum*

Infuſio pro Lotione.

℞. *Merc. ſubl. unc.* i. *alum. unc.* iß. *litharg. ceruſſ.* ãã. *unc.* i. *aq. vitæ* ℔ii. *ſerventur in maceratione in vitro bene obturato.*

Vtimur eiuſmodi Lavatoriis hoc pacto, madefiant Tibiæ panno in hiſce intincto, & illinantur a genu deorſum, *brachia* à cubito antrorſum, repetitis aliquot vicibus, idque mane, nonnunquam & veſperi, in calore iuxta focum vel fornacem; perſeverando ad x. uſque dies, donec quoque accidentia in ore cum exputitione ſuperveniant: Gubernetur interim æger eo modo vti cũ Inunctionibus vtitur, contineatque ſe in lecto calido, ſudetque noctu; Purgeturque & ante harum Lotionũ vſum, & dum illis vtitur, corpus decenter. *Platerus.*

65. *Vel extra per Inunctionem*) Externe ad ſalivationem producendam vſurpantur *mercurius crudus* vnguentis, Linimentis, oleiſve immiſtus, & circa pleraſque articulationes illitus; tum *terebinthinæ* itidem permiſtus, & cinguli forma circa regionem lumbarem applicatus: (Quod etiam fieri poteſt *mercurio præcipitato* & quidem minus fixo) tum etiam in *cinnabarim* per ſulphur redactus, & vna cum aliis, *myrrha* præſertim miſtus, ac *ſuffumigii* modo exceptus ore, donec fiat ſalivatio: His autem tribus modis ſalivationem ſolet producere mercurius, In cuius Adminiſtratione obſervandum ne nimium feſtinetur, ſed opus lente procedat; Obſervandum etiam An ipſo ſemel aut bis mediocri quantitate vſurpato futuræ ſalivationis ſigna compareant, an vero nulla eius indicia ſe manifeſtent, Quoties enim vel gingivæ vel Tonſillæ; aliæve in maxillis Glandulæ tumere incipiunt ac dolere, quoties odor gravis exſpirat ex ore toties ſalivationem præ foribus adeſſe certum; Quoties vero nil talis intra biduum triduumve, poſt debite adminiſtrata medicamenta mercurialia evenit, toties in eorũdem vſu amplius pergendum patet, & quidem tamdiu donec confluant humores vitioſi ad ſalivares glandulas effundanturque vna cum ipſa ſaliva: Sibi autem per aliquot hebdomadas relinquendus hic per ſalivationem fluxus nec facile ſiſtendus, ne in ſuffocationis periculum coniiciatur æger cum præſertim *ſponte ſenſimque ceſſans ſalivatio perfectæ* curæ ſignum eſſe ſoleat. *Fr. Sylvius.*

66. *Quantitate Hydragyri*) Quantitate Argenti vivi in vnguento hæc fere obſervatur, vt pro ℔j. vnguenti excipiantur eius *unc.* ij. quæ media erit argenti vivi pro decenti actione edenda, in corpore non nimium debilitato, quantitas, quam & augere & minuere pro ratione conſtitutionum atque modo operationis licebit. *Felix Platerus prax. m. tom.* 1. *p.* 442.

66. *Nunc maiore, nunc minore*) Cuius quantitas certo determinari nequit, vti nec numerus Inunctionum, mirabile eſt quod *Nicol. maſſa* refert ſe vnum ſanaſſe qui pluries iam inunctus fuerat, & non ſanatus quem per triginta ſeptem dies inunxit & liberatus fuit: Et ideo, *inquit*, non poteſt dari certa regula de numero dierum vnctionis.

67. *Mercurii puri &c.*) Optimum atque tutiſſimum Luis remedium eſt *mercurius crudus*, *cum porcina axungia*, vel aliis vnguentis oleiſque miſtus & forinſecus illitus, inprimis in pedum plantis manuumque volis, aliiſque articulationibus quibulvis; prudentia opus ſit ſi & Dorſi ſpina eo ſit illinenda: quod ego ſaltem fieri nollem niſi quando fruſtra illitæ fuerint articulationes aliæ; nullaque poteſt excitari ſalivatio, quam tamen vi excitare non ſemper tutum. *Fr. Sylvius.*

68. *Mercurii ex corpore*) Medicus quidam clariſſimus Argentum vivum in corpore deliteſcens feciliter evocabat in plurimis, ſive Aurifabri fuiſſent, ſive Lue per Inunctiones curati, ſive ſuffumigio, *Grana iunperi* q. v. coquebat in vaſe probe clauſo ad quartæ partis conſumptionem, vapore deinde ſuffumigabat ægrum, & toto corpore, & ore præcipue excepto. *Hieronym. Reuſnerus obſerv.* 174.

69. *Oris & Faucium*) Ne ab humoribus vitioſis ad ſalivales glandulas confluentibus, plerumque ſatis acribus, nimium exulcerentur gingivæ, malæ Labia, & quandoque ipſum palatum gargatiſmis vtendum ex *lacte tepido*, *Raparum coctarum ſucco*, Emulſionibus, aliiſve humorem Acidum & Acrem contemperantibus: Vbi autem ab humoribus acerrimis profunda ſe excitantur in ore vlcera, doloreſque intolerabiles gargariſmi parandi ex magis abſtergentibus adſtringentibuſque dictis, addito ipſo *opio* aliiſve dolorẽ potenter ſedantibus. *Fr. Sylvius.*

70. *Suf-*

70. *Suffumigia*, Suffumigiis ſolent vti in hoc morbo in curatione Dolorum & vlcerum humidorum quę difficile conſolidantur, vel etiam cum vlceris conſolidationem accelerare volumus, & ego feci in quodam Nobili qui per ſex menſes Lugduni tractatus fuerat, neque tamen vlla diæta vel medicamento curari potuerat. Ego vero quatuor diebus curavi eius vlcus, ita vt perveniret domum, quæ quatuor dierum itinere diſtabat integre curatus ſit: Hoc remedium deſirat vires robuſtas, quia forte eſt & periculoſum, Itaque in præhumidis & fortioribus eo eſt vtendum, At debilioribus & qui multa alia remedia fruſtra ſunt experti, quod fit in lecto, Fumigium optimũ erit: Purgato corpore diligenter iterum atque iterum, vtendum erit maſticatoriis per aliquor dies, modo non ſit vlcus in ore (nam tunc Errhinis locus) deinde ſuffumigio mane vel ſero in lecto, cuius fumum per canalem, dum accenſum cremabitur, ducet, Tale autem erit quod ſudorem provocabit, Ponantur carbones accenſi in olla, & in eadem ſuper iniiciatur ſuffumigium ſuper carbones, & operiatur operculo, à quo fiſtula deducatur in interiorem partem lecti, Quod ſi æger non poſſit ferre odorem exerat licet caput extra lectum, modo cervix exacte pannis & linteis circundetur & obvolvatur, vt fumo per ſuperiorem partem nullus pateat exitus, Hæc autem fiunt in debilibus, & iis qui cubiculum calidum & pavilionem (*conopeum*) habere nequeunt: fit autem ex linteis ſimul ligatis & ex alto dependentibus, & vndiquaque ægrum involventibus, in quo ſedet æger ad ſudandum; Et imponitur fumigium ſuper multos carbones vt aër ſub pavilione incluſus calefiat multum, atque adeo madore ſuffumigii infectus ſudores alliciat, ſicque corpus ſiccet: Si vero odorem ferre nequeat, extra pavilionem caput teneat, & paulo poſt lecto impoſitus egregie ſudet, Reiteretur ſuffitus pro viribus ægri & morbi contumacia, donec fiat excretio per os Quod ſi ob imbecillitatem continue vſum ferre non poſſit æger, vtatur ex intervalis, vt per tres dies, deinde quieſcat per quatuor vel plures, deinde ad idem redeat ſuffumigium, Interim vero vtatur optima *victus ratione* attenuante & leviter exſiccante, aut ſaltem non multum humectante, Alimenta ſint laudata, & quæ facile concoquantur, abſtinendo à vino; Cum hoc ſuffumigio vtentur, ſit illis vini loco *Hydromel*, vel *Decoctum ſecundum Guaiaci*, Nam *vini potio eo tempore vna cum argento vivo facit paralyſin.*

Cæterum poſt has tres fumigationes purgetur vniverſum corpus, idque ſingulis hebdomadis, ſyrupis ſcil: laxantibus, vel opiata, vel pilulis ad humorum pituitoſorum evacuationem accommodatis,

Suffumigia vim habent in *Cinnabario*, ob *Argentum vivum* quare oportet illud quantitate ſuperare alia, ſed addentur aliqua quæ odoris caſtigationem faciunt, alia vero ad curationem morbi, alia denique ad excipienda medicamenta: Sed illud à me ſemper obſervatum eſt, vt ſcil. ea vſurpantur quæ ob multas rationes vſurpari debent, ſi fieri poſſit forma remedii plurimis nominibus iuvet, vt e. g. *cinabrio* ſunt addenda aliqua quæ odorem caſtigent, non *cinnamomum* non *moſchum*, non *muſcum arborum*, non *hypociſtidem*, non ladanum: quia etiamſi ſint odorata, ſunt tamen adſtringentia & actionem præcipuam retardarent, vel impedirent ſudorem, Sed ea vſurpanda quæ ſudores movent, vt *benzoin*, *ſtirax calam.* liquida; Si ergo ſcopus ſit provocare ſudores pro doloribus ſedandis ſufficiunt prædicta ſic.

℞. *Cinabr. unc.j. ſtyr. rub. & calam. unc moſch:* ãã. ʒiii. *benzoin. unc.*ß. *excipe tereb. & f. Trochiſci ad vſum.*

Therebinthinam præſcribimus, quia confert ad dolores ſedandos, & ad faciendum multum fumum; quod ſi ex aridis fieret, pinguedo vel oleum addenda eſſent, vt fumum facerent; ob id lacrimæ, & quæ fuliginem excitant, ſunt materia ſuffumigiorum. Si ad *vlcera* curanda ea paranda ſint fiant ex iis, & aliis vlcera detergentibus & ſiccantibus, vt ſunt *myrrha*, *maſtix*, *olibanum opopanax*, *gummi ladani*, ligna pinguia quæ reſinam fundunt, vt *lignum aloes. ramenta iuniperi*, *cortex pini*, *macis*, *nucis moſch.* ſunt alia quæ arida ſunt, vt *ſantala*, & illa minus probantur, ſicuti neque *theriacam* & ſimilia iſtis addi bonum putamus (vt neque vnguentis admiſceri, quia neque materia apta eſt ad ſuffitus, neque conferunt extrinſecus adhibita, vt neque theriaca intus ſumpta. Sic fiat ergo ſuffitus ad *vlcera*.

℞. *Cinabr. unc.*i. *benzoin. ſtyrac. myrrhæ, oliban, opopan.* ãã. *unc.*ß *maſtich. macis thuris* ãã. ʒij. *Excipe terebint & f. ſuffitus.*

At ego in vlceribus addo *ſandaracham*, *vel auripigmentum* & potiſſimum cum *vlcera* in *pulmonibus naribus*, vel aliis partibus internis opinor eſſe, addimus etiam pyritem, quia vlcera ſiccat, & emollit duritiess: *magma hedycroi*; maceratum in *oleo laurino* & de *caſtoreo*: dolores ſedat ſi *cinabrium* admixtum ſit: Si vlcus remaneat poſt alia remedia, nec fuerit curatum ſufficiet partem vlceratam fumigare poſt deterſionem, vel oſſis caſtigationem. *Rondeletius p. 871.*

70. *Suffuigia nimis ſunt*) Qui *Mercurii* fumo luem veneream curant, immittunt *Hydragyri unc.*ß. vel ʒ vj. in crucibulum ignitum & prunis ardentibus impoſitum, ita vt eius halitus ab ægrotante, in ſellâ perforatâ ſedente & intra papilionem commode excipiatur.

Ne autem vapor mercurii caput lædat, cingitur panno lineo aut laneo collum, in eoque ſitu manet, donec totus mercurius exalaverit.

Vel componuntur *tabellæ ex Mercurio* cum terebinthina extincto & deinde cum aceto diſtillato bolo vulgari & carbonibus pulueratis in maſſam quandam cõpacto, quæ ſupra chartam extinguitur & ſiccatur in vmbrâ. Ea autem debet ſervari proportio, vt tota compoſitio Mercurii tertiam partem admittat. Huiuſmodi tabellarum unc. iß. vel unc. ii. paulatim in prunas vel crucibulum iniiciuntur, & fumus ab ægrotante excipitur, vt dictum eſt. Celebratur fumigatio ſemel in die, aliquando bis & continuatur, donec ptyaliſmus immineat *Barbeyrac.*

71. *Diæta conveniente*) Durante per ſudorifera curatione iubent practici plerique vt tunc temporis exactã ſervent ægri Diætam, paucis vtantur alimentis, nec niſi facilis fermentationis, Iuſculis, ovis ſorbilibus & ſimilibus vitent aërem vel tantillum frigidum, Animum habeant curis vacuum &c. Hac via ſi proceſſerint cum ſuis ęgris medici, non raro intra breve tempus curare poſſunt à Lue nec inveterata nec valde gravi, alias enim longiore tempore opus eſt, quamvis ne ſic quidem curetur perfecte Lues gravior, quin tum ad potentiora pergendum ac devenniendum eſt remedia. *Fr. Sylvius.*

Diætam quod ſpectat, eligatur *Aër* temperatus quãtum fieri poteſt, quo facilius venenum exſpiret: vſus ſit *Alimentorum* refrigerantium & humectantiũ vt humor viſcidus & tenax, cui venenum inſidet, diluatur; Quo circa *Iuſculorum* vſus maximè prohibendus ſicuti olim in morem poſitum, quin potius bis in die, mane & veſperi præcribantur. *Potus* ægri ordinarius ſit decoctum *ſalſaparillæ* aut *guaiaci* vel ſimilium; quæ vi pollent non modo veneni partem tenuiſſimam; & volatilem in auras diſſipandi, ſed prçterea vi ſua penetrabili fermenti fęcem diluunt nec non humoris maxime viſcidam & fixam: ſin æger febre prehenſus fuerit & macilentus, competit *aqua hordei* ante & in ipſo paſtu: moderatus eſto ſommus, Exercitiis minus ſolito vehementibus

vtatur, iiſque convenientibus, venatione luſu ſphæriſterii, & ſimilibus, quæ materiam reſidem excitant, attenuant & à partibus interioribus ad externas impellunt. *A rebus Venereis* plane abſtinendum, nam jà coitu partium genitalium ingeminatur malum; robur omnium partium atteritur. Si *Alvus* libera non fuerit, emolliatur injectis Enematis, vſu olerum humectantium, Ptiſanis laxantibus, Ab Ira temperandum, quod animi pathema humores commovet & in ferociam adducit Vitàndus & *mœror* ac *triſtitia*, ne materia corrupta fixior reddatur & venenum ad interiora compellatur. Ex *Tract. novis Medicis Gallicè ab Anonimo emiſſis.*

De Diæta vide plura §. *Modum vtendi*) & §. *Suffumigia.*)

71. *Diæta conveniente*) *Temperatus aër* quantùm fieri poteſt eligendus, vt virus faciliùs exhalet, *Alimenta* refrigerantia & humectantia potiùs quàm calefacientia & exſiccantia exhiberi debent, vt viſcidus & glutinoſus malignæ luis humor diluatur: idcirco non debent juſcula reſcindi, vt olim fieri ſolebat & quorundam adhuc mos eſt, imò potiùs bis in die, manè ſcili & ſerò propinanda herbis refrigerantibus alterata.

Poterit tum vti *pro potu ordinario*, decocto ex ſarſeparilla, Guajaco & ſimilibus, quia hæc non ſolùm humoris tenuiorem, & volatiliorem partem exhauriunt, ſed etiam craſſiorem & tenaciorem fermenti fæcem, ſummâ quâ pollent incidendi facultate, diſſoluunt. Si æger autem febricitet & exſuccus fuerit, aqua hordei in potu & extra paſtum conveniet.

Somnus debet eſſe moderatus. *Exercitia* paullò vehementiora ſolitò, ſalubria ſunt, vt Venatio, parvæ pilæ luſus, & alia ejuſmodi, quæ luis naturam ſopitam excitant, rarefaciunt, & ab internis ad externa revocant.

A *venere* tunc prorſus abſtinendum eſt, eâ enim partium genitalium labes ingeminatur, vires deteruntur & membra exhauſta collabuntur.

Alvus ſi ſegnis ſit, proluatur Enematibus, vel herbis refrigerantibus, & ptiſana laxativa emolliatur.

Ab *irâ* cavendum eſt, cùm ea humores nimium perturbet, & acuat. *Triſtitia* & *mœror* non minùs vitanda, quia materiam corruptam nimis figunt, & virus introducunt. *Barbeyrac.*

71. *Diæta conveniente*) Vivendi rationem dum cura *Decocti* ligni vtuntur quod attinet, cum admodum exquiſita eſſe debeat, factum vt totam hanc curam *Diætam* appellare ſoleant, non quod hæc præcipuum curandi ſcopum compleat, ſed quia lue hac infecti, cùm curam ſubeunt, ne ſudores diu continuati ipſos lue hac infectos eſſe produnt, cùm domi reſidere cogantur, ſe diæta convenienti aliquandiu vti velle prætendentes, eo modo infectionis ſuſpicionem declinare prudenter conantur, Quæ Diæta in ſequentibus potiſſimum ſtricte obſervanda.

Aër, dum hac cura vtitur æger, propter ſudores vt eos evocet, nec progreſſos repellat, calidus ſit, in conclavi vel hypocauſto toto curationis tempore manendo, bene ab aëre, externo munito & occluſo; nec libero aëri, niſi ille anni temporis ratione calidus ſit, & tunc quoque ſolum circa meridiem ſe exponendo. *Cibus*, dum cura hæc adminiſtratur, ſit parcus admodum, & ſolum modo ea quantitate quæ viribus, ne penitus collabantur, ſufficiat, quoque euchimus & ſimplex nec varius ſit, vt [illegible]; per hanc inediam aliqua etiam fiat humorum excrementorumque abſumptio, minorque tum ob eam, tum ob cibum exquiſitum illum proventus illorum; vnde cura quæ per ſudores corpus exhaurit melius procedit, minuſque natura in illis promovendis, quam ſi ciborum copia gravaretur & ad concoctionem illorum diutiùs revocaretur impeditur, Ob quam cauſam ſedulo ejuſmodi cibendi ratio, ſtricteque in cura hac obſervatur, vt in die ſolum bis, vel ſemel ſi ferre ſint, comedant & quidem citra ſatietatem, & ne vel minimum graventur; Sit autem *cibus ſimplex* duorum ſaltem generum ferculis in vna menſa contenti ſint; iſque euchymus, minime excrementitius, tantum carne & pane fructibuſque quibuſdam fruantur.

Caro gallinarum plerùque in vſu eſt, præcipue *pullorum*, quæ elixa cum ſuo jure datur, vel etiam adultiorum, cum juſculum inde ſapidius & efficacius fiat, inprimiſque jus galli decrepiti, ſani tamen, quod vt ſingulare in hac lue laudatur, quartam partem illarum pro vice tantum dando: Cujus loco & vitulina, hoedina, vervecina, tenera caro ſumi ad vnc. iij. ad ſummum: Vel per vices etiam columbarum, *perdicum*, avium pullorum, ea quantitate ſolum caro aſſa etiam cum alia permutari poterit: *Ova* ſorbilia, vel vitellum illius ſolum, ſi tantum de carne detrahatur, illis quinetiam permittuntur; *Panem* ex conſuetudine ipſis comedere licet, cujus unc. iv. cum tenuiſſimus victus eſſe debeat, ſufficiunt; partim cum carne, partim cum juſculis eum ſumendo; qui ex farina pura zeæ vel tritici piſtus, parum fermentatur, & probe coctus eſſe debet. *Fructus* non excrementitii, & proin ſiccati pro ſecunda menſa, ſed pauci vſurpari poſſunt, & qui non admodum impleant aut gravent, vt ſunt paſſulæ, pruna, ficus; Si multum nutriant, vt *amygdalæ* tantum illis quantum de pane demittur, concedi poteſt.

Quoad *Condimenta*, ſalſa omnia vitanda, & ſi fieri poteſt, nec caſo, nec panis ſalita, vel parciſſime eſſe debent; non tam quod ſudores ſal impediat, ſed quia ſalſi cibi ſitibundos eos, ex ſudore alioquin tales amplius reddant, & ad potum immodicum, impellant, magiſque calidos & inquietos reddant; quamobrem & aromatum vſus vel omittendus vel contemperandus. Acidi fructus, niſi ad calorem mitigandum dentur, improbantur. *Potus*, cum cito digeratur, non adeo ſubtrahendus; Imo & liberalius, ſi præſertim admodum ſitiant, concedendus; cum ille citra gravamen admodum reficiat, & ſudoribus vehiculum præbeat; quare & intra cibandi tempus, & extra hoc, ſi ſitis vrgeat, bibere, niſi aliud quid obſtet, licebit. Verum, non *uinum*, cum ſi conſuetum illud affatimque biberent, corpus accendendo, caputque & nervos feriendo noceret, & proin nonniſi refectionis cauſa in imbecillitatibus, hauſtus illius aliquando puri vel diluti conceditur. Detur illis *aqua cocta*, eo modo parata ne cruditate ſua noceat, & ſudoribus ſimul felicius movendis adjumentum afferat. Quod ſic præparata felicius præſtabit, ſi *guaiaci* jam ſemel decocti remanens ſcobs, cum aquæ novæ ℔xii. vel viii. ad medietatis vſque, vel vltra conſumptionē decoquatur, quam & liberaliter tum in menſa quam extra eam ſiti vrgente poſſunt bibere, illique aſſueſcere, cum & Decoctum hoc non adeo ipſis diſplicere poſſit; quin ſi aliquandiu eo vtantur, tandem ſapor illius cereviſiæ alicujus inſtar placeat; quod tamen ad gratiam cinnamomo aromatizari poterit; vel *ſaccharo* aut paſſulis incoctis dulce nonnihil reddi. In debilitate vinum poteſt addi.

Somnus virium cauſâ, non tantùm noctu, ſed manè atque ante cœnam cùm ſudant illis convenit, cùm non ſolùm ſudores promoveat, ſed & in hac quiete eum facilius perferunt. *Exercitia* ambulando in conclavi obeat, *Frictionibus* vtatur præſertim poſt ſudores cùm ab illis abſtergitur. Pectinet caput, pannis fricet.

Ut *alvus* reſpondeat, quæ hoc jejunio & illis evacuationibus facile conſtipatur, procurandum. Caveat à Venere, Animum luſu, muſica, colloquiis recreet. *Platerus.*

72. *Notandum verò*) contra interdum accidit errare Chirurgos in Luis curatione, quando poſt ordinaria remedia convenienter vſurpata, ægros perfecte curatos non eſſe exiſtimant, quod adhuc quædam ſymptomata

Luem

Luem comitentia, apparere non deſinant, vnde ægros interdum in nova tormenta conjiciunt, & in atrophiam aut tabem præcipitent, cum tamen illa ſymptomata ſponte diſpareant, aut levibus quibuſdam topicis remediis diſcutiantur.

Dum eſſem Lutetiæ apud Dom. *Helotum*, Chirurgum peritiſſimum, Nobilis quidam Pariſienſis, temperamento melancholicus ſe illi curandum tradidit, qui præter dolores nocturnos, aliaque ſymptomata, tumorem patiebatur in cervice ex pituita & melancholia genitum: Poſt inunctionem ex vnguento mercuriali copioſus fuit ptyaliſmus, & omnia ſymptomata abolita prorſus vno excepto tumore, cujus duæ tertiæ partes diſcuſſæ fuerunt; Exiſtimabat æger ſe non eſſe curatum propter tumorem ſuperſtitem; Ab alio tamen Chirurgo ſeniori, ad hanc rem vocato confirmatus fuit, & admoto *Empl. de Vigo quadruplicato mercurio*, tumor diſcuſſus eſt ſpatio vnius menſis. Alter Vir. Nob. curæ meæ commiſſus abſoluto ptyaliſmo ſe non curatum eſſe putabat, quod vlcus in cervice & regione œſophagi remaneret, hoc tamen vlcus remediis vulgaribus intra menſem curatum eſt ſine vllo remedio Luem reſpiciente. *Dionyſius Pomaret, obſ. 16.*

Symptomata præcipua in lue venerea occurrentia, ſunt:

I. [73] *Caries*, quæ in triplici eſt Differentiâ. 1. Aut *fit per contactum*, infecto altervtrius ſexus pudendo: & *tum* puſtulæ, primum parvæ & candidæ, quæ craſſitiem minimi grani panici non excedunt, erumpunt: his ruptis vlcuſculum rotundum, candidum in medio habens punctum, remanet; interdum illis inter ſe copulatis, tota glans quaſi coronâ cingitur, ſine dolore, cum levi pruritu. [74] *Curatur*. vnguento diapompholigos. vel aqua ſolani. in qua aliquid aluminis rocchæ diſſolutum, linteis impoſita. Aut *per tranſmiſſionem excrementi tenuis ab epate ad pudendum: tum* vlcus eſt rotundum, puncto albo carens, lividum, labra pauliſper elata purpurea habens. In *Curatione* repellentia ſunt fugienda, ne excitetur Bubo. Ablui poteſt decocto Guajaci ſolo cum aqua plantaginis, &c. Aut *per Excrementorum pudendo adhærentium per coitum excalefactionem, putredinem & infectionem*; & *tum* vlcus eſt malignum, non rotundum, variæ figuræ & coloris, calloſa habens labra, ſerpens, &c. De ejus curatione conſule Fallopium, cap. 85. Aut *eſt in ſinu muliebri*, cujus cura poſt ablutionem repoſcit Peſſarium Fallopii. [75] Detergentia ſi ſuppurari vlcera incipiunt. Cauſtica, ſi putredo eſt robuſta. Ferrum ignitum, habitâ partis ſanæ ratione Pudendi quotidianam decocto Guajaci cum ſcabioſa & tormentilla ablutionem. Aut *in Canali virgæ*, quæ ex ſanie manante, & maximo tempore mictionis dolore *cognoſcitur*, & eo modo quo ſequens curatur. Aut *in Glande*, cui & præcedentia & ſequentia applicari debent. III. Aut eſt *cum tumore præputii*, vt glans detegi non poſſit; vel ſi detegatur, maximo id fiat cum dolore; de quo vide Fallopium cap. 83. Aut *cum callo præputii*, de quo idem c. 84. Aut cum cicatrice calloſa. [76] Aut *cum verrucis ſeu excreſcentiis*, de qua capite 87. & 88.

II. [77] *Bubones* qui ab aliis non gallicis [78] *Diſtinguuntur*, quod vel caries, vel gonorrhœa contagioſa adſit, & congreſſus, nulla alia certâ cauſâ exiſtente, præceſſerit. *Duum* autem iſti tumores ſunt *generum*. Aliquando *colligitur materia circa glandes in membrana veſtiente glandulas*; vel implente cavitatem inguinum. Aliquando *ſubſtantia propria glandulæ intumeſcit*, qui tumor interdum in tantam magnitudinem aſcendit, vt panis vnius ſolidi magnitudinem excedat. [79] In *Curatione* vitanda venæſectio & purgatio, niſi bubo vel decreſcat, vel conſiſtat. Emollit eum & maturat *Emplaſtrum Diachylon*; aperto, *Opodeldoch* bene imponitur. Oleum *Tartari nigrum* eſt præſtantiſſimum diſcutiens. [80] *Vel* ſunt duri, qui non facilè ſuppurantur, & modò erumpunt modò evaneſcunt, curatúque ſunt difficiles, tum quia materia contumax, tum quia natura imbecilis. *Vel* facilè ſuppurantur, & materiæ benignioris ſunt indices: poſſuntque, aperti ſi ſerventur, ſanitatem adferre.

III. [81] *Defluvium capillorum*, quod ſi malo humore radices capillorum erodente oritur. [82] In *Curatione* vitanda ſunt Adſtringentia. Gargariſmi & ſudores hic multùm proſunt; [83] quibus ablutio capitis, lixivio Fallopii, ſuccedere poteſt.

IV. [83] *Dolores capitis*, qui pertinaciſſimi & [84] in quorum Curatione intra habet locum oleum *Mercurii Diaphoreticum Hartmanni:* [85] Extra Emplaſtrum *Magiſtrale Vigonii de Ranis, & Plateri.* obſerv. l. 3.

V. [86] *Dolores articulorum*, & præcipuè inferiorum internodiorum, qui noctu exacerbantur, quod tum pori ſtipentur, & [87] fomentis tolluntur.

VI. [88] *Puſtulæ*, [89] *Exanthemata, Scabies*, [90] *Fiſſura*, in volis manuum & plantis pedum: quorum [91] Curationem vide apud Hartmannum.

[73]. *Caries*) Ulcuſcula in pene à cauſâ venereâ ortâ, *cariés pudendi* dicuntur.

Generantur autem hæc à fœdo corruptove humore pure vel ſemine in congreſſu hanc partem inficiente, & apparent aliquando in vnâ aut alterâ à coitu die, aliàs nonniſi poſt decem aut duodecim dies conſpiciuntur & aliis periculoſiora ſunt & luis Venereæ terrorem incutiunt, quia virus diutiùs latens & quaſi cuniculos agens, in partes internas ſeſe altiùs recondit.

Naſcuntur vlcuſcula, vel in glande vel in præputio & hæc illis pejora ſunt, ob venarum & arteriarum concurſum, hanc partem perreptantium; Utraque ſordida ſunt & eſcharæ obductæ. *Barbeyrac.*

[74] *Curatur*) Ut cariei tuta ſuſcipiatur curatio, virus parti inſidens debet educi, quod latet in corpore extingui, & evacuari & tandem vlcuſcula poſt aliquam ſuppurationem debent exſiccari.

Ante omnia debet vlcuſculis imponi præcipitatum rubrum Baſilic. Unguento permiſtum & linteis conceptis exceptum: eo enim modo virus partis extin-

guitur, & benignâ ſuppuratione aboletur.

Damnanda eſt eorum praxis, qui penis vlcuſcula aquâ forti, vel ſpiritu vitrioli vel aquâ fabrorum tangunt, ſic enim duriorem eſcharam ipſis inurunt & intus virus coercent, quod poſtea longè latéq; ſpargitur.

Non ſolùm autem vlcuſculis remedia ſunt adhibenda, ſed cæteris partibus conſulendum, vt à venereâ noxâ integræ ſerventur. *Catharticum* quale in gonorrhaëa præſcriptum eſt, maximè conveniet, vna cum decocto *antimonii* per plures dies exhibito, vel ejus loco opiata Neapolitana. *Renodei.*

75. *Detergentia*) Poſtquam vlcuſculorum ſuppuratio rectè facta fuerit, tale vnguentum ad eorum detertionem & exſiccationem debet vſurpari.

℞. *Mercurii crudi* & cum paucâ *terebinthinâ* extincti, *mundificativi de apio* āā. ℥iß. agitentur ſimul in mortario metallico ms. f. *Unguentum.*

Si poſt vlcerum conſolidationem remaneat durities in parte, latentis luis indicium eſt, ideoque per hydrargyroſin ſuſcipienda curatio, quemadmodum ſi poſt menſes aliquot vel annos vlcuſcula redeant. *Barbeyrac.*

76. *Aut cum verrucis) Verrucas* & *porri* poſt venereum congreſſum in pene & glande naſcuntur à ſanguine craſſo & virulento in iis locis defæcato vel à vaſis eò amandato.

Ut curetur debet ipſis ſequens pulvis aſpergi.

℞. *Mercurii præcipitati rubri* ʒß. *Aluminis vſti* & *ſabinæ pulveris* āā. gr. xv. f. *pulvis* qui inſpergatur verrucis.

Delicatioribus talis pulvis debet immiſceri digeſtivo, vel pomatæ vt mitiùs agat.

Interim purgationes, decocta diaphoretica, opiata Neapolitana, & alia non debent omitti

Quod ſi frequentiùs compareant, Luis Venereæ ſunt characteres, ideoque ad ejus curationem properandum. *Barbeyrac.*

77. *Bubones*) Bubones in inguinibus, Venerei ideo nominantur quoniam poſt veneris vſum, vel abuſum potius, oriuntur, plerumque, atq; infectionis malignæ ſignum præbent. Hi aliquando iterum evaneſcunt, aliquando permanent, atque aut indurantur aut ſuppurantur, oboriantur hi in Glandulis conglobatis: Cum autem ſint inflammationes in prædictis Glandulis obortæ aliquando dicuntur *maligni*, aliquando non maligni: Maligni aut *Peſtilentes* (de quibus ſuo loco) aut *venerei*. In genere autem maligni vocantur, quia ſymptomata habent conjuncta longe graviora quam expectari poterant à ſolo ſanguine notabili acrimonia deſtituto; Sciendum enim *Malignitatem omnem ab excedente acrimonia pendere*, atque *pro acrimoniæ duplicitate duplicem occurrere Salivam lixivam & Acidam*, cum *hæc duo ſint in rerum natura quæ ſubitam homini ad interitum viam ſternant, ideòque malignitatis dicta cauſa vera exiſtant.* Sicut igitur *Acrimonia ſalina ſolvit ſanguinem*, ipſumq; ineptum reddit ad laudabilem ſui rarefactionem, vnde ſuffocatur ignis noſter vitalis tum in corde tum per cōſequens in vniverſo corpore, atque ſic ſubito irrepit mors in affectibus peſtilentibus, ita *Acrimonia Acida* eundem *ſanguinem* coagulat & ſic quoque ad requiſitam ſui rarefactionem ipſum ineptum reddit, vnde itidem extinguitur ignis noſter vitalis tum in corde tum in vniverſo corpore, atque ſic quoque obrepit nonnunquam ſubita mors in ſyncopea ſuffocatione hypochondriaca, terrore ac mœrore ſummo: quod virus acidum ſe quoque manifeſtat in Lue venerea, cancro, ſcrophulis & ſimilibus affectibus pluribus. Maligni vocantur hi affectus, quia ſubitam & ſummam introducunt in corpus vniverſum partemve privatam mutationem; Quemadmodum vero vt ad noſtrum negotium revertamur, *Bubones oriuntur à ſanguine in glandulis conglobatis* ſtagnante & ad inflammationem tendente, ita provt illi conjuncta eſt *Acrimonia* vel *Salina* vel *Acida*, peculiarem ſui malignitatem oſtentant; A pituita quidem ſanguini conjuncta *Bubones* oriuntur magis *œdematoſi*. à Bile vulgati magis *eryſipelatodes*; ab humore verò auſtero magis duri ac *ſcirrhodes*; ab acrimonia vero rodente *maligni*, quæ tamen acrimonia non raro temperatur tam ab ipſo ſanguine tum à pituita ipſi admiſta, vnde malignitas & acrimonia rarius ex ſolis bubonibus deduci poteſt, ſed ex aliis fere comitantibus ipſos ſymptomatibus & in *Peſte* quidem ex *anthracibus* & *maculis nigricantibus*: *In Lue Venerea* vero ex *gonorrhœa, Partium genitalium vlceribus cancroſis* & ſimilibus.

Soli proinde Bubones cum nunquam ſint *Luis Venereæ* ſigna diagnoſtica, ex illis quoque ſolis ejuſdem eſſentia peti non poteſt, verum ex aliis comitibus ſymptomatis: Niſi quis velit Bubones Venereos (*Riolanus in Enchir.*) non extendi ſecundum cruris longitudinem ſed potius in obliquum, atque imitari vaſorum ſpermaticorum ſitum; qua in re tamen putem ipſos ex præjudicio magis quàm ex accurata obſervatione id aſſerere, dum cenſent Glandulas diverſas in peſte affici atque in lue Venerea: niſi forſan eveniat vt complures ſint circa inguina Glandulæ, in lue Venerea illæ præ aliis afficiantur quæ vaſis ſpermaticis ſunt viciniores, tum præparantibus tum deferentibus poſtquam per illa virus aſſurgit, & partim vniverſæ ſanguinis maſſæ, partim partibus vicinis, & ipſis adeo glandulis ſe inſinuat & ipſas inficit: Quales autem Glandulæ in lue Venerea afficiantur, nullum tamen à Bubonibus in ipſis excitatis certum iſtius Luis argumentum petetur, niſi de congreſſu impuro ſuſpicio vel confeſſio adſit, vel alia luis ſymptomata certiora concurrant, Gonorrhœa inprimis virulenta, vel vlcera cancroſa in partibus genitalibus. Sicut igitur ex ſolis Bubonibus de Lue nihil certi poteſt ſtatui, ita nec aliquid certi de cauſa ejuſdem adæquata pronuntiari. Ratio hujus eſt, quia Bubones, etiam Venerei, ſemper producuntur à ſanguine, qui temperat veneni Venerei acrimoniam ita, vt illa tunc ſe minus manifeſtet, minuſq; partes ſic affectas rodat & corrumpat & minusquoque innoteſcat. *Fr. Sylvius.*

77. *Bubones*) Bubo tumor eſt in inguinum glandulis ex humore virulento corrumpente genitus: contracta enim labes maligna ad venæ cavæ & arteriæ magnæ deſcendentis ramos penetrans, ſanguinis maſſam conſpurcat, quæ poſtmodum in vicina inguina ſuam illuviem deponit, ibique oblongos, duros & renitentes tumores producit. *Barbeyrac.*

78. *Diſtinguuntur*) Bubones Venerei diſtinguuntur *à bubonibus peſtilentialibus*, quod eos comitentur alia peſtis ſymptomata. A *ſimplicibus*, & *vulgaribus*, quòd hos non præceſſerit concubitus Venereus, qui malignitatis ſuſpicionem incuriat, & quòd illos ſæpè comitentur gonorrhoëa vel caries pudendi. *Barbeyrac.*

79. *In curatione)* In horum Bubonum Venereorum curatione notant Practici dandam eſſe operam vt quantum fieri poteſt maturetur eorum ſuppuratio & apertio. Suppurationem promovent Emplaſtra cum aromaticis gummatibus parata, *Diachylum magnum* & ſimilia: Quòd ſi & tunc ſegnius procedat ſuppuratio, ſuadent cauterio potentiali feſtinare apertionem, quo eo alliciatur venenum; quod ego fieri puto ne ad interiora pergat venenum in illo tumore exiſtens. Laudo proinde id quod experientia quotidiana docet eſſe optimum. *Fr. Sylvius.*

79. *In curatione*) Ut rectè curetur bubo Venereus, ejus ſuppuratio acceleranda eſt, attrahentibus & emollientibus validioribus, & noxa partibus internis inuſta, ſpecificis auferenda. Inprimis autem parti affectæ admoveatur *Empl.* ex *Galbano* in vino diſſoluto, & ſi hoc ab ægrotante ob ingratum odorem rejiciatur, *Cataplaſma* ſequens ejus loco poterit vſurpari.

℞. *Rad.*

℞. *Rad.alth.& lil.alb.* āā.℥vj. *fol.malv.alth.pariet. viola.* āā.m.ß. coq.contund.& per ſetac. trajice, pulpæ trajectæ adde *capas* ſub cineribus coctas & contuſas n.ij & cūm *ol.lil.* q. ſ. f. Catapl. parti admovendum & bis *in die* renovandum.

Ex decocto Cataplaſmatis fiat *fotus*, quo foveatur *bubo* bis in die manè & veſperi.

V.S. è pede ejuſdem lateris, dum hæc fiunt poterit celebrari, vt ſanguis ad partem affectam, ad ſuppurationis commodum deducatur.

Cucurbitula ſicca tumori imponatur, ſi prædictis remediis non ſatis attractus fuerit bubo & ſingulis vel alternis diebus repetatur.

Confecto pure, debet aperiri bubo cauterio potentiali vel actuali,& immiſsâ poſtea turunda digeſtivo illitâ, debet id ſervari apertum, donec concocta fuerit & expurgata tota materia, cujus maturationem interea ſuperimpoſito *Empl.diachyl. mag cū gummi* adjuvabis.

Bubone aperto & pure erumpente, debet corpus evacuari,vel *bolo* vel *pilulis*,vel *potione* ad gonorrhoēam præſcriptis.

Celebrata purgatione, vt virus reliquias poſſint exhauriri, propinetur *decoctum* tum primarium, tum ſecundarium *Antimonii*, idque vſurpetur cum *pilulis Mercurialibus* præſcript. §.

His præſtitis,ſi remaneat in inguine durities,poſt bubonis conſolidationem,latentis luis ſignum eſt ideoq;ad *Hydrargyroſin* deveniendum eſt. *Barbeyrac.*

80. *Vel duri ſunt*) Aliquando accidit, vt bubones ſint ineluctabilis duritiei & omnium emollientium vim fugiant & ſchirroſi fiunt, & tunc opus eſt Hydrargyroſi.

Nonnulli bubones duros & immaturos aperiunt, & putrefacientia in eorum ſinum immitunt, ſed id ferè cum irrito ſucceſſu. *Barbeyrac.*

81. *Defluvium capillorum*) Inter Luis ſumptomata locum damus *Pilorum cum capitis*, ac præſertim circa tempora,tum *Superciliorum*, tum *Barbæ* caſui ac effluvio; quod malum cum & alias obſervetur, per ſe nil certi arguit,niſi alia concurrant ſymptomata,vel conſtet de converſatione cum perſona infecta,& deſint alium affectum ſuſpicandi rationes. Hoc Pilorum effluvium nunquam evenit ſponte,niſi ad ipſorum radices accedat aliquid acre quod ipſas rodat & nutritionem ipſorum impediat. Acre autem illud non erit ſalſum lixivum, alias cutis ipſius conjungeretur mortificatio gangrænoſa, quæ tamen nulla in omnibus Luis ſymptomatibus apparet, vnde meritò ad illud acre non recurrimus, verum ad Acidum quod abunde ſufficit huic malo producendo. *Fr.Sylvius.*

Aliquando fit Alopecia ſine dolore articulorum aut capitis,Sed ſi aliquando accidat cū dolore Luis ſignum eſt certiſſimum. Fit etiam ſine magnis vlceribus, quia humor ſeroſus eſt ſub cute arrodens pilos.Cognitio Alopeciæ eſt, cum non ſolum pilorum deperditio fit in ſuperciliis, vt in lepra, ſed in mento, ac etiam in capite fiunt areæ, quæ ſi in occipite vel in lateribus fiunt, hoc demonſtrat eas eſſe à ſola Lue, nam hæ partes calvitio & caſui capillorum ab aliis cauſis reſiſtunt, ob caruis humiditatem. *Rondeletius.*

82. *In curatione vitanda*) Capilli abradendi quando effluere incipiunt, quæ ſponte ſolent abſoluta rite cura vniverſali renaſci. *Sylvius.* Retinemus Alopeciam abluendo partes affectas lacte,quæ potius curatur vnguento quam Diæta, Quare hunc in modum cura erit aggredienda,Purgetur frequenter & fortiter primum ſcil.minorativo,deinde apozemate ex herbis quæ purgāt aquas & ſeroſa recrementa, ſive ichores,vt *ſyr.roſar.laxat.cum decocto. mercurialis, ciclæ,braſica mar.ſenna ori.Deinde conf.Hamech.Eiect.de ſucco.* Internis partibus purgatis, quicquid in habitu corporis per ſudores evacuate poterimus ſequenti vnguento.

℞. *Pingued.urſi* ℥iv. *ol.de abrotan.* ℥iij. *vng.mart.* ℥ij. *arg.vivi* ℥iv. *myrrhæ,thuris,olibani* āā.℥ß. *cineris abrotani & pellis talpar.* āā. ℥iij. *reſinæ & terebint. lota in aqua decoctionis abrotani* ℥ij. *ceræ parum f. vngu.* quo vngantur primum partes inferiores cum brachiis & ſpina deinde ſuperiores, ac etiam eæ in quibus nulli ſunt pili, addendo in fine vnctionis in reſiduo vngu. quod ſequitur.

℞. *Ladani depurati* unc.j. *ciner. pellis vrſi & pilorum human* āā.unc.ij. *mellis* unc.j. *fricetur pars affecta mane & ſero, ac vngatur, deinde cooperiatur.*

Poſt vngu.fiat Lixivium quo abluantur partes depiles

℞. *Cin.abrot.* unc.iv. *cin.abſinth.* unc.ij. *ciner. talpæ & pellis vrſi* āā.unc.j. *aquæ* ℔.ij. *f. Lixivium in quo decoquantur herbæ ſequentes.*

℞. *Herb.capillar.abrotan.beton.ſalviæ,pulegii*,āā.m.j. *& cum decoctione abluantur partes.* Et ſi *talpa* reperiatur erit decoquenda & pars leviter cōfricanda. *Rondeletius.*

82. *In Curatione*) Vitium id per curam generalem plerunque cum Lue curatur, nec vt illius cauſa aliquid privatim fiat neceſſe eſt: Quod ſi vero & hoc vitium relinquatur,cura vel repetenda, vel ſi luem alias ceſſaſſe conjiciamus, hoc ſolo relicto Topica varia in Alopecia deſcripta hic quoque locum habent. Inter quæ & quæ humorum acrimoniam pilorum radices arrodentem contemperant, peculiariter hic antequam defluant adhibita, illorum defluxum prohibere, atque vbi jam deciderunt, vt cauſa illius auferatur competere, illic oſtenditur. *Platerus.*

Quibus ablutio capitis) *Innunctiones* aliæ quæ, *argentum vivum* recipiunt, vti in aliis hujus luis caſibus,poſt curam generalem relictis peculiariter adhibitæ conveniunt, hic fortè quoque aliquid præſtarent, ſed quia capiti & faciei, vbi pilorum hic lapſus ſe offert præcipue hęc inungere commode non licet, aliis potius quæ ſine eo parantur vtemur. Præſtans eſt inter cætera quod ex *cantharidibus parvis, rubris*, maculis nigris vti & ventre quæ juxta truncos carioſos arborum magna copia verſantur, ſiccatæ, pulveriſatæ, cum *oleo ſpicæ* permiſtæ admodum efficaces habentur. *Platerus.*

83. *Dolores capitis*) Aliquando fit Dolor capitis à Lue, & hoc evenit quando materia pituitoſa, vel ſeroſa, & putreſcens eſt, & tunc dolorem in parte anteriore capitis, & circa tempora & aures, & maxime cum quadam gravitate facit. Aliquando is dolor in externis partibus eſt, aliquando in internis; at quando in externis eſt, & ſentitur extra calvariam, nec oculorum, nec aurium dolor eos vexat, Et aliquando in hoc dolore *Alopecia* apparet, & hoc in aliqua parte capitis, & ſæpiſſime in lateribus, tuncque eſt certiſſimum Luis argumentum; At internus externo, & nocte magis afficit quam interdiu, ac magis in mutatione, Auſtrina ad Borealem, & à Boreali ad Auſtrinam quam alio tempore, Et in palpebris dolor ſentitur gravis, ita vt pili tendere ſurſum videantur erigi.

Verum aliquando *recens* eſt aliquando *antiquus*, Si recens eſt, ſine tumore fit, qui etſi aperiatur nulla ſanies aut materia apparet;& hoc eſt quia incipit dipericranium à cranio.

Alia quoque ſigna Luis præceſſiſſe oportet, vt ſi diuturnus fuerit & tumorem faciat, verendum de abceſſu oſſis & carie. In aliquibus primum incipiunt apparere tumores, ob vſum vnguentorum multorum, quæ quidem potuerunt humorem tenuare, & in vaporem mutare, ſed non reſolvere; aut etiam quia æger ante perfectam curationem ſe aëri frigido committit, vnde relicta fuit materia ſub cute quæ pericranium diſtendendo dolorem facit. Aliquando etiam cum Dolore capitis ſentitur dolor in *acromio*, *ſterno*, *cervice* & *juncturis* extremitatum, nulla tamen appa-

rente exulceratione vel ſcabie, & ob hanc cauſam multi putant hunc dolorem nec è lue procedere nec oriri; & levis calefactio dolorem movet ac exagitat, magnus vero calor mitigat, ſicut videre eſt de cibo aſſumpto qui evidenter eum ſedat ac mitigat, etiamſi per conſenſum non fiat dolor. Hic aliquando primarius affectus eſt, i. e. accidit in recenti morbo, aliquando ex recidiva. *Rondeletius p.867.*

84. *Curatione intra*) Ad ejus curationem injiciendus eſt primum clyſter præſcriptus in dolore capitis à pituita, deinde exhibendæ *Pilulæ ſtomachicæ*, vel de *Hiera cum agarico & ſale gemmæ*, Poſtea coquatur materia cum *ſyrupo de ſtœchade & melle roſaceo vel anthoſato, vel ſcyllit.* diſſoluto in aqua *betonicæ, meliſſæ*, vel in *Decocto herb. capillar.* vel *guaiaci*, & capiat in quatuor matutinis; Quibus finitis potenter purgetur pituitam vacuantibus pilulis vt *cochiis* & de *ſarcocolla*, de *agarico* ac aliis ſimilibus, vel *Elect. diacarth.* vel *de citro ſol.* vel *Indo maj.* vel *diaphœn.* Facta evacuatione præſcribatur *maſticatorium* ex *pyrethro*, quo vtatur per ſpatium quatuor aut quinque dierum mane & ſero. Poſt vſum vero maſticatorii exhibeatur *Theriaca antiqua*. ſuperbibendum parum *aquæ vitæ*, vel parum, *Decoctionis Guaiaci* vel detur *Aqua theriacalis* provocans ſudores.

℞. *Theriac. antiq.* ℔ß. *rad. helenii chinæ* ãã. vnc. iv. *cyclamin.* ℥vi. *ligni guaiac. & cortic. ejuſdem maceratorum per diem in vino albo* ℔ij. *Ponantur omnia in vaſe vitreo, & diſtillentur vt aqua vitæ, dozis ab* vnc. ij. *ad* vnc. iv. At ſi ſit corpore multum pituitoſo ac obeſo, neque facile ſuddet, vtatur Decocto ſequenti.

℞. *Rad. helenii* ℥iii. *polypod. qu.* ℥iv. *ebuli* ℥ij. *raſur. ligni Ind.* ℔j. *foll. ſennæ* ℔ß. *macerentur maceranda & decoquantur in aqua* ℔j. *ad conſumptionem tertiæ partis*, (aquæ major quantitas requiritur) *In fine injice ſennam & ſemin. colocynth.* ʒiij. *mellis* ℔j. *fiat ſyr. aromat. cum cinnam. vel zinzib.* ℥ß. *capiat mane & ſero* vnc. iij. Et non provocet ſudorem. Pro debilibus, fit ſine *colocynthide*, vtatur per octo dies donec dolor ſedatus fuerit vel mitigatus. *Rondeletius p 867.*

84. *In quorum curatione*) Ungu. ad *dolores capitis. Junctuarum*, &c. Vide §. *Vel extra per Inunctionem.*)

85. *Extra Emplaſtrum, &c.*) Super caput apponantur præſidia Topica deſcript. cap. *de Dolore cap. à pituita.* Si autem ſit pauper, nec tantam impenſam ferre poſſit, aut ob negotia non poſſit retineri domi, vtatur ſequenti vnguento,

℞. *Ungu. Martiati & Aregon.* ãã. ℥iv. *euphorb.* ℥j. *argenti vivi* vnc. iv. (*extinguatur in* ℔ß. *axungiæ porci*) *olei chamæmel. & rutac.* ãã vnc. iv. *terebinth. lotæ in aqua vitæ* vnc. ij. *ceræ parum f. Ungu.* vngantur primum partes dorſi, deinde cervicis, poſtremo juncturæ extremitatum. Quod ſi hiſce remediis dolor ſedatus non fuerit, vt funditus auferatur fiat ſequens Emplaſt.

℞. *Empl. Divin* vnc. iv. *Ungu. de vigo* unc. iij. *euphorb.* vnc ß. *argenti vivi* vnc. ij. *malaxentur cum oleo rutaceo, & fiat Empl. Apponatur ſupra caput pilis prius deraſis.*

Quod ſi multa alia remedia præceſſerint, oportet primum talia Emplaſtra partibus remotis admovere, deinde capiti. Multi in curatione hujus morbi vniverſali medicamenta frigida adhibent magno errore quia hæc frigida humores refrigerant & incraſſant. *Rondeletius.*

86. *Dolores articulorum*) Circa regionem oſſibus proximam hic dolor verſans, in media fere ipſorum latitudinis vel longitudinis potiſſimum ſede excarni urget; vt in tibiarum maxime interiore nudæ ſedis longitudine, & juxta *ſcapulas*, *homoplatam* & *cubitum*, In *ſterni* item *anteriore oſſea* ſede quæ in hoc ſolo affectu, cum aliter vix ab internis cauſis dolere poſſit, dolet, Et proin hæc lues etiam ſolo hoc ſigno quandoque cognoſcitur. Implacabilis autem & atrox hic dolor eſt, cutem ſubjectis oſſibus veluti divellens & dilanians, contactumque ægre ferens: Qui ſub noctem augetur, & calore non, vt alii dolores, miteſcit, ſed exacerbatur; qua de cauſa forte noctu in lecto recumbentes, quia tunc magis calent, gravius habent: Senſimque hic dolor, non ſubito, vti arthritidis genera, hominem invadit. *Platerus.*

86. *Dolores articulorum*) Dolores quoniam per lancinationes ægros afficiunt, merito ab *Acido* deducuntur, poſtquam omnibus conſtare poteſt ab Acidis perperam aſſumptis *Lancinantes dolores* excitari, quales proinde ab *Acidis* forinſecus aſſumptis producuntur Dolores tales ab *Acido* in corpore exiſtente ac peccante ibidem produci neceſſum. Si dolores igitur Venereæ luis peculiares à nulla cauſa commode poſſint deduci præterquam ab Acido quidni & ipſam Luem ab Acido deducemus. *Fr. Sylvius.*

87. *Et Fomentis tolluntur*) Sunt qui ad *Dolores* vnguenta parant ex Decoctione herbarum calidarum ſic

℞. *Beton. marrub. conyzæ, abſinth. calaminth. flor ſtœchad. anthos, chamom. ſampſuch.* ãã. m. j. *decoqu. in vino albo antiquo; & oleo, Colaturæ & expreſſioni, ad inſpiſſationem Linimenti adde terebinth. & ceræ pro* ℔j. *quart. j. axungiæ porci inſulſæ* ℔j. *argenti vivi in axungia præcedente extincti* vnc. v. *miſce.* Addere poſſumus *euphorb. & ſtaphiſagr.* ãã vnc. *hermodact. ariſtolo* ãã unc. ß. *f. vnguentum.* Rondeletius.

Excellens magno ſucceſſu à me vſurpatum ſic fit.

℞. *Arg. viv.* vnc. iij. *agitentur cum terebinth. lota in aqu. vitæ* vnc. j. *adde axung. porci, med. crur. vituli* ãã. unc. jß. *olei ſpicæ vel tereb.* ʒij. *euphorb. thur.* ãã. vnc. ß. *ſtirac. liqu.* ʒvi. *pulv. hermodatyl.* ʒii. *caſtor.* ʒj. Ceræ q. ſ. f. Ceratum.

Oleum Guaiaci inunctum dolores hiſce admodum tellore docent.

Lavatoria ex *argento vivo ſublim.* dolentibus partibus in Tibiis præcipue admota, dolores maxime compeſcunt, Atque in hac luis ſpecie, cum *doloribus* & *nodis* interdum ſe offerente, cum ad curam generalem tum particularem, ſi generalis non ſufficiat, locum potiſſimum obtinent.

Alias quoque ſine *arg. vivo Fomentis* paratis & vnctionibus hoſce dolores mitigare poſſe docent; eaque proinde adhibent, tum quæ moderato calore anodyna eſſe dicuntur, tum quæ admodum calefaciendo, nervoſo & membranoſo generi ſunt appropriata. Verum cum calore & actuali & potentiali *dolores iſti à lue hac* contracti, ſecus atque alii potius irritentur atque increſcant, non ſolum nullo levamine, ſed potius cum moleſtia majore, quæ ſequitur, hæc adhibentur, niſi hujus luis antidotum ſummum, argentum nempe vivum illis additum, illorum vires augeat.

Præter hæc, corpora frequenter pilulis, potionibus, aliiſque purgantium formis, in capitis atque articulorum aliis doloribus vſitatis, de novo purgare plurimum conveniet, quibus ſolis interdum vſurpatis remanentiæ hæ dolorum extirpantur. Alias cæteris localibus juncta, ambo vt citius deſinant, mutuis viribus agunt. Quibus cum vtimur, quæ & capiti & membris robur addunt, interpolatis vicibus quoque exhibentur; Et ſi *caput doleat*, particulares evacuationes per caputpurgia aliaque ſimul inſtituuntur. Sed & *ſudorum provocatio* per decocta, dolores hos poſt curam relictos interdum tollunt; maxime ſi purgationes atque alia quoque externa adhibeantur: Ad quos potentius evocandos, & reliquias has abigendas, aquæ ſtillatitiæ hic quoque

quoque propinatæ egregie opitulantur, qualis eſt quæ ex *Decocto guajaci* elicitur, vel compoſita illa theriacalis deſcripta in cura quæ per potiones fit.

Narcotica neceſſitate urgente. ad dolores compeſcendos magno interdum ſucceſſu propinantur, cum & dolores ſedent, ſumnumque & ſudores provocent: Atque innoxie, ſicuti ſæpius obſervavimus, ſæpius aſſumi queant: Quo nomine & *Theriaca* exhibita tantopere in doloribus hiſce, non ſolum ſudores movendo, ſed & dolores ſedando prodeſt. *Platerus.*

87. *Et Fomentis tolluntur*) Ad eorum mitigationem tum internis medicamentis uti poſſumus: Inter externa præ aliis omnibus laudantur *Vnguenta Mercurialia*, ut & *fotus Guajacini & juniperini*: &c. Inter interna commendatur præ cæteris *ſalſaparilla* & ejus *Decoctum*: Vix tamen aliquid efficitur abſque opiatis medicamentis, quæ plurimum hic præſtant ſi convenientibus uniuſcujuſque ægri conſtitutioni miſturis addantur; atque circa veſperam recrudeſcente dolore uſurpentur: Primarium tamen hic eſt cura Luis univerſalis, cujus ope Dolores illi ſenſim minuuntur, & tandem in totum tolluntur. *Idem.*

Aloe & Abſynthium, quia potenter ſiccant, Lui multum proſunt, Itaque iis qui *dolores* patiuntur utile eſt uti *Pilulis* ex ſola *aloe*: Sed quia in Pil. non poſſumus juſtam quantitatem *aloes* apponere nec accipere, utilius erit *hieram picram* devorare vel quotidie ſaltem ℈iv. *Rondeletius.* Vide §. *Quibus curandis.*)

88. *Puſtulæ*) Secundum inter Luis venereæ ſymptomata locum tribuimus *Puſtulis* multifariis tum in partibus genitalibus, tum in univerſa cute, tum præſertim in piloſa, tum in naribus, tum in ore, faucibuſque erumpentibus: Dixi *Puſtulas* iſtas eſſe *multiplices*, nam obſervantur aliquando *planæ*, ac minime *extantes* aut protuberantes, aliquando plus minus *extuberantes* ac *prominentes*: Aliquando *ſubrubræ*, aliquando *ſubflavæ*, Omnes autem ſunt ſquamoſæ, ideoque ſcabræ, quin remotis ſquamis tum color varius, tum cutis inæqualitas & aſperitas magis patet: Aliquando *nullus* ex dictis puſtulis promanat *liquor*, aliquando *pauens* quidem & acris ſenſim ſerpendo puſtulas iſtas expandens: Aliquando *pruritum* moleſtum conjunctum habent, aliquando nullum aut levem duntaxat, Non ſunt autem ſimiles Puſtulis peſtilentialibus, in carbunculis deſinentibus, & partis affectæ mortificationem gangrænoſam comitem habentibus, quaſque idcirco à ſale lixivo volatili & acri deducimus, verum ſimiles ſunt potius iis quas in ſcabiei gravioribus ſpeciebus obſervamus, abſque cutis notabili aut celeri corruptione: Non deducendæ proinde Puſtulæ Venereæ à ſale lixivo vel fixo, vel volatili, ſed ab acido plus minuſve fracto ac temperato; Prout namque illud plus aut minus infringitur, gravius idem aut levius ſæviet in cutim, atque pruritum, graviorem aut leviorem producet: Vbi autem Acidum illud acre magis eſt concentratum Puſtulas producet magis aridas: Vbi autem contra idem eſt magis ſolutum, minuſve concentratum, puſtulas producet madidiores ac ſerum aliquod ſtillantes, imo celerius ſerpentes: Ab *Acidi* ergo *acrimonia* merito deducimus Puſtulas Venereas, ipſamque adeo Veneream Luem. *Fr. Sylvius.*

Macularum curatio.

89. *Puſtulæ, Exanthemata*) His accenſe *Maculas*, quibus ut & *Puſtulis* non alia quam quæ huic morbo convenit, debetur cura; quo radicitus extirpato, illæ quoque rurſum plerumque auferuntur; vel ſi non ſanato integre morbo remanſerint, cura repetita, eaque maxime quæ extrinſecus corpori admota perficitur, illæ cum morbi reliquiis tolluntur: Quod ſi vero morbo ſublato, quia altius impreſſæ nihilominus adhuc pertinaciter hæreant, iiſdem remediis quibus alias, *maculas*, & puſtulas rubras maxime, ſi tales hæ quoque ſint, vel alias vitioſas extergi, vel abſumi aut aduri diximus, haſce quoque abolebimus: Inprimiſque cum *argentum vivum* hujus luis vitia potenter tollat Inunctiones generales quæ ad morbum ſanandum ex eo fiunt, hæc vitia egregie ſimul abigunt: Admoveatur illis ſolum *argentum vivum* diligenter agitatum cum *axungia*, vel *terebinth.* aut alia *reſina*, Vel cum *ſucco limon.* & *lapatho* diu idem agitetur, addendo *cerusſam*, *thus*, *maſtichem* ut fiat unguen. Vel.

℞. *Arg. v.* ʒi. *litharg.* ʒii. *maſtich.* ʒß. *camph.* ℈i. *terebinth.* ʒi. *ol. vitell. ovor.* q. ſ. agitentur. Hiſce ſi *ſublimati* tantillum addatur, efficaciſſima fient.

Si levioribus id ab initio tentare velimus, *unguen.* ex *alum. uſto aloë*, *ſucco aurant.* vel *lapath.* cum *oxymel. ſcill. parato* vel *Emplast. ex rad. lilior.* ſub *prunis* coctor. contuſis, cum *ſacch. & camphora* incorporatis facto. Aut illitu ex *Oleo tartari.*

Balneo etiam aliqui hæc abigere in ipſa cura per Inunctiones tentant: balneo poſt cœnam uſi, mane Inunctione, Quæ tamen niſi morbo integre ſublato, non adeo convenire poſſunt, Quare hiſce Balneis, & aliis circa finem demum uti poſſumus, illiſque vitia hæc remanentia delere, ſordeſque alias quæ ab Inunctionibus adhæſerunt detergere. *Platerus.*

90. *Fiſſura in volis manuum &c.*) Aliquando *Fiſſura* in manibus apparent, quæ argumento ſunt morbum non eſſe curatum; Itaque ſæpe repetenda erit Inunctio qua parte ſunt fiſſuræ manuum, Quod ſi non curentur, etiam univerſali curatione facta, poſſumus hoc modo tentare curationem.

℞. *Sublimati* ʒiii. *alumin.* ʒi. *albumin. ovor. fortiter agitat. q. ſ. applicentur ſupra partem affectam.* Vel.

℞. *Vnguen. Ennl.* ℥iii. *argenti vivi* ℥i. *ſublimati* ℥i. *ungantur manus*, Vel.

℞. *Aqu. parietar. chelidon. mai. plantag.* āā. ℥iii. *ſublimati* ℈iiij. *Chalcit. & alumin.* āā. ʒj. *decoquantur leviter & ſero cum ibit dormitum fricentur & abluantur partes tantum cruſtatæ & quæ in circuitu ſunt.*

Hunc affectum aliqui *ſal furati*, aliqui phlegma ſalſum, vocant, & hoc à materia quam ſudant, creduntque hanc materiam morbum committere, Sed *ſciſſura* eſt affectus partis internæ manuum & pedum, Itaque oportet proprium eſſe morbum, vel ob exactam partium illarum temperaturam, vel potius ob tendonem, vel muſculum illum latum, qui conſtituit manuum pedumque plantam ſenſilem & mollem. *Rondeletius.*

Antequam inunguntur *Fiſſuræ* prius ablui debent *decocto emolliente*, cui & adſtringentia quædam, ut *lapathum*, *fumaria*, ſimiliaque addi poſſunt.

Squamæ in manibus ſe offerentes, ſi poſt curam remanſerint, iiſdem curari poterunt; Ubi & ſi *Furfures* ſuperſint, curato alioquin morbo, hi quoque ſicuti alias tolli poterunt. *Platerus.*

91. *Curationem vide*) Sponte ſolent univerſali curæ cedere Puſtulę, tã per *Sudorifera decocta* quam per *mercuriales* vacuationes, ac inprimis Salivationem, rite inſtitutas, unde notavi curæ laudabilis ac perfectæ ſignũ eſſe, tũ Puſtulas tũ cætera Luis ſymptomata ſponte tum cedentia: Si cui tamen libet Puſtularum curam feſtinare, aut ſeorſim eãdẽ inſtituere, quo minus oriatur de Lue ſuſpicio apud alios, tum *Guajaci, cæterorumq; lignorũ decocto* foveri poſſunt: Quin memini aliis non proficientibus *ſale volatili cupri tinctura* imbuto me puſtulas fœdas, &

planè malignas feliciter curare ac tollere: Inſervit quoque *Mercurius præcipitatus* alicui unguento commiſtus & forinſecus applicatus. *Fr. Sylvius.*

91. *Quorum curationem vide apud Hartmannum*) Si *Scabies* & *Herpetes* appareant, hic morbus eſſe videbitur potius quam aliquid aliud; & Unguentum ſequens parandum, & ſic utendum ut prius (Vide §. *vel extra per Inunctionem*) Evacuatis igitur interni corporis ſeroſis excrementis paretur tale unguentum.

℞. *Unguent. Enul.* ℔ß. *terebinth. lota in vino vel ſucco fumar.* unc.iii. *ſtyracis*, *myrrhæ ana* unc.ß. *argenti vivi extincti in ſucco limon.* ʒiiij. *olei roſat. antiq. compl. irini*, *ana* ʒii. *reſinæ* unc.iii. *litharg.* ʒß. *f. Unguen. cujus uni parti adde cinabrii*, *ceruſæ ana* unc.ß.

Sed hac parte non utatur niſi poſt tres primas Inunctiones ac ſudationes, Et unguantur manus ac pedes hac ultima parte unguenti. In *Herpetibus* cum *Scabie* fiat modo ſequ.

℞. *Succi lapath. ac. & limon. ana* unc.ii. *olei Irini* unc.i. olei *tartari* unc.ß. *unguen. martiati* unc.iß. *argenti vivi* unc.v. *ceruſæ lotæ in aqua vitæ* ℥i. *reſinæ & terebinth.* ãã. ℥iii.

Argentum vivum extinguatur cum ſuccis, deinde incorporetur cum *axungia*, fiat Linimentum pro partibus affectis.

Poſt aliquam Luis caſtigationem, addenda ſunt quæ fortiter ſiccare poſſunt, ut *alumen*, *ſulphur*, *chalcitis*; quæ quidem fortiter ſiccantia non erunt primum adponenda, quia illa ſudores compeſcunt, & ſic retinendo morbi curationem impediunt, quamvis ſiccent, Cum enim adſtringant, vim morbi altius impediunt ac profundius deliteſcere ac hærere faciunt per aliquod tempus; deinde reviviſcit & recrudeſcit; & quam prius deterior redditur. Hæc ſunt Linimenta quibus uti poſſumus in bilioſis & ſanguineis, In *Scabie, papulis* & *ulceribus.* Iſtis omnibus utile erit, ſi nôn fluat alvus, *ſyrupum laxativum* præſcribere, vel apozema &c. *Rondeletius pag. 848.*

Quia aliquando peccat Jecur, ad ejus deterſionem & purgationem bonum erit uti ſyrupo ſequenti, qui ægros vindicat à recidiva, & aliis ſubvenientibus affectionibus.

℞. *Rad. oxylap. acetoſæ & bugloſſ. borrag. endiv. cichor. ſcariolæ*, *ceterach polytr. adjanti*, *agrimon. ana m. j. paſſular. prunor. ſebeſten ana n.* xx. *aniſi* ʒii. 4. *ſemin. frigid. mai. ana* ʒi. *ſennæ orient. & polypod. qu. ana* unc.iv. *tamarind.* unc.ii. *myrobal. citr. chebul. indorum*, *confric. in ſucco roſar. ana.* unc.j. *flor. cordial.* ãã. *p.* j. *f. decoctio in decocto guajaci, aqu. bugloſſi & abſynth. ana* ℔i. *Et in* ℔iß. *vel* ℔ii. *diſſolve ſyr. roſar. lax.* ℥vj. *rhabarb. el. tenuiſſime pulver. & in panno ligati* unc.j. *aromatiz. cum* ʒiij. *cinnam. & capiat* ℥vj. *bis in hebdomada.*

Duobus diebus ſequentibus ad refocillationem virium fiat talis opiata.

℞. *Conſerv. flor. cichor. & bugl. ana* ℥i. *conſ. capill. ven.* ℥ß. *pulv. diamarg. fr.* ʒiii. *raſ. eboris & limat. auri ana* ʒß. *triaſant. & diarrh. abb. ana* ʒi. *Cum ſyr. conſerv. cort. citri f. Opiata capiat ad quantitatem avellanæ ſuperbibindo parum aquæ cichor. & abſynthii.* Rondeletius p. 863.

Aliquando *Herpetes* in facie & aliis partibus eveniunt, & curantur remediis Herpetibus aptis, & *ſublimatum* vel *argentum vivum* addatur cum aquis *acetoſæ*, *parietar.* vel *plantag.* Quibus aquis adde *ſublimati* decocti cum aqua forti ʒi. in *qua ponendum eſt argentum vivum*, Vel fiat hoc Linimentum.

℞. *Reſinæ pini* ℥i. *ceruſæ* ℥ß. *argenti vivi* ʒiii. *ſucci citri* & *oxylapat.* ãã. ℥iß. incorporentur ſimul, & fiat Lin. pro parte, ſic Herpetes curantur nec amplius redeunt; Efficacius erit ſi *ſublimati* ʒi. addatur, ſed quia calefacit, moleſtiam affert: *Aqua qua extinctum eſt ſublimatum*, quod ad fucum paratur, etiam curat Herpetes, vel *alumen*, maximè ſi uſtum albumine ovi exceptum ſit cum ſucco *arant. vel citri*, etiamſi non præceſſerit ſudatio, ſicuti aloë diſſoluta in oxymelite *Scyllitico. Idem 865.*

VII. 92. *Gonorrhœa*, in qua idem Hartmannus laudat, Mercurium præcipitatum viridem, aut gummi Guajaci, quibus exhibitis Terebinthina violar. aqua abluta, & cum vitello ovi trita, cum ſalſæparillæ decocto exhiberi debet. *Diſtinguitur* ab alia eo, quod exiguum vel nullum pruritum excitet, nec ita cito ægrum in tabem conjiciat.

VIII. *Tinnitus aurium*, qui difficillimè curatur: interdum tamen uſu decocti guajaci evaneſcit. Septalius laudat *Aſini urinam*, in qua per noctem lignum Guajaci, portio caſtorei, & faſciculus mentaſtri maduere, deſtillatam, & auribus inſtillatam, aut per evaporationem exceptam.

92. *Gonorrhœa*) *Gonorrhœa virulenta eſt fluxus involuntarius ſeminis purulenti & ſordidi, cum dolore & ardore urinæ & penis tentigine ex inflammatione proſtatarum ortus, & venereo concubitu contractus.*

Etenim cùm partes genitales coitu incaleſcant & dilatentur, facilè admittunt virus Venerei labem & prout aliæ aliis magis patent ingruenti contagio, ſic diverſi in iis naſcuntur affectus, ejuſdem virus participes. Modò enim in pudendis *ulcuſcula* apparent, modò *porri* ſeu *verrucæ*, modò *gonorrhœa virulenta* & *bubones.*

Dum enim in ſuperficie hæret ſanies, *caries pudendi* vel *porri* generantur, & cùm materia ejus maligna afflat glandulas proſtatas, *gonorrhœa*, & ſi paulò altiùs ſubeat, vicinorum vaſorum humores inficiet, *bubo* ſuccreſcit.

Inflammatio autem proſtatarum in gonorrhœâ virulentâ excitatur ab acri & maligno tabo vel habitu fœtido, ad eas in coitu partes per urethram immiſſo, coitus deinde acrimoniâ ſemen accenditur, fermentatur, corrumpitur, glandulæ intumeſcunt & inflammantur, rupto abſceſſu ſordida & purulenta materia exit, quæ modò flava, modò viridis apparet, prout virus obtuſiores vel ardentiores ſunt aculei: Hinc *urethræ exulcerationes*, *urinæ ardor*, & omnium *hyperſarcoſeon* origo.

Non ſe profert ſtatim gonorrhœa, ſed in aliis per tres aut quatuor dies latet, in aliis per decem imò per quindecim dies deliteſcit, rarò autem evenit, ut die concubitus ſe prodat.

Cùm primùm apparet, urina ardore quodam emittitur, glandis inflammatur apex, & alba illuvie madet, quæ in dies augetur, acrior fit, & colorem album, in flavum & viridem commutat, importunam dolorificamq; penis tentiginem noctu potiſſimùm inducit in lecto, tanto cruciatu, & duritie aliquando, ut penis incurvetur ob ingentem ligamentorum ejus & muſculorum inflammationem, & fit tunc *Gonorrhœa* illa, quam *Chordatam* appellant, quæ omnium eſt peſſima, & quæ poſt ſe indelebilia ulcera ferè ſemper relinquit.

Curatio.

Quoad curam ſpectat. Cùm gonorrhœa virulenta ſit inflammatio proſtatarum & partium vicinarum à

viru

viru Venereo excitata, huic medendum eſt remediis *revellentibus*, evacuantibus, lenientibus, & veneream labem evacuantibus ſequenti modo adminiſtratis.

Mittatur inprimis ſanguis è brachio dextro ad uncias octo vel novem ut ejus in proſtatas irruentis impetus coerceatur & earum inflammatio inhibeatur. Debet autem iterari bis aut ter, ſi humores in vaſis redundent.

Factâ ſic ſufficienti revulſione, debet poſtea inſtitui derivatio à parte affectâ, ſaphænæ ſectione, nec metuendum eſt ſectione brachiorum virus intro revocari, per eam enim nihil quippiam è partibus genitalibus contaminatis educitur, ſed cauſæ tantùm antecedentis fluxus ab iis, removetur. Venæ ſectioni autem debet præmitti clyſter refrigerans, emolliens & laxans.

Dum V. S. celebrantur, Emulſiones non ſunt omittendæ, vel earum loco julepi refrigerantes & lenientes, ad demulcendam humorum acrimoniam, fluxionem inhibendam, virus aculeos abtundendos, & urinæ ardorem temperandum.

℞. *Amygd. dulc. excort. par.* xii. *ſem. 4. fr. maj.* ℥i. *ſem. pap. alb.* ʒii. cum aq. font. q. ſ. f. Emulſio pro tribus doſibus matut. & veſpertin. adde cuilibet doſi *ſyrup. Capill. Vener,* ʒvi. *ſal. prunell.* ʒi.

℞. *Radic. nymph. & fragar. ana unc.*ii. *dent. leon. cum toto agrimon. capill. vener. lactuc. ana mj. ſem. melon. unc.*ß *pap. alb.* ʒij. coq. ad ℔iß. f. julep pro iij. doſib. matut. & veſpert. adde cuilibet doſi *ſyr. viol.* ℥vi. *ſal. prunell.* ʒj.

Pacatâ fluxione duobus vel tribus diebus, tum Venæ ſectione è brachio, tum lenientibus jam præſcriptis, ad expurgandam cacochymiam luxuriantem, quæ virus ſedes eſt & fomes, propinandum eſt catharcticum ſequens.

℞. *Pulp. caſſ. unc.*ß. *confect. hamech* ʒiij. *Mercur. dulcis* ℈i. *Cremor. tartar.* ʒj. *mj. f. bolus.* Vel ſi bolum reſpuat, utendum tali potione.

℞. *Fol. ſen. mund.* ℥iij. *tamarind.* ʒvj. *Cremor. tartari* ʒj. coque ad unc. vj. in quibus infunde *pulp. caſſiæ* unc. j. col. diſſolue *ſyrup. roſ. ſolut. unc. j.* f. potio ſumend. manè. Devoret priùs aquil. alb. ℈j. cum paucâ conſ. roſ. vel pulpâ pomi curri.

Si adhuc potiones ægrotanti ſint ingratæ, pilulæ earum loco exhibeantur.

℞. *Pil. ſine quibus* ʒj. *Mercur. dulcis* ℈i. f. pil. v. manè devorandæ: & ſi hæ non ſatis evacuent, præcipitatum album debet addi ad gr. vj. vel viij.

Poſt purgationem, vena pedis eſt ſecanda, ut è parte affectâ humor derivetur, deinde purgatio iteranda per biduum aut triduum continuum, ut ſuccreſcentis in dies humoris venerei proventus poſſit reſcindi.

Dum purgationes inſtituuntur poterit propinari emulſio horâ ſomni.

Si *penis tentigo* ægrotantem exerceat, noctu præſertim in lecto decumbentem, lactis tepentis, vel decocti alicujus emollientis fotu deprimenda eſt.

His præſtitis, ne malum altiùs ſerpat & luem Veneream accerſat, reliquiæ ejus decocto ſequenti exhauriendæ ſunt.

℞. *Antimonii crudi craſſiuſculò triti & innodulo ſuſpenſi unc.*vj. *ſarſaparill. minut. inciſ.* unc. viii. *ligni ſancti tenuiter inciſ.* unc. iß. *putamin. nuc. jugland.* ℥ii. infunde per 24. hor. ſupra cineres calidos in ℔xii. aqu. fonr. dein coque ad mediæ partis conſumption. & col. capiat hujus decocti cyathos tres ſingulis diebus unum ſcilicet manè 3. hor. ante paſtum, alium 3. hor. poſt prandium, tertium horâ ſomni, continuando per xx. vel xxv. dies.

℞. *Reſidentiam prædicti decocti, aq. font.* ℔xv. coq. ad conſumpt. quintæ partis f. bochetum, quo utatur pro potu ordinario, in ſingulis paſtibus ſine vino, per uſum prædicti decocti.

Dum hæc fiunt purgandum quarto quoque die, cum pilulis mercurialibus, quæ maximè conveniunt, ne virus ampliùs reviviſcat.

℞. *Mercurii crudi ritè defæcati & cum terebinth. probè extincti* ℥ß. *conſ. roſ. moll.* ℥j. *ſen. mund. Rhab. el. & jalap. pulv. ana* ʒii. *ſcammon. cum ſulphure præpar.* ʒß. *Cinamom.* ℈i. cum *oxymell.* ſ. q. f. Maſſa, è cujus ℈iv. f. pilul. manè devorandæ & 4°. quoque die iterandæ.

Poſt hæc ſemicupium aquæ fontis vel fluviatilis maximè convenit, ut humorum ardor contemperetur, & partium genitalium empyreuma à viru venereo inuſtum, auferatur.

Tempore ſemicupii, ſi è cole ſordidi & viſcidi puris quidpiam prodeat, illud injectionibus detergentibus & exſiccantibus eluendum eſt.

In principio his uti ſæpiſſimè noxium eſt; ſolent autem his advocari graviora ſymptomata, teſticulorum inflammationes, urinæ ardor &c.

℞. *Antimonii crudi craſſiuſculi triti & in nodulo ſuſpenſi* ℥iv. *radic. ſarſaparill. minut. inciſ.* ℥iß. *radic. ariſtol. rotund.* ℥iii. *ſummitt. hyperic. & roſ. 2. ãã. pj. coq. ad* ℔i. *in col. diſſ. mell. roſ. col.* ℥ii. ℞. *F. injectio bis in die in colem judenda tepidè.*

Si tali injectione irritetur dolor; ab ea abſtinendum, & ejus loco ſequens erit præſcribenda.

℞. *Hord. integri. m.* ß. *roſ. rubr & ſummittat. hyperic. ana pij. coq. ad* ℔j. *col. diſſ. mell. roſ. unc.*ii. ℞. *F. Injectio*

Si ulcus nimis ſordidum ſit, nec facilè irritetur à potentioribus detergentibus injectioni præſcriptæ poterunt addi unc. ij. *aq. Calcis.*

Notandum autem non multùm fidendum injectionibus quocunque tempore uſurpentur, licèt enim urinam detergant & expurgent, non attingunt tamen proſtatas, ubi mali radix fixa eſt.

Denique, ut omnis latentis ulceris reliquiæ in partibus genitalibus eximantur, *aquarum mineralium potus* imperandus eſt, ut vitriolatarum præſertim & ferruginoſarum, quales ſunt Vallenſes & Camerenſes, quæ mira præſtant ad ulcerum internorum curationem à qualicunque causa ortum duxerint.

Solet aliquando gonorrhœæ ſupervenire, fluxio in teſtes & inflammatio, vel ab uſu intempeſtivo injectionum, vel ab equitatu & exercitio immoderato, vel ab omiſſâ V. S. & aliis ſimilibus, ita ut nova ſuccedat ſuppuratio, niſi citò ſuccurratur: Ideo debet citò vena ſecari in alterutro brachio & iterari ut fieri ſolet in aliis inflammationibus partium externarum, parti autem affectæ admoveri debet *Catapl. ex farin. fabar.* in oxymel. coctâ, vel in oxycrato, ſi ingens ſit inflammatio.

℞. *Farin. fabar.* ℔j. *coq. in oxymel.* f. catapl. admov. parti affectæ.

Si verò dolor partis nimis urgeat, *Catapl. de micâ panis*, ad ipſum ſedandum maximè conveniet.

℞. *Micæ panis albi in lacte caprillo macerati & cocti* ℥viii. *ol. roſ.* ℥iii. *vitell. ov. nõ.*ii. *Croc.* ℈i. *mj.* f. Catapl. parti affectæ applic. & ſæpè renovandum.

Sedato dolore & inflammatione pacatâ, tumor reſtitans *Empl. de Vigo cum Mercurio quadruplicato* debet reſolui: Illud autem debet geſtari cum ſuſpenſorio per 1. vel 2. menſes & vix tamen perfectè reſoluitur tumor, ſed remanet durities in teſtibus piſi aut fabæ magnitudine, quem nonnulli ſuffitu ex *Cinnabari* diſcutiunt, Non debent omitti interim catharctica decocta, pilulæ, & alia remedia jam præſcripta *Barbyrac.*

92. *Gonorrhœa, in qua &c.*) Ubi virulenta Gonorrhœa ſola urget, nec ab ipſa infecta eſt adhuc ſanguinis

maſſa, illi ſoli adhibenda curatio; ubi verò ulteriùs ſerpit malum, & ſanguinis maſſam totam ſimul infecit, tum præmittenda, conjungenda ſaltem univerſalis cura: Inſtituitur autem rationalis hujus Gonorrhœæ curatio ſi conſideraverimus conſequi eam ulcus in Proſtatis, & veſiculis forſan ſeminariis exiſtens: Quamvis enim non negem ſolam iſtarum partium debilitatem poſt nimium coitum non rarò remanentem poſſe Gonorrhœam producere, multis ſæpe annis permanentem, nunquam tamen erit ulla virulenta niſi acceſſerit, quod non tantum ſemen, verum ſanguinem quoque ad partium harumce nutritionem accedentem, corrumpat in humorem acrem ac virulentum, qualis effundi ſolet in Gonorrhœa, Venerea & Virulenta ideo dicta: Illud verò quod tum ſemen tum ſanguinem ita corrumpit, partem quoque continentem plus minus corrumpet, ac proinde ulcus, qualecunque tandem in ipſa excavabit.

Pars ergo illud virus continens, cum præter Paraſtatas & veſiculas ſeminarias nulla eſſe poſſit alia, merito dicuntur illæ aut ſimul, aut ſeorſim ſaltem ulcere laborare. In Gonorrhœæ igitur virulentæ curatione Dogmatica cogitandum de *Vlcere* illo qualicunque mundando & conſolidando, atque Cauſa ejuſdem corrigenda vel tollenda.

Vlceris hujus cauſa eſt humor acris & virulentus coitu communicatus, & circa hæc vaſa ſpermatica hærens, ſanguinem ac ſemen corrumpens, atque poſt ipſius corrupti effluxum aliqua ſui parte in ſolidis & continentibus partibus exulceratis remanens, atque novæ materiæ affluentis corruptione nova, tum ulcus tum fluxum virulentum perpetuans.

Curabit ergo ex arte ac feliciter Gonorrhœam virulentam qui 1. fermentum illud virulentum & acre, ulcus excitans fovenſque, atque ſanguinem cum ſemine corruptum correxerit, aut è corpore plane exturbarit. 2. Vlcus ab ipſo productum mundaverit & conſolidaverit: His paucis Indicationibus ſatisfaciunt medicamenta omnia vulgo in Gonorrhœæ virulentæ curatione commendata, ac cum laudabili ſucceſſu adminiſtrata.

Humorem acrem ac *virulentum* corrigunt Emulſiones variæ, Decocta emollientia & lenientia, ex *liquiritia hordeo* & ſimilibus parata; Ipſa *Terebinth. ejuſve oleum, Balſamus Peruvianus, Oleum de copaiva &c.*

ij. Eundem humorem acrem virulentumque per urinæ vias exturbant eadem fere memorata Decocta, Emulſiones, Olea, & ipſæ *cantharides*, dum vi diuretica prædita una cum urina extrahunt fermentum illud virulentum.

Hæc autem medicamenta omnia ſi quis attente conſideraverit, facile agnoſcet illa humori Acido Acriori temperando expellendove convenire, ac proinde Gonorrhœam virulentam ab ipſo pendere ac produci: omnia certe quæ potentius alterant, humoremque in Gonorrhœa dicta corrigunt, ſunt vel Aromatica, vel ſaltem plus minus Acidum temperantia, inter quæ haud poſtremum locum occupant *Oculi cancri* in hoc affectu curando tam utiles ac neceſſarii.

Curandi ergo Gonorrhœam virulentam methodus conſiſtit partim in *alteratione ac contemperatione humoris Acris, ulcus in ſpermaticis vaſis & glandulis tum parientis & foventis*, partim in ejuſdem plus minus contemperati *expulſione cum urinis*, proxima nempe via & commodiſſima: In quem finem uſurpari quoque poſſunt Decocta ſudorifera in Vniverſali Luis curatione notata; quippe non tantum per Sudores, verum per urinas quoque humores peccantes expellunt, quinimò Acres quoque Acidos temperant partim in *ulceris mundatione*, hinc & *conſolidatione*, tum per *terebinthinam lotam*, tum per eandem *coctam* tum per ipſius *Oleum*, tum per *Peruvianum Balſamum*, *Oleum de Copaiva*, *Balſamum ſulphuris multiplicem*; Partim in earundem Glandularum proſtatarum & veſicularum ſeminalium, hoc maligno fluxu debilitatarum corroboratione, per blande adſtringentia & aromatica, ſale ſaltem fixo & Acidum frangente donata, *Caſtoreum*, *Succinum*, *myrrham maſtichen*, *coralia*, *lapidem hæmatitem*, *laccam* &c. interne aſſumenda, & ſimilia, Olea *maſtichinum* puta & alia forinſecus circa perinæum uſurpanda. Hac methodo non ſatis obſervata, redditur quandoque Gonorrhœa inſanabilis, ac præſertim ratione partis longo fluxu extreme debilitate.

Vbi proinde Lui conjuncta eſt Gonorrhœa virulenta, univerſali cura ſimul & ſemel tollantur; Ubi autem Gonorrhœa ſola obſervatur, illi ſoli cura eſt facienda cura ac medicamentis modo dictis. *Franc. Sylvius.*

91. *Gonorrhœa*) Gonorrhœa virulenta vix diſtinguitur ab ea quam induxerunt vehementiora exercitia, vel uſus immodicus alimentorum calefacientium, ſpeciatim liquorum fermentationem paſſorum, cujuſmodi ſunt vinum, cereviſia, pomaceum &c. ſi quidem utraque ulceribus conjuncta eſſe aut citra hæc conſiſtere poſſunt, in urethra virili aut vagina muliebri: ac præterea perpetuo adjunctam habent inflammationem partium urinam & ſemen continentium, ſed etiam effluxum & corruptionem materiæ iſtius ſeminalis.

Revera ſymptomata hæc utplurimum graviora ſunt in priori ſpecie, nihilominus experientia compertum eſt ſæpenumero poſteriorem mitiſſimam eſſe, cum prior toleratu admodum ſit difficilis.

Attamen diſcrimen aliquod inter utramque obſervare licet; ſiquidem, ſi prior prævium ſemper habeat contactum impurum; poſterior præcedere ſolet intemperantia in diæta, aut exercitia immodica: Adde quod elicere liceat utiliſſimas conſequentias, à tempore, ab iis quæ conſequi ſolent ac tandem indole ſymptomatum utramque concomitari ſolitorum: Revera prima dictarum circumſtantiarum, non minimi momenti diſtinctionem exhibet; videlicet, initio Gonorrhœæ Venereæ, inflammationem prædictam vix manifeſtam eſſe, quia nempe ortum ducit à fermentatione quam Acida venerea in ſemine excitant; demum fermentationem hanc præcedere ſolere coagulationem iſtius materiæ; cum contra eo ipſo momento quo Gonorrhœa non virulenta ſe prodit, ægri inter mejendum ardore pene intolerabili afficiuntur: *Secunda* circumſtantia non minorem conſiderationem meretur; Exinde enim obſervare licet in Gonorrhœa Venerea ægros tunc ſolum dolore affici, cum ſeminis effluxus inchoavit; augeri vero ſolum cum fluor perſeverat: quia nempe dolor hic ſoboles tantum eſt, aut incendii concepti in partibus ambientibus materiam ſpermaticam prout fermentationem ſubit; aut ulcerum oriundorum in meatibus quos pertranſit quamdiu fluor ille durat: Cum contra idem dolor præire ſoleat cunctis accidentibus quæ concomitari ſolent Gonorrhœas ſimplices; quia primus eſt effectus inflammationis in veſica contingentis, cæterorum cauſæ immediatæ: Tandem ab examine *poſtrema circumſtantia*, occurrunt indicia non parum certa, malignitatis aut benignitatis utriuſque Gonorrhœæ, quia Acida Venerea, priorem inducentia, ulcera excitant in locis quæ pertranſeunt, & profundiora, & ſenſu exquiſitiore donata iis quæ afficiuntur In poſteriori ſpecie orta à ſemine cui ſolum commixta ſunt excrementa ordinaria. Præterea, eo quod inflammatio, dolor, & cuncta ſymptoma-

ſymptomata GonorrhϾ VenereϾ, in vigore ſuo perſtant, quin & moleſtiora nonnunquam evadunt, donec remediorum efficacia ſuperata fuerint; imo quandoque in tantum intenduntur, ut pudendum virile convulſionem patiatur propriorum nervorum, hoc eſt, motum ejuſmodi, quo retractis illis, verſus ſuum principium, id incurvum & inflexum fiat; Cum ex oppoſito ſymptomata GonorrhϾ ſimplicis ſenſim imminuantur, imo nonnunquam omnino deſinant, ab obſervata per aliquod temporis ſpatium, diætâ refrigerante. *N. de Blegny.*

[92]. *Gonorrhœa*) Primum locum ſymptomatibus dat *Fr. Sylvius lib. c. virulenti humoris effluvio*, Viris quidem per penem, fœminis autem per pudenda contingenti, & GonorrhϾ virulentæ, aut VenereϾ, nomine vulgò noto, ac congreſſum cum perſonâ ſimili affectu laborante utplurimum paulo poſt conſequenti, adeoque contagioſo; ſi ullum enim Luis venereæ ſymptoma contagioſum eſt, utique Gonorrhœa hæc eſt, ſi nomen GonorrhϾ ipſi competit. Non eſt quidem novum obſervate Gonorrhœam, ſive materiæ ſpermaticæ ſpontaneum effluvium poſt uſum Veneris nimium, nulla tamen adeſt tunc illi humori virulentia vel acrimonia; Vbi autem hæ in humore iſto ſe manifeſtant, & nonnunquam poſt unicum coitum ille fluxus contingit, non eſt de Lue venerea præſente dubitandum, quamvis non putandum mox eſſe affectum graviſſimum ſimul, quandoquidem non raro nullis aliis ſymptomatibus non raro brevi ac feliciter curatur iſte fluxus, qui ad tempus neglectus ulterius ſerpere ſolet, ac ſenſim ſanguinis maſſam inficere atque plurima mala producere.

Poſtquam ergo non raro ab ipſa Gonorrhœa initium habet Lues cum ſuis omnibus appendicibus; quin non raro in ipſa duntaxat conſiſtit, adeo ut eadem in tempore ac rite curata, plura non ſequantur iſtius Luis damna & ſymptomata, ſed una cum ipſa ſublata tollatur omnis ulterioris mali metus: Solet autem originem ſuam ſumere Gonorrhœa hæc à coitu cum perſona ſimili labe infecta, a qua prodiens materia virulenta & acris ſe partibus genitalibus applicat, & in maribus quidem ſeminis reliquiis, in urethra remanentibus ſe admiſcet, ac ſurſum uſque ad proſtatas & veſiculas ſeminarias ſerpit & aſcendit, ſemini accedenti ſe inſinuat & inficit, atque ipſa ſeminis receptacula itidem afficit, rodit & corrumpit unde accedens continue aliud ſemen, ſimiliter corrumpitur, & corruptum continue exſtillat, nec proinde male ille affectus GonorrhϾ, & quidem virulentæ nomine venit. Interim non negavero præter ſemen quod ſenſim allatum corrumpitur, ſanguinem quoque ad partes haſce affectas & alteratas delatum itidem aliqua ſui parte corrumpi, atque GonorrhϾ dictæ materiam quoque ſuppeditare; dum partes ejus aliæ ab illo veneno infectæ refluunt per venas verſus interiora ad cor, atque totam ſanguinis maſſam citius vel tardius, levius vel gravius afficiunt, & tandem ſymptomatibus ubique ſe manifeſtantibus anſam præbent; GonorrhϾ igitur materiam putamus geminam, tum *Semen* in ſuis receptaculis ulceratis corruptum, tum *Sanguinem* ad earumdem partium nutritionem delatum, & itidem in purulentam vel alias virulentam materiam mutatum: In *fœminis* autem effuſum ex maris gonorrhœa virulenta laborantis pene *virus* itidem collo ipſarum externo, & inprimis colli interni orificio adhærens, ac ſenſim effuſo ſemini, ejuſque reliquiis ſeſe inſinuans quin uſque ad uteri cornua & ſeminis vaſa excretoria aſſurgens, illa una cum ſemine corrumpit, ulcera ibidem excitat, hinc tum ſemen ſponte accedens, tum Sanguinem eo quam in maribus copioſius delatum, in humorem virulentum mutat, & illi GonorrhϾ occaſionem præbet; Cum vero omnium teſtimonio acris & mordicans ſit humor in dicta Gonorrhœa effluens, illa autem acrimonia non mortificet partem uti ſolet facere lac lixivum, ſed rodat & lancinet acidorum more, merito ab *Acido* ulcera illa & virulentam Gonorrhœam deducimus. *Fr. Sylvius.*

IX. [93]. *Tophi* ſeu *Nodoſitates* & *Gummata*, [94]. quibus curandis egregia Emplaſtra ſuppeditavit *Platerus* obſervationum libro tertio. Egregium & hoc *Ceratum* quod paratur ex Mercurii vivi ſaliva hominis jejuni extincti unc. ſ. pulver. tabaci dr. ſ. Emplaſtri diachyl. cum gummi, Cerati Oxylæi, & Citrini ana unc. j. Olei ligni Guajaci dr. j. ſi ſub remedii uſu perpetuò dolent, nec diſſipantur, certum ſignum eſt, os gummati ſubjectum pati cariem. [95]. Vnde accedendum ad ſcalpellum, de quo vide Scholtzii Armamentarium.

X. *Tabes* in cujus curatione ſarſæparillæ decoctum cum carne vitulina macra factum, admirabile dicit eſſe Septalius in animadverſionibus.

XI. *Cryſtallina* ſeu veſicula glandi membri virilis adnaſcens translucida, recentiſſimum luis venereæ ſymptoma, quæ ſi remediis exquiſitè factis non curetur, lethalis eſt. Non patitur ferrum, nec leviter locus affectus etiam remediis exquiſitis adhibitis, coaleſcit. Mortificatur & evaneſcit ſolo *ſpiritu tabaci* quinquies attacta, idque jacente patiente. Vide de ea *Monavium.*

Differentiæ ſumuntur, *à cauſa, tempore,* & *malignitate.*

I. A *Cauſa.* Eſt enim alia *Hæreditaria*, quæ à parentibus infectis cum ipſo ſemine & ſanguine communicatur, curatuſque recens natus infans apud Riverium *Mercurio præcipitato albo.* Alia *Adventitia* poſt ortum invadens.

II. A *Tempore.* Alia eſt *Recens*, quæ partes duntaxat per quæ propagatur & maximè pudenda afficit. Alia eſt *Inveterata*, in qua malignitas etiam hepati, ab hoc ſanguini inprimitur, per quem toti corpori communicatur: ulceraque in ore, faucibus, artubus, & circa anum, diſtillationes pertinaces, cerebro jam affecto, affligunt. Inſtituendæ *purgationes* per ſolum Mercurium per tres vel quatuor dies continuos, quas *ſalivationes* excipere debent: proſuntque paſtilli ex maſtich. pulv. ſuperius deſcripti.

III. A *Malignitate*, [96]. morbis & ſymptomatibus. *Alia* eſt *primi gradus* & *leviſſima*, in qua [97]. pili duntaxat capitis & barbæ ſenſim decidunt. *Alia ſecundi*, & deterior, in qua [98]. univerſa [99]. cutis maculis crebris, minimè extuberantibus, lentiginis inſtar, modò rubris modò flavis adſpergitur. [100]. *Alia tertii*, adhuc gravior, in qua puſtulæ & tubercula, primò circa frontē &

tempora, pone aures, dein in capite, tandem in reliquo corpore erumpunt. [101] *Alia quarti*, in qua ſolidæ partes, oſſa, membranæ, nervi, vincula corrumpuntur: multa glutinoſa & maligna excrementa circa tendines & perioſtia cumulantur, quæ ea vellicant, ab oſſibus divellunt, & cruciatus ſummos excitant, aliquando oſſa carie, cute illæsâ, abſumunt.

93. *Tophi, ſeu nodoſitates & Gummata*) Vide *§. vel extra per Inunctionem*, ubi de morbo Inveterato, *Si Tumores adſint duri &c.*

93. *Tophi ſeu nodoſitates*) Quintum inter ſymptomata locum concedimus *Tuberoſitatibus* ac protuberantiis hinc inde in capite, brachiis ac cruribus ſe manifeſtantibus, aliquando quidem ſine, ſæpius cum dolore conjunctis: Hi Tophi & Nodi excitantur ſub perioſtio, ſive membrana oſſa tegente, & nonnunquam ad ovi, nonnunquam ad majorem magnitudinem excreſcunt, & inſignem in parte affecta deformitatem pariunt. Oriuntur ex materia pituitoſa, ſed valde tenaci, viſcida, & coagulata; Has protuberantias pituitam viſcidam pro materia agnoſcere virus evincit & curatio per medicamenta eandem Pituitam incidentia ſenſimque diſſolventia, *Mercurium* inprimis & *olea ſtillatitia*, ideoque ſale volatili oleoſo abundantia, confirmat.

Quiſquis autem viſciditatem omnem ab Acido & Pingui produci novit, concludet utrumque hic habere locum, atque Acidum neceſſario peccare ſimul, quod intendimus: Concurrit ergo ad Gummatum illorum Tophorum ac Tuberoſitatum generationem Acidum, a quo ideo & Lues Venerea deduci poterit. *Fr. Sylvius.*

94. *Quibus Curandis*) Si oſſa non multum affecerint Tuberoſitates, curari ſolent Emplaſtris & unguentis mercurialibus inprimis cura univerſali per ſalivationem. Sin oſſa infecerint & materia pituitoſa viſcidior illas conſtituat, vix curabuntur niſi aperto tumore, atque ſublato ſenſim humore viſcido, tum per gummata aromatica, tum cauſtica potentialia & actualia, perſeverando donec os mundatum ab omni phlegmate Venereo obſervetur, hinc pergendo ad conſolidationem per Chirurgiam. *Idem.*

94. *Quibus curandis egregia*) Quidam ad *Tophos* vel *Exoſtoſes* digerandas, doloris materiam abſumendam in morbo antiquo, remedium uſurpant quod quibuſdam profuit, nonnullis vero vitium in ventre reliquit quod emendari non potuit; Et ſunt *Pilulæ Barbaroſſæ*, paratæ ex cordialibus & laxantibus medicamentis cum *argento vivo*, Sed inter harum Pilularum compoſitiones melior eſt hæc, in morbo antiquo, ad *Exoſtoſes* & *Tophos* digerendos, *doloris* materiam, abſumendam, ſuntque *Pilulæ Barbaroſſæ.*

℞. *Rhabarb. agar.* āā. ʒii. *aloes* ℥i. *argenti vivi extincti in ſucco roſar.* ʒiij. *cinnam. ambræ* āā. ℈i. *myrrhæ, maſtich.* āā. ʒi. *cum terebinth. excipiantur, Et fiant Pil.* viij. *pro* ʒi. *capiat* ℈j. *pro prima dozi, deinde* ℈iß. *poſtremo* ℈ii. *Pro divitibus adde limatura auri vel pannor. lauri* ℈iv.

Non deſunt qui *Diagrid. Colocynth.* & fortiora remedia addi velint, verum novæ materiæ deſcenſum nimis accelerant, ſicque corpus minus Siccatur, itaque parum juvant, Sed quia timetur ne remaneant in corpore ob tam parvam quantitatem, idcirco ingrediuntur *rhabarb. & agar.* ad leviter laxandum, nam ſi tam parvam moram in corpore traherent, nihil aut parum juvarent. *Rondeletius.*

94. *Quibus curandis*) Si articulorum dolores, & *tophos* vel *tumores* duros paſſi ſint, aut etiam patiantur, hoc modo fiat Syrupus, quia aliquando peccat Jecur, ad ejus deterſionem & purgationem.

℞. *Helenii* ℥i. *galangæ mai. & chinæ* āā. ℥ß. *beton. abſynth. menthæ, marrubii* āā. *m.* ß. *herb. capill. cichor. & bugl.* āā. *m. j, paſſular: dactyl. mundat.* āā. *n°.* xx. *aniſi* ʒiii. *polypod. quern.* ℔ß. *ſennæ ori. qu.* j. *ſem. carth.* ℥ii. *turbith.* ℥i. *agar.* ℥iii. *flor. anthos, ſtæch.* āā. *p.* j. *cortic. citri unc.* ß. *fiat Decoctio, Et in* ℔iii. *colat. diſſolve mell. roſ. & ſyr. roſar. lax.* āā. *unc.* vi. *ſacchar. q. ſ. f. ſyr. aromat. cum* ʒii. *diagalangæ. Et capiat duobus diebus continuis unc.* vi. *ſemel. in hebdomade per menſem, poſtea bis in menſe, deinde ſemel. Accedente hyeme capiat bis in hebdomade ut initio.* Vel ſi malit, utatur *Pilulis ex aloe* ſi curatus ſit, Sin minus *Pilulis ex hydrargyro.*

Si non ſit bene curatus, vel timeat recidivam, utatur *theriaca*, vel *mithridatio*, vel *aurea Alex.* Et hoc in craſtinum ſyrupi, vel Pilularum bis in menſe, ſuperbibendo aquæ abſynth. parum. *Rondeletius.*

Sequenti unguento *Amatus cent. 2. curat. 96.* Monachum *Atheromate* in capite, ex virulentia venerea condecoratum curavit.

℞. *Thur. maſtich. myrrh. cinnam. zinzib. piper. longi, ſandar. Græcor. minii ana* ℥ii. *rad. pyreth. floris ſalis nitri antiqu. ana.* ʒß. *cinnam. tamar.* ℥ii. *butyr. r. unc.* vi. *pingued. porc.* ℔i. *Mercur. cum ſucco limon. extincti unc.* iii. *m. & in mortario omnibus bene piſtis f. Unguen.*

Vires habet tum exſiccandi & abſtergendi, tum ſubtiliſandi & confortandi, quo ſemel in die jejuno ſtomacho, ejus juncturæ ac corpus, demptis capite pectore, aliis ac ventre illinebantur: Fuit hic ſexies illitus, & multa pituitoſa & mucoſa per os emiſit, in quo ulcera (ut plerumque venire ſolet floruere, ſed gargariſmo ex rebus ſtypticis confecto ſana facta ſunt.

Si curatio per exhibita ea quæ ſudores movent inſtituatur, *Nodique* nihilominus permaneant, tunc ſi non exacte Lues hæc ſanata fuerit, per *Unguenta* & *Suffitus* cura repetenda; vel hæc ſola, ſi tantum ex lue alioquin ſublata hi ſuperſint, illis ut recedant, adhibeantur, aucta tunc in unguen. ejuſmodi *axungiarum & oleorum gummat.* emollientium quantitate. *Emplaſtra*, quæ pluribus ſedibus applicata ad hujus Luis curam applicari ſolent, privatim Nodis appoſita juvant; & inprimis *Vigoni* ceratum, quod admodum eos emollit & abſumit. Vel ſumatur *radix bryon. nigra*, excavata impleatur *Mercurio præcipit.* ſervetur aliquandiu in loco humido, poſtea exempto rurſum *Mercurio*, è radice ſecta ſuccus exprimatur, atque illinatur.

Lavatoria ex *Mercurio ſublimato* pro cura generali deſcripta, particulatim quoque *nodis* & *extuberantiis* adhibita, ad ipſorum diſſolutionem plurimum faciunt; maxime ſi adeo efficacia ſint ut illic veſicas excitent, vel cutem etiam adurant.

Spuma quæ dum *guajacum* decoquitur, collecta, nodos etiam diſcutit, ſi ſæpe ea laventur: Inprimis *herbarum narcoticarum folia & radices* admota competunt, uti & *radic. bryon.* etiam ſine *Mercurio* contuſa, appoſita mirabilem effectum præbet. *Platerus.*

95. *Unde accedendum ad ſcalpellum*) Amputantur & nodi ſi non cedant, & impedimentum afferant, uti in aliorum nodorum cura fieri ſolet; Et ſi in ſede, *articulis, nerviſque tendinibuſque*, minime vicina exiſtant, ut in ca-

in capite; aut metus ſit ne oſſa ſubſint carie infecta, eo modo etiam uruntur cauterio actuali; & ſi calvariæ vel *tibiarum* media longitudinis pars aliqua infecta ſit, vel alterius oſſis, nec per uſtionem à ſana abſcedat: Inſtrumentis idoneis vel etiam forcipibus, vel per trypanum ſi in calvaria hoc fiat, portio oſſis extrahitur: Quo in calvaria facto, ſi meninx nuda appareat, ſindone rubra, antequam emplaſtra ulceri imponantur, intecta munitur: Dein ulcus uti capitis ulcera ſanatur. *Platerus.*

96. *Morbis & ſymptomatibus*) Luis differentias ſpeciesque nonnulli quibus ſymptomatum quam eſſentiæ major cura fuit, varias multipliceſque ſtatuerunt, Vna tamen & eadem eſt eſſentia totius, ſed variis diſtincta ordinibus, ut alia levior ſit alia gravior, Eſt & corporum in quæ illa incidit permagna varietas, At utraque ex cauſa fit ut Lues alia levioribus, alia gravioribus ſymptomatis exerceat. *Fernelius.*

97. *Pili duntaxat*) Ejus quippe virus in tenui quodam vapore conſiſtit, qui in corporis ſumma diffunditur ad pilorum radicem, atque ut Ephemera febris à Putrida, ita & hæc ſpecies differt à cæteris. *Fernelius.*

98. *Vniverſa cutis maculas*) Aliter ſentit *Fr. Sylvius.* Inter leviores Luis ſigna inquit, recenſeri poſſunt *Maculæ*, nunc *rubentes*, nunc *flaveſcentes*, aut *liveſcentes*, quæ aliquando amplo ſpatio cutem commaculant; frequentius quidem in *pectore ac dorſo*, aliquando etiam in *abdomine* & alibi: Has preſſas, colore alieno refugiente, albicans veſtigium dediſſe, quod tamen mox ad priſtinum colorem rediret, ſe obſervaſſe narrat *Platerus*, qui ex hiſce maculis ſolis, quoties alia ipſarum cauſa nulla præter congreſſum impurum patet, luem Veneream, licet leviorem, concludit, quia ſcilicet minus potenter, oſtentant ſui atque illius veram cauſam & adæquatam.

Quod ſi quis *omnium macularum* cauſas perſcrutetur, comperiet tandem ipſas ortum ſuum habere à *Corruptione incipiente aut leviſſima cutis: Leviſſimam*, ſive *incipientem* cutis corruptionem voco, quæ nondum eſt perfecta, & à qua regreſſus adhuc eſt ad integritatem; ſicuti *graviſſimam* atque *abſolutam*, à qua regreſſus non eſt ad integritatem, nec niſi cum aliqua iſtius partis deperditione; Hoc ipſum exemplis nòtis, atque Experientia confirmemus, Quamdiu in Gangrænæ metu color cutis eſt duntaxat rubeus, aut ſubpurpureus, tamdiu corruptio ejus eſt incipiens, atque talis ut ad integritatem redire poſſit pars affecta; quamprimum autem ad nigredinem pervenit, conclamatum eſt, atque tanquam extreme corrupta emortuaque Cutis, aut ſponte aut arte à vicina ſeparanda eſt ut ſervetur membrum affectum: Sic in febribus malignis vocatis, ac *Petechias* comites habentibus, quamdiu maculæ ſunt rubeæ, aut etiam purpureæ, tamdiu ad integritatem abſque ſui jactura redire poteſt Cutis; Ubi autem extreme lividæ, aut nigræ factæ ſunt, non tantum Cuticula, ſed ipſius Cutis aliqua pars ſeparari ſolet quando convaleſcunt ægri, atque foveæ tales in cute remanent quales è Variolis ortas conſpicimus,

Solent autem illæ maculæ omnes cum extrema cutis ſupremæ, aut etiam totius corruptione conjunctæ in Puſtulas uel ulcuſcula ulcerave degenerare priuſquam pars extreme corrupta ſecernatur ab illæſa & ſana, ſicut id perpetuo fit variolis & anthracibus peſtiferis, quorum ortus ſemper ſolet incipere ab extrema cute maculis affecta; quæ Maculæ diutius permanent aliquando, uti citius in puſtulas elevantur. Hinc eſt quod in Variolarum præſertim exortu nonnunquam per aliquot dies dubitetur: etiam à Medicis peritiſſimis, an Variolæ ſint futuræ an morbilli.

Quoniam vero omnis corruptio partiũ corporis quaſi vis à cauſis internis oborta, pẽdet vel à *Sale lixivo*, vel ab *Acido*, videndũ à quo nam *maculæ* in lue Venerea obſervabiles ſint deducendæ, Idcirco autem illas à *Salſo lixivo* deduci non poſſe aut debere patet, quoniam ubi in puſtulas & ulcuſcula vel ulcera ipſa degenerant, nihil affinis habent cum corruptione à ſalſo lixivo pendente ſicuti oſtenſum cum ulcerum Venereorum ortum excuſſimus: reſtat proinde ut *iſtas maculas ab Acido* deducamus, cum præſertim ſuccedentia nonnunquam ipſis poſt puſtulas ulcera adſtruant, ſic omnia belle ubique ſibi conſentiunt.

Maculæ ſponte abire ſolent poſt curam univerſalem abſolutam, licet poſſint citius tolli ſi Decocto Guajaci & aliorum aromaticorum foveantur. *Franc. Sylvius.*

99. *Cutis maculis*) Quæ non ante deberi extinguive poſſunt quam morbi radix ſit evulſa: Hęc in tenuiſſimo ſanguine virus habet, quum nulla alia graviora ſequuntur ſymptomata. *Fernelius.*

100. *Alia tertii*) Tertia ſpecies gravior, ac jam vera luës eſt, Puſtulæ hæ exuberant rotundo ſchemate, ſiccæ, ſine pure, quæ dein ſicca cruſta obducuntur, atque ſi negligũntur ſerpunt in ambitum excavantque cutem, dum ex Puſtula verum ulcus fiat; quod fere virulentum eſt ac ſordidum partes quæ ad podicem, nares, atque fauces ſunt, quia tenellę, omnium primæ exulcerari ſolent: Emergunt autem hæc cum Jecur ipſum, atque ſanguinis humorumque maſſa labefactatur, à qua protinus molles carnoſæque partes detrimentum capiunt. *Fernelius.*

101. *Alia quarti*) Sic exprimit *Fernelius*, Quarta his ſpecies ſuccedit cum jam invaleſcens Lues ſolidas partes &c. invadit; In his jam vitiatis excrementa multa, craſſa quidem, ac glutinoſa pro partis conditione ſed tamen maligna congeſtione accumulantur, quæ nonnunquam in tendones; ſæpius inter oſſa & perioſtia confluunt: Hæc cum vel membranam ab oſſe divellunt, vel cum maligna acrimonia feriunt, cruciatus cient implacabiles qui noctu fere ingraveſcunt; Ab his demum coagmentatis prædurì Tophi cum cruciatu multo graviore ſuccreſcunt: Eadem porro cum in oſſe figuntur, ed amplificant, diſtendunt, exedunt, ut ejus ſæpe deprehenſa ſit monſtroſa figura. Tandem verò corpus vigiliis, diriſque cruciatibus confectum & atrophia marceſcens, vita deſtituitur.

Condylomata.

Inter Luis ſymptomata numerantur *Condylomata*; tam in muliebri pudendo quam utriuſque ſexus ano ſubinde obortis nec multum à cæteris differentibus; Sunt autem Tubercula dura & obcalleſcentia, tædio magis quam dolore partes affectas moleſtantia, Oriuntur in cute rugoſa, quales eſt in Podice atque muliebri vagina, virilique præputio, in quibus duntaxat ſolent oriri partibus, & quidem à præpoſtero Veneris uſu & partium arcto confrictu, ſive id contingat à perſonis lue Venerea correptis, vel alias ſanis Condylomata ergò cum non tam ſequantur Luem quam nimium Veneris uſum & abuſum, qui familiaris eſſe ſolet iis qui Venerea lue ſunt correpti; non mirum ſi & frequentius illi Lui copulentur, poſtquam rarius evenit ut qui Veneri nimium indulgent commercium non habeant aliquando cum infectis, atque præter Condilomata alia quoque patiantur Luis ſymptomata: Cum igitur non tam ſint Luis ſigna propria quam Veneris frequentioris documenta, non poſſunt illa quoque illa aliquid certi determinare quo ad ipſius cauſam veram, nec eſt proinde quod ab illis expectemus aliquid notabilis ad Luis naturam eſſentiamque explanandum: Id autem tanto minus nos angit quia ex primariis Luis ſymptomatibus

oſtendimus ipſam à ſolo *Acido acriore* poſſe produci.

Condylomata tum *muliebri pudendo*, tum in utriuſque ſexus *podice*, oborta, ut & Verrucæ in membro virili erumpentes *curantur*, præter Luis univerſalem curationem, per medicamenta illis applicata *Mercurialia* acriora, ipſa conſumentia cæteroſque ſpiritus Acidos, *vitrioli, ſulphuris* & ſim: Poſſunt ergo una ſpirituum illorum gutta tangi, & quidem toties (ac ſemel tantum in die) donec corroſa ſint & ſiccata decidant: Conducit quoque *aqua plantaginis & roſarum* ana ad libram unam cum *aluminis crudi & mercurii ſublimati* ana drachmis duabus, miſta & vitro decocta, & poſt ſubſidentiam effuſa, ac lintea parti affectæ admota. *Fr. Sylvius.*

Prognoſis, & Curatio Cariei, ſeu Corruptionis Oſſium.

Caries Oſſium præ aliis curatu difficile ſymptoma: Difficultas Curationis vel inde pendet, quod venenum venereum ſeſe intime inſinuet oſſibus, quo penetrare nequeunt remedia illi corrigendo apta, nec facile igne, ſive cauterio actuali ſuperari poſſit idem malum: Acidum certe arctiſſime oſſibus ſeſe inſinuare, illaque ad internecionem corrumpere notum eſſe poteſt omnibus affectuum Chirurgicorum obſervatoribus, & ſupra libros doctis.

Dico ad internecionem corrumpi oſſa in carie venerea, cum revera vivant quoque oſſa & carie correpta pro mortuis habenda ſint.

Ad Cariei proinde curationem neceſſe eſt, tota pars carie affecta, utpote mortua ſeparentur à ſana & viva, cum qua nec coaleſcere nec diu ſubſiſtere poteſt Carioſa, quin eandem itidem inficiat & ad corruptionem ſimilem paulatim deducat: Difficile autem eſt aut *igne* aut *ferro ignito*, aut *medicamentis* convenientibus oſſis partem carie affectam ſeparare ab integra, poſtquam, per cuniculos in ſanam ſe inſinuat venenum venereum non quieſcens, ſed eundo vires adquirens; ſicut in omni carie venerea manifeſtum, cujus cauſa non ſiſtitur aut infringitur ab oſſe ipſo quod corrumpitur, ſed in dies augetur & acrior fit, unde tandem, ubi ad ſummum pervenit Caries Venerea fit incurabilis.

Difficultas autem ſumma in Carie curanda etiam inde pendet, quod remedia ipſi curanda convenientiſſima ſæpe ſatis convenienter applicari uſurparique non poſſunt: Partes namque oſſibus vicinæ, membranæ, tendines, nervi, & ſimiles, ab actuali cauterio ſimul læduntur, & intolerabiles dolores patiuntur.

Augetur autem idem malum quando ſæpius applicantur actualia illa cauteria, quæ una vice parum præſtare ſolent, at ſæpius iteranda ſunt ſi profutura ſint.

Cætera remedia quæ Cariei conſumendæ aut tollendæ adhibentur, vel invalida ſunt nimis ad quæſitum effectum producendum, & illud venenum ſuperandum, vel non ſatis penetrare poſſunt ad quævis loca in quæ ſe inſinuavit prædictum Venenum Venereum in Aciditate acri conſiſtens ac penetrantiſſimum: Quæcunque namque hactenus obſervata ſunt, quocunque modo Acidi acrimoniam debellare, vel *ſalia* ſunt lixiva, tam fixa quam volatilia, vel ſpiritus volatiles, vel olea, vel aquea, vel quædam ex prædictis magis compoſita: Salia vero lixiva fixa, quæ primaria ſunt Acidi oppoſita & adverſaria, pura & ſolida ſi fuerint, in ſuperficie hærebunt, nec aliquid laudabilis magnive præſtabunt; Sin aqua diluantur, ſimul partem aliquam virium ſuarum amittent: Si cum ſpiritu volatili conjuncta fuerint penetrabunt quidem quaquaverſum facilius, operabuntur autem ſimul debilius: Si cum oleo in Saponem mutata fuerint, debiliora ſunt reddita, nec facile ad interiora penetrabilia: quibus ſi aqua accedat ut diluantur & ulterius penetrare poſſint, reddentur ſimul magis inertia: Adeo ut inter omnia Venenum venereum Acido acre cariem producens corrigentia remedia, poſt *Cauterium actuale*, primus locus videatur aſſignandus Salibus volatilibus, utut ſatis debilibus ad tantum malum ſuperandum, Non mirum proinde ſi tum raro curetur *Caries Oſſium* notabili Lui accidens, quin pleroſque ad mortem uſque comitetur. Vera etenim ratio curandi eſt, ut *Os infectum*, quoties tuto, totum tollatur, poſtquam vix unquam ſiſti poteſt in ipſo caries, aut pars oſſis corrupta ſeparari à ſano: Laudo vero *ſalis volatilis* uſum, qui laudabilior erit ſi quis ſalia volatilia plurium generum adornet, atque optima quævis per accuratam experientiam ſeligat: Uſurpantur quinque in Oſſium carie curanda *Lithargyrium*, *Ceruſa*, imo *Guajacum* in pulverem trita & inſperſa, quæ juvant quatenus Acidum in ſe concentrant, & ab oſſibus allectum avertunt, ne ulterius ſerpere, ac ipſa corrumpere pergat: Hæc ſunt blandiſſima curandæ cariei remedia; proxima ſunt, ſive media, ſalia tum volatilia tum fixa, tanquam cauteria potentialia, potentiſſimum vero eſt Cauterium actuale; quorum ope niſi poſſit curari caries habenda ipſa merito pro incurabili. *Franc. Sylvius.*

Vlcerum Curatio.

Quod de Puſtulis dictum vide §. *Curationem Vide*) idem de ulceribus venereis dicendum Ipſa univerſalis Luis cura ſi rite fiat ſimul curari & tolli, tum ea quæ per Decocta ſudorifica, tum ea quæ per ſalivationem cæteraſque vacuationes mercuriales abſolvitur.

Poſſunt præterea ablui ac mundari Decocto *Guajaci* & cæterorum *aromaticorum potentium*, quin tangi poſſunt *ſale volatili liquido & Cupri tinctura* imbuto: *Unguentis* etiam feliciter admiſcetur *Mercurius* tum *præcipitatus*, tum *ſublimatus*. ac præſertim *dulcis*: Quorum ope poſtquam mundata ſunt ſatis ulcera venerea, conſolidari poſſunt facili negotio cæterorum more. Inſervit ergo *Mercurius* tum, *præcipitatus* tum *ſublimatus* veneno venereo corrigendo, tam ratione ſui, quam ratione ſpiritus Acidi in ſe concentrari & Acido venereo ſubcontrarii. *Fr. Sylvius*: Quomodo ad ulcerum venereorum curationem faciat *Mercurius* per acidos ſpiritus tum ſublimatus, tum præcipitatus, ſi Luis eſſentia in acido conſtituta ſit, vide eundem *Append. Tract. 3. ſ. 356. 357 358. 359. & 360.*

Si ſint ulcera & affectus ſit cum multis *papulis & ulcuſculis* tunc *thus, maſtix, iris, ærugo æris*, & alia miſcebuntur.

℞. *Axungia porci* lb.j. *butyri rec. terebint. lota in aqua vitæ ana.* unc. ij. *reſinæ & Unguent. Martiati ana* unc.iij. *argenti vivi* unc. v. *olei irini*, *& laurini ana* unc.iij. *litharg.auri* unc. j. *miſce f.* Linimentum quo utatur ut prius (vide §. *Vel extra per Inunctionem*) Si vero ſint *Ulcera majora & curatu difficilia*, adde uni parti Unguent, quæ ulceri conveniunt ad deterſionem vel mundationem carnis: Vel ſi ſit *doloroſum* & quoquomodo non poſſit ſigillari, fiat hoc modo.

℞. *Ungu. præſcripti quart.*j. *Ungu. Apoſtol.* unc.j. *miſce.* applicetur ſupra ulcus putridum & ſordidum: Ad majorem arroſionem faciendam, & ut quicquid eſt putridi auferatur, neceſſum eſt addere parum *ſublimati*, quod multum proderit ubi una vel duabus applicationibus uſi fuerimus, ne frequenter partem vexando labefactemus, vel intemperiem calidam inducamus: Cum vero deterſum fuerit, & ad ulceris naturam revocatum

tum, tunc addemus, *Vni parti unguenti* plus *reſinæ, maſtichis, thuris, aloës, ſarcocollæ, vel panacis,* vel *cerusſæ,* vel *minii*, vel *plumbi*, vel *antimonii*, ſemper iſta augendo & *Mercurii* quantitatem minuendo. *Rondeletius pag. 846. Si ulcera oſtracea* caſtiganda ſunt, vel cicatriſanda, *Empl. Divino* vel *diachalcit.* addito *argento vivo & cinabrio* citius curabuntur quam aliquo alio. *Idem p. 859.*

Interim (*dum Luis curatio per Ligni decoctum ſuſcipitur*) niſi ulcera & vulnera ſint, nihil foris illinitur: His vero, ſi exigua ſint, neque Unguentum, neque aliud quid imponendum, ſed expectandum dum avulſa mali radice ſponte ſicceſcant: Sin altius ſerpunt, ſordidioraque ſint, *Aqua* noſtra plane divina bis terve quotidie abluuntur, carpinatumque goſſypium in ea imponatur ulceris cavo; Hæc non modo mirifice deterget & ſiccat, ſerpentemque malignam putredinem cohibet & arcet, ſed etiam quicquid in ulceris cavo durum eſt, paulatim maturat & in pus deducit, ulcus dein carne replet & tandem cicatrice obducit, ut multorum unguentorum vice uſurpari poſſit.

Aqua divina ad ulcera.

℞. *Sublimati opt.* gr. xii. *aquæ plantag.* ℥vi. *decoque ſuper calidos cineres in phiala vitrea ad dimidias, & utere*; Fernelius, in fine Tract. de Lue Venerea.

Quomodocunque fiat Guajaci Decoctio ſive cum vino, ſive cum aqua, ſpuma diligenter colligenda eſt, hac enim illinenda ſunt ulcera, calloſitates, puſtulæ & loca dolentia: Spumæ loco utuntur aliqui ramentis ligni in vino antiquo & oleo veteri coctis: Præſtat oleum ex ligno ipſo, vel juniperi Chymicum. *Foreſtus ſch. obſ. 7. lib. 32.*

Vlceribus tam internis quam externis, diverſis in Luis hujus ſpecie aliqua prodire ſolitis, alias ſi leviora ſint, *cura generalis*, qua ſola curantur, ſufficit; alias vero ſi altius radices egerint, particularis etiam cura, ſi præſertim deteriora ſint, ne partes depopulentur, oſſaque citius vitient, debetur, illiſque ſtatim dum adhuc cura generali utuntur, ſi poſt eam nihilominus ramaneant, adhiberi debet; In *Externis ulceribus, in facie* juxta *naſum, labia*, vel juxta *obſcœna* & podicem, vel in præputio in maſculis, uſurpando primum, ſi *ſordida* ſint, quæ illa *munda* reddant; ſi *putrida* quæ *putredinem* auferant; ſi *cava* quæ *carnem* regenerant, indeque cicatrice obducantur; Deinde &, ſi *oſſa carioſa* facta ſint, quæ cariem ab illis abradant; Qualia remedia, quæ & actu & potentia illud præſtent, in Vlcerum cura generali adducuntur: Conveniunt inprimis in Vlceribus hujus luis quæ *argentum vivum* vel *ſublimatum*, aut præcipitatum, aut in cinnabarin redactum, ſimul cum illis quæ ulceribus accommodantur, recipiunt, E. g. ſi *Vngu. Apoſt.* unc. vj. *argenti vivi cum terebinth. diſſol.* ℥ß. vel *ſublimat*, vel *præcipit.* ℥i. aut plus: Vel miſcendo *Vngu. generale* pro cura hujus luis in Inunctionibus deſcriptum, cum æqua horum Vnguent. quæ ulceribus competunt proportione: Vel aliud illic quoque deſcriptum, & *puſtulis* vel *ulceribus* ſi adſint, accommodatum, hic etiam ulceribus poſt curam relictis admovendum, atque ſi *putrida* ſint *ulcera*, *cinnabaris, ærugo æris*, & ſi neceſſitas exigat, *ſublimatum* etiam illis permiſcenda; & ſi de *oſſis corruptione* metus ſit, *Myrrhæ* doſis ad unc. i. augenda; Quod ſi *oſſa carioſa* jam facta ſint, *euphorbium* ſimul ad ʒvi. addendum, quod corruptas ſquamas oſſe ſano ſeparat & detrahit: *Pulveres rad. hellebor. albi*, *agar. fol. ſennæ* admiſti, perverſa iſta ulcera admodum emendant. Inter cætera quæ ad curationem horum ulcerum faciunt, etiam commendatur *Oleum Guajacin.* item *Antimon. Petrol. & Juniper.*

Spumam, dum decoctum *Guajaci* paratur, collectam, ulceribus illitam, ad ſanationem illorum prodeſſe docent.

Interna alia *Vlcera* in corporis cavitatibus in hac lue prodeuntia, licet & hæc, uti de internis dictum, per generalem curam ſanari debeant, tamen & ipſis dum ea cura utimur, vel etiam poſtea ſi perſeverent, particularia adminiſtrata competent: Quæ non multum ab illis differunt quæ aliis ejuſmodi locis ulceribus enatis, citra hanc luem competunt; Nam in *Narium internis ulceribus*, uti in narium aliis ulceribus procedimus, per *errhina* attracta vel infuſa, *pulveres* qui inſperguntur; *fumos* naribus hauriendos, Inter quæ illa quæ *decocta guajaci, cinnabarin, ſublimatum* admittere docuimus peculiariter etiam hic conveniunt; *Suffitus ex Cinnabari* non tantum corpore toto exceptus *luem* hanc, ſed & tunc quoque naribus attractus ulcera hæc potenter ſanat: In *Oris & Faucium ulceribus* diverſis, uti & *aphthis, fiſſuris, excoriationibus*, ſive hęc à lue ipſa mox prodeant, vel poſt hydrargyri uſum primum erumpant, ea quæ in aliis ejuſmodi exulcerationibus, competunt. hic quoque proſunt; In *Podicis utriuſque ſexus*, & *pudendi* mul. interioribus, *ulcera uti* & *condylomata* frequentius luem comitantia eandem curam requirunt quæ in *doloribus* harum ſedium proponitur, In *Penis interno canali*, & *cervice veſicæ* in utroque ſexu *ulcera*, ardentem & purulentam mictionem, hujus luis accidentia, interdum procreantia, quomodo curari debeant, de *mictione purulenta* & oſtenditur, uti & in *gonorrhœa virulenta* quæ præcedere interdum hæc ſolet, inibi oſtenditur. *Platerus.*

De Hyperſarcoſi.

Hyperſarcoſis meatus urinarii, germen eſt gonorrhoes virulentæ: putrida enim & acris illius illuvies canalem præterlabens; in eo ſui veſtigia relinquit, ulceraque inurit, in quibus lapſu temporis carunculæ luxuriant, quæ urinæ viam intercipiunt.

Latent diu hæ in aliquibus incomprehenſæ, nullo calore, ardore, doloreve ſtipatæ, niſi poſt immodicam Venerem, exercitium vehemens, equitationem violentam, æſtiva potiſſimùm tempeſtate, crapulam & alia ejuſmodi. Poſthæc enim ſordeſcit glans, putrido quodam rabo, quod paucis poſt diebus diætâ convenienti & remediis aliquot adhibitis ſiſtitur & quoniam labes antiqua remanet invicta, ſanies aliqua ex ejus ſinu per intervalla ſtillat, quâ inficiuntur lintea, filamenta in urinis apparent & lenis quidam dolor & titillatio in penis radice mejendo perſentitur: Si tamen caruncula ulceri adnata fuerit, urina bifida vel tenui filo exit & immiſsâ candelâ cereâ, offendiculum in viâ reperitur, quo ſæpiſſimè urina ſupprimitur.

Hic affectus intolerabilis eſt, & quancumque medici eludit ſolertiam; poteſt quidem manu chirurgi abradi hyperſarcoſis & Urinæ via expediri, ſed calloſum ulcus nullis remediis poteſt expugnari, unde nova caro poſtea pullulat, quæ tandem ætate provectis ita obdureſcit, ut quæ candelæ cereæ etiam tenuiſſimæ aditum intercludat.

Vlcus illud non in Urethrâ ſolùm excavatur, ſed in proſtatis, ubi prima mali Origo conſiſtit & aliorum omnium quæ in canali generantur, imò aliquando ad proſtatas, corpus veſicæ & renes ſerpit.

Ut tantis ærumnis medela aliqua adhibeatur, V. S. & purgatio non ſunt omittendæ, eæque celebrandæ pro virium modulo & ſymptomatum ingruentium naturæ.

Decoctum antimonii ſupra §. de gonorrhoëa deſcriptum, ad hujus ulceris exſiccationem & ad virus, ſi aliquod interjecta quarto quoque diu purgatione ex pilulis mercurialibus.

Si verò urina vel ſupprimatur, vel tenui admodum filo exeat, candela ſimplex cerea immittenda eſt, ut caruncula compreſſâ, urinæ ductus expediatur, poſtmodum catarctica ipſi admovenda ſunt; , quæ apud *Paræum* & alios authores videre, licet, ut his fungus adnatus abſumatur, calli corrodantur & ulcus expurgetur.

His præſtitis, ſi Vrina pleno ductu erumpat, de ulceris conſolidatione cogitandum eſt, ſi aliquâ arte id aſſequi licet; Verùm ad hunc uſque diem talis felicitas non contigit, quicquid jactent ignari artifices: Irritantes enim ſunt omnes candelæ, quæ vocant conſolidantes, inutiles tutundæ plumbeæ & incaſſum uſurpantur variæ injectiones ad hujus affectus curationem. *Barbeyrac.*

Cap. XXXV.

1. De Venenis.

2. *De Venenis foſſilibus.*

3. Venena in ſpecie conſiderata, ſunt 4. vel *Foſſilia*, vel *Vegetabilia*, vel *Animalia*.

5. *Foſſilium* præcipua & maximè communia 6. ſunt ſequentia.

I. 7. *Aqua fortis*, 8. cujus vis mucilagine ſemin. cydonior. pſyllii, gummi tragacanthi, &c. 9. infringitur.

De Venenis.

Præfatio.

Si qui morbi egent Medicinæ auxilio ij profecto ſunt qui ex Venenis contingunt, hi enim ob ſævitiam, celeritatem, & naturam pleriſque incognitam plerumque abſque remedio miſertime hominem rapiunt; Cæteri autem ab aliis cauſis orti, ut febres, pleuritides &c. ſæpe abſque Medici auxilio à ſola natura concoquente & noxios humores expellente ſanantur, ut experimento noverunt ij qui ruri degentes, aut in itinere; ubi deſit medicorum medicamentorumque copia hujuſmodi morbis corripiuntur.

Vulnera autem fracturæ & luxationes medici quidem opera indigent, manu adjuvante, ſed cum unicuique vel gregario nota ſit eorum natura etiam remedia quibus ſanentur, non multo negotio inveniuntur, Venenum autem vis eſt adeo pervicax, ut neque à natura vinci queant, neque remedia quibus ſuperentur inventu ſint facilia, cum deliteſcant eorum rationes etiam medicis clariſſimis, proprietates quaſdam occultas eſſe fatentibus, ideoque non ratione, ſed ſola experientia ſanari, Sed ô à bone Deus! in quantis anguſtiis verſantur ægri infelices, cum Medici rationales quid agant neſciant? Quorum loco inſurgunt circulatores, mulierculæ, & quivis ex plebe ſuam præſidia jactantes cum magno Medicinæ dedecore inſtanre interim repentina morte, niſi citiſſime occurratur: Sunt enim quædam Venena quæ non diem alterum aut tertium expectent, imo quædam pauciſſimis horis & fere momento extinguant, ut de *Aſpide* teſtatur *Galenus l. de Ther. cap. 8, Cleopatram* Aegypti Reginam, ne ab *Auguſto* Romam duceretur in triumpho, ex ejus morſu facto prius periculo in duabus ancillis ſtatim occubuiſſe.

Verum cum videam apud probatiſſimos viros venenorum rationes non omnino exiſtimari, ut Empirici putant, quin imo cum ratione ac methodo curari utiliter poſſe, Experientia tamen adjuvante, placuit, favente Divino auxilio, de iis agere, hinc ſumpto initio.

Dioſcorides de Venenis egit *lib. 6. Mat. Med.* Diſputat hic adverſus Empiricos nunc cæcas eſſe venenorum rationes: Remedia quoque methodo ac ratione inveniri: *Galenus* quoque *8. Simpl. 18.* teſtatur varias rationes venenorum eſſe quibus interimant, Nec temere, ut Empirici, ſed exacta ratione *Theriacam ab Andromacho* compoſitam: Multa quæ hominem perimunt, remedio eſſe ſi certo modo caſtigentur, ut viperæ carnes, opium &c. Rationi adjunctam experientiam in condemnatis apud Principes, ſed apud privatos in Gallia; Si igitur ſola Experientia ſufficeret, fruſtra eſſet ſpeculatio, quam aggredimur ex *Galeno & Dioſcoride.*

At tractatio de Venenis cogit Venena patefacere, quod improbum eſt, etiamſi vitandi gratia patefiunt, quod feciſſe *Orpheum & Heliodorum* narrant (*2. Antid. 7.*) At hi præparationes & compoſitiones Venenorum docuerunt, quod Medico non eſt neceſſarium, nam ſatis eſt notas læſionum oſtendere cujuſcunque Veneni ut auxilia ſingulis parentur; *Theophraſtus in Aconito* teſtatur præparationes eſſe ut ſtato tempore interficiat, ſed eas tacet. Neque igitur nos Venena docebimus, Sed eorum, quæ nota cum ſint ſigna & curationem explicabimus. *Andreas Caſalpinus Catoptri Art. Med. libr. 3.*

Præſcienda de Venenorum Natura.

Venenorum proprie ſic dictorum naturam, quod attinet, ante omnia præſcindendus eſt conceptus uſurpationis & præparationis, ab eorum interna eſſentia, quia ſub illo reſpectu venena ſunt non venena, hoc eſt legitimo uſu, & commoda præparatione abeunt in ſaluberrimas medicinas: Propriam vero conſideratam eſſentiam, conceptu quodam generali exprimere videtur impoſſibile &c. *Etmuller Tr. de Morſu Viperæ.*

1. *Venenis*) Inſignis hic animadvertendus abuſus, dum quodlibet corpus naturale, ejuſve pars quædam lædens quocunque modo corpus humanum, cujus læſionis ratio adeo manifeſta dari non poſſit, aut licet reddatur, ab altero ob præconceptam opinionem vim non accipiatur, mox venenoſum, læſioque à Veneno oriunda dicitur, Sic Opium *ſæpius* vocatur venenoſum ob vim ſuam narcoticam, cum tamen Theriacæ conſtituat baſin unde & *hyoſcyamus*, *ſolanum*, *mandragora* ipſumque ſalutiferum *papaver* ſub venenorum vulgo rediguntur claſſem, cum tamen horum legitima præparatio & uſus divinas medentibus porrigat manus: Miror interea cur non & pares ob cauſas *vinum* inter Venena relatum fuerit, poſtulante hoc delirio ebrioſo, ſicuti ob vires hujuſmodi ſtupefactivas vapor ex muſto fervente exhalans venenatus dicitur, cum tamen *muſtum* in lar-

in larga quoque copia hauſtum, nullas veneni inprimat notas, Solent ſimiliter ſãguis menſtruus, lac in vetriculo *coagulatum*, ob quædam ſymptomata ex ſtomachi gravedine oriunda, *Unguium ſegmenta*, ob vim emeticam, vel purgantem excedentem, *cantharides* ob vim ſuam veſicam præſertim exulcerantem &c. venenorum appellari nomine: ut & *calx viva*, item *gypſum*, *vitriolum*, aſſumptum, *aqua fortis* venenata dicuntur: Cæterum ſi ſimili modo pergere debeam, vereor ſane ne omnia medicamenta & alimenta ex perverſo uſu fiant venena & horum uſus legitimus eadem in medicamenta permutaret, Aliud namque eſt noxium, aliud venenoſum. *Etmuller Tract. de morſu Viperæ.*

De Venenis.

¹· *De Venenis*) Omnia in toto macrocoſmo ſi conſiderentur ad corpus humanum, illud vel *juvant*, vel *lædunt*, vel medio modo ſe habent: Quæ juvant ſunt vel *alimenta*, vel medio modo ſe habent: quæ lædunt univerſali nomine ſunt *Venena*: *Mixta*, ſeu quæ medio modo ſe habent, partim juvant, partim lædunt.

Veneni notionem eleganter explicat. *C. Caſſius IC. in LL.236.de V.S.* Locus ab *Deg. Menagio Anoen. Jur. c.5. pag. 425.* laudatur hic eſt, Qui venenum dicit, adiicere debet utrum malum an bonum, Nam medicamenta venena ſunt, quia eo nomine omne continetur quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſſet, mutat; cum id quod nos *Venenum* appellamus, Græci φάρμακον dicant, Apud illos quoque tam medicamenta, quam quæ nocent hoc nomine continentur; Inde adjectione alterius; nomine diſtinctio fit; admonet nos ſummus apud eos Poetarum *Homerus*, nam ſic ait, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά.

Nimirum μέσον quidem eſt hoc vocabulum, uſu tamen magis hodie pro noxio ſumi conſuetum, ampliſſima licet in latitudine; Quod ſi quis noverit, facile capiet quare inter venena ab Autoribus etiam *calx viva*, *pix*, *minium*, imo nihil non corpori adverſum referantur, Et hinc apud *Scaligerum* Venena agere dicuntur primis, ſecundis & tertiis qualitatibus.

Speciatim vero Medicamentum eſt, definitore *Galeno 1. de S.M.F. capit.2.* omne id quod naturam noſtram alterare poteſt, Alimentum quicquid ſubſtantiam augere, ſubſtantiam nativi caloris.

Notandum autem duplici nomine augeri calorem, aliquando quoad ejus ſubſtantiam, aliquando quoad ejus qualitatem, Subſtantiam magis adaugent alimenta; qualitatem alterant medicamenta; *Alimenta* nutriunt *ſubſtantifice* & aſſimilantur, accedunt, & immutatione in maſſa ſanguinea facta in ſupplementum conſumpti & diſpaleſcentis coaptantur: *Medicamenta alterant* calorem & ſuperantur, ferente id eodem & correcto, prædominante itidem & actuante.

His perpenſis, ut contrariorum *Venena* erunt, quæ & ſubſtantiam & qualitatem calidi nativi *corruptum eunt*; eumque ſubjugant, ſuperant & deſtruunt, magis vel minus, ut compages principiorum vitalium fatiſcat, & machina moveri deſinat.

Merito autem *mixtam claſſem* ponere ſuſtinemus, eamque iterum triplicem, primæ claſſis ſunt *alimenta medicamentoſa* vel propoſitione converſa, *medicamenta alimentoſa*, Secundæ claſsis ſunt *alimenta venenoſa*, vel vice verſa; Tertiam conſtituunt *medicamenta Venenoſa*, & *Venena medicamentoſa*, quorſum referre par eſt purgantia ἄνω καὶ κάτω δραστικώτερα.

Ut taceamus Venena mitigata, evadere poſſe medicamenta, & hinc illud valere ſæpe, *ubi virus ibi virtus*. Item poſſe alia quædam in ſe bona & corpori amica, per accidens noxia & venenata evadere.

Singula hæc dicuntur ita relata ad hominem; noto enim notius eſt & homini venena eſſe, quæ aliis animantibus brutis alimenta præbent, ut *aranea gallinis*, *cicuta ſturnis*, & contra, ea brutis venena eſſe conſtat, quæ hominis medicamenta ſunt, ut aloë vulpibus, nux vomica canibus &c.

Homo nempe medicamentorum & omnium horum veluti regula eſt & norma, juxta quam reliqua omnia huic collata, calida, frigida, humida, ſicca, alimenta, medicamenta, venena dici oportet. *Wedelius Amoen. Mat. Med. l.1. ſ. 1. cap.1.*

¹· *De Venenis*) Etſi omne illud venenum appellari poſſit, quod occultis qualitatibus homini inſigniter nocere poteſt, ea tamen quæ vim hanc à ſuâ naturâ, nullâ putredine aut corruptione præcedente, obtinent, propriè & in ſpecie à nonnullis venena appellantur, qualia ſunt omnia, quæ extra homini adveniunt, ejuſque corpori immittuntur, ſive ſint è *mineralium*, ſive *plantarum*, ſive *animalium* genere.

Cum *Cardano* lib. 1. de Venen. cap. 1 & 4. Venenum deficiendum putamus; *quod aptum eſt nobis nocere occultâ agendi ratione.* A quâ non multùm diſcrepat definitio *Avicennæ*, quam habet *2. 1. doct. 2. cap. 15.* *Venenum eſt*, *quod corrumpit complexionem humanam non ſolâ qualitate*, *ſed proprietate.* Neque enim, quod diligenter notandum, de veneni eſſentia eſt, ut hominem ſemper interimat, ſed ſatis eſt ad veneni eſſentiam conſtituendam, ut ſit aptum vehementer nobis nocere occultâ qualitate & agendi ratione. Sunt enim multa Venena quæ hominem non interimunt, humanam tamen naturam vehementer lædunt, cujus generis ſunt omnia illa, quæ inſaniam, vel Stoliditatem & fatuitatem inducunt, licet hominem non interimant. *Sennertus Practic. lib.* vi. *P. V. cap.* 1.

Galenus lib. 3. de temperamen. cap. 4. definit *Venenum*: quòd ſit *id*, *quod totam hominis ſubſtantiam immutat & corrumpit*, *neque ab ea mutatur.* Nam ſicut alimentum familiaritate ſuâ in ſubſtantiam alui convertitur: ita Venenum ſuâ antipathiâ & Validâ energiâ ſubſtantiam noſtram corrumpit. *Sorbait.*

¹· *De Venenis*) Dictum eſſe venenum ex philologiâ conſtat q. d. *quod citò per venas tranſeat*, ſeu ſalubre, Seu noxium ſit, In genere enim pro medicamento accipitur, ſeu latiori ſignificatione Veneni appellatione continetur omne, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſt, mutat, Proprie vero prædicatur de noxio, & contradiſtincto alimento & medicamento, Adeoque venena proprie ſunt, quæ per ſe nocent, & adverſa ſunt corpori, non item, niſi latius, quæ per accidens id præſtant, quorſum *Scaligeri* illa venenorum genera ſpectant *Exerc.33.* nocere eadem vel à primis qualitatibus, ut *aqua epota frigida* homini labore & ſole æſtuanti, ut *gypſum* exſiccando ſtrangulat, Vel à ſecundis, ut *Crocus* laxando nimis ſpirituum viam, quod vulgo ſtatuunt; vel à tertiis, ut *Cantharides* veſicæ, *lepus marinus* pulmoni, Tacemus exemplum vini, ſpiritibus vini & aliorum.

Præſupponimus ergo 1. *Venena eſſe*, & dicenda, *quæ corpus citra externam violentiam aliam* (ut conformatione, vel unitate ſoluta) *violenter deſtruere norunt*: Hinc enim intoxicati, vel veneno potionati, ſunt & dicuntur, qui citra aliam quandam cauſam manifeſtam vitæ periculum ſubeunt, vel moriuntur. 2. Adeoque eſſe peregrina corpori, ſive *illata*, ſive in eodem *producta*; Illa proprie dicuntur Venena, hæc maligna & veneno analoga, unde differunt potiſſimum quoad modum inficiendi; Alia *inſpiratu* lædunt, ut ſeminaria peſtis, &

motborum malignotum, febrium &c. quatenus ἀπόῤῥοια ſeu effluvia, vel exhalationes ex infectis corporibus & locis ſpirantes communicantur; Alia *hauſtu*, ut quæ ore aſſumuntur, Alia ſolo *contactu*, ut illa quæ foris nos contingunt, etiam ex ſupradictis, ut febres maligniores: Alia denique ex *ictu & morſu*, cujus generis ſunt animalia, quæ vel dentibus nos mordent, vel aculeo pungũt. vel contactu nocẽt, 3. Alia eſſe *externa*, alia *interna*, Externa iterum, vel *vi illata*, ut morſus animalium; vel *inadvertenter*, ut Peſtis, per poros irrepens: Inrerna vero, vel *ore hauſto*, in pulmones, vel *deglutita*, in ventriculum; vel genita in maſſa ſanguinea, etiam citra ullam extraneam, ſaltem immediatam, communionem, ſeu contagium; 4. Alia *magis cita & activa*, quæ vi præſentanea, exiguo temporis ſpatio occidunt; alia *Lenta, temporaria*, efficaciæ remiſſioris, quæ poſt multos demum dies necant; Priora v.g. Calida, tenuia, & fere erodentia, ac putrefacientia; Poſteriora frigida & craſſa, quæ minus in vaſa ſubeunt, cenſentur. 5. Alia eſſe *hominis*, alia *bruti*, multa ſiquidem homini ſunt venena: quæ tamen aliis animantibus in alimoniam cedunt; ob diverſum nexum principiorum vitalium, ſanguinis & ſeti: Sic *cicuta ſturni* veſci ſcribuntur, *hyoſcyamo & mandragora ſues*, *cantharidibus hirundines*, *ſerpentibus cervi*, attractis iiſdem è ſpecubus ſuis, *araneis gallinæ*, *ſerpentibus, & bufonibus ciconiæ*, &c. contra ea *aloë* medicamentum eſt hominibus utiliſſimum, non minus ac *amygdala amara*, *lupis. vulpibus*, *& canibus* vero venenum, 6. Alia Venena eſſe *Univerſalia*, alia Particularia; quæ diſtinctio tum in ſpecie humana, tum generalius quoque de aliis valet; Vniverſalia omnibus atque ſingulis animalibus venena ſunt, *arſenicum & mercurius ſublimatus*, nullum quippe viſum eſt, quod ſciam innoxie per omnia hiſce uſum ſpeciatim venena, præter jam dicta, in ſpecie humana, alia ſunt *nervis & ſpiritibus* inimica, ut *ſolanum furioſum*, alia *pulmoni ut lepus marinus*; alia *ventriculo, ut corroſiva*, alia *Veſicæ, ut cantharides*, *ardore & mictu cruento* infames 7. Alia *partes ſpirituoſas*, alia *humidas*, alia *ſolidas* magis afficere, inprimis vero cum humidæ mediæ ſint inter reliquas, & quaſi vinculum quoddam, præcipue etiam eaſdem pati certum eſt, 8. Alia eſſe *vegetabilia, ut aconitum, cicuta, napellus &c.* Alia *animalia*, ſive toto, ſive *partibus ſaltem*, *ut ſcorpius, vipera*, quorſum, & *caudam cervinam* quidam referunt: Alia *mineralia*, *ut arſenicum*, *mercurius ſublimatus*, Adeoque pauca quidem venena nota ſunt, reliqua tamen cum magis & minus non varient ſpeciem, itidem hic referenda: Nondum innotuit vel publicatum eſt venenum quo in Gallia hactenus tot cædes patratæ ſunt occultæ, *Poudre de ſucceſſion* vocant: licet ſunt qui carnes infantium, ex utero materno exciſorum (horrendum dictu) cum aſpidibus aliiſque confermentatas nominent. 9. A Venenis aſſumptis *oboriri, ab aliis alia*, omnia tamen in ſubitaneam conſpirare perniciem; ad vomitum cieri ventriculum, cardialgiam, anxietates, tremores, pallores, lipothymias, pulſum frequentem, abdominis inflationem, capitis turbationem fieri; A de morſis vero ſcorpio, vel vipera, auriginem contrahi, dolorem, ardorem, tumorem, inflammationem partis affectæ.

Ex his colligere eſt 1. *Venena non tam occultis quam manifeſtis agere qualitatibus*, Vtut enim occultæ qualitates, quatenus manifeſtis ſunt contradiſtinctæ, concedi poſſint; quo ſenſu venena communiter à tota ſubſtantia, ſive vi ſpecifica agere aſſerunt, ſi tamen penitius eadem inveſtigemus, & occultum ſumamus pro eo cujus nulla omnino ratio dari queat, ratum eſt atq; certum venena agere manifeſtis atq; inveſtigabilibus intellectui notis qualitatibus: Hinc notanter *Scaliger l. c. qualitas hæc dicta*, ait, *cum multum abſit à ſenſibus, ſola ratione comprehendi poteſt* (loquitur vero de remediis venenorum tota ſubſtantia agentium) *ſed in hujus cognitionem perveniemus per veſtigia tertia*; ſcilicet qualitatis (*ſeu ad normam* manifeſtarum.

2. *Venena ſine dubio ſubruere principia vitalia*, quorum nexu indiſoſſubili vita propagatur, violenter vero deſtructo ſufflaminatur, Neq; enim ulla ratio dari, alia poteſt tam citæ νεκρώσεως & immutationis, præcipue cum omnia id teſtentur phęnomena, unde merito cauſæ taliſmodi univerſali eorundem vis adſcribitur, in qua omnia adeo conveniant, licet admodum diverſa.

3. *Pollere venena ſale ſulphure & mercurio, machinæ humanæ peregrinis & deſtructoriis:* Id vero eſt tota illa ſubſtantia, occulta qualitas, textura nempe & modus mixtionis: Vti enim particula alimentorum ſunt benignæ, familiares & ſubjugabiles; ſimiles ſaltem à poſteriori, medicamentorum diverſæ, ut alium ſtatum alterando vel purgando inducere queant, ita Venenorum adverſæ, in internecionem partium ſpirantes.

4. Eſſe eadem vel *Corroſiva*, vel *Fermentativa*, vel *Vaporoſa*, vel *mixta*; In his quippe effectibus, vel qualitatibus, vis venenorum in genere conſiſtit, *Corroſiva* ſi fuerint, ventriculo eſchatam & necroſin inducunt, unde parte ad vitam abſolute neceſſaria deſtructa, neçeſſe eſt machinam ipſam ſubrui, & principia vitalia deſtrui: *Fermentativa* quæ ſunt, motum p.n. eumque vel abſolute lethalem, vel ſumme tamen periculoſum inducunt, unde calor febrilis, æſtus, deliria; *Vaporoſa* ſpiritus obnubilant, ſuffocant, deſtruunt, Adeoque *corroſiva ſolidis. fermentativa humidis, vaporoſa ſpirituoſis* inprimis ſunt hoſtica, *mixta univerſis*: Quæ vero de his non participant, ut *pix aſſumpta*, & plurima alia inter venena relata tantum per accidens talia & improprie dicta referenda fuerint.

5. *Venena mineralia, mercurium ſublimatum & arſenicum*, ejuſq; ſpecies, agere potiſſimũ ſola corroſivitate.

6. *Venena animalia* (loquimur vero de univerſalibus magis) *agere potiſſimum vi fermentativa peregrina*, ſive *viperæ* morſus, exempli loco ſit præcipue, ſeu *canis rabidi*, ſeu alia conſimilia.

7. *Venena vegetabilia potiſſimum agere vaporoſitate peregrina*. quatenus ſulphure, v.g. impuro, mucilaginoſo, nervis inimico pollent.

8. *Venenum in corpore genitum in febribus malignis eſſe fermentationis peregrinæ ſobolem*, ſæpe tamen non tam à priori quam poſteriori factum.

9. *Venenum Peſtis, ſolo contagio propagandum & illatum, ſingula conjunctim poſſidere*; Corroſivum enim eſt, Fermẽtativũ & Vaporoſum, Vide l. 2. F. 8. §. *A materia* ve.

10. *Venena particularia magis eſſe ſubjugabilia minuſque vincula vitalia deſtructum ire*, Noxia quidem ſunt, unde venena audiunt quoq;, attamen non toti æq; ſecreta ab archeo victore, ſeu ſuperiore, huc illuc; Satius enim eſt hanc illam partem lædi, quam totam machinam ſubire periculum lethi; Sic *Cantharides*, ſale volatili acriori conſtantes, inficiunt non tam ventriculum (acriora etiam exterius ulcerantia, & rubefacientia, allia, ſinapi, lepidium, ferre aſſuetum) quam expanſivis ſalinis particulis ſuis ſerum, unde excretioni deſtinatum in tubulis renum, ardorem delicatioribus longe partibus inſupportabilem conciliant: Par ratio eſt *Leporis Marini*, de quo cùm minùs conſtet, pluribus dicere non licet, à poſteriori tamen ulceratio decantata id probat ſatis.

11. *Vbi virus ibi virtus*, Præſtat enim ex venenorum quoq; doctrina alios depromere uſus, Neque enim ſolum utiliſſima eſt, cum ut venena cognoſcantur, cognitaque vitentur, tum ut melius infecti curari valeant, verum quoque ut cognita virulentia virtutum, quam natura illic condidit, noſcamus; In genere enim virtuoſa eſſe & potentia ex effectu paret ſatis; quod ſi ad leges tẽperamenti humani redigere mitigareq; illa pergamus, pro vinculis vitalibus roborandis facient, quæ contra ea deſtinata videbantur; Exemplo ſint vegetabilia plurima, ut cicuta, v. g. opium, crocus, ſemen hyoſcyami, & alia,

& alia, vt arſenicum, araneas & alia non laudemus. *Wedelius A. m. m. p. 313. &c.*

Venenum quod ſit, & Qua ratione homini lethiferum.

Venenum definitur *Quod ſui generis ſale volatili acri fermentationem excitat in corpore, & ſubito noxam inſignem aut necem infert cum graviſſimis ſymptomatibus.*

Exaltatur hæc vis Venenorum ſecundum *Scharfium de Venenis cap. 9. pag. 128.* ſi particulis ſalinis etiam ſulphureæ admiſceantur, Unde non excludendum ſulphur narcoticum, nimirum quia ſalia variis figuris donantur teſtibus *Willeſius* & *Boyleo*, aliter atque aliter ob connubium particularum ſulphurearum efformantur, & à reliquorum principiorum admiſtione ſapor nunc dulcis, amarus, acerbus auſterus, acidus, acris emergit, Inprimis autem acredo in iis conſpicua eſt, vnde aculeata ſunt ac ſpicula habent, quibus in partes exquiſito ſenſu præditas agunt, cor vellicant, irritant, mordent, erodunt, exulcerant, ſpiritus proſternunt, fugant, diſſipant. Humores turbant, incendunt, exagitant; vnde vomitus, tormina, decoctiones alvi, convulſiones rabies, extremorum frigus, & alia ſæva ſymptomata exoriuntur, provt nonnunquam ab ejuſmodi humorum in corpore acredine, aciditate, auſteritate acerbitate, amaritudine, non tantum exquiſitiſſimi dolores excitantur, ſed ſeviſſimi morbi: quo pertinet celebris, ille locus *Hippoc. l. de Vet. med.* Ineſt in homine, &c. *Emanuel Konig Regni veget. §. 55.*

Fermentationem in Veneni definitione adductam attendi vult *Cornelius ab Hogelande* in omnibus p. 222. *Atque hoc*, inquit, *inter fermentaceam medicamentorum & venenorum vulgarium (uti enim medicamentorum ita & venenorum variæ ſunt ſpecies & effectus) actionem invenitur differentia, quod illam plerumque quædam materiæ crudioris vel peccantis evacuatio, vel ſaltem attenuatio; hanc vero ſola ſanguinis, ad ejuſdem naturam proxime accedentis ſubſtantia abſque ulla vel attenuatione vel evacuatione (cum manifeſto corporis tumore, turbataque ſpirituum animalium generatione) inſolens nonnunquam ſequi ſoleat fermentatio.*

Circa hanc Fermentationem ſic diſſerit *Picus* Tr. de Febr. in ſpecie p. m. 167. Et quomodo venena ſint homini lethifera.

Ego non puto, *inquit*, omnia venena eadem methodo mortem repentinam accelerare, licet in iis omnibus agnoſci debeat ſingularis aliqua qualitas, eaque maligna, ſupervenieus propriæ formæ nec agens ſemper juxta primas qualitates) interim manifeſtam noxam inferre illi *vitali flammæ*, ſeu *igni naturæ*, Imminuunt ignis naturæ menſuram, quatenus illum depopulantur, non ex pugna: quæ mox ab aſſumpto veneno emergit inter ignem naturæ & venenatas particulas, pars imbecilior, quæ eſt ignis naturæ ſemper aliquid ſui amittit, adeoque imminuitur. Nam *omnium venenorum hæc eſt ratio vt ipſorum ſubſtantia non alteratur*, niſi forte collidantur cum alio veneno, aut quodam alexipharmaco) quare neceſſario ſequitur vt aliquid per illam pugnam igni naturæ decedat, imo quam breviſſimo temporis ſpatio deſtruatur.

ij. Impediunt hæ lethales venenorum particulæ 1. motum ſurſum per exſpirationem, quia tot ſunt fœdæ ac pravæ fuligines, quæ momento temporis ex illa pugna inter ignem naturæ & proprias particulas veneni, illas ſcilicet deleterias conſurgunt, vt idem ignis obrutus cedere cogatur, 2. motum deorſum per inſpirationem interpellat, quatenus primo humidum radicale, à quo ignis naturæ deorſum detinetur, & movetur, corruptum ſordidumque evaſit, è quo non amplius refocillari poteſt, non ſecus ac ſi in lucerna oleum eſſet amurcoſum, (vt barbare loquar) & fæculentum ſtatim profecto extingueretur lumen, impeditur enim motus deorſum, eo, quia licet inſpiratio aëris puri & incontaminati fiat, aër tamen purus pro ſpirituum vitalium generatione, vt partialis materialiſque cauſa, in corporibus bene ſe habentibus, ex ſe ſatis idoneus, ſtatim in ipſo ingreſſu â prava ſpiritalium partium corruptela ex veneno contracta, pravus & ipſe impuruſque redditur, quia omne receptum in recipiente, non ſe habet per modum recepti, ſed per modum recipientis.

Peragitur autem totum hoc, ſimulque cita mors per preſentanea venena animali acceleratur, *abſque ulla Fermentatione*, cum non contingat à ſpiritu agitari humidum, ſed venenum juxta malignas ſuas particulas dunraxat congrediatur cum ipſo igne Naturæ iis modis quos propoſuimus, At expugnato jam igne, ſimulque animali extincto per accidens ſæpe contingit fermentatio, quatenus acer ſpiritus, qui in veneno exiſtit, ſuperato jam igni Naturæ, ſe inſinuare in humidum, ſeſeque quod & calidus ſit, componit ad fermentandum humidum, quod vſque adeo exagitat, vt malignas particulas per ſe humido illi impreſſas, fermentando quoque propellat ad vſque extremas corporis partes. Inde *Galenus 6. loc. aff. 5.* inter notas hominis veneno extincti refert *colorem plumbeum* aut *nigrum*, *aut varium.* Quo reſpiciens *Quintilianus Declam 15.* dicit: *Veneficum ſi arguis, oportet oſtendas putre livoribus cadaver, inter efferentium manus fluens tabo corpus.* Convenienter vero *Galenus* colorem illum vocat πελιδνὸν; cujus & meminit *Xiphilinus in Nerone* occaſione *Britannici* Novercæ artibus intoxicati.

Agnoſcit Fermentationem inſolitam ipſe *Hogelande*: quæ revera vſque adeo inſolens eſt, vt quamdiu venenum in animali adhuc vivo, conſpirans tamen ad ipſius internecionem delitefcit; Fermentatio in ipſa Fermentatione deſiderari videatur.

Obſervandum itaque, Fermentatio, vel quaſi Fermentatio, comparative ſumpta ſi ſit admittenda in hiſce morbis malignis eam ratione febris fermentativæ, peſti conjuncta, non autem ratione veneni, ſed malignitatis alicujus miaſmatis tantum ſtatuendam eſſe venit, &c. *Piens.*

Propriam venenorum conſideratam eſſentiam conceptuque dum generali omnibus vnivoce competenti exprimere; res videtur fere impoſſibilis tum ob inſignem eorum, varietatem tum etiam ob vnius ejuſdemque veneni variam operandi rationem, In genere tamen in hoc omnia convenire videntur, quod agant vel ratione fermenti cujuſdam peregrini, maſſæ ſanguineæ, tanquam nectari vitali omnino exotici, vel ratione ſpeciei, vel ideæ cujuſdam Archæo hoſtilis, tum in varias agitantis perturbationum procellas, unde enormis actionum læſio & perverſio contingit; Ita vt læſio à veneno partim ad corpus partim ad actiones ejuſdem pertineat quę læſiones cõmuniter à qualitate quadam maligna, & toto genere deleteria oriri ajunt; contra quas diſputat *J. Marcus Marci in Philoſ. vet. reſtituta p. 431.* Etmuller.

Venenum Græcis δηλητήριον vocatur, . . perniciofum, & φθαρτικὸν, i. e. corruptivum, & φθορικὸν, i. e. tabificum, & κακοῦργον, i. e. maleficum, (*3. ſimpl. 19.*) Non tamen omne corruptivum, vel maleficum venenum eſt, (*6. in 6. Epid. 5.*) nam omnis morbus lethalis ex veneno eſſet. *Ceſalpinus.*

Venenum quod ſit, & Quomodo differat ab Alimento & Medicamento.

Quæcunque corpus humanum ſubeunt, aut ſunt Alimenta, aut Medicamenta, aut Venena: *Alimenta*

mihi ſunt & dicuntur omnia ore aſſumenda, & in ventriculo, liene & aliis partibus noſtri corporis mutabilia & alterabilia in ſubſtantiam corpori vel continenti, vel contento reparando aptam: Quicquid enim in corporis noſtri, alterutrius vel utriuſque deperditi, aut conſumpti locum reponi debet, id admodum raro tam purum, tamque illi uſui aptum aſſumitur ut nullam præviam mutationem ſubire habeat neceſſe plurima certe à fœcibus ac inutilibus corpori partibus ſecerni debent, ac proinde ad illam partium inutilium ab utilibus ſecretionem prius præparati; Cui præparationi ac ſecretioni peculiares dicatæ ſunt functiones; & *peculiaria dicata organa*.

Medicamenta vero mihi ſunt & dicuntur, omnia quocunque modo aſſumpta, vel uſurpata, inepta vero in corpore ita mutari ut in ejus nutrimentum abeant, quia aptiſſima & potentia corpus ipſum vel alterutrum vel utrumque ita mutare, ut ejus conſtitutio inde fiat melior ac perfectior. Unde *ſanis non debentur medicamenta*, utpote quæ corpus præſupponunt ægrum cui medeantur, quodque in ſtatum transferant meliorem.

Venena denique mihi ſunt & dicuntur omnia quovis modo uſurpata, & in corpore ita mutari, ut in ejus ſubſtantiam abeant inepta, quin id ipſum ita mutare apta, ut ideo non in meliorem, ac in priorem ſtatum & conſtitutionem redigatur.

Res enim per ſe manifeſta eſt *Omnia quæ uſurpamus, vel apta eſſe in corpore noſtro ita mutari, ut in* ejus ſubſtantiam & reparationem abire poſſint, vel inepta eſſe illi mutationi ſubinde, at contra *apta nata idem mutare, & quidem aut in melius aut in pejus*, In melius, quando è ſtatu imperfectiore elevatur ac deducitur in perfectiorem, In peius, quando contra è ſtatu perfectiore detruditur & corrumpitur, in imperfectiorem ac deteriorem.

Poſita tali horumve vocabulorum deſcriptione atque deſcriptione facile patet qui queat fieri ut *Uni atque eodem*, pro reſpectu tamen diverſo, *tribus poſſit nunc Alimenti, nunc Medicamenti, nunc Veneni nomen.* Illud enim vulgo & apud probatos Authores fieri notiſſimum: *Vinum* certe moderate ſumptum. *Alimentum* eſt præſtantiſſimum, atque inprimis ſpiritus animales reparans. Idem generoſum præſertim, itidem *convenienter* ſumptum, pituitam corrigit ac emendat, ejuſque noxas curat, & hactenus. *Medicamentum* audit gratum. Idem *vinum immoderatius* à quocunque ſumptum plus minus nocet, imo quibuſdam non tantum graves morbos parit, ſed aliquando ipſam mortem, etiam ſubito affert, quo nomine ſi non *Veneni* appellationem mereatur, quo alio id poſſit, ego ſaltem aſſequi vel conjicere nequeo. *Sylvius de le Boe, Append.Tr.5. §.42. ad 55.*

Veneni nomen meretur quicquid in corpus noſtrum impingens, temperiem & actiones cujuſvis partis, aut totius, occulto modo & vehementer lædit, ſpiritus profligat aut eorum motus pervertit, liquorum mixtiones ſolvit, coagulationes & corruptiones inducit, viſcerum fermenta & functiones deſtruit adeoque ſubito & latenter vitæ periculum adducit; Eorum quæ hoc modo nobis inſidiantur, in rerum natura ſubeſt ingens copia, & proventus valde opimus, Sæpe intus in corpore noſtro gignuntur: Exterius ab omni plaga & quovis terræ, aquæ & aëris tractu abunda ſuppeditantur, è diſtinctis mineralium, Vegetabilium & Animalium familiis quotidie emergunt, adeoque alimentis, imo medicinæ noſtræ ſeſe immiſcent, ut cum *Plinio* queramur, *Quod non ſit fateri, an rerum natura largius mala, an remedia generat.* Willis *lib.de Febr. cap. 12.*

Subjecta, in quæ proxime & immediatius agunt Venena, & Eorum *lædendi modi*.

Sicut magna eſt *Venenorum* varietas, ita quoad *ſubjecta* & lædendi modos non minor eſt diverſitas nam licet plurima venenata tota ſubſtantia nobis perhibentur contraria, ut quodvis adorantur & feralis inſtar ignis vi cauſtica velut in cineres redigant, tamen ex his nonnulla peculiari noxa ſtimulo donata plus uni parti, aut ſubſtantiæ nocent, quam alteræ.

Subjecta quibus proxime & immediatè, veneni labes infligitur, duplicia aſſignamus, nimirum *Spiritus animales*, ſeu liquorem ſpirituoſum, ſubtilem, in nervoſo genere & cerebro ſcatentem, Ac *Sanguinem* in vaſis ac corde fluxilem: Quando objectum alteri tantum, aut ſimul utriſque improportionatum offertur, ut exinde liquorum aut partium continentium craſis evertatur, quo functiones muniis vitæ & ſenſibus obeundis neceſſariæ inhibeantur, idque latenter ac velut improviſo fiat, hujuſmodi effectus Veneno adſcribimus.

Corpora nervoſa cum ſpiritu animali haud prorſus eodem modo a quibuſdam venenis impetuntur; modo enim cum ſtupore, modo cum ſpaſmis & motibus convulſivis, iiſque diverſi generis & moris impetuntur; Morſus *Tarantulæ* choream infert, à *Torpedine* per tridentem aut retium funiculos vis tranſmiſſa manum piſcatoris ſtupefacit. *Paſtinacæ ſylveſtris* radices, aut *lolii* ſemina comeſta homines inſanire faciunt, *Opium, Mandragora, Hyoſcyamus* & ſimilia, ſomnum altum & aliquando lethalem accerſunt; Hæc & pleraque alia ſine inſigni ſanguinis perturbatione, aut noxa cordi illata, facultati ſeu *ſpiritui animali* præcipue virus imprimunt.

Sunt etiam Toxica nonnulla quæ *maſſæ cruoris* malignitatem ſuam potiſſimum inſinuant; Quare à Pharmacis quibuſdam Icteritia flava aut nigra, modo Elephantiaſis, affectus ſoporoſi, aut intumeſcentiæ totius corporis producuntur. Vapores à cryptis ſubterraneis erumpentes, etiam à carbonibus recens accenſis, non raro ſpiritus vitales ſuffocantur, una ſanguinem congelant, ac in motu ſiſtunt quominus in corde vitæ flamma perennetur. Quanta cruoris maſſæ à miaſmate λοιμώδει corruptio impertiatur, è maculis & exanthematis (quæ ſunt veluti ſanguinis ſiderati ſtigmata) cuivis perſpicuum eſt.

Si noxa alterutri, ſcilicet *Cordis* aut *Cerebri* regimini. Primo inflictu ſit levior, ſine magna alterius offenſa plerumque abſolvitur, Quare motus convulſivi, ſtupor, lethargus, melancholia, affectiones paralyticæ, cum pulſu laudabili, & ſine immodica ſanguinis effervescentia non raro incipiunt, & deinde, ſi affectus non invaleſcat, ſenſim finiuntur ac ceſſant.

Alia proſtant Venena quæ ſæpe cruorem depravant ejuſque mixtionem diſſolvendo corrumpunt, interim ut functiones animales ſartæ tectæ perſtent: Sin veneni fermentum ſit fortius, & altiores radices egerit, ſtatim ab uno in alterius provinciam virus diſpergitur, cum enim partes nervoſæ ſucco virulento turgeſcunt, veneni portio cum latice nervoſo per vaſa lymphatica in venas reduce facile in cruoris ſinum convehitur, ejuſque maſſam lue qua tumet inquinat; etiam à ſanguine veneno graviter tacto ſuccus quo irrigantur nervi labem contrahit: hinc rabioſi febricitant, & febre peſtilenti correpti ſæpiſſime delirio aut phrenitide tentantur.

Super his conſiderare oportet qualis ſit alteratio, ſive noxæ impreſſio, quæ *ſpiritui animali*, cum cerebro

& *appendice nervoſa*. Qualis item quæ *ſanguini*, cum *corde* & vaſis annexis à Veneno infligitur, Licet hunc fiendi modum plane oſtendere, ac veluti digito monſtrare penes humani ingenii ſolertiam non ſit, tamen ratiocinatione, & facta cum aliis affectibus comparatione, hujus notitiam aliqualem conſequi poterimus.

Circa Prius obſervamus, quod liquor ille ſubtilis, ſive ſpiritus animales, quibus nervoſa corpora inflantur, & quorum expanſione ſenſus & motus reciprocos actiones edunt, à tenſitate ſua, & æquabili expanſione facile pervertuntur, cum enim Nervi ſint mollis texturę, & ſpiritus, qui in iis ſcatent, ſubſtantia admodum ſubtili, objecta quævis fortia, aut vehementia ferre nequeunt, quare cum aliquod violentum, aut improportionatum ingruit, ab expanſione, & excurſu ſuo ſæpe in fugam & retroceſſum, & non raro in motuum anomalias coguntur, quare ſubitæ animi paſſiones eos diſtrahunt, & in ſpaſmos ac convulſiones adigunt, quando ſuccus alibilis quo reparantur, nimis acris, acidus aut auſterus offertur, cujus particulæ tali ſint ferocia præditæ, aut ejuſmodi configurationis, vt cum nervoſo liquore impetnoſe effterveſcant, ſubtiliorem, ſeu ſpirituoſam ejus portionem, huc illuc exagitent, aut prorſus abigant, atque reliquum liquorem aut vi ſtyptica figant, aut ebulitione in motus inordinatos cogant, hinc cerebri ac nervoſorũ partium malæ affectiones, ſcilicet, modo convulſio, tremor, rigor, modo ſtupor, aut reſolutiones, reliquaque graviotis notæ ſymptomata oriantur neceſſe eſt.

Quæ hoc ritu ſuccum Nervoſum inficiunt venena, modo ſunt *craſſiora*, & ſolum quando in ſubſtantia valde corporea applicantur, noxam infligunt: Modo ſunt *tenuia* & in vaporem aut halitum vſque reſoluta, è punctulo quodam Veneni fermentum per totum genus nervoſum ſuffundunt; Vitus interdum rei noxiæ comeſtum primo in ventriculo tragœdiam inchoat; ſæpius modo contactu in ſuperficie corporis miaſma virulentum relinquit, quod facile & cito fermento ſuo ſpiritus per totum diſperſos contaminat. Labes extremitatibus nervorum ubivis, ſive intus ſive extus inflicta, facili eorundem ductu latius diſpergitur, illico pluribus ejuſdem ſurculis in mali conſenſum adductis. Non raro levior rei venenatæ contactus, è digito, aut membri cujuſvis extremitate; ſtatim cerebro ſuſceptam communicat labem, indeque in totum corpus & diſſitiſſima membra retorquetur. Hujus ratio eſt, quod tum ſucci nervoſi, tum miaſmatis cujuſdam venenati particulæ ſunt ita agiles & motus expediti, ut alterutræ per totum alterius maſſam citiſſimè, tanquam luminis radii per medium diaphanum trajiciunt.

ij. Quoties *ſanguis* è re venenata noxiam contrahit, virus infixum eſt aut hebes & minoris activitatis, quod non ſtatim ſe prodit, nec in fera ſymptomata erumpit, donec à longo tempore cum tacita fermentatione maturetur; & prius totam ſanguinis maſſam infecerit; vti obſervare licet in quibuſdam Venenis, quæ perhibentur ad diſtans, & nonniſi poſt aliquot menſes aut annos occidere; vel inſpirata cruori toxica ſtimulo multo acutiori imbuuntur, vt ab eorum contagio labes contractæ in fera ſymptomata è veſtigio erumpat, indeque ſequatur modo febrilis efferveſcentia, cum vomitu, ſiti & præcordiorum æſtu; modo totius intumeſcentia, cutis diſcoloratio, ſæpe exanthematum & bubonum eruptio, non raro item repentina virium proſtratio, ita ut ſubita mors ſine tumultu & fere inſenſata obrepat.

Hic obiter notandum quod ſi ſpiritus cruoris, ab hoſte laceſſiti, ipſum aggredi, & pro victoria decertare valeant, & conflictu hoc ebullitio febrilis in ſanguine concitatur. Sin veneni particulæ viribus longe potiores Spiritus cruoris ſubito profligent, ac vitam extinguant, ſtatim corrumpitur maſſa ſanguinea, ut nec in vaſis circulari, nec in corde rite accendi poſſit.

Si diſquiratur adhuc, Quas mutationes in ſubſtantia, aut conſiſtentia ſua ſanguis veneno infectus ſubeat, vt propterea vitæ ſuſtentandæ minus idoneus reddatur? Reſpondeo in hunc modum *Venena* quædam *ſanguinem fundunt*, ejuſque ſeroſitatem nimis præcipitant, vt ſunt pharmaca quæ vel purgatione deleteria; aut vrinæ profluvio, aut totius intumeſcentia, vel diſcoloratione, vel puſtularum eruptione, plurimum ſeroſi laticis ſecretionem faciunt, interea magna ebullitio cruoris maſſę inducitur, quâ ſpiritus vitales valde diſperduntur, Salis & Sulphuris particulæ à coctione nimia exaltantur, & ſæpe aſſantur, vt ideo icterus aut flavus aut niger inducatur.

Sunt alii generis Venena longe pericùloſiora, quæ *Sanguinem congelant* ejuſque mixtionem deſtruendo corrumpunt, ſcilicet maſſæ ſanguineæ primo *congelationem*, dein *putredinem* inducunt. Cum enim ſpiritus cruoris à veneni contagio profligati diſſipantur, liquoris mixtio æquabilis ſolvitur, quare particulæ craſſiores ſe mutuo implicant, & (inſtar lactis ab infuſo coagulo, cum ſpontanea aceſcentia) invicem coagulantur, hujus portiones coagulatæ, interius in cordis ſinus delatæ illic ſtagnare aptæ ſunt, adeoque crebras ſyncopas & lipothymias pariunt: exterius advectæ, & intercirculandum in cute defixæ, modo vberius congeſtæ, per totum nigredinis ſuffuſionem inducunt; modo parcius diſpenſæ maculas tantum, aut vibicum inſtar ſtygmata purpurea, cæteraque malignitatis phænomena eliciunt: Sanguinis autem coagulatio ipſum ad putredinem aut corruptionem cito diſponit, vti videre eſt in ſanguine extravaſato, qui cito nigreſcere & putrere ſolet, Etenim ſpiritu exhalato, in cruore reſiduæ Salis & Sulphuris particulæ à ſe invicem diſcedere, & mixtionis & vinculum diſſolvere, vnde putredo ſequitur, ſuſcipiunt. *Willis Tr. de Febr. c. 2.*

Differentia Venenorum ex Prævotio.

Bifariam dividuntur Venena pro partium quas corrumpunt, & corrumpentis facultatis varietate; Ratione *corporis*, quod patitur, ſi conſideremus vniverſum animantium genus. Venenum dicemus aliud eſſe tale *ſimpliciter*, quod adverſatur toti animalium generi, vt Aconitum, Aliud *ſecundum quid*, quod certæ animalium ſpeciei eſt noxium; cæteris innoxium, Illud *genericum*, iſtud ſpecificum claritatis gratia nuncupatur; Si membra ipſa *corporis* ſpectemus, alia ſunt Venena *cordi*, alia *cerebro*, alia *hepati*, alia *pulmonibus*, alia aliis partibus in quas veneni actio graſſatur, & inde cordi communicatur.

Cerebro imprimis adverſantur quæ hominem in perpetuum vel *dementant* vel quæ exceſſu frigiditatis *ſoporem* inferunt.

Dementant.

Cocculæ orientales.
Erica fructus decorticati.
Felis cerebrum & ſanguis.
Lolium copioſum.
Medulla arietis non caſtrati.
Sanguis menſtruus corruptus.
Scammonium vtrumque, ſed præſertim longum, ſemine nigricante.
Solanum maniacum.
Veſpertilionum cor & lingua.
Urſi cerebrum in cibis.
Morſus Tarantulæ.
Morſus canis rabidi.
Mercurius vivus auribus inſtillatus.

Soporem inducunt.

Cicuta vulgaris.
Circutaria minor.
Coriandri ſuccus.
Doryenium,
Hyoſcyamus uterque, ſed magis niger.
Mandragora.
Meconium.
Opium.
Papaver err. & ſativum copioſius ſumpta.
Solanum ſomniferum.
Yuca Americanæ ſuccus.

Cordi præcipue infeſta ſunt venena proprie dicta, de quibus infra, pauciſſimis exceptis, inter quæ *Lepus* marinus Pulmones potiſſimum inficit.

Iecur vero.

Viperæ fel & morſus.
Morſus Hæmorrhoi.
Salamandra caro.
Toxicum Scytharum & Pharicum.

Quæ duo poſtrema venenatis potius armis inficiendis quam interna ſumptione lethifera, & ſola inter compoſita venena apud ſcriptores leguntur.

Ventriculo & *inteſtinis* maxime officiunt improprie dicta Venena, quæ vel manifeſtis agunt qualitatibus, vel ſuperpurgatione mortem afferunt, qualia ſunt omnia validiora purgantia aſſumpta majori quantitate, vel exhibita corpori languidiori, puero, ſeni, convaleſcenti, & acuto morbo laboranti.

Altera venenorum diviſio ratione *facultatis qua agunt* celebrior eſt apud Scriptores, vel enim exceſſu alicujus qualitatis corrumpitur corpus, vel *veneficia natura* contrarietate, ſeu totius temperamenti proportione repugnante vitali temperamento corporis: Poſteriora dicuntur improprie venena, & *venena quantitate*, quæ tota natura non ſunt inimica vitæ, ſed mole tantum & qualitatis intemperie dominantis exceſſu.

Poſteriora dicuntur proprie venena: item *venena genere* & *à tota ſubſtantia*, quia nulla ſui parte convenientiam habent cum natura viventis, ſed illam totis viribus oppugnant.

Improprie venena late patent, quædam caliditate ſua viſcera inflammant; Quædam frigiditate extingunt; quædam humiditatis affluxu ſuffocant, Quædam ſiccitate marcorem inferunt; alia ſecundis agunt qualitatibus; Acrimonia cum craſſitie partium erodendo, Tenui mordacitate impenſe ſtimulando, Nimia adſtrictione neceſſarios meatus occludendo, unde ſuffocationes & volvuli fiunt.

Inflammantia.

Anacardi.
Bupreſtis.
Cantharides, renibus & veſicæ potiſſimum infeſtæ.
Chamædaphne.
Chamælea.
Crocus liberaliter ſumptus.
Daphnides.
Dracunculi ſemen.
Euphorbium.
Flammula Jovis, & quæcunque.
Clematides hujus generis.
Lathyris, vulgo *Catapatia.*
Mel Heraclinum.
Pancratium Hiſpanicum, cujus affrictu infici aiunt cultros.
Pſyllii ſeminis pars intima.
Ranunculus quicunque, & in his *herba Sardonica*, quæ diaphragma inflammat, & continuo excitato riſu hominem enecat.
Scylla cruda.
Staphiſagria.
Thapſia.
Thymelæa.
Lac ficulneum.
Ictus apum & veſparum.

Calorem naturalem extinguentia.

Præter recenſita ſuperius Somnifera.

Flos Africanus Turcicus.
Arbor Paridis.
Aqua gelida ubertim ſudante corpore hauſta.

Humiditate flatulenta ſuffocantia.

Carnes calentes refrigeratæ, inter duas patinas arcte connexas.
Colchicum ephemerum dictum. quia uno die interficit.
Fungi pernitioſi.
Lac in ventre concreſcens.
Piſces calentes ſuffocati.
Sanguis taurinus calide epotus.
Plumbi ſcobs.
Huc pertinet *glans plumbea, inuncta vel involuta lardo ſalito*, quia partes vulneratas pinguis humiditatis adhæſu cito putreſcunt.

Siccitate necantia.

Antimonium crudum.
Ceruſa.
Ferri ſcobs.
Ferri ſcoria elota.
Magnes.
Lithargyrium, à quo fit volvulus.
Minium factitium.

Erodantia & Exulcerentia.

Ærugo.
Æris ſquama.
Argentum vivum præcipitatum Sublimatum.
Arſenicum cryſtallinum album luteum.
Auripigmentum.
Campurarum ſcobs deraſa.
Calx viva.
Chalcanthum, maxime *uſtum.*
Chalcitis.
Cinnabaris factitia.
Minium foſſile.
Melanteria.
Myſi.
Sori.
Viride æris.
Sanguis ſerpentum.
Aqua fortis.
Oleum vitrioli.
Antimonii.

Mordacitate nimia ac ſiccitate partes irritantia.

Hujuſmodi ut plurimum choleram excitant, qualia ſunt,

Ova barbatuli piſcis, præſertim menſe Maio.
Chryſocolla foſſilis illota.
Helleborus albus.
Lapis Armenus } *non loti.*
Cyaneus. }
Sudor quadrupedum.
Aqua ſtillatitia radicis ſaicis perticalis.

Adſtrictione lethalia.

Gypſum uſtum.
Ilicis ſcobs.
Herba Bella donna dicta radices & bacca.

Proprie Venena, quorum vi cordi infenciſſima calor influens inprimis diſſolvitur, vitaliſque facultatis tonus evertitur plurima ſunt, quorum magna pars Europæ eſt incognita, Extillant enim ex Aphricanis arboribus non deſcriptis, quædam lacrymæ oleoſæ pernitioſiſſimæ, quibus Mauritani Reges vindictas agunt, imo totam illam oram Oceani Atlantici, qua â perpetua viriditate arborum, *Caput viride* à Navaritiis dicitur, adeo refertam venenatis ſtirpibus, ut quotquot amœnitate loci allecti eo appulerint terræ luſtrandæ gratia, guſtatis obviis herbis & fructibus, è veſtigio conciderint, Omitto rabidorum animalium ſpumas quas Nigentani venefici venationibus quærunt, ad vicinorū populorum perniciem, fere enim animalia, quo tempore libidinis oeſtro venationis exardeſcunt facile in rabiem vertuntur, accedente ira & labore ex venatorum inſectatione, nihiloque meliorem ſpumam ore concipiunt, quam rabidi canes in quorum veneno ſi agendi moram excipiamus, neſcio an aliud ſit pernitioſius.

Nobis autem cognita ſunt quæ proponemus.

Ex Plantis.

Aconitus.	*Opocalpaſum* ſeu myrrha venenata.
Agaricus niger.	*Papaver corniculatum.*
Apozymum.	*Taxus.*
Azedarach Avicennæ, vulgo *Sycomorus.*	*Thora Valdenſium.*
Chamæleon niger.	*Nux Fauſel* Arabum, & *Areca* ejus arbor.
Ixia.	
Napellus.	

Ex Animalibus.

Aranea.	*Ammoditæ.*
Bufo.	*Acontiæ.*
Bufonis oleum & ſperma.	*Baſiliſci.*
Canis piſcis fel.	*Ceraſtæ.*
Caſtoreum corruptum.	*Cenchridis.*
Erucæ pini.	*Dryini.*
Fœniculi umbellis ingenitæ vermiculi.	*Dipſadis.*
Pardi fel.	*Natricis*, ſunt hæc genere Serpentum.
Rubeta rana.	*Crocodili.*
Tigridis pili.	*Lacertæ Chalcidicæ.*
Hujuſmodi venena inſtillantur quoque telibus.	*Muris aranei.*
	Muſtellæ.
	Scolopendriæ.
Scorpionis marini.	*Stellionis*, Et omnium rabidorũ animalium, &c.
terreſtris.	
Draconis marini.	
Paſtinacæ marinæ.	*Joh. Prævotius Cenſur. Venenorum*, pag. 338. & ſequ.
Præterea morſibus, vt *Aſpidis.*	

Quâ vi Venena agant ex Antiquorum mente.

Venenum deleterium eſſe corruptivum, tabificum & maleficum eſſe ſtatuitur à tota ſubſtantia. Quid vero ſit *ſecundum totam ſubſtantiam agere* Valde ambiguum eſt, Eſſe quaſdam proprietates occultas tradunt (*Galenus ſimpl. 19. 23. m. m. 6. & 9.*) per ſolam experientiam habitas, quarum non eſt methodus. At pertinet ad Empiricos, non ad Rationales; *Avicenna* ſpecificas eſſe à forma prodeuntes, forte quia omnis actio à forma pendet, non à materia, At ſi hoc temperamentum eſt vniuſcujuſque proprium, vt annuitur *4. ſimpl. 15.* ex impuritate enim Elementorum proprietates oriri, quamvis elementorum proportio in ſingulis incerta eſt, homini tamen relata cognoſcantur, ex effectu ſimul & omnium temperamentorum gradu. Neque ſolum ex effectu, ſed & ratione ex ſaporibus, odoribus, aliiſque ſignis, Solum autem in quarto gradu comperta ſunt corruptiva eſſe.

At *piper* in quarto gradu calidum & ſiccum, atque *allium* effugerunt genus deleterii, non *auripigmentum* neque *argentum vivum*, ideoque dixit *Galenus 5. ſimpl. 19. Aliæ ſunt alterationes à calido, frigido, humido, ſicco, alia à tota ſubſtantia.* Non poſſumus igitur accipere per totam ſubſtantiam firmam mixti ex toto temporamento prodeuntem. *Meſues* formam aſſerit ſupra temperamentum, quæ cœlitus proveniat. Sed hæc opinio cum Peripateticis non conſentit, Ex elementorum enim miſtione ſimilaria conſtituuntur: Supra formam ſimilarium non eſt niſi virtus organica, quæ ab anima pendet, cujus principium cœlitus ducitur cum calido innato, non elementari, ſed cœleſti. Proprietates igitur ſecundum totam ſubſtantiam non poſſunt tribui formæ, ſeu hæc ſit temperamentum vnicuique proprium, ſeu ſupra temperamentum; An tota ſubſtantia ſignificat non ſolum formam, ſed ſimul & materiam? nam & hoc aut familiaris eſt, aut inimica. Per formam accipitur temperamentum proprium ex calido, frigido, humido ſicco, Nam eſſentia omnium effectricum facultatum ſunt primæ qualitates ex quibus omnia conſtant. Et *Ariſtoteles 4. met. 2.* inquit actiones omnes & paſſiones ſimilarium, ſunt opera primarum qualitatum, organicarum autem Anima. Per materiam autem intelligendæ ſunt conditiones materiales, ut craſſum, tenue, grave, leve, materia metallica, aut plantarum aut animalium, vnde facilitas & difficultas ad agendum vel patiendum. Quę facile mutantur in ſubſtantiam noſtri corporis, familiaria dicuntur; vt alimenta; quæ difficile inimica, vt medicamenta; quæ nullo modo inimiciſſima, vt Venena; Facilitas & difficultas contingit ob ſimilitudinem & diſſimilitudinem cum corpore noſtro, vt in elementorum tranſmutatione ſymbolum inditum calori noſtro (*3. Temp. 4.*) ut per coctionem convertat materiam in ſubſtantiam corporis noſtri, ſi ea non fuerit admodum terreſtris & gravis, qualis eſt metallica, Nam terra prius convertitur in ſuccum plantarum, velut hordei, tritici; hoc in ſuccum animalium, ideo alimentum familiariſſimum hominibus fit; adhibita etiam præparatione, confundendo in farinam, elixando, aut aſſando in panes, quædam etiam vario modo condiendo; A tota ſubſtantia non excludi temperamentum patet, *ex 3. de temp. 4.* vbi inquit, *Quorundam natura hominibus eſt maxime contraria, Naturam cùm dico* ſignifico vniverſam *ſubſtantiam & temperiem, quæ ex primis elementis conflatur. ſcilicet calido, frigido, humido & ſicco*, Non tamen ſolum temperamentum ſignificat, ſed cum tali materia; quædam enim totis ſubſtantiis inter ſe contraria ſunt (*13. m. m. 6.*) quædam ſolis qualitatibus, Illas ſimplices qualitates vocat, hanc totam ſubſtantiam, (*6. in fin. 6. Epid. 5.*) Differunt igitur primæ qualitates à tota ſubſtantia, vt forma per ſe ſumpta & adjuncta materia, vel vt totum & pars.

Piper igitur & *allium* temperamentum habent maxime contrarium, nam maxime diſtat à temperato, ſed materiam habent familiarem, levem & tenuem, facile convertibilem, unde eorum fervor extinguitur, ideo effugerunt genus deleterii. *Cantharides* (*4. ſimpl. 19.*) ob craſſitiem integris viribus perveniunt ad venas, & exulcerant. *Auripigmentum, argentum vivum*, non ſolum temperamentum habent maxime contrarium, ſed & eorum materia maxime gravis & metallica converti nequit à calore noſtro. Ideo non extinguitur eorum fervor, nam inſtar ferri igniti incumbunt corpori tota ſubſtantia contraria; In quolibet præterea temperamento ſubeſt materia nunc amica & ſimilis, nunc rebellis & diſſimilis. Nam inter frigida lactuca facile converti poteſt in ſanguinem, *cicuta, mandragora, opium*, difficile; aliquando tamen vincuntur, ſi non in multa quantitate ſumantur; Ideo quantitate deleteria dicuntur, non genere: at *ceruſſa*, ob naturam metallicam, quamvis frigida genere, deleteria eſt, quia vinci nequit. Quamvis autem non frigid[illegible] necet, non deeſt alia ratio, vt ſiccitas abſumens humiditatem corporis.

Si temperamentum mediocre ſit, materia vero immutabilis, non deleteria ſunt, ſed inter remedia quæ à tota ſubſtantia agunt, Alexipharmaca dicta, vt terræ quædam & lapides cum enim vinci nequeant, corpus tuentur ne vincatur à veneno.

Altera dubitatio ſolvenda eſt. Si à materia nulla actio provenit, quomodo aget tota ſubſtantia? vt differat ab actione primarum qualitatum. Solvitur ad primas qualitates pertinet omnis actio, ad materiam propenſio, facilitas & difficultas, ad patiendum ſympathia & antipathia: V. g. aërea cum ſpiritibus conveniunt, ut oleum cum reſinis & pinguibus, aquea cum humoribus, terrea cum ſolidis. Patet autem proprietates totius ſubſtantiæ magis in materia conſiſtere, quam in temperamento. Attractio enim quæ fit ab Alexipharmacis, à medicamentis purgantibus, & iis quæ

trahunt alimentum, aut aliis hujuſmodi reperitur ob ſimilitudinem fieri, quæ materia eſt: nam aërea ſubſtantia quæ ex electro efflat, trahi levia quæcunque, vt paleas, pilos, Idem efficit adamas & gemmæ denſiores, ſi fricatæ ſuper pannum incaleſcant; Calidum innatum trahit potabilem ſubſtantiam ex alimentis, craſſiorem autem relinquit, vt flamma oleum, non aliena. Singulæ partes familiarem ſibi ſubſtantiam ex alimento trahunt, hæ quidem craſſiorem, hæ vero tenuiorem, vnde colliguntur ſympathiæ & antipathiæ: Rhabarbarum flavam bilem trahit, helleborus niger atram, inter quæ ſimilitudo quædam conſpicitur, Scorpionis corpus venenum ejuſdem trahit; Sic materiæ tribuitur aliqua actio. attractio enim ad motum localem attinet,

Sed cur facultates ſecundum totam ſubſtantiam Occultæ dicuntur, per ſolam experientiam habitæ, non ratione? Oppoſitam tamen videmus *lib. de Ther. 10.* & apud *Dioſcor.* ex *Diocle,* & *Eraſiſtrate 4. ſimpl. 13.* Senſus linguæ hoc eximium habet vt proprietates totius ſubſtantiæ cognoſcat. Nam quod nutrit, iucundum eſt, noxia injucunda. Venena omnino abhorret non ſolum guſtus ſed & olfactus.

An occulta dicuntur quia difficilis eſt eorum ratio, vnde ἀναπολογικὰ apud *Dioſcoridem,* h. e. ratione carentia. Satis enim eſt credere ſenſui vt cur ignis calidus, abſynthium amarum. At ratione colligitur in venenis exceſſum eſſe alicujus qualitatis agentis, alioqui non corrumperent, & materiam quandam continere quæ vinci nequit à calore noſtro, Ex quibus ſumi poſſunt Indicationes remediorum. Facilius autem eſt invenire exceſſum qualitatis effectivæ quam conditiones materiæ in quibus ſimilitudo & diſſimilitudo conſiſtit, ſympathia & antipathia, in attractione ſimilium, in purgantibus, alexiteriis & iis quæ diverſas partes reſpiciunt, vt *Galenus 9. ſimpl. 8.* miratur propter quod lapis quidam tactu vulneris ſanguinem ſiſtat, Jaſpis viridis appenſus ventriculum roboret, cui inſunt guttæ ſanguineæ apud *Albertum,* ſanguinem ſiſtenti indicatur enim ſympathia cum ſanguine, &c.

Ad clariorem autem doctrinam totius ſubſtantiæ, ſciendum eſt apud *Galenum 6. in 6. Epid. 5.* quatuor eſſe materias quæ tota ſubſtantia aut conveniunt cum corpore noſtro, aut alienæ ſunt, Medicamenta *Purgantia* conveniunt quidem cum humoribus, quos trahunt, non forma, Quæ enim ſimilitudo ſubſtantiæ in temperamento hellebori & atræ bilis colocynthidis & pituitę? ſed materiæ, purgantium enim materia facillime convertitur in humores quos trahunt ob affinitatem. Trahunt igitur temperamento calido (*5 ſimpl. 17.*) Sed ſimilitudine ſubſtantiæ proprios humores quo differunt ab attrahentibus caliditate tenuium partium vt puſtulos fini genera, Eadem purgantia aliena ſunt à corpore noſtro tota ſubſtantia, quia non nutriunt.

Alimenta conveniunt cum corpore noſtro, & temperamento, dulcedinem habent, quæ non recedit à mediocri temperamento, Et materia, quæ facile convertitur, non gravis, nec valde dura, nec valde terreſtris.

Malefica, i. e. *Venena,* ex toto aliena, & temperamento, & materia, Eorum enim temperamentum maxime recedit à temperato, corrumpunt enim exceſſu primarum qualitatum, nam cor non deficit à ſuo motu, ſine maxima intemperie aut primario aut ſecundario, per ſecundas qnalitates, vt valde relaxatum aut conſtrictum; materię vero eorum omnino immutabilis eſt à calore noſtro, vt ſunt metallica & iis affinia.

Alexiteria, ſeu *Alexipharmaca,* venenorum remedia, partim conveniunt cum venenis, partim cum corpore noſtro, cum venenis conveniunt materia inalterabili; cum corpore noſtro, temperamenti mediocritate, Agunt autem ad venenum, aut attrahendo, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ; aut alterando contrariis qualitatibus. Reliqua medicamenta ſolis qualitatibus agentia materiam habent neque familiarem vt alimenta, neque omnino alienam, vt venena; Ideo mutantur quidem in corpore noſtro non in ſubſtantiam, ſed ſecundum qualitates, interim corpus alterant pro eorum temperamento ſecundum primas qualitates, aut ſecundas, à quibus ſequitur aliquando ſanatio, aliquando interitus.

Quamvis autem aliquando ob exceſſum enecant multa medicamenta & purgantia & alexiteria, non juſto modo aſſumpta; non tamen Venena proprie dicenda ſunt, quia aliquomodo vtilia ſunt, quædam participant de natura alimenti, vt *lactuca, apium,* Quædam de natura Veneni vt *ruta ſylveſtris, melanthium, caſtoreum,* Sunt quædam quæ homini venenum, quibuſdam animalibus nutrimentum ſunt, vt cicuta ſturnis, helleborus coturnicibus, bufo ſerpentibus. *Avicenna* non bene inquit, Quæ exceſſu qualitatum enecant, non venena ſed venenoſa eſſe, vt opium, euphorbium, auripigmentum, venena tantum eſſe quæ à tota ſubſtantia, vt Napellus. Alii è poſterioribus addunt quædam eſſe venena quæ vtraque ratione enecant, id eſt qualitatibus primis & tota ſubſtantia, at hi mentem *Galeni* non perceperunt nam tota ſubſtantia non agit ſine primis qualitatibus. *Ceſalpinus cap. 2. pr. l. 3.*

Non pauci vim Venenorum corruptricem exiſtimarunt incognitam & arcanam eſſe: *Petrus Aponenſis lib. de Venenis* declarans quæ ſit ſpecifica hæc proprietas, dixit eam nihil aliud eſſe niſi meritum mixtionis elementorum rebus ipſis donatum, à ſuperiori ſiderum influentia; quam ſententiam profitetur ſe accepiſſe ab *Anicenna l. de vir. cordis.* Hanc *P. Aponenſis* ſententiam plerique recentiorum ſectati ſunt, & inter alios *Fernelius* qui divinis cauſis multum tribuere delectatus eſt.

Qua vi efficacia ſint Venena ex mente Recentiorum.

Si quis *Venenorum effecta & ſymptomata* quæ in homine ſolent excitare attenta mente conſideraverit, tandem agnoſcet illa omnia ortum ſuum ac efficaciam debere alterutri, vel vtrique *Acri,* cujus acrimonia vel patet vel latet.

Quoties *patet Acrimonia Veneni,* toties *prompta eſt ejus actio, Humorumque corruptio,* ſentiturque confeſtim ejus noxa, corporiſque affectio mala.

Quoties *latet* ipſius *veneni acrimonia,* toties *lenta eſt & tarda ejus actio.* Humorumque corruptio, nec niſi paulatim obſervatur ejus noxa,

Quamvis autem quævis modum ac mediocritatem excedentia Homores noſtros, hinc & corpus reliquum male afficiant, poſſintque hactenus dici Venena, intelligimus tamen hic *Venena* non leviora, ſed *graviora* ac *vehementiora,* quorum actio difficilius ſiſti poteſt, ac ſuperari in nobis.

Aliud enim eſt aliquod mutare alterare, corrigere, imo debellare in corpore noſtro, aliud extra corpus noſtrum, multa ſiquidem, vt debellentur. *Acribus* indigent, quæ ſicuti ferre poſſunt vaſa vitrea terreave qualia ſunt crucibula, non poſſunt illa ferre ac per ferre corpora noſtra, quippe quæ corrumpuntur quoque ab ipſis.

Sic *ſal tartari,* vel quodvis aliud *lixivum corporis* noſtri partes *conſiſtentes* rodit, & ad internecionem deducit, cujus tamen vim *frangit acidus ſpiritus vitrioli* puta, *ſulphuris, ſalis,* vel quivis alius. Hic tamen ſi ſumatur intra corpus majori vehementia idem corrodit quam ſal lixivum, adeo vt prius quam *hæc duo Acria ſibi*

bi temperent corporis lethalis corruptio ſit futura, que tamen in vaſe vitreo, vel crucibulo fiet commoda contemperatio.

Hoc qui non animadvertunt, nunquam venenorum naturam, operationem, aut curationem ſolide cognoſcent;

Venena igitur conſiſtere videntur omnia in alterutro vel vtroque acri, nunc patente nunc latente.

Sicut autem *vtrumque Acre*, vbi ſeorſim, arte paratur, *Igne paratur*, & quidem forti ac vehementi, ita vtrumque coniunctum, ac mutuo fractum, ſi eius *Acrimonea* debeat denuo intendi, opus eſt *Igne*, quo ſolo ea poteſt obtineri.

Quinimo valde probabiliter iudicamus omne *Acre* in rerum natura exiſtens, & paſſim occurens, *acrimoniam ſuam ſimiliter accepiſſe* ab *igne* aut *cæleſti*, per Solis radios in terram vſque delatos, aut *ſublunari* & *vulgari*, in terræ partibus penitioribus ſubſiſtente, totieſque vbi ſulphuris fodinæ ſunt ſe manifeſtante, atque vicina omnia deſtruente Hæc dum aſſerimus, ſecundum experientiam loquimur & ratiocinamur &c. *Sylvius de le Boe meth. med. l. 2. c. 29.*

De qualitatibus, miſtione, & Elementis, ſublimius philoſophatur Sylveſter Rattray Tract. de ſymp. & Antipathia. Principia ſperma Topoetica & Fermenta adſtruens.

Accipe, *inquit*, terræ virginis q. ſ. quæ nunquam ſemine animalis, vegetatibis aut mineralis imprægnata fuerit, & colloca in concavis puteorum recenter extructorum, fontiumque ſaxis poroſis, cryptiſve carbonum, & ſi pluvia irroretur iſtis in locis, Terra iſta virgo ingravidabitur, abſque ſemine radice aut pollurie ſeminali, his herbis & non aliis videlicet *adianto, capillis veneris, ſcolopendria, ſymtellaria* hepatica.

In rimis murorum ſi iſta terra collocetur, vti dictum, ingravidabitur his & non aliis plantis, videlicet *parietaira ſalvia vita, leucoio,* abſque vllo ſemine &c.

In tegulis ſeu tecto domorum ſi terra talis locetur, vti dictum in ea producuntur, *ſedum* omnis generis *Herniaria* & *millepedes.* Si radices aliarum plantarum puta *hyoſcyami, angelica* &c. illic plantentur, deſtruunt fermentum proprium loci.

Si terra iſta locetur in loco alto, in ſummitate pali, aut in vaſe aliquo, longe à ſeminali aliqua miſtura ſucceſſu temporis ingravidabetur ſemine herbarum illum ſubtus iacentium & creſcentium ex earum evaporationibus, Et hoc ſerio notandum quod poſt productas plantas remaneat terra virgo, in eodem pondere & menſura.

Et quatuor his exemplis liquido conſtat *Terram virginem* poſt natas plantas remanere in quantitate & pondere priſtinis, ideoque eam non ingredi plantarum illic naſcentium compoſitionem, Relinquitur ergo plantas iſtas ex ſola *Aqua* fieri, aut ex nihilo, non vero ex ſomniatis miſtionibus, quatuor Elementorum.

Et licet iſta exempla clariſſime illud demonſtrent, in tanto paradoxo (vt videtur) deſcribendo, ne nimis ieiuni videamur, alia ex Naturæ promptuario habebis: Si menſe martio perforaveris *Betulam*, *Quercum*, *Fraxinum* &c. exſtillabit aqua limpida, puta clara, obſcurum arboris ſaporē & odorem referens, quæ ſpatio xii. aut xiv. dierum præponderabit arbori cum ramis & radicibus; ideoque ſequitur arbores ex ſola aqua fieri, quam ex terra ſugunt, ſale nitro imprægnatam. 4. Ex aqua guttatim decidua in caverna ſcotiæ Septentrionali videmus petram albam fieri ſine aliqua ſenſibili miſtura alterius rei. 3. Chimicorum ſal, ſulphur & mercurrius migrant in aquam claram, limpidam; & æquiponderantem corpus in eam diſſolutum, quod Chimicis petitis notiſſimum. 4. Cadavera mortuorum in Cæmeteriis in aquam migrant, nam ſi in cinerem & terram migrarent cæmeteria in inmenſum creſcerent, quod experientiæ quotidianæ repugnat.

Præterea ſi ex miſcela quatuor Elementorum omnia corpora reſultarent, tunc aurum & cætera metalla; marcaſitæ & lapides non præponderarent terræ, quod liquido patet; Obſtrepunt nonnulli de terra pura quæ nonniſi in centro reperitur, atque eam eſſe omnibus miſtis graviorem, ſed contra ſic arguo, vbicunque fiunt metalla, lapides, &c. ibi eſt terra pura, At in iſtis locis terra eſt à levior iſtis Ergo &c.

Si igitur ex *aquâ* ſola fiunt omnia corpora, quę in iſta creduntur, vti ſunt Vegetabilia mineralia, Animalia, vnde exiſtentiam ſuam mendicabit, Chimericum illud monſtrum *miſtio*, atque omnes ſalebroſæ & inextricabiles difficultates, atque incompatibiles contradictiones quæ ingenia Philoſophorum acutiſſimorum vſque arſerunt, exinde natæ. Quis, quæſo contrariis Elementorum in miſto qualitatibus (quibus omnis generatio & diſſolutio rerum falſo adſcribitur. Et ſi neque inſunt neque ineſſe poſſunt) dabitur locus? Et neque monſtrat, neque contrariis in miſto (quod nunquam extitit) qualitatibus detur locus in Natura, vnde originem ſuam habuerunt temperamentorum tot diverſæ complicationes &c?

Licet ex Aqua, tanquam vnico princio materiali omnia quæ prius miſta fuiſſe putabantur fiunt; tamen omnia fieri vnico principio ſimpliciter minime dicendū eſt, Quia tunc nulla eſſet diſtinctio inter principium & principiatum, & ambo eſſent illud vnicum ideoque in exemplis iſtis vlterius inveſtiganda ſunt alia.

Secundo igitur ex quatuor illis pręallegatis exemplis patet locis omnibus à creatione indita eſſe *principia quadam activa ſpermato poetica*, in ævum duratura, quæ neque ſunt calor frigus, &c. aut contemperatio iſtarum qualitatum inter ſe pugnantium, aut influentiæ Solis, Lunæ aut cæterorum ſyderum; nam ſi hoc eſſet quodlibet ex quolibet fieret, & id promiſcue in omnibus locis, nec hic *capillares herbæ, ſegetes, olivæ &c.* illic *blitum, ſedum,* & ſic de cæt.

Sol autem per ſuum calorem inſervit productioni iſtorum vegetabilium, excitando nimirum & fovendo iſta principia, vt impregnent, virginem ſuam terram eorum ſeminibus, Iſta autem principia ſubiectantur in odoribus concreatis, aut perceptibilibus à ſenſu, aut aliquando non vt in experimento quarto, quæ medio iſto odore contagio quodam per totā maſſam ſubſtratam ſerpunt maſculinum illi robur impertientes: Vt in panificio, v. g. fermenti grana aliquot inficiunt contagio ſuo maſſam farinæ maximam, & in ſuam naturam tranſmutant: Sic *ſaliva canis rabidi* in minima quantitate, mutando humores, ſpiritus, partes, & conſequenter actiones hominis aut bruti demorſorum inducit *hydrophobiam*, & *Tarantulæ* ictu ſuo fere ob exilitatem aculei inſenſilis, mores ſuos & geſticulationem in hominem aut brutum tranſplantat: Sic aqua decidua in Terram virginem à *fermento tegularum* vertitur in *ſedum* à contagio *puteorum*, in adiantum, catillum veneris &c. Ita vt iſtis principiis nullum nomen melius quadret quā ſi *fermenta* vocitentur, prius à ſolo *Helmontio*, ſed obſcure delineata. &c. De *Locis* horum Fermentorum, x. alia huc pertinentia, vide lib. citatum p. 58. & ſequ.

Venena quot modis corpus inficiunt.

Venena variis modis corpus humanum ingrediuntur, & 1. quidem *inſpirantur cum aëre*, aut etiam in

aëre exiſtentia *corporis poros penetrant.* & ſic ſe illi inſinuant, *Humoreſque* ipſos, ſed & *partes conſiſtentes* corrumpunt.

2. Eadem cum *Alimentis*, cibo vel potu, vel Alimentorum loco ore aſſumuntur, & mox *Humoribus* ſe iungentia totum corpus officiunt & inficiunt.

3. Eadem *linteis laneiſve veſtimentis Tegumentiſve inexiſtentia, per cutis poros* ad interiora penetrant, noxaſque ſuas in corpore excitant.

4. Eadem nunc *venenatorum animalium puncturis*, nunc *Armorum qualiumcumque infectorum vulneribus* notam ſuam in corpus immittunt.

Huc referri poſſunt. 5. *venena* Chirurgorum aliorumque miniſtrorum artibus diabolicis, *medicamentis* externis permixta, & vulneribus applicata, ſicque ad interiora penetrantia, homineſque pro veneni natura diverſa diverſimode inficientia. *Sylvius de le Boë meth. med. cap. 29.* § *56. & ſequ.*

Vario modo venena inficiunt; alia enim *hauſta*, poſtquam alterationem aliquam adepta ſunt, lædunt, alia citius, alia tardius: Frigida, ſi cito non interimunt, diuturnitate temporis con. oquuntur. (*3. ſimipl. 22.*) Calida quo diutius permanent, eo deterora evadunt, quia magis corrodendo & putrefaciendo tabefaciunt; Quæ *extrinſecus* agunt, aut *actu* lædunt, vt ſerpentes, ſcorpiones, alia ſolo *contactu*, vt ſpuma canis rabidi vel ejùs qui ex eius morſu in rabiem incidit; nam aliquando vel ſola converſatio rabiem communicat, apud *Dioſcoridem*. Hoc modo correpti à peſte per contagium inficiunt, ſimilem vim habere dicitur *Dryinus ſerpens*, ſi quis enim ſupergreditur, cutis à pedibus excoriatur, tota enim oedemate intumeſcit; & manus curantium eodem modo periclitantur, Si quis aggreditur eum perimere, olfactu mulctati aiunt, alium quemlibet odorem vel gratiſſimum ab eo non percipi.

Tradunt compoui etiam venena penetrantia in corpus, etiam illitis ſellis & equorum ſtaſſis: Non igitur mirum quod traditur *Herculem* interjiſſe indutum linea veſte, quæ ſanguine imbuta fuerat eius, qui vulnus acceperat ex venenata ſagitta Hydræ Lerneæ: Servari enim potuit venenum in veſte exſiccato ſanguine, quod à calore corporis excitatum vehementes cruciatus induxit.

Quædam *olfactu* lædunt & inſpiratione, vt fœtores ex putridis corporibus, præcipue in ſtatu peſtilenti, & ſubterraneæ evaporationes, aut aëris diu concluſi, aut ex fodinis æris, argenti vivi, auripigmenti, hæc enim ſtatim inficiunt cerebrum & thoracem.

Quædam viſu inficiunt, non ſolum *Baſiliſci* intuitus, ſed etiam effaſcinantium oculi, vt lippientium lippitudines communicant; ſic. vetularum quarundam aſpectus infantes lædit. *Plinius* ſcribit in Triballis eſſe qui interimant vt & in Illitiis, quos diutius intueantur præcipue iratis oculis his binas ineſſe pupillas, quod malum ſentire puberes.

Veneficia quoque ſunt quæ *incantatione* parantur, opera enim Dæmonum varia venena colliguntur, ad quæ forte reducuntur quæ à *Plinio* ſcribuntur, in Africa familias eſſe effaſcinantium, quorum laudatione intereant prata, inareſcant arbores, emoriantur infantes: Sed ad medicum naturalem hæc non pertineut, tantum prævognoſcere oportet quod Divinum (*1. progn. 4.*) ſubeſt in morbis. *Ceſalpinus c. v.*

Modus quo afficiunt venena: Et Ratio illum diſquirendi.

Non levia ſunt medicorum diſſidia aliter atque aliter afficiendi à venenis modum tradentium: Quidam ſanguinem coagulari, lympham inſpiſſari, & ſpiritus denſari à Venenis exiſtimant: Quidam ſanguinem & lympham contra nimium fundi ſpiritusque diſſipari opinantur; Alii inexplicabili ratione corrumpi tradunt; Hanc ob cauſam putarunt venena in exigua quantitate, vel foris advenientia, & vulnere illata admodum ſui multiplicativa eſſe, inſtarque fermenti totam maſſam ſanguineam nunc citius nunc rarinficere poſſe; Alii neque ſpiritibus neque ſanguine aut lympha valde immutatis, venena plurima ſæviſſima ſymptomata, vellicatis membranis nervoſis & ad contractionem irritatis fibris, nunc paucioribus nunc pluribus excitari probarunt, à quorum ſententia *Willis* non abhorret, atque favere videntur experimenta Dom. *Redi*, inter quæ paſſim occurit neminem à gallinis aut columbis, morſu viperarum enectis & poſtea comeſtis quicquam damni paſſum fuiſſe, quod nullus evaſiſſet, ſi maſſa ſanguinea à viperę morſu depravata fuiſſet, vt plerique imaginantur, Nullus tamen dubito quin quandoque vtraque ratione œconomia corporis humani à venenis pervertatur.

Vt in vno alterove certior fierem vel ſaltem proprius ad veritatem accederem, tum ſolus, tunc amicis veritate litantibus hac in re ſociis, ipſemet experimenta in brutis facere conſtitui: Dedimus itaque canibus, lupis, aliiſque brutis venena vegetabilia & mineralia, quorumlibet effectus pro virili annotavi, ad omnia quantum potui ſymptomata attendi, ſimulque tum in viventibus tum in demortuis Anatomiam in ſubſidium vocavi; ſanguinem & lympham conſideravi, parteſque ad quos venenum appulit perluſtravi, Ex iis quorundam ſymptomatum ſcil. vomitus, ſingultus dyſenteriæ, colicæ aliorumque fiendi modos diſcere potui, Et ſi forte non omnia aſſequutus ſum, anſam tamen tum aliis tum mihi ulterius inquirendi dedi, &c. *Wepferus Tr. de cicuta aquat c. x. p. 130.*

An Veneni actio in corpus ſit certo temporis ſpatio definita.

Declarata veneni natura, perquirendum quanto tempore *perferri poſſit eius actio ſalva manente vita*, hoc enim cognito conſtabit quoque.

An venena diu latere poſſint in corpore antequam proprias vires exerant. Et

An aliqua dari poſſint tam ignava, quæ longiſſimo duntaxat temporis tractu interficiant? interim vero indomita à viventis calore expelli nequeant, ſed in corpore ad certiſſimam illius perniciem conſerventur.

A manifeſtis dubii ſolutionem deducamus: Quis autem non confitetur finitam agentium & patientium naturalium agendi reſiſtendique vim, aliquo finito temporis ſpatio circumſcribi? Omnis enim finita virtus agendo patiendoque conſumitur, eoque citius abſolvitur actio, quo virtus activa fortior, paſſiva vero reſiſtentium debilior extiterit; Cum ergo non omnium corporum, quo à venenis patiuntur eadem ſit diſpoſitio, neque omnium venenorum eadem activitas, incertum eſſe ſpatium victoriæ, qua venenum de vita triumphet neceſſe eſt, quia qui calido humidoque ſunt temperamento, atque adeo meatus amplos habent, facilius inficiuntur citiuſque pereunt, quam natura frigidiores, toto corpore adſtrictiores qui multis abundant excrementis, potiſſimum in ventriculo ægrius afficiuntur, obturo ad tempus & impedito veneno ſuperfluitatum alluvie quam bono habitu præditi, in quibus veneni vis ſanguini membriſque celerrime communicatur.

Inter venena ipſa cito interimunt, quæ calida ſunt partiumque tenuium, ac proinde in penitiores vias ſeſe inſinuant; Lentius agunt frigidam & lentam habentes ſubſtantiam, quia inſenſibiles partium cavitate ægerrime

rime ſubeunt; Eandemque ob cauſam viſcida & oleaginoſa aliquo tempore ventriculo adhæreſcentia priuſquam alio diſtribuantur, tarde ſe produnt, Ad hæc citius agunt propria venena, quæ qualitatis exceſſu & mole necem inferunt.

Non tamen putes perpetuum eſſe quod ſcribit *Gatenus*, venena toto genere lethalia altero vel tertio die interficere, *Erodentia* id vtplurimum præſtant, aliquãdo etiam primo die, ſi ventriculum acri ſenſu præditum offendant: Quæ *putrefaciunt* longius requirunt tempus ad humorum ac partium corruptionem, Quæ autem cordi ſpiritibuſque vitalibus primo adverſantur intra paucas horas è medio tollunt ſi vel tenuiſſimam habeant ſubſtantiam, qualia ſunt quorundam animalium in Africa degentum, ſpuma & liquores naturales ſtirpium quarundam venenatarum Arabiæ & vtriuſque Indiæ, vel vaporis forma reſpiratione in cor attrahuntur, aut etiam tranſpiratione arterias penetrant, quales ſunt venefici vapores aquarum quibus indumenta, & alia quæ contrectantur manibus infici conſueverunt.

Poſſunt quippe venena diu latere in nobis, & longe temporis tractu corrumpere: imo quod incredibile videri poſſit, diu aliquando detinentur venena, vel aſſumpta vel in corpore procreata priuſquam in loco affecto notabile aliquod ſymptoma patiunt, quæ tandem poſt quatuor aut ſex menſes, vel longiori temporis decurſu hominẽ perimunt, teſte *Galeno 2.prorrh.p.67.*

Exemplo canis rabidi, cuius actio tanquam emortua lethifera facultate per plures annos ſæpe feriari obſervata eſt, rabiemque & funeſtum aquæ timorem tum demum inferre, quamvis omnis in demorſa parte relicti & veneni vis, & multorum annorum enervata, & continuo corporis defluxu conſumpta credebatur.

Nam venena quæ circa ventriculum, & in longiſſimo venarum tractu hærent, priuſquam ad partem adpellant, cum, naturæ adverſantur nullum poſtiferæ virtutis argumentum exhibere poſſunt cum actio quæcunque corruptiva ratione contrarietatis fiat, & ſine patientis ad corruptionem diſpoſitione, non modo non profici ſed ne inchoari quidem poſſit: Itaque mirum non eſt ſi partium, quæ à veneno non patiuntur, expultrix veneni commertium ferat aliarumque partium notam veneni depulſione minime avertat;

Cur autem venena diu hæreant in longinquis partibus, vel in corporis impuritatem denſitatem, frigiditatem; Vel in veneni lentorem, oleoſitatem, craſſitiem, atque cõſtringẽdi vim referri debet: Quod vtinam perfidiſſimis venenorum compoſitoribus ignotum eſſet, Nam vt maleficium celent, abutuntur arte & acutiſſimorum etiam venenorum vim pro arbitrio retardant, adſt ngentium craſſorum, viſcidorum pinguiumque à com mixtione; Qua ratione putrefacientia inflammantiaque venena certis adſtringentibus mixta & deſtillata, deſperatas excitant anginas, nullam veneni ſpeciem præ ſe ferentes, ſoloque lacte ad continuam oris collutionem curabiles.

Quamobrem *dubitari non debet* dari venena ad tempus, multaque huiuſmodi ſponte provenire, & multo plura confici poſſe eadem methodo, qua ſalubriũ pharmacorum compoſitiones abſolvantur, fueruntque cadentis Romanæ Reipublicæ temporibus homines tũ improbi: Eorum *Medeſius. Heliodorus* Athenienſis, & multos ãte illos *Orpheus Theologus*, & *Stratus*, qui venenorum compoſitionem, non ad artis oſtentationem, ſed veluti odio humani generis irritati in exitium illius deſcripſerint; quorum ſceleſta opera maximo temporis beneficio & poſteritatis bono periere.

Quod aliqua dantur venena, non acria & erodentia neque inflammantia aut putrefacientia, quæ moderata frigiditate validaque ſiccitate ventriculum, cui forte adhærent, afficere poſſint, atque adeo nativum eius calorem ſenſim hebetare, humoremque, vt aivnt, radicalem, lente abſumere, talia omnia lentiſſima fore arbitror, quippe quę mediante ventriculi marcore totum corpus extenuant, extremaque macie tandem conſumunt.

Tale falſo creditur eſſe *Adamantis* pulvis, quem tummodo innoxium eſſe, multorum experimentis abunde hactenus eſt compertum, ſed etiam venenis omnibus ſtrenue auxiliari contendunt, non infimâ notæ ſcriptores & in rerum naturalium obſervationibus ſolide verſati *Ioh. Pravotius Cenſus venenorum p.m.320.*

Hanc quæſtionem movebat *Guainerius* & hoc modo ſolvebat, inquiens.

Etſi vnum venenum tardius inficiat quam aliud, *non* tamen *poſſibile eſt* alicuius *veneni actionem* vſque *ad vnum* menſem, *vel menſes* aut *annum*, *ſeu alium præciſum* terminum *limitari* (*vt nonnulli dixerunt*) *ſic vt venenatus ad illum terminum præciſe moriatur,* & *non ante nec* poſt, *& hic merito ipſius effectus naturalis illius ipſius veneni.*

Prima pars concluſionis ſatis *ex ſe patet*, *ſecunda probatur, quia omnis veneni actio naturalis variatur tam ratione ipſius veneni quam diſpoſitionis illius qui illo infectus eſt, ſed cum impoſſibile ſit diſpoſitionem ipſorum ſic expreſſe metiri*, (vt exemplo duorum damnatorum quorum meminit *Foreſtus lib* xxx. *obſ. 1.* cum in vno poſt horam coeperit operari venenum vnum & idem in altero poſt mediam horam) *vt in tanto vel tanto tempore eorum actio certa ſciatur, patet concluſionem fore veram: Conſequentia nota eſt; maior eſt manifeſta nam idem venenum mille & quot libuerit in eadem exhibitum dozi quoſdam interficiet, & quoſdam non, & ex his quos interficiet aliquos interficiet in vna hora, & aliquos in ſex alios in duobus diebus, vel alio termino*, aut *tardius.*

Secunda concluſio. Etſi ſic ſit, vt præcedens aſſerit concluſio fieri tamen poteſt vt venenum exhibendum taliter diſponatur, vt in *ſocrate* v.g. vna die operationẽ ſuam perficere debens, illam tamen diem & vltra tranſeat; Hoc ipſum, aut ſimile patet ſtatim ex eo quod eadem caro cum ſinapi comeſta in ſocratis ſtomacho temperato digeratur in vij horis e. g. quam cæteris paribus comeſtam cum agreſta non digeret in octo, & hoc idẽ docet experientia, Quare ſic fieri artificialiter de venenis non convenit, Ergo concluſio vera.

Tertia concluſio. Poſſibile eſt venenum naturale, ſeu artificiale reperiri exhibitum, quod aliquem taliter diſponet, vt paulatim velut hecticus conſumatur, ita vt ſi calor eius naturalis prius ad ſuſtẽtandã vitam eius per xl. annos, v. g. ſuffecturus fuerit, poſtea viribus aut nocumento veneni iſtius vno anno duntaxat, vel duobus ad ſummum perdurare poſſit, quod *Avicenna* intellexit cum dixit, vi. *quar can. Et omne quidem quod inficit cum permutatione complexionis, aut cum putrefactione, aut cum adventu ſupra membrum, poſſibile eſt vt ſit effectus poſt tempus & ita in juvene, quantumvis robuſto, ex aqua frigida potu, interdum ſic calor naturalis, qui antea pro ſuſtinẽda vita 40. annis ſufficiebat, nunc autem pro vno vel duobus ſolum ſufficiet.* Ita non repugnat venenum reperiri conſimilem in corpore noſtro faciens operationem, imo de facto, certo fere tempore interficiens. *Foreſtus ſch: ad obſ.1.lib.30.*

An venenum aliquod inſidorum hominum malitia datum determinate quodam tempore interficere poſſit?

Pro quæſtionis limitatione notandum quod venenorum actio multiplex ſit, tam ex ratione propria cuiuſque naturæ quam reſpectu ſubiecti paſſi, varieque præparationis, cuius beneficio vis agendi iam augeri iam diminui poſſit: Hinc igitur ex obſervatione patere poteſt aliud venenum preſentiſſimam inferre mortem, aliud vero non niſi lõgiori tempore vires ſuas explicare,

aſt vt in certam præſcriptamque diem (inquit *Ionbertus*) venenorum effectus limitentur, & abſurdum & plane ridiculum eſſe putamus, quia reſiſtentiam ſubiecti patientis nullus ad vnguem ita cognoſcere & prævidere poterit, vt ſciat ad amuſſim & diem, quamdiu calor ius innatus veneno poſſit reſiſtere verum quidem dari venena quæ non interficiant protinus ſed diuturnitate temporis diverſimode vitale principium aggrediuntur, de quorum compoſitione (cum pleraque artificialia ſunt) plura ſubiicere non medicorum ſed veneficorum eſt. *Greg. Horſtius Tomo oper. i. p. 2. 287.*

An Venena ſanguini occultam corruptelam inferant, Et An animalia veneno interempta in cibum venire queant.

Venenum ſui valde multiplicatiuum eſſe gratis affirmatur & à venenis maſſa ſanguinea inexplicabile vitiũ induci At illis *Illuſtris Iac. Auge Thuani* conſiderandum propono ſeu ænygma ſeu æquum poſtulatum, ſic Ille. l.27. *Hiſt.* p.m.22.

A fide dignis mihi narratum fuit apud Convallenſes, ſeu Valdenſes in vſu eſſe vt gladiorum acies, ſpicula venabula, ſagittas glandes plumbeas & cætera miſſilia Toræ *vulgo dictæ, ſeu potius phthoræ ſucco,* quæ illis locis frequens *naſcitur,* & *vulgari toxici nomine appellatur, inficiunt, quod præſtantiſſimum venenum eſſe ferunt medici: Eius & longe alium in re diſpari vſum inter Alpinos quem minime reticendum putavi mirabitur Lector; Gallinas, & pullos & huiusmodi volucres, quarum carnes edules in diverſoriis apponuntur, cultris eo ſucco illitis ſub alis figunt, quo ictu mox emiſſo ſanguine exanimantur nullo vitio inde contracto, tantum carnes inde teneriores redduntur, & ſtatim hoſpitibus comedenda apponuntur: quod rerum naturaliũ veſtigatoribus amplius diſquirendum relinquo.* In prægreſſis memorat nullos ex Sabaudis, qui a Valdenſibus ſauciati fuerunt evaſiſſe.

Addo his quæ Nob. *Franc. Redi obſ. de viperis* p. 32. refert, *Sci. quod diverſæ perſonæ coxerint & comederint hilariter omnes bonos illos pullos gallinaceos, & columbinos, & omnia reliqua animalia quæ viperæ momorderunt,* quicquid dicat *Matthiolus non poſſe id fieri ſine manifeſto vitæ periculo.*

Huc quoque pertinent quæ *Redi* ex *Galeno l. 3. de Temper. Anthora de Ther. ad Piſon. Celſus Lucano* refert Nimirum feras ſagittis venenis infectis interemptas innoxiè. comedi poſſe.

Quomodo venena extrinſecus illata, ictu aut vulnere brevi motum cordis ſiſtant atque ita vitam eripiant, non multis diſputabo, cum hac in re periculum non fecerim, & quæ in demorſis à Lupis rabidis ante annos aliquot obſervavi huc non pertineant, Ipſe D. *Redi l. c. p.67.* fatetur ſe nihil certi hactenus inveniſſe quod pleniſſime ſibi ſatisfecerit, quamvis in frequentiſſimis experimentis diu occupatus fuerit, Attamen hoc auſim aſſerere, quod ſi congelatio, ſeu grumefactio ſanguinis, mortis cauſa his fuiſſet id ipſum latere non potuiſſet ſi ſolummodo calentium adhuc animalium pectora aperuiſſet ac corda ſauciaſſet eademque opera cognoviſſet brevi poſt ictum illata nece, ſanguinem non vſque adeo corruptum fuiſſe, cum paucorum momentorum intervallo depravari nequeat, vt prorſus ad flammulam vitalem fovendam ineptus ſit, quin vitium in ſenſus incurrat, ſive ſpiritus diſſipati, ſiue tota compages in ſua elementa ſoluta fuerit: Spiritus narcoſi quadam ſopiri, & conſequenter cordi ſenſum obtundi non poſſum credere, cum poſt ictus animalium venenatorum intenciſſimi dolores oboriantur, quod nemo non ab apibus aut veſpis punctus fatebitur, & forte animalia viperis morſa dolorum indicia prodita. docebunt cor à ſanguinis copia obrui· lubenter concedo at nullo in ſigni ipſius vitio, id fieri poteſt quoque ſi prius fibræ illius multis & frequentibus motibus convulſivis delaſſatæ & enervatæ fuerint; aut ob impeditum ſanguinis motum per pulmones, ob conſtrictionem fibrillarum nervearum tonum ſuum amiſerunt vt ſanguinem in ventriculis & auriculis ſtagnantem vlterius propellere nequierit vnde proculdubio, non ſecus ac in omnibus ſuffocatis adhuc vidi, cor ſanguine turgidiſſimum cum vena cava aſcendente aliiſque maioribus inveniſſem: Certe ſi tantillum veneni ictu viperæ aut ſcorpionis ſanguini permixtum, aut amplo vulnere venabulo, aut glande plumbea communicatum, eique confuſum totam maſſam, aut maximam eius partem contaminaret, vt ad vitam fovendam ineptus redderetur, nemo impune illis animalibus veſceretur, ac merito *Matthiolo*, quod citra experientiam ſola ratione niſus ſtatuit, aſſentiendum foret cum in brevi illo ſpatio quo animal poſt vulnus acceptum vitæ ſupereſt, nihilominus ſanguis circuletur, quaquaverſum diſpergatur, ac carnium intimos receſſus ſubeat, illiſque poſt mortem tenaciſſime inhæreat, vt nulla unda elui poſſit, at forte obiicitur aliam venenatorum eſſe rationem, quæ foris inferuntur, aliam quæ intra corpus admittuntur, quorum illa carnes experientia teſte non prorſus eſui ineptos aut noxios reddant: Verum & his ipſis experientiam exponere licebit, vtcunque *cocculus* aut *nuce vomica* interemptorum animalium carnes nullis animalibus devorandas hactenus obiecerim at in vulgus notum eſt quoſdam bolos ex his in piſcinas proiicere, ac piſces illis veſcentes enecatos ſine & valetudinis damno, at non impune, ſi domini piſcinarum facinoris conſcii fiant, comedere. *Wepferus Tr. de Cicuta p. 215.*

An Venenata Qualitas in nobis generari queat?

Videtur quæſtionis negativam adſtruere *Mercurialis l. 1. de ven. c. 14.* vbi non venenum, ſed ſimile quid veneno in corpore noſtro generari poſſe ſtatuit: idque tali ratione, Quicquid in corpore noſtro producitur, illud fit vel à calore naturali vel à præternaturali at venenum nec à naturali, qui vitæ & conſervationis author eſt, nec à præternaturali generari poteſt, vt pote cum longe potentius ſit ipſum venenum calore præternaturali, adeoque ab agente imbecilliori produci nequeat.

Sed contra verior eſt ſententia reliquorum *Capivaccii, Columbæ, Paræi*, &c. qui ſtatuunt humores in corpore humano ſæpius adeo corrumpi poſſe vt Veneni naturam induant, probatur aſſertio, nam interdum, experientia teſte, corruptione humorum iidem plane ſequuntur affectus, vti tunc temporis quum venenum quoddam aſſumptum eſt, Hinc *Galenus 2. de loc aff. c. 5.* inquit: *Qui maxime videntur ſuper hac ambiguitate diſputaſſe, eoſdem effectus fieri concedunt & à lethalis veneni potione, & à corruptione quæ a corpore ortum habet*; Et paulo poſt, *Tanta ſit in cane rabido humorum corruptio, vt ſolum eius ſputum, ſi humanum corpus contingit, rabiem excitare poſſit.*

Vt igitur ab exiguo initio, ſputi videlicet qualitate, aucta quædam in corpore diſpoſitio, quæ ad magnitudinem notatu dignã pervenerit diſcerni poteſt, ſic eodẽ modo vitioſo humore in animalis corpore gẽito paulatim tractu tẽporis principalium viſcerũ aliquot conſentit a quo deinde vniverſum corpus celeriter alteratur, Patet hoc vlterius in febribus malignis, & peſtilentibus in quibus eadem ſymptomata conſpiciuntur cum iis qui veneno aſſumpto pereunt, quod cõfirmavit *Galenus 3. Epid. comm. 3. Aeg. 4.* dicens vt *epoto lethali veneno quidam poſtridiè vel tertio die moriuntur qualitate eius non*

copia

copia mortem afferente ita & his ager ſtatim tertio die cenſendus obiiſſe à quantitate ſuccorum virulentorum non a phrenitide perimuntur. Nec ſolum in hoc loco ſed in aliis pluribus hoc idem confirmatur.

Quod attinet ad argumentum *Mercurialis*, illi ſatisfit vbi dicimus, non ſimpliciter omnia quæ fiunt in corpore ſolo calore perfici, quia plurima quoque fiunt ab iis quæ tota ſubſtantia agere dicuntur, peculiari antipathia & qualitate occulta; *Adde* tamen quod calor p. n. interdum quoque faciat ad veneni generationem, quatenus eſt inſtrumentum agentis magis virtutis, & materiam aptam habilemque nanciſcitur *Greg. Horſtius Inſtit. med. Diſp. 6.* qu. . 10.

Quomodo id fiat tradit *Sennertus l. v. Pract.* Nimium fieri poſſe vt cum alimento, vario, quantumvis alterato, ſæpius qualitas aliqua venenata corpori communicetur, quæ tunc primum ſeſe prodit quando ſeparata exiſtit, iuxta *Hippocr. l. de priſ. med.* qui dicit, *In homine ineſt & amarum, Dulce, & alia ſexcenta, & hæc moleſtia non afficiunt, At vbi horum ſecretum quidpiam fuerit, & per ſe extiterit, aut & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit.* Exemplum in variolis & morbillis, quorum moleſtia à parentibus contracta diutiſſime geritur intra corpus, & non ſentitur priuſquam ſecernatur.

Non autem vnicam cauſam eſſe humorum in venenum degenerantium veneni qualitatem cum alimentis ſenſim aſſumptam, ſed poſſe etiam abſque hac humores veneni naturam induere, certum eſt, & experientia comprobatur in corruptione ſeminis & ſanguinis menſtrui, vbi admiranda oriuntur ſymptomata ſtultitia maniæ, epilepſiæ caloris nativi ad interiora ſubitus receſſus & diſſipationis &c. veneno non diſpares effectus. *Hæferus Herc. med. l. 2. p. m. 108.*

De Venenis ſpiritu illatis Et de Faſcinatione.

Spiritu venena inferuntur ex halitu virulentorum ſive per inſpirationem, ſive per arterias permeantium corpus aliquando per oculos aures, vt *Baſiliſci intuitus, & ſibilus*, quæ etiam ſolo contactu inficiunt, vt *Ptyadis ſputum, Ranæ rubetæ* ſaliva, venenum in ſpirituoſa ſubſtantia tranſmittunt.

Eodem modo fiunt *Illitiones, quædam venenatæ* à ſceleſtis hominibus, vt noſtris temporibus Venetiis cōtigit, peſte communicata ſolum illius oſtiorum annulis: Ex hoc genere videtur fuiſſe linea veſtis cruore venenato imbuta qua Herculesinteriiſſe traditur: Aſſervatur enim rabifica vis etiam ſiccato linteo vt iterum exhalare poſſit cum à calore corporis fuerit excalefactū

Servantur etiam hoc modo contagia Peſtilentia in pannis, quamquam ablutis, atque aliis utenſilibus longo tempore; Ideo recta ratione præcipiunt omnia huiuſmodi in igne comburi, ſolus enim delere poteſt totam veneni cuiuſque ſubſtantiam.

Spirituoſa ſubſtantia etiam per aliud corpus inter, medium communicari poteſt, vt de *torpedine* patet, manui torporem inducente per retis contactum, ſic quidam ſerpentes haſta transfixi enecant, vt *Dryinus* Per medium autem aërem quæcunque fœtida communicant, ſeu cadavera putreſcentia, ſeu paludes, ſeu ſubterraneæ evaporationes & ſuffumigia venenoſa.

Curatio fit per remedia pravos halitus diſſipantia, & bonos reficientia, citiſſime adhibita; Diſſipant *Caſtoreum cum aceto* potum; *opobalſamum, diamoſch. diambra theriaca aromata* omnia: Reficiunt odores ſuaves, vt in ſyncope, *acetum roſac, vinum* & in potu ad nares, tempora, ad arterias pulſantes, teſticulos, cordis regionem, &c. potus *vini meri cum allio,* & poſt multum vini potum *venæ ſectio*, nam cum ſanguine ſpiritus pravus effllabit.

Ad calidas *evaporationes ſubterraneas*, ex antro foveis diu concluſis, fumo carbonum in conclavi, aut vbi tormenta bellica exonerata ſunt in anguſto loco non perflato, *Reficit* aëris frigidioris inſpiratio & aquæ frigidę aſperſio: Experientia compertum eſt in ſpeluncà quadam quæ inter Neapolim & Puteolos ſuffocantes halitus emittit Homines reviviſcere ſi ſtatim merguntur in propinquo lacu.

De Faſcinatione.

Faſcinationes ex iis ſunt, quæ ſpiritu venefico ex oculis effaſcinantium immiſſo lædunt, præcipue infantes, ſive *naturaliter* hæc contingant, vt quarundam vetularum aſpectus faciunt, & quibus binæ pupillæ in oculis ſunt, vt *Plinius* tradit, præcipue ſi iratis oculis intueantur, Sive ex *arte magica* ope Dæmonum. Alio modo lædunt lippientium oculi, lippitudines communicando per contagium, læſio enim in his non vltra oculos pertingit.

Ad Faſcinationes multa *remedia* inter Amuleta apud *Dioſcoridem* reperiuntur, & apud *Plinium*, ſed plurima deſumpta videntur ex arte magica; *Naturaliter* reſiſtunt quæ ſpirituoſam ſubſtantiam efflant odoratam: *Ruta* pueris circumvallata defendit à faſcinatione, præſertim *ſylveſtris, ſalvia, ſclarea* & *fœniculum*, hæc enim oculis præcipue tuentur *Pæonia* ſuſpenſa collo, vt etiam *Galenus* fatetur, à caſu epilepſiæ defendit, *corallium, ſuccinum*, geſtata evaporationes ad ſe alliciunt *Balſamum* ob fragrantiſſimum odorem ſuæ ſubſtantiæ tum inunctione, tum potu; *flos caryophyllus*, quæ *betonica* altera putatur apud *Dioſco:* animos hominum & corpora cuſtodit à maleficiis & periculis: *Alkermes* confectio *Meſues*, & quæcunque recipiunt odoratiſſima, *theriaca, mithrid.* ex *aqua ardente* diluta, *aqua roſ.* aut *aceto*, Eadem faciunt ad quæcunque maleficia, Sed ad infectiones Dæmonum remedia ex divinis tantum haberi poſſunt *Cæſalpinus cap. 46.*

Signa.

Aſſumpto veneno, ſive clam ab aliquo propinato, nulla maior medicis difficultas exoritur quam veneni reſidentiam reperire, vt congrua adhibeantur præſidia; Si enim uenenum fuerit in ſtomacho, vomitum poterit excitare ſecus autem ſi tranſiverit hepatis regiones, Hic eſt modus, Ponatur ovi vitellum cum albugine cū lotio infirmi in matula; ſi intra paucas horas nigreſcit & fœtet; venenum ad iecoris gibbum pervenit; Sin vero rugetur, citrineſcat, & non fœteat, inteſtina haud tranſivit. Hinc indicationem corradimus veneno ad inteſtina traiecto, non conferre vomitum provocare. *Ex P. Bayro,*

Signa veneni aſſumpti.

Cum iidem affectus fiant ex veneno epoto, & ex humorum corruptione ſponte in corpore genita difficile eſt diſcernere, Cogitur tamen medicus à Iudice vt ſententiam ſuam afferat, Virum quis interierit ex veneno, an alia ratione: Quamvis autem hoc medico non ſit neceſſarium diſtinguuntur tamen à *Galeno 6. loc. aff. 1. Cum homo ſuapte natura probis humoribus abundans, & ſanorum more educatus, derepente moritur, vt ſolet ex veneno; deinde corpus aut livens, aut nigricans, aut varium eſt, aut diffluens, aut præ marcore fœdum moleſtumque odorem reddit hunc venenum ſumpſiſſe indicatur.*

At medicus ſigna ante obitum quærit, vt auxilia adhibeat; melius autem eſt ſi antequam gravia ſymptomata advenerunt quando ſpes eſt aliqua ſalutis.

Cum ſapor aut odor valde ingratus ſentitur, peculiares autem in ſingulis quærendi ſunt, iis nauſea conjuncta: (*Galenus 4. ſimpl. 15.*) Si aliqua ſymptomata repente adveniant ſano corpori præſertim poſt cibum aut potum, faucium exaſperatio, tuſſis fœtida, ſanguinis excretio per os, dolor in alto, ardor in venis & vehemens, eroſionis ſenſus, ſtupor, punctura, tremor, ſingultus, vertigo, contractio puſtularum eruptio, livor tumor], coarctatio, quarundam partium putrefactio, vomitus fœtidus & plenus, apparitio aſſumpti veneni, *3. ſimpl. 18.*

Prognoſtica.

Si cito non curetur, incurabilis eſt, *Deleteria quantitate*, ſi cito non interimunt, vincuntur a natura.

In frigidioribus naturis, & habentibus venas anguſtas, facilius vincuntur, ob moram diuturniorem in itinere; antequam perveniant ad membra principalia.

Genere deleteria, in exigua quantitate, licet non bibantur, expelluntur cum excrementis, aut tardius enecant.

Quæ non interficiunt, tranſeunt in morbos diuturnos, in tabem, ſtoliditatem, epilepſiam, melancholiam & alios, qui non differunt à cæteris, quia vis venefica deleta eſt,) *Celſus* deteriora eſſe intus aſſumpta quam ictu illata, quia tardius cognoſcuntur, & peius eſt incipere ab interno, quam in cute. *Cæſalpinus Catoptri l. 3. c. 7.*

An omnium Venenorum in corpore latentium Dentur certa ſigna, aut ſaltem probabilis coniectura

Cum actio corruptiva qua venenum naturæ vim infert ſanitati magis adverſetur quã vlla alia res qua corpus à ſtatu valetudinis deturbatur, neceſſarium fortaſſis videtur, vt in ea violentia corporis mutatione aliquæ efflorescant notæ quibus maligna cauſa non obſcure deprehendatur, Hæc enim popularis opinio è trivio ad Forum delata, omnium fere Judicum animis formiter inſedit, vt etiam eorum qui veneficio extincti exiſtimabantur, cadavera medicis exploranda committantur ad detegendam mortis cauſam; quę ſint venenorum indicia non ſolum ægritudinis tempore, ſed etiam poſt interitum impreſſa corpori relinquantur.

Attamen longe aliter res ſeſe habet, maximaque venenorum pars etiam in arte medica verſatiſſimis eſt occultiſſima, non ſolum quo tempore veluti conſopita parum agunt aut nihil, ſed etiam quando corrumpunt partem ipſam, cui ſunt contraria, multoque magis poſtquam vita iam expugnata omnia veneni naturæque actio ceſſarit.

Nam à ſymptomatibus potiſſimum venenorum ſigna deſumuntur, Actione læſa, Excretis & mutata corpori Qualitate, inter quæ nullum eſt læſionis genus quod ab alia cauſa pendere non poſſit, Siquidem generantur venena in nobis pro vario ad varia membra motu, eorum actionem miris modis vitiant, & non raro momento fere temporis homines è medio tollunt, quorum corpora poſt mortem aut livent, aut nigricant, aut vireſcunt, aut cito defluunt, vel moleſtam putredinem olent, teſte *Galeno 8. de l. aff. c. 5.* quæ quidem accidentia corpori adveniunt, tum ob internam humorum partiumque corruptionem, tum ob incredibilem colorum varietatem; quæ lienis iecoriſque vitio abſque externi veneni offenſa, in hominibus efloreſcit, eadem *Galeno* authore, *5. l. aff. c. 7.* vt propterea illorum ſententiam complecti vereatur, qui certam veneni aſſumpti coniecturam eſſe aiunt, Si homo naturæ probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus, repente moriatur, ſtatimque liveat, nigreſcat, verſicolor, efficitur, defluat graviterque oleat; Nam in ſanis etiam, vel retento alicubi neceſſario alicuius materiæ effluxu, vel ob pravum victum, peſſimum quid generari poteſt, ob cuius exiguum initium nulla noxa deprehẽdatur, donec tractu temporis aucta in corpore diſpoſitione, trahatur in conſenſum aliqua principalium partium, à qua deinde vniverſum corpus celeriter alteratur; quod ſi nulla impedita rei mutilis iam dicta excretione atque perſpiratione repente contingeret homini, proba temperie prædito, optimiſque qua decet moderatione veſcenti cibis, talem aſſumpto veneno extinctum eſſe ratio convinceret.

Verum enim vero, quanquam venenorum intus genitorum effectus ſimiles ſint iis qui ab aſſumptis vel ad motis proficiſcuntur, Eſt tamen longe maior affinitas venenorum ſponte necantium, & externorum putrefacientum, quam aliorum inflammãtium, extinguentium & erodentium, quæ probabilibus conjecturis hoc ipſo cognoſcuntur, quod cito agunt poſt aſſumptionẽ, vixque aliquo horarum ſpatio retardari poſſunt, alioquin nullum damnum inferentia, quod ab aliis cauſis internis longioris tempore afferri non queat: Qui enim ſint communiores venenorum, pro generum varietate, effectus, imo quid ſingulæ eorum ſpecies præſtant; legi poteſt apud *Santem Ardoycum*, qui omnium. Auctorum copioſiſſime in hoc argumento verſatur.

Porro vt effectuum ſimilitudo venenum aſſumptum celat, ita aſſumptio ipſa variis fraudibus à veneficis occultatur, in quas animum oculoſque intendat, qui periculum infectionis vitare cupit.

Acidi pulveres acres, & mordaces, vel aromaticis ſpeciebus adulterantur, vel dulcium ſocietate temperantur. Fœtida odoratis occultantur.

Sales & olea ex plantis & animalibus chymice conflantur, vulgaribus condimentis quam ſimillima; inficiuntque pocula aquis ſtillatitiis, ſed nõ vulgari ratione præparatis: Tales enim pro exceſſu qualitatis in temperamento vincenti; calefaciunt quidem ac refrigerant, vere tamen veneni, naturam non acquiruut, cum vulgari diſtilatione tenues partes ſeparentur à terrenis; adeoque totius temperamenti proportio, ſine qua proprie venenum naturã ſuam retinere non valet diſſolvatur, quamob cauſam nulla aqua vulgari diſtillandi motu evaſit vnquam aut venenata aut purgans, quandoquidem purgatrix facultas non in vnius qualitatis exceſſu, ſed in totius temperamenti energia conſiſtit.

At venenatis quidem aquis & oleis infici puto poſſe acies apiceſque cultorum, quibus lethiferi boli porriguntur; ſicuti certum eſt ſtruphiola, induſia, chirothecas, aliaque indumenta. aptis liquoribus perfuſa & delibuta, venenum facile communicare corpori poſtquam eius contactu incaluerit, Quid plura? Tot ſunt venenorum occultandi modi fraudes ab oculatiſſimo etiam cognoſci vix poſſint nullumque adverſus venena totius præſidium hactenus ſit inventum quam inter amicos converſari & frequenti alexipharmacorum vſu ſe ipſum probe communire; Quis enim crederet, niſi docuiſſet eventus, literis ſcriptis ad huc madentibus inſpergi poſſe tunc peſtiferos pulveres vt epiſtola religatara legentem interimat, ſi propius ad moveatur; ſed etiam iucundiſſimi florum halitus veneno inficiuntur ſæpe inſtillatis aquis in germinantem florem donec explicetur, Et candelarum ellychinia tam diro pharmaco inquinantur, vt emiſſus inde fumus cubiculium aërem peſtiferum reddat; Adeo nihil tutũ eſſe poteſt vbi invidia hominum malignantem dolo acuerit *Ioh. Pravotius Cenſus veneni p. 326. & ſequ.*

Præſe

Signa Præſentis Veneni.

Præſentia Veneni & imminentis periculi, ex Veneno duplici ratione deprehenduntur.

I. Occulto naturæ horrore & ex horreſcentia, averſioneque à cibis, potionibus, propoſitis venenoque imbutis, quam anxietas ſudoriſque eruptio ſine ulla evidenti cauſa ſubſequitur: Vidimus nos Virum Nobilem qui naturali antipathia præſentiam Felis ſive cati, in conclavi occultati, & nunquam viſi ferre non potuit, & ubi adeſſe præſentit animo ſtatim in animi deliquium, & ſudoris frigidi eruptionem ſine ulla evidenti cauſa incidit; Ita multi ad latitantis ſerpentis præſentiam ſine cauſa exhorrent.

II. Deprehenditur præſentia veneni per rerum quarundam venenis adverſarum ſenſibilem immutationem, ut lingua ſerpentis, & lapis bufonius in capite bufonis repertus in menſa depoſiti ubi venenum latitat, ſtatim ſudant atque madore perfunduntur, Gemma ſimiliter, Praſſius vocata, & corallia rubra veneno præſente aut aſſumpto, ſtatim colorem mutant. *Fr. Ioel.*

Signa Veneni aſſumpti.

Signa venenatæ infectionis, quæ pro natura & qualitate ſpeciei veneni, varia & multiplicia excitant ſymptomata, quæ ſimul & ſigna ſunt ex quibus & infectio, & ſpecies veneni deprehendi poteſt; Alia enim à forma ſubſtantiali, Alia ab excellentia primarum qualitatum; extrema videlicet caliditate, frigiditate, & ſiccitate, ſymptoma & perniciem inferunt; Humiditas vero extrema Venenatam affectionem inducere nequit niſi per accidens.

In univerſum autem omnem venenatam infectionem, præſertim quæ à forma ſubſtantiali rei venenatæ excitatur, hæc ſymptomata, tanquam certiſſima indicia infectionis ſubſequuntur, Subitanea totius naturæ humanæ immutatio, anxietas extrema, virium proſtratio, animi deliquium, ſudoris frigidi eruptio, faciei decoloratio, pulſus inæqualitas & delirium.

Præſervatio.

Præſervatio duplex apud *Dioſcoridem*, Vna ad *vitanda*, altera ad *irrita reddenda*; vitare difficillimum ob ſagaciam veneficorum, nam etiam peritiſſimos decipiunt; Iis obnoxii magis Principes ac divites: Vim autem ferarum virulentarum, & fortuitum caſum minus vitare poſſunt pauperes.

Ne dolis veneficorum quis corripiatur, non tutum eſt guſtu & olfactu deprehendere, nam quædam eo modo enecant: Principes cavent prægustato à miniſtris cibo & potu, At etiam in his doli, nam fraudulenti muniunt ſeipſos, ſatius eſt canibus aut felibus porrigere, at non licet omnino.

Apud Antiquos *vaſa ex electro*, id eſt auro cui quinta pars argenti mixta eſt, à natura traditur venena patefacere, alterato colore & ſplendore tactu veneni; Hodie etiam arte mixtum deprehenſum eſt idem præſtare; Ideo ex hac mixtura Principes quidam omnem ſupellectilem parant.

Idem præſtat *argentum purum* optime terſum; *Cornu pellucidum*; præ cæteris celebratur *cornu unicornu* rariſſimum; & *lapis* quidam in *capite draconis* repertus; *Lapis bufonis:* Perhibentur hæc præſente veneno colorem mutare, etiamſi non tangantur; ideo menſis apponuntur ſub aqua in vaſe aureo.

Sed certiora quærenda ſunt ex *Dioſcoride*, Vbi adeſt veneni ſuſpicio, vitanda ſunt omnia quæ inſignem ſaporem habent, dulcem, ſalſum, auſterum, acidum, quibus occultari ſolent venena, item odores, Melius eſt cibos ſimplices comedere quam conditos variis miſturis, Medicamenta etiam ſalutis prætextu periculoſa ſunt.

Non nimis ſitibundi aut famelici ne affatim bibant, ne voraciter comedant, ut prænotare ſapores poſſint; Bonum eſt aquam præſumere, ut ſatiato appetitu non avide attrahant; Vitantur caſus, & beſtiarum vis diligentia: Non parentur cibi aut potus ſub arboribus, unde reptilia venenoſa decidant; Neque ſub tecto ubi latent phalangia, ſtelliones, ſeu vulgo tarantulæ ſub laquearibus; tutius menſa paratur ſub dio, aut ſub tentorio; fructus abluere, commorſos mundare.

Vaſa vinaria obturata, multa enim reptilia odore vini alliciuntur, & ſerpentes ſæpe in vino reperti ſunt ſuffocati; Fugantur ſerpentes apud *Paulum ſuffitu cornu cervi, ungulis caprarum* igni impoſitis *gagates galbano*, Cavernulas obſtruere oportet ex *allio* detrito in aqua,

Sub lecto ſternere *nepetham*, polium, abrotanum, cutem illinere *ex galbano* tuetur.

Ut autem *irrita* reddantur venena præſumenda jejunis quæ vim veneni hebetent: Antidota eadem quæ poſt ſumpta ſanant; at in minori quantitate, ut theriaca fabæ magnitudine.

Simpliciora apud *Dioſcoridem*, *Napi ſemen* ℥i. cum *vino calaminth. folia, ruta* cum *nuce juglande*, caricæ duæ cum modico *ſalis* Ante cibum maxime defendit ſi, *carica cum nuce juglande* ſumantur. Occludunt enim vias ne venenum ſubingrediatur; Terra *Lemnia* ex vino præſumpta, non ſolum occludit, ſed & pugnat adverſus venena, *Mala citria* comeſta, Hodie conſervas ex iis faciunt, *Zedoaria* apud *Avicennam* Circulatores præſumunt cibos pingues ut ventriculi parietes muniantur & evomi facilius poſſit venenum.

Venenis obſiſtunt peculiari quodam corporis conſtitutione, ex quorundam ciborum & potuum qualitatibus, aut vini multitudine, diſſolvunt enim vim venenorum, & priori cibo præcluſis meatibus venenum poſt ingeſtum minus diſtribuitur, in ſingulas partes, apud *Dioſcoridem*, Idem ſignificat *Galenus 3. ſimpl. 19. cum inquit*, Qui frigidiori temperamento conſtant, & minus anguſtis minus læduntur. *Caſalpinus cap. 8. lib. 3. Catoptri.*

Quia interdum contingere ſolet ut homines cogantur habitare aut verſari iis in locis in quibus poſſunt vel eſſe vel fuiſſe *animalia venenata, Nicand. & Dioſcor.* tria docuerunt ut ab his locis fugari poſſint hujuſmodi animalia 1. ut fiant ſuffitus ex rebus accommodatis. 2. ut ſternantur ſuper hæc loca herbæ hujuſmodi animalibus inimicæ, 3. ut corpora hominum, aut ipſa loca, unguentis accommodatis illinantur; Multa enim proponunt ungu. *Nicander & Aetius*, & inter alia *Vngu. roſat.* Nam cum odores ſint, ex *Ariſtotele* exhalationes, quædam ſiccæ & calidæ, proculdubio inimicæ ſunt ſerpentibus, qui majori ex parte frigidi ſunt.

Circa *veſtimenta* debet diligentia adhiberi ut tractentur à fidelibus perſonis; ſemper diligenter mundentur, nec teneantur in locis ubi ſcorpiones vel ſimilia morari poſſint, Et ego aliquando curavi ictum à ſcorpione qui in induſio fuit repertus.

In Coitu quoque diligentia adhibenda ut fugiantur mulieres quo tempore menſtruatæ ſunt; Illud enim compertum eſt poſſe homines hujuſmodi uſu Veneris poſſe venenari: Nota eſt hiſtoria *Calphurnii Beſtia*, qui coitu uxores venenabat; ut dives fieret: inde rumor erat Romæ Calphurnium digito uxores interficere,

Circa *Cibum & potum* ſumma ſit diligentia 1. circa ciborum genera. 2. circa præparationes, tum circa odores ac ſapores, 4. circa tempus ac modum: Circa *genera*, abſtinendum à cibis qui & ſuapte natura, & pravorſi hominum arte venenoſi fieri ſolent, ut ſunt carnes ſuffocatæ, putridæ, fructuum genera rancida; A *Ranis* potiſſimum abſtinendū, & ab *Anguillis* quas ajunt commiſceri anguibus; *Herba* quædam ſunt quas ſolent venenata

quædam animalia coinquinare, ut eſt *ocymum*, quo generantur & delectantur *Scorpiones*, ſerpentes ubi exeunt è latebris oculos habent obductos quadam caligine, & docti ſunt à natura, ut oculos affricent fœniculo, quo fit ut illi plantæ venenum indant. A *Fungis* abſtinendum, ſcimus enim *Claudium* Imperatorem ab Agrippina boleto fungo venenatum: Qui venena metuunt prudentes ſint in fructibus guſtandis, iis præſertim quos nunquam viderint, nam ſunt quædam poma quæ oculis placent, & tamen perniciosa ſunt, ut fructus mandragoræ: A *ſuccis herbarum* aliquando cavendum ut *lactucæ, porri: Ex Plinio l. 19. 6. Mela* vir equeſtris ordinis, acceptis *ſucci porri* ℥iii. ſtatim ſine dolore expiravit: Aquam & vinum frigida corporis calefactis venenum eſſe experientia conſtat; *Sanguine animalium* imprudenter non eſt utendum, quia non ſolum in ipſis faciliter poteſt occultari venenum, ſed & ſanguis quorumdam, ut *taurorum* ſuapte natura venenū eſt.

Eadem ſolertia utendum circa apparatos cibos, abſtinendum ab intinctu, à paſtitiis, à toſtis, ab omni pultis genere, aſſis carnibus potius utendum quam elixis, nam difficile eſt venenare carnes aſſas, quia ab igne cōſumuntur venena; Item ſatius eſt uno vel altero genere cibi uti quam variis & diverſis; Peregrini omnes odores & ſapores ſuſpecti ſint: Cibi etiam aut albidiores, aut rubri, aut lutei aut virides fugiantur.

Nicander præcepit, ut illi qui verſari debent in locis ubi ſunt animalia venefica, nunquam ſint jujuni, ſed ſemper paſti.

Modus etiam cui ſemper attendere oportet, eſt ut quo tempore ſumitur cibus, illi qui timent, nunquam affatim cum impetu cibum aut potum devorent, ſed prius aliquo tempore in ore detineant, & mandando hac atque illac vertant, ſic enim poteſt diſcerni nunquid cibus ulla qualitate venenata ſit infectus, propter quod commune præceptum eſt *Avicennæ*, ut ſemper priuſquam edatur aut bibatur, diligenter os aqua pura abluatur; ſic enim poteſt deinde omnis qualitas venenata facilius diſcerni & percipi.

Aliud meum documentum eſt, ut qui ſuſpicantur venenum dum potant ſive jus, ſive vinum, ſemper ad minus quartam partem rei potandæ relinquant in fundo; *Seneca 6. Contr. cap. 4.* proponit exemplum mariti, qui eodem poculo venenaverat uxorem, quod ipſe hauſerat; nam cum prior ille potaſſet, quod erat in fundo dedit uxori, atque ita ipſo incolumi uxor extincta eſt; Ratione etiam hoc didici, quia major pars Venenorum aut eſt ſuccus, aut pulvis, quæ omnia corpora gravia ſunt, & cum non poſſint optime miſceri, facile fundum petunt.

In *inſtrumentis* ciborum & potuum debet quoque magnum ſtudium poni, inprimis vaſa ſemper habeantur munda & deterſa, præſertim figulina, nam ut ſcribit, *Vitruvius libr. 8.* Veteres cum haberent enſas (vaſa) argenteas, ſtanneas & figulinas, his poſtremis uti maluerunt quam aliis, tum quia ſunt ſalubriora, tum quia minus poſſunt infici, Si haberi poſſent vaſa illa *Murrhina*, Latinis dicta, à nobis *Porcellanæ*, optima ſunt, quia facta cum aceto & teſtis ovorum, ut jure exiſtimentur adverſus venena magnam vim habere; *Cornu* cervi putatur etiam maxime valere ad avertenda Venena; Narrat *Aelianus 4. de Anim.* conſueviſſe Reges Indorum potare *Cornibus Aſini Indici*, quod animadvertiſſent experientia illud & adverſus pleroſque graves morbos, & adverſus venena mirifice valere; Imo vero ſum hujus ſententiæ, fere omnia cornua animalium vim aliquam habere adverſus venena.

Præterea cavendum ne vaſa tractentur à ſuſpectis hominibus, neque teneantur in locis ubi ſuſpicio ſit animalium venenatorum, nam ſerpentes omnes delectantur vino, Refert *Nic. Florentinus* Florentiæ in monaſterio Eremitano non multos Monachos fuiſſe peremptos ex potu vini in quo extinctus fuerat Araneus peſtifer.

Pravitas hominum necandi infinitos modos invenit, *Cteſiar lib. de rebus Perſicis* ſcribit quandam mulierem Statiram vocatam, omni diligentiæ uſam ut vitaret venenum, factum tamen ut quædam mulier ipſam venenaret cultelli partem alteram tantum veneno afficiendo, quæ & deinde coram Statira diviſit aviculam coctam, & qua parte avis tacta fuerat à veneno cultelli, oblata *Statiræ*, illico eam extinxit, cum interim qua parte avis non fuerat racta à veneno, nullum detrimentum ipſi miniſtranti detulerit: *Mercurialis lib. de Ven. c. 17.*

De Præſervatione à Venenis per medicamenta. Ex Mercuriali.

Alia ratio Præſervationis, & forte nobilior poſita eſt in uſu remediorum, qua ita præparant corpus, ut à venenis minime lædatur: Eorum quædam Externa ſunt, ita ſcribit *Albertus Magnus, ſmaragdum, adamantem, topazium*, ſi continuo geſtentur; ita ut carnes tangant, efficere ne ulla venena offendant; ſed his paucam fidem adhibeo, Inter *interna* autem, quæ efficaciora ſemper exiſtimavi, & quæ infinita proponuntur, potiora mihi videntur lapis *Bezoar* vocatus, *Bolus Armena. Terra ſigillata, Vincetoxicum, Raphanus, Zedoaria, Dictamnum Cretenſe, Scordium, Allium*, Sed præſertim hæc tria, *Ruta, Citrium*, tam fructus quam ſemen, *Cydonium.* De *Ruta* ſcribit *Athenæus 3. Deipnoſ.* Archelacum Regem Ponti, conſueviſſe populos ſuos veneno interimere, atque ob id edoctos conſueviſſe priuſquam exirent domo ſemper *rutam* edere, atque ita ſe defendiſſe à Tyranni crudelitate; Refert idem de *Citriis* experientia probatum eſſe homines fuiſſe venenatos, atque ex iis fuiſſe ſervatos qui prius ederant *Citrium*; Pariter de *Cydonio* narrat, Venenum miſtum ipſi vires ſuas amittere: Vſus autem horum omnium varius eſt; dantur in pulvere cum vino; fiunt ex iis Confectiones, Electuaria, ſucco & liquore præbentur &c. Illud autem commune eſt, ut ſi debeant prodeſſe, uſurpentur ſemper ante alios cibos.

Compoſita autem plurima ſunt. Medici Regum antiqui multum ſolliciti fuere, ut eos à venenis tutos redderent, Omnium vulgatiſſima compoſitio eſt illa quæ componitur ex *nucibus, ficubus ſiccis & foliis rutæ*, quidam addunt *ſalem*, alii *caſtaneas*, ut *Avenzoar*, Pilulæ illæ *Ruffi*, quæ componuntur adverſus Peſtem, mirifice etiam valent ad præſervandum à Venenis; ſed omnium maxime prodeſſe putatur *Athanaſia*, ſic dicta quod homines reddat immortales, *Methridatium, Theriaca omnes.* Mercurialis *cap. 18.*

An Corpora ſana uti debeant Alexipharmacis ut à Venenis ſe tutentur.

Galenus 5. ſimpl. 18. ſcribit medicamenta alexiteria eſſe media inter venena & inter corpora: ac propterea ſicuti proſunt venenis, pari pacto obeſſe poſſunt corporibus ſanis; ut hinc conſtet illum damnaſſe uſum horum remediorum in præſervatione à Venenis: Contra lib. de *Ther. ad Piſonem cap. 16.* ſcribit Theriacæ uſum præſtantiſſimum eſſe ad tuendum corpora à facultate venenorum; Et *lib. 1. de Antid. cap. 16.* ait *Theriacam Damocratis* tueri omnes qui metuunt venena, hi autem procul dubio ſunt homines ſani: Adhæc *Aetius, Avicennas*, & fere omnes alii videntur in hoc convenire ut hujuſmodi remedia conveniant corporibus ſanis; ut defendantur à venenorum injuriis, quibus adſtipulatur experientia.

At notandum pro ſolutione difficultatis, ex *Averrore* alexiteria

alexiteria eſſe di verſorum generum, quoniam aliqua ſunt quæ juvant contraria qualitate, ut frigida in calidis venenis, & calida in frigidis. Alia ſunt quæ juvant attrahendo Venena, ut caro ſcorpionis affricata vulneri proprio attrahit ad ſe venenum: Alia ſunt quæ juvant tota ſubſtantia, & hæc vel juvant quoniam alterant, ut dicebat *Galenus*, ipſa venena, vel quia expellunt, vel quia corpus, & præcipue cor, ita præparant & corroborant, ut venenis maxime reſiſtant; Jam vero de remediis, vel ſecundum qualitatem agentibus, vel attrahentibus, certum eſt hæc uſurpanda non eſſe, niſi ubi jam venenum in corpore eſt, & de his nulla eſt dubitatio; De iis quæ *à tota ſubſtantia proſunt*, ſciendum, ea quæ alterant venenum, minime convenire ſanis corporibus, Ratio eſt, quia hæc omnia, aut ipſiſſima venena ſunt, aut ſaltem magnas partes venenoſas habent, ut ſi venena non reperiant, proculdubio ipſa venenent: hujuſmodi eſt inter alia caro viperina, vinum viperinum, nam eſt certa omnium ſententia præſertim *Galeni* carnem viperæ, & vinum viperinum magnam utilitatem præſtare tum leproſis tum venenatis: Cæterum Alexipharmaca quæ juvant præparando corpus, & ipſum roborando, conveniunt pro ſanis, eo quod hæc omnia aut nihil, aut exiguum in ſe poſſideant veneni: Igitur quæ corroborant, & conveniunt ſanis corporibus alexiteria, ſunt *Bolus Armena, ſmaragdus, ſemen citri*, & plurima alia. *Mercurialis cap.19.*

Vtrum Theriaca & Vinum Viperinum conveniant ſanis ad præſervationem à Venenis.

Averroes l. de Ther. diſputans adverſus *Avicennam*, qui dicit *Theriacam* roborare cor, & conſervare calorem nativum, illam improbat 1. quod per theriacam homines nihil à veneno patiantur, qui fit ut videantur ſimiles fieri ipſi veneno; ſi hoc ita eſt, non videtur ullo pacto ſanis convenire. 2. Theriacam attrahere venenum, ſed omnis attractio fit per ſimilitudinem; ergo theriaca ſimilis eſt veneno. 3. theriacam ait potentiſſimam eſſe & maximæ activitatis, id quod colligitur ex eo, quia venena debellat & minuit, ſi igitur maximæ activitatis eſt, non convenit ſanis: Contra adſunt authoritates *Galeni & Avicennæ*, nec non exempla *Mithridatis, M.Antonini, Neroni*, qui in frequenti uſu habuerunt eam ſine ullo detrimento; quin & confirmat experientia eam à ſanis uſurpari cum fructu vel ſaltem abſque detrimento.

Pro ſolutione tria conſtituenda ſunt 1. Corpora ſana alia eſſe ſimpliciter talia, alia ſecundum quid. 2. Theriacam corporis ſanis exhiberi poſſe, *vel* ut conſervetur ſanitas, *vel* ut corpora ſana præſerventur à majoribus malis 3. Vſum Theriacæ vel ſecundum ætatem, vel menſuram qua aſſumitur; His poſitis dicendum Theriacam recentem nullis corporibus convenire ſanis, quia ſcilicet in illa ſunt multa medicamenta venefica, quæ cum nondum ſint caſtigata fermentatione, periculum grave imminet ne offendant, hinc eſt quod in Theriaca recenti Opium ſolet magna detrimenta afferre, fermentata autem convenit tum corporibus ſanis ſimpliciter, tum etiam ſanis ſecundum quid: *paſſioribus*, ut conſervetur ſanitas, ſiquidem ſcribit *Avicennas* quod corroborat & vivificat calorem nativum, à quo conſervatur ſanitas: *Poſterioribus*, ut præſerventur à majoribus malis, quia proprietatem quandam largitur corporibus, ob quam facile reſiſtunt gravioribus injuriis, differentia tamen eſt, quia ubi conſervanda tantum eſt ſanitas, theriacæ dozis minor eſſe debet: Vbi præſervanda corpora à gravioribꝰ malis, major, & frequentius danda; ſicuti ubi jam eſt venenum in corpore, & major copia & frequentius dari debet.

Hic patet reſponſio ad rationes *Averrois*, nam 1. minime verum eſt uſu Theriacæ corpora fieri venenoſa; quin potius acquirunt quandam proprietatem, ſive contrarietatem adverſus venena, qua faciliter illa ſuperant; Nec valet quod ait, ſi non fiunt corpora ſimilia veneno uſu theriacæ, fieri ſaltem ſimilia alexiteriis, ideoque media eſſe inter venena & alexiteria, quia fiunt quidem ſimilia alexiteriis, ſed ſecundum hanc tantum rationem, ut contrarientur venenis, non autem alio modo: 2. Si Theriaca attrahit Venena, facit id ſimilitudine quadam arcana, non ſimilitudine ſubſtantiæ & omnium qualitatum, nam ſicuti magnes trahit ferrum, & tamen in multis illi eſt diſſimile, ita credendum theriacam attrahere poſſe venena & tamen in multis diſſimilem eſſe iis, 3. Theriaca revera ſummæ eſt activitatis, at hæc minime nocet ſanis, ſed tantum debilibus; hinc *Galenus l.de Ther.* & in m.m. damnat eam tum in corporibus calidis & ſiccis, tum maxime in pueris; prioribus, quia facile febres excitat, poſterioribus, ob virium infirmitatem, ob quam minime ſuſtinent magnitudinem actionis ipſius.

Quid vero dicemus ad *Galenum*, qui dixit omnia alexiteria media eſſe inter corpora & venena? Reſpondeo 1. medium duplex eſſe, aliud ſecundum compoſitionem, ſeu miſtionem; aliud ſecundum operationem; Medium *prius* eſt quod ex extremis conflatum eſt; *poſterius* vero, quia facit operationes extremis partim diſſimiles: Jam Alexipharmaca non dicuntur à *Gal.* media ſecundum miſtionē, ſed duntaxat ſecundum operationem, quod habeant aliqua ex parte operationes ſimiles corporibus ſanis & naturalibus, aliqua vero ex parte ſimiles venenis, 2. Dico ſententiam Galeni verificari quidem de multis, ſed non de omnibus; Hinc *Avicenna* ait accidere aliquibus alexiteriis, ut ſint media inter corpora & venena. *Mercurialis l.t.c.20.*

Vinum Theriacale an conveniat ſanis.

Vinum Theriacale eſt, in quo extinguuntur Viperæ: Convenire id ſanis probat 1. authoritas *Nicolai Florentini*, qui alios ſequutus, ait tale vinum frequenter potatum conducere ad præſervandum à venenis; quia ſcil. vinum viperinum, docente *Galeno 6. Epid.t.5.* magnopere valet adverſus venena, veluti & carnes viperæ etiam utiles ſunt, ut hujuſmodi ratione probare poſſit; illud etiam ſanis corporibus convenire. Contra *Dioſcorides*, & alii, jubent ut vaſa vinaria diligenter cuſtodiantur à viperis & ſerpentibus, ne venenent vinum, hinc corpora: Accedit quod ſicuti vinum ſolet eſſe vehiculum aliorum medicamentorum, ut idem fit vehiculum veneni ipſius viperæ, Ego vero hac in re ſic decernendum puto, Vinum viperinum, aut caſu ita fieri, aut arte; ſi *caſu*, proculdubio non convenit, quia extinguuntur in ipſo totæ viperæ, & cauda & caput coquentur, neque fit fermentatio, unde potius redditur vinum illud venenatum quam utile; At ſi *arte* fiat, uti *Nicolaus* videtur innuere, tunc amputatis amputandis; cum fiat debita mixtio & fermentatio, fit conſequenter ut vinum illud utiliſſimum pro ſanis reddatur.

Ex his collige omnia alexiteria, ubi ſanis exhibentur, ſemper in minori dozi eſſe exhibenda, quam cum præbentur venenatis vel corporibus morbo obnoxiis & in venenatas affectiones vergentibus: Hinc apparet etiam tempus exhibendi, videlicet ex *Rabbi Moſe 22. aphor.* ubi loquitur de *ſmaragdo*, Ventriculo vacuo, & ubi conſummata omnis concoctio: Alias ſi alexiteria ſumerentur cum cibus eſt in ventriculo, proculdubio is aut corrumperetur, aut ipſorum virtus à cibis hebetaretur. *Idem ibidem.*

De Alexipharmacis.

Ut Venena ſunt non una ſed diverſa, ita quoque non uno nomine veniunt iiſdem oppoſita, Generali notione dicuntur *Alexipharmaca*, *Alixeteria*, Latine *Amuleta* (quæ vox hodie de externis appenſis fere uſurpatur) ab amoliendo, ſeu id eſt ſubmovendo, depellendo, eo quod venenis reſiſtunt; Item *Bezoartica*, ex eo haud dubie quod lapidem *bezoar* putarint omnibus venenis reſiſtere, Atque ſic eleganter & uſitatius hodie dicuntur.

Sin ſpecialius ea conſideremus, prout à Veteribus ea denominata fuere, diviſa etiam fuere quoad nomina, hinc ratione objecti potiſſimum, id eſt veneni, in quod agunt, teſte *Galeno, 6 Epid. 6. 5.* Cum enim Venena, vel ab *Animalibus*, vel ex *Vegetabilibus*, *Mineralibuſve* proficiſcantur, *Pharmaca* vocant, ideo remedia iis reſiſtentia duplicis quoque generis eſſe ſcribit Idem, Alia quæ venenatorum morſus, ictus, aut venena ſanant; Alia quæ deleteriis pharmacis medentur: Illa Alexiteria, ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν, *arcere, depellere, propulſare*, item *opitulari*, καὶ τῶν θηρίων, à feris vel belluis nominantur; hinc & ſimpliciter θηριακὰ φάρμακα, ſeu theriaca proprie dicuntur, quæ morſibus animalium debentur; Dicta enim eſt Theriaca partim ab effectu, eo quod ſerpentum morſibus maxime ſuccurrat; partim ab ingrediente carne viperina; Hæc *Alexipharmaca*, ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν καὶ τοῦ φαρμάκου, quod lethalibus medeantur morbis: Exemplo ſit jam dicta Theriaca, quæ cum primario morſibus animalium inflictis debeatur, non protinus contra omnia & ſingula venena poteſt adhiberi alia, fruſtra adverſus vegetabilia, mineralia, & plura quoque animalia, Vtraque aliis terminis etiam dicuntur *Alexicaca*, item *Antidota*. licet hæc quoque de internis tantum prædicentur magis.

Nos generalia illa jam vocabimus uſitato nomine *Bezoartica* tanquam communia magis & univerſalia, hæc ſcilicet malignitati ex diſſolutione humorum vitalium, majori vel minori; quam venena intentant exurgenti debita cor defendunt, & ῥώμην, conſiſtentiam ac motum ſanguinis contra venena in vigore ſuo afferunt, *Antidota* vero ſpecialiſſime notant, quæ his vel illis ſpeciatim, & in individuo notis venenis, quoad illam qualitatem, qua particulariter noxia ſunt, in corpus illata adverſantur, ut *Mercurio ſublimato, cantharidibus* & ſimilibus. *Wedelius Am. m. m. lib. 2. ſect. 2. capit. 2.*

Venena aut ſunt incognita aut nota, *Incognita* ſi fuerint dubiis effectibus, facile tamen dignoſcendis, ſi vel agendi modum intendamus, an ardore circa ventriculum ſint infamia, an vitalia magis petant, an ſtuporem vel quaſi inducant turbulentum: Lex generalis in ſcholis medicis obtinet, ut communi potius expulſivo vel defenſivo utamur quam nullo, *Notis* vero ſua quibuſvis opponenda remedia, debitæ qualitati exceſſivæ & corpori vim inferenti.

Non temere credendum ut de Venenis, ſic de antidotis quoque ſcribentibus, unde vaſtitas maxima & confuſio cum ignorantia enata ſunt.

Inprimis ergo ad triplicia venena, triplex erit Antidotorum ratio, & quidem,

Venenorum Mineralium Antidota.

Venenis Mineralibus generalem præbent antidotum, *quæcunque corroſivitati ſunt oppoſita*, adæquate *Vomitoria*, quæ exturbando mature operationem illorum ſufflaminant & impediunt ſtatim: Oppoſita corroſivitati duo laudantur & celebria eſſe ſolent: 1. *Pinguia*, quibus inviſcari & obtundi particulæ acres, ſalinæ, quibus & oblini parietes ventriculi poſſint; itaque defendi ac muniri, v. g. *oleum amygdal. dulc. butyr.* hoc præſervative, Hine tum ad operationes metallicas commendatur *Panis butyro illitus*, ut ſumatur prius quam labores ineantur, tum ad chimicas quoque antimoniatas aliaſque idem multis conſuetum eſt.

2. Præcipitantia & acorem corroſivum corrigentia, quo nomine *cryſtallus* à Sennerto aliiſque tanquam unica & præcipua antidotus Contra *Mercurium ſublimatum & arſenicum*, ut & contra *aquam fortem* laudatur &c.

Sin alia quoque metallica venenoſa qualitas velut extraordinaria vel comitans ſit corrigenda, itidem hæc præſidia habent locum, non neglectis tamen tunc univerſalibus quoque antidotis, quando in alteram claſſem communem quaſi fermentativorum ſecedunt; vel potius accidentario, ſeu ſecundario conjunctam habent; Legi hanc in rem meretur liber egregius *Samuelis Stockuſii de lithargyris* fumo noxio, morbifico, ejuſque metallico frequentiori morbo, in quo probare ſatagit morbum, obſtructionem alvi, tanquam præcipuum ſymptoma conjunctum habentem, non fieri ab arſenico, non à Mercurio, nec à ſulphure, vel vitriolo, ſed unice à fumo Saturni. Speciatim vero pinguia per os præbita feliciſſime operari, Id, *ait*, hactenus feliciſſime comprobavit experientia, Et in *appendice de Aſthmate montano* Oleoſa & pinguia unice latius commendat. Reliqua hujus claſſis pro ſpeciali noxa qua agunt in corpus etiam ſpecialia habent antidota, quod in reliquis quoque locum habet regnis. *Idem ibid. capite 5.*

Anno 14. Nov. fuit exhibita in curia Romana, in carceribus ſabellieis mixtura venenoſa duobus morte damnatis ex *ſublimati* ℥i. *arſenici cryſtall. riſagalli* āā, ʒß. *nuc. vomica* ℈ii. *gallarum elephant. n. ij. rad. thymel.* ʒj. *canthar.* ʒß. *napelli* ʒj. *virus quod deſtilias ex dente vipera* ℈j. omnibus redactis in pulverem tenuiſſimum cum *ſacchar. roſ.* facti ſunt Boli octo, & quatuor uni exhibiti ſunt, & alteri ſocio quatuor, & juſſi ſunt ſtare ad ignem.

Vnus poſt mediam horam cœpit habere dolorem ſtomachi, & oris calorem, tum gulæ, & deinde ſpuere cœpit, ac tandem evomere, & non poterat permanere ad ignem: Iuſſus eſt deambulare, & inter deambulandum multiplicatus eſt vomitus, & ſupra modum ſoluta eſt alvus: ſucceſſit ingens ſitis, neque datus potus, ſic manſit uſque ad iv. horas; tandem ſupervenit ſpirituum reſolutio, & defectus anhelitus, ſyncope cum nullo pulſu, extremorum frigore, revolutione oculorum, contractione digitorum, tremore labiorum.

Statim facta eſt inunctio cordis, temporum, pulſus, oris & ſtomachi, hypochondriorum, ſpinæ & cartilaginum narium, Inunxit autem Medicus quater in ſpatio quatuor horarum, Hæc Inunctio ita conficiebatur.

℞. *Scorpiones 200. Sole exiſtente in Leone, & Luna in ſcorpione, ita ut Luna ſit in uno quatuor angulorum Scorpionis, in qua cautione & Ptolemaus docet ſumere ſcorpiones, includantur in vas vitreum amplum, Enutriti xv. diebus herba baſilicum dicta, ut exactis xv. diebus nihil remaneat in vaſe præter quam ſcorpiones; tunc applicato igni fundum vaſis, ut incaleſcant ſcorpiones, & ita commoveantur, ut unus alterum mordeat, & cum ſic ſeſe morſibus impetunt & vulnerant paratam habeto ollam qua contineat olei vetuſtiſſimi* ℔iv. *infundantur in hac oleum dicti ſcorpiones, & dua vipera amputatis capitibus & caudis; cavendo ne ſanguis perdatur*

perdatur, ſed cum ſanguine toto ponantur intra oleum: adde o!eo ℔i. *vini malvatici, ebulliant omnia ad vini conſumptionem, deinde colentur per pannum cum expreſsione:* Alii eliciunt materiam per balneum materiæ in alembico vitreo, his peractis.

℞. *Rhabarb.* ℥iv. *dictamni vulgar. gentianæ, card. ben. carlinæ,* āā. ℥ii. *rutæ, abſinth,* āā. *m. j. tormentill. biſtortæ* āā. ℥ß. *corall. r. & a.* āā. ʒß. *ſantal. citr.* ℥ß: *theriac. el.* ℔ß. *omnia in pulv. redigantur, ac ſimul miſceantur, ut ponantur in* ℔j. *aquæ vitæ, demum affunde ol. ſupra dictum, exprime, diligenter obturando vas, quod ſit vitreum craſſumque pone ſub fimo equino per* iij. *menſes, curando ut fimus ſemper ſit calidus, poſtea cola materiam exquiſitiſſime, colaturæ adde terræ ſigill.* ℥ivß. *expone per dies* xv. *radio Solari, demum coque in Balneo mar. ad conſumptionem aquæ vitæ, ſerva in vaſe ſtanneo aut vitreo ad uſum.*

Qui timet venenum, inungat quotidie cor, pulſus omnes & totam ſpinam dicto oleo, & nullo modo ei oberit venenum, aut ulla peſtifera lues: Item infectus Veneno aut Peſte inungat pulſus omnes, cartilagines narium, tempora, & cor oleo frigido non calefacto, in conclavi calido, Et refocillet ſpiritus odore bono, vino odorato, conſummato gallinæ, aut perdicis, additis ovor. vitellis cum ſaccharo, præſertim ſi veneno ſupervenerit vomitus violentus & fluxus ventris: Sed ſi non vomat, nec alvus ita turbetur, antequam veneno infectus refocilletur, provocato vomitum *lixivio facto ex cinere ſarmentorum & oleo communi*, & hoc aliquoties iterato, & provocato ventrem ſi ſit adſtrictus enemate ex *oleo ſimplici*, deinde refocillato pro neceſſitate virtutis: Et cum jam ter prima hora inunctus eſt, inungito mane, veſpere & ante paſtum more dicto tantum per tres dies, poſtea uſque ad vii. diem tantum ſemel in die, jejuno ſtomacho.

Sed ad *reum* regreſſus, hic quater in quatuor horarum ſpatio inunctus eſt, & Medicus mane dedit (facta prius alia inunctione) alexipharmacum, quod *Gisbertus* putat fuiſſe *terram ſigilatam & tormentillam ex decocto alectorolophi* &c. At ſic quaſi e ſepulchro evocatus conualuit &c. *Petr. Foreſtus obſ. t. lib.* xxx. *ex Arcanis Gisberti Horſtii Medici Noſocomii Mariæ Conſolationis. Romæ*, Vide ibidem hiſtoriam alterius morte damnati, qui pariter liberatur.

A pleriſque ſcriptoribus extollitur lapis ille qui in *Capite Bufonis*, ſive ranæ terreſtris invenitur, ſi quidem contra venena ſolo contactu valere expertum eſt; propterea inflationes à beſtiis venenatis illatas diſcutere, venenumque elicere ajunt; Scribit *Lemnius* tumores & dolores ex ſoricibus, araneis, veſpis, ſcarabeis, gliribus, aliiſque venenoſis animalibus cauſatos, ſolo lapidis blando attritu evaneſcere.

Inter præſtantiſſima auxilia contra Venena *terra Lemnia* connumeratur, quæ ad *Cantharides & Leporem marinum* adeo præſtat, ut quadam proprietate devorata omne venenum per vomitum expellat; quæ omnia multis experimentis ſe didiciſſe profitetur *Galenus*.

In magna æſtimatione apud multos *Hellebori nigri radix* habetur ipſa enim inter carnem & pellem jumenti à *Vipera* demorſi inſerta proculdubio Sanat; Subulcus porcorum numerum eryſipelate peſtilenti pollutum (hunc morbum Vulgares, eo quod porcorum Caput in excreſcentiam magnam devenit appellant *Caponſto*) ſola hujus radice omnes ſervavit: In porcorum auribus Cultello circulum ad vivum ſanguinem formabat, deinde centro ſtilo ferreo perforato radicis fruſtulum effigebat, ad paſtumque porcos mittebat. *Ant. le Grand Comp. Nat. ex.*

Bufonis lapis contra venena mirabilem habet virtutem. *Baricellus*.

Quinta eſſentia vitrioli eſt theriacarum omnium ſumma theriaca: Venena omnia, animalia, vegetabilia & mineralia fugat, Doſis ʒi. quocunque tempore cum juſculo vel ovo, *J. P. Faber Myoth, ſpag l. 3. c. 12.*

Quinta *eſſentia auripigmenti*, ſeu *Tinctura* certiſſime omnia venena & venenatas in corpore qualitates extinguit; dozis ʒii. in juſculo: Vel exteriùs applicetur partibus læſis cum goſſypio, vel butyro miſto. *Idem ib. cap* 17.

Lapis bezoar majori dozi aſſumptus, potentius venenum extinguit. *Zacutus H. Pr. Med. lib. 1. obſervat. 35.*

Ad omne venenum hoc valet.

℞. *Stercus gallinæ vel caponis*, bulliant in aqua ad ℥. de hac da in potu, & erit libera potu, mox enim venenum expellit. *Joh. Dav. Rulandus Pharm. novæ th. 28.*

Alexipharmacum efficaciſsimum contra omnia metallica, vegetabilia, & animalia venena paratur è *Ciconia* apud *Schroderum l. 2. c. 51.*

Lapis Bezoar ex Simiis Berneæ majoribus.

Inter complura ex Indiis allata eniteſcit *Bezoar Orient.* ex Simiis majoribus, ſive Bavianis Berneæ exemptus, Eius color extrinſecus caſtanea lucidior, forma inæqualis rotunditatis nucem fere juglandem adæquat, pondus dr. vi. refert, teſtimio cæteros ex capris bezoartico, longe anteit, ut talis 50. vel 60. Imperialibus vendatur, Vſum ſimilem quem cæteri tales bezoartici orientalis lapides præſtat, in affectibus præcipue ex acido ortis circa cor, In cholera & aliis, qui acidæ ſunt efferveſcentiæ ſoboles, Etenim ſimilis eorundem cum cæteris terræ lapidibus generatio, ex alkali & acido procedit, ſubtili tamen hi ſunt terra præditi. *Joh. Georgius Wolkamer Med. Sept. vol. 2. p. 376.* De hoc lapide agunt. *Bontius Med. Ind. cap. 35. J. Bapt. Tavernier l. 2. Itin. Ind. c. 24. Philippus Baldeus Deſcript. Malabar. regionis. c. 16.* qui eaſdem vires aſsignant,

Lapis ſerpentinus, ſive Magnes venenorum.

Magnes Venenorum lapis hic vocatur, à Luſitanis *Piedra della Cabra*, Eius & meminit *Kircherus, libello de triplici in rerum nat. magnete. in ſua China Illuſtr.* Item *Boymius* & alii. Qui lapis à natura ſibi inſitum magnetiſmum habet, ut à venenoſo animali prius influit vulneri appoſitus, protinus tenaciſsime ſanguiſugæ inſtar adhæreat, hæreatque tamdiu donec omni veneno, quod ſerpens aut quodvis venenoſum animal diffuderat exſucto, ac jam veluti ſatur, ſuapte ſponte decidat, ſaturæ hirudinis inſtar. *M. à Bernitz. Med. Sept, vol. 1. vide Lid. obſ. 37. p. 376.*

In Chocolate vix alexipharmaca.

In arce illuſtri; non longe ab urbe Viennenſi virgo loco ſacchari deprehendit *pulverem glirium* quo edulcabat ceraſa frixa & potû Chocolatis: Quinque perſonæ biberunt de potu chocolatis: duodecim vero comederunt ceraſa frixa, Omnes hora elapſa ſenſerunt ſe corripi vomitu enormi, ſiti, torminibus, tumore corporis & ventriculi, dolore capitis, animi defectionibus; Verum illæ quæ *Chocolatem* biberunt, ſpatio unius vel duarum horarum periculum omne & facilius & ſine notabili ingraveſcentia ſymptomatum evaſerunt, nihilq; deinceps ſenſerunt, Illæ vero quæ ceraſa frixa comederant, graviſſime afflictæ ſunt, & ſymptomatum gravitas ad aliquot dies, 4. vel 5 circiter extendebatur, quæ tamen adhibitis communibus alexipharmacis juxta m. m. omnes

reſtitutæ ſi ſunt (Vnde collegi *Chocolatam* habere vim alexipharmacam, & veneni actiones debilitaſſe, quod verum eſſe ex ingredientibus cuivis apparebit. Hæc contigerunt Menſe Julii anni 1671. *Frid. Ferd. Illmer. Wartemberg. Med. Sep. vol. 2. p. 376.*

Venena Venenorum ſunt Alexiteria.

Venena Venenatorum eſſe remedia etiam *Scorpio* docet morſus enim à Scorpione, ol. ſcorp. inuncto curatur; Ipſe quoque ſcorpio vivus comprehenſus, vulnerique affrictus pro medela eſt; Ita quoque obſervavit. *Celſus l. 5. cap. 29. Serenus Sammonicus & Dioſcor. l. 2. c. 62.* Hinc ejuſdem nominis herba, cujus ſemen ſimilitudinem caudæ ſcorp. habet, remedio eſt. ſi credimus *Plinio lib. 22. c. 16.* In *Orvietano ſcorpiones ſicci* pro alexipharmaco adhibentur; *Bufo* manu retentus læſam ab altero Bufone manum ſanat, *Semen Lunariæ*, ceu toxicum, jumenta morti dat, ſi eo veſcantur, herbam vero, ſeu folia, contra reſtituere ex *Geſnero* annotat *Camerarius*, *Herbæ mimoſæ* folia venenoſa eſſe, nec ullum niſi in radice ejuſdem remedium eſſe monet. *Gul. Piſo 4. Med. Braſil. c. 96.* Axungia ſerpentina tumorem diſcutit, morſu enim magis ſerpentes, uti & ſcorpiones quam veneno nocent, punctis læſiſque nervulis in tumorem elatis. *Johann. Lud. Hannemannus Med. Septentr. vol. 2. pagina 276.*

Curatio communis Venenorum ex Cæſalpino.

Communis Venenorum Curatio, antequam pateat Veneni ſpecies apud *Dioſcoridem*, Quamprimum evacuanda eſt veneni ſubſtantia prius antequam corrumpat, aut penetret interius in venas, Qualitas corrumpens hebetanda, meatus obſtruendi, ut penetrationem celeriorem inhibeant, Evacuatio per proximum locum fieri debet unde venenum ingreſſum eſt, ſi per os, Vomitu, ſi per ictû, ex vulnere; Ad venena igitur aſſumpta quamprimum Vomitus præcipiendus eſt, ex relaxantib. & nauſeoſis, unde genus deprehendi veneni poſſit, Bibat *oleum* calidum & *aqua*; aut ſeorſim, Nam oleum ſimul hebetat vim veneni, aqua prohibet uſtionem, caliditas relaxat, &c. Poſt vomitum Clyſteres acres ex *centaurio*, nitro large injecto, ad reliquias quæ in inteſtinis hæſerunt *Nitrum* cum hydromelite ſumptum, *raphanus*, *vina vetera* liberalius epota, jura gallinacea, potiones præpingues, & quæ ex adipe aut recenti butyro parantur, Nam alvum ſubducunt, ſtomachum relaxant ad vomitum, hebetant acrimonias, & obſtruunt meatus: Poſt hæc *Lac* potu dabimus inquit *Paulus*.

Cum venena penetraverunt in venas varia celebrantur Evacuantia & Alterantia. Inter quæ Alexipharmaca & Antidota vocantur quæ à tota ſubſtantia agunt; Antidota dicuntur quæ intus aſſumpta medentur pravis diſpoſitionibus trium generum, Adverſus venena *aſſumpta Alexipharmaca* proprie dicuntur, Adverſus venena *ictu* illata, *Alexiteria*, quæ & *Theriaca à Dioſcoride* vocantur, vulgo *Bezoartica*, Adverſus *morbos ex prava victus ratione* ſimpliciter *Antidota* ſed proprie quæ ex multis parantur: Alexipharmaca & Alexiteria *Galenus* pro eodem accipit auxilio, ſive adverſus pharmaca, ſive adverſus beſtias; Latine Amuleta dicuntur; &c, *Cæſalpinus cap. 9.* De Alexipharmacorum natura & differentiis vide inferius.

Curatio Communis Venenorun ex Mercuriali.

Si venenum jam in corpus aſſumptum fuerit, duplex erit ratio curationis, alia univerſalis, alia particularis uniuſcujuſque ſpeciei, utile autem erit univerſalem curationem prius cognoſcere, quoniam ab hac multa ad particularem derivabunt &c. In venenis quæ ore capiuntur, duplex curandi ſcopus eſt (*Galen. 1. de conſt. Art. 19.*) 1. ut quam citiſſime fieri poteſt venena corpore educantur. 2. Ut vis & operatio eorum omni ingenio & arte enervetur &c. Statim ac aliquis venenum ore ſumpſerit, Vomitu illud excludatur, Circa Vomitum autem inſtituendum quinque documenta ſemper ante oculos oporret habere.

1. Eſt ut fiat medicamentis familiariſſimis: propterea jure damnatur ab omnibus hoc in caſu hellebori uſus, Commoda vero ſunt *oleum, butyrum, lac* &c.

2. Ut cieatur iis remediis quæ vim emplaſticam habent, Ratio eſt quia pleraque venena acria mordacia & tenuia ſunt, unde à remediis viſcidis & unctuoſis non ſolum vis ipſorum mordax obtunditur, verum etiam ipſis unctuoſis venena adhærentia, & veluti inviſcata, ſicuti minus nocent, ita felicius & tutius vomitu educuntur; unde *pinguedines, jura pinguia, butyrum* maxime conveniunt, quorum ultimum *Avicennas* in his caſibus prætulit.

3. Vt Vomitoria habeant vim incidendi & attenuandi, quocirca jure commendatum eſt a Medicis *lixivium, oxymel, acetum*, hæc enim præterquam quod vomitum citiſſime excitant, ſubſtantias etiam venenorum incidunt & hebetant.

4. Ut vomitoriis ſemper immiſceantur aliqua quæ vim habeant venenis ipſis reſiſtendi, ut eſt *pulvis cornu cervi, pulvis lap. bezoar. ſmaragdi, terræ ſigill. boli Arm.* & aliorum, hujuſmodi enim ſi miſceantur, non ſolum famulantur vomitui faciendo, verum etiam ui emplaſtica, & vi alexiteria minuunt vires ipſorum venenorum.

5. Vomitum non ſemel, neque exiguo tempore eſſe concitandum, ſed tantiſper inſiſtendum quouſque nulla veneni remaneat ſuſpicio, h. e. omnis ſapor, odor & color venenatus ſit ſublatus, nec amplius appareant vel morſus, vel nauſea, vel cruciatus inteſtinorum: Solent inteſtina citiſſime à venenis oſtendi, ut ſcribunt *Aëtius, Scribonius & Avicennas*, Itaque præter vomitum ſtatim etiam clyſteribus & ipſa eluenda erunt, ut ſi quid veneni ad ea pervenit omnino elidatur.

Purgantia an Conveniant.

Sed dubium eſt, An in curatione Venenorum, quæ Potu ſumuntur, conveniant *Purgantia*? *Galenus* nullam eorum mentionem facit; *Aëtius* diligentiſſimus, ſemel tantum in cura veneni *Ceruſſæ purgantis* medicamenti mentionem facit, Sic decernendum puto, Venena quantum ex ſe requirere uſum Purgantium, quoniam iſta ſemper ſunt è corpore educenda, ſed quia medicamentis ſolent magis attenuari, & attrahi ad ventriculum, ubi damna inferunt, eapropter jure uſus eorum prætermiſſus eſt. exceptis tamen illis venenis quæ cum ſuaptè natura adhæreant partibus corporis opus habent aliquo quod ipſa educat, ut eſt gypſum, ceruſſa; quare ſi interdum utendum erit his medicamentis, quod fiet quando vel Vomitus fieri non poterit, vel clyſteres nihil proderunt, confugiendum erit ad Purgantia, inter quæ Agaricus cæteris præferendus eſt, quia & expurgat humores, & præterea habet alexiteriam facultatem.

Præter hos modos educendi venena eſt alius qui fit per revulſionem à partibus intimis ad extimas; hoc autem fit *Frictionibus, Extremorum ligaturis, Cucurbitularum appoſitione Lotione pedum in lixivio fervent, uſu Balneorum*, præcipue *Laconicorum* ac omnium eorum quæ *provocant ſudorem*.

Poſſumus

Poſſumus quoque inter hæc præſidii genera connumerare auxilii genus quoddam, quo *Cæſarem Borgiam*, dum venenatus eſſet, ſeſe ſervaſſe ajunt, & eſt ut *mulus* vel *bos exenterentur*, vivi,& intra alvum horum animalium calentem corpora venenata ponantur; habent enim hæc animalia proprietate vitalis caloris quem adhuc obtinent, vim attrahendi venena ab intimis ad ſuperficiem.

Verum etſi hæc ômnia prudenter adminiſtrata proſint, remanet tamen periculum vitæ magna ex parte ablatum; tanta enim eſt celeritas penetrationis venenorum, ut ſtatim ſoleant viſcera violare & inſigniter contaminare, Idcirco Medicus non debet contentus eſſe quod ſubitaneum evaſerit periculum,ſed ſimul proſpicere ut quicquid mali impreſſum eſt in viſceribus emendetur & deleatur, ad quod agendum conferunt & *ratio victus* & *antidoti*, quæ non modo conferunt in venenis ore acceptis, verum etiam in iis quæ ab animalibus extrinſecus inferuntur.

Aliud ſat ſit hic attuliſſe quod pauciſſimis verbis docuit *Avicennas* ſcilicet ſi *mittendus eſt ſanguis*, debere mitti, Cognoſcitur autem id eſſe faciendum ſi corpus venenatum ſuapte natura ſanguinolentum ſit; & ſi venena reliquerint accidentia viſa inflammatoria; quia ut hujuſmodi accidentia aboleantur, & utile neceſſarium, eſt ſanguinem mittere.

Victus ratio.

Circa *Victus rationem* quæ pro curatione univerſali omnia venenorum exigitur, inprimis proſpiciendum eſt *Aëri*, ut ſcilicet qui venenati ſunt ſemper detineantur in locis calidis & ſiccis, ubi aër purus & clarus ſit, ubi odores aromatum fiant, Et præcipiunt fere omnes ut habeantur ſervi ſani & integri, qui frequenter halent in os venenatis: quod ſi etiam iſti qui exſpiraturi ſunt in os prius res odoratas maſticent, ut *zedoariam folium* vocatum, ſeu *malabathrum nucem myriſticam, caryophyllos*, utiliſſimum quoque erit.

In omnibus fere aliis morbis ſolet *Somnus*, ſaltem moderatus commendari, cæterum in curatione venenorum ſecus eſt, nimirum procedendum eſt, ut parciſſime, quantum fieri poteſt, venenati dormiant, & præſertim in initio Ratio eſt, quia oportet remedia diligenter & ſollicite adhibere, quod fieri non poteſt in dormientibus, Accedit etiam ſomno venena magis in cor rapi: Poſtremo cum dormientes ſuos dolores & ſua mala non ſentiant, nequaquam remedia adhiberi poſſunt; quare providendum ne venenati dormiant, ſed modo huc modo huc *movendi* ſunt, quia corporum agitatione venena magis in cutem trahuntur, & magis etiam conſumuntur.

A *venere* abſtinendum eſt, *Alvus* lubricanda ſervanda.

Pro Potu autem, ut habetis ex *Hippocr. 6.6.Epid.t.8.* convenit *acetum, vinum, ſapa*, *Ex cibis* conveniunt omnes unctuoſi, & craſſi, cujuſmodi eſt *Lac, butyrum, oleum, ova, cerebella animalium, pedes vitulorum*, Ex herbis, *allium, raphanus, borrago, bugloſſum pimpinella, meliſſa, conſolida*; Ex fructibus, *nuces avellanæ, caſtanea, ficus. citria, cydonia*, & ſimilia; *Galenus l. Epid. cit.* adferens rationem eorum quæ proponit *Hippocr.* adverſus malefica medicamenta, inquit idcirco laudare uſum *Salis*, quia à *ſale* omnia venena extenuantur & conſumuntur, quamobrem utile erit *ſalem ſimplicem*, vel *theriacalem* in frequenti uſu habere, imo laudo ut habeantur aliqua aromata quæ ferculis inſpergantur. *Mercurialis l. 1. cap. ult.*

Venenorum remedia in communi, tum Evacuantia tum Alterantia.

Si à tota ſubſtantia p c prietates oriuntur; ad omnia Venena in communi Remedia petenda ſunt ex iis quæ ſolis qualitatibus primis vel ſecundis pugnant, tum Evacuantia, tum Alterantia; Ad ſingula autem quod tota ſubſtantia cum ſingulis conveniant, At quia difficile eſt ex tempore proprium remedium habere, excogitata ſunt *Antidota*, ex multis compoſita, quia ſingulorum propria ſunt, ut idem ſingulis ſatisfaciat, quod *Galenus* admiſit in *Mithridatio* & *Theriaca* (*1. Antid. 1.*) Imo unicum remedium non ſolum ad omnia venena, intus & extra illata, ſed & ad omnes morbos graves extollit more circulatorum: Authoritatem dederunt Rex *mithridates*. deinde Imperatores Romani.

Sed cum hodie ſine methodo utentibus non ſatis reſpondeant promiſſis, cavillantur ingredientia tanquam non legitima, cum tamen hodie medicamenta omnia commodius habeantur quam apud antiquos: Arabes ſimiliter extollunt lapidem *Bozaar*, Græci *terram Lemniam*, Hiſpani herbam *ſcorzoneram*, At ſine ratione uti fallax eſt, *Hippocr. 6. Epid. 5.* inquit, *Adverſus malefica plantarum ſucci, in quibus conveniant*, i. e. interprete *Galeno*, à tota ſubſtantia; Non enim omnibus omnia conveniunt.

Lac ad venena erodentia nam contemperat & inſtaurat deperditam ſubſtantiam. *Allium* ad frigida, nam odore pertinaci diu perſiſtit, ut *theriaca* facit, etiam ad calida, diſſipans, eſt enim veluti ignis purgatorius: *Vinum fervefactum*, i.e. valde calidum, ad mediocriter frigida, Vel decoctum in *Sapam*, ad contemperandam acrimoniam, ut *Galen. tr. l. de Ther. 16.*

An *vinum* ſimpliciter facit ad ſpiritus reficiendos, præcipue *aqua ardens*? nam citiſſime diffunditur in totum, & diſſipat pravos humores, & vehiculum eſt cæterorum medicamentorum: *Acetum* ad diſſecandum glutinoſos ſuccos, ex *fungis*, & ad refrigerandum in venenis calidis,ut ad *thapſiam*: at præcipue valet ad grumos diſſolvendos & quæcunque indurata ſunt.

Celſus laudat ad ſanguinem congelatum ex ictu *aſpidis Sal*, ut totam ſubſtantiam maleficorum humorum & pharmacorum conſumat, Sic *nitrum chalcitis*, *aqua marina*, Paratur *oleum ex chalcantho* per diſtillationem, item ex *Sulphuris* flamma, acerrimæ virtutis, quæ in exigua quantitate diluta in jure propinantur.

Ex *Dioſcoride*, *Cum venenum incertum eſt, communibus utendum*, Communia autem ſumuntur à communibus affectibus, nam plurima venena affectus conſimiles gignant, Inter *frigida* communi dote recenſetur ſola *terra Lemnia*, Attrahit hæc tenues humiditates ſua ſiccitate velut ſpongia, ſi venenum invenit, provocat vomitum: Fiunt cum *granis juniperi* (*2. antid,*) part æqualibus, *catapotia* ex oleo avellanæ magnitudine, ſuperbibitur *mulſa*, Valet ubi venenum in ventriculo (*9. ſimpl 3.*) Idem præſtat *Bolus Arm. terra melitenſis*, facultate emplaſtica, Simul meatus occludunt, *Lapis Bezoar. fragmenta gemmarum* in tenuiſſimum pulverem molita; *Auri & Argenti folia*, defendunt cor ſua ſubſtantia incorruptibili.

Non conveniunt hæc venenis craſſis, aut ex materia metallica, Corrigunt putredinem materia imputreſcibili, frigida & ſicca, ſed egent vehiculo *ex vino* ut ferantur in venas: Similem facultatem habent inter plantas *tormentillæ radix* & *biſtorta*, *ſcorzonera*, *chondrilla*, Inter *calida* pleraque amara, *Homero* teſte, quod comprobatum eſt longa experientia; Nam partim evacuant digerendo & abſtergendo quamcumque materiam, tam calidam quam frigidam, partim alterant frigida; *Agaricum* ſimul evacuat vi purgatoria, humores corruptos; *Gentiana, ſecuridaca ſemen, abrotanum* & quæ acria ſunt, *ut iris eryngii radix paſtinaca & calamenthi ſemen: nardum Gallicum, caſtoreum, ferulæ viridis medulla. flor rhododendri, marrubii ſuccus, laſer, laſerpitium, ſagapenum, peucedani ſuccus, panacis ſuc-*

cus & radix. ariſtol. longa, ruta ſylv. ſemen betonicæ folia, ſingulorum ℥i. *in vino pohi* decoctum: *ſeſeli, pix liquida* lincta: Antidota, ut *mithridatum, de ſcymo*, de *ſanguinibus*; Hæc enim recenſet Dioſcorides cum nondum eſſet inventa *theriaca*, niſi eam intelligat per *Mitridatum magnum*. Alia recenſentur in *lib. de Par. fac.*

Avicennas laudat *zedoariam* & *Doronicum*. Recentiores *Angelicam, dictamnum album, carlinam*, quæ *chamaleon albus* eſt; Diſſolvunt hæc vim veneni aut inſenſibiliter, aut per ſudorem, aut per urinam. Inter Herbas *ſcabioſa, galega*.

Ad omnia igitur Venena, ſive adhuc in ventriculo fuerint, ſive jam penetraverint in venas, adhibeantur *Vacuantia* virus & humores ab eo corruptos. *Alterantia* pro illorum intemperie: *Roborantia* partes principes, ne recipiant, ſed repellant.

Evacuant virus tenue attrahentia, *terra Lemnia* ℥i. *cum vino Smaragdi gr.* viij. per vomitum; *bezoar.* gr. xij. per ſudores.

Humores corruptos attrahunt *agar. rhabarbar. centaur. min.* ad bilem & pituitam: *Cyclamen, rad. cucum. ſylv. elaterium* ad aquas, *Lapis Lazuli, Armenus, Antimon.* præpar. ad melancholicos; *Rhaſis* medicamentis *purgantibus* utitur, cum vomitoria communia non ſufficiunt, *Vena ſectio* ubi urget inflammatio; ex *Avicenna*: *In ſcorpionis* ictu inquit *Celſus*, quidam ſola venæ ſectione ſanabant.

Diſſipantia ſubſtantiam inſenſibiliter ad venena tum calida tum frigida, acria & amara prædicta, cum ſimplicia cum compoſita, ut *theriaca* ſæpius in die exhibenda, dozi quadrupla & quintupla: Eligenda autem quæ tota ſubſtantia ſingulis conveniant.

At ſi communis curatio ſufficeret, fruſtra Authores ſigillatim de ſingulis egiſſent, Si neceſſaria ſigillatim, videtur ſuperflua communis: An occaſio præceps antequam ſpecies veneni deprehendatur, multa quoque latent ob variam compoſitionem venenorum; At confeſtim multa remedia adhibenda ſunt, & in quibus majora pericula efficacioribus utendum; *Dioſcorides*. At ignorata veneni natura temere adhibebuntur, *Celſus* aliquando concedit temere agendum, At nihil temere præcipit *Hippocrates*, & ſi non juvare ſaltem non lædere: Pro varietate autem ſymptomatum remedia accommodanda, pro vario temperamento & partibus læſis.

Quæ valde *odorata* ſunt, & ſpirituoſam ſubſtantiam faciunt, ut *moſchus, ambra, aromata multa, camphora aqua roſacea, napha*, his enim ſpiritus venenati alterantur, quia conveniunt in ſubſtantia ſpirituoſa. Ad *craſſam* autem Venenorum *ſubſtantiam*, remedia conveniunt craſſiora, ut *ſal, Chalcitis, nitrum*, Ad humores qui medio modo ſe habent, ut amara & acria: In ſingulis autem quæ diverſas partes reſpiciunt dicenda ſigillatim in ſingulis: Cum venenum ad cutem delatum eſt, *Aetius Frictiones* adhibet ex oleo calido, *Balnea in hydraleo ſudatorio*, Hodie ægrum intromittunt in mulum exenteratum, dum calor nativus ſubeſt, Calor enim ille attrahit & contemperat; Inunctio arteriarum ex *oleo de ſcorpionibus Matthioli*, prius fovendo loca ex *vino malvatico*.

Remedia igitur ad *ſpirituoſam ſubſtantiam* ex Odoratis ſumenda ſunt; Ad *humores*, purgantia per alvum, ſudores, urinam, aut inſenſibiliter: Adverſus *terreſtria*, humectantia ex *lacte oleo*, & expurgantia valida. Si lateant analogiæ, ſaltem juvabunt primis qualitatibus vel ſecundis, & communi ſubſtantia quam maxime immutabili.

Victus requiritur non tenuis, nam in pravitate multus conducit ad contemperandum; Si vires graventur ob ſymptomata & labores, potus & ſorbitiones *Celſus* ait Venena jejunis nocere magis: Varietate ciborum implendi: *Aetius*, dum venenum in ventre *raphanus, ſalſamentum, allium, cape. Vinum recens mari mixtum*, ad vomitum. *Si in habitu*, piſces recentes teneri, aves coctu faciles *Avicenna*; In omnibus *lac* non prætermittatur; An quia ſi non ad omne venenum, ſaltem ad corrigendas noxas ex alexipharmacis efficacioribus? *Frictiones* ad extimas partes, ne recurrat venenum. *Veſtes* ſuffumigiis odoratis perfuſæ. *Cæſalpinus* cap. x.

Venenorum Ictu illatorum Curatio communis.

Ad *Venena ictu illata* quamprimum virus educendum, unde intravit, *Dioſcorides*, Aliquando aliunde, poſtquam penetraverit, ſed prohibenda penetratio, defendendaque membra principalia, & roboranda, vis veneni retundenda & tandem ſubſtantia diſſipanda, Educitur ex vulnere *Suctu* hominis, at non jejuni, præſumpto vino, oleo in ore, ſi nulla exulceratio in ore aut gingivis, alioquin periculum in ſugente.

Celſus inquit, *Venenum ſerpentum, & quadam venatoria quibus Galli utuntur non guſtui, ſed in vulnere nocens*, Pullus *gallinaceus* diſſectus vivus & impoſitus, *ejuſdem podex, hœdus, agnus*, carne calida impoſita; An ſpirituoſa ſubſtantia calidi innati ob affinitatem attrahit & contemperat? Cucurbitula & ſcarificatio ſimul cum ſanguine extrahit virus; carnis circinatio, in lethaliſſimis venenis *amputatio*, ſi fuerit extrema pars, *uſtio* ſi locus neque nervoſus neque muſculoſus fuerit *Celſus*, medicamenta attrahentia, epithemata. *Dioſcorides, cinis ſarmentorum* aut *ficulneus* cum *lixivio ſtillatio ſubactus, gan. & acri ſalſamento, porra, cape, allia, contuſa*, aut *cremata*. *pix liquida* cum *ſale fervente* ſæpius renovata, *cadmia, fimus caprar.* cum *vino* decoctus. Fomenta ex *aceto* calido, *calamintha in urina decocta, aqua marina, muria acida*, emplaſtra vehementiſſima & calidiſſima, ex *ſale*, aut *nitro, ſinapi*. Celſus *ſalſamentum* imponit: *Aetius* inquit præter opinionem facit *Theriaca Androm.* impoſita, Hodie extat *oleum de ſcorpion. compoſitum*.

Prohibetur penetratio eorum quæ cito permeant, ſtatim vinculo paulo ſupra vulnus non vehementer adſtricto, ne torpeat, *Celſus*. *Dioſcorides*, tradit in Africa meſſores paratam faſciam pice imbutam circumdare ſemel aut bis arctiſſime duobus ſtringentibus, interim locum circa faſciam ſecare, & picem inſtillare, poſtea laqueum reſolvere, & medicamenta attrahentia imponere, alioquin vinculum ſinatur, donec parentur remedia: An pro vinculo bonum eſt locum fovere & irrigare ex poſca frigidiſſima, ut virus aut extinguatur aut immobile reddatur? poſtea imponantur medicamenta attrahentia; interim ad partes ſuperiores perſeverandum cum repellentibus & adſtringentibus ex *poſca cum bolo armena*, Situs autem partis ſit declivis.

Intrinſecus *Penetrationi* reſiſtunt, quæ arcent à membris principalibus, *Terra Lemnia* in vino pota, & alia genera *terrarum* inſignium, *lapis bezoar, fragmenta pretioſa, aurum, argentum*, quæ hebetant vim veneni, *vinum meracius* potum, *lac, ſcorzonera*, Adſtringentia quædam *biſtorta, tormentilla, platani pilulæ virides, bitumen*. Quæ *diſſolvunt virus* calida, quæ diutius permanent invicta, ut *aromata, allia, porra, cape, ſalſamenta, origanum, pulegium, dictamnus cretenſis*, maxime omnium *Theriaca, mithridat.* Quod penetravit ad venas educendum per alia loca; Aliquando confert *vena ſectio* in plenitudine, *Paulus, Celſus & Avicenna*, qua parte inclinaverit; Per *Vomitum* ex *jure anſeris, clyſteres, medicamenta purgantia, hiera ex colocynth. hellebor. agar. rhabarb.* Per urinam ſudores largos; Evicto veneno, ſi relinquatur morbus, curandus ut cæteri. *Cæſalpinus cap. 33.*

2. *Venenis*

2. *Venenis Foſſilibus*) Inter res quæ ex cavernis montium oriuntur, Venenatæ ſunt omnes materiæ, ex quibus *metalla* & *mineralia* excoquuntur, & *lapides* plerique, ſive metallorum lapideæ materiæ, generali vocabulo Græcis πυρίτης nominantur, & tot ſunt Pyritum ſpecies, quot & metallorum, quæ inter ſe colore tantum differunt, aliæ enim aurei coloris, aliæ argentei, aliæ ferrei, aliæ cineritii ſunt; *Pyritem auri* Chymici Arabico vocabulo Marcaſitam vocant.

Ex hiſce lapideis materiis coquuntur omnia metallorum genera; nunquam enim in montibus purum & purum reperitur metallum, excepto *auro*, *argento* & *Mercurio*, quorum nonnunquam ſurculi puri effodiuntur.

Sunt itaque metalla ex pyrite, ſive lapideis materiis, ignis violentia excoctæ maſſæ, quæ in igne colliquantur fluidæque redduntur, ut malleis extendi ac formari poſſint; *metallorum* ſpecies ſeptem ſunt; *Aurum*, *Argentum*, *Aes* ſive *cuprum*, *Stannum*, *Ferrum*, *Plumbum*, & *Hydrargyrum*, ſive *Argentum vivum*, Ex quibus per præparationem Venenatæ fiunt materiæ, ſive res, ut ex auro & argento *Lithargyrium* & *Lazurum*, Ex ære *Aes uſtum* & *Aerugo*, ſive *as viride*; ex ferro fit *Crocus martis*, Ex plumbo *Ceruſa*, ex argento vivo *Mercurius ſublimatus & præcipitatus*: & per additionem *ſulphuris*, fit *Cinabrium* ac *Minium*.

Mineralia ſunt etiam terreſtres & lapideæ materiæ è terra & montibus erutæ, quæ etiamſi in igne diffluant, diutius tamen ignis violentiam ſuſtinere nequeunt, ſed vel aduruntur vel in aliam materiam convertuntur; & malleo extendi formarique minime poſſunt.

Mineralium præcipuæ ſpecies ſunt *ſulphur*, *antimonium*, *chalcanthum*, ſive *vitriolum*, *arſenicum*, *auripigmentum*, *alumen*, *gypſum*, *nitrum*, *borax*.

Lapides venenati qui è viſceribus terræ eruuntur: *lapis Armenius*, *Lapis Lazuli*, *lapis magnes*, *lapis calaminaris*.

Etſi autem metalla & mineralia; excepto Auro & Argento purificato, omnia ſint venenata, tum proprietate ſua, tum præparationis ac miſtionis ratione, tamen ſunt ſubjectæ materiæ artis nobiliſſimæ Chymices, cujus artificioſa operatione, & ignis moderatione, ex iiſdem rebus ſaluberrima remedia ad curandos morbos difficiliores eliciuntur &c. *Franc. Ioel. Operat. Tom. 3. pag 99.*

Genera Venenorum.

3. *Venena in ſpecie conſiderata ſunt vel*) Venenorum genera quædam à natura condita ſunt inter Metallica, inter plantas, & inter Animalia, quæ proprie Venena appellantur.

Quædam ex *putredine*, quædam in corporibus noſtris gignuntur, ut in mulieribus ex retentis menſtruis, aut ſemine, & in febre peſtilenti; reponit enim hæc *Galenus 6. loc. aff. 1.* inter venena licet non audeat ſimpliciter venena appellare, ſed quaſi venena, aut veneno ſimilia, in qualitate & viribus, quæ enim omnino putrefacta ſunt, aut exuſta, materiam adepta ſunt omnino inutilem, quæ à calore noſtro vinci nequit: Si igitur iis adjunctus ſit aliquis exceſſus primarum qualitatum, corruptiva eſſe eſt neceſſe, in quibus conſiſtit Veneni natura.

Naturalia, quæ proprie venena appellantur, in duo genera diſtribuuntur, apud *Dioſcoridem*; Pharmaca *deleteria, quæ intus aſſumpta* in cibo aut potu enecant, *Jobola*, quæ extrinſecus à virulentis beſtiis inferuntur.

Pharmaca alia *genere* deleteria ponuntur à *Galeno* (*3. ſimpl. 22.*) alia *quantitate*, *Genere*, quæ in qualibet quantitate aſſumpta mutari nequeant; aut ſi mutentur, convertuntur in putredinem corrumpentem: Omnia vero eſſe poteſtate calida in materia craſſa, erodentia & putrefacientia, quorum exempla ponuntur *dryopteris*, *pytiocampe*, *thapſia*, *ſolanum maniacum*, *hydrargyros*, *fungorum nonnulli*, *ſaliva*, & *fel venenatorum animalium*, tota eſſentia nobis contraria.

Quantitate deleteria, quæ in parva quantitate ſumpta mutari poſſunt, unde exceſſus tollitur; Omnia poteſtate frigida, ut *opium*, *mandragora*: Quædam etiam inter calida, ut *vinum merum*, *myrrha*, *ſtyrax*, *crocus*, nam in magna quantitate caput replendo enecant, Quædam igitur calida, quædam frigida, Sicca tantum, aut humida tantum, non reperiuntur in extremo ſine activis.

Sunt & heterogenea, (*2. ſimpl. c. ult.*) partim calida, partim frigida, *hyoſcyamus*, *cicuta*; nam frigiditas ſoporem inducit, caliditas dementiam.

Secundis qualitatibus enecant, *gypſum* indurando; *ceruſſa* occludendo; *hæmorrhois* oſcula venarum occludendo, Caput replendo ut valde odorata, ſtrangulando, ut *fungi*, convulſionem inducendo, ſuperpurgando, at non ſine primis qualitatibus: *Jobola* autem quædam ab æſtu beſtiarum virus ejaculantium inferuntur.

Quædam artificio telis veneno imbutis parantur, quale apud antiquos *Toxicum* appellatum, quia *toxa*, i. e. ſagittæ, eo imbuerentur, unde vulnera lethalia infligerentur.

Celſus inquit, venenum ſerpentum, & quædam venatoria non guſtu ſed in vulnere nocent, Idem in multis aliis videmus carnes enim *paſtinacæ marinæ*, *ſcorpii*, *draconis*, eſui aptæ, ictus autem venenatus, An virus in vulnere in venas, arterias & nervos ſtatim ingreditur, comeſta caro in ventriculo concoquitur, & ſi quod virus ineſt cum excrementis ſtatim egreditur? Ob hanc cauſam ictus ferarum citius interimunt, quam venena aſſumpta, nam in vulnere ſincerum ſtatim ingreditur.

Sunt quæ repente interimunt, ut *Aſpidum* genera: Horum tempera mentum magna ex parte frigidum eſſe teſtatur *Celſus*, frigore enecare, congelare humorem intus, Conſentit & *Dioſcorides*, ſanguinem congelari in arteriis ex ictu *ceraſtes*, *aſpidis*, *baſiliſci*, ut ex *ſanguine tauri* hauſto, Et hodie videmus in iis qui ex *opii* potione intereunt, ſanguinem refrigeratum in corde congelatum; An grumi ſanguinis in magnis vulneribus in ventre collecti idem præſtant, graviſſima enim ſymptomata inducunt inſtar veneni, Verum extinctio caloris innati non ſolum à frigore, ſed & à calore fit, ac citius à calore; Huic videtur conſentire S.S. immiſſos eſſe in populum ignitos ſerpentes, & in deſerto eſſe ſcorpiones & ſerpentes qui igneo ſpiritu enecat, Ex ſymptomatis autem in ſingulis temperamentum colligi poteſt.

Differunt præterea Venena pro varia eorum analogia, quæ oritur à tota ſubſtantia, Nam quædam ſpiritus magis afficiunt; quædam partes ſolidas, ut venas, arterias, nervos, cor, cerebrum, hepar, renes, &c.

Quæ ſpiritus afficiunt, in ſpirituoſa magis ſubſtantia ſita ſunt, ut aër peſtilens, fœtores, *Dryini* odor, Spiritum venenoſum projici ab oculis *baſiliſci* putandum eſt, Ex aculeo *ſcorpionis* intromitti ſpiritum quendam, ait *Galen. 6. loc. aff. 2.* Ex *torpedine* vivente etiam per tridentem communicari auram quandam manui piſcatoris, unde torpeſcat: *Baſiliſcus* etiam mortuus quodcunque animal ipſum tangens ſubito interimit; quod nonniſi à ſpirituoſa ſubſtantia ſpiritum corrumpente fieri putandum eſt. Sed ſpirituoſa hæc ſubſtantia magis ex vivente animali effluit, quam ex mortuo, ideo Baſiliſci intuitus enecat, & ſibilus, nam aura tabifica & ex oculis & ex ore ſibilante erumpit.

At quomodo in ſubſtantia adeo tenui, qualis eſt ſpiritus, adſit deletaria vis? Oſtenſum enim deleteria in ſubſtantia craſſa conſiſtere, quia qualitates in ea diutius perſiſtunt, & efficacius imprimunt, at ſpiritus ob tenuitatem facilius mutantur, & evaneſcunt. An ſpiritus de natura corporis, unde exeunt, participant? citius autem operantur quia citiſſime pervadunt, in profundum corporis cujuſcunque; natura autem veneni eſt ob exceſſura omnia vincere, & in ſe ipſum convertere: Quamvis igitur ſpiritus facile evaneſcant, celerrimè tamen imprimunt ſuam qualitatem priuſquam evaneſçant, præcipue in ſpiritus ob affinitatem.

Quædam *ſanguinem* inficiunt, in quæ enim *Galen. lib. de Th. to. vetus ſermo eſt animalia quædam ubi mordendum ſanguinem humanum ex vulnere manantem contigerint, commorſos occidere, alioqui ſervari*; Viperæ morſus, & ejus fel ſanguinem in flavam bilem convertit, unde color arquatus oſtenditur, In etiam bilem ex ictu muſaranei, paſtinacæ marinæ, potu ſalamandræ: In aquam ſpecie hydropis, ex ictu cenchri; Inflatam, unde inflatio, ex hauſtu ranæ rabetæ.

Quædam *nervos* afficiunt, convulſionem & tremores inducentia, ut ictus phalangii; Quædam *venas* aperiunt, unde fit ſanguinis effuſio, ut ictus *hæmorrhoi*.

Quædam *caput* tentant, excitantia vertigines, ſopores, deliria, ut *opium, hyoſcyamus, ſolanum &c. Ventriculum* offendunt *gypſum*, fungi *Renes & veſicam cantharis, pulmonem, lepus marinus & alias partes*. Cæſalpinus *cap. 3. & 4.*

3. *Venena in ſpecie conſiderata ſunt, vel Foſſilia, &c.*) Alia ſunt *Vegetabilia*. ut *Aconitum, cicuta, Napellus &c.* Alia *Animalia*, ſive toto, ſive partibus ſaltem, ut *ſcorpius, vipera*, quorſum & *caudam cervinam* quidam referunt, Alia *mineralia*, ut *Arſenium, Mercurius ſublimatus, cobaltum*, Adeoque pauca quidem nota ſunt venena, reliqua tamen, cum magis & minus non varient ſpeciem, itidem huc referenda: Nondum innotuit, vel publicatum eſt Venenum quo in Gallia hactenus tot cædes patratæ occultæ, *Poudre de ſucceſſion* vocant, in Pulveris forma, licet ſint qui carnes infantum ex utero materno exciſorum (horrendum dictu) cum aſpidibus aliiſque confermentatas nominent. *Wedelius ib. p. 313.*

3. *Venena in ſpecie conſiderata*) Duo monita circa hæc attendemus, facta duplici diviſione, Aut enim 1. venena ſunt incognita, aut nota; 2. Aut mineralia, aut animalia, aut vegetabilia; Incognita ſi fuerint, duobus effectibus, facile tamen dignoſcendis, ſi vel agendi modum intueamur, an Ardore circa ventriculum ſint infamia, an vitalia magis petant; an ſtuporem vel quaſi inducant turbulentum, Lex generalis in ſcholis Medicis obtinet, ut communi potius expulſivo, vel defenſivo utamur quam nullo; Notis vero ſua quibuſvis opponenda remedia, debita qualitati exceſſivæ & corpori vim inferenti: *Wedelius.*

3. *Venena in ſpecie conſiderata*) Venena in ſpecie ita dicta â nonnullis dividuntur in venena, quæ naturâ ſuâ ſunt talia. ut *Napellus, Cicuta* & ſimilia, quæ etſi homini venena ſint, tamen res ipſæ quibus inſunt, rerum naturalium ſpecies ſunt, & a Deo creatæ per ſe bonæ & ad mundi perfectionem abſoluendam & complendam pertinent. habentque ipſæ proculdubio etiam utiles nobis vires (ut de vipera nihil dicamus) ſed in hac humanæ imbecillitate nobis ignotæ ſunt.

Deinde in venena quæ quidem naturâ ſuâ talia non ſunt, ſed cùm putreſcunt & corrumpuntur, ut *Carnes & piſces putrefacti*. *Tertiò* in ea, quæ arte talia fiunt, Vt *Mercurius ſublimatus, aqua fortis* & ſimilia. *Sennertus Pr. Pr. l. 6. p. 5. c. 2.*

Venena in ſpecie ſic dicta dividuntur ratione originis & corporum quibus inſunt, ut alia ſint in *mineralium & metallorum* genere, ut *arſenicum* & ſimilia: quædam è *plantis*, ut *Cicuta, napellus*: quædam ex *animalibus*, ut *Vipera, Scorpius*, & ita venena omnia è *mineralium, plantarum & animalium* claſſe petuntur.

4. *Vel Foſſilia,*) Non temere credendum ut de venenis, ſic de antidotis quoque ſcribentibus, unde vaſtitas maxima & confuſio cum ignorantia enata ſunt: Inprimis ergo ad triplicia venena, triplex erit antidotorum ratio, & quidem *Venenis mineralibus* generalem præbent antidotum *quæcunque corroſivitati ſunt oppoſita*, adæquate *Vomitoria*, quæ exturbando mature operationem illorum ſufflaminant, & impediunt ſtatim: Oppoſita Corroſivitati duo laudantur & celebria ſunt, 1. *Pinguia*, quibus inviſcari & obtundi particulæ acres, ſalinæ, quibus & oblini parietes ventriculi poſſunt, itaque defendi ac muniri, v. g. *oleum amygd. dulc. butyrum*, hoc præſervative, illud curative: Hinc tum ad operationes metallicas commendatur panis butyro illitus, ut ſumatur priuſquam labores ineantur, tum ad chimicas quoque antimoniatas, aliaſque idem multis conſuetum eſt. 2. *Præcipitantia* & acorem corroſivum infringentia, quo nomine Cryſtallus â *Sennerto* aliiſque, tanquam unica & præcipua antidotus, contra *Mercurium ſublimatum* & *arſenicum*, quæ inſtar omnium ſunt, ut & contra *Aquam fortem* laudatur: Sin alia quoque metallica venenoſa qualitas, velut extraordinaria vel comitans, ſit corrigenda, itidem hæc præſidia habent locum, non neglectis tamen tunc univerſalibus quoque antidotis, quando in alteram claſſem communem quaſi fermentativorum ſecedunt, vel potius accidentario, ſeu ſecundario conjunctam habent, Reliqua hujus claſſis, pro ſpeciali noxa qua agunt in corpus, etiam ſpecialia habent antidota, quod in reliquis quoque locum habet regnis. *Wedelius.*

5. *Foſſilium præcipua*) Venena mineralia, Mercurium ſublimatum & arſenicum, ejuſque ſpecies agunt ſola potiſſimum corroſivitate: Hæc ipſa necroſin, νέκρωσις ſanguinis & ſeri deſtructionem inducit, ſecundario quoque fermentatione peregrina & ſpirituum turbatione conſequente; Hinc ſi ſtatim removentur, delicatior Archei ſenſu & robore, non nocent; Hinc in ventriculum plenum, vel pinguibus præſumptis ingeſta, minus necant; faciliori vomitu conſequente, & acrimonia obtuſa, Hinc qui mortui ſunt ab horum uſu, ſive incauto, ſive malitioſo, ventriculum & inteſtina ſphacelata & eroſa exhibuerunt, quod ipſi in cane obſervavimus, Par ratio eſt *aquæ fortis, butyri antimonii &c.* Patet id ipſum quoque ex analyſi *antimonii ſublimati*, neque enim Mercurius vivus, nec ſal, nec nitrum, nec vitriolum, quibuſcum ſublimatur, eſt venenum, ſed ſola textura inde emergens, qua iterum immutata, per additionem Mercurii vivi & ſublimationem, in Mercurio dulci, eadem quoque venenoſitas emoritur; Neque mirandum eſt hinc ardorem ſtomachi, convulſiones, livores, tumores & alia ſymptomata ab hac oriri; Sic & corroſivitate, & cauſtica vi ablata, innoxium eſt, vel ſolius magnetis arſenicalis exemplo. *Wedelius.*

6. *Sunt ſequentia*) Ex *Metallis* venenatæ res ſunt, *Auri ſpuma* vel *Lithargyrium*, *Laſurinus color* ex argento, *Ærugo* ex cupro, *Scoria ferri*, *Plumbum uſtum, minium ex plumbo*, *Mercurius præcipitatur ex argento vivo*; *Argenti ſpuma*, *Aës uſtum* ex cupro; *Crocus martis* ex ferro, *Ceruſſa uſta* ex plumbo, *Mercurius ſublimatus* ex argento vivo, *Cinabrium* ex argento vivo & ſulphure.

Mineralia venenata ſunt.

Sulphur. Arſenicum, Nitrum, Gypſum, Antimonium, Auripigmentum, Sal armoniacum, vitriolum, Alumen, Borax.

Lapides

Lapides Venenati.

Lapides *Armenus*, *Lazuli*, *Magnes*, *Calaminaris.* Joel.

7. *Aqua Fortis*) Ὕδωρ βίαιον, *Aqua fortis* & violenta, quæ à Chymicis *Aqua Regia*, ſive *Regalis*, & *aqua ſeparationis*, quod per eam impura à puris ſeparentur, adeo violenta eſt, ut omne metallum in eam conjectum in liquorem reſolvat, ideo Chimici ſua remedia mediante aqua forti & calcinatione præparant.

Hac *aqua forti* varia præparari poſſunt ex metallis remedia, quæ ſane intra corpus non temere ſunt exhibenda, niſi prius per crebras calcinationes & ablutiones omnis venenata qualitas ab iis ſit abſtracta & ſeparata, Si quis enim non exacte à veneno ſeparatum remedium Chimicum, ſive ſit ex Auro, ſive Argento, ſive ex Mercurio, aut Aquam fortem per ſe exhibuerit, infert corporibus pernitioſa & immedicabilia ſymptomata, quæ de Mercurio ſublimato commemorata ſunt.

Statim enim violenta ſua penetrandi vi, inſtar ignis, ventriculi, inteſtinorum, fauciumque & linguæ tunicas erodit, corrumpit & putrefacit. *Fr. Joel.*

Helmont. lib. de Febr. §. 119. & 120. dum palpitationi Cordis artiſtas, uti loquitur, diu multumque circa *aquas fortes* occupatos eſſe obnoxios ſcribit, in aciditate ejus *vaporalem*, quam *tr. de lithiaſi* ponticam vocat corporis penitiſſima pervadentem, non immerito cauſam rejicit: Unde etiam *Cl. Pechlinus Tr. de Purgant. c. 23. aquas* ceu vocant, *Fortes*, quarum virtus lethalibus infamata ſit exemplis, non veneni forma, ſed igneis ſolum penetrantiſſimis ſalium ſpiculis agere, i.e. ventris erodere venas, horrendaque excitare ſymptomata oſtendit, cum acrimonia hac per ſpiritus alicujus volatilis conjugium demitigata, tolerari ea in corpore poſſint, vicemque ſuſtinere medicaminis, qua ratione etiam *nitri ſpiritum* vix ab *aqua forti* diverſum, ſi *nitro fixo* committatur; corroſivam vim deponere, & citra noxam intus adſumi poſſe. Illuſtr. *Rob. Boyleus in Tent. circa partes vit.* admonet, ſive in nitrum ſine corroſionis metu propinandum, abire; Imo *Sennertus. Aquas ſtygias*, quicquid præſtant corroſione facere, enuntiat. *J. Ludov. Hannemannus med. Sept. p. 374.*

Narravit mihi Chirurgus Pariſienſis fide dignus, ſe propriis oculis vidiſſe Chirurgum Sedanenſem, per errorem *Aquam fortem* bibiſſe, unde non mortuus eſt, ſed tota membra ita contracta & corrugata fuerunt, ut qui antea juſti viri ſtaturam habuerat, nunc vix Pygmæi vel ſeptennis pueri obtineat, Etſi autem tendines, nervi & cartilagines in acido facile corrugantur, mirum tamen duriſſima oſſa, & in illa ætate ſolidiſſima ſic coarctari & nodoſa evadere potuiſſe. *Matthaus Jacobai Med. Sept. vol. 2. p. 374.*

8. *Cujus vis*) Si quis curationem tentare voluerit, per ea remedia curatio poteſt fieri, quæ de *Mercurio ſublimato* propoſita ſunt. *Joel.*

Quædam ancilla incidit in *vitrum aqua forti* plenum, arbitrata eſſe vinum aduſtum; haurit, dolores in ventre ſentiens, ſuperinfundit *aquam frigidam* & evaſit.

Cæterum contra ejuſmodi hauſtum Medici commendant oleoſa, pinguia, & mucilaginoſa; *Ol. amygd. d.* largiter hauſto Ruſticus apud Aurifabrum *aquam fortem* pro vini ſpiritu bibens, fuit reſtitutus.

D. Cornelius Stalpart. obſerv. 44. Multa curioſa congeſſit circa hunc caſum & oleum 1. poſtea eo vomitu rejecto *ſyrup. violar.* cum *mucilag. ſemin. cydon.* præſcribit, non ſine ſucceſſu; Citat etiam *D. Conſſaum*, qui commendat *oleum rapar.* & linctum ex *mucag. ſem. cydon. alth. & tragac. cum aqu. roſ. extracta, melle roſar. & ſyr. violar.*

Sennertus aquas ſtygias quicquid præſtant corroſione facere ſtatuit; Ob hanc quia gravia inducunt ſymptomata, qua ratione ſit occurrendum ut oſtendatur, neceſſum eſſe judicat, & lenientia ea propter ac viſcida, quæ partes internas à corroſione muniant, ſimulque calori reſiſtant, commendat; quæ inter *mucilago ſemin. cydon. tragac. &c.* Magnam utilitatem præſtat. Quam ipſam medendi rationem obſervarunt *Phil. Hoecſtetterus Dec. 3. c. 3. Foreſtus l. 15. obſ. 30.* Ita in præſenti caſu *aqua fontana*, diſgregando corroſivas aquæ ſtygiæ particulas, & ita violentam earum actionem infringendo, prodeſſe potuit. *Hannemannus ibid.*

7. *Aqua Fortis*) Puero qui *aquam fortem* ebiberat, Medicus exhibuit *mucilaginem cydonior*, & puer præter opinionem multorum evaſit. *Foreſtus l 16. obſ. 99.*

8. *Cujus vis &c. infringitur*) Valet quoque *Cryſtallus*, quo de exemplum habet Hoërius, & nos obſervavimus, & curavimus quoque ſtudioſum, qui Aquam fortem loco ſpiritus vini hauſerat, 1. dato pulvere *cryſtalli præparata.* 2. Emulſione temperante, 3. Juſculo avenaceo &c. *Wedelius Am. m. m. p. 339.*

9. *Infringitur*) Efficax eſt ecclegma ex *mucilagin. ſemin. cydonior. althea*, & gummi *tragacanth.* aquâ roſarum extracta, ac melle roſato & violato paratum. *Sennertus* Pract. lib. vj. Part. vj. cap. vij.

II. 10. *Antimonium*, cujus antidotum eſt bolus Armenus, cum *Oleo Caryophyllorum* & pauxillo *vini* exhibitus. Ne vaporibus dum in igne tractatur lædat, *butyrum cum ruta* comedendum eſt, vel *aqua Zedoariæ* bibenda.

III. 11. *Lapis Lazuli*, qui ſi vel malè præparatus, vel in majore quantitate ſumatur, vomitu ejici debet, & hauſtu lactis tepidi, aſinini præcipuè temperari.

10. *Antimonium*) Operæ pretium eſt luſtrare Elementa Antimonii, ut hinc pateat quo jure nonnulli inter venena nocentiſſima referant Antimoniata, non tantum emetica, ſed promiſcue alia quoque univerſa: Duo ſane ſunt præcipua ſtamina ejuſdem, *ſulphur*, & partes *metallicæ*, ipſo ſenſu & proceſſibus plurimis teſtantibus; *Sulphur* odore ſe ſtatim prodit, ſimulac igni exponitur diſperſum, ut in vitro Antimonii viſui manifeſtum fit, eadem operatione ardet enim, ut non minus totum quaſi antimonium in ſulphur vertitur; ſeu menſtruis lixivioſis quibuſvis & propriis coctione, ſolutione & præcipitatione per acida elicere libuerit; ſive per acida, ſpir. nitri, vitrioli, quod *Helmontius*, *Williſius* & alii præſtant, utroque modo, licet diverſo reſpectu, ſeparatione facta, priori aſſimilando, obſequentibus ſimul partibus metallicis propulſo ſulphuri, altero ſeparando partes metallicas magis: *Partes* vero *metallicæ* in regulo viſuntur, non ſolum ſeparatione facta majori & primaria cum nitro & tartaro, verum etiam leviori infuſione ipſius antimonii; vitri hyacinthini quandoque, & ipſius punicei; vidimus enim in ſingulis ſeparatos globulos metallicos regulinos &c. *Secundaria & implicita paſſiva elementa* in antimonio, ſunt *partes aqueæ & terreæ*, quarum illæ aufugiunt facile, hæ immutantur facile, determinatæ pro imperio & fortuna ſeu mutatione dictarum activarum: *Secundaria & implicita media* ſunt *partes acida & Mercuriales*, acidæ quidem latitantes in ſulphure, neque

prius evolutæ quam in gas vertatur idem; Mercuriales vero latitantes & immerſæ in partibus metallicis; utræque ſimul ſalinæ, illæ fixæ, hæ volatiles, unde ſal antimonii ligans elementa reliqua æſtimandum eſt, mirum quantum variante tranſpoſitione, immutatione & mixtione particularum, prout ſcilicet tractantem inveniant: Acidæ, non minus ac ſulphureæ, ſenſu patent, ex inverſa natura ejuſdem, velut phœnix alius è cineribus natus: Mercuriales altioris ſunt indaginis, utut vero mire ludant, acquiri tamen & oſtendi poſſunt, partim ex toto, facta ſublimatione artificioſa, pluribus aludel propagata, ut volatile à fixo ſecedat, ſaltem ad probationem ejuſdem; partim ex partibus metallicis, qui modus in ſecreto habetur; Quin imo non deſunt qui regulum Antimonii nomine Mercurii ejuſdem, ut non dicam Philoſophorum, dignantur; Quin ponamus non à priori, non ad oculum quaſi hunc demonſtrari poſſe, eſſe non ens Chimicum, quod aliis placet, ſatis tamen fuerit à poſteriori, per effectus, per φαινόμενα & affectiones varias eundem demonſtrari poſſe; Non enim ſequitur rotunda & volubili æque forma eundem debere in theatrum prodire.

Arſenicales vero partes ineſſe Antimonio, injuria eſt ſeu Chimiſtarum, ſeu qui labori philoſophico idem deſtinant, Calumnia inquam eſt, quæ tamen viros magni nominis vel hodienum deterret, ut non audeant interius eo uti ullo modo: Arſenico autem carere antimonium patet. 1. quod concluſo igne deſtillatum in clyſſum, Salubertimum conſtituat remedium, cæteroque ſine dubio, nec nitri quidem antidoto obſtante liquorem inquinaturum: 2. Quod ipſum antimonium ſit potius antidotum arſenici, exemplo magnetis arſenicalis, qui ex antimonio, ſulphure & nitro conficitur, ita ut venenum omne miteſcat, & juxta quoſdam innoxie hinc aſſumi poſſit intra corpus, ſaltem brutorum, quorum fere nullum tam firmum eſt, & idioſyncraſia præ homine gaudens, ut ab arſenico aſſumpto, ſ. q. quodlibet non moriatur. Univerſale enim eſt venenum arſenicum omnium animantium, 3. Quod ipſa antimoniata, qua talia, nullam cuti vel carni corroſionem inferant, quod proprium eſt arſenicalium, 4. Quod quicunque ab antimoniatis mortui ſcribuntur, vel obſervari ſunt, nulla veneni aſſumpti, in ſpecie arſenicali; phænomena in corpore oſtenderint, &c. *Wedelius A. m. m. p. 302.*

10. *Antimonium*) Quod crudum, in fruſta majuſcula contuſum, & ab omni polline aqua frigida elotum, zvvelferus utiliter ſe cum aliis in aqua decoquendis permiſcuiſſe ad maſſam ſanguineam, lue Venerea, ſcabie fœda, aut ulceribus dyſepulotis affectorum emendandam decoctum epotum, nec minimas turbas ſed ſudores proficuos excitaſſe ſæpius mihi retulit. Id quoque Chirurgus quidam noſtras ſine noxa tentavit; quod tamen propter purgantia addita quendam cephalæa venerea affectum, in minori dozi propinatum nuper valide deorſum purgavit.

Alias eundem in pollinem redactum vehementiſſimis vomitus concitat, Novi Empiricum qui ex *antimonio crudo* paucis aromatibus & ſaccharo in aqua cinnamomi ſoluto Tabellas conficiebat, quarum unam alteramve ruſticis, aliiſve robuſtioribus ad vomitum ciendum in febribus intermittentibus, aliiſque affectibus vomitum poſcentibus non raro bono cum ſucceſſu dedit, Nam non minus quam *crocus metallorum*, *hepar*, *vitrum*, *aut flores* antimonii ventriculum ad inverſum motum ineundum ſtimulavit, Quantopere *crocus metallorum*, *flores albi & flavi*, ac *vitrum antimonii* ventriculum affligant, & ſæpe tantum non totam œconomiam corporis evertant, nemo non novit, maxime ſi intempeſtive & illegitime exhibeantur, Econtra ex eodem plura ſalutifera parantur, *Stomachicum Poterii* ventriculo gratiſſimum, Ejuſdem *Antihecticum*, etiam phthiſicis cum humectantibus & traumaticis utile, *Antimonium diaphoreticum*, primarium nobis in febribus malignis nunc graſſantibus cum aliis præſidium, ut taceam *cinnabarin Antimonii*, *Tincturas ejus* aliaque ſecretoria. *VVepferus Tr. de Cicuta aqu. p. 271.*

10. *Antimonium*) Anno 1566. Facultas Medica Pariſienſis (*Quercetano* infenſa) publico decreto ſancivit *Infuſa antimonialia in vino* eſſe eliminanda, quia Venenoſa & corpori humano exitialia forent; Hoc Decretum à Parlamento confirmandum curavit; Poſt ſeculum vero, anno 1666. mutavit iterum ſententiam, dicendo vina antimonialia eſſe tuta. *Vide Ephem. Gallicas.*

10. *Antimonium*) Habet *ſulphur* copioſiſſimum, *Mercurium* multum, *Sal* minimum. Sulphur duplex reperitur, *crudum* ùnum, alterum vero in terra magis excoctum, quod revera participat de *ſulphure ſolari.* Quod autem ſulphur copioſum ſit in antimonio, hinc patet quia ſulphur vivum extrahi poteſt? Pars *Mercurialis* apparet in *regulo*, qui finitimus naturæ Saturninæ, unde modo addatur ſalis ſufficiens quantitas, tranſmutari poteſt in perfectum Saturnum.

Varia inde præparata habentur, *crudum* enim *antimonium* nihil valet; ſed eadem ratione dejicitur ac aſſumitur, Conſiderentur autem ejus ſulphura, *fixius ſolare*, *& vel crudum*: hæc duo pertinaciter adhærent *antimonio*, & non poſſunt ſeparari niſi per alkalia, Et in his ipſis *partibus ſulphureis volatilibus conſiſtit vis maligna* & *venenoſa antimonii*; hinc & vis ejus *vomitiva*, In *fixiori* vero *ſulphure auri* vis eſt analeptica & ſudorifera. Obſervetur ergo quod *remedia antimonialia* in volatilitate ſua ſint maligna. *Etmuller comm. Schr. p. 54.*

10. *Antimonium*) *Antimonium* intempeſtive vel non rite præparatum intra corpus aſſumptum laborioſiſſimas & vomitiones & alvi dejectiones cum ſumma anguſtia infert.

Cujus antidotus eſt) Hiſce ſymptomatibus remedio ſunt *vini potio*, in quo *caryophyll. contuſi* & maſticho ſunt incocta, Similiter & *cortices arantiorum conditi*, aut *cydonia condita*, ſæpe eſitata, Conferunt quoque ſuavia odoramenta cerebrum corque corroborantia. *Antidotus* ſunt *gutt.* iv. *ol. caryophyll.* cum *pauxillo vini aſſumpta & ʒii Theriacæ Androm.* aut Pulvis hic.

℞. *Pulv. caryoph. maſtich. c. c. uſti* āā. ℈i. f. Pulvis tenuiſſimus, qui cum *ſucco cydoniorum* exhibeatur; Extrinſecus vero plurimum confert applicuiſſe ventriculo *Empl. de cruſta panis* aut *lamina panis ſiliginei toſta & cum vino Cretico aut alio generoſo* conſperſa. *Fr. Joel.*

11. *Lapis Lazuli.*

Λίθος κυάνεος, Lapis cæruleus, Officinę, Lapis Lazuli, ex quo non ſecus ac ex *Argento* (ut ſupra oſtenſum, cæruleus color Pictorum conficitur; Hic probe & multum elotus in officinis aliis medicamentis, ac potiſſimum *pilulis è lapide lazuli* vocatis commiſcetur; Crudus autem, non elotus, ſi intra corpus aſſumatur ſymptomata infert, cruciatum & ſubverſionem ventriculi, tormina inteſtinorum, anxietatem, & vomitionem, & ſiniſtri hypochondrii dolorem, Erodit enim & putrefacit ſua proprietate.

Horum ſymptomatum curationem præcedat vomitio cum hauſtu aquæ tepidæ, aut cum aquæ juniperi per deſ: deſtillatæ; Dein ſubducatur alvus per clyſterem ex decocto *malvæ, hordei, & violar.* cui *pulpa caſſiæ & ol. roſac. eſt* commixtum, Confert & crebra potatio *lactis caprilli tepidi, & eſitatio recentis butyri, & crem. ptiſanæ hordei, Antidotum* ejus eſt Pulvis ex *ſuccino albiſſimo* & *corallo rubro præp.* āā. ʒß. *cum* vino aſſumptus. *Fr. Joel.*

Lapis

Lapis Armenus.

Lapis Lazuli, & *Lapis Armenus* in iiſdem fodinis *argenti* & in eadem gleba eruta promiſcue reperiuntur & nec viribus aut efficacia admodum inter ſe differunt, niſi colore & ſubſtantiæ denſitate; colore enim lapis lazuli cęruleus eſt, *Armenius* æruginis colorem ex cæruleo vireſcentem habet, eſtque friabilior; per crebras ablutiones præparatur, ut *lapis lazuli*, & à ℈i. ad ʒi. exhibetur in melancholica colluvie, teſte *Tralliano*. Non præparatus autem ſi intra corpus ingeratur, eadem infert ſymptomata quæ *Lazuli*, & iiſdem curari poteſt remediis. *Joel.*

Lapis Magnes.

Λίθος μαγνήτης, ἢ σιδήρειος, lapis *magnes* aut *ferreus*; alias *Herculeus*. Si intra corpus aſſumptus id tantum ſymptoma infert ut rationem perturbet, & melancholicam inſaniam excitet.

Curatio ejus ſymptomatis eſt matura evomitio aſſumpti, hauſtis *aqua juniperi deſtill.* ℥v. aut aſſumptis gr. iij. *vitri antim. cum conſerv. roriſmar.* ʒi. Confert deinde alvum *clyſtere ex decocto malvæ, althææ beton. ſcord. & melilot.* parato cum *hiera ſimpl. & oleo amygd. d.* ſubducere, aut inteſtina evacuare *pulpa caſſiæ.*

Antidorum Veneni *Magnetis* ſunt ʒij. *Theriac. Androm.* aut Pulver. ſequ. ʒi.

℞. *Auri puriſſ. deraſi* ℈i. *unicornu*, aut *ex cervi circa calendas Sept. capti corall. rub. præp.* ā ā, ℈i. M. f. Pulvis cum vino exhibendus. *Fr. Joel.*

IV. [12] *Arſenicum*, [13] *Auripigmentum*, [14] *Sandaracha*, quæ interdum & odoratu inficiunt. [15] Specifica eorum ſunt, Cryſtallus foſſilis pulverizatus, & dr.j. pondere cum oleo amygd. dulcium recenti potus: & oleum è nucleis pini dr.iij. pondere exhibitum.

V. [16] Æs [17] *uſtum*, [18] *Squama æris, Flos æris*, [19] *Ærugo*, [20] quæ infringuntur à pinguedine ovillà in juſculo ſumpta: enecantur à bolo Armeno cum hydromelite exhibito.

VI. [21] *Scoria* [22] *ferri &* [23] *ferrugo.* cujus antidotum *Magnes* dr.j. pondere in pilulas cum ſucco mercurialis conformatus eſſe putatur.

VII. [24] *Plumbum*, cui grana cydoniorum excorticata, trita, & dr. ij. pondere cum vino dulci exhibita, opponuntur.

VIII. [25] *Argentum vivum*, [26] cujus [27] fumo recepto hauſtu vini, in quo Cephalica quædam decocta ſunt, obviam itur. [28] Sublimato *oleum Tartari vel ſal Abſinthii* reſiſtit.

Arſenicum.

[12] *Arſenicum*) Arſenicum mineralibus imperfectioribus accenſetur; verum quia nec aurum, nec argentum aliudve minerale fixius eſt, quoniam eſt creatura ſui generis, à Creatore O.M. ad univerſi complementum producta omniaque obtinet & pertinaciter ſervat quæ ei in prima rerum omnium creatione concredita fuerunt, male videtur imperfectionis alicujus incuſari &c. Eſt quidem factitium, atque ex ſublimatione cum ſale communi, *cryſtallini* nomen adipiſcitur, originem tamen ſuam debet *Sandarachæ* & *auripigmento*, & quicquid poſſidet, illis maximam partem debet: Hæc ſulphureæ naturæ eſſe experimentis comperi; indita tigillo, aut cochleari ignito, primo emittebant fumum album, mox rutbidum & ſubflavum, tandem flammam conceperunt, inſtar ceræ liquefactæ fluxerunt, cultri laminam obduxerunt denſe flores albi lutei, rubri, iridem quandam referentes &c. continuato igne omne auripigmentum & Sandaracha evanuit, relictis in fundo arena & lapillis prorſus inſipidis: *Arſenicum* itidem cochleari & tigillo inditum totum evanuit; adeo ut nec veſtigium ejus in fundo ſupereſſet, laminam cultri floribus albis, denſis, obduxit, & utcunque denſiſſimus fumus confertim exturgeret, nunquam tamen flammam concepit, unde ſulphuris expers ego & D.D. *Henricus Screta* credidimus, ac credidimus quicquid hujus habuerit in ſublimatione cum ſale amiſiſſe, D. J. *Kunckelius in Obſ. chym.* Arſenicum ſulphureum eſſe negat, & quia nullam flammam concipit, & præcipue quia aqua forti ſolvitur, illud non ſine rationibus Mercurio adnumerat: &c.

Arſenicum male audit apud metallarios, & Alchymiſtas, eſt ipſis fulgur, prædo & metallorum ſterquilinium, deteſtāribꝰ illud plurimis Medicis & Chirurgis, adeo ut facile illo Pharmacopolia carere poſſet. Extat quidem *Decoctum arſenicale febrifugum* præſentiſſimum, at nollem illius deſcriptionem publici juris fieri, ne imperitis aut temerariis nocendi anſa daretur; Commendantur pulveres, olea & liquores ex Arſenico parati, contra cancros, ulcera ſerpentia, fiſtulas, excreſcentias carneas & ſimilia vitia Et quamvis norim cancro mammarum liquorem arſenicalem illitum, & pulverem cancro inguinum inſperſum nullam leipothymiam, cordis anxietatem, ſimiliaque ſymptomata excitaſſe, ſecus ac *Hildanus c.6.O.79.80.81.* obſervavit, nihilominus vix in his affectibus ad pręſidia arſenicalia properarem cum peſſima ſymptomata tum in ſano amuleti vice geſtarum, apud *Verzaſcham*, tum in puella, apud *Harderum* foris illitum pepererit; In cancroſis nôn graviora quidem ſymptomata aliquando excitavit, quia copioſus ichor vim illius infregit, & caro illa cancroſa denſior vim ulterius ſerpere prohibuit, at (*ſublatis his impedimentis*) particulæ facile à venis reſorptæ & ſanguini permixtæ graves tumultus concitarunt. Quid in aliis ulceribus fiſtulis, cancroſis affectibus Arſenicum effecerit, nolo huc omnia congerere, interea me ab illius uſu abhorrere ingenue fateor, quantumcunque Arſenicum neſcio quomodo fixatum deprædicetur: &c.

Iſtud ſatis mirari non poſſum quod quidam Arſenicum venenum negare auſint, cum in parva quantitate brevi tempore ſuggeſtum enecat, non ſine ſæviſſimis ſymptomatibus, niſi mature evomatur, aut virulentia ejus citiſſime retundatur.

Arſenicum intra ventriculum admiſſum virulentiam ſuam primum exerit pungendo, vellicando, irritando; unde vomitus & anxietas, cum ſudoris frigidi expreſſione oriuntur *Kunckelius* Arſenicum vomitum per ſe ciere aſſerit, nam cani ſcrupulum dedit, quod vomitum egregie movit, illeque nihil ulterius paſſus eſt, quod forte pinguibus tribuendum, quibus ipſi poſtea ſuccurrit.

Idem ſtatuit Arſenicum gradu uno in corrodendo inferius *Mercurio* exiſtere, unde facilius quam Mercurius ſublimatus è corpore eliminari poſſit &c. Si membranam nerveam vētriculi & inteſtinorum irritare, aut fortius vellicare perrexerit, efficit tormina, cordis palpitationē, leipothymias, ſyncopes, frigus extremorum: Pręſide ſyſtematis nervoſi in conſenſum pellecto, ſuperveniūt convulſiones: Si Arſenici ſpicula prope ignea perruperint tunicā cruſtaceam linguæ, apparent Aphthæ In ventriculo ulcera, maxime ſi tranſeant ad membranam nerveam: Si fibrillas nerveas & vaſa capillaria

adurat, abrumpat, aut nimium ſiccet, ut ſanguinis refluxus aut affluxus impediatur, ſuperveniunt vomitus & dejectiones nigræ, fœtidæ, cadaveroſæ, ingens ardor & ſitis, ſingultus, ab eroſione vaſorum, inflammatione & gangræna aut ſphacelo prædictarum partium, quæ conſequitur mors violenta.

Nullus dubito quoque quin Arſenici particulæ à fermento ſtomachi & inteſtinorum imbibitæ ſanguini permiſceantur, quæ ſymptomata plurimum augent, ac magis pernicioſa faciunt; dum ſanguinem accendunt, ſpiritus depopulantur, Nam Arſenicum omnino aliquid ſalini continet, præterea admodum volatile eſt, unde facile aliquæ particulæ ab illo caloris noſtri efficacia, accedente humore quodam intermedio, ſeu è cute excoriata ſtillante, ſeu è poris ejus exſudante, abripi ac ſanguini refluo immiſceri poſſunt, *Wepferus Tr. de Cicut. aq. p. 292. & ſequ.*

12. *Arſenicum*) Id corroſivitate, (& qua noxium eſt) & cauſtica vi ablata innoxium eſt, vel ſolius magnetis arſenicalis exemplo. *Wedelius.*

12. *Arſenicum*) Mirificè confert ſi quis ſtatim aquam copioſe bibat exemplo murium, qui ſi accepto arſenico aquam bibant, liberari videntur, *Merc. l. 2. de ven. c. 9.*

12. *Arſenicum Auripigmentum, Sandaracha*) Arſenicū ſubjectum maximè ſulphureum eſt ſimulque metallicū, Conſtat igitur acido, ſulphureo pręſertim, & ſaturato ſub metallo, Unde tantum eſt ex mineris. & ſub fuſione earū Antimonium ſublimatur, Ita nimirum ex ſulphure volatili, quod ſecum rapit metallum, conſtat Arſenicum, Sic minera argenti, quæ vocatur Roſitgulden, Eſt, revera cōſtat ex arſen. & luna, ita ut ſub fuſione volet à Arſenic.

Eſt autem Arſenicum duplex, 1. *Nativum*, 2. *Factitium*, Veteres ſolum nativum cognoverunt, & iſtud flavum quidem ob lituras aureas *Auripigmentum* vocarunt, ſicuti rubrum vocarunt *Sandaracham*.

Artificialia Arſenica *Realgaria* vocarunt, Et hæc habentur nunc *colore albo*, ut eſt *Arſenicum*, vel colore *flavo*, ut eſt *Auripigmentum*, vel *rubro* ut *ſandaracha*.

Arſenicum autem inter Venena primatum obtinet, propter acrimoniam volatilem, quæ in corpore demum ſe exſerit.

Veteres commendarunt contra Aſthmata, vel ſub forma ſuffitus, vel ſub forma pulveris. Non tamen imitandus hic mos, gravi enim periculo non caret. Externe in uſibus Chirurgicis nil magis ulcera cancroſa ſerpentia, *Noli me tangere* dicta, curat quam Arſenicum. *Etmuller comm. Schr. p 74.*

Sandaracæ & Glaſti Indici noxii effectus

13. *Sandaraca*) Puellus xi. menſium à matre ad feneſtram, ſupra ſcamnum in ſedili poſitus, ibidem forte fortuna aſſerculum pigmento librorum viridi, ex *ſandaracha* ac *glaſto Indico* compoſito infectum prehendit, ac cum iſto aliquandiu ludit, orique admovit, ejuſque angulum colore tinctum linxit, unde fere tota facies una cum lingua virore conſpurcabatur; quem quidem mater, mox rediens, quoad potuit, abluebat, attamen quia aliqualem ejus partem infans jam deglutiebat, ſtatim æſtus ac ſitis immanis cum appetitu omnino proſtrato, ac vomitibus frequentibus illum invaſit, Et quia hæc ſymptomata à dentitione ortum habuiſſe credidere; id eo poſt quartum demum diem, ut medicam manum adhiberem, arceſſerunt, ferre potuit remedium internum; Et quæ prius ſtatim, poſt commiſſum errorem profuiſſent, *lac tepidum, ol. amygd. dulc.* nunc vix deglutita rejiciebantur; miſturæ etiam cardiacæ ac antipaſmodicæ fruſtra datæ ſunt; convulſiones enim ingraveſcentes omnem illi deglutitionem interceperunt, a quibus & venter una cum ſtomachi regione & pectore quoq; valide intumuerunt; Per alvum glande prius ſolutam, copia fœtidæ, ac bilis colorem æmulantis materiæ ejecta fuit; ex ore autem, una cum ingeſtis, gurges blennæ tenaciſſimæ, decoloris; nullis, quod obſervarim ſtrigmentis cruentis maculatæ, prodiit: Vomitus externis itidem fruſtra, cum interna non ſuccederent, compeſcere ſtudui; Spatio diei naturalis tres quatuorve aquæ menſuras ebibit: quam mox, iterum vomitu rejecit; convulſiones ſimiliter omnes corporis partes magis magiſque nobiliſſima præſidia eludendo, ita diſtorſerunt, ut ſexto tandem hujus venenati morbi die exſpirarit. Cadaver ob ſonticas cauſas non diſſectum. *Obſervatio Nob. D. D. Henrici Screta à zavorzis Medici Schaphuſani.*

Auripigmenti effectus.

Puer ſex annorum donatus à matre ante feſtum Natalitiorum Chriſti varii generis crepundiis fiſtulis ligneis, tubis ex eodem argento confectis, omnibus diverſo colore, præcipue rubro & flavo incruſtatis: In quibus ventilandis dum ſollicite uſurpatur, & ſtrenuum ſeſe in nova buccina animanda, coram patre & aliis præſtare laborat, concidit ad menſam propemodum exanimis, & convulſionibus diris atq; vomitionibus excruciatus totam excit familiam: Adſunt lipothymiæ, livor faciei & quicquid in propinquo mortem ſolet oſtendere? Advocor propere & miſellum prope enectum adverto: Inquiro in cauſam ſubiti infortunii atque nuperrime lætum & ludibundum adtitiſſe menſæ referunt, Jubeo inſtrumentum lætitiæ in medium afferri, Mox, quod res erat, deprehendo, Tuba affectus lignea recens, coloribus expicta, præcipue flavo & rubro, auripigmenti ſobole, cujus illam partem quę ori inſeri ſolet, bucca calente puellus delingendo abraſerat, hinc triſtia illa ſymptomata, Itaque cognita cauſa ventum mox ad *emeticum* blandū & pingue, hinc ad alexipharmaca, & præſertim *nativam cryſtallum* unde ceſſit tandem malum, ſed cadaveroſus faciei pallor in tertium uſque menſem perſeveravit. *Olaus Borrichius Med. Sept vol. 2. p. 370.*

14. *Specifica eorum ſunt*) Lac in puero (*hiſt. ii.*) In duabus puellis, (h. 3. & 4.) & cum ol. *amygd. ol.* in puero & puella, & in juvene, (*hiſt. 12.*) arſenici ſpicula ita obtudit ut gravius nocere nequierit, quod *theriaca* præſtare nequiit, quod vero duabus puellis, (*hiſt. 1.*) profuit, id per accidēs factum, nam ventriculum cibo refertum invenerunt; In fregit quoque ejus vim *butyrum* cum *bezoartico miner.* (hiſt. 6.) Retulit mihi D. D. *Bertholin.* Laurinenſis Medicus, venenum quo veneficæ quædam Romanæ, ſub impio pietatis fuco gravem ſtragem ediderunt, & ſub *Alexandro* vij diri facinoris meritas pœnas luerunt, *Arſenicale* fuiſſe, quod *Aquettam* appellarint, Huic ſimile eſſe Pariſienſium, in quas nunc merito pars ſeveritate animadvertitur, Addidit Aquam hanc, pręter alios pernicioſos effectus, primum intenſiſſimam febrim & vix extinguibilem æſtum excitaſſe, ac compertum caſu fuiſſe præcipuum & prope unicum alexipharmacum, *ſuccum citri eſſe.* D. *Verzaſcha* mercatorem ab amuleto arſenic. vindicavit inunctione *ob ſcorp. Matthioli*; Potione ſudorifera ex *theriaca, diaſcord. Fracaſt. & elect. cardiaco.*

Memorabile eſt quod tradit D. *Kunkel l. c.* cuidam tenellæ ætatis, contra pediculos ſuaſum fuit Linim.

℞. *Mercur. d.* ʒi. *mercur. vitæ* ℈i. *Ungu. Pomat.* ℥i. Pharmacopœus imperitus, loco *Mercuris dulcis*, permiſcuit Mercurium ſublimatum, unde caput valde intumuit cum inflammatione, ut brevi inſonti pereūdum fuiſſet, niſi à Medico intellexiſſet præſentem antidotum *lixivium* forte eſſe, quo cum linteo applicito quoque brevi convaluit, ita tamen capilli exciderint, Idem contra *Arſenicum* valere innuit. l. c. *Wepferus p. 295.*

Clar. *Joh. Faber Lynceus* in *Expoſ. Anim. Novæ Hiſp. p. m. 475.* cani dedit *arſenici* ʒi. Auditori probandæ gratia confecta ex ſerpentum pulvere, multum tunc deprædicatæ, quæ nihil profuit: Canis poſt plurimas vomitiones mortuus concidit; Aperto abdomine ventriculus amplus

amplus admodum apparuit; intus rugæ & vibices atro ſanguine ſubducto: Exiſtimat quod plus pinguia ad virus arſenici debellandum profuiſſent, quam antidotus ex ſerpentibus parata: Romæ enim juvenem robuſtum curavit, qui *Riſagalli* pulverem in chartula repoſitum loco cinnamomi pulmento inſperſit & comedit, unde tormina & vomitus moleſtiſſimos paſſus eſt: Medebatur ipſi *Philonio Romano & mithridatio* cum juſculis pinguibus & lacte copioſe exhibitis: his feliciter priſtinæ ſanitati reſtituebatur.

14. *Specifica eorum ſunt*) Curatio ſymptomatum eſt, ut initio æger arceatur à ſomno donec venenata materia per vomitum ſit evacuata, hauſto prius *decocto ſemin. rapæ & atraplicis*, in quo *butyrum rec.* aut *oleum lini* ſit liquefactum, & deinde, ſi cruciatus inteſtina affligant, *Clyſter ex decocto ſemin. lini, malvæ & violar. flor.* confectum, addendo *ol. violar. & flor. caſſiæ, cui & mucago caſſiæ* commode admiſceri poteſt: Quo facto confert plurimum ſubinde *recenti butyro* & *lacte tepido*, in quo *lini* ſemen ſit in coctum, uti: Conferunt quoque *Juſcula pinguia, cremor ptiſanæ & oryzæ* cum *lacte* cocta.

Antidotum adverſus venena *Auripigmenti*, eſt pulvis tenuiſſimus *cryſtalli foſſilis* ℨi. cum *oleo amygd. dulc.* exhibita.

Ariditati linguæ ex Arſenico prodeſt *mucag. ſemin. lini* aut *cydonior.* cum *ſyr. violar.* mixt. ſubinde faucibus & linguæ illinire. *Fr. Joel.*

15. *Cryſtallus*) Commendatur ad ℨi. pondus cum ol. amygd. dulc. idque tanto magis, quod eadem porracei ac æruginoſi humoris, ſeu bilis acido confermentatæ, proprium & præcipuum habetur remedium à Medicis probarioribus: *Poterius* tribuit Cryſtallis naturam famelicam vel eſurinam, qua aliorum acrimoniam vel aciditatem in ſe abſorbendo, egregie ſe ſaturant: Addendum vero eſt, habere quidem locum, & prodeſſe cryſtallum in leviori caſu, minus in graviori; neque enim ſubigi vomitu non eductum medicamentum æque hoc oppoſito remedio poteſt. *VVedelius*, Vide *Ꝭ.* vel *Foſſilia.*

15. *Cryſtallus foſſilis*) Præcipitantia, & acorem corroſivum infringentia laudantur contra Venena corroſivitate agentia: quo nomine *cryſtallus* à *Sennerto* aliiſque, tanquam unica & præcipua antidotus contra *Arſenicum, & Mercurium* ſublimatum, quæ inſtar omniū ſunt, ut & contra *aquam fortem* laudatur Commendatur vero ad ℨi. pondus cum oleo *amygd. dulc.* Idque tanto magis, quod eadem *cryſtallus præparata*, porracei ac æruginoſi humoris, ſeu bilis acido confermentatæ, proprium & præcipuum habetur remedium à Medicis probatioribus, *Langio in Epiſt. Valleriola lib. 4. Enarr. p. 536.* Et *Poterius* tribuit *cryſtallis* naturam famelicam vel eſurinam, qua aliorum acrimoniam vel aciditatem in ſe abſorbendo egregie ſe ſaturant, *Pharmop. Spag p. 523.* Notanter vero addendum eſt, habere quidem locum & prodeſſe cryſtallum in leviori caſu, minus in graviori, neque enim ſubigi vomitu non eductum medicamentum æque hoc oppoſito remedio poteſt. *Wedelius Am. m. m. p. 339.*

16. *Aes*) Ejus vena, ſive materia lapidea, conſtat ex æquali fere portione ſulphuris & argenti vivi, ſed impuriſſimi, & non ſatis in terræ viſceribus cocti; Hæc vena generali vocabulo *Pyrites* vocatur, ex quâ Aes coctum, etiam defæcatiſſimum, retinet tamen venenatam qualitatem, quæ & eſculenta & potulenta, præſertim quæ aceto aut vino condiuntur, aut cereviſia, ſi in vaſis cupreis aut coquantur, aut diutius ſerventur, venenato ſapore & qualitate tinguntur, & intra corpꝰ aſſumpta nauſeam, vomitiones, ariditatem linguæ, & eroſiones ventriculi excitant.

Ὀρείχαλκον, quaſi montanum Aes, Aurichalcum, Latinis, Gallis *du Leton*, non eſt aliud quam *cuprum*, ſive æs per crebram liquefactionem ſubinde admiſcendo *lapidem calaminarem*, & ita defæcato [illegible] colore aurum mentiens.

Curanda autem ſunt *Cupri & Aurichalci* ſymptomata, è vomitione ciborum aut potuum infectorum, aſſumpta *aqua tepida* cum *oleo olivarum*: Deinde & alvus acri clyſtere eluatur, ac poſtea *lac* crebro potandum exhibeatur, *Antidota* ejus ſunt ℈ij. *Theriac. Androm.* aut *Boli Arm.* ℨii. cum hauſtu *hydromelitis.* Fr. Joel.

In *Cupro* conſideratur ſulphur & Merc. *Arſenic.* revera eſt principium metallorum candidorum, ſicut *ſulph.* rubeorum: hinc beneficio arſenici, *cuprum* colore albo tingere & tranſmutare volunt: Propter *ſulphur volatile* remedia *Venerea* ſunt violenta & hoſtilia ſtomacho; cruda ergo non ſunt uſurpanda, cum hæc, uti notum in corpus humanum aſſumpta naturam vitriolaceam acquirant in ſtomacho & vomitus excitent, E contra legitime præparatus ſalubrem dant Medic. *Etm. comm. Schr. p. 48.*

Cobaltum.

Huc pertinet *Cobaltum*) unde color cœruleus paratur, eſt enim *Cuprum* immaturum turgens copioſo ſulphure Venereo, & revera eſt ſubjectum pure *arſenicale*; unde etiam omnia animalia enecat. *Idem p. 59.*

Aes ſive cuprum, per ſe eſt perniſioſum venenum; quo tres pernitioſæ res, ſi intra corpus ſumantur, parantur, quæ tamen extra corpus ſuas habent præclaras utilitates in arte medica, *Aes uſtum, ſquama æris,* & *Aerugo,* ſive *viride æris.* Idem.

Chalcitis, Cuperoſa, Chalcanthum.

¶ *Chalcitis, miſy, Sori, melanteria,* Sori, inter Cuperoſas; & chalcanthum cruſtas moliuntur cum adſtrictione; leviter erodunt, tuſſim vehementem concitant, vomitionem; Per diſtillationem oleum acerrimum extrahitur, urens vehementer, ſed admixtum cum hebetantibus, ut cum jure pingui, ſalutare, ad diſſipandum craſſitiem fungorum, & ſanguinem ſiſtendum, grumos diſſolvendos: *Aqua* ab iis infectæ, ut in Theſſalia Aqua ſtygis, qua *Antipater* traditur *Alexandrum* interfeciſſe: perrumpit omnia vaſa, excepto cornu.

Curatio apud *Avicenn. lac aſininum, butyrum crudum, ſacchar. ſyr. de hyſſopo* & quæ ad tuſſim leniendam. *Caſalpinus.*

Vitriolum.

Vitriolum, nihil aliud eſt quam Mars & venus à ſpiritu ſulphuris acido corroſa & coagulata in ſal compoſitum ſalinum proprie igitur *Vitriolum* dicitur de Venereo & martiali, hujus intuitu variant *Vitriola*, aliud enim eſt *martiale* ex albo vireſcens; aliud *Venereum* cæruleſcens, aliud compoſitum, reperitur & *vitriolum album*, quod de *ſpiritu ſulphuris* participat corrodente &c.

Vitriolacea vomitoria quatuor enumerat *Schroderus*; hæc omnia in deſuetudinem abiere, quia ſunt nociva ſtomacho, & lædunt ventriculum; robuſtioribus ergo tantum propinentur: Omnis vis vomitoria in *Vitriolo* eſt ex *Venere*, vitriolum enim purum id minus efficere ſolet. *Ettmuller p. 70.*

Χαλκάνθον, quaſi dicas χαλκῦ ἄνθος; i. e. *flos cupri*; Quia ut plurimum materia vitrioli in fodinis cupriferis ſive ærariis colligitur, & effoditur, Latinis antiquis *Atramentum Sutorium: Aliud eſt nativum*, ſive ſtillatitiū, quod in cavernis montium ſubſtillantibus vaporibus; inſtar ſtiriæ concreſcit, Aliud *factitium* quod ex terra è montibus erutum & in glebas congeſtum, inſtar ſalis nitri per macerationem & coctionem conficitur.

Vitrioli quoq; ſpecies, & hoc ſeculo ignota; quā Veteres *Chalcitida* nominabant, & Theriaces confectioni admiſcebant, hanc ego nihil aliud eſſe arbitror quam

vitriolum factitium, quod temporis diuturnitate ab aëris ambientis & Solis irradiatione ac calore in calcem albam convertitur, id enim minus eſt venenatum.

Tempore *Dioſcoridis Vitriolum* intra corpus exhibebatur adverſus alvi lumbricos & fungorum venenatorum comeſtionem; Et nos non ſemel vidimus à Vetulis inter ruſticos, nucis avellanæ quantitate *vitrioli viridis* cum aqua tepida contra febrim non ſine felici ſucceſſu exhibitam eſſe.

Vitriolum crudum, aut perperam præparatum & aſſumptum, nauſeam & vomitionem excitat, & ſi non ſtatim per vomitum ejiciatur, tandem & ventriculum erodit & inteſtina excruciat, dyſenteriamque excitat, ſitimque intolerabilem infert.

Curatur, ſi mature quamprimum eſt aſſumptum per vomitum ejiciatur, aſſumpta prius *aqua cum oleo anethi*, ſedato vomitu, confert plurimum *Butyrum recens* ſubinde largius guſtare, & ſi eroſio in inteſtinis ſentiatur, proderit ex *cremore ptiſanæ & oleo roſar.* in inteſtina clyſterem infundere, poſtea eidem *aqua hordei cum ſyr. violar.* ſæpe bibenda præbeatur, pro *Antidoto, Terra Lemnia* ℨii. *mucilag. ſem. cydon.* ℨv. cum *aqua hordei* propinentur. *Ioel.*

16. *Aes &c.*) Venerea Cuperoſa ventriculum exolvens vis, antemeticis, inprimis acidis, corrigitur, Curavimus fœminam quæ groſſum deglutiverat, ſpiritu ſalis ſubinde dato, unde conquievit feliciter ſapor cuperoſus in ore, & alia accidentia. *Wedelius.*

17. *Aes uſtum*) Χαλκὸς κεκαυμένος, Chimicis *Crocus veneris* ita conficitur, Sumuntur laminæ cupri, & oblinuntur linimento ex ſale & aceto facto, quæ ubi exſiccatæ ſunt in tegula aurificum concremantur, candentes eximuntur, in aceto acerrimo extinguntur, iterum atque iterum ungu. præſcripto illinuntur, uruntur que, ita tamen ne ab igne cupri laminæ liquefiant, donec in pulverem redigi queant; qui Pulvis in calida aqua crebro eluitur, ut omnem acrimoniam erodentem deponat, & tum utiliſſimus eſt ad ulcera putrida perſananda; expurgat enim ulcera, adſtringit & exſiccat & ad cicatricem ducit.

Curatio Aeris conſiſtit in evomitione, aſſumpto prius *oleo anethi* cum *aqua calida* commixto: Vbi in inteſtina delapſum eſt Æs uſtum, acris quoque clyſter eſt adhibendus ex *oleo roſarum & decocto centaurii minoris*: Vtilis quoque eſt *butyri rec.* & *lactis* eſitatio; *Antidotum æris uſti* eſt *terra Lemnia* ℨi. aut *coralli rubr. præpar.* ℨi. cum *aqua hordei* aſſumpta. Prodeſt foris imum ventrem ſubinde *oleo roſar.* calide inungere. *Fr. Joel.*

18. *Squama æris*) Λεπὶς χαλκοῦ, *ſquama cupri* ſive æris, Tenuiſſimæ ſunt laminæ ex ſuperficie cupri igniti malleis percuſſæ ac diſcuſſæ: Pauciſſimi hoc tempore eo utuntur remedio, & nonniſi eloto & probe, præparato: Eaſdem habet cum *ære uſto* facultates in ſanandis ulceribus, Et intra corpus aſſumptæ, eadem inferunt ſymptomata quæ *æs uſtum*, ideoque iiſdem remediis antidotiſque curari poſſunt. *Fr. Joel.*

19. *Aerugo*) *Viride æs* eſt materia viridis coloris, ex cupri laminis collecta, Pictoribus & in re medica uſitata, quæ intra corpus aſſumpta, eſt pernitioſum venenum & hac ratione paratur; Laminæ cupri illinuntur unguento ex ſale & aceto confecto, ac tandem in aerem ſuſpenduntur, & illita materia altera die per ſuperficiem cupri convertitur in viride æs, quod abraditur ac colligitur, laminæque rurſum illinuntur; Eſt & alia ratio excellentiſſima, Fit ungu. craſſiuſculum ex *melle, ſale, aceto* probe inter ſe mixtis, quod laminis cupri inungitur, & in ollam nondum coctam imponũtur, in figulina fornace exuruntur, donec fictilia vaſa ſint decocta, quæ materia nigricans excipitur, & ſub dio collocatur; per noctem enim color niger mutatur in æruginem & colorem viridem venuſtiſſimum: *Fr. Joel.*

Monſpelii ita conficiunt Æruginem Vvarum ſcopos, ſive retrimenta imponunt fictili ad duorum aut trium digitorum altitudinem; cooperiunt cupri laminis; alia retrimenta ſuperimponunt ac iterum laminas, factoq; S.S.S. ad vaſis uſq; ſummum, vinum *generoſum affundunt, vas cooperiunt, in xv. uſque diem, quo laminas ærugine coopertas erodunt: Negant in ipſis ſuburbiis rem ſuccedere, quaſi benedictio Divina intra urbis pomœria coercita ſit: Plebs univerſa ex illo quæſtu victitat, & collectione baccarum chermes.*

Magnus eſt uſus Æruginis in curationib⁹ Chirurgicis; ulcera enim ſordida egregie mundificat, oriſque ac gingivarum ulcera perſanat, ſuperfluas excreſcentias carnis in ulceribus tollit, Ideo & emplaſtris & Gargariſmo commiſcetur.

Intra corpus aſſumpta Ærugo pernitioſa infert ſymptomata, ſtatim enim guttur conſtringit, & arterias pulmonum obſtruit, vias reſpirationis intercipit, violenter ſuffocat & extinguit: In ventriculo autem exiſtens, violentas excitat vomitiones.

Curatio eſt, ut epoto recenti butyro ſtatim revomatur, & in inteſtina ſi deſcendit, neque clyſter ex *lacte caprillo* & *oleo chamæmelino* negligendus erit, & ſubinde *lac calidum* ebibendum: *Antidotum* Æruginis eſt *terra Lemnia* aut *coralli rub. præpar.* aut pulver. *zedoar.* ℨi. aut *olei aniſ.* ℈ß. cum *vino* aſſumpti. *Joel.*

Ante annos xxx. *præſcripta hic à Medico clariſſimo Emulſio perlata hora ſomni aſſumenda Illuſtri cuidam Pedemontano* ruri *in urbis vicinia degenti. Poſtridie horis, matutinis adeſt pediſſeſquus Medico nuntians Dominum ſuum Veneno infectum eſſe: Medicus Pharmac. [illegible] officinam adit, quærit à Miniſtro, (aberat enim magiſter) ubi nam præparatio inſtituta fuerit; oſtendit ille mortarium metallicum, cui adhuc æruginis reliquiæ adhærebant: Ex ſyngrapha tamen Medici præparatio in mortario marmoreo expreſſis verbis præſcripta erat: Hinc ut diſcant Pharmacopœi, ut ne confidant tyrionibus præparationem, & ut præſcripta medicorum religioſe obſervent.*

20. *Quæ infringuntur*) Sic *cuprea cuperoſa*, ventriculum exolvens vis antemeticis, inprimis acidis, corrigitur; Curavimus fœminam, quæ groſſam deglutiverat, *ſpir. ſalis* ſubinde dato, unde conquievit feliciter ſapor cuperoſ⁹ in ore, & alia accidentia; *VVedelius Am. m. m. p. 339.*

Scoria Ferri.

21. *Scoria Ferri*) *Scoria ſeu excrementum Ferri*, eſt materia lapidea in maſſam ferruminibus inſtar ſpongiæ plenam concreta, in fornacibus fabrorum ferrariorum, quæ ab ipſis utplurimum extra projicitur: Intra corpus ſi ſumas eadem ſymptomata quæ *ſquama ferri* infert & iiſdem remediis curanda. Extra corpus autem utimur ejus vapore in Balneis pro exſiccatione vitioſorum humorum inter carnem & cutem collectorum, ſudorem ac pruritum excitantium.

22. *Ferri*) Græcis σίδηρος, Ejus vena ſeu lapidea materia conſtat argento vivo: Ferrum excoctum per ſe venenatum non eſt; parantur tamen ex eo & medicamenta ſalutaria, præſertim ex *ſcoria ferri*, & medicamenta venenata, qualis eſt *crocus martis*, ſive *flos ferri*.

Ejus ſpecies duæ ſunt, una ex materia crudi ac rubri coloris excoctum ferrum, Altera ſpecies eſt Ferrum purius ac durius, Græcis ςόμωμα, Latinis *Chalybs*: *Gallis Acier.*

Quatuor res utiliſſimæ in medicationibus ex Ferro conficiuntur, quæ ſi non rite præparentur, aut in largiori copia quam decet aſſumantur, venenatæ ſunt, & varia inferunt ſymptomata, ſunt autem *ſquamma ferri*, *Excrementum ferri*, *Ferrugo* & Chimicis *crocus martis.*

Ferrugo ſive Rubigo.

23. *Ferrugo*) *Rubiginis* hac tempeſtate in arte Medica nullus eſt uſ⁹, & tamẽ ſi ex optime purgato ferro acetoq; perfu-

perfuſo Rubigo colligatur, & intra corpus adhibeatur, profluvia muliebria ſiſtit ac reſtringit, & ejuſdem *pulviſcum melle roſaceo* mixtus inſtar Vnguenti putredinem gingivarum & ulcerationem perſanat; Non rite præparata eadem ſymptomata infert quæ in *ſquamma Ferri* commemorantur, & iiſdem remediis curari poſſunt. *Fr. Ioel.*

Memini ante complures annos familiam integram peſſime habuiſſe ex uſu capitis vitulini in olla ferrea cocti, quæ accuratè deterſa non fuerat: Vomitus, anxietates, cardialgia omnibus illis ſupervenere, à prandio; Theriaca à vomitu profuit.

Crocus Martis.

Ἄνθος σιδήρου, flos ferri, Chymicis *Crocus martis*, Ferrum eſt reſolutum & in pulverem redactum, Qui cum aqua forti paratur ſine pernicie & vitæ periculo ſumi non poteſt. *Fr. Joel.*

Squamma Ferri.

Λεπὶς σιδήρου, eſt ex ſuperficie candentis Ferri malleo decuſſa lamina, quæ probe præparata ſaluberrima profert remedia & extra & intra corpus: Præparatio ejuſmodi eſt, Accipiuntur *ſquamma ferri* ℥iiij, quæ in aqua calida abluantur, & vola manuum confricentur donec nihil ſordium in eis remaneat; deinde & tegula aurifabrorum in ignem collocentur, & candentes in *aceto vini accerrimo* extinguantur, iterumque exſiccentur, ſiccatæque denuo ter quaterque iterum urantur & in aceto extinguantur, Poſtremo in tenuiſſimum pulverem redigantur, & in *aceto vini* q. ſ. in vitrea cucurbita per tres ſeptimanas macerentur probe obturata; poſtea vitro in ferventem arenam collocato & aperto omne acetum evaporari permittatur, ut Pulvis pro uſu conſervetur. Alii pro *ſquamma ferri ſcobem ſive limaturam chalybis* eadem ratione præparant, Ex eo Pulvere pilulæ præparantur, quæ nomen habent *Pilularum ſcobis ferri*, quibus utimur in diſſolutione ventriculi: Pulvis autem exhibetur commodiſſime in dyſenteria, in muliebribus fluxionibus, & in æſtuanti colluvie humorum, in ventriculo, & lienis obſtructionibus. Verum ſquamma ferri non ita præparata, aut ultra juſtam menſuram exhibita, hæc infert ſymptomata, inteſtinorum cruciatus, ariditatem linguæ, ſiccitatem totius corporis & continuum capitis dolorem.

Curantur hæc mala acrioribus *clyſteribus* & crebra potatione *lactis caprilli*, & crebra eſitatione *butyri recentis*, & *pinguioris juſculi*, Capitis autem dolorem ſedat crebræ inunctio cum *oleo roſar.* & *aqua roſar.* ſimul mixtis: Corporis ariditatem tollunt crebra balnea in aqua dulci, in qua *malva* & *althæa* cum radicibus ſunt incocta, Pro *Antidoto* oportune exhiberi poſſunt *Pulv. terræ Lemniæ* ʒij. aut *corall. r. prap.* ʒi. *cum juſculo galli gallinacei.* Fr. Joel.

24. *Plumbum)* Μόλυβδον. *Plumbum nigrum*, metallum eſt ex multo impuro & terreſtri argento vivo, & pauco impuro & rudi ſulphure, in viſceribus montium concretum: Plumbi vena, ſive materia, *μολύβδαινα*, lapis plumbarius, qui vario conſpicitur colore, alius enim cineritius, alius luteus, alius cæruleus pro diverſitate lapidis, in quo hæret tinctus.

Ex Plumbo venenatum fit *Plumbum uſtum*, quo figuli ad illinenda & vitreanda ſua fictilia utuntur. *Fr. Ioel.*

Ex *plumbo* arte chymica utiliſſima remedia extra corpus adhibenda parantur, quæ ſi intra corpus aſſumantur, venena ſunt, Ejus generis ſunt *plumbum uſtum, Ceruſſa alba, minium, Ocra.*

Plumbum uſtum.

Μόλυβδος κεκαυμένος, nihil aliud eſt quam Plumbum adurendo converſum in cinerem, Ejus in Medicinis hodie nullus eſt uſus, ſi tamen abluatur, & in ſordida ulcera inſpergatur, ea adſtringit & exſiccat. Si per imprudentiam intra corpus aſſumatur, infert ſymptomata lithargyrii, videlicet ſuffocationem, & iiſdem remediis curatur. Ejus tamen *Antidotum* eſt *Theriacâ Andr. ad* ʒii. cum vino generoſo.

Cerusſa.

Foris applicata refrigerat, exſiccat, & poros obſtruit, ideo Vnguentis & Emplaſtris chirurgicis admiſcetur. Intra corpus aſſumpta hæc infert ſymptomata, ſingultum faucium & linguæ ariditatem, anhelitus difficultatem, præcordiorum tumorem, ſtrangulationem, artuum frigiditatē, totius corporis torporem, mentis commotionē.

Curatio tentanda eſt valida vomitione & acribus clyſteriis, aſſumpta prius *aqua calida* in qua ficus & malvæ rad. ſint incoctæ, & *oleum irinum* admiſtum, Clyſteri admiſceantur *ſcammoniata* remedia, deinde offeratur *lac* recens mulctum; *Antidotum* ejus erit *el. angel.* ʒß. aut *ol. vitr. gutt. 8. Theriac. Androm.* ʒii. cum vino generoſo.

Minjum ex Plumbo.

Eſt color rubeus ex Plumbo uſto confectus. Differt plurimum à *veterum minio*, quod minerale eſt è montibus erutum, ex quo argentum vivum paratur, ſed nobis ignotum. Noſtrum ex *plumbo* cum *ſale calcinato*, aut ex *ceruſſa* aduſta fit, Imprudenter aſſumptum eadem quæ *lithargyrum* infert ſymptomata, aut *ceruſſa*, & ſimiliter curatur, Peculiariter autem adverſatur tempeſtiva vomitio ex decocto *ſem. rapæ & butyri rec. confecto*, aut *oleo aneth.* & clyſtere ex *decocto rad. malvæ & granor. junip.* cum *oleo anethi* confectum: *Antidoti* loco exhiberi poſſunt *Ther. Andr.* ʒii. vel *ol. vitr.* ℈ß. aut *corall. rubr. ppti* ʒi.

Minjum luteum ex Plumbo uſto.

Fit ex plumbo in cinerem converſo ſimili ratione ut *minium* rubeum, ſed paulo languidiori igne torretur, in olla ſubinde agitando, donec flavum ſeu luteum conſequatur colorem nam ſi ulterius & vehementius uratur minii rubei colorem induit.

Aſſumptum eadem quæ *Minium* vel lithargyrium inducit ſymptomata, & iiſdem remediis curatio eſt tentanda, *Fr. Ioel.*

Saccharum Saturni.

Quæritur an *Saccharum Saturni* Sine ſterilitatis metu poſſit intra corpus aſſumi? Negant qui Saturni mineralis cum Saturno cœleſti convenientiam magnifaciunt; quippe qui infœcundos, dicitur reddere, ſed vanum eſt & ſine fulmine fulgur. *Etmuller pyrot. p. 92.*

Stannum.

Κασσίτερος Stannum & Plumbum album, Plumbi ſpecies duæ ſunt, Plumbum album, quod *Stannum* eſt, & Plumbum nigrum, quod proprie plumbum dicitur; Ejus Pyrites, ſeu rudimentum lapideum, conſtat ex argento vivo, perperam purificato, & ſulphure impuro & nondum cocto, quæ Stanni materia Græcis *μόλυβδαινα*, Latinis *Plumbago* vel *Galena.*

Stannum defæcatum minus eſt venenum quam plumbum, ideoque uſu ejus frequens eſt ad conficienda vaſa utenſilia propter argenteum nitorem; Intra corpus aſſumptum eadem infert ſymptomata & iiſdem remediis curanda ſunt. *Idem.*

Noxa à vapore plumbi.

24. *Plumbum)* Faber Stannarius, facie ſubtumid⁹, & lividi coloris, ante biennium multum in miſcenda cũ plũbo marcaſita laboraverat, hinc in vehemētiſſimos inte-

ſtinorum incidit dolores, cum tuſſi ſicca, præcordiorum anguſtia, & reſpirandi difficultate continuaque alvi obſtructione, membrorum totiuſque corporis tremore & artuum debilitate, Acceſſere vehementes capitis dolores, dentium mobilitas & nigredo, mentiſque debilitas.

Conſultus reſpondi cauſam malorum in vapores Saturninos rejiciendam eſſe, *Plumbum* enim ſtannarii horum locorum Stanno miſcent quo facilius fundi queat, cui, ſi forſan nimium plumbi ſumpſerunt, poſt modum aliquid marcaſitæ admiſcere ſolent ad conſiſtentiam ſtanni recuperandam. Haud difficulter autem cenſebam potuiſſe fieri ut *atomi quadam Saturninæ, dum plumbum funditur* in pulmones trahantur, quæ vi ſua maligna cordi, cerebro, partibus nervoſis & membranoſis adverſa prædicta ſymptomata excitent.

Recordabar hic quod Figulo cuidam accidiſſe vidi, qui haud multum diverſis corripiebatur ſymptomatis quoties in incruſtantis fictilibus occupatur: Recordabar Figulum de quo *Timæus l.7.caſ.10.* qui vehementiſſimos inteſtinorum dolores ſentiebat dum in incruſtandis fictilibus laborabat.

Huic ægro hoc modo ſubveniebatur, 1°. *Sapa vomitoria Sylvii* in aqua mulſa tepida exhibebatur, hinc *Clyſter acris & carminans* injiciebatur; per vomitum hinc & ſeceſſum egregie purgatus, ad acrimoniam ſi qua reliqua eſſet, temperandam, *lac* tepidum cum *ſapone Hiſpanico & melle roſac.* pitiſſabat. Ex *Bezoardicis* ordinabam *pulverem bezoar:* ex globulis noſtris officinis uſitatum cum *vino malvatico* aſſumendum, Et hiſce curatus hac vice.

Verum ſubſequenti anno cum eidem labori vacaret cholera graviſſima corripitur idem, comitata iiſdem ferme quæ ante ſymptomatibus, Tam per vomitum quam per ſeceſſum rejiciebat materiam albam & ſpumoſam, cum dolore ventris graviſſimo creberrimiſque lipothymiis: Ego iterum conſultus fui author ut ante omnia de *ſpermate ceti* ℨß. *in oleo amygd. dulc.* & *vino malvat.* diſſolutam tepidam aſſumeret, poſt uſurparet *lac caprinum* cum *ſapone Hiſpan.* & *melle roſac.* tepidum jejuno ventriculo: Sub horam ſomni uſurpabat miſturam aromaticam cum tantillo *Diaſcord. & laud. op.* hora 4. pomerid. ſumebat ℨi. *theriac. de citro:* Hoc modo fluxus alvi, vomitus & ventri dolores intra octiduum ceſſarunt; Remanſit tamen artuum tremor, qui itidem aromaticis & cephalicis ceſſit: (Mira huic viro viſus læſio obtigit, mane & jejuno ventriculo omnia gemina poſt paſtum perforata; inde horis pomeridianis villoſa apparebant; ceſſit tamen hoc ſymptoma intra octiduũ continuato conſuetorũ remediorum uſu.

Ne autem iterum anſam daret hiſce ſymptomatibus, ſuaſi ut in poſterum munitis ſemper & ore & naribus fuſum tractaret metallum; Si forte contingeret ipſum à noxio *plumbi* vapore lædi, ſtatim vel ℥i. *ol. amygd. dul.* vel *butyri non ſaliti*, vel alterius pinguedinis ſumeret, Paruit non ſine ſucceſſu. *Alardar. Hermannus Cummenar med. Sept. vol. 2. p. 372.*

[25] *Argentum vivum*) Alias *Mercurius*; Triplex autem eſt 1. *Mercurius corporum*, qui nihil aliud eſt quam Mercurius ex metallis perfectis & ſemimetallis (quale eſt antimonium) productus. ij. *Mercurius Philoſophorum*, qui eſt decantatiſſima illa materia pro lapide Philoſophico; iij. *Mercurius vulgi*, vulgo cognitus; *Mercurii corporum* ſunt ij qui oriuntur ex metallis perfectis, quando nempe corpora metallorum mutantur in *Mercurios currentes*, Hujus mercurii genuina demonſtratio eſt ſi in manu detentus aurum ei immiſſum diſſolvat, quod & *Mercurius antimonii* facit: Hoc non facit *Mercurius vulgi*, quia ſecum ſociatum habet ſulphur metallicum impurum, ratione cujus impeditur activitas mercurii vivi ſuper metalla; ſi iſtud ſulphur non adeſſet, tum Aurum facilè ſolveret.

Quod autem ſulphur habeat, patet exinde quod Mercurius vulgi, licet optime purificatus; in receſſu habeat acidum; ſi enim lamellam *martis* immitas in *Mercurium vivum* puriſſimum vaſe clauſo, brevi poſt tota lamella in rubiginem corroſa reperitur: Quin & ratione hujus *ſulp. acidi* externe *vim ſalivat.* jam habet quæ in *Merc. ſubl.* adhuc intẽditur, qui cum *ſpir. nitri* & aliis, tractatus arripit ſecũ de ſale ſulp. acido, horum ſpirit. Inde hujus *præcipitati* gr. x. ad xv. vel ℈i. interne uſurpata majorem excitant ſalivationem quam tota ℥. *Merc. vivi* unde patet quod *acidũ* ejuſmodi *ſulphur.* externum ſecũ rapuerit.

Adulteratur *Mercu.* interdum cum *Saturno*, unde hæc notetur *proba*, ſumatur cochlear argenteum, cui impoſitus ſit *Mercur. vivus*, exhalat Mercurius in igne, quod ſi *nigra* macula remanſerit in cochleari, participat de *Saturno*, ſin *flava*, de auro, De *Venere* tamen raro vel nunquam participat; Item immittatur *Mercur.* carbonibus ardentibus, ſi ſtrepitum edit, ſignum eſt participare de metallis imperfectis, Ubi vero minus in igne ſubſultat, plus de plumbo habet, ubi magis, *Jovis* quem continet. *Etmuller comm. Schrod. p. 46.*

Sæpius fit ut poſt aſſumptionem *Mercur.* vel inunctionem Mercurialem in lue Venerea, concitetur inſignis ſalivatio, tremor artuum, paralyſis, quos affectus curat *Zacutus Luſ.* cum *ungu. ex auro*, quod applicatũ extrahit Mercurium ex corpore, & hoc ſublato, homo ſanitati reſtituitur, Sic *Riverius* in dolore capitis graviſſimo, ex *Mercurii* noxa oborto, aureum applicavit nummum, (ori inditum) eumque curavit.

Notum eſt quod interne adhibitus Salivationem movet, qui uſu apud Italos creber eſt, *Ratio ſalivationis eſt fundata in malignitate Mercurii arſenicali: Mercurius* enim *vulgi* adjunctum habet *ſulph. peregrinum volatile, de natura arſenicali*, à quo exoritur ſalivatio, qua ſua volatilitate & penetrantia reſolvit tam utiles quam inutiles ſuccos, eoſque ſubtiliſatos per glandulas maxillares exterminat Ab hoc ſulphure fit ut Mercurius in igne abeat per ſe in pulverem rubicundum, Quod vero virus ejuſmodi ſit in *Mercurio vulgi*, exinde probatur quia *Mercur.* extractus ex corporibus metallorum nõ inducit ſalivationẽ, ſed intra corp⁹ adhiberi poteſt ſine noxa, &c.

Nervis *mercur.* eſt inimiciſſimus, ita ut tremores artuũ, paralyſes contracturas Aurifabris ſubnaſci quotidie obſervemus, ut nihil dicam de attenuatione nutrimenti à ſalivatione nimia mercuriali excitata, aliiſq; ſymptomatis: Unde ut ſine metu noxaq; poſſit aſſumi, neceſſarium eſt 1. ut debite præparetur, 2. præparatum caute & circumſpecte in uſum vocemus: Idque propter virus malignum, de *natura arſenicali*, aut *ſulphur* Mercurii externum arſenicale, quod ſulphuri ejus nativo adhæret. *Idem Pyrotechnia Rat. p. 71.*

[25] *Argentum vivum*) *Mercurius vivus* in Cane pluribus diebus illitus, & ubi attingere ore poterat abligurritus, & tandem libræ dimidię pondere cum pinguedine ſuilla devoratus, nullam ſalivationem effecit, forte ob pororũ cutis, & oſculorum vaſorũ lacteorum, aut glandularum ſalivaliũ diſpoſitionem aliam quã in hominib⁹ exiſtit: Novi quendam bis *inunctionem Merc.* admittentem, primum leviorem, poſtea, aucta *Mercurii* doſi fortiſſimam citra ullam ſalivæ promotionem aut dentium vacillationem aut deglutiendi difficultatem ſuſtinuiſſe, imo adjuta *Emplaſtr. de ſperm. ran. cum Mercur.* nec vel minimam immutationem in faucibus percepit, quamvis fronti & cubito impoſitum inveteratos dolores feliciter ſuſtulerit, quod aſcribebam glandularum ſubcutanearum, aliarumque exſiccationi à ſæpius repetita diæta ſudorifera; Alias aliquot memorare poſſem quibus ſalivatio facillime à Mercurio *ſublimato* in lixivio contra ſcabiem decocto, poſt unam alteramve artuum lotionem, aut poſt inunctionem pauco *Mercur. vivo pinguibus permixto* factã, brevi ſubſequebatur, Nuper cuidã alium, lue Venerea affectum illinenti aphthæ

cum

cùm larga incipiente ſalivatione in faucibus obortæ ſunt: Quibuſdam etiam *Mercurius dulcis* diutius detentus, ſalivationem parat; unde à cautioribus nonniſi cum ſtimulo exhibetur.

Admiratione non caret dimidiam libram *Mercurii vivi* devoratam à Cane *Hiſt. 2.pag.399.* nullum, ſymptoma quod alicujus momenti eſſet, excitaſſe, cum apud *Schenckium ille Pharmacopœum,* & apud *Hacſtellerum,* Paraſitam ingurgitatum male mulctarit, *Wepferus Tr.de Cic.p.3.4.*

25. *Argentum vivum*) Duplex reperitur unum *nativum*, quod & in montium cavernis ſponte confluit, ex ſua vena, ſeu lapidea materia, ob gravitatē ſuam proſtillans; Alterum *factitium*, quod ex materia lapidea, quæ inſtar terræ fragilis, & ex nigro rubeſcens atque inſtar plumbi ponderoſa eſt: Per deſcenſum deſtillatur ex uno fictili vaſe in aliud, igne ſuperpoſito in patenti area, ne noxam ejus fumus inferat; Materia argenti vivi, Græcis ἄνθραξ Latinis *Vena minii* ſive *Cinabrii*; vocatur.

Argentum vivum tota ſua ſubſtantia & extrema frigiditate venenum eſt; quanquam plurimi Medicorum illud contra ſenſum, & rationis indicium, extreme calidum eſſe contendant; Quorum ſententia ſi de argento vivo, violentia ignis denſato, vel in aliam ſpeciem traducto, veluti eſt *Mercurius præcipitatus & ſublimatus* intelligatur, tum veriſſima eſt, non autem de crudo argento vivo.

Argentum itaque *vivum* intra corpus aſſumptum, & foris corpori inunctum aut fumo ejus membra imbuta, ſemper perniciem & graviſſima infert ſymptomata: Intra corpus aſſumptum, ſi ſtando aſſumatur ſuo pondere & ſphærica figura, paulo poſt ex ventriculo per meatus inteſtinorum in anum delabitur, & inde è corpore profluit, nec multum noxæ præterquam refrigerationem viſcerum infert; Inter cubandum autem aſſumptum, ſi in aliqua cavitate partium diutius hæreat, calorem nativum, & ſpiritum vivificum extinguit, & perniciem mortemque inferre poteſt: Similiter ſi per poros cutis cum aliis unguentis mixtum & inunctum (ſicuti Tonſores hodie Scabiem Gallicam curare conſueverunt) vel ſi ex ejus fumo ac vapore venenato partes corporis imbuantur, frigida ſua qualitate ſæviſſima infert ſymptomata, inprimis oris exulcerationem, dentium mobilitatem, oſſis palati putrefactionem, nervorum contractionem & artuum tremorem, paralyſin, ſæpe & epilepſiam; apoplexiam & omnium ſenſuum debilitatem; quemadmodum videre eſt in iis qui hydrargyro ſunt inuncti, & in aurifabris qui crebro tractant argentum vivum.

Sunt tamen viri docti, qui *argenti vivi in aceto* probe eloti, & per tenue corium expreſſi dr.i. intra corpus ad lumbricos enecandos, & mulierculis difficultate partus laborantibus exhibere docent, ſine ulla noxa; Sed id tentandum erit erecto corpore, ut ſuo pondere per anum denuo deſcendere queat, & ſemper argentum vivum, non autem ſaliva extinctum, quod inteſtinis adhæreſcit adhibendum eſt. *Fr. Joel.*

26. *Argentum vivum cujus*) Quæ in averruncandis *Mercurii* aſſumpti non rite præparati vitiis virtus inſit *Antimonio diaphor.* ex ſequ. patebit hiſtoria, *Mercurium* aliquando ſublimaturus, cœpi illum in aqua ſolvere ſtygia, abſtractum dein & ſiccatum cum colcothare & ſale calcinato, in lignea paropſide bene miſcui cum piſtillo ligneo: Exhalans inde tetra mephitis per os & nares cerebrum ſubintravit, meque miris per biduum divexavit ſymptomatis, nil opis ex *theriaca, mitridatio*, &c. expertus; Appetitus omnis ablatus, totius laſſitudo, nonnunquam artuum convulſio, nulla ſubſequente ſalivatione, Aurum in ore detentum non fuit maculatum, nil ſudor profuit, Tandem ſub noctem alterius diei ad *Antimonium*, quod noviter habui præparatum *diaphoreticum* confugi, ejuſque ℈j. ponderaturus ʒi. integram immiſi per noctem in *aquam card.ben.* Mane ſequenti infuſionem hanc epotavi, mox ad ſudorem compoſitus madore fere deffluxi; Lecto egreſſus in hypocauſtum murato induſio obambulare cœpi; Vomitus ex improviſo vehemens ſequutus eſt, vel ternis vicibus, quo vix peracto ſexies copioſa ſupervenit dejectio, citra ullum virium lapſum, quin poſt exactum vix horæ ſpatium, me mire refectum & reſtitutum ſenſi. *Johann. Georg. Volkamerus Med. Sept.vol.2.pagin.375.*

Aurifabro ſexagenario idem id tulit auxilium, qui diebus octo in curandis cupreis laminis, quod ſub dio factum, fuit occupatus, tremulas exinde acquiſivit manus, cum frequenti capitis mutatione: Præſcriptis pro triduo tribus ſcrupulis *antimonii diaphoretici*, *in aqua ſcorzon.mont.* exhibitis, ſubſecuto ſudore, ad priſtinum artuum robur D.B. reduxi, &c. *Idem ibid.*

Mercurii fumus.

Ad tremorem à *Mercurii fumo* hauſto ortum, egregie confert ſi *urina propria* tremula membra ſæpe laventur.

26. *Cujus fumo recepto*) Curatio ſymptomatum *Argenti vivi* per imprudentiam intra corpus aſſumpti, eſt valida corporis concuſſio, qua per meatus inteſtinorum & anum profluere queat, Si autem alvus ex duris fæcibus ſit obſtructa, ita ut ſponte id effluere nequeat, clyſter ex *hydromelite*, cui admiſtum ſit *ſal*, nitrum, & *hiera picra* inteſtinis infundendum, erit, Aut ſi ita neceſſitas expoſtulet, devoranda præbeatur *Pilul: aureæ* ʒj. cum *trochiſc. albandal gr.* iv. Expurgato argento vivo, ut ejus venenatæ qualitatis veſtigium ſopiatur, utile erit ægro exhibere *Theriac. Androm.* ʒii, & ad ſudandum cogere.

Symptomata vero quæ ex *argento vivo* à perfidis Tonſoribus; præſertim in curatione morbi Gallici, introducta ſunt, aut Cinabrii venenati fumigatione excitata, ut ſunt capitis continui cruciatus, languor & imbecillitas artuum; ſenſoriorum omnium labefactatio, & inſanabilia ulcera, Nullum eſt præſentius ac ſalutarius remedium quam methodica curatio noſtra, cum duabus nobiliſſimis radicibus *Chinæ & Sarmenti Indici* decoctis, Quæ curatio videatur Tract. de dicto morbo. *Fr. Joel.*

N. ferreis æreiſque laminis inaurandis vitam apud nos tolerans, dum ſuperiori hyeme aliquanto incautius lamellas ſuas amalgamare exercet, in conclavi ſpiraculis camini deſtituto, adeoque haurit liberaliter ore & naribus infauſtos *argenti vivi fumos* ſentit paulatim capitis vertiginem & gravitatem pectoriſque anguſtias adeo crebras & enormes ut actum de vita ſua putaret.

Evocatus in auxilium obſervo vires in corpore, licet juvenili collapſas, faciem cadaveroſam, oppreſſionem pulſus, tremorem membrorum, turbata omnia, *Credibile corpuſcula illa fumantis mercurii*, quamvis minutiſſima impacta nervis acceſſiſſe tremorem; admiſſa in ſanguinem, motum illius naturalem impediiſſe.

Reſtituerunt ægrum frequentes ſudores ex alexipharmacis, & *decoctum* præcipue *rad pimpinellæ ſaxifragæ* crebriori uſu malum penitus ſuſtulit. *Olaus Borrichius Med. Sept.vol.2.p.374.*

Ex vivo Argento Carpis applicato mors.

Eſt Argentum vivum Equo indomito ſimile quoties in manus imperitas incidit; Id apud nos expertus eſt vir Illuſtris, cum ex febre ardentiſſima & ſimul ma-

ligna decumberet; Hic ſpe celeris curationis paſſus eſt agyrtam ſuas artes depromere, qui poſtquam de ſuis experimentis magnifice peroraſſet, replet duos pulvinos linteos argento vivo currente, & pulſibus utriusque carpi ſecure alligat, addito promiſſo, fore ut brevi calor ille febrilis extingueretur, Et vere præſagiit, ſed extinctus præternaturalis calor nativum etiam totius corporis calorem ante exactas xxiv horas improviſo extinxit, & ægrum in Libitinæ nationes tranſcripſit. *Olaus Borrichius Medic. Sept. vol. 2. p. 373.*

27. *Fumo recepto*) Symptomata quæ ex *fumo argenti vivi* in corpore concitata, ſunt tremor membrorum debilitas articulorum & paralyſis.

Hauſtu vini in quo cephalica) Curabuntur crebra ſudoris provocatione in *balneo ſicco ſudorifico.* cui infuſæ ſunt herbæ facultatem habentes poros cutis aperiendi & nervos roborandi, *ſalvia, chamæp. beton. & lavendula cum baccis junip.*

Confert quoque plurimum ſi æger hauſtulum *vini* ebibat, in quo *fol. & frondes roriſmar. ſtœcad. Arab. & centaur. minor* ſint incocta. *Fr. Joel.*

28. *Sublimato*) Cani ante primam pomeridianam *Mercurii ſublimati* ℈ß. carni involutum exhibui, quem avide devoravit; paulo poſt ſurſum deorſumque purgabatur; Vomitu rejecta ſpumea & viſcida mucoſa erant; fæces alvinæ pultaceæ & ſubflavæ: Pedibus & ore ligatis, cane ad latus inclinato, abdomen in latere ſiniſtro incidi; prorupit ſtatim ventriculus admodum inflatus cum inteſtinorum portione, Diu intentus eram ad ventriculi contractionem, fiebat lentiſſime, incipiens fere à pyloro aut ejus antro; quandoque in medio à fibris circularibus corrugabatur; contractis fibris rectis ſulci ſuperficiarii ſecundum longitudinem in fundo inprimis, exporrecti conſpiciebantur, Preſſo ventriculo flatus per os elidebantur, mox tamen rurſus flatibus impletus fuit &c. Ventriculum cum portione gulæ & duodeni totum exemi, &c. Ventriculo deterſo nullum ulcus obſervavi, &c. ſub limbo pylori in duodeno rubro, & quaſi inflammato, hæſit mucus croceus &c. Jejunum & portio Ilei rubebant, In medio arearum glanduloſarum manifeſta aderat ſuperficiaria eroſio &c. In vena cava à capite deſcendente, & ab hepate aſcendente ad cor, ſanguis in tenacem grumum concretus & ſplendide innigreſcens erat, ut ceu culter ex vagina extrahi poſſet.

Cani majori mane hora 8. *Mercurii ſublimati drachmam unam cum mica panis* in bolum redactam dedimus: Vix quadrante horæ elapſo magno nixu vomere cœpit, primum mucum craſſiſſimum, tenaciſſimum, ſpumeum, idque parvis intervallis, novies: Circa horam ix. decima vice mucum priori ſimilem primo cruore tinctum, poſtea adhuc ſexies, ſed longioribus intervallis & magis magiſque cruentum, & ultima vice atrorubeſcentem evomuit, vomitu rejecta ſemper copioſa erant &c. Circa 6. veſpertinam excrevit fæces cruentas, poſtea nigras & piceas: Poſtridie hora 6. matutina mortuum adhuc calentem invenimus, artubus flaccidis, plane non rigidis.

In cavitate pectoris nullum ſanguinem extravaſatum reperimus, Pulmones inflati erant, rubicundiores debito, maxime in latere dextro; In limbis illorum extremis ramuli ſanguine turgidi conſpicuis: Cordis dexter ventriculus & auricula, vena cava aſcendens, deſcendens, azygos & intercoſtales à ſanguine diſtentiſſimæ erant; In ſiniſtro quoque ventriculo & auricula multum ſanguinis aderat, minus tamen quam in dextro; In aorta paucus ſanguis occurrit; Sanguis neque in ventriculis, neque in vaſis majoribus & minoribus, neque ullibi coaluit, nec vel minimus grumulus inventus fuit, Ductus thoracicus, & chyli receptaculum lympha cruenta plena erant.

Aperto abdomine plurimum ſanguinis extravaſati inter hepar & ventriculum in hypochondrio ſiniſtro, ut & intra duplicaturam omenti circa ventriculum invenimus, Ventriculum & inteſtina plena & diſtenta, non tamen valde inflata erant; foras atrorubeſcentia in paucis minus rubicunda apparuerunt; Venæ meſentericæ & Porta ſanguine admodum diſtentæ fuerunt: Veſica vacua & corrugata; Pancreas rubicundus ſolito, Lien atro rubeſcens, Gula intus rubicunda & inflammata, Ventriculus muco cruento, ſpumeo, viſcido plenus, ſimilis mucus in toto reliquo inteſtinorum ductu conſpiciebatur, In Recto fæces pice nigriores & tenaces nulla veſtigia mercurii.

Contentis ſublatis, ventriculus intus undique rubicundus & inflammatus, excepto antro pylori, videbatur, Inteſtina à pyloro ad imum recti inteſtini itidem inflammata erant, minus tamen areolæ glandularum rubebant: Ablata tunica fibroſa gulæ & ventriculi, inter illam & tunicam nerveam, ſanguinem grumoſum, extravaſatum in plurimis locis reperi, & in pleriſque inteſtinis inter has tunicas; In ventriculo & inteſtinis quoque cruſtacea rubebat, alicubi etiam abraſa, vel potius eroſa, ſed non penitus erat; Ventriculo & inteſtinis aliquandiu aqua maceratis cruſtacea facile abſcedebat, nervea, quamvis, per totum ventriculum & in inteſtinis inflammata erat, nullibi tamen exulcerata aut eroſa conſpici potuit.

Scholia in prædictas Hiſtorias.

Mercurius ſublimatus quantum irritando ventriculum & inteſtina valeat appareat ex vomitu & alvi dejectione cita poſt aſſumptionem: Ipſa muci copia qualibet vice ejecta irritationem acerrimam, ac, ut *Kunckelius* loquitur, gradu & quidem inſigni Arſenico acriorem probat; quod etiam vomitus & dejectiones cruentæ, & magna muci cruenti in ventriculo & inteſtinis reſtans abundantia evincunt. Imo ſpicula *Mercurii ſublimati* prorſus ignea fuiſſe patet ex inflammatione & gangræna ventriculi & inteſtinorum canis in *hiſtoria ij,* & inteſtinorum canis in *hiſtor. i.* quam quoque proculdubio feciſſet in ventriculo, niſi aqua ſæpius in ventriculum injecta mitigatus fuiſſet cujuſmodi particulis acribus, calidis & tantum non igneis & penetrantibus Veſicantia prædita ſunt; Similes particulæ prope igneæ per cruſtaceam tunicam ventriculi & inteſtinorum penetrantes primum extrema venarum capillamenta aduſſerunt, unde refluxu impedito inflammatio, poſtea quoque arteriarum combuſſerunt. unde affluxu vivifici ſucci cohibito gangræna ſubſequuta fuit; & proculdubio niſi cruſtacea tam poroſa fuiſſet, & muco copioſe tum ſudanti aſſueta facilem tranſitum conceſſiſſet, in veſiculas ſublata fuiſſet non ſecus ac cutis veſicatoriis impoſitis, Iiſdem particulis portionem cruſtaceæ ſuſtulit in ventriculo canis *Hiſtoria ij,* quibus obſtitit nervea ubique compage denſiore prædita, unde neque in canibus exulcerata inventa fuit, neutiquam vero cruſtaceam inflammarunt, cum nulla vaſa ſanguifera ad illam pertingunt, & robur potius vel ſanguinis extravaſati tincturæ, vel tranſparentis nerveæ, colori deferendus ſit: Sanguis inter tunicam fibroſam & nerveam, ut & inter ventriculum & hepar, & in duplicatura omenti extravaſatus fuit, non tam eroſis vaſis ſanguiferis, quam ruptis ob violentiſſimos conatus in *Hiſtor. ij.* Quamvis in hoc cane Vomitum præceſſerit pulſus ſonorus in hypochondriis, & proculdubio diaphragma in nixu violentiſſimo cum pulmonibus vehementiſſime ſuccuſſum fuerit, nullum tamen vas in pectore ruptum fuerit; at pulmones præcipue in dextro latere: rubicundiores; in extremis limbis vaſa ſanguifera conſpectiora, & macula rubra apparuit, niſi

ſanguinis

ſanguinis circulationi interceptæ hæc adſcribere velimus.

Faſtidium canum ſoli muco, non bili deferendum eſt, cum nulla ad ventriculum aſcenderit, & cum carnes objectas faſtidirent, nil niſi mucum evomuerint, *Inflatio abdominis & ventriculi* evenit ob copiam flatuum in ventriculo detentam, utroque ejus orificio arcte occluſo, unde in cane *hiſt.1.* exprimendus erat; Flatus producti rum à calore, & fermento ventriculi, tum à ſale ſylveſtri *mercurii*, ex copioſiſſimo muco, denuo ob mercurii irritationem continuam profecto: unde exploſis aut expreſſis flatibus, ſtatim novi tenaſcebantur.

Cur nullæ convulſiones tantopere irritata membrana nervea ventriculi & inteſtinorum ſupervenerint? explicata mihi per difficile videtur, cum mitius his partibus afflictis aliquando Præſes ſyſtematis nervoſi excandeſcat, & hac ratione opitulari conetur, In cane *hiſtor.1.* injectiones aquæ calidæ, in ventriculum forte convulſiones averterunt &c. Forte Præſes ſyſtematis nervoſi non in auxilium raptus fuit, quia ventriculus validus hoſtem ſolum in principio excutere conatus eſt; atque id plurimis nixibus auſus eſt; poſtea à tot laboribus diſſipatis ſpiritibus animalibus, præſes ventriculo non amplius ſuccurrere valuit; unde quoque circa veſperam vomere deſiit, Verum his nec mihi ſatisfacio; res ardua repetita experimenta poſtulabit.

Canis *hiſtor.ij.* mortuus eſt, non ob coagulationem ſanguinis, cum nihil grumoſi ullibi in ventriculis, auriculis & vaſis inventum fuerit; Nec ob defectum ſanguinis, cum ventriculi cordis, auriculæ vaſa; etiam in meſenterio & pectore plena adhuc fuerint, ſed ob ſpirituum vitalium & animalium diſſipationem à tot laboribus, quos vomitus crearant, eorumque corruptionem à gangræna ventriculi & inteſtinorum, particulis pravis ſanguini permixtis, nam receptaculum chyli, & ductus thoracicus lympha cruenta implebantur; In Cane quidem *hiſt.1.* ſanguis coagulatus in ventriculis & vaſis repertus fuit, at tum demum poſtquam perfriguit: forte ſi citius ſauciata fuiſſent vaſa, ſanguinem fluidum ſtillaſſent. *Wepferus cap.21.*

28. *Sublimato oleum tartari*) Hujus venenatæ rei ſymptomata ſunt fere immedicabilia, niſi poſt aſſumptionem, (antequam materia veneni membranas penetravit) ejus ſubſtantia evacuetur, hauſto *oleo roſar.* ac deinde ejus virulenta eroſio *lactis caprilli potione*, in quo *ſemina pſyllii* ſunt macerata, & multa *butyri recentis* eſitatione frænetur, *Fr. Ioel.*

28. *Sublimato oleum tartari*) Puer annos duos cum dimidio natus, hora v. veſpertina clanculum officinam Aurifabri ſubintrans, *Mercuris ſublimati* grana circiter octo inglutiit; unde mox tormina ſæva, ventris inflatio & ſalivatio, excitabantur, Vocatus protinus dedi *ſyr. emet. cum ſucco cydonior.* paratum, Vomitu peracto, large ipſi *lac caprinum cui mucilaginem ſemin. pſyllii* permiſcui potandum propinavi: Inflatio & tormina brevi ceſſarunt; ac noctu dormivit; Poſt, 4, dies Phthiſis periculum imminens declinavit potu lactis caprini cum *ſemine cydonior. & malvæ cocti*, nec hactenus quicquam adverſi paſſus eſt. *Sigmundus Konigs Phyſicus Bernenſis.*

Mercurius dulcis.

28. *Sublimato*) Catellæ nondum menſtruæ cum Exc. Dom. Dom. *Henrico Screta* hora xi. antemeridiana dedi *Mercurii dulcis drachmam dimidiam*, non diu poſtea fæces liquidas, pultaceas pallide flaveſcentes excrevit, hora 1. pomerid. ſiticuloſa erat, lingebat manum ad moram, lingua prope exſucca, lac ori inſtillatum avide deglutiit; ſeu ſiticuloſa, ſeu à mercurio dulci dolens voce admodum ſubmiſſa vagiit; Vegetior tamen perſtitit Catella illa, cui magiſterium Gialapæ intruſimus.

Poſt 2. horam pomerid. thoracem in ſiniſtro latere incidi, Pulmones ex amplo vulnere, etiam coſtis digito diductis, aëre pleni prorumpebant in inſpiratione, nullo vacui metu, cum vulnus admodum patulum eſſet: Vulnere in *abdomine* facto, ventriculus diſtentiſſimus erupit; circa medium conſtringebatur, corrugabatur, indeque anterius & in fundo inæqualis & quaſi anfractuoſus reddebatur, ſenſimque parvus admodum evaſit, gula diſtendebatur, nunquam tamen vomuit &c. Ventriculus prope omnino vacuus erat, nihilque præter *Mercurium dulcem* grumulis involutum, alioſque grumulos lactis ſinceros continuit; Nulla prorſus inflammatio apparuit &c. Nullibi nec circa areolas inteſtina inflammata apparuerunt.

Ex quibus concluſimus *Mercurium dulcem* minus ventriculo & inteſtinis infeſtum eſſe, quam *magiſterium Gialapæ*, minuſque ferociſſe quam illud in alia catella fecerat. *Wepferus p. 303.*

Mercurius dulcis irritavit, at blande, unde ſolummodo per alvum egeſſit, lac avide deglutiit, & proculdubio mortem evitaſſet, niſi culter illatus fuiſſet; Et omnino poſt mortem patuit *Mercurium dulcem* minus irritare ventriculum, quam *magiſt. Glalappæ*, cum non tam pertinaciter ventriculi & inteſtinorum tunicis adhæreat nec inflammat, ut hoc efficere ſolet, & ſæpe, propterea torminum & hypercatharſis author exiſtit, maxime ſi vis ejus non probe dilatetur. *Idem p. 308.*

Mercurius dulcis.

Fœmina *Mercurii dulcis* uſu gr. xv. purgata, variis agitari cœpit ſymptomatis; minus rite præparatum fuiſſe effectus docuit; xviii. annorum ætatis quippe fuit, in ore ingratum metalli ſaporem inſtar ſublimati retulit, vomitum excitavit, & tormina ventris, exaſperatis inde faucibus: Veſperi ſatis perturbatam inveni ægram, cui Venetas porrexi pilulas, ut murmurantem ſopirem ventrem; Nocte bene peracta, illi valedixi, Poſt quatuor ad illam revocatus dies, faciem offendo pallidam, dentibus nonnihil vacillantibus, fœtente oris halitu, toto corpore imbecillem & quaſi tremulam.

Quid conſilii in arena ut eligerem dubius, cujuſdam tandem in me ipſo facti experimenti memor, exhibeo cubitum ituræ *pulver. antimonii diaph.* ℈i. ſudavit per noctem, quievit, maneque bene percurata, medicamentis alius valedixit. *Io. Georg. Volkamerus, Med. Sept. vol.2 p.375.*

28. *Sublimato*) *Argentum vivum ſublimatum*, nihil aliud eſt, quam *argentum vivum* violentia ignis in vitrea cucurbita in ſublime coactum, fixum & condenſatum, Hic *ſublimatus Mercurius* Cauſticæ & adurentis eſt naturæ, adeo ut ſuo contactu, ſive foris applicetur corpori, ſive intra corpus ſumatur, non tantum partes omnes uſque ad oſſa adurat, corrumpat & putrefaciat, ſed & ferro cum aliquo liquore illitus, ipſum erodat & abſumat; Eſt itaque *Argentum vivum ſublimatum omnium rerum venenatarum penetrantiſſimum perniitioſiſſimum & immedicabile*, habet tamen & ipſum ſuam in Chirurgiæ utilitatem; nam ſi quantitate nucis avellanæ in *aqu. roſar. vel plantag.* ℥vi, *in qua ſemina pſyllii* ſunt macerata, reſolvatur, & foras *Serpigini*, lichenibus & puſtulis Venereis illinatur, eas exſiccando, & pruriginem tollendo facile perſanat, Intra corpus autem vel tantillum ejus aſſumptum, ſtatim ventriculi & inteſtinorum tunicas erodit & corrumpit, inflammationem intumeſcentiamque linguæ & faucium infert, ac paulo poſt cruoris per alvum effuſionem, poſt miſeram mortem inducit. *Fr. Ioel.*

Id agit ſola potiſſimum corroſitate, quod patet ex

effectibus, ventriculo præſertim & inteſtinis ſphacelatis, ſed & quoque ex analyſi, Mercurii ſublimati neque enim mercurius vivus, neque ſal, neque nitrum, neque vitriolum, quibus cum ſublimatur, eſt venenum, ſed ſola textura unde emergens; qua iterum immutata per additionem Mercurii vivi & ſublimationem, in mercurio dulci, eadem quoque venenoſitas emoritur. *Wedelius Am. m. m. pag. 315.*

27. *Sublimato* (Bina occurrunt, *Corroſivum & Dulce* dictum, Perinde autem eſt an ex Mercurio cum vitriolo & ſale vulgari; nitro, aliiſve mixto, atque ſemel aut ſæpius ſublimato; An ex eodem Mercurio, in ſpiritu aliquo acido, vel aqua forti prius ſoluto, hinc poſt lentam liquoris evaporationem tandem igne fortiori itidem ſublimato paratus ſit Mercurius ille corroſivus, nec facile talis ab ullo in uſu revocandus; ob ſummam ſui acrimoniam; & ſummum noxæ futuræ periculum; Hoc igitur neglecto, laudo & commendo unicuique *Mercurium dulcem*, qui paratur ex dicto corroſivo, una cum *Mercurio* crudo trito, & ſic ſimul ſublimato, unde blandus & dulcis, non corroſivus amplius elevatur, Plerique quidem ipſi Mercurio adſcribunt vim noxiam in ſublimato corroſivo notabilem, at tota illa pendet à Spiritibus acidis, una cum ipſo elevatis, & à recenti Mercurio temperatis: Noxa igitur *Sublimati* metuenda pendet à Spiritibus acidis copioſe in ipſo concentratis, nec temperatis, quos temperat idem Mercurius crudus corroſivo admiſtus; & cum ipſo denuo ſublimatus. *Sylvius Append. Tr. 3. §. 265.*

28. *Sublimato) Pulver. cryſtall. albi* ʒj. peculiare eſt antidotum contra *ſublimati* vim deleteriam cum ſyrupo *violar. vel limon.* ℥i. Franc. Valleriola. *Obſ. 6. l. 1.*

Mercurius Præcipitatus.

Argentum vivum, ſive *Mercurius præcipitatus*, eſt Pulvis crocei coloris ex argento vivo per aquam fortem mortificato, ac tandem calcinato confectus; *Paracelſo* Turbith minerale vocatur, Mercurius autem præcipitatus per ſupernam & infernam evacuationem ſatis violentam omnes putridos humores venenatamq; colluviem expurgat. Nobiliſſima eſt medicina in curationibus deploratorum morborum, veluti ſunt lepra, Morbus Gallicus, continuus capitis dolor, epilepſia, cachexiæ, phagedenici tumores, ulcera ſordida & omnis generis vulnera. Cavendum tamen eſt Medico, ne viribus exolutis hiſce remediis utatur, ſed viribus conſtantibus & in corporibus robuſtis.

Pulvis præcipitatus, ſi non ſatis probe ſit præparatus, aut non juſta menſura exhibeatur, ſymptomata infert argenti vivi, potiſſimum autem putidæ ſalivæ ex ore continuam effluxionem, & dentium vacillationem tremoremque membrorum.

Hæc ſymptomata curari poſſunt *decocto rad. Chinæ*, aut *Sarmentici Indici*, cujus præparationem *vide in cap. de lue Venerea*, *Fr. Joel.*

Ex Argento quæ fiant res Venenatæ.

Ex *Argento* duæ utiliſſimæ res conficiuntur, utræque tamen intra corpus aſſumptæ venenatæ & pernicioſæ habentur, de quibus ſeorſim, *Caruleus color & Spuma Argenti.*

Caruleus Color.

Præparatur color amœniſſimus, Pictoribus gratiſſimus, cæruleus, ex argento, *Laſurinum* vocant, (*Gallis du Lazur*) qui hac ratione paratur, Argentum malleo extenditur in bracteas, quæ obliniuntur linimento ex argento vivo facto, & exſiccatæ laminæ in ollam vitream, aceto vini acerrimo ſemiplenam, in quo aceto antea reſoluta ſunt *ſal armoniacum & tartarus* in calcem redactus ſuſpenduntur, ita tamen ne argenti lamina acetum attingat, ſed tantum in obtecta olla vapore ejus maceretur, idque ad dies 14. Deinde excipiuntur Argenti laminæ, in quarum ſuperficie hæret *color lazurinus*, qui colligitur abraditurque à laminis, Et rurſum argento vivo inunguntur, ac in vapore aceti macerantur, donec lamina argenti in colorem dictum mutetur, Fit quoque ex *lapide Lazuli*, de quo infra.

Materia hujus *Lazurini coloris*, cum propter argentum vivum, tum propter vaporem *aceti* medicati, & cum *ſale armoniaco* mixtis, venenum eſt, & ſi per imprudentiam intra corpus aſſumatur, erodit ventriculum & inteſtina, & nervos debilitat, reſpirationiſque difficultatem infert.

In horum ſymptomatum Curatione, prodeſt 1. evomere materiam coloris præſumpto hauſtulo aquæ *juniperi* per deſcenſum deſtillatæ, Deinde affatim crebro edendum detur *butyrum recens*: Bibendum vero *vinum optimum*, in quo coctæ ſunt frondes *roriſmar. Antidoti* loco eſt *Theriacæ Andr.* ʒii. aſſumere & cum ea ſudorem provocare,

De Spuma Argenti, Lithargyrio.

Lithargyrium, cum adjectione *auri* vel *argenti*, cum tamen una & eadem res ſit, & nonniſi ſplendore coloris, albo vel rubro diſtinguatur; Eſt autem lapidea materia in excoctione, ſeparatione & purificatione Argenti, in fornacibus ex plumbo nigro & pyrite liquefacto ſimul mixtis conflata; In ſeparatione enim Argenti, ut commodius liquefiat materia, & fluidum magis reddatur argentum, plumbum nigrum utplurimū admiſcetur.

Magnus uſus eſt *ſpuma argenti* in Chirurgicis curationibus, refrigerat enim, exſiccat & conſolidat, ideoque Emplaſtris miſcetur, & Empl. in myropoliis *Triapharmacum*, ſive *Brutenicum ex oleo & pulvere lithargyrii ex aceto* conficitur, Intra corpus aſſumptum Venenum eſt & hæc infert ſymptomata, *Calorem nativum & ſpiritum vitalem extinguit*, *ſanguinem in venis & arteriis condenſat, reſpirationem intercipit, & facultatem motricem artuum opprimit, ventriculi concoctionem tollit*, & *corpus totum livido colore tingit.*

Curatio conſiſtit primum in valida alvi ſubductione, per acre clyſma ex decocto *centaurii minoris*, pauxillo *Colocynthidis* addito, *oleo rutæ & hiera picra*, Per vomitum enim *argenti ſpuma* præ ponderoſitate ſurſum expelli nequit; Ideo crebrius clyſteribus eſt utendum: Deinde confert *butyrum recens* crebro & affatim eſitarum, Item *ol. amygd cum tepida cerevisia* ſubinde bibitum, Utiliſſimum quoque eſt ſæpe guſtare *aquam juniperi per aſcenſum deſtillatam*, quæ vim habet vini ſublimati: Antidotum *Lithargyri* eſt *Theriac. Androm.* ʒii. cum *vino generoſo*, aut *olei myrrhæ* aut *angelicæ* ℈i. aut *ol. vitrioli* ℈ß. cum vino. *Fr. Joel.*

Cinnabaris.

Mercurius ſi ſublimetur cum ſulphure dat *Cinnabarin*, ſublimatur autem ſi

℞. *Mercurii vivi* ℔ß. *ſulph. comm.* ℥iii. miſta hæc ſublimantur & exurgit ſal artificialis: Quæritur an *Cinnabaris nativa* poſſit tuto intra corpus aſſumi? Non immerito dubitant nonnulli quibus ſuſpectum eſt ſulphur arſenicale, quod plerumque in mineris ſe ſolet aſſociare; propterea reiicitur *Cinnabaris nativa*, præfertur artificialis & quidem tutius: Nihilominus ſi placeat uſurpare nativam, corrigatur ejus virulentia partim ſublimatione partita cum ſpiritus vini deflagratione. Per repetitam ſublimationem corrigitur cinnabaris, quando ſulphur ejus arſenicale avolat, & fæces nocivæ ſegregantur, uti quoque fit in *Cinnabari antimonii*. Quod ſi non datur occaſio ſublimandi, recipitur cinnabaris nativa, coqui-

coquitur in aqua fervente aliquoties, poſtmodum pars prius ſupernatans ſubigitur cum ſpiritu vini & deflagratur; ſic quaſi pura acquiritur Cinnabaris nativa. *Ettmuller. Pyrotechin. p.79.*

Cinabrii ſuffitu utuntur Medici & Chirurgi in curandis ulceribus certarum partium, ex lue Venerea contractis; Etſi enim fumus acerbiſſimos dolores partium ſedat, atque ulcera conſolidet, tamen deinde longe acerbiora infert ſymptomata, qualia argentum vivum. *Fr. Ioel.*

Ex Auro quæ fiant res venenatæ.

Ex *Auro* nulla fit venenata materia, eſt enim per ſe puriſſimum metallorum, niſi forte per accidens ex ignorantia Chimicorum *Aurum potabile* venenatum reddatur, ab illis multum deprædicatum, Atqui pauciſſimi ſunt artifices qui ſine venenatis liquoribus *Aurum fluidum* facere queant, ſed neceſſe habent, ut primum cum *aqua forti* in pulverem reſolvant, & ita in liquorem redigant, Manet autem in ipſo Auri liquore ſemper venenata *aquæ fortis* qualitas; quæ niſi debito modo ab aureo liquore in totum ſeparetur, quod nunquam aut rariſſime fit, impoſſibile eſt Aurum illud liquidum intra corpus ſine noxa aſſumi poſſe. *Fr. Ioel.*

Antidota Mineralium Venenatorum.

Mercurius ſublimatus, Arſenicum, Cobaltum &c. uti manifeſta plane nempe corroſiva agunt qualitate, ita *theriaca*; quæ proprie morſibus animalium venenatis dicata, & eo nomine inventa eſt, eis unice vix profuerit; Sed Antidoti vice funguntur, tum obtundentia & demulcentia pinguia, *butyrum* &c. hinc qui in foro probant ſublimati argenti vivi, vel præcipitati aſſumptione theriacam, butyro copioſo ſe prius præmuniunt; *Præcipitantia ex cryſtallo montana & ſimil.* quæ ipſa ſaltem in leviori caſu prodeſſe poſſunt, non item in majori, cum non ſit proportio inter agens & patiens; neque à natura actuari atque antidotus poteſt, ſi peſſundetur ſtatim ventriculus, ipſique eſchara lethalis & ſphacelus inducatur.

Aſſumpta *Saturnina*, ut globuli plumbei, & ſimilia, acidis exhibitis in ſaccharum quaſi fatiſcunt; & ſenſim corroduntur. *Wedelius de ſimpl. Med. Fac. p.169.*

Venena metallica.

Ad curam morborum metallicorum (à vaporibus & fumoſis halitibus ore exceptis) is excellentiſsimum & ſelectiſſimum medicamentum ſeligat ab *eſſentia tartari* quæ ſic fit. Miſceatur ſimul *tartari liquor*, *laudanum papaveris, oleum ex colchotare elicitum*, hæc deſtillata liquorem præſtabunt, qui gr. iij. dozi quolibet ſemeſtri ſumptus, ab omnibus venenoſis metallorum vaporibus liberum reddere dicitur: Qui vero jam infectus, abſtrahe à vitriolo phlegma ſuum tamdiu, donec fiat mellis inſtar dulce & ad purpureum colorem inclinat. *Doſis gutt. I. in aqua veron.* Vel

Sal ex urtica extractum in ſua aquoſitate tamdiu rectificetur per ignem moderatum cinerum vel arenæ, aut etiam rotis, donec olei pinguedo conſpiciatur, quæ à ſuis fæcibus ſeparata quotidie gutt. iii. dozi exhibeatur ex *aqua veronica*. Athanaſius *Kircherus Mund ſubt. l. 10. ſ. 2. c. 3.*

Malignitas è fumis metallicis venenatis & aliis per mineralia medicamenta curanda.

Malignitatem ex fumis metallicis venenatis vix aliter quam remediis mineralibus expugnabitur: Teſtatur hoc puellus aurifabri qui aſthmate fere deſperato laborat, nihilque quam appropriatis ad hunc affectum remediis proficientibus, tandem vocatus, ego protinus ſuſpicor mercurialis fumi malignitatem hunc morbum produxiſſe, propterea quod parens confiteretur ſe per dies aliquot ſub initium hujus affectus, in præſentia pueli deaurandis vaſis argenteis operam dediſſe: Mox gr. xii. *Mercurii dulcific.* ſemel atque iterum exhibeo, cujus beneficio puellus ab imminente ſuffocatione liberatur.

Quidam in ſeparatione metallicæ materiæ, aurifabris inſtar ſcoriarum reſiduæ ſtrenue laborans, in graverа diſpnœam incidit, cui robuſto I, purgans exhibeo quod

℞. *Laxat. miner. comp. gr.* viii. *pulv. ſyrij gr.* vi. *Merc. dulc.* ℈i. *m. cum* ℥ii. *conſerv. roſar. pro Bolo.*

Hac vacuatione feliciter peracta, per *antimon. diaphor.* cum pauxillo *theriac.* permiſtum, bis ſudorem provocavi, paucis diebus ægro perfecte ſano.

Hoc igitur in fodinis metallicis, & ad fornaces ejuſmodi viventes, cum etiam aurifabri, chymiatri, laborantes & ſimiles diligenter obſervent & nunquam non appropriatorum medicamentorum aliquod in promtu ſecum habeant &c. *Gregor. Horſtius obſerv. 25. lib. 7.* Ubi alia adducuntur exempla curationis morborum ab ejuſmodi cauſa inductorum.

Sulphur.

Multas præclaras vires *Dioſcorides & Galenus* attribuunt *Sulphuri* & intra extraque corpus applicare docent: *Dioſcorides* quidem dicit Sulphur impenſius calefacere & exſiccare, prodeſſeque tuſſientibus & difficultate reſpirandi laborantibus cum vino intra corpus ſumptum: Foris autem perſanare lepras, ſcabies & pruritus cutis, conferreque ſcorpionum ictibus &; erumpentes ſudores prohibere; atque ſuffitum ejus in aurem demiſſum gravitatem auditus tollere: *Galenus* adiicit ſe experientia comperiſſe, Sulphur venenatorum animalium morſibus & punctionibus ſalutare eſſe remedium, ſi ejus pulvis cum ſaliva jejuna in unguenti formam redactus, aut cum urina maceratus, vulnuſculis illiniatur infriceturque.

Verum *ſulphur. ut* experientia docet, niſi probe arte Chimica præparetur, & etiam præparatum cum judicio intra corpus exhibeatur facile noxam infert, Et vidimus nos hac tempeſtate, ſententia *Dioſcoridis* perperam intellecta, quoſdam Chimicos *flores ſulphuris* phthiſicis vehementer tuſſientibus & dyſpnoea laborantibus exhibuiſſe, eoſque brevi tempore interemiſſe; *Dioſcorides* enim de Tuſſi & Difficili reſpiratione loquitur, quæ ex frigida colluvie pulmones obſtruente originem habet; non phthiſicorum tuſſi, qui una cum phthiſi ſemper hectica affliguntur febre, *Phthiſicis* itaque *florem* aut *oleum ſulphuris exhibere eſt ignem igni addere*, Caute itaque & ſumma cum prudentia, & nonniſi recte præparatum *ſulphur* debet intra corpus adminiſtrari, Fiunt autem arte Chimica ex ſulphure tria remediorum genera, *Aqua ſulphuris, Flos & Oleum.*

Sulphuris citrini, & arte excocti potiſſima in arte Medica, uſurpatio, quod tamen citra præparationem & purificationem intra corpus tuto exhiberi nequit: Doſis *floris* intra corpus eſt à ℈i. ad ʒi. Cavendum tamen ne tabeſcentibus & marcore affectis, aut febre hectica laborantibus exhibeatur.

Oleum ſulphuris tanquam pernitioſum venenum intra corpus minime exhibendum erit, quum ad plurimos externos affectus valeat.

Sulphur porro non præparatum, aut ultra juſtam menſuram intra corpus ſumptum, ſua extrema ſiccitate hepar & ventriculum torrefacit, linguæ ariditatem infert, ac poſtremo totum corpus in marcorem conjicit.

Curatio horum ſymptomatum, eſt continua ſulphuris evomitio *oleo* prius *violac.* cum *aqua tepida* mixta aſſumpto, Et crebra potitatio *ſyrupi è ſucco granatorum*, aut citriorum *acidorum*, cum *aqua plantag.* mixtis, Utile quoque eſt *cremorem ptiſanæ hordeaceæ & lac acidum* crebro guſtare, *Antidotum* ſulphuris eſt *cryſtalli præpar.*

ʒi. cum *lacte* exhibita, aut *terræ Lemniæ* ʒii. aut *ſemin. cydonior. mucag.* ℥ß. cum *aqu. roſar.* factæ. *Franc. Ioel.*

Nitrum.

Νίτρον. Arabibus *Bauraz.* Officinis *ſal nitri & Salpetræ.* Differt plurimum noſtrum à Nitro Veterum, hodie ignoto: Noſtrum eſt ſpecies ſalis ex terra multa urina jumentorum imbuta & putrefacta, in locis ſolitariis inventa, macerata & excocta, inſtar aluminis concreta: Id ſi intra corpus aſſumatur Ventriculi ſubverſionem, nauſeam, & continuam inſtar aluminis exſpuitionem parit.

Ad curationem, initio evomitio tentanda eſt, aſſumpta *aqua tepida* cum *butyro* aut *ol. olivar.* mixta, Deinde *vinum* potandum exhibeatur in quo *caryophylli* ebullierunt. Pro antidoto exhibeantur guttæ vii. *ol. caryophyll.* cum hauſtu vini.

Alumen.

Alumen vehementer adſtringit & in igne in calcem aduritur, *Pulvis uſti* carnes excreſcentes in vulneribus extirpat, Intra corpus autem nemo ſine noxa uti poteſt alumine; etſi in medicamentis foris applicandis eo utimur, Intra corpus aſſumptum hæc infert ſymptomata. Alvi meatus obſtruit, atque conſtringit, ventriculumque ſubvertit, nauſeamque parit ac anxietatem inducit.

Curatio eſt crebra eſitatio *pulpæ caſſiæ fiſtularis & cremoris ptiſanæ lactiſque* potatio. *Antidotum* ejus eſt *ol. vitrioli* ſi gutt. vii. cum iij. *Cochlear. vini* exhibeantur.

Sal Hammoniacum.

Sal Hammoniacũ, quaſi dicas arenaceum corrupte Armeniacũ vocant, Eſt ſpecies ſalis colore alumen imitans, niſi quod nigriores ſordes in fundo ejus ſubſideant, unde conſtat noſtrum factitium eſſe: Adſtringit & ſiccat vehementer metalla erodit: ſymptomata ſi intra corpus ingeratur ſimilia *ſublimato mercurio* aut *arſenico* infert, Ventriculum enim & inteſtina exurit, linguam rarefacit & fauces exulcerat; ſitimque vehementem inducit, *Curatio* ex dictorum curatione petatur. *Ioel.*

Borax.

Χρυσοκόλλα, Parvum habet in arte Medica uſum & intra corpus aſſumptum venenum reputatur; Felici tamen ſucceſſu ejus pulvere in mulieribus difficulter parientibus uſus ſumq; ſic parando.

℞. *Boracis* ℈ſi. *ſuccini albiſſ.* ℈i. *croci* ℈ß. f. Pulvis tenuiſſimus cum *hauſtu vini dandus.*

Facile liberat & fœtum ſine noxa educit. Si ultra juſtam menſuram exhibeatur, ſymptomata qualia ſal nitrum infert Curationemque ſimilem expoſcit. *Fr. Ioel.*

Calx.

Ἄσβεστος: Non extincta *Calx viva* dicitur, quæ cuti cruſtas infert exurendo; Intra corpus aſſumpta pernicioſa infert ſymptomata, ſimilia ſymptomatibus ex Arſenico aſſumpto, aut *Mercurio & ſublimato è cantharidibus,* ut ſunt *ventriculi* & inteſtinorum ex eroſione cruciatus, faucium & linguæ ariditas, inexplebilis ſitis, tuſſis reſpirandi difficultas, urinæ ſuppreſsio & dyſenteria.

Non autem ex aſſumptione Calcis duntaxat talia excitantur ſymptomata, verum etiam ex *Calcis vapore* nidoreque per inſpirationem intra corpus hauſto: Quare ſedulo cavendum eſt ne diutius quis in conclavibus calce noviter illitis commoretur, Ea ratione extinctus eſt Vir Nobil. qui cum in conclavi pridie calce oblinito commorari cogeretur, in peripneumoniam, catarrhum, tuſsim, inextinguibilem ſitim incidit, & paulo poſt interiit.

Pari ratione cavendum eſt à largiori *potu vinorum* quæ in loco calce ſcaturiente nata ſunt, qualia ſunt *Hungarica,* ex quorum largiori potu, non ſolum præſcripta, ſed & ardentes febres, nervorum contractiones & paralyſes excitantur.

Curatio perficitur potionibus lenientibus & lubricantibus calciſque acrimoniam refringentibus, Convenit crebra potatio *Decocti rad. & ſemin. malvæ, alth. ſemin. malvæ, alth. ſemin. lini, ſyr. violar. & pulpæ caſſiæ:* Item *Clyſteres ex decocto malvæ, pulpæ caſſiæ, & mucag. ſem. pſyllii* confecta; In cibo vero conveniunt *butyr. rec. lac tepidum, cremor ptiſanæ, Avenacea & Oryza cum lacte cocta, Antidotum* veneni calcis eſt ʒii. *terræ Lemniæ* cum *aqua roſar.* aut *lacte* aſſumptæ; Adducatur huc curatio Arſenici & Cantharidum. *Fr. Ioel.*

Gypſum.

Γύψος, Foſsibile eſt lapideum quod in laminas ſcindi poteſt; Intra corpus ſumptum venenata ſua proprietate noxium eſt & periculoſa infert ſymptomata, tuſſes vehementes, ſingultum, rationis perturbationem, ac poſtremo, uti docet *Dioſcorides* ſtrangulando jugulat, conſtringendo meatus reſpirationis.

Curatio in principio eſt Gypſi aſſumpti *revomitio,* hauſta prius *aqua tepida* cum largo *butyro,* liquefacto aut *oleo amygd. dulc.* ei admixto; Deinde propinetur ſubinde *decoctum rad. & ſemin. malvæ alth. fœnugr.* utaturq; *pinguioribus juſculis.*

Antidotum eſt ol. vitrioli, ſi ejus ℈ß. poſt Vomitum exhibeatur, aut gutt. vii. *ol. angelicæ,* aut *theriac. Andr.* ℈iß. *cum aqua juniper,* mixtæ. Solet & idem aſſumptum alvi obſtructionem inducere, quæ *clyſteribus ex decocto malvæ & flor. chamam.* cum *hiera picra & ol. aneth.* tollitur, Confert & Purgatio cum *pulpa caſſiæ fiſt.* Reliqua curatio peti poteſt ex capite de ceruſſa & Fungis. *Fr. Ioel.*

Talcus, Adamas, Amiantus.

Fama eſt *Adamantem* comminutum venenum eſſe, erodens abſque remedio.

At non Adamas, ſed *Argyrodamas,* id efficit, eſt *Talcus* vulgo appellatus, colore argenteo, invictus ignibus, cujus laminæ tenuiſsimæ, ſi devorentur, hærent infixæ ventriculo, faucibus & gulæ, ideo periculoſus niſi diligentiſsime teratur. *Avic.*

Inſequitur inflammatio & ſtrangulatio, Idem aliquando efficit *vitrum* comminutum, nam vulnerat angulis acutis.

Et *Amiantus* quod vulgo *Alumen plumæ & Flos petræ* vocatur, conſtat tenuiſsimis aculeis, veluti filamentis, qui infixi uredinem excitant urticæ modo.

Curantur glutinoſis devoratis quibus adhæſu extrahantur ut *reſina terebinth. gummi, mucilagine, Cæſalpinus cap. 32.*

Vitrum.

Ὕαλος, Vitrum conflatur ex cinere & arena combuſta, nobiliſsimum ex cineribus & fragmentis cryſtalli lapidis combuſtis & liquefactis, hinc vitra cryſtallina, Symptomata aſſumpti ſunt ſimilia ab arſenico & calce viva ſymptomatibus, erodit enim cum cruciatu internam ventriculi tunicam & inteſtinorũ, dyſenteriamq; affert.

Curatio eſt matura revomitio, butyri recentis & pinguium eſitatio potiones lubricantes, *Antidotus terra Lemnia* ante *Bolus Armena ad* ʒii. cum lacte tepido; Reliqua ut in *Arſenico & calce.* Fr. Ioel.

Enſes Sagittaque veneno imbutæ.

Opportune hoc loco & ſymptomata per arma venenata

corporibus

corporibus illata inſeri poſſe nobis viſum eſt cum & armorum materia ex montibus eruatur; quæ per ſe ſatis ſint noxia humano generi per abuſum & veneni infectionem longe efficiuntur pernitioſiora, Talia ſiquidem venena gladiis & jaculis illita, ſi cum iis vulnera infligantur, citiſſime illud virus ad partes principes repit & exitium infert; aut ipſam læſam partem adeo corrumpit & putrefacit, vt vel nullam vel difficillimam admittat curationem, niſi mature venenum è vulneribus extirpetur, ejuſque violentia reſtringatur.

Non hominum ſed cacodæmonũ eſt inventum arma veneno imbuere, ideo etſi *Dioſcorides* venenum quo Barbari ſuas ſagitas illinebant, generali vocabulo Τόξικον vocet, quid tamen per τόξικον intelligi velit minime explicat, Non eſt enim boni viri rem vniverſo generi humano exitioſam patefacere aut edocere; vbi itaque vel certo conſtet, vel ex quibuſdam indubitatis ſignis deprehendetur vulnus per arma toxicata eſſe illatum, confeſtim curatio eſt auſpicanda, & ante omnia oportet prudentem chirurgum è vulnere venenum prolicere & veneni vim infringere.

Elicitur autem venenum ſanguinem infectum exprimendo, & vulnus diligentiſſime eluendo cum *vino rubro* tepido, in quo incocta ſint *ſcordium, centaurium, agrimonia*, & *veronica*, & ſtatim vulnus, obliniendum & confricandum erit Linimento ex *flore ſulphuris* & *ſaliva ieiuni ac ſani hominis* confecto.

Si vero ſuſpicio ſit venenum ex vulnere ad partes & viſcera irrepſiſſe, ſtatim vomitu expurgandum venit aſſumpto hauſtulo *aquæ iuniperi per deſcenſum diſtillatæ*, aut hauſtu *aquæ tepidæ* cui *olei olivar*, abunde ſit admixtum.

Poſt vomitum ſubinde ea exhibeantur remedia quæ veneno adverſantur, & partes principes roborant, qualis eſt ſequens hauſtus.

℞. *Vini rubei* in *quo candens aurum ſit extinctum* ℥iij. *ſucci agrimon. depur.* ℥j. *boli Armen. veræ, corallor. præpar* ãã. ʒß. *f. Hauſtus diaphoreticus*. cum quo ſudet æger ad vnam aut alteram horam.

Inter ſudandum vero corroborentur ſpiritus vitales ſequenti Epithemate.

Aqu. roſar. ℥vi. *meliſſæ* ℥iij. *vini generoſi* ℥iij. *aceti roſac.* ℥i. *ſpec. cordial.* ʒij. miſce.

Antidoti loco quotidie exhibeatur ʒi. ſequ. pulver cum hauſtu vini.

℞. *Semin. citri excortic.* ʒi *ariſtol. rot aſæ fœti, myrrhæ* ãã. ʒß. *cortic. arant rhabarb. el.* ℈iij. *corall. rub. præp. gr.* iij. m. Fiat *Pulvis tenuiſſimus*.

Vulneri ſtatim poſt primam ablutionem & mũdificationem imponatur fruſtum, pro vulneris magnitudine aut *pulli gallinacei*, aut *catelli*, aut *ovis viventis* & *recens diſcerptæ*, Aut ſi vulnus tantillum fuerit, vt Cucurbitula contegi queat, eidem imponatur, & venenũ eliciatur; Quod facto vulnus quotidie bis cum vino præſcripto eluatur & obſtergatur, Sequenſque Emplaſtrum ad conſolidationem vſque imponatur, cavendum autem ne vulnus ad cicatricem donec omne venenum ſit extractum & evitum,

℞. *Galbani, aſæ fœtid* ãã. ℥j. *quæ ſimul in aceti roſ. q. ſ. liqueſiant ad lentum ignem*, liquefacta per rarum linteolum colentur ac ad mellis craſſitiem lento igne deducentur, quibus tandem admiſceantur, *Empl. baſiliconis* ℥iß. ſimul in maſſam coacta extendantur, per linteolum, & vulneri inſtar aliorum Empl. imponantur. *Fr. Ioel.*

Vapores venenati in montium cavernis, Ex ſpecubus, & Terra elevati.

Vapor vel Halitus, eſt quælibet exhalatio à calore in terræ viſceribus contento excitatus, ſive is ſit humidus ſive ſiccus ſqualliduſque, In fodinis & cavitatibus montium ſæpe venenati vapores excitantur, qui tanquam denſæ nubes elevantur adeo pernitioſi, vt niſi foſſores metallorum in montibus exiſtentes proni in terram ſe proſternant, & reſpirationem contineant, eos omnes ſuffocari neceſſe ſit: Et tamen ex tali vapore vt plurimũ reſpirationis difficultatem & nervorum convulſionem concipiunt.

Simile quid accidit quoque ab Aëre in cellariis & ſpecubus longo tempore occluſis corrupto & putrefacto; ſi quis temere eas ingrediatur; Etenim per reſpirationẽ aeris corrupti intra corpus hauſti in ſubitã incidit puer epilepſiam, vel apoplexiam, atque ſtrangulationem,

Fit quoque exhalatio & evaporatio venenoſa e poris terræ initio veris, vbi primum per calorem ſolis terra ſe aperit, quæ & ipſa corpora facile inficere poteſt, ſi ea per inſpirationem & perſpirationem in poros cutis trahatur; attracta enim ſtatim excitat aut catarrhum, aut paulo poſt febres, ſcabiem & totius corporis intumeſcentiam.

Ad id genus veneni referri quoque debet *fumus virulentus carbonum* diuturnitate in terra putrefactorum, is enim quoque facile meatus cerebri obſtruit, & epilepſiam, apoplexiam ſuffocationeſque excitat.

Symptomata itaque venenatæ evaporationis & *putrefacti aeris in montium cavernis* ſunt ſubita ſtrangulatio & reſpirationis difficultas ac nervorum cõvulſio.

Aeris autẽ *corrupti in cellariis* & *ſpecubus occluſis* ſunt epilepſia & apoplexia, ſimiliter & *fumi putrefactorum carbonum*, *aeris* vero *craſſi* & *denſi* è *poris terræ vere evaporantis* ſymptomata ſunt, catarrhus, ſcabies, febres, & corporis intumeſcentia.

Curatio præſervativa à venenatis vaporibus, eſt ſtudioſe cavere ne quis temere ſe in cavernas montiũ aut ſpecus, cellariaque diu occluſa intromittat, aut nodorem fumũque *putridorum carbonum*, aut *putrefactorum lignorum* reſpirando attrahat, Vbi vero quiſpiam vel neceſſitate coactus vel per imprudentiam à venenata exhilatione putrefactoque aëre in enumerata ſymptomata incidat, *Singulorum ſymptomatum curatio* ex ſuis locis in ſuperioribus deſcriptis, peti debet.

In genere autem conveniunt in eiuſmodi ſymptomatibus, ſuffitu & ſuavibus odoribus ſpiritu refocillare, & meatus obſtructos per vomitionem, hauſta prius *aquâ iuniperi* reſerare, & *nervos contractos* per confricationes linteorum calidorum partium affectarum corroborare, Ac deinde partes affectas, item cervicem & tempora cum *aqua lavendulæ* & momento *olei* ex *granis iuniperi* confricare, *Antidoti* loco conveniunt aut ʒij. *Theriac. Androm.* aut *gutt.* vij. *ol. angel.* cum *vino generoſo* exhibenda. *Fr. Ioel.*

Cap. XXXVI.

De Venenis Vegetabilibus.

1 VEnena vegetabilia, ſeu quæ ex plantis, ſunt ſequentia.

I. [2] *Aconitum ſeu Napellus*, [3] cujus antidotum, Theriaca Andromachi in vino; vel terra Lemnia. Foris corpus tumidum oleo hypericonis & ſcorpionum inungi debet.

1. *Venena vegetabilia*) Hæc potiſſimum agunt vaporoſitate peregrina, quatenus ſulphure. v. g. impuro, mucilaginoſo, nervis inimico pollent hinc *hyoſciamum*, ſeu eius ſemen imaginationem dislocaſſe obſervavit in cauſidico *Helmontius l. demens idea*, p. 224. ipſumque ibidem p. 225. exoticam phantaſiam imprimere aſſerit, quod itidem in puella obſervavimus: ſic *Napellus*, verbis eiuſdem, ſuam furoris in nobis imaginem communicat, de cuius phænomenis ab aſſumptione evenientibus, vt & de *arſenico*, ſtudio experimentandi propinato, videatur *Cornarius hiſt. adm. p.* 12. & 13. A ʒi. *pulver. napelli* pectoris anguſtia, ventriculi dolor, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus paulo poſt etiam delirium accidit, vt in folio lacero alte cecinerit æger: Sic & *crocus* riſu ſcribitur interimere; riſus vero ſtultorum eſt: Par ratio eſt opii iſtius aliorumque, quæ vaporoſitate ſua ſpiritus turbant & nocent. *Wedelius. Am.m.m.tr.2.ſect.11.c.1.*

Antidotum Venenorum Vegetabilium.

Venena Vegetabilia, principaliter *Acida*, adæquate reliqua domant; Effectum puta venenoſum præcipuum vaporoſum & conſequenter quoque inde producta alia, exceptis ſpicialiori coniuncta qualitate gaudentibus Acida quippe, maxime *Acetum ſimplex & deſtillatum ſulphur vaporoſum* domant, mucilaginem peregrinam annihilant, & coniuncta alia ſymptomata tollunt. *Idem ib.p.342.*

Notabile eſt quod Acida corrigunt plurima vegetabilia venoſa, vt *Napellum, Bellam Donnam*, (quæ præter alia ſymptomata fauces præcludit, vt deglutitio fieri nequeat) *helleborum* &c. Indicio manifeſto eorundem noxam eſſe adſcribendam ſali volatili & ſulphuri immaturo, indigeſto, plurimaſque mucagine inviſcato, vnde cum ſanguine communicata, vel adhuc in ventriculo oberrantia, poros nervorum obſtruere, eoſdem vellicare, ſanguinis craſim deſtruere, & mortem ipſam inducere apta nata ſunt. *Idem de S:m.Fac.p.169.*

2. *Aconitum ſeu napellus*) Napellus venenorum præſentaneorum facilè princeps eſt, & planta adeò venenata, vt ii non ſolum qui eam ſumpſerunt, vel ejùs ſuccum hauſerunt, raró aut nunquam evadant.

Sumpto napello labia, interioreſque oris partes inflammantur, lingua adeo intumeſcit, vt vix ore contineri & aperi queat: Imò non ſolùm lingua ſed & labia, frons, oculi, & totum adeò corpus intumeſcit, vertigines, convulſiones & animi deliquia crebrò ſuperveniunt, oculi convelluntur, crura vacillant, ſudor frigidus erumpit, pulſus fit languidus, facies totumque corpus livido colore fœdatur, ægrique tandem moriuntur.

In curatione annitendum, vt nappelli venenum quamprimum vomitu reiiciatur. *Avicennas* vt venenum expellat & alteret, decoctum *ſem. napi.* cum vino & butyro, & decoctum *radic. quercus* exhibet.

Valent & *Lapis Bezoar*, *terra ſigillata* cum *butyro* & *aqua mellis*. *Smaragdus* idem vtilis eſt, ʒii. pondere exhibitus: *Bolus armenus*, *ſyrupus acetoſit. citri, granator.*

Præcipuum verò adverſus napellum, poſtquam vomitione rejectus eſt, Antidotum eſt *Mus Napelli*. v. g.

℞. *Murum* ſeu *maſcar. napelli* gr. xx. *ariſtol. boli armen.* āā. ʒi. f. pulvis. *Sennertus* pract. lib. vi. part. vii. cap. v.

De Aconito, ſeu Napello.

2. *Aconitum ſeu Napellus*) *Catello* trium circiter ſeptimanarum radicis *Napelli* recentis bene contuſæ ʒß. cum lacte hora 2. pomeridiana intruſi, aliquandiu inceſſit ac ſi nihil deleterie accepiſſet, ſubinde vagiit, quandoque caput ſuccuſſit; quaſi nauſearet; præterea prope hora dimidia pedes poſteriores traxit, paulo poſt ingreſſu ad latus ſiniſtrum inclinavit, atque ſæpius in illud lapſus eſt, ſubinde totum corpus motu convulſivo concutiebatur: Non diu poſt evomuit lac ſpumeū & aliquomodo grumoſum. Motus convulſivi aliquandiu continuarunt, hinc in latus decubuit, non obriguit à cianot, decubuit inſtar moribundi vltra horas duas ab accepto *Napello* & quaſi ſuſpirioſe vagiit: Abdomen intumuit; Illo inciſo fortius vagiit & valde artus movit; Ventriculus valde diſtentus erat, integrum excidi; movit ſe motu vermiculari: Stomachus ſeu orificium ſiniſtrum arctiſſime ſemet conſtrinxit, vt ne gutta quidem excideret: quando vero circa medium ſe contraxerat, motus lente verſus pylorum procedebat; illeque erigebatur, liquorque ſuppallidus, nunc ſpumeus, nunc viſcidus quandoque ſenſim, aliquando cum impetu protrudebatur: Conſtricto pyloro ventriculus rurſus intumuit totus, moxque rurſus circa medium ſe conſtrinxerat, novuſque liquor per pylorum eiiciebatur: Hæc conſtrictionis in medio, & inflationis altercatio continuavit per octavam partem horæ, ſtomacho ſemper arctiſſime clauſo permanente; poſtquam ventriculus ſe movere deſiit, illum ſuperne à ſtomacho ad pylorum incidi, continuit radicis *Napelli* reliquias, lac grumoſum, fruſtula ſtraminea, mucū & liqvorem ſpumeum: His ſublatis interna ſuperficies alba erat, nec vllibi vel minimum inflammationis ſignum apparuit: Diaphragma poſt ablatum ventriculum aliquandiu movebatur, catelluſque aërem ore hiante captavit; Sanguis ex venis & arteriis promanans admodum fluidus fuit: In cordis ventriculis nihil omnino ſanguinis ſupererat, Veſica ab vrina valde diſtenta erat.

Lupo ſemeſtri fruſtulum carnis in quo ʒß. radicis *Napelli* abſcondita erat, obiectum fuit, quod venenum ſubodoratus attingere noluit; Itaque illum auribus apprehenderunt, os bacillo diduxi, ac duo fruſtula carnis quibus *Napelli* ʒij. circiter involuta erant intruſimus, vix 8. horæ pars præteriit quam ad vomitum ſtimularetur & paulo poſt mucum viſcidiſſimum, craſſum, ſpumeum cum vno fruſtulo carnis evomuit: vlterius ad vomitum concitatus alia duo cum napello & muco viſcidiſſimo craſſo, ſpumeo, & flavo eiecit, Interea abdomen mire attollebat, valde angebatur, robuſtus tamen manſit, pedibus non nutavit, erga ignotos rictum edidit, baculum protenſum morſu petit. Subinde mucoſa & viſcida evomuit. Poſtquam ambo fruſtula carnis cum radice *Napelli* egeſſit, veritus me experimento fruſtratum iri, paulo poſt vltra ʒij. radicis contuſæ ſero lactis immiſcui ore diducto denuo infudi: Brevi poſt frequenter ad vomitum irritabatur, multis nixibus fruſtraneis, tandem ter mucum viſcidum, craſſum, ſpumeum, quartaque vice eiecit mucum gryſeum, turbidum, cui radices *Napelli* & fæces ſubnigræ immixtæ erant, poſtea evomuit iteratis vicibus liquorem, tenuem, flavum, pellucidum, nonnunquam nullo colore tinctum; mire angebatur huc illuc ivit, corpus quandoque ad parietem inclinavit; huc vſque nondum decubuit, abdomē crebro contrahebatur, vt prope venter evaneſceret; dorſoque accedere videretur, diaphramatis tenſio & relaxatio, frequentiſſime alternabant, nunquam vel alvum vel veſicam exoneravit, quod antea facile ex ſolo metu fiebat, His vltra dimidiam horam perdurantibus, ſubito ambobus pedibus anterioribus fortiter terrā fodit, breviqúe amplam foveam, ceu ſibi ſepulcrum paraturus excavavit profunde, os naſumque foveæ immiſit, evomens mucum pellucidum, viſcidum, coloris expertem; ſtans aut ſedens ſubinde toto corpore tremuit, rurſuſque fodit; ad vomitum adhuc ſtimulabatur, os ſpuma implebatur, nunquam convellebatur.

Cum exſperaturum prævidercm, duabus horis à primo bolo intruſo vivum ſed porſus enervatum aſſeri pedibus & capite alligavi ita tamen vt os apertum maneret: Abdomen incidi, nulla doloris ſigna dedit interſecãdũ expiravit, licet parum ſanguinis profuſum fuerit &c. Remoto ſterno gula ſummopere diſtenta occurrit, quovis brachio pueri annui amplior, ac ſi à flatu è ventriculo pulſo, & circa pharyngem detento in hanc molem excreviſſet. *pulmones* erant ex albo rubeſcentes, molles, penitus collapſi. *Ventriculo* prope ſtomachum inciſo gula concedit, & protimus ad priſtinam magnitudinem pervenit, nulla inflammationis ſigna aderant. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum inciſo vltra duodenum, vix grana decem radicis nappelli inveni, continuit mucum valde ſpumeum flavum, Illo abſterſo tota interna ſuperficies in fundo & in parietibus inflammata, & anfractus atrorubeſcentes nullibi exulcerati apparverunt, ſtomachus vero & pylorus ab inflammatione immunes fuerunt, tota interna ſuperficies, duodeni & maxima pars jejuni & Ilei quædam portiones admodum rubebant. Duodeni & Ieiuni ſuperficiem incruſtabat ſubſtantia coagulo lactis ſimilis. In Ileo continebantur Cucurbitini vermes &c. Artus poſt mortem flaccidi & flexiles erant, &c.

Scholia.

Napellus iſte Eſt 1. *Caſp. Banhino* in *Pinace*, ſeu *Aconitum* x. *flor. caculeus.* vis homini & rupedibus multis pernitioſa à pleriſque ipſi tribuitur, Quidam tempore peſtis illo pro veſicatorio vtebantur ſtupendus error eſt in Sabaudia & Gallia eius radices ſubſtitutas fuiſſe hellebori nigri radicibus: Hunc calidum & acrem eſſe quilibet radice, licet leviculc linguæ apici admota facile experietur, & tum catelli tum Lupi hiſtoria probant, *Galenus* 5. & 6. de *ſimpl. med. fac.* quoque ſepticam tribuit, quamvis nihil exulcerati vel in ventriculo vel inteſtinis viderim.

Virus ſuum in rodendo, irritando, & vellicando membranam nerveam ventriculi potiſſimum exeruiſſe demõſtrant anxietas, & vomitus fibras ventriculi ad cõſtrictiones iteratas, ſolicitatis In catello præſes ſyſtematis nervoſi in conſenſum tractus fuit, quia ſemel tantum vomuit; poſtea arctiſſime conſtricto ſtomacho vomere amplius nequiuit, vnde gravius ventriculus afflictus fuit: In lupo nullæ convulſiones excitatæ fuerunt, quia fibrarum circularium impulſus ceſſit vomituque ſæpius vterato radix ad decem grana eiecta fuit.

Lupum *Napelli* radix interemit, non ſectio, cum parum ſanguinis profluxerit, vixque diſſecto abdomine ſpirare deſierit & graviora tormenta hæ beſtię diu tolerent, quomodo vero ipſum necant ambiguum eſt, non exiſtimo mortem attuliſſe ſpiritus diſſipando, aut ſtupefaciendo, quamvis in ipſa ſectione nullum doloris ſenſum oſtenderit, quia prope ad vltimum halitum vegetus & in fodiendo ſtrenuus fuit; Nec hic culparem ſanguinis coagulationem, tum ob prædictas rationes, tum quia chylus in receptaculo lacti perſimilis, nec minimum grumulum admixtum habuit; nec in vaſis pulmonicis ſanguis ſubſtitit, aut inflammationem peperit, quod neceſſario fieri deduiſſet, cum omnis pulmonum minutiſſima vaſa permeare debeat; Nec grumus in corde cum appendicibus ex vaſis extractus probat coagulationem, cum frigefactus ſanguis etiam in ſaniſſimis, citra medicamentum aut venenum propinatum alias grumeſcat: Imo in catello fluidus admodum permanſit, taliſque proculdubio, ſi ſtatim ventrìculum dextrum diſcidiſſem, inventus fuiſſet. Credibilius eſt mortem acceleratam fuiſſe, quia ob magnam ventriculi inflammationem, creberrimoſque vomitus, cor randem elanguit & quaſi enervatum fuit, vt non amplius ſanguinem propellere valuerit, hinc ventriculus dexter etiam ante inflammationem ſanguine valde diſtentus repertus fuit. Forte tamen aliquid ſtrãgulatorii cõcurrit ad mortem inferendam, tum ob crebros vomitus, diaphragmate à tot ſucceſſionibus ſuo toto privato, tum ob arctiſſimam pharyngis conſtrictionem, nimium coarctata etiam larynge & aſpera arteria compreſſi à gula in molem inſignem diſtenta.

Veſica vrina vacua fuit, tum quia antea crebro minxerat lupus, tum quia lymphæ magna portio ad ventriculum ab acrimonia *Napelli* attracta & vomitu reiecta fuit. *Wepferus Hiſt.* i. & ii.

2. *Aconitum, ſive Napellus, cuius Antidotum &c.*) Scribit *Aldrovandus Hiſt ſerpent. l. p. 41.* animalia in vno loco venenoſiora, in alio omni prorſus carere veneno Id exemplo plantarum, maxime *Napelli* comprobat, qui in iugis Alpium nutritus vires admodum noxias exercet, delatus autem in hortos parum ſuis venenis operatur; Et *P. Ioh. Faber* in *Panch. l.* 1. *c.* 43. *ſcribit*, Cicuta & Napellus quæ verſus meridiem, in montibus ſcil. Pyrenæis venenata ſunt, ſi transſplantentur verſus loca ſeptentrionalia, & humida exuunt omnem venenoſitatẽ & comeſtibilia ſunt, mutato ſcilicet tranſplantatione temperamento quemadmodum ipſe vidi in Britannia & in hortis civium Rhedonenſium, qui Napellum in hortis ſuis colunt, nulla noxa & incommodo. &c.

Alias *Napellus* à toto ſubſtantia ſua ſummum eſſe venenum & pernitioſum, cuius facultates & vires in necandis hominibus & quadrupedibus adeo immanes & pernitioſæ ſunt, vt vix etiam approbatiſſimis antidotis ſuccurri poſſit, niſi confeſtim & ſine vlla mora applicentur præſidia, ex ſententia fere omnium medicorum eſt notum.

Sympeomata ab aſſumpto *Napello* (relatione *Matthioli* & aliorum) ſunt terribilia hæc ſequentia, nempe Intumeſcentia labiorum, linguæ & totius faciei, prominentia oculorum, pectoris gravitas, compreſſiones cordis, tremor partium, vertigines, ſyncopes, horror, mania & lethargus, quæ omnia accidunt, & ſi intoxicatus evaſerit, febri hectica tamen miſer corripitur.

Necat Aconitum ſcorpiones, pantheras ſive pardos; vnde *Pardalianches* nominatur, perimit etiam lupos, vnde dictum eſt *lycoetorium*, Id autem præſtat malefica eroſione, & putrefactione partium à calore maligniſſimo, ita vt etiam animantium quæ devoraverint carnes Aconito tactas, aut confricatas, pereant ac emoriantur. *Martinus Bernardus à Berniz.*

Certum eſt herbas ex montibus Carpatiis allatas, & domi inſertas, manſueſcere plurimum, Interim dum in Polonia verſarer memini quod cum Napellum ex dictis montibus allatum, & tranſplantatum ex horto Nobl. N. accepiſſem, & famulo meo ad hoſpitium meum deportandum dediſſem, illi manum ſiniſtram in qua portabat Napellum, tremere primo paululum, poſtea vehementius inciperet, & ille in animi deliquium cadere cœperit, ita vt theriaca accepta venenum hoc, quod per arterias cordi ſe inſinuaverat abigere opus habuerit. &c. *Ioh. Paterſin Hayn. med ſept. vol.* 2. *p.* 362.

Cuius Antidotum) De remedio adverſus pernitioſum hoc venenum; ſcilicet Napelli & Aconiti, eiuſque ſpecierum, commendantur radices pulveriſatæ *Anthora & contrayervæ* ℈i. vſque ad ʒi cum *theriacâ mithridatio, orvietano*, ſeu *confect. hyacinth.* vel alio vehiculo ſeu antidoto permixtum. Sunt qui *ſuccum raphani* intus aſſumptum tanquam certiſſimum remedium decantant. Plurimum prodeſſe volunt aliqui *lapidem bezoar verum orientál.* quod & *Matthiolus* exemplo ſingulari in duobus reis comprobatum *oſtendit l.* 4. *c.* 73. *ad Dioſcor.* Martinus Bernardus à Bernitz. *med. ſept. vol.* 2. *p.* 362.

Probatur planta prope radicē nappelli orta, quæ *mus* dicitur, rad. huius pulvis datur à ℈ß. ad ℈i. eſt enim alexipharmacum Nappelli medicamentum: etiam bonum eſt quod conficitur è muſcis illis magnis quæ Napello nutriuntur. *Capivaccius, l. 7. pr. c. 7.*

Napellus.

2. *Aconitum ſive Napellus*) Ἀκόνιτον παρδαλιαγχές, vel λυκοκτόνον: Aconitum pardos Lupoſque enecans, Eius plures ſunt ſpecies, quorum vna duntaxat nobis eſt cognita, quæ folia habet artemiſiæ & flores ex nigro cæruleos, monachorum cucullis ſimiles: Errant qui Aconiti ſpeciem alteram eſſe putant eam herbam ſylveſtrem quam *vvam Lupinam*, vel *vvam invenſam* & *herbam* Paridis nominant; quæ herba adeo eſt venenata, vt ſemina ex illis baccis collecta, & in pulverem redacta, crebro exhibita veneficiis omnis generis medeantur; & eius folia carbunculis peſtilētibus vtiliſſime imponātur.

Aconitum habet naturam calefacientem & formam ſubſtantialem venenatam & corrumpentem; Aſſumptum perniſioſa excitat ſymptomata, *Labia enim & lingua ſtatim ab illo inflammantur*, & *vehementer intumeſcunt*, *oculi protuberant*, *& corpus vniverſum intumeſcit* inſtar *hydropicorum & livido colore defœdatur.* Fr. Ioel.

3. *Cuius Antidotum*) Curatio in initio ſtatim tentanda eſt, & ſtudendum diligenter vt ex hauſta potione vomitoria, *vt decocto anethi* in quo *butyrum* recens largius eſt liquefactum, veneni materia evomatur ac proiiciatur: Antidota autem ſunt ʒii. *boli Armeni genuini*, aut *terræ Lemniæ*, aut ʒij. *pulver. ſemen. napi* cum *hauſtulo vini*, aut *theriac.* ʒii. *cum vino.* Eſitandum quoque crebro offeratur butyrum recens: Foris olea &c. quibus *theriaca Androm.* quidpiam eſt admixtum *Fr. Ioel.*

Bezaar principale remedium, & medicamen de *moſcho*, & *zedoaria*, Ex *Bezaar* illud præcipue genus quod filamenta habet, vt alumen ſciſſile, Quidam laudant radicis *capparis*, *mus napelli*. (forte ſignificat *anthoram* cuius radix maſculo ſimilis prope Napellū. *Cæſalpinus.*

Aconiti aſſumpti noxa.

Anno 1679. martio menſe Baxtehudæ radicem invenerunt quidam pueri, ireos noſtratis radicis ſimilem, odoris amœni inſtar angelicæ, ſapore paſtinacam æmulatur; Genus eſt *Aconiti* vel *Doronici*, De hac radice xi pueri ederunt, qui vix hora elapſa, primo paſſi ſunt magnam cordis anxietatem, omnia dentibus manibuſque dilacerantes, trihorio elapſo; duo iſtius radicis infauſtę invētores perierunt: reliqui adhuc decumbūt, dentium Linguæque abbreviationem patientes maximamque ſanguinis copiam evomunt, oculi extrá orbitas rapti protuberant, vomitum eorum curæ præfectus *Ioh. Iulius Herodes* pharmacacopœus omni conatu promovere ſtuduit, &c. *Ioh. Ludovic. Hanneman. med. ſeptentr. vol. 2. p. 356.*

3. *Aconitum*) Commendatur eſus *ſcoria ferri* in vino acceptæ, vt *theriaca* & *mithridatium*. *Mercurialis de ven. l. 2. c. 9.*

II. 4. *Eſula*, 5. contra quam præmiſſo vomitu, Therica Andromachi cum aqua Cardui benedicti agit.

III. 6. *Mezereon*, 7. cui obviam itur ſcordio, Coralliis rubris, Theriaca, & terrâ Lemniâ.

IV. 8. *Helleborus*, 9. cuius antidotus eſt, pulvis florum aut radicum nymphææ albæ, vel ſeminis paſtinacæ cum vino.

V. *Colocynthis*, cujus vim Theriaca infringere poteſt.

VI. 10. *Euphorbium*, 11. cuius vim ſemen citri ex vino, in quo radices helenii coctæ ſunt, infringit.

VII. 12. *Coriandrum viride*, quod furioſum inducit delirium, & 13. radicem Vincetoxici ex vino Antidotum agnoſcit.

VIII. 14. *Mandragora*, quæ ſomnum gravem infert. 15. Obviam eius ſymptomatibus itur, raphano domeſtico cum ſale aliquoties aſſumto.

IX. 16. *Hyoſcyamus*, quem qui ſumpſere modo rixantur, & ebrioſorum inſtar delirant, modò ſe virgis cædi, ob pruritum in toto corpore excitatum putant. Bezoartica ejus ſunt, Piſtacia, Caſtoreum, Ruta, ſemen urticæ.

X. 17. *Iuglans arbor*, cujus vmbra, ſi quis ſub ea jaceat, nocet, & capitis dolores infert. Tolluntur iſti *Lixivio* ex *Betonica*, *Maioranâ*, *Lavendulâ*, &c.

XI. 18. *Nux vomica*, 19. cujus antidotum *Zedoaria* dr. ij. pondere, *Cortices citri* vel *ſuccus* eius, *Rob Myrti* vel *Cydoniorum.*

XII. 20. *Opium*, ad cuius nimium uſum ſopor gravis cum vertigine & pruritu totius corporis ingruit; & 21. cujus antidotum eſt *Aſa* & *Caſtoreum*, quibus *Rutam* & *Origanum* adde.

XIII. 22. *Fungi*, qui ſeu nimia copiâ ingeſti, 23. ſeu minus rectè cocti 24. ſuffocationem inducunt, ſingultum excitant, urinam remorantur, & inteſtina exulcerant. 25. In curatione commendatur cinis ſarmentorum vitis, cum aqua mulſa, Theriaca, & alia.

4. *Eſula*) Generale nomen eſt omnium herbarum lacteſcentiū, quæ ſcatent ſucco quodam lacteo, qui ſi inſpiſſetur remanet concrementum inſtar ſcamnonii, quod opimum eſt purgans: Vis earum conſiſtit in *acrimonia plane cauſtica* & *ſale volatili*, in quo omnes conveniunt; Eſulæ *Cortex* admodum acris eſt, & valde purgat, vnde nunquam tuto adhibetur, niſi vis cauſtica corrigatur: Fit hoc per acida; qualia ſunt *ſuccus citri*, *limonum*, *aurantior acidor*, *cydonior.* Sunt qui conſervam parant è *fol. & flor eſulæ*, ſed violentum eſt remedium.

4. *Eſula*,) Seu *Tithymalus*, cuius ſeptem ſunt genera; tota forma ſubſtantiali veneficæ ſunt herbæ, cum præternaturali caliditate, *Succus*, *ſemen & radices*, niſi probe correcta, aſſumpta violentiſſima excitant ſymptomata; ventriculi enim primum, deinde jecoris intemperiem deſtruunt, & cordis anxietatem excitant, totum corpus inflammant, ſitim & ſingultum inferunt *Fr. Ioel.*

5. *Contra quam premiſſo vomitu*) Curatio conſiſtit in evomitione, *Oleum* itaque *anethi* cum *aqua tepida* detur: poſt vomitum & *clyſteres ex oleo roſar.* vel

vel *oleo cydon.* & *album. ovorum* confectum, cum pauca *mucag. ſemin. pſyllij.* poſt exhibeantur *theriac. Andr.* ʒij. cum *aqua caro. ben.* aut *ſequ. Pulv.* ʒii.

℞. *Boli Arm.* ʒß. *terræ Lemn.* ℈ii. *tragua.* ℈i. *coral. rub. ſpir. c. c. vſti g. rabre.* ãã. ℈ß. f. Pulviſ da cum vino. *Ioel.*

Mezeron.

6. *Mezeron*) Eſt Frutex creſcens in hortis, In vſu eſt *cortex*, *radix* & *folia* raro *baccæ*, Corticis ſapor acer & erodens, ad naturam euphorbii & catapuciæ accedens: Cum impetu varia liquamina expurgat, ob cauſticam autem vim raro vſurpatur: Corrigi interim poteſt hæc vis cauſtica ſalina volatilis per *ſuccum cydonior.* immaturum vel *acetum* infundendo acerrimũ, cuius ſal deſtrui poteſt. *Etmuller.*

6. *Mezeron*) Μεζερεὸν Arabum non eſt alia herba quam quæ gravis χαμελαία ſeu θυμελαῖα nominatur, ſunt enim hæ duæ herbæ congeneres, cuius *Dioſcoridi* ſemen *granum gnidion* Officinis *Cocognidiorum* vocatur; Etſi autem folia correcta remediis aquam hydropicam evacuantibus vtiliter admiſceantur, neque tamen folia nec ſemen eius, ob extremam caliditatem, & violentam purgatricem vim periculo caret, & aſſumptum ſæva hæc infert ſymtomata, vomitiones & alia fluorem continuum, ventriculi tormina, anguſtias, & ſitim vehementem. *Fr. Ioel.*

7. *Cui obviam itur*) Curatio conſiſtit in vomitione &c. (vnde *Eſula*) Deinde vtile eſt lac crebro bibere, in quo *butyrum* recens ſit liquefactum. *Ioel.*

8. *Helleborus*) Etſi *hellebori vtriuſque* non contemnenda ſit vtilitas in arte medica, ſi probe correcta, & venenata qualitate exuta exhibeantur, per ſe tamen vtrumque eſt pernitioſa & venenata qualitate imbuta, & horrenda excitat ſymptomata, Et *albus* quidem ventriculi & alvi violentam commotionem & ſupra infraque furioſam deiectionem, & ingentes ventris cruciatus, ſtrangulationem ſive reſpirationis interceptionem, ſudorem frigidum, convulſionem & tandem mortem repentinam, niſi mature ſuccurratur, infert: *Fr. Ioel.*

1. *Helleborus niger*) Hic ſub virulentia putatitia alias adhuc continet, ſub collectione autem eius obſervetur, ne confundatur cum *Aconito*: vide *Hildanum* & *Zuvelferum*: *Folia* eius & *herba* ſunt volatiliſſima, & ſi guſtantur acrimoniam habent inſignem, ſi calcinantur parum ſalis fixi vel nihil continent, Vis ergo purgatrix conſiſtit in ſale volatili acri: quod inſimul corrigit acrium p.n. vnde ex hoc fundamento dicatur capiti in mania, epilepſia, vertigine &c corrigitur imprimis per acida; per alkalia tamen ita corrigitur, vt ſero lactis, vel aqua diſtill. *ſale tartari* impræ gnatæ infundatur. *Etmuller.*

8. *Helleborus niger*) Hic incorrectus, & largiore pondere aſſumptus graviſſima inducit ſymtomata, alvi continuam fluxionem & ventriculi vomitionem, cordis palpitationem, ventris intumeſcentiam, anguſtiam & ſuffocationem, linguæ ariditatem & totius corporis inflationem ac contremiſcentiam. *Fr. Ioel.*

9. *Cuius antidotus eſt*) Curatio noxarum *hellebori nigri* eſt, vt ſtatim in initio materia *hellebori* expellatur, cum per vomitionem, tum per clyſteris iniectionem, ſimiliter vt in curatione *albi*, Antidota vero erunt *ther. Androm.* ʒij. aut ℥ij. ſequ. pulvis.

℞. *Sewin. abſynth. fol. ſcord.* ãã ℈ii. *ſem. aniſi, cumin. caſtor* ãã. ℈i. *nard. in ruta* ãã. ℈ß. *f. Pulvis cum vino ex hibendus.*

Aut propinentur *rad.* aut *flor. nymph. albæ cum vino.*

Ventri imponatur ſacculus ex *mentha, ruta, puiegro, ſem. cumini, baccis lauri confectus, in vino coctus* expreſſus &c.

Prodeſt eidem & *lac cum butyro* recenti liquefacto crebro bibitum, vel *butyrum* cum *melle virgineo* ſæpe guſtatum. *Ioel.*

Helleborus Albus.

Probatur vſus theriacæ, vel pulvis *flor nymph. albæ. Capivaccius pr. l. 7. c. 10.* ex *Matthiolo.*

Helleborus albus.

Hiſpani ex eo parant Venenum de quo vide *Matthiolum*, Huic *ſuccus cydoniorum* mederi dicitur. Cuidam, cui per fraudem propinatum fuit, *Caſtoreum* pro alexipharmaco fuit: vide *Thonerum*, Quod ſi gravia eundem ſymptomata contineantur, mature *theriaca* propinetur. *Etmuller.*

Helleborus albus.

Catello trium ſeptimanarum *hellebori albi* ſcrupulum lacte immixtum infudi, vix per momentum admiſſum maximam partem evomuit, & paulo poſt flavum per alvum egeſſit, mox rurſus aliquoties vomuit, ſimulque convulſivis motibus varie iactatus fuit &c. Peracta hora cum dimidia ſemimortui abdomen incidi, vnde inter ſecandum pedes movere & vagire cœpit: Aperto abdomine ventriculum flaccidum & rugoſum invenimus, ſanguis ex arteriis & venis effluens rutilus, fluidus, maxime grumoſus erat. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum ſuperne diſciſſo, in venimus pulverem hellebori lacti grumoſo, & muco viſcido immerſum: contentis eius ſublatis circa ſtomachum rubebat & aliquomodo inflammatus erat; Iamdiu emortuo autem illi ſanguis in vẽtriculis cordis partim fluidus, partim grumoſus & obſcurus erat.

Helleborus albus quanquam nunquam ventriculi terminos expreſſus eſſet, poſt infuſionem præſideni ſyſtematis nervoſi ad convulſiones, provitavit, acrimonia ſua nemini non nota, & ex inflammatione ſtomachi cõſpicua, nerveam tunicã ventriculi vellicando ſævius quam ferendo par eſſet tenella catelli ſtruces partis in qua ille detinebatur, quamvis magna pars vomitu reiecta fuiſſet, Si ventriculi valli cum ætate adultiore robuſtiores evadere potuiſſent, forſan, vt alii canes *cicutam aquat. cocculas* aliaque huius generis eliminaſſet, ac convulſionem & mortis ſæviciem effugere potuiſſet; Sanguis tardius apertis cordis ventriculis, & iam frigido facto eo catulo obſcurior, & aliquomodo grumoſus repertus fuit, qui alias ex ſemimortui vaſis ſauciis rutilus & fluidus proſiluit; vt & ſic ſanguinis grumefactio mortis cauſa denuntiari nequeat. *Wepſerus c. 15.*

Curatio ſymptomatum ex *albo helleboro* ortorum conſiſtit in matura evacuatiune *hellebori* & ab eo commotorum humorum & flatuum per vomitionem, epoto prius *oleo rutæ* cum *aqua calida*, quæ crebrius repeti debet, & per alvi ſubductionem cum acri clyſtere, ex decocto *cẽtau cynt. min.* in quo ebullitus ſit *colocyth.* ℈i. & *ol. aneth.* quibus peractis antidotum exhibeatur, nempe *thern. Andr.* ʒij. aut pulv. *rad. nymph.* vel *flor eius alb.* aut *ſem. paſtin.* ʒii. cum *vino* aſſumptæ, poſtea ſubinde propinetur *butyrum* recens liquefactum cum *lacte* aut hydromelite.

Ventri autem foris imponatur ſacculus, confectus ex *mentha, roſis rubr.* & *ſem. cumini* in *vino* coctus & expreſſus: Vbi autem convulſio ſubſequatur, æger in balneum calidæ collocetur, & convulſi artus *oleo aneth.* probe fricentur.

Mirandum ab Helleboro albo ſymptoma.

Solet vulgus *veratri albi rad.* cum *cinere* culinario, & momento *aluminis* atque *zinziber.* permiſcere, ac

miſturæ huius ℥i febricitantibus præbere,vnde præter cætera quæ ab vſu nimio *veratri* proficiſci ſolent ſymptomata,notavi miram oculorum convulſionem ſuccedere, namque invertuntur plane oculi , & pars qua videmus retro fugit,bulbuſque duntaxat albus inſpicientibus apparet.Durat illa cœcitas horam circiter vnam, & tandem reiecto per crebras vomitiones helleboro, diſcutitur , febris cedit, & ſanitas expectata revertitur, &c.*Olaus Borrichius med ſept.vol.2.p.361.*

10. *Euphorbium*) Succus acerrimus eſt veteribus cognitus; Noſtrum autem quid & quale ſit latet; Vis eius cauſtica & acrimonica laxans, cōvenit cum ſucco *Eſulæ* purgat cum graviſſimis ſymptomatibus,& quicquid invenerit , evacuat, &c. Nemini author ero id interne propinet, niſi cum ſucco citri optime correctum fuerit, per acida enim vim eius alcalinam cauſticam caſtrare poterimus.*Etmuller.*

10. *Euphorbium* incorrectum aſſumptum,totius corporis veluti incendium,intenſiſſimum ardorem & ſitim inducit.Deinde animi *diliquium,frigidos* ſudores , dyſenteriam & mortem infert.

11. *Cuius vis &c.*) Curatio ſymptomatum eſt,vt materia *Euphorbii* ſtatim per vomitum deiiciatur,quæ ſi ad inteſtina deſcendit ibidemque eroſionē facit, clyſtere ſubducēda erit, ac protinus ignea eius qualitas in viſceribus extinguenda. *Vomitio* commode fit *aqua tepida* cui *ol. violat.* admiſtum.*Clyſter.* fit ex *aqua hordei* cui nonnihil *ſem. pſyllii mucilag.* admixtum , aut ex *lacte cui ol. roſar.* eſt admixtum; Antidotum eſt *Theriaca ad* ℥ii. & *ſpec. liberantis* cum crebro *lacte* vſurpatæ: Prodeſt & *ſyr. de citro* cum *aqua roſ.* crebro potitatus; *Butyr.rec.in lacte* reſolutū: *Ol.violar.* cum *aqua hordei*, crebro datū *Serum lactis* acidū vnice probatur *Fr. Ioel,*

& Colocynthis) Hic in multis remediis immiſcetur quidem,at ſi paulo largius exhibeatur,ſæva infert ſymptomata ; validiſſime enim alvum cum torminibus turbat & ſubducit, & ventriculum mirifice offendit; cordi quoque & iecinori noxam affert,& erodit inteſtina,dyſenteriamque generat,appetitū proſternit,& nauſeam infert, Eius vero exigua quantitas, vt *pondere* ℈i. tutiſſime in clyſteribus incoquitur. *Ioel.*

ß. *Cuius vim*) Curatio aſſumptæ eſt *clyſter ex lacte & oleo roſat.* vel *aneth.* confectus; Aut.

℞.*Succi plantag.* ℔i.*vitell ovor.n°.*ij.*boli Arm.*℥ß.*tenuiſ ſ.contriti,ol.roſar.*℥iij.*mucil.tragac.* ℥ß. *m. tepide iniice.*

Ventri, vt cruciatus ſiſtantur, imponatur ſacculus ex *mentha, abſynth.roſis, anetho* & *ſem.Cumini* q.ſ. in vino ebulliat,expreſſus admoveatur. Antidoti loco *Ther* ℨj. ex vino,aut *boli Arm.veri* & *corall. rub. prepar. āā.* ℨj. *cum vino.*Idem.

12.*Coriandrum viride*)Herba fœtida eſt, cimicū enim odorem ſpirat,dum herba viridis eſt,tota ſubſtantia venenata eſt,*ſemen* autem maturum & exſiccatum adeo non eſt venenatum , vt & odoris ſuavitate & ſaporis gratia ventriculo & cerebro citatur proſit, & evaporationes,ex ventriculo prohibet,*Herba* autem *& ſuccus* ſuperficialis herbę humiditate ac frigiditate,& fœdo odore capiti eſt inimiciſſimus.*Herba* itaque & *ſuccus* intra corpus aſſumptus, vocem exaſperat & rationem perturbat.*Ioel.*

13. *Et radicem &c.*)Curatio eſt evomitio,hauſta *tepida* cum *oleo anethi*. Antidotum eſt *theriaca Androm.* ad ℨij.cum *vino*,Idem.

Poſt vomitum *ex ol.irino,merum* prodeſt per ſe & cum *abſynthio* potum. *Ova in oleo* cōquaſſata cum *muria* & ipſa perſe *muria Ius ſalſum ex gallina & anſere, paſſum* cū *Axuvio*,Iuvantur *vino puro & iure pinqui.Cæſalpinus.*

14. *Mandragora*)Radix vi narcotica & ſtupefactiva eſt prædita;hinc *vinum infuſionis mandragora* propinatur quādo aliquod membrum reſiccare volunt;Cum vero narcoſis hæc admodum periculoſa ſit, hinc apud nos hoc non procedit..*Etmuller.*

14.*Mandragora*)Eſt herba radice craſſa & biſurcata,in Italia copioſe naſcens: Eius radix vehementer refrigerat & ſomnum conciliat, quæ intra corpus aſſumpta, aut pomis eius devoratis,veternum & profundiſſimum ſomnum lethargo ſimilem inferunt , ac triſtitiam acamentiam excitant , ita vt æger ex profundo ſomno excitatus vociferetur, ac ſtatim iterum indormiſcat; præterea facies intumeſcit & oculi prominent , niſi mature occurratur,in vitæ diſcrimen æger conicitur. *Ioel.*

15. *Obviam veni &c.*) Curationis methodus eſt,vt primum *vomitio* excitetur,ſumpto hauſtu *aqua iunip. per deſcenſum diſtillata*;ſuccedat *clyſter acris* ex *hydromel, oleo ruta*, Excitetur *ſternutatio* inſerto *errhino* ex *rad. gentiana* , aut immiſſo naribus *pulvere* ex *caſtoreo , pyrethro & maiorana*.Sutura coronalis & tempora inungantur *oleo roſar.& aceto roſ.* mixtis,odor *aceti acerrimi* ſubinde admoti juvat; Bibat crebro *vinum abſynt.* Antidota, ſunt *ther, Andr.* ℨii.cum *vino* aut pulvere ex *caſtoreo* & *ſcordio* & *ruta āā.*℈i.*cum vino.*Ioel,

16. *Hyoſcyamus*) Duplex eſt,vel *ſylveſtris niger*, vel *albus*,Niger eſt ſuſpectus propter nimiā virulentiam ; ergo merito eliminatur ex officinis,*Albus* vero vt inſigniter narcotica eſt præditus, ne ipſi quidem opio cedat, Hæc autem *vis narcotica conſiſtit in principio ſulphureo*, id quod eius viſciditas,quæ circa flores reperitur,oſtendit. *Etmuller comm.ſch. 129.*

16 . *Hyoſcyamus*) De *Hyoſcyami* generibus ita ſcribit *Dodonæus Hiſt: trip. pempt. 3. l. 4.c.21* Hyoſciami tres veteribus ſunt, niger,luteus & albus, poſterior ætas peruvianum quartum adinvenit;*Dioſcorides de mat.med. l.4.c. 64.* teſtatur hyoſciamū potum, & in cibo ſumptū ebrietati ſimilem amentiam facere: *Plinius l. 35. nat hiſt.c.*4. etiam foliis mentem corrumpi aut ſi plura quam quatuor bibantur minor autem habetur candidus,quem medici ſecundum *Dioſcoridem* recipere ſolēt deinde luteus,niger vt deterrimus improbatur:*Galenus l.8 ſimpl.* nigrum etiam inſaniam ac ſtuporem afferre affirmat, hincque flauum , ſive luteum propinquam obtinere facultatem,Candidum ad ſanationes maxime idoneum eſſe. *vt*

16. *Hyoſciamus*) Hyoſciami radices,pro cichorii radicibus pluribus in collatione oblatæ,è quibus acetarium paratum fuit;Poſt huiuſmodi collationem ſuo tempore cubitum itur;Hic enim vero oriri ſymptomata cœperūt, & veſcarum radicum paulatim diffundi toxicum,ſentiri à quibuſdam capitis vertigo,aliquorum torreri linguæ ac labia aſperari fauces, torqueri nonnullorum ilia ac totis artubus male haberi : Fuit qui gargariſmo palati ardorem compeſcere ſtuduit,ſed lingua velut in frixorio toſta omnē reſpuit medelam: Inſonante noctis duodecima, cum ad preces matutinas pro more excitarentur, miſerabilem aliquorum metamorphoſim ſpectare fuit,vnus tam deſtitutus mente ac debilis repertus fuit, vt pro vita deſperato habitus, SS. Eccleſiæ ſacramentis providere debuerit,Alius quaſi dentibus nuces frangeret & exemptus nucleos fringillis domeſtinis proiiceret, Alius in cella ſua fornacem prenſabat quaſi arborem percepturus. Alius anſatis vtrinque manibus, ac toto corpore incuruus ilia ſibi rumpenda clamitat; Ex iis qui ad chorum venerunt; ad matutinum ſolvendum pēſum,aliqui oculos vix aperire, & literas legere nequibant,vel aliqua inter verba,ſeu verſiculos admiſcebant, quæ ibi non continebantur;Non nemo privatim orare volens,dum librum aperit, myrim donum aciem aſpicit,& literas iam animatas,velut formicas in aggeſtu ſuo confuſim diſcurrentes ſibi videbatur intueri , vt exinde ne ſyllabam quidem combinare ad aliquod tempus valuerit. Lepidum fuit mane ſartorem magiſtrum videre laboratutientem minus iam ſedili ſuo oculatum,quippe qui ne filum quidem armare acu nec à tyrone, armato,tangere rem acu , vt ſibi videbatur iam tricuſpide valens , quovis punctu aut digitos aut poplitem eruen-

quæ hic ſcripſi veniſſem niſi guſtu variante monitus minoribus radiculis prælibitis,& majoribus (quæ corpulentæ ac pingues erunt) abſtinuiſſem, Et his quidem intemperiis agitati aliqui vſque mane, nec tamen ſcirum adhuc quæ mali eſſet origo, quia tamen omnibus fere commune fuit, indicatum rationabiliter è culina promanaſſe; quaproter acriter indagatum à coco eſt quid edulii veſperi intuliſſet? qui aſſeveravit præter radices à patre Hortulano ſibi miſſas, & more ſolito coctas nihil intuliſſe,proinde indagine ad patrem Hortulanum devoluta, faſſus is eſt bifarias ſe radices, *hyoſcyami* ſcilicet & ſcichoreæ vna ex area erutas eccreviſſe,ſi forte per errorem à puero Hortulani commixtæ ad cocum venerint, ſe neſcire, Interrogatus tunc etiam puer reſpondit, omnia quæ inveniſſet eradicata culinæ intuliſſe. Hinc ajebat P. *Prior*, illæ lacrymæ? qui etiam ſummo mane Schaffuſio accerſiri Medicum fecit, Erat is D. D. *Johannes Screta à Zavorzis* Nobilis Bohemus, Reipublicæ Archiater, Adeſt is ex tempore, & citationi, cauſam edoctus luctantes adhuc aliquot Patres cum hallico ſuo tepetit, & *aqua è juniperis* deſtillata ad potandum porrecta, ſævientem peſtem aut mitigat, aut abſtergit, Tum ad circumſtantes, Domini mei, *inquit*, niſi hæ *Hyoſcyami* radices cichoreæ radicibus, oleo, ſale & aceto attemperatæ fuiſſent, fractaque nonnihil earum vires, jam eſſetis omnes orci candidati. Poſt abſceſſum ejus Patres fere omnes melius habere cæperunt paulatim, vnus tamen qui in edendis radicibus largior fuerat, has ſibi reliquias ſupereſſe conqueſtus eſt, oculos nimirum antea acutiſſimos, adeo obtuſos redditos, vt perſpicillis vti neceſſe fuerit. *Wepferus* ex communicatione *R. D. P. Caroli Ryſeri Conv. Bened. Rhinovenſis.*

Creditur *Hyoſcyamus* frigidus in 3. & ſiccus in primo gradu, idque ideo quia *Galenus* ita ſtatuit; Deinde quia ad deſtillationes calidas, vtiliter adhibetur, quas inſpiſſare, obtundere, & delinire dicitur: *D. Gaſpar Hofmannus de Med. offic. l. 2. c. 3.* duo in Hyoſcyamo obſervat, Unum eſt vis manifeſta refrigerans & ſiccans, non ſine accidentali humiditate, alterum vis occulta, narcotica & deleteria. Si quis modice illo vtatur, exſerere ſe tantum manifeſtas qualitates, refrigerandi & condenſandi. Sin liberalius, jam etiam occultam; hoc eſt, cum condenſatione etiam obſtupefieri partes, ſi amplius, occultam tam eſſe potentem, vt occidat.

Quod de hac aſſertione cenſendum, prolixe demonſtrare non licet, attamen *Hyoſcyamo* idem quod cicutæ fatum obveniſſe puto, dum obiter ejus vires & temperamentum juxta vnius alteriusve effatum expenſæ fuerunt: Certe quoque ex hac ipſa hiſtoria, *Hyoſcyamum* quod manifeſtas qualitates, etiam largius aſſumptum calidum eſſe non obſcurum eſt; ſcilicet circa horam 8. veſpertinam jam R. D. P. linguas & labra torrida habebant, ventris tormina patiebantur, & fauces ardore quaſi roſtæ ita fuerunt, vt nullis gargariſmis extingui ardor potuerit, vt cætera omittam ſymptomata quæ facilius à calore quam à frigore derivantur; Deliria & intemperies quæ poſt mediam noctem quibuſdam evenerunt,non erant vſque adeo torpida,vt frigori imputari debeant, quæ neque ipſe *Dioſcorides* frigida diceret, nam *lib. 4. c. 69.* tum nigrum, tum flavum *Hyoſcyamum μανιώδη* pronuntiat, & *Plinius* apud D. *Hofmannum* l. c. *hyoſcyamum altercum* ab *altercando* ex *Scribonio Largo* nominat, ſcil. non frigida & mitia, ſed bilioſa materialia deliria excitantem.

Torminum vehementia qua quidam ventrem uſtum iri verebantur, neutiquam ignavæ frigidæ qualitati deferi poteſt: *viſus* triplex ſartoris, & formicarum aggeſtus oculis inter regendum obſervans, forte humori nervos opticos oppilanti adſcribi poſſet, at & ille humor has anguſtias non intraſſet, niſi à calore hyoſcyami fuſus fuiſſet. Nec temete D. D. *Screta* à *radicibus cichorii aceto* & oleo conditis hyoſcyami virulentiam correctam pronuntiavit, quorum beneficiò nimirum ejus fervor correctus& ſpicula obtuſa fuerunt. *Dioſcorides* enim de *Alex. cap. 15.* inter corrigentia *cichorium* nominat, Equidem D. *Screta* poſterò die ſuaſit *aquam junip. ol. angel. diſtill. theriacam*, ſed jamprope devicta *hyoſcyami* radice, ad auferendas humorum fuſorum, & circa partes nervoſas ſtagnantium reliquias, idque bono cum ſucceſſu. *Wepferus cap. 18.*

Hyoſcyami ſemen devoratum.

Anno 1670. infans 3. ann. à meridie accipit ab infante vicini globulum vnum & alterum *ſemin. hyoſcyami recentis*; quo comeſto ſtatim ſomnolentia quadam correptus eſt, cumque parum dormiviſſet facie rubuit, delitavit & quaſi ſtupidus, nec verba proferre cohærentia, nec adſtantes cognoſcere potuit, cum maxima, quod ex geſtibus apparuit, anxietate; Conſultus eadem veſpera propinavi primo *tartari emet.* gr. j. poſt *Tinct. bezoart. noſtræ* gtt. 18. ſingulis quinque horis exhibendas, hinc egeſta parte noxia & diſcuſſis vaporibus, ſequenti die optime habuit & penitus convaluit.

In vicino alio pago cum *ſemem hyoſcyami* comeſtum eſſet, dato vomitorio excretum fuit corpus hyoſcyami mucilaginoſum & tenax: Gemina eſt obſervatio *Helmontii l. Jus Duumvir.* qui vidit dementiam totalem à *ſemine hyoſcyami* ad ℥ij. loco *ſem. anethi* cauſidico colli calboranti dato, & vomitivo intra ſemi horam curatam.

Ante aliquot annos ſimilis caſus cum *radic. hyoſcyami* contigit, colludentes ſex pueri radices è terra evellunt, guſtant & comedunt, Domum reverſi decumbunt, unuſque ſtatim moritur, varia ſymptomata vrgent, incaſſum adhibitis alexipharmacis. Tandem Medico diligenter in cauſam inquirente, vnus adhuc radicem talem monſtrat, & rem totam refert; quo cognito *Acida* propinat, vnde ſenſim deferbuere ſymptomata, & reliqui convaluerunt. *Wedelius Med. Sept. vol. 2 p. 361.*

De radicibus *Hyoſcyami* per errorem pro *Paſtinacæ ſativæ* coctis & comeſtis vide ibidem obſerv. *Simonis Schultzii.*

Ut paucis cauſam veneni *Hyoſcyami* tangamus, ἀφ' ὗ οἱ φάγοντες αὐτὸν παραπλῆγες γίνονται, quo qui veſcuntur apud ſe non ſunt, teſte *Socrate* apud *Xenophontem de admin. domeſt.* p. 648. præſupponi tanquam notius poteſt 1. *Hyoſcyamum*, præcipue quoad *ſemen* plurima pollere mucagine, quod, vt alia taceam, probant obſervationes tum *Helmontii*, tum aliorum, aſſumptum illud mucagini totum involutum dum adhuc in ſtomacho hæſit per emetica fuiſſe excretum, Unde etiam eſt quod ob conjunctam hanc oleoſæ ſubſtantiæ mucaginem, & profundius materiæ immerſam, licet deſtillationi ſubjiciatur, oleum exinde deſtillari nullum poſſit. 2. Eundem ſylveſtribus terris vaporibus, ab excrementitio & terreſtri humido & mixtione ortis abundare, quod vel ſolus viroſus odor probat. 3. Ipſum denique frigidum eſſe in eminentiori gradu: (vide ſupra *Wepferi* ſententiam.)

Cum itaque, proprie loquendo, in mundo non detur venenum niſi reſpectu caloris noſtri, conſectarium eſt, *Hyoſcyamum* vt alimentum eundem augere non poſſe, ſed vt medicamentum quidem alterare; ob dictas vero partes heterogeneas, vt ſic mixtum, eundem corrumpere & deſtruere aptum natum eſſe, Hinc quid in eo mucilaginoſum eſt, vltra debitam quantitatem,

præſertim recente herba aſſumptum ſenſum nervorum ſtomachicorum obtundit, poros obſtruit, (quantum autem horum cum capite ſit conſenſus dicere non attinet) & accedentibus vaporoſis effluviis, eoſdem peregrinis atomis inquinat, quibus cum ſpiritibus animalibus remixtis, non poteſt non ſumme turbari Economia animalis. Contra ea, ſi prudenter & circumſpecte in vſum trahatur Hyoſcyamus, tum interne tum externe, paregoricam & ſiſtentem vim egregie obtinet, &c. *Wedelius l.c.*

Iuglans, & Sambucus.

Juglans arbor & Sambucus, non alio nomine inter plantas venenatas à nobis referuntur, quam quod ſi quis ſub earum umbra quieſcat, ſicuti de *Taxo & oleandro* dictum, ob gravem odorem, gravia experiatur ſymptomata, capitis dolorem, vertigineam ſæpe epilepſiam & apoplexiam.

Symptomata capitiſque dolores ex odore & umbra vtriuſque arboris excitata, tollenda ſunt capitis lotione cum lixivio, in quo vel frondes *roriſmar.* vel *majoran. beton.* &c. ſunt incocta, Deinde irrigatione cum *aqua lavendulæ: Antidotum* eorum ſymptomatum *eſt vinum meratius*, ac devoratio trium aut quatuor *diamoſchi* rotulatum. *Joel.*

18. *Nux vomica*) Catello trium circiter ſeptimanarum limaturæ *nucis vomicæ* ʒß. 2. pomeridiana lacti permixtam infudi, Elapſo horæ quadrante caput ſubinde ſuccutiebatur, aut in latus trahebatur, aliquando tremuit ac ſi rigorem pateretur, interea vagiit continuo, evomunt lac ſincerum non coagulatum, paulo poſt nunc pronus, nunc ſupinus, exporrectis pedibus inflexibilibus, vero tetano extenſus jacuit, quandoque totum corpus motibus convulſivis concutiebatur & multivarie jactabatur, mox toto corpore & collo inſtar ſchidii rigidus protenſis pedibus evaſit, atque ab illo tempore vagire deſiit, exerta continue lingua abdomen valde intumuit. Poſtquam horis duabus convulſionibus afflictus jam ſemimortuus eſſet, abdomen incidi; Ventriculus vtroque orificio arctiſſime clauſo, ſupra modum diſtenſus erat, Illo excito vidimus diaphragmatis crura, ante quam illud in inſpiratione ad plenam diſtenſionem & expenſionem perveniret, motu convulſivo, vt in ſingultu ſuccuti; In ventriculo invenimus lac grumoſum cum muco ſpumoſo multo; Illo à contentis mundato, nulla inflammationis ſigna obſervare potuimus, anfractuum tamen ſuperficies viii has alba erat ac alias conſpicitur. Ventriculo exſecto nihilominus artus & collum à tetano rigebant, diaphragma diu & ſæpius brevibus intervallis motu convulſivo ſuccutiebatur, Ex venis & arteriis ſanguis large ſplendide rubeſcens enatavit, nullibi concretus, aut grumoſus viſus fuit.

Caniculæ provectioris ætatis dedi *nucis vomicæ* limatæ ʒß. circiter; Ante x. antemeridianum, varii & diverſi motus obſervati. Circa x. forti Epilepſia correpta fuit, quæ fere per hora xii. partem duravit, &c. finito paroxyſmo immobilis, ceu paralytica jacuit, &c. Vix horæ quadrante elapſo, prægreſſis crebris prodromis, rediit Epilepſia, in qua ſtans projiciebatur cum impetu quodam in pavimentum, &c. Vix horæ decimæ ſignum perſonuit, tertia vice correpta fuit epilepſia vehementiſſima, ac nec in hoc paroxyſmo ſpumavit, &c. Dimidiæ ante xi. matut. forti paroxyſmo omnibus ſenſibus abolitis proſtrata fuit, omni genere motuum convulſivorum agitabatur, &c. brevi poſt vivere deſinit, Pectus ſtatim aperuimus cordis dextrum ventriculum ſanguine turgentiſſimum forcipe diſſecuimus cum impetu ſanguis rutillus ad ulnæ dimidiæ altitudinem proſiliit, licet nec vel minimum motus veſtigium in corde appatuerit. Neque in hoc ventriculo, neque in illius auricula, neque in vena cava vicina vel minimum grumulum coagulati ſanguinis invenimus, Inciſo ſiniſtro ventriculo prodiit ſanguis copioſus, ſplendidius rutilans, ac citra impetum, & iſte erat grumulorum expers: Indito digito nullum calorem dextro ventriculi majorem in hoc ventriculo percepimus, &c. Ventriculo inciſo, interna ſuperficie mundata, anfractus rubebant ceu inflammati, magis ſuperne & ad latera quam in fundo, minus circa ſtomachum, foris nulla inflammatio apparuit, at vaſa dorſum perreptantia à ſanguine turgidiora debito erant, &c. Ablata tunica fibroſa ſolum nerveam inflammatam vidi, omnes anfractus obliterati erant, lana prorſus apparuit, ac ſolummodo muco pellucido oblita, &c. muco deterſo plures aphthæ in conſpectum venerunt, &c. contentis ſublatis Duodenum & maxima pars jejuni inflammata, In Reo hinc inde maculæ rubro apparuerunt; Rectum duodeni & jejuni inſtar inflammatum fuerat, &c. Cranio roſtro corvino confracto, in ſinu longitudinali, nullus ſanguis grumoſus inventus. Ventriculi ſcatebant lympha, &c.

Scholia.

Nucem Vomicam ratione primarum qualitatum, vtcunque calidum nativum brevi ſuffocet, atque animalibus vitam eripiat, non tamen cicuta magis frigidam intelliget qui has hiſtorias legerit, imo nihil torpidi ipſi ineſſe facile intelliget. Si effectus illius, ſcilicet ventriculi inflammationem; aphthas & terribiles motus convulſivos ab illa excitatos meminerit, quod amplius confirmabit æſtus pectoris & abdominis cavo tactus poſt animalium obitum occurrens, Si quis vero hæſitet præter hæc alia experimenta facere poſſet. Interea Cl. *Hofmanno de Medic. offic. l. 2. cap. 162.* aſſentior, in medendo illa non utendum eſſe; cum certa præ manibus ſint, & quo ſemel mala deprehenſa fuerit ſemper mala merito præſumatur. Aliis tamen medicamentis permixta forte minus nocua erit, vel ſaltem illius virulentia obtundetur, ne poſſit damno aliquo afficere.

Convulſivorum motuum & Epilepſiæ ſubſequentis cauſam primariam ſedem ſuam intra ventriculum habuiſſe veriſimile omnino eſt, nam in *hiſt. 1.* Catello, elapſo horæ quadrante jam caput ſuccuti, & in latus trahi cœpit, paulo poſt ſubſequente Epilepſia. In altera canicula his ſymptomatibus virulentiam exſerere cœpit poſt horam circiter dimidiam: At eo temporis intervallo in neutro horum animalium vix quidquam de Nucis vomicæ particulis diſſolutis, aut quinta eſſentia à ſtomachi firmento elicita ad maſſam ſanguineam, & hinc ad cerebrum pertigiſſe prorſus credibile eſt; bolus enim in canicula nondum penitus diſſolutus in ventriculo repertus fuit, In cane *hiſt. 3.* bolus muco involutus in ventriculo occurrit, &c. Etiamſi in Cane *hiſt. 2.* Ileum inteſtinum nucis vomicæ quidpiam continere videretur, Et in catello *hiſt. 1.* nucis fragmenta ad inteſtina perveniſſent, non tamen concludi poſſet ad lacteas emanaſſe, nam *Nux vomica*, ſubſtantia prædita eſt tenaciſſima & compactiſſima, vnde in pulverem contundi nequit, aut niſi longo & multo labore, ſed ſi pulvis ejus expetatur, limanda eſt, vt taceam mucum, quo boli involvebantur, obſtitiſſe extractioni eſſentiæ denſiſſimi corporis: Nec inflammatio inteſtinorum in cane *hiſt. 2.* argumento eſt eſſentiam *nucis vomicæ* huc perveniſſe, cum aliunde, & imprimis à violentia motuum convulſivorum effici potuerit, quod eo magis credibile eſt, quia in cane *hiſt. 3.* (hic *prætermiſſa*) nulla inflammatio excitata fuit. Nec huic ſententiæ adverſatur lympha in ventriculis cerebri ſtagnans in catella *hiſt. 2.* cum ſæpe his in locis lympha extravaſata

extravaſato reperiatur in cadaveribus illorum qui nihil horum paſſi ſunt;& in cane epilepſia terribili interrempto, ne guttula vel lymphæ vel ſanguinis extravaſati occurrit, &c.

Cum itaque *nux vomica* convulſivorum motuum & Epilepſiæ cauſa fuerit, id irritando effeciſſe credibile eſt, potius quam exploſione, quæ nullum hic locum habet, cum nec ejus ſubſtantiæ in minutiſſimas particulas comminutæ, nec quinta quadam eſſentia elicita ſanguini permixta, aut per dubios nervorum canaliculos ad cerebrum pervenerint. Hac autem vi irritandi nucem iſtam præditam fuiſſet plurima ſatis aperte reſtantur, tum in viventibus adhuc animalibus, tum in cadaveribus conſpicua. Catellus in *hiſt.* 1. ſtatim vagiit, vomuit; diſciſſo abdomine vtrumque orificium ventriculi arctiſſime conſtrictum viſum, diſtento ventriculo ſupra modum. In Canicula *hiſt.* 2. præter illa quæ poſt intruſum bolum obſervabantur in viva, jam emortuo corde adhuc effectus irritationis in toto ventriculo, nunc hic nunc illic ſe conſtringente, compatientibus etiam ipſis inteſtinis: Muco ventriculus erat plenus, quem proculdubio prolicuit nucis vomicæ acrimonia, aderantque in hoc inflammationis indicia. *Mucus*, quo ventriculus ſcatebat, nemo frigoris productum credet, qui norit ab erthinis etiam calidiſſimis mucum alibi ſimilemque, ob ſal clyſteribus impenſius commixtum, ex inteſtino potiſſimum recto prolici, &c. Non tamen nuda & levis irritatio ſuffeciſſet ad præſidem ſyſtematis nervoſi permovendum, niſi vehemens atque iterata fuiſſet, quam potiſſimum ab orificiorum validiſſima conſtrictione auctam arbitror, cum enim orificia hæc arctiſſime clauderentur, non ſolum acerbiſſimi dolores excitati fuerunt, ſed inſuper inteſtinus hoſtis, intra ſinum ventriculi detentus, calimitatem duplicavit.

Non raro obſervatur in affectu hyſterico dicto, fœminas, vel antequam animo linquantur, vel etiam convellantur, conqueri de ſæviſſima conſtrictione circa cartilaginem enſiformem, atque aliquid ibi tantum cor non abrupturum, ipſæmet dolorem compreſſivum & conſtrictivum vocant. Si conſtrictis fibris circularibus antri pylori & medii ventriculi ceſſiſſent circulares ſtomachi, ac contentis ventriculi, atque in primis nuci vomicæ ibidem commoranti, præſes ſyſtematis non ad hanc indigitationem commotus fuiſſet, nec primum particulares convulſiones, & poſtea Epilepſiam imperaſſe, &c. Præſes ſubinde tumultuari deſiit, & quaſi per paroxyſmos Epilepſiam concitavit, quia ſpirituum, quorum ope indiget, magna copia; ob motuum violentiam diſſipata fuit: in pleriſque tamen furere non deſiit donec vivere deſierunt, Imo in catello *hiſtor.* exſecto ventriculo ceu abreptitius, ſævit; niſi forte nova vulnera & partium nervoſorum læſiones, etiam ad has injurias excutiendas ipſum ſtimularint, ac ad intimas ſuppetias ferendas poſtularint.

Canes mortuos non eſſe certum eſt grumefacto ſanguine, cum in nullo dum adhuc calebat, vel minimus grumulus, aut granulum, & in ventriculis cordis ac auriculis, & in venis, etiam minoribus, reperiri potuerit. Aliter ſanguinis craſin depravatam, aut ſpiritibus orbam fuiſſe nulli ſenſuum patuit: Vitium à venenis illatum maſſæ ſanguineæ inexplicabile quidam aiunt, quod eo libentius credo, quia forte nullum eſt, utcunque venenum ſui valde multiplicativum gratis affirmetur. *Wepferus Tr. de Cicuta c.13.*

Nuces vomicæ ſunt fructus cujuſdam arboris orbiculares & inſtar paſtillorum compreſſi, tenuiſſima laginoſa pellicula contecti, qua abraſa ſubalbidi ſunt. Venenatæ ſunt hæ nuces, & proprietate ſpecifica & extrema caliditate, & non ſolum canes & aves aſſumptæ citiſſime enecant, verum etiam hominibus lethales ſunt quoquomodo aſſumptæ. Proinde deteſtanda eſt illa compoſitio Peſtis tempore vſitata, quam *Elect. de ovo* vocant. Aſſumptæ periculoſa ſymptomata excitanr, vomitionem laborioſam, animi anxietatem & omnium vitium ſubitam proſtrationem. *Joel.*

19. *Cujus antidotum*) Curatio eſt cita evomitio excitata aut cum *aqua junip. per deſcenſum diſtillata*, aut cum *ol. aneth. & aqua calida.* Antidota ſunt in textu enumerata. *Joel.*

20. *Opium*) Veterum maxima pars illud virulentiæ & narcoteos accuſarunt, & adhuc nonnulli tremunt in illius uſu, ſed vanus eſt metus, maximi potius vſus eſt. Decantatum eſt vi anodyna & narcotica, Utraque fundata eſt in oleo ſeu ſulphure, cum vitriolo volatili combinata, unde recte inter calefacientia numeratur. Vim hanc in eo exerit, quod quoſcunque ſpirituum influentium motus coerceat, humorum agitationes compeſcat; *Etmuller comm. Schr. p. 187.*

20. *Opium*) Accepta æquali portione *ſinapi & caſtorei,* & naribus immiſſa, ſternutationes fiant. *Mercurialis l. 2. de ven.*

20. *Opium*) μηκώνιον, eſt *ſuccus papaveris*, μήκων enim papaver ſignificat, cujus duæ ſane ſpecies à ſeminum colore, *alba & nigra*, quæ etſi inter venenatas res numerantur, tamen neutrius ſemina venena eſse deprehenduntur, cũ in Auſtria & Styria vtriuſq; ſemina in cibis pane recenti ad ℥iij. aut ℥iv. è ruſticis eſitentur, & *oleum* ex *ſem. papav.* in cibis quotidie vtantur impune. Capita vero papaveris, præſertim nondum exſiccata, vehementer refrigerant & ſomnum conciliant, ideo in calidis morbis inſtar cataplaſmatis cocta & contuſa capiti applicamus, lauacra pedum aut manuum ex iis paramus: *Opium* autem præſentiſſimum eſt venenum, & fit ex inciſis adhuc vireſcentibus *capitibus papaveris*, &c. Per os exhibere nunquam ſum auſus, In compoſitis vero medicinis, quas *Opiatas* vocant, exhibui, ſed nonniſi ſumma vrgente neceſſitate.

Opium autem ſive per ſe, ſive in mixtis medicamentis impudentius aſſumptum, hæc ſymptomata perniacioſa infert, ſtatim ſanguinem & ſpiritus vehementer refrigerat, & ſomnum profundum ac fere inexcitabilem inducit, quem unguium lividitas, anhelitus frigiditas, maxillæ inferioris laxatio & labiorum intumeſcentia ſubſequitur, ac tandem ſingultus, ſudor frigidus & violenta mors. *Fr. Joel.*

21. *Cujus antidotum eſt*) Curatio, vt fere in omnibus venenatis affectibus, conſiſtit in tempeſtiva evomitione, hauſto *vino* in quo cortices *radic. nuc. iugl.* ſunt in cocti, & vſu *clyſter. ex hydrom.* incoct. *centaur. min. ruta, ſcord. & caſtor.* cum *oleo caſtor.* hinc ſudor proliciatur per *theriac.* ʒij. *Sternutatio* cum pulvere exiguo *euphorb. majorana* excitata, plurimum confert. *Sutura coronalis* & *tempora* inungantur *oleo caſtorei* cum *aqua junip. per aſcenſum* diſtillata diluto. Æger ſubinde excitetur è ſomno, naribus admoto nodulo ex *caſtoreo* & pauxillo *euphorb. in aceto* acerrimo macerato. *Antidota* ſunt *Theriaca.* Plurimum confert crebro exhibere duo cochlearia *aqu. juniperi* per aſcenſum diſtillatæ, aut *olei angel. gtt. vii.* aut *olei vitrioli gtt. xiij.* cum *vino generoſo.* Joel.

22. *Fungi*) *Stercus gallinaceum* quidam exhibebat ad lævorem contritum & cum *oxycrato* aut *oxymelite* propinabat infirmis, qui celeriter adjuti ſunt *J. Ceſar Baricellus.*

22. *Fungi*) Detur *theriaca* cum *oxymel.* tum *ſimpl.* tum *ſcill.* Indicationibus ſatisfaciemus, ut ſæpius probavimus. *Panarolus Jatrol. Pent. 3. 4. 5.*

Vitriolum miram habet facultatem in expugnanda proprietate prava & maligna *Boletorum*, ſi ad gr. 4. vel 6. in aqua tepida aſſumatur, & vomitus inde excitetur,

poſt vomitum aſſumátur *cineres boletorum* combuſtorum ejuſdem generis ad ℥ß. in *vino*, ut ſudor provocetur. *J.P.Faber Panch.l.5. c.3.*

22. *Fungi*) Μύκητς. *Boletum*; Fungorum plura ſunt genera, Alii enim ex terra, alii ex caudicibus arborum pronaſcuntur & extuberant, Et eorum alii rurſum ſunt eſui apti, alii vero venenati atque mortiferi: Fungos *Dioſcorides* inter plantas recenſet, ſed cum non folia, nec radices, nec ſemina proferant, qua ratione inter plantas recenſeantur neſcio. Gulæ luxuries fungos quoque inter alimenta recipit, præſtaret vero nunquam veſci, cum vel inter ſalubres venenati etiam reperiantur, & omnes ſunt mali & tenacis ſucci. *Joel.*

Fungi quidam inter deleteria genere ſunt, quippe qui mixtum habent qualitatem putredinoſam (*Galenus 1. ſimpl. 19.*) Oriuntur venenoſa (inquit *Dioſcorides 9. ſimpl.*) juxta clavum rubiginoſum. aut pannum marcidum, aut cavernulum ſerpentis, aut arborem noxiam. Cognoſcuntur quia continent ſtigmentum quoddam & pituitam concretam; hi eruti celeriter putreſcunt, aperti colorem mutant qui præterea coctione indurantur, pravi ſunt ſucci: Cæteri eſui apti ſuavẽ in juribus gratiam habent, ſed largius ſumpti nocent; Eorum admodum frigida & humida natura eſt, ut proxime accedant ad deleteria: Succum gignunt pituitoſum, frigidum & craſſum. *Cæſalpinus.*

23. *Seu minus recte cocti*) *Celſus* teſtatur coctione corrigi in oleo fervefactos cum pyri ſurculis pari menſura; Pyraſtri quoque fructus & folia cum fungis decocta reddunt innocuos? Elixi quoque & inveterati ſale idem patiuntur. *Cæſalpinus.*

24. *Suffocationem inducunt*) Fungorum ſymptomata ſunt vehemens capitis dolor, oris ventriculi coarctatio, reſpirationis difficultas, ſingultus, frigidus ſudor, anxietas, ventris & faciei intumeſcentia, quandoque coliti dolores, poſtremo ſuffocatio. *Joel.*

Scribit *Galenus 2. Alim. 69.* quendam ex boletis, qui innocentiſſimi putantur non ſatis coctis, largius aſſumptis ægrotaſſe, cui os ventriculi preſſum, gravatum coarctatumque fuit; difficilis reſpiratio, animi deliquium, ſudor frigidus. *Cæſalpinus.*

25. *In curatione*) Curatio ſymptomatum ex fungis conſiſtit in matura evomitione comeſtorum, ſumpto hauſtu *vini in quo cortices rad. ſambuci* macerati & incocti ſint, & ſubductione alvi cum acri clyſtere, ex decocto *ſcordii*, *rutæ*, *valerianæ*, addito *oleo rutæ* & *hiera ſimplici*, Detur crebro *vinum abſynthites*. Offerantur etiam crebro *radices raphani* & *nuclei allii*. Antidota ſunt *Theriac. Androm.* ʒij. cum hauſtu *vini* aut olei *abſynth. deſtill.* ℈ß. cum *vino*, aut *ol. cimyni* ℈ß. (*Sanctorius in meth. vit. error.* commendat tanquam ſpecificum *ol. ſtillatit. cuticulæ citri*) aut *ſalis abſinth.* ʒß. aut *ſtercor. gallinac. pulver.* ʒj. *cum vino.* Joel.

Curatio quamprimum vomitus ex *oleo. Dioſcor. raphani* aut *rutæ* plurimum comedere jubet; *Aetius* incidentia & abſtergentia valida, *Oxymel* incocto *origano*, *hyſſopo*. *ſatureia*, deinde inſperſa *nitri* ſpuma, *lixivia* è *ſarmentis vitis*, aut pyraſtri ſurculis.

Fimus gallinaceus præcipue albus apud *Philagrium*, ex *aceto* potus, aut cum *melle* delinctus. *Fex vini* cocti cum *aceto*, *atramentum ſutorium* ex *aceto*. Efficacius hodie *ol. vitrioli* cum *aqua meliſſæ*, *meliſſa ex nitro*, *abſynthium* cum *vino* & *melle* ſumptum; & ex *aqua* potum. *Panacis radix & ſemen in vino*; comedat *raphanos*, *ſinapi*, *naſturtium*: Avicenna inquit, *muria* eſt theriaca fungorum, ſæpius detur in potu poſt vomitum. *Acidam muriam* laudat *Dioſcorides*. Succus *calaminthæ*, *diatrionpip. diacymini vinum antiq.* merum, clyſteres acres, aſſidue foveantur hypochondria. *Paulus* inquit, confert in calidam deſcendere & crudam *farin. hordei* hypochondriis admovere, ubi fit inteſtinorum exulceratio, quæ contingit vbi à ſerpente fuerint infecti. Dandum his *ficuum decoct. & abſynth.* largo potu, & *orificium* cum *melle*, indeque vomendum; dein *theriacam* bibat & in calidam aquam demittatur. *Cæſalpinus.*

25. *In Curatione commendatur*) Fungorum malitia ex multorum experimento pleroſque vita privavit: A *Galeno* tanquam arcanum pro iſtorum virulentia extirpanda adnotatum hoc, quod à Medico in Myſia didicit; *Stercus gallinaceum* contritum ad lævorem cum *oxycrato* aut oxymelite propinabat infirmis, qui celeriter omnes ſunt adjuti. Eodem præſidio vtebatur Myſius ille Medicus in Colico dolore.

De Solano vulgari.

Solanum vulgare tantum non omnium ore frigidum creditum. Si quis ratione primarum qualitatum calidum ſtatueret, παραδοξόλογος audiret, quamvis id citra abſurditatem & non abſque argumentis affirmaret. Certe in tribus pueris ſymptomata excitavit, quæ nonniſi à particulis calidis, & acrimonia aliqua pungentibus & irritantibus derivari poſſunt. Ruſtici cujuſdam tres liberi, unus ſex, alter quatuor, tertius trium annorum à campo redeuntes die præcedente baccas quaſdam juniperi ſimiles, ſecum apportarunt, ſaporem earum laudantes. Minimus natu poſt cœnam, de capitis dolore, major hora poſt mediam noctem; ſecunda de cordis dolore; (id eſt ventriculi) conqueri cœperunt, Ab exhibito oleo olivarum majorem vomuiſſe, narrabat Pareus, reliquos non. Nunc vero omnes tres poſt prægreſſum torvum aſpectum jactationemque membrorum furibundos quaſi delirare, alta petere, vociferari, miras diſtorſionum pati figuras; per intervalla vero inſtar mortuorum proſtratos jacere; Præter illum vomitum hactenus nullum illorum quicquam, neque per ſuperius, neque per inferius guttur, neque per veſicam excreviſſe.

Cephalalgia ſane meningum cerebri, pylori roſioni Jectigatio, & mira membrorum diſtorſio convulſiva nervorum vellicationi, Delirium cum furore & conatus alta petere igneis particulis ſpiritibus animalibus aſſociatis tribui poſſunt. Quin etiam ſymptoma illud quo aliquandiu inſtar mortuorum jacuerunt, non ſanguinis coagulationi, congelationi aut ſimile corruptelæ adſcribi poſſe videtur, ſed potius convulſivo cuidam motui cordis, nervorum pulmonicorum & diaphragmatis, quia hoc ſoluto, ac fœditiſſimis per alvum excretis, nihil poſtea mali præter laſſitudinem paſſi ſunt.

Solani baccarum portiones maſſæ ſanguinis permixtas, fuiſſe negari non poteſt, cum diu intra corpus detentæ fuerint, maximam tamen partem in ventriculis & inteſtinis ſubſtitiſſe, indeque ſymptomata exordia ſumpſiſſe ſuſpicor; quia poſt dejectiones cito remiſerunt. Præſcripſit ſingulis Exc. D. D. *Camerarius*, mixturam ex *pulv. rub. pannonico. lap. bezoard. unicornu v.* quovis trihorio ſumendam; Et quavis nocte *theriacam celeſtem* cum mixtura ex *aqu. alexipharmacis herbar. & ſyr. ſimpl.* quibus per triduum aſſumptis tertio die rationi & valetudini reſtituti ſunt pueri, laſſitudine excepta. Majorem & medium copioſiſſima & fœtidiſſima per alvum ejeciſſe referebat Parens. Minimum copioſiſſime minxiſſe. *Wepferus Tr. de Cicuta aqu. cap. 17.* Ex communicatione dicti *Clar. Camerarii Archiatri Seren. Principum Wirtemberg.*

De

De Solano Furioſo.

Anno 1677. tempore vindemiali ducebar ad puerum x. annor., cujus pulſus celer & debilis, hypochondria valde tenſa, oculi aperti, licet cæcus eſſet, externorum calor urens erat, Jacebat is modo, mire membra torquebat, modo delirabat, modo ad interrogata recte reſpondebat, imo & quærebat, modo reſpirabat, ſed difficulter, modo quaſi mortuus nullum trahebat ſpiritum; hæcque reciprocatio intra horæ quadrantem ter vel quater repetebatur, &c. Puer ex ſylva propinqua domum redux ſe ceraſa ſylveſtria ibi inventa comediſſe narrat, Cœnat, nec de ulla moleſtia conqueritur uſq; ad mediam noctem, cum à fratre pro ſiti intenſiſſima ſedanda, rauca voce potum peteret, quam aquam nimirum frigidam allatam, cum magna difficultate, non omnem licet valde ſitibundus, aſſumit; Per duas ab hoc horas inſomnis cum fratre loqui ſæpius incipit, vix tamen contextum aut periodum abſolvit; de cardialgia conqueritur, hora 3. poſt mediam noctem vomit, ſomno, ſed valde profundo à vomitu obrutus, appropinquante die, lumine, in oculis nullo apparente vitio, cæcus erat, delirare incipiebat, & in eum ad horam 4. pomeridianam, qua ipſum conveni, antea recenſitum ſtatum deveniebat.

Ego illa ceraſa ſylveſtria nil niſi baccas *Solani furioſi*, Belladonna *Camerario*, aliiſque dictas ſuſpicans, quia in illa ſylva copioſiſſime creſcere noveram, per vomitum inductum baccas partim integras, partim amollitas, partim ad ſemen uſque & pelliculas conſumptas, copioſas eduxi, refracto & imminuto diſtorſivo illo motu, mox alexipharmaca cum antepilepticis exhibui, eadem poſt abitum meum, qui altero die, continuanda ſuadens: Menſe elapſo puerum ſat belle habere, poſt anni vero ſpatium ulcere pedis omnem Chirurgorum curationem reſpuente laborare reſcivi. *Obſervatio ejuſdem D. Camerarii.*

Scholia.

Hujus *Solani* vel nomen ſolum teſtatur quoad primas qualitates, aliaſque ab illis pendentes; ſeu aliunde oriundas non frigidum & torpidum eſſe, ſed calidum & acre, affligens genus nervoſum vellicando, & ſanguinem lympham alioſve humores & ſpiritus exagitando, quod etiam ſymptomata in hoc puero excitata à baccis oſtendunt; Patet quoque ex hiſtoria baccas in ventriculo commorantes diſtorſivos motus excitaſſe, nam illis vomitu ejectis ceſſarunt, quamvis procul dubio particulæ baccarum, ad ſemen & pelliculas conſumptarum adhuc ſanguini immixtæ eſſent. Vide plura de hac planta *Strynomaniam Joh. Matt. Fabr.* Wepferus *cap. 17.*

De Cicuta aquatica.

Κώνειον, Cicuta, *Dioſcor. mat. med. l. 6. c. 79.* eſt Venenum, vel cum, vel propter frigus enecans, φθαρτικὸν τῷ ψύχειν ἀναιροῦν. Hoc *Dioſcoridis* effatum anſam videtur dediſſe Medicis & Philoſophis quamplurimis ut citra ulteriorem indaginem ejus temperamentum frigidum ſtatuerunt. *Galenus*, qui plurima *Dioſcor.* inſeruit ſuis *lib. 3. c. 6. de S. M. F.* audacter ſcribit neminem cicutam calidam dicere, ſed velut uno ore omnes illam frigidam pronuntiare; & *lib. 3.* frigidiſſimam; *lib. 4.* ſumme refrigerantem & interimentem dicit. Et *lib. 5. cap. 19.* frigida & humida creditur *Galenum* ſequuntur cætius Græci. Cicutam frigidam ſiccam in tertio gradu uſque ad quartam ſtatuit *Avicenna.* Ad hunc uſque diem plurimi qui de Venen ſcripſerunt, & in *Dioſcor.* commentati ſunt, unanimes propemodum in hac ſententia fuerunt. Cicutam frigidam eſſe, Verum pridem de ejus vi refrigeratoria ſumma dubitatum fuiſſe ex *Petro de Albano Conciliatore* dicto conſtat apud *Sant. de Arduinis l. de Ven. Tr. 5. c. 62.* qui memorat quoſdam Cicutam calidam & ſiccam in 3. gradu ſtatuere, &c.

Ex quibus patet id quod de qualitate activa ſtatuendum eſſet, multis adhuc difficultatibus involutum eſſe, quæ tamen forte non tanta erunt, ut non liceat tricas omnes evertere, ſi probe omnia expendantur quæ ad ſimplicium facultates examinandas requiruntur. Cicutam, ceu perfecte mixtum, & vegetabile quo nutritur, augetur & ſibi ſimile producit, nemo negabit particulis calidis moventibus & mobilibus præditam eſſe, ſive illa ex quatuor elementis, ſive ex ſale, ſulphure, mercurio, terra, aqua & ſpiritu, ſive ex particulis vel atomis varie figuratis componi credatur, Deinde nemo inficiabitur cujuslibet ſimplicis temperamentum ſeu vim aut facultatem denominari ab illo quod ſe potiſſimum exſerit, quando ab homine vel aſſumitur, vel foris apponitur, nimirum præcipue ſimplicia ex affectis cognoſcuntur: quamvis non negarim illa quoque per analyſin chymicam ſeu à priore nobis innoteſcere, & quæ oleo, ſalibus & ſpiritu abundant calidiora eſſe illis, quæ horum magis egena deprehenduntur. Diſpiciendum igitur num Cicuta deguſtata, aut intra corpus admiſſa, aut foris admota, affligat potius particulis Igneis, aut Salinis, aut ſulphureis, aut Acuminatis: an vero Terreis, Aqueis, ignavis, torpidis & obtuſis, calidis interea & mobilioribus ita ab his irretitis, ut neutiquam in nervum erumpere valeant.

Si ad omnes effectus attente animum avertam, ſique quod res eſt fateri volumus, Cicutam calidam exiſtere, ſeu nobis particulis igneis, ſalinis, ſulphureis, ſpirituoſis, acuminatis prodeſſe, vel obeſſe intrepide pronuntiare auſim, qui forte tum ex hiſtoria cicutæ aquaticæ, tum ex aliis qui caſu & per errorem cicuta veſcebantur, tum denique ex commodis quæ in arte Medicatrice adhibita afferre ſolet clarum fiet.

Primum enim ſpirat odorem nauſeabundum, horridum, inſtar paſtinacæ ſylv. aut hippoſelini, *Galen. 5. de S. M. D. cap. 18.* ſtatim alienum & homini adverſum dicit, idque dum cicuta adhuc integra eſt, ſive aquatica, ſive terreſtris ſit; ſi talem odorem exhalat integra, contuſa fortius nares feriret, cujus generis effluvia calida ſunt, & à ſale volatili & ſulphure fœtido impuro emanant: Dein linguam acrimonia quadam pupugit, non tamen durabili & acri ut arum facere ſolet; forte tamen diutius linguæ inhæſiſſet, niſi potius, os frigida, veneni conſcius eluiſſem. Saporem acrem calidum eſſe, *Galenus 5. S. M. cap. 18.* ne demonſtratione quidem egere merito affirmat, cum ſenſus evidentia rationis fidem præveniat, &c. Et certe niſi cicuta abundaret particulis igneis, ſalinis, fixis & volatilibus, illique ſemper in promptu eſſent, & præ cæteris ſe exſererent, ac aliis ſuis nec pungeret nec exulceraret, *Dodonæus St. Hiſt. lib. 3. cap. 13.* ait crebro accidere, iis qui Cicutæ fruſtula intra labia aliquandiu continuerunt, labra & os inflari.

Præterea ſymptomata quæ Cicuta caſu deglutita peperit, ipſam calidam ſeu particulis valide efficacibus, & propemodum efferis potentem, non frigidam, elanguidam, obtuſam & tardam abunde probant. Apud *Jacobam Maderam*, cardialgia, urinæ impetuoſa ejaculatio & epilepſia terrifica neutiquam attribui frigori poterunt, ſed humori ſeu ſucco acerrimo, genus nervoſum ſummopere affligenti, & ad violentiſſimos iſtos motus ſtimulanti, qui itidem

ad vomitum, quamvis gula & faucibus, conſtrictis, inanem & ad ſingultum irritarit miſellum, forte à valida re diuretica, quam ipſi tribuit *Scaliger* & *Lobelius*, &c *Maria Medina* Epilep. ſingultiens,& facie erubeſcens & ipſa ebibit calidam. Apud M.N. Cicutam caloris acumina quoque prodidiſſe obſcurum eſſe nequit, nam primum Vertiginem excitavit, inſtarque temulenti inceſſit, ſive enim vertigo ventriculo cerebrum in conſenſum rapiente, ſive particulis ſucci cicutæ ex ventrilo expreſſis, chylo & ſanguini permixtis, ac ad cerebri medullam delatis adſcribatur, non frigidum, obtuſum & torpidum, ſedant acre & nervoſiores ventriculi partes rodens, aut ſpirituoſum volatile ſpiritus animales intra cerebrum inſtar ſpiritus vini, aut alius potus inebriantis, perturbans accuſandum erit, Et quis Epilepſiam tam terribilem & pertinacem frigido imbecilli ſucco tribueret, qua ille ceu ſtrangulatus ſuffocabatur? Spuma viridis poſt obitum large ex ore manans inſignem fermentationem indicat, quam à cicuta multo ſale volatili abundante profectam monſtrat ſpuma viridis, niſi enim ejus generis particulæ ſucco ineſſent, non tam cito nec tam vehemens fermentatio contigiſſet. *Wepferus Hiſt. cicut. c.3.* Vide plura hanc in rem capit. ſubſequentibus.

De Curatione poſt ſumptam Cicutam & Venena corroſivitate deleteria.

Rationibus & experimentis exiſtimo me deprehendiſſe *Cicutam calidam & acrem* eſſe,ſuiſq; acidis membranam nerveam potiſſimum ventriculi feciſſe, ac fibras ejus circulares membranæ arctiſſime fibrillis nerveis conjunctas ad violentam conſtrictionem irritaſſe, tum ob vellicationis vehementiam, tum ob conſtrictionis atrocitatem, maxime circa orificii ventriculi, vbi nervi inſigniores apparent, & præſidem ſyſtematis nervoſi in furorem actum, vnde convulſiones & cor in conſenſum raptum fuiſſe, unde plurima mortis imago apparuerit, imo pueri enecati fuerint, & puellæ expulſo hoſte imminentem mortem vix evaſerint.

Ut hac de re certius aliquid ſtatuere poſſem aliorum venenorum vegetabilium experimenta, tum amicorum,tum proprias adjunxi, ex quibus didici prope eadem ratione ventriculum afflixiſſe, ac fere eodem ordine ſymptomata produxiſſe. Retinui nomen generale acrimoniæ, cum ſcirem & Alkalina, & Acida, tam volatilia quam fixa, irritandi nerveam membraneam vi valere, ac hos tumultus inferre poſſe; atque ſufficere ratus ſum, obtuſa cujuslibet Veneni acrimonia, & ſublato hoſte ſymptomata ceſſatura ac hominem à præſenti vitæ periculo vindicatum iri.

Tum Cicuta, tum alia ipſi ſimilia, rubificantibus veſicatoriis, erodentibus & putrefacientibus affinia per me dici poſſunt, à quibus quoque non multum differre puto, quamvis in ventriculo & inteſtinis nunquam veſicas, raro & vlcera & cruſtas, rariſſime integrum ſphacelum, vt in cute, producant, nam ita cum tunica cruſtacea comparatum eſt, ut non facile, vtcunque nervea impenſe vellicetur, ab illa abſcedat atque in veſicam attollatur, deinde ſemper humida eſt, ut etiam ferociſſimum venenorum aculeos aliquando obtundat, & continue magna copia, maxime nervea valde irritata, acrem humorem è maſſa ſanguinea recipit, vt non raro illa, inprimis ſi in minori quantitate aſſumpta fuerint, aut imbecilliora ſint, ſuperet.

Indicationes igitur erunt. *Cicutam* quantocyus è ventriculo educendam, Ejus acrimoniam infringendam, ſpiritus vitales conſumptos à vehementia ſymptomatum inſtaurandos, aut ob motum ſanguinis varium, vel interceptum, oppreſſos excitandos, labem ventriculo vel inteſtinis impreſſam, ſive inflammatio, ſive denudatio membranæ nerveæ, ſive exulceratio ſit, emendandam, & vires laudabili victus ratione reſtituendas & conſervandes eſſe; His ſequenti methodo ſatisfaciendum eſſe videtur.

Cicuta breviore, tutiore & certiore via exturbabitur è ventriculo vomitu concitato: per ambages longas educeretur purgantibus non ſine periculo, dum afflictio adderetur, hoſte ad inteſtina pulſo, quibus non minus infenſus eſſet quam ventriculo, atque illorum quędam minus ejus præſentiam tolerarent, utpote teneriora & ipſamet exquiſito ſenſu prædita, Idque ante omnium aliorum medicamentorum vſum faciendum eſt, ne virulentia cicutæ acuatur, ventriculus irritatus exaſperetur, cicuta, aut fermentum ſtomachi illius ſucco imbutum ad inteſtina, à chylo permixtum ad maſſam ſanguineam perveniat, Hoc ſuadet *Dioſcor. de Alexiph. c.11.* dicens. *Inter initia, vti in reliquis*, (ſcil. venenis) *illam*, ſcil. cicutam, *vomitu excutiemus* Fr. Joel curationem ſymptomatum à *Cicuta* factorum eſſe ſubitum revomitionem ſcribit.

Verum cum Cicuta intra ventriculum admiſſa Epilepſiam producit nonnunquam, Vomitoria ex ſententia *Septalii Animadv. lib. 6. §. 56.* non tuta forent, ne ex violento illo motu magis repleto capite, ac concitata materia in capite exiſtente ad perfectam obſtructionem deducunt, inde apoplexia ſequi ſolet; Sic *Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 7.* illa quoque improbat, etiamſi Epilepſia per conſenſum ventriculi fiat, & licet extra paroxyſmum concedere videatur, vix tamen ex illorum mente concedi poterunt, cum ut his in pueris fiebat, paroxyſmi vel continui ſunt, vel breviſſimis intervallis invadant.

Verum hæc tanti non ſunt vt vomitoria prohibere poſſint, nam *Septalii* ſententia quamlibet Epilepſiam reſpicere videtur, etiam illam cujus fomes intra cranium abſconditus eſt; Deinde nititur à multis exploſa opinione illam oriri obſtructis cerebri ventriculis, commotiſque humoribus à violenta agitatione, etiam capitis à vomitoriis facta, ventriculos cerebri penitus obſtrui facile, & apoplexiam acerſiri. Præterea dum vomitoria ad cicutam ex ventriculo excutiendam exhibentur, non inveteratæ epilepſiæ, aut quæ jam altas radices egit, ac jam plurimis paroxyſmis ægros defatigavit, ſed recenti opponuntur. Denique cauſam proximam & primariam è ventriculo eliminant, qua ſublata epileptici inſultus protinus aut paulo poſt imminuuntur, ac brevi penitus ceſſant; Atque hanc vomitoriorum in hoc caſu neceſſitatem non ſolum ratio ſuadet,ſed etiam experientia probat.

Vomitus etiam tempeſtivi Arſenico inglutito profuerunt duabus puellis, *hiſtor. 1.* Puero *hiſtor. 2.* duabus puellis *hiſtor. 3. & 4.* Puero *hiſtor. 6.* Puero. & puellæ *hiſtor. 10.* Juveni ex Fabro Lynceo *hiſtor. 12.* Item mercurio ſublimato ingeſto *hiſtor. 3.* & nemo non practicorum ſuſque deque habitus convulſionibus, vomitoria commendat, & ſi caſus ferat iſta protinus poſt aſſumpta venena, atque vſus advenit quo citius dabantur, celeriorem & firmiorem valetudinem reſtituiſſe; Si vero properatum fuit ad alexipharmaca, accelerebatur mors, ut Puello evenit, *hiſtor. 6.* de Arſenico aut morbus cum ſymptomatibus prolongabatur, vt cuidam contigit apud *Timæum l. 7. caſu 4.*

Caute-

Caute legendi & imitandi omnino videntur illi qui promiſcue alexipharmaca contra Cicutæ virulentiam coacervant,atque ante evacuantium uſum,ſeu nondum expulſa è ventriculo *cicuta* exhibent.

Vinum generoſum plures ſuadent,cum tamen etiam ipſo *Galeno* teſte & *Plinio* cum vino pota citius enecet, & ut *Plinius* loquitur; irremediabilis exiſtimetur; Putant quidem id fieri quod citius cicutæ virus ad vitalia cum vino abripiatur, potius cicutæ acrimoniam à vino generoſo intendi, ut magis poſtea in membranam nerveam ventriculi ferociat exiſtimo; quamvis negem celerius quoque particulas, maxime ſi ſuccus ejus in vino ſolvatur (quod veteres facere ſolebant, aut ſi radix vino maceretur, aut ſi jam radix ventriculo emollita ſit), cum vino ad maſſam ſanguineam pervenire, ac graviſſima ſymptomata præter conſueta excitare.

Vomitoria ventriculum ad Cicutæ expulſionem adjuvantia, non neceſſum eſt ut fortiter irritent & ſtimulent, cum jam alias ad conſtrictionem à Cicuta pellectus ſit, *Aetius & Albucaſis*, aquam & oleum ſuadent, ſi tepida & larga manu, iteratis hauſtibus, plenis buccis ingerantur, viæ magis laxantur, vomitus citius minoreque nixu ſequitur, ſimulque quidquid cicutæ in ventriculo ſupereſt quaſi circulatur; nam pleno ventriculo, laxato ſtomacho, conſtrictis etiam in medio ventriculi fibris circularibus leviculę, abſque labore facilimeque vomitum in canibus & ranis fieri non ſemel vidi, nec ſemper ad hanc actionem abſolvendam neceſſarium eſt ut conſtrictionis exordium, pyloro, ejuſque antro, motu inteſtinorum periſtaltico ſimili fiat ac ſenſim progrediatur, quod non raro ventriculo prope vacuo, vel ab humore, vel pharmaco irritato, nonniſi magno conatu, diaphragmatis vibratione in ſubſidium veniente, evenire ſolet. Ad vomitum ciendum in hoc caſu valent *juſcula pinguia*,decoctum *hordei* cum *oleo ſimplici: aqua tepida cum butyro, lac cum oleo & butyro, cerevīſia cum oleo & butyro*, quæ una opera cicutæ acrimoniam mitigant & obtundunt.

Hauſtibus iſtis tamdiu pergendum donec omnis Cicuta è ventriculo pulſa ſit: admiſceri poſſunt ſingulis libris *oxymel. ſimpl.* ℥ii. *oxymel. ſcyll.* ℥iß. Fortiora non neceſſaria quoque ſunt, propterea quod vomitus prompte ſequitur, ſi modo opera detur,ut fibræ circulares gulæ& ſtomachi motui fibrarum circularium ventriculi inverſo non reſiſtant, quod facile impetratur ſi ſolummodo aliquid deglutiendum infundatur, inde theriaca aceto ſoluta, quinque puellis vomitum movit, quæ alias enormem vomitum compeſcere ſolet; Idem feciſſent quævis alia potulenta, dum fibras gulæ & ſtomachi aliquo modo relaxant, lubentius impulſui motuique ventriculo inverſo cedunt: Si vero ventriculus his in expellendo adjutus voto non reſpondeat, & vomitus tardetur,ad fortiora vomitoria recurrendum eſſet.

Si vero propter Epilepſiam à Cicuta excitatam diutius continuantem, aut breviſſimis intervallis paroxyſmis increſcentibus, evacuationem ſeu expulſionem ex Ventriculo moliri non liceat, Præſes ſyſtematis nervoſi à tumultibus avertendus, & aberrans in viam reducendus erit illis quæ in paroxyſmis epilepticis & hyſtericis dictis adhiberi ſolent, qualia ſunt quæ ſenſus veluti ſopitos expergefaciunt, Naribus admoveantur acrimoniam aliquam ſpirantia, ex herbis *Satureia, pulegio, ruta, majorana, hyſſopo, flor. lavend.* ſemin. *angel. leviſtici, ſinapi, baccis lauri, junip. piper. caryoph. aſa fœt. caſtor.* & ſimilibus parata, in nodulum ligata, ac aceto aut vino madefacta, *Balſamus* & *oleum ſuccini, rutæ*. Præſtans ad hanc expergefactionem eſt *ſpirit. ſalis armoniac. urinoſ.* quem Dom. *Sylvium* ad hanc expergefactionem ſemper ſecum geſtaſſe ajunt, ut in repentibus hiſce caſibus ad manum eſſet.

Hujuſmodi Topica naribus quidem prope admoveo, nunquam vero illis nares inungo, aut profundius indo, cum ceſſante paroxyſmo illita, aut intruſa diu poſtea moleſtiam ſuam reliquerint.

Dum hæc tentantur ano Suppoſitoria acria intrudantur ex *ſale gemmæ, alumine fuſo*, &c. Paretur quoque clyſter acris, Suppoſitoria & Clyſteres motum periſtalticum inteſtinorum ſurſum vergentem deorſum proliciunt, unaque opera efficiunt, ut minus arcte ventriculi fibræ circulares conſtringantur, Dum hęc peraguntur, opera quoque danda ut dentes à ſe invicem diducantur, tum ut facilius ſpirent, tum ne ſuffocentur ab illis quæ à ventriculo ad fauces truſa fuerunt, quod ebrioſo eveniſſe novi, qui in rheda mortuus repertus fuit ore & faucibus ſordium pleniſſimos: Id manibus facile paroxyſmo declinante fieri poteſt, ut non opus ſit clavibus aliiſve ferramentis os effringere; apertum teneatur dentibus ligno tenaci, aut bacillo liquiritię interpoſito; aut inſtrumento dilatatorio cum cochlea. *Sculteto Tab. 4. f. 5.*

Si vomituriant, nihil tamen ejiciant, aut ſi deglutire nequeant propter arctiſſimam gulæ conſtrictionem, dilatato ore ope prædicti inſtrumenti, aut depreſſa lingua & maxilla inferiore, *hydrelæum* tepidum ſiphone, cui cannula incurva adaptata ſit,quæque ultra epiglottidem intrudi poſſit injiciatur, quod hoc impulſu gulam, fibris circularibus laxatis, & ſtomachum perrumpet, ac cicutæ exitum quem jam ventriculus molitur, parabit & facilitabit, Ad hoc opus commodum deprehendi ſiphonem æneum à *D. Graef* poſt lib. de Pancreate depictum; Stannei & argentei, maximè ſi lamina tenuior ſit facile alterantur à dentibus.

Vomitoriis ſupra dictis pergendum,donec Cicuta omnis, aut maxima pars rejecta ſit, nullaque ejus in ventriculo ſuperſtitis ſigna ſuperſint; Si nullos ructus allii tetrum odorem ſpirent, non angantur circa præcordia, nec valde doleant; ſi eſuriant, ad Alexipharmaca à veteribus laudata progrediendum erit, Antequam tamen hoc fiat *Dioſcorides* de *Alexiph. c. 11.* dejectiones faciendas monet, ut & illa quæ ad inteſtina deſcenderint ejiciantur; At forte neceſſarium non eſt, cum aut *pylorus* Cicutæ tranſitum non concedat, aut ſi forte aliquid Cicutæ elapſum ſit, clyſteribus & ſuppoſitoriis ad excretionem diſpoſitum ſit; Si vero ex torminibus, ardore, & inflatione ventris aliquid in inteſtinis de Cicuta hæſitet, iiſdem ſuppoſitoriis & clyſteribus mitioribus, & potius emollientibus ad excluſionem alliciendum erit. Si omnino Purgantia exigantur, ſolummodo mitiora convenient, *ſcil. ſyr. roſar. violar, ſolut. de cichor. cum rh. El. lenit. Cathol. de tamarind.* nullo modo autem danda potentius ſtimulantia.

Educta è ventriculo & inteſtinis Cicuta, omni, vel maxima parte, *Dioſcor. de Alex. cap. 11.* tum demum: ceu ad maximum & præſentiſſimum auxilium, *vini* generoſi potum deveniendum eſſe monet; Sequitur *Aëtius* & alii. Vini naturam excalefactoriam, priuſquam perveniat ad vitalia, remedio eſſe dicit *Plinius*, præteritis evacuantibus: *Scribonius de comp. Med. c. 34.* quoque vult adjuvari debere in initio vino mero, ſubinde quamplurimo, calido & per ſe cum *pipere*, & cum *ſtyrace* poro, ac clyſteres demum vini meri, & *lactis* interpoſiti ſubjungit, cum multis rationibus &

experimentis demonſtratum ſit Cicutam eſſe calidam, vinum alio modo quam calefaciendo juvabit, & credibilius mihi videtur vinum eliminata cicuta è ventriculo, ideo auxilium eſſe quia arctiſſime ſpiritus ex afflictione vehementiſſima deperditos reparat; oppreſſos ob circulationem ſanguinis, nunc impeditam, nunc confuſiſſimam, ſuſcitat, atque hac ratione præ aliis vires inſtaurat. Vinum efficacius hæc præſtabit admixtis ex *Dioſcor.* traditione *l.c. abſinthio, pipere, caſtoreo, ruta, mentha, amomo, ſtyrace ſem. urticæ, rutæ, fol. lauri. ſuccis laſerpit.* & ſi quæ alia ſunt hujus ſortis à *Dioſcorid.* ſequacibus ſuperaddita.

Antidoti magnæ, *theriaca, Mithrid. El. orvietan.* prodeſunt quatenus diſſolvunt ſanguinem & lympham ob conflictum poſt cicutam ſumptam, circulari motu intercepto, alicubi ſtagnantes ac propterea vitium aliquam oppreſſionem & laſſitudinem aliaſve moleſtias poſt ſe relinquentes: Huc pertinent *Aquæ cordiales, addita conf. alk.* & alia cardiaca, Item *Tinctura bezoart.* Ludovici, *&* *Michaelis*, Sic duas Viduas, comeſta in cœna *Cicutaria* altero die juvit circa meridiem hæc Potio.

℞. *Aqu. cerefol. card. ben.* ãã. ℥iß. *Aqu. antidot. Matthioli* ℥ß. *Theriac. Andr. vet.* ℈ii. *ſalis c. c. volat.* ℈ß. *Mixtur. ſimpl.* ʒß. *ſyr. de ſcordio q. ſ.* ad dulcedinem, *S. Pauli Digr. de Febr. mal. & Fr. Ioel Aqu. Iunip. per deſcenſum* ℥v. commendat, & poſtea *Antidotos*, aut *pulv. gentianæ* ʒß. aut *ol. angel. ad gtt.* vi. cum *vino.*

Hic non prætereundum videtur conſilium *Santurelli Antipr. lib 21. cap 10.* qui poſtquam in prægreſſis ſudorifera non improbavit, ſi venenum in partes penitiores ſeſe inſinuaverit, & prætulit veneno recenter ſumpto *pinguia, lac, oleum, butyrum &c.* ſubjungit demum juvare *aquam calidam potam & lac, quia habeant vim extinguendi calorem quem utplurimum venena ſolent inferre:* Et huc quoque *Dioſcorid. l.c.* collimare videtur, nam *vinum*, præſtantiſſimum auxilium, per intervalla date jubet, ac inter hæc interſtitia *lac Aſininum aut Vaccinum* quod *Saracenus in Not. ex Paulo* addit, potus datum profuturum ait, *Scribonius* poſtquam in initiis ſubinde vino mero quamplurimum calido adjuvandos dixit, protinus adjungit, *Atqui* maxime piod eſt *lac aſininum datum*; *Si minus* (ſcilicet in promptu ſit) *vaccinum, aut quodlibet.*

Revera qui cicutæ virus probe expenderint, aut ſi unquam ægro qui cicutam deglutierit, adſtiterint, deprehendent illa vomitu rejecta, & viribus è vino mero, ſolo, aut aliis admixtis potentiore reddito, vel ab aquis cordialibus reſtauratis, labem ſeu ardorem quandoque inflammatorium ventriculi demulcendum & emendandum eſſe, quod lac optime præſtat, quod ratione butyroſæ ſubſtantiæ demulcet; ratione ſeri abſtergit, & ratione caſeoſæ refrigerat & roborat.

Illud tamen obſervandum, Lac non ſtatim poſt vinum hauſtum bibendum, nec lacte poto protinus vinum ſuperingerendum, alias lac grumeſceret, unde novæ turbæ metuendæ forent; quas experiuntur illi qui Lactis potu podagram extirpare aut mitigare annituntur.

Ad ardorem ventriculi à Cicuta impreſſum, prodeſſent quoque Iuſcula alterata herbis recentibus *borrag. bugloſſi, portulac. &c. cremor. hordei*, Alia attemperantia & demulcentia ad ardorem & ſuperficiariam inflammationem ventriculi auferendam ſuaderi poſſunt, ſcil. *decocta, julepi, Electuar.* at mallem potius omnem curam ad victus rationem, ſeu alimenta medicamentoſa transferre, quam medicamentis labem hanc emaculare &c. *Wepferus cap. 23.*

Cicuta terreſtris.

Cuniculis Braſilienſibus duobus ſuccum recenter ex radice & foliis *Cicutæ* expreſſum infudi ſatis magna quantitate, Et quidem *ille* ſucco bibito, noluit comedere, ſub veſperam ſe corrugavit, die inſequente vertiginoſus evaſit, hincque vivere deſiit; Poſtquam ipſum Cultro ſubjeciſſem, deprehendi ventriculum & inteſtina aliquomodo inflata, intus tamen nullo modo gangrænata vel corroſa viſcera cætera nulla labe notabili erant affecta, Sanguis vero in cordis penetralibus fluidus perſtitit: *Hic* vero ſoſpes manſit, dieque poſt exhibitum ſuccum gemellos peperit, quorum alter mox periit, *Ioh. Iac. Harderus.*

Cicuta herba, ſemen aut radix comeſta graviſſima infert ſymptomata, vertiginem & oculorum caliginem, inſaniam ac furorem, compreſſionem diaphragmatis, vehementem cutis pruritum, & animi anxietatem.

Curatio eſt revomitio ſubita, hauſto prius *oleo irino* cum *tepida* & momento *ſalis*, aut hauſtis *aqu. junip.* per *deſc. deſt.* ℥v. Et ſubductio alvi per clyſterem acrem. Poſt exhibeatur *vinum abſinth.* affatim & crebro Antidota ſunt *Ther. Andr.* ʒii. aut *pulv. gentianæ* ʒi. cum *vino*, aut gtt. vii. *ol. angel.* cum *vino* Ioel.

Ixia Chamæleon.

Ixia, id eſt, *chamæleonis viſcus* inter calida inflammans: Odor & guſtus ocymo ſimilis, Inſequitur bibentem ingens linguæ inflammatio, delirium ſuppreſſio omnium excrementorum, ſtrepitus cum animi deliquio, inteſtina latrãt, quia mordet & ſua viſcoſitate occludit; Non abſimilia ſymptomata fiunt ex *chamæleonis* potu, *Aetius* inquit, morſus ventris & linguæ, tumor cum rugitibus inteſtinorum, facies diſtorquetur, vomitus ſpumoſus, tremores, concuſſiones, convulſiones, vocis interceptio, ſtrangulatio; Vtilis tamen eſt tum radix tum fructus ſapa conditus ad peſtilentiam: *Carolo* Galliæ Regi oſtenſus, unde Carlina vulgo appellatur.

Curatur *Ixia* noxa vomitu, clyſteribus medicamento purgante ex *chamælea*, aut *thapſia*, aut *abſynthii ſucco* cum *aqua mulſa*, Incidentia & digerentia, *Acetum* calidum potum; *abſynthium* ex *vino* largiore quam *aqua*, aut *aceto mulſo. ſemen rutæ ſylv. laſeris radix, trag origan:* Mitigantia, *lac, terebinth, nuces juglandes* cum *vino.*

Ad *Chamæleonem* Aëtius, remedia quæ ad fungos, cum evomuerint, *lac* recens mulctum, ſæpe exhibeto, & alvum cum lubricis infuſis *decocto fœnugr. althææ*, Præcordiis fomenta & calfactoria adhibeto. *Ceſalpinus.*

Ephemerum Colchicum.

Differt ab Hermodactylo colore nigricante aut rufo: Inter calida purgantia, erodentia, ſapor in eſt dulcis, non inſuavis ſub quo vis deleteria occultatur, Inſequitur pruritus toto corpore, ut pruritus ab urtica, roſio in inteſtinis, æſtus ventriculi cum ingenti gravitate, ſuccedit excretio per alvum ſtrigmentoſa, & ſanguinolenta ſuffocat fungorum more, ob inflammationem ventriculi.

Curatur, antequam ingraveſcant ſymptoma, poſt vomitum & clyſteres adhibenda vehementer adſtringentia & hebetantia acrimoniam, Abſtergentia & diſſipantia, Adſtringentia, decoctum *fol. quercus, glandium, malicorii, polygoni ſuccus, ramorum vitis, rubi, myrthus in vino, ejus baccæ in aqua trita, &* maceratæ expreſſo ſucco; *Mitigantia* acrimoniam, *lac*

aſininum

aſininum, bubulum, calidum potum etiam in ore detentum, ubi ejus copia fuerit, non aliud deſideratur. Interponendum potionibus adſtringentibus; Abſtergentia & Diſſipantia, *Lixivium* cum *origano ſerpillum in* lacte coctum. *Ceſalpinus.*

De Cocculis.

Cocculas acrimonia linguæ papulas ferire quilibet illis levicule admotis experiri poteſt, Cato ex juſculo exhibitæ quamprimum mucus copioſe tum ſolus tum cum ingeſtis emanavit; Acrimoniæ quoque & roſionis effectus erant dolor, quem & antequam convulſiones erumpebant & poſtea querulo & vehementiori clamore prodebat, denique convulſiones brevi emergentes, illæque atrociſſimæ & frequentiſſimæ; Non principio nervorum affecto, cum quicquid juſculi *coccularum* pulvere imprægnati ingeſtum fuerat, omne intra fines ventriculi includeretur; Nec nervorum ductibus & plexibus inter cerebrum & ventriculum intermediis affectis, cum illuc nonniſi cum ſanguine tinctura pervenire potuerit, quod prius affecto cerebro & cerebello neutiquam contigiſſet; Neceſſario ergo excitatæ fuerunt convulſiones nervorum extremitatibus ad interiora ventriculi, inprimis ad pylorum & ſtomachum deſinentibus affectis, ab acrimonia & mordacitate *coccularum*, quæ vel ſola affrictione ſubito ſuam vim in lingua exſerere ſolent.

Mortuus eſt *Catus*, non ob *narcoſin* aliquam, cum convulſiones ad extremum vitæ durantes nullius ſtuporis indicium ſint, & poſt paroxyſmos torve circumſpectaret: Nec *grumefactionis ſanguinis* cauſa mortis adſcribi poteſt, poſt mortem ſanguis in ventriculis & auriculis cordis, item in vaſis majoribus fluidiſſimus manſerit, nec vel minimus grumulus ullibi apparuerit: Potius cauſa mortis erat Cor in motu ſuo penitus enervatum; quod partim factum fuit dum ob fibrillas nerveas vaſis majoribus, maxime arteriæ aortæ & pulmonibus circumjectas & conſtrictas, ſanguinis expulſio impediebatur: partim dum à ſæviſſimis & frequentiſſimis convulſionibus ſpiritus animales diſſipati fuerunt; nam ante obitum non ſolum omnes muſculi langueſcebant, ſed etiam cor ipſum, in & poſt paroxyſmum à motu ceſſabat, redibatque preſſo corde, aut ſuccuſſo pectore, tandem ſanguinem plane non amplius propellere valuit, quod teſtabantur ventriculi & auriculæ cordis, & venæ omnes etiam pulmonicæ, ſanguine turgidæ. *Wepſerus pag. 87.* De his vide alia exempla in ſequ.

Corona Imperialis.

Clar, Iohann. Rhodius Notis in *Scribonium Largum pagin. 266. Corona Imperialis* virulentum effectum patefecit; cujuſmodi nemo Botanographorum nobis prodidit. *Ita enim ille*, Lilii, quod *Corona Imperialis* eandem ferme noxam (*cum Cicuta*) Patavii Nob. Germani pediſſequus, qui bulbum conciſum in patella ex oleo & ſale curioſius frictum poſtquam aſſumpſiſſet, ſimilibus Cicutæ malis correptus vix potentiſſimis auxiliis priſtinæ ſanitati reſtitui potuit: Cum 20. Septembr. 1674. hortum N. perambularem invenimus bulbum Coronæ Imperialis aëri expoſitum, quem medium cultello diviſi: Succulentus admodum erat, & liquor aqueus ex poris protinus exudabat, qui ſenſim in ſubflavum mutabatur; ſpirabat fœtorem allio deteriorem, quem *Iohann. Bauhinus Hiſt. Plant. lib. 19. capite 13.* Viroſum & colchicum, *Cluſius* ibidem hircum olentem, & nares procul etiam ferientem ait, Extremo linguæ apice deguſtatum comperi acrem, mordacem, velut urentem & ſubamarum, & paulò poſt aliquantulum linguam corrugantem: Nullus dubito quin ſuccus iſte linguam exulceraſſet niſi protinus os frigida colluiſſem.

Ex his facile colligere eſt Calidam in hoc bulbo cæteris qualitatibus prævalere, & quoniam eadem noxa, qua Cicuta ſolet, Pediſſequum affecit, temperamentis pares erunt. *Wepſerus p. 33.*

Bulbum Coronæ Imper. cani non magno intrudi curavi, hora elapſa poſt vomebat, ſed non bulbi particulas verum mucum flavum, viſcidum, ſubſequebatur tremor membrorum & hinc convulſivi motus, mox his præſentibus adhuc vivum aperui canem, In ventriculo contracto reperiens bulbi particulas non plane integras, ſed emollitas & in mucilaginem quaſi redactas, quibus exemptas ipſas ventriculi tunicas ſingulas rubentes imo liuentes magis, inteſtina penitus vacua, ſed levi inflammatione & leviori excoriatione infecta &c. Altero die cum luſtrare ulterius vellem cadaver, non ventriculus ſolum, verum & inteſtina cum viſceribus, tam infimi quam medii & ſupremi ventris livida, putrilaginoſa & corrupta penitus erant. *Idem cap. 16. p. 225.*

Cyclamen.

Arthanita, eſt radix rotunda & tuberoſa, foliis aſari; Si intra corpus non correctus adhibeatur, vel non juſtâ menſura aſſumatur ſęva inducit ſymptomata, vomitum, alvi egeſtionem continuam, ſuffocationem, paucis, eadem quæ helleborus albus.

Curatio conſiſtit in ſubita evacuatione per clyſterem ex lacte & oleo laurino confectum: Pro antidoto ſeq. Pulvis.

℞. *Baccar. lauri, piper. albi, fol. rutæ* āā. ℈ij. *detur cum vino, Theriacæ Andr.* ℈ij.

Erica baccifera.

Fructum *Ericæ bacciferæ Matthioli*, largius comeſtum capiti noxia inferre ſymptomata, atque deliras ſubſequi geſticulationes, ratione nonnihil turbata tradit *Sennertus ex Johanne Fhalio*, ſed cum planta hæc in Cimbria copioſe naſcatur, & æſtivo tempore baccæ ejus in alimenta plebeiorum cedant nullam cuiquam ab illis noxam illatam fuiſſe animadvertere potui, Imo ipſe ego adhuc puer illis oppido delectatus plures æſtivis diebus manipulos quotidie vorare ſolitus ſum nullo ſanitatis diſpendio, & juxta mecum alii propemodum infiniti &c. *Olaus Borrichius Med. Septentr. T. 2. pagin, 360.*

De Gialappâ.

Catello prope menſtruo Ann, 1675. Cum Nob. D. D. *Screta* magiſterii *Gialapa.*

℞. Srupulum dimidium, *ſacchari* ʒii. permixtum ori indidi, quem ſenſim abliguriit: Paulo poſt capite ſemper ad latus nutavit, atque incedens inſtar temulenti vacillavit; ultra dimidiam horam nec alvum movit, nec vomitum ciebat, at infuſo lacte frigido ter atro flaveſcentia & viſcida per alvum excrevit, nunquam vomuit: Tormina vagitu prodidit crebro; Inciſo pectore in latere ſiniſtro inter inſpirandum aliquoties pulmonum lobus turgidus proſiliit: Diſſecto abdomine in hypochondrio ſiniſtro ventriculus diſtentiſſimus prorupit; Denudatis omnibus ventris viſceribus vidimus ventriculum ſe circa medium aliquoties conſtringere ac coarctare, mox tamen rurſus expandebatur, ac ſulci contractione facta explanabantur, Dum inteſtinis ad latus ret

tis inſignem lacteum canalem prope renem ſuccenturiatum intueor, multum muci ſpumei cum grumis evomuit; quamvis diaphragma ad gulam uſque diviſum, & ſolummodo in dextro latere integrum eſſet, Patuitque Vomitum à Ventriculo citra diaphragmatis opem peragi poſſe &c. Ventriculo à fine gulæ ad duodenum ſecundum longitudinem ſuperne inciſo, cavitatem muco viſcidiſſimo ſpumeo, & fruſtulis lacteis coagulatis plenam invenimus, nullum vel ſacchari vel magiſt. *Gialappæ* veſtigium apparuit, deterſo muco inflammatum in fundo ventriculum vidimus, Duodenum, jejunum & maxima pars ilei vacua & prorſus munda erant, adeo ut nec bilis nec mucus in illis conſpiceretur &c. Rectum mundiſſimum, attamen valde rubicundum, velutique inflammatum fuerat.

Cani ſemeſtri Dom. D. *Melchior Hurter* magiſterii *Gialapæ* ℈i. dedit, ab aſſumpto nunquam vomuit, ſubinde ſingultiit, nec poſt tertiam horam ab ingeſto magiſterio alvus ſolvebatur: Vivo abdomen aperuit, foris in ventriculi ſub ſtomacho ſiniſtrorſum macula rubra videbatur, ab uno orificio ad alterum diſciſſo ſuperne ventriculo, tota cavitas infarcta reperta fuit pane, rapis &c, de magiſterio *Gialapæ* ne gry quidem apparuit, &c. Omnibus contentis ſublatis ſuperior pars ventriculi inter ſtomachum & antrum pylori inſigniter rubuit, in fundo anfractus paulo rubicundiores erant; Sub ſtomacho, ubi foris macula rubra apparuit intus portio illa alba, ut totum pylori antrum manſerunt. &c.

Gialappam notiſſimam radicem purgantem, & uſu apud vulgus quoque frequentem huc inſero, Forte præter irritandi vim quam purgando ventrem & nares experit, nemo facile crediciſſet illam inflammatoriam eſſe, prout in canibus iſtis oculis uſurpare licuit, in ventriculo & inteſtinis, quæ ſpiritui vini in magiſterio non adſcribenda, cum diligenter à Pharmacopœis noſtris eluatur, Carello convulſiones intentavit, quarum in aliis capitis inclinationes à *nuce vomica, cocculi*, &c. prodromi erunt, ut & conſtrictiones inteſtinorum partibus intermediis flatu turgidis, torminum authores, Forte in nervum erupiſſent niſi in utroque cane mature ex ventriculo magiſterium hoc eliminatum, & in catello lacte frigido ingeſto, & in cane copioſo alimento, quo ventriculus infarctus erat, obruſum fuiſſet; non enim deſunt exempla illorum qui poſt hypercatharſin ſæviſſima tormina paſſi convulſiones funeſtas incurrerunt: *Gialapam* lumbricos latos expellere primum caſu, poſtea plurimis experimentis didici &c. *Wepferus c.15.*

Agaricus.

Eſt tuber, ſeu, fungus, ſeu excreſcentia quædam ex caudice laricis arboris, probatur qui eſt albiſſimus, levis, laxus & facile friabilis, guſtu primum dulcis & mox amareſcens; Exitioſus autem & venenoſus eſt niger & cujuſcunque alterius coloris, durus gravis, lignoſus, & longas habens venas: Hic intra corpus aſſumptus nauſeam excitat, ventriculi ſubverſionem vomitum, alvi fluorem & anxietatem,

Symptomatum curatio conſiſtit in cita evomitione, ſumpto *vini* hauſtulo in quo *cort. rad. jugland.* per noctem ſunt macerati, & incocti, Poſt vomitum detur *butyr. rec.* cum *lacte caprillo* liberalius potum; Antidotum *ſunt boli Arm.* ʒii. aut *terra Lemn.* aut *cortic. citri*, aut *arant. ad* ʒi. *& ſyr. è ſucci citri acidi*, aut *ſuccus cydon.* condenſatus ſæpe ſumptus, *Joel.*

Scammonium.

Σκαμμωνία eſt herba in Myſia, Aſia & Syria naſcens, volubili minori ſimilis, Ex ejus foliis ſuccus lacteus exprimitur qui condenſatus ad nos adportatur, & *Scammonium* vocatur, Id per ſe, & ultra modum ſumptum, violenta purgatrice vi, & inſigni caliditate venenum eſt, & excitat hæc ſymptomata, alvi immoderatum fluorem, dyſenteriam, cordi nocet, epati, ventriculo inteſtinis, univerſum corpus inflammat, febrim accendit, ſitim intolerabilem & animi deliquium inducit.

Curatio eſt evomitio ſtatim in principio aſſumptionis ſumpta *tepida & oleo anethino*: A vomitu *ſyr. è ſucco citri, aut roſar. cum aqua torment. aut aqua hordei*, Ut alvus ſiſtatur, *confert ægrum in aquam frigidam ad umbilicum uſque collocare*, Antidotum autem, ut omnium fere venenatarum rerum violentius purgantium eſt *theriaca Androm. ad* ʒii. cum *aqua roſar.* aut *plantag.* Aut ſequ. Pulvis.

℞. *Boli Arm. veri* ʒj. *corall. rub. ppti c. c. uſti* āā. ℈ß. da cum *aqua roſ. aut torment.*

Plurimum etiam confert *lac recens mulctum* cum *butyro rec. aut cum ol. amygd. dulc.* bibitum. Confert & ſuccus cydonior. condenſatus ſæpius guſtatus. *Franc. Joel.*

In quavis hypercatharſi tutiſſimum eſt remedium *laudanum* opiatum rite præparatum, cæteris omnibus præferendum; minori moleſtiæ quam *theriaca* &c. aſſumendum.

Turbith.

Hæc radix rite præparata, vel aliis remediis admixta, pituitam potenter evacuat, At non correctum, & majori copia propinatum, venenum eſt, & violentiſſime aluum ducit, & turbat, nauſeam vomitionemque laborioſam excitat.

Curatio eſt ſubita evacuatio alvi atque ventriculi, tum per vomitum tum per clyſteres, hi fiant ex *hydromelite vel aqua mellis cum ol. amygd. amar.* Antidotus eſt *theriaca, & ſpec. liber. ad* ʒii.

Pſyllium.

Pſyllii ſeminis mucilago Vngu. refrigerantibus & epithematis utiliter commiſcetur, ac idem ſemen contuſum, & aſſumptum, ſua ſubſtantiali venenata qualitate, & ſumma caliditate, quę eſt in medulla ſeminis, ventriculum & inteſtina exulcerat, ſecus & univerſum ſanguinem inflammat, Caute autem & ipſa mucago & cum certa menſura intro ſumi debet, alias totum corpus refrigerat, mœrorem infert & alvi intumeſcentiam, ſpiritus interceptionem & cordis anxietatem, quam ſudor frigidus cum gelida morte ſubſequitur.

Curatio eſt in evomitione, alvi ſubductione per clyſterem cum *ol. rutæ & decocto abſynth. & centaur.* Poſtea vini meracioris crebra potitatio, Antidota ſunt *Ther. Andr.* ʒii. aut *pulv. vincetox*, ʒi. cum *vino*. Joel.

Cataputia.

Cataputiæ duæ ſunt ſpecies, *Major*, Græcis κρότων, Latinis *Ricinus*, quod ſemen ejus Ricinis, cuti pedum adhærentibus, ſimile ſit, *Minor*, Tithymali eſt ſpecies, Græcis λαθύρις. Vtriuſque ſemina iiſdem facultatibus pollent, violenter ſurſum deorſumque purgantibus, Eadem ſi inconſiderate uſurpentur, inferunt ſymptomata, dyſenteriam, appetitus proſtrationem, ventris cruciatus, animi deliquia, & alia ſicut Tithymali.

Vnde eadem quæ illis curatio debetur, Vomitoria ex *aqua junip.* deſtill. per deſcenſum, Clyſter ex *oleo aneth. & ejus decocto Theriaca, ſpec. liber ad* ʒii. *lac cum butyro potum.* Ioel.

Laureola.

Laureola Græcis δαφνοειδὴς, vel χαμαιδάφνη, id eſt *humilis laurus*, Frutex hic in Montibus Tridentinis luxuriat, folia ſimilia lauro habet, Semen nigrum inſtar piperis profert, vomitoria & purgatoria facultate prædita, cum exurenti caliditate; Folia & ſemina venenata ſunt, accidentia ut *mezeron* inferentia, & per ſuperiora & inferiora violentius purgat; & acerba ventris excitat tormina. *Fr. Joel.*

Curatio & antidota eadem ſunt adhibenda quæ ad *Mezereon*: prodeſt præterea ægrum in *Balneum aquæ frigidæ* collocare, Vel frigidam aquam linteolis exceptam ventri imponere, *lac* ſubinde cum recenti butyro exhibere, & *veri boli Armeni* ℥ii. propinare *Joel.*

Oleander.

Alias *Rhododendron*, id eſt *laurus roſas ferens*, folia enim habet lauro ſimilia: *Nerei* (νήριον) folia & flores Venenatis morſibus aut carbonibus peſtiferis impoſita venenum eliciunt & diſcutiunt, aſſumpta vero hominibus & pecudibus omnibus perniciem præſentiſſimam inferunt, Excitant enim extremam anguſtiam, alvi intumeſcentiam, & totius corporis inflammationem: Quin & ejus umbra ſicut & Taxi periculum inducit.

Curatio conſiſtit in evomitione cum *aqua junip.* deſtill. per deſc. & Clyſteribus *ex decocto ficuum cum ol. amygd.* cum crebra potatione decocti *dactyl. & ficuum.* Antidotus eſt *diacaſtorei* ℨii. aut *pulv. bacc. junip.* ℨii. aut ℨiß. *ſem. rutæ & ſem. agni caſti*, Conferunt quoque *ficuum & dactylorum & butyr. recent.* crebra eſitatio. *Joel.*

Ranunculus.

Alias *flammula & Apium riſus*, eo quod vi venenata nervos potiſſimum cerebri & faciei convellat, & muſculos diſtendat, ac morientibus effigiem morientis inferat, Plures ſunt ſpecies, ſed omnibus una facultas, nimirum acris & exulcerans: Radix contuſa & Cuti impoſita, veſicam excitat & cutim exulcerat; Aſſumpta exulcerando viſcera, gravia infert ſymptomata, lædit & memoriam.

Curatio eſt cita ejus revomitio, per *aquam junip. per deſcenſum diſtill.* deinde ſomni conciliatio, Antidota ſunt *ſuccus meliſſæ* cum *vino rub.* mixtus, *Lac caprill. cum butyro.* Joel.

Thapſia.

Thapſia, *Helleborum album*, *elaterium*; *Agaricum nigrum* inter calida purgantia, inſequitur aut ſtrangulatio, aut immodica dejectio, Utrumque perducit ad ſyncopen & caſum virtutis, ſudorem frigidum, convulſionem. *Curationem* vide in *Helleboro albo*,

Staphiſagria.

Alias *herba pedicularis*, Ejus ſemen acri & urente facultate eſt præditum, & per omnia ſimile anacardis, eadem ſymptomata inducens; fauces & palatum adurit, Vomitiones movet, dyſenteriam excitat, ventriculum erodit, & niſi tempeſtive ſuccurratur, ſtrangulat.

Curatio eſt evomitio, hauſto *oleo amygd.* & clyſter ex *eodem* cum *lacte* paratus: Antidotum eſt *boli Arm.* ℨii. *& butyrum rec.* Reliqua pete ex *Anacard. & cantharid. curatione. Joel.*

Taxus.

Arbor eſt baccifera, abieti & piceæ non multum diſſimilis, in Italia &c. luxurians: *Baccæ Taxi* rubentes ſunt, vinoſæ & guſtui non ingratæ, quæ devoratæ ardentem febrem excitant, totum corpus inflammant, & dyſenteriam inferunt, ſicuti & foliorum pulvis comeſtus: Quin & ſub umbra ejus ſedentibus, aut paulo diutius degentibus perniciem infert; fumo foliorum enecantur mures in ædibus.

Curatio eſt ut quam citiſſime aſſumpta evomatur: Antidota ſunt *Theriaca* cum *vino aut ſucco cydonior*; & crebra uſurpatio *ſyrupi è citro.* Joel.

Ex *Taxo* frigus univerſo corpori, & ſtrangulatio ſupervenit: & celer interitus. Remedia eadem quæ Cicutæ. *Caſalpinus c.21.l.3.*

Paſtinaca Marina.

Τρυγὼν θαλασσία, Piſcis eſt ex genere planorum & cartilagineorum, caudam habens incurvis & aculeis acutiſſimis ſive radiis armatam; Sæpe piſcatores denrata ſua caudâ pungit & vulnerat, quod vulnus valde difficilis eſt curationis, & ſi altius figat radices, nervoſque lædat, perniTioſa infert ſymptomata, acerbum & continuum dolorem, vulneris ab ictu denigrationem, quod ubi digitis comprimitur atra profluit ſanies, quæ omnia comitantur crebræ convulſiones totiuſque corporis ſtupor, ac tandem mors.

Curatio eadem inſtituenda eſt quæ in viperarum morſu, peculiariter autem conferunt in principio morſus *Theriac. Androm* ℨii. cum vino exhibitæ, aut ℨi. *pulver. ſcordii*, aut *olei angel.* ℈ß. cum vino meraciori: Bibat præterea æger quotidie *vinum in quo ſcordium, fol. roriſmar. & ſalviæ* ſint incocta; *Foris* autem ſtatim initio cucurbitulas cum ſcarificatione affigere oportet, & ſanguinem venenatum elicere, Deinde *cataplaſma ex furfure & aceto* confectum, aut aliud Empl. attractivum, & crebro inſtillare *oleum ſulphuris* & cum eo adjacentes partes inungere. *Fr. Joel.*

Compendium curationis faciunt apud Hollandos; Piſcatores, amputatione totius digiti, qui plerumque læſioni obnoxii, quia piſces exenteratos & deſquamatos vendunt.

Anacardi.

Anacardi fructus ſunt magnitudine amygdalarum, cordis avium grandium formam referentes, ſub cortice ſuccus melleus, & inſtar ſanguinis rubeus continetur; Mel anacardinum in myropoliis dicitur; unde medicamentum quod *Confectio Anacardina* dicitur: Utile in paralyſi linguæ ore retentum, & omnibus frigidis cerebri morbis: Aſſumpti autem ſanguinem adurunt, fauces, guttur, ventriculum quoque erodunt, nervos convellunt, & cerebri temperiem labefactant, rationemque turbant.

Curatio eſt cita revomitio, & per clyſterem ſubductio, ac larga *lactis* cum *butyro* recenti potitatio: Confert & plurimum *oleum amygd. d. & ol. è ſemine papav. & medulla ex oſſibus bubulis* cum ptiſana hordei bibita; *Antidotus* ſunt *boli Arm.* ℨii. cum *ſero lactis*: Æger ſæpe edat nucleos pineos & *nuc. juglandes.* Joel.

Anacardus aſſumptus febres excitat, apoſtemata, morphæas, lepras.

Viſcus arborum.

Peculiaris & ſui generis frutex eſt inter frondes quarundam arborum: Folia commanducata deglutitionem impediunt, propter vehementem conſtrictionem: *Acini* vero & eorum ſuccus intra corpus aſſumptus infert vertiginem, rationis perturbationem, ac continuos flatus ac rugitus alvi.

Horum ſymptomatum curatio eſt evomitio per hauſtum *aqu.juniperi per deſc. deſtill.* Clyſter cum *ol. abſynth.decocto ejuſdem*, *Et lactis cum butyr. rec.* crebra potitatio; *Antidotus* eſt crebro bibere *vinum abſynthites & ſcordii decoctum* aut *pulv.ſcordii* ℥i. Et *Ther.Andr.* ℨii. aut ℨß. *coaguli leporis* cum aceto exhibita, *Joel.*

Aqua Saponis.

Aqua Saponis Avicennæ eadem præſtat quæ calx & arſenicum & iiſdem curatur. Fit ex cinere & calce ut lixivium. *Cæſalpinus.*

Trifolium coctum ſanis impoſitum, doloribus lancinat.

Apium lactantibus malum, nam ſi eo utantur nutrices, Epilepſiam inducit,

Fabarum flores eos qui ad maniam aut inſaniam propenſi ſunt, furere faciunt mentem turbando.

Crocus agreſtis dyſenteriam inducit.

Orobi vel *Ervi* continuus uſus ſanguinem per meatus urinarios & anum expellit.

Atriplicis ſativæ uſus puſtulas rubentes in facie excitat, Item morbum regium excitat.

Oleandri ſuccus inteſtinorum & ſtomachi inflammationem, cordis tremorem, ſyncopen induci.

Bryoniæ ſuccus crude aſſumptus ſcotomiam, cordis anguſtiam, ſtoliditatem inducit.

Ficus Pharaonis tertianas febres inducunt, ac totius corporis fractionem & hydropem.

Serpentariæ ſemen oris & gutturis inflammationem, & excoriationem cum tremore cordis inducit.

Si ignis ex lignis ficulneis accendatur coram hernioſo, crepant ejus teſticuli.

CAP. XXXVII.

De Venenis Animalibus.

1. VEnena quæ ab animalibus inferuntur, præcipua ſunt, quæ inferuntur.

I. Ab [2] *Aſpide* [3] cujus tam exiguum eſt vulnus, ut ferè viſum effugiat. [4] Morſui ejus, capitis gravitas, ſomnolentia, faciei pallor, crebræ oſcitationes, &c, ſuperveniunt. [5] In Curatione providendum [6] ligaturis & ſcarificationibus, ne venenum in corpus penetret: vulneri Theriaca cum ruta contuſa [7] imponenda. Alexipharmaca intus exhibenda, inter quæ *foliis Thapſi barbati, Caryophyllatæ*, [8] in acero decocta laudantur.

II. A [9] *Vipera*, ad cujus [10] ictum ſanguis primò exit purus, quem ſequitur ſanies cruenta, ſpumoſa & ærugini ſimilis, cum partis ac totius corporis notabili tumore, puſtulis in parte affecta adauſtis & nigricantibus. [11] Antidotum ejus eſt *Coſtum* à dr. ſ. ad dr. j. cum *vino abſinthite*, vel *decoctionis abſinthii* exhibitum, *coagulum leporis, porrum*, &c.

1. *Venena quæ ab Animalibus inferuntur præcipua ſunt* Græcis ἰοβόλα: *Dioſcorides* vocat omnia Animantia quæ venenum ejaculantur, & ſua virulentia perniciem inferunt, quorum quæ in hiſce Borealibus regionibus communia ſunt hoc loco recitabimus, & hac in Tabellâ complectemur.

Ex genere Inſectorum	*Cantharides, Brupſeſtes Papiliones, Erucæ Araneus, Veſpæ Apes,*
Ex genere Reptilium	*Serpens, vipera, Rana, Buſo. Hydra, Scorpio, Baſiliſcus,*
Ex genere Aquatilium	*Torpedo Paſtinaca,*
Ex genere Quadrupedum	*Canis, Felis, Lupus, Glires, Veſpertilio, Cervus.*

His addi debet *Homo*, ut animalium nobiliſſimum & divinum, ita per morſum ac depravationem Satanæ virulentiſſimum, Ex his autem alia inficiunt hominem, aut ſui aſſumptione intra corpus, aut ictu, aut morſu aut contactu ſui virulenti madoris, aut ſpiritus venenati jaculatione aſſumptione nocent *Cantharides*, Ictu *ſcorpiones & ſerpentes*: Morſu *Canes rabioſi*, contacta *Buſones*: Spiritu *Baſiliſcus*. Fr. Joel.

1. *Venena quæ ab Animalibus*) Paradoxa admodum prima fronte *Celſi* ſententia, dum *lib.5. Med.cap.27.* expreſſe aſſerit, *Omnem feræ morſum habere quoddam virus*, quod effatum licet de proprie dictis feris indomitis, iiſque homini ſingulariter infeſtis intelligi poſſit, ſicut hoc ſenſu illud interpretatur *Sennertus*; antecedentes tamen lineæ, & ſubſequens generalis medendi methodus, ad omnia animalia hoc aſſertum accommodandum ſuadent. Notanter *quoddam virus habere* ait, innuens hoc ipſo varietatem graduum, dum intenſius modo ſit idem, modo remiſſius, modo inſignioribus comitatum ſit ſymptomatibus, modo levioribus, Ita ut in genere quilibet morſus cujuſcunque animalis, furore tamen vel ira concitati, præter læſionem extimam, veneni indicat metum. *Etmuller Tr. de morſu viperæ.*

1. *Venena quæ ab Animalibus*) *Venenis Animalium optima ſunt quæcunque fermentativum venenum illatum explodentia activiora*, & ſecundario *acida figentia*: Sic demorſus, quis ſit à *Vipera*, Cane rabido ſi aranea, exiéplo dentur *Theriaca, Tinctura bezoardica, Orvietanum*, ut arceatur fermentativa vis etiam in minimo conſiſtens; utque hæc interius conveniunt, ita & pars affecta ſtatim conſimili fine curanda, eluendo vulnus theriacalibus, puta aceto &c. Nota vero 1. diverſa eſſe venena Animalium; *ratione graduum & lædendi modi*, unde & alia aliis facilius ſuperantur antidotis; tanto vero magis curanda vel attendenda noxia vis, quanto eſt major ipſa: Sic non confundendum eſt venenum ſerpentis, & viperæ inprimis fœminæ, Siquidem mas duos habet dentes vicinos, fœmina quatuor, qui quantum lædere vel aculeo ſuo poſſint, facile ex autopſia colligi poteſt. *Wedelius.*

1. *Venena quæ ab animalibus*) *Venena animalia* (loquimur de univerſalibus magis) agunt potiſſimum vi fermentativa peregrina, ſive viperæ morſus, exempli loco ſit præcipue, ſeu canis rabidi, ſeu alia conſimilia, Hinc cum ſaliva taliſmodi ſal peregrinum irato cumprimis animali, in vulneratam partem illatum,

um, mox ſerum & ſanguinem immutat, ut corrumpatur, *ϛαπῖν*, fermentationem, *νέκρωσιν*, patiantur, ſacta hinc, recurſu ad cor, communicatione, etiam reliquam maſſam ſanguineam mox inficiendo: Par ratio eſt ictus cum aculeo ſcorpionis, morſus aranei & ſimilium. Hinc facta ſtatim exſuctione vel deſtructione fermenti hujus peregrini, vel non nocet plane, vel ſaltem citius debellari poteſt, Curavimus aliquando Puerum à cane rabido demorſum, primo dato intrinſecus bezoardico volati; 2. exterius vulnere cum *ruta, theriaca*, & *aceto* eloto, feliciſſimo cum ſucceſſu, Hinc ligaturæ etiam locum habent: Verbo, omnia *φαινόμενα* teſtantur de inducta fermentatione præternaturali; Hinc etiam ſi *ictus Apum*, vel *Veſpæ*, excipiatur ungue, & hinc guſtetur, ſalinum talismodi quod manifeſte deprehendi poteſt. *Wedelius Am. m. m. p. 315.*

1. *Venena quæ ab animalibus*) Veneni viperini effectus non immeritò ſpiritibus excandeſcentibus adſcribitur: Spiritus hi ab ira quam concipit vipera incitati, nacti vias aut foramina à dentibus inflicta innato motu feruntur, cum porro illis inſitum ſit ulteriùs ſemper progredi ac pervadere, viam vi ſemper ſibi faciunt, progreſſu majori aut minori pro facilitate aut Difficultate obviis.

Hinc fit ut ſpiritus viperæ irritati, occurrentes ſanguini & ſpiritibus, intra vaſa animalis morſu impetiti contentis, hos compellant vimque faciant viam adepturi; ac confuſione facta particulis ex quibus ſanguis conſtituitur, concretionem huic inducant, aut perturbationem à qua circulatio ſolito præpeditur motu, qua propter ſpirituum in partes principes communicatio, à quibus harum ſubſiſtentia & vita dependet coërcetur, quam ſpirituum inopiam & interceptionem caſus illarum & ruina ſubſequitur. *Charas* Tractat. de Experimentis circa Viperam.

2. *Ab Aſpide*) *Aſpis* una Ptyas dicta, quia exſpuit venenum è longinquo, cervicem exporrigens, & intervalli metita longitudinem, ac ſi rationalis eſſet minime aberrans venenum corporibus inſpuit, qua *Cleopatram* mortem ſibi conſciviſſe narrant: Bicubitalis cinerei coloris viridis ad aureum inclinat; Altera *Cherſea* i. e. terreſtris major uſque ad quinque cubitos, cinerea, aliquando ſubviridis: Tertia *Chelidonia* colore hirundinis, circa fluminum ripas, præſertim Nili, cubito major, Eſſe & breviores, palmi longitudine, quæ citius interficiunt. *Nicander* tradit.

3. *Cujus tam exiguum eſt vulnus*) Omnium morſus vulnus prorſus exiguum facit, quaſi ab acu, ſine tumore, à quo ſanguis exiguus, ſed ater.

4. *Morſui ejus Capitis gravitas*) Caligo oculorum velox labor (*Color*) in totum corpus multiplex, omnino lenis non ſine voluptate; ut *Nicander* cecinit; Vir perit abſque labore virens atque diſcolor, ſtomachi dolor mediocris, Facies perpetuo convellitur, genæ contremiſcunt, quaſi ſine ſenſu in ſomno vacillant, hos mors tollit ad diei trientem non dilata, Hynalem vocat *Solinus* necantem ſomno, *Aetius* bina vulnera ex maſculo, quaterna ex fœmina, citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, niſi violentum animal ſit. Conſequitur ſtupor, pallor frontis, refrigeratio, aſſidui hiatus, nictatio, colli inclinatio, capitis gravitas, ſegnities, collabi in ſomnum profundum, tandem convulſio: Mors ex *Cherſea* in tribus horis; ex *Chelidonia* præſentiſſima; ex *Ptyade* tardior; Ad conſpuitionem conſequitur caligo oculorum, cordis dolor, faciei dolor, auditus corruptio.

Venenum videtur frigidum, obſtupefaciens, quo celerrime ſanguis cogitur in arteriis, ut ex Baſiliſci veneno, & ſanguine taurino apud *Dioſcoridem. Celſus* humorem intus ſpiſceſcere à frigore, ut in pleriſque venenis: at puerum tradit ab Aſpide ictum ſiti vehementi cruciatum partim ob ictum partim ob æſtus. *Et Ariſtot. 8. l. anim, 28.* inquit *Ex Aſpide angue, qui gignitur in Africa, medicamentum illud putrificum componitur, cujus ictui nullum remedium eſt.* Significat igitur calidum eſſe & urens: *Avicenna* Aſpidem inter ſurdos eſſe; morſus eorum non curantur, quoniam ſunt ſurdi, vehementis acuitatis non tranſcendunt tres horas, ſola præciſione & uſtione tolli poſſunt: Symptomata igitur frigiditatis, unde frigidum venenum putatum eſt, inſequuntur extinctionem calidi innati, ac non à frigore, ſed ab urenti calore.

5. *In Curatione*) Curatio apud *Dioſcoridem* eadem quæ ad *Ceraſten*, i. e. ſola Chirurgia, amputatio, circumciſio, uſtio, Nulla pharmaca vincere poſſunt, quia celerrime ſanguinem cogit in arteriis: *Celſus* caſu repertum remedium, *acetum* bibere, Nam puer quidam cum ex ictu ſitiret, & ex æſtu, neque alius potus adeſſet, *aceto* poto liberatus eſt, idque non refrigeratione ſed inciſione & diſſipatione humoris inſpiſſiſcentis: *Aetius* auxilium ab *Aſpide*, præſertim à *Ptyade* morſis, *acetum* acerrimum dandum quouſque aceti qualitatem ſentiant ad hypochondrium dextrum perveniſſe, quia hepar primum ſenſu privari putavit.

Prænotio an victurus ſit æger, ſi pota *centaurea trita cum vino*, non evomat pharmacum, Vomatur autem venenum diſtributum in corpus per *allia trita cum zytho* ſumpta donec nauſeabundus fiat, aut *opopanax* cum *vino* dilutum, *origanum cum vino*, poſt vomitum *theriaca.*

6. *Ligaturis & ſcarificationibus*) Super plagam poſt Scarificationem cucurbitulam, *centaurium* cum *myrrha & opio. Rumex* in cataplaſmate, *theriaca*: Excitandus aſſidue vellicationibus & motibus; *Aqua marina* calida pro *fomento* aſperſa. *Cæſalpinus catoſtri lib. 3. cap. 45.*

7. *Imponenda*) Non ſolum *Galenus* dudum *1. de fac. nat. c. 14.* ſcripſit dari medicamenta nonnulla quæ venenum eadem ratione attrahunt quà magnes ferrum, ſed & recentiores non pauci id aſſerunt, prompte & experimentis id demonſtrare conantur; Inprimis laudabiles ſunt lapides ſerpentum *Indiæ Orientalis*, quos *Cobras de Cabelo* dicunt Luſitani, Hos tanquam probatæ fidei experimentum inſervire ſtatuunt, & ſecuriſſimi antidoti loco, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum & quorumcunque aliorum animalium, morſu vel ictu interficientium; & vulneri ſagittarum venenatarum; Adhærere lapides applicatos tali vulneri tenaciſſime, nec prius dimoveri quam omne venenũ ſugendo imbiberint, quo facto ſua ſponte ſoluti in terram cadant, omni deleto veneni charactere; Deſcribit hos *Fr. Redi in Exper. nat.* & experimentis certis demonſtrat tum nullum in iſtis lapidibus ſubſidium adverſus venenum viperarum & ſcorpionum eſſe, tum eoſdem tenaciter vulneribus, æque venenoſis ac non venenoſis adhærere: Hæc ipſa cum ſint veriſſima, & à viro docto, & peritiſſimo ſcrutatore rerum naturalium profecta, non dubitandum de eo amplius eſt; Nullibi obſcurior veritas quam quæ ex longinquo adfertur: *VVedelius.*

8. *In aceto*) Ex *Celſi* obſervatione *acetum* ad ictus venenoſos valere compertum eſt; quippe cum puer quidam ab Aſpide ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, cum in locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum quod forte ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt, Conjiciendum eſt acetum, etſi refrigerandi vim habeat, habere etiam diſſipandi, quo fit ut terra reſperſa eo ſpumet Propterea eadem vi verò ſimile eſt ſpiſſeſcentem quoque intus humorem hominis ab eo diſcuti, & ſic

dari ſanitatem. *lib. 5. de Ictu Aſpidis.*

Mirabilem natura inter Aſpides & Halicacabum, ſive majorem veſicariam invenit diſſenſum; ii enim ſi juxta hujuſmodi plantæ radices quoquo pacto corpora admoverint, tanta ſtupiditate & ſomnolentia corripiuntur, ut amplius nequeant excitari, *Ant. le Grand.*

9. *A vipera ad cujus ictum)* Nonnulli morſum Viperæ, licet vel atrociſſimum venenatum negant, ſed omnem ſupervenientem ſymptomatum ſyndromen, tum ex acutie, & ſummo dentis lædentis acumine, ejuſque relictis ſpiculis, & tenuis bilioſi liquoris ſociatione; tum ex partis læſæ nervoſa compoſitione oriri volunt, Non ſecus ac ex aciculæ punctura in partibus nervoſis nonnunquam ſupervenit mors: Sed utut ſeſe recte habeant, non tamen omnem abſolvunt paginam, multum facit acumen dentis, unde ſine eo invalidæ ſunt viperæ, teſtibus *Zwelfero & Severino:* Multum quoque pars læſa, ut majora ſequantur ſymptomata: liquor enim effuſus maxime eſt ponderandus, & in hoc ipſo id quod venenatum reddit vulnus, cæteris paribus reſidere exiſtimo, cum in minima quantitate maxima ejus ſit vis; Cur enim hujuſmodi morſus maculæ & livores, & intumeſcentiæ corporis, cur horrendæ lipothymiæ & cordis anxietates ſequerentur, alias in ſimilibus non obviæ læſionibus; cur in partibus carnoſis eadem adeſſent ſymptomata? Cur applicata externe alexipharmaca, & proprio ex ſubjecto, & etiam ex alieno, item volucres viventes attrahendo relevarent ægrum? Cur interna alexipharmaca curarent maxime, &c. Recte ergo *Sennertus, Vulnera à venenatorum morſibus vel ictibus illata, plus nocent vi venenata quam vulnere, quæ per ſe plerumque non ſunt magni momenti.* Concluſerunt hinc veteres Viperam eſſe venenatam, ſed vim illam venenoſam ignorare ſe fatentur, dum occultam eſſe dicunt.

Viperam, ejuſque morſum maxime eſſe formidandum ob veneni noxam, experientia edocti iidem ſtatuere; Cæterum & eandem viperam inſigniter prodeſſe ad profligandas multorum morborum phalanges eadem ipſos informavit experientia. Cæterum cum deficeret ratio propter quam tam pernicioſum venenum, & rurſus adeo ſalutare pharmacum conſiſterent in eodem ſubjecto, res tandem eo pervenit, ut dixerint, non totam viperam eſſe venenatam, ſed tantum quaſdam ejus partes.

Has recenſet *Baldus Angelus Abbatius* de vipera, & ait eſſe *Dentes, Gingivas & veſicam felleam, In* Dentibus *quidem venenum eſſe à natura inde manifeſtum ait, quoniam ab eiſdem dentibus vipera etiam dudum mortuæ, ſi quis tangatur, lethale eſt; quare hac in parte, & mortua & viva, ſemper nata eſt ad lædendum:* In Gingivis *porro*, & veſiculis *earum, eſſe collectum venenum, ex uſu & cibo animalium venenatorum, attractum à* veſicula fellea, *vagum & ſpirituoſum, translatum ad gutturis partes tanquam ſentinam deponi à natura & facultate viperea perfici:* Hanc autem fellis virulentiam ex eo probat, quod *impoſitum fel ictui viperino venenum à viperæ ictu projectum, ſimilitudinis ratio attrahat.*

At quod *Abbatius* de Dentibus aſſerit, negat *Severinus p. 359. & 360. Tr. de vip. Pythia,* quem nec integrum nec comminutum lethiferum eſſe experimentis comprobat: *Salivalem, in & prope dentis humorem,* per ſe conſideratum, experientia edoctus ſimiliter ab omni veneni ſuſpicione liberat *Severinus.* De Felle ſic *Bartholinus* Tr. de *Angina pueri p. 123. Aliis veſicula fellea eſt ſuſpecta, quæ tamen canibus in alimentum cedit,* quam ipſam potius eam ad quælibet venena antidotum deprædicat *Borellus cent. 4. obſ. 39.* & certa obſervatum fide comperit. *Severinus.*

Hic in eo eſt totus, ut *vipera naturam totam eſſe alexiteriam* defendat, venenum vero quod attinet ejus, hoc non agnoſcit, proprium aut intrinſecus concretum, verum adſcititium & aliunde irrepere conſuetum, quod pluribus in locis viperæ veneno & venenum vi careant &c.

Ego autem ſic ſtatuo, viperam, ſicut & reliqua omnia animalia dicta venenata, in duplici ſtatu eſſe conſideranda, & quando vivunt, & quando ſunt mortuæ, mortuas viperas ab omni veneni labe abſolvo, & potius divinas in iis eſſe opes Medicas, quas vix in alia reperias creatura, ſtatuo, Quod partes in ſpecie viperarum attinet, eas in mortuis omni carere veneni ſuſpicione, multa illuſtria oſtendunt exempla, &c. Confirmat me in hoc ulterius conſideratio reliquorum animalium venenatorum; quæ cum in vivis eſſe deſinunt & innoxie tractantur & intra corpus aſſumuntur; id quod maxime apparet in Bufone, animali pleno veneno.

Excluſa tamen hic volo animalia ea quæ peculiaris rabies ſub venenatorum redigit claſſem, cujuſmodi ſunt canes, feles, lupi, &c. hæc enim in ſtatu præternaturali ſunt, adeoque venenatis reliquis in ſtatu naturali conſtitutis nil derogant, nam rabioſa ut in vivis dum ſunt, & morſu, à ſaliva etiam nuda inficiunt, ita mortua & eſitata ſimilem rabiem inducunt, Videntur enim mihi hujuſmodi animalia laborare quaſi febre quadam maligna, cum inſania maniaca conjuncta, ex efferveſcentia maſſæ ſanguineæ à fermento peregrino, peculiaribus ideis inſignito oborta, &c.

Viperam ergo mortuam inſontem pronuntio, ex cujus egregiis medendi viribus totam eam alexipharmacam & bezoarticam concludo, Nec venenum ejus, quod in morſu percipitur, in quodam materiali conſiſtere aſſero, quoniam alias & hoc poſt mortem ſemper eſſet ſuperſtes, Sed potius in quodam intentionali, vel ſpirituali, à furore concitato; Nec tamen vivens per ſe eſt venenata, nullibique teſte *Severino*, duce experientia, obvia ejus eſt malignitas; quam nonniſi provocata morſu exerit, unde duplex viperæ perpendendus venit ſtatus, unus quo nullus gravioribus acta affectibus tractabilem ſe offert, vel ſaltem nullo lædendi conatu ſe armat; aut metu terroreve acta, fugam quærit, Alter quando iræ concitata furore ab externo provocata læſione vindictæ inhiat, & ſpiculata dentata exerit. Priori in ſtatu, eſt innocens, & nulla culpabilis malignitate, nec lædit: Poſteriori vero truculenta eſt fera, feros infert morſus.

Mordet per *dentes acutiſſimos, fiſtuloſos, ex quibus ejicitur liquor ſalivalis, venenatus vero per ſummam qua tunc ardet, iracundiam,* Dentes iſti ſunt acutiſſimi, Authoribus quibuſdam quatuor, quibuſdam duo, quibuſdam Medicus quidam inter hos inſignior, aduncus & acutus, omnibus tamen ſunt fiſtuloſi, ut per eorum canales derivatus liquor ſalivalis cum impetu dentium in animali irato infetat lethalem veneni vim.

In quo virulentia hæc conſiſtat quæritur? *Severinus* dicit in vi liquoris pyrotica, ſulphurea & arſenicali, à qua vincatur, tanquam valentiore, calor noſter vitalis, Recte, Sed cur in ſpecie adjumentum dentis requiritur? cur non in vipera mortua eſt talis, cur etiam ex vivæ ore extractus eſt inſons? Hujus ratio ex iracundia animalis petenda, qua furens Archeus, & efferveſcens ſaliva, ſimiles motus, ſimileſque ideas per morſum inferunt morſo, ut ita formaliter vipera ſit venenata quatenus eſt irata, & infert morſus venenatos quatenus ab irato infliguntur animali.

Iræ ergo quam maxima hic penſitanda natura, qua vix validior, niſi amoris excipere velis vim, reperitur affectus. Conſiderantur & hic impetus animi, & ſanguinis reliquorumque humorum motus; Impetus animi vehementiſſimus furibunduſque ex præſentia mali maxime infeſti concitatur, ad quod amoliendum

tota

tota inſurgit natura, eademque omni conatu amovere à ſe tentat; objectum enim odioſum per ſuam ſpeciem movet animæ vim cognoſcentem, per ſenſuum organa operantem, quæ ex ejus inconvenientia, & odioſa præſentia permota abhorret eandem, & amoliri à ſe conatur, urgente hoc, ſe conſervandi omnibus innata concupiſcentia, & hic actus *Ira* nomine vocatur; Ex hoc ipſo horroris actu naſcitur ſpecies, ut ſic dicam, iraſcibilis, & idea amovendi & propulſandi moleſtum, quæ non tantum recipitur in memoria & aſſervatur, ſed etiam totius corporis partibus fluidis, inprimis ſanguini, ſpiritibus mediantibus confuſe, in ſpecie vero membro cuidam, cui moleſtiam propulſandi munus committitur, diſtincte imprimitur & inſculpitur; adeoque in viperis, hoc animi impetu, permotis, ſpeciei hæc idealis, ut totius corporis ergaſtulo, ita in ſpecie ori, ejuſque partibus, & maxime dentibus inprimitur, percuſſoribus, ſimulque liquor ſalivalis in eorum confiniis aſſervatus, pingitur hac ipſa furoris impreſſa idea.

Rem ita circa affectus ſe habere, præter authoritatem *Helmontii*, *Marci*, *Zuvelſeri* &c. teſtantur permulta, *Cruor tauri* potantem ſtrangulat, non cruor bovis aut vaccæ, idque propter tauri furorem cum cupidine vindictæ morientis, *Canis rabidus*, vel vivens per ſalivam & morſum; vel *mortuus* per eſum læſos transformat in mores caninos, &c.

Has operationes per ſpecies quaſdam intentionales, Recentioribus *Ideæ* dictas, ex quarum directione tanquam in ſpeculo quid agẽdum cognoſcat natura, peragi, paucis oſtendam, dum harum in omnibus viventibus præſentia & directrix vis, ex veterum inprimis Philoſophia obſervabilis eſt, &c. Agentia ſunt diverſorum generum in rerum natura, præ cæteris, obſervanda Viventia, quæ varias edunt operationes, tam Vegetabilia quam Bruta & Homines, Horum cranium ortus, proceſſus & interitus, veris mutationibus, iiſq; naturalibus, ut eſt ſubjectus ita ab interno agente perfici aſſolet: ſed cum variæ huic incumbant operationes neceſſe eſt ut certo modo determinetur ut operetur hoc, ut operetur illud, ne fiat confuſio, quam abhorret natura; Hoc vero quod determinat in agendo, ſunt *Species Intentionales* dictæ Veteribus, Recentioribus *Ideæ*, Hæ dum determinant Hominem in ratiocinando, dicuntur Intelligibiles; dum Bruto in ſentiendo, ſenſuales, Dum omnia Viventia in actionibus vitalibus. Naturales &c.

Conſiderato ſic animi impetu in *Vipera* irritata & mordicante, pergendum nunc ad motum humorum in tam furibunda perturbatione: Hic autem conſiſtit in impetuoſa ſanguinis ebullitione, & effervеſcentia in iracundis omnibus obvia, Veteribus exinde Iram fervorem circa cor definientibus, indeque iratos fervere, & totos in fermento eſſe communiter quidem, ſed appoſite dicitur: In hæc acuit Viperam, fugientem alias & pertimeſcentem, ut forti aggrediatur conatu: Fermentatio hæc ſanguinis nimia, ex ſpirituum impetu, variis motibus cordis pulſatile corpus moventibus & commoventibus oritur, indeque nimia ſanguinis rarefactio, incenſio effervеſcentia & ebullitio ex rareſcente inprimis bilis pingui oleoſa parte, & ſalina volatili ejus ſubſtantia in motum & volatilem impetum concitata proficiſcitur, Agitatum ſic ſanguinem ſimilis ſalivalis ſequitur agitatio liquoris, ſive enim ex felle cum *Hodierno*, ſive ex ſanguine & cerebro cum *Severino* derives, perinde eſt, dum partes ejus ſpirituoſæ & ſalinæ volatiles, in motum effervеſcentiæ ſimiliter rapiuntur, non ſecus ac homines irati ſpumare ſæpius ore adſolent, ex ſimili ſalivæ motu; & quidem eo magis hoc locum habet in vipera quo volatilioribus & facile fermenti ſcibilibus eadem ditata eſt partibus.

Hiſce conſideratis patet quid de venenoſitate morſus viperini habendum. Conſiſtit ea partim in Idea furoris Archei impreſſa dentibus & ſalivæ, ſicque per morſum una parti læſæ, & conſeqnenter reliquis partibus communicata, ſpiritum ſeu Archeum corporis ſimiliter perturbante & in furorem concitante, partim vero in parte ſalivæ fermenteſcente, per fiſtulam dentis in vulnus evibrata, & beneficio circulationis ſanguinis toti maſſæ communicata, in ſimilem fervorem & impetuoſum motum eandem concitante, in hiſce conſiſtit venenum morſus viperini.

Confirmant hoc multa, tum in viperis obvia, tum in aliis animalibus obſervanda, Ratione *ideæ* dens humanus, alias innoxius, venenatum infligit vulnus, nam redditus talis per imaginationem, & inde concitatam vehementem iræ impreſſionem, teſte *M. Marci Phil. reſt. p. 430.* Quo calidiores terræ regiones incolunt viperæ, eo venenoſiores, fortius ſcil. vel levius ex ira effervеſcentes &c. Extra hanc effervеſcentiam innoxius eſt ſalivalis liquor, referente namque *Bartholino de Ang. p. 110. Ipſe Neapoli virus quod in chartam irritatæ viperæ, biliofi colori ſimile ejaculaverant innoxie manibus trivi, & ab aliis devorari Florentinus ibidem Pharmacopola retulit.* Nam partibus ſpirituoſis & volatilibus evaneſcentibus, ſicque ſedata effervеſcentia, innoxium eſt virus.

Idea furoris Archei parti læſæ impreſſa ſimiliter eam perturbat, hinc intolerabilis vere dolor; aſt influente ſanguine inopinatus tumor, ſalivæ fermentiſcibilibus particulis eandem in æqualem effervеſcentiam cogentibus. Circulationis beneficio brevi tota ejus afficitur maſſa, quæ eodem ebulliens, modo admodum tumefacit corpus, febremque accendit acutam; humores circa præcordia inprimis bilis volatilis, & fixus pancreati ſuccus una quoque commoti effervеſcendo qua data porta ruunt, & regurgitando ſurſum atroces dant vomitus: Speciebus furoris interea in Cerebrum allatis vertigines primo, ex perturbato ſpirituum motu; hinc deliria ex ſpeciei impreſſione infeſtant ægrum.

Quod in vipera contingit Iræ percita oeſtro, idem & in aliis obſervamus animalibus. Ab *Homine* omnium principe duco exordium, qui & alteri vipera eſt, idque per morſum; Dentes equidem ex ſe innoxii, ut & ſaliva, his tamen ſæpe immedicabile, aut certe periculoſum infligi vulnus conſtat, ubi ira vehemens eoſdem armavit in perniciem, Exempla multis in locis proſtant: *Sanguinem hominis rufi* venenatum perhibent ſi ira exacerbato detractus fuerit, teſte *Marco Marci p. 433.* Cauda *Scorpion.* viventi ex improviſo amputata innoxium facit vulnus teſte *eodem p. 430.* aſt irritata peſſimum ejaculat virus, cujus vim in effervеſcentia à ſale volatili oriunda conſiſtere demonſtrat *Pauli* de Febre mal. p. 50. 51. *Cornua Fauci*, ac *dentes Apii*, quando efferantur plagam inferunt magis venenatam quam ſi caſu eadem fiat, cujus ratio in ſola iracundiæ conſiſtit idea.

Mellifluæ *Apes* tantum abeſt ut ſcateant ubique cum melle, & iracundiæ quoque prodant fel; &c. Nec alteri ſolum ſpeciei infligunt labem, & noxam venenatam hæc animalia ſed ſe mutuo quoque interimunt ictibus, Vipera namque è vipera acriter demorſa vitam cum morte commutavit, authore *Zuvelſero*, Scorpiones irritatos permiſtos invicem ſe mutuis transfigere ictibus reſtatur *Lynceus.*

Perſuadent hæc ipſa, & multa alia venenatos eſſe hujuſmodi animalium venenatorum morſus; unus tamen plus, alter minus; differentiæ ratio & in agente & in patiente quærenda; *agens* nunc magis eſt irritabile, & irritati inſtrumenta nunc magis nunc minus ſunt acuta, & majori in patiens flagrat odio vel minori: *Patiens* ſi eſt meticuloſum venenum morſu re-

ceptum multum exaggerat, & diffuſione in totum corpus portas parentes aperire poteſt. Si intrepidum, diſpóſitum eſt magis ratione maſſæ ſanguineæ, ad recipiendum venenoſum fermentum, nunc minus, deinde etiam nunc atrociora ſequuntur ſymptomata, nunc leviora; Pars læſa nunc eſt nervoſa, nunc carnoſa, nobilior aut ignobilior, nobili propior aut remotior &c. Variant hæc omnia magis & minus venenatorum morſuum & ictuum vim & energiam.

Ex his confirmata videtur dicta *Celſi* ſententia *Omnem animalis morſum quoddam habere virus.* Ex quibus concludo, Si ob id animal dicendum eſt venenatum quia ictus infert venenoſos morſus, ſequitur omne animal, etiam Hominem, eſſe venenatum, quia fermentata iræ ſtimulis animali inflictum tunc eſt venenatum vulnus: Sed vix ſine abſurditate hoc dogma defendi poteſt, inprimis cum incongruum ſit id vocare venenatum quod non ſemper habet venenum, nec quod aut vivum aut mortuum eſt tale, niſi certo in caſu. Potius ergo arbitror ſtatuendum nullum animal revera & per ſe eſſe venenatum, fieri autem tale per accidens, dum abreptum impetuoſis animæ paſſionibus feruens ira & ferociens, vindictæque inhians, per effervescentem ſalivam, vel ſimile quod, ideam iræ conceptam per morſum communicat & ita venenat. Id quod innuit *Lynceus p. 782.* dicens. *In hanc* devenerim *ſententiam venenum abſolutum nullum dari*, ſed relatione *ſolummodo habita ad objectum, Et ejus quidem naturam, modumque inficiendi, imperſcrutabilem vere nobis eſſe.* Etmuller *Tr. de morſu vipera, unde hæc excerpta.*

Vipera notus eſt in Italia ſerpens ferus & virulentiſſimus, Germaniæ ignotus.

Ictum) Morſum ipſum quod attinet, apparent in demorſo loco duo foramina parva invicem ſpatio diſcreta, vel etiam plura pro quantitate dentium.

10. *Ad cujus ictum ſanguis primo exit &c.*) Fluit ſanguis primo purus, hinc humor ſanioſus, deinde oleoſus ſpumoſus, hinc æruginoſus, prout magis magiſque ſanguis partis læſæ à fermento venenoſo immutatur; Symptomata quæ ſuperveniunt ſunt, ut ex genere actionum læſarum, vel qualitatum corporis mutatarum, vel excretorum depravatorum; omniaque habent originem vel ex furibunda idea, vel per morſum impreſſa, vel ex præternaturali effervescentia, per fermentum venenoſum inducta; quæ ſicut ſe invicem ſequi ſolent, enarranda.

Pars demorſa miſerandum *dolet* adjuvantibus hic non parum ſpiculis acutiſſimis ex dentibus viperinis in parte relictis, non ſecus ac ſpicula ex urtica planta, vel opuntia, ſeu ficu Indica, præprimis majore, relictæ dolorem admodum acerbant; Dolor hic ſenſim adeo accreſcit, ut totum quoque corpus dolore afficiatur, unde ſubitaneo *tumore*, pars inſurgit horrendam in magnitudinem, & ſenſim ſenſimque totum ſimiliter corpus inflatur; quod ſi ore admoto haurire patiens conetur & exſugere venenum, mox labra linguamque mirum in modum intumeſcere videas, ut os ipſam plane amplius capere nequeat; hinc putrilagine correpta brevi ulceribus ſcatet, teſte oculato *Lynceo, p. 177.*

Color partis læſæ primo quidem rubicundus, ſenſim alterato per fermentum veneni ſanguine, ſubruber, donec liveſcat & obrepente gangræna, ſphaceloque nigreſcat; corporis ſimiliter nativus color perit; & pro fermenti efficacia, & ſanguinis certa miſtione, ac inde orta alteratione, nunc rubeſcit, vel virideſcit, nunc purpuraſcit, nunc nigreſcit, ſanguinea maſſa tinctura ſic corrupta; quales alterationes obſervare eſt in ſanguine eorum qui poſt iræ nimiam incandeſcentiam eundem arte evacuant; quibuſdam mire flaveſcit, aliis virideſcit, vel etiam omnino liveſcit, confuſa ex inordinata effervescentia debita ſanguinis miſtione, indeque obfuſcata & obtenebrato ſplendido ejus rubore.

Calor præterea totum exurit corpus intenſus, incenſa febre periculoſa à peregrino & hoſtili fermento, unde areſcunt fauces ardetque larynx; accedunt vomitus bilioſi admodum moleſti, anxietates cordis, lipothymiæ, & ſyncopes terribiles invadunt ægrum: hinc & Palladis arcis fit afflictio, ſupervenientibus ſcotomiis, deliriis, tandemque amentiis: Labeſcente jam ſpirituum regimine, tremores occupant artus, & diffluente, ac quaſi omnino liqueſcente ſanguinea maſſa, ex ſufflata propemodum flammula vitali, cum horroribus quibuſdam, ultimi naturæ afflictæ ſed relictæ conatus indicibus, per poros penetrat frigidus, peſſimi ominis, ſudor, ac ſtagnante tandem & ſubſiſtente ſanguine in partibus vitali aulæ vicinis, & impedita ſic ejus circulatione, adſunt refrigerationes extremæ, reſpirationis difficultates, tandemque totius animæ exſpiratio ſupervenit. *Etmuller.*

10. *Ad cujus ictum*) Ex morſu corpus intumeſcit, ſubalbido colore, ex vulnere primum ſanies ſubpinguis, mox cruenta, aut è converſo, *Aetius*: Puſtulæ aduſtis ſimiles, ulcus depaſcens per ſummas & in profundo gingivæ cruentæ, inflammatio circa jecur, tormina, vomitus bilis, ſopor, tremor, urinæ difficultas, cruenta, ſudor frigidus, *Aetius inquit*, Fœminæ morſus deterior mare, cognoſcitur vulneribus quatuor, mas duobus, nam tot dentes canini; Ex vulnere primum ſanguis, deinde ſanies ſanguinolenta & oleoſa, Tumor bilioſus, fervidus, bulloſus, ſubruber, deinde lividus denigratus, & ſerpens os exſiccatum, ardor, exolutio, horror, frigus, aliquando bilis vomitus, tormina, capitis gravitas, vertigo, pallor, ſingultus, febris, crebra reſpiratio, color plumbeus, ſudor frigidus; Mors in ſeptem horis, ad ſummum tribus diebus, præſertim ſi à fœmina. Venenum calidum corrumpens ſanguinem, extinguens calidum innatum. *Caſalpinus cap. 42.*

11. *Antidotus ejus eſt*) Curatio, Poſt communem deligationem ſcarificationem ſuctum, cucurbitulas, tritam earum carnem impone: *Aetius caput ejuſdem abſciſſum* adhuc calens, volſella exceptum, aut *gallinam* diſſectam, vel *pullos* imponito frequentes, alios repetendo; *fraxini folia* contuſa, ut eorum *ſuccus bibatur cum vino*, *ſales theriaci* meliores quam theriaca, *Fimum caprinum cum vino tritum*, *galbanum* ſplenii modo adjecto *lauro*, *abrotano*, *origano*, viridi, *ervi farina vino ſubacta*, *raphani cortex* tuſus, *ſcilla toſta*, *chamæmel ex farina hordei*, *ex aceto mulſo f.* cataplaſma, adhibito prius fomento calido ex aceto.

Intrinſecus *vinum* frequenter bibatur, *allia* in cibis, *cepa*, *porra*, *ſalſamenta* acerrima, *leporis coagulum*, oboli tres in vino antequam cruenta urina appareat, *Aetius.* *Anchuſa* tenui folia, *meliſſa ſuccus*, *ruta ſylv.* *rubus in vino*, *cerebella gallinacea*, *cancri fluviatiles* cum *lacte*; *teſtudinis ſanguis ſiccatur* cum *cumino ſylv.* *lapis hamat.* *carnes viperæ cocta & comeſta*, *Theriaca Androm.* Hæc & alia multa partim diſſolvunt, partim contemperant. *Caſalpinus, cap. 42.*

Circa morſum *Viperæ* in tribus confirmatus fui. 1. Si in talibus morſibus ſtatim fiat ligatura & inciſio, ſanguiſque libere fluat poſſe ſervari vulneratos. 2. Non dentes viperæ, ut multi credunt, eſſe venenatos, ſed ſalivam, cum abſque hujus effuſione illius morſus ſint innocui. Non quovis tempore Viperam nocere morſus ſicut non ſemper ſcorpionem ictu, prout obſervavit *Redi in ſuis obſerv. de vipera.* *Carolus Rayger. med. ſept. vol. 2. p. 276.*

11. *Antidotum ejus eſt*) Quoad interna attinet remedia, ea ſunt talia quæ conceptum jam fermentum venenoſum

venoſum foras excludant, inteſtinas ſanguinis commotiones ſiſtant, & diſcuſſis per poros cutis fuliginum nebulis ſerenitatem primam microcoſmo inducant. Specialius Antidotorum vim determinat *Marcus Marci*, *p. 434.* inquiens. *Antidota & in principio & in progreſſu morbi medelam præſtant, quia nimirum vel à veneno noxias ideas exigunt, vel penitius miſtum iſtud deſtruunt, vel demum Archeum vulneris per amicabiles ideas alloquuntur, & ſolando furorem ſenſim exuere procurant.*

Sint ergo *alexipharmaca*, vel *præcipitantia*, hæc tam poſitiva quam privativa, illa tam communia, quam contra viperas appropriata: *Communia alexipharmaca* ubivis nota tam ſimplicia quam compoſita, Inter ſimplicia *ſcordium*, *ſcorzonera*, *ruta*, *centurium min.* &c. Ex *mineralibus antimonialia* proſunt *fixata*, ut diaphoreticam acquirant vim, inprimis ſulphur ejus aureum, ſeu quod Mercurii ſublimati beneficio ex antimonio eruitur; ſeu quod per ſal ammoniacum ſublimatur & figitur, ut ſine vomitu ſeceſſuque per nudam agat blandiſſimam diaphoreſin: Ex *animalibus* omnia proſunt, ex cervo parata: *Theriaces* quoque inſignis vis commendatur, indeque *eſſentiæ theriacales*, *ſpir. theriacal. camphor.* ex quo cum *ſpiritu vitrioli & tartari* (his inprimis volatilibus) parata *mixtura ſimplex*, necnon *Tinctura Bezoart. mich.* admodum erunt proficuæ.

Opiata quoque *cum theriacalibus* maritata admodum commendo, cum *theriaca* communis maximam fere vim ſortiatur ex *Opio*, eo tamen minus correcto; quod ſi correctum legitime cum *bezoarticis* miſcearur, ſedando ſanguinis impetuoſum motum, & delendo furoris in Archeo ideam, maxime foret proficuum.

Appropriata ad morſum viperæ medicamenta ex ipſis capiuntur viperis copioſe; pertinent huc Pulveres viperini, de quibus *Spontonus*, item *Eſſentiæ* earum & Tincturæ, & quod inſtar omnium eſt *Sal* ejus volatile, quod ſi rite abſque acido figere neſcias, in id ſaltem incumbas ut legitima edulcoratione urinoſum & nauſeabundum tollas ſaporem è contra vero ſuavem ipſi, dulcem & aromaticum omnino concilies & fragrantiam & dulcedinem, quod facile ſecundum ductum Dom. *Boyle* l.c. fieri poteſt.

Ratio operationis horum medicamentorum conſiſtit in ſimilitudine qua ſimile attrahit ſuum ſimile; Aſſumpta ergo, vel adnota viperina, fermentum venenoſum & ſalinum, ſuæ naturæ omnino ſimile attrahunt, illud alterant, vim fermentativam ſopiunt & placant; Parili ratione atque *pili* canis rabidi impoſiti, ejuſdem morſui, relevant ægrum, & *jecur* ejuſdem comeſtum eundem curant: Aut ſicut ſcorpius, vel apes impoſitæ ſuis ictibus iiſdem medentur; eliciendo id quo nocent.

An medicamentis viperinis omnino fidendum ſit, vide proxime ex D. D. Wedelio.)

Inter appropriata vulgo commendari ſolet *fraxinus*, utpote cujus vel nudam umbram viperas & ſerpentes fugere autumant; (*tranquille tamen apricantem ſub fraxini umbra vidi aliquando ſerpentem*) hinc *ſuccum folior.* admodum commendat *Zacutus*, ſed rejicit hoc ex *Plinio* deſumptum dogma *Severinus p. 264.* Et licet *Amatus cent. 1. cur. 1.* puellæ à vipera demorſæ propinaverit *ſucci fraxini* ℥iv. cum juvamine, hoc factum ratione *tremoris adjuncti*, *cujus ſpecificum eſt in* fraxino.

An ex *corylo* parata medicamenta aſſumpta aliquid afferant commodi, nondum certo expertum; attamen quidem *virgâ colurnâ* torpeſcere ſerpentem & viperas fama eſt, & circulum virga coburna factum circa viperam, hanc non tranſgredi quidam aſſerunt, Non ergo internus ejus uſus omnino improbabilis, cum in corylo plurima abſtruſiſſima lateant arcana, & *ol. heraclium* ex eo paratum ſtupendas obtineat vires, ut tanceam *corylinum viſcum* ad morbos ab incantatione & veneficiis oriundos poteſtates poſſidere ſingulares.

Renealmus obſ. 155. morſam à vipera jam ferme conclamatam reſtituit per *decoctum ex verbaſco & cortice ſambuci* interno cum parte 6. *baccar. acanthalidis* aſſumptum & partibus læſis ſcarificatis extra applicatum.

Galega ſeu ruta caprar. vis & hic ſpecifica eſt & egregia: *Aquam* ejus diſtillatam non inferiorem æſtimat *aqua ſcorzon. Lynceus*; hoc ſucco curatum juvenem viperæ veneno infectum tradit *Schenckius lib. 7. de Ven.*

Experimentum feliciſſimum eſſe in uſu *urinæ humanæ* ait *Zacutus Pr. adm. l. 7. obſ. 94* ſicut eadem prodeſt ad præſervationem peſtiferæ luis jejuno ſi hauriatur ventriculo: *ſpiritus* ergo *urinæ volatilis*, *cum eſſentiis theriacalibus*, vel potius viperinis mixtus, foret hic ſaluberrimus. *Salivam hominis jejuni*, ſerpentes & viperas enecare aſſerunt, ſicut etiam *Sanatores* dicti per ſputum ſuum aquis injectum & ebibitum, quamplurimas ægritudines, etiam à viperis inductas noxas ſanare ſolent, cujus exemplum affert *Marcus Marci p. 554.* qui licet hanc vim naturalem eſſe, & ex ſola imaginatione ſputum certo modo ſigillante in quibuſdam ſubjectis provenire aſſerat, tamen amicus retulit eſſe donum quoddam divinitus conceſſum, & proprium eſſe quibuſdam in Italia, qui feſto *D. Pauli* nati ſignum ſerpentis vel viperæ ſub lingua, aliove in loco gerant, cujus ſe oculatum teſtem ſancte affirmavit. *Etmuller.*

[11.] *Antidotum ejus eſt*) *Caro viperina* taliſmodi magnetiſmo (vide infra §. *Quidam thure contrito*) non pollet, ut proprie antidoti vices teneat; Utur enim agat in corpus, fit ſudoriferum & demulcens remedium egregium, debilior tamen eſt quam ut ſola fermentum peregrinum excludat citra additionem aliorum: In carne viperina non conſiſtit venenum, Ergo nec id attrahere poteſt, multo minus vero præſervat, ut à morſu ſit tutus qui eum pulverem ſumpſerit: Fit id omne, ſi feliciter res cadat, per accidens, quatenus audacius prehendunt illa animalia, & quando eadem offendunt torpidiora, non prius irritata; Conſuluimus ſæpius captores viperarum, an ullum aliquod deprehenderint inde auxilium vel præſervativum, ſed ſemper aſſeruere contrarium, cautiores & candidiores; magis aſtu quam fortitudine, ſeu audacia apprehendendi promiſcue, capiuntur hæ beſtiolæ: Unde opinio hæc orta ſine dubio ab illo putatitio experimento quod ſerpentes ceperint innoxie, præſumpto ſerpentum pulvere: Iſta vero vaniſſima eſt perſuaſio, & fallacia, ſerpentum enim venenum, reſpectu viperarum, quaſi nullum eſt, unde ſerpentum captor quæſitus, num revera hoc fretus pulvere aſſumpto tractaret innoxie ſerpentes; an vero per ſe magis innoxii ſint ſerpentes, accedente præſertim, per conſuetudinem, habitu & audacia majore, faſſus eſt hoc ipſum poſterius eſſe veriſſimum & hanc in rem juſſit tuto imitari hoc ipſum: Qui vero confundunt Viperam cum ſerpente, iræ maximo cum ſuo periculo experiuntur quantum diſtent: Inſigniſſima quædam perſona cum ſerpentibus tractandis aſſueta eſſet, offenſam viperam cordatiſſime prehendit, putans tutam ſe fore, quod perinde foret an ſerpens an vipera caperetur, ſed inflictum vulnus graviſſima poſt ſe ſymptomata trahens, cum metu gangrænæ ipſius, aliud docuit. *Wedelius.*

[11.] *Antidotum ejus eſt*), Remedium contra morſus viperarum *Paracelſi* eſt *camphora* in *petroleo* ſoluta: Sic & *Bufo vivus* loco cataplaſmatis applicatus morſum ſanat, qui & *morſum canis rabidi* curat: *Eyyleus* ferrum candens morſui applicat, & venenum extrahit, ita ut ſymptomata omnia remittant, Cæterum *lapis ſerpentum* contra quævis venena commendatur, Nimirum

medicamentis, tam laudabilem præſtant opem, dum *illa* præcipitando cum veneni fermentativam hebetant, hæc vero ſi quid fuerit hæterogenei in maſſa ſanguinea per cribrum cutis poroſum vacuant.

Sed cum acidum hoc in oleum concentratum vulneratæ applicatum parti corrodendo atroces parete valeat dolores, forſan per manuductionem *D. Boyle*, fumus ex incenſis tædis ſulphureis, prope applicat, erit utilis, ut tum ratione admoti ignis, tum ratione vaporum acidorum ſulphuris, junctis quaſi viribus ſubjugatur venenum. Uſitata ſunt & alia extrinſecus applicanda, &c. *Etmuller.*

III. A [12] *Scorpione*, [13] ad cujus ictum, dolor, inflammatio, tumor, circa plagam puſtulæ verrucis ſimiles inſequuntur. [14] Reſiſtunt ei *Salvia*, *Scordium*, *Abſinthium*, *Gentiana*, *Ariſtolochia*, *Verbenaca recta*, *Serpillum*, &c. [15] Quidam *thure* contrito, in quo *ſcorpii ſigillum* impreſſum erat, liberatus eſt.

IV. A [16] *Lacerta*, quæ dentes ſuos ſubtiles, parvos, nigros, plerumque in vulnere relinquit. Dentes cucurbitulis ſunt eliciendi. Cataplaſma ex *panis tritici medulla*, cum *decocto rutæ*, *allii*, *gentianæ confectum*, applicandum. Intus Alexipharmacis agendum.

V. Ab [16] *Hirudines*, quæ ſi malè applicata eſt, ut vulnus non bene cedat, Cataplaſma ex agrimoniâ contrita imponi debet. Si in inteſtina penetravit, *ſtercore bovino ſicco* modice calido, *cimicum pulvere* vel *caſtoreo* irrorato, ano admoto, clyſterio ex ſolius *cepæ ſucco* primo injecto, excluditur.

VI. A [16] *Rubeta* quæ [17] interdum afflatu, interdum urinâ in herbas ejecta, inficit. [18] In Curatione, Theriaca cum decocto *rutæ* propinetur. *Vinum meracum* liberaliter bibatur. Sudor copioſus in balneo provocetur.

VII. Ab [19] *Araneo*, qui vel intra corpus ſumitur, vel ictu venenum ſuum corpori immittit. Quocunque modo id fiat, [20] ventris intumeſcentia, lacrymæ involuntariæ, mingendi cupiditas, membri virilis in juvenibus tenſio, in ſenibus laxatio, affligunt. [21] In Curatione, [22] intra *Theriaca* poſt vomitum bene exhibetur. [23] Extra, locus demorſus ſæpius *aquâ ſalsâ* abluendus eſt.

VIII. [24] A [25] *Muſcis*, [26] *Veſpis* & *Apibus*, quorum aculei eximendi: & locus poſtea *aquâ ſalſâ* abluendus, & animalcula contrita vulneri, ut venenum exſugant, imponenda.

[11] *A ſcorpione*) Σκόρπιος, Scorpius; Sunt Scorpii Vermes oblongi, exiguis cancris nonnihil cum ſuis chelis ſimiles, caudam habentes ſenis aut ſeptenis internodiis, diſtinctam. In cujus caudę extremitate hamum habent incurvum, quo pungunt & inficiunt. In frigidis regionibus ignoti ſunt, in Italia autem cubicula; cellaria, & alia loca iis referta ſunt. *Joel.*

[12] *Scorpione*) *Camerarius* in hiſtoria *Baſilici* herbæ, facit mentionem aliquam quod ex hac herba Scorpiones fieri poſſunt, ſed ipſe, cum non viderit negat experientiam, facile comparabilem, ſi prout mihi relatum eſt à Pharmacopœo illud experto *Schavvarmanno*, procederetur, Is menſe Julio vel Auguſto contundit herbam, quaſi ex ea ſuccum expreſſurus, maſſam contuſam tegulæ ita calefactæ ut tactum non admittat illinit craſſitudine trium digitorum, ſuperaddit dein ſimilem tegulam, & ambas circum circa munit luto, quod ex equino ſtercore & argilla confecit; Tegulas ſic conjunctas per menſem in cella cuſtodit; Dein tegulas aperit, & ſcorpiones inde proſilientes, ipſis ex Italia translatis ſimillimos ad uſum ſervat. *Hoefferus Herc. med. lib. 2. cap. 1.*

[12] *Scorpiones*) Hominem cum *ſucco raphani* vel alii inunctum numquam aggrediuntur, imo nec accedere audent. *Arn. Weickardus in Theſauro.*

[13] *Ad cujus ictum*) Ex ictu ſatis ſæva inſequuntur ſymptomata, nonnunquam etiam lethalia, locus enim punctus primum inflammatur, cum rubore & acerbo dolore. Deinde inæqualis ſubſequitur intemperies corporis, quod nunc æſtuat, nunc rurſum frigore infeſtatur; Tandem & ſudor frigidus ſubſequitur, & horror cum tremore: ac ſi quis in pede à ſcorpione ictus ſit, ei Bubo circa inguina, ſi vero in manu, bubo circa axillas excitatur. *Joel.*

[14] *Reſiſtunt ei*) Curatio facillima eſt ſi vulnus confricetur *oleo in quo* ſcorpiones ſunt extincti: aut capto ſcorpione vivo ac contrito, vulneri impoſito: Intro utile eſt dare *pulv. ariſtol. longæ* & *ſalviæ* ℨj. cum *vino*. Joel.

[14] *Reſiſtunt ei*) Hominum Saliva infeſtiſſimum illis eſt venenum, adeo quod ea tacti confeſtim intereant. Porro iis ſaliva tota ſubſtantia adverſa eſt, ut *Galen. l. 19. ſimpl.* experimento confeſſus eſt; is enim à ſola ſaliva morientem vidit Scorpionem, idq; celeriter patientem à ſaliva eſurientium aut ſitientium, tarde autem ab illis qui cibo potuque fuerunt impleti, in aliis autem proportione.

[15] *Quidam thure contrito, &c.*) Propria antidoro, ex lædentibus animalibus deſumpto fidendum æque non eſt *ac generali*, Solent curationis loco, tum præſervationis quoque hæc talia commendari, ut per ſymboliſmum ſeu magneticâ ſuam ſimilitudinem auferatur venenum, appoſita carne v. g. canis rabioſi, vel, quod nonnullis placuit, jecore ipſo comeſto; A particulari enim & hoc loco ad univerſale non valet conſequentia: Deinde & hic cauſę & remedia probe examinanda, *Oleum ſcorpionum* ad proprios ictus laudatur, ſed magis ut remedium ſecundarium demulcens partes quod omnia pinguia faciunt, non neglecta theriaca. Scorpionum etiam venenum reſpective mitius eſt, unde videmus innoxie oleum aſſumere quamplurimos in calculo & alias ſibi relictum venenoſum, ob hanc olei olivarum additionem alteratum, vires ſortiri diſcutiendi majores, ſive inſignes. Si cauſam attendamus, res clara eſt. *Wedelius.*

[ii] *Si in inteſtina penetret*) Pro certo habetur experimento, ſi quis forte *Hirudines* biberit, vel fungos venenoſos, aut alias rès venenatas comederit, ille ſtatim aſſumat *potum aceti calidi cum pauco ſale*, & ſtatim per vomitum liberabitur. *Conr. Kunrath. med. deſtill. p. 44.*

[16] *A Rubeta*) Plures *Ranarum* ſpecies, ex quibus innoxiæ ſunt *Ranulæ virides* per ſtirpium & arborum folia reptantes & braxantes. Secunda ſpecies eſt *paluſtris*, quæ in rivis degit, & aut viridis aut cineritii eſt coloris, in vere mane ac veſperi coaxans, minus eſt venenata & pro cibo in Italia uſurpatur. Tertium genus *Ranarum* eſt earum quæ ex terræ putredine generantur & in vepribus aut in hortis circa ſepes, aut humidis degunt cellis craſſæ & venenatiſſimæ, turgent enim venenatiſſimo humore, Gręcis

afficiuntur. ſanguinei enim exhilarantur, rident, ſaltant, Pituitoſi torpent, dormiunt, ſudore frigido madent, Biliosi vomunt, iraſcuntur, rixantur, melancholici mœrore afficiuntur, in maniam incidunt, Ex iis ſanguinei facilius curantur ſolis muſicis inſtrumentis, ad quorum ſonum avidiſſime tripudiare & ſaltare geſtiunt, ac ſi ſine intermiſſione muſices; eo vſque ſaliunt donec venenum per ſudorem & inſenſibiles evacuationes diſcutiatur, ſtatim liberantur ac ſanantur.

Initio itaque in omnibus temperamentis, *Theriaca Androm.* ℥ij. cum vino exhiberi debent, & ad ſudoris propulſionem cogi. Deinde pro temperamenti cujuslibet ratione, prædominans humor jam veneno infectus ſubducendus, ac tandem ea ipſa remedia quæ ad Phalangii ictus præſcripta, intra & extra dari debent. *Fr. Joel.*

20. *Ventris intumeſcentia*) Ante annos circiter xx. publice venalem exponebat antidotum *Orvietanum* quidam nomine *Maffey*, Ex emptoribus fuit Clariſſ. *Dom. de Harſy* Juriſconſultus qui à me eadem die quæſiit facultates & rationem in vſum ducendi iſtam Antidotum. Reſpondi ad venena præſertim commendari, ſed ſi recens aſſumptum fuerit, exitum illi prius parandum via qua corpus ſubiit, præmiſſo vomitorio; Quærit rurſus rus petiturus, euporiſton aliquod vomitorium ſiquidem antequam auxilium ex urbe eſſet expectandum, ſera eſſet medicina: Dixi parandum ex oleo tepido & ſæpius hauriandum. Villam ille horis matutinis adit. Eadem die ancilla meſſoribus apparat prandium, carnes ex olla exemptas menſæ proximæ imponit. Panem pro offis aſſulatim dividit, ac ſcutellatim diſtribuit prope feneſtras, menſam à tergo habens.

Felis carnibus inſidiatur, & accurrit abactura: Interim *araneus* in unam è ſcutellis illabitur, quam non animadvertens, aliis panis teſſellis cooperit: poſt juſculum ſingulis affundit; Prandium ad meſſores defert; una ſumptura. In partes illi venit ſcutella in quam dilapſus araneus. Inter comedendum, dum more ruſtico offam ori extremis digitis intrudit, araneum integrum ſed mortuum deprehendit, Illico *venter intumeſcit*, adeo ut momento hydropica facta videretur: Dominus domum accurrit, hydrelium parat, illique præbet. depleto ventriculo, antidotum Orvieranam exhibet, tanto ſucceſſu, ut illico venter ſubſederit, & ab eminenti periculo omnino vindicata ancilla, beneficio celeritatis auxilii.

21. *In curatione*) mala in principio facile curari poſſunt, ſi ebibito hauſtulo *aquæ juniperi per deſcenſum deſtillatæ*, aut aſſumpta ℨj. *pulv. catulorum ſeu flor. juglandis* arboris, aranei vomitu rejiciantur ac poſtea loco *antidoti* ℨij. *theriac. Androm.* cum *hauſtulo aquæ card. ben.* aut *vini* exhibeantur; ſudorque proliciatur, Atque corpus cum *oleo hyperic.* cui *theriaca* nonnihil ſit adjectum, illiniatur. *Fr. Joel.*

Pulvis colubrinus valet adverſus araneas vivas, experimento *Vutzeri. Schroderus Pharmac. l. v. p. 307.*

22. *Intra theriaca poſt vomitum*) Qua methodo Nobil. Dñi *Alex. de Harſy* Juriſc. clar. ancillam à morte liberavit; Hæc menſium tempore ſegmina panis in ſcutellis diſponens dum averſa facie felem fugar (carnibus ex olla eductis imminentem) araneus in ſcutellam deſcendit, quem aliis ſegminibus contegit; hæc illi forte obtigit & dum ruſtico more digitis, cochleari non uſa, offas prehendit, poſt alias deglutitas, araneum mortuum deprehendit; Illico turgeſcit venter tanquam hydropico, cum animi deliquiis; Mox in ſubſidium convocatus herus, tepidam cum oleo exhibet, quo citatus vomitus, mox theriacam, quæ ad manus erat, & ſemper præſto illi turi, ex quibus præſidiis intra tres horas convaluit.

23. *Extra locus demerſus*) Fœmina puncta de araneo, dolorem & tumorem ſummum in manu patiens, brevi præſentaneam opem ſenſit *ab oleo ſcorpionum* inuncto. *Wedelius.*

24. *A muſcis*) Ad has refer *Cantharides*, quarum antidotum præſentaneum præbet *Lac*, nativum & artificiale; Si minori dozi dentur, bene eſt, neque effectus ſiniſter inde timendus, ut in *Rotulis ſtimulantibus Mynſ.* Sin paulo majori dozi idem fiat, ardor vrinæ & mictus cruentus ipſe prompte inde conſurgit, quale exemplum *Langius l. 1. Ep. 47.* vna cum curatione recenſet: Id quod ipſi quoque nos cum veritate reſpondere experientia comperimus. *Wedelius.*

24. *Muſcis*) Inſecta multa habent in receſſu; totus enim illorum exercitus præ reliquis animalibus, turget ſale volatili, acerrimo, ubi *Aquatilia* temperatiſſimum habent tale ſal volatile, *Tereſtria* vero ſal acre, oleo tamen nonnihil temperato. *Etmuller comm. Schrod. p.*

24. *A muſcis, Veſpis*) Quidam ſuperiori labro à Fuco animali vulneratus è quo morſu ſtatim intumuit vulnus cum maximo patientis dolore: Ego alias morſus hos curaſſe recordabar, quare confeſtim ut nonnullæ muſcæ caperentur juſſi; quæ contritæ, & morſui impoſitæ brevi dolorem ſedarunt, tumore hinc diſcuſſo. *Anton. le Grand in comp. Nat*)

24. *Muſcis veſpis*) Μέλιδα, *Apes*, Σφῆκες, *veſpæ*, Ανθρηνοὶ, *Crabrones*, ſunt congenera inſecta mellificantia, aculeata, volitantia, ictu morſuque noxam inferentia.

Admiratione dignum eſt, Apes in alios homines tam eſſe benignas ac propenſas, ut etiam aceſſitæ & catervatim eis inſidentes, tamen minime pungant, aut noxam inferant. In alios vero adeo infeſtos, ut eos extremo proſequantur odio, ſi propius adſtiterint, & ſuos aculeos omnes cum ſuo intercidio jaculantur; moriuntur enim vbi aculeum amiſerunt, diſruptis interioribus.

Non aliud ſymptoma inferunt *Apes* ſuo ictu præter acerbiſſimum & pungentem dolorem, & aliquam loci puncti rubedinem. *Fr. Joel.*

Mercator quinquagenarius mane urbe egreſſus, & cũ mille paſſuum iter perfeciſſet, examen apum in aëre volitans eum ſubito invaſit, & totam faciem ac cervicem infinitis aculeis compunxit: graviſſimi dolores ſtatim exorti, eum domum repetere confeſtim coegerunt. Vocatus hominem invenio præ doloris impatientia vix in lecto ſe continentem, facies tumebat, rubore undique infecta; Jubeo ſtatim partes illiniri *theriaca*, quæ cum doloris atrocitatem non compeſceret, *fotum* præſcribo ex eadem *theriaca* in *aqua vitæ* diſſoluta. qua dolores aliquantulum mitigati ſunt, & tumor faciei imminutus. Poſt locis maxime dolentibus admotæ *cepæ* contuſæ, *Lac ficulneum* etiam quibuſdam partibus admotum, cum inunctione ex *oleo ſcorpion. Matth.* Doloris acerbitas ſæpe remedia mutare cogebat, quæ per duas horas continuata, & exhibita potione Cardiaca & alexipharmaca, dolores in omnibus corporis partibus fere ceſſarunt; Adhuc infeſtabat dolor acutiſſimus in auris ſiniſtræ cartilagine; Animo revolvens, non ſolum Apes parti admotas venenum attrahere & dolorem ſedare, ſed etiam alia muſcarum genera, exiſtimavi *cantharides* conferri poſſe, & quia ſunt ex genere muſcarum, & quod potentiſſime attrahant: Et cum *Emplaſtrum Veſicatorium* officin. magnam earum copiam recipiat, ex eo paratum emplaſtr. auri admoveo, quod intra horæ quadrantem dolorem ſuſtulit, veſicis non excitatis propter moram exiguam. *Riverius Centur. iij. obſ. 45.*

25. *Veſpis*) E genere ſunt Apum, ſed nonnihil majores longiores, quæ nullam hominibus præſtant utilitatem,

ſed longe acrius & vehementius pungunt quam Apes nec inter pungendum aculeum amittunt, ut Apes.

Symptomata excitant *Veſpæ* præter acerbum dolorem, etiam loci puncti tumorem cum rubore, ſed ſymptomatis his eadem pharmaca mederi poſſunt quæ Apum ictibus.

In genere autem præſtat loco affecto ſequentia imponere, *Cataplaſma ex ſtercore bubulo* cum *aceto* temperatum, aut *catapl. ex camphora & oleo roſac.* contritis paratum; Leniunt dolorem *lenticulæ paluſtres cum aceto* contritæ; admotæ, *Aqua roſacea excepta linteolis*. Folia *ſiſymbrii* aut *meliſſæ* contuſa. *Joel.*

Cum Veſpa, (inquit *Riverius* obſerv. comm. 6.) manui aculeum meæ infixiſſet, dolor ſæviſſimus exortus eſt; admota theriaca dolor in momento ceſſavit; quam cum poſt tres horas abieciſſem, rediit dolor crudeliſſimus, ut antea, qua ſopitus eſt eodem remedio parti per diem integrum admoto.

Aculei eximendi) Apum ictus curatio facilis eſt, ſi ſtatim aculeus in vulnere hærens artificioſe vel unguibus vel acu extrahatur, Et ſi id fieri non queat, locus punctus fomentetur & irroretur *aqua calida marina*, deinde vulniculo imponatur *folium malvæ aceto imbutum*, aut imponatur herba meliſſa viridis contuſa. Verum hæc omnia ſuperat in dolore ſedando, ſi *Apes* captæ & contuſæ cataplaſmatis modo icto loco imponantur. Valet & *catapl.* ex *far. hordei* cum *pulv. fol. malvæ & aceto* ſimul mixtum. *Joel.*

Inſectum novum hominibus jumentiſque lethiferum.

In Oppidulo Czicko Poloniæ elapſa ætate anni 1679. territorioque adjacente ignota quædam inſecta alata viſa ſunt, quæ ſtimulis ſuis homines brutaque lethaliter vulnerarunt, inſignemque eorum ſtragem ediderunt, ſcilicet in dicta dioceſi xxx. homines, boum vero equorumque magnus numerus ab ipſis interfectus eſt; in homines etiam non laceſſit cum impetu ferebantur, inſuperque habitis membris veſte tectis, aculeos ſuos facies, collo (quo Poloni ob capillos præciſos valde denudato incedere ſueverunt) manibus, verbo, nudæ cuti infigebant; Puncturam mox tumor durus excipiebat, & niſi primo ſtatim trihorio vulnus curabatur, & venenum ſcarificatione aut alia ratione extraheretur, inane poſtea erat omne auxilium, læſi quippe paucos intra dies moriebantur. Nemini horum locorum Inſecti hoc genus notum eſt, nemini hoc ante viſum, Non ſine Numine factum videtur quod intra fines Kzierni enſes ſe continuerint, & miſſis Germanis ſolos Polonos, eoſque viros tantum impetierint & læſerint. Superveniente frigore infirma facta hæc inſecta parum damni intulerunt, octiduo hoc poſtremo apud nos plane diſparuerunt.

Cepere quædam noſtrates, omnia quatuor alis inſtructa ſunt, pedibus ſex, ſub ventre longum aculeum gerunt, vagina bifida ſeque aperiente munitum, atque ingenti cum ſtridore in homines irruunt; quædam eorum flavis circulis ornantur, alia carent & dorſo penitus nigro ſunt, horumque puncturę ſunt venenoſiores ideoque maſculos eſſe conjicio; Vivaciſſimæ ſunt beſtiolæ, quæ licet fere penitus conquaſſentur, nihilominus aliquot diebus vivæ ſuperſunt. Lethiferum hoc Inſecti genus, cujus nec *Mouffetus* nec *Aldrovandus* nec *Ionſton* meminerunt, novum prorſus ex putreſcente bruti cujuſdam cadavere progenitum eſſe, eomodo quo ex bove apes, ex equo & aſino fucos, veſpas & crabrones oriri perhibent. *Anonymus in literis menſe Novembr. 1679. datis ex opido in confiniis Poloniæ & Sileſiæ ſito, ad Amicum qui collectoribus Ephemer. German. communicavit. Vide Med. Sept. vol. 2. p. 368.*

Hic titulus & ſequens pertineat ad titulum de morſu canis rabidi. *pag. 595.*

Ad eos qui poſt multos dies curationem incipiunt.

In iis qui poſt multos dies curationem incipiunt, virus extrahendum per medicamenta *purgantia* ſæpius, ob multā materiam corruptam, pulvis *Hieram ex colocynt. & Hellebori*, efficaciſſimus eſt, ſanavit aliquando incipientem pavorem aquæ; ſæpius repetendum uſque ad XL. diem & ulterius: *Lac* ſimul dejectionem movet & venenum domat; *Cibi* acres & meraciores *potus*, quotidie *ſudores* ante cibum, & poſt *exercitationes & balnea*; *dropaces & ſinapiſmi* ad totum corpus alternatum.

Ad præſentem *pavorem aquæ*, licet pauciſſimi effugiant, traduntur tamen aliqua remedia, *Celſus* inquit unicum remedium, *Ægrum non opinantem ex improviſo dimittere in piſcinam, ut demergatur, & bibat, nam ſimul ſitis & aquæ metus tollitur. Si ob frigus convellatur, potius à piſcina in oleum calidum dimittendus, & antidotum ſumat; ſi non poteſt ex aqua per catapotia.* (Antidota varia (vide *lib. l. c. p. 273.*

Victus nec plenus nec tenuis, ex iis quæ corrigant; volucres montanæ, Extremæ partes animalium, Eorum gelupio potus, cùm potum reſpuunt, *lac coagulatum*, cum liquidum non admittunt, *cancri*, *herinacei cum vino mulſo* cocti, *cichor. ſylv. aſparagus*, *crithmum* ad movendam urinam, *fœniculum*, *vinum album* non valde vetus.

Qui convaluerunt ſingulis annis, appropinquante tempore morſus, purgatio convenit ex *hiera*, & inſtante die *theriaca*.

Alter modus ſanandi ex ſacris ad templum S. *Dominici*, i. e. *Dyoniſii*, prohibet ne per dies xl. vel per annum, tangunt ligna *corni*, *virgæ ſanguineæ*, *ſcopæ*, & *fraxini*, hęc enim tacta recidivam facere. *Cæſalpinus c. 35.*

In Affectu recidivivo quid agendum.

Ubi poſt dies xl. aut poſt menſes ſeptem, aut etiam revoluto anno (his enim potiſſimum temporibus reliquiæ veneni rabioſi, morſus exarcebari conſueverunt) melancholicæ ſpeculationes, & præter morem triſtitia; & initia hydrophobiæ apparent, antequam mēs prorſus perturbetur, & pavor aquæ invaleſcat, venenatę melancholiæ colluvies ſtatim præſcriptis remediis concoquatur, & evacuetur; Et poſt evacuationem aut *bituminis Judaici* ʒj. quod *aſphaltū* dicitur, & ex mari mortuo advehitur, in pulverem redactum cum *aqua centaur. minin.* exhibetur, aut ʒj. *coaguli catuli*, cum *eadem aqua*: quod etiam ſi in initio morſus exhibeatur præſervat hominem ab hydrophobia; Deinde *aquam bibere*, & crebro *balnea* intrare cogatur æger, & ſi eo proceſſit venenum, ut æger limpidam aquam bibere exhorreſcat, vel alium potum, tum atro colore eſt imbuendus cum *pulvere nitrato* ſive *bombardario*, qui per ſe ratione *nitri ſulphuris* veneno reſiſtit; Præſtat autem Potum ægro porrigere per oblongam fiſtulam, ſi liquoris aſpectum ferre non poteſt. *Fr. Joel.*

Antidota Venenorum Animalium.

Animalium optima ſunt, *quæcunque fermentativum venenum illatum explodiora activiora*, & ſecundario *acida figentia*, Sic demorſus quis ſit à *vipera*. *cane rabido*, *aranea*, extemplo detur *theriaca*, *tinctura bezoartica*, *orvietanum*. ut arceatur fermentativa vis etiam in minimo conſiſtens, utque hæc interius conveniunt, ita & pars affecta ſtatim conſimili fine curanda, eluendo vulnus *theriacalibus*, *ruta*, *aceto*, &c.

Nota vero, 1. *diverſa eſſe venena animalium*

ratione

ratione graduum & lædendi modo, vnde & alia aliis facilius ſuperantur antidotis,tanto magis vero curanda vel attendenda noxia vis quanto eſt majus ipſa, Sic non confundendum eſt venenum ſerpentis & viperæ, in primis fœminæ, Siquidem mas duos habet dentes vacinos fœmina quatuor, qui quantum lædere vel ac uleo ſuo poſſint,facile ex autopſia colligere licet.

2. *Proprio antidoto, ex lædentibus animalibus deſumpto fidendum æquè non eſſe.* Solent curationis loco, tum præſervationis quoque hæc talia commendari, vt per ſymboliſmum, ſeu magneticam ſuam ſimilitudinem conferatur venenum, appoſita carne v. g. canis rabidi, vel quod nonnullis placuit, jecore ipſo comeſto; A particulari enim & hoc loco ad univerſale non valet conſequentia; Deinde & hoc cauſa & remedia probe examinanda, Oleum ſcorpionum ad proprios ictus laudatur, ſed magis vt remedium ſecundarium demulcens partem; quod omnia pinguia faciunt, non neglecta theriaca; ſcorpionum etiam venenum reſpectivè mitius eſt, unde videmus innoxiè oleum aſſumere quamplurimos in calculo,& alios. Nec ineptum fuerit ſtatuere, ſal volatile animalis oleoſum, alias ſibi relictum venenoſum, ob hanc olei olivarum additionem alteratum,vires ſortiri diſcutiendi majores ſive inſignes, ſi cauſam attendamus,res clara eſt.

3. *Carnem viperinam in ſpecie tali magnetiſmo non pollere,* (vide plura vbi de vipera.)

4. Neque *etiam magnetibus Venenorum aliis tuto fidendum eſſe.* Non ſolum *Galenus dudum lib. 1. de Fac.Nat. cap. 14.* ſcripſit, dari medicamenta nonnulla quæ venenum eadem ratione attrahant, qua magnes ferrum,ſed & Recentiores non pauci,id aſſerunt promptè & experimentis id demonſtrare conantur, Imprimis laudandi ſunt lapides ſerpentum Indiæ Orientalis, quos *Cobras de Cabelo* vocant Luſitani, Hos tanquam probatæ fidei experimentum inſeruire ſtatuunt, & ſecuriſſimi antidoti loco, ſi imponantur morſui Viperarum aſpidum & quorumcumque aliorum animalium morſu vel ictu interficientium, & vulneri ſagittarum venenatarum; Adhærere tales lapides applicatos tali vulneri tenaciſſime, nec prius dimoveri quam omne venenum ſugendo imbiberint, quo facto ſua ſponte ſoluti in terram cadunt omni deleto veneni charactere. Deſcribit hos ipſos cum dictis latius, & depictos exhibet *Fr. Redi in Exper. natur. pag. 5.* & contra *Kircherum*, alioſque experimentis certis demonſtrat, tum nullum in iſtis lapidibus ſubſidium adverſus venenum viperarum & ſcorpionum eſſe; tum eoſdem tenaciter vulneribus, idque venenoſis ac non venenoſis, adhærere; Hæc ipſa cum ſint veriſſima, & à Viro docto & peritiſſimo ſcrutatore rerum naturalium profecta, non dubitandum de eo amplius eſt, quicquid etiam alii in contrarium ſtatuant. Nullibi obſcurior veritas, quam quæ ex longinquo affertur. *Wedelius Am. m. m. p.341.*

Ad virus quod intus penetravit Remedia intrinſeca.

Conveniunt hebetantia & diſſolventia, (etiamſi interna adhuc non afficiantur) ad ſolam qualitatem cum pauca materia; Proprium remedium *Dioſcor.* initio, non ſi multum tempus, *Cancri fluviatiles,* (De his vide lib.2.p.713. §.93.)

Victus *Dioſcor. vini* meracioris Potus, *paſſi*, *lactis*, ad obtundendam acrimoniam, *Allium. cepa, porra*, quia vix abolentur, *Theriaca*, *mithridatium*, & quæ aromata multa recipiunt, Nam viribus & ſubſtantia ægre permutantur, Si initio prætermiſſa fuerint auxilia, nulla ex prædictis juvant & fruſtra vlcus exaſperatur, quia quod penetravit non ſatis evocari poteſt per eam partem, ſed evocandum aliunde diverſo curationis modo. *Caſalpinus.*

In Hungaria vltra Tybiſcanis,*Cantharides* conquiruntur potiſſimum ex arbore Fraxini, quæ maxima copia colliguntur menſe Maio contra venena rabidorum animalium, & aſſervant in aceto fortiſſimo, Si homo, equus, canis, bos, aut ſus à rabido animale demorſa, exhibent homini 1. 2. 3. vel 5. *animalibus* vero in majori copia, integras quidem cum alis, pedibus & capite in *ſpiritu vini* propinant, aut cum *theriac.* vel *pane.* Relatum ab iis qui 2.3. aſſumpſerunt, nec dyſuriam nec mictum ſanguineum excitatum fuiſſe, ſolum vrinam copioſius integra die noctéq; profluxiſſe, hoc teſtantibus qui contra morſum canis rabidi ſumpſerant; Sed Hungarorum miranda eſt natura. *Obſervatio David. Spilenberger Med.Sept.vol.2.p.366.*

Curatio morſus Canis Rabioſi.

Remedia ad prohibendam Hydrophobiam eductio virus ex vulnere, Non *deligato*, vt in cæteris, quia virus non cito permeat, ſed *extractio*, non ſuctu, quia in parte ſolida infixum eſt, ſed ſcarificatione, quæ lacerata eſt, vtrique cucurbitula cum magna flamma, ut cum ſanguine virus exear, *Vſtio* maxime omnium delet vim veneni, & quia non ſinit ulcus cito coaleſcere (hunc in finem fiat ære candente) Ne coaleſcat, ablata cruſta *ſal* imponendum aut *ſalſamentum*, *allium detectum*, *cepe, tritici grana* manſa, aut per ſe trita: Si forte coaleſcat ante diem xl. iterum aperiatur ſcalpello, aut inuſtione, aut ex cinere viris, ficus. Cum præterierit propoſitum tempus, ulcus ad cicatricem ducendum, & locus *Empl. è ſalicibus* comprehendendus, poſtea *ſinapiſmo*; (convenientiſſimum *Magneticum A Sala.*)

Cavenda vſtio in loco nervoſo aut muſculoſo; Si vti non poteſt, ſanguinem mittere; & imponere quæ vehementer exedunt, poſt quæ nullo novo magiſterio indiger, ſed carne implendum. Uſto vulneri imponenda quæ cæteris uſtis.

Quidam protinus poſt morſum in Balneum mittunt, diuque patiuntur deſudare ulcere aperto, ut virus extiller, deinde multo meraco vino excipiunt,quod omnibus venenis contrarium eſt; Si per triduum id factum eſt, tutus eſſe à periculo videtur, &c. *Caſalpinus.*

Canis Rabioſi morſus. *Vide lib. 2. cap. 19. de Rabie.*

Canis Rabioſi morſus venenum infligit quod multo tempore deliteſcit etiam ſanato vulnere, inſtar Peſtis contagio afficientis.

Succedit Hydrophobia cum graviſſimis ſymptomatibus lethalibus, vtplurimum die quadrageſimo, aliquando antea, citius in quibus multi pravi humores adſunt, *Aetius,* Aliquando poſt duos menſes, 6. aut 7. poſt annum ex *Dioſcor.* & poſt ſeptennium. An quia materia ſicca tarde putredinem concepit? deliteſcit in partibus ſolidis, nervoſis frigidis, ſed incaleſcens febrem, convulſionem & delirium facit, qua Rabies appellatur.

At cor non prohibet conſolidationem vulneris. An quia exigua admodum materia relinquitur ex dente, ſed vulnus valde potens cum putreant? Videtur ſola qualitas permeare ut & odor in aëre.

Cauſa pavoris aqua admodum occulta, *Patitur* ad ſiccitatem refert, quia tanta ſit, ut reſpuat humiditatem; aut ad melancholiam quandam, qua imaginantur lædi ab aqua, quia putant in aqua cauſam adeſſe. At vidimus multos mente conſtante, & ſine febre, in cæteris omnibus plane ſanos, cibos bene ſumere, ac potum quamvis deſideratum, non poſſe deguſtare: ſi tandem

deglutire, convelli cum anxietate, Idem efficere ſi nitantur quodcunque liquidum ſumere, vt contingit quibuſdam anginoſis quibus potus per nares effluit. Hi paulo poſt in manifeſtam Rabiem inciderunt, & perierunt. Putavi eis convelli gulam in devoratione liquidorum, agentibus villis rectis, ut circularibus in devoratione ſolidorum, Convellitur autem interna membrana, quia ventriculus reſpuit, ut in nauſea impetus ad vomendum concitatur; hinc imaginationes depravatæ ſequuntur.

Eſt proprius *Canum* morbus venenum intus genitum vt peſtis, Incidit autem in Rabiem, *ait Dioſcorides*, aut in æſtu flagrantiſſimo, aut hyeme frigidiſſima, ob ſiccitatem, aut victu calido & ſicco, cum abſtinentia Potus.

Rabiei ſigna in Cane.

Adſunt gracilitas, oculi rubicundi, cauda demiſſa, ſpuma ex ore, lingua exerta, flava, mordet quemcunque obvium ſine latratu, averſatur cibum & potum. In demorſis nihil moleſtum contingit præter dolorem ex morſu, ut in cæteris, facile glutinatur.

Experimento autem deprehenditur an virus inſit in vulnere antequam coaleſcat, Nuces juglandes conritæ indantur in vulnus, diligenter oppletur, die ſequenti auferantur, offerantur gallo aut gallinæ; morſus ſi ex cane rabido fuerit, non attingent; aut ſi fame vrgente attigerint, morientur altera die. Quidam panem illinunt ſanguine ex vulnere remanente & cani offerunt, ſi non attingat, venenatum eſſe vulnus ſtatuunt. *Cæſalpinus catoptr. l. 7. c. 34.*

Catula luxurians ſi manum alicujus lambat, veſicatur. *S. Ratray. Homo.*

Virulentæ ac venenoſæ partes in homine hæ ſunt, *Halitus*, *Saliva*, *Sanguis impurus*, *Dentes & ſanguis menſtruus.*

Halitu inficiunt homines ſecum converſantes, qui vel peſte vel phthiſi ſunt correpti, ex quorum reſpiratione intra corpus attracta ſimili morbo afficiuntur, quorum morborum curatio eſt tradita.

Saliva venenata inficiunt, qui lepra, morbo gallico aut ſcorbuto tenentur; ſi alii ex eodem poculo cum iiſdem bibant, & poculi labro nonnihil ſalivæ adhæreat, quorum quoque morborum curatio ſuo loco tradita eſt.

Sanguis impurus & venenatus lepra & morbo gallico laborantium, ſi intra corpus ſumatur, ſimiles generat morbos.

Dentibus vero mordendo periculoſa inferunt ſymptomata homines, tum maxime vbi jejuni ſunt aut furore perciti ſive etiam crapula & ebrietate gravati, tum enim Dentes venenato lentore imbuuntur, *morſum* itaque *hominis* hæc ſymptomata comitantur, *dolor ac tumor vulneris, inflammatio*, nonuunquam etiam & putrida ſanies atque Gangræna.

Curatio *vulnerum* ex *hominis jejuni morſu* acceptorum ſic inſtituenda, ut primum ſanguis ſtatim ex vulnere exprimatur, aut ore exſugatur, aut cucurbita eliciatur, deinde *vino* in quo *radix*, ſive *ſarmentum Indicum*, (zarzaparilla) cum *veronica* & *agrimonia* ſunt incocta, quotidie fomentetur ac abluatur, poſt cataplaſma, aut ex *tritico* maſticato ſolo, aut *nucibus juglandiu, cepa, ſale & melle* confectum imponatur, Tumenti vero vulneri donec tumor reſideat, imponatur Cataplaſma ex *farina fabar.* cum *aqua roſar. & ol. confectum.* Sedato tumore curatio perficiatur emplaſtris attractivis & conſolidantibus, quale eſt illud quod conficitur. Ex *æquali parte ceræ, ſevi hircini, picis nigræ & galbani.*

Ubi vero vulnus ex hominis morſu putreſieri incipiet, tum elto, & probe abſterſo vulneri inſpergatur *Pulvis ſtercoris hum.* aduſti, qui mirabili ratione vulnus à putredine vindicat ac perſanat, cui etiam *ol. vitrioli* cum pauxillo *mell. roſat.* mixtum purificandi gratia illiniri poteſt, aut etiam *fel taurinum.*

Venuſta virgo cum adoleſcenti temulento oſculum denegaret, morſa ab ipſo in ſuperius labrum fuit, quod ſtatim intumeſcens, adhibitis tamen Chirurgicis remediis variis, tandem computruit, & gangrænoſum eſt factum, hinc in dies partes adjacentes ab vlcere depaſcebantur, conſului, vt, demortua caro præſcinderetur, atq; ſic totum ſuperius labrum ſine dolore eſt abſciſſum. Tandem juſſi vt vulnus *vino*, in quo *veronica & agrimonia* eſſent incocta ſingulis diebus ablueretur, ſtatimque ungu. ex *elota tutia & melle* cui exiguum *ol. vitrioli* ſit admiſtum imponeretur. His remediis tantum brevi integram ſanitatem eſt conſequuta, ſuperſtite tamen deformitate ex denudatione ſuperiorum dentium.

Sanguis menſtruus mulierum vtero gerentium non eſt venenatus, uti nec lactantium, ſiquidem, eo & in utero & poſt partum infantes nutriuntur, nec tam venenatus eſt hic ſanguis in mulieribus temperatis ac ſanis, minime tamen negandum eſt menſtrui materiam in intēperatis & morboſis fœmellis, præſertim diu retentam, tum ſuo contactu noxiam, tum intra corpus aſſumptam pernitiem afferre poſſe, ideoq; non ſine ratione Deus prohibuit *Levit. 20.* ne vir cum muliere tali colluvie inquinata congrediatur, nam experientia teſtatur menſtruum ſuo contactu infecta enecare, gramina areſacere, & ſpecula cruentis maculis inficere, Itaque non eſt dubium quin ſuo contactu notam, & à veneficarum intra corpus exhibitione maniam & mentis alienationem totiuſq; naturæ corruptionem inferre poſſit.

Hujus deteſtabilis veneficii *curatio* eſt repentina *Evomitio*, aſſumpto hauſtulo *aquæ juglandium per deſcenſum deſtill.* Poſtea commode exhiberi poſſunt ʒij *Theriacæ Androm.* cum *aqu. meliſſæ* aut ʒj. *pulv. margar. Antidoti* loco fertur ſperma *hominis* exhibitum, aut *troch. de vipera*, bibendo ſubinde *vinum* in quo *meliſſa* ſit decocta. Vtatur æger *lavacro aquæ dulcis*, ac indulgeat crebrius vener. *Fr. Joel Op. T. V. p. 151.*

Morſus hominis.

Radix fœnic. cum melle & farina. fabar. ac cera commiſta & ſuperpoſita mire valent. *Villanovanus Brev. c. 14.* Item *thus* cnm *vino, oleo, melle & pulvere oſſium vitulorum*, ſuperpoſita mirabilis ſunt juvamenti. *Idem.*

Ad hunc curandum primarium obtinet locum vrina hominis antiqua cum qua locus lavandus, & ſic præſervatur exulceratio. *Haſenrefferus Noſod. 13. c. 4.*

Sanguis hominis furioſi & irati epotus confundit ſenſus, & intellectum cum furore maximo & inverecundia, & maraſmo paulatim conſumpti potantes moriuntur. *S. Ratray.*

Sanguis puerperialis aſſumptus, lunaticum, leproſum, maleficum & obliviοſum reddit. *S. Ratrayi*

Cervus.

Bilis veſicula quam reliqua animalia ſeu hepate habent, carent *Cervi*, ideoque omnes bilem diſperſam habent per venas meſaraicas in inteſtinis ſparſas; cujus tamen major & perniτioſior pars ad *caudam* eſt collecta viridi porraceaq; bili ſimilis, hinc *cauda cervorum* pro veneno præſentiſſimo habetur; quæ comeſta, vel ejus bilis intra corpus aſſumpta, ſæviſſima excitat ſymptomata, intolerabiles anguſtias, crebra animi deliquia, ac brevi tempore, niſi ſuccurratur, interitum infert.

Curatio eſt ſubita poſt aſſumptionem Evacuatio, vel Evomitio aſſumpto *hauſtulo aquæ junip. per deſcenſum deſtill.* aut largiore *butyro liquefacto* epoto, poſt vomitum confert exhibitio, *Theriacæ* ʒj. *& coral. r. per terræque Lemniæ* ãã. ℈j. aut ℈ß. *gemmæ ſmaragdi.* Foris prodeſt totum corpus inungere *oleo rutaceo, & nucleis pinearum* crebro veſci. *Fr. Joel.*

Folia

Felis ſive Cattus.

Felis non tantum morſu & ſaliva ac halitu vnguiumque laceratione dolorem, tumorem, vulnuſque non facile curabile infert: Nonnulli Felium præſentiam antipathia quidam perferre nequeunt, ſed ſtatim in ſudorem & animi deliquium incidunt, verum longe periculoſiora excitat ſymptomata *Felis cerebrum*, in cibo aut potu exhibitum, id enim ſtatim cerebri temperiem perturbat, crebras infert vertigines, & in amentiam conicit, in qua æger diu noctuque oberrare, & alia loca ſcandere, niſi vinculis cohibeatur, cogitur, & niſi tempeſtive huic malo ſuccurratur, in ea amentia vitam miſere finit.

Curatio maleficii & *amentiæ* ex *cerebro* Felis aſſumpto ſic inſtituenda, ſtatim vbi eſt ſuſpicio aſſumpti, *vomitio* molienda cum hauſtu *aquæ iuniperi per deſcenſum diſtillatæ*, antequam venenata materia in corpus eſt digeſta, & veneni in cerebrum delata; At ſi venenum iamdudum turbavit rationem, tum ad eius expurgationem exhibeatur ℈i *extracti hellebori nigri*, aut gr. vi. *vitri antimon.* Deinde ſedata evacuatione, & collectis nonnihil viribus, exhibeatur hauſtulus diaphoreticus ex ʒi. *Theriac Andr. pulv. terræ Lemn. corall. rub. præpar* āā. ʒß. *cum aqua ſcordii* commixtis, quibus ebibitis, vel in lecto, vel balneo, per vnam vel alteram horam ſudare cogatur æger, poſtremo quotidie mane ac veſperi corroboretur cerebrum & ſpiritus animales, exhibita ſemper ſemijuglandis nucis quantitate ſequ, *Electuarii.*

℞. *Conſervæ roriſmar.* ℥ii. *pulv. carvi, cubebar. ſemin. pæon.* āā. ʒß. *ſpec. diamoſch. d. diambr.* āā. ʒ:. *ſyrupi de beton. q. ſ. ac parum aquæ iunip. per aſcenſum deſtill. m. ſ.*

Aut exhibeantur mane ac veſperi duæ rotulæ *Diamoſch. d.* Præſentiſſimum remedium putatur eſſe ℈ß. *moſchi cum vino* contriti & exhibiti.

His remediis feliciter curavi adoleſcentem ruſticum qui cati ſylv: cerebrum aſſumpſerat, hic diu noctuque in agris vagabatur amens, & quicquid cernebat id omne illi ſylvæ & nemora eſſe videbantur. *Fr. Ioel.*

Lupus.

Λύκος *animal* notum, Raucedinem inferre creditur, ſi prius hominem videat quam ab homine videatur, *morſu* ſuo dolores acres, & tumorem præmorſæ particulæ, difficilioremque ſanationem infert, iſtis vero longe perniciofiora infert ſymptomata morſus *Lupi rabie perciti*, nam & ipſi more canum nonnumquam rabie corripiuntur.

Curatio vulneris Chirurgica induſtria perficienda eſt, prius adhibendo, ſi natura loci patitur, cucurbitulas cum ſcarificatione, deinde eluendo vulnus cum vino; in quo *rad. velerianæ & herba veronica*, ſeu *Teucrium* ſint incocta, imponendoque quotidie bis novum Empl. attractivum: Si exhibeatur potandum *vinum* cui incoxerint *radices vincetoxci & valerianæ cum foliis calam.* & in eius ℥v. commiſceatur *pulvis gentianæ* & *lapillorum 69.* āā. ʒß. plurimum confert, & curationem facilem reddit.

Vbi vero *Lupum mordentem rabie* correptum ſuſpicio adſit, omnia ea accurate vſurpanda ſunt quæ ad canis rabioſi morſum præſcripta ſunt, peculiariter autem *oleum è myrrha pondere* ℈ß. *aut ſucci allii* ℥i. *cum vino* mixta, vtiliſſime propinari poſſunt. *Fr. Ioel.*

Lepus marinus.

Lepus marinus inter calida & humida inflammat & putrefacit, illinitur ad pilos evellendos, *Dioſcor:* Potus olet piſcium virus, alvus dolore afficitur, vrina ſupprimitur, ſi quæ redditur eſt colore purpureo, æger averſatur omne genus piſcium, ſudor fœtens & gravis vomitus bilioſus, aliquando ſanguinolentus. *Aetius*: Color aquaticus, deinde plumbeus cum tumore faciei, plantæ pedum incenduntur, pudendum tumefactum cohibet vrinam; in progreſſu vrina cærulea, quandoque & ſanguinolenta, pulmonem exulcerat, conſtrictio anhelitus, tuſſis ſicca, ſputum ſanguinolentum, *Avicenna*, Inquit *Nicander*. Qui evadunt paulatim contabeſcunt.

Curatio, Poſt vomitum & clyſteres mitigantia acrimoniam, *lac aſininum, caprinum* aut *bubalinum*: *Paſſum* aſſidue potum, *malvæ rad. & fol. decoctum*, *ſanguis anſerinus cum paſſo*, *cancri fluv. cum vino*: nam ſolos cancros, admittunt inter piſces, ſi reliquos admittunt ſignum eſt ſalutis. Conveniunt evacuantia humores corruptos: *cyclamin. radix* ʒiv. in *vino*, *hellebor. nig.* ʒi. *ſcammon.* ℈ii. cum *mulſa* & *mali punici granis*; Digerentia, *cedria in vino* efficax eſt, & *cedrides contriti. Cæſalpinus cap. 14.*

Serpens.

Οφις *Anguis* ſive *ſerpens* omnis venenatus eſt & ſuo morſu animantibus exitium affert, Hominibus vero non tantum morſu ſunt pernicioſi, ſed ſæpe intra corpus per os & gulam oſcitantibus & dormientibus ingrediuntur, & moleſtiſſimis torminibus excruciant: Quin & ſuo aſpectu, ex quadam antipathia homines perterrefaciunt.

Plures ſerpentum ſpecies enumerant veteres, quæ maxima ex parte in Borealibus regionibus incognita ſunt, vt ſunt *Vipera*, *Ammodita*, *Acontia*, *Amphiſbæna.* ſive *Cæcilia*, *Dryinus*, *Hæmorrhous*, *Dipſas*, ὕδρος *Natrix*, *Ceraſtes*, *Aſpis*. Sermaniæ familiares ſunt *Coluber* & *Hydrus*.

Vt autem ſupra dictum eſt omnium ſerpentum genera venenata eſſe, & ſuo morſu venenata inferre ſymptomata, ita & noſtri ſerpentes, ſive hi in ſylvis aut vepretis, ſive in aggeribus, ſive in locis ſtagnantibus, demorſu ſuo hæc potiſſimum inferunt ſymptomata, dolorem tumoremque loci demorſi, deinde virulentæ ſaniei e vulnere profluvium, nauſeam, capitis dolorem; & tandem neglecta curatione, totius corporis intumeſcentiam, & ipſam denique mortem. *Fr. Ioel.*

Animal eſt venenatum, ſummum nihilominus Alexipharmacum & multorum medicina, Quæritur autem *In quonam conſiſtat venenum*? Hic accuratus eſt *M. Aurel. Severinus Tr. de viper. pythea.* Si *modernos* conſulamus offert ſe Helmontius, qui ratione & experientia fretus venenum non tam in forma materiali quam ideali & imaginaria, à furore ſerpentum conſiſtere dicit, videatur & *Marcus Marci*: *Rhedi*, vir in naturalibus experientiſſimus, in *ſcripto experimentali de Viperarum anatomia*, oſtendit *liquorem ſalinum* gingivis viperarum adhærentem, quem tamen per multiplicem experientiam in canibus, pullis, aliiſque animalibus, nonniſi in vulneribus nocere aſſerit, & hinc liquorem illum pro veneno habet: Poſſet tamen quis de hoc dubitare, cum *fel viperinum*, ex quo venenum prodit neutiquam noceat; Huic opponitur quod etſi quædam interno vſu non ſunt lethabilia, externe tamen nocere poſſunt, Interim *Charas* refutat dictum *Rhedi* & Helmontii ſententiam eſſe dicit, quod nullum prorſus venenum habeant, niſi furore perciti:

quin putarem ego nec in plagis venenoſum eſſe animal niſi furore percitum, Interne certe nocivum non eſt. *Etmuller comm. ſchrod. pag. 431.*

An forte venenum ſerpentib. quidpiam extraneum eſt, non innatum quod vſus tempore depromant & recondant non ſecus ac venifici homines in pera geſtant, ex hac educendū cum *nocere animus eſt? Fidem facere videtur quod mihi narratum* à viro fide digno, Domino *Thevenin, mercatore gallo Bielis vrbe Helvetiæ degente: Is Lug*duno aliquando *rediens, ſociis quatuor mercatoribus, Orbam, Dictionis Bernenſis oppidum, æſtate, diu ante ſolis occaſum appulit, Dum appararetur cœna, vrbe exeunt pontiſque repagulis innixi dum præterfluentem amnem inſpiciunt, animadvertunt ſerpentem è proximo prato exeuntem, qui vbi ad amnis ripam pervenit, antequam illum ingrederetur, ejectione facta lapidis depreſſi, in illum eructavit liquorem quendam album, poſtea amni ſe commiſſit, Dictus Dom.* Thevenin, *protinus accurrit, lapidem illum cum liquore adhærente in vlteriorem ripam projicit, ac pontem repetit, quid ſuccederet cum ſociis expectans, Poſt quartam circiter horæ partem ſerpens, eodem loco quo amnem ingreſſus eſt, egreditur, lapidem cui ſuccum infuderat, anxie diſquirit, quem non reperiens, in altum ſe vibrat, ac poſt aliquas circumgyrationes moritur, Sit Aſpis aculeum in vulnere relinquit, & moritur* vide infra, &c. *aſpis.*

Serpens Animal eſt aſtutiſſimum, exuvias ſuas ſingulis annis bis exuens, vere & autumno, hyeme ſub terra præcipue ſub radicibus arborum, (betulæ, coryli) ſopitum quieſcens, homini infenſiſſimum: Serpentis nomen generale eſt, multas ſerpentum ſpecies ſub ſe comprehendens autem hujus: loci vulgare ſerpentis genus intelligimus, à Cæciliis, viperis &c. diſtinctum *Schrodetus lib. v. p. 303.*

Morſus *ſerpentum* præcipue *viperarum* pernitioſus eſt, tamen hoc non fit ratione aut qualitate veneni, quod virulento fomite tranſplantatur, ſed ſola iræ imagine, ex qua venenum, non tamen ſine materiali liquore, cui ceu vehiculo idea impreſſa, quem dentibus longioribus tricuſpidibus, quam in reliquis ſerpentibus ſigillant ac imprimunt viperæ, conſiſtit: Caput in præparatione abjicitur, (quæ eſt maxime venenoſum, inquit *Shroderus*) ac ſi ſerpentes, aut viperæ integræ in vino extinctæ leproſos reſtituunt, teſte *Galeno*: Si Nobiles Anglicæ de vino tali viperino, quaſi interno coſmetico, abſque damno vtuntur; Si canibus & felibus caput & fel devoranda proiicimus, abſque vllo vitæ diſcrimine, cur caput &c. abjiciatur, *veſica fellea* etiam abiicitur, (addit *Schroderus*) quia eſt proxima lacuna materiæ venenatæ: Ar conſtat fel non ſolum eſſe alexipharmacum, ſed & contra partus difficultatem feliciter exhiberi, *Frid Hofmannus pharm. ſchrod. p. 66. & ad 686.*

Curationis methodus iiſdē pharmacis eſt inſtituenda quæ in morſu viperæ à nobis proponitur, peculiariter autem ab omni genere ſerpentinis demorſis ſymptomatibus plurimum prodeſt *Fragaria herba* cum *radic. in vino cocta & bibita,* Item præſtat & herba *veronica,* quā *Teucrion* eſſe certum eſt, aut ſequens pulvis exhibetur.

℞. *Rad. gentianæ* ℥i. *rutæ. ſcord. piperis* āā. ℈i. *m. ſ.* da *cum vino.* Aut.

℞. *Herb. fragar. cum rad.* & *ſarmentorum mori batti* m. j. conciſa *miſce, in vini albi* ℔ii. in duplici vaſe coque, *colato vino adde Theriac. Andr.* ℥i. *de eo ſingulis diebus* ℥iii. calide mane ac veſperi exhibeantur. Aut.

℞. *Theriac. Andr.* ℥i. pulv. c. c. in *autumno capti, terra Lemnia* āā. ℈i. cum *aceti roſ.* ℥iv. miſta ebibantur.

Foris vulnus ſi ſcarificetur, & venenata ſanies, vel cum cucurbitula applicata eliciatur, aut *pulli gallinacei anus* deplumetur vulneri applicetur, & vbi emoritur pullus, novus vivus applicetur, eiuſque applicatio eo vſque iteretur donec pullus vivus remaneat; Reliqua ex curatione morſus viperini petantur.

Contingit autem, quamvis rariſſime, vt vel pueris, iumenta ſua in pratis & ſylvis paſcentibus, vel hominibus laſſitudine defeſſis, & hiante ore dormientibus, ſerpens intra corpus irrepat, qui ventriculi continuam frigiditatem & acerbiſſimos colicos cruciatus excitat, præſertim vbi diutius, à cibo abſtinuit æger aut ſi cibi potioneſque & pharmaca, palato ſerpentis minus grata, ingerantur, In eiuſmodi caſu medicamentis vel extingui ſerpentem, vel propelli extra corpus valde difficile eſt, ſummo cum dolore tentari poteſt, Et tamen experientia compertum eſt, ſi lac dulce, fervens & vaporans, corpore toto antrorſum incurvato, capiteque verſus terram inclinato, aperto ori in aliquo vaſe ſubiiciatur, ita lactis dulcis vapor in gulam elevatus, ſerpens in ventriculo contentus nidore lactis allicitur, & per os progreditur & in ipſum lac inſilit.

Si autem Serpens in inteſtinis deliteſcat, quod ex frigiditate ventris infra vmbilicum agnoſcitur, multum proderit *prius vinum bibere, in quo cortic. cum radic. fraxini ſunt incocti, deinde fumum veterum calceorum, aut fumum ſerpentum aduſtorum, aut ſimul folia fraxini per fiſtulam infundibuli intra os aſſumere ac deglutire.* Hac enim ratione per alvum egreditur vivus ſerpens.

Cavendum autem ne decipiatur medicus, ſibi perſuaderi patiatur quenquam ſerpentem in corpore gerere, niſi ex certis indiciis, ac potiſſimum *frigiditate continua ventris & torminibus ex fame* deprehenderit, Sæpe enim homines melancholia detenti ſibi imaginantur & perſuaſum habent ſerpentem & ranas in ventre deliteſcere, id quod & *Galeno* contigit &c. *Fr. Iſel.*

Falleris, ſi (quod communis fert opinio) deglutitione *pulveris ſerpentini* (vt & cordium recens extractorum, atque adhuc eſſe moventium) ab ictibus ſerpentum tutum te imagineris, Experto crede. *Schroderus l. 2. pag 306.*

De ſepentibus pernitioſis: vipera, Dipſade, Hæmorrhor, Dryuno, Hidro, Surʒone, ſeu Ammodite, Ceraſte, Acontra, Sepe, Appide, Baſiliſco.

Dipſas.

Dipſas à ſiti dictus, ſpecies eſt viperæ in maritimis degens, Ad ejus morſum inſequitur tumor ſolutus non conſtrictus, ſitis intolerabilis, quæ non extinguitur potu, neque vomitus excernitur per vomitum, neque per vrinam, neque per ſudores, ſed venter diſrumpitur, aut circa inguina, aut in imo ventre, vt in hydrope idem contigiſſe aliquando ex eſu carnis viperæ ait *Galenus 11. ſimpl.* Venenum calidum & ſiccum, detrudens ad cutim, ideo facere ad Elephantiaſin, quorum curis abcedit, gignit pediculorum copiam: Ex Dipſadis morſu reliqui affectus oriuntur, qui ex viperæ morſu ſed ponitur omnino lethalis.

Curatio eadem quæ ad viperam; proprie conveniunt potiones vrinam cientes, Alvus per clyſterem eluatur, vomitus ex oleo, Super vulnus poſt cucurbitulam, ſectionem, gallinacei impoſitionem, *calx viva cum oleo* imponatur, emplaſtra attractoria & *theriaca. Dioſcor.* inquit non habere propria remedia, quia putata eſt incurabilis, Sed pugnandum communibus efficaciſſimis; Scarificatio, Vſtio, & ſi locus patiatur, Amputatio: Cataplaſmata acerrima, cibi acres maxime è ſalſamentis, potiones meracæ, lavacra repetenda brevi interiecto tempore, antequam genus morbi eruperit, tunc enim nulla medici opera tollitur. *Avicenna ſurdos ſerpentes* vocat, quorum non ſunt remedia.

Cur

Cur ſitis non tollitur aquæ frigidæ potu? vt in cauſone? An quia virus non tollitur, ſed eger diſſipantibus & alternatim contemperantibus. *Caſalpinus cap. 42.*

Hæmorrhous.

Hæmorrhous mas, Hæmorrhous fœmina à ſanguinis fluxu appellatus, Inſequitur ad morſus vehemens cruciatus corporis conſtrictio præcordiorũ præ cõtinuo dolore, ex plaga ſudor copioſus, & vbicũque cicatrix fuerit ſanguis emanat, cruenta excrementa, per tuſſim & vomitum, moriuntur ſine remedio *Aetius*, Color icti loci cruentus, mali coloris & nigricans, in principio nihil effluit niſi quid aquoſum, ſto machi dolor, difficultas ſpirandi deinde ſanguis è naribus, & ex morſus foraminibus, & vbibunque cicatrix fuerit, rumpitur, A fœminæ morſu etiam anguli oculorum ſanguine manant. gingivæ & vnguium radices, & tandem per omne corpus, dentes excidunt, Eadem confirmat *Galenus l. de Ther. 8.* vidi aliquando eadem fieri in febribus malignis, in iuvene & in æſtate reddito ſcilicet ſanguine ichoroſo.

Curatio, Quamvis à pleriſque tanquam deplorati reliquantur, tamen communibus remediis vtendum: Privatim *vitis folia* decocta, & cum *melle trita* ad ſanguinis profluvium pro cataplaſmate & in potu, *portulaca* cum *polenta*: Antequam prodeat vrina ſanguinolenta edant multum allium, & bibant vinum dilutum, coganturque ad vomitum, & confeſtim detur *theriaca*: Edant piſces multos alliis mixtis cum oleo, panem, vvam paſſam, deinde vino diluto multo hauſto vomant. *plaga* proluatur aqua frigida, veſica ſpongiis calidis foveatur; *Terra ſigill. bolus Arm. lapis hæmat. ſanguis teſtudinis ſiccatus.* ſanguinem autem ſiſtunt vi emplaſtica & adſtrictoria, *oleum deſtillatum ex electro* cum *ſucco cichor ad gtt.* ii. vel iij.

Dryinus.

Dryinus à quercu dictus, *vipera quercina, Avicenna* In Helleſponto magis reperitur, in quercuum radicibus fœtens, vt tranſeuntes fœtorem ſentiant; redolet ſtrigmenta corij, quod purgatur: intra eius ſquamas muſcæ quædam inhabitant, à quibus conficitur. Eſt tam malignus ad perdendum, vt eius qui ſupergreditur cutis à pedibus excorietur, tota crura oedemate intumeſcant, & manus quoque curantium eodem modo periclitentur, ſi quis aggreditur eum perimere, olfactu mulctari, vt quemlibet gratum odorem pravum exiſtiment, nec alium ſentire queant: in Italia odor moſchi.

Ex morſu puſtulæ & moleſti dolores accedunt, diluta ſanies, coroſio, tormina, *Aetius*. Tumor nigricans, nomę, delirium, corporis ſiccitas, vomitus, vrinæ ſuppreſſio, tremor, vocis interceptio, ſtupor, ſciſſura & mortificatio loci percuſſi, plurimi intereunt: Venenum calidum & humidum petrefaciens carnes magis.

Curatio adibetur communibus remediis vt in viperę morſu propria diſſipantia, *Ariſtolochia in vino* pota, *trifolium, aſphodeli rad.* eodem modo, ſiccantia & adſtringentia ad putredinem, *fructus omnium glandiferarum arborum, ilicis radix in vino* pota & illita parti ictæ, poſt extractum virus. *Caſalpinus cap. 42.*

Hydros, Hydra.

Hydros, & Hydra fœmina vocatus quamdiu in aquis degit, innocentior ob victum humidum *Cherſydros*, idem in ſiccis degens, ſavior, ſimilis Aſpidi parvo, Demorſis vlcus dilatatur, lividum & ingens evadit; ſanies multa atra graveolens, vt in vlceribus quæ ſerpunt; *Aetius*. Tumor, dolor arſivus continuus, locus lividus, fæculentus, vertigo, exolutio, vomitus bibioſi, fœtidi, quædam per ventrem inordinate feruntur, per totum corpus, mors intra tres, dies Venenũ eſt putrefaciens; Quod Poetæ fingũt Hydram Letneam multis capitibus, quorum vno abſciſſo alterum renaſcebatur, ſignificat affectum repullulantem.

Curatio Poſt communia, digerentia & ſiccantia, *origanum tritum & aqua* ſubactum. *lixivia cum oleo* indita, *ariſtolochia cortex, radix quercus* & *hordei farina* cum *aqua* & *melle*, In potu *ariſtoloch.* ʒij. cum *poſca cyathis* ij. *marrubii ſuccus* cum *vino*: *favus mellis recens in aceto* Aetius. *Cupreſſi pilul. myrth. bacc.* ʒi. cum *melle roſac.* aut *vino* mulſo in potu ſuper locum *calx viva* cum oleo & ſimilia.

Paulus inquit. Eius curatio in temporis profſu fit & vix procedit, præter remedia *Dioſcoridis* imponit *cinerem quercus ex oleo*, In *potu farina hordei* cum *melle, naſturt. ſilv.* fœniculum ex vino *Caſalpinus c. 43.*

Scorzonus.

Sunt inter Serpentes qui feriunt lingua, quibus ea prædura eſt, vibrant enim omnes ſerpentes linguam bifurcatam & acutã, quibus igitur ea deſinit in aculeũ prædurum, ferire neceſſe eſt inſtar Scorpionis aculeum in cauda gerentis: Inter hos eſt *Scorzonus* ſeu *ficizus* in Hiſpania appellatus, de quo *Monarders* Hiſpanus tradit frequentem reperiri in Catalaunia.

Longitudo eius eſt palmi cum dimidio, a tenui cauda craſſeſcens, vſque ad caput, quod craſſum eſt, quadratum, ore magno & lato, Lingua nigra, acuta qua ferit inſtar ſcorpionis, dentes tenues habet, viperæ fœminæ ſimiles, ideo duplici modo ferit, color eius cinereus, maculis nigris, inceſſu pigro: morſus deterior vipera, intumeſcit confeſtim ei cum dolore magno, aſcendit ad cor, non cedit remediis neque theriacæ, ſola herba *ſcorzonera* reperta eſt, cuius radix figura perſimilis eſt, ſanat in potu & cibo, & herbæ ſuccus.

Videtur apud *Aetium Ammodites* dictus, a colore arenæ, maculis nigris, cubitalis, non maior, cauda dura ſuperne diſciſſa, vnde & *cerchira*, non *cenchira*, vt *Hermolaus notat*, vocata eſt: maxillas habet latiores vipera, cui perſimilis eſt in cæteris, ſed vipera ſubflava eſt.

Ex eius morſu vtplurimum mors feſtina; Quibus ſanguis ex vulnere mors prorogatur ad tertium diem, aliquando ad ſeptimum: Vulnus intumeſcit, & paulo poſt ſanies exit, ſequitur capitis gravitas & animi deliquium.

Curatur apud *Aetium* poſt remedia communia, mentha cum *aqua mulſa* potata, *caſtor. caſſia, artemiſ. ſuccus cum aqua* ad plagam attrahentia, & cataplaſmata ad nomas facientia. *Caſalpinus cap. 44.*

Cerapes.

Cerapes ex hoc genere videtur eſſe, a cornu dictus, nam in capite duas eminentias habet veluti cornua, prorepit per obliquum non recta, corpore arenoſo (*colore*) Percuſſis locus attollitur cum duritie inſtar capitis clavi puſtuloſus; e plaga ſanies nunc atra, nunc pallidior. *Aetius*: Vini colore aut nigricans maxime per ambitum, vt in cruentatis & ſugillatis, genitale intenditur, mẽs turbatur, caligo oculorũ, tandem convulſi moriuntur, ad ſummum vſque ad nonum diem ſuperſunt, Nulla medicina, quia virus, Baſiliſci ſimili, ſanguinem convertit in atram bilem. Curatur ſola amputatione membri cita, aut confeſtim carnem circumcidere oportet, & ſuper reliquias vrentia medicamenta *Dioſcorides*. Cæſalpinus *cap. 44.*

Acontias.

Acontias, quaſi Iaculum, de quo *Galenus l. de Ther. 8.* in Scilia frequens, Serpens, *inquit*, vbi ſe multum

extenderit, ceu jaculum quoddam corporibus inſiliens ſic perimit: videtur autem lingua acuta & prædura id efficere, *Cenchrus* à *Dioſcor.* vocatur, qui & *Cenritus* & *Cenchrius* à milii ſimilitudine dictus eſt, *Aetius* deſcribit tricubitalem, colore viridi, maxime iuxta alvum, milium referens, cum floret milium, fortiorem fieri, Veluti iaculum involat, & eo modo verberat, vnde Acontias dicitur.

Morſus viperino ſimilis, interdum vlcus ſequitur, antea carnes præhumidæ, vt in hydrope defluunt, lethargus ſupervenit; Ex *Eraſiſtrato* iis qui pereant inventum jecur & omnia inteſtina corrupta; *Aetius* inquit, Inſequũtur omnia quæ ex ictu viperæ atque etiam graviora, vt etiam putrefactiones & carnium defluxiones, gravior item mors ſuccedat; Remedia eadem quæ ad viperam.

Curatio, apud *Dioſcor.* Auxiliatur *lactucæ* fructus id eſt, *ſemen cum ſemin. lini* illitum, *Satureia* trita, *ruta Sylv. ſerpillum* cum *aſphodelo.* In Potu *centaur. rad.* ℥ii. *cum vini cyath.* iij. *ariſtol. cardam & gentiana* Idem

Draco.

In hoc genere videtur eſſe *Draco* ex cuius capite extrahitur *lapis draconites*, apud *Pliniũ* inter gemmas, Hunc *Albertus magnus* teſtatur ſe vidiſſe ex capite ſerpentis magni in Suevia; Teſtantur hodie in Germania linguam eſſe ſerpentis cuiuſdem magni, cuius ictus lethalis eſt, ſed lapidem abſciſſa cuſpide geſtatum ab omni veneno tutum reddere.

Seps.

Seps apud *Aetium*, ſerpens eſt bicubitalis, alius à *Lacerta* chalcidica, albis maculis, ex morſu ſanguis manifeſtus, dein ſanies graveolens, tumor, dolor languidus, putrefactio, per corpus maculæ albæ, defluvium capillorum, mors intra dies tres aut quatuor. Curatio eadem quæ ad viperam & Ammoditem, privatim *portulaca* multa in cibo & *vinum myrthites* meracum. *Spongia ex aceto* calido ad vulnus, *Butyrum* cum *melle* illitum, *milium* cum *melle*, *paleas* cum *terra exuſtas illine. Caeſalpinus cap. 45.*

Baſiliſcus

Βασιλίσκος, Regulus, Baſiliſci nomenclatura duobus venenoſis & ferociſſimis animalibus tribuitur, Serpenti, & monſtroſo animali Greſſili Baſiliſcus ſerpens coronatus non tantum ſuo morſu, ſed ſolo intuitu & ſibilo cuncta animantia interimit, quem *Aelianus* & *Plinius* in Cyrenaica regione reperiri ſcribunt: *Baſiliſci* vero, ſæviſſimæ feræ meminit *Galenus l. de Theriaca ad Piſon* cumq́ue βασιλικὸν θηρίον vocat, dicens quod ſit bellua ſubflava, triplici frontis apice munita, quæ & ipſa quidem ſerpens.

Baſiliſcus ſolo intuitu & ſibilo videntes & audientes necat, & ſi quod præterea aliud animal illum etiam mortuum attingat, ſtatim moritur.

Symptoma Baſiliſci eſt mors ſubita atque citiſſima; at mortuis fruſtra adhibentur Antidota; de eius itaque Curatione quicquam dicere ſupervacaneum eſſe iudico, verum tamen, modo non ſit fabula; aiunt inter omnia animantia ſolam *muſtelam* eſu paſtuq́ne rutę armatam cum Baſiliſco ſerpente congredi audere, & illum extra ſuas latebras protractum fortiter interimere. Laudatur à medicis ad Baſiliſci morſum *caſtorei* ℥i, cum vino epota, quæ *Eraſiſtrati* medici eſt ſententia. *Fr. Ioel.*

Baſiliſcus quaſi rex virulentorum, *Ariſtot. 8. hiſt. anim. 29.* ſacrum vocari inquit; Serpens minutus ad cubitum accedens, quem angues prægmagni fugiunt, hirſutus, quicquid momorderit continuo circumputreſcit: Eſt præterea in Indica regione ſerpens parvus, cuius vnius remedio carent incolæ. Naſcitur in Africa eodem agro in quo laſer, ſerpens quidam puſillus, cuius remedium lapis eſt, quem ex ſepulchro cuiuſdam Regis antiqui accipiunt, eoque perfuſo ex vino bibunt, lapis ille videtur ex conditura cadaverum nobili conſtare, quam mumiam vocant.

De *Baſiliſco Dioſcorides* ex *Eraſiſtrato* inquit, *vulnus ad auri colorem efflaveſcit, auxiliatur* ℥i. *in vino pota*, item *papaveris ſuccus*; Deſcribit *Aetius* palmorum trium, ſubflavum; acuto capite, in quo tres eminentiæ, vis ineſt maxima ſuper omnia reptilia, vt nulla vel ſibilum poſſint ſuſtinere, Enecare etiam aiunt conſpectu, omnia aufugere eius præſentiam, Interfectos ab eo nullum animal comedere, nam ſimiliter enecari, Percuſſi toto corpore ardorem ſentiunt, livor advenit, confeſtim capilli defluunt, & in inſtanti mors ſequitur, ideo nulla medecina ob celeritatem, Eadem videtur *Catoblepa*, apud Aethiopas puſillus ſerpens. Siquis eius oculos intueatur confeſtim expirat. *Caeſalpinus Catopti. l. 3. c. 46. De Baſiliſco vide* Wedelium med. ſept. vol. 2. p. 368. *Hiſtoriam puerorum ab intuitu Baſiliſci interfectorum apud ſenertum in Epiſt. ſcient. nat.*

Coluber.

Serpens, *Anguis*, *Coluber*, ſynonima ſunt, quæ omnibus ſerpentibus toti germaniæ familiaribus tribuuntur, qui verno tempore inter gramina, in ſylvis cænoſis, & circa vrbium muros, aggeres circaque loca paluſtria paſſim conſpiciuntur, quanquam ſunt qui *Angues* in aquis, *colubros* vero in ſylvis degere exiſtiment, & Angues Natrices ὕδρυς appellent, ſed & apud probatos authores hæc omnia confunduntur.

Salamandra.

Salamandra, quæ & *Stellio*, ex genere eſt Lacertarum, quas in Hetruria Tarantulas vocant, Venenum continet calidum & humidum inter putrefacientia, humiditas eſt glutinoſa aquea, in igne diutius reſiſtens, quem interim extinguit: Sed in loco calido & humido facile (*3. ſimpl. 22.*) putreſcit, neque in aqua neque in igne vires amittit. *Plinius* inquit, *Inter omnia venenata Salamandra ſcelus maximum eſt, nam non vnicus hominem, vt cætera icta, ſed populos necare poteſt, cum irrepſit in arborem omnia poma inficiens veneno, eos qui ederint necat frigida vt Aconitum*; *Idem ſi in puteum cadat, ſi lignum, aut pedem quo cruſta panis coquitur tetigerit, ſi eius ſaliva partem corporis tetigerit, è toto corpore defluunt pili.*

Signa huius veneni epoti; Lingua ſuccenditur, mens turbatur & loquela, tremor, torpor, horror, exolutio, livores quoſdam excitat in corpore orbiculatos qui tandem aliquando putreſcentes decidunt, quod ſignum eſt ſanitatis apud *Avicennam. Aetius* inquit Primum maculæ albæ per corpus, deinde rubræ, poſtea nigræ cum putrefactione & defluvio capillorum. Quæ ſymptomata partim caliditatem, partim frigiditatem atteſtantur.

Curatio eadem quæ ad Cantaridas, ex *Dioſcor. & Aetio*, ac *Avicenna* vt ad opium, privatim *reſina pini*, *galbanum cum melle* linctum, *chamæpytis decoctum, in quo nuclei pinei, ova teſtudinis marina* vel *terr. cocta, ranarum* ius, incocta *eryngii* radice, *Caeſalpinus cap. 12. l. 3.*

De Serpentibus mitioribus, *Cacilia*, *Parea*, *Pelia*, *Elape.*

Inter mitiores ſerpentes apud *Aetium Cacilia*

lia, Latine, *Typhilinus* ab *Ariſtotele*, quia cæcus, Italis *Lucignola*, æqualis per totum, vt caput à cauda non diſtinguatur, Quæ repit in vtramque partem *Amphisbena* Bicipitem *Galenus* tradit, l. *de Theriaca 9.* morſus obſcurus vix apparet velut punctura muſcarum. non lethalis, ſolum inflammationem inducit, vt ex ape aut veſpa: *Curatio* quoque ſimilis: Si prægnās ſupergreditur abortit, At quæ in Chalcide morſum ſimilem viperæ infert, & ſimiliter curatur. Hanc *Dioſcorides* accipere videtur per *Scytalam* & *Amphisbenam*.

Pareas ſeu *Parous*, in ſyria, colore æris vel nigro.

Spurhiuros iuxta chalcidem, ex craſſo in tenuem caudam, lato capite, mures venatur, morſus vterque non lethalis, ſolam inflammationem faciens, Curatur vt Cæcilia.

Pelias.

Pelias tanquam notus non deſcribitur, morſus dolorem circa locum & putrefactionem facit non periculoſam, Inſequitur vexatio & oculorum offuſcatio, Curatur *ſucco ptiſanæ* cum *oleo* in potu *oxylapatho* decocto & ſimplicioribus remediis ad ictericos, Oculi procurantur *lotio pueri* venerem non experti Deinde admixta *muria* caput ex iiſdem perfunditur, & purgato corpore oculos illine ex *opobalſamo* cum *melle*, & collyriis viſum acuentibus & rarefacientibus, vt lacrymæ exerentur; interiectis mitigatoriis.

Elaps.

Elaps ſimiliter notus; ad morſum inſequitur tormen volvuloſum Curatur communibus auxiliis, præcipue iis quę lenibunt tormina & vrinam cient *Caſalpinus.c.4nl.3*

Sorex.

Domeſticorū *murium* duo tantum ſunt genera *mures parvi & domeſtici*, & *mures maiores* ſive *Sorices*, quos ideo μυόγαλας à Græcis dictas fuiſſe arbitror, quod cum felibus congenitam hoſtilitatem & inimicitiam habeant, mures maiores ſive *Sorices* magis ſunt venenati, adeo vt etiam Feles, etiamſi eos interimant, tamen non guſtent quod ſi præ nimiâ fame devorarint; elephantiaſi ſive lepra corripiuntur. Suo itaque *morſu* & vrinæ conſperſione valde ſæva inferunt ſymptomata, vulnus ſiquidem ex eorum morſu inflammatur & putreſcit, & circa vulnus nigricantes puſtulæ, ſanieque atra turgentes excitantur, ac tandem in vlcus depaſcens & ſerpens degenerat, ſimili ratione etiam *vrinà* eorum venenata, per cutem ſparſa, inſtar ſerpiginis exulcerat, niſi ſubito locus contaminatus *ſalſugine* abluatur, *theriaca Androm.* confricetur & *ol. ſcorpion.* linteolis exceptum imponatur.

Curantur hæc ſymptomata primo Cucurbitulis cum ſcarificatione impoſitis, ſanguiniſque venenati extractione: Poſt cucurbitulas vlceri imponatur Catapl. ex ſolo *galbanę* cum pauxillo *aceti* liquefacto, Id enim potenter virus elicit: Tandem vtiliſſime imponi poteſt *catapl. ex alliis* & *capis* ſimul contuſis confectum.

Intra corpus ne veneni vis penetret, poteſt ſingulis diebus hauſtum *vini* ebibere, in quo *abroton. bicc. lauri cumini* & *fol. ſcordii* ſint incocta.

Quod ſi contaminatione vrinæ *Soricis* cutis exulceretur, vlcus ſubinde vino lavetur ac foveatur, in quo *cortic. mal. gran. folia veron. lyſimach.* ſint incocta, poſt lotionem *pulvis tenuiſſimus hordei toſti* vlceri inſpergatur. *Fr. Ioel.*

Veſpertilio.

Μῦς ἀέχηρος, ſive νυκτερὶς, mus volans; veteres græci nullam huius muris volantis fecerunt mentionem, veſpertiliones tota ſua ſubſtantia venenatę ſunt, & tum morſu, tū aliqua ſuę partis aſſumptione pernicioſa excitāt ſymptomata, illis ſimilia quæ ex morſu rabioſi canis concitata ſunt, & ſi intra corpus aſſumantur ſtatim hydrophobiam inferunt; habēt enim veſpertiliones quodammodo canis naturam, capitiſque canini formam, & dentes caninos quin etiam exili voce latratum canum æmulantur.

Curatio tum vulneris ex morſu accepti non hydropobiæ ex aſſumptione acquiſitæ, eadem ratione iiſdemque remediis tentanda quæ in morſu canis rabidi.

De veſpertilionibus ſic *Rhazes* ſcribit, *Qui comederit linguam* aut *cor*, aut *ſanguinem veſpertilionis, fugiet potum aqua & ſiti morietur, niſi confeſtim præveniatur vomitu cum butyro liquido & aceto caputque eius ſubinde perfundatur lacte recenter mulcto.*

Erit itaque ſymptomatum veſpertilionum præcipuum *antidotum* pulvis *ex cinere cancror. fluviat & gentianæ* ſupra allegatus. *Fr. Ioel.*

Cantharides.

Κάνθαρος Græcis *Scarabæum* ſignificat; quorum plura ſunt genera ex ſtercore boum & equorum generata Ex ſcarabæorum familia ſunt & *cantarides* per diminutionem ſic dictæ quaſi parui ſcarabæi. Inſecta ſunt, ſeu vermes volitantes, magnitudine veſparum pulcherrimo colore, ex viridi in aureum ſplendentes.

Cantharidum pulvis ſi cum fermento acido commiſtus inſtar Emplaſtri cuti imponatur, per vnam & alteram horam veſicam excitat, eroſi humoris plenam ac ſi diutius imponatur carnem & cutem erodit.

Symptoma *cantharidum* aſſumptarum præcipuum eſt exulceratio veſicæ & meatus vrinæ, ſuâ enim forma ſubſtantiali & occulta proprietate aſſumptæ, reliquis viſceribus præteritis ad veſicam ſtatim deferuntur, ideo earum aſſumptionem ſequitur Stranguria, & cruentæ vrinæ exſtillatio, ac virgæ exulceratio; Deinde paulatim inflammatur & hepar, & eroduntur inteſtina; immenſique dolores in hypogaſtrio excitantur, quos dolores mentis alteratio & mors ſubſequitur, niſi propere venenum expellatur, eiuſque vis infringatur.

Curatio Cantharidum conſiſtit in cita evacuatione, per *Alvum, vomitionem* aſſumpta *aqua tepida* cum *oleo violarum*, mixta quæ aliquoties reiterari debent: Deinde per *alui ſubductionē* cum acri clyſtere, ex *decocto, malua alth. violariæ, centaur. minor.* cum quibus ℥ß *pulpa colocynth.* in peria ligata ſit concocta cuius colaturæ admiſceatur *oleum roſar.* & *elect. Diaphoen.* Deinde crebro eſitet æger *orizam* cum *lacte caprillo, cremorem ptiſanâ butyr. recens* cum *mucagine ex ſemine cydonior.* mixtum præterea *lac caprill. iuſcula pinguia* & carnes pingues, vt *porcina*.

In *Potu* vſurpet *lac amygd.* aut *lac ex nucleis pineæ ſemin. papav. albi & alkerm.* cum *aqua hordei* paratum, vel lac ex *4. ſemin. frigid. maior. cum aqua* lactis factum. conferunt quoque *ſyr. nymph. & violar.* æſtum enim & inflammationem viſcerum ſitimque reſtingunt.

Deinde ſi dolor in inteſtinis perſeveret, optimum erit *alium clyſterem lentum* ex *decocto rad. althaa, ſemin. lini & malvæ* factum, ac cum *oleo violar.* mixtum infundere.

Foris vero proſunt Epithemata ex *ſuccis ſempervivi, portul. & lactuca* mixtis, linteolis duplicatis exceptis, hypogaſtrio admovere, & *oleo viol.* inungere.

Virgæ meatui exulcerato *mucago ex ſemine cydonior* cum *aqua roſac.* facta immittatur ad doloris lenitionem

Antidotum eſt ſequens pulvis, ad omnia ſymptomata vtiliſſimum.

℞. *Troch. de alkeke. terræ Lemniæ* ā ā. ʒi. exhibeatur cum *vino dulci* aut *lacte* muliebri.

Sunt qui ex *Galeni* decreto vtuntur *Pulvere canthar.* contra *canthar.* tanquam antidoto, præſertim ad vrinæ ſupreſſionem, ſed ea ſententia mihi eſt ſuſpecta, neque ſuaderem quenquam illud experiri. *Fr. Ioel.*

Cantharides.

Decoctum ſem. lini eroſiones ventriculi à canthar. ſumptis factas corrigit, & pro antipharmaco illarum habetur. *Platerus l.1.p.472.*

Pulvis ſmarag. ſubtiliſſ. ad ℈i. efficaciſſimius, vt & contra *rubetam*, erucam, pinor. Vidus Vidius.

Omnes cantharidum ſpecies præ reliquis turgent *ſale volatili acerrimo*, adeo ut colliquefaciendo acrimonia ſua ſuccum corporis nutritivum, veſicas excitare ſolent. *Etmuller comm. Schr.* p.247.

Cantharidum antidotum præſentaneum præbet lac, *nativum & artificiale*, Si minori dozi dentur, bene eſt, neque effectus ſiniſter inde timendus, vt in *Rot ſtimulantibus magis.* Sin paulo maiori dozi idem fiat, ardor vrinæ & mictus cruentus ipſe prompte inde conſurgit, vide exemplum apud *Langium Epiſt. ſept. l. 1.* vna cum curatione. Id quod ipſi quoque nos cum veritate reſpondere, experientia comperimus. *Wedelius.*

Rana, Animalia in corpore *Habelchou. c.* 1.63. Alexpharmaca.

A quibuſdam ſequens experimentum laudatur.

℞. *Cortic. mediani ſambuni ſubtiliſſ. deraſor, & in vmbra leniter exſiccatorum m. j. ſuperaffunde lactis capr. rec. menſuram dimidiam* ℔.ß. *vel circiter capacem; coquantur lento igne ad medias*, Colatura *huius m. &c. bibatur hauſtus.*

Prædicatur vnice venenum à ſceleratis hominibus in cibo potuve, vel ante triennium propinatum extirpatum eſſe: Si prima vice non iuvat, repetatur. *Philipp. Grulingius Floriſleg. part.25.c.1.*

Bupreſtis.

Βούπρηςις nomen à bobus obtinuit nam, boves & iumenta Bubreſte verme devorato paulo poſt intumeſcente ventre diſrumpuntur: Vermis eſt duriuſculum corticem præ reliquis habens, quemadmodum Scarabæus; Duæ ſunt ſpecies *Bupreſtis*, vna nigra altis pedibus per paſcua incedens; Alia eſt quæ in ſylvis pineis per arborum cacumina reſtitat ac volitat, & inde *pinorum eruca* vocatur, quæ appropinquante hyeme in arboribus ſe calloſo velleri implicat in eoque immoritur, & in ſemen reſoluitur, ex quo rurſum adventante vere reviviſcit ac regeneratur: Hoc larnugoſum involucrū pineæ erucæ ſanguinem erumpentem citiſſime reprimit, ſi loco affecto imponatur, ſed pinea eruca ſive bupreſtis pini non reperitur facile.

Symptomata ex aſſumptis intra corpus Bupreſtibus hæc ſubſequuntur, Ventriculi & inteſtinorum eroſio, dolor, & totius ventris, inſtar hydropis intumeſcentia, & vrinæ ſuppreſſio, reliquaque cantharidum aſſumptarum accidentia.

Curatio aſſumptarum *Bupreſtrum* per omnia fere ſimilis eſt curationi Cantharidum, videlicer per *evomitionem* evacuatio, & alvi ſubductionem cum clyſtere: Sed peculiari antipathia plurimum confert crebra potatio *decocti ficuum aridarum* cum *muſto* aut *vino*, & crebra eſitatio *dactilorum*. *Antidotum* eius eſt *lac muliebre* in dies ex vberibus tractum. *Fr. Ioel.*

Eruca, Papiliones.

Κάμπαι, *Erucæ*, vermes ſunt oblongiuſculi, arboribus & oleribus perniti oſi: *Papiliones* ſunt alati vermes ſymptomata Erucarum ac Papilionum intra corpus aſſumptorum, ſunt ventriculi, oris, linguæ, & gulæ inflammatio, Et dolor pruriginoſus, ac tandem totius corporis exæſtuatio.

Curatio ſimilis eſt inſtituenda qualem in Cantharidum curatione propoſuimus: *Antidotus* eſt *terra Lemnia & pulvis corall. rub prap.* cum *mucag. ſem. cydon.* Foris optimum eſt inungere *oleo cydonior.* Fr. Ioel.

Crabrones.

Crabrones quoque ſunt ex Apum genere, ſed Apibus veſpiſque maiores, rotundæ, nigræ, hirſutæ & circulo luteo interſectæ, quæ cum bombo ſeu murmure volant: ſymptomata veſpis ſimilia inferunt, iiſdemque remediis ſuccurrendum. *Fr. Ioel.*

Catervatim aggreſſi ruſticum eum neci dederunt, Anno 1680. in pago Iuſſi duobus miliaribus Geneva diſſito: fervida æſtate ruſticus aratro terram diſcindens crabronum nidum offendit. Puerum mittit qui ignem afferat eos in latebra aut vſturus aut fumo ſuffocaturus; Interim, oblitus adagij non *eſſe crabrones irritandos*, pettica qua boves inſtigabat, eos laceſſit, hi agmine facto ruſticum adoriuntur, tanto impetu, vt illum oppreſſerint, adeo vt puer, titione & ſtramine inſtructus rediens, mortuum patrem invenerit.

Solifuga.

Solifuga (animal exiguum eſt inſtar araneæ) fodinis argenteis frequens, ſi quem pungat, excitat veſiculam venenoſam, vnde oritur peſtis. *Sylv. Ratray.*

Torpedo.

Νάρκη, Piſcis eſt marinus in germania ignotus validiſſimo veneno imbutus, ex genere planorum & cartilagineorum piſcium, quales apud nos ſunt ſoleæ & ſalpæ, mari mediterraneo familiaris, nomen habet à torpore, quia non tantum ſuo contactu, ſed mediante reti aut hamo, haſtaque manus ſtupefacit, & tremulas reddit. Veteres medici applicabant in capitis doloribus vbi ſtupefactione opus erat, Et nunc quoque in Italia, in ardentibus capitis doloribus, qualis eſt phrenitis torpedinem mortuam applicare ſolent. Torpedo itaque capta, & adhuc vivens per interventum retis etiam antequam manu attingatur, hæc infert ſymptomata, raro quidem lethalia, ſed tamen formidabilia, manuum ſcilicet artuum, muſculorumque ſtuporem, ac totius corporis tremorem, mortuis autem nihil tale ineſt, ſed comeduntur in vrbibus Italicis.

Curatur ſtupor ac tremor à Torpedine illatus crebra confricatione membrorum ſtupeſcentium cum ieiuni hominis ſaliva, & illinitione olei *rutæ* aut *ſcorpionum* quibus adiectum ſit *aqua iuniperi*, tantillum Intro autem *Theriaca Androm.* ʒij. cum vino hauſta diſcutiunt torporem partium. *Ioel.*

Piſces cocti & rancidi faciunt ventris & ſtomachi inflammationem cum pectoris dolore, vrinæ retentione, breviſpirio, ſyncope, ſudore frigido, & tandem mortem. *S. Ratray.*

Sanguis Taurinus.

Sanguis taurinus recens epotus inſtar plumbi liquefacti occludit meatus, inter frigida congelantia; congelat enim dum coagulatur alioqui nequaquam, quia non excedit in frigore, Sed ob craſſitiem cito congelatur inſito calore expirante, Inſequitur ſpirandi difficultas & ſtrangulatio, præcluſis meatibus faucium & tonſillarum vehementi adſtrictione lingua rubeſcit, dentes inficiuntur cum veſtigiis concreti

ſanguinis: Proprius quoque ſanguis è venis egreſſus, ſi in aliquo ventre congeletur, vim venenoſam acquirit *Avicenna.* Teſtatur quoque *Galenus 6. lib. aff. 4.* inſequi animi deliquia, colorem pallidum, pulſum parvum, obſcurum & frequentem, anxietatem, exolutionem, An quia ſimul corrumpuntur ſpiritus? Miratur cur ſanguis maxime familiaris ſit author tanti mali, cum è ſuis vaſis fuerit effuſus, nam putredo & marcor ſequitur, eſt enim frigidus & adſtringens, ut in angina teſtatur *Hippocr. 4. aut 30.* tanto magis ſi in arteriis congeletur, ut contingit ex ictu aſpidis.

Curatio ad epotum ſanguinem tauri, Expurgandus per alvum non per vomitum *Dioſcorides*, ne fauces magis claudantur, Diſſolvendi ſunt grumi per *acetum*: exhibendi *grossi*, lacteo ſucco, ex *poſca*, *Nitrum*, *coagulum* quodcunque ex *aceto*, *laſerpitii radix*, *ſuccus*, *braſſicæ ſemen*, *lixivia è ficu conyzæ*, *folia cum pipere*, *rubi ſuccus ex aceto*, Alvus ſublevanda clyſteribus pinguibus & lubricis; *Aetius.* Iis qui ſervantur ſuccedere ſolet alvi fluxus, ideo roborandus ſtomachus & alvus illita *farina hordei ex mulſa. Cæſalpinus.*

Inter atrociſſima & ſuffocantia Venena Tauri ſanguinem recenter epotum connumeramus; congelatur enim in ventriculo, reſpirationemque impediens hominem ſuffocat. *Themiſtocles* Athenienſis tanti veneni tentavit experimentum: Hic enim civium invidia à patria relegatus ad Artaxerxem confugit, Dum autem in patriam in gratiam Artaxerxis pugnare cogeretur, in Dianæ templo, hauſto Tauri ſanguine vitam cum morte commutavit. *Ex Plutarcho.*

Fel Leopardi.

Fellis Leopardi ſigna apud *Avicennam*, Vomitus bilis odore & colore aloës, ictericia; Si intra tres horas non occidit, aliqua eſt ſpes ſalutis; *Curatur* poſt vomitum exhibita *terra ſigill.* cum *baccis lauri. Coagulum capreoli*, *ſemen rutæ*, *myrrha* ex *melle*, nucis magnitudine, Evomat iterum, Balneum cum odoriferis. *Cæſalpinus.*

Fel Leopardi efficit vomitum materiæ viridis, aloes odorem habentis, & ictericus redditur aſſumens, & frequenter ſyncopizans moritur. *S. Ratray.*

Fel Viperæ.

Fel viperæ inter calida & ſicca ſanguinem & ſpiritus corrumpit, *Signa* apud *Avicennam*, ſyncope frequens; Parum confert medicina ob celeritatem: Confert *vomitus* ex butyro cocto, poſtea diſſipantia virus, *moſchum* in *vino* & aqua carnis deſtillata, *diamoſchus*, *theriaca*, *mithridatium*, *bezoar*, *ſcorzonera*, Cæſalpinus *cap. 15.*

Lac Coagulatum.

Lac coagulatum, i. e. quod intus coagulatur, aut ſponte aut accepto coagulo, Sponte quidem, ſi lac craſſius fuerit; ut bubulum, vaccinum aut quodcunque præcalfactum bibatur, priuſquam coaguletur, nam refrigeſcens coagulatur ſeparato ſero, Ex diuturna quoque mora in ventriculo aut coagulatur, aut corrumpitur.

Ad *concretionem* inſequitur uno impetu frequens ſtrangulatio; addit *Avicenna*, ſudorem frigidum, ſyncopen, & febrem rigoris; frigus corporis, pulſum parvum, comitatur aliquando ventris inflatio; Ad *corruptionem* autem pulſus afflictatio, qualis ex affectu oris ventriculi.

Remedia lactis congelati, eadem quæ *ſanguinis taurini*, Non vomitio, ſed evacuatio per clyſteres; Diſſolutio concreti lactis privatim fit ex *coagulo cum aceto*: Inquit *Aetius* proprium coaguli eſt recens lac coagulare, coagulatum autem diſſolvere, præcipue *leporinum*: Oppoſito modo *ſal* recens lacti impoſitum tuetur à congelatione, coagulatum autem magis addenſat in caſeum, ideo fugiendum, *Dioſcor. Calaminth. folia arida & ſuccus*; *laſerpitium ex poſca*, *thymum ex vino*, *lixivia lutoſa*, i. e. *cum ſuo cinere*; *Avicenna* intelligit cum iterato cinerem aſſumpſit ex ligno fici.

Ad *lactis corruptionem* vomitus, deinde vinum purum bibat cum *diatrion. pip.* ventriculus fovendus ex *oleo nardino.* Cæſalpinus *cap. 17.*

Fel canis marini infert ſymptomata fellis Leopardi, *S. Ratray.*

Sanies viperina mixta cum ſanguine humano, toxi, cum eſt hominibus lethale. *Sylv. Ratray.*

Qui veſtibus & lana ſcabioſorum animalium, licet tincta & præparata, utitur, ſcabioſus evadit: *Sylv. Ratray.*

Scarabæi cornuti oleo ſubacti & appoſiti carpis continuo febrem ardentem inducunt. *Sylv. Ratray.*

Medulla arietis memoriam labefactat.

Ferino ſanguine epoto, ferini mores induuntur, ut lupi, canis, felis, Leonis, Tigris, &c. Item carnes eorum ſæpe comeſtæ.

Caro porcina in Palæſtina & Ægypto lepram generat.

CAP. XXXVIII.

[1.] DE MORBIS PUERORUM.

De Morbis Capitis.

POteramus jam ſubſiſtere, & opuſculum concludere, niſi [2.] *Puerorum* [3.] *morbi*, [4.] in quibus nonnulla ſingularia occurrunt feciſſent. De illis itaque in hoc libro ultimo, tanquam appendice, breviſſimè dicemus; [5.] eoſque in morbos *Capitis*, *Medii* & *Infimi ventris* dividemus.

[1] *De Morbis Puerorum.*

Præfatio.

Si quis alius certe *Helmont* de tenera Infantium valetudine eſt ſolicitus, dum nutritionem eorum non ſolum ad vitam ſanam, quin potius ad vitam longam inſtituendam docet: Merito ſane, ſiquidem mutabilis iſta & inſtabilis vitæ noſtræ conditio, utut communis ſit omnibus hominibus, inprimis tamen Infantibus propria magis eſſe videtur; quatenus ſub tenera eorum conſtitutione, minuſque valida viſcerum ſtructura, & fermentorum (ſpeciatim iſtius quæ primæ, ceu fundamentali inſervit digeſtioni) nondum ſufficienter exaltato vigore, quoſcunque ſub nutritione commiſſos errores graviter luunt, indeque fœcunda morborum ſuſcipiunt ſemina, quæ per totum ſubinde vitæ curſum pernitioſos fructus progerminare ſolent: ut enim ſub pubertatis tempore genitalis vigor, fermenti ad inſtar ſingularis, ſanguineæ maſſæ inſpiratus, ſpirituoſiorem in ſanguine excitans fermentationem, & fermenta viſcerum reliqua exaltans, contractas ſub nutritione infantili labes ſubinde auſpicato corrigat, & quaſi abſtergat; ob id namque ſecundum *Hippocratem ſ. 5. aphor. 7. Epilepſia quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit.* Nihilominus hæc ipſa ſuperveniens alteratio ad *vitam ſanam* ſuo modo conferens, ad *longam* tamen reddendam hanc ipſam inefficax & languida plane deprehenditur, Determinatur namque univerſaliter. Vita longa aut brevis, ſanaque aut ægra primaria pro *indole ſeminis parentum*, & hinc *ſecundum alimentorum*, & *climatum bonitates*, Ita ut ipſe inevitabilis vitæ terminus divinitus pariter ac naturaliter præfixus videatur, qui ex radicali vitæ ſeminalique primordio, ſecundum cauſarum naturalium inviolabilem legem, quibuſdam brevius imminet, ab aliis longius abeſt, quouſque ſcilicet primordiales in ſemine radicatæ poteſtates vitales ſe extendunt, quem amplificare mediis hactenus quidem cognitis & uſitatis impoſſibile: legitimo cauſarum effectuumque regimine proclive; prævenire ex perverſo earumdem uſu facile poſſumus: Si ergo ad vitam longam pertingere non æque liceat quibuſvis, ſaltem ſanam hanc ipſam pro viribus conſervare annitamur.

Cum vero cauſas inter propter quas tam brevi termino circumſcribitur noſtra vivendi ætas, ſimulque tot morborum ærumnis continuo comitata decurrit, vix graviores inveniantur quam *Parentum plus minus morboſorum character hæreditarius*, & hinc *perverſa puerorum nutritio* ita ut hæc poſterior unicus fere ſit fons ex quo tantum non omnes infantiles morboſæ ærumnæ largiter ſcaturiunt, ac ſubinde toto vitæ curſu pertinaciter ægros affligunt, ob id infantilium affectuum, ex erronea nutritione enaſcentium cauſæ pariter ac præcavendi & curandi rationes inquirendæ. *Etmuller Valetudin. infant. p. 1.*

[2] *Puerorum*) *Hippocr. ſect. 3. aphor. 24. 25. 26. & 27.* per Pueros, non fœtus adhuc in utero exiſtentes intelligit quos quidem παῖδας, παιδάρια καὶ παιδία, Alii verò κυήματα, ἔμβρυα καὶ κύους vocant, ſed illos indigitat qui jam ſunt in lucem editi, eoſque in quatuor claſſes diſtinguit.

In *prima* collocat τοὺς μικροὺς καὶ νεογενέας, parvos & recens natos *aphor. 24. 3.* quos nonnulli βρέφους καὶ νήπια appellant.

In *ſecunda* τῶν περὶ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγοντας, qui ad dentitionis tempus (*Aph. 25. 3.*) acceſſerunt reponit.

In *tertia* τοὺς πρεσβυτέρους, qui jam facti grandiuſculi (*aphoriſ. 26. 3.*

In *quarta* τοὺς ἔτι πρεσβυτέρους καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν, adhuc grandioribus, & ad pubertatem aſpirantibus, ſedem aſſignat *aph. 27. 3.*

Galenus in comm. iſtas puerorum claſſes certis annorum limitibus circumſcribit *primamque* incipit à die natali, eamque ad uſque menſem ſeptimum extendit, *Secundam* à tempore dentitionis inchoat, & illam ad annum uſque quartum protrahit; *Tertiæ* initium facit ab anno quarto, eique finem imponit anno duodecimo *Quartam* numerare incipit ab anno xii. & anno xiv. finit, quo ætas ſecunda, quæ Pubertatis nomine venit, initium capit: Liquet ergo per *Pueros* inaudiri eos qui duobus primis annorum ſeptenariis, hoc eſt in prima ætate conſtituti ſunt, quæ die natal. orditur, & anno ætatis xiv. terminatur. *Sebiſius man. p. 1756.*

[3] *Morbi*) Pueriles morbi nominantur illi qui pueros hiſce duobus ſeptenariis, à prima ſcilicet nativitate uſque ad xiv. ætatis annum affligunt, Suntque duplicis generis; Alii enim ſolis accidunt Pueris, qui vere ac proprie Pueriles dicuntur, ut *dentitio*, & quæ eam ſympromata comitantur, ab *Hippocr. aph. 25. ſ. 3* enumerata, *Hæmorrhagia* item illa, quæ ex *male vinctlo umbilico* provenit, & *phlegmone, quæ illius amputationi* ſupervenire ſolet: Alii aliis quidem etiam ætatibus contingunt, verum cum pueris accidant crebrius & frequentius quam aliis ætatibus, ideo Pueriles dici conſueverunt; ut morbilli & variolæ. *Sebiſius p. 1757.*

[3] *Morbi*) Quæ talium morborum cauſæ ſint *Hipp. lib. de octim. partu* exponit, dupliceſque facit, Pueros enim quædam *in*, Quædam *extra uterum* afficiunt.

In utero afficiuntur Pueri cum partus fit, vertitur namque infans, & ad exitum ſe præparat, Inter exeundum vero comprimitur, quia per anguſtum pudoris clauſtrum illi tranſeundum eſt; minus autem torquetur ſi exeat in caput, quia exitus iſte naturalis eſt, nullaque habet obſtacula; magis vero cum vel in pedes, vel in brachia, vel in dorſum; vel in ventrem nates, alterutrum latus, vel alia aliqua ratione prodit; Sic quippe & matri creat atroces & in ſe multas calamitates patitur, præſertim ſi ſit grandior, aut debilis, ita ut diutius hæreat in illis anguſtiis.

In utero, cum ad lucem properat, chorda, quæ inteſtinorum aliquod repræſentat, & ex involucro vaſiſque umbilicalibus conſtat, collo illius non raro circumvolvitur, adeoque ut ſtrangulationis incurrat periculum.

Extra uterum multas mutationes intra exigui temporis ſpatium infans ſuſtinere cogitur, *Prima*, eaque ſubita & repentina, fit in *reſpiratione*, frigidum enim aerem, cui non aſſueverat, inſpirare tenetur. *Secunda* in *victu*, alebatur enim in utero ſanguine, eoque dulciſſimo & puriſſimo inquit *Hippocr. lib. de Nat. Pu.* idque nullo ventriculi labore (*De nutritione Fœtus in utero ex ipſo Hippocr. & Neotericorum mente videbitur inferius*) Editus vero in lucem cibum plane novum & inconſuetum aſſumit, Lac, Pultem, &c. eaque ſæpe non probæ conditionis. *Tertia*, in regione, ſeu *loco in* quo degit; cũ enim adhuc habitaret in utero materno, loco fruebatur tepido, molli ſuæque naturæ congruenti; Poſt partum vero derepente exponitur aeri frigido, quæ ſubita mutatio non poteſt non eſſe periculoſa. *Quarta in veſtimẽtis*, Indutus prius fuerat, *inquit Hippocr.* & carnibus & humoribus, iiſque tepidis, humidis, mollib⁹, atq; cognatis, Excluſus vero in lucem linteaminibus, ſiccis, duris aſperiuſculis, undiq; involvitur, vincitur, conſtringitur.

Nos cauſas has admittimus, addimus tamen & alias, quæ ſimiliter vel in vel extra uterum in infantes agere ſolent.

I. Eſt vitioſum parentum ſemen, ex quo morbi ſcaturiunt hæreditarii.

II. Error facultatis plaſticæ quæ ſuo in opere turbatur, vel propter ſeminalis materiæ copiam, vel ejuſdem penuriam, vel propter pravam & corruptam qualitatem.

III. Impu-

III. Impurus vitioſuſque matris ſanguis, vel à viſcerum morboſa conſtitutione, vel improba victus ratione, geſtationis tempore.

IV. Matris uterum gerentis ictus, caſus, terror ſubitaneus, valida impreſſio, ſeu imaginatio, ſaltus, motus, violenti animi pathemata gravia &c.

V. Difficilis & laborioſus partus, qui talis eſſe ſolet, vel ex parte matris, vel infantis, vel ſecundinæ, vel ob cauſas externas.

Quæ extra uterum puerulos lædunt morboſque invehunt, itidem multiplices ſunt.

I. Abſciſſio umbilici, quam interdum dolores & inflammationes conſequuntur.

II. Ejuſdem ligatura vel laxa nimis, vel nulla, (*vel arctior.*)

III Lac matris vel nutricis vitioſum.

IV. Reliquiæ ſanguinis materni impuræ, quæ juxta *Arabes* Variolas & Morbillos cauſantur.

V. Humiditas cerebri, unde cruſta lactea, achores, hydrocephalus &c.

VI. Dentitio, quæ juxta *Hippocr. aph. 25. 3.* multa mala inducit.

VII. Clamores, qui ſi ſint crebri, diuturni, & vehementes, herniam &c. producunt.

VIII. Vrinæ & ſudoris acrimonia, intertriginis variis in partibus cauſa.

IX. Magnus in egeſtione fæcum induratarum conatus, qui prolapſum ani & herniam facit.

X. Negligentia & imperitia Obſtetricum, Nutricum, & Curatricum, quæ non raro naturali partium figuræ plurimum nocent; ſunt namque Infantum corpora tenella, laxa & mollia, imo & oſſa eorum quaſi cerea & caſei recens coagulati in modum flexibilia, ait *Galenus l. 2. de Temp. c. 2.*

XI. Nutricum intemperantia & laſcivia.

XII. Puerorum, grandiuſculorum inprimis, voracitas.

XIII. Victus infantibus conſuetus, lac & lacticinia, quæ non ſunt ſemper proba & ſalubria. *Sebiſius p. 1759. ad 1762.*

4. *In quibus nonnulla ſingularia*) Ejuſmodi affectus, quanquam ſint communes, tamen certo modo etiam proprii appellari queunt, Nimirum non ratione naturæ atque eſſentiæ, quæ in omnibus ætatibus eſt eadem, ſed Vel ratione *cauſarum*, quæ in pueris utplurimum ſunt peculiares, Vel ratione *victus*, quem pueri, præſertim parvuli admodum, ſibi habent proprium, Vel ratione *Curationis*, quoniam delicatula hæc ætas alia requirit pharmaca quam adulta; ferre enim nequit omnia quibus tractatur illa *Sebiſius* p. 1756.

Puerorum curam ſuſcipientes tanto diligentiores in eorum morbis nos præſtemus, quanto minus certos de ſuarum affectionum idea reddere nos ſolent, Imo cum pueris, tanquam mutis ægris nos rem habere exiſtimemus, ut quoniam ex relatione, quæ tamen in dignoſcendis morbis plurimi facienda eſt, nihil certi, nihilque pēſi habemus, aliis conjecturis, ſignis & ſymptomatum obſervationibus nitamur, alioqui puerorum ſalus valde periclitatur. *Ballonius Conſ. 74. lib. 1.*

5. *Eoſq; in morbos &c. dividemus*) Diſtinguuntur morbi Infantium ac Puerorũ, ratione *Situs*, in *Internos*, qui foris non ſũt conſpicui, & *Externos* qui in corporis ſuperficie cernuntur.

Ratione *Subjecti*, in *Vniverſales*, qui totum corpus, aut ejus maximam partem occupant, & *Particulares* qui unam duntaxat partem obſident.

Ratione *Ætatis*, in tales qui *vel recens natos*, vel ad *dentitionis tempus progreſſos*, vel *grandiuſculos*, qui inter dentientes & ad pubertatem accedentes ſunt medii, vel *pubertati vicinos* infeſtant.

Externi univerſales ſunt Variolæ, morbilli, ſcabies, pruritus, impetigo, macies, maculæ volaticæ.

Interni univerſales ſunt febres.

Externi particulares in omnibus pene corporis partibus externis obſervantur, V. g.

In capite, hydrocephalus, capitis & faciei inflatio, ſiriaſis, tinea, cruſta lactea, achores, favi, phthiriaſis.

In Oculos ſtrabiſmus.

In auribus, otalgia, phlegmone, humiditas, intertrigo, vermes, parotis.

In labiis, fiſſuræ & labia leporina.

In *naribus* hæmorrhagiæ.

In *partibus muſculoſis*, præſertim *dorſo*, Dracunculi.

In *umbilico* prominentia, phlegmone, hæmorrhagia, humiditas.

In *collo, axillis, inguinibus, ſcroto, plicis femorum, perinæo*, impetigo. In *inguinibus* etiam tumores varii.

In *ſcroto hernia* inteſtinalis, omentalis, aquoſa, flatulenta, carnoſa, Varicoſa.

In *ano* prolapſus, pruritus, qui ſæpe ab aſcaridibus; clauſura.

In *artubus* paralyſis, convulſio, In *manibus* etiam verrucæ.

Interni particulares ſimiliter etiam ſecundum partes affectas deſtribuuntur.

In *capite* catarrhi, coryza, vigiliæ, epilepſia, crebra ſternutatio.

In *ore*, aphthæ, & veſiculæ linguæ, palati & gingivarum; ulceratio & relaxatio columellæ, gingivarum pruritus, dentitio, ranula, linguæ ligatura, odontalgia, mutitas, balbuties, hæſitantia.

In *collo*, ſtrumæ, tonſillarum tumor & phlegmone.

In *thorace & pulmone*, tuſſis & aſthma.

In *corde*, terror ſive pavor; potiſſimum tẽpore ſomni.

In *imo ventre*, vomitio, nauſea, ſingultus, tormina, diarrhœa, dyſenteria, teneſmus, ani conſtipatio, ventris inflatio, vermes, calculus veſicæ, dyſuria, iſchuria, urinæ incontinentia & ardor.

Pleroſq; horum affectuum, quod pueris cũ adultis ſunt communes, ſilentio involvemus. *Sebiſius p. 1763.*

Origo morborum Infantilium.

Non abſque ratione miratus *Harveus de Gen. anim.* Exerc. de Partu, p. 501. *qui fiat quod fœtus non tantum ultimis geſtationis menſibus in utero, ſed etiam tandem extra uterum dum membranis adhuc integris eſt opertus, & etiamnum in aqua ſua manens, per aliquas horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit, idem tamen ſecundinis exutus ſi ſemel aërem intra pulmones attraxerit, poſtea ne momentum quidem temporis abſque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur.*

Aſt æque, ſi non magis mirabile videri poſſit, quod fœtus ex tam ſubitanea, adeoque apparenter periculoſa mutatione, quam ſubit ſimul atque ex clauſtris vapidis uteri materni in liberum apertumque irrumpit aërem ac ſtatim graviter & fere lethaliter ægrotet; quidni enim loci frigidi cum calido, humidi anxioſique æſtuarii cum aura ſicca patulaque permutatio, & ab aere in pulmones primo irrumpente, & inde ſuccedente reciproco reſpirationis negotio, maxima in ſanguine facta mutatio totius corporis ſenſibiliſſimam inducat alterationem? Tantam ſane quantam poſt primam hanc inſpirationem, uſque ad ultimam expirationem per totum vitæ curſum, vix perferre videtur animal; Hæc ipſa tamen, quam tunc ſuſcipiunt, corporis mutatio infantes non ad ejus deſtructionem ſed perfectionem potius tendit.

Plus ſane in receceſſu habet operoſum reſpirationis organum, quã ut vel fuliginum exploſioni, vel ſãguinis ſimpliciter refrigerationi vel huj⁹ ſaltẽ circulationi, vel

ſane formationi inſerviat, modo attendamus mirabilem aeris naturam & effectus, ſimulque nexum reſpirationis cum vita, ita ut quamdiu extra uterum vivimus tamdiu etiam neceſſario reſpiremus & contra, Scilicet ad ſanguinis perfectionem & ſpiritualcentiam vitalem primario tendit hic Aeris ſuctus, ita ut hujus medio attenuetur & reſolvatur ſanguis in pulmonibus, & in primis ſulphur ejus hoc modo quodammodo reſolvatur & volatilizetur, quo ſub aucta fermentatione in corde cum ſalibus ſanguinis volatilibus coeat in Gas ſpirituoſum volatile, ſeu ſpiritus vitales, calidos & pol aliter lucidos, ac ita ſanguis quaſi accendatur.

Quod cum rite fiat primitus in fœtu, dum utero materno egreditur, non poteſt non ex debita perfectione, ſanguini tunc primitus inducta, ideoque ejus majori ſpiritualcentia, & intenſiori incaleſcentia ex aucta ejuſdem fermentatione, cum rapidiori per omnes meatus circulo & uberiori ſpirituum animalium proventu, indeque organorum corporis quorumcumque ad motum ſingulari niſu, fœtus quaſi noviter aut proprie animatus reddi, & vita animali perfecta dotari, qui antea in uteri materni clauſtris ſaltem plantæ cujuſdam, aut zoophyti vitam egiſſe videtur.

Occultum nempe vitę cibum in aere contineri ſublimiorum naturę ſcrutatorum communis fert ſententia, idque ratione Salis ſui, ut ſic dicam, intrabilis, quæcunque penetrantis, reſolventis & volatilizantis, atque univerſalis quaſi ſolventis, Vnde tanta reſpirationis ad vitam emergit neceſſitas, ut quæcunque animalia ſimul atque ex ovis eruperint, aeris perneceſſario victu nunquam carere poſſint, ipſis etiam inſectis eodem indigentibus, non ſecus ac piſces, aquarum licet incolæ.

Monitum fuit ſupra ſpiritualcentia majori ſanguinis ab inſpirato aere promota, indeque ſpirituum vitalium & animalium concitatiori impetu, in organis quibuſvis, inſignem ad motus niſum excitati; Exinde namque originem ducit quod fœtus recens editus, non tantum artus valide moveat, & vibret, adeoque digitos varie inflectat, ſed quod in ſpecie urinam brevi poſt per urethram emittat; crebriori vomitu cruditates ſtomachi ejiciat, & alvi tecrementa varia protrudat; quæ ipſa nunquam naturaliter in utero extruduntur, adeo ut certum ſignum fœtus in partu ex labore & nimio conatu mortui referatur *Velſchio de Aegagrop.* Diſſ. 2. pag. 61. ſi meconium, antequam fœtus prodierit emittatur, utut contrarium huic aſſerto exemplum reperiatur apud *Rulandum Cur. Emp p 300 ſeu Cent 3. Cur. 60.* Sternutare etiam interdum fœtus recens excluſus obſervatur, dum ex narium membrana irritata, nervis intercoſtalibus per conſenſum connexionis affectis, etiam convulſiva partium cui inſeruntur ſequatur commotio & concuſſio; Hæc ipſa tamen omnia cum opera potius ſint naturæ quam morboſa ſymptomata propius ad affectus p. n. accedamus.

Cauſas Ergo generales dum evolvimus affectuum infantilium, ſupra enarratorum p. n. duæ principaliores ſe offerunt, unde omnes ſupra memorati affectus primam nanciſcantur, (excluſo tamen ſemper vel vitio parentum hæreditario, vel aliunde hauſto fermento contagioſo) originem, nempe *Obſtinata retentio excernendorum*, & perverſa *ingeſtio nutriendorum*, Ibi quidem eminet fæcum primatum viarum, & in ſpecie *Meconii ſuppreſſio*, & hinc *inſenſibilis tranſpirationis occluſio*: hic vero primario ſe offerunt *Vitia Lactis* & *Errata Pultis*, De his omnibus ſigillatim in ſequentibus.

Detectis ita remotioribus cauſarum morbificarum fontibus dum exactius, nocendi rationem proximam, ſeu rationem cauſandi inquirimus, perſpicuum evadit, *ſuccum vitioſe acidum*, nunc viſcidum, nunc aqueo ſeroſum, defectu *primæ digeſtionis in ventriculo*, ejuſque *inteſtino duodeno perfectionis*, adeoque ex cruditate acida coacervatum eſſe cauſam proximam & radicem ex qua tot morbi infantiles frequentiſſime propullulare ſolent: Hunc ſeu Galenicorum pituitam acidam, ſeu Paracelſiſtarum ſal acidum, ſeu tartarum fecalem appellare velis, mihi perinde eſt; ſimus namque in verbis faciles, dummodo in rebus conveniamus: Faciliime ſcilicet Lac, ſeu ſanum ſeu alteratum in ſtomacho tepido p. n. aceſcit; idque eo magis quo copioſius aut inordinatius ingeritur, hinc ſpiſſeſcit, & facta per coagulum ſeri à contentis ſeparatione, caſei cum butyro pernitioſus grumus nunc in ſtomacho, nunc in inteſtinis ſubſidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret; Conferente ſymbolum pulte farinacea, cruda & viſcida, facile aceſcibili, una cum retento, & plus minus corrupto meconio, unde ex conditione loci, hoc eſt ſtomachi calidi, & ratione contentorum recrementorum, uti & ingeſtorum lacteorum & pulta eorum intenſus acor neceſſario & de facili oritur, qui nunc materia viſcida irretitus in primis viis ludit tragœdias, nunc vehiculo aqueo ſeroſo & lymphatico ulterius diſtributus etiam aliis & remotis in locis, mille malorum evadit artifex: Clara hæc evadunt ſponte & ex ſuperioribus, *& dictis de vitiis lactis & pultis*, ſimul obſervando *pleraque infantum mala per remedia acidum deſtruentia, de alkalium tum volatilium quam fixorum proſapia*, uti & per *aromatica ſalia volatilia oleoſa optime percurari.*

Quæ tamen ita intelligenda ſunt, non quaſi alia nulla in corpore tenello ſint errata quam quæ ex dicto acido oriuntur, ubique enim excipiendi ſunt hæreditarii morbi, uti & à lactantibus tranſplantata morborum ſeminaria; aut alioſum hauſta contagia; præterea mille larvas induit Lac ſub ſui corruptela, mille inde nocendi artes, non tantum dum adhuc in mammis turget, ſed in ſpecie dum infantis in ſtomacho corrumpitur, hinc in inteſtinis tam à bile quam ſucco pancreatico alteratur, ſubinde à reſtitante meconio ſimilibuſque excernendis inquinatur, quin & propria ſponte, de facili corrumpitur, unde diverſimode dulceſcit, amareſcit, colliqueſcit, virideſcit, liveſcit, putreſcit, vermineſcit, aliaſque quamplures peregrinas adſciſcit ſibi qualitates, nam & jam in tenellis ſexcenta, ſeu potius *infinita Hippocratea*, de quibus *Auctor l. de Priſca med.* locum inveniunt, unde tam in abdominis viſceribus, quam maſſa ſanguinea, & inde derivatis reliquis contentis liquoribus activis quamplurima p. n. nocumenta præſto adſunt, utut ea quæ ex cruditate acida veniunt ſint frequentiſſima, quia talis corruptela eſt familiariſſima.

Paradoxon equidem videri poſſit, qui in ſemilacteis infantibus, adeoque dulci rore ubique perfuſis, ex lacte dulci primitus concretis, & eodem cum pulte inſipido dulci enutritis, acor adeo nocivus & ſubinde intenſus oriri poſſit, à quo tam tetra ſuperveniant ſymptomata, Sed clarius redditur facile totum negotium, modo aſpiciantur aſſumpta tam matris utero geſtantis quam nutricis lactantis, Hæ ipſæ enim præter manifeſta acida, quæ ex dictamine appetitus hauriunt, veſcuntur ſaltem pane & bibunt cerevitias.

Panis omnis, in ſpecie *ſecalinus*, continet in ſe ſpiritum intenſe acidum, volatilem tamen, adeoque in ſe ſaluberrimum, duriora tamen etiam corpora, v. g. coralia, ferrum, vitrum veneris aliaque rodentem, qui cum aliis aſſumptis lacti ſimul materiam præbet; utut autem acor hic ipſe, partim ſub ſtomachi digeſtione, partim bilis alkalinæ in jejuno permiſtione alteretur plus minus in ſalſum volatile, ſicque occultetur, nihilominus facile data occaſione denuo ſe exſerit & operatur; hinc enim tam facilis lactis aceſcentia, &

aſſumpta

aſſumpta acida matri ac nutriei innocua, tamen infantibus per lac, revera ad guſtum dulce, ſunt torminoſa, & vel maxime hoſtilia.

Cereviſia vero quæcunque facillimæ eſt aceſcentiæ, cum modica lupuli pinguis aromatica conditura non ſufficiat, quum tandem aceſcat; ut taceam vel cereviſiam novellam, à fecibus nondum ſufficienter depuratam, fermentando in ſtomacho facillime aceſcentem, aut cereviſiam inveteratam, jam nonnihil acidulam à nutricibus ſubinde hauſtam.

De cætero his ipſis vix ulla eſt cura, quantum ſua aſſumpta fœtum aut infantem afficiant, utut earum delicta, diu poſt demum luant infantes, idque data qualibet occaſione, utplurimum per epilepſiam.

Quid *fructus horæos* memorem, efferviſcibiles facillime, *acetaria* & ſimilia, gravidis pariter ac lactantibus, cita reflexione in fœtum familiariſſima: Adeo ut *Acidum* ſit quod morborum infantilium frequentiſſimus eſt auctor, ſicut ſubjectum eſt *viſcidum*, eos contumaces ſubinde reddit, aut crebrius recidivantes, vehiculum vero aquoſum etiam in remotioribus locis, & extrema corporis peripheria eoſdem propullulare facit. *Etmuller. Valetud. Infant.* c. 2. §. 1. 3. 4. 18. 19. 20.

Curatio generalis morborum Infantilium.

Facile quidem imperantur quæ tantum non impoſſibilia ſunt, ut obſerventur, idque tam à matre quam à nutrice: Nec poterit tam rigoroſum regimen inſtitui quin tandem *Succus acidus* copioſior vel parcior, acidior vel temperatior, viſcidior vel ſeroſior colligatur interdum, unde morbi Infantiles plerique ſucceſſive propullulant.

In genere ergo pro cura horum remedia talia conveniunt, quę Acidum deſtruere, viſcidum incidere, & attenuare, utrumque pro ratione occaſionis evacuare valent, adeoque mox à nativitate propinanda ſunt, & ſubinde repetenda remedia temperata, his indicationibus ſatisfacientia.

Quæ inter facile patet nil æque præſtare quam *Salia volatilia*, in ſpecie *oleoſa*, quæ optime acidum corrigunt, & cum eo ſalſum tertium blandum componunt, diureticum pariter & diaphoreticum; prætereaque penetrando potentiſſime, attenuant & reſolvunt quaſcunque obvias viſciditates; Vnde *ſpir. ſalis armoniaci*, inprimis cũ aromaticis diſtillatus, ſicque factus oleoſus; item *ſpirit. ſalis armon. aniſat.* aut *caryophyll.* & quem mille encomiis extollo pro curandis infantibus, *liquor c.c. ſuccinatus* à D. *Michaelis* primitus in uſum vocatus, & hactenus mille experimentis, multis in caſibus adultorum pariter ac juniorum, utriuſque ſexus comprobatus, pro infantibus curandis ſunt optimi: Paratur modo laudatus Liquor *ex ſpir. c.c.* probe rectificato, & ab oleo empyreumatico depurato, qui affunditur *ſali vol. c. c. & ſali volatili ſuccini* (ab omni oleoſitate empyreumatica crebrioribus cum aqua & ſpiritu vini ſolutionibus & inde ſublimationibus purificato) āā. q.ſ. ut imbibat & ſolvat intime dicta ſalia; quæ miſtura, utut efferveſcat primitus, cum *ſuccini ſal. volat.* acidum ſuaviſſimum admodumq; delicatum cõjunctum habeat, brevi tamen amice coeũt, & digeſtione debita ac cohobatione reiterata, liquorem hunc commendatiſſimum conſtituunt.

Nec eſt quod generoſa nimis. nimiſque graduata putes ſalia volatilia pro infantibus, nam circumſpectus uſus in lacte nutricis, vel in *aqua & ſyrupo menthæ*, *fœniculi &c.* & limitata ad guttulas ſaltem dozis, tenellis pariter ac paulo robuſtioribus infantibus eadem optime accommodare novit: Miratus ſum ſæpius, à quibuſdam vel præconceptis opinionibus excæcatis, vel experientia debita deſtitutis medicis cum pavore quaſi audiri ſalium volatilium mentionem, ſpeciatim pro infantum cura, cum tamen ſub legitimo & circumſpecto uſu, Deorum manus eadem vocanda eſſe exiſtimem: Volatilibus hiſce alkalibus, & fixa per ſpiritum vini temperata in ſolutiones tinctas etiam ſubjungenda erunt, inprimis *Tinctura tartari*, & *Tinctura ſcoriarum reguli antimonii.*

Præter Salia hæc volatilia; acriora vel aromatica, etiam alia ſubjecta aromatica oleoſa, ſuo ſale volatili non deſtituta, in genere infantibus ægris non infructuoſa erant, quæ inter *aniſum* & ejus *ſemen* mire convenit quod ad ℈i. pulveriſ. recens quoque pro levi evacuante commendat *Heurnius meth. ad Pr. l. 2. 26.* Iuxta hæc *caſtoreum* benedicta etiam eſt medicina, temperans mire acidum, auſterum, & convulſivos ſpaſmos quoſcunq; torminoſaq; inde pathemata optime ſiſtens.

Quibus merito annumeratur *myrrha*, omnem corruptivum acorem tollens, & balſamica vi, quamcumque corruptionem putredinalem inhibens, indeque ad vitam longam ab *Helmontio* commendata, *Tr. arcan. Par. p. 616.* *Tinctura* ergo ſalutis D. *Langii* ex *myrrha* cum *ſpir. vini tartari* extracta, loco cujus & *ſpir. ſalis armon. cum ſpirit. vini paratus* pro menſtruo capi poteſt, ſalutare erit pueris remedium, corrigens acidum & reſolvens viſcidum; Facit etiam huc & *elixir proprietatis* abſque acido paratum per alkalia, vel fixa, ut *ſal tartari*; vel volatilia, ut *ſpir. ſalis armon.* hoc ipſum enim à iis qui adhuc lactis gaudent nutrimento mirifice conducit, ſicuti poſt ablactationem, ad quod cum acido conſueto modo conficitur tuto concedi poteſt: His denique ſuo modo *theriacam & mithrid.* annumero, quorum non eſt, ut vel caliditatem, vel narcoſin opiaticam pertimeſcas, modo à gr. ß. ad gr. j. vel ij. pro ratione ætatis propines, quæ & acida vitioſa temperent & inde illatas noxas doloroſas blando ſopore fallant.

Hiſce Acida corrigentibus volatilibus, partim ſalinis, partim oleoſis, adjungenda ſimul erunt: denique concreta quaſi terrea, & fixiora paulo, acidum, quod talia rodit, in ſe abſorbentia, qualia ſunt *oculi 69.* & (his vix nobilioris uſus) *Margar. præpar. corallia, cornu cervi* tam communi modo, quam philoſophice, ut vocant uſtum, ut & *ebur.* ſimili modo tractatum, *lapis bezoart. animalis*, in genere omnes animalium partes oſſeæ, inprimis marinorum ſeu aquatalium, & dentes, quo & *unicornu animale* pertinet, item *dens hippopotami* & ſimilia, ex quibus etiam *Pulvis Marchionis* compoſitus eſſe ſolet ad tormina & epilepſiam Infantum, mulierculis decantatiſſimus. Loco cujus feliciter uſurpari poteſt ſequens.

℞. Ocul. 69. præpar. ʒß. *c.c. ſine igne* ℈i. *corall. rub. præpar.* ℈ß. *myrrhæ el. gr.* vj. *vel* ix. *theriac. gr.* iv. *olei deſt. aniſi gtt.* vj. *m. ſ. f. Pulvis.*

Puerorum affectibus quamplurimis convenientiſſimus, qui ſi acuatur aliquot granis *ſalis volat. c.c.* vel *cranii humani*, vel *viperæ*, erit uſus ejus longe ſalubrior magiſque præſentaneus.

Quomodo Purgandi Infantes.

Temperatus ita, partim reſolutus ſuccus acidus neceſſe interdum eſt ut eliminetur foras, idq; per alvum, inprimis obſtetricante naturæ defectibus arte: Optatam opem hic ferunt *Clyſmata*, cum *ſal. tart.* ſimilive lixiviali acuata, quæ mucum in craſſioribus inteſtinis reſolvunt, optimeque educunt, & ſtimulo reliquis inteſtinulis ita injecto, cætero muco deſcendenti vias patentiores reddunt; Parentur ſaltem ex *decocto flor. chamom.* ℥i. *ad* ℥iß, vel ij. pro ratione ætatis addendo *mellis rutac.* ℥ß *ſalis tart.* ℈ß. *ad* ℈i. *olei deſtill. aniſ gtt.* iii. *vel* iv. quæ injecta feliciter operantur, Vel loco talium enęmatũ *ex lacte dulci* cum *terebinth.* in vitello ovi diſſoluta, miſta clyſmata ſicut admodum egregia, idque ubi doloroſa

abdominis ſimul urgent ſymptomata: Quin & fortius per Clyſmata ubi ſtimulanda alvus, & detergendus mucus, non raro vitreus, etiam talibus ex ſimplici vegetabili decocto paratus, pro fortiori acumine addendus eſt *ſyrupus emeticus à* ℥i. *ad* ℥ii. pro ætatis ratione, aut etiam *infuſum* quoddam *antimoniale*, nomine *aqua ben.* alias cognitum; qualia pertinacioribus in malis, epilepſiam etiam jam minantibus; quæ fere ſemper in infantibus fomitem obtinet in abdomine, convenientiſſima.

Quod ſi neceſſitas incumbat, ex lacte farinaque congeſtum mucum ex ſuperioribus locis potentius eliminare (præter *ſyr. de ſpina cervina* alias laudatum, vel ſolum vel cum *ſyrupo de fumaria* miſtum, qui omnibus palmam præripit) inprimis *jalapæ* pulvis, cum triplo *c. c. uſti* vel ſine igne miſtus, & ad gr. ij. vel iij. & plura, ætatis habita ratione propinatus; elegans eſt laxans, ordinatum à *Ludovico Pharm. p. 19.* non minus quam dimidia, vel unica *pilula aloetica* ab eodem præſcripta; Habitioribus paulo eadem mutata ſaltem dozi conveniunt, non minus quam aliquot grana *Mercur. dulcis*, in ſpecie ubi ablactati fuerint, qui & mucum reſolvit, & præterea quoque verminationi reſiſtit: *Manna* quoque *Calabr.* purior pulti addita, & tenellis propinata, quantitate plus minus aucta, ℥ij. ad ℥ß. pro ſcopi vel ætatis ratione, ſuaviter & blande eoſdem laxare ſolet, Singulare alias pro reſolvenda alvo infantium quid obtinet *muſcerda* nonniſi ſuperflue delicatis horrida, cujus minutarum pilul. n^o. j. vel ij. aut iij. pulveriſatas, & cum lacte vel pulte potius exhibitæ, ad imitationem *Rulandi Theſ. lib. 3.* p. 220. Vel earum viij. aut x. in lacte maceratæ, & per linteum leniter expreſſæ ac propinatæ, egregie laxant infantes.

Non me latet eſſe qui *ſcammonii* uſum præferunt reliquis, (*Sylvius*) & ejus aliquot grana in emulſionis formam admodum commendari, vel ſi ejus gr. i. aut ij. *ſyr. de cichor.* addantur; Sed hæc vix, præterquam in ablactatis & robuſtioribus locum habent, horreo *eſulinam* vel *tithymalinam ſcammonii* virulentiam, adultis & robuſtis gravem, & ſubinde nocivam, tanto minus infantibus tolerabilem.

Novi etiam per nutrices quoſdam purgare velle infantes, quo pertinet aliquomodo quando papillis pulvis quibuſdam laxativus inſpergitur (Panarolus Penr. 5. Obſ. 10.) ſed propter ſummam incertitudinem doſeos, quæ in tali caſu, ad fœtum determinari nequit, adeoque ob metum ne plus debito purgentur tenelli, minus tutum negotium exiſtimo.

Vomitus ſi in puſionibus interdum, in ſpecie in aſthmatis aut ſuffocationis metu provocandus ſit, vel per *radic. ireos Flor.* ad gr. aliquot, vel parum *ſyrupi antimon. emetici* in ſ. q. *aquæ menthæ aut fœnic.* diſſoluti, etiam infantibus tutiſſimi, idque repetitis potius vicibus, idq; tutius quam ſemel pro una dozi, idque periculoſius propinati, ſufficit, ſuadente hoc itidem experto *Ludovico p. 197.* Nam faucium irritatio cum penna oleo intincta, moleſtior eſt, minuſque efficax vomitorium. *Etmuller cap. 3. §. 5. 6. 7. & 8.*

Qua ratione recens natus mundandus à ſordibus & excrementis cutaneis.

Quamprimum ratione ſupradicta compoſitus fuerit infantis umbilicus, curæ debet eſſe Obſtetrici ut mundus fiat ab excrementis quæ illi connaſcuntur, quorum alia ſunt interna, cujuſmodi ſunt *urina* veſica contenta, & *meconium* in inteſtinis: Alia ſunt externa, ſordes videlicet quædam albicantes & pingues, ortæ ab aquarum limo, Quorundam infantium corpori tam denſe inhærent, ut caſeo molli obductum id eſſe videatur, quin & nonnullæ credulæ mulieres arbitrantur illas obortas eſſe quod gravidæ mulieres nimium illius eſui indulſerint.

Porro etiamſi explodi debeat hæc opinio, illa tamen anſam præbuit *Ariſtot. qui l. 7. c. 4. hiſt. Anim.* ait fœtum ſæpe naſci obductum alimentis quæ in graviditate mater uſurpavit: Incruſtatumque naſci muco quodam mucido (per quem forte intelligit albas illas ſordes) ſi octavo menſe mulier coitu uſa fuerit: At etiam tyronibus notum alimenta ad uterum non pervenire, & membranas fœtum obvolventes obſtaculo eſſe (etiam ſi uterus hiaret, id quod nonnunquam octavo menſe accidit) ne ſemen virile & fœmineum ad fœtus uſque corpus deferantur, quo exinde ejuſmodi ſordes prodeant, ſoli aquarum, (intra quas natat fœtus) limo adſcribendas. *Mauriceau cap. 21.*

Infantum corpora ordinario quaſi cruſta, aut lanugine viſcida & glutinoſa obducta eſſe ſolent, ex liquore nutritivo in quo innatant ſucceſſive cutis extimæ regioni adhærente, aqua ipſa inſenſilis habitus effluxus inſigniter impediri ſolet: Retenta talia tranſpirabilia, in maſſa ſanguinea ſi coacerventur, hujus æquabilem turbant fermentationem, & ad febres ordinariè diſponunt; Sin vero ſub poris cutis depoſita hæreant, corruptionem ſubeunt variam, & cum ſalinæ ſimul ſoleant eſſe proſapiæ, & ſalſo ſapore adeoque compoſito, ſint inſignita, plus minus licet, (Vid. *Tachenius Hipp. Ch. p. 78.*) facile acrimoniam intenſam, vel ſalſam ſimpliciter, vel, idque utplurimum, ſalſo acidam contrahent, unde digeſtione particulari, ſeu privata partium ſubcutanearum turbata, cutanei affectus efflorеſcunt, alterato & corrupto ab illis retentis nutrimento earum proximo, & peſſumdato plus minus fermento iſtarum partium digeſtivo, Quæ ipſa eo promptius eveniunt, ſi & ipſum tranſpirabile ex nutrimento minus temperato oriatur, ſive propria culpa tali, dum in ſe ipſo acrius, ſalſius, aut facile aceſcibile, aut alias plus minus vitioſum extiterit, ſive digeſtionis primæ errato, vel non corrigentis nutrimentum minus adæquatum aſſumptum, vel ipſum acore p. n. inquinantis, tale redditum fuerit: Quod ſi vero temperata magis pinguiaque extiterint tranſpirabilia retenta, adeo ut minus in acrimoniam *acido* ſalſo acidam degenerare queant, cohibita tamen, partim propria natura, partim tepore loci humido, in infantibus ſemilacteis ad putredinem ruunt, ex emergente tunc alkali deſtruente acidum, qua occaſione larga animalculorum variorum ſeges ſucceſſive emergere ſolet. *Etmuller valetud. Inf. p. 9.*

Infans ergo ab ejuſmodi ſordibus repurgandus, illum abluendo aqua & vino, leviter excalefactis, omnibus in locis quibus inquinatus apparet; capite præſertim ratione capillorum, in flexuris inguinum & alarum, in ſcroto: quæ partes leniter detergendæ linteolo vel ſpongia molli; hac mixtura madidas, Si ſordes ejuſmodi adeo impactæ hærerent, ut vix elui poſſent, facilius cedent, ſi pauco oleo amygdalino dulci illinantur, aut butyro recenti vino admixto, poſtmodum exſiccando. Aures quoque internæ detergendæ ſunt. ac deobſtruendæ, ope penicillorum, ex linteo molli convolutorum; ut & internæ nares, Oculi autem linteo ſicco abſtergendi ſunt, nequaquam immerſo prædicto vino, ne ab acrimonia dolor excitetur.

Galenus l. 1. c. 10. l. de Tu. valet. egregie refellit morem quarumdam nationum Germanicarum, quibus conſuetum erat immergere omnino infantem in aquam frigidam, atque abluere; ſtatim ac editus erat in lucem, ſpe fretarum fore ut inde fœtui robur conciliaretur, non ſecus ac ferro candenti quando in frigidam demergitur; Demonſtratque pravitatem iſtius moris, eo quod nimia inducatur conſtrictio pororum cutis, adeo ut cutis tranſpiratio ideo impediatur: quare ſatius eſt

prædicto lavacro uti. *Mauriceau ibidem.*

Ad *Inſenſilis tranſpirationis* morboſam in Infantibus occluſionem, cujus quanta in omni vitæ genere & ſtatu ſit neceſſitas, pariter & quantitas, eleganter docuit *Sanctorius* in *Med. ſtatica*, adeo ut corpus noſtrum in continuo fluxu conſtitutum, atmoſphæram certam ubique in ambitu circumfundat: Præ cæteris infantes, cum copioſo ſuſtententur nutrimento, ob id neceſſe eſt copioſe quoque tranſpirent, partim ut nutrimenti tam univerſalis ſeu remoti maſſæ ſanguineæ, quam particularis, ſeu proximi, hinc inde diſtributi puritas, ab omni vel heterogenea vel effœta fæculentia partibus non aſſociabili ſarta tectaque conſervetur, partim ſi quid fæculenti ſub nutritione enatum iſtis commiſtum fuerit, ex partibus ſolidis eliminetur, Iam vero infantum corpora ordinario quaſi cruſta, aut lanugine viſcida & glutinoſa obducta eſſe ſolent, ex liquore nutritivo in quo innatant, ſuceſſive cutis extimæ regioni adhærente, à qua ipſa inſenſilis habitus effluxus inſenſiliter impediri ſolet.

Retenta ergo talia tranſpirabilia in maſſa ſanguinea ſi coacerventur, hujus æquabilem turbant fermentationem & ad febres ordinario diſponunt, ſin vero ſub potis, cutis depoſita hæreant, corruptionem ſubeunt variam; & cum ſalinæ ſimul ſoleant eſſe proſapiæ, & ſalſo ſapores adeoque compoſito ſunt inſignita, plus minus licet (Vide *Tachen. Hippocr. Chym. p. 78.*) facile acrimoniam intenſam, vel ſalſam ſimpliciter, vel idque utplurimum, ſalſo acidum, contrahent; unde digeſtione particulari, ſub privata partium ſubcutanearum turbata, curanei affectus efforeſcunt, alterato & corrupto ab illis retentis nutrimento earum proximo, & peſſundato plus minus fermento iſtarum partium digeſtivo, Quæ ipſa eo promptius eveniunt, ſi & ipſum tranſpirabile, ex nutrimento minus temperato oriatur, ſive propria culpa tali, dum in ſeipſo acrius, ſalſius, aut facile aceſcibile, aut alias plus minus vitioſum extiterit, ſive digeſtionis primæ errato, vel non corrigentis nutrimentum minus adæquatum aſſumptum, vel ipſum acore p. n. inquinantis, tale redditum fuerit; Quod ſi vero temperata magis pinguiaque extiterint tranſpirabilia retenta, adeo ut minus acrimoniam ſalſo acidam degenerare queant, cohibita tamen, partim propria natura, partim tepore loci humido, in infantibus ſemi lacteis ad nutredinem ruunt, ex emergente tunc alkali deſtruente acidum, qua occaſione, larga animalculorum variorum ſeges ſucceſſive emergere ſolet. *Etmuller cap. 3. §. 6. valet. Inf.*

Vt vero *Inſenſibilis* promoveatur *tranſpiratio* ceu alter fons morborum infantilium, auſpicato ſolent mulierculæ recens natos infantulos immergere balneo aquæ dulcis tepido, ut hujus medio abluantur ſordes viſcoſæ, lanuginis inſtar inveſtientes teneram epidermidem, & accedente blanda frictione ita aperiantur & magis patuli reddantur, conniventes alias cutis pori: Non ineptum eſt, quod in more poſitum, ut ſaponis adjumento removeatur hæc ſordium coacervatio, & hujus alkalina lixiviali acrimonia promptius detergantur iſta caſeoſa quaſi concrementa extracutanea; ſicuti ſi reiterantur crebrius iſta balnea, poſtmodum iſti aquæ, qua abluantur, modicum lixivii addere non inconſultum videtur, ut melius tam reſolvantur & detergantur dictæ ſordes, quam hujus alkalini ſalis beneficio præcaveantur mature cutaneæ infantum efforeſcentiæ, ceu quas jam enatas optime tollant talia alkalia.

Reiteranda autem ſæpius eſt hæc Balneatio, quoties ſanitatis infantis, & in ſpecie virium permittit ratio, idque in prima ſeptimana quotidie, reliquis alternis aut tertiis diebus, donec exacte purificatus, glaber, mollis, rubicundus & ubique nitidus appareat fœtus.

Non ratum eſt flavedine quodammodo crocea, adeoque icterica decoloratione tinctos in lucem prodire infantes, quæ extraordinaria tinctura vix dictis Balneis melius detergi penitus, & deleri poterit; quibus ab aliis ſimul ſuccurri ſolet *croci gr.* j. optime triti, lacte nutricis vel alio convenienti liquore exhibiti, & aliquoties in die propinati, quo ipſo dicta cutis defœdatio promptius extingui poteſt. *Idem pag. 36.*

Quid abluto infante deinceps ſit agendum.

Poſtquam à ſordibus ritè repurgatus fuerit infans, & ſanguine in partu prodeunte quo nonnunquam corpus univerſum inquinatum eſt, Examinandæ ſunt cunctæ illius partes, num aliquo vitiò laborent, luxatione aut fractura: An Naſus rite conformatus, Num frænum linguæ liberum ſit, An capiti tumor aliquis ex contuſione inſit, & an cranii oſſa bene compoſita, Num ſcrotum (in maſculo;) tumidum ſit, ac tandem num ulla aliqua injuria corpori ſit illata; Num partes omnes ritè conformatæ.

At cum non ſatis ſit externe corpus infantis repurgaſſe, cavendum præterea ut excrementa intus coercita excernantur; quapropter obſervandum an meatus urinæ & excrementorum alvinorum pateant, nam non ſemel contingit, ut ἄτρητοι fœtus nonnulli nati fuerint, & mortui à retentione excrementorum, quid cautio iſta abfuit: *Mauriceau.*

Regimen infantis recens nati, Et Ratio ſtringendi; ſecandi funem umbilicalem, & umbilicum.

Si Infans interim dum utero geſtatur periti Chirurgi induſtria & manu ſæpe indiget, vel obſtetricis, quò feliciter ex clauſtris quibus tamdiu concluſus latuit; prodeat, non minus illorum adminiculo indiget ſtatim ac in lucem editus eſt; tum ut obviam iri poſſit nonnullis affectibus quos in utero contraxit; tum præcipue ut occurramus pluribus ærumnis quibus ætas tenera, ac corporis conſtitutio obnoxium efficiunt; Qua ratione in partu ad facilem exitum ex utero adjuvandus ſit ſuo loco oſtenſum, ſupereſt jam oſtendamus ea quæ peragenda ſunt cum uteri latebras evaſit. Eapropter primo demonſtrandum qua ratione abſcindendus ſit funis umbilicalis, colligandus & conſtringendus.

Quamprimum Infans uterum egreſſus eſt, quædam Obſtetrices funem umbilicalem ligant & reſecant, priuſquam ſecundinæ excluſæ ſint, at ſemper (modo nihil obſtiterit parvaque interpoſita mora) differendum, quouſque ſecundinæ excluſæ fuerint; uterus enim, qui ſemper hiat à partu periculum incurrit refrigerationis ab aëre externo, interim dum tempus elabitur in conſtrictione umbilici; adde quod orificio tantillum occluſo, metus eſt ne mulier ægre liberetur.

Ligaturam convenienter ſic inſtituet obſtetrix; protinus ac excluſus eſt fœtus, appoſite linteo occludat oſtium uteri, poſt infantem una cum ſecundinis ad focum adducat, mollibus involutum linteis; ſumat filum cannabinum ter quaterve duplicatum, longitudinis circiter quadrantis ulnæ, cum ſimplici nodo in unoquoque extremo, ne invicem implicentur, dum fit ligatura; hoc filo inſtructa (quod ante partum in parato habere debet, ut & forfices acutos, ne quod pereat temporis) conſtringat funem umbilicalem ad pollicis unius à ventre diſtantiam, duplici nodo ſtatim facto, deinde convoluto utroque fili extremo verſus latus oppoſitum priorum nodorum, idem iterum factura eſt; eandem rem, ſi opus fuerit, iterans ad majorem ſecuritatem, Poſtea umbilicum reſecet pollicis iterum diſtantia à ligatura facta, verſus umbilicum, adeo ut de fune ſuperſit ſolummodo longitudo duorum pollicum, in quorum intermedio ligatura facta eſt,

quæ adeo arcta eſſe debet, ut ne guttula ſanguinis vaſa prætерfluat; neque tamen adeo ſtringi debet, ut à filo propemodum reſecetur: eapropter filum craſſitudine aliqua donatum eſſe debet, mediocri facta conſtrictione in exceſſu tamen potius peccando, ſi quidem non raro contigit infantes quoſdam privatos fuiſſe, univerſo effuſo ſanguine per incuriam à perperam conſtricto umbilico, ne porro ſimile infortunium accidat, reſectione facta ſedulo obſervandum, num aliquis exſudet cruor, quo in caſu, novis nodis adſtringendus erit umbilicus, ad id uſurpato ſuperſtite filo, quod eapropter longiuſculum eſſe debuit: Qua re peracta eminens umbilici extremitas ſic ligati & reſecti, tenui linteo ſicco bis vel ter revoluto obvolvenda, vel ſi placet, *oleo roſaceo* immerſo; Demum appoſito alio linteo duplicato ventri infantis, verſus partem ſuperiorem, eo reflectendus & collocandus umbilicus, uti dictum obvolutus, ne nudum ventrem contingat, cui iterum ſuperimponendus tenuis pulvillus; alio iterum ſuperimpoſito linteo convoluto, quatuor digitorum lato, ne huc illucve vacillet, adeoque à continuis ventris motibus forte excidat, priuſquam vaſa omnino coaluerint.

Hoc diligenter notandum, ut extrema funis umbilicalis, ſicuti dictum, parti ventris ſuperiori incumbant, ut ſi forte vaſa laxius conſtricta eſſent, minor ſanguinis copia effluat quam ſi deorſum vergeret; nonnunquam enim accidit funem iſtum in quibuſdam infantibus adeo craſſum eſſe, ut etiamſi prima vice arcte conſtrictum ſit, nihilominus poſtmodum idem flacceſcens & reſiccatum, laxior evadat poſtmodum ligatura, adeo ut nihilominus ſanguis effluat, niſi cautio adhibita fuerit.

Vmbilicus ea ratione ligatus in dies ſicceſcit, ac juxta ventrem abſcedit, utplurimum exacto ſeptiduo aut octiduo, imo aliquando citius, rarius poſt octavum aut nonum diem; Permittendumque ut ſponte decidat, nullo adhibito irritamento, ne citiori juſto facta ſeparatione, & ante perfectam vaſorum conſolidationem, ſuccedat periculoſa hæmorrhagia; vel ulcus ægre ſanabile.

Neque prætermittenda hic res ſummi momenti, propter quam nonnunquam ex improviſo moriuntur infantes, cauſa fere ignorata, ab errore Obſtetricum profecta; quæ priuſquam umbilicum filo ſtringant, quicunque ſanguis vaſis iſtius funis ineſt, illum in ventrem infantis compellunt, rati hoc modo robur conciliari fœtui ſi forte debilis fuerit: ſecus enim accidit, ſtatim enim ac vel tantillum ejuſmodi vaſa refrixere, ſanguis in iis contentus frigeſcit, ſpiritibus exuitur, ac fere coagulatur eo momento, quapropter is in hepar infantis repulſus, gravia inferre valet accidentia, non tam præ copia, quam quod calore nativo deſtitutus citiſſime in corruptionem abit, tunc proximum in corruptionem adducit, cui commiſcetur: Id obſervare ſolent, inquam, ſi fœtus debilis fuerit, ſed contra eo citius ſuffocantur.

Quamobrem quocunque in ſtatu verſetur infans, ſive robuſto ſive debili, ſedulo cavendum (niſi in diſcrimen vitæ adduci debeat, aut gravium ſymptomatum oppreſſionum dolorum abdominis &c.) ne intro in viſcera adigatur is ſanguis qui intra vaſa umbilici fuit; Hoc apparatu circa umbilicum præmiſſo, totum fœtus corpus mundandum & abluendum eſt. *Mauriceau de morbis Puerp. & recens natorum l. 3. cap. xx.*

Infantem faſciandi, involvendi &c. ratio.

Statim ac ab Obſtetrice elotus & ablutus fuerit infans, obſervatæque cunctæ illius partes fuerint, faſciis & linteis ipſum involvere debet, initio ducto à capite cui levis ex linteo calantica imponi debet, ſuperimpoſito pileo laneo, admoto prius fontanellæ linteo molli triplicato vel quadruplicato, quatuor digitos lato, quod ne hinc inde decliner, per aciculã calanticæ adnecti debet, ab externa parte affixam, ne infantem compungat, uſui eſt iſtud linteolum, tum in præſervando à frigore, quam ab aliis injuriis, infantis cerebrum, quod hoc in loco oſſe nondum contectum eſt: Aurium ambitum muniet eadem linteolis abſorbendarum ſordium cauſa ibi congeri ſolitarum; Quo facto, iterum aliis linteis pectus muniet, admovendo præterea alia axillis & inguinibus, antequam faſcias ſuperinducat impoſito prius mollibus linteis & calidis: Involutionis ratio hic afferenda non eſt, omnibus quippe notiſſima mulierculis; id ſolum in genere monendum, non nimis arcte linteis ſtringendum eſſe infantem, præſertim ad regionem pectoris & ventriculi, quo reſpiratio illi ſit facilis, cum ad cavendum ne præ nimia compreſſione impellatur ad vomitum lactis exſucti, impedita nimirum ventriculi libera dilatatione ad id concipiendum; unde nonnunquam malum in habitum tranſit, temporis decurſu non levi infantis damno; quæ cautio non levis eſt momenti; brachia & crura obvolvi debent linteis ſubſtratis, directe poſita, quæ demum obvolvenda, ut illo in ſitu contineantur brachia videlicet juxta corporis truncum, femora autem ſibi proxima, particula lintei inſtrati interpoſita, ne à contactu & attritu mutuo incaleſcant; His peractis caput firmandum erit ne mutet, impoſito linteo, quod vulgo vocant *capitellum*, (*la Tétiere*) quod hinc inde linteis obvolventibus adnecti debet; ſuperadditis velaminibus ad calorẽ conciliandum; Prædicta ratione debet faſciis involvi, ut corpuſculo figura erecta & decora concilietur, homini omnium convenientiſſima, & ut ſenſim inducatur conſuetudo pedibus inſiſtendi, alias futurum forte, ut quadrupedum more inceſſurus eſſet, more aliorum animantium. *Mauriceau c. 21.*

De Excrementis Fœtus Internis, ubi de Meconio.

Non ſatis eſt fœtum liberare ab excrementis exterius adhærentibus, cura etiam habenda eſt internorum, quo ea excernantur ſi cohibita fuerint; Vrinam quod attinet, infantes omnes ſtatim ac utero egreſſi ſunt, illam excernunt, tum mares tum fœminæ, præſertim cum foco proximi ignis calorem perſentiunt; nonnunquam & meconium inteſtinorum, ſed paulo ſerius utplurimum: Si fœtus id prima die non excreverit, ne diutius quam par eſt in ventre coërceatur, ventriſque tormina atrocia pariat, ano indendum erit lene ſuppoſitorium ad irritandam alvum; Eam in rem conveniet *amygdalum ſacch. obductum*, illitum pauco *melle* cocto; aut fruſtulum *ſaponis albi butyro recenti obductum*, tum & per os tantillum *ſyrupi capilli veneris* per os exhiberi poterit, aut *roſar.* pauxillo *ol. amygd. dulc.* addito, abſque igne extracto; eodem ipſo oleo abdomen illinendo, vel butyro rec. Hoc indicio deprehendes fœtum univerſum *Meconium* excluſiſſe, cum alvi excreta non amplius erunt nigricantia ſed albicabunt, id quod altero vel tertio die accidere ſolet; deſinente paulatim illa atredine excrementorum, prout nova excrementa generantur ab ingeſto lacte, quæ tunc temporis prioribus commiſcentur.

Quæritur quid ſit iſtud *Meconium*, à quo ejus origo? Excrementum eſt conſiſtentia & colore medullam Caſſiæ referens, in inteſtinorum cavitate contentum cum fœtus naſcitur, Miſſis aliorum opinionibus, meam ingenue proferam. Cenſeo ergo id ortum ducere ex ſanguine ſuperfluo, qui quotidie excernitur, non ſecus ac in aliis, & quavis ætate, mediante canali hepatico, qui procedens ex parte heparis concava, illum dimittit in inteſtinum duodenum, unde gignitur iſtud *Meco-*

Meconium qui postmodum hunc uſum præſtat, ut inteſtina expanſa & aperta teneat, quo poſt natum infantem fungi queant officio: Ut vero appareat rem eo modo ſe habere, ac ſanguinem ſuperfluum continuo per dictum canalem effundi in duodenum, obſervandum nonnullos occurrere, quibus octogenariis nunquam remiſſus eſt ſanguis, nulli unquam hæmorrhagiæ obnoxii, qui nihilominus quotidie excrementum ejuſmodi reddunt, id quod omnibus in confeſſo eſt: Niſi autem ea ratione exitum affectaret, præ nimia copia ſuffocationis mortem cito incurrerent.

Non me latet plurimos objecturos multo veriſimilius eſſe ejuſmodi excretionem accidere per ramos venæ Portæ, toto meſenterii ambitu diffuſos; at quibus perſpectus eſt circularis ſanguinis motus, ii probe ſciunt iſtud naturaliter fieri non poſſe, ac mihi aſſenſum daturos exiſtimo re probe penſitata; Neque ſatis ſententiæ meæ repugnat, objeciſſe, ſi ſæpe redundans ſanguis ea ratione quotidie effunderetur, futuram ut perpetuo cruentæ eſſent dejectiones id enim notum portionem illam ſanguinis ſuperflui (quæ minima eſt comparatione facta ad cætera corporis excrementa ex alimentis orta, quibuſcum commiſcetur) facile ibi loci immutationem coloris ſubire, ab alteratione, & quadam quaſi concoctione ibi peracta, quo fit ut non ita manifeſte animadvertatur in adulto ac in recens nato; in quo cum iſtud meconium cujuſvis miſtionis ſit expers, color in illo manifeſtior, utpote ex ſolo ſanguine genitum, quod ſecretum fuit tanquam inutile ad nutritionem, eoque modo excretum.

Cum porro paucus redundet ſanguis in corpore fœtus, quamdiu uteri incola eſt, ſiquidem ad ſui alimoniam plurimum conſumit, ut & ad incrementum: adde quod jam à matre defæcatum fuit antequam ad illum perveniat, eapropter paucum gignitur meconium toto graviditatis tempore, quod eapropter fœtus non excernit quamdiu eſt in utero, ac ſolum à partu; nam tunc temporis alimentum ore aſſumit, è quibus alia excrementa, eaque plurima reſultant, quorum cauſa meconium prius extruditur: etiamſi vero iſtud in inteſtinis ſubſtiterit toto eo tempore quo in matris utero ſubſtitit, attamen (res mira) longe minor adeſt fœtor quam in recentibus excrementis quæ ex alimento per os aſſumpto redundant poſtquam natus eſt, etiam ſi exiguam in illis moram trahant, & quotidie excernantur.

Præter prædicta excrementa, in fœtu etiam redundat quædam Pituita, aut phlegma viſcidum, in ventriculo ſuperſtes, membranarum ejus ſuperfluitas, quod primis diebus ab ipſo eructatur; Iuvabitur iſta excretio inſtillato in os pauco vino ſaccharato, cujus deſcenſus in ventriculum promovebitur, capite illius paululum elato, bis aut ter in prima die id iterando, ubera nequaquam illi præbendo priuſquam maxima iſtius phlegmatis pars excluſa fuerit, digeſta aut conſumpta à ventriculo, ne lac iſti humori viſcido cōtuſum, in corruptionem trahatur, alias futuram ſi illico lac exhiberetur: Nonnulli oleum *amygd. dulc.* abſque igne elicitum porrigunt, addito pauco *ſaccharo cantri*: Iudæi *butyrum & mel* præbent, unde idem propemodum effectus ſuccedit: at iſtis omnibus vinum præferendum eſt, utpote à quo melius inciditur & detergetur iſtud phlegma, ſuper iſtis prætera concoctionem & digeſtionem promovens: *ſaccharo* expurgationem illius adjuvante, à quo etiam illius acrimonia temperatur: Aſſumpto autem ejuſmodi remedio, quieti infans tradendus eſt, in latus alterutrum inclinatus, quo iſtorum excrementorum per os eductio facilior ſit; ſi enim ſupinus jaceret, metus eſſet ne in ore reſtitantia pars illorum in pectus decumberet, cum ſuffocationis metu, aut alia noxa; *Mauriceau* cap. 21.

Fæces primarum viarum quod attinet, præter ventriculum albicante plus minus, lentaque materia refertum, pituitoſa & flava interdum variegata recrementa inteſtina tenuia occupant, ſic ut in craſſioribus inteſtina duriora, craſſiora & quaſi picea, ex viridi nigreſcentia, papaverculum, ſeu meconium, quibuſdam appellata, (utut *Meconii* vox generaliter *Hippocr. de V. Ac.* quod *primum natis excrementum exit denotet*) hoſpitantur, & omnia ex nutrimento per os ſub formatione & nutritione fœtus in utero, hauſto genita ſunt; Hæc ipſa mature ex corpore infantis expurganda ſunt, ne retenta diutius, aut pertinacem alvi obſtructionem inferant, aut lactis nutritivi diſtributionem impediant: aut ſub diſtributione per inteſtinorum gyros, idem corrumpant & æruginoſo vitore tinctum ad corruptionem diſponant, aut inteſtinis pertinaciter adhærendo, & acrimonia acida rodendo tormina crudelia inducant.

Conſtans ſane Practicorum eſt ſententia, frequentiſſimum atrocium torminum, ut & Epilepſiæ eſſe fomitem, fæculentiarum harum diutinam nimis retentionem, & hinc in deterius corruptionem, ſicut & Icterum 3. & 4. die à partu infantibus ſupervenientem imo ipſis interdum connatum, ex harum quiſquiliarum fæce non inepte alii derivant; Ipſa natura provida, ordinaria lege brevi à partu, vomitu pariter & ſeceſſu, hæc ipſa fæculenta quantocyus ex œconomia naturali proſcribit, etiam antequam aliud quid moliatur; præmonſtrans his ipſis viam miniſtro Medico; quid ſub tardiori ejus conatu ipſi faciendum ſit: Præ cæteris.

Meconium male audit, atque ſuo merito, acidum nempe p. n. eſt, quod in ejus receſſu peccat; Cum enim oriatur ex nutrimento fœtus in utero, quaſi lacteo, nihil aliud eſſe videtur quam crudior caſeus à reliqua nutritiva ſubſtantia ſequeſtratus, & quaſi præcipitatus, qui ipſe acorem à ſtomacho ſemel conceptum plus minus retinere ſolet, indeque occurrendo bili in inteſtinis, cum eadem in obſcurum ex nigro vireſcentem colorem coit, & pedetentim mora in inteſtinorum cellulis diuturniori coagulatus formatur, quæ ipſa mutatis mutandis, & reliquis excrementis accommodari poſſunt. *Etmuller valetud. Inf. p. 8.*

Pro *Meconii purgamento* nil æque convenit ac *Coleſtrum* infanti propinatum, uti dictum (*ubi de vitio Lactis nimis nutritivi*) Alimentum namque eſt medicamentoſum, *quod natura in eum finem generavit, ut modice nutriendo, leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies*; ut recte aſſerit *Spigelius Fr. de Format. fœtus c. 3. p. 17.* Quod ſi fieri nequeat ſtudioſe in id incumbendum ut pharmacis nihilominus evacuentur dictæ ſordes: In hunc finem propinare ſolent recens natis *ol. amygd. dulc. r. cum ſacch. albiſſ.* quorum ope lubricatis & abſterſis ſtomacho & inteſtinis, copioſæ impuritates, geſtationis tempore collectæ ejiciuntur, interdum & vomitu auſpicato eliminantur; Vtut ſoli huic oleo fidendum non ſit, cum vel ranceſcendo facillime, infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat: vel non rancidum licet, vix tamen omnia tam exacte eliminet quin ſubinde aliquid ſordium remaneat; Alii in uſu habent *mell. roſat. ſolut.* tantillum propinare, feliciori ſane cum ſucceſſu: Mihi ſemper convenientiſſimum viſum, & uſu compertum fuit, ſi *pulpa paſſular. minor.* cum ana *ſyr. de cichor.* cum *rhabarb.* multa, addito *pulv. corall. rub. prepar.* & *ocul. cancr. præpar.* ää. *horum* ℈i. *vel* ʒß. cum parvo cochleari leniter infundatur, Optato ſic rejiciuntur omnia recrementa, tam per inferiora quam interdum per ſuperiora, & vitioſa *Meconii* aliarumque ſordium aceſcentia, futuro lactis ſuctivi perquam nociva, optime ſimul ſic coercetur: Denique ſyr. *de ſpina cervina* ſeu domeſticus, eſt convenientiſſimum abſtergens ſordium

omnium & laxans infantum: ſpeciatim ſi loco *ſacchari*, cum *melle per* ſe depurato ſub inſolatione confectûs, fuerit; vix unquam fallens, & ſine ullo incommodo evacuans, inprimis cum *pulvere ocul.* ♋ ſi ſubactus fuerit. *Etmuller Val. c. 3. §. 1.*

De debilitate Infantium recens natorum.

Primum accidens cui occurrendum, eſt debilitas plurimorum infantium cum in lucem exeunt; id quod non raro contingit, non quod nativa eorum conſtitutio talis ſit, ſed ratione partus difficilis, vel diutius protracti, quamobrem tantam contraxerunt imbecillitatem, ut nonnunquam à debilitate vix noſcas vivus ſit an mortuus infans, quod nullus in illo animadvertatur membrorum motus; adde quod aliquando tum inſignis livor faciem præſertim occupet, ut de ſuffocatione opinio ſit; nonnunquam accidit ut exactis eo in ſtatu aliquot horis, paulatim ad ſe redeant quaſi de morte ad vitam reſurgerent.

Hoc præjudicio deprehendetur infantem revera non eſſe mortuum (etiam ſi revera non levis primo illo inſtanti ſuſpicio ſit) ſi mater ante partum validum fœtus motum perceperit; ſi magna non præceſſerit hæmorrhagia, & ſi partus dolores non admodum graves fuerint; Res vero extra omnem dubitationis aleam fuerit, etiam ſi nullam emittat vocem, neque ullum edat motum, ſi admota pectori manus motum cordis deprehendat, contrectatuſque funis umbilicalis juxta ventrem, arteriarum aliqua obſervetur pulſatio, Tum temporis omnis cura adhibenda ad refocillationem vitium.

Ad auxilii celeritatem, quamprimum excipiendus linteis calidis & ad focum afferendus, obſtetrix autem vinum ore continens pauxillum in os infantis inſtillabit, idque pluribus vicibus ſi neceſſe ſit; ventri quoque admovebit & pectori lintea duplicata vino excalefacto madida; vultum apertum ſervabit ad liberiorem reſpirationem, quam & juvatura eſt os tantiſper diducendo nares exiguis turundis vino quoque immerſis mundabit, quo ejus odore recreetur; ſingulas corporis partes, ad revocationem caloris, excalefaciet, ſanguis enim & ſpiritus, qui univerſi ad interiora confluxerunt ſuffocationis diſcrimen inducunt; ſic paulatim infans, reſumptis viribus, membra motitare incipiet, deinceps quanquam languida voce, gemitus emittet, & ploratus, qui validiores ſucceſſive fient pro ratione reſpirationis facilioris.

Præter hæc præſidia, omnium certiſſima, alia obſtetricibus ſuppetunt, non omnino probanda, non modo quia inutilia, ſed etiam quia infanti admodum noxia, Pleræque cepæ ſegmentum naribus infantis admovent, ratæ vim illi ineſſe vires inſtaurandi; at erroneè, nam ſi infans poſtmodum ad ſe redeat, effectus is nequaquam odori cepæ adſcribendus, ſed potius inſpirato aëri, quo indigebat, Quamobrem multo ſatius eſt illi libertatem inſpirandi aëris puri concedere, nequaquam infecti tetro cepæ odore, qui cerebro noxius eſſe poteſt.

Quædam ſecundinas calentes adhuc ex utero ventri imponunt, quas donec refrixerint, ibi detinent; at poſita caloris ratione juvamen afferre, gravitatis tamen ratione obſunt ventrem comprimendo, ſicque reſpirationem intercipiendo, ſi quid aliud ipſi neceſſarium.

Aliæ eaſdem ſecundinas, nondum ab infante ſeparatas, in ignem conjiciunt; aliæ vino calenti immergunt, fingentes ſibi animo ex dicto vino ſuſcitari vapores, qui per vaſa umbilicalia delati, robur aliquod & vigorem conciliare valent; at cum maſſa iſta carnea, illiuſque vaſa, vita priventur ſtatim ac ex corpore exempta ſunt, nullus ſupereſt illis ſpiritus qui infanti communicari queat: quare ſi iſtiuſmodi in uſum adducenda ſint, fiat id in vulgi gratiam potius quam ſpem infanti illa pro futura.

Hujuſmodi niſi juverint, ſaltem obeſſe nequeunt, at quod ſequitur ſuffocationem ſubitam inferre apta nata ſunt; cum videlicet quædam mulierculæ ſanguinem vaſis umbilicalibus contentum in corpus retrudunt, ſpe ductæ inde roboratum iri infantem, Patronum hujus facti habent *Ariſtotelem cap. 10. lib. 7. hiſt. anim.* at jam alibi à nobis oſtenſum ſanguinem intra hæc vaſa contentum ſpiritibus ſpoliari quamprimum ſecundinæ utero excluſæ ſunt, imo fere concretum: ſic ergo conſtitutus ſi in jecur infantis debilis repulſus fuerit, ibi ſubſiſtit, nullis à ſpiritibus compulſus, quibus omnino caret, tantum ideo abeſt ut novas conciliet vires, quin potius ſuperſtites deſtruat, calorem nativum languidum extinguendo; quare cavendum ab ejuſmodi intruſione ſanguinis: Adde quod in hujuſmodi languores (modo non illum inſignis ante partum hæmorrhagia) nullus ejus eſt in corpore infantis inopia, qui præſertim circa cor redundat; hinc ut potius ad extrema revocandus ſit quam eo loci compellendus, quo ventriculi cordis tantiſper extricati, liberiori motu hoc frui queat, ſicque ſpiritus ad ſingulas corporis partes, illis deſtitutas in debilitate, transferre valeat; Quamobrem, ſiquidem infans ex vaſis umbilicalibus nihil amplius haurire debeat, protinus illorum ligatura inſtituenda.

Nonnunquam etiam Infantes, in partu debiles, ingenitam habent imbecillitatem, ſicuti præcoces, eoq; majorem quo magis à ſtatuto partus tempore, nono videlicet menſe recedunt, Vel ſi parentes valetudinarios aut debiles nacti fuerint: ſimili in caſu medela ardua eſt, neque aliud ſe offert præſidium quam ut ejuſmodi probe alantur ſummaque cura educentur. At raro contingit ut tales diu vitales ſint, quin potius levis ingruens ægritudo illos de medio tollat, *Mauriceau l. 3. cap. 23.*

Regimen infantis recens nati.

Infans in utero materno nullo alio alimento quam ſanguine per vaſa umbilicalia adjecto uſus, in lucem editus indiget nutrimento per os aſſumendo, lac è mammillis exſugendo: Attamen periculum eſt ſi ſtatim natus uberibus admoveatur, ne ſubita & præceps adeo mutatio noceat, tam à diverſitate alimenti quam ratione illud admittendi: Mundandus prius eſt ventriculus ab inhærente pituita, uti ſupradictum, Eapropter ſatius eſt elabi decem aut duodecim horas, aut etiam in poſterum diem differre lactationem, quo locus detur pituitæ illius omnimodæ excluſioni.

Optandum eſſet ut lac proprium maternum exhiberetur poſt elapſum octiduum integrum à partu, imo amplius intervallum requireretur, trium nempe aut quatuor ſeptimanarum, ut ſedati omnium humorum in matris corpore agitatione, à partu inducta; necnon omnibus impuritatibus eductis beneficio lochiorum, lac eo purius evadat; Adde quod, papillarum foramina cum nondum ſufficienter reſerata ſint; Mammæ primis diebus infanti ſugenti vix cedunt, quapropter illo tempore alienis uberibus utatur; At præ inopia non omnibus id conceſſum, quare matres proprio lacte infantes alere tenentur, etiam à primo die; Imo nonnullæ aliena ubera recuſant, quo in caſu neceſſe eſt permittant depleri mammas ab aliquo valide ſugente, puello, aut puella robuſta, vel ipſa materemulgerit uſa inſtrumento vitreo ad id concinnato; poſtmodum porrecta papillam infanti ubi lac fluidius effectum fuerit, alternatim id faciendo donec lac abſque ullo impedimento exſugi poſſit.

Exiſtimant nonnulli Lac noviter fœtæ magis congruum eſſe quam ſi purius foret, ac conferre lubricando ventri,

ventri, expurgandoque inteſtinorum meconio: At tormina ventris inducta ab ejuſmodi fæculento lacte, & excalefacto, majoris ſunt ponderis quam utilitas emergens ab illius potu quare ſatius eſt abſtinere infantem a tali recenti lacte, ſi fieri poſſit.

Tempus ergo idoneum præbendi recens nato ubera, eſt exactus decem aut duodecim horis ab illo edito, ob rationes ante allatas: Impelletur vero ad apprehendendam mammillam (nonnulli enim infantes toto biduo aut triduo recuſant) ſi nutrix lac in os inſtillaverit & labia, quo ejus dulcedine alliciatur, paulatimque aſſueſiat, poſtmodum ſtillantem adhuc mammillam præbeat, quam manu tantillum comprimat cum papilla ori indita fuerit, quo lac facilius influat, & ut infans, adhuc debilis, minori negotio trahat & ſugat, donec paulatim ſugere aſſueſcat.

Si copia lactis adfuerit, toto primo bimeſtri nullum aliud alumno præbeat nutrimentum; Cætera animalia evidenter docent lac ſolum nutritioni ſufficere, ſiquidem illud quinque ſexve, imo pluribus fœtibus ſatis eſt, nullo alio accedente alimento.

Copiam lactis exhibendo quod attinet, proportione illa reſpondeat ætati & viribus; Prioribus diebus & minor præbenda quantitas, & infrequentius; quo ventriculus, nondum coquere aſſuetus, facilius id digerat; deinceps paulatim augebitur & copia & frequentia, Tempus & horam quod ſpectat, nulla eam in rem præfixa eſt, quavis enim diei & noctis hora papillæ præbendæ ſunt ſi appetat, parum qualibet vice, & crebrius, potius quam raro & magna copia ut tenellus ventriculus facilius excipiat & concoquat, nec per vomitum expellat, id quod ſæpenumero accidit, ſi complecti nequeat: E re tamen eſſet infantem ad certas horas determinare, ut ſemel tantum ad ſummum intra bihorium lac ſugat, noctu autem ſolummodo cum ſponte expergiſcitur.

Poſtquam lacte ſolo enutritus fuerit infans ſpatio duorum aut trium menſium, plus aut minus, prout pleniori alimento indigere videbitur, locus erit *Pulti*, paratæ ex farina ſiliginea & lacte vaccino; primis diebus pauxillum ejus præbendo, cavendo à craſſiori, ne ſtomachus gravetur, nondum ejuſmodi alimento aſſuetus. Ut autem coctioni aptior fiat farina, leviter in furno excoqui debet, vaſi fictili impoſita, poſtquam panis exemptus eſt, aliquoties illam verſando ad æqualem exſiccationem, Puls ex ejuſmodi farina confecta, præterquam quod citius excoquitur, vulgari multo præſtantior eſt, quæ gravior eſt, viſcidior, ventriculoque coquenti magis rebellis: quæ enim ex farina cruda paratur, vix capax eſt probæ coctionis, ob conſumptam lactis probiorem partem, ſuperſtite ſolum craſſiori, per diutinam etiam elixationem ſapore & probitate evaneſcentibus; Id quoque obſervandum ut habeatur lac recens emulctum; turget enim quibuſdam ſpiritibus qui ſenſim decedunt, cujuſmodi ſunt ſpiritus aquarum mineralium, cum hæ procul a ſcaturigine abſunt: Ab exhibita eo modo parata Pulte (quæ ſemel in die ſolum danda eſt, mane præſertim, aut bis ad ſummum, tantillum lactis nutrix ſugendum dabit, quo diluta in ventriculo, digeſtio illius procuretur.

Non paucæ mulieres infantibus recens natis, etiam primis diebus, pultem porrigunt: Nutrices pauciferę, id factitare ſolent ejulatus à fame provenientes compeſcendi gratia, at ea ſola illis interficiendis ſatis eſt à ſubſequente cruditate, & obſtructionibus inde genitis; Id enim alimentum conſiſtentia craſſius & viſcidum, vix permeat ventriculum & inteſtina, tunc parum firma nec adhuc ſufficienter expanſa; quamobrem obnoxii fiunt infantes gravibus obſtructionibus & dyſpnϾ, torminibus, doloribus & inflationibus ventris, morte ſæpe ſubſequa, quapropter puls non ante exactum ſaltem bimeſtre offerenda; imo res melius ſuccederet ſi trimeſtre vel quadrimeſtre integrum ante illius uſurpationem, elaberetur, dummodo nutrici lac abunde ſuppetat.

Poſtquam infans lac ſufficienter hauſerit, quieti & ſomno ſe tradat nutrix, non eodem in cubili ne per inadvertentiam inter dormiendum infantem ſuffocet; illi ſuperincumbendo; quæ res exemplis non caret; ſed in cunis deponet, lecto proximis, quibus imponendus arculus, velamento quopiam operiendus, tum ad impediendum ne quid ſordium in faciem incidat, tum ad præpediendum nimium luminis appulſum, Dorſo incumbere debet infans, ita tamen ut caput paulo ſit elatius, ſubſtrato pulvinari; Ad ſomni autem faciliorem provocationem, cunas leniter agitabit nutrix, motuque æquali, vitata vehementiori agitatione, ne impediatur lactis in ventriculo concoctio, inducta illius fluctuatione, concitatoque ſic vomitu; Sed ne nimis aſſueſcat cavendum, non nimis crebro cunas movendo, & ut ſomnus ſponte obrepat, citra illud adminiculum procurando.

Nullum quoque determinatum eſſe debet tempus ad quietem, nam è re eſt ut dormiat quavis diei vel noctis hora, quoties in ſomnum propendebit, ac utplurimum, quo probrior eſt illi valetudo, eo magis ſomno indulget: ſi tamen ſomnus mediocritatis leges excedere videatur, tantiſper moderandus erit, quapropter nutrix ulnis arreptum ad lucem deferat, cantillando, & voce amœna exhilarando, oculis quidpiam lucidum objiciendo, quod oculos oblectet, leviterque commovendo ad ſomni excuſſionem; à nimio enim ſomno calor naturalis adeo ad interiora vergit ut quaſi ſepultus jaceat, quo fit ut totum corpus, præcipue cerebrum, adeo refrigeſcat, ut ſenſus omnes hebeſcant, functioneſque omnes langueant & deterius obeantur.

In Cunis eo modo jacere debet, ut è directo oppoſitum habeat ignem, aut candelam, vel etiam lumen cubiculum ſubiens; à lateribus enim ſi ſæpius adveniant, Strabiſmus facile accidit, quare optimum eſt ſi cunarum arculus ſuper injectum habeat velamen, lumini objectum: hoc enim pacto viſus neque hac neque illac deerrans, validior futurus eſt.

Infans ab excrementis quomodo expurgandus à Nutrice; Et alia obſervanda.

Si quidem cæterorum animaliũ corpora expedita ſint, nullis involucris præpedita, facile excrementa deponũt: à quibus neq; inquinantur neq; oblæduntur, quę ſtatim alvo ejecta ſunt, mater extra nidum vel cubile projicit, (ſi id ex ſe nequeant) aut ſaltem certo in loco congerit ubi nocere nequeant; Infantium eadem non eſt ratio, qui faſciis & linteis involuti & conſtricti (id quod requiritur ad figuram rectam infantibus conciliãdam) excrementa ejicere nequeunt quin univerſum corpus illis inquinetur; quibus immerſi ſæpe diutius latent, (quod deprehendi nequeãt ratione involucrorum) donec fœdus odor nutricis nares feriat, vel conjiciat ex infantis ejulatibus, hac proluvie obruti, vel ejus acrimonia laceſſiti, Eapropter faſciæ ſolvendæ ſunt, bis aut ter ſaltem die, imo & nonnunquam noctu ſi res exigat, munda, lintea ſordidis permutando, per lixivium depurata, nec ſolum pluries elota, ſicuti factitare ſolent meritorię nutrices, à quibus intenſus corporis univerſo inducitur pruritus, & æſtus, ratione cujuſdam ſalis, qui ab his excrementis eductum, non omnino ſimplici lotione recedit & eluitur, ſed tantum ope lixivii.

Tempus maxime idoneum ſolutioni faſciarum & linteaminum, illud eſt cũ alvi & veſicæ onus depoſuit, quibus diutius ut immerſus hæreat permittendum non eſt quam donec experrectus fuerit: Cum porro quavis hora illa egerat, nullum definitum tempus ſtatui poteſt

quod id fieri debeat præter illud neceſſitatis; h.e. quoties requiritur ut corpus mundum, ſit nec fœdũm ſterquilinio.

Infans juxta ignem exolui debet & involui, linteaminibus excalefactis & ſiccis, ne frigus & humiditas ventris dolorem inducant: Quotieſcumque autem infans involucris liberabitur, videat obſtetrix num quid cruoris ex umbilico exſudet, eo quod nodus laxior factus ſit, aut ligatura laxata; & poſtquam funis illius umbilicalis extremitas decidua fuerit, (cujus caſum nunquam promovere debet) umbilicum per aliquot dies adhuc conſtringat, relicto pulvillo quouſque cicatrix inducta ſit, & depreſſus omnino, imo cavus appareat; Præterea capitis partem, fontanellam dictam, pulvillo etiam muniat, ante apponendam calanticam, tum ut cerebrum à frigore defendatur, tum ne aliqua externa injuria ingruat, cui excipiendæ mollities partis opportunam reddit, nullo oſſe obrectæ. Summa præterea cura compeſcat ejulatus, primis præſertim diebus, ac umbilicus foras prorumpat, aut præ extenſione exomphalos, aut etiam inguinalis hernia: Neque auſcultandum illis mulierculis, quæ permittendos aliquando dicunt clamores infantibus ad cerebri expanſionem: Duplici hac ratione ejulantes infantes ſedantur, primo papillæ exhibitione, deinde faſciarum ſolutione & excrementorum deterſione. Offerat quoque nutrix quidpiam oculis gratum, quo *delectetur*; avertendo quod terrorem poteſt incutere, aut moleſtiam inferre.

Superius autem dicta pertinent ad infantem proba utentem valetudine; ſi enim aliquis præternaturalis affectus accidat, illi erit providendum. *Mauriceau lib. 3. cap. 22.*

Recens natis propinetur cochleare parvum vini, nam ſpiritus infantis recreat & reficit, pituitam in faucibus diſcutit, facit ut poſtea facile non inebrientur & ab epilepſia præſervat. *Obſtetrix Gallica Part. 1. c. 25.*

Farina arboris nucis juglandis verminoſa aſpergatur umbilico infantis, nam egregie exſiccat, facitque ut is juſto tempore decidat: cum vero jam deciderit, iterum pulvis aſpergatur, à quo creſcit, firmus fit; Singularis virtutis eſt hoc medicamentum. *Ibidem.*

Stercus de vacca nigra (eſt Principis cujuſdam ſecretum) adhuc calidum indatur ollæ & calcinetur; da ℈i. vel ℈ß. infanti recens nato, ſic tandem evomet pituitoſam copiam impuritatum in utero collectarum, quę ſunt cauſa multorum morborum. *Grulingius Pr. lib. 1. pag. 1. c. 5.*

Primis 12. ſeptimanis quotidie infantis totum corpus *ſucco* abſinth. expreſſo illinatur & fricetur, & præſervabitur per totam vitam ab omni frigore, calore, lepra, ſcabie, furfuribus & pediculis. *Cunr. Kunrath Med. deſtill. pag. 239.*

De Contuſionibus capitis, aliarumve partium recens natorum.

Corpora recens natorum adeo mollia & tenera ſunt ut contuſionibus facillime exponantur, imo nonnunquam membra quædam diſlocentur aut frangantur, ſive à diuturno uno eodemque in ſitu mora, vel à rudiori contrectatione ipſo partus tempore.

Contuſio omnium maxime familiaris & frequens ea eſt quæ in vertice accidit, ubi loci ſtatim à partu tuber mediam ovi partem adæquans nonnunquam deprehenditur, imo etiam majus, quod in primo puerperio maxime contingit; Idque eo facilius fit, quo annoſæ magis ſunt primiparæ; orificium quippe uteri internum in illis, quod coronam vocant, calloſius quod ſit nonnihil difficulter cedit & expanditur; quapropter infantis caput ad id allidens, atque eodem quaſi corona cinctum parte ſuperiori, quod in exitu primo obvium eſt, hinc intumeſcit ratione ſanguinis & humorum (*lymphæ præſertim*) influentium ibique commorantium; ob inſignem compreſſionem inductam à prænominato orificio interno, quando præſertim validius impelli incipit, adeoque diutius ſubſiſtit exitu præpedito, poſtquam aquæ, à quibus ſuſtentabatur utcunque, effluxerunt; Quo concurrit nonnunquam Obſtetrix frequentiori attrectatione cum caput in tranſitu detinetur; ſed digitis ſæpe immerito rea fit hoc in caſu, ſiquidem ſola compreſſio à dicto orificio facta, ejuſmodi tumorum contuſioni complicatorum cauſa eſt.

Pars hæc non alia ratione in tumorem attollitur ac cæteræ quæ durius comprimuntur, vinciuntur aut arctantur; ſanguis enim cui motus ſuus circularis denegatur, nimia copia aliqua in parte cohibetur, illam in tumorem attollit, atque repletionis cauſa livorem inducit, quaſi à contuſione, Compreſſio autem hæc major multo eſt ratione venarum (quæ ſuperficie tenus magis decurrunt, ſanguinem ad cor revehentes) quam arteriarum quarum ope ad ſingulas corporis partes convehitur: nam præterquam quod arteriæ altiorem ſitum obtinent, pulſu præterea continuo gaudent, cujus ope ſemper ſanguinis aliquid influit, quapropter in omnibus compreſſionibus aut ligaturis partium (niſi ad extremum ductæ fuerint) ſanguis eo facile per arterias convehitur, nec niſi difficulter per venas revehitur; quapropter, ſiquidem pars multo plus admittat quam in alimentum cedat, neceſſario hinc à repletione intumeſcit. Si ii qui partui præſunt ad hæc attendant, ubi occaſio ſe obtulerit (quæ raro non occurrit) percipient ejuſmodi Tumores utplurimum aliam quam prædictam non agnoſcere cauſam.

Tumores hi quandoque adeo inſignes ſunt, & exorbitant, (muliere nondum onere liberata, nec orificio uteri interno ſufficiente dilatato) ut ſæpe impedimento ſint, quominus dignoſcatur pars quæ primo exitum affectat, imo nonnunquam in cauſa ſint, ne obſtetrices digitis explorantes ullum capitis os agnoſcant, credantque os aliquod humeri offerri, aliamve partem, imo quædam plane ignorent quid rei ſit quod tumorem infert; at vero id facile dignoſcere eſt, quod ii tumores qui carnei ad tactum apparent, nihilominus duriores ſunt quam vel humerus aut altera natis infantium, quæ partes ſemper majori mollitie donatæ ſunt, neque præterea ullus pilus deprehenditur, ſicuti in capite; cunis oſſa præterea facile deprehendere eſt, ſi digitos, oleo vel butyro inunctus, ad orificium uſque internum intrudi queat, partes enim capitis, intra uterum contentę, nequaquam intumuerunt, at eo ſolummodo quæ orificium ſpectat ab eoque comprimitur, cingitur & arctatur, ſicuti dictum, ſi fœtus aliquod aliud membrum, præter caput obtulerit, ut brachium aut tibiam, hæque partes ſimiliter diutius intra meatum detineantur, ſituque perverſo, vel jam egreſſæ ſint, eadem ratione in tumorem attollentur.

Non modo medela afferenda eſt ejuſmodi Tumoribus, aut Contuſionibus capitis infantium, ſed illis quoque occurrendum, vel ſaltem incrementum prohibendum; præcavendi ratio eſt, ſi partus quantum licet acceleretur, ne caput infantis plus quam decet in meatu detineatur, vel ab orificio interno conſtringatur, quod crebro oleo inungendum, aut axungia emolliente, tum juvandæ expanſionis cauſâ, tum ut caput per locum lubricum redditum facilem tranſitum inveniat,

Forte aliquis objiciat, Si ejuſmodi Tumores dictam cauſam agnoſcerẽt, futurum ut illico à partu evaneſcãt, ſi quidem tunc (capite non amplius compreſſo) nihil obſtat quominus ſanguis, cujus pręſentia intumeſcebat pars, præterfluat, libertate tranſitus reddita: Sed ſciant hi à

hi à diuturniori illius aliqua in parte mora illum ſpiritibus ſpoliari, qui ibi ſuffocantur, quapropter ceſſat motus, atque extra vaſa delatus (quæ locus illius ſunt naturalis) ſicut accidit cum nimis in illis redundat, effunditur in ſpatia partis inania, quo fit vt deinceps vias ordinarias remeare neſcit: quapropter hoc in caſu neceſſe eſt, vel vt reſolutio per partem ipſam procuretur, vel ad ſuppurationem perducatur, ſi diutius ibi commorari contigerit; quæ tamen quantum poſſibile avertenda, ratione viciniæ cerebri, quod in infantibus oſſa cranij non contegunt in ſuturarum regione, quæ in illis laxiores ſemper deprehenduntur, præcipue iuxta fontanellam dictam.

Ad reſolutionem eiuſmodi tumorum & contuſionum; quamprimum fœtus excluſus eſt, foveatur ille vino calente aut aqua ardente, immergendo his ſplenium demum ſuperponendum, pleræque obſtetrices admovent ſplenium *oenelæo* intinctum, aliæ *oleo roſac.* ſimplici, facto prius ex vino fotu.

Si his præſtitis nihilominus Tumor ad ſuppurationem pergat, cavendum ne pus genitum diu moram agat, ne oſſa capitis, admodum tenella & tenuia recens nactis, alterationem aut cariem inde patiantur, quo in caſu phlebotomo pars aperienda eſt loco maxime idoneo, ſuperadmoto hinc *Empl. de betonica.*

Si crus, aut brachium eadem de cauſa intumuerit; involvatur ſimiliter ſpleniis, *vino* madidis, cui incoxerint *roſæ rubræ, flores chamomillæ, & meliloti.*

Maribus nonnunquam ſcrotum intumeſcit, id quod accidit, vel ratione aquarum intra membranas concluſarum, vel contuſionis cauſa & durioris contrectationis à Chirurgo vel obſtetrice in partu, hoc in caſu *ſplenia vino intincta, incoctis roſis*, conducunt vtroque in caſu.

Peſſimum vero eſt ſi Chirurgus imperitus, & hac in operatione rudis; aut alias neceſſitatis telo inductus, infringat aut diſtorqueat brachium aut crus infantis dum extrahere nititur: Infortunium id ſi aciderit; medelam poſtmodum afferat partes reſtituendo, faſciis idoneis illas firmando & continendo naturali in ſitu, ad perfectam vſque conſolidationem. *Mauriceau lib. 3. cap. 24.*

Contuſiones capitis.

Conprimitur aliquando caput infantis in partu, vel ob tranſitus anguſtiam, vel ob capitis inſolitam granditatem, & obſtreticis incuriam, ita vt figura capitis non ſolum immutetur, ſed & tumores & prominentiæ manifeſte appareant, Tumores tales *Sennertus* curat ſolo *Empl. diaphoen.* cum *ol. roſat.* Vel, ſi laborioſiore cura opus eſt, primis diebus catapl. apponit ex *pulv. roſar. rub. fol. & baccis myrti, far. fabar hordeo, pulv. abſinth. beton.* ſem. *aniſo melle*, hæc cocta cum *vino nigro miſce cum ol. roſ. & cham. f. catapl.* Sequ. diebus *Empl.* adhibet *diapalma* tandem *Barbarum.*

Eadem fere cura quadrat *Tumoribus ex caſu infantium* ſubortis, quibus ego ſtatim in principio adhibeo *ol. Saturni, ol. aniſi*, vel *rad. ſigilli Salom.* recens contuſam, cave hic ne pus citra neceſſitatem moveas, neque inciſionem cutis & ſic affluxum humorum, inflammationem, convulſionem excites: *Hildanus* monet diligentiam adhibendam eſſe in caſu infantis, deprimitur enim cranium inter cadendum ſine fractura, quia ipſis molle eſt, & obiecto duro facile cedit, Inprimis autem vix aliquid ſentiunt mali, ſucceſſu autem temporis fiunt ingenio tardi, catarrhis & doloribus obnoxij quia cerebrum non libere movetur, adeoque ſpiritus animales male perficiuntur, Tales itaque depreſſiones ſtatim appoſito emplaſtro tenaciter adhærente attolli debent, vel per cucurbitulam, &c. elevari, *Hoeferus Herc. med. l. 7. c. 6.*

De Fontanella capitis in recens natis; vt de Suturis nimium biantibus.

Sæpenumero fœtus præcoces, nondum conſummatam perfectionem adepti, nec non natura debilem ſortiti corporis conſtitutionem, Fontanellam capitis & ſuturas adeo laxas obtinent, præ diſtantia & dehiſcentia oſſium ab invicem, vt molle omnino ſit caput, fere ſine adminiculo, quia nempe illius oſſa hinc inde vacillant, Raro vivaces eſſe contingit eiuſmodi fœtus; neque conatus adhibendus in adjunctione oſſium ad invicem fortiter illa contringendo, eo enim pacto adeo comprimeretur cerebrum, natura molliſſimum, vt pejor affectus priori induceretur, denegata illi motus libertate, ad quam ſubſequutura eſſet functionum depravatio, imo poſtmodum omnimoda deſtructio, Satis fuerit ea leniter compreſſa, vitæ ope continuiſſe ne nimium vacillent, cætera naturæ committendo, quæ paulatim hiantes has ſuturas ſponte coniunctura eſt, perficiens generationem, exſiccans & confirmans oſſa capitis, nondum debitam confirmationem adepta.

Locus in quo fit coniunctio, ad quem vſque excurrit ſutura ſagitalis in medio coronalis, quas in omnibus infantibus ſemper in duas partes dividit, exporrecta ad radicem vſque naſi, vocatur Fontanella capitis, quia videlicet pars eſt illius molliſſima maxime humida, quæ eapropter poſtrema omnium occluditur: Illius figuram formam exprimit figura capitis huius fini adiecta, Nonnulli infantes toto triennio partem illam apertam ſervant, imo nonnunquam longiori tempore.

In vxore Fratris mei, Iohannis, Boneti, *medici celeberrimi, Facultatis medicæ Genevenſis Decani meritiſſimi, ad obitum vſque, (quadrageſimum ſuperavit annum) pars illa vix cartilagineam obtinuit firmitatem, quam ſacculis perpetuo munitam ſervabat)* maximo indicio debilitatis caloris naturalis: vtplurimum omnino occluditur exacto biennio, ocius ſerius, pro ratione maioris aut minoris in infantibus humiditatis ac maiore aut minore robore.

Vſque dum integram confirmationem adepta ſiet dicta oſſa pars illa defendatur admoto ſplenio ex linteo ſæpius multiplicato, tum arcendi frigoris cauſa, quam aliorum exterius irruentium: mulierculæ nonnullæ diu ibi detinent pannum coccineum, ratæ ab eo magis roborari caput, ac parum refert quidvis applicatum fuerit, modo appulſus frigoris prohibeatur, & læſio externa arceatur à parte nullo oſſe cuſtodita.

Nonnunquam accidit, oſſa, quamvis ſufficientem amplitudinem obtineant qua ſe undique contingant, impediri nihilominus in regione ſuturarum coniunctionem illorum, propter aquas inter hæc & duram matrem concluſas, *Hydrocephalus* vocatur hic affectus, cuius plures conſtituuntur differentiæ, prout aquæ plus aut minus a cerebro recedunt, vel etiam in huius ventriculis continentur, Si detineantur inter cutim & pericranium, vel inter pericranium & cranium, curabilis eſt affectus, dummodo tumor inſignis non fuerit, quas diſſipando, aut inciſione facta ad illarum evacuationem, At ſi nimium redundaverint intra oſſa, inter hæc & piam matrem, illa extra pellendo, eaque ratione ſuturas ab invicem diducendo, ſanationis nulla ſpes eſt; atque res vel ideo impoſſibilis ſi aquæ hæ vtramque meningem interjacent, vel in ipſo cerebro deliteſcunt. *Mauriceau c. 25.*

Lac alienum infanti an conveniat.

Cum ad perfectivas potiùs quàm destructivas alterationes pertineat, fœtus ſingulariſſima paſſio quam primo in mundum ingreſſu ſuſcipit (vide cap. *De origine morborum infantilium* §. 1.) ſaltem hæc ipſa rationem videtur ſubminiſtrare probabilem, *qui fiat non raro quod matres, quadam cocochymica, & in ſpecie ſcorbutica, quos in utero feliciter geſtarunt, & optime lacteo nutrimento aluerunt fœtus, poſtmodum facta excluſione citra periculum lactare ipſæ nequeant, quin potius ſi eoſdem ſanos conſervare velint, conducta ad id nutrici committere neceſſe habeant*, qui alias ſub proprio matris lacte eo nempe ex quo partes ipſæ corporis primo coaluerunt, adeoque iiſdem appropriatiſſimum ſit, continuo ploratu, torminibus, non raro quoque ſupervenientibus epilepticis inſultibus, aliiſque variis pathematis, non leves ægritudines teſtentur, ſubinde ad mortem terminantes? Quæ omnia alieno ſuperveniente lactis ſuctu ſucceſſive evaneſcunt, & non raro cum optimo infantis habitu permutantur.

Solutionem huius dubii ſubminiſtrat præfacta ſanguinis & totius corporis per inſpiratum aërem alteratio, ſub qua ipſe ſanguis citatiori fermentatione turgeſcit, ab inſpirato aëre reſolvitur, unde ſimul morboſa ſemina ſub nutrimento lacteo in utero matris communicata excitantur, & ceu fermenta exotica partim ſanguinis craſin vitiant, partim alios à ſanguine dependẽtes ſuccos, in ſpecie lympham & bilem alterant, aut ipſum ſtomachi fermentum protopepticum inquinant, unde ſucceſſive largæ morboſorum affectuum ſegetes progerminãt, Idque magis quo amplius ſimili, inquinato nempe à morboſa matre lacte nutritur infans, & ita ſeminibus morboſis nempe igni oleum, aptiſſimum ſe multiplicandi ſubiectum ſubminiſtratur.

Simile fere id evenit atque id quod tempore verno, ſub renovati quaſi aëris inſpiratione adultis etiam crebrius accidit, ut ſcilicet eodem tempore latentia & antea ſopita morborum ſemina quaſi evigilent, & varios affectus, & corporis paſſiones ceu tot flores protrudant, mature ergo à mammis propriis abigant neceſſe eſt matres tales ſuos, fœtus & alienis in tali caſu tradãt; pauperculis licet mulieribus, modo ſub moderata diæta, & laborum continuato exercitio, ſanæ magis & vividæ exiſtant, ut temperato & ſalubri tali lacte opprimantur morboſa fermenta, inprimis ſalino-ſcorbutica, & corrigantur ſanguinis dyſcraſiæ, quo conſtans & firma magis exinde conſervetur ſanitas, *Etmuller valet p. 6.*

Hiſtoria morborum tempore nutritionis Infantium per Lac & pultem, familiarium

Sub Nutritionis curſu frequẽtiſſimis tenelli obnoxii, ægritudinibus ſunt quæ & ipſæ poſt ablactationem non ſtatim deſinunt, quin interdum facta ablactatione demum ſe prodant, ob errores circa nutritionem commiſſos.

Primitus *inteſtinorum tormina* frequentiſſime cruciant illos, cum quibus excreta alvi à conſueta flavedine ſubinde deflectunt, & obſcuriori calore ſubinde viridi omnino, porraceam vocant practici bilem, tincta apparent; quin & cum hoc peregrino colore (rarius ſine eo) eadem ipſa non in debita fluida æqualiter permiſta conſiſtentia cernuntur, ſed in parvos quaſi grumulos diſcerpta procedunt: Præter quas vitioſas excretiones, & copioſior *Alvi fluxus* ſeu diarrhea eos delaſſat non raro; Iuxta has paſſiones & *Vigiliæ* pertinaces maxime neceſſariam iunioribus ſumnolentam quietem tollunt, aut interrupti *Pavores* eandem turbant, prodromi ſcilicet gravioris mali *Epileptici*, cui vel maxime iſta ætas eſt obnoxia, ſive *interiores abdominis* tantum *convellantur partes* & *thoracis*, ſive *externa ſimul concutiantur membra*: *Hippochondriorum* præterea *flatulenta intumeſcentia, tumorque præcordiorum angeſtat* eoſdem, non minus quam *difficilis reſpiratio tuſſiſque* perquam vel ideo moleſta, quod neſciant, aut nequeant reiicere ea quæ ad tuſſim prorirant, niſi repetitus vomitus ſponte natura vitioſa auſpicato eliminet.

Ut ut autem viſcerum & membrorum mollis extenſilitas aptiſſima ſit pro uberiori augmentante nutritione, crebro tamen exareſcunt potius, aut deficiente nutrimento *Atrophia* laborant, aut nutriantur licet, vitio tamen huius nutritii ſucci, prava non raro efflorеſcunt *tubercula* in *Ulcera* ſanioſa, & cutaneas paries inſtar favorum in mellificio exedentia, aut *Tinea* inſtar cranii tegmina exedentia: Quibus malis nec linguæ artificioſius muſculus, nec palati concamerata ſtructura carent, quin ul cuſculis, *Aphthis* appellatis, infeſtentur.

Ut nil dicam de *Febribus* variis, in ſpecie *lentis*: item de *Variolarum* & *morbillorum* contagioſo inſultu, muſteum tenellorum ſanguinem non minus quam paulo adultiorum magis, febrili turgeſcentia, & tantum non efferveſcentia turbante, Surpervenit tandem & *Dentitio*, doloroſa eadem, & peſſimorum ſymptomatum concitatrix, Nõ ſecus ac *Intertrigo* ſeu cuticulæ tenerrimæ hinc inde facta excoriatio: Ac ne malorum aliquid deſit, *Lumbricorum* iucondita turba, quibus non malis mulctat infantes? In inteſtinis qui hoſpitantur, *dum Crinones* ſeu capillares vermiculi intercutanea loca caterva tim inhabitant.

Talis tantaque malorum ſtrages imminet pueris, ut recte cum *Plinio in proœm. l. 7. H. N.* dicendum ſit, *A ſuppliciis vitam auſpicatur homo, unam tantũ ob culpam quia natus eſt*: aut aſſerendum cum ſapiente *Solone*, *Homo eſt putredo in ortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte*. Etmuller *valetud. Inf. cap. 1.*

Lactis corruptio.

Corrumpitur Lac ſæpe in ventriculo parvorum, ſcil. aceſcit, aut concreſcit, vel quia nimis copioſe aſſumitur vel quia vitioſum eſt ex mala nutricis intemperie, vel quia ſtomachus debilis eſt.

Semper minuenda eſt lactis copia, nam ſi poſtea puer placide dormiat, & excrementa mutentur in melius, ſignum erit fuiſſe à copia.

Alias ſuſpecta eſſe debet ventriculi intemperies, tunc utile erit parũ & ſæpe lac præbere, & ſi vitioſũ ſit lac, nutricem mutare, Lac autem coagulatum educetur *melle roſato, rubia, ſyrupo acetoſo, de v. rad. & mentha.*

℞. *Succi roſat.* ℥xij. *menth. ſicco m.* ij. *adde mellis & ſacch.* ãã. *q.* ʒ. ozis ſit cochib. l.1. Si Epilepſiæ impendet periculum.

℞. *Sirup. præd. ſyr. ceraſ. nigr.* ãã. ℥j *pulv. diamarg. frig. cem. f. alkera.* ʒß. *aq. tilia ceraſ.* ãã. ℥ij. *ſuccor ex cochil.* Valent hæc quæ *epileptica* eſſe creduntur.

Hiſpani laudant *theriacam ſmaragdor.* ſed quæ ſit ingnoramus: forſan ſufficiet vel *theriac.* vel *diaſurdio, conf. alkerm.* addere *ſonaradum*, ſed *conq. de hyacintho* locum illius theriacæ ſupplere poteſt.

Ad ſtomachi debitatem prodeſt *ſyr. granat. roſar ſicc. miva cydon. gallia moſch.* cum *ſaccharo, caryoph. & ſucco cydon.* Quidam etiam probant *myrrham* aſſumptam.

Extrinſecus fiat Epithema *ex aqua roſar. myrtilli vino rubro adſtring.* cum *diamoſch. d.* vel fiant *Fotus* roborantes ex *mentha, fœnugr. abſynth. ohamam.* cum *croco farina coagulo* f. catarb, vel

vel ex *mica panis* cum *aromat. roſat. pulvere & vino*, vel fiant Litus ex oleo *abſinth. mentha, cidonior. maſtiche.* & alia quæ adultis conveniunt. *Primiroſius.*

Vitia Lactis.

Cauſæ generales Infantilium affectuum, & principaliores duæ ſunt, obſtinata retentio excernendorum & vitia Lactis ac Errata pultis: Quoad Lactis vitia, eorum primum eſt, ſi fuerit *alienum:* h.e. cum non à propria matre tenellis porrigatur mamma, ſed Nutricibus hoc negotium committitur.

Lac alienum infanti an conveniat.

Id vt pateat clarius, præſuppono 1. Fœtum in vtero materno nutriri non ſolum per vmbilicum, ſed etiam per os, iuxta *Hippoc.* doctrinã *Harvæi Segeri, de la Courvée* & aliorum; 2. Nutrimentum vtrobique non eſſe ſanguinem, ſed lac ſeu chylum lacteum, cum ſanguine per arterias (cum aliæ nondum ſint repertæ viæ, in vaccis licet lactantibus inſtituta fuerit inquiſitio anatomica) ad vterum delatum, 3. Lac mammarum & ipſum revera eſſe chylum, in mammarum glandulis ſecretum, & ductibus particularibus exinde ad papillam delatum Iam vero vnicuique mulieri ſuum proprium eſt Lac, ſeu ſpecialis lactis proprietas & idioſyncraſia, (vt taceant lac diverſum in vna mamma obſervatum fuiſſe ab eo quod erat in altera) oriunda ex ſpeciali fermenti digeſtici ſtomachalis differentia, (nam hoc in vnaquaque ſpecie magnam ſubit latitudinem) ſecundum quod, in vnoquoque individuo, tam naturaliter quam p. n. conſtituto diſtinctus eſt appetitus, ita etiam digeſtionis diſtincta eſt ratio, eorundem licet aſſumptorum: Diverſum ergo lac mammarum nutricis à lacte vterino matris, in ſtomacho infantuli, ipſi alias non aſſueti, cum conſueta longo tempore, licet deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe ſoleant, (*aph. 2. 50.* indeque ob intimam ſymbolyzationem aſſumendorum cum fermento) non poteſt non ſubire corruptionem, & lædere inſigniter, digeſtionis primæ arduum negotium; quin & diſtributum vlterius ad maſſam ſanguineam heterogeneitate ſua turbare eius craſin & fermentationem vitalem, antequam ſucceſſive ſtomachi fermento alterato, & ſanguinis craſi immutata, conveniens magiſque homogeneum fiat nutrimentum, cum generalis ſtomachi digeſtio præſit, quibuſque ſingularum digeſtionum coquinis.

Inſtituantur licet varia Lactis ſcrutinia bonitatiſque eius examina, fallax tamen eſt quod colore, conſiſtentia, ſapore, pinguedine, &c. judicare volũt practici, cum inſenſilia vtplurimum ſint vitia, quæ Lactis corrumpunt miſcelam, vt non tantum in ſeminibus morboſis, cum lacte tranſplantatis, ſed in ſpecie vitiis mirabilibus per lac inſenſibiliter communicatis, eſt manifeſtum adeo vt revera lactis conditiones & vires metiendæ ſint ex ſanitate beſtiæ, vita eius & cibis: Cum ergo nutrices adſcititiæ ſint utplurimum pauperculæ, & quibuſcunque eduliis ſubinde latranti reſpondeant ſtomacho, vix fieri poteſt quin cacochylia & inde oriunda cacochymia laborẽt, morboſæ hæ propreitates naturales, vti per lac communicantur à Nutricibus, ita non minus etiam morales, cum legitimo ſenſu verum ſi illud *Galeni*, quod animi mores ſequantur temperamentum corporis, cum & brutales proprietates, & mores cum lacte in infãtem penetrent, in vitam perſeverent; vt in pueris à cervæ, item à capræ lacte nutritis obſervatum fuit, adde quæ ipſa de lacte ex chylo elaborato explicata hactenus fortius adhuc eos ſtringunt, qui ex ſanguine lactis fontes derivant: Conſultiſſimum ergo fuerit, vt matres ſanæ, vel non admodum morboſæ proprios nutriant fœtus, Ευλαντωφανες ſolutum (*vide capite proximo de origine morborum Infantilium. §. 2.*

An loco Lactis aliud alimentum conveniat.

Hæc ipſa ſimul oſtendunt quam aliena ſit à vero eorum opinio; qui conſideratione facilis corruptionis lactis in infãtibus, indeque natorum variorum malorum alio nutrimento potius quam lacte tenellos cibare & educare malunt; adeoque *vel hordeata inſcula*, vel ex *crepatura hordei* addito *vitello ovorum* emulſioni ſimilem miſturam, vel *inſcula avenacea*, vel *amygdalarum emulſum lacteum ſuccũ* aliudve ſimile ſubſtituunt, vel cũ *Helmontio panem* tantiſper cũ *tenui cerevisia* bullitũ cum *melle:* ſiquidem hæc fruſtra, nec ſine prægnanti ratione, aut ornatus ſaltem gratia, mammæ mulieribus, & in iis mox poſt partum Lac, non ſecus ac reliquis brutis terreſtribus, vti & quibuſdam brutis aquatilibus conceſſum fuit à natura, quin hæc ipſa potius dicto quaſi intento hanc fœtuum nutritionem mõſtravetit: Teneri or ſiquidem infãtum eſt ſtomachus minuſq; exaltatum fermentum eorum digeſtivum, vnde quacũque fere ingeſta laborioſam ſaliẽ, ſi non & defectuoſam penitus redderent digeſtionem, quæ facillima & ſumme nutritiva erit, dum lac, ceu chylus, iam ante in nutrice elaboratus ipſis ſuggeritur, Talis ſcilicet ſuccus ex quo & primitus machina eorum corporea conſtructa fuit & ipſe fœtus iam in vtero ſuſtentatur, & quem ceu tam conſuetum facillime digerere & concoquere poteſt, Quod ſi quędam ex lactis alteratione in infantibus metuenda erunt pericula, ea ſane in ſe ſunt facile corrigibila, modo mature & legitime iiſdem occuratur; vnde & rariſſima eorum obſervata fuerunt exempla; qui defectu nutricum feliciter adoleverint.

Vitia Lactis morboſi.

Nam ſive nutrix ſive mater ſitienti ſatisfecerit puerulo, niſi ſana vegetaque gaudeant corporis œconomia indubiatum eſt morborum ſemina radiſceſque firmiſſimas in eum tanquam per medium fomitem tranſplantari Lithiaſin per nutricem in puerum derivatam notavit *Helmont.* Lue venerea per matres infectas puellas inquinatas binas obſervavi in noſocomio Paravino: Nutrices habitus ſeroſioris ad affectus catarrhales pro clives reddere quos nutriunt infantes compertum eſt: Scorbuti labes multiformis per mammas propagati in ſugentem nemini mirum, quam contagioſa eius indoles ſit notiſſima; Quin etiã ſana licet in proprio corpore deprehendatur nutrix, ſi tamen propriæ conſtitutionis cauſa, idque ex peculiari in ſtomacho digeſtione, vel ſeroſioris & ſalſioris ſanguinis conſtitutione, vel certæ in glandulis mammarum texturæ, ſeroſius, acrius, aut ſalſius, aliove modo minus conducens infanti lac colligat, etiam citra ſugentis noxam id propinari nequit, quin nutrimentum tale, ipſi minus appropriatum hoſtile & inimicum evadat.

Vitia Lactis nimis nutritivi.

Sed vtut ſaniſſima etiam ſit mater, vel nutrix, tamẽ tenello infantulo ipſum lac probe excoctum, craſſius, ſpiſſius adeoque vberioris nutrimenti, non æque primo ſtatim hauſtu cõvenire vel manifeſtũ, quod in vtero mater no adhuc concluſus fœtus nutrimẽtum lacteum per os hauriat admodum ſubtile, perque duplicem chorij & amnii mẽbranam probe filtratũ & depuratum, quo teneriora facilius permeet abdominis viſcera, ob id provida mater natura poſt partũ, in ſalutẽ editi fœtus, non ſtatim lac perfectum pinguius & ſpiſſius ſubminiſtrat, ſed præmittit coloſtrum, h.e. ſeroſiorem tenuioremque chylum, vt hic ipſe minus ſtomacho faceſſat negotii, quin potius ſeroſitate ſalina abſtergat blande ſtomachi mucũ, inteſtinorũque ſub geſtatione collecta recremẽta expurget, ac virtute diuretica organa vrinaria probe eluat, vt ita ſuperveniẽti ſucceſſive alimẽtoſo magis lacti,

faciliteetur digeſtio,& impediatur facillima eius corruptio,cum revera tale coloſtrum ſit alimentum medicamentoſum: Hinc iſtud quod die primo accurrit ad mãmas, potentius purgat, quod ſecundo & tertio minus, donec ſuccedat purgatici vi nutrix.

Quam peſſime ergo ſuis conſulunt natis,qui robuſtis aut obeſis,aut quæ iam aliquandiu lactarunt, nutricibus mox tradunt eoſdem, à quorum lacte butyroſo & caſeoſo nimis gravatur tenellus ventriculus,& digeſtionis opus inde inſigniter retardatur , ac cruditati acidæ , lactiſque coagulo promptiſſima occaſio ſubminiſtratur.

Quod ſi vero matres nutrite intendant ſuos fœtus, quo quæſo conſilio corrigunt Naturæ prudentiſſimos conatus,& tam ſtudioſe emulgent ſalutare hoc coloſtrum, quaſi nocere poſſit infanti, quod ceu divina medicina ipſi propinandum foret.

Vitia Lactis ſuperflue ingeſti.

Sed tolerabile adhuc, quia facile corrigibile eſſet hoc erratum,niſi gravius longe familiariſſimum licet,ſe offerret,nẽpe ſuperflua & inordinata,&tantũ non evocata Lactis infuſio,qua matres ſuos fœtus nimis alẽdo ſępe necant,& dum lactant,mactant,dum ad quẽlibet ex quacunque cauſa excitatum infantis eiulatum,ipſi licet ſubinde de papillis intrudunt in os,ac lac ſugere cogũt, priori licet crudo adhuc,ſubacido, & nondum concocto in ſtomacho hærente,vnde novi ſuperingeſti neceſſaria congrumeſcentia , ac vtriuſque in paſtam acidam , viciſdam!, corrupta ſuccedit ; vnde pylorus indignatur vel ſe pertinaciter ſtringit, qui alias de ſe ipſo in pueris arcto munitur ſigillo, & plane non , aut difficulter ſaltem,talia caſeata tranſmittit , vt vlteriori mora,in loco iſto tepido in deterius , ac ex cruditate acida in corruptelam putredinoſam labantur , ac in liquamina putrida,flaveſcentia, nidoroſa &c.tandem degenerent,*vel* graviori furore percitus idem pylorus, ſalutari licet effectu,per gulam omnia iſta vitiata renuttit: Præſtat ſane hic peccare in defectu quã exceſſu:cum repletiones ad extremum productæ graves eſſe ſoleant, *ſect.1.aph.*4. & ſane repletio omnis,in ſpecie panis in adultis, ita ſane lactis in tenellis eſt peſſima, hinc enim conſequenter impura corpora,quo magis nutriveris,eo magis læſeris *aph.10.ſect.6.*

Vitia Lactis per malam diætam Nutricis depravati.

Periculoſius iam vrget fatum miſellos lactentes, ex perverſa,& ſæpiſſime inordinata lactantium diæta,circa quam ſaltem *alimentorum promiſcuam ingluviem*, *Affectuum neglectam refrenationem* & *Excernendorum* partes ac *Retinendorum* peccata conſideranda.

Sanis quidem omnia ſana,modo per internam appetitus dictaturam imperentur, quod enim ſapit, nutrit, deo vt in ſanis ſcrupuloſus alimẽtorum delectus revera ſit fruſtraneus , quia potius ſi appetitus circa aliquod obiectum feratur intenſius, inprimis conſuetum (nam in inſuetis appetitus ſubinde medicamentum quærit) vix denegandum ſit, quia fermentum digeſtivum potenter quælibet in ſui ditionem trahit & coercet , vt talia cum moderamine mediocritatis propinanda ſint,cum ſobrietas recte cardo totius dicatur diętæ,id quod nutricibus cõducticiis in ſpecie obſervandũ vtplurimum egenis, adeoque famelicis , & frequenter nimio nutrimentorum exceſſui percitus indulgentibus: Lactantes tamen præ cæteris tenellos reſpicere debẽr,cum leve illarum erratum,vtut ipſis innocuum his graves ſubinde inducat paſſiones,& aſſumptorum plures proprietates in chylo perſiſtentes , vt vt plus minus infractæ aut alteratæ, ſui tamen præſentiam in lacte manifeſte exerant , & aniſum pro augmentando aut corrigendo lacteo chylo aſſumptum ,ſui in eo præſentiam odore teſtetur.

Aſt dica nil hic de purgantibus quæ nutricibus propinata infantes purgant, verum in ſpecie vrgebo *Acida* quæ ſive ſint condimenta, ſive potulenta , etiam *vinum* (in non aſſuetis) ſui veſtigia in lacte dulci relinquunt, vt vt ſenſibus abſcondita, poſtmodũ tamen torminum infantilium ex acido rodente authores: Vnde & cautiores matres,dum fœtum in vtero incluſum gerunt , acida nimia fugiunt, ne præmature infantes torqueant , aut fomitem epilepticũ ingenerent, id quod ſæpius obſervavit *Celeb. Sylvius*, quod nempe infantes nati à matribus acido non adeo indulgentibus,Epilepſia minus ſint obnoxij , atque etiam ideo pluribus prædixit , Cum præterea Acidorum abuſus ad abortum gravidas diſponere recte aſſeratur *à Beckoin med. Exper.*p. 214. Quod etiam de vino, quod nempe fœtum pellat aſſerit *Hartmanus Pr.c.228.§.3.*& *Lindenus* in hunc locum, primis geſtationis mẽſibus vinum gravidis,in ſpecies,ut vocat, calidioribus prohibet, metu abortus: In quo tamen acido frequentiſſime peccatur,amicum enim ac gratiſſimum cum ſit ſtomacho, tantum non quotidianum eius percipimus appetitum.

Caſeo itidem non immerito interdicitur Nutricibus, ne hoc tanqıam præmaturo coagulo ad grumeſcentiam p.n.iam in mammis lac diſponatur.

Cereviſia non rite fermentata,aut fęcibus turbata,vt vt robuſtiores in nutricibus inteſtinorum tunicas minus officiat , à fermento ſtomachi fere ſabacta,pueris vero quod diarrhœam torminoſam excitet compertum eſt ; Id quod ſimiliter de *fructibus horæis* ſucculentis, facile fermentiſcibibus manifeſtum eſt, ſicut aridiores è contrario alvum ſiſtunt,quod contigit in infante cuius Nutrix avidius caſtaneas ſumpſerat, (*Timæus l.5. c. 15.*) Cautas ergo Nutrices eſſe iubeo in aſſumendorum ratione, plus minus tamen, prout nempe aut conſuetudinis aut digeſtionis primæ vel abſolutioris vel deficientis adeoque ſubactorum plus minus & alteratorum à fermento digeſtivo ingeſtorum in iis fert ratio.

Vitia Lactis ab animi pathematis inducti.

Affectuum exorbitantiæ attingendæ, quorum ordinatus inſultus ut generaliter ſpiritus animales,totumq; genus nervoſum, & in his mediantibus maſſam ſanguineam, & reliqua corporis contenta liquida commovendo inſigniter alterat, ita ſpecialiter nutrientium depravat lac præ cæteris *iracundia* & *terror* nutricum nimius nocentiſſimus eſt infantibus , & ab vtroque , in ſpecie priori Epilepticas excitare convulſiones notiſſimum eſt , Turbant ſane affectus omnes concoctionis primæ negotium , adeo vt ex triſti nuntio inopinato allato , adeoque incuſſo ſic terrore , ſtatim pereat omnis appetitus , vnde digeſtionis conſequenter impedimenta , & cruditatum acidarum occaſiones ; Qui affectus itidem ex *Ira* furore expectandi ſunt , ſub cuius fervore vel maxime ſanguinis ebullitio & quaſi febrilis efferveſcentia cum bilis orgaſmo conſideranda veniunt.

Ex alterato ergo ac depravato chylo ſimile Lac generabitur , vix ſane quicquam frequentius eſt *terrorem* , non minus quam *iram* , lactis inducere coagulum, ac ita in mammis grumeſcentiam , vnde tandem inflammationes doloroſimoſque abſceſſus, & in ſpecie eryſipelata ſuperveniunt , ſicuti à tali lactis ſemicaſeati ſuctu mille malis inſons mactatur infans, & ſpeciatim ad Epilepſiam ordinario diſponitur , Sub inteſtina quippe affectuum rebellione , & inde nata omnium corporis contentorum , à ſpirituum vario ac p. n. impetu non poteſt non inſigniter alterati Lac, & varie commotum ac quaſi ſecundum anima-

minima concuſſum in partes ſecedere, & butyri ac caſei ex ſeroſo vehiculo quaſi ſeparationem p.n.pati.

Lactis vitia ob errores Nutricum in excretis.

Excretorum conſideranda in nutricibus errata, qua inter *Menſtruorum* conſideratio primatum obtinet, Supprimi hæc ipſa vt in gravidis ita & in lactantibus (probabiliter in ſalutem fœtus) naturæ reſpondet legibus; In habitioribus tamen, ſanguine turgeſcentiore proditis, viraginibus dictis tum primis geſtationis menſibus, quam ipſo lactationis tempore eadem ordinaria erumpere periodo obſervatur crebrius, quoties vero ſanguinis iſta contingit excretio, toties ſenſilis in tenellis obſervanda venit alteratio, qua languidi lacrymoſi ac imbecilles fiunt, donec obturato denuo ſanguineo fonte dicti languores etiam denuo remittant.

Singulari ſcilicet fermentativo motu ſanguis ſub menſtruationis tempore agitatur & turgeſcit, vnde & menſtruam febrim, ſeu omni menſe, cum ſanguis per genitalia evacuaretur recurrentem, ex acriori videlicet efferveſcentia obſervavit *Lindanus*: Quid vni ergo Lac tunc temporis & ſimilem fermentatorum concipiat motum, qui & turbet infantis primam digeſtionem, & vitalem ſanguinis fermentationem vitiet, forſan ſimili quodammodo ratione atque quando adulti cereviſiæ potui vel vini addicti, ex potu talis liquoris adhuc non nihil fermentantis ceu extraordinarie affecti, ſubinde non leviter læduntur.

Verumenimvero inſigniter longe lacti imprimitur, alteratio, ſi per fœcundum coitum nutricis impediatur menſtruatio, ad corruptionem exinde lac diſponitur, horridam quodammodo acquirit impreſſionem, fœtui fere abominabilem, id quod & in brutis obſervabile eſt vt curioſo exemplo obſervatum à *Graaf. de org. vir. p. 126.* Lac ita depravatum, ne dicam corruptum ab infante hauſtum degenerat in eius ſtomacho in vitioſum caſei coagulum, tenello infantis ſtomacho mire infeſtum, adeo vt eidem exinde ſtigma per totam vitam durabi le imprimatur, vnde caſei averſionem, tam multis familiarem non abſque ſumma probabilitate deducit *Schockius l. de aver. caſ.* Ob id & medicorum eſt præceptũ; vt toto lactationis tempore nutrices à coitu abſtineant, vnde etiam lactantes matres à redditione debiti excuſat, proper inſignia fœtus nocumenta. *Paulus Zacchias l. c.*

Puls quomodo emendanda.

Pultis poſt Lactis curam reſtat correctio, quæ in hoc conſiſtit, vt omiſſa farina, loco eius panis triticeus vel vt vocant, ſimilagineus, nonnihil exſiccatus, vel induratus minutim tritus cum lacte, vel cum aqua in pultis coquatur conſiſtentiam, mollem, tantillo *ſeminis aniſi* addito.

Experimentia me hactenus docuit optime conducere tenellis tale pulmentum, vbertimque eoſdem nutrire: Fermentatur enim panis, adeoque facile reſolubilis, promptiuſque in ſtomacho digeſtibilis, quidni farinaceæ crudæ paſtæ præferendus erit? Pauciores, flatus inde elevabuntur, & liquidior mucus poſt eius vſum reſtabit, faciliuſque longe qui abſtergi queat quam è communi pulte fieri ſolet. *Etmuller val. c. 3. § 4.*

Vitia Pultis & 1 in præparatione.

Secundum genus erratorum in aſſumptis ſunt errata *Pultis*, deteſtor autem in pulte inprimis farinæ crudæ vſum, qua cum lacte vel aqua ſubacta & cocta, ac in pulmentum inſtar viſcoſi glutinis redacta quid aliud dabit quam paſtam tenacem, crudam & viſcidam, vtiliorem bibliopegis pro glutinandis chartis, quam infantibus pro nutritione, ſiquidem ob fermentationis farinæ in panificio pro adultis etiam ſummæ neceſſariæ defectum, dificillimæ eadem exiſtit digeſtionis, quia laborioſæ in ventriculo fermentationis. Panis ex quacunque farina confectus, non rite fermentatus, ac ita pro digeſtione ſtomacali facilius ſuſcipienda, & in alis una aſſumptis promptius adiuvanda ineptus, ex defectu acidi ſpirituoſi volatilis crudam farinæ mucaginem reſolventis & volatiliſantis, quantum noceat ſanitati, etiam adultorum & quam fœcundus ſit genitor morborum chronicorum, præter quotidianã experientiam vel muliebris loquitur ſexus, ex talis panis vſu menſtruorum patiens defectus & cachexias Aſt robuſtus eſt adultorum ex ſpirituoſiori ac acriori fermento ſtomachus, debilis è contra, infantibus: ingere tale pulmentum glutinoſum & viſcidum & ſuperaffunde lac butiro & caſeo pingui turgidum, quod putas futurum exinde in ſtomacho infantili? tenax nempe & glutinoſus, vitioſoque acore intenſè tinctus emerget mucus, mille malorum in tumoribus talibus fœcundus parens, compertum ſane eſt ſponte ſua & facile quamlibet farinam liquore ſufficienti ſubactam, & in loco tepido aſſervatam, aceſcere inſigniter, & hinc fermentare ſpumoſe turgeſcere, etiam citra fermenti additionem, id quod ſi fiat in ſtomacho infantis & p. n. & ſtomacho peregrino pultis acore corrumpitur ſuperingeſtum lac, & in grumos caſeoſos denſatur, adeoque tota digeſtio prima exinde depravatur inſigniter; Potius ergo farina talis pro meliori digeſtione fermentativa præparatio extra corpus præmittatur, quam quod cum tanto ſanitatis periculo eodem in ſtomacho denuo inſtituẽda ſupponatur: Reiecerunt o5id tales pultes *Velſchius* & *Hildanus cent 6. obſ. 34.* qui pertulcoſiſſimam pylori obſtructionem à tali ſpiſſa pulte natam obſervat.

Vitia pultis in vſurpatione.

Poſt Pultis præparationem culpo etiam eius vſurpationem, dum nutrices eandem prius in ore volutant, & ſalivæ permiſtione debitam fluiditatem conciliant, indeque infantis ori intrudunt; Iam vero ſalivę ſingularis eſt vis fermentativa, ratione cuius proficua ſane eſſe poſſet eius cum pulte miſcela, ſi exacte ſane nutrix eam inſtitueret: Sed cum ratione virtutis huius fermentativę etiam morboſa contagia ſub eius vehiculo promtiſſime communicentur, ſeque multiplicent, ob id minus iſtam Nutricis delibationem permittere poſſum, cum exinde facillime ad morboſam corruptelam puls diſponatur, imprimis ſi tantillum ſcorbutici fermenti gingiuas & ſalivam inquinaverit *Etmuller valetud. Inf. pag. 10. ad 19.*

Error maximus committitur in pueris, quod ſtatim ab vſu pultis & lactis eos dormire faciunt; Quid enim ad cruditaẽ generandam facilius, hinc Epilepſia & morborum conſimilium occaſio. *Ballonius Annot. in hypp. l. 6. lib. 2. conſil.*

Nec minor error cõmittitur dum ſtatim ab exhibitione alterutrius cunas agitant Nutrices, hinc enim impeditur retentio in ventriculo, fluctuatio excitatur, vomitus &c.

Lactis vitioſæ alterationes quomodo corrigendæ.

Lactis & Lactationis pernicioſa errata ex ſupradictis facile quivis corrigere valet, Ad hoc vero ſemper habeatur reſpectus vt omnis vitioſa aceſcentia, hincque grumoſa coagulatio, ceu familiariſſima vitia quantum poſſibile præcaveatur, commendatiſſimus ob id nutrici ſit *aniſi* & hinc *fœniculi* vſus, ſive eorum ſemina, poſt ſingulos paſtus comedantur ſive poſterioris taliem radix, herbaque quacunque ratione vſurpetur; præter lactis enim vbertatem, etiam ſalubertimam vim ipſi conciliant, ſimul aromatica volatili oleo natura, & aceſcentiam eius præmaturam & coagulationem optime promovent

quin & tormina & flatus infantis faciliter tollunt.

Caveat ſimul ſedulo nutrix ne aquæ frigidæ diutius aut crebrius manus immergat, & ſtatim ab hoc lac infanti infundat, nec enim infans tantum, ſed & ipſa nutrix ventris torminibus ex tali occaſione ſæpiſſime obſervatur corripi.

Quod ſi inopinato terrore concuſſa vel ita percita Nutrix lactis graviorem alterationem metuat, poſtquam Lac ex uberibus prius emulſerit; aſſumpto *ſpermatis ceti* ʒß. *ad* ℥i. cum *antimon. diaphor. gr.* xv. *ad* ℈i. in *hauſtu cereviſiæ calidæ*, ad blandum ſudorem ſe componat, quo omis lactis corruptela ſic emendetur: Vel recipiat in tumore, dolore, & duritie ſupervenienre, & ita inflammationis, metu *c. c. ſine igne* ℈i. *antimon. diaphor.* ℈ß. *ſalis volat viperar. aut c. c. gr.* viij. *mſ.* Aut *c. c. ſine igne* ʒß. *ſalis car. ben.* ℈ß. *aut gr.* xv. capiat in *aqua flor. ſambuc.* & pro ſudotifero reſolvente aſſumat, vel horum loco *ſpir. ſalis armon. à* ʒß. ad ʒi. in *aqua card. ben.* hauriat, & ſudorem plus minus largum expectet.

Imponat ſimul mammæ, in leviori quidem affectu, *Empl.* de *ſperm. ceti myrſinth*, In graviori vero inducendo mammæ *empl. de galbano crocatum*, Mynſicth cum *ãã. gummi ammon.* in *aceto* ſoluti invicem liquefactis, & linteo denſo inductis confectum, quam calide perferre poteſt: utrique in caſu deſuper ſacculum interpaſſatum ex *oryza* confectum probe percalefactum imponat deſuper; ut per ſudorifera iſta alkalina diſſolutum lac, horum adiumento promoveatur in motum, & ſtagnatio eius ac grumeſcentia ita corrigantur mature. *Etmuller* valet c. 3. §. 3.

Infans quando ablactandus.

Operæ pretium eſt ut lactere ſinamus annos duos integros cum dimidio; Quod enim alimentum partibus ſolidis fovendis convenientius. *Ballonius. Epid. lib. 1. pag. 8.*

Cap. XXXVIII.

DE MORBIS CAPITIS IN PUERIS.

Et 1. De Cruſta Lactea.

[1] CRuſta *lactea*, *Achores*, *Favi*, ſeu *ulceroſa tubercula*, in capite præcipuè ſed interdum & univerſo copore exorta, è tenuiſſimis foraminibus ſanioſam quandam materiam perpetim fundentia.

[2] *Oriuntur* ab humore partim craſſas partim tenues, ſeroſas, ſalſas & nitroſas partes continente, vel in utero, vel extra lactis vitio collecto: colorque ulcerum nunc albus eſt, nunc ruber, nunc flavus, nunc nigricans.

In *Curatione*, I. [3] ſi nihil mali metuendum, [4] expellentia, ut *Syrupus fumariæ*, *C. C. uſtum* & alia exhibenda. Nutrix bonam diætam ſervet & evacuetur. [5] Infanti, ſi per ætatem fieri poteſt, *Manna*, *Syrupus roſar. ſolutivus* vel *Syrupus de tribus*, exhibeatur.

[6] II. Si putredo inſignis ſub cruſta metuitur, vel carnis aut cranii eroſio, caput primò emollientibus & abſtergentibus, ut decocto *oxylapathi*, *cicerum*, *fabarum*, *radic altheæ* cum *urina* abluendum: poſt, leviter exſiccantes [7] inunctiones, ex *oleo roſarum*, *amygdalar. amarar.* cum *viridi æris*, *ſulfure*, *litargyro* adhibendæ.

III. Si cranium læſum, detrahenda cruſta, &c.

[1]. *Cruſta Lactea* Aliis Lactumen, videturque affectus dictinctus ab *achoribus favis tinea*, quæ uno capite concludi poſſunt ob cognationem, neque dividi debent, videatur *Ioel.*

[1]. *Cruſta lactea Achores, Favi*) Sunt hæc manantia capitis interdum & univerſi corporis ulcera, ſeu ulceroſa tubercula, ex foraminibus ſanioſum quid continue eructantia, ab humore miſto, partim craſſas, partim tenues fundentia, Hæc *ſubiecto* quidem & *forma* inter ſe conveniunt, attamen *magnitudine* ac materia differunt, ita ut *Achorum* foramina ſint anguſtiora, materiam variam modo bilioſam interdum attrabilariam, maxime vero ſalſam nitroſamque pituitam emittentia, *Favorum* vero ampliora, cereis apum cellulis ſimilia, & materiam colore conſiſtentiaque melli correſpondentem fundentia. *Hoedegi pag. 1573.*

[1]. *Cruſta Lactea*, *Achores*, *Favi*, *ſeu ulceroſa Tubercula*) Si mucus crudus acidus & viſcidus inteſtina admodum incruſter, aut ductus lacteos, obſtruat, denegato nutrimenti tranſitu Atrophia oboritur. Si idem minus viſcidus, crudus tamen & vitioſo acore, inquinatur neceſſario etiam hinc lymphæ latex nimio acore nimiaque acrimonia; Quod ſi cum tali plus minus intenſa ſanguinis & lymphæ labe nutrimentum exinde pro augmentandis & ſuſtentandis partibus confectum, has ipſas ſubintret, & per earum porulos diſtribuatur, nullomodo perfecte ipſis aſſimilari poteſt, quia potius acore, antea quidem apparenter occultato; & aliquali ſimul viſciditate ipſis inimica, hinc inde in puſtulas congeratur, in quibus acor denuo manifeſtatur cum vicino rore partium acrius efferveſcit, hinc altior tumor, intenſior rubor & ardor ſupervenit, donec mutua temperatura, nunc in pus nunc in ſaniem, nunc aliud ſimile liquamen abeant, & per cuticulam prius in ſquamulas & furfures eroſam exeant; relicto adhuc poſt ſe fermento ſubtili acido viſcido, corrumpente ulterius novum, inculpatæ etiam notæ alimentum, iſtudque in ſimiles ſordes immutante, ſerpente ita ſucceſſive ipſo malo ulterius, & inquinante & exedente acore ſuo proximam adiacentem partis ſubſtantiam ut in *Favis*, *Tinea*, *Cruſtaque lactea*, itemque Furunculis infantum obvium, Quæ omnia eo facilius eveniunt, eoque pertinaciores radices figunt quo minus tranſpirabiles ſunt partes ita affectæ, & quo magis poris earum clauſis, dicta excernenda ſucceſſive congeruntur. *Etmuller pag. 26.*

Lactumen

Lactumen, Cruſtoſa ſcabies Puerorum.

Κρεῖα, *Lactumen*, Eſt ſcabies cruſtoſa aſpera & dura, potiſſimum in capitibus & facie aliiſque partibus exoriens; Lactumen dicitur forte, quia à lactis impuritate, acredine, & ſalſæ pituitæ admixtione oritur.

Curatio ejus vtplurimum naturæ committitur, cum non adeo notabiles infantibus afferat moleſtias. Proceſſu enim temporis exſiccata cruſta ſponte decidit.

Laborandum autem eſt in hujuſmodi ſcabiei eruptione, vt lac nutricis emendetur, nutricique quotidie bibendum propinetur mane ac veſperi, *ſerum lactis caprini*, cui *ſuccus fumariæ* ſit admixtus, ſintque in eis decocta *ſennæ fol. centaur. & agar. trochiſc.* in linteolo colligata, Tum enim maturius decidit & non renaſcitur, Interdicatur quoque uſus aromatum calefacientum eduliorum; ſalitorum, caſei.

Ubi vero infantulorum faciem talis ſcabies dehoneſtet, & vſque ad oculos ſe extendat, eoſque lædere poſſe metuatur, *vernis Pictorum*, vel *pix ex betula arbore*, vel *liquor ex betula* ſudans in igne inter ardendum illiniri ſcabies, aut per linteolum extenſa inſtar catapl. imponi poſſunt.

A quibuſvis autem adſtringentibus & refrigerantibus abſtinendum. Commode quoque in balneis locus affectus ablui poteſt *aqua calida* in qua cocta ſint *fol. malv. alth. chamom. melilothi, & roſ. & ſem. fœnugr.* utiliter quoque inungi poteſt *oleo chamæmel.* Joel.

Mala cauſa eſt, ſed bonum ſignum, qu a Natura noxios humores, vel in utero ex ſanguine materno, eoque impuro & pravo, vel extra vterum, ex vitioſo nutricis lacte contractos expellit. Ipſumque infantem à variis morborum generibus præſervat, epilepſia, catarrhis, paralyſi, epiphora, calida vel frigida, &c. *Sebiſius man. p.1778.*

2. *Oriuntur ab humore*) Revera ex lymphæ nimis, ſeu p. n. acidæ, plus minus ſimul viſcidæ vitio originem ducere arbitror; Lacte vel Matris ſub geſtatione fœtus, vel Nutricis ſub ejus lactatione, vitioſo, cauſæ remotæ vices obtinente; ſemper enim fere cum hiſce defectibus glandularum in collo & circa caput denſe conſitarum, item parotidum, &c. tumores conjuncti eſſe ſolent, ita quidem vt vel præcedant, vel ſimul affligant vel dictos affectus declinantes ſubſequantur, Rariſſime hoc poſterius obſervatur, ſi vel metum recidivæ, vel mutationem defœdationis dictæ in alium affectum p. n. ſecum trahit. Iſtud prius frequentiſſime accidit, ita ut mulierculæ, etiam per experientiam edoctæ, ex conditione dictorum tumorum, quaſi ſcrofuloſorum, (*Tumeurs froides hic vocant*) affectuum talium diuturnitatem, vel magnitudinem, aliaſve circumſtantias probabiliter præſagire ſoleant; Certe obſervavi Tumores tales glandularum, ad parvi ovi gallinacei magnitudinem in collo, mox infra aurem protuberaſſe, cum craſſa lactea caput obducens evanuiſſet, quo tempore ſucceſſive ſubſidente & tandem dicta lactumina denuo effloreſcebant.

Non amplius enim dubitatur; Glandularum functiones verſari circa Lymphæ præparationem & diſtributionem, vnde ſponte pateſcit Lymphæ vitium primarium ſubeſſe, ita quidem ut ejus conſiſtentia materiali obſtruantur Glandulæ, & inde conſequenter intumeſcat, Ejus vero aciditate, ob largiorem in partes intercutaneas capitis extimas effuſionem, ex denegata plus minus diſtributione & motu per glandulas, pruritus intenſiſſimus in dictis locis, cum puſtulis rubris ſucceſſive in pus abeuntibus, & ſquamis in ſequentibus ac furfuribus, ex cutis & cuticulæ eroſionibus ſuperveniant, quæ omnia pruritus, purulenta ſanies, cruſtæ & ſquamæ de aciditate agente cauſæ peccantis manifeſta ſunt indicia, vt alio loco & ab aliis probatum eſt, ut taceam aſperiora facta hæc mala ad cranium uſque penetrare, iſtudque erodere, pro more acidorum, oſſeas ſubſtantias facile erodentium, de quo videatur *Sennertus lib. de morb. Infant. p. 2 c.3.* unde & capitis partes extimæ quæ aliquis locis dictis infeſtantur malis ob copioſiores glandulas quibus hinc inde ſpeciatim collum ſtipatum ſit.

Differentia autem has inter capitis defœdationes obſervatur, quatenus nunc acrior & acidior eadem fuerit, unde ulcuſcula manantia & copioſam acrem ſaniem fundantia emergant; vel quatenus eadem minus acris ſed fere magis temperata & viſcida excitent, ſic enim cruſtæ denſiores, & denſe ſubinde compactæ, & ſibi invicem ſuperſtratæ generantur, ſucceſſive decidentes, Imo etiam pro Lymphæ ita peccantis ratione, varia glandularum quoque obſervatur conſtitutio, de quo uberior adhuc experientia conſulenda venit.

Et ſane non levis eſt cognatio talium Lactuminum cum adultorum ſcabie, cum & ſubinde contagioſa deprehendantur, & iiſdem remediis in ſpecie *nicotiana, ſulphure, mercurio*, &c. curari ſoleant, & retropulſa, ut vocant, paria plane inferant ſymptomata ita ut particularis capitis ſit ſcabies. *Etmuller p. 26.*

3. *Si nihil mali metuendum*) Vulgi fert perſuaſio ſalubres eſſe infantibus tales cutis defœdationes, quatenus præſervent eos à gravioribus affectibus, quod negari ſuo modo nequit, quatenus ſunt bonum quidem ſignum, ſed malæ cauſæ *effectus*, quæ ſi abeſſet magis conduceret; Quæ hactenus ſum expoſita, videtur confirmare quem obſervavi puerulus novem menſium p.p. vitio nutricis cacochymo ſcorbuticæ inſigniter, dicta cruſta lactea cranii hemiſphærium, & faciem fere integram mire deformatus, quæ cum ſponte evanuiſſet ſucceſſit graviſſima tuſſis, tenellum pectus inſigniter & continuo quatiens, cum copioſi muci in ſtomacho & oeſophago præſentia, una cum diarrhœa ſeroſa adeo acri ut etiam extrema podicis, & vicina loca excoriarentur; totum corpuſculum inſigniter æſtu fervebat; & inſultus quidam epileptici ſubinde iſtud convellebant. Factum fuiſſe hoc arbitror lymphæ peccantis metaſtaſin, præter alia loca in ſpecie ad glandulas ſalivales, & quæ laryngem irrorant, ut & ad pancreaticas (*adde & inteſtinorum, tum craſſiorum, tum duodeni numeroſiſſimas recens à Clar. Brunnero, Profeſſore Heidelbergenſi detectas*) per quas lympha iſta acida acris, non adeo viſcida uberius effuſa ſpeciatim dictam tuſſim & diarrhœam, alia ut tranſeam ſymptomata, induxerunt.

Dicta modo etiam *Aurium humiditatis fluentis, excoriationis & exulcerationis* item *Labiorum* manifeſtam reddunt. *Etmuller.*

4. *Expellentia*) ſi Cutanea ex vitiata nutritione, ſubinde etiam, non neglecta balneatione effloreſcant vitia, in Achores, Tineam, & cruſtam lacteam, &c. *interne* alkalinis volatilibus, in ſpecie viperinis inſiſtendum, tantillum *liquoris c.c. ſuccinati*, aut *ſalis volatilis viperarum, pulveriſve* cujuſdam *viperini* propinando, vel *tincturam antimonii* crebrius guttatim exhibendo, vel c.c. ſine igne, aut *antimonium diaphor.* aut *oculos* ♋. cum pauca *myrrha* iteratis vicibus uſurpando. *Etmuller.*

5. *Infanti ſi per ætatem*) Quæcunque externa, nonniſi præmiſſis internis, & fomitem morboſum tam in primis viis, ſpeciatim in ſtomacho quam in latice lymphæ corrigentibus & delentibus in uſum vocanda ſunt, ne pallietur morbus externus, & gravior internus inducatur affectus. *Etmuller.*

6. *Si putredo inſignis ſub cruſta, &c.*) Merito duplex harum in cute effloreſcentiarum ſtatus duplicem medendi rationem Medico inſinuat, Interdum enim Puſtulæ hæ ex acriori acido in manantia jam degenerave-

tunt ulcuſcula, acrem plus minus tenuemve ſaniem jugiter plorantia, quibus leviter linteo vel ſpongiola, *aqua ſpermatis ranar.* turgida abſterſis, inſpergantur pulveres acida abſorbentes, viſcida modicè reſolventes, & ita, ut vocant, exſiccantes & detergentes qualia componuntur ex *creta, lacte Lunæ, ſuccino, c. c. uſto ceruſſa, tutia, myrrha, flor. ſulph.* & ſimilibus; Præ cæteris *crocus martis* ex ejus *vitriolo per lixivium ſalis tartari præcipitatus*, & probe edulceratus, ex nodulo leniter inſperſus, mirabilis exiſtit, cui tantillum *ſalis tartari*, coſmetici ſummi, quantum nempe ſine doloris ſenſu perferri poteſt, inprimis ſi contumaciores fuerint, aut ſubinde repullularint defœdationes dictæ, conſulto permiſcetur. His namque abſorpto acido, & deterſo viſcido, ſponte ſucceſſive coibunt ulcuſcula, idque citra ullum recidivæ metum. Sic enim v. g. Lactumina faciei ſi obfuſcant nitorem puſtulis in ſpecie manantibus inſpergendum eſt.

℞. *Pulv. lapid. calamin.* ʒj, *flor. ſulph.* ℈ij. *ceruſæ* ʒß. *ol. tartar.* gr. xij. vel xv. *m. f. Pulvis* ſubtiliſſimus inſpergendus.

Quod ſi vero mitius in dictis ulcuſculis peccaverit acidum, idque jam ſub ſua ſalſedine temperata, cum purulentia viſcida coiverit in tenaces & ſubinde ſpiſſas cruſtas, ſufficiant ſimpliciter alkalia fixa cruſtas emollientia, & acidum vitioſum in radice penitus deſtruentia, quem in finem vel *lixivio vulgari* blande humectentur ſubinde dictæ Puſtulæ, vel *oleo tartari per deliqu.* eadem blande quaſi illinatur, vel ex dicto *oleo per deliqu.* cum *oleo expreſſo amygd. dulc.* fiat ſubtilis litus, dicto modo applicandus.

Quod ſi grandiores tumores glandularum circa capitis protuberent confinia, applicandum eſt pro eorum diſſolutione *Empl. de meliloto malaxatum cum oleo Philoſoph.* vel fiat compoſitum ex *eodem* cum *empl. de galbano crocato Mynſichti* & ita imponantur aliquandiu relinquendo. *Etmuller.*

7. *Inunctiones ex oleo roſac. &c. cum viride æris, &c.*) Vulgaria fugimus merito unguenta & Linimenta, ubi ſimplicia *cera, oleis, terebinth.* pinguedin. reſinis ſimilibuſque permixta, & partim ſaturata partim obruta & ſubacta, nullum operandi vim exſerere valent, niſi quod poris cutis denſe incruſtando malum longe deterius reddunt. *Etmuller.*

℞. *Spumæ argenti* ℥j. *fol. rutæ teneror. n°. xxiv. aceto dilue & roſac. myrteo excepta pannis illine*, hoc magno experimento nobis conſtat in achoribus & reliquis puſtulis capitis. *Aetius Tetr. 2. ſ. 2. c. 68.* Ad Favos & achores capitis *Sal tartari* egregie prodeſt. *Agricola in Præſ̄tiem.*

Hoc medicamento innumeros ab Achoribus curari

℞. *Ol. myrth.* ℥vj. *aceti acerr.* ℥ij. *pulv. fol. myrthi* ℥ß. *ſulph. litharg.* ãã. ʒi. m. Chriſt. à Vega.

Efficaciſſimum hoc eſt.

℞. *Auripigm. r. calcis vivæ quinquies lotæ* ãã. ℥iij. *fulig. furni* ℥j. *vitrioli, alum.* ãã. ℥ß. *allii tenuiter conciſi* ℈ß. *tartari* ʒvj. *cum melle & aceto* f. Ung. *Rondeletius Pr. c. 4.*

Sequens remedium egregie valet ad cruſtas & eruptiones puerorum in capite.

℞. *Vitell. ovi coctum* n. j. *myrrhæ* ʒj. *rad. ari* ʒß. *belleb. n.* gr. iv. pulveriſata miſce, & pone in ſartagine ferrea ſuper carbonibus exprime oleum; repete aliquoties coctionem & expreſſionem, liquorem ſerva, Eſt hoc medicamentum infallibile, quo partes corporis affectæ ſæpe in die illinantur, valet & ad Favum Tineam, Achorem. *B. Montagnana conſ. 298.*

Ungu. *Gordonii Lib. med. part. 1. c. 7.* de Favis, præſtantiſſimum. *Laur. Joubertus.*

Purgato corpore, & adhibitis detergentibus, ſequens, Ungu. magni apud me pretii, magnæ efficaciæ eſt.

℞. *Litharg. auri & arg. cum aceto acerr. nutrit.* ʒij. *cereviſ. cum aqua ſolatri lotæ* ʒß. *alum. roch. combuſti, fulig. furni rad. enul. pulv. chartæ empor. uſtæ* ãã. ʒß. *ol. ovor. axungiæ gallinæ, porci* ãã. ℥ß. *ol. laur. roſac, aceti roſac.* ãã. q. ſ. m. F. ungu. *Ph. Grulingius Cent. 1. cur. 10.*

Seqnens Ungu. *Bayri* mirabile eſt, Præmiſſa purgatione caput abluatur cum *decocto flor. Salicis, fol. parietar, betæ albæ,* lentium, hinc ungatur,

℞. *Lithargi* ℥j. *rutæ virid.* ℥ß. *Staphiſ.* ℥iij. *vitriol.* ʒj. *cum aceto & ol. myrtino* fiat ungu. *Foreſtus.*

Hoc ſummopere probatur.

℞. *Mercurii vivi, ſpumæ argenti* ãã. ℥j. cum *aceto roſac. terantur & ſolvantur, mox adde terræ ſamiæ* vel *Lemniæ*, ℥ß. *ſucci plantag. limon.* ãã. ℥iß. *ol. lentiſc. myrt.* ãã. ℥j. m. F. vngu. *Jul. Caſ. Claudinus Emp. rat. l. 1. ſ. 1. c. 7.* de Achor. Favis, Lactumiis dictis.

Expertum ſæpe & probatum remedium ruto adhibetur,

℞. *Pulv. bryon. roſar. fimi columb. ſulph.* ãã. ʒij. *ſangu. teſtud. ſucci betæ* ãã. ℥j. *croci* gr. viij. *ol. laur. junip.* ãã. ℥ß. m. in mortario plumbeo m. f. Linim. quo actu calido bis in die curis illinatur, *Joh. Cekkius meth. de tuenda Pu. val. p. 61.* de Achor.

Poſt ablutionem capitis Linimento efficaciſſimo caput illinatur,

℞. *Litharg. ceruſſæ albæ* ãã. ℥j. *ſulph. hydrargyr.* ãã. ʒjj *ol. roſac. ompha.* ʒvj. *aceti* ℥ß. m. in mortar. plumb. f. Lin. *Idem.*

Ego hoc expertus ſum pluries, poſt ablutionem, (vide ſupra ex *Foreſto.*

℞. *Sulph. fol. parietar.* ãã. ʒß. *ſaponis Gallici* ℥j. m. cum ſucco parietar. & f. ungu. *P. Bayrus.*

II. 8. *Tinea* Arabibus *Sahafati ſiccum*, ſeu 9. ulcera cutis cruſtoſa, ſicca & fœtida, non aliter cutem capitis erodentia, ac tineæ vermiculi veſtes.

Cognoſcitur ipſo viſu: apparéntque in cute ulcera quædam cruſtoſa & arida, modo viridia, modò crocea, modò cinerea, & ſi quid emanat, fœtidum eſt.

10. *Oritur* ab humore ſalſo & acri, in aduſtum & atrum degenerante, ſæpéque per contagium infeſtante.

11. *Curatur* difficulter.

I. *Humoris ipſius evacuatione*, infante jam adultiore, per *polypodium & ſenam.*

II. 12. *Cruſtæ detractione*, per *cataplaſma ex naſturtio trito cum axungia porci* & impoſito.

III. *Pilorum evulſione*, vel volſellis, vel pileolo pice navali inducto, vel aliis

IV. *Emollitione*, ut cutis ſicca humectetur, pori aperiantur, & excrementa altius in cute hærentia evocentur & diſcutiantur, per emollientia & detergentia in lixivio vel aceto decocta.

V. *Capitis ad rubedinem vſque frictione*, 13. per *oleum ſtaphidis agriæ, ſuccos raphani, ceparum, helleborì, nitrum* & alia. 14. Ab *arſenico, auripigmento*, & aliis cavendum.

15. Differt. Nam I. vel eſt *Recens*, quæ flava & aliquid humiditatis obtinet; faciliuſq; curatur.

Vel

Vel *Antiqua*, quæ planè ſicca,cinerea & nigra,curatúque difficillima. Solent non rarò in loco affecto naſci pili, túmque maximè, cum cutis quaſi teſtacea, nec ad frictionem rubet.

II. Vel eſt [16]. *Furfuracea*, quæ ſquamas furfuribus ſimiles dum ſcalpitur emittit.

Vel *viſcoſa*, in qua cruſtâ amotâ, vivæ carnis particulæ grana ficuum exprimentes apparent.

III. [17]. *Phthiriaſis*, ſeu pediculorum in capite inter pilos exortus.

[18]. *Oriuntur* hi partim ab humore excrementio vim pediculorum ſeminalem continente; quæ à calore benigno & moderato excitatur ac in actum deducitur: partim ex congreſſu. Unde lendes inſtar ovorum generantur.

[19]. *Præcaventur*, bono victu, fugiendæque ficus.

Evacuationei ſordium remotione; per ſaponem, lixivium, rutam, abſinthum, ſtaphidem agriam; quæ velideò pedicularis, [20]. argento vivo ſalivâ extincto, helleboro albo, &c. in quibus delectus ſervari debet.

IV. [22]. *Siriaſis*, ſeu [23]. cerebri & membranarum inflammatio; quam ſyncipitis cavitas conſequitur, Germanis *dats Blatſchiſſen*.

[24]. *Cognoſcitur* ex eo quod oſſa ſyncipitis parte ſuperiore, ubi ſutura coronalis & ſagittalis coëunt, membranacea quaſi ſunt & omnium poſtrema indurantur; oculi evadunt cavi; caput calet, facies rubet.

Oritur à [25]. ſanguine pituitoſo putreſcente, & dum incaleſcit in bilioſum quaſi faceſſente, [26]. culpáque quandóque in lacte nutricum ſpirituoſiore cui à frequenti vini vel cereviſiæ fortioris, vel calidorum & aromaticorum uſu, origo. Auctor ſanè Lucretius, fœtus teneros caprarum lacte mero dementari.

[27]. *Curatur* raro & difficulter. Intereunt namque intra tres dies quibus cerebrum ſyderatum; quod ſi hos ſuperaverint, ſani ſunt.

1. [28]. *Evacuatione*, ne plus materiæ affluat, per clyſteres. ſyrupum roſar. ſolutivum, &c.

2. [29]. *Refrigeratione* capitis, ſed ne nimio refrigerarium uſu cerebrum lædatur. *Oleum roſarum* inunctum non obeſt. Calidioribus abſtinendum.

[8]. *Tinea*) Inter affectus Infantibus præſertim moleſtos ſunt & Scabies agria ſive fera & Tinea; Illa omnes corporis partes occupare poteſt, quamvis frequenter in hiſce locis faciem ac pectus afficiat & quandoque brachia, *Tinea* vero caput: inprimis parte ipſius capillata vexare ſolet; in qua cutis partes variæ quaſi à vermiculis exiguis perforatæ videntur, unde humor tenax erumpit ac effunditur inſtar roris, cruſtas coloris varii producens: aliquando capillis nocet, adeo ut ſæpius excidant, & ſegnius vel nunquam iterum excreſcant, relictis plagis in capite vndoſis, pilis carentibus.

Cum non multum differant horum affectuum cauſæ & curatio, ſimul ipſas tractabimus. Affectus vterque diſtinctius explicabitur, ſi conſiderentur ſymptomata conjuncta, ex quibus cauſa vera & curatio deducantur.

Ergo in *Scabie* illa *fera* erumpere ſolent primo parvę Puſtulæ, hanc aut illam cutis partem obſidentes, ac præſertim faciei, aurium brachiorumve, quandoque totius pene corporis cum ſummo pruritu; propter quem infantes, quoties poſſunt partem ſcalpunt & lacerant, ſuccedente rubedine, mox & cutis externæ apertione, tum liquor acer mordaxque, tum ſanguis effunditur; unde augetur malum, latius ſerpendo & novam moleſtiam alibi producendo.

Humor ille obſervatur varius, aqueus, flaveſcens, obſcurus, acer, ac ſi guſtetur, aciditatis à dimiſtæ notas præbens, quin ad ſalſedinem muriaticam accedens.

Idem eſt tenax ac glutinoſus, partibus adhærens tandemque iterum concreſcens ac cruſtam excitans, quæ accreſcit quoque induſiis aliiſque linteis, quare ſine cruſtæ abruptione, ac plerumque ſanguinis quoque humoriſque vitioſi nova eruptione removeri nequeũt, niſi admodum caute humectentur lintea, ita ùt cruſtam relinquant ſubjectæ cuti adnatam; quod faciendum, quo citius faciliuſque curetur hæc ſcabies; quod malum facilius curatur, ſi parti affectæ annexæ maneant cruſtæ, ſub quibus tam ſponte quam arte facilius corrigitur humor noxius & acer.

Præter pruritum ſummus adeſt *ardor*, etiam cujuſvis manibus applicatis manifeſtus, quem arbitror excitari à vitioſa efferveſcentia quæ ibidem contingit, & quidem calida.

Notum enim eſſe debet (me præeunte) duo tantum reperiri in rerum Natura acria, & quidem ſibi ſubcontraria *ſalſum lixivum & acidum*, atque ab illis vel purioribus vel minus puris confluentibus, aut junctis excitari efferveſcentiam & pugnam, ſæpius cum calore; rarius cum frigore junctam, facile conjiciet in tali affectu alterutrum vel utrumque ponendum, concludendumque Acre in corpore infantium peccans, quod ad corporis ſuperficiem cum ſanguine circulante propulſum ibidem ſiſtatur atque hunc affectum moleſtum pariat.

Cum igitur ex memoratis feræ iſtius ſcabiei ſymptomatibus concluderem cauſam ipſius eſſe humorem acrem, ſimulque glutinoſum, mox judicavi acrimoniam ibi peccantem probabiliter putandam Acidam; quippe quod humori glutinoſo facile ſe jungat acidum, ac cum ipſo feratur quaquaverſum; cui ſi jungatur ſalſum lixivum, facile in flatus abit, vel ſaltem illud ſalſum magis obtundit, Hoc fundamento ſic ex meis obſervationibus practicis & chimicis poſito, cenſui tum ratione acrimoniæ acidæ, tum ratione pituitoſi glutinoſi, poſſe conducere ſalia lixiva, & inprimis blandiora, vel fixa, quale in calce viva reperitur, vel volatilia ex omnibus animalium partibus parabilia, nec ſpes fefellit me, quippe utroque remedii genere uſus ſum feliciter & curavi plures facile.

Cæterum hærent illi humores Acres Acidique in corporis ſuperficie aliquando, ob pituitoſam glutinoſam ipſis adjunctam; aliquando ob aliquod in diæta vitium: Videturque illa humorum acrium ad ſuperficiem corporis deductio deberi imperfectæ criſi, quatenus illi ſecernuntur quidem à reliqua ſanguinis maſſa, impediuntur tamen in ſua per cutis poros

excretione, aliquando ſicut dixi, ob admiſtos ipſis glutinoſos humores quorum cauſa adhærent facile circa cutim, aliquando ob erratum in diæta commiſſum, frigus puta durante ſudore admiſſum, quod poros occludendo exitum prohibet humorum noxiorum.

Hi quocunque modo in corporis ſuperficiem hærentes amplius vitiantur, quin allabentis ſanguinis partem ſimul corrumpunt, & pruritum doloremque partibus vicinis excitant, quibus fricatione violenta ruptis erumpit humor vitioſus, qui ab externo aëre fit acrior, quatenus ex ipſo allicit, magnetis ad inſtar partes ſibi ex parte ſimiles, quæ noxam illam fovent ac diuturnam reddunt.

Notandum quoque humorem acrem, ex læſa cute prodeuntem partes vicinas, quibus glutinoſitate adhæret facile inficere ac ſimul afficere, quo nomine ſerpere ſolet hoc malum; quin hac ratione fit id vitium contagioſum dum ille humor alios contingit, præſertim infantes quorum humores pituitoſiores, quam in adultis.

Rarius talia in corporis ſuperficie mala ortum habent, ab humoribus diverſimode acribus & in ſanguinis maſſa redundantibus, continue ad corporis ſuperficiem propulſis, aſt plerumque ab iiſdem, licet paucis, una cum ſudore eo delatis ac ibidem ſubſiſtentibus, ampliuſque mora corruptis, quin appellentis ſanguinis partem itidem corrumpentibus, atque ſic ad tempus longum affectum foventibus, quod vel inde confirmatur, quod illa ſcabies ſit contagioſa, adhærente humoris acris, & plus vel minus glutinoſi parte alterius cuti quam penetrat, & allabentis ſanguinis ſani partem corrumpit, atque in cute permanens malum ſæpe diuturnum parit.

Hoc idem confirmat curatio, ſolis plerumque externis abſolvenda, abſque internis medicamentis, niſi obſerventur præterea alia in humoribus vitia, quæ medicinam requirunt, non item ob ſcabiem, niſi forſan producta ſit à ſudore quovis modo impedito, quo in caſu vtile erit ſudoriferis blandis, ac ſæpius exhibitis denuo viam parare humoribus in ſuperficie hærentibus, ibidemque ita corruptis ut ſcabiem hanc feram producant, ubi vero criſeos modo ad cutim propulſus eſt humor acer, ibidemque ob admiſtam pituitam tenacem ibi hærens malum produxit, cæteris functionibus rite ſe habentibus, obſervavi ſæpius ſolis externis curatum hoc malum.

9. *Vlcera cutis cruſtoſa, &c.*) Quæ quintam ſpeciem Tineæ conſtituere dicuntur (vide inferius §. *vel eſt furfuracea, &c.*) Alias tamen *cruſta lactea, Favi* & *Achores* à *Tinea* noſtra in eo differre dicuntur, quod illi ſint ulcera humida, ſaniem continue fundentia, & non caput ſolum, ſed & alias corporis partes occupantia, *Hæc* vero ulcera denotet cruſtanea & ſicca, caput tantum infeſtantia. *Hodegus p.1578.*

10. *Oritur ab humore*) Quia humor parens (vide §. *Tinea*, ex *Sylvio*, & ſupra de cruſta lactea, Achoribus, &c. §. *oriuntur ab humore*) ex Etmullero.

11. *Curatur*) Curatio conſiſtit in emendatione Lactis nutricis, cum bona victus ratione, & Topicorum applicatione.

In *vlcere humidiore & purulento*, primum pili capitis abradendi, & ſæpius caput lavandum *lixivio calido* in quo incocta ſunt *fol. myrtillor. rad. lapat. ſem. lupini & lentium*, ac poſt lotionem ſanies diligenter exprimenda & abſtergenda.

Si *ardor cutis* adſit, vel *inflammatio* Catapl. imponatur ex *fol. ſalicis*, aut *lentibus paluſtr.* aut *folior* amplius contuſis, *aqua roſar.* conſperſis, quæ & dolorem mitigant & ſaniem eliciunt.

Sublato catapl. inungatur ſanioſa ſcabies *leguminibus piſorum* in ore iejuno probe maſticatorum, aut confricetur *fruſtulo ſuccidæ*, cum *piſis* cocto, aut illinatur ſequ. ungu.

℞. *Ceruſſ. litharg.* āā. ℥v. *granor. mezerei* ʒii. *lixivii ex cinere vitis* aut *urticæ percolati, ol. roſac.* āā. ℥ß. *lutei vnius ovi in duritiem aſſati & minutiſſime contuſi ms f. ungu.*

Singulis diebus poſt ablutionem & expreſſionem ſcabiei, invngatur locus affectus.

Porro certiſſima experientia comprobatum ad omnia genera ſcabiei in capitibus infantium, plurimum conferre *camphoram*, ſi ſuper ferrum candens aduratur, in pulverem redigatur, & ſcabies inſpergatur; aut cum *pinguedine ſuilla veteri* commiſceatur, & inungatur.

Aut abluatur cruſta capitis *aqua tepida* in qua incocta ſunt *menthaſtrum, maiorana, thymus, ſatureia*, ac deinde pilis abraſis inungatur ſequ. Linimento.

℞. *Litharg. ceruſſæ* āā. ℥ij. *flor. ſulph. hydrarg. ſaliva jejuni extincti* āā. ʒß. *Pulv. ſubtiliter, & cum ſ. q. olei roſac.* accurate miſceantur.

Si *arida* fuerit *ſcabies*, & cum ſquamis decidat, pili abradantur & caput laveiur aqua decoctionis *fumar. betor. chamom. thymi, epith. cum rad. helleb. nigri*, & tandem ex præſcriptis ungueuno, maxime accommodato, inungatur. *Joel.*

12. *Cruſtæ detractione per*) Externe *mercurialia*, quibus hoc in paſſu ſubinde abutuntur, vitentur, cum Epileptica in tenellis adeo ſubjectis inducantur ſymptomata, *Timæo* teſte. *Reſponſ. 43. pag. 106.* Puſtulæ linimentis *Saturninis* aut *ſulphureis* acidum abſorbentibus ac temperantibus blande inungantur, quibus ſi addideris *ſalis tartari* modicum, exoptatus habebitur ſucceſſus; v. g. *pulv. flor. ſulph.* excipiatur *ungu. de ceruſa, camphorato, vel diapomphol.* cum ſ. q. *olei Nicotianæ vulgar.* addendo *ſal. tartar.* plus minus prout acrius vel mitius poſtulamus linimentum, quo ipſo illitæ puſtulæ optime exareſcent & curabuntur. Facit huc etiam *Vnguent. expertum Panaroli, Pent. 5. obſ. 31.* ex *ſulphure, axungia porc.* & *ſucco limon.* quo illius locus tinea defœdatur, aliquoties, & poſtmodum decocto malvarum ablutus optime reſtituitur. *Etmuller.*

12. *Cruſtæ detractione*) Si cruſta vel in facie vel in capite tenaciter hæreat, præſentiſſimum remedium erit *vernicem Pictorum* linteolis inſtar illitum ſcabiei imponere, ſubindeque renovare. *Lapis* item *medicamentoſus Crollii in aqua nicotianæ* diſſolutus, impoſitus vel inunctus valde juvat. *Joel.*

13. *Per oleum*) Quidam, irritis remediis, electivo pharmaco purgatus, ſolum linimento ex oleo, in quo ad exactam coctionem *Bufo*, ſive *rana terreſtris*, ebullierat, optime curatus eſt, quippe ſimplici hoc remedio per paucos dies in capite utens ſanus & capillatus factus eſt: durante autem linimento pili emortui volſellis à Chirurgo extirpabantur. *Ant. le Grand in comp. Nat.*

14. *Cavendum*) Cavendum ſedulo in curatione ne adhibita medicamēta ullo modo cutis poros occludant, humoremque peccantem ad interiora repellant, unde gravia ſolent excitari mala: Quare in curatione rationali inſtituenda, uſurpanda quæ cutis poros ſervent apertos, quin eoſdem aperiant; quæque humorem acidum temperent, Glutinoſum incidant & abſtergant, ac conſolidationem promoveant. Hæc omnia præſtant ſola volatilia ſalia, ſed blandiora, quorum ope plures curavi feliciter, ſatque cito & facile; dando operam ne cruſtæ facile à partibus ſubjectis ſecernantur, cum ſub ipſis felicius contingat cura tota. Quod de ſcabie hac fera dixi, de *Tinea* quoque capillis maxime infeſta ſimiliter dicta ſunto, cum iiſdem ſalibus volatilibus cedat ſenſim. *Fr. Sylvius Append. Tr. 1. c. 8.*

[14] *Cavendum*) Vt à lotionibus capitis ex *nicotiana* inſtitutis pulveribuſve ejus inſperſione, ebrietatem enim turbulentam, anxietates præcordiorum cum lipothymiis, vomitu & copioſis ſeceſſibus, qui ſuperveniſſe in talibus obſervatum eſt. *Rob Boyle Exper. Philoſ. p.106.*

Externe *mercurialia*, quibus hoc in caſu ſubinde abutuntur, cum epileptia in tenellis inducantur ſymptomata. *Timeus Reſp 49. p.106.*

[15] *Differi, nam I.*) Duobus potiſſimum generibus cruſtoſæ ſcabiei, ſive ulcerum afficiuntur capitula & facies infantium, *ſicca* videlicet, quæ ex retorrida bile & melancholia aduſta originem ducit; Et *humida*, quæ ex pituita & impuritate ſanguinis oboritur, materia autem ſcabiei ex colore facile dignoſcitur. *F. Joel T. I. p. 501.*

[16] *Vel eſt furfuracea, &c. vel viſcoſa, &c.*) Sub ea contineri vulgo dicuntur 1. *Favus* (vide ſupra *Cruſta lactea, achores, favi*)

ij. Σύκωσις ſeu *Ficus*, qui tumor eſt rotundus, ſubdurus, rubicundus, vlceroſus, è quo aliquando exiguum & glutinoſum quid, granis ficuum ſimile effluit, in mento & barba præcipue, aliquando & in capillo proveniens. Quin & in *ano* quandoque.

iij. *Helcydria*, ſeu papulæ, ſunt Puſtulæ in capite parvæ & ulceroſæ, papillis mulierum ſimiles, humiditatem aquoſo ſanguini ſimilem effundentes.

iv. *Ameda* ulcuſcula ſubtiliſſimis foraminibus cutem excedentia, & cruorem inſtar lotutæ carnis emittentia.

v. *Vicuſcula* quædam *ſicca*, colore alba, lupinis ſimilia, quaſdam quaſi cortices & ſquamas albas aridaſq; de ſe fundentia. *Sebiſius man. p. 1577.*

III. De Phthyriaſi.

[17] 1. *Phthiriaſis*) Sive morbus pedicularis, eſt affectio qua verminat corpus, ſcatetque pediculis. *Blancardus Lexic. Med.*

[18] *Oriuntur hi*) Pediculi in capite infantium ſæpiſſime naſcuntur, ſecundum *Ariſtot.* ex carne, quando humidior eſt, fiunt primum puſtulæ ſine pure, quæ ſi pungantur exeunt Pediculi, non quod ex carne tanquam materia fiant, ſed in ipſa carne ſeu cute, ex parva ipſius humiditate. *Galenus* vero fieri vult ex humoribus calidis quidem, ſed minus quam in achoribus; cui conſentiunt *Aetius*, *Avicenna*, &c. Suntque hi humores inter tenues & craſſos medii, modice putridi. *Theophraſtus* fieri voluit à ſanguine, ſed male, niſi ſanguinem corruptum intelligat, quem ichoroſum ſæpe vocat *Ariſtoteles*. Verum tamen ſola putredo non producit animal, niſi adſit calor quidam benignus, à quo vis ſeminalis excitatur, quæ in hac materia latet, unde ex hac putredine non fiunt vermes, aut pulicæ, ſed ſolum pediculi, unde vis quædam ſeminalis adeſt in hac materiâ, à qua Pediculi fiunt, & ſeſe propagant per Lentes, quæ ſunt quaſi ova pediculorum, ſed adjuvat calor naturalis, qui adhuc reſtat in materia putrida; cum enim hæc materia non ſit corpori naturalis, retenta nocere poteſt, præſtat igitur eam animari quam amplius putreſcere & in corpore multiplicari.

Inter cauſas externas recenſentur *ficus*, quia ſuccum corpori ſuppeditant pinguem, ad cutim vergentem, qui poſtea incaleſcens, aut putreſceus, in pediculos vertitur: Idem facit ciborum varietas, corporis immunditiers, neglecta capitis per pectinationes & lotiones mundatio & abſterſio; Addunt alii veſtes ex pellibus ovium à Lupis maceratarum vel morbidarum factas. (*Noſtrates ruſtici aiunt induſia ex cannabi facta quæ orta eſt in agro fimo humano ſtercorato, geſtata pediculos gignere.*) Minus laborare ſolent illorum capita ſecundum *Ariſtotelem* qui pediculis ſcatent. *Primiroſius p. 26.*

[19] *Præcaventur*) Præcaventur bona victus ratione, munditie, linteorum mũdatione, corporis lotione, purgatione, vitatis omnibus cacochymis, inprimis ficubus.

Medicamenta quod ſpectat adſtringentia, quia frigida & ſicca, prodeſſent, niſi materiam illam pravam cohiberent, ideo præſtant calida, ſicca, atenuantia, abſtergentia, & nimium humorem abſumentia; pediculos necantia, ut *ſcordium, ariſtoloch. lupini, colocynth. ſulph. fel, aqua ſalſa*, *nitrum* & quæcunque acria ſunt aut amara, ex quibus Lotiones & vnguent.

℞. *Rad. bryon.* ℥ß. *ariſtol.* ʒij. *ſtaphiſ.* ʒiß. *fol. rutæ, ſcordii* ā ā. m. ß. *ſalis vel nitri* ʒß. f. Decoctio pro Lotione capitis.

℞. *Fellis taurini* ℥ß. *aloes, ſtaphiſagr.* ā ā. ʒj. *helleb. albi* ℈j. *mercur. ſaliva extincti* ʒß. *axung. porci* ℥j. *ol. lilior.* ℥ß. *vel de abſinth.* f. Linimentum. *Primiroſius.*

[20] *Argento vivo*) Imo & *arſenicum* quidam uſurpant, verum hæc tuta non ſunt. *Primiroſius.*

IV. Syriaſis.

[22] *Siriaſis*) Vox ducta à σειρὸς, qui Latinis fovea eſt, quia caput quaſi excavatum cernitur, Secundum *Paulum* inflammatio eſt circa cerebrum & membranas ejus: *Plinius* vocat *ardores* capitis, *Avicenna Apoſtema ſitibundum*, vel ob febrem ardentem, vel quia humorem potenter ad ſe attrahit. *Primiroſius p. 18.*

[23] *Cerebri & membranarum inflammatio*) Interdum extra cranium fit affectus huic ſimilis ſcilicet phlegmone. Cutis color mutatur, & ad tactum dolet, caput intumeſcit, oculi exerti ſunt, facies eſt ſubfrigida, os areſcit, adeſt ingens ciborum faſtidium; Malum eſt periculoſum, quoniam pueri facile extenuantur. Curatio eadem eſt cum ſequenti. *Primiroſius.*

[24] *Cognoſcitur ex eo*) Signa ſunt ſyncipitis concavitas, rubentes & pallentes oculi, totius corporis ariditas, ob calorem exſiccantem: Pallor & rubor ob dolorem, bilem & ſanguinem, dolor gutturis, ob nervos à cerebro in ſtomachum deſcendentes, unde quoque ventriculus læditur; appetentia proſternitur, febris adeſt ardens cum vigiliis.

Atrox hic morbus intra duodecim horarum ſpatium abſtulit mihi elegantem puellam, mihi & omnibus in deliciis, 14. menſes natam, anno 1657. menſe Julio: Triplex cauſa affectum hunc accerſivit, ardens Syrius, Lac nutricis meribibulæ & diſploſio tormentorum in domus vicinia. Hæc ſymptomata concurrebant, febris ardens, ſitis inexhauſta, oculi concavi & nitore priſtino ſpoliati, inſignis fovea in ſyncipite, brachii dextri cõtinua agitatio, quod tandem immobile factum præ laſſitudine, hora una ante obitum, quo tempore ſiniſtrum ſed languidius movere cœpit, tandem mors.

[25] *Oritur*) Cauſam hujus mali proximam alii *bilem*, alii *pituitam* eſſe ſtatuunt. Verùm cùm inflammatio ſit, à pituitoſâ ſimpliciter materiâ eſſe non poteſt: neque etiam bilis ſola in infantibus facilè, præcipuè in cerebro, colligitur. Vero magis conſentaneũ eſt, eſſe ſanguinem pituitoſum putreſcentem, qui dum putredine incaleſcit, bilioſus quodam modo evadit. *Sennertus.*

[26] *Culpa quandoque in lacte*) inter cauſas remotas refertur lac calidius & ſpiritoſius: Quod ſi cui mirum videatur, is ſciat, lac quoq; ſpiritum calidum, imò inebriandi vim in ſe continentem habere.

[27] *Curatur raro & difficulter*) Grave malum eſt in pueris, quia facilius ob calorem & humiditatem extenuantur, Intra triduum interficit ex *Avicenna*. Si tres dies evaſerint juxta *aphor.* ſani fiunt, tunc enim ſperandum eſt morbum declinare, atque vires eſſe robuſtas ad morbum evincendum, Raro tamen evadit puer, ſi in ſyncipite fiat fovea. *Primiroſius.* Quod ſubſidentiam cerebri innuit.

[28] *Evacuatione*) Sanguiſugæ prodeſſe poſſunt, lateribus colli admotæ, prope jugulares venas, temporibus, retro aures, fronti; niſi admodum tenella ætas obſtiterit: Siquidem enim inflammatorius eſt affectus,

in parte principe, celerrimi motus, quid ni ad anceps præſidium, à quo ſolo ſalus ſperabilis, confugere licet? An pueris ſecare liceat venam, vide ſupra in curatione generali.

[29] *Refrigeratione*) Proſunt refrigerantia & humectantia, ex *Paulo*, 1. ut *oleum roſ. cum vitello ovi*, dolorem enim mitigat, humorem concoquit & diſcutit; Ex *Rhaſi* applicentur *ramenta cucurbitæ, cucumer. & pepon.* refrigerant, humectant, ſomnum conciliant, febrem compeſcunt. Item *fol. portulacæ* contuſa, *ſuccus ſolani* cum *roſaceo album ovi* cum *ſuccis portul.* & herbar dictarum, ac *oleo roſar.* vel *oxyrrhod.* cum *ungu. popul.* aut *emulſione ſem. frigid. & papav.* Nutricis diæta ſit refrigerans. Vergente ad declinationem morbo blande reſolventibus eſt vtendum, vt fotu ex *decoct. chamom. aneth.* & eorum oleis. *Primiroſius p. 20.*

V. [30] *Pavor in ſomno* ſeu ſomnus cum inſomniis terribilibus, qui inprimis infantes copioſè lac ſugentes afficit.

Cognoſcitur ex ploratu, gemitu, concuſſionibus in ſomno, clamore, quando ſubitò perterrefiunt, calido & fœtido poſt ſomnum ex ore halitu.

[31] *Oritur*, ab impuris vaporibus in cerebrum delatis, [32] ſpiritúſque animales turbantibus, unde terribilia phantaſmata: qui

1. *Vel* ex ventriculo & depravata concoctione: Et [33] *tum*, Nutrix cibos boni ſucci moderatè ſumere debet. Infans parcius lactandus. Cibus corruptus aut vomitu per *oleum amygdalar. dulcium*, aut per inferiora, per *ſyrupum roſar.* ſolutivum, ejiciendus: Et [34] ventriculus tam intra quam extra roborandus. Amuleta ſunt, *dens lupi*, *cornua cervi*, &c.

2. *Vel* in febribus à ſanguine putrido, per venas, conſulandaque febrium curatio.

3. *Vel* in vermibus, de quibus ſuo loco.

VI. [35] *Vigiliæ nimiæ* [36] quæ plærumque à vaporibus acribus, ex lacte in ventriculo corrupto elatis; [37] interdum à febribus vel dolorifico affectu exſurgunt.

In [38] *curatione.* [39] melius eſt ut [40] plantæ pedum *medullâ cervinorum* oſſium inungâtur, [41] quàm ut iiſdem hypnotica fortiora, quibus ſtupidiores redduntur, exhibeantur. Tutiſſimum, *oleum anethinum* temporibus illinere, & *oleum violar. cum ſucco lactucæ* naribus: nutrici verò moderata hypnotica exhibere.

V. *Pavor in ſomno.*

[30] *Pavor in ſomno*) Huc pertinet *Ephialtes*, quo quoniam infantes & pueri ſæpe laborant (cujus indicium eſt quod inter dormiendum concutiuntur, & experrecti atrociter ejulant) ejuſque inſultus crebriores paſſi non raro convulſivas affectiones ineunt, idcirco iis quamprimum affici videntur, recta medendi ratio adhibeatur: De *lacte*, quod ſugunt, inquiratur, utrum ex ſe purum & laudabile, ſtomacho rite conveniat: Non ſtatim à ſuctione pleniori dormire ſinantur: *Nutrix* bona victus ratione utens, ſumat inſuper mane & veſperi dozin aut *pulveris*, aut *electuarii cephalici* ſuperbibendo hauſtum liquoris poſſetici cum foliis ſalviæ aut betonicæ, vel radic. aut ſemin. *pæoniæ* incoctis: infans ſumat bis in die cochlear *aquæ diſtillatæ* appropriatæ; *Fontanellam* habeat in nucha; accumbat lateri modo uni modo alteri, & raro aut nunquam ſupinus collocetur.

Haud prorſus de nihilo erit *corallia*, aut globulos è ſeminibus, vel radic. pœoniæ maris collo ſuſpendi, aut ſupra ventriculi ſcrobem geſtari; Si quando inter dormiendum gravius & ſæpius concuſſi affectu hoc periculoſo affecti videantur, *veſicatoria* cervici aut pone aures applicentur: Inſuper veſperi & mane *Pulv. de Gutteta*, vel alius appropriati doſis in cochleari aquæ diſtillatæ, aut julapiis quotidie exhibeatur. *Willis.*

[30] *Pavor in ſomno, ſeu ſomnia*) Interdum pueris ſomnia accidunt terrifica. *3. aphor. 24. Hippocr.* inter alia ſymptomata quæ nuper natis contingunt recenſet Pavores inter dormiendum, præſertim in iis qui natura ſunt edaciores, fiunt autem ob tetros vapores qui ſpiritus perturbant & phantaſmata objiciunt Affectus eſt Incubo familiaris, quodammodo & natura & cauſis ſimilis. Pueri gemunt, plorant, & ſubito territi apparent, & ex illorum ore fœtidus odor emanat; facile autem in Epilepſiam degenerat. *Primiroſius.*

[31] *Oritur ab impuris*) Oriuntur hi vapores ob nimiam lactis copiam, corruptionem, ciborum in edacibus, vel ob odores vitioſos, aut etiam vermes ventriculum mordentes. Et, ut docet *Galenus*, non in pueris ſolum ſed & in adultioribus fiunt horrificæ per ſomnum imaginationes, quando multi & vitioſi humores gravant & mordent ventriculum, præſertim ipſius os: maxime autem id contingit in iis quibus ventriculus exquiſiti eſt ſenſus, ſed imbecillior, cibus vero corrumpitur. *Primiroſius.*

[32] *Spirituſque animales*) Pavor in ſomno oritur ex explosivo fere impetu ſpirituum animalium in nervos, qui cum ſomni requie blando tardoque ingreſſu influere debeant, impetuoſius irruentes inopinam totius corpuſculi, ac fibrillarum nervearum momentaneo contractivo niſu inferunt concuſſionem, adeo ut non inepte mulierculis prodromi habeantur convulſionum epilepticarum. *Etmuller p. 130.*

Vide plura ex eodem de cauſis inferius cap. de Epilepſia, cum uterque affectus eandem agnoſcat *cauſam*, vt & *Curationem* ibidem traditam.

[33] *Et tum nutrix*) Cavendum ne infans lacte nimium repleatur, aut ſtatim ventriculo pleno dormiat, ſed detur *mel roſatum, diaplires, diamoſch.* cum *magiſt. corall. ſy. de cortic. citri, de abſinth. roſ. ſolut.* quia purgat & roborat, *violatus, ol. amygd. dulc.* cum *ſacch. theriaca*, ad juvandam coctionem, ungatur venter *oleo abſinth. menthæ, maſtich. nuc. moſch.* Lac nutricis ſi probum non ſit, emendetur commoda purgatione cibis probi ſucci, vitatis omnibus pravi ſucci eduliis. Fronti pueri applicetur *ol. violat.* cum *aqua lactuc. croco*, & pauco *aceto*. Prodeſſe creduntur appenſa *paonia, dens lupi, corallium, ſmaragdus.* Si fiat à febre, aut vermibus, propriis remediis illis occurrendum. *Primiroſius.*

Plura de curatione vide Tr. de Epilepſia *ex Etmullero* qui hos affectus congeneres facit.

[34] *Ventriculus tam intra*) Ideo convenit *Abſinthii ſyrupus*, quatenus ejus ſuccus cum *ſaccharo* temperatus antecedenti cauſæ, nimirum corruptioni ciborum, in ventriculo convenit. Nec obſtat quod *abſynthium* caput gravare dicatur & quod calefaciendo exhalationes augere queat; quod ſomnum ante tempus, hic maxime, noxium introducat; Etenim primam noxam corrigit

addition

additio *ſacchari*, dum in ſyrupum præparatur, unde 2. juſto modo & tempore uſurpatum altera quoque noxa non timenda. 3. nec non ſomnus intempeſtivus hic minime verendus, utpote cujus cauſam corrigit. *Gr. Horſtius Tr. de morbis puer. Qu. 8.*

Pavorem omnem in ſomnis pellere dicitur *aniſum* pulvinis culcitriſque inſperſum, ut ſuo influxu & odorato ſpiritu cerebrum imbuat. *Petr. Foreſtus lib. 10 obſ. 52.*

Appone capiti ſacculum *aniſo tuſo* repletum. Ex ℥i. *ol. nuc. moſch.* cum *gtt.* v. *ol. aniſi f. Linim.* temporibus illinendum, Inungantur quoque nares & pulſus inſperge aliquid *rad. paeon.* pulveriſ. *Strobelbergerus.*

VI. *Vigiliæ nimiæ.*

35. *Vigiliæ nimiæ*) Longiores in pueris ſunt ſemper p. II. quia multum dormire ſolent, Vigiliæ enim cerebri temperiem evertunt, humores acres accendunt, febres & cruditatem pariunt, virtutem proſternunt. *Primiroſius.*

Hippocrates affectus infantum, adhuc in cunis jacentium receſet τὰς ἀγρυπνίας; *aphor. 24. 3.* Hæ puerulis & infantibus malæ ſunt, ſi ſcilicet neque noctu neque interdiu placidum capere ſomnum queant, præſertim quando plorant, clamant, hinc inde ſe jactant, & valde inquieti ſunt, adeo ut neque cantu, neque cunarum motitatione, neque lacte nutricum placari mulcerique poſſint, quæ tria alias ipſis ſomnum ipſis conciliare ſolent, *Galenus comm. in aphor. c.* ait vigilias infantibus aſſuetas non eſſe, quoniam majori parte temporis dormiunt, & quidem non abs re, Somni enim frequentiam maximè ſecundum naturam illis ineſſe ait, & quidem (addimus nos) ob cerebri humiditatem, cibique, quo aluntur, halituoſam ſubſtantiam. *Sebiſius man. p. 1852.*

36. *Quæ plerumque à Vaporibus*) Fiunt ex corruptione lactis & alimentorum in ventriculo, à quibus vapores acres feruntur in caput, & quidem ſi tenues ſint & acres fiunt vigiliæ; ſi craſſi pavores in ſomno: vel fiunt ab excrementorum putredine, aliquo dolore, vel à vermibus, *Primiroſius.*

37. *Interdum à febribus*) *Galenus comm. in aph. 224. 3.* ait vigiles eſſe Infantes propter aliquam corporis paſſionem: Patiuntur vero à variis cauſis, quæ vel internæ ſunt vel externæ, *Internæ* ſunt multiplices.

I. Dolores capitis, aurium, ventriculi inteſtinorum, dentium cum erumpunt.

II. Capitis ardor, iſque vel immaterialis, vel materialis, proveniens ab humore bilioſo quas cauſas vigiliarum *Galenus comm. 2. aph. 3.* ponit.

III. Ventriculus alimenti copia gravatus, præſertim um tempore cœnæ eſt ſaginatus, nam ne quidem adulti noctu placide dormiunt ventriculo cibis onuſto.

IV. Somnia turbulenta & terrifica, à quibus ſæpe expergeſiunt.

V. Fames & ſitis, quæ accidentia vigilias nonnunquam inducunt lactantibus, cum lac reſpuunt, quia ipſis propter acorem, amarorem, ſalſedinem &c. ingratum eſt & adverſum, Vel quando copia lactis nutrici ſufficiens deficit, quæ ſedandæ fami ſatis ſit.

VI. Pruritus, ſcabies, tubercula, puſtulæ artuum, capitis, faciei, reliquique corporis.

VII. Anguſtia pectoris, dyſpnœa, tuſſis, calor febrilis, aphthæ fervidæ, vermes inteſtina pungentes &c.

Externæ cauſæ ſunt indecens decubitus, ſtricta nimis arctaque membrorum ligatura; linteaminum, quibus ſunt involuti infantes, aſperitas, durities, immunditiės, inquinata ſcil. à ſudore, fæcibus alvi & urina; tumultus, ſtrepitus, vociferationes & ſplendor luminis externi; frigus, aër prævalidus, cimicum, culicum, pediculorum ictus & morſus, & infinita alia. *Sebiſius.*

Adde integumentorum multitudinem hinc incaleſcentiam nimiam, memini cum nepos quidam meus, adhuc puer, fratrem in cunis audiret vagientem cum diſquirerentur cauſæ, monuiſſe forte nimis coopertum eſſe ſtragulis infantem: ſe cum uberibus adhuc admoveretur crebro ploratu indicare voluiſſe moleſtiam inductam à nimiis ſtragulis impoſitis: ploratū vero cū ſedula nimis nutrix, aliis integumentis additis compeſcere ſtuderet, ingeminato ejulatu ſe id ſignificare voluiſſe.

38. *In curatione*) Reſpiciendum ad cauſas quæ removendæ, morbi proinde, abigendi, ventriculus parce circa veſperam cibandus, Nutrix, ſi lac vitioſum gignit, exauctoranda; meliorem ſubſtituendo: conveniens procurandus decubitus: infans mundis & mollioribus involvendus linteaminibus: Externi tumultus, & ſtrepitus; ſi per habitationis conditionem licet fugiendi, nominata animalcula eliminanda &c. *Sebiſius.*

Ad curationem cacochymia & plethora vitentur, dolor ſi quis adſit demulcendus. *Primiroſius.*

39. *Melius eſt ut planta pedum &c.*) Naribus indatur *oleum violat.* aut *aneth.* cum *ſucco lactucæ* ex *Rhaze*, addito interdum *opio & croco*; jubetque his non tantum caput, ſed etiam ſtomachum inungi: *Pedes* laventur *decocto anethi*, *malvæ*, *ſalicis*, *vitis papav.* Avicennas *papaver. coctum* in *aqua roſar.* imponit plantis pedum: Probant quoque *Dioſcor. & Æginetæ oleum* ex *ſemin. papav, lac muliebre* cum *ſucco lactucæ, ſempervivi* & modico *opii*, vel ungu. *popul.* cum *oleo roſ. violata.* Primiroſius.

Illiniri poſſunt frons & tempora *oleo papav. nymph. ſolani*, &c. vel *mixtura ex ſemine papav. albi lacte muliebri* aut aqua aliqua hypnotica, & momento *croci*: Capiti nonnulli imponunt folia vitis viniferæ, Valet etiam agitatio cunarum, adhibendus cantus dulcis ſonus, ubera porrigenda. *Sebiſius.*

Ad exhalationes aſcendentes impediendas, pauxillum *ſyr. papav.* cum *violar. ſyr.* permixti concedatur, & *ol. violar.* cum pauxillo *croci*, *ſ.* de quo tamen dubitari poteſt an conveniat; 1. quia *crocus* vim calefaciendi ſiccandique poſſidet; 2. imo ſenſus excitat, 3. ſpirituum mobilitatem inducit, unde cor recreare dicitur. Sed nota, quod ſolus non præſcribatur, in hoc caſu, ſed permixtus cum oleo refrigerante, cui penetrationem addit; quanquam igitur vim calefac. & ſiccantem obtineat, ſolus, permiſtus tamen cum aliis, citius vaporibus gratis excitatis ſomnum conciliat, Hinc ergo per ſe ſolus ſenſus excitat, & cum cordialibus, frigidis, non autem calidis (ut ſyr. refrigerante) permiſtus, mobilitatem ſpiritibus introducendo, cor recreat. *Gr. Horſtius Tr. de morb. Puer. Qu.* vii.

40. *Plantæ pedum*) Quibus cum capite magnus conſenſus, Ratio petenda ex peridrome ſanguinis, affecto enim & alterato ſanguine pedum, hic per venas ad cerebrum perductus ſimilem illi infert impreſſionem & alterationem, hinc pediluvia familiari ſunt in uſu ad ſomnum conciliandum, alioſque affectus, præſertim apud Italos Medicos.

41. *Quam ut iiſdem hypnotica fortiora*) Prodeſt *requies Nicolai* ſumpta & admota, *ſyr. de papavere.* Primiroſius.

Conciliandus puerulis & infantibus ſomnus, non opiatis & narcoticis, &c. ſed mitioribus, quæ innoxie fert ætas, e. g. *ſyr. papaverinus*, *nymph. violar.* Emulſiones ex *ſeminib. papav. albi*, *amygd. dulc. aqua lactucæ nymph. violar.* &c. paratæ: *Pulticulæ* ex *farinâ triticea & lacte*, incoctis *ſeminib. papav. albi*, *lactucâ*, *portulac.* Sebiſius.

VII. [42.] *Epilepſia*, [43.] quæ provenit.

A *Terrore*, cujus occaſiones omnes vitandæ ſunt.

A [44.] *Lacte corrupto* in ventriculo; & [45.] tum vomitus eſt optimus, qui intruſà in fauces penna *oleo amygdal. dulcium* illita excitatur.

3. A [46.] *Vermibus* in inteſtinis ſeſe moventibus; quorum ratio eſt habenda.

4. A [47.] *difficili dentitione*; quæ promovenda.

5. A *Variolis*, *morbillis*, *febribus*, quæ etiam ſunt curanda.

6. A *primario cerebri affectu*. [48.] Curatio in genere; & tempus paroxiſmi & [48.] tempus poſt paroxyſmum, reſpicit.

[49.] Vbi laudatur *Smaragdus* gemma, Lapis in *hirudinum ventriculis* circa oppoſitionem Solis & Lunæ diſſectis repertus. *Vngula Alcis* auriculæ ſiniſtræ indita. Vomitus.

[50.] Hic, [51.] *Nodulus ex C. C. præpar. ſale Corallorum*, *Cryſtallo præpar. viſci quercini ligno formatus*, potui injectus; & ſingulis quinque diebus renovatus. *Emplaſtrum* ex *ſuccini albi*, *Thuris*, *Maſtiches ana drac. jſ. Galbani*, *Opopanac. ana ſcru. j. Viſci quercini drac. ij. Ambra grana.* vj. *Moſchi gr.* iii. *ſemin. pæoniæ maris dr. ſ. Ladani dr.* iſ. *Olei Nucis moſchatæ pauxillo*; *formatum*, *& pulvere Cubebarum* aſperſum. Inungi quoque ſynciput, & cervix *oleo* ſuccini albi poteſt.

VIII. [52.] *Convulſio* articulorum in manibus & pedibus, quæ à craſſi lactis copioſa ingeſtione oritur, & quâ circa dentitionem plerumque infeſtantur.

In [53.] *Curatione* habenda ratio frigidæ & calidæ intemperiei. [54.] Cervix & Articuli convenienter ſunt inungendi.

VII. *Epilepſia*.

[42.] *Epilepſia quæ provenit à Terrore &c.* Cauſa frequentiſſima Epilepſiæ Infantium quærenda in matre uterum gerente, atque Diæta vitioſa, utente, tali nempe quæ augere poteſt in corpore Acidum, qualia ſunt Acetaria; mala citria, arantia, fructus immaturi & acidi, vina acida, cereviſia aceſcens, Lac aceſcens, aër frigidus, triſtitia *terror* &c. Solet autem noxa ex vitioſa Diæta orta magis nocere fœtui quàm matri, ſive adhuc in utero hæret, ſive in lucem editus ſit: A nativitate Acidum in corpore infantis tenelli facile augetur ab aſſumptis actu Acidis, vel facile aceſcentibus, ut & à *terrore* aut mœrore, frigidoque aëre; ut præveniatur hoc malum, optandum eſt ut matres caveant ſibi à frequenti Acidorum abuſu; Hoc conſilium eſſe ſalutare vel inde patet, quod infantes geniti ex matribus non ita acido indulgentibus rarius patiantur Epilepticos inſultus: Vbi mos malus corrigi non poteſt, aſſumant ſaltem gravidæ talia quæ Acidum infringant, temperent, & corrigant, præſertim ſalia volatilia oleoſa, à quorum uſu aſſiduo obſervavi optime habuiſſe tum gravidas, tum poſtea genitos infantes, minus obnoxios inſultibus epilepticis. Infantibus autem ipſis, ſi præſertim vitioſa dicta matrum diæta, exhiberi deberent mox à nativitate quæ temperent concentrentque Acidum, qualia ſunt non tantum *Salia volatilia*, tuto infantibus ex aquis & ſyrupis carminantibus, menthæ, fœnic. &c. parva quantitate; ſed corallia quoque, margaritæ, ocul. cancr. & ſimilia in praxi notiſſima, licet utilitatis ratio ignota: His emendatur humor acidus peccans, qui ſi minus eſt ſoluta infantium alvus, blande educendus: Hæc ſolicitius facienda inprimis cum ex ventris torminibus, & præſertim ex alvo adſtrictiore, viridantibuſque fæcibus notæ adſunt manifeſtæ acidi jam noxam in tenui inteſtino parientis: Tunc ergo eadem uſurpanda diligentius, ſæpius in die, Pulveres ſc. ex margar. coral. r. ocul. cancr. creta, bezoart. animali & miner. c. c. oſſe c. c. ungula alcis & ſimilibus ſale volatili abundantibus: quin poſſunt etiam ipſa ſalia volatilia blandiora, mixturis aromaticis addita, Quin & Enemata ex lacte bubulo, tereb. Veneta, ovi vitello; quo alvi excrementa fiunt dilutiora, Acidum noxium lacte excipiatur, flatus & halitus diſcutiantur, vel ſuffocentur ac demergantur, humoreſque noxii deorſum alliciantur, ſic ab aſcenſu avertantur, Poſſunt & eum in finem exhiberi ſyr. roſar. ſolut. de cichor. cum rheo, ac tuto addi granum unum diagridii, quibus aliquandiu per vices continuatis præveniri poteſt Epilepſia.

Dum hæc adminiſtrantur Infanti, danda opera ne mater aut nutrix utatur Acidis, terreatur aut contriſtetur, aërive frigido exponatur, vel aquæ frigidæ exponatur, vel aquæ frigidæ pedes manuſve immittat, unde tum ſæpe irritantur vel producuntur mala notata: Vt inſuper vitioſa ſucci pancreatici effervescentia cum bile ſedetur; ex ventris torminibus, alvique fæcibus viridibus manifeſta, dentur anodyna efficacia, ſyr. diacodii, papav. alvi &c. mixturis ſuperioribus addita, imo urgente dolore addi poteſt laudani op. gr. j.

Ubi autem ex leviſſimis motibus convulſivis, & ſenſuum levi ſtupore, patet ad cerebrum aſſurgere humores acres, unde immineant inſultus Epileptici, adhuc diligentius ac frequentius uſurpanda notata medicamenta; quo in caſu valet laudatum Enema humores vitioſos è corpore eliciens.

Quoad *vim Narcoticam*, ſtuporem ſenſuum omnium externorum, internorumque producentem, à Bile deducendum, cenſeo illam inprimis corrigi poſſe *Salibus volatilibus mediocriter acribus*, atque *fixis terrenis*, corallis, creta, margar. antimon. diaphor. &c. Sicut enim hæc poſtrema imbibunt partem bilis oleoſam in tenui inteſtino; ita priora volatilia diſcutiunt potenter halitus noxios ad caput delatos, aut deferendos, depurantque ab admiſſa noxa ſpiritus animales: Quod ſi Facultas ipſa incipiens poſſit ſuperari, credo ipſam à ſalibus volatilibus, ſed acrioribus expectandam, poſtquam non ſemel obſervavi, adultos æque ac juniores continuato aliquandiu eorum uſu accepiſſe ſenſus omnes alacriores; adeo ut quoque recens in ipſis operetur quam prius liberius & facilius. *Sylvius App. Tr. 1. c. 6.*

Cur Pueri ſæpius Epilepſia laborent, præter prædictas cauſas alia etiam ratio videtur *Horſtio T. 3. pag. 33.* Non quod humidioris ſint capitis, ſed quod *lac*

& nutri-

& nutrimentum avidius ingeſtum in uentriculo aceſcat, & venenum quaſi induat, ex vitriolo & Mercurio mixtum, juxta *Quercetanum*. Hinc fit quod melancholici facile fiant epileptici; humor enim ille naturam vitrioli habet; qui ſi ſit excrementitius, & ſuperfluat, venenum induit Mercurii & vitrioli taleſque vapores ad caput mittit: Sic nimirum oportet ad Hermitica confugere principia, ſi occultas illas qualitates, Chymicis tantopere exoſas utcunque declinare velis. *Hœferus Herc. Med. lib. 7. c. ult.*

42. *Epilepſia*) Oritur non ſecus ac *Pavor in ſomno* ex exploſivo fere impetu ſpirituum animalium in nervos, qui cum ſub ſomni requie blandæ tardoque egreſſu influere debeant, impetuoſius irruentes inopinam totius corpuſculi, ex fibrillarum nervearum contractivo niſu adferunt concuſſionem; adeo ut mulierculis prodromi habeantur Convulſionum epilepticarum, infantibus admodum familiarium, ex ſimili inordinato & perverſo ſpirituum animalium motu in cerebro, & violenta exploſione in nervos oriundarum.

Frequentiſſime vero paris vagi & intercoſtalis ramificationibus annexæ partes abdominis & thoracis, convulſionibus, hujuſmodi epilepticis præ cæteris partibus tentantur admodum torminoſis, quas mulierculæ apud nos convenienter admodum vocant, *Le mailet en dedans*, Scilicet continuus & nunquam interruptus ſpirituum animalium in hos nervos eſt motus & influxus, pro continuando motus cordis, diaphragmatis, & reſpirationi inſervientium muſculorum primariorum, ut & ventriculi & inteſtinorum motu periſtaltico perficiendo, unde conſueto quaſi tramite longe promptius irruunt in dictarum partium nervos ſpiritus animales, quam in membra externa in infantibus magis quieta, adeoque dictos ſpaſmos internos frequentius concitant.

Quod ſi vero crebrius repetant, tandem totum ſpirituum animalium exercitum, integrumque nervorum ſyſtema, per conſenſum & continuitatem motus ſimiliter afficiunt, unde univerſalis tandem ſupervenit Epilepſia. *Etmuller p 30.*

43. *Quæ provenit*) Quod ſpectat ad hujus affectus cauſas, *procatarcticas* & *Evidentes*. Quæ *prioris generis* ſunt, in his duobus præcipue conſiſtunt, 1. quod Infantibus πάντα τοῦ ἐγκεφάλου valde ſint imbecillia & viſcoſa humiditate ſcateant, nempe Cerebrum minus firmum, atque nervorum tonus valde laxus, ut leviores quidem cujuſvis materiæ impetus ſuſtinere poſſint, quin ſpiritus eorum incolæ etiam à proprio, quo iſtæ partes irrigantur, liquore, paululum modo immoderatior affluxerit, aut ſaltem copioſior quam pro tantilli roboris modulo, facile in motus irregulares, ſive ſpaſmos incitantur.

Attamen *ſecundo*, quoniam obſervatione conſtat puerulos, nec ſolos nec omnes qui tenuioris ſunt conſtitutionis in hunc morbum proclives reperiri, idcirco pro potiore procatarxeos morbidæ ratione haberi debet, quod infantibus quibuſdam, propter mala in utero contracta, & ſanguis & ſuccus nervoſus originaliter vitioſi exiſtunt, quippe recens natis maſſa ſanguinea per plures retro menſes eventilatione carens impurior evadit, quapropter pleriſque infantibus, brevi à partu efflorescentiæ latæ & rubicundæ morbillorum inſtar per totam cutem erumpunt, cujuſmodi ἐξάνθησις ſi impeditur, aut reprimitur, ſæpenumero *aphthæ* periculoſæ circa oris partes ſuccedunt.

Hinc merito ſuſpicamur tales ſanguinis impuritates quandoque in cerebrum & nervoſum genus, utpote debiliora ſuffundi, & propterea ſpaſmodicas affectiones oriri, nempe dum ſanguis ab utero vitioſus exiſtens depurare ſeſatagit, fæculentias ſuas, efflorescentia in cutem facta exterminari ſolitas, in caput transfert, quare latex modo tenuis & ſeroſus, modo craſſior & viſcidus, ac utriuſque ſalium & ſulphurum præternaturalium particeps, intra hos aut illos cerebri aut cerebelli, atque medullæ oblongatæ receſſus & cavitates deponuntur; cujuſmodi recrementa, cum nervi hujus aut illius, ac interdum una plurium origines, aut caudices obſident, ſpiritibus eorum incolis particulas heterogeneas, atque inexploſiones ſpaſmodicas aptas affigunt; Quamprimum nervi tales particulas, altius imbiberunt, ſpiritus eorum copula onuſti, aut ſponte ſua, aut à cauſis evidentibus, incitati eam elidere & excutere ſatagunt, proindeque exploſiones ſpaſmodicas ineunt.

Cauſæ evidentes quæ in puerilis prædiſpoſitis motus convulſivos inferunt, ſunt bini generis, ſcil. primò quæcunque ſanguinis efferveſcentias ſolito majores cient, uti ſunt frigoris & caloris exceſſus, nutritio uberior aut juſto calidior, aëris ac auræ mutationes, ac inprimis lunationum periodi; etenim propter has ſimileſque occaſiones ſanguis plus debito efferveſcens, copulam heterogeneam ſpiritibus uſque ad plenitudinem citius affigit, utque ab ipſis perturbatis è veſtigio elidatur & explodatur efficit: *Secundo*, irritatio fere in qualibet ſyſtematis nervoſi parte diſpoſitionem ſpaſmodicam non raro in actum deducit; quare non modo qualitatum tangibilium exceſſus exterius inflicti, verum & lac in ventriculo coagulatum, bilis, aliique humores acres, aut etiam vermes inteſtina vellicantes ſpaſmos excitare ſolent: Porro ejuſmodi cauſæ evidentes, ſiquidem fortiores ſint, aliquando per ſe, aliquando abſque diatheſi prævia, affectus ſpaſmodicos inducunt; quippe lumbrici, forte & acres humores puerulis quibuſvis, ſaltem tenerioribus, motus convulſivos inferunt.

Quo certius atque ad ſenſum pateret cujuſmodi in motibus convulſivis ſit materies morbifica, plurium quos hic morbus oppreſſit, defunctorum capita aperui, cauſam intra coctionis viſcera & primas vias ſemper fruſtra quæſivi: multorum capitibus latex ſeroſus intra cavitatem cerebello ſubjectam congeſtus, & membranam, qua medulla oblongata inveſtitur diſtendens, nervorum origines inundabat.

In quibuſdam nulla hujus morbi veſtigia apparebant, adeo quod ſpiritibus accreſcens, eos ad exploſiones irritat, interdum imperceptibili prorſus conſtat mole, & originem tam occultam habet, ut vel perſpicaciſſimum viſus ſcrutinium omnino lateat: Olim cujuſdam mulieris nati plures ex hoc morbo interierunt, tandem fœtus quarti, intra menſem, uti priores interempti, caput diſſecuimus; nulla hoc ſeroſa colluvies ventriculos inundabat, ſed cerebri tantum, ejuſque appendicis; ſubſtantia erat humidior & laxior; quod potiſſimum obſervatu dignum erat, in cavitate quæ cerebello ſubjicitur, ſupra medullæ oblongatæ caudicem, ſanguinis grumoſi, & velut concreti, copiam inſignem reperiebamus: At vero incertum eſt utrum materies iſthæc ibidem ab initio depoſita ſpaſmos primario intulerat, an potius ſanguis iſte à partium circumcirca conſtrictarum contractione expreſſus, & extravaſatus, convulſionum effectus & productum, ac minime iſtarum cauſa fuerit: Nam & in apoplecticis ejuſmodi phænomenon paſſim occurrit quod tamen morbi effectum potius quam cauſam eſſe oſtendemus; Profecto quod particulæ heterogeneæ, quæ ſanguini ab utero innatæ, in pleriſque pueris per ἐξάνθησιν in toto corpore cutaneam amandari ſolent, in aliis capiti ſuffuſæ affectionis ſpaſmodicæ materialis cauſa exiſtunt, præter rationes adductas, etiam à remediis maxime juvantibus inferre licet; quippe in

puerulis hæreditario huic morbo obnoxiis, inſultus convulſivi optime præcaventur, ſi mox à partu fontanella in nucha excitetur, & ſanguis hirudinum ſuctu è venis jugularibus detrahatur, illa namque ſucci nervoſi corruptelæ ſubducuntur; atque hoc cruoris effloreſcentiæ impuræ à capite avocantur: Hiſce adminiſtrationum modis, cum prius duo aut tres ejuſdem parentis nati brevi poſt partum convulſi interiiſſent fœtus, omnes alii ab eodem morbo liberabantur. *Willis.*

43. *Quæ provenit)* Sæpenumero accidit infantulos recens natos, aut ſaltem nondum bimeſtres, crebra vice ſpaſmis in diverſis partibus excitatis affici: Quippe oculorum inverſiones, genarum & labiorum diſtorſiones aut tremores, quinimo tendinum contractiones, membrorum, & non raro totius corporis ſubſultus & concuſſiones ſubitæ eos infeſtant; Eundemque affectum etiam præcordia nonnunquam afficere hinc ſat planè liquet, quod dum ſpaſmi artus & membra exteriora occupant, etiam à ſanguine in corde & pulmonibus una contractis ſtagnante, facies modo pallorem, modo livorem contrahit.

Cum itaque in pueris ſpaſmi tres corporis regiones infeſtare ſoleant, nempe capitis & faciei partes, membra & artus exteriores, atque præcordia & viſcera, obſervamus modo has modo illas, modo binas, aut ſimul omnes regiones à cauſa morbifica occupari, nempe prout eadem aut circa nervorum origines, aut extremitates defigitur; & cum prius horum accidit, prout medullæ oblongatæ pars ſuperior, media aut infima ſpinalis, ſcilicet unica aut plures ſimul à cauſa morbifica impetuntur. *Willis.*

43. *Quæ provenit)* Has ſimileſque paſſiones, poſt nervoſarum ſenſilium fibrarum quocunque in loco irritationem conſequentes, Unde melius deducemus, quam ex ſupra ſæpius inſinuato *acido*, per ſe nervis, inimiciſſimo, multo magis in tenellis, quorum fibrarum nervearum mollior textura facillime mobilis, & ita in convulſivos motus criſpabilis, ut ſic dicam, exiſtit, Hinc quæ propiores ſunt partes fonti vitioſi accidi, *Stomacho* nempe & *inteſtinis* aut mediantibus nervis connectuntur iiſdem, etiam frequentius patiuntur convulſivos ſpaſmos, qui continuati ulterius in tantum, donec totum nervorum ſyſtema in cerebri cerebelique confiniis concutiant univerſalem tandem Epilepſiam, ſuperveniente ſpirituum impetu inferant; Uti in adultis ſubinde in membro quodam externo focus latet epilepticus, qui per continuatos ſpaſmos, ſub apparente auræ frigidæ ſenſu ſurſum delatus ad cerebrum, tandem univerſum microcoſmum concutit, Ita pari ratione ex acido, inprimis viſcido in abdomine hærente, tam ſpaſmi leviores interni, quam epileptici, totius corporis inſultus oriuntur, optime ob id per alkalia volatilia, experientia teſte, curabiles, Adeo ut rariſſimam infantum exiſtimem Epilepſiam, cujus focus acidus non in abdomine lateat, aut ex abdomine non derivetur, excepto dentitionis negotio, ita tamen ut citra habituum aut fumorum impoſſibilem aſcenſum, malum dicto modo explicari queat.

Pro quorum confirmatione, quod nempe infantum nocturni pavores, & epileptici inſultus ab acido peccante excitentur, adnotaſſe ſufficiat 1. quod graviora tormina, cum excretis æruginoſis, frequenter comitem inducant Epilepſiam, teſte *Quercetano in Tetrade p. m. 116.* & *Lindano* ſuper *Hartmannum Prax.* qui vix virorem æruginis inſtar intenſum in infantium excretis obſervari aſſerit citra Epilepſiam: Quod ſi dicta materia ita ſit acris, ut febris etiam accedat, plerumque interimat pueros; tormina vero & talia excreta, ex *acido lactis* corrupto ſuperius derivavimus. 2. *Hippocr. l. de m. Sacro* aſſerit infantes, ſi ipſis ulcera in capitibus, vel circa aures, vel in facie, vel in reliquo corpore excitentur, liberari ab epilepſia, quas exulcerationes etiam ex acido lymphæ deducimus: Quibus 3. accedit cura Epilepſiæ infantilis per alkalia volatilia, item per Terrea acidum abſorbentia. *Etmuller p. 30.*

43. *Quæ à &c.)* Præter binas recenſitas cauſas (quæ in pueris præcipuæ & crebriores eſſe ſolent, Vide §. *Provenit* & §. *Quæ circa dentitionem)* motuum convulſivorum occaſiones, (ſcil. prima infantiæ & dentitionis tempora) affectus iſte etiam aliis temporibus, & propter alias cauſas ſæpenumero excitatur: In quibus enim diſpoſitionis ſpaſmodicæ ſeminia jaciuntur, illa interdum aut ſtatim à partu ſe explicant, ac in morbidos fructus maturantur, ſed aliquandiu latitantia, dentitionem modo præveniunt, modo eam è longinquo ſequuntur, & propter cauſas evidentes alias, ſcil. vel internas vel externas, cujuſmodi ſunt nutris invaletudinaria, aut prægnans, lac in ventriculo coagulatum, aut in putrilaginem acidam aut amaram degenerans, intemperies febrilis, capitis, aliarumque partium ulcera, aut exanthemata ſubito evaneſcentia, aëris mutationes, ſolis ac Lunæ συζυγίαι, aut aſpectus oppoſiti & ſimilia, tandem incerto eventu in actum erumpunt. *Willis.*

43. *Quæ provenit)* Circa duo potiſſimum tempora pueri convulſionibus maxime obnoxii reperiuntur, ſcilicet intra *primum à partu menſem*, & circa *Dentium eruptionem:* quanquam hujus morbi inſultus etiam aliis temporibus, & quibuſdam aliis temporibus eveniunt.

43. *Quæ provenit)* Motus Epileptici ſupervenire ſolent Torminibus ventris, atque Alvi dejectioni virideſcenti & Acidum olenti, unde non ſine cauſa, judicatur eadem omnium cauſa primaria: Sunt autem Inſultus & motus Epileptici, Agitatio reciproca & aliquandiu continuata partium per muſculos motarum, manuum pedumque, labiorum, linguæ, palpebrarum oculorum, verbo, omnium partium in viſum & tactum occurrentium: *Sylvius Append. Tr. 1. c. 6.*

44 *A lacte corrupto in ventriculo)* Hoc & facit aliquando Lac dulce, quod præſertim à vaccis redditur paulo poſt partum, quodque facilius corrumpitur & aceſcit, adeoque augere poteſt ſucci pancreatici acrimoniam acidam, illumque irritare ad vitioſe cum bile efferveſcendum; Sic & noxium eſt multum ſaccharum una cum pulte noviter natis copia nimia exhibitum, quod ſicut aceſcit facile, ita & ad vitioſe efferveſcendum irritare poteſt notatum ſuccum. *Franc. Sylvius App. Tr. 1. cap. 6.*

45. *Et tum vomitus)* Habenda eſt cura Nutricis, illiuſque lac diligenter examinandum, ne vitio aliquo laboret: Victu nihilominus attenuante utatur & laudabili: Vino interdicatur, bibat aquam vel hydromel, vel Bochetum ſalſæparillæ. *Riverius.*

46. *A Vermibus)* Adſunt ſigna lumbricos indicantia, ut anhelitus fœtor acidus, narium pruritus, ventris dolor, fæces cineritiæ, dentium ſtridor, ſopor & alia, tum præcipue ſi lumbrici per alvum interdum excernantur.

47. *A difficili dentitione)* Pueri circa Dentitionis tempora convulſionum periculo obnoxii reperiuntur; quando enim Dentes, præſertim majores, è gingivis eruptu-

erupturi ſunt, ſæpe febris excitatur, cui non raro convulſivi motus adjunguntur: Et licet hoc tempore infantes viribus valeant, eoque morbi inſultus melius quam recens nati tolerent, attamen affectiones ſpaſmodicæ etiam nunc, nec graviore aliqua occaſione excitatæ valde periculoſæ, ac interdum lethales exiſtunt.

Siquidem autem pueri, qui circa Dentitionem febricitant, non omnes motibus convulſivis tentantur, ideo ſequitur hujus morbi diſpoſitionem quandam ſive innatam, ſive acquiſitam præcedere, atque dolorem à Dentitione illatum tantum cauſæ evidentis fortioris rationem habere; Scilicet pueri, quibus aut cacochymicis, aut cerebri & nervoſi generis conſtitutione debiliori præditis, ſpiritus animales vel adulterati, vel diſſipabiles nimis exiſtunt, in affectiones ſpaſmodicas quandoque ineundas diſponuntur: quare cum dolor admodum acutus una cum febre urget, diſpoſitio iſta latens in actum ducitur.

Si hic inquiratur, qua ratione febris, & dein, qua motus convulſivi in prædiſpoſitis dentitioni ſuperveniunt; dicendum erit quod uterque affectus ad dolorem, veluti ad cauſam immediatam referri debet: In nobis ipſis experimur quis ſit cruciatus qui irritationem circa dentium radices ſequitur; Cum itaque pueris dolores ita atroces à dentitione contingunt, nil mirum eſt ſi febres, ac etiam motus convulſivi interdum ſuccedant: Prior horum accidit, & quatenus ſanguis circa partem dolentem, ne ſolito atque æquabili curſu circuletur impeditus, propterea in toto corpore inordinatius movetur; & inſuper quia ſpaſmis alicubi in nervoſo genere excitatis, nervi corrugati & contracti, arterias comprimunt & convellunt, proindeque in ſanguine irregulares fluctuationes & febriles excitant: Cæterum *motus Convulſivi dentitioni* aliquando ſuperveniunt, tum quia ſanguis effervescens particulas heterogeneas regimini animali ſuffundit, adeoque ſpiritus in exploſiones ciet, tum præterea cum dolor iſte acutus, & velut lancinatio, dentes erupturos ſequuta, ſenſum valde moleſtum ac irritativum à partibus affectis *ἰσοτρόπως αἴσθησιν* communicet, exinde ſtatim per eoſdem nervos, vel alios affines, excandeſcentiæ motus (qui ob diſpoſitionem præviam non raro convulſivus evadit) retorquetur. *Willis.*

48. *Curatio in genere*) Epilepticos inſultus, eorumque prodromos. Somnum turbantes *Pavores* ut cures mas, nobile remedium eſt *ſulphur antimonii*, ex hujus ſcoriis ultima vice certo modo præcipitandum *gr.* j. & in robuſtioribus paulo *gr.* iß. Epilepticos inſultus tam imminentes quam præſentes ſiſtens, ſimulque mineram morbi, ſi quæ reperiatur in primis viis, auſpicato exturbans vomitus, quibus locis expurgatis etiam repetitis vicibus, ſine tali effectu tuto propinari poteſt, blanda quiete & diaphoreſi novercam hanc puerorum ſopiens.

Interim non rejicienda puto communia euporiſta, *Pulver. Marchionis unicornu mar. & foſſile* &c. omnia enim hæc acidum nervos infeſtans abſorbent, & ita malum non mediocriter levant, interdum plane tollunt.

Quibuſdam inter ſecretiora infantum remedia aſſervatur *pulvis ille citrinus*, ſeu *farina muſco terreſtri clavato*, hic eſt *lycopodio* inſidens, ſulphureæ proſapiæ, adeoque flammam facile concipiens, & inſtar pyrii pulveris crepitum edens, qui ad ℈ß. ceu ſummum epilepticum remedium puerile commendatur: Cui tamen adhuc præferendam exiſtimo ſimilem *ſulphuream farinam* in *julis coryli* vere reperibilem; cum *coryli lignum*, morabile iſtud *heracleum oleum*, ſingulare antiepilepticum *Rulandi* fundat, rite diſtillatum, ſicut & *viſcus corylinus* nobile euporiſton ad epilepſiam eſſe ſolcat.

Sed ubi talia non ſuffecerint, omnibus præferendus eſt *liquor c. c. ſuccinatus*, crebriori experientia ad pueriles affectus epilepticos comprobatus, ex quacunque cauſa originem traxerint, etiamſi dentitionis difficultas eaſdem excitaverit, ſuo tamen officio optime ſatisfacit.

Externe abdomini, cordiſque ſcrobiculo, inungendum eſt *balſ. ſucc.* ceu optimum euporiſt. *Etmuller. p. 48.*

Pro ſecreto habetur *Stercus leonis & ciconiæ* in aqua convenienti datum. *J. Ph. Brendelius Conſ. 12. 13. & 14.*

Catellum purum nigrum, adhuc ſugentem ſtrangula; hinc corpus aperi, extrahe *totum cyſtin felleam*, vix 3. aut 4. guttulas bilis in ſe habentem; hunc ſuccum omnem in paroxyſmo puerulo cum pauxillo *aquæ flor.* tiliæ propina, miraculi inſtar videbis ab hoc morbo è veſtigio ſanari. Ex *Saxonia Matt. Untzerus.* Hierologici *lib. 2. cap. 14.* Præſcribitur à *Riverio in praxi.*

In præſervatione, & reliquiarum abſumptione, experimento fidiſſimo mihi habeo expertum, *mel decoctum & deſpumatum* cum modico *fœniculi* & oleo *amygd. dulc.* quo uteris ter vel quater in die. *Mercatus T. 3. l. 1. c. 6.*

Pulvis quo innumeri ſunt curati.

℞. *Unguent. alces limatura auri Hungar. viſci quern. corylini, betulini, & pyri probe à cortice ſeparati* āā. ʒß. *granor. paeon. flore candicante n.* x. *ſpinæ muſtelæ piſcis* ℥i. *corall. perlar.* āā. ʒß. *ætites, oſſicul. cap. percar.* āā. ʒii. *f. Pulvis*: dozis in aqua flor. tiliæ ʒß. infanti, puero ʒi. ſenioribus ʒii. *Ortolob. Maroldus Pr. p. 19.*

Secretum Hennebergenſe ad Epil. & Apoplexiam.

Stercus *Leonis ſiccatum*, *Cornix* ex nido lumpta & uſta, *Turtur* uſtus, *cran. hum.* ʒß. *baccæ ex tilia maturæ & ſiccatæ* ℥i. *cum eſſentia boni vini extrahatur*, *Extractis adde vini generoſiſſimi, in quo calfacto ſolvuntur* ℥ii. *ſacchar. candi*: Doſis mane & veſperi *cochl.* i. *infantibus, dentur gtt.* iii. *vel* iv. *cum aqua flor. tiliæ.* Idem.

48. *Curatio in genere*) Quia iſte morbus Pueris familiaris eſt, plerumque acutus & valde periculoſus, ideo peculiaris illius curatio ſubnectenda, utpote ab adultiorum curatione valde diverſa, 1. *Suppoſitorio* vel *Clyſtere* alvus ſolvenda eſt: poſtea, & fere eodem tempore *Purgans* medicamentum exhibendum ſatis validum pro ætatis ratione; Ita ut non dubitemus in puerulis unius anni Electuar. Diacarth. ad ʒij. exhibere, Si fiat ex lacte corrupto.

℞. *Hieræ picræ* ℈ß. *vel* ℈i. *pulv. Gutteta* ℈ß. da cum liquore ſpecifico, vel cum melle roſato.

Cucurbitulæ ſcapulis & lumbis admoveantur; cum ſcarificatione, ſi puer ſit grandior.

Veſicatorium applicetur poſteriori parti cervicis: Si Purgatio non rite proceſſerit aut parum profecerit. *Vomitus* provocandus eſt Vitriolo albo præparato, vel ſale vitrioli, Quod bis, ter & quater exhiberi poterit, ſi affectus protrahatur.

Detur *Pulvis* antepilepticus de *Gutteta* &c. vel *Aquæ* alicujus antepilepticæ cochlear exiguum; vel earum defectu *aqua cinnamom.* vel *imperialis*: vel guttæ aliquot *mixturæ* ſpiritalis cum liquore idoneo.

Occipiti admoveatur *Empl. de Ammoniaco*, deraſo capillitio, fluxionem enim impedit à capite in ſpinam irruentem; per partes exteriores.

Sinciput ſequenti pulvere ſinapiſetur.

℞. *Nucis moſch.* ʒß. *gran. pæn.* ʒß. *flor. lavend. pug.* j. *ſuccini* ℈ii. *f. Pulvis.*

Vel roborans Empl. applicetur, *Olei ſuccini* gutt. ij. vel iij. cum pari quantitate ſpir. *vitrioli*, *in aqua betonica* exhibitæ, puerulos à paroxyſmo ſtatim liberant.

Idem illitum naribus multum confert, Valet & *ol. buxi, aqua flor. tiliæ, betonicæ,* quæ potior. Fumus *Tabaci* ab inſultu liberat, in os pueri apertum inſufflatus.

Spina dorſi & membra quæ contrahuntur, inunguntur.

℞. *Olei rutac. lumbric.* āā. ℥ii. *ol. de caſtor.* ʒj. *aqu. vitæ parum* f. Linim.

Foveantur nares, tempora & aures hac miſtura.

℞. *Theriac. vet.* ʒi. *conf. alkerm.* & *de hyacint.* āā. ℈i. *aqu. beton. ſalv. majoran.* & *cinnam.* āā. ℥ß. *m.* Ejuſdem Aq. coch. i. exhiberi poterit.

Inungantur nares, tempora & vertex Balſamo apoplectico, imo & urgente neceſſitate os & palatum. Dum hæc omnia fiunt, *Clyſteres* ſemel aut bis in die injiciendi, ex *decocto rad. ariſtol. rot. polypod. qu. ſem. carth. ſem. pæn. cumini, flor. cham. aneth.* diſſolvendo *hiera picra* ʒiii. *mell. anth.* ℥i. *ol. rutac.* & *lil. ab.* āā. ʒiii. *Miſce fiat clyſter. Riverius.*

48. *Curatio)* In pueris ac infantibus paſſiones ſpaſmodicas, aut *imminentes præcavere*, aut *jam iam exorſas curare* incumbit: Nam ſi ejuſdem parentis nati priores Convulſionibus obnoxii fuerint, malum illud cæteris poſt natis tempeſtivo remediorum uſu præveniri debet: In hunc finem ſolenne eſt fœmi recens edito, quamprimum ſpirare incipit medicamentum aliquod ἀντισπασμώδες ori ingerere: hinc nonnulli guttas quaſdam mellis puriſſimi; alii cochleare *vini Canarini ſaccharo* imbuti, quin & alii *oleum amygdal. dulc.* recens extractum exhibere ſolent, à quibuſdam *olei ſuccini gutta*; aut *aquæ epilepticæ* ſemicochleare infunditur. Præter hæc prima infantum libamina, quæ certe nullius non momenti eſſe videntur, alia quędam remedia, & adminiſtrationum modi in uſum aſciſci debent, ſcil. bis in die propinetur cochlear unum liquoris huic affectui appropriati. E. g.

℞. *Aquæ ceraſor. rutæ* āā. ℥iß. *antepileptica Langii* ℥j. *ſyr. è corall.* ʒvi. *margar. ppr. gr.* xv. *Miſce in phiala*, Die tertio aut quarto poſt partum, excitetur *fontanella* in *nucha*, dein ſi vultus ſit floridi, parum *ſanguinis* ad ℥ß. vel ℥ii è *jugularibus* hirudinum ſuctu extrahatur, cavendo ne inter dormiendum ſanguis copioſe nimis effluat, Tempora & cervix blande fricentur tali Linimento.

℞. *Ol. nuc. moſch. per expreſſ.* ʒii. *capivii* ʒiii. *ſuccini*, ℈i.

Periaptum ex rad. & *ſem. Paon. mar.* addito parum *ungul. alcis*, collo ſuſpendatur.

Porro medicamenta antiſpaſmodica nutrici quotidie exhibeantur, ſumat mane & veſperi hauſtum *ſeri lactis*, cui *rad.* & *ſemin. pæon. mar.* & *ſem. fœnic. dulc.* incocta ſunt.

℞. *Conſerv. flor. beton. paon. mar. anthos* āā. ℥ii *pulv. rad.* & *ſem. paon. mar.* āā. ʒiij. *corall. r. præpar. ſuccin. albiſſ.* āā. ʒi. *rad. angel. zedoar. prap.* āā. ʒß. *cum ſ. q. ſyr. de Paon. f. Elect. capiat quantit. nuc. moſch. mane* & *veſperi.*

℞. *Pulv. rad. paon. mar.* ʒiii. *ſem. ejuſd.* ʒi. *f. Pulv. ſacch. albiſſ. ſol. in aq. flor. tiliæ* & *ad tabul. cocti* ℥iii. *ol. ſucc.* ℈i. *f. ſ. a. Tab. pond.* ʒß. *comedat unam hora qualibet ſexta.* Illa etiam exacta victus ratione utatur.

Quod ſi Infans quiſpiam convulſionibus actu teneatur, quia fontanella minus & tardius operatur, *Veſicatorium* in nucha, aut pone utramque aurem applicari expedit, & niſi temperamentum frigidius obſtat, *ſanguis hirudinum ſuctu* è venis ingularis extrahatur. Linimenta circa tempora, nares & cervicem, item *plantis pedum Emplaſtra* admoveantur, *Enemata* quæ alvum copioſe ſubducunt quotidie injiciantur; porro ſæpius in die, nempe 6. aut 8. qualibet hora, remedia ſpecifica intus ſumantur.

℞. *Ol. capiv. Caſtor.* āā. ℥ii. *ſuccin.* ʒß. *f. Linimentum.*

℞. *Empl. Oxycr.* p. ii. *galban. ſolut.* ʒi. *ol. ſuccin.* ℈i. *f. Empl. pro plantis pedum. Pulvis de Guttetæ juxta Riverii* deſcriptionem exhibeatur, bis vel ter in die.

℞. *Cran. hum. præpar ſem. paon. ungul. alc. margar. prap* āā. ʒß. *ambr. gr.* x. *gr.* vj. *f. Pulv. dozis gr.* vj. *in cochleari liquoris infra ſcripti, ter aut quater in die.*

℞. *Cran Hum. præpar. margar.* āā. ʒß. *ſalis ſucc.* ℈i. *ſacch. perlati* ʒi. *Doſis* ℈ß. Vel:

℞. *Spir. c. c. gtt.* iij. *detur 9. vel 8. qualibet hora in cochl. Julepi infra præſcripti.*

Pauperum natis exhibeatur Pulvis *rad. Valerianæ ſylv.* ℈ß. *ad* ℈i. *detur bis in die in cochleari lactis, vel liquoris idonei.*

Retulit mihi Medicus ſe noviſſe plures curatos remedio *Untzeri. ſcil. felle catelli lactentis*, totum ſuccum cyſtis felleæ exemptum cum *pauxillo aquæ flor. tiliæ* propinando. Porro ſolent Empirici pueris majoribus poſt fel epotum, etiam *catelli hepar aſſatum* comedendum tradere.

Julapia, aquæ deſtill. aliique liquores appropriati juxta præſcripta ſeqq. parari poſſunt.

℞. *Aqu. ceraſ. nig.* ℥iii. *Lang.* ℥i. *ſacchar. perl.* ʒii.

℞. *Rad. paon. mar. rec. in taleol. ſciſſar.* ℥vi. *vitr. Hungar.* ℥viij. *cranii hum.* ℥ii. *aq. epilept. Lang.* ℔ß. *m. diſtillentur in retorta vitrea calore arena, dozis coch.* j. *ad* ii.

℞. *Rad. paon. mar. recens inciſa* ℥iiii. *contuſis in mortario marmoreo affunde vini Hiſpani* ℔i. *f. expreſſio fortis, adde manus ch. perlatæ* ℥ß. *ſervetur in vaſe vitreo occluſo, Doſis cochl.* i. *vel* ii. *bis in die.*

Cum ob *Dentitionem* difficilem motus convulſivi eveniunt, ſymptoma hoc, quemadmodum ſecundarium & minus periculoſum exiſtit, ita in therapeia non ſemper primam aut præcipuam exigit medendi operam, ſed nonnunquam de dolore ſedando, & intemperie febrili ſummovenda potius ſolliciti ſumus, quare & patiens & nutrix victu tenui & refrigerante uti debent, dentibus erupturis gingivarum aut frictione, aut ſectione exitus patefiat; quin & partibus iſtis intumefactis & dolentibus anodyna applicentur; Enemata & ſanguinis detractio non raro hic locum habent: Somnum conciliare, & ſanguinis ferociam attemperare decet; interim remedia antiſpaſmodica uſurpentur, verum temperatiora, & quæ ſanguinem & humores minus exagitant. *Veſicatoria*, quia ſerum in caput nimis ſuffundi aptum evacuant, ſæpe juvamen conferunt. Quando pueri nec ſtatim à partu neque ob dentes erupturos, ſed propter alias occaſiones & accidentia motibus convulſivis tentantur, talis affectionis cauſa utplurimum vel in *capite*, vel alicubi *circa coctionis viſcera* ſubſiſtit: Quando *prioris* ſuſpicio habetur, uti liquere ſolet à ſignis quæ colluviem ſeroſam intra ἐγκέφαλον nimis congeſtum arguunt, remedia ſuperius citata in paulo majori dozi exhiberi debent; Inſuper in iſtis, qui catharſin bene ferunt, interdum vomitus & levis purgatio inſtituantur, *Vinum* & *oxymel ſcilliticum*, item *Mercurius dulcis, rhabarbarum* & *reſina Jalap.* egregii ſunt uſus: Quoties affectionis ſpaſmodicæ cauſa in viſceribus ſubeſſe videtur, an-

lum

lumbrici, aut acres humores ventris tormina cientes in vitio deprehenduntur, contra Lumbricos purgatio ex rhabarbaro, aut Mercurio dulci, addita reſina Jalapæ inſtituitur; Olim puero convulſionibus miſerrime affecto, ut jamjam moribundus videretur, dozin Mercurii dulcis cum reſina Gialapa exhibui, cùm alvi dejectionibus, quas quatuor habuit, lumbricos xij. excrevit, & derepente convaluit. Si motus convulſivos à ventriculi & inteſtinorum irritatione per acres humores facta procedere ſuſpicamur, lenis catharſis aut vomitu, aut ſeceſſu aut ſucceſſive utroque inſtitui debet: In hunc finem blanda emetica ex vino ſcillitico, aut ſale vitrioli propinentur; ſi quando ſcil. laborantes niſu vomendi ſponte tentantur; Sin evacuatio potius κάτω tentanda videbitur, rhei infuſio, aut Pulvis, ſyrupus de cichor. cum rheo, aut roſarum cum agarico, propinari debent; & non raro hiſce remediis tempeſtive adhibitis affectionem convulſivam in pueris ſanatam vidi: Porro in hoc caſu enemata ſint crebri uſus: Cæterum non omittantur medicamenta externa, ſcil. Fotus, Linimenta, aut Emplaſtra abdomini applicanda.

℞. Fol. chamom. minutim inciſ. m. j. includantur duobus ſacculis è lino tenui aut ſerico confectis, qui lacte calido intincti & expreſſi abdomini ſucceſſive applicentur.

℞. Summit aut flores malvæ pariter inciſæ, incoquantur butyro recenti, vel ſævo porcino, & ſub forma linimenti aut cataplaſmatis ventri applicentur. Willis.

In paroxyſmo ſi infantes ſint, aquæ vel lavendulæ, vel aqua tiliæ non cochlear, ſed pintam bibere debent, Sulphur vel allii radix naribus admota, radix paonjæ, colocynthidem non poſſunt deglutire, Sufflatio in nares ſucceſſit. Wallens Pract. p. 149.

49. Tempus poſt paroxyſmum) Quam ſit familiaris pueris & infantibus morbus Epilepticus notum eſt: Ut autem tum ab Epilepſia, tum ab Apoplexia hi præſervari valeant, multa obſervatione expertum eſt iis, antequam lac guſtent, in primo ortu præbendo ſyr. de cichor. cum rhab. ʒij. ab hac lue præſervari; ut Nicolaus Flor. fatetur; Arn. Villanovanus Corallium laudat, nam ſi diligenter tritum ad ℈ß. infans hauſerit cum lacte antequam aliquid guſtet, nunquam in Epilepſiam incurrere obſervavit: Idem de Corallo præp. experimentum perhibet C. Kunrath med. deſtill. p. 210. illudque ad ℈i. præbet.

℞. Aceti vini ℔iv. in eo ſolve caſtor. ℥ß. rad. pæoniæ contuſ. n. iij. coque omnia ſimul, & quamprimum infans in lucem editus fuerit, impone eum in hoc balneum, & lava, & præſervabitur ab omni epilepſia. Cunr. Kunrath. med. deſtill p. 338.

Stercus de vacca nigra adhuc calidum indatur ollæ novæ & calcinetur, detur ℈i. vel ʒß. infanti modo nato; Secretum eſt Electoris Saxoniæ, Tandem evocat magnam copiam impuritatum in utero collectarum. Hartmannus Pr. chym. p. 36.

Ab Epilepſia præſervat, ſi infanti jam nato aliquid Emulſionis detur ex amygd. dulc. cum lacte mul. & ſacch. miſtis. Crato Conſ. 327.

Hepar perdicis pulveriſ. & infanti datum, egregium eſt præſervativum & curativum. Cr. Amthor. Noſoc. Infans c. 8.

Mulieres Bohemicæ poſt paroxyſmum camph gr. j. in aqua flor. cheiri pueris præbent, Raro aut nunquam epilepſiæ corripiuntur. Phil. Grulingius Tr. German. de morb. Puer. c. 12.

49. Et tempus paroxyſmi &c.) Quin & præſervatu Ut infantes præſervarent Pœni, illorum venas capitis lana ſuccida inurere, pituitamque fluentem hoc præſidio compeſcere conſueverunt; Æthiopes infantes editos ab ipſo quoque natali die in fronte adurunt, Ita profecto tum capitis, tum oculorum humor ſiſtitur: Apud Inſubres, ex teſtimonio Mercurialis, & pleroſque populos, ut ſcribit Scipio Mercurius, editos infantes ſetone in collo muniunt, quod ſalutare experti ſunt adverſus morbos qui à capite fluunt.

49. Tempus poſt paroxyſmum) Pueri nonnulli ita huic morbo obnoxii ſunt, ut ſemel curati tamen ſoleant recidere, Imo in quibuſdam familiis omnes liberi hoc morbo ſolent interfici, Ideo tum iis qui nuper in lucem editi ſunt, tum qui à morbo convaluerunt debetur prophylaxis: 1. igitur recens natis, antequam lactari incipiant, detur Pulvis de Gutteta ad ℈i. cum lacte, eademque dozis ter repetatur intra duos dies, Iiſdem vero poſt aliquot dies à partu, tum etiam iis qui ſemel Epilepſia correpti ſunt, Cauſticum occipitio inurere utiliſſimum eſt: At multo utilius cauterium actuale, Florentinis, tradente Rondeletio, ita uſitatum, ut torrem ignitum, plerumque applicare ſoleant, Purgetur puer bis in menſe cum manna, ſyr. roſac. aut de cichor. cum rheo: Singulis interluniis detur dozis Pulv. de Gutteta: Admoveatur Cucufa cerebrum roborans: Suffumigium pro integumentis capitis; Capillis inſpergatur Pulvis: Nonnulli ad præſervationem hoc remedium commendant.

℞. Spir. vini ℔iv. caſtor. ℥j. rad. pæon. ℥iii. macerentur, Colatura totum corpus abluatur calidiuſcule. Riverius.

50. Hic Novulus &c.) Paroxyſmum præſentem relevant peſſuli ex bombyce facti, intincti in aquam vitæ in qua aliquid caſtorei fuerit diſſolutum. Crato conſ 307 309.

Pulverem rad. Valerianæ ad miraculum quidam extollit, ſi ejus ʒß. in vino lacte. aut juſculo infanti exhibeatur, ut & nos ſæpe experti ſumus. G. Caldera de Heredia Prompt. facile parab. p. 319. Commendatus & à Riverio in Praxi.

Detur de moſcho fino & aceto ſubtili patum bis aut ter in die & perfecte curabitur. C. Geſnerus apud Schenckium ex quo Riverius.

51. Nodulus ex c. c. &c.) Celeberrimus eſt Pulvis de Gutteta, Monſpelienſibus familiaris.

℞. Rad. Pæon. ſem. ejuſd. dictamni albi, viſci qu. ãã. ℥ß. ſem. atripl. ʒii. cranii hum. ʒiii. corall. r. ppti, hyacinth. ppti. ãã. ʒß. ungul. alces præpar. ℥ß. moſchi ℈ii. fol. auri ʒi. Miſce. f. Pulvis.

VIII. Convulſio.

52. Convulſio articulorum) Convulſio ſæpe fit in pueris aphor. 25. 3. ob nervorum imbecillitatem, ob uſum lactis craſſioris, & ob cruditatem maxime ſi alvus ſit dura; Differt ab epilepſia, quia ſenſus interni & externi in hac læduntur, eſtque potius motus convulſivus quam convulſio per paroxyſmum ceſſat & revertitur, At in convulſione cauſa muſculis impacta non ita excutitur, nec animales actiones læduntur; Eſt autem triplex emproſtotonos, opiſthotonos, & tetanos, duæque ſtatuantur cauſæ Repletio & Inanitio.

In pueris ſæpiſſime fit ob dolores, lactis copiam, corruptionem, dentium punctionem, maxime ſi corpus craſſum ſit & alvus dura; tum quoque in febribus, ſi craſſi humores liquantur, & ad partes nervoſas rapiuntur: Si repente accidat: fit à repletione cui febrem ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem, nam hæc vix curatur, quia morbi acumen moram non patitur: Pueri tamen, cæteris paribus, facilius curantur, ob caloris robur, nec tam facile in convulſionem ex ſiccitate incidunt, ob corporis humiditatem; quæ ſi accidit fit propter febres, clamores, unde interdum adeo rigidi fiunt, ut flecti non poſſunt. Primiroſius p. 40.

53. In Curatione) In convulſione à repletione, aër

ſiccus ſit & tenuis, non gelidus, humidus, craſſus, paluſtris, ventoſus, Nocent otium, quies, ſomnus diurnus ſtatim à cibo; omnis cibus nimium copioſus, frigidus, excrementoſus.

Exhibeantur *ſyr. de betonica*, *de ſtæchade*, *de cortic. citri*, cum *ſpir. ceraſor. nigr. aqua flor. tiliæ*, *epileptica* Langii. Idem.

53. *In curatione*) Filium habeo novennem, *Gulielmum*; ſtudiis totum mancipatum, Theologiæ ſponte devotum, ludorum & deambulationis neſcium, quapropter multa congerebat excrementa; Convulſiones illum manuum & pedum crebro invadebant, quas extendere toto triduo vel quatriduo non valebat; deſinebant purgatione nonnunquam & venæ ſectione ſi comes eſſet rubor cum febre: Quia crebrius malum adoriebatur, nec præceptis ὑγιεινῆς, obtemperaret, in interſcapulio duos fonticulos ante biennium excitari curavi, qui materiam convulſionis authorem, (quæ copioſa adhuc funditur, ab hac affectione liberum hactenus illum reddiderunt; necnon à ſcabie capitis illi moleſta.

54. *Cervix & articuli*) Membra contracta dirigantur & fricentur *oleo lilior. irino. cyprino, cheirino, terebinth. vulpino*. *Paulus* probat *heliotropium* aqua decoctum, empl. ex *rad. lilior.* cum *aniſo*, *croco & melle*: *Avicenna* Decoct. *chamæm. melilot. fœnugr. roſmar. ſtæch. cucum. aſinini*, *rutæ*, *alth. lilior. pæon.* cum *oleo chamæm. coſtino*, *laurino*.

℞. *Ceræ* ℥i. *euphorb.* ʒß. *olei q. ſ. m. ſ.* & applica ex Rhaze.

℞. *Pingued. urſi*, *vulpis*, ãã. ʒß. *ol. moſchell.* ℥ß. *butyri* ʒii. *terebint. ceræ* ãã. ʒvi. *maſtich. ſtirac. myrrhæ* ãã. ʒii. *M. ſ. F.* Vnguentum Primiroſius.

IX. [55] *Strabiſmus*, qui *vel* eſt *ab ortu* ex vitioſa oculorum conformatione, vixque curatur: *vel* contuſis & contractis poſt frequentem, fortem & diuturnam epilepſiam oculorum muſculis, qui quoque curam non admittit: *vel* à mala conſuetudine, quando oculi infantum continuò luci obvertuntur, quæ.

[56] *Curatur* in recens nato, ſi lucerna in partem oppoſitam, quo oculi declinant collocetur: vel larva foraminata facici apponatur, de qua apud *Hartmannum*.

X. [57] *Aurium humiditas*, quæ accidit *vel* [58] cum inflammatione. Et tum gravis adeſt dolor, aures rubeſcunt, infantes eas contrectare non patiuntur, ſanguis, [59] ſanies; & pus aliquando ex auribus effluit, malum ſæpè intra paucos dies jugulat.

Vel cum ſurditate, quando ſordes ulterius ſerpentes, ſpongioſa & cavernoſa oſſa erodunt.

In [60] *curatione* dolor lacte tepido aut decocto capitum papav. mitigandus: humiditas *melle roſarum* aut *aqua mellis* abſtergenda. Laudatur *Vrina puerorum* guttis aliquot in aurem immiſſi.

XI. [61] *Linguæ adſtrictio*, ita ut nec ſatis extendi, nec ſatis liberè exeri poſſit; quæ ſectione tollitur, vulnus verò farina hordei cum melle deſpumato cocta, & in pulverem redacta, poſtquam humiditas exhalavit, illiniri debet.

XII. [62] *Dentitio difficilis*, quæ ex eo.

Cognoſcitur, quod tempus ſit dentitionis, quæ circa initium ſeptimi menſis accidit, infantes digitos frequenter ori inſerant, nutrices papillas fortiùs ſtringi ſentiant, locus ubi dentes erumpere conantur, albicet, [63] dolor ingens, tum inprimis cùm canini eduntur, vigiliæ, fluxus alvi, convulſiones, afficiant.

[64] *Curatio* eſt *bonæ ſpei*, ſi alvus crebro emittit, ſi [65] febris acuta accidit, quia materiâ convulſionem faciente per febrem abſumtâ, [66] convulſio non accedit, ſi hyeme vel vere dentes erumpunt: quia hyeme caloris nativi vigor major eſt; vere, [67] gingivarum laxitas.

In ea [68] videndum, ne, ſi alvus fluxa eſt, nimis citò ſiſtatur.

[69] *Tumentes* gingivæ, *cerebro leporino cocto*, vel *pinguedine illius*.

[70] *Inflammata* unguento ex *oleo roſaceo* & *cera candida*, *ſucco ſolani* elota.

Exulceratæ, butyro non ſalito cum nonnihil mellis & thuris pulverizati, illinendæ.

IX. *Strabiſmus.*

55. *Strabiſmus*) Utplurimum in pueritia contrahitur; quibuſdam etiam ab ortu contingit &c. vel ob morbum aliquem ut cephalalgiam, vertigines, febres, apoplexiam, convulſionem, epilepſiam; contractis enim & convulſis oculorum muſculis ſitus hic vitioſus contrahitur, ita ut bulbus oculi male ſit orbitæ inſitus: Fit igitur vel à paralyſi, vel à convulſione muſculorum oculi: Olim fieri dicunt ex tranſpoſitione cryſtallidis prout vel ad latera, vel ad ſuperna, aut ad inferna vergit: unde quatuor Straboſitatis ſpecies facit. *Avicenna.*

Si repente ſuboriatur fit ex humiditate cerebri, tunc excrementa copioſa ſunt, Si poſt morbos ſenſim fiat, à ſiccitate eſt; Si ſurſum vel deorſum fiat, res una videtur, ſecus autem ſi dextrorſum vel ſiniſtrorſum.

56. *Curatur*) Curandum ut pueri recta aſpiciant, non autem à latere, niſi in alterum latus corrigendi ſint oculi, Ad id larva quoque facit faciei obducta, ſi foramina oculis ita objiciantur, ut lumen recipiant ea parte, qua oculos vergere conſilium eſt. *Primiroſius pag. 42.*

In Infantia talis curatio tentanda, primum muſculi in ambitu oculorum, qui oculos circumagunt, mundiſſimis linteolis calefactis ſingulis diebus confricentur, deinde *ol. chamæm.* inungantur, cavendo ne in oculos oleum influat: Si caput infantis excrementitia humiditate redundet, id quod ex ſalivæ copia, & narium pituitoſa deſtillatione deprehendi poteſt, tum naribus ſubinde odoramenta exiccantia, ex *majorana*, *nigella*, *lavendula*, *caryoph.* & *fumus* ex accenſo *ſuccino* admovenda, & excrementa exſiccanda veniant, *Fr. Joel.* Hoc in caſu admotum inio cauſticum utiliſſimum eſt.

X. *Aurium*

X. *Aurium Humiditas.*

57. *Aurium humiditas)* Inter morbos pueriles refert *Hippocrat. 3. aphoriſm. 24.* humiditates, narium & palati, quoniam naturæ, etiam in adultis, convenit hæc per nares & palatum expurgatio; ſed quæ per aures fit, à natura aliena eſt, ait *Galenus*, In pueris autem fit ob magnam cerebri humiditatem, quæ tota per os & nares vacuari nequit, unde cum ipſi excrementitiis humoribus abundent, per omnia foramina excernuntur; unde plurimi hunc fluxum nolunt exſiccari niſi ulceret, aut ſurditatem & obſtructionem minuetur, ſufficit caput exſiccare ſacculis ex milio aut herbis leviter exſiccantibus, quia ſcilicet cerebrum hæ humiditates vacuant. *Primiroſius.*

58. *Cum inflammatione)* Obſervandum raro abſque dolore & inflammatione fieri harum humiditatum effluxum; Nam humorum affluxus dolorem facit, dolor ſanguinem allicit, unde inflammatio, qua ſuppurata ſanies effluit, unde fiunt ulcera, quibus hæc via naturæ conſueta redditur, ad humorum expurgationem, ut interdum vidi in quibuſdam adultis. Interdum ulceribus increſcentibus ſurditas ſuccedit, atque oſſa fieri poſſunt carioſa; In principio cum adeſt inflammatio, prodeſt *ovi candidum* cum lacte muliebri, poſt *adeps anſerinus* cum eodem lacte; Sed ſi ſanies prohiberi non poſſit, fiantque ulcerationes quædam, inſtilletur *mel roſat. aqua mellis cum aceto, terebinthina cum melle, myrrha cum vino, alumen cum vino, croco, nitro,* quo licinia intingantur, Laudatur *ſuccus abſinthii* cum *melle* & nitro, ſi ulcera fiant ſordida, *Oleum* vel *ſuccus cannabis, oleum irinum cum aceto, Succum myrti, aut gallas cum aceto* probat *Rhazes:* Alii pulverem *myrrhæ, aloes, ireos, croci, alumen* cum eodem *aceto* vel *vino*: In leviori malo ſolam *pueri urinam* auri inſtillatam quidam commendant; Si his non liberetur, periculum eſt ne malum degeneret in fiſtulam: Valent hæc etiam ſi vermes ex aure prodeant. *Primiroſius.*

59. *Sanies & pus)* Τὰ ὦτα ῥέοντα, Purulentæ aures, crebro ex infantium auribus præfluit aut ſeroſus ſanguis, aut pituitoſum excrementum, aut purulenta ſanies, & quandoque una & vermiculi procidunt, ſignificantque cerebri malam conſtitutionem & humidam intemperiem, aut ruptum in cerebro apoſtema, ac putrefactionem; *Ioel.*

60. *In curatione)* Aquoſus humor per aures è cerebro nonnunquam effluit, in pueris, qui cohibendus non eſt, nam importune ſuppreſſus epilepſiam aut gravem alium affectum parit, Natura enim per hanc viam, licet minus idoneam, excrementa deponit, nimiaque humiditas in capitibus puerorum luxurians, non ſolum per vias ordinarias, huic uſui à Natura deſtinatas, nares & palatum, ſed etiam per aures, oculos & totam capitis ſuperficiem (unde ulcera & achores expurgatur) Cum tamen hæc vacuatio ſymptomatica ſit, & humor ad aures profluens eas tandem exulcerare & auditum lædere valeat, illius curationi convenienti methodo incumbendum.

Ac primum humores ſuperflui in cerebro educendi blandis & repetitis purgationibus, tum & derivationibus, per veſicatoria cervici admota, & cauſticum occipiti admotum, Poſt meatus aurium detergendus & exſiccandus.

℞. *Succi agrimon. & abſynth.* āā. ℥iii. *vini albi & mell. roſ.* āā. ℥i. bulliant parum & in aurem inſtillentur, ſordibus prius abſterſis, poſt aures cotone obturentur; eodem liquore imbuto. *Vel.*

℞. *Vini albi* ℥iv. *ſuccor. agrimon. abſynth. & centaur. min.* āā. ℥i. bulliant ſimul & in aurem inſtillentur. *Riverius.*

Curatio fluentium Aurium hac ratione inſtituenda, ſi craſſæ ſordes meatibus ſint impactæ, auriſcalpio leniter eximuntur, & lana molliſſima acus nodulo obvoluta extergantur, deinde *mel puriſſimum* cum *vino rubro* ſolutum, & lana xylina exceptum tepidum inſeratur, aut inſtillentur iij. aut iv. guttæ *hydromel.* tepidi, aut ſequ. liquor.

℞. *Mellis puriſſ. vini rub.* āā. ℥ß. *alumin. croci, nitri,* āā. ℈i. *quæ contrita ſimul leniter ebulliant, & guttulæ tres fluenti* auri *inſtillentur, Aut lana xylina excepta tepida imponantur.*

In vehementi autem fluxione, temporibus & auribus imponatur milium roſtum, & in ſacculo conſutum ſubinde calefactum, Exſiccat enim omnem fluxionem.

In purulenta ſanioſaque fluxione utiliſſimum exiſtit *oleum ex ſemine cannabis* expreſſum, aut ejuſdem *herbæ ſuccum* expreſſum, tepidum, aut *ol. amygdal. amar.* cum pauxillo vini mixtum inſtillare.

Sin fluori accedat inflammatio capitis & ingentes dolores excitet, mitigetur dolor, & leniatur inflammatio, *granis duobus opii Thebaici*, vel *laud. op. cum lacte muliebri reſolutis*, & inſtillatis.

Si purulentæ fluxioni adſint flatus, quod extenſivo dolore circa aures, & aurium tinnitu cognoſci poteſt, proderit *ſacculus* ex *flor. chamom. melilot. & origani,* vino conſperſus, & per calidum laterem calefactus, auribus admotus; aut *lamina recens piſti panis* calidè admota, aut gtt. j. aut ij. *ol. caſtorei* inſtillata. *Fr. Ioel.*

Dolor Aurium.

Non facile in pueris cognoſcitur Dolor aurium, ſicut nec quilibet dolor, antequam loqui poſſint, atque etiam tunc admodum difficulter: plorant, quidam ſunt inquieti, ſed tactis auribus magis clamant: Hic dolor vigilias, epilepſiam, mortem afferre poteſt.

Dolent autem ſive utplurimum, ex flatibus, quos humores craſſi, lac, aut vitioſum aut corruptum ſuſcitant, Tunc adeſt tinnitus ſine gravitate, ſed hoc pueri indicare non poſſunt, Conſiderandum an febricitant, an ſint ad ſomnum propenſi: ſi hæc abſint, nec inflammatio, nec frigidorum humorum copia ſubeſt.

Ante uſum remediorum Aures ſunt à ſordibus repurgandæ, nec quicquam aut nimium calidum, aut frigidum immittatur, atque id in pauca quantitate, atque etiam priori excuſſo, ſi aliquid prius immiſſum fuerit.

℞. *Stæchad. calaminth. origani, chamæm. majoran.* āā. *m. i. ſemin. lini, fœnic. carvi, ameos* āā. ʒi. *flor. melil. p. i. f. decoctio pro Fotu.*

Vel *cape cum pulv. cymini coq. in ol. rutæ*, & applicentur ex *Faventino, Spica, ſalvia, anethum*, coquantur in *ol. chamæmel.* Commendat *Avicenna ſemen lini, origanum ſacchar. mel, ſal, lentes. myrrham, colocynth.*

Fieri etiam poteſt dolor ab *Inflammatione* aut alio *apoſtemate, ulcere, vermibus* qui interdum exeunt, Hoc etiam malum difficulter cognoſcitur, ſed ſunt calor, rubor interdum, qui ſi non appareat gravius periculum eſt: Succedere poteſt phrenitis; nam ante ſuppurationem ſæpe intercipit; minus lethalis eſt in adultioribus, quia in his ſæpe ſuppurat.

Applicetur *ol. roſat. violat. lac cum ovi album. & croco*, Si gravis adſit dolor, *opium* addit *Galenus* cum *vino dulci paſſo* 3. K. T. Reliqua ex ſuperiori capite repetantur. Ictus ſæpe inflammationem facit, quæ ut ſupra dictum curari debet. *Primiroſius.*

XI. *Linguæ adſtrictio.*

61. *Linguæ adſtrictio)* Vocatur a Græcis ἀγκυλόγλωσ-

σον, Eó qui laborant *μογολαλος* nominantur & *αγχυλογλωσσος*, Frænum filum, vinculum, ſive ligula, qua lingua partibus ſibi ſubditis connectitur: Si nimis ſit adſtricta, nec ſufficienter infantibus ſoluta, eos in ſuctione impedit, ut recte papillam apprehendere nequeant; Adultiores factos in loquutione remorantur; Naturale linguæ frænum membrana eſt ſatis valida, lata, ejuſque medio ſubiecta; Illius extremo verſus linguæ mucronem, adnaſcitur funiculus, qui efficit ut linguæ quaſi decurretur; & abbrevietur, libereque moveri ad lactis exſuctionem, & in adultis ad ſermonis formationem nequeat, Verum vitium iſtud raro accidit, contra vulgi & obſtetricum opinionem. Diſſecto frænulo, utendum *oxycrato*, *melle roſat. ſyrupo è roſis ſiccis*, *myrthino*, *corallino*, &c. aut *aqua plantag. centinod. burſæ paſtor. equiſeti* &c. ad ſiſtendum ſanguinem, & arcendam inflammationem. *Sebiſius man. p. 1781.*

XII. *Dentitio difficilis.*

61. *Dentitio*) Solent infantibus pleriſque poſt ſextum menſem paulatim dentes erumpere, ſicut quibuſdam citus, menſe ſcil. 3. vel 4. multis ſerius, poſt menſem demum octavum, nonum, imo aliquando duntaxat poſt annum: Prodeunt iiſdem quibuſdam ſatis facile, abſque notabili moleſtia; pleriſque tamen moleſta ſolet eſſe & difficilis Dentitio, ſi præſertim plures ſimul erumpunt, ut & cum canini prodeunt: Omnium primi ſolent erumpere *Inciſores*, tum ſuperiores tum inferiores, ſive ſimul erumpant ſimul ſeorſim; poſtea ſuccedunt externi, in totum octo: Quibuſdam infantibus cum tanta erumpant facilitate, ut ne minimam ſentiant inde in gingivis moleſtiam, at id parum eſt. *Fr. Sylvius Append. Tr. 1. c. 7.*

62. *Dentitio difficilis*) A dentitione difficili ſæpius patiuntur Infantes in Gingivis dolorem ſummum, caloremque in ore moleſtum, quin gingivarum quandoque inflammationem, imo Epilepſiam, ex qua nonnunquam pereunt; Hujus cauſa quærenda videtur 1. in Dentibus 2. in Gingivis, In *Dentibus* quando ſegnius excreſcunt, suntque obtuſiores, unde difficillius penetrant Gingivas, In *His*, cum ipſarum ſubſtantia eſt ſolidior & durior, adeo ut difficulter patiantur à Dentibus ſe dividi. Vbi autem ſegnius procedit iſta diviſio, cum ſint partes ſenſiles, dolor excitatur, in ipſis, & quoniam atteritur earundem gingivarum ſubſtantia, ac quaſi conrunditur, ſanguis quoque ex ipſarum vaſculis effunditur, ſiſtitur in earum ſubſtantiâ, unde fit ibidem inflammatio cum dolore & ardore ſummo, quem vigilia comitatur, hincque facile accenditur Febris continua, pro humorum peccantium diverſitate diverſa, unde non raro tum ex ipſa parte affecta excitantur ac erumpunt halitus acidiuſculi, qui ad nervorum principium penetrantes, ac ipſum irritantes, Epilepſiam quoque producere ſolent: Quin putem aliquando agitatis cum febre univerſi corporis humoribus, ob continuos dolores ac Vigilias, tum bilis tum pancreatici ſucci augeri acrimoniam, ob quam effervescant in tenui inteſtino vitioſe, & ita quidem ut halitus acres, acidi, tum quandoque vi narcotica ſimul præditi, tunc erumpentes aſſurgant ad Cerebrum ibidemque pariant Epilepſiam: *Sylvius ibid.*

63. *Dolor ingens*) In nobis ipſis experimur quis ſit cruciatus qui irritationem circa dentium radices ſequitur; revera tantus & tam atrox ut excitari vix poſſit atrocior quippe nervorum quinti paris una aut altera inſignis propago ad cujuſque dentis radicem pertingit; quæ cum à ſanguinis, aliorumve humorum particulis acribus illic congeſtis vellicatur, corrugatione ſua acerrimum moleſtiæ ſenſum ſive dolorem inducit; Iſtiuſmodi autem hujus nervi vellicatio in pueris dentientibus ideo contingit, quia dentibus jam in majorem molem creſcentibus, & adhuc intra gingivas vix dum excavatas incluſis, membranæ & fibræ quaquaverſus diſtenduntur: hinc ſanguis in circuli præpeditus tumorem infert, adeoque nervos comprimit, quin & acriores ſeri particulas iis ſuffundit, quibus illi inſigniter vellicari corrugationibus, & ſpaſmis doloriſicis torquentur. *Willis.*

63. *Dolor ingens &c. Vigiliæ &c.*) Equidem nil aliud præterquam gingivarum è dente accreſcente perforandarum dolor primario urget, ſimilis quodammodo illi, dum acido morboſo gingivæ in dentium radicibus punguntur, & quaſi perforantur; Sed cum ſenſus gingivarum, ex interſperſis variis nervulis ſubſtantia cum partibus vicinis inſignem conſenſum habere ſolear, quod ex odontalgia adultorum, ſubinde dimidiam capitis ſphæram per conſenſum afficiente, interdum muſculi temporalis aliquem ſpaſmum inferente notiſſimum eſt, de facili evenit ut atrocioribus ſub doloribus tandem univerſum fere nervorum ſyſtema ſimul vellicetur, & inde convulſiones epilepticæ ſuperveniant, idque eo promptius, quo vel per ſe & in ſeipſo nervorum ſyſtema infantum tenerius & mobilius extiterit, vel ipſum ex perverſa diæta matris vel nutricis, acidis abutentibus, in primis ſuis ſtaminibus debilius & facilius irritabilius redditum, vel ex lympha bilioſa commota hinc inde irritatum fuerit.

Cum vero ex dolore gingivarum vicina glandulatum, præprimis ſalivalium vaſa, & illas integenies membranæ vellicari ſoleant ſimul, hoc ipſo uberior *ſalivæ in os effuſio*, indeque effluxus, (vocant Galli *baver*) ordinario comitari, interdum aliquandiu præcedere Dentitionem moleſtiorem ſolet.

Quæ lympha, ſi & ipſa minus temperata, ſed ſalſo acida plus minus fuerit præter roſionem faucium & laryngis, indeque excitatam tuſſim ſubinde ſiccam & inanem, ad ſtomachum copioſior delata *anorexias*, nunc *apepſias*, interdum *vomitus* cum *tuſſi ferina*, aut certe in inteſtinis *diarrhœam* plus minus ſeroſam excitari, vel nervoſum genus hinc inde vellicando ad Epilepſiam diſponet qualia ſcilicèt ſymptomata, præter vigilias, inquietudines, ejulatum, febrilem æſtum Dentium eruptionem comitari ſolent. *Etmuller pag. 31.*

64. *Curatio*) Mala omnia ut *præveniantur*, & ſi jam urgeant, *curentur*, danda opera ſi ſegnius erumpant Dentes, aut caleant doleantve gingivæ, mollianrur ac demulceantur, hinc & eorundem penetratio promoveatur: Ad Gingivas emolliendas utile *butyrum inſulſum*, ſolum vel cum *melle*, ſi ſæpius illinantur digito, ut & *lactis cremore*. Laudatur & *cerebrum Leporinum*; E *galli criſta inciſa emanans ſanguis*, gingivæ affrictus: Ut facilius gingivas denſas & craſſas penetrent. Dentes, ex ebore, cryſtallo, argento, aliave materia ſolida & dura ſolet parari aliquod inſtrumentum, inter gingivas, ponendum, quod dum mordent Gingivis infantes, facilius perforatur Gingiva: In hunc finem laudantur *Dentes Lupini*, ac ſi rebus aliis duris præſtarent, quod ſi fiat, tribuendum eſt id Sali volatili quo abundant: Et revera quorundam brutorum ferociorum dentes, ſicut ſunt valde duri; ita halitum aliquem ſalinum volatilem emittunt, qui penetrantiſſimus eſt, hinc juvare poteſt gingivarum penetrationem. *Sylvius ibid.*

Dentitionis laborioſum, & tenellis ob ſymptomatum

tum graviſſimorum ſyndromen ſubinde mortiferum negotium ut promoveatur, & doloribus leniendis, & ſymptomatis ſupervenientibus mitigandis omnis opera impendenda erit, *Dolor* ergo ut leniatur, & gingivæ minus ſenſiles ſimulque molliores reddantur, eædem crebrius *ſucco cancror. fluviatil.* cum *aqua flor. cyani* extracto illinendæ, aut *balſamo puerorum dentientium à J. Dan. Horſtio in Diſpenſat. pag.* 567. deſcripto, eædem inungendæ; *Radic. althea* fruſtulum recens, vel aridum æſtu *aqua malvæ* maceratum, ſæpius maſticandum infanti præbeatur, ut hujus mucilagine à ſaliva ſub maſticatione extracta emolliantur gingivæ melius, cujus loco non inepte alii *fruſtulum corii lardi* recentis ſubſtituunt: *Etmuller pag.* 49.

65. *Si Febris*) De febre Dentitionis comite vide ſupra §. *Quæ circa dentitionem.*)

66. *Convulſio non accedit*) Ad quam præcavendam, (*præter libertatem alvi conciliandam*) *Gelatina c. c. recens* crebrius quocunque vehiculo propinata, & hinc *liquor c. c. ſuccinatus*, ob convulſionum inprimis metum, medicamenta ſunt tutiſſima & utiliſſima. *Etmuller. p.* 49.

67. *Gingivarum laxitas*) An illud verum mollitiem gingivarum cauſam eſſe cur non ita cito naſcantur dentes? Puellarum exemplo docent quibus mollities dentes tardare ſolet. *Ballonius Epid. p.* 1.

68. *Videndum ne ſi alvus fluxa eſt*) Ut reliqua interea mitigentur ſymptomata ſupervenientia, qualia primario ſunt febris & convulſiones; optimum fuerit ſi alvus quantum poſſibile ſervetur probe fluida; nam *Quibus cum dentes erumpunt alvus crebro dimittit minus convulſione tentantur*, inquit *Hippocr. lib. de Dentit.* hinc vel ſponte alvus fluidior ſervetur talis, vel eadem clyſmatis ſimilibuſque remediis reddatur laxior. Indeque ſpeciatim in iis qui ex nutricis cacochymia minus laudabilem ſanguinis reliquorumque contentorum craſia obtinent, nam & tales ordinario gravius ſub dentitione laborare aſſolent. *Etmuller p.* 49.

69. *Tumentes Gingivæ*) Si Gingivæ ſolidiores & duriores dentium protruſionem remorari velle videantur, unde ſæpe graviſſima accidentia & ſymptomata ſupervenire ſolent, inprimis convulſiones & diarrhœæ lethales morſque ipſa, tunc ſine mora ſcalpello, aut inciſorio alio acuto aperiri poterunt, quod tuto, ac ſine metu doloris, inflammationis aut hæmorrhagiæ fiet: Qua operatione chirurgum magnum & celebrem, & ſuos & multos alios infantes dentientes à graviſſimis ſymptomatibus liberaſſe in Galliis vidi: *Platerus.*

Hoc præſidio, ut audivi ab αὐτόπτῃ Philiatro. *Willis* abortci faucibus liberavit infantem ſibi oblatum, hic nulla mora, nec conſenſum parentum deprecatus; phlebotomum è thêca deprompto diviſit gingivam tumidam, viamque denti fecit.

Idem factitatum à *Paræo* legimus, qui *lib.* 23. *c.* 67. cæteris irritis, ſi protuberantia gingivarum, & ſuperior earum candidior reddita oras dentis jam proxime abſconditi ſignum exhibeant, ſcapello eas incidit, quod ceu tutum, ſibique compertum & ſumme proficuum commendat: *Borellus* 1. *Obſ.* 97.

69. *Tumentes &c. Inflammata &c.*) *Prurientes* Gingivæ commode digitis crebro confricari, aut ori infantis *dens lupi* argenti incluſus, aut corculo ex argento factum mandendum aſſidue ingeri poteſt, aut, ut *Ægineta* docet, fruſtulum ſalſæ carnis maſticandum præbere.

Tumentes gingivas & jam ruptionem minitantes, utiliſſimum eſt inungi aut *cerebro leporino* cocto & elixato, aut *pinguedini leporina*, aut *gallinacea*, aut *butyro rec.* Quin & maxillis *oleum chamam.* calidum, lana molli exceptum foris utiliter imponimus: (*mixtura ex melle & oleo amygd. d. vel butyro recenti commode utuntur mulierculæ, cujus ope & laxiores fiunt gingivæ, & dolor mulcetur, & alvus aperta ſervatur, cujus libertati attendendum: affricant crebro gingivis, vel ex penna illinunt.*)

Si *inflammatæ* ſunt valde gingivæ, & vehementiores dolores excitant, inungi debent ex *oleo roſac. & cera candida* facto linimento, quod cum *ſucco ſolani* aut portulacæ aliquoties fit ilitum.

At vero ſi gingivæ ſint *exulceratæ*, præſtat eis illinire exiguum *butyri inſulſi*, cui nonnihil *mellis* & *pulveris thuris* ſit admixtum; aut ſequens linimentum.

℞. *Butyri ſalis expertis mellis roſac.* āā. ʒi. *terebinth. cum aqua plantag. ter elota*, miſce & gingivis inunge. *Joel.*

Hoc malum, hoc unicum & certum habet remedium, ſi nempe Aurium rota externa regio, præſertim poſtica ejus pars, *axungia leporis* recenti ſæpe inungatur, Gingivæque protuberantes *ol. amygd. dulc.* ſæpe demulceantur, *Strobellergerus manud. ad cur. pueros c.* 9.

Pinguedine) Ut reddatur facilis eruptio Nutrix digito fricet pueri gingivam *butyro inſulſo*, In id commendatur *cerebrum leporis*, quod proprietate quadam creditur dentibus exitum præbere, ſive crudum, aſſum, ſive elixum, ſive ſiccatum in furno, quo vel ſolo, vel mixto, cum *butyro inſulſo*, vel cum *melle roſato*, vel cum *medulla cruris bovis* confricanda gingiva; Neque ſolum dente erumpente, ſed longe ante ejus eruptionem, ad hujus ſymptomatis præcautionem: Ad id confert cerebrum *porci junioris.* Datur etiam infantibus *bacillus liquiritiæ* contuſus in ſuo extremo, & melle imbutus.

Quod ſi membrana durior & ſolidior nequeat ab acie dentis perforari, & inde febris vehementiſſima, convulſione comitata procedat, vel ungue illa eſt dilaceranda, qua parte alba eminet, vel dentiſcalpii argentei cuſpide, Quo remedio plures infantes à magnis ſymptomatibus protinus fuerunt liberati. *Ench. Med. Pr.*

70. *Inflammata Unguento*) Extra maxillæ & regioni temporum loci dolentis, pro ſpaſmo doloroſo dictorum locorum leniendo, illinatur *medulla crurum vituli, ol. amygd. d. chamomillæ, ungu. alth. mucilag. de alth. ana pſyllii, theriaca &c.* Etmuller. p. 49.

APPENDIX.

Ad Præſens caput.

Capitis dolor.

Ad capitis dolorem alvus libera ſervetur clyſteribus, Caveant tum Puer tum Nutrix à vino & omnibus rebus vaporoſis, Foveatur caput *lacte, aqua roſar. decocto ſantalor. aqua cucurb. violar. nymph.* cum *camphora, croco, albo ovi, oleo roſar. violar.* cum pauco *aceto*, vel *mucilag. ſem. cydon. pſyllii.*

Si ſit à *cauſa frigida* utere oleis calidis. *Primiroſius.*

Stridor Dentium.

Stridor Dentium fit ſæpe in pueris à vermibus, aut convulſione muſculorum mandibulæ, unde periculum

apoplexiæ aut epilepſiæ impendet, Et in adoleſcentia ſponte curantur muſculis factis robuſtioribus.

Caput purgandum, cervix oleis calidis illinenda, *ſpicæ, caſtorei, ungu. martiato* &c. Sin à vermibus fiat, cura eadem ſit quæ Vermium. *Primiroſius.*

Genuum dolor tumor &c. Dentitionis tempore.

Si alvus dentitionis tempore non fluat, infantibus, Genuum gravitatem, tumorem, dolorem & ambulandi impotentiam contingere compertum eſt, juxta *aphor. 20. l. 4.* Tunc nihil obſtat quin infantes per repetita purgantia mitiora ad diarrhœam deducamus. Vnde autem & qua ratione ex adſtrictiore alvo dentitionis tempore materia declinet ad genua, non eſt ita facile explicare, niſi credas ſympathiam aliquam inter genua quibus maxilla inferior infantis in utero matris proxime incumbit, & dentes intercedere, In hoc caſu non cuilibet obſervato, præſtat à topicis abſtinere, & ſubſequentem diarrhœam expectare, vel negotium penitus naturæ committere. *Hocferus Herc. Med. l. 7. cap. ult.*

Parulis.

Parulides ex *Paulo* ſunt tubercula juxta gingivas dolentia; *Rhazes* veſicam in ore pueri nominat, Eſt inflammatio qua vicinæ partes diſtenduntur; adeſt rubor, dolor, ſalivæ fluxio, interdum albeſcit; Partes hæ, quia molliores, facile excipiunt, fluxionem, Adjuvant lactis corruptio, acrimonia, ob malam nutricis diætam ſi acribus & ſalſis & corruptilibus ſæpius utatur; *Rhazes* præſcribit lentibus maſticatis os pueri fricare, aut *farina milii* cum *oleo omphacino*, aut *ſucci, cydonior, punicor. lactucæ, portulacæ*, Valet quoque decoctum *roſar. plantag. nuc. cupr. balauſtior. diamoron. diannucum.*

Ad *pruritum gingivarum Paulus & Avicennas* commendant *oleum & ſalſam carnem veterem*, ſed prædicta ſufficere poſſunt, & quæ aphthis conveniunt, Si *Gingivæ albeſcant* aut corroſæ ſint.

℞. *Roſar. ſiccar.* ʒviii. *gallar.* ʒiv. *myrrhæ* ʒij. poteſt addi *crocus cum ſaccharo*, ſi gingivæ hoc fricentur, ſaneſcunt, ait *Paulus.* Primiroſius p. 62.

Hydrocephalus.

In adultis interdum contingit, facilius tamen & frequentius, in pueris, & recens natis, propter capitis & oſſium mollitiem, atque etiam in ipſo matris utero: Fit autem ab aqua inter os & pericranium, & cutem collecta; Tumor tunc apparet mollis, interdum fit ſub cranio, nec tum foris ullus tumor apparet; Quandoque utrobique ineſt; Intra cranium ſi fuerit, utplurimum eſt intra duram matrem & os: *Veſalius* vidit etiam ventriculos affectos & aqua plenos: (*Collectionis cauſas vide lib. 1. proprio*) *Avicennas* addit obſtetricis caput male tractantis errorem.

Fit ex aquoſo humore (*lymphatico præſertim*) ex ſummis venis in Caput effuſo, vel ex variis humiditatibus in utero, vel matris, vel ipſius fœtus vitio genitos; atque intra cranium & cutim coacervatis.

Si intra cranium colligatur hic humor, vix cognoſci poteſt niſi conjectura quadam; Caput enim propter oſſium ſoliditatem vix intumeſcit, niſi ſuturæ ſeparentur, quod interdum contingit ex magnitudine tumoris, adſunt oculi exerti & eorum difficilis occluſio, oculi prominentes, rubentes, dolentes, ob vaporum copiam, lacrymæ, capitis inſueta magnitudo reſpectu colli, interdum quoque delirium. Si ſit ſupra calvariam, adeſt ejus depreſſio, & tactui relinquit foveam, adſunt fletus, vigiliæ ob dolorem, cuticulæ colorem mutatur, adeſt tumor faſtigiatus.

Intra calvariam autem non curatur nam nec aquam purgantia, nec diſcutientia calidiora pueri tenelli ferre poſſunt, ideo lethalis eſt utplurimum; Quidam putant cauteriis, oſſe tamen non perforato, & diaphoreticis hoc malum poſſe curari: quod tamen in pueris experiri niſi magna cum cautione non oportet, Si aqua fuerit copioſa, ad interna vergat, ſpaſmus accedat, pernicioſum eſt, nervi enim læduntur, & cerebrum.

Aqua hæc omni arte reſolvenda eſt. Primum *Diæta* Nutrici præſcribatur attenuans & exſiccans, fugiat humectantia, parum bibat, cibi ſint exſiccantes, Aër calidus ſiccus, proſunt vigiliæ, exercitia, frictiones capitis, balnea ſulphurea, ſalſa, nitroſa, excrementorum vacuatio per pilulas; ſternutamenta, gargariſmata, caputpurgia; Dein Reſolventibus eſt utendum; Quidam imponunt *Empl. ex naſturtio*, vel *fovent* caput *decocto origani, maioranæ, artemiſ. calaminth. ſabinæ ſtæch. ſerpilli, gallar. nuc. cupr. cinnam. nuc. moſch. macis, chamom. melilot.* & ſim. quæ decoqui poſſunt in *lixivio ciner. ſarment.* vel *vino auſtero*, vel horum *pulveres* excipiantur *oleis cera lilior. coſti.* Auribus etiam & naribus remedia imponi poſſunt, ut *olea calida* deſtillata, *Placentinus* caput ungit. *oleo chamem. cum ſulph.* per menſis ſpatium: (*litus ex balſamo ſulph.* Rulandi *eximius*) & lanam calidam imponit; deinde cauſticum adhibet in parte anteriori & poſteriori, quæ prodeſſe poſſunt ſi aqua ſit extra cranium (*nec inutile ſi intra conſiſtat, ſi quidem in aliis capitis affectibus internis nonnunquam feliciter admovetur*) quanquam videantur cauſtica eſſe periculoſa ob cerebri viciniam, *Limaces cum cochleis* terantur & applicentur, ac donec per ſe cadant relinquantur; *Eſt expertum.* Poteſt caput *vino auſtero* in quo decoxerint *artemiſia, majorana*, cum *oleo chamamel.* foveri: Quidam ſi aqua intra xx. diem non reſolvatur ad inciſionem confugiunt; factam per ſimplicem lineam, vel in modum crucis, *Placentinus* neminem ſe ſervatum vidiſſe ait ob infantum debilitatem: Ego ſemper iſtas operationes male ſucceſſiſſe vidi. *Primiroſius.*

Curatur Hydrocephalus per ſequentia remedia; primum ſubinde *ſternutatio* eſt excitanda, inſerta *rad. gentianæ* naribus, Aur.

℞. *Caſtor. rutæ, majoran.* ãã. ℈i. *macis croci* ãã. ℈ß. *ſacch. albi* ʒß. *f. pulv. tenuiſſ. & cum felle gruis Trochiſci, quorum unus ſingulis diebus una cum aqua roſac. diſſolvatur & naribus inſtilletur.*

Deinde caput univerſum inungatur quotidie bis ſeq. Linimento.

℞. *Ol. chamam.* ℥i. *ol. ſulph.* ℥ß. poſt imponatur lana calida, vel.

℞. *Sem. naſturt. ſubtil. pulv.* ℥ß. *aquæ majoran.* ℥vi. *m. f. Epith. ex linteis applic.*

Aut admove ſequ. Empl.

℞. *Origani calaminth. ſabinæ, ſtæch. ſerpilli, majoran. nuc. cupr.* ãã. ʒii. *moſch. cinnam. cortic. citr.* ãã. ʒi. *ol. lilior. è coſto* ãã. ʒvi. *ceræ q. ſ. m. f. Empl.*

Vtile erit & odoramenta exſiccantia ſubinde naribus admovere.

℞. *Caſtor. majoran. rutæ, nigell.* ãã. ʒß. ex contuſis in ſindone ligatæ fiat Nodulus.

Hæc ſi non contulerint (eſt enim difficilis curationis) præſtat Chirurgica induſtria aquam ſubtrahere facta inciſione, Aut hoc Cauſticum capiti imponatur.

℞. *Flammulæ* ʒi. *canthar.* ℈ii. *pulverata cum fermento & acri* aceto, *fingantur in maſſulam & ſincipiti per plures horas imponantur*, Excitant enim veſiculas; quibus apertis aqua effluit.

Notandum autem aquam ſubducendam eſſe ſenſim, & quaſi exſtillando. *Fr. Joel. lib. 9. ſect. 2. §. 3.*

Emphy-

Emphyſema capitis.

Etiam flatibus fit ſimilis Tumor, quem Emphyſema vocant. Fit autem flatus à calore imbecilli & crudis humoribus, atque raro abſque aqua conſurgit. Continetur autem vel ſub cute capitis, vel membranis cerebri, unde caput intumeſcit; Cauſæ adjuvantes ſunt cutis denſitas, flatus craſſities, vnde vix reſolvi poteſt; Tumor adeſt & capitis inflatio, interdum quoque ſuturæ dehiſcunt; Pueri vigiliis, dolore, febre facile reſolvuntur, & ſecundum *Avicennam*, alvi fluxus malus eſt.

Utendum eſt calidis, attenuantibus, rarefacientibus, aſſumptis & admotis, vt ſunt, *caſtoreum, origanum, ruta, chamam. cyminum, oleum amygd. amar. aneth. de been*, & Empl. prædicta, Quidam probant *catapl. ex putamine nucum* contuſa cum *ſarcocella, thure, & myrrha*, *Rhazes* imponit capiti *myrrham aloen, crocum.*

Verum contra *Avicenna* vtitur refrigerantibus, ut *aqua hordei ſemin. portul. & ſimil.* Quidam dicunt flatum interdum fieri à calore vehementi, qui refrigerantibus ſedatur Verum videtur potius ſymptomata reſpexiſſe, ut febrem & alvi fluxum quam morbum. Attamen certum eſt potius calefacientibus & rarefacientibus utendum eſſe quam refrigerantibus. *Primiroſius.*

Prodeſt Infantulis lac præbere in quo *cyminum* præpar. eſt maceratum, & caſtoreum, Capiti vero imponatur mitra confecta ex ſequentibus.

℞. *Cymin. prepar.* ℥j. *flor. aneth. maiorana, origani* ãã. m.ß. *roriſmar.* m.iß. Conciſa inſuantur mitræ.

Quin & quotidie caput inungatur oleis ſequ.

℞. *Ol. aneth amygd. amar.* ãã.℥ß. *ol. cymin.* ʒß.m.

Adultis ſimul & puerulis, ſi oriatur intumeſcentia ex flatibus præſentiſſimum remedium eſt caput confricare *allio* cum *vrina infantis* commixto. *Joel.*

Catarrhus.

In pueris contingit catarrhus aliquando ex vitio & imbecillitate Renum non attrahentium ſeroſum humorem, vnde fit vt ille ſurſum translatus fiat materia catarrhi. *Mercatus lib. de morb. Puer.*

Puer vndecimeſtris tentabatur catarrho cum tuſſi aſſidua & febre, pituitam frequenter evomebat. Poſt multa remedia cum exiguo fructu vſurpata, juſſi ut inungeretur regio renum *ol. ſcorpionum* ter in die, unde vrinæ copioſiores redditæ & catarrhus imminutus *Riverius cent. 1. obſ. 55.*

Humiditas cerebri ſæpe *catarrhos* parit, profunt ergo purgantia & Topica capita lini poſſunt & Pileoli & vittæ infantium ſuffumigari Pulvere contra defluxiones, vt & ſuffitus excitari ex *maſtiche, thure, ſuccino, ſtorace cal.* & *benzoine*; Valent & ſacculi capitales ex dictis *ſimplic. & roſis rubr.* parati. Adhæc *Balſama ſuccini, roſar. nuc. moſch.* vertici capitis & temporibus illita. *Sebiſius man. p. 1780.*

In pueris catarrho laborantibus, ubi metus eſt Epilepſiæ exhibemus *ſperma ceti*, piſi magnitudine cum *lacte muliebr.* ſubſequente ſomno; Ita fluxiones intercipiuntur, & ſuffocationis periculum tollitur. Prodeſt etiam in principio catarrhi calidi mixtura talis.

℞. *Sacch. penidi g. arabici tragac. liquir.* ãã. *q. ſ. pulveriſatis munitiſſime adde lactis muliebr.* ãã. *vt fiat Lohoc.*

Capitis vero ſuturæ inſperge *pulver. ſandarac.* ſi catarrhus frigidus fuerit. *Neurius apud Cratonem l. 3. fol. 170. Hocferus H. M. p. m. 364.*

Emphyſema, Oculorum inflatio.

Emphyſema quoque à quibuſdam inter puerorum morbos recenſetur, eaque vel Oculi ipſius, vel Palpebrarum tantum, ob Flatus, vel craſſos humores, tunc oedema refert.

Curatio eadem quæ tumoris Flatuoſi, fiat Fotus ex *decocto ocymi, chamam, hyſſopi, roſar.* vel ex decocto *carvi, pulegii, origani in vino.*

℞. *Chelidon. mentha beton.* ãã. m.ß. *croci, myrrha* ãã ℈j. *aloes* ʒß. f. Decoctio, pro Fotu.

Rhazes glaucij ſuccum, Avicenna *bycrum cum lacte*, commendat. Si adſunt rubor & calor, tunc calida fluxio eſt, nec amplius vocari poteſt Emphyſema, *Primiroſius.*

Ptilloſis.

Ptilloſis eſt cum Palpebræ craceſcunt, cum rubore & calore, pilorumque caſu. In Pueris ſæpe ex fletu rubeſcunt, quibuſdam ſumitur pro madaroſi palpebrarum, ex acerrimo fluxu, Et πτιλοὶ dicuntur quibus Palpebrarum pili ubi decidunt novi alii ſuccreſcunt. *Paulus* pro Palpebrarum craſſitie ſumit: Compoſitum videtur ex madaroſi & ſcleropthalmia malum; Fit ex materia craſſa & nitroſa, ut pituita ſalſa. In recenti quidem malo humor eſt tenuior, in vetuſto craſſior, Adſunt pruritus, rubor, craſſities, palpebræ, corroſio.

Profunt Fotus ex *aqua* aut *decocto ſolani, endivia, portulaca, roſar. roſtri porcini*, vel *albumen ovi*. In progreſſu quædam leviter reſolventia, ut *parietaria, malva*, addi poſſunt; adultioribus pueris validiora præſcribi poterunt. *Primiroſius,*

Pſorophthalmia.

Pſorophthalmia eſt pruritus Palpebrarum, quarum extrema quaſi milio vel arena aſperſa videntur. Vel ſcabie, quæ ex humore calido & acri cilia potiſſimum occupante oritur.

Quatuor *Sebaſt. Auſtrius* facit ſpecies, 1. eſt *Prurigo*, cum ſcabrities, rubor, aſperitas ſunt moderata. 2. eſt *Rachoma*, quando hæc intenduntur. 3. *Sycoſis* cum interius intumeſcit palpebra, adeoque creſcit vt rendi videatur interdum finditur, veluti habeat inciſuras, vnde ficui hianti aſſimilatur, inquit *Aetius*, oculus etiam difficulter movetur. 4. *Tylaſis*, ſi malum calloſum contraxerit.

Fiunt hi affectus ex ſalſo nitroſo humore, pituita ſalſa, bile flava & atra. Ex humoris acrimonia, pruritus gravitatis major aut minor cognoſcitur ſpecies. Prima ſpecies & recens facilius curatur reliquæ minus.

Male fecerunt qui hos morbos inter pueriles recenſerunt, nam curatio eadem eſt in pueris & in adultis, mitiora illis adhibendo.

Pruritus curatur aqua *roſar.* tepida, *vino albo* cum *aloe & oxycrato.* Scabies *decocto lapathi, acetoſa, malva*, vel *ungu.* de *tuthia, butyro recenti*, *Aſperitates* curari poſſunt *decocto parietaria chamameli.* Grave malum eſt ſi abradi debet, ad quod conferunt *ſaccharcandum ſepia teſta, folia ficus.* Primiroſius. Plura vide inde Affect. oculorum.

Fletus & Lacryma.

Fletus moderatus Pueris non obeſt, potius cerebrum expurgat, pectus dilatat & calefacit, Nimius tamen herniam & exomphalum parere poteſt, & etiam tandem mortem acceſſere. Lacrymæ autem quæ

in pueris cum fletu conjunguntur, ſunt humores ſeroſi ad oculos tranſmiſſi, interdum acres, ſalſi, dolore & acrimonia moleſti, oculi ruborem & palpebrarum vlcera inducentes, Interdum etiam frigidiores & ſine dolore.

Cauſæ ſunt vel internæ vel externę, ut percuſſio, caſus punctio ab aciculis, Quod ſæpe obſervare licet, Nutrices dum negligêtes pueris induût indumenta, ſive lanea ſive linea, aciculis eos pungere, ſicque perpetuo clamant, nec ceſſant donec exuantur, quæ cauſa fletus ſatis frequens eſt. Contigit ſæpe nutrices aut admodum ſomnolentas pueris incubuiſſe, qui primum graviter ejulabant, qui fletu non audito miſere perierunt,

Internæ cauſæ dici poſſunt morbi omnes, inflammationes, dolores ventris, capitis aliorumque partium: maxime lactis in ventre corruptio, vnde venter dolet & inflatur, aut etiam dentitio.

Curandum ut omnes iſtę cauſæ removeantur. Si fiant à *catarrho*, ejus remediis utendum, pulvis *ſuccini & ireos* capiti inſperſus prodeſſe poterit, *Empl. de maſtiche* temporibus applicatum. Quidam *farinam fabarum* cum *ovi albo* appoſitam fluxiones ſiſtere dicunt.

Ad *lemus* & leves *oculorum inflammationes* prodeſt Fotus *ex aquis roſar. plantag. chelid. lacte nutricis.* Primiroſius.

Glaucoma.

Veteres Glaucoma & Suffuſionem pro eodem affectu ſumebant, ſed poſteriores, ut advertit *Paulus* diſtinxerunt, vt *Suffuſio* fiat humoribus inter corneam & cryſtallinum concreſcentibus, *Glaucoma* ſit humoris cryſtallini vitium, cum præ nimia humiditate in glaucum colorem vertitur. In ſenibus ſiccitas cauſa eſſe poteſt; in pueris rariſſime propter nimium fletum aut humiditatis conſumptionem ab ægritudine quadam violenta, maxime ſi oculi ſint natura glauci.

Fit utplurimum in pueris ob humorum oculi imbecillitatem. Ubi humores abundant, niger fit color, ubi vero minus, glaucus fit. At cum humores p. n. affluunt, obtenebratur cryſtallinus, denſatur, craſſior redditur: unde ut aqua glaciata albeſcit, indeque commoda ſpirituum irradiatio inhibetur, imo tandem cæcitas accedit, quę vt in ſenibus eſt incurabilis ſic in pueris vix unquam curatur.

Solanum cum *croco* probant *Avicenna* & *Dioſcorides*, victus debet eſſe paululum exſiccans, & attenuans. Humores præparentur & purgentur, ut ſi puer ſit quinquennis, ſeptennis, *Aqua mellis* in collyrio prodeſt, item *fel galli* vel *perdicis*, *ſuccus fœnic. rutæ* cum *croco*, fortius erit ſi addantur *myrrha & piper*, & alia reſolventia uſurpari poterunt.

Utplurimum affectus eſt incurabilis. *Primiroſius.*

Loquelæ impedimentum.

Fit ex paralyſi aut mollitie nervorum. Humor multus ex ore profluit. Pueri qui in tenera ætate ob mollitiem balbutiunt, poſtea exſiccatis & roboratis illis partibus probe loquuntur. Croeſi filius antea mutus ſubito curatus fuit, Ex fræno linguæ etiam loquela vitiatur, quod non credit *Aquapendens.* Primiroſius.

Ranula.

Βάτραχος, ſive *Ranula*, ex *Paulo* & *Aetio* eſt Tumor inflammatorius partium ſub lingua, & præſertim venarum in pueris, ſæpe tamen œdematis mollis & laxi ſpeciem exhibet, è quo aperto aliquid proſilit ovi candido ſimile.

Fit ab humore viſcoſo & pituitoſo, vel à cerebro affluente vel illic congeſto. Hic tumor interdum febrem facit, (*Vel eſt febris productum, materiæ febrilis parte illuc depoſita*) pueroſque ſuffocat. Affinis huic eſt *inflatio & magnitudo linguæ*, quæ iiſdem de cauſis generatur, viſu cognoſcitur elevata lingua; tumor apparet dolorificus, & caruncula loquelam vitiat videntur enim coaxare.

Adſtringentia conveniunt, ut *acetum, ſuccus granat cydonior.* ſi adſit inflammatio, Sin pituitoſus ſit tumor, fricatur lingua cum *origano, malicorio*, *ſale & melle*, vel cum *ſaliva*, *ſucco abſinth. berber.* vel decocto *balauſt. gland. aceto*, *ſtercus anſeris* vel *album* Græc. inſpergatur, *Sal. armon. gemmæ*, *ut ſepiæ*, *ſpongiæ uſtæ*, *tragac. uſtum* & alia acria laudantur, quæ potius adultis quam pueris conveniunt. Monet *Celſus* ſæpe includi tumorem cyſtide, quæ niſi prius tollatur, redire ſolet malum. Chirurgiam vide ſuo loco. *Primiroſius p. 66.*

Nucis juglandes integras una cum cortice uſtas conterere, adde *piper. gr. ii. thuris gr. iij.* cum *melle miſta* illinito & miraberis. *Aetius*,

Contra Linguæ ranulam *fungi ſambuci* in potum injecti valde laudantur. *Frid. Hofmannus m.m. p. 302.*

Aqua & *oleum ſalviæ* certum ſunt præſervativum Ranulæ. *Poppius med. theſ. p. 166.*

Aphthæ.

Præter partes externas interiores etiam quædam Exulcerationes patiuntur, ſpeciatim partes oris fauces, palatum, lingua, ipſeque non raro oeſophagus ulcuſculis parvis ſcatet, *Aphthæ* appellatis. Harum origo eſt acre acidum, excorians & exulcerans plus minus dictarum particum ſuperficiem, Fons peccantis acidi potiſſimum eſt in ſtomacho, à corruptela lactis & pultis, nimiaque ejus aceſcentia. Utut enim aut lactis nutricis, aut ſaliva ipſius infantis à quibuſdam nimia accuſetur acrimonia, vix tamen in infantibus aliam originem agnoſcunt quam acorem vitioſum ex ſtomacho exhalantem. Nam & in adultis frequenter contingere ſolet, ut correpti febribus cruditatibus recrementoſis, in ſpecie porraceis, in ſtomacho exiſtentibus. Aphthis moleſte laborent, niſi fomes accurate removeatur à Medico ex ventriculo. *Etmuller p 29.*

Puellos cum lactent Aphthæ maxima eſt parte exercent, id eſt, ulcuſcula igneæ caliditatis, in modum herpetis miliaris, *Galen. aph. 24. l. 1.* harum generationem ad mollitiem partium internarum oris refert; quæ tanta eſt ut ſi lac paulo acrius ſerum habeat, vix iſtam qualitatem ferre poſſint quin exulcerentur: *Aetius* (quod diligenter notandum) ideo plerumque generari ait quod nutricibus mammarum papillæ breviores ſint juſto, & ita puellus ore non poteſt apprehendere, ideoque affliguntur maxillæ, nec non lac ejaculatum, non autem probe attractum eſt ob papillarum brevitatem, pelliculam toti ori & pharyngi obductum ſuccingentemque ferit & aphthas ulcerando generat. Sic cavere oportet ne ora puellorum imprudentius lædamus medicamentis cum curatio conſiſtat potius in mutatione Nutricis. *Ballonius Epid. l. 1. p. 46.*

Aphthatum moleſtiæ, quæ utplurimum lactationem infantum impediunt vt removeantur, egregie confert *raparum in aqua coctarum* ſuccus expreſſus; cui tantillum *ſacchari* vel *mellis* additum fuerit, quo eluatur & abſtergatur frequentius os eorum, Vel quod aliis perplacet, *raparum* ſupra igne, tecto vaſe, ſine aqua aſſatarum ſuccus expreſſus etiam ſine ſaccharo, optimus, dicto modo illitus, Aut Horum loco

aqua

aqua extinctionis chalybis, in qua ſalviæ & parum mellis ebullierint modice, commode pro eluendo ore administratur. *Decoctum* quoque *Veronicæ* cum *melle in aqua* ſimplici factum pro ore eluendo eſt uſu frequenti compertiſſimum.

Quod ſi maligniora, aut etiam ſerpentia ori ulcera fuerint, idque in ablactandis inprimis (nam lactantium nutrimentum lacteum pro medicina ex parte inſervire poteſt, inſtar omnium ſit linimentum ex *melle* cum cantillo *ſpiritus vitrioli*, vel, quod magis placet cum *ſpiritu ſalis* impraegnato ſubinde ori illitum. *Etmuller pag.47.*

Aphthæ ulcuſcula ſunt (frequens infantibus affectus) totam oris ſuperficiem occupare ſolita; ita ut nulli parti parcant, non linguæ, palato, gingivis, labiis, genis, faucibus; nequidem ipſi ventriculo & oeſophago: Hæc præſertim quando incipiunt excitari, obſervantur pauca & diſperſa, per linguam & faucibus proximum palatum, poſtea ita multiplicata conjunguntur ut videantur unicum conſtituere ulcus.

In hoc videntur à pleriſque aliis differre, quod cruſta tegantur multifaria, cum pleraque alia ſolo pure notentur obducta; An quia in ore confluens ſaliva, tunc fere magis glutinoſa facta, ulcuſcula dicta obducit? An quia partium oris internarum cuticula tenacior, & firmius ſubjacentibus partibus adhærens difficilius ab iiſdem cedit, ideoque magis craceſcens cruſtæ naturam induit? Pro ejus cruſtæ diverſitate de boni malive moris Aphthis judicium ferre ſolemus. Diverſitas eſt in calore, tenacitate, craſſitie, amplitudine, Color laudatur candidus, à quo recedit flaveſcens ac liveſcens. Laudatur quæ facile cedit à partibus affectis; culpatur quæ firmiter iiſdem adhæret, tenax ac glutinoſa: Laudatur Tenuis, culpatur craſſior; Laudatur quæ paucas in ore partes tegit; culpatur quæ amplior multam ſuperficiem in ore obducit: Laudatur divulſa & hinc inde tantum reperta nec totam linguæ palatique ſuperficiem tegens.

Aphtharum *cauſam veram* ſtatuo humores halituſve acres, & quidem Acidos, nunc vomitu & exhalatione ſurſum ab inteſtino tenui ac ventriculo deductos; nunc una cum ſaliva in os deductos. *Acidam* in Aphthis producendis acrimoniam peccare probant 1. Acida eructatio vomitiove illas nonnunquam præcedens immediate.

2. Sapor acidus in ore moleſtus, & aſſumptis aciditatem inferens aut affingens; Notandum eructatam vomituque excretam aciditatem non ſemper notari, ob bilis ſimul effuſæ amaritudinem, à qua obliteratur fere ſapor quivis alius, niſi excellens fuerit.

3. Probatur, in infantibus præſertim, tum per ructus acidos, tum per alvi excrementa acidum redolentia, Aphthis nunc præcedentia nunc comitantia, una cum ventris torminibus, quæ omnia abunde teſtantur peccare tunc valde Acidum ipſumque dominari in corpore.

4. Probant remedia iis curandis convenientia, & temperando acido inprimis utilia.

Sed unde Aphtharum differentia, quarum quædam albicant, & ut plurimum, aliæ flaveſcunt quandoque nigricant? Id fit tum ratione Acidi varii, tum cæterorum humorum confluentium, Bilis ac Pituitæ, ut & ſalivæ variis modis peccantium: ubi namq; *acidum* volatile ac paucum exiſtit, cæterique humores parum peccant, tunc Aphthæ ſunt paucæ & brevi cedentes leviter palatum linguamque afficientes, cito ad maturitatem venientes, decidentes, ſaneſcentes: quicquid enim cuticulæ affectum eſt, ſeparari debet à ſubjectis oris partibus, quin ſub eadem cuticula ſecedente nova excreſcere debet; & corrupta decidere, nec ſemper ſemel duntaxat corroditur ac decidit, ſed quandoque aliquoties, id quod evenit aliquando citius aliquando tardius; ſegnius (quod pejus) cum glutinoſitate aucta peccant humores quivis ideo ſegnius ſecedunt ab affectis partibus; atque hæ Aphthæ indicant Acidum peccans immerſum eſſe Saliva: Ubi autem *Acidum volatile* exiſtit, copioſum tamen occurrit, boni quidem moris producuntur Aphthæ, atque mox deciduæ curabileſque, totum tamen os iiſdem impletur: quod ex modo dictis facile patet; primarium enim eſt in aphthis ut ſint brevi maturæ, albicantes, læves, nec ſæpius repullulantes aut valde dolentes: *Albent* ab *acido* puro vlcuſcula illa producente. *Flavent*, aut *nigricant*, ob bilem diverſam diverſo acido junctam, Jungitur Acido bilis, 1. tum ob utriuſque acrimoniam auctam, propter quam in ſe mixuo inſurgunt acrius, efferveſcunt potentius, & commoventur arctius: 2. Jungitur Bilis Acido ob pituitam multiplicem ipſi copulatam, propter quam ſegnius ab invicem recedunt, adeoque diutius in ſua efferveſcentia continuant, ac proinde plures halitus emittunt. Quo autem plus Bilis Acido admiſtum eſt, hic primario peccanti, eo magis recedit Aphtharum color ab ordinaria albedine, & quo plus eodem acido admiſtum eſt Pituitæ, aut Salivæ glutinoſæ, eo ſegnius ſecedunt aphthæ, ac proinde tardius curantur: Hinc non ſemper Aphthæ pro peſſimo habendæ ſigno in omnibus morbis, cum non raro ipſis apparentibus morbi ſolutio præſto ſit.

Cum autem Aphthæ omnes ortum habeant ab Acido peccante, & quidem ut plurimum ab infernis partibus per ventriculum ac oeſophagum aſſurgente, rarius cum ſaliva in os deducti, ſemper indicant Acidum acre in corpore peccare, & hactenus ejus rationem habendam exactam, non tantum ob ipſas Aphthas, verum etiam ob Acidum in corpore exiſtens, atque alias noxas producens, aut producturum, à quo majus vitæ periculum quam ab ipſis Aphthis, quæ anguſtando fauces vitæ poſſunt inſidiari. Ex hoc patet illas duntaxat eſſe Aphthas periculoſas, quæ copioſæ ſunt ac pertinaces, quin flaventes aut nigricantes, adeoque aridæ: 1. Periculoſæ ſunt *copioſæ*, totumque os occupantes, quod nunquam evenit niſi ab Acido acri copioſo in corpore exiſtente, atque plures ipſi noxas afferente: 2. *Pertinaces* id eſt, ſegnius decidentes ac continuo ſuccreſcentes quia *acidum* ſimul eſt *auſterum*, ideoque firmius partibus adhærens ac diutius rodens moleſtanſque: 3. *Flaventes* aut *nigricantes* ac *Aridas*, quod evenit à bile ſimul valde vitiata, & acido peccanti juncta, unde difficilius uterque humor ſimul peccans graviter emendatur quam ſolus Acidus; Signum autem ejus Acidi vel utriuſque humoris ſimul peccantis devicti, eſt humiditas in os accedens copioſa, & ſalivationis ſpeciem producens, cum quæ ſolent non tantum facilius ſecedere Aphthæ, verum inſuper lingua, palatum, externæq; oris partes ab Aphthis malæ affectæ citius ad conſolidationem plenamque curationem venire.

Vt enim ſemper pro malo & lethali ſigno habita eſt vlcerum ariditas, ita hoc ipſum in Aphthis habet locum, cujus eandem judico cauſam Bilem nempe itidem in corpore peccantem graviter, atque Acidum non tam temperantem quam vitioſe, atque vitæ animalis maxime noxie cum ipſo efferveſcentem, Nam ſi animalis cujuſvis vita pendet inprimis ab Efferveſcentia, ſed blanda, Bilis & ſucci Acidi, tum in tenui inteſtino tum in corde, utique mors ejuſdem pendebit plerumque ab eodem quovis modo valde læſa.

Curationem Aphtharum addamus, cum videantur nobis ortum habere ab Acidis humoribus halitibuſve ad os delatis, ac non tantum totam ipſius ſuperficiem, verum oeſophagi quoque tunicam internam rodentium, atque vlcuſcula, infinita in dictis partibus producentium.

1. Acidorum humorum, halitnúmve temperatio ſuſcipienda.

2. Cum iidem copia ſimul peccent, ſi in totum emendari non poſſunt, ſaltem tempore longiore, diminuendi aut expellendi.

3. Eorum productio nova impedienda.

4. Partes affectæ ab Aphthis liberandæ, ſac, vt dici ſolent maturatio ac caſus promovendus.

5. Eædem partes liberatæ mundandæ ac conſolidandæ: Etſi autem multi non attendant ad peccantis Acidi correctionem, quia confuſa fuit hactenus apud Medicos Acrium doctrina, vno *Acrimoniæ* nomine duntaxat ipſis noto, jam tamen duplici, ac quidem ſibi contrario Acri à me patefacto, & aliquot annis multiplici experientia confirmato, utrique erit attendendum.

Inter plurima quæ ſolent alterutrum, quin utrumque Acre temperare, laudatur merito in curandis Aphthis omne Acidos ſpiritus concentrans, & quidem blande, inter quæ ſunt *Oculi cancri*, *margaritæ*, *corallia*, *creta alba*, *ſangnis draconis*, *lapis hæmatites*, & ſimilia plura. E. g. Cum ob ariditatem ſummam non tantum exulceratur, ſed finditur quoque *Lingua* cum partibus ſimul affectis, unde ſanguis quoque effunditur purus, conveniens præ aliis *lapis hæmatites* & *ſanguis draconis*: Ubi abeſt talis ariditas, ad corrigendam aciditatem conducent præ aliis *oculi cancri* & *margaritæ* tanquam concentrantia blandiſſima; *Creta* vero tanquam *concentrans potentiſſimum Acidi*. Nec tantum hæc hic conveniunt quin *ſalia* quoque *volatilia* ſed blandiſſima, quæ juvant quatenus Aciditatem noxiam demulcent franguntque; conducit quoque *Bezoarticum minerale*.

Humores correctos *minuunt* ac *educunt* Hydragoga, *quia ſub ſeri forma reperiuntur* omnes *humores acidi puriores*, quos ſicut alii humores, pituitæ puta & bili conjungi confundive non eſt mirum, ita ſpecificis additis ſimul educi non abſurdum; Hinc eſt quod in curandis Infantum aphthis tam frequenter uſurpamus *ſyrupum de cichoreo cum rheo*, quia ſcil. in conſenſum tracta eſt, ſimulque corrupta bilis, ab acido acriore facta æruginoſa; Ne nunc dicam omnes humores educi à quibuſvis purgantibus; licet putem à certis medicamentis facilius & uberimus educi humorem hunc vel illum præ aliis.

Humores igitur Acidi & Seroſi primario peccantes, ut & Bilioſi ſecundario, ac Pituitoſi nonnunquam juncti, ac malum pertinacius reddentes, alterari, minui, ac vacuari debent medicamentis convenientibus, quin ſimul artificioſe junctis.

Humorum Acidorum productio cum pendeat inprimis ab uſu alimentorum, condimentorum, medicamentorumve *Acidorum*, ut & ab aëre frigido, Mœrore aut Terrore, impedienda illa eſt tum abſtinendo ab illis, tum uſurpando magis oleoſa ſive pinguia & ſpirituoſa, fruendo aëre ſereno & æſtuante, Animum recreando, &c. *Hallituum autem Acidorum* proventus ſicut debetur *Effervescentiæ factæ ab Acido* valde acri & potenti, ita idem impedietur correcta aut impedita dicta effervescentia vitioſa, tum per ea quæ Acidum illud potens ac valde acre potenter concentrant, tum per ea quæ alias idem obtundunt. Concentrant potenter Acidum acre creta ſanguis draconis & ſimilia: Obtundunt idem pinguia & oleoſa, ſed inprimis opium & omnia Narcotica; quo referendum quodvis *ſulphur. metallicum*, aut *minerale fixum* redditum, præ quo nihil expertus ſum hactenus quod tam blande, certo ac cito, imo tuto, coliberet vitioſas effervescentias,

Partes Aphthis affectæ iiſdem liberabuntur, & quidem maturatione ac ſpontaneo caſu; Per ea quæ acrimoniam acidam ipſi conjunctam blandiſſime temperant, quin eandem in ſe allicientia, ſicque partes liberantia. Inter hæc laudatur *Raparum ſuccus*, vel aqua coctarum, vel aſſarum expreſſus, addito ſaccharo; ſi autem aſſentur idem ſaccharo haud indiget, qui enim prodit ſuccus ſyrupi tenuioris conſiſtentiam obtinet, & ſaporem. Hoc colluunt ſæpius os ægri, vel tantillum retentum ſenſim deglutiunt, quo beneficio fruitur oeſophagus, imo & ventriculus, qui aphthis nonnunquam afficiuntur.

Nec ſolum ab hoc ſucco temperatur Acidum hic peccans, ſed & in ipſis quoque inteſtinis tenuibus corrigitur & obtunditur idem, ſicque ejus aſcenſus ſurſum impeditur, citiuſque malum ſuperatur: Valent & *ſyrupi* varii, *violar. jujub. de liquir. roſar. ſolut. & alii* blandi, quos eatenus conferre puto quatenus aciditatem noxiam leniter obtundunt ſucco plantarum mucilaginoſo ex quo parantur; Præ multis laudo.

Ovi vitellum conquaſſatum, & addita *aqua roſac.* dilutum, cum tantillo *ſacchari*; Is enim in ſe allicit humorem acidum in ore nocentem, ſicque partes Aphthis affectas paulatim liberat, promovetque earum caſum; uſus idem qui *ſucci raparum*. Laudatur cereviſia primæ coctionis, in qua pars hordei aliorumque frumentorum optima & maxime pinguis ac mucilaginoſa continetur, nec fermentationem adhuc paſſa eſt, & merito, cum & illa ob rationes dictas, multum conducat: Commendatur eadem ſi incoctæ ſint ficus conciſæ, at pleriſque ægris fit ingrata ob ſummam ficuum glutinoſitatem.

Dum vero ita dicuntur Aphthæ maturari, hoc eſt, paulatim à partibus ſubjectis ſecedere, nova Succreſcit ſub ipſis cuticula, quæ tamdiu itidem corroditur, & aphthas conſtituit, quamdiu Acidum acre ad os aſſurgit, eodem autem correcto permanet illa cuticula, & oris partes prius denudatas inveſtit, & ab externis aſſumendorum injuriis præſervat. Quamvis autem ſponte, ac beneficio dictorum medicamentorum ſoleat ſubſequi conſolidatio, licet tamen aliqua addere quæ potentius idem abſolvant, Sic loco ſyrupi roſar. ſolut. uſurpari poteſt ſyr. de roſis ſiccis, mel roſac. & ſimilia, quin Terræ pingues, Bolus Armen. Terra Lemnia & ſimiles cum aqua plantaginis in pollinem tritæ, addito melle vel ſyrupo roſar. minima quantitate poterunt contineri, & conſolidatio feſtinari. *Fr. Sylvius App. Tr. 1. c. 5.*

Adurentia actu potentiaque aſſumpta tunicam elevantia, veſiculas, illiſque ruptis excorationem pariunt; Quod & acria ſola in ore tenero præcipue, ut infantium poſſunt efficere, uti & à *lacte acri*, & *pane à muribus eroſo*, apthas gigni ſcribunt, quod potentius acria facient ſi vim penetrandi magnam habeant; qua ratione ſi *nucleos nucum recentes* uvaſque eodem tempore comedant, juniores, linguam eorum findi admodumque dolere in me ipſo & aliis obſervavi. A *ſanguine calidiore, ferventiore bilioſiore*, atrabiliario, acre & ſalſo redundant, vti alia in ſuperficie corporis vitia, ſic & in hiſce locis humidis & tenerioribus puſtulæ, aphthæ aliaque vlcera, interdum maligna fiſtulis ſubſit cauſa poſſunt. Quod & à *ſputo*, quo hæ partes continuo madent, ſi talis illi commiſceatur materia, una cum ſero eo delata, illique permixta, fieri poteſt, qualem ex hydrargyri inunctione vel ſuffitu ad os copioſe cum ſputo propulſam, non ſolum inflammationem ſed & ulcera gignere obſervamus. *Platerus.*

Labiorum

Labiorum ſciſſura.

Multis contingunt de cauſis, ſicut & in onus digitis, pudendis. Sunt interdum cum calloſis labris; *Externæ* cauſæ ſunt frigus poſt coryzam & catarrhum boreas, humoribus ad labra defluentibus. Interior cauſa eſt humor acris, ſive à cerebro deſcendens ſive à ſtomacho & jecore alatus (*& maſſa ſanguinea*) Idem vapor præſtare poteſt, ſi ſit acris & exulcerans. In febribus coctione præcedente ſunt ſignum laudabile, oſtendens humores febrem generantes diſſolvi & diſſipari. In lingua autem malæ, quia potius vi ſymptomatis quam naturæ robore contingunt ſignificant maximam in corpore aduſtionem; Fiunt & ob *acrimoniam lactis*, vel *mammarum duritiem*, vel *plurimorum oſcula*.

Ad *Curationem*, ſi ſint à *cauſa externa* prodeſt *adeps gallinæ* cum *ol.viol. roſato, butyro rec. mucilag. tragac. pſyllij, g.arab. maſtiche, thur.* cum *aqua roſ. Adeps & medulla vitula anſeris cum melle, ol. roſar. cum alb.ovi, ol. ovor. ceræ*, quod præſtantiſſimum cenſetur, *ol. terebinth. ungu. roſ.de cerruſſa camphorat. pomatum*, quæ prædita ſunt aliquo lentore.

℞. *Ad:p.gallinæ* ℥j. *ol.roſac.* ℥ß. *ſucc. granat.* ℥j. *carnis pom. cocti* ℥ij. f. Liniment.

Solum *ol. roſac.* cum *cera alba* & *pinguedine non ſalita* ſufficit.

℞. *Ceruſſæ amyli cadmiæ lotæ, litharg.* āā. *cum mucilag. g. tragac. vel cydonior. m. adde opium cum lacte*; prodeſt *cremor lactis* cum *pingued:juſculi*, vel *maſtiche* cum *albo ovi* ex *Kufnero*.

Si ab *acrimonia lactis* fiant, nutrix tegatur victu refrigerante, & aliis emendantibus lac: Si à duritie mammarum, emolliantur prædictis, liniantur labra infantis: Quidam laudant *omphacium vino diſſolutum, ſumach. roſas ſiccas, farinam ervi cum melle: Juglandes urantur cum cortice*, adde *piper.gr. ij. thuris gr. iij. tere cum melle*, illinantur; mitaberis effectum, ait *Toletus Gallas cum melle* etiam quidam laudant.

Si à cauſis internis fiant blanda purgatio prodeſt, cum vſu alterantium. *Primiroſius p.56.*

In Filio quodam meo, poſt fiſſuras ſequutus eſt labri ſuperioris tumor, cui adnata cruſta denſa, quotidie incrementum capiens: Excitari curavi duos fonticulos in interſcapulis, qui ſaniem multam eructarunt, Exacto octiduo decidit cruſta, nec diu poſt detumuit omnino labrum. quod lividum aliquandiu remanſit.

Parotides.

Parotides inter morbos Puerorum *Sebaſt. Auſtrius* enumeravit, alii rectius omiſerunt, quia nihil peculiare hoc pueris accedit, ſed ſunt omnia adultis etiam communia: Sunt tumores in glandulis illis quæ ſunt pone aures, interdum, & ſæpius cum inflammatione; interdum, & rarius ſine ea, interdum in ſtrumam degenerare poteſt, &c. *Primiroſius.*

Sternutatio.

Sicut tuſſis Pulmonem, ita ſternutatio cerebrum expurgat, ſed tuſſi validior eſt, nam hæc ſolos Pulmones, ſternutatio autem & hos & caput evacuat, nam eodem impetu ſpiritus ex capite & pulmone emittitur, ob nervos in thoracem demiſſos.

Cauſa in pueris eſt duplex aut quælibet res cerebrum vellicans & pungens, vt coryza, inflammatio, inflatio, ventus acris, aut obſtructio narium à materia craſſa.

Eſt autem ſternutatio in morborum principiis mala, quæ fit ex rheumate, cui pueri ſunt obnoxii, capitis enim replerionem & cauſam malam portendit, aliaque mala affert in pueris, caput concutit, inflammare poteſt & arterias venaſque cerebri frangere, & aperire, plurimos humores in pectus extrudere, In morborum autem rheumaticorum declinatione ſternutatio ſalubris, caput, pectus, ſtomachum, emundat, naturæ victoriam ſupra cauſam morbificam oſtendit.

Placuit *Rhazi*, excellentiſſimo Arabi hunc morbum inter pueriles referre quod credo non fuerat faciendum, Præſcribit anodyna & refrigerantia, ut folia *portulacæ.cucurbitæ* cum *ol roſat.far hordei*, Paulus autem *polentæ & pomorum odorem*, *Avicenna* commendat *pulverem cymini* ſed meo & aliorum judicio, male, Scribit *Dioſcorides ocymum* excitare ſternutationem; idque verum, cum ea herba utamur ad ſternutationem excitandam. Quidam ita conciliant, in calido & raro cerebro *ocymum* ſternutationem ciere, tantum vero ſedare in cerebro repleto humoribus excrementitiis, quas incidit attenuat, obſtructiones aperit &c.

Quidam commendant *oleum roſat. & de ſalic.* cum *lacte mul.* tum *ſorbitionem calidam, infuſionem ol.calid. in utramque aurem, balneum ex aqua cal. ex Avicenna. Comprimere oculorum angulos* juxta naſum ſternutationem cohibet, ait *Toletus. Frictionem narium* commendat *Paulus*, frontis, oculorum, oſcitationem, palati fricationem, eructationem, ſpongiarum marinarum odorem.

Si diſtillatio ſit calida impone fronti & temporibus *roſas, ſantalum cum ſanguine drac. & aqua roſar.*

℞. *Roſar.rubr.myrtill.ſumach.balauſt.cortic.granat.* āā. m.ß.f.decoctio pro *Fotu capitis.*

Syrupi refrigerantes erunt ex uſu, ut *de papav.* & ſimiles.

Si ſit frigida, *decoctum cephalicum* proderit, *& beton. chamam. maiorana*, & ſimil. Olfaciat *maioranam, chamem. maſtich. ladanum, ſtiracem, nigellam, pomum ambræ*, panem: Impone *maſtichen, thus, myrrham, oleum chamamel. nardinum, aniſum*, laudat *Faventinus* ſequens.

℞. *Aqua maior. ſucci betæ* āā.℥j. *nuc.moſch. caryophyll.* āā.ʒß. fiat Errhinum, quod aperit venas.

Aqua tepida fronti aſperſa ſternutationes ſedat: *Primiroſius. p. 53.*

Prunella alba.

Sequens remedium valde prodeſt.

℞. *Fol.ſalviæ* m.ß. *cerefol.*m.j.*coque in aq.fontis* ℔ß. bulliant parum, in fine adde *vini* ℥ß. *colat. adde mellis roſ.* ℥j. Hoc liquore pannus ſtylo, alligatus imbuatur, & os ſæpe fricetur; Affectus hic evaneſcit ſtatim. *Obſtetrix Gallica c. 31. de Gangrana in ore.*

Optima eſt *aqua chamam. prunellæ vel fragor. cum pauco croco & album. ovi miſta*, ſi os infantis ea ſæpe abluatur & abſtergatur. Præſtat etiam pulvillum *oleo amygd.dulc.* cum *melle & ſacch.* miſtum intingere, & os leniter eo abſtergere. *Grulingius.*

Curatur purificatione diligenti ex *aqua fragor.* & *prunellæ* addito *croco* & *alumine*, Prodeſt *diamorum & dianucum.* Decoctum *chamameli* expertum quoque eſt. *Strobelbergerus.*

Paralyſis.

Sæpenumero reſolvuntur nervi in articulis puerorum, in quibus motiva impeditur. Norum autem nervorum omnium originem, aut cerebrum aut ejus rivulum ſpinalem medullam eſſe quorum initia ſi craſſis humoribus obſtruantur, intercipiuntur ſpiritus animales, & ſic impeditur motus membrorum: Porro reſolutio fit vel in toto, vel in quibuſdam membris.

Curatio conſiſtit primū in lactis nutricis emēdatione,

emendatur autem lac victus ratione calefaciente & attenuante, Abſtineat itaque nutrix ab omnibus refrigerantibus, & pituitam generantibus alimentis piſcibus, lacticiniis.

Infans autem quotidie lavetur bis *aqua cal.* in qua incocta ſint *frondes iuniperi, fol. rorismar. ſinin aquat. naſtur aq. beton. ſerpill. rad. valerian. pimpin. &c.* aut in qua cocta ſint *ſemina & flores ex fœno pratenſi* excuſſi.

Poſt lotionem & abſterſiones infantis confricentur membra reſoluta, Et ſi manus ſint reſolutæ cervix ſi vero pedes, lumbi, & ſpina dorſi. Inungentur vero *oleo de caſtor; & lumbricor. terra.* cui nonnihil *aqua iunip.* ſit admixtum, celebre eſt & ſequens Electuar, à ℈i. ad ʒß. quotidie cum lacte muliebri exhibere:

℞. *Calam. aromat: cinnam. maſtich. rad. dauci cret zedoar. caryophill.* āā. ℈i. *ligni aloes ſantal. citr.* āā. ʒß: *moſchi.* ℈ß. *f. Pulv. tenuiſſ.* & cum ſ. q. *ſyr. è ſtæchade Elect.*

Præſtat inſuper in paralyſi Infantium partes reſolutas *lixivio* calido, in quo *baccæ lauri* & *ſem. pæoniæ* ſunt incocta abluere, & deinde *oleo laurino* cui parum *olei vitrioli* ſit admixtum inungere. *Ioel. lib. 9. §. 7.*

Cutis totius corporis Intumeſcentia.

Cutis ſuflatione per vniverſum corpus Infantes nonnumquam afficiuntur; Cauſæ προηγούμεναι ſunt aut craſſi & flatulenti ſpiritus, aut tenues & aquoſi humores ex ebullitione vitioſorum humorum ad cutem populſorũ, quos tamen natura per poros diſcutere non poteſt, *Procatarctica* ſunt venenata alimenta, & denſitas obſtructioque pororum cutis, quæ obſtructio contingit à craſſo ſudore ſordibuſque quibus pori infarcti, ſunt, vel ob aeris ambientis frigiditatem.

Curatio hoc modo inſtituenda eſt, ſi vitioſorum humorum copia infarctum eſt corpus, ſubducatur pro ætatis ratione aut *caſſiæ* ʒß. *aut* ʒvi: *mannæ* in *prunor iuſculo.* diſſolutæ, Deinde exhibeatur ℈i. *aut* ʒß. *theriacæ Androm.* in pauxillo *vini* reſolutæ aut crebro exhibeantur duo cochlearia *vini* in quo ſint coctæ *radices ebuli,* & *granor. iuniperi* cum pauco *ſacchari.*

Foris autem valde prodeſt, & ſtatim inflammationem aufert, ſi *fol. ebuli & ſambuci*, & hyeme *rad. ebuli* & *cort. ſambuci* & *grana iunip.* contuſa in *vino albo* coqu. & eo vino infans colluatur; Vel prædictæ herbæ contundantur, eiſque pueruli corpus involvatur, Aut in prædicto vino pannus cæruleus novus imbuatur, eoque corpus involvatur, Eadem ratione ac vtilitate vti poſſumus *vino* albo in quo incocta ſunt *flor. chamomill. origani, ſcord. rutæ & ſem. cymina.*

Conferunt quoque in diſſipandis ſubcutaneis vaporibus Inunctiones ex *oleo rutæ, aneth. & chamom.* cui parum *olei vitrioli* aut *aceti* vini ſit admixtum præterea in potu convenientiſſimum eſt propinare *lac ex ſemine cannabis* paratum. *Fr. Ioel.*

Inflatur pueri corpus poſt longos morbos & febres, id que vel ab aqua, vel flatu, Ob nimiam interdum nutrimenti copiam, malam qualitatem, caloris imbecilitatem.

Quidam vtuntur Balneis ex *decocto ſambuci ebuli* addito *vino albo.* Primiroſius.

Cap. XXXIX.

De Morbis Medii Ventris.

EX morbis medii ventris, *Tuſſim* duntaxat cum [1] difficili reſpiratione adferimus.

Oritur hæc, 1. [2] *Vel* à materia in cerebro, quod infantibus humidiſſimum, genitâ [3] & aut per frigus expreſſa aut per calorem ſoluta, dum per nares evacuari non poteſt, ad inferiora deſcendente.

Et tum, catarrhus & tuſſis adeſt, & [4] inter reſpirandum [5] ſtertor quidam ac ſonus percipitur, dum aër non libere per obſtructas pulmonis bronchias tranſit.

Nutrix à ſalſis & acribus abſtinere debet, & decocto aliquo pectorali uti. [6] Infanti ſubtrahendus cibus; [7] alvus laxa ſervanda [8] *Oleum amygdalar. dulcium cum ſaccharo candi* exhibendum,

Materia illa *aut* eſt *calida.* Et *tum*, catarrhus tenuior, infantes ſæpius ſternutant, fauces rubent. *Emulſio ſemin. quatuor frigidor.* maior. exhibenda.

Aut eſt *frigida.* Et *tum*, nec ſternutant infantes, nec rubet facies, nec exhalatur aliquid calidum ex ore, *ſuccus fœniculi*, [9] vel *ſyrupus iuiubinus cum* [10] *aqua ſcabioſæ* prodeſt.

Aut [11] influit in aſperam arteriam, Et *tum* [12] excitatur tuſſis, nares ſupremæ obſtructæ *oleo amygd. dulcium* inungendæ.

Aut [13] in pulmonum bronchias. [14] Et *tum* difficultas reſpirationis.

[15] *Speciebus diaireos ſucco glycyrrhizæ*, & [16] eclegmatibus agendum. [17] pectus verò *pinguedine gallinæ* inungendum.

2. *Vel* [18] à ſanguine pituitoſo, cuius cauſa [19] crudus ex ἀδδηφαγίᾳ [20] humor in primis viis collectus & per venam arterioſam ad pulmones transmiſſus.

Et *tum*, hypochondria inflantur & tument.

[21] Ad revulſionem [22] laudatur pedum lotio *cereviſia in qua herbæ Cephalicæ* incoctæ fuerunt quam inunctio plantarum *pinguedine lucii* vel *ſevo hirci* inſequi debet.

[1] *Difficili reſpiratione*) Pueris adultioribus fiunt etiam *Aſthmata, 3. aph. 26.* ex fluxione in pulmones, vnde ſæpe moriuntur ob imbecilitatem, quam contrahunt ex mutatione aëris alimentorum dentium ortus, quibus ſi accedat fluxio, vix poſſunt ſuſtinere *Primiroſius.*

2. *A materia in cerebro)* Amborũ vitiorum in Infantibus frequentiſſima cauſa eſt humiditas cerebri, quod aquoſis & pituitoſis ſcatet humoribus, qui inde ad pulmones & pectus delabuntur, quos facultas expultrix per tuſſim excernere ſatagit. *Sebiſius.*

3. *Et aut per frigus &c.)* In pueris illis præſertim qui maxime ſunt alacres, cauſæ ſunt variæ, Externæ potiſſimum: quia inordinate & licentioſe vivunt, & omnibus ſeſe aëris iniuriis, calori, frigori, humiditati, pluris nivibus ventis &c. exponunt, *Sebiſius.*

4. *Et inter reſpirandum ſtertor quidam)* Aſthmatici infantes & pueri reſpirant crebro, ſed difficulter, vt illi qui velocius cucurrerunt, aut acclivia conſcenderunt loca, & inter reſpirandum ſtertunt. *Sebiſius.*

5. *Stertor quidam* Quem à pituita in ventriculo contenta deducit *Aetius* ideoque vomitum conſulit.

6. *Infanti ſubtrahendus)* Si non ex ſtomacho, ſed pectore ac larynge potius affecta & à lympha à criori, vel aëre inde mentiore irritata Tuſſis contumax ſicca, ſæpius nocturna oriatur *ſperma ceti* quacunque ratione commodiſſime in *inſculo* vel *cerevisia*, aut *lacte* probe calido propinandum erit, *ſpiritus* quoque *ſalis armon. aniſatus*, inſigni hic merito extolletur elogio; etiam vbi dentitio difficilior talem tuſſim, quod interdum contingit, excitaverit, Quo in caſu *vomitorium* præmittendum erit, ſed præ cæteris *liquor. c.c. ſuccinatus* in affectibus infantum catarrhalibus quibuſcumque primum meretur locum, Nec contemnendum hic eſt euporiſton, ex *Cratonis* experientia, *Inſculum decoctionis raporum*, cum *ſacchara*, infantibus porrectum, Adultioribus paulo, *decoctum rad helenii* cum *uvis corinth.* in *vino*, pauco addito *ſacchare* confert; non minusquam *lohoc de paſſulis* cum *mucilag. ſem. lini* aut *cydonior* permiſtum eſt blandum temperans; *Ettmuller pag.* 44.

7. *Alvus laxa ſervanda)* Ob cuius ſuppreſſionem vocem aliquando ſupprimi ait *Aetius*, qui *braſſica* ſuccum bibendum præbet cum pauco *ſale* ſtatim alvum & vocem reſtituit.

7. *Alvus laxa ſervanda) Imo blanda vacuatio neceſſaria eſt*, nam ex erroribus in victu caput humoribus excrementis illis repletur, hinc opus eſt vt caput purgetur, & expectoratio ſuperfluitatum ad pulmonem delapſa promoveatur, Tenera igitur ætas blandis medicamentis vacuanda, *ſyr de manna ſyr. violar. ſol. ſimpl. melle violat* cum *decocto pectorali cordiali flor & fruct, communi lenitivo*, vel decocto *fol. ſenna* convenit & *Elect. lenit. de manna, catho. caſſia r. extracta.*

Alvus citatur clyſteribus ex *decocto hordei* cui *butyrum ol. comm. mel. roſat. & ſal* admiſcetur. *Sebiſius.*

Alvus clyſteribus aut blanda purgatione irritetur, *Diaphoenicum* maxime prodeſſe obſervavi, pituitam multam vacuat, Doſis ſit pro viribus & ætate pueri. *Primiroſius.*

8. *Oleum amygd. d. cum ſacchāro)* valent *ſyrupi. de iuiub. de praſſio; de hyſſopo, oxymel; Valeſius comm. in Hollerium*, valde laudat *infuſionem millepedum in vino*: probantur *Aetio, Paulo, Actuario, Altimaro; Galenus* vrit in furno, ex authoritate *Abelepradis, Paulus* frigit in ſartagine dum albeſcant, *(at ſic plurimum ſal volatile in auras abit)* doſis ʒi. cum *hydromelite*, vel *aquis ſcabioſa pimpinella adiant*; Alii *millepedes* xii. in *vino albo* coquunt, colaturam pauco *croco & cinnamomo* dulcoratar. exhibent. *Primiroſius.*

Pro expectoratione multa habentur parata Aqua *veronica, tuſſilag. hyſſopi, flor. acacia, helenii; fœnic. marrubii*. In quibus diſſolvi poſſunt *tabula diaireor ſimpl. eleoſacch. fœnic. ſaccha. cand*, licet & his aquis miſcere ſyr. pectorales *liquir. capilli vener. farfara ſcabioſa veronica, hyſſopi.* ſunt & Eclagmata, ſanum, ad aſthma, de *farfara de pineis* Sebiſius.

9. *Vel ſyrupus iujubinus)* Notandum eſt hunc ſyrupum, *& alios pectorales)* ſemper incraſſare, nam *ſaccharum* permiſtione ſuæ ſubſtantiæ omnem humorem incraſſat cui permiſcetur, Sicut & *tragacanthum g. arabic. ſemen. pſyllii cydonior*, & quæcunque *mucilaginem* liquori permiſta largiuntur: In tenui igitur catarrho valent *ptiſana amylum, butyrum cum ſacch. oleo amygd. d. gum. arabic. tragac. ſemen. cydon. lini ſuccus liquor proinde cum lacte lac cannab. cum ſacchara vaccinum cum tragac. conſerva roſar. violar. Syrupi* quoque *violar, papav. portul. diacod.* maxime ſi puer dormire non poſſit.

Sed monet *mercatus* vitandum eſſe *g. arab. tragac.* quia ſolent exſiccari in via ſic malum augent. Eadem eſt ratio omnium quæ glutinoſa ſunt, quia pueri lambere nequeunt, nec ſpuere, ſed deglutiunt omnia; Nihilominus tamen aliqua remediorum virtus ſupereſt ſive lambant, ſive deglutiant.

℞. *Mucilag. ſem. lini pſyllii cydon, ãã.* ℥ß. *conf. alkermes* ʒß. *penid.* ℥ß. *flor. ſulph.* ℈ii. *ſyr. roſ. ſiccar* ℥i. *ſyr. capilli ven. caryoph. hort ãã.* ℥ß. *f. Lohoc* quo ſæpe vtatur cum baculo liquiritiæ.

℞. *Empl. ſtomach* ℥ß. *ladani* ʒii. *ol. maſtichi: q. ſ. fiat Empl.* applicandum ſtomacho,

Sic fuit curata puella quadriennis, quæ ex tuſſi hic morobunda videbatur. *Primiroſius.*

10. *Aqua ſcabioſa prodeſt)* Vinum in quo *iuniperi bacca* ebullierint bibitum infantium tuſſim ſedati. Item ſi in vino *flores Cucurbit* ſicci coquantur, & colatura bibenda detur. *Platerus.*

11. *Aut influit in)* Infantes, *inquit Hippocrates. lib. de Dentit. Quibus in ſugendo tuſſis inſtat, vvam maiorem habent.* Ex catarrho ſcil. has partes humectante. *Primiroſius.*

12. *Tum excitatur Tuſſis)* Alia Tuſſis ſpecies in phthiſin ſæpe deſinens, convulſiva ſeu ſuffocativa, & noſtro idiomate *Chincongh.* vulgo dicta, pueros & infantes potiſſimum inceſſit, & quibuſdam temporibus, ſcil. vere præſertim & autumno epidemius eſſe ſolet, Aegri tuſſiendi paroxiſmos crebros & atroces admodum habent; in quibus nimirum reſpirationis organa non tantum graviter laborant, ſed etiam ſpaſmatice affecta actus ſuos varie interrumpunt, aut pervertunt, plerumque vero diaphragma per ſe, aut partium aliarum impulſu convulſum, modo ſyſtolen modo diaſtolen perquamdiu obſtinate ita continuat, vt inſpiratione, vel exſpiratione, pro tempore inhibita ſpiritus vitalis vix ac ne vix duci queat, proinde vt tuſſientes quaſi præfocati eiulent, & ob ſanguinem ſtagnantem in vultu atredinem contrahant, ſi forſan organis iſtis non in tantum convulſis liberius tuſſire poſſint iiſque tamen vehementius & diutius, donec vires fatiſcunt, tuſſire coguntur.

Morbi huius *ratio formalis*, ſive *cauſa coniuncta*, in his duobus conſiſtit, nempe quod adſit crebra & vehemens pulmonum irritatio, qua ad moleſtum aliquid tuſſi eiiciendum fere continue incitantur; ac inſimul quod partes thoracis motivæ, vt nervi ac fibræ nerveæ, ad ſpaſmos prædiſpoſitæ, quoties irritantur, tuſſim non regularem ſed convulſivam, & ordinario reſpirationis muneri oppoſitam aut iniuriam accieant.

Materies pulmonem ita crebro in Tuſſim incitans videtur eſſe ſerum è maſſa ſanguinea propter compagem eius nimis ſolutam perpetim exudans; atque pectoralia moleſtans; quatenus per arterias tum tracheales in aſperę arteriæ cavitatem deſtillat; tum per pneumonicas in ductus quoque patentes copioſe ſuffunditur: Partium motricium diatheſis ſpaſmodica, vt in aliis affectibus convulſivis, procedere videtur à materie hoterogenea & elaſtica è cerebro per nervorum

ductus, vna cum liquore nerveo in fibras pectoris motrices prolapſa: quare cum ſpiritus fibrarum iſtarum incolæ ad motus exſpirationis violentos edendos incitantur, motus convulſivos ineunt.

Quod ad *Prognoſin* ſpectat, Tuſſis hæc etſi raro lethalis, aut valde periculoſa, curatu tamen perdifficilis exiſtit, & non raro propter anni mutationem ceſſat potius quam à remediis ſuperatur; Cuius cauſa eſt quod hoc non, vti in Tuſſi ordinaria, tantummodo ſanguinē alterari eiuſque recrementa e pulmone ad habitum corporis per διαπνοὴν amandanda derivari oportet, ſed & inſuper & ſucci nervei emendatio procurari debet.

Circa morbi huius curationem medendi ratio in aliis Tuſſium generibus vſitata hic raro prodeſt, quare mulierculæ & agyrtæ ſæpius quam medici conſuluntur; & poſthabita & neglecta rationali Therapeias methodo, pharmaca fere tantum empirica in vſum adhibentur: Inter multa huius generis remedia, duo hæc ſequentia quibuſque aliis præferri & inprimis vſurpari ſolent, vid. vt *muſcus pyxidatus*, eiuſque varia præparata & compoſitiones intus ſumantur; atque ſi vlteriori medela opus fuerit, vt terriculamento quodam adhibito puer laborans in ſubitum timorem coniiciatur: Quod ſi huiuſmodi adminiſtrationibus ſucceſſus optatus defuerit, ptiſanæ ſyrupi iulapia, aut decocta, aliaque pectoralia reiiciuntur, & non raro à medicamentis quibuſque aliiſque deſiſtitur, expectando donec morbus vel demum ſponte terminetur; vel propter ſuccedentem anni τροπὴν ſanetur.

Muſcus pyxidatus commodiſſimo apud noſtrates contra puerorum tuſſes vſu, quoad formam eius & creſcendi modum ſatis vulgo innoteſcit; virtutis (quantum ex ſapore colligimus) adſtrictoriæ eſt, atque particulas nonnihil acres, ſalis volatilis copiam redolentes in ſe continet: vnde coniectare licebit, vſum eius eſſe ſanguinem figere, ſerique fluxiones ſedare, ac inſuper ſuccum nerveum volatiliſando diatheſin ſpaſmodicam tollere: Exhiberi ſolet in ſpecie Pulveris Decocti & ſyrupi, iuxta has Formulas.

℞. *Muſci pyxid. pulv.* ʒi. *ſacch. c.* ℈i. *m. Dividatur in* iij. *vel* iv. *partes, ſumatur dozis mane & veſperi, cum idoneo vehiculo.*

℞. *Eiuſdem muſci* ʒii. *lactis ſulph.* ℈ij. *pulv. ſem. aniſi* ℈i. *Divide in* vi. *partes, quæ ſumantur eodem modo.*

℞. *Eiuſdem muſci* ʒi. *coqu. in lactis ſ. q. pro vna doſi, colatura ſumatur veſperi mane: Quibus lac non congruit, aut minime prodeſt, paretur huius Decoctum in aqua fontana* aut *hyſſopi aut alia pectorali, detur ad* ʒij. *vel* iij. *bis in die, edulcorando cum ſaccharo aut ſyrupo idoneo.*

℞. *Muſci huius* ℥i. *coque in aqu. cuiuſdam pector ab* ℔ij. *ad medietatem. colaturæ adde ſacch. c.* ℔i. *& evaporet leni Balnei calore ad ſyrupi conſiſtentiam.*

Alterum pro Tuſſi Puerorum convulſiva remedium eſſe ſolet, vt ſubito, quodam Timore afficiantur; hinc cum medicamenta minus afficiunt, apud vulgus in praxi familiari eſt, vt pro terriculamento, dum molendinum ingens cum ſtridore & rotarum aſpectu horribili circumagitur, affectus grani ſive frumenti receptaculo imponatur, indeque morbi huius ſubita curatio nonnunquam contingit: Cuius ratio in hoc proculdubio conſiſtit, quod ſpiritus animales fugati, inque novas diſtractiones adacti, inordinationes ſuas priores relinquunt: tum inſuper quod materies ſpaſmodica à perturbatione iſthac aut diſſipatur, aut in alios nervos, vbi parum moleſta eſt adigitur.

Deſcripta ad hunc modum huius morbi cura Empirica, vna cum remediis vulgo vſitatis, eorumque Aſtrologiis, ſaltem probabiliter explicatis, hinc certe licebit medendi methodum quandam rationalem & forſan contra huiusmodi Puerorum Tuſſes magis efficacem deſignare: Itaque in tali caſu juxta formulas ſequentes quandoque ſat feliciter præſcribere ſoleo, Et 1°. quandoquidem à Purgatione incipiendum eſt.

℞. *Syr. è flor. perſic. cochl.* 1. *aquæ hyſſ.* ℈i. *m. ſumatur cum regimine. vel*

℞. *Calomel. gr.* vi. *ſcammon. ſulphur. reſin. Ialap. āā. gr.* iij. *f. Pulvis, detur in parva quantitate pulpæ ceraſi conditi puero ſex annos nato, Et dozis augeatur aut minuatur pro ratione ætatis. Repetatur purgatio intra* vi. *vel* vij. *dies.*

Si laborans (vti crebro aſſolet) in vomitum ſit proclivis.

℞. *Oxymel. ſcyll.* ʒvi. *ſalis vitr. gr.* vi. *miſce* Exhibeatur puero ſex annos nato, iuxta hanc *proportionem* dozis ea aliis accommodetur: Novi huiuſmodi Emeticum omni mane per 4. aut 5. dies continuos cum bono fructu exhibitum.

Veſicatoria in crebro ſint vſu, quæ applicentur modo nuchæ, modo pone aures, modo internis brachiis prope axillas, & quamprimum vlcuſcula in his locis ſanari incipiunt, alia excitentur in aliis.

Loco cereviſiæ, Decoctum ſequens pro Potu ordinario ſumatur.

℞. *Rad. Chinæ* ℥iß. *ſantal. omni āā.* ℥ß. *raſ. Eboris, c. cervi āā.* ʒiij. *ſ. a. infundantur & coqu. in aq. font.* ℔vi. *ad medietatem, addendo paſſular. exacinat.* ℥iß. *liquir.* ʒiij.

℞. *Spyr. gumm. Ammon. cum ſale Ammon.* ʒi. *ſyrup. de muſco pyxid.* ℥iij. *aqu. hyſter. dozis cochl.* j. *parvum veſperi & primo mane, in cochl. vno ſyr. de muſco pixidato.*

Quibuſdam conſtitutione calidiori præditis, & inter tuſſiendum rubore vultus intenſo, ſeu potius atredine perfuſis, *phlebotomiam*, aut ſanguinis per hirudines, ad ij. vel iij. vacias detractionem quandoque bono cum ſucceſſu adhibendam præcepi.

℞. *Milleped. vivorum mundat.* ℥ij. *pulv. ſem. aniſi* ʒj: *nuc. moſch.* ʒß. *ſacch. albiſſ.* ℥i. *ſimul contuſis affunde aqu. hyſſopi* ℥vi. *limac. magiſtral.* ℥ij. *parum agitentur cum piſtillo, & fiat expreſſio fortis: Doſis cochl.* ij. *vel* iij. *bis in die.* Willis.

12. *Tum excitatur Tuſſis*) Non ita pridem ad me allatus eſt infans bimulus, cui ante menſem ſupervenit *Tuſſis ſuffocans*, qua vbi aliquot diebus fuiſſet vexatus acceſſit Epilepſia, ſed hac nunc ceſſante, qui prius loqui poterat & ambulare, nunc mutus eſt & quaſi paralyticus; Videtur in hoc infante *Tuſſis* illa *ſuffocans* (quam idcirco ſic voco, quia videntur in ſuffocationis periculum coniecti ægri, tam adulti quam infantes) ortum habuiſſe à flatibus acidis in tenui inteſtino excitatis, & paulatim ad pulmones aſſurgentibus, ibidemque ad tuſſiendum ipſos irritantibus, Idem *flatus acidi*, ad cerebrum delati, videntur ibidem nervorum principium acrimonia ſua mordicando: ipſum irritaſſe ad copioſiorem ſpirituum animalium copiam quaquaverſum, ac imprimis ad muſculos omnes aut pleroſque propellendam, vnde excitati ſunt 1°. motus convulſivi; tandem ipſa convulſio, h. e. inſultus epileptici: poſtquam vero vlterius delati ſunt iidem halitus, ſive flatus acidi, ſecundum ſpinam dorſalem ſuntque ibidem magis concreti, videtur impotentia ad motum excitata, comprimis vel aliter male affectis nervis per quos ad muſculos deferuntur animales Quinimo male affectis muſculis loquutioni intervientibus, factus videtur ob eandem cauſam Infans mutus, qui cœperat bene loqui. *Sylvius Apend Tr.* 1. *c.* 6.

11. *Excitatur Tuſſis*) In pueris in prima ætate, fiunt Tuſſes, *3. aph. 24.* nam pueri facile tentantur catarrho ob

ob cetebri humiditatem, & quia in vtero calori aſſueti aërem frigidum non facile patiuntur, Adde lactis ingurgitationem vnde multi vapores in cerebrum feruntur, qui ad aſpetam arteriam poſtea deſcendunt; & quoniam pueri ſpuere non poſſunt, frequenter & moleſte & diu arteriam ſolicitant, vnde interdum & febricitant & ſuffocantur. *Primiroſius.*

12. *Tum excitatur tuſſis*) In Tuſſi quatuot concurrunt, *materia* pondere gravans, vel qualitate irritans & ſtimulans; *vis expultrix* reiicens: *Spiritus*, ſive aër internus, cum impetu per fiſtulas pulmonum & aſperam arteriam erumpens, *Thorax* denique & Pulmo in expiratione ſeſe contrahens. *Sebiſius.*

13. *Aut in Pulmonum bronchia, & tum difficultas reſpirationis*) Pertinere huc videtur Infantum quorundam, plus minus robuſtorū *catarrhus ſuffocativus*, cum *epilepſiæ* motu iunctus, dum v. g. ſimpliciter creberrima thoracis ſyſtole & diaſtole, cum levi vel nulla tuſſi continuo ſuffocari videntur, idq́ue ipſum etiam evenit ſubinde ita, vt tali *ſpaſmatica affectione* pulmones conſtringi, & thorax coarctari ita videatur, vt & reſpiratio libera impediatur, & ſanguinis per pulmones circulus impediatur; hinc facies eorum rubicunda eſſe ſolet, & præcedere talem affectum per dies aliquot vel raucedo levis, tuſſicula, &c, vide *Hildanum* de hoc affectu ſuffocativo *cent. 3. obſ. 10. Schenckium* In obſervationibus, *Etmuller Pr. part. 1. p. 228.*

14. *Et tum difficultas reſpirationis*) Poteſt & tandem phthiſin hecticam, herniam inducere; moleſtas ſemper vigilias facit aut ſomnos interruptos interdum etiam ſuffocat. ſi fiat à frigiditate vix deglutire poſſunt. *Primiroſius.*

15. *Speciebus diaireos*) Obſervamus tota die in praxi *ſperma ceti* in aſthmate eſſe laudatiſſimum; & in infantibus, quorum ventriculus eſt humidior, vtplurimum per vomitum idque cum ſucceſſu operari, Laborabat infans vnius anni reſpiratione anxia cum metu ſuffocationis, datus ℈ß. *ſperm. ceti*, ſubſequente vomitu, dictum factum eundem liberabat, idque in pluribus aliis vidimus quoque: *Wedelius.*

15. *Speciebus diaireos &c. agendum*) Interna ſunt purgationes blandæ ſternutatoria ex *cocymo*, *maiorana*, & errhina blanda, ob teneram ætatem puerorum: In omnibus thoracis affectibus commendat *Crato*, *decoctum raparum* cum *ſacchar crudo*, aut *decoctum calami aromat*, *cuius* ℥ß. in *aqua* ℔iß. coquatur ad tertias, & addatur *ſacch. candi* ℥i. *ſyrupus ex decocto aniſi* prodeſt.

In cauſa frigida hæc proſunt.

℞. *Praſſii m. ſ. hyſſopi, meliſſæ* ãã. *m.ß. ficus n°.* vii. *liquir* ʒij. *paſſul.* ℥i. *ſacch. c. q. ſ. coque omnia in mulſa,*

℞. *Capill. ven. hyſſopi, ſcabioſæ* ãã. *m. ſ. rad. enulæ ireos* ãã. ʒß. *caricar dactyl* ãã. ʒiij. *paſſular. liquir.* ãã. ℥ß. *coque in ſ. q.* aquæ ad tertias, *adde ſacch. q. ſ. ſæpius in die:* Et *Faventino* remedium bonum.

Laudantur præterea *paſſula, myrrha cum melle & ol. amygd. dulc.* vel *tragac. & galbanum, in ovi luteo: ſemen lini* optimum eſſe expertus ſum, idque laudat *Rhazes.* linguam *melle* fricare prodeſt ex *Paulo.*

Feliciter hoc ſæpe ſum expertus ſum vt infanti ſæpe exhibeatur, *cochl.* i. *vel* ij. *ol. amygd. d. cum ſacch. c.* Omnibonus Ferrarius.

Puella aliis nihil juvantibus ſumpſit gtt. j. vel ij. *aquæ a limace deſtillantis exiguo ſale conſperſo in cereviſia*, & illicò curata fuit. *Foreſtus l. 6. obſ. 6.*

Vulgus feliciſſime propinat hic infantibus, quos pulmones oppletio infeſtat, ſumunt *ſem. naſturtii* quantum digitali inſtrumento contineatur, per noctem calido lineo panno incluſum macerant *in vrina pueri* & *melle roſ. colat.* exprimunt cachlear vnum propinant. *Iaubertus.*

Hoc magna cum vtilitate vſus ſum.

℞. *Rad. alth.* ℥iij. *coque in* ℔i. *flor. lactis contunde & cribro traiice*, adde *ſacch. c. penid.* ãã. *gr.* iij. miſce, da ſæpe cochl. i. *Foreſtus.*

15. *Speciebus diareos &c.*) Vt talem affectum in adultis *opiata & attemperantia*, vulgo *Incraſſantia* dicta optime levant, etiam paroxymos, Ita & talibus infantibus *thoracica* item *ſperma ceti*, &c. in vehiculo calido propinata proficua obſervantur, cum è contra Aſthmata humida, item humorales, præſertim ex ſtomacho in infantibus non raræ inprimis per *Nicotianam*, item per blanda emetica curari debeant *Etmuller ibid.*

16. *Eclegmatibus agendum*) *Expectorationis cauſa*, Nam, non ſecus ac adultis, Tuſſis vel eſt ſicca vel humida, vel inanis, *Sicca* quando nihil expuitur, & fieri poteſt ex ſola intemperie frigida, vt in grandioribus: Sed etiam ſicca in ipſis poteſt vocari, etiam ſi humor plurimus adſit, ſive tenuis, ſive craſſus, quando illum expuere non poſſunt, Sed tenuis magis moleſtat, nam ſi paululum craſſior educi non poteſt, multo minus tenuis. *Primiroſius.*

17. *Pectus inungendum*) *Vngu. pectorali, oleo amygd. dulc. laurino, coſtino nucis moſch*, macis, *butyro cum croco*, quibus imbuti caules torrefacti apportantur. prodeſt *Lotio pedum* ex decocto cephalico. *Primiroſius.*

Pectus inungitur *ungu.* reſumptivo, addi poſſunt pinguedines *capi, ol. lilior albor.* & *croci parum. Sebiſius.*

18. *A ſanguine pituitoſo*) Rara eſt Tuſſis ſicca, aut quæ ex laryngis aſperæque arteriæ irratione obvenit, niſi interdum inclementioris aëris afflatus & liberior hauſtus ad hanc ſuo modo diſponat: Idem aſſerendum de Tuſſi iſta quæ ſub dentitione laboroſior frequenter turbat infantes, quam copioſior ſaliva ſubinde ſalſo acrioris defluxus in ſtomachum, & inprimis vberior eius ex membrana pituitaria poſteriori ſeu inferiori tranſſudatio, & inde defectuoſa reddita digeſtio, cruditatum accumulatio infert, Idem aſſerendum de *infantum aſthmate*, quod vt plurimum ex ventriculo onerato oritur, dum mucilagines acidæ coacervatæ, & flatulenta turgeſcentia tumefacta, moleſtum tale aſthma producunt: hinc etiam provocato vomitu ſtatim liberantur.

Si ergo tenacior acidiorq́ue mucus ſuperiori ventriculi orificio firmius ahæſerit Singultum infert (*vide infra caput de ſingultu* Si in ventriculi cavo magis fluctuent, *pituitoſa talia* accida, aut ſalſo acida, eaque ſucceſſive irritent orificium ſuperius, vel infenſa & moleſta ſua præſentia, vel ſaltem halitibus acrioribus, excitabuntur ſub expiratione, occaſione vellicati diaphragmatis, ipſique compatientium muſculorum exſpirationi inſervientium horum convulſivi motus, vnde repetentes *Tuſſes* concutient tenella corpora revera enim ex ſtomacho, huiuſque in ſe ipſo coacervatis cruditatibus, Infantum exoritur Tuſſis, ſubinde tanta violentia repetens, vt nonniſi ſuperveniente vomitu copioſique muci reiectione ad tempus ceſſet. *Etmuller valetud. Inf. c. 2. §. 23.*

18. *Vel à ſanguine pituitoſo*) Cauſa quoque eſſe conſuevit Lac, quod halituoſum, Item quod aqueum & ſeroſum. *Sebiſius.*

Vel quatenus gravat ſtomachum, vel præbet materiam ſanguinis pituitoſi productioni &c.

19. *Crudus ex ἀδδηφαγία humor* Notandum quoſcunque infantes, & ſpeciatim qui lautiori vtuntur diæta, & à teneris vnguiculis luxurioſe magis quam ſalubriter educari ſolent, ob communem iis ἀδδηφαγίαν

& quaſi vomeitatem obnoxios eſſe cruditati acidæ, ex qua ceu vberrima ſcaturigine, ſimilia iis, quibus ſub lactatione ex lactis p. n. aceſcentia & corruptione, &c. conflictari ſolent, mala in eodem largiter redundare ſolere *Etmuller p. 51.*

20. *Humor inprimis viis collectus*) Si tenacior acidiorque mucus ſuperiori ventriculi orificio firmius adhæſerit, per conſenſum firmiſſimæ connexionis diaphragmatis ſimul irritabitur muſculus, vnde huius ſub inſtrictione facta convulſiva contractio, *ſingultum* ſubinde contumaciſſimum infert; ſicut ſi ventriculi cavo magis fluctuent pituitoſa talia acida, aut ſalſo acida, eaque ſucceſſive irritent orificium ſuperius ventriculi, vel infenſa & moleſta ſua præſentia, vel ſaltem halitibus acrioribus, excitabuntur ſub expiratione, occaſione vellicati diaphragmatis ipſique compatientium muſculorum, & ſpirationi inſervientium, horum convulſivi motus, vnde reperente, *Tuſſes* concutient tenella pectora.

Revera enim ex ſtomacho, huiuſque in ſe ipſo coacervatis cruditatibus *infantum* exoritur *Tuſſis*, ſubinde tanta violentia repetens vt nonniſi ſuperveniente vomitu, copioſique muci reiectione ad tempus ceſſet.

Idem aſſerendum de Infantium Aſthmate quod vtplurimum ex ventriculo onerato oritur, dum mucilagines acidæ coacervatæ, & flatulentâ turgeſcentia tumefactæ moleſtum tale *Aſthma* producunt, hinc enim etiam authore *Primiroſio de Puer. morb.* provocato vomitu liberantur ſtatim *Etmuller p. 23.*

Expertum remedium eſt hoc.

℞. *Aquæ iunip.* ℥iv. *ſacch. c.* ℥i. *accendatur, ardeat* vſque ad extinctionem, adde *fœnic. vel aniſi* guttas aliquot, de quo ſæpius lambat. *Caſpar Anthor Noſoc. Inf. c. 12. ex Ioele.*

21. *Ad revulſionem laudatur*) In *Tuſſi* ex ſtomacho, præ cæteris Tuſſis ſpeciebus furibunda, *difficilique reſpiratione* & *aſthmatico* affectu, ſtudioſe, ni ſponte ſuperveniat vomitus, provocandus erit, præſens enim levamen affert: Pro reliquiis autem materiæ acidæ mucilaginoſæ reſolvendis, *ſyrupus* de *nicotiana* legitime præparatus, vt & *de eryſimo* optime cum *aqua hyſopi* vel *mentha* propinati conferunt, non minus quam *raphani* ſuccus recens cum *ſaccharo* depurato temperatus, ingratus licet, efficaciſſimus tamen eſt In cuiùs locum quidem, non minus tamen potens, *liquor ſacchari ex raphano* in taleolas inciſo, *ſaccharoque* largiter inſperſo defluens commode ſubſtituitur. *Etmuller p. 43.*

21. *Ad Revulſionem laudatur*) Medetur *Aetius* vomitu, *Stertit* inquit, *infans, ex pituita in ventriculo collecta, ob craſſius alimentum*, Lini ſemen, *vel* cymini *cum* melle *dato*; *mulſa aſſidue ori inſtilletur*: *Perſeverante malo, ad vomitum digito oleo intincto, & ſtatim liberatur* Hæc eadem probant *Rhaſes* & *Avicenna*, qui præterea ſuadent vt linguæ radix oleo inungatur & molliter comprimatur, Aquam quoque calidam *Aetius* probat *Primiroſius*, vide §. *A ſanguine pituitoſo.*)

22. *Laudatur pedum lotio*) Externa remedia ſint *frictiones*, *cucurbitula abſque ſcarificatione* in ſcapulis *Avicenna & Paulus* pueri caput aqua calida fovent, dein accurate exſiccant, Alij capiti imponunt *pulv. ſandaracæ thuris, roſar. rubr. maiorane*, ex quibus etiam fieri poteſt ſuffitus integumentorum capitis vel ex *maſtiche. tacamahaca. olibano*; Pedis laventur decocto cephalico dein illinantur *pinguedine lucij* vel *ſebo hircino*, vel *oleo laurino*, *coſtino*, &c. Illitus eiuſmodi calidus, tam pedum quam thoracis, non obſtruit poros, ſed potius reſolvit. *Primiroſius.*

Diæta

Potus paratur ex *decocto hordei*, *paſſular corinthiac. paſſarum mundat. ab ariſtis, iuiubar,* & *flocara-flor. liquir. ſemin. aniſi, fœnic* &c. Brodiola carnium offerantur quibus incocta ſint *rapa* dulces, addito *Butyro* rec & inſulſo, (*Ex raparum ſucco & ſaccharo paratur ſyrupus apud nos in frequenti vſu*) In cibatione offerantur ſæpius *pulticula hordeacea (avenacea) pruna dulcia, paſſula poma dulcia*. Item *juſcula ex lacte caprino* cui incocta ſint *folia* & additum *ſacch. cand.* Sebiſius.

Obſervanda eſt proba Diæta nec infans, nec nutrix, lacte aut ciborum copia oneretur, & ſemper nutrix ab acribus, ſalſis vaporoſis abſtineat; *Primiroſius.*

APPENDIX.

Ad Præſens caput.

Pleuritis.

24. Puella cùm ſub dio, partim in ſole verſata eſſet, dolere caput cœpit & tuſſire: febris prehendit acuta, & quæ tamen ex intervallis major eſſe videretur, tuſſis & tuſſiendi cupiditas illam perpetuò infeſtabat, nil è pulmone educere poterat, tametſi eſſet ſtridula; in pulmone humoris concuſſatio quæ obaudiretur, ſatis ingens & implacabilis, frequens & brevis reſpiratio cum difficultate; poſtquam tuſſiverat, ſtatim eiulabat, aliquando in partibus extimis febris miteſcere videbatur: pugnabatur cum febre & tuſſi, quod eam partim à capite excitari crederemus, partim à reſudatione ichoris à calefacta pituta in Pulmone: Octavo die ſymptomaticus alvi fluor, nono interiit aperto cadavere, latus ſiniſtrum purulentum erat, & pars Pulmonis quæ illud contigerat, imò & pus in capacitatem fuſum erat: Pluritis fuit, nos valde decepti fuimus exiſtimantes tuſſim à capite eſſe, ſed quod tam frequens eſſet & ſicca, & cum difficultate ſpirandi juncta, illud aut inflammationem in Pulmone, aut in latere, aut in vtroque ſatis ſignificare poterat: tamen vnû deſiderabatur ut ægra de dolore lateris quereretur: hoc expectabamus, interea ignoratione rei, præſidium inflammationibus Thoracis vſurpari ſolitum, magno incommodo omiſimus; & ſi illud vſurpaviſſemus: certis ſignis nequeuntes aſſequi vtra pars eſſet affecta, è latere dextro ſanguinem, nullo profectu, detraxiſſemus: itaque puellæ pervicacia & moroſitas maximam periculi partem creavit: rubor genarum non erat, tamen ferè perpetuò adeſt in inflammatione partium Thoracis: item aliquando clauſo ore dormiebat, quod nos in eam adduxit opinionem ut crederemus coſtas non eſſe obſeſſas: ſed omnis iſta ratio nos decepit valde; tamen vix excuſari poſſumus quin ſanguinem demere debuerimus, cùm inflammationis in thorace magna eſſet ſuſpicio: ad ſectionem venæ & inſignis febris & inflammationis ſuſpicio, & ſitis inextinguibilis & jactationes ob incendium natæ, & maximè difficultas illa ſpirandi hortari debuerunt: cùm videremus, ingenti præſente æſtu, puellam habere frequentem admodum reſpirationem & tamen parvum, veluti oppreſſo & coanguſtato thorace; de inflammatione aliqua ſuſpicari nos oportebat: tamen hoc aſſerimus ſæpe nos obſervaſſe in pueris valde febrientibus frequentem paruámque reſpirationem, licet affectus Thorax non eſſet, *conſ. 76. lib. 1.*

25. Puero dolor erat circum latera, detrahebatur audacter ſanguis: dolores non concedebant; inopinatò vermes excluſi ſunt, dolores quieverunt, an vermes id facere potuerunt? Ita prorſus, imò & innumeras doloris ſpecies excitare poſſunt in omnibus

bus partibus, ac præſertim ſi ad ventriculum repant &c. *Epiſt.lib.1.pag.21.*

Angina.

Anginam eſſe pueris familiarem ſcribit *Hippocr.* maxime eam quæ fit à luxatione vertebræ in collo, ligamétis per fluxionem laxatis oſſa diſtorquentur, aut ab inflammatione, quod rarius eſt, nam citius moriuntur, nec inflammationem ferre poſſunt.

Adeſt faciei colli tumor dolor, ſpirandi difficultas, & deglutiendi, quod ſi tumor & rubor foris appareant, minus malum eſt, non negligendum tamen; Si tumor ille ad lividum mutetur, & febris fortis fuerit, vix vnquam convaleſcunt.

Venæ ſectio ſi nimium juvenis non fuerit optima erit, ſed glandibus aut leniſſima purgatione ex *ſyrupo roſac.* vtendum erit; atque ſyrup. qui ad aphthas propoſito, *myrtino diamoro* & ſimil. poſt *melle* cum *albo græco* proderit ſacculus ex *milio & ſale* capiti applicatus, & collum *lana ſuccida* integere, cum *ol. ſimpl. amygd. ol. chamam violat. lilior.* cinere *hirundin.* vel *nidum hirund.* frigere in ſartagine cum *oleo* aliquo aut *ſtercus canis* cum *far. hordei & melle*, *Scabioſa* appoſita aut pota laudatur, ſic & *morſus diaboli*, ſive *ſucciſa caſſiam fiſtulam* quidam laudant appoſitam cura eadem quæ in adultis, ac mitiora ſufficiunt. *Primiroſius.*

In contumaci malo coque *vngu. martiatum* aut *Dialth.* aut *Agrippæ* in vino forti & applica. *Georg. Kafnerus.*

Pariſthonia.

Tonſillarum inflammationes. 3. aph. 26. ſed tantum pueris grandioribus poſt dentitionem, Dubitat *Galenus* cur in recens natis non meminerit *Hippocr.* cum habeant pueri cerebrum humiditate plenum? Ait id fieri quia prius moriuntur quam ſubjecti faucibus muſculi vna cum nervis fortem ſubeant inflammationem. At rationem non video cur morbus hic in infantibus non fiat, Inflammantur illis gingivæ, Tonſillæ vlcerantur ante dentitionem, cur inflammari non poterunt? ſed in iis eſt valde lethalis ob copioſam fluxionem, quæ ſæpe iugulat, quid vero prohibet per aliquod tempus pueros pati hunc morbum antequam ſuffocentur?

Fiunt hi affectus ex acri lacte, ingluvie, cibis acrioribus & aliis inflammationum cauſis.

Si os aperiri poſſit cognoſcentur calore, rubore dolore, difficultas adeſt anhelandi & devorandi, & ſub maxilla tumor tactu viſuque intus animadvertitur.

Vitium eſt graviſſimum, quod in Anginam peripneumoniam verti poteſt; Alvi fluxus prodeſt.

Cura eadem quæ Anginæ, primo repellendum, dein reſolvendum, ſed pueris ſufficit os illinere *melle roſato*, *ſyr. granat. myrtill. dianucum*, Collum ungatur *ol. chamæm. hyper*, *amygd.* & aliis cap. ide Angina propoſitis. *Primiroſius.*

Admotio hirundinum iuxta venas iugulares, vbi ſ. m. permittit ætas, ſumme proficua; vt & in angina; quarum apertio in adultis ἡγεμονικὸν eſt præſidium.

De Febribus Infantium & Puerorum.

In Pueris etiam fiunt *Febres 3. aph. 25.* maxime cum iam *dentire* incipiunt, ob dolorem pungentem, ſpiritus & humores agitantem, vigilias, inflammationes, calore extraneo cognoſcuntur vna cum ſignis dentitionis.

Præcipue tamen febricitant ob *Lac* corruptum, vnde humores accenduntur; adſunt Lactis corrupti ſigna, ventris tormina, alvi dejectiones crebræ, flavæ vel virides, nulli dentes erumpunt, etſi interdum & lactis corruptio & dentitio ſimul coniungi poſſunt, quod ſæpe contingit.

Solent hæ febres eſſe periculoſæ ſi lactis gravis ſit corruptio & diu duret; minus autem ſi leviora ſint omnia, ſæpe vigiliæ alvi fluxus, dolores, inflammationes gingivarum, humores accendunt, & ſic graviter nocent, convulſiones accerſunt. Atque hæ febres *ſymptomaticæ* dici debent.

Sed præterea pueri obnoxij ſunt variis febribus *Primariis*, vt ſunt Quotidiana, quartana continua Intermittentes, omnis generis, ſicut & adulti atque ex iiſdem cauſis, Ideo proprie à quibuſdam non dicuntur morbi Pueriles. Sunt tamen, quando pueris contingunt, conſiderandæ: Nam Puerorum ætas non ſolum moderatur remedii vim & quantitatem, ſed præterea ſunt eorum corpora admodum calida, humida; ſanguine in venis, & in ſtomacho aliiſque partibus crudis humoribus plena, eorum habitus denſus & adſtrictus, vnde facile obſtruuntur, & libera tranſpiratione prohibita humores concluſi putreſcunt & accenduntur.

Dubitant quidam de *Febre quartana*, quomodo pueri illi ſubjiciantur, à quorum temperie adeo eſt aliena, cum fieri dicatur ab humore melancholico; frigido & ſicco; ſunt autem Pueri calidi & humidi? Sed ratione temperamenti partium ſolidarum inſiti Pueri non ſunt febri obnoxii. Sed humores in venis dominantes ſæpe temperamento partium non reſpondent, vnde cum pueri ſæpe craſſis cibis veſcantur & ſæpe ſine ordine nutriantur cruditates plurimas acervant, humoreſque craſſimos, quorum fæx eſt copioſa præterea non eſt ſemper neceſſe ab humore atro fieri Quartanam, cum ab omni humore craſſiore fieri poſſit; (*Quis humor quartanæ author, ex Neotericorum ſententia, vide lib. de Febr.*)

Sunt autem in pueris Febrium cauſæ, Externæ & Internæ. Inter externas primus eſt *Aer*, *Si hyems ſicca fuerit & borealis, ver auſtrinum & humidum, pueris æſtate fiunt Febres*, Ratio eſt, quia ob æſtatis ardorem qui ſuccedit veris humiditati diuturnæ facile humores putrent & inflammantur.

Secunda cauſa ſunt *cibi* immodici & pravi à quibus cruditates, obſtructiones putredines producuntur.

Tertia cauſa eſt immodica & intempeſtiva exercitatio nam omni tempore ſe exercent pueri, ſaturi, jeiuni, vnde cruditates & putredines acervantur humores accenduntur, febreſque fiunt.

Sunt autem Febres in pueris minus periculoſæ ob facultatum naturalium robur, vnde maxime reſiſtunt cauſis lædentibus: Id tantum periculi impendet, ne magnitudine febrium, aut difficultate curandi, ob puerorum moroſitatem, convertantur in hecticas, quibus maxime ſunt obnoxii.

Tempore Lactationis duplex cura inſtituenda eſt, vna nutrici debetur, altera puero.

Victus ratio ſit qualis febris natura poſtulat ſemper tamen à vino abſtineant, quod pueris noxium ob nervoſi generis imbecillitatem: Sic quoque *alterantia & purgantia* præſcribentur pro febris natura Nutrici igitur optima Diæta refrigerans, humectans lac emendans præſcribatur: Sed tamen notandum acidorum minimam dozin eſſe debere, ne nervoſum genus in pueris nimium tenteit quibus ſunt inimica.

Si *Lac corrumpitur*, refrigerantia ventriculo admoveantur, ex *oleo viol. cydon. maſtich.* cum pulvere

ſantali, aut *catapl. ex plantag.* contuſa cum *farina hordei* & ſimil.

Purgetur Nutrix idoneis pharmacis, Ipſis pueris ſi alvus ſit adſtricta blandiſſima purgantia ſunt danda blandi clyſteres ex *iuſculo*, pulli, *ſero lactis* cum *ſacch.*. Extra ſecus conveniunt Epithemata refrigerantia, hepati, renibus.

Si puer ſit adultior, maiora remedia perferre poteſt: De venæ ſectione dubium; Quamdiu lactant, ab ea abſtinendum, eſſe conſenſus eſt, quia inquit *Galenus* (qui ante xiv. annum non mittit) ſponte ſatis vacuantur, At experientia teſte, etiam ante hanc ætatem vtiliter ſecatur, Et ſi perferre morbum puer poteſt, maxime ſi à plenitudine ſit, quidni & remedium? Purgationem concedit *Gallenus*, quæ deterior eſt v. ſ. & maiores vires requirit ob purgantis medicamenti naturam aliquomodo naturæ noſtræ inimicam, mitto exemplum *Avenzoaris*; authoritatem *Celſi* An liceat pueris venam ſecare, vide ſupra in generalibus *Ex Primiroſio. p. 100.*

Febres Puerorum.

Cura à parente meo multoties in quadrimis pueris febricitantibus experta.

℞. Conſerv. nymph. roſar. ãã. ℥i. *ſ. b. p. manus chr. trochiſc. de camphora. diarrh.* ãã. ʒi. *Elect. de gemm. frig.* ℈iiij. *cum Iulepo roſar. f. miſtura*, Doſis eius avellanæ quantitas, ſæpius in die adminiſtrata. *Georgius Kufnerus.*

Febres Infantium.

Præter febres Lentas ſunt & aliæ variæ, aut continuis ardentibus ſimiles, aut periodicæ continuæ, aut catarrhales, ſimulesvè, familiares Infantibus, quarum rationem omnem ex *corruptione lactis interna*, aut ex *pororum cutis occluſione externa*, optime explicabimus: Præter acidam enim cruditatem, quam puls & lac in ſtomacho infantuli ſubeunt, & vnde eius febres frequentiſſime nunc lentæ nunc acutæ ſcaturiunt, etiam variæ aliæ omnino lactis ſunt depravationes, Sive in ventriculo ſub digeſtione, ſive in inteſtinis ſub huius digeſtionis perfectione & fæcum ſeparatione obveniant.

In ſpecie *cruditas nidoroſa* appellatur, dum flava copioſa eiiciuntur à tenellis, id quod neutiquam tali in caſu bilis tingentis eſt opificium, vnde enim tanta in fœtu iuniore bilis abundantia niſi infantulos fere omnes, primo ſui initio bilioſiores viris ſc. ipſis dicere velis; neque amareſcunt ſemper hæc ipſa, ſed dulceſcunt potius ſubinde; & avide à canibus amari omnis oſoribus, comeduntur; Lac potius, vitiata quacunque ratione digeſtione ventriculi, ſponte de facili citrineſcere ſufficienter declarat *Helmont* Tre *med. paſſ. dec. c. 3.* adeo vt huiuſmodi digeſtionis primæ multiplicia errata, ex alimentis, & huic affectibus nutricis, primario oriundæ, cum non corrigi poſſint in ſecunda digeſtione neceſſario ſanguineam craſin in tantum alterabunt, vt huius p. n. efferveſcentiæ febriles varia inevitabiliter ſuperveniant; id quod pariter in quibuslibet infantum, etiam ablactatorum febribus, tam lentis quam acutis obſervandum venit, quæ omnes fere pro cauſa interna errata digeſtionis primæ in ventriculo & inteſtinis, propter ordinariam eorum *ἀδηφαγίαν* agnoſcunt.

Et quidem eo citius ex enarratis occaſionibus febres accendentur, quo minus per cutis cribrum inſenſibiliter purificatur ſanguis, id quod vel defectus caloris ambientis, vel crebra linteaminum, non ſufficienter calefactorum mutatio, vel denique balneorum neglectus vius inducit: Calidi ſanè Balnei lotio, vt ſordes cutaneas infantis copioſas abſtergit & removet, ita & fibras retis cutanei laxando pororum apertioni & copioſiori tranſpirationi amplam occaſionem ſuggerit, cuius intermiſſio & poros conſtipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu, huic febrili fermentationi vberrimam ocaſionem ſuggerit. *Etmuller p. 32.*

Febrium Infantium Curatio.

Febrium varietas variam medendi methodum exigit *Intermittentes*, vt vt rariores, quocunque ætatis tempore affligant pueros, curat præmiſſis in ſpecie vomitoriis *ſpiritus ſalis armoniaci*, aut loco huius *ſal abſinthii fixum*, vel denique *ſalitolſaticum* dictum, alias *arcanum dupliſ. myſinchti.*

Continuas vero *lentas*, ex acido viſcido, hiſque cognatas *catarrhales*, ex lympha nimis acida, poſt laxativa & clyſmata, vix aliud remedii genus melius quam *ſpiritus ſalis armoniaci ſimplex* aut *aniſatus*, aut *liquor c. c. ſuccinatus* curabit vt in ſpecie poſteriores, ad quas etiam *Tinctura myrrha* ſalutaris exiſtit.

Quod ſi vero ablactati ſint; optime *liquor tartari* ſupra laudatur, item *ſal armon.* cum dimidio *ocul. 69.* ſæpius reiteratum, eas profligabit.

Continua ardentes, hiſque ſimiles, vt vt raro affligant tenellos, eos tamen vomitu inprimis præmiſſo, aut aliis vacuativis, profligant *antimon. diaphor.* & c. c. ſine igne, & cum eodem compoſitus *Pulvis febrilis Ludovici pharm. p. 280. & 282.* Quin & in potum ordinarium, quem præter lac ſubinde avide appetunt, in nodulo fuſum *ſtercus equinum*, vide quidem ſed nonniſi delicatis ſuperſtitioſe contemnendum eſt euporiſtica, Loco cuius tamen & *gelatina c. c.* tam infanti, quam in ſpecie etiam nutrici in potu ordinario frequenter propinetur, inſignis his in affectibus vſus: Alias ſi robuſtiores paulo extiterint, *nitrum antimoniatum* vti & *arcanum duplic. mynſichti* cum modo dictis exhibita ſunt egregie proficua; Quin & nihil impedit quo minus etiam *miſtura* blande *acidula*, pro compeſcendo æſtu ſitique moleſta propinantur; ſicut & *ſeri lactis*, cum *ſucco citri* acidulati potus eſt non ingratus,

Quod ſi *malignitas* coniuncta fuerit, præter modo enarrata etiam *emulſio* vbi de variolis, laudata, cum c. c. ſine igne diaphor. *terra ſigillata* & ſimilibus in ſpecie convenit. *miſtura* quoque cum *diaſcordio Fracaſt*: aut moderata *Theriaca* dozi imprægnatæ in paulo robuſtioribus tuto in vſum revocari poſſunt. *Etmuller p. 50.*

Ego complures infantulos febricitante à primo ſtatim paroxyſmo curavi hoc clyſmate, præſertim ſi febres fuerint æſtuantes & acutæ.

℞. Ol. roſar. violar. ãã. ℥i. *ſucci ſempervivi* ʒiij. *bulliant ad conſumptionem ſucci, adde croci.* ℈i. *f. vngu.* quo inungantur renes calefacti; & dorſi ſpina bis in die vel quater. *Faventinus Tr. de morb. puer. c. 18.*

Febris Lenta ab obſtructionibus.

Si febris Lenta ab obſtructionibus oriatur, qualis in pueris ſæpiſſime contingit, frequens Purgatio, eaque leviſſima per epicraſin humores educens, morbum auferre ſolet, ſi præſertim ex *Rhabarbaro* componatur, quod & obſtructiones aperit, & viſcera corroborat, Cuius elogium à *montano* celebratum *conſ. x. de Febribus* hic tranſcribi meretur, Ille curam proponens pueri, febre lenta ex obſtructionibus laborantis,

Inter reliqua inquit, *quod ſemper certa fide à me longo experimento probatum eſt, laudo vt ſingulis diebus ſumat infuſionem rhabarb.. in aqua Endiviæ: Nunquam enim vidi febrem ex obſtructione hoc remedio non eſſe ſublatam. ſi modo pertinaciter quippiam in eius vſu perſeveraverit: Quandoque enim craſſiſſimos*

humores

humores impactos, *& obſtructiones quæ ob caloris imbecillitatem facile tolli non poterant, ex rhabarbari aſſumptione curatas vidi; Conſuevi igitur accipere* libram aquæ endiviæ in *qua* ʒi. rhabarb. *infundo, in panno linteo involutam: deinde ſingulis diebus* ℥iv. *illius infuſionis facta aliqua expreſſione, accipi jubeo circa auroram, neque deſiſto ab hac Potione priuſquam video omnino & febrem & obſtructiones fuiſſe ſublatas: auferuntur enim procul dubio, ſi reliqua recte fiant & curationi conſentiant.*

Apud nos autem in communi uſu eſt *Bochetum Rhabarbari*, quod hujuſmodi pueris febre lenta laborantibus feliciter exhibemus pro Potu ordinario, Et fit *rhabarb.* ʒß. *vel* ʒi. prout (puer ægrius vel facilius ejus ſaporem ferre poteſt) craſſiuſcule tritam & nodulo incluſam infundendo in *aquæ fontis* ℔ij. vel iij. frigide per diem integrum, Ejuſque uſus continuatur per menſem aut diutius, ſi morbi contumacia id poſtulet: Eique interdum, ſi febris admodum remiſſa ſit, & corpus pituitoſum, aliquid vini additur ad ingratum *Rhabarbari* ſaporem corrigendum. *Riverius.*

Febris lenta.

Naſcuntur nonnullæ *febres Lentæ* in Infantibus, quas vulgus vocat Hecticas, ſed falſo, ablactationis tempore, & morbillis laborantibus frequenter, ob ordinarii potus ſubtractionem, omnem alium potum reſpuentibus, ex defectu humidi refrigerantis, & hinc intemperie hepatis calida ſimplici, aut cum duritie & tumore ſcirrhoſo, conjuncta, nata. *Platerus.*

Si *mucus* minus viſcidus, crudus tamen & vitioſo acore, vel ſaltem acri ſalſo ſapore inquinatus diſtribuatur, pro ſanguine augmentando & corpore nutriendo, neceſſario exinde depravatur maſſæ ſanguineæ craſis, vitiaturque inſigniter ſanguificatio, & oritur præternaturalis ejus efferveſcentia, unde febres variæ, in ſpecie *Lentæ*, ſub veſperam præcipue exacerbantes ſuperveniunt. *Etmuller valet. Inf. c. 2. §. 25.*

Febris lenta cum cachexia.

Huc refer *Cachexiam, febre lenta* comitatam, in qua valet *Pulvis meus cachecticus*, qui ob felices ſucceſſus uſualis factus eſt in noſtris Officinis.

℞. *Rad. & ſemin. pæon. excort.* āā. ʒi. *flor. roſ. rubr.* ʒß. *nucis moſch. parum toſtæ* ℈ij. *bacc. lauri parum toſt.* ʒß. *ſpic. ſchœnant. croci*, āā. ℈i. *pellicul. ventric. & inteſtin. gallinar. præp.* ʒi. *croci martis aper.* ʒiß. *cinnam. acerr.* ℈i. f. Pulvis tenuiſſimus. *Platerus.*

Febres æſtivæ Puerorum.

Menſe Julio, Auguſto & Septembri magnus infantium lactantium numerus moritur, quos noſtrates mulierculæ vermibus laborare aſſerunt, Ego vero mortem provenire ab acriuſculo nutricum lacte, quo inflammatur ventriculus, Nam frigus extremorum adeſt, ſitis inexplebilis, anxietas ingens, nauſea, vomitus, diarrhœa, ut teſtis ſum. Quare vena ſecanda eſt, Poſtea regioni ventriculi admovendum ſequens Cataplaſma.

℞. *Farinæ hordei* ℔i. *micæ panis* ℥iv. *coqu. leviter in lacte caprillo, adde ſucci ſolani* ℥i. *ol. roſac. q. ſ. miſce f. Catapl.* ad dolorem inflammatorium leniendum.

Debemus etiam nutricem mutare, & *mucilagin. ſem. pſyllii* cum *ſacch. pauco roſato* exhibere ægro ex cochleari: Juſcula pullorum *portulaca*, *acetoſa* aut *lactuca* alteranda: Item animalium per dorſum divi-ſorum admotione calorem furentem foras allicere, *Petrus Pachequus Obſerv. 56.*

Variolæ.

Morbillorum, & in ſpecie Variolarum abſtruſa eſt natura, cum harum, qua talium, fiendi modus & effectus in quamplurimis conſpirent (*cruſta lactea, Tinea &c.*) Torquet inprimis Philiatros inevitabilis fere harum inſultus: Ex menſtrui ſanguinis reliquiis multi cum Arabibus earum radicem derivant, alii ex repetita poſt ſemel factam conceptionem venerea libidine, Neutrum mihi ſatisfacere videtur.

Quin potius ſi certo ſtatuendum eſt, quod aliquod nobis quaſi implantatum habeant principium, ratione cujus nemo fere eaſdem effugere queat, earum radicem ex *corruptela lactis nutritivi*, tam in, quam extra uterum, & vitioſo viſcido acore, tenellos inde inquinante derivarem, exinde enim, & frequentiſſime ſaltem infantes & pueros, rariſſime demum adultos affligere ſolent, Qui vitioſus acor aliquandiu occultatus, tandem occaſione data, in ſpecie excitata maſſa ſanguinea per fermentum ſimile extrinſecus inſpiratum vel hauſtum, pernicioſas febriles efferveſcentias excitat, concurrente acido fermentativo viſcido, cum ſale volatili maſſæ ſanguineæ, donec præcipitato & ſubjugato acido iſto vitioſo, & ſero involuto, critica ſanguinis purgatione hinc inde per vaſa capillaria, in ſpecie beneficio glandularum intercutanearum miliarium excernatur, & ſub cuticula, hærendo ſucceſſive in puſtulas coacervatur, quarum contentus ſalſacidus & ſuccus efferveſcendo ulterius miteſcat, donec in pus perfectum abeat, quod cum cuticula eroſa tandem in cruſtam duram & craſſam condenſetur; erodente interea ſub hac ipſa acido cutim ſubjectam in foveas plus minus, prout magis vel minus efferveſcentia, febrili temperatum fuerit, unde & ulcera ſubinde pernicioſa & cacœthica ex variolarum puſtulis, tam in partibus externis quam internis, in ſpecie in tenera veſiculoſa pulmonum ſubſtantia oboriuntur, pro conditione acidi plus minus virulenti varia, quod ipſum in dictis variolis oſſa non raro arrodere & corrumpere ſolet, id quod expertus teſtatur *Paræus*: ob id & convulſivi motus, & epilepſiæ inſultus præcedunt eruptionem, mordicante acido vitioſo nervos, & ad criſpaturas eorum fibras, & hinc inordinatos ac impetuoſos motus ſpiritus animales irritante, Unde & *myrrha*, acidum iſtud vitioſum mire temperans, non minus quam *caſtoreum* & *ſalia volatilia* iſtud per ſudorem eliminans, & *antimonium fixum, ebur* ſeu *unicornu foſſile* iſtud abſorbens pro harum medela utramque faciunt paginam.

Non rejicio hoc ipſo *vermiculorum* exercitum, in ſingulis puſtulis acervatim graſſantem, cum nullum pus abſque horum pullulante ſegete reperiatur, ſed hos tanquam effectus, ſponte ex ordine morboſarum cauſarum in pure ſupervenientes tranſmitto.

Nec ſcrupulum injiciat, aut tardior earum in corpore inſultus, aut repetitus earum acceſſus, Nam diutius fermenta morboſa in corpore deliteſcere poſſunt, donec ſub ſua dierum maturitate tandem evigilent, id quod ex hæreditariis non tantum affectibus, ſed etiam ex canis rabidi ſalivali fermento, ex febrium petechialium ad aliquot hebdomadas interdum latente contagio, ex luis venereæ diutius connivente ſeminio &c. patet. Unde & infantes qui ſub nutritione ſani erant & vegeti, poſt ablactationem ſubinde cutanea contrahunt vitia, achores & ſimilia, dum vitia lactis per conſuetudinem ſub lactatione quaſi appropriata naturæ, citra nocumentum adſunt, quæ mutata diæta per efferveſcentiæ motum in muſteo ſanguine ſeparata, & inſtar fæcum præcipitata, hinc inde per ſanguinis circulum, ſub cute defiguntur, & ibidem coacervata ſuas morboſas ludunt

tragœdias, redeunte, ſubinde pertinaciter, quamdiu tantillum miaſmatis morboſi, aut ſeminii fermentativi, nunc ſub ſanguinis velamento, nunc ſub epidermidis tegumento latuerit: quod ex materia conveniente data occaſione ſe multiplicat, & malum renovat; quæ ipſa de Varioliſ & morbillis pariter aſſerenda videntur. *Etmuller Val. Inſ. p. 27.*

De Variolis Collectanea.

Acidum in Variolis primario peccare, juxta *Sylvium* probant 1. Puſtulæ, pruritus, pus, cruſta à cuticula ab acido eroſa, oſſa eroſa, & ulcera depaſcentia ab Acido in variolis; Item quod mulieres lactantes pueros Variolis obſeſſos, ulcera in mammis reportent: 2. Juvantia *alkalina*, præſertim *volatilia* ſine quibus raro curantur Variolæ.

Acidum hoc ſub fermentatione *maſſam ſanguineam & lympham* corrumpit, ut ſubinde univerſum corpus una quaſi cruſta obducatur.

Lympham vero potiſſimum inquinari patet ex Tuſſi, affectibus oculorum, ab acrimonia lymphæ faucium, & oris vitiis, lui venereæ fere communibus.

Cauſa remota, aer auſtrinus fracidus, unde ſal ejus nitroſum hebetatur, potiſſimum vero *contagium*, Mater gravida aſſidens Variolis correpto, infantem Variolis obſeſſum enixa eſt, ceu refert *Mauriceau* (Simile exemplum vidi ante xl. annos in uxore *Conſulis Genevenſis Nobiliſſ. Dom. Picteti.*

Cephalalgia eſt ex ſanguinis orgaſmo, *Sitis, vomitus, anxietas, alvi fluxus ſpumoſus* ex bile, ob admixtum ipſis fermentum acidum variolarum, turgeſcente & ad ſtomachum regurgitante: In ſpecie *diarrhœa* inſignem arguit humorum corruptionem, & in ſtatu ſuperveniens plerumque lethalis.

Epilepſia oritur à vellicatione nervorum, à fermento acri ante eruptionem, & ſub ea non adeo formidabilis: poſt eruptionem peſſima; innuit excluſionem minus ſufficientem.

Hæmorrhagia ante eruptionem fit ab apertione vaſorum capillarium ex ſanguine turgeſcente, eſtque bona, ſi continua.

Mictio ſanguinis & *Dejectiones cruentæ* quandoque in ſtatu, ſeparatione jam facta, ſuperveniunt, ob eroſionem ulcerum & membranarum, quæ non raro gangræna corripiuntur.

Curam ſequenti ordine hactenus inſtitui, Vocatus in principio 1. vel 2. die, quando incipiebant ægrotare, dedi *Mercur. dulcem* cum *conſerva roſ.* in forma boli, pro bimulo *gr.* ij. & ſic conſequenter, qui modo per alvum, modo per vomitum, ſæpe etiam nihil operatus fuit.

Sin vero ſtatim cum proſtratione virium & jactigatione ingruerent, dedi *pulverem epilepticum cinnabar. cum euphoria.*

Si ſymptomata circa primas vias, tenſio abdominis, murmura, &c. urgerent, blandum clyſma ex *decocto avenæ*, vel lacte cum melle injicio.

Prætetlapſo principio ad *alixipharmaca* cum *alkalinis* acceſſi v. g.

℞. *C. c. ſine igne* ℈i. *myrrhæ gr.* vj. *theriacæ gr.* ij. miſce pro ij. dozibus, vel.

℞. *C. c. ſine igne*, ℈i. *myrrhæ gr.* iv. *ſal. volat. c. c. gr.* iv. *m. ſ. pro* ij. *dozibus.*

Dentur in incremento morbi, ſecunda vel tertia die dum æſtus urget ante eruptionem, quibus inſiſtendum quoque erumpentibus Variolis, Vel promovenda excretio per Emulſionem ex *ſeminibus expellentibus* cum *myrrha* & *unicornu foſſili.*

Dum jam attollebantur præſcripſi.

℞. *Tinctura tartari* ℥i. *eſſentiæ myrrhæ cum ſpiritu ſalis armon. vinoſi, facti* ℥i. *M.* Detur ter quater, die & nocte ad gtt. xv. 20. 25. pro ratione circumſtantiarum.

In *declinatione*, cum plene eſſent in ſuppuratione, *pulv. lap.* 69. cum tantillo *Mercurii* ſuppurationem promovi, & reliqua ſymptomata ſuſtuli.

Cum *cruſtæ* decidunt, poſt duas vel tres ſeptimanas à primo morbi inſultu, pro interna mundificatione, iterum purgavi cum *Mercurio dulci*, *addito gr.* j. *vel* iß. ij. vel iij. *Jalap.* pro ſtimulo in *conſerva roſar.*

Symptomatibus ſequenti modo itum.

Vomitus in principio compeſcere nolui, ſi vero urgerent, *theriaca opt. vel gr.* j. *vel gr.* iß. *laudani op.* aliquoties datum, Vel *liquor c. c. ſuccinat. gr.* iij. *ad gr.* vj. in potu.

Epilepſia ſi in principio vel incremento ingruat, interne *liquor c. c. ſuccinatus*, vel *pulvis cinnab. epilepticus.*

Externe, ſi ſimul dolor tenſivus abdominis adſit, *balſamus ex oleo ſuccini* ℈i. *ſpir. gtt. v. cum nuc. moſch. expr.* regioni umbilicali, & ſcrobiculo cordis aliquoties illiniri juſſi.

Diarrhœa in incremento & ſtatu ſæpe funeſta, occaſione potus nimii vel frigidioris, potiſſimum ſi excreta ſpumoſa & murmura abdominis conjuncta itaque.

℞. *Terra ſigill. minutim pulver.* ℥i. infundatur potui ordinario.

Opiata caute danda ne excluſionem remoretur.

Viribus proſtratis.

℞. *Tinctur. corallor. cum ſpir. cordis cervi*, vel *aquatypher. c. c. cum vino.*

Si à ſudore nimio, *panis ſimilagineus vino* generoſo intinctus ſumatur.

Ad *præſervandos oculos*, ne vel globum, vel palpebras obſideant variolæ, mater aut mulier ſana maſticet *allium* jejuno ſtomacho, & halitum oculis crebrius inſpiret. Vel inſtilletur oculis *ſuccus rutæ*: *Si palpebra* obſeſſæ decoctum *malvæ & meliloti* cum linteis calide applicetur. *Si viſus hebetudo* à variolis ſuperſit, veſicatoriis in nucha; pone aures aliiſque appropriatis curanda.

Tuſſis & *pectoris* affectus, *ſyrupo ſcabioſ. heder. terr.* cum *ſpir ſalis armon. aniſati curantur.*

Plerique Variolis defuncti *ſuffocatione* intereunt, unde frequens reſpiratio anheloſa, ſtertor &c. malum.

Si *loquela perdatur* vitio nervorum linguæ, præter volatilia antiparalytica, curatur *eſſentia caſtorei*, linguâ circa frænum crebrius affricata.

Denique ſæpe *poſt variolas morbi chronici*, *ulcera*, vel alia ſymptomata relinquuntur, curanda per *ſalivationem* vel *mercurio dulci*. Etmuller *Colleg. conſult. Caſu* xxiv.

De Variolis vide plura *lib. de Febribus.*

Si exanthemata apparentia κρίνοντα ſunt, id eſt, ſi febris aliquam afferunt imminutionem, quieſcere medicos oportet: ſi κρίσιμα ſunt & apparent ἀνάξιος τῆς ἐκβολῆς, id eſt, non eſt digna excretio ea quæ fit ad circumferentiam corporis, quandoquidem natura ἐκβάλλει, id eſt, rejicit in habitum corporis, tunc naturam juvabis: juvabis aut medicamento in cutem pellente, aut medicamento eccoprotico aut phlebotomia: ſi enim febris magna eſt, & non ſeſe frangit ac miteſcit aliquantula ea excretione, καὶ τῇ ἐκβολῇ, ad phebotomiam veniendum eſt, *annot. 11. Ballonius Hiſt. 5. l. 2.*

Cave ne decipiaris quoad febrem, nam aliquando augetur febris, ſed id fit ratione ſuppuratæ materiei exanthemata facientis, aut ratione ipſius conatus, aut ratione impeditæ difflationis: aliquando ita continua ſunt exanthemata, ut videantur corpus incruſtare, & tunc impeditur difflatio; Et quod diximus tempore ipſius conatus febrem videri auctiorem, illud vulgò obſervatur, etiam in ſudoribus, pulſus enim elevatur & citatur, natura velut ſeſe ad munus commemorabile accingente: Et quod fit in ſudoris excre-

excretione, idem fit in exanthematis, ideo diligenter attendes ne decipiare. Item an fiat ſuppurati ratione, dum enim pus fit, dolor fit, & febris augetur, *Ibidem* Cùm morbillis vagantibus febres ingraveſcunt, unum animadvertendum, an febris urgeat ob morbillorum ſuppurationem, an aliunde proveniat: ſi primum, à medicamento abſtineto, ſecus medicamentum juvat, nam in exanthematis locus eſt cathartico, *Idem Epid. lib. 1. pag. 27.*

In Rubiolis & rubentibus puſtulis, ubi potius quantitate res peccat quàm qualitate, & ſanguinis fervor eſt, pulſus altus, magnus, plenus & frequens eſt, tunc phlebotomiæ locus eſt: ſed cum vitium potius eſt in qualitate, demiſſus, languidiuſculus, & frequentiſſimus eſt pulſus; quod notandum, *hiſt. 5. lib. 2.*

Itaque in ejuſmodi eruptionibus cautos eſſe oportet; ſi ante febrem appareant, continere ſe lecto oportet, ut ἀναφόρητον fiat corpus, & nil movere, niſi fortè blandum enema ſubjiciatur: interea ſi quæ urgent ſymptomata, ut vomitiones, tuſſis & oculorum dolores, ea lenienda ſunt, *Ibidem.*

An commodè præſcribi poſſunt medicamenta antequam morbilli ſeſe prodant? an illa impediunt motum naturæ? imò inopinatò venam ſecuimus, & medicamentum purgans dedimus, quibus die ſequenti, aut poſtridie, apparerent variolæ, & melius multo habuerunt quàm quibus non auſi fuimus idem exhiberei ſic parùm probabile quod dicitur minus affatim erumpere papulas ſi corpus ante purgaveris, *Ballonius Epid. lib. 1. pag. 36.* Cuidam ſumma difficultas deglutiendi (quæ erat tantùm morbillorum latentium ſoboles, nos autem nil tale ſuſpicabamur) inſignis febris, eluimus alvum clyſmate, venam metu ſynanches ſecuimus, ſequenti die exanthemata apparent; & brevi tamen convaluit, *Epid. lib. 1. pag. 37.* In ſævitia ſymptomatum, quæ erant prænuntia exanthematum, (ſed hoc ignorabamus) medicamenta & phlebotomiam tentavimus; cùm ea eruptio præſto adeſſet, & tamen innocuum utrumque remedium: ut jam ſit animale credere nil in exanthematis tentandum: imò ex tribus pueris exanthemata paſſis, qui purgatus eſt, leviùs habuit cùm ſervæ cuidam exanthemata, eaque denſiſſima, apparuiſſent, necnon lingua intumuiſſet, flagrante etiam malo ſecta eſt vena, copioſus detractus ſanguis; & hoc innocuum fuit: *Epid. lib. 2. pag. 141.* Imò dato medicamento (niſi fortè validius fuerit) & aperta venâ, eruptio citatur & accerſitur: quidam primarius medicus affirmat ſe ſine ullo damno cuidam famulæ, jam apparentibus puſtulis larga copia, venam aperuiſſe, ſanguinemque plena manu detraxiſſe, cùm ſuffocationis eſſet periculum, cur non idem in cæteris factitari poterit; præſertim ſi quid ſit quod urgeat? Pulſus id teſtabitur, qui ſi parvus & frequens, cunctantiùs id fiet: ſi plenus, altus & magnus, audaciùs: Nec imbecillitate pulſus terreri oportet, ſi ea ab oppreſſione fit: ſæpe enim tanta eſt oppreſſio, & ob plenitudinem conculcatio, ut ſeſe pulſus non explicet: *Hiſtor. 5. lib. 2.*

Dum urgent dolores in variolis & oboriuntur tumores, ſi illorum ratione in ſolis anodynis conſiſtas, opera fortaſſis luderur: ſi dum tumet pars, ad ſuppurantia feſtines, corruptionis metus major erit: videtur id conſilii ſequendum quod aliquando eadem in mali ſpecie medici ſequuti ſunt: etenim dum quædam tempeſtas ſæviret puſtularum & eruptionum ferinarum ferax, oborti ſunt tumores & dolores in variolis, quæ pueros necabant corruptis partibus ſolidis: itaque in eam ſententiam itum eſt, ut emplaſtrum de vigo cum mercurio applicaretur; aliis levis litus ex Hydrargiro fieret: mirum in modum id remedii profuit, id quod negligi non debet, ne tam facilis & ad manum parati remedii contemptus, calamitatem ægris afferre videatur. *Ballonius Epid. lib. 2. pag. 265.*

Filio N. Dyſpnoea erat & audiebatur ſtrepitus magnus cum raucedine: id ad crudum ſuccum referebatur, aut ad flatum malignum in Pulmone excitatum, at adventantis Rubiolæ id fuit indicium: *Ballonius Epid. lib. pag. 200.*

Cap. XL.

De Morbis Infimi Ventris.

Morbi infimi ventris in pueris, ſunt.

I. [1] *Vomitus*, qui ſi.

[2] A *Copia lactis* procedat, ſubtrahendum eſt.

Si [3] à *Lactis corruptione*, [4] id quod vomitu ejicitur, attendendum eſt.

In [5] curatione [6] prodeſt *mel roſatum ſolutivum*, intus datum; [7] extra, ventriculus *oleo menthæ* vel *abſinthii* inungendus.

Si à *vermibus*, ad eos curatio obvertenda:

I. *Vomitus.*

[1] *Vomitus*) Sæpe accidunt infantibus Vomitus, Anorexia, Nauſea, *Singultus*, *Cardialgia*, *Ructus*, *Præcordiorum & Hypochondriorum inflatio*, quibus ſic medendum. *Vomitus*, præſertim lactis coagulati, *Ructus*, *Nauſea*, *Singultus*, *Cardialgia*, non raro infantes male afficiunt; *Ructus* pendent à *flatibus* tum *blandis*, tum *acribus & acidis*, tum *viſcoſis*, tum facile diſſolubilibus, *viſcoſitas* patet ex difficili & laborioſa eruptione, cum forti ſonitu tandem facta; *Acrimonia* & aciditas, ſeſe manifeſtat naribus adſtantium, id quod non ſemel ſum expertus; *Nauſea* pendet magis ab humorum, halituumve volatilitate, quam acrimonia, ſicut *Cardialgia* magis ab acrimonia quàm volatilitate: Irritatur in *nauſea* ventriculus, ſed ut plurimum abſq; dolore comite, qui tamen adeſſe poteſt, ſicut non raro Nauſeæ comes eſt Cardialgia.

Cauſa utriuſque petenda eſt, ſicut & *Singultus*, à rebus aſſumptis, & à tenui inteſtino ad ventriculum aſſurgentibus: Nec Nauſea duntaxat vexantur ſæpe Infantes, quin *Vomitu* ſimul laborant haud infrequenter, qui non tam aſſumptis debetur quam humoribus vitioſis in corpore exiſtentibus, atque ad tenue inteſtinum delatis.

Ab *aſſumptis* rarius pendet, quia ipſis alimenta dari ſolent blanda, non item noxia: Ab humoribus vitioſis, *ſucco pancreatico*, puta & *bile*, ad tenue inteſtinum confluentibus ſolet plerumque produci, quoties ipſi *Acres* ſunt, ac inprimis volatiles quoque,

nam reſpectu acrimoniæ vitioſæ, acrius & potentius efferveſcunt, Inteſtina acrius mordent, & ad motum periſtalticum invertendum potentius cogunt, unde in ventriculum relata, eundem ad nauſeam, hinc & vomitum cogunt, Reſpectu *volatilitatis* ſuæ facilius ſurſum feruntur, potentiusque Nauſeam, hinc & vomitum cient,

Ructuum Curatio cum ipſi à *flatibus* & acribus & viſcoſis pendeant, eadem erit quæ Flatuum propoſita. *Flatuum* ſcil. materia, *pituita*, tum *viſcoſa*, tum *acida*, corrigenda erit, alterandaque iicidentibus ac temperantibus; eademque alterata & correcta, ſi quantitate nimia ſimul peccaverit, minuenda per phlegmagoga.

Eorundem *cauſa efficiens*, *Bilis*, acrior ubi exiſtit, temperanda ſimiliter ac redundans per cholagoga minuenda: denique *Flatus* ipſi per carminantia diſcutiendi.

In *Singultus curatione* eadem pene convenient, poſtquam ipſe ab *humoribus*, *halitibusve* aut *flatibus*, tam acribus quam viſcoſis ortum habet; conſiſtet proinde Curatio ipſius in eorum acrimoniæ, viſcoſitatiſque alteratione, ut & alteratorum eductione: Inter alia obſervavi *mentham*, ejuſque aquam, imprimis conducere curando Singultui.

Cardialgia, cum pendeat ab iiſdem acrimonia peccantibus, & orificium ſuperius vellicantibus, *curatio* perficietur, ſi humorum halituum, flatuum, acrimonia temperetur, humores temperati deorſum ferantur, ſi ſimul peccant quantitate aucta: Alterantibus autem commode adduntur narcotica, quippe quæ non tantum dolores ſedant, verum humorum quoque halituum ac flatuum acrimoniam temperant.

Nauſeæ & vomitus curatio non multum abſimilis, Sed conveniunt inſuper quæ humorum notatorum volatilitatem figere ſunt apta, & imprimis à *Nitro* petenda, ubi maxime convenit ipſius ſpiritus, ſed dulcis factus, qui blandior redditus exhibetur infantibus ſecurius ac tutius: Ab eodem Nitro ſiſtitur ac compeſcitur ex parte vitioſa confluentium ad tenue inteſtinum humorum efferveſcentia: Idem promovet opium, & quicquid ex ipſo parari ſolet. *Sylvius App. tr. 1. capite 5.*

1. *Vomitus*) Pueris ſæpe contingit, *3. aph. 24.* atque vel pituitam vacuant, vel lac, quod interdum ſtatim revomunt, etiamſi multum non ſuxerint, unde in atrophiam incidunt, vel vomunt tantum quando copioſius aſſumpſerunt, quam ventriculus ferre poſſit, & id ſolum vomunt quod gravat, reliquum retinent & concoquunt, & inde non ægrotant, ſed alacriores fiunt, nam illis ventriculus validus eſt, ſola copia lactis eſt in vitio. *Primiroſius.*

2. *Qui ſi à copia lactis, &c. Vermibus*) Sed & *Pituitæ* vacuatio ſæpius contingit circa tempus dentitionis; alias fit ex ventriculi laxitate & imbecillitate, aut ex defluxione tenuis pituitæ, unde pueri contabeſcunt. *Primiroſius.*

2. *Qui ſi à copia*) Si copioſius tenaciorque grumus ſtomacho incumbat, cui per pylorum tranſitus negetur, non poteſt non exinde *Appetitus dejici*, & activitate fermenti digeſtivi à lacte vel copioſiore vel coagulato obruta, horror mammæ acrior cum abſoluta *apepſia*, Cum quotidie obſervemus, iſtud quod ſemel ſtomachum læſerit, ceu hoſtile, diu poſtmodum ab eodem averſari.

Quod ſi gravius exinde oneretur ſtomachus, vel obſtruatur omnino Pylorus, de quo vide *Hæferum H. M. pagin. 144. Hildanum cap. 6. obſ. 34.* & irritetur quoque, hujus convulſiva contractio, quam *Vomitus* conſequitur, ſupervenit, tenella corpuſcula inſigniter quidem lædens, ſalubris tamen, quatenus iſta excrementa removet & graviorum malorum jamjam imminentium eſt Medicus; Finge enim hærere talia diutius in ventriculi burſa, facile ex acore fermentativo paſtæ inſtar farinaceæ intumeſcent, & impetuoſo flatuum proventu *intumeſcentium præcordiorum*; hæc diaphragmatis impedito motu *difficilem reſpirationem*, & ex horum flatuum in ſiniſtrum orificium impetus hujuſque pertinaci ſtrictura, *præcordiorum anxietates, inquietudines*, inde, ſomni impedimenta, *Vigilias* inferunt; Eadem eſt origo *Hypochondriorum inflationis*, & totius *abdominis tympanitica diſtenſionis*, nam loco ſaltem differunt à priori, paſta nempe acida viſcida, vitioſo acore fermentata, concurrente ſimul alkalino bilis ſtimulo, Gas tale flatuoſum eructat; ſcilicet farinacea puls cruda, aceſcentiam neceſſario ſubit in ſtomacho, unde cum lacte ſemicoagulato turgeſcentia fermentativa, flatuumque & modo dictorum ſymptomatum in & circa hypochondria & epigaſtria fertilis proventus. Cogitemus adultorum hypochondriacum affectum, & in eodem flatuum & borborygmorum impetus, ex acido viſcido digeſtionis primæ relicto p. n. oriundos, & ſimile fere in infantibus uſu venire perſpiciemus, cum ſufficienter *Helmont Tr. de Flat.* horum originem ex acido, ſtomachali, non tamen fermentativo ordinario demonſtraverit. *Etmuller p. 23.*

2. *Qui ſi à copia*) Peculiaris cauſæ meminit *Fabritius Hild. fol. 541.* Videlicet obſtructionis, & quidem inferioris oris ventriculi, quam ſequitur hujus everſio: Quando nimirum pueris ad nauſeam uſque puls ex tritico & lacte, inſtar viſcoſi glutinis cocta digito nutricis violenter intruditur: hæc deinde non contenta hæret, & glutinat quaſi ac claudit pylorum, ut reliqua ingeſta infans evomat, per alvum autem nihil excernat; Affectus ut per ſe rarus, ita dignotione difficilis: Satius eſt ut nutrices cochleare adhibeant; ubi cibare volunt infantem.

Curatur talis pylori obſtructio clyſteribus nutrientibus bis in die injectis, foris ungu. & ſacculis emollientibus adhibitis: *Mulieres Bavaricæ* ventriculi everſionem curant adhibita cucurbitula, non ad ventriculum, ſed ad umbilicum; credunt enim vomitum continuum provenire ab umbilico inverſo & loco moto, & ſic vomitum curant; forte ſic adhærentem pyloro viſcoſam materiam ſimul ad inteſtina trahendo. *W. Hoeferus Herc. Med. l. 7. c. ult.*

3. *Si à lactis corruptione*) Si lac diutius detineatur, nec concoquatur, tenue eſt ac frigidum; Si ſtatim excernatur; ventriculus laxus eſt; Sed præterea conjungenda eſt lactis corruptio, quæ in pueris frequens eſt, & ſæpe cum ejuſmodi vomitu ventres conjunguntur: Fit igitur ſi ventriculum habeant debilem, humidum, laxum, ſive natura, ſive ob humoris fluxionem ſive phlegmaticus ſit, ſive bilioſus: Si à lactis ſumptione inquietus eſt, anxius, nec dormire poteſt, niſi lacte excreto, lac in illo corrumpi probabile eſt.

Addendum eſt, ſi lac nutricis vitioſum ſit, illud puer libenter non aſſumit, ſed renuit, Si vero libenter illud aſſumat, ventriculi vitium eſt; nam Vomitus vel ob lactis vitium, vel imbecillitatem ventriculi contingit. *Primiroſius.*

4. *Id quod vomitu ejicitur attendendum*) Si dejectiones ſint virides, ſignum eſt frigiditatis ſtomachi, citrinæ aut nigræ ſignum ſunt caloris. *Primiroſius.*

5. *In curatione prodeſt*) Si vomitus turbet infantes, iſque per eſſentiam, ut vocant, fuerit, ſinendus eſt donec mucus vitioſus, aut acris latex evacuatus fuerit, Et cum moderato lactis uſu interim pulv. ex *nuc. moſch, corall. & caryophyllis* paucis propinandus, & ſubinde repetendus, Vel temperatior *cinnam. aq. ſpirit.* infundenda, *Theriaces* etiam *externus* pariter ac *internus uſus* in mi-

in minuta dozi non negligendus, idque etiamſi per conſenſum fuerit: Quod ſi ablactati fuerint infantes, non immeritò *decoctum caryophyll.* ℥ß.& *maſtich.* ℈ii. in vino commendat *Joel.* Externe *fruſtulum panis vino malvat. ebrium* ſtomacho imponendum, Vel aliquot *guttis ol. deſt. macis ol. nuciſtæ expreſſi* exceptis ſtomachalis regio inungenda.

Quod ſi variegata, multiformia, vomitu rejiciantur excrementa, cum talia non abſque perverſo regurgantionis motu ex ſuperioribus inteſtinis in ventriculum veniant, clyſmatum uſus non negligendus, perverſum inteſtinorum motum periſtalticum irritando inferiora verſus corrigens, & ita violentiam vomitus cohibens? Sed ut ſupra monui, non eſt citò nimis cohibendus vomitus, inprimis quando nauſea urget, aut ſtertor anhelando auditur. *Etmuller p. 43.*

Rhazes in principio Lactis copiam prohibet; & ſi odor acidus percipiatur, & pituita vacuetur, præcedat levis purgatio, ſuccedat ſtomachi roboratio; Vel lac emendandum, vel, quod tutius eſt Nutrix mutanda, Valet *conſerva roſar.* cum lacte; & *ſaccharo aut melle*, Rhazes præſcribit *thus* cum *ruta, ſyrup. granatorum* cum *mentha* (*vel detur ſyr. de mentha qui in compoſitione admittit ſuccum granatorum*) Si addatur granum unum *galliæ moſch.* optimum erit.

℞. *Ligni aloes, maſtich.* āā. ℈i. *galliæ moſch. gr.* ij. *cum lacte aut ſyr. cydoniorum* exhibe, exſiccat, calefacit, roborat.

Si vomitio infantium ex pituita ſit, aut lacte vel frigida cauſa, ori illinatur *ſyr. è mentha*, cui pauxillum *thuris, maſtiches* & *caryophyll* ſit admixtum, Vel.

℞. *Corall. r. prep maſtich.* āā. ℈ß. m. da ℈ß. *cum lacte* aut vino: Naribus ſubinde lamina panis toſti, aceto irrigati, admoveatur. Ubi vomitio biliosa exiſtat, & adjuncta ſit caliditas p. n. detur ſyr. *ex omphacio* aut *diacydon.* ſimplex ex *ſucco* & *ſacchar o* paratum, aut ſyr. *granat.* ori crebro illinatur, quibus admiſceri poteſt Pulvis *troch. de berberis.*

In omni autem vomitione ſiſtenda, nullum eſt præſentius remedium quam ſi *caryoph.* ℥ß. & *gran. maſtich.* ℈ii. ſimul conciſa in *vini rubri* ℥vi. ebulliant, & ejus liquoris cochlear infanti præbeatur; Ac ſi calor præternat. abſit, ol. *ſtillat. caryophyll. gtt.* ij. cum pauxillo vini exhibeantur. *Fr. Ioel.*

6. *Prodeſt mel roſatum*) Purgare oportet *ſyr. roſar. de cichor. cum rheo aut infuſione rhabarb.* Primiroſius.

7. *Extra Ventriculus*) Extrinſecus fiat Vngu. ex *oleo cydon. myrtino, roſac. maſtich. abſinth. de ſpica, mentina*, cum Pulvere *caryophyll. maſtiches, macis, ſpica, cinnam. nuc. cupreſſi, ligni aloes:* Imponi quoque poteſt *theriaca, mithridat. cum gallia moſch. balſamo olei copiva, pulv. aromat. roſat.* &c. Valet *Empl. de cruſta panis, cerat. ſtomach. cydoniat.* cum *roſis, ſantal. myrtho, mentha, caryoph. abſinth.* vel *medulla panis* in *aceto roſac.* infuſa cum *maſtiche, thure, gumm. arab. ovor. luteo*, &c. Primiroſius.

Sequens Empl. non tantum vomitum bilioſum, ſed & alvi fluxum ſiſtit.

℞. *Pulv. maſtich. aloes, acaciæ, gallar. olibani*, āā. ℥ii. *panis toſti & in aceto roſac. macerati, rurſumque expreſſi* ℥ß. *ſubigantur cum ſ. q. olei roſac.* & *addita far. fabar. q. ſ. f.* Emplaſtrum. *Joel.*

Singultus.

Sicuti ſternutatio cerebri, & tuſſis pulmonis, ita Singultus eſt motus violentus ventriculi, quo natura noxia expellere conatur: Vellicatur enim interior tunica ventriculi aut ab acribus, aut à frigidis, aut à calidis humoribus, aut à vitioſo lacte nutricis, aut à vaporibus flatulentis in ventriculo contentis, quæ per ſingultum propellere conatur natura. Singultus in ardentibus febribus, aut in diuturna alvi fluxione, ut in adultis, ſic in infantibus mortem præſentem ſignificat. *Joel.*

Si tenacior acidiorque mucus ſuperiori ventriculi orificio firmius adhæſerit, per conſenſum firmiſſimæ connexionis, diaphragmatis ſimul irritabitur muſculus, unde ſub hujus inſpiratione facta convulſiva contractio, ſingultum ſubinde contumaciſſimum infert. *Etmuller p. 23.*

Si ſingultus ex vitioſo lacte Nutricis oriatur, ſtatim id emendandum & lactis aſſumpti revomitio excitanda; Excitatur autem vomitus in infantibus, ſi eorum lingua molliter comprimatur, & fauces immiſſa ſummitate pennæ titillentur.

Vbi autem ſingultus ex *flatibus* ſit ortus, ſternutatio eſt excitanda, & nares titillandæ, ſternutatio enim tollit Singultum.

At ſi regio ventriculi frigidior deprehendatur, inungatur oleis calefacientibus, è *mentha, nardino, abſynthii* & *pauco vino generoſo*, ut *cretico*, ori infantis inſtilletur; Poſt inunctionem imponatur orificio ventriculi *ſacculus ex mentha, pulegio* & *ſerpillo* confectus; in vino coctus & expreſſus.

Sin ad tactum, orificium calidius deprehendatur, à vomitu *ſyr. granator.* aut acetoſitatis citri ori infantis illinatur, & regio ventriculi *oleo roſac.* & *maſtich.* cui pauxillum *aceti roſat.* ſit admixtum inungatur; vel Epithema ex *pulv. maſtich.* cum *album. ovi* & pauxillo *aceto roſar.* confecto, & orificio ventriculi apponatur.

In omni autem ſingultu infantium utile erit ℥ß. *pulviſcul.* ex *cornu cervi uſt.* & *corall. r. prepar.* exhibere cum *lacte* aut *ſyr. mentha*, Ioel.

De cibo & lacte aliquid ſubtrahatur, Si ab *inanitione* fuerit, *ptiſana, emulſione ſemin. melon. cucurb.* & aliis humectantibus & refrigerantibus utendum. *Primiroſius.*

Odorandum præbeatur *ſemen anethi* linteolo incluſum. *Sebiſius.*

Si ſingultus ex quacunque cauſa adfuerit, iſque paulo pertinacior ſit, Vomitus inprimis conducit, evellendo acres acidas ſordes, ſtomacho in ſpecie ſic dicto adhærentes, propinando poſtmodum *Pulverem Joelis* in omni ſingultu ab eodem æſtimatum, ex *c. c. uſto* & *corall. prepar. ana* miſtis conflatum, *guttam* i. *vel* ij, *olei deſtill. cinnam.* aut *aniſi* addendo, Nec omittendo proficuum theriaces uſum; aut ſæpius jam laudatum noſtras aroma, *aniſum* nempe, Singultui etiam adultorum appropriatum, externo pariter ac interno uſu, non minus quam *caſtoreum* polychreſtum. *Etmuller p. 44.*

II. 8. *Tormina ventris*, quæ 9. ex eo.
Cognoſcuntur, quòd infantes ſint inquieti, mammas averſentur.
10. *Oriuntur* à flatibus, humoribus, lacte corrupto, vermibus.
11. *Curatio* ex ſuperioribus petatur.

II. *Tormina Ventris.*

8. *Tormina Ventris)* Στρόφος Græci vocant, nam ςρέφω, *verto, torqueo*, unde *Tormina*, Inde ςρόφος de doloribus & cruciatibus inteſtinorum, & ςροφοῦσθαι, torminibus excruciari, *Tortionem* ventris exponit *Plinius Valerianus*, de *Paral. med. Vermina* quoque dicuntur Latinis, quaſi à vermibus ſcindantur, cum quodam motu, teſte *Feſto*, uti *Scaliger* Vermina recte ςρόφους vertit, nam quæ prius *Tormina*, prius *vermina* vocabant, Inde *verminare, Tormina pati.* Dietericus *Jatrei §. 794.*

9. *Ex eo cognoſcuntur)* Horum indicia, præter ejulatum, ſunt utplurimum excreta viridia, plus minus, ſeu, ut vocant porracea, & æruginoſa, oriunda ab acido exceſſivo & vitioſo, cum bile ſalina oleoſa volatili permiſta, ex quorum miſcella viriditas iſta exſurgit: Subinde etiam grumoſa apparent talia ſub infantum torminibus excreta, quia lac à præternaturali acido in grumos caſeoſos coagulatum, iſtam larvam induit; Non tamen ſemper talia grumoſa ſimul ſunt viridia, quin ſubinde ſint flava; Scilicet diſcoloratio horum excrementorum oritur à bile per acidum mutata & corrupta, ſæpe tamen evenit ut fæces excernantur flavæ, quæ pauco tempore poſtmodum colore viridi tinguntur: Cauſa hujus phænomeni eſt 1. quod acidum in bilem, quamdiu in corpore fuit, ſufficienter non egerit, propter impedimentum lactis, continuo, vel brevibus intervallis tantum aſſumptum, quippe quod ejus vim temperando infringat, 2. Quia nonniſi finitis efferveſcentiis, præcipitationibus, mutationem rerum accuratam obſervamus; unde poſt excretionem, dum aëris accedit adjumentum, finita mutua actione & reactione permiſtorum, color tandem tertius emergit. 3. Quia & ipſa commiſta excreta facilius forſan in aëre libero novum coloris ſchema arripiunt quam dum inteſtinis adhuc ſunt coërcita: Obſervandum quoque hoc loco atrociſſima non raro adeſſe tormina, excretis alvi aquæ inſtar leviter flaveſcentis fluidis; quæ nimis fluida ſubinde adeo acria obſervantur ut & podex excoriari inde ſoleat. *Etmuller val. Inf. p. 22.*

10. *Oriuntur à flatibus &c.)* Cauſæ *Externæ* ſunt aëris frigiditas, præſertim ſi venter & pedes non ſunt bene contecti: Lactantis ira, mœror, ſubita conſternatio, prava victus ratio, ut cum delectatur fructibus æſtivis, oleribus, acetariis, aqua frigida, muſto, vino forti & meraco, cibis flatulentis, fabis, piſis, lentibus, caſtaneis &c.

Internæ ſunt flatus, humores, vermes, quorum omnium cauſa eſſe poteſt lac nutricis, flatulentum, frigidum & aquoſum, calidum, acre, ſalſum, acidum &c. Interdum ipſius infantis ventriculus torminibus occaſionem præbet, quando ita diſpoſitus eſt ut lac in illo corrumpatur: *Vermes* dolores ventris Cauſantur, vellicando & mordicando, crebro Tormina proficiſcuntur à bile porracea aut æruginoſa, quæ in multis convulſiones excitat epilepticas, quas mulieres noſtrates ab inteſtinis oriri putat, vaporibus tetris inde ad cerebrum elatis. *Sebiſius manu. p 1785.*

10. *Oriuntur)* Tormina infantibus fere inevitabilia, ab *Acido* oriuntur, quod ex ſtomacho, ſæpiſſime ex lactis coagulo, & eſu acidorum à nutricibus delapſum, inteſtinorum membranas pungit, rodit & lancinat, unde iſti cruciatus, cum convulſivis ſpaſmis juncti, prodromi exinde non rari epilepſiæ, uſque eo crudeliores quo viſcidiori glutine ſe agglutinaverit eorum parietibus, *Etmuller.*

11. *Oriuntur à flatibus & humoribus)* Hæc geminam agnoſcunt cauſam nunc *flatus* nunc *humores acidos & acres:* A Flatibus inteſtina diſtendentibus produci teſtantur 1. ipſi Flatus tunc excreti atque tormina levantes, 2. ventris diſtenſio in multis manifeſta, ſecedentibus cum iſta diſtenſione duntaxat doloribus. 3. Inteſtina poſt mortem flatibus diſtenta. 4. medicamenta flatus diſcutientia & tormina curantia.

Ab *Humoribus acidis*, adeoque acribus inteſtinorum tunicam interiorem rodentibus ac mordentibus produci evincunt 1. Excrementa alvi tunc excreta & acidum ſpirantia. 2. medicamenta acidum debellantia & tormina hæc curantia.

Flatus agnoſcunt hic pro *materia*, ſicut in adultis, pituitam plus minus viſcoſam & glutinoſam, pro *efficiente* bilem, quæ quo acrior, eo potentius flatus excitat, & copioſius: Utriuſque humoris ortum debent Infantes utplurimum matrum ſuarum Diætæ pravæ, quarum multa ſibi perſuadent non nocere gravidis quæcunque agant vel uſurpent: Non facile, fateor, denegandum gravidis, quod vehementer appetunt, at danda opera ut exceſſus nimios vitent.

Pituita glutinoſa debetur inprimis alimentis craſſum ſuccum generantibus, & ingluviei, ut & aëri frigido &c. *Bilis* autem *acrior*, ſolis æſtui, condimentis multum aromaticis; ſpiritui vini nimis uſurpato: *Acidi humoris* productio debetur inprimis condimentis ſimilibus, acetariis, aëri boreali, &c. quibus dum indulgent gravidæ noxam patiuntur: Ad tres hoſce humores producendos faciunt inprimis fructus præcoces, quibus ſæpe nimium indulgent gravidæ: Quantumvis autem deliquerint matres, iſtius delicti pœnas luunt inſontes infantes; vagitibus & doloribus, quin univerſi corporis contorſione, tandemque inſultibus epilepticis tormina manifeſtantes. *Franc. Sylvius Append. 1. cap. 2.*

11. *Curatio ex ſuperioribus petatur)* Curatio conſiſtit partim in *flatuum* diſcuſſione, partim in pituitæ ac bilis correctione, & quandoque eductione, partim in Dolorum delinitione ac ſedatione: *Flatus diſcutiunt* commode in infantibus Aquæ fœniculi, menthæ, petroſelini & ſimiles; itemque ſpiritus Nitri, ſi intro ſumantur; ut & olea, linimenta, unguenta aromatica, ventri illita, atque pulveres ſacculis incluſi & admoti; ex foliis, floribus, ac ſeminibus aromaticis & carminantibus dictis, parati, Huc referri debent Enemata ex ſimilibus parata, præſertim ſi alvus eſt adſtricta.

Dolores inde ortos *leniunt* Anodyna & Narcotica blandiora, *ſyrupus papav. albi, diacodii*, &c. addito ſubinde, urgente dolore ſummo, *laudani opiati* tantillo, Convenientiſſime junguntur ſimul dolores ſedantia & flatus diſcutientia, ſi Potionis vel miſturæ forma uſurpentur: Talibus miſturis ſi aliquid ſpiritus ſalis Armon. aliuſve ſalis volatilis & aromatici gratioris guttæ adduntur, efficaciores fiunt ac præſtantiores.

Si urgent multum dolores, poteſt tuto trium quatuorve unciarum miſturæ addi laudani op. granum unum, ſicque per cochlearia minora infantibus ſæpius exhiberi, donec minuatur dolor, quin obrepat quies: Tempore vero intermedio, uſurpanda medicamenta pituitam glutinoſam incidentia, quod præſtant eadem medicamenta eadem flatus diſcutientia; Unde patet tanto tutius ac utilius uſurpari hæc pharmaca, cum & præſentes urgenteſque flatus diſcutiant, ſed eorum novum proventum impediant.

Bilem acriorem temperant præ aliis potenter *Acida* blandiora, ſpiritus ſalis dulcis, & in hoc caſu feliciſſime ſpiritus nitri; tam purus quam dulcis cum ſpiritu vini factus omni enim modo conducit, non tam ratione bilis corrigendæ, quam pituitæ incidendæ, ipſorumque adeo Flatuum diſcutiendorum: Adde quod, quia figit potenter omnia, videtur quoque flatuum productionem efficaciter impedire ac prævenire.

Poſſunt

Poſſunt autem in trium aut quatuor unciatum miſtura uſurpari guttæ ſex vel octo *ſpiritus nitri puri*; vel xii. & plures *ſpiritus Nitri dulcis*.

Pituitam vicilam feliciter *educunt manna*, *ſyrupus roſ. ſolut. cum ſenna*, aut de Senna meæ deſcriptionis, &c. Enemata.

Bilem autem correctam educunt *Syr. roſar. ſimplex*, inprimis de *cichor. cum rheo*, aquis ſuperius dictis mixti, & parva quantitate ad iij. vel iv. aut plures *drachmas* exhibiti, pro ætate ac viribus infantis, Vbi ſemper tutius eſt minore quantitate exhibere purgantia quam majore, quia ſi poſt aliquot horas nulla ſequatur dejectio, ejus plus dari poteſt infanti, atque ſic medicamenti cujusvis vires in quovis abſque periculo experiri dabitur.

Materia flatuum pituita, Efficienteque bile, tum correctis tum diminutis, danda opera ut proventus utriuſque impediatur; eligendo alimenta optimum ſanguinem augentia; non bilem aut pituitam, addendo ſalcem ubi delectus haberi non poteſt, quæ humores noxios proventuros corrigant: Bonum igitur eſt Pulti ex lacte paratæ, incoqui ſemen aniſi, fœniculi, dulc. aut cerevilïæ cum pane coctæ addi aliquid nucis moſchatæ, à quibus pituitæ proventus minuetur.

Quod ſi *flatibus* valde diſtentum ſit abdomen, concurratque alvus adſtrictior, tutius erit purgantibus per os aſſumendis præmittere clyſmata, ſed ex emollientibus & carminantibus parata, additis blande purgantibus, quo non tantum alvi fæces induratæ emolliantur, ſed flatus occurrentes diſcutiantur, vel potius quaſi ſuffocentur, atque in clyſmate ſubſidant, moxque leniter ſimul educantur, viaque ſequuturis a parte inteſtinorum ſeniore humoribus & flatibus paretur ad exitum apta.

Quoties vero *Humores Acidi* junguntur *flatibus*, aut ſeorſim peccant, difficultas in cura occurrit major, nam in tali caſu Pancreatis ſuccus univerſus aucta peccat Aciditate: Augetur autem in nondum natis infantibus, præſertim ab abuſu alimentorum condimentorumve acidorum; Quo & plurimum facit *Aer* frigidus & borealis, *mœror* gravis & perſeverans, aut Terror; à quibus licet producatur inprimis, Auſterum augetur tamen ſimul ab iis Acidum, in gravida: Idem Acidum augeri poteſt in natis jam Infantibus, cum matres aut nutrices indulgent iiſdem alimentis condimentiſque acidioribus, Aëre frigido, Mœrore &c. cujus noxa cum lacte in infantes tranſit.

Ne quis putet omnem Infantium valetudinem bonam pendere à muliebri lacte, quod certe omni alii alimento præferendum, modo ſit laudabile; *Acidum* in jam natis infantibus augeri, intendi ſaltem poteſt, atque agitari, & ad tenue inteſtinum propelli, ac tormina producere, ab Aëre non tam frigido tantum, quam inprimis acri ac conturbato, ut flante vento Borea occidentali, à quo non tantum infantum nuper, ſed adultorum quoque, inprimis infirmiorum humores Acidi plurimum fuere conturbati, plurimiſque præter alia mala, excitati ventris dolores atroces flatibus comitati.

Qualiſcunque autem fuerit aucti acrioriſque facti in infantibus *Acidi* cauſa horumce torminum Curatio conſiſter 1. in amotione omnium Cauſarum externarum 2. in Correctione Acidi, vel in matre vel in nutrice peccantis, 3. in acidi quoque in infante peccantis emendatione. Inter Externas cauſas ſunt 1. alimenta condimenta, medicamentave acida, nimium à matre aut nutrice uſurpata.

2. *Animi motus* graves, præſertim mœror ac mœſtitia, quin ira quoque: In tali commotione durante, ne lactetur infans; quin bonum eſt ut quod tunc in mammis exiſtit, aut præparatur Lac, quovis artificio exſugatur, nec exhibeatur infanti.

3. *Aer frigidus & acris*, ut & *Aqua gelida*, ſive Nutricis partes corporis qualvis, ſive Infantis corpuſculum afficiat; quod frigus mox ad interiora penetrat, & in Nutrice quidem lac multum alterat, In Infante autem mox ad interiora ventris pergit & Tormina excitat.

Acidum vero in Nutrice exiſtens partim demulceri debet, partim concentrari; mox ubi ſimul copia aucta peccat, minui per alvum, urinas, cutis poros: *Acidum mulcent*, tum ſpirituoſa, tum oleoſa, alias propoſita: Acidum *concentrant* ſalia tum fixa, tum *volatilia*, & manifeſta & latentia, in *creta*, *puta*, *corall. is*, *margar. Ocul. cancr. lapide hæmat.* &c. *Acidum temperatum per alvum* vacuant hydragoga.

Idem *per urinas* evacuant *Diuretica aromatica*, quæ ſimul idem corrigunt, Per *Sudores* id educunt diaphoretica iidem Aromatica & Reſinoſa, quo referenda *Guajacum*, *Saſſafras*, ligna juniperi, buxi, quercus & ſimilia. *Acidi* tandem in Infantibus exiſtentis contemperatio iiſdem abſolvitur, ſed blandioribus, Feliciſſime in hunc finem uſurpantur ex *coralliis*, *margar. Ocul. cancr.* & aliquando creta parati pulveres, qui ad gr. ij. iij. vel iv. porrigi poſſunt, ſemel, bis, ter in die, vel ex lacte quovis, vel convenienti miſtura & aromatica, quippe quæ ſimul leniat illud Acidum; Non negligenda autem tunc *anodyna*, quin & *narcotica*, & quidem quantitate minima, quippe quæ & acidum temperant & dolores ſedant potenter: In medicamentorum uſu diu perſeverandum, donec tormina ſedentur. *Fr. Sylvius Append. tr. 1. c. 2.*

Caveant ſedulo nutrices, quantum fieri poteſt, ne manus aquæ frigidæ multum immergant, cum obſerventur in dies inde excitari ventri Tormina in Infantibus, inprimis ſi paulo poſt ipſarum lac exſugant, quibus non raro ſuccedunt inſultus Epileptici. *Idem ibid. cap. 6.*

II. *Curatio ex ſuperioribus*) Oleum *amygd. dulc.* recens natorum primum eſt alimentum medicamentoſum, unico laxandi fine propinandum, ut meconium, fæces bilioſæ & viſcidæ, torminum & ſpaſmodicorum ſymptomarum cauſa educantur. *Wedelius.*

II. *Curatio*) *Zibethum* umbilico illitum, in torminibus infantum & aliis egregrie conducit. *Wedelius.*

II. *Curatio*) Placantur optimè ſi propinetur *Gialapa*, ſi *cinnabarina & anodyna*, ſi adhibeantur clyſteres: Horum primum ſi non ſuffecerit, ſecundum præſto eſt, nec hoc ſufficiente tertium auxilium fert; quibus pluribus indicationibus ſatisfaciunt, & inter has quoque eluunt pituitam ſæpe affixam inteſtinorum cameræ. *Wedelius.*

II. *Curatio ex ſuperioribus*) Tormina ſi cum flatibus, aut viridibus portaceiſque, aliiſve dejectionibus p.n. conjuncta ſint non crebro nimis præbenda eſt mammas; interea vero cum lacte *pulvis corallor. & oculor. 69. præparat.* addita ſemper anatica portione *pulver. ſem. aniſi*; Aut loco talium infundendus *pulv. marchion.* aut, qui magis præſentanei eſt auxilii qui.

℞. *Ocul. 69. prap.* ℨß. *c. c. ſine igne* ℈i. *corall. rub. prap.* ℈ß. *myrrhæ el. gr.* vj. *vel ex. therone gr.* iv. *olei d. aniſ. gtt.* v. *q. m. ſ. f. Pulvis*, puerorum affectibus quamplurimis convenientiſſimus.

Vel iſtis acidum abſorbentibus, *caſtorei* parum addendum, & quacunque ratione fieri poteſt propinandum: *Theriacæ* etiam vel *mithridatii* piſi vel majoris vel minoris quantitas, ſub veſperam exhibita blandam quietem ſopiendo tormina præſtat.

Sin malum pertinacius fuerit, nec talibus crebrius repetitis quieſcat, ita ut jam vel epilepſia metuenda, ſpiritus & liquores ſalini volatiles, ſacra erunt anchora, Vel fiat miſtura.

℞. *Syr. de ſpina cerv.* ℥ß. *ſpir. ſalis armon. aniſat.* ʒß. *ocul.* 69. *præpar.* ℈i. *aut* ʒß. *miſce diluantur cum pauca aqua fœnic.* da cochleatim: *Aurum fulminans* magnæ hoc in caſu obſervatur efficaciæ, ut non immerito à quibuſdam inſigniter extollatur, contra tormina infantium, & pertinacem nimis alvi obſtructionem, etiam contra imminentem inde epilepſiam; Datur infanti aliquot dierum, aut etiam unius ſeptimanæ gr. j. cum gr. iij. *nitri depurati* vel *antimoniati*. Datur etiam ſolum abſque addito in iis qui jam ſunt aliquot ſeptimanarum ad gr. ij. vel iij. propinatus in *lacte*; vel quod melius, in vehiculo aquæ deſtillatæ idoneo, & præter alios affectus, quos aliquoties admiratus fui, tormina ſiſtit, horridas dejectiones alvi promovendo, & inſultus epilepticos ſopit. Varietas obſervatur in ejus operatione, nunc citius nunc tardius operatur, debilius itidem aut vehementius, prout, uti ſuſpicor, plus aut minus in ventriculo infantis à grumo lactis, vel muco pituitoſo irretitur & quaſi inviſcatur.

Suppetitias hiſce ſimul ferant Inunctiones externæ, ex *oleis d. cumini, carvi aniſi, fœnic. camom. cortic. aurant.* &c. *oleo chamom. per infuſionem* ceu corpore *aut ol. nuciſt. expreſſo* aut *ol. ſtomach. Crat.* exceptis, ne illorum deſtillatorum acrimonia dolorem ex excoriatione inferat, & circa umbilicum inunctis.

Quod ſi tenacior mucus dictorum malorum fuerit auctor, externe ſpecialius unguentum conducet.

℞. *G. ammon. aceto ſoluto* ʒii. *terebinth. aloes* āā. ʒi. *ſevi cervini & butyri non ſaliti q. ſ. pro conſiſtentia debita.*

Ulterius quoties illiniri debet *oleo deſtill. aniſi* irrorandum, & ita dictis locis umbilicalibus applicandum; quoties opus fuerit aliquali portione *fellis taurini* acuendum.

Cum vero pathemata hæc inſigniter exaſperari ſoleant alvus ſi clauſa fuerit, obin ſtudioſiſſime proficuus uſus Clyſmatum obſervandus; attendendo ſedulo magiſve acrimonia acida, an viſciditas cauſæ peccantis urgeat, ut ita delectus aliquis inſtituatur, Speciatim tenuia & liquida, laticis cujuſdam inſtar plus minus flavedine tincta, utur acerrima, & præter gravia infantum tormina, etiam excoriationem podicis ſubinde inferentia obſervantur, excreta, in quo caſu clyſmate ſimplici ex *lacte bubulo* cum pauco *ſaccharo* injecta, & dicta acrimonia temperari, & quæ imminet inteſtinorum craſſorum, gravis læſio & excoriatio tuto præcaveri poteſt. *Etmuller.*

Alſine cum butyro frixa, & ventri impoſita ſtatim dolores ſiſtit: Valde etiam prodeſt *ſyrupus diaſereos, ſyr. de cichor. cum rhab.* Alias extemplo à proprietate prodeſt *os de corde cervi* ℈i. *vel* ʒß. *cum ol. amygd. d.* datum. *C. Author.*

℞. *Herb. chamæpyt. alſines, anethi* in Junii fine collectar. fiat Pulvis, de quo detur ℈i. omni mane Puerperæ, & infans mirabiliter ſanabitur. *M. Crugner.*

℞. *Ol. aneth. chamæm.* ℥iii. *pulv. Cumini* ʒii. bulliant omnia parum, cola, Inungatur locus dolens, Expertum eſt. *Faventinus.*

Dentur infanti *Ol. amygd. d.* ʒiii. per horas 4. ante cibum, ſolvit enim ventrem & dolorem lenit. *Omn Ferrarius.*

Aqua herba cardiaca recte datur in torminibus alvi. *J. Andr. Schmidt.*

Indatur *gutta* j. *olei junip.* umbilico. Item, *Alſine* frixa in butyro, impoſita ventri dolorem ſiſtit; Certo experimento conſtat *ſyr. de chamæmelo* prodeſſe. *Strobelbergerus.*

III. [12] *Hypochondriorum inflatio*, [13] in qua infantes anguſtiâ & oris ventriculi compreſſione, cardiacâ, & difficili reſpiratione laborant.

[14] Oritur ab infantum ἀδδηφαγίᾳ, quando vel copioſe lac ſugunt, vel nimium alterius cibi ſumunt.

[15] Exhibetur commodè [16] contra iſtum affectum pulvis *radic. ireos, pæoniæ*, intra: Extra, fomenta per decocta *cardiaca* proſunt.

IV. [17] *Alvi adſtrictio*, [18] quæ procedit.

Aut *ab errore aliquo* in diæta matris vel nutricis.

Aut [19] *ab intemperie* ſeu ipſorum inteſtinorum frigida & ſicca: ſeu [20] viſceris alicujus calidâ & ſiccâ.

Ibi alvus ſemper ferè tarda eſt, [21] & humectantibus, *Caſſia* nempe, paſſulis laxativis, &c. agi debet.

Hic, ſigna & curatio ex ſuis petenda locis.

Aut *à pituita viſcida* & tenace fæces obvolvente; cui incidentia & abſtergentia debentur, ſymptomati ipſius ſubvenitur, partim ſuppoſitoriis [22] ex ſtercore muris cum ſevo hircino: partim [23] clyſteribus: partim *Epomphaliorum* uſu, quæ ex *aloë*, *felle tauri*, *myrrha*, *butyro*, *oleo diacolocynthidos Quercetani*, & aliis parantur. [24] Poſſunt & nutrici medicamenta purgantia præberi.

V. [25] *Alvi fluxus* accidit vel *extra tempus dentitionis*, cujus ratio ex libro quinto petenda eſt: Vel *tempore dentitionis*, [26] ob alimenti corruptionem, & turbatam coctionem, ſeu propter febrem & calorem præternaturalem, ſeu propter vigilias nimias, quas dolor parit, ſeu propter dolorem, calorem ad actionem neceſſarium avocantem. [27] Hic citò ſiſti non debet, ſi nec eſt copioſus, nec infantes malè ferunt. [28] Sin aliter accidit, abſtergendum primò vel clyſtere, vel *ſyrupo roſarum ſolutivo* cum adſtrictione. [29] Mox adſtringendum, habitâ ratione caloris & frigiditatis.

III. *Hypochondriorum inflatio.*

[12] *Hypochondriorum inflatio*) Intumeſcit quandoque venter infantibus ut hydropici putentur, & aſcite aut tympanite laborare. *Sebiſius man. p. 1792.*

[12] *Hypochondriorum inflatio*) Huc refer quod obſervavit *Sydenham*, quod cum febres Autumnales teneram ætatem diu cruciarint, nulla ſpes ſit eas abigendi, donec abdominis regio, circa lienem præcipue indurari atque tumefieri occeperit; iiſdem enim gravibus

bus quibus hoc ſymptoma ſupervenerit, Febris etiam fugam meditatur, Neque forte ex meliori aliquo prognoſtico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam ſi ſedula animadverſione ſuboriri hoc ſymptoma perſpexeris: Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando ſpectantur.

Ventris tumor qui infantibus accidit poſt has Febres, quibus annis aëris conſtitutio Intermittentibus Autumnalibus progignendis epidemice determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit ac ſi materiam aliquam continerent viſcera, in ſcirrhum induratam: cum qui aliis annis, ſimili licet περιφάσει contingit, tactum ita afficit, ceu tenſio tantum foret hypochondriorum à ſubjectis flatibus: Hinc annos quibus Intermittentes Autumnales prædominium habent, veræ Rachitides rarius occurrunt, quod obſervatu dignum. *Sydenham obſ. in Acut. p. m. 121.*

13. *In qua infantes anguſtia*) Venter inflatur & dolet, unde pueri plorant & vigilant; Cruditas ex alimenti copia quæ febres, faſtidia, vigilias, inquietudines, vomitus, diarrhœas parere poteſt; Adeſt febricula, pulſus celeritas, reſpiratio difficilis, color faciei pallidus, aut plumbeus, oculorum & vultus intumeſcentia & demiſſio. *Primiroſius.*

14. *Oritur ab infantum ἀδδηφαγίᾳ* &c.) Ut in dictis hydropis ſpeciebus Tumoris cauſæ ſunt flatus & aquæ, ſic in infantibus ſunt cruditates, flatus & vermes, Nam videre licet infantes adultiores quorum venter turget, reliqua membra extenuata ſunt, & emaciata, Quod vitium admodum frequens eſt in verminatione, Vermes enim pabulum infantis depaſcuntur, unde corporis macies, quia genio defraudantur; Turget autem venter, tum ob cruditates, ex quibus vermes generantur, & aluntur, tum ob flatus ex crudis humoribus genitos; Tum etiam ob excrementa vermium quæ in inteſtina deponunt, præſertim ſi illorum magnus ſit numerus. Cruditatum verò mater eſt voracitas, quando plus datur alimenti infantibus quam concoquere valeant. *Sebiſius.*

Venter interdum inflatur & dolet, idque vel ex crudo lacte retento, quod nec vomitu, nec ſeceſſu purgant, maxime in iis qui lac nec vomere vel dejicere aſſueverunt, unde venter intumeſcit, Vel fit quando ſimul & cibo & lacte utuntur, Unde cruditas ex alimenti copia: Interdum fit à flatu, unde rugitus in ventre, fitque ex cruditate, lactis frigiditate, craſſitie, alimenti copia, ventris imbecillo calore, quæ cauſæ raro ſeorſim exiſtunt. *Primiroſius.*

15. *Exhibetur commode*) Danda opera ut parcius nutriantur & ut novus cibus non offeratur prius quam jam aſſumptum concoxerint. *Sebiſius.* Alvus ſi ſponte non fluat, clyſteribus & ſuppoſitoriis movenda, Poſt utendum incidentibus & attenuantibus laxantibusque: *Flatus* diſcutiantur decocto *chamæm. aniſi, abſinth. ligni aloes, caryophyll. cortic. cappar. origani, cymini, carvi, apii,* cum ſpongia vel ſacculis. *Rhazes aloen* cum *myrrha* & *croco* applicat. Summitates *Sambuci* & *ebuli* in *vino albo* coque & impone, ex eodem Valet *ol. aniſi vel lilior.* vel *amygd. d. cum butyro, croco, pulvere abſinth. cymini, caryophyll.* &c. In adultioribus *ungu. Agrippæ* cum *ſucco ſalivæ* quidam præſcribunt. *Primiroſius.*

15. *Exhibetur commode*) Recenſita præſidia contra *Tormina* & ipſa non abſque felici ſucceſſu in Inflatione hypochondriorum aut tympanitica quoque abdominis diſtenſione in uſum revocari poſſunt, *Aniſi* præ reliquis proficuus eſt uſus, ſive ejus *pulvis* cum dimidio *corall. præpar.* crebrius infanti propinetur, ſive *oleo ſacch. aniſat*, aut *ſpir. ſalis armon. aniſati*, ſedulo ingerantur, Et extra quoque *oleum aniſi, cumini*, cum *oleo chamom. vulgari* calide hypochondriis illinantur. *Etmuller pag. 45.*

Egregie prodeſt hoc Linimentum.

℞. *Abſinth. cumini, caryophyll. croci* ãã. q.ſ. cum *butyro*, vel *axungia porci ſ. ungu.* pro ventre. *Oleum* etiam *maſtich.* hic prodeſt.

Applicetur Cataplaſma ex *Cerefol. in butyro frixum* hypochondriis. *Simon Pauli Quadrip. p. 257.*

In pueris frequens abdominis *inflatio*, cujus cauſa glandularum meſaraicarum durities; chylo hæc nonniſi tenui ad venam lacteam magnam tranſitum concedit, unde muſculorum caro flacceſcit, corpus ponderoſum redditur & laſſum, imò tandem febris & contabeſcentia oriuntur, linimento hoc malum tollere ſoleo.

℞. *Ung. alth. compoſ.* ℥i. *arthan. martiat.* ãã. ʒii. *ol. lil. alb. camom.* ãã. ʒii. m.

Internè proſunt hæ rotulæ.

℞. *Chalyb. præp. ocul. cancr. præp.* ãã. ℈i. *tartar. vitr.* ʒß. *lap. prun.* gr. xvi. *ſpec. arom. roſ.* ℈i. *ſacch. alb.* ℥ii. M. f. rotulæ *Barbette Anat.* Pract. c. 14.

16. *Contra iſtum affectum*) In Tumore ventris puerorum cum præſertim ſitis, ſymptoma fere intolerabile adeſt, ea maxime methodus ſequenda eſt, ut latentis incendii ratio habeatur; caloris enim alieni dominatu tenentur interna, putredo eſt, ἀναδόσεως impedita, orificiorum vaſorum meſaraicorum lactiumque phlogoſis: Itaque debet ſanguis mitti, nec dehortari debet ætatula, deinde purgandum corpus ſenna & rheo frequenter, vel ſyrupo Regis Saporis cum ſenna; nec forte omitti debet agaricum, & qui parcunt his medicamentis parcunt & vitæ. *Ballonius Ep. & Eph. p. 6.*

Obſtructiones.

Frequens eſt malum Infantibus, viſcerum nutritioni dicatorum Obſtructio, quando præſertim natura voracibus plus ingeritur pulmenti quam quod poſſint concoquere. Induratur iis tunc venter, artus vero flaveſcunt, inprimis, deinde in tabem abeunt. *Hœferus H. m. pag. m. 349.*

Patiuntur Pueri interdum *Obſtructiones*, tenſiones, ac durities abdominis, meſaræi, jecoris, lienis & aliarum partium, unde anxietas, pravus faciei color, laſſitudo, pigritia, nauſea, vomitus, alvi fluxus crudorum, fœtidorum, interdum cephalalgia, mœſtitia, Atque hæc ob pravam victus rationem contingunt.

Ad curam in paulo adultioribus convenit victus exquiſitus, moderatus potus, exercitium; Laudat *Mercatus potum aquæ ferventis* ante cibum, ut coctio felicius fiat, ſed potus ordinarius ſemper ſit parcior; Sit autem Purgatio levis ante uſum deobſtruentium, Valet *decoctum adjanti, ſaſſafras, lupuli, cichorii, acetoſæ, eupatorii, fœniculi, cinnamomi, ſyr. bizantin. de cichor.*

℞. *Fol. capilli ven. lupul. cichor. agrimon. borragi lingua cerv. acetoſæ* ãã. *m. j. rad. rhabarb. monach. aperient. rub.* ãã. ℥j. *pomor. redol. cum. cortic. n. iii. cic. rub. p. j. f. decoctio, & cum ſacch. q. ſ. ſyrupus* dozis ℥j. cum pauca *conf. alkermes.*

Spumam chalybis commendat *Mercatus*, ex qua facit ſyrupum, ſed non convenit junioribus. Vel extingue ter quaterve *chalybem* in decocto aperiente, & hujus da ℥j. puero; *Aquam rhabarb.* quoque commendat, quæ ad alvi fluxus idonea erit.

℞. *Aqua lupuli, gram. cichor.* aut alterius *ſimilis* ℔ii. *rhabarb.* ʒii. coque lento igne, adde *ſyr. de cichor. cum rhabarb.* ℥ii. *ſacch. parum*, doſis ſit ℥i. ſæpe iteranda ex cochleari.

Clyſteres etiam frequentes eſſe poſſunt, & Fotus,

Vnguenta ex *axungia porci* cum *pulvere ſemin. lini, ſeſami, fœnic. alth.* aut ex *mucilag.* cum *pulvere ſchœnanthi, petroſel, apii*, vel *Empl. de meliloto. mucilag.* vel *ol. cappar.* cum *aqua vitæ*: In lactantibus autem Purgatio nutricis & pueruli cum blandioribus conveniunt, & uſus prædictorum. *Primiroſius, p. 81.*

Remedium eſto, præmiſſa purgatione, & meliore diæta, Vngu. deoppilativum Viennæ conſuetum, vel *ungu. pectorale*: Præſentiſſimum, & ſæpius probatum remedium eſt *pulmentum illud, quod vertex ferreus rotæ molaris intermovendum colligit*, vel cum ungu. mixto inungimus hypochondria infantis: Teſtatur eundem effectum *Horſtius* de *aqua illa chalyb. quæ ex lapidibus inter acuendum enſes defluit*, quam etiam intro propinat in viſcerum obſtructionibus, ubi alias chalybis uſus frequens eſt. Commendatur etiam uſus *ol. amygd. dulc.* cum *rhabarb. coctum*; ſicut & *Empl. de rhabarb.* tumores emollit & reſolvit. *Hœferus ibid.* Tinctura *Rhei cum cinnam.* ad id efficax eſt, ex *rhab.* in decocto aperiente infuſo, ad plures dies continuato, cum ſaccharo. Remedium eſt *Montani.*

Icterus.

Infantes non duntaxat jam nati, ſed & in ipſo utero adhuc exiſtentes Ictero inficiuntur, pleriſque tamen mox à partu ſolet ſupervenire hic affectus, ac per dies aliquot durare, & dein iterum recedere; totum inſtar croci flavet non ſolum in ſuperficie corporis cum albugine oculorum, ſed & pinguedo, & partes carnoſæ & membranoſæ, ipſaque parenchymata tinguntur, malum aliquando cognoſci poteſt ex urinis flaveſcentibus & linteamina tingentibus, & per alvi fæces aliquando albicantes.

Sylvius exiſtimat in his Infantibus Icterum ſæpe fieri poſſe abſque ductus bilarii obſtructione, à bilis ſcil. ſpirituoſitate, ideoque ad efferveſcendum ineptitudine. Nos hujus affectus cauſam deducimus à Bile, vel particulis ſulphureis in maſſa ſanguinea nimis ſcatentibus, unde ex matribus rebus ſpirituoſioribus atque volatioribus, *ſpiritu vini puta, vino Hiſpanico* & ſimilibus indulgentibus nati ſtatim à partu Ictero corripiuntur: Bilem itaque in Ictericis eſſe ſæpe volatilem & acrem, & producere poſſe hunc affectum certum credimus, Atque in tenellis his etiam oriri poſſe ab obſtructione ductus bilarii, facta à meconii, aliuſve viſcidi humoris præſentia, nulli dubitamus.

Quoad *Curationem*, illa facile oleoſis ſalibus lixivioſis interne & externe uſurpatis curatur, Alvus ſi ſtrictior ſit, ſollicitanda *ſyr. de ſpina cervina*, addita *raſura eboris pulv.* vel *ſyr. de cichor. cum rhab.* vel convenientia potui ordinario Nutricis indantur; Dein dentur varia incidentia aperientiaque ductum choledochum; inprimis ſingulis diebus de *tinctura croci* guttæ aliquot dentur, *vel croci gr. j.* detur in ſubſtantia. Omnia enim hæc *crocata* conveniunt, Item *ſudorifera*, hinc *Sylvius bezoartici miner. gr. j.* commendat: Externa petantur ex *Capite de Ictero lib. 4.* Ioh. Dolæus *Encyclop. l. v. c. 2.*

IV. *Alvi Adſtrictio.*

17. *Alvi adſtrictio*) Tutior ſemper eſt alvus moderate laxa, quam ſuppreſſa, nam periclitantur pueri alvo adſtricta præſertim in dentitione ob corporis repletionem, Vnde inflammationes, febres, convulſiones. *Primiroſius.*

Alvi laxitas ſi negligatur in infantibus, plerumque obſervabis vexari eos ventris torminibus, & paulo poſt dejectione viridi concreta, & tandem Epilepticis inſultibus. *Sylvius Append. Tr. 1. c. 6.*

Alvi igitur laxatio procraſtinanda non eſt, diuturna enim illius conſtipatio cauſari ſolet tormina ventris, impedire concoctiones, gravare corpus, generare capitis dolores, ſpiritus inquinare, vigilias excitare, appetitum dejicere. *Sebiſius man. pag. 1857.*

18. *Quæ procedit*) Cauſæ plurimæ enumeratæ in affectibus inteſtinorum, Apud nos nulla fere frequentior eſt quam diuturna illa conſuetarum pulticularum lactearum, coctura, Hæc enim in cauſa eſt ut omnis ſeroſitas, quæ tamen vim laxandi & abſtergendi habet, lacti adimatur, & puls poſtea craſſior evadat, alvumque induret: (*Vide ſupra de erratis & præparatione Pultis.*)

Sunt & cauſæ aliæ, ut bilis, quæ inteſtina alias ad excernendum ſtimulat, defectus; ordinarie enim ad inteſtina per poros choledochos ablegari ſolet; fit autem ut ad loca alia amandetur, & inprimis ad renes & veſicam.

Præterea aſſiduus infantium decubitus, iſque ſupinus, qui ipſe etiam calefacit interanea, eaque ſiccat.

Denique ſomnus juſto longior, qui ſuperfluitates in corpore detinet; Crebrius autem longiuſque dormiunt infantes, tum quia cerebrum ipſis humidius, tum quia lac & lacticinia, quibus quotidie veſcuntur, halituoſa ſunt. *Sebiſius.*

19. *Ab intemperie ſeu ipſorum inteſtinorum frigida & ſicca*) *Galenus 1. de in. val. c. 13.* dum perſequitur cauſas omnes adſtrictionis alvi poſuit inter alias intemperiem frigidam & ſiccam tum intrinſecus tum extrinſecus factam: *Idem comm. 5. in 6. Epidem. t. 27.* ſententiam illam *Hippocr.* explanans, *Refrigerationes quæ ſunt in Ventre duras*; inquit Fieri nequaquam poſſe ut intemperies frigida interna unquam alvum adſtringat, Reddit rationem, Quoniam ubi frigida eſt intemperies, vel in ventriculo vel in inteſtinis, neceſſario vitiatur coctio fiunt cruditates, & conſequenter potius alvum liquari quam ſiccati.

Contradictionem ſolve, dicendo Intemperiem internam aut inſignem eſſe, aut mediocrem, Et aut fieri à ſola cauſa interna, aut fieri etiam ab externa; Si intemperies frigida ſit valde inſignis, dico eam facere alvi ſiccitatem; ratio eſt, quia tametſi vitietur coctione propterea fiant crudi humores, vitiatur tamen etiam expulſiva facultas, & propterea alvus retinetur, atque hoc pacto loquutus videtur *Galenus l. de tu. val.* Sed ſi intemperies frigida non ſit adeo inſignis ut lædat expultricem inteſtinorum, fit alvi potius ſolutio quam adſtrictio; quod ſignificare videtur. *Gal. comm. in Epid.*

Vel dic Intemperiem frigidam factam ab aëre externo, licet interna ſit, exſiccare alvum: factam autem intrinſecus abſque ulla occaſione externa, alvum liquare. Vtut ſit, illud certiſſimum eſt quod ſcribit *Gal. l. 1.* ſcil. à frigore externo indurari fæces, non quod intemperies inſignis efficiatur in inteſtinis, quæ eas induret, perinde ac videmus indurari lutum ab immenſo frigore, ſed quia muſculus anum cingens, & conſtrictioni ipſius famulans, vehementer refrigerat, atque refrigeratus vehementer adſtringit: ob quam adſtrictionem cum fæces in inteſtinis diutius retineantur, duræ neceſſario & aridæ evadunt. *Mercurialis l. 2 c. 23.*

20. *Viſceris alicuius calida & ſicca*) Vt Hepatis & renum, *Illud* enim humiditatem contentorum in inteſtinis exſugit, quo fit ut fæces reddantur ſicciores durioreſque, atque ad exeundum ignaviores: *Hi* vero crebro mingere cogunt, & ſic etiam Renes alvi excrementa ſicciora faciunt; Nam ex *Hippocr.*

ſect. 5.

ſect. 5. aph. ult. Mictus noctu plurimus exiguam alvi dejectionem ſignificat. Sebiſius.

21. *Humectantibus, Caſſia &c.*) Infanti tuto præberi poſſunt ℥iii. aut iv. vel *pulpæ caſſiæ*, vel *mannæ in juſculo prunorum* reſolutæ: Item præberi utiliter poſſunt ℥i. *mellis. aut* ℈i. *terebinthinæ*, quæ non tantum ventrem ſolvit, ſed & hepatis obſtructiones tollit. *Joel.*

Sed *terebinthinam* vix deglutire poſſunt, alias bona erit, quia jecur & lienem detergit: Demum *ſyr. roſar. ſolut, mel roſat. mercuriale, mucilago pſyllii* cum *oleo amygd. dulc. mel ex ſucco malvar. & roſar. eſt bonum butyrum cum melle, & ſaccharo* tertio quoque die: *Paſſulæ lax, decoctum braſſicæ rubræ.* Primiroſius.

Valet *Elect. Lenitiv. addito tantillo cremor. tartari*, quod pani incruſtatum defruti ſaporem refert, ac pro defruto ac ſapa comedunt, ut & gratiſſime aſſumunt pruna vulgaria ſicca incocta infuſo ſennæ, nec fraudem ſuſpicantur.

Datur etiam *oleum amygdal. dulc.* recens expreſſum. *Manna* etiam vel caſſia in lacte diſſoluta. *Sebiſius.*

22. *Suppoſitoriis*) Ano inſeratur ſuppoſitorium ex *melle cum* pauxillo ſale, & pulpa colocynth. factum, aut ex *ſapone albo*, aut ex *radice malvæ* vel *altheæ* formatum & *ol. chamomillæ* illitum: *Joel.* Vulgus eligit *cereolos*, *cauliculos betæ* & *petroſelini*: Fiunt etiam ex *ficubus* inverſis, aut ex butyro recenti in aqua frigida tamdiu detento donec duriuſculum evaſerit. *Sebiſius*: Utiliter imponuntur *globuli ſaccharini*, *muſcardini* dicti, vel *tragema ſaccharatum* oblongum ori prius inditum, ſi criſpatum fuerit.

Ex *ſtercore muris*) Cujus pilulæ aliquot ore aſſumptæ egregie, etiam adultis, alvum laxant.

23. *Clyſteribus*) E. g. *Ol. olivar.* ℥vi. *ſacchi comm.* ℥iß. *ſalis* ℈i. cum *ovi vitello* & lactis q. ſ. f. Clyſter. *Joel.*

Epomphaliorum uſus) Foveatur venter *oleo ſimpl.* tepido *lilior. amygd. butyro, ungu. dialth*, cum *adipe anſerino*, Addi poſſunt *fella animalium*, *aloë*, *ſcammon.* cum *butyro*, eſtque mirabile ex *Kuſnero.*

℞. *Ol. amygd.* vel *lini*, vel *lilior.* cum *axungia anatis, butyro, mucilag. alth. fœnugr. lini*: radix *cyclam.* imponi poteſt, Proſunt *gentiana, calamenth. cum melle* trita: *Flor. artemiſiæ*, aut *ſuccum ebuli & mercurial.* cum *oleo* imponit. *Toletus.*

℞. *Arantium* per medium ſciſſum, inſperge *pulv. aloes, agar.* & aliorum ſolut: coque & umbilico admove. *Mercurialem* & *betam* frige cum pulv. *aloes, lini*, oleo *ſeſam* & *butyro*, Vel impone *ſuccum rad. lilii*, vel *ireos* cum *farina*, Primiroſius.

Venter & umbilicus inungatur *oleo cat. chamæm.* in quo parum *colocynth.* eſt coctum: Imponatur umbilico *fel bubulinum* molli lana exceptum. Valet plurimum *nucis juglandis* teſta *butyro* infarcta, cui inſperſus ſit *pulvis colocynth.* vel ſcammon. ſi applicetur umbilico. *Joel.*

Foris admovet umbilico vulgus *butyrum liquatum cum croco* Item *fol. malvæ minoris* tuſa, in *butyro* frixa, & per linteolum colata. *Sebiſius.*

24. *Poſſunt & nutrici*) Præſcribit *Rhazes* nutrici parum *cucumer. ſylv.* dein puerum lactet, Sed quamvis *Hippocr.* inter ea quæ nutricis, capræ, aut alterius animalis (*6. epid. ſ. 5.*) lac ſolutivum reddunt, enumeret *elaterium*, tutius tamen eſt levioribus uti, quorum obvia eſt copia. *Primiroſius*: Sed obſervandum eſt tempus exhibitionis mammæ ab aſſumpto purgante; videlicet antequam purgetur nutrix, & dum illud adhuc eſt in ventriculo, (à quo ad mammas cæci ſunt ductus) alias irritum erit purgans ſi mora interjaceat: Aliquando uxor mea aſſumpſit potionem purgantem propriæ ægritudinis cauſa, ac paulo poſt uberibus admovit puellum ejulantem (contra meum monitum, qui inde in hypercatharſin incidit, mater vero ne tantillum quidem fuit purgara,

V. *Alvi Fluxus.*

25. *Alvi fluxus*) Diarrhœa proprie & ſpecialiter accepta illud eſt alvi profluvium quo humores ſinceriores, ſimplices aut mixti per alvum ſine vehementi doloris ſenſu, & ſine inteſtinorum exulceratione dejiciuntur. Vitium Infantibus valde familiare, præſertim, ut *Hippocr. aph. 25. 3.* docet, dentitionis tempore, & maxime cum caninos edunt. *Sebiſius.*

26. *Ob alimenti corruptionem*) Variæ ſunt cauſæ I. Turbata coctio, & alimenti corruptio, idque ob febrem quæ dentitioni utplurimum ſupervenit: hæc enim, quia calor p. n. coctionem lædit. ij. Vigiliæ, quas parit dolor (*vel dejectionum frequentia, ſæpe enim alvi fluxus citra dolorem ingruit*) ſomno enim ob caloris ad inferiora revocationem, coctio juvatur & promovetur, iij. Caloris, qui ad coctionem neceſſarius eſt, avocatio, quam dolores cauſantur.

Excernuntur autem humores varii, phlegmatici, ſeroſi biliofi & melancholici, qui tamen in infantili ætate cæteris ſunt rariores.

Cauſa eorum vel eſt lac nutricis, ſi ſit aquoſum, acre, ſalſum, ex pravo victu genitum, vel frigus internum, vel frigidæ aquæ potus: Habet quoque cauſas internas, malam ventriculi digeſtionem, aut viſcerum impuritatem, qua ſe exonerant; Hinc materia illius vel à cerebro, vel ab hepate, vel à meſenterio, vel à liene proficiſci ſolet. *Sebiſius.*

Fit & ob *lactis* vitium vel pravitatem, Lac enim vel corrumpitur, vel non coquitur, ſed aceſcit & grumoſum educitur, Poſſunt eſſe aliæ cauſæ adultis communes, ut pravitas alimenti, bilis copia, retentivæ debilitas: Si fiat ex catarrho, propter dentitionem, ſpumoſa excernuntur cum flatu & rugitu, Cauſas alias dejectionum color indicat, ut ſi ſint bilioſæ, cruentæ, nigræ: *Primiroſius.*

Oritur alvi fluxus, aut ex vitio lactis, aut ex alimenti corruptione, aut ex illuvie in inteſtinis collecta, Excreta per alvum ſi crocea appareant, bilem & calidam infantis intemperiem: Si alba & mucoſa, pituitam, aut cibi corruptionem & frigidam intemperiem commonſtrant; Obſervandum autem quod ſi per acutas ægritudines, & proſtrationem virium accidat diarrhœa, ſemper lethale eſt ſignum, Nigra excrementa in alvi fluore pernitioſa ſunt; deinde cruenta, tertio crocea, alba vero minus ſunt pernitioſa. *Franc. Joel.*

26. *Ob alimenti corruptionem &c.*) Ventris torminum ſæpe comes eſt *Alvi dejectio virideſcens, acidumque redolens*, Cenſeo vero ortum habere illam Dejectionem à Bile ab Acido acri corrupta, & in virorem, deducta: quales mutationes colorum haud ignotæ ſunt Tinctoribus: Duo ergo concurrunt ad viriditatem illam producendam, *Bilis*, cujus color flavus mutatur in viridem, & *Succus acidus*, qui modo dicto bilem mutat: Bilis autem hæc ita mutata cæteris admiſcetur alvi excrementis. eaque notato tingit colore.

Ubi notandum, quod à paucis obſervatum, *Excrementa non raro excerni albeſcentia, ſed quæ paulo poſt virorem notatum acquirunt, ubi nempe jam ſunt excreta*: Quod fieri exiſtimo, vel quia illud acidum nondum abſolverat vim ſuam in colore bilis mutando,

vel quia ſegnius mutatur Bilis color quamdiu in corpore calido exiſtit, citius cum in aëre verſatur libero; *Bili* colorem ſuum debere excrementa ex naturali fæcum alvi colore patet: *Acido* viridem colorem deberi, patet partim ex odore acido, ſemper ipſi comite, partim ex bilis mutatione in colorem viridem, à quibuſdam non tamen omnibus acidis facta.

Hoc autem Acidum, quod bilis flavedinem mutat in colorem viridem, ipſaque excrementa reddit quoque viridia, multum etiam eſt acre, quod patet ex ipſius odore mordaci & nares feriente, cujus nomine utplurimum ſentiri ſolent Tormina: Sed ſi hoc Acidum ſemper nobis videatur acre, cur non ſemper adſint Tormina? Dico id fieri poſſe, 1. cum inteſtina multa pituita viſcoſa ſunt obducta; 2. cum alimenta copioſa aſſumpta ſunt, illud acidum cum bile ita abſorbentia, ut ejus nihil vel parum remaneat in fiſtula inteſtinali, Id acidum non dubitamus aſſerere in ſucco pancreatico acriore conſiſtere, ac deberi præcedenti matrum diætæ pravæ: *Fr. Sylvius*: Vide quæ de Alvi torminibus dicta ſunt.

27. *Hic citò ſiſti non debet*) In principio fluxus moderatus non eſt malus, & in dentitione convulſionem prohibet; ſed ſi perſeveret, maxime cum febre & pravo odore, ſiſtendus erit. *Primiroſius*. Siſtendi tempus erit cum vires incipiunt deficere. *Sebiſius*.

28. *Sin aliter accidit &c.*) Lac Nutricis, ſi opus ſit, emendandum eſt; ſi craſſius, attenuandum *hyſſopo, fœniculo, petroſelino, origano, ciceribus*, & aliis ejuſmodi, Tum vomitu crudorum & craſſorum, Nutricis diæta ſit adſtringens, ex *oriza, lentibus, vino rubro, caſeo, ovis duris, lacte chalyb. &c.* Primiroſius.

Curatio hic eſt Acidi temperatio, quo facto inde metuenda mala ſponte evaneſcunt, imminent enim inde ventris Tormina, Epilepſia imo & mors: *Acidum* quæ corrigunt ibidem propoſita, inter quæ præ aliis convenientiſſima reperimus corallia, margaritas, oculos cancr. cretam albam, lap. bezoar. tam Occidentalem, quam priore multo præſtantiorem Orient. & quod utrumque adhuc antecellit *Bezoarticum miner.* tam *ſimplex* quam *Lunare* aut *ſolare*, ut & *Antimonium diaphoreticum* rite paratum, Terram ſigillatam quamvis, Omnia Pulveris forma ad pauca grana bis terve in die uſurpata; ex lacte quovis, miſtura aromatica, ſed blandiſſima, cochleari parvo: mixtura fiat ex *aquis menthæ, fœnic* & ſimil. cum ſyrupo conveniente junctis: Valet & Enema blandum, quo diluantur alvi fæces ſi duriores ſint aut glutinoſiores, aut obſervetur acrimonia mordens: fiant ex *lacte bubulo, ovi vitello & terebinth. veneta*, quibus facile ſe jungit & admiſcet Acidum, acre; ſicut obſervamus ab Acido coagulari Lac & inprimis calens, quale injici ſolet in Enematis. *Fr. Sylvius Append. Tr. 1. c. 3.*

29. *Mox adſtringendum*) Non ſtatim in initio fluoris alvus conſtringenda, niſi animadvertatur ſuccedere alvi fluori virium imbecillitatem, & tum imo ventri calidum epithema linteolis exceptum ſubinde imponatur, *Decoctum ſemin roſar prun ſylv. herb. polygoni. gnaphalii nuc. cupreſſi. balauſt. cymini* ãã. ad placitum, Ex iiſdem ſacculus fieri poteſt, qui in vino coctus, & expreſſus ventri admoveatur. Aut.

℞. *Limi ex alveis fabrorum ferrariorum*, in quo ferra candentia extinguuntur; admiſce q. ſ. *far. fabar.* cum pauxillo *aceto* f. Catapl. Aut.

℞. *Succi corrigiolæ, conſol. mai* ãã. ℥ii. *alb. over. n. j. conquaſſatis admiſce far. fabar. aut hordei q. ſ.* cui, ut fortius fiat adde *pulv. acaciæ, pſidii & ſangu. dracon.*

Intro plurimum conferr ſi cum lacte, in quo ferrum extinctum exhibeatur ℈i. *trochiſc.* de ſambuc. pulveriſ. qui ſic fiunt.

℞. *Far. fabar. q. ſ. cum ſucci baccar. ſambuc.* q. ſ. fiant Trochiſci, ad uſum ſervandi.

Plurimum conſtringit alvum Infantium, ſi ℈i. aut ʒß. pro ætatis ratione, *coaguli hœdi cum aqua plantag.* aut *lacte amygdal.* detur, Verum eo die quo infans coagulum ſumpſit à lactatione abſtinendum eſt.

Efficaciſſimum quoque eſt remedium Pulv. ſequ. ℈i. cum lacte exhibitus.

℞. *Sem. lapathi ac uvarum torrefact.* ãã. ℈ii. *glandium ſem. papav. albi* ãã. ʒß. *olibani* ℈ß. conterantur, f. Pulv. ſubtiliſſ. Aur.

℞. *Sangu. dracon. myrtill, balauſt.* ãã. ℈j. *f. Pulvis tenuiſſimus, detur* ℈i. *cum lacte.*

Laudan. op. gr. ii. *vel* iij. exhibita valde hic proſunt.

Egregie etiam ſiſtit alvi fluorem ſuppoſitorium *ex pulv. acaciæ* ℈i. *opii gr.* iii. & pauxillo *ceræ* confectum.

Utiliter quoque Infanti *Pulmentum ex far. fabar. & ovi luteo* ad duritiem aſſati, & cum *lacte chalyb.* commixti datum.

Præſtat & fruſtulum *ichthiocolla in lacte coquere*, & ſæpius infanti ſugendum præbere. Aut.

℞. *Hepatis bubuli* q. ſ. aſſati & in pulverem redacti, cujus ℈i. aut ʒß. exhibeatur cum lacte, in quo incocti ſunt *flores verbaſci*, aut *flores ſtœch. citrinæ*. Franc. Joel.

Lienteria.

Experientia teſtatur Infantes ſæpe cibos quos ingeſſerunt, crudos atque inconcoctos, ſub ea ſpecie velociter per alvum demittere ſub qua fuerunt aſſumpti; Cauſa primaria eſt in ventriculo, ſecundaria in inteſtinis: Læſa eſt aliquando coctrix ventriculi, interdum ejus retentrix; aliquando expultrix irritatur & ſtimulatur, ad excretionem, ut tamdiu chylus in ventriculo manere nequeat donec ſit concoctus. Coctrix læditur calore à cauſis refrigerantibus diminuto; Retentrix debilitatur ventriculi tono à rebus pinguibus, oleoſis humidis & relaxantibus diſſoluto: Expultrix irritatur ab iis quæ acria ſunt, mordacia, aut maligna genita vel in ipſi ventriculo ex pravis eduliis, vel aliunde tranſmiſſa.

Hic ea proponenda quæ Lientericum profluvium in infantibus ſedare, & ventriculum corroborare valent.

Interna ſunt *ſyr. corall. cydonior. menthæ, ſyr. de vino Cretico*, de *cinnamomo, miva cydonior ſimplex & aromatica, ſyr. de cort. citri, ſyr. de roſis ſiccis.*

Externa, *Ol. abſinth. ol. menthæ cr. ol. maſtich. ol. nuc. moſch. ol. ſtomach. Crat. myrtin. cydon. Ungu. cydoniatum*, Empl. ex *cydoniato in vino rubro ſtyptico* ſuper pruna, diſſoluto, additis *pulv. roſar. rub. abſinth. pontici, maſtich* & oleo aliquo ex dictis. *Sebiſius man. 1787.*

Dyſenteria.

Tenella infantilis ætas, ob mollem, humidam laxamque corporis conſtitutionem Dyſenteriam diu ſuſtinere nequit, ob dolores & tormina ventris, anorexiam, vigilias, crebras alvi evacuationes quas inducit; Cauſa utplurimum eſt lac nutricis, quæ in victu male ſe geſſit.

Enemata abſterſoria ex *hordeo, furfuribus macris, roſis rubr. veronica, agrimonia, ſero lactis & melle roſ.* ſunt valde proficua.

Poſtea ea quæ adſtringendi vi pollent, externa & topica in diarrhœa dicta: Proſunt in *victu* etiam *hordeata amygdalata* & pulticulæ ex *amylo* paratæ: *Lac* in quo *ſilices* candentes, vel aurum, vel chalybs ignitus eſt extinctus. *Sebiſius p. 1791.*

Teneſmus.

Inter Puerorum morbos etiam recenſetur *Teneſmus*, ſitque

fitque à frigore aut humore acti in ſphincterum, vnde Anus procidit Talis eſt pituita ſalſa, bilis, vlcus, inflammatio, Affectus admodum ſimilis Diſenteriæ, ſolum parte affecta differt, interdum & ſæpe cum ea coniungitur, interdum præcedit, interdum ſequitur: Si præcedat, à pituita ſalſa fit, aut bile. ſi ſequatur vlcus adeſt, Poteſt etiam fieri à ſtercore retento, atque id relatione cognoſci poteſt; Affectus Pueris moleſtiſſimus ob ſummum dolorem, frequentem egerendi conatum, vigilias.

Probat Haly *Abbas* glandem ex *olibano* cum *ſem. ameos* Alii *corticem pini* cum *oleo myrtino & album ovi* Fieri poteſt ex *thure, croco, vitello ovi* & pauco *opio*. *Fumos* plurimi laudant; fieri autem poteſt ex *pineis terebinth. colophone ſarcocolla ex Toleto*, Addi poſſunt *reſina pix, thus*.

℞. *Reſinæ, picis, colophon terebinth. ãã.* injice carbonibus vivis probatur à *Faventino*: Fotus ex *decocto anethi, fœnugr. malvæ verbaſci. rutæ origani, cymini. puleg. ſem. lini, cardamomi*, ligetur in ſacculo, coquantur & *vino rubro* & applicetur *Furfur* calidum circa lumbos & pectinem applicetur.

Sed hæc non in omni cauſa conveniunt tantum ſi pituita idſit, Alias fiat *Fotus ex decocto violar. ſolani alth. roſar. papav. thapſi barb.*

℞. *Granor parad.* ℈ij. impleatur acculus, & calide ano applicetur ſed prius bulliat in *vino nigro* vel fiat *Fotus ex decocto verbaſci cardui fullonum*, qui etiam valet ad *rhagades* & hæmorrhoides: Quidam *millepedes* cum *ſebo hircino* miſcent & applicant, *Aſſer ligneus* lævigatus inungatur *adipe renum capræ* calefiat & ſuper eo ſedeat patiens, ex *Faventino*.

Clyſteres etiam vtiles erunt ex *decocto ſem. lini* cum *oleo roſato*.

℞. *Myrti, agrimon. ãã m. ij. abſynth. roſar. ãã. p. j. centaur. p. ſ. f. decoctio pro clyſtere, adde vitellum ovi, butyr. rec. ol amygd.* vel *papav.*

℞. *Caput ovillum coque in ſ. q. aquæ adde. ſumm. hyperici m. ij. rad. torment* ℥iij. coque iterum, Ex colatura fiat clyſter *Primiroſius*.

Ani prolapſus.

Sæpe Teneſmum ſequitur Ani procidentia, ob frequentē deſidendi cupiditatem, nimium alvi fluxū, vnde muſculorum imbecillitas, aut ob refrigerationem; curandus primum eſt alvi fluxus, alias malum vix curatur, Et quoniam adſtringentibus vtendum eſt recte monet *Mercatus* cavendum eſſe ne nimis adſtringentia apponantur, quia magnam inferunt aſperitatem, dolorem & vigilias conciant; Ideo addere ſuadet *oleum roſac papav. ceruſſam, terram lemniam, amylum.*

Reponendum eſt inteſtinum, ſordibus aut humore mucoſo prius deterſo cum *vino rubro* calente; aut vno eodemque decocto & detergentur ſordes, reponitur inteſtinum, & roborantur muſculi illi continenter.

Quod ſi alvus reponi nequeat foveatur prius decocto emoliente, *malvæ, alth. lilior. ſem. lini.* deinde adſtringente, ex *decocto malicorij. myr. roſar balauſtior aluminis*, Non eſt opus in pueris, vt dixi, validiſſimis adſtringentibus vti; Deinde aſpergere oportet pulveres *thuris, mumiæ, aloes myrrhæ ſanguinis draconis*, aliorum adſtringentium, vel inungere *oleis maſtich. cydonior* cum *albo Græco, acacia hypoſcitide*, bdellio, cuius *ſuffitus* etiam commendatur, ſicut & *Fotus ex aqua fabror*, & *marina* ex *Aetio* qui etiam *ſalem* inſpergere ſuadet, quod adultioribus potius convenit. *Primiroſius p. 88.*

℞. *Geniſtæ q. pl.* conſcinde proiice in carbones fumus ano excipiatur, proculdubio iuvabit. *Obſtetrix Gallica. p. 1. c. 22.*

VI. 30. *Lumbrici*, de quibus libro quinto ſufficienter dictum.

Præcaveri poſſunt 31. partim.

Diætâ, in qua dulcia, pinguia, lac, piſces fructus horarii, ficus & alia vitanda; potui C. C. præparatum immergendum.

32. Partim *Medicamentis*, materiam generationi vermium aptam, ſubducentibus; 33. vt ſunt decoctum *ſebeſten*, aut ejus electuarium, Rotulæ *diaturbith, cum Rhabarbaro*, &c.

VI. *Lumbrici.*

30. *Lumbrici*) Lumbricis oblongis ac teretibus maxime afficiuntur vſque ad adoleſcentiam homines: Sunt autem illi res toto genere p. n. cum ipſi nunquam debeant ineſſe, ſuntque ipſi ſemper noxij, mordent ſiquidem, perterebrant, conſumuntve partes quoque continentes, quin non raro ab ipſis producuntur febres graves, motus epileptici & aliquando mors: Reperiuntur ac producuntur frequentius in tenui inteſtino à quo & aſſurgunt ſæpe ſurſum in ventriculum, hinc & eſophagum atque os, quin eadem via ſubinde vomitu excernuntur & deſcendunt deorſum ad inteſtinum craſſum, exitumque quærunt per anum, qua via etiam cum alvi excrementis excludi ſolent.

Inveniuntur iidem aliquando in Renibus (quod frequens eſt in canibus) ibique ſubſtantiam ipſorum conſumunt; *Ortum* habent vt plurimum à nimia ciborum ac præſertim carnium fructuumque horariorum ingurgitatione, quapropter minus poſſunt fermentari, ac proinde crudiores diutius hærent in tenui inteſtino, atque paulatim corrupti vermium generationi præbent occaſionem.

In qua crudiorum alimentorum corruptione habitus acres exoriuntur, quaquaverſum propulſi pungunt primo inteſtina, mox & ventriculum, quin per oeſophagum aſſurgentes Nares quoque) vnde continua fere narium frictio, & in ventre morſus, vermium ſuſpicionem fovent) ſed halitus iidem per vaſa lactea vſque ad cor delata ibidem *Febrem* producunt atque eo cerebri radices penetrantia, ipſaſque mordentia, *Epilepſiam & convulſionem* efficiunt, quibus malis gravioribus exſtentibus mors ſæpe ſuccedit.

Humorum namque putreſcentium, hinc & halituum acrimonia moleſta effervescentiam vitalem extinguit, quod à quovis acri excedente fieri notiſſimum eſt anatomica experientia, & utriuſque acris infuſione in venas apertas, quamprimum enim illud dextrum cordis ventriculum notabili accedit copia mox animal necat. *Fr. Sylvius Aſp. tr. 1. cap. 10.*

Si mucus ſimilis, blandior tamen & dulcior ex alimentorum quocunque modo digeſtorum reliquiis in inteſtinorum canalibus diutius hæſerit, occaſione loci caloris; & inchoatæ ſucceſſivæ putredinis occultata lumbricorum ſemina excitantur, fœtuſque vivi excluduntur, ſemine ſcilicet vegetabilium cerealia, in ſpecie ſecalica & triticea, vel immediate in pulte farinacea, vel mediate cum lacte ex pane comeſto genito ingeſta, ſeminali inſectorum contagio (quod ſub minima etiam mole latere poteſt, vtpote conſtituere dicitur ſaltem 2800. partem ſui ſeminalis corporis) quaſi impregnata, data occaſione hæc excluunt; Accedit vt monui, tepor loci blandus, vis digeſtiva ventriculi debilior, qua digerendo non ſubiguntur omnino dicta

animalculorum ſeminalia primordia, & temperata bilis acrimonia infantum, defendens alios ſuccos quos attingit, tam à putredine & verminatione, vnde & ibi quo fermentum fellis non pertingit lumbricorum eſt patria, autore *Helmontio Tr.6.plur.digeſt.§.82.* hinc & tæniarum in adultis cauſam potiſſimum in obſtructionem cyſtis felleæ refert *Hartmannus Pr.c.156.* Talibus ergo occaſionibus facile viva iſta putredo excitari poterit *Etmuller p.24.*

30. *Lumbrici*) Hoc advertandum, quod in praxi quotidie obſervatur, Pueros lactentes, quibus carnes exhibentur, à lumbricis maxime infeſtari, propterea quod tenelli eorum ſtomachi ſolidum illud alimentum conficere non poſſunt, ideo corrumpitur & in lumbricos faceſſit: Adde quod Lac citiſſime cõficitur in ventriculo & confectum ad inteſtina deturbatur, quod ſi carnem admixtam habeat, quæ tam cito confici non potuit; illa cum lacte ſimul in inteſtina demittitur, ibique putreſcit & in lumbricos convertitur: Obſervent etiam juniores, ex lacte ſolo nunquam lumbricos generari, ita vt quoties de morbo infantis alicuius ambigitur, vtrum ſcil. ex lumbricis laboret, quos mulierculæ perpetuo accuſant, omneſque morbos infantiles ac puerilès ad lumbricos referunt, ſicut mulieres omnes affectus vtero adſcribunt; medicus certo pronuntiare poſſit infantem illum, ſi ſolo lacte veſcatur, neque carnem aut juſculum ex ea guſtaverit, lumbricis non laborare; Hoc diſerte docuit *Gallenus* comm. aph.26.ſ.3. dicens in pueris lac ſugentibus vermes non generari, cuius rei ratio perſpicua non eſt, miſſis aliorum opinionibus, cenſeo Lac putreſcens aciditatem contrahere, quæ inepta ſit lumbricorum generationi, imo vero fortiter illi obſiſtat; acida enim omnia vermes enecare notiſſimum eſt: hinc ſuccus limonũ ad hanc rem vtiliſſimus: Et in potu ordinario aqua, ſpiritu vitrioli acidula reddita in hoc affectu mirabilis eſt. *Riverius.*

Signa.

Difficulter cognoſcuntur, nec certa ſigna habent, quæ non ſint aliis communia, multa tamen ſunt conjecturalia, Nam pueri multum ſalivæ emittunt in ſomno, minus interdiu ſomni ſunt cum tremore & turbulentis ſomniis, interdum enim repente exiliunt, exurgunt, Dentium adeſt ſtridor, pavor, dolor, vellicatio ventris & eius orificij. color faciei modo pallidus, modo rubet, ſcilicet fugax eſt ille color: Interdum accidit ſyncope, fiuntque febres cum pulſibus inordinatis, Adeſt extremorum frigiditas, ſudor ploratus, venter durus, eiuſque inflatio inſtar tympani, etiam cum alvi fluxu tuſſis ſicca & inanis cum motibus convulſivis ſingultus fœtor anhelitus, corporis tabes cum fame, abſque vlla vacuatione narium frictio, quæ ſingula ſeorſum aliis affectibus conveniunt, & coniuncta certo non concludunt. *Primiroſius.*

31. *Partim Diæta*) Cum tam gravia excitent mala Lumbrici danda opera vt Diæta conveniente & moderata præveniatur illorum exortus, quin vbi peccatum eſt in diæta, vt tempore tum Diæta oppoſita & ſubcontraria vitium illud emendetur, tum medicamentis convenientibus humorum cruditas corrigatur, quin minuantur copia fere ſimul peccantes humores; Denique vbi iam præſentes ſunt & vrgentes Lumbrici, vt interimantur expellanturque Cum pueri ſint fere voraciores & carnivori, paulatim aſſuefaciendi ſunt alimentis paucioribus, con venienti tempore aſſumendis, curandumque pane multo vtantur cum carnibus à quo facilius contingit ſatietas, minuſque adeo verendum periculum: vitandus quoque frequentior Lactis dulcis vſus copioſus vt & caſei atque fructuum horariorum & inprimis prunorum, à quibus obſervatum eſt promoveri vermium proventum. *Fr. Sylvius.*

32. *Partim medicamentis*) Cum ex ingurgitatione crudi humores ſint præſertim *pituitoſi*, conveniunt præ aliis tunc *aromatica & amaricantia*, quæ quovis modo vſurpata Pituitam corrigunt ac emendant, quin quodammodo fermentant, & aptam reddunt vt laudabilem chylum promat, ſicque plura mala præveniuntur.

In hunc finem conducent quoque ſalia volatilia, fermentationem promoventia, tum pituitã corrigentia, tum Flatus fere coniunctos & abdomen diſtendentes diſcutientia, ex liquore convenienti ac potu ordinario parva quantitate vſurpata; Pituita rebellis tenacior, ideoque difficilius in totum emendanda minuetur feliciter per phlegmagoga blandiora, *ſennam agaricum*, ſed inprimis *Mercurium dulcem*, Lumbricis æque ac ipſorum materiæ adverſum.

Lumbricos necant modo laudata ſubamaricantia, inter quæ facile primas tenet *zedoaria* dictum *ſemen*, quod aut ſaccharo poteſt obduci, & ſic comedi, aut in pulverem redigi, atque ad ℈ß. aut pro diverſa ætate maiorem quantitatem quovis modo exhiberi, aut puppula incluſum hydromeliti indi, exhibendo in dies vnum vel duo hydromelitis cochlearia.

Expellit Lumbricos præ aliis feliciter *mercurius dulcis* modo laudatus, ſi ad pauca grana ex *ſyrupi roſarum ſolutivi ſimplicis* aut *ſenna* alteriuſve tantillo exhibeatur infantibus Ad. *Fr Sylvius.*

Purgatio ex *rhabarbaro*, aut *mercurio dulci* addita *reſina Jalapæ* inſtituitur: Puer ex convulſionibus iamiam moribundus dozin *mercurii dulcis* cum *reſina Jalapæ* ſumpſit; hic cum alvi deiectionibus, quas quatuor habuit, lumbricos xij. excrevit, & derepente convaluit.

℞. *Rad. ſerpentar. virgin. pulv.* ʒj. *corall. ad albed, calcinati* ℈ß. *f. pulvis dozis* ℈ß. *bis in die per tres dies continuos, ſuperbibendo decoctum rad. graminis.*

℞. *Spec. hieræ, pic.* ʒiß. *Theriac. Ven.* ʒij. *f.* Empl. pro abdomine, vel Empl. ex *galbano* applicetur vmbilico. *Willis.*

Vermium vitioſa proles, mille incommoda afferens, facilius vix exturbabitur quam *mercurialibus* per os exhibitis, infuſis tunc ſimul *clyſmatibus ex lactis vaccini vel mulier* ℥ij. *ad* ℥iij. addita *ſacchari* ſ. q. vt *illorum* hoſtili impetu in fugam verſi lumbrici, *huius* dulcedine allecti, melius decipi queant.

Vſurpantur *mercurialia*, vel in forma *aquæ* vt vocant, *Hermetici*, ſeu quam *mercurius vivus* in eadem bulliendo ſuo contagio infecerit, in forma *pulveris*, ſi nempe *mercurius vivus* cum certo quodam ſucco, *inquit Schroder. Pharm. l. 3. ſ.* id eſt cum *ſaccharo* continuata tritura in pulverem redactum propinaveris in cochleari ligneo; Loco cuius & in ablactatis *mercurius dulcis* cum *conſerva flor. perſic.* vel cum *ſacch.* in rotulas redactus commode vſurpatur.

Quod ſi quis horreat ad mercurij nomen, is *gentianæ pulverem* cum c. c. ſine igne, & tantillo *myrrhæ* jurato lumbricorum hoſte (vel quæ præſentaneam magis fert opem, *Tinctura ſalutis* exhibere poterit: vel ſaltem *ſpiritum & ſalem volat.* c. c. adeoque & polychreſtum *liquorem* c. c. ſuccinatum.

Applicari poteſt præterea vngu. *aloës hepatica* cum *felle* tauri ſubactæ, & cum *oleo colocynth.* acutæ, regioni vmbilicali, cum pottione veſiculæ, ſuillæ, ſic namque facile inviſi hi hoſtes eliminabuntur. *Etmuller pag. 44.*

Curatio Lumbricorum conſiſtit in eorum *enecatione*

ſitque

& expulſione vtrumque egregie præſtat *fel bubulum* cui nonnihil *pulver. cymini colocynth. & aloes* eſt admixtum quod ſtupa, ceu lana, in modum ſphærulæ formata exceptum vmbilico infanti affigatur.

Extingunt & expellunt quoque gtt. v. aut vj. *ol. vitrioli* pro ætatis ratione per aliquot dies vacuo ventriculo, cum pauxillo *vini* exhibitæ: Auxiliantur quoque *aqu. polygoni & graminis.*

Sed in mirifica vis eſt in lumbricis enecandis & expellendis ſi lumbrici alterius pueri eloti, & exſiccati in pulverem redacti cum pauxilloque *ſaccharo* mixti ad ℈i. aut ʒß cum *lacte* aut *hydromel.* exhibeantur, (*Certe quidem expellere vermes aiunt, ſed quia pulvis ille lumbricorum ſit ſeminium, argumento eſt quod cuicunque individuo etiam vbi nulla illorum indicia, nulla ægritudo, vermes tamen educantur.*

Adultioribus pueris mane ac veſperi per aliquot dies *pulv. ſem. ſanton.* ʒ. *aut* ℈ j. cum *hydromelite* exhibere (*efficacime cum ſapa exhibetur*) Plurimum confert, Enecat enim & impellit lumbricos vt vulgata teſtatur experientia.

In Lumbricis ſubducendis, antequam remedia intra os exhibeantur *lac aut mel.* cum molli lana exceptum, & ano inſertum, invitat lumbricos vt ad inferiora repāt·

Aſcaridum Curatio.

Si Aſcarides, i. e. exigui vermiculi, iis ſimiles qui in putrefacto caſeò conſpiciuntur, hæreant in recto inteſtino ſive ano, tum mellis lana imbuatur *oleo amygd. amar cui aloes* nonnihil ſit admixtum, & ano inſeratur.

Folia Perſicor, vireſcentia, parumque contuſa, inſtar cataplaſmatis vmbilico & ventri impoſita enecant, & propellunt lumbricos. *Fr. Ioel.*

Hic pulvis miræ virtutis eſt.

♃. *Rhabar. agar. ſcord.* ā̄ā. ʒi. *muſci marini* ʒiij. *c. c. vſti ſem. portul.* ā̄ā. ʒij. *aloers illotæ* ʒiiiß. *m. f.* Pulvis Doſis ʒi. cum vino, vel cum iure carnium *Omnibon. Ferrarius de Arte m. Inf. l. 4. c. 3.*

Cæteris nihil juvantibus, arcanum meum bis vel ter cum vino exhibui.

♃ *Semin. ſanton.* ʒß. *fol. card. ben. tanaceti, rad. filicis* ā̄ā. ʒj. *vitrioli calcinati* ℈i. m. F. Pulvis. *B. Timæus Lib. 3. caſ. 13.*

[33] *Vt ſunt decoctum*) *Mercurii dulcis* familiaris eſt vſus qui maiori quantitate præſertim infantibus minus fauſte cedit: Hic infantibus datus a x ad xxx. granā pro vermibus plerumque (niſi robuſtiores ſint) debilitatem & infirmitatem membrorum cauſatur. *Glauberus p. 2. F. P. c. 38. p. 8.*

VII. *Hernia*, quæ *oritur* vel à [34] *laxato aut rupto peritonæo* [35] ob fletum, tuſſim, lapſum, crurum divaricationē; & tum, tumor in una plerumque parte eſt, inteſtina prolapſa tactu percipi poſſūt;

[36] Curationem vide ſuo loco.

[37] Vel *ab humore aquoſo in abdomine abundante*, & in ſcrotum deſcendente, eumque in tumorem attollente; & tum, tumor plerumque eſt in utroque latere, ſcrotum magis quàm in enterocele inflatur.

In Curatione [38] Diſcutientibus utendum.

VIII. [39] *Vmbilici inflammatio*, [40] *quæ oritur*, [41] quondo ſanguis eo ex dolore, & læſione ab aëre externo concurrit.

Periculoſa eſt ſi in abſceſſum mutetur, eoque rupto inteſtina procidant. Ideò ſuppuratio quantum fieri poteſt, prohibenda eſt.

IX. [42] *Vmbilici prominentia*, quæ eo ab inflammatione *Diſcernitur*, quod umbilicus tactui cedat; color cutis non mutetur, nec pulſus vel dolor, niſi inteſtina valdè prolapſa ſint, adeſt. *Oritur.*

1. A *mala illius ligatione*, vel quādo major ejus pars quàm debet, relinquitur. Et hæc incurabilis eſt

2. A *peritonæi laxatione*; & tum tumor æqualis ferè manet, umbilicus non ita multum prominet.

In [43] Curatione, à flatulentis cibis, tuſſi, fletu cavendum.

3. A *peritonæi ruptura* & tum tumor, dum infans ſupinus jacet, vix percipitur; dum ambulat, ſedet, flet, clamat, incrementum ſumit.

In *Curatione* muſcus, qui in pruno ſylveſtri naſcitur, utilis eſt. *Foreſtus* Rotulas è corio confectas; & oxycroceo inunctas laudat.

VII. *Hernia Puerorum.*

Infantium hydrops ſcroti tumor, ventris, glandis virilis in prax. obſervavimus ſæpius ſollenne eſſe pueris 1. ſcrotum ſubtumidum, & quaſi aqua repletum habere, id quod ſponte, ſuccedente ætate cedit. 2. Eoſdem rumidum ſæpe gerere ventrem, extremis areſcentibus, ad inſtar adultorum aliorum hydropicorum; idque 3. potiſſimum ob glādulas inteſtinales obſtructas, vnde 4. præter purgantia blanda, quæ optime ferunt, duobus potiſſimum curati ſunt præſidiis *Tinctura martis aperitiva cydoniata, & arcano duplicato:* Laborabat infans duorum annorum, poſt potum nimium in variolis hauſtum tumore ventris maximo, cum veſicula cryſtallina membri virilis, ſeu illa intumeſcentia, vt cuticula elevata, & ſubtus repleta omnia aqua viderentur ac extenſa, ſolo. vſu *arcani duplicati* laudati curatus. *Wedelius A. m. m. p. 169.*

[34] *Laxato aut rupto*) In pueris fit potius laxato peritonæo quam rupto, ob humiditatem. *Primiroſius.*

[35] *Ob fletum, tuſſim &c.*) Adde & teneſmum. *Ioel.*

Cauſæ poſſunt eſſe nimia ciborum repletio, flatus copioſus, fortior in egerendo conatus. *Primiroſius.*

[36] *Curationem vide*) Multis obſervationibus nullum remedium ſalubrius infantium rupturis inveniri expertum eſt, quam ex tritis cochleis thure & ovi albumine emplaſtrum confectum. Hoc enim ſi parti affectæ apponitur, & infantes eo tempore in lecto detinentur, miram in ſanando affectu retinet efficaciam *Matthiolus.*

[36] *Curationem*) Cura remediis & ſubligaculo perficitur, Remedia adſtringentia eſſe debent; Deligatura probe facta, ita vt inteſtinum non amplius delabatur, ſponte curatur intra aliquot annos: Interna remedia parum proſunt ſola ſpes in externis eſt; Quidam etiam interioribus vtuntur.

♃. *Num mulariæ ſiccæ* ℥j. exhile ʒi. cum pulticula; vel *aqua herniariæ* à novilunio ad pleniluniū. Item, *ſemen ſophiæ*, Detur ſæpe *decoctum pyrolæ, ſaniculæ, hiperici conſolidæ ſaracenicæ, artemiſiæ, ſcolopendrii oſmundæ regalis.* Primiroſius.

Curatio Ramicis in pueris eiuſmodi eſt inſtituenda vt

ſi alvus ſit adſtricta emolliatur, & pituitoſa excrementa ſubducantur; aut *pulpæ caſſiæ* ℥v. aut mannæ totidem drachmis in *inſculo prunor* diſſolutis Deinde artificioſe ac moliter infante in dorſum reclinato inteſtinum, ſive in ſcrotum ſit devolutum, ſive in inguina delapſum ſublevetur, & in proprium locum retrudatur, ſtatimq́ue ex ſequentibus cataplaſmatibus vnum imponatur, & ſubligaculo apto alligetur ac conſtringatur.

Nec interim ea quę intra corpus aſſumuntur prætereũda ſunt quæ vim habeant ruptas membranas conglutinandi, præbeantur itaque bibenda puerulo ſingulis diebus, mane ac veſperi ſequ. potionis cochlearia iij.

℞. *Arnogloſſæ ſanicul.* ãã. *m.* ß. *rad. cariophyllat ſymph. mai. ſarmenti Ind.* ãã. ℥ß, *agrimon. p.* j. *coqu. in* aquæ ℔j, in duplici vaſe, & addito *ſach. cand. q. ſ. f.* hauſtus tepide propinandus.

Prætetea pueri per totum curationis tempus à vehementi corporis agitatione ac motu, tuſſi ac ſpiritus cohibitione, ac vehementi conatu in egerendo ſtudioſe abſtineantur. *Ioel.*

Familia Dom. N. aliquid habet συγγενὲς ſexdecim liberos ex vxore ſuſcepit. omnibus fere, aut maiori parti Hernia fuit familiaris recens natis ad quintum aut ſeptimum annum durat ea infirmitas, Exacto anno ſeptimo nihil amplius tale apparet; An quia relaxario peritonei ipſa per ſe ſanatur? Ac cum matres quæruntur de herniis puerorum, non eſt cur tantopere in hoc malo curando laboremus Natura enim eſt medicus. *Ballonius Epiſt. l. 2. p. 232.*

Ex Filiis meis vnus ex violento motu herniam contraxit, per biennium inutiliter perizomare inſtructus fuit illius ob moleſtiam vſum pertæſus negligit parentibus inſciis ſponte ſanata eſt hernia paulo poſt quam fovebat ſubligaculum.

Certiora ſunt externa, quæ debent eſſe adſtringentia, & reſolventia, ſemper ſuperpoſito ſubligaculo, vt *cortices nuceſque cupreſſi, gallæ myrtus ſumach. balauſtia, acacia, malicorium alumen, ſarcocolla* cum *aceto* imponatur

Sic etiam fiat *Fotus* ex *decocto virga aurea, linaria, herniariæ radice aronis, fraxino* & *vlmo.* ex *valetio.*

Cicutam quidam frigunt in *aceto* & applicant.

Avicenna, Faventinus, Kufnerus probant *ſemin, ameos* cum *albo ovi* impoſitum Exſiccat & ſtringit foramen ne aliquid deſcendat. *Primiroſius.*

Inter cætera Rupturarum ac Ramicum puerilium remedia, celebriora ſunt hæc ſequentia.

℞ *Arnogloſſi cum rad. m.* ij. *lentium m.* iij. ſimul coquantur ad mollitiem, *contuſis adde far. lupinorum q. ſ. rad. aronci, capill. ven. ſanicula alba* ãã. *m. ſ. contuſa coquantur* in *butyro inſulſo,* maiali, & *pingued. gallinæ* ãã. *q. ſ.* Adde *far. lupin. fiat Catapl.* tepidum ſingulis diebus ruptæ regioni imponendum.

Si ruptura recens ſit.

℞. *Album ovor. n°.* iij. concuſſis adde pulver. tenuiſſimi *thuris, gallar. acaciæ, pſidiæ, ſuccini, myrrhæ* ãã. ʒij. *alumin.* ʒi. Probe commixtis, & bombace aut molli lana exceptis, parti admove.

His præcitatis validius rupturam conglutinat ſequens Emplaſtrum.

℞. *Myrrhæ. nuc. cupreſſi aloes, acaciæ* ãã. ʒij. tenuiſſime pulverata excipiantur q. ſ. *ichthiocollæ* fiat ſ. a. Empl. alutę inducendum. *Ioel.*

Multis obſervationibus nullum remedium ſalubrius infantum Rupturis invenit quam ex *tritis cochleis thure & albumi, ovi Empl. confectum*, Hoc ſi parti affectæ apponatur, infantes eo tempore in lecto detineantur, miram in hoc affectu obtinet efficaciam. *Baricellus* ex *Matthiolo.*

Remedium certiſſimum ad Herniam.

℞. *Rad. filicis mar.* detrahe fibrillas omnes radicem ambientes, cuticulam quæ ſuperiacet radici, exſicca in furno & pulveriſa, De hoc pulvere propina quotidie quantum vis. *obſtetrix gallica* p. 4. c. 8.

Egregiè hic valet *radix hirundin.* cuius ſolius fomentatione, emplaſtratione & balneatione puer quidam curatus eſt *floreſtus l 27. obſ. 14.*

Affirmabat quidam ſequens remedium ſæpe feliciter vſurpatum eſſe *Limaces rubros fictili incluſo calcinabat* & pulverem infantibus in polenta exibebat. *Pareus op. l. 7. cap. 15.*

In infantibus præſtantiſſimus eſt hic pulvis.

℞. *Rad conſol. mai.* herb. *ſerpentariæ perfol. herniar.* ãã. ʒj. *ſem. plantag.* ℈iv. *fœnic cichor.* ãã. ℥j. *corallor. prep.* ℈ß *ſacch. roſ. tabell. q. ſ. m. F. Pulvis* Doſis m. & v. cocleare parũ in pulmẽto. *Ioh. Scultetus Armam. p. m. 147.*

37. *Vel ab humore aquoſo*) Fit & à *Flatibus*, Tunc vngatur pars *oleo chamam. aneth. lilior. pulv. cymino, calamenth. lauri:* Empl. de *vigo cum mercur*, & *diacalcith.* in *vino* generoſo diſſolutum, cum pauco *oleo laurino*, ex *Paræo.* Primiroſius.

38. *Diſcutientibus vtendum*) Si fiat ab *aqua, laudatur Deſiccat rubr.* cum *vngu. comitiſſa Empl. de baccis lauri*, cum *myrrha.*

℞. *Stercor. vaccini* ℔ß. *ſucci caulium* ℥iß. *ſulphur.* ℥ß. *baccar. lauri* ʒj. *olei & ceræ* ãã. *q. ſ. m.*

Naſturtium aqu. cum axungia ſuilla, Prodeſt ſpongia ex aqua calcis.

Chirurgo etiam per ſimplicem inciſionem, ſi remediis non cedat facilis eſt & ſive periculo. *Primiroſius*

VIII. *Vmbilici inflammatio.*

39. *Vmbilici inflammatio*) Hunc affectum reſencet *Hyppocr. aph. 24. 3.* inter eos qui τὰ σμικρὰ καὶ νεογενῆ παιδία, parvos & nuper natos infantes infeſtant *Galenus* interpres corroborat, vmbilicorum enim inflammationes, non multo antea præciſorum non ſine ratione noviter natis puerulis accidere, non ſecus ac ſi alia pars fieret vlcerata, Et *Avicenna lib. 1. Fen. 3. Doctrin c. 3.* aſſerit infanti accidere Apoſtema, propriiſſime tamen quando vmbilicus inciditur, *Sebaſtianus Auſtrius de morbo p. n. xliij p. 268.*

40. *Quæ oritur*) Accidit hæc vmbilici phlegmone poſt aliquot à nativitate dies, ob minus rectè factã reſectionem, aut ſiniſtre adminiſtratam ligaturam: Nam vmbilicus nihil eſt aliud quam ſegmentum vaſorum vmbilicalium, venæ nimirum & duarum arteriarum; vel illud reſiduum quod in medio abdomini poſt vaſorum vmbilicalium, & vrachi ligaturam & exectionem relinquitur, quare ſi laxius ſtringatur, ex vtroque vaſorum genere aliquid ſanguinis in illum effunditur, vnde experimur vmbilicum quorundam infantum cruore perfuſum aliquando eſſe aliquot diebus: Hæc eadem laxior ſtrictura in cauſa eſt vt quibuſdam etiam vrina per vmbilicum exeat, *Sebiſius man. p. 1861.*

41. *Quando ſanguis eo ex dolore*) Cauſa dictæ inflammationis vmbilicalis quæ quibuſdam poſt aliquot dies à partu ſupervenit, eſt dolor, qui ſanguinis affluxum excitat quem poſtea inflammatio ſequitur, & hanc febris magnaque infantum inquietudo; Ideoque malèdecenti cura mature obviam eundum ne in abſceſſum degeneret, qui ruptus herniam vmbilicalem facere poteſt; Inflammatio hæc, ſi ob copioſi ſanguinis accurſum effatu digna ſit, ſymptomata habet cum aliarum partium inflammatione communia, nempe ruborem & dolorem, duritiem, renitentiam, pulſationem. *Idem*

42. *Quantum fieri poteſt prohibenda*) Videtur ergo dolorem in curatione leniendum eſſe, affluxum ſanguinis reprimendum, & quod influxit diſcutiẽdum. Ad *dolorem lenientia* referri poſſunt *ol. roſat. compl. ol. lumbric. aneth. amygd. dulc. lilior. alb. chamamel. matricar.*

Sãguinis afluxũ repellũt, aquã *plãtag. roſar. cẽti nod. hippurid. burſa paſtor. fol. quercus, fragariæ & fragor: ſolani.*

Vnguenta, *album camphor. de lithary. de tuthia Refrig. ſolani popul. ſantal. de plumbo* &c.

Impor-

Impactam materiam digerunt & diſcutiunt *vngu.althea*, *anodynum*, additis *ol.chamam. aneth. irino*, *matricaria. Idem.*

Vbi malum eſt recens inungimus *ol.roſar.*cum *oleo lūbric.terreſt*, Dein inflammammatione ſedata vtimur *oleo chamamel & aneth.* Tandem applicamus maioris exſiccantionis gratia *maſtiches pulver. cum album. ovi.* Nutricis interim Diæta ad frigidum & humidum inclinante *Hoeferus H.m. l.7.c.6.*

Valent *ol.roſat.vngu.refr.Galeni* &c. maxime hæc apponi poſſunt in ambitu: Principio elapſo imponantur *malva* coctæ cum modico *butyro*, aut *oleo lumbric.* vel cataplaſma ex *pane,acetoſa,far.hordei,fænugr.*cum *lacte cocta* & *croco,maſtiche,cum ovi albo* laudatur, ſic vel reſolvetur vel ſuppurabit. *Primiroſius p.92.*

Si vmbilicus infantis exulceratus & inflammatus intumuit, *ol.roſar.* in quo *ceruſa lota* cōtrita lana molli exceptum imponatur, aut *album ovi* cui pulvis *thuris* eſt admixtus, & nonnihil *acacia & pſidii* eodem modo imponatur Aut imponatur *Empl. Ceadmia* quod officinis Griſeum nominatur. *Ioel.*

IX. *Vmbilici prominentia.*

42. *Vmbilici prominentia* Affinis Herniis eſt exomphalos vel omphalocele; Fit quando peritoneum circa vmbilicum rumpitur, aut relaxatur & amplificatur vnde inteſtinum ieiunum, quod vmbilicalem abdominis regionem occupat prolabitur: Eaſdem habet cauſas cum Enterocele, tuſſim ſcil. eiulatum, laborioſum in fæcum devectione conatum, vomitum violentum, flatuum abundantiam abdomen in inſignem tumorem elevantium. *Sebiſius man. p.1795.*

43. *In curatione)* Scopi curationis ſunt manifeſti, Si peritonæum ſolum ſit *relaxatum & amplificatum* ſiccantibus & adſtringentibus vtendum eſt Topicis: Sin *ruptum* conſolidantibus; Si cauſæ adſint removendæ ſunt, Flatulenta omnia & balnea vitanda, Alvus ſervanda aperta; motus quantum fieri poteſt vitandi, vmbilicus & ſubditum inteſtinum retrudendum; Retruſum ſuo in loco conſervandum, ſiccante & cōſtringente Topico: pulvinulum ſuperponendum, & Faſcia lata vmbilicus cogendus ne amplius procidere queat. Poſſunt & interni Pulveres, aquæ ſyrupi, & decocta vſurpari, conſtringendi conſolidandique facultate prædita. *Sebiſius.*

Præter ea quæ dicta ſunt capite de Hernia.

℞ *Vngu comit. deſiccat. rubr. ā ā.* ℥ß. *ireos flor.* ℥ß. *ſtercor. colum* ʒ1. *ſulph. vivi* ʒß. *nard. cera & terebinth. ā ā.* q.ſ. f. Ceratum.

Adſtringentia debent eſſe & reſolventia, ex *malicorio, thure aloe, alumine roſis* &c. Apponit *lupinos* in vino coctos *Raſis* cū ſtupa vmbilico, *Avicenna nardum Celticam* cum *tereb.*& *oleo amygd. d.* Addi poſſunt *ceruſa & Litharg. Paulus* præſcribit *alumen. gallas, balauſtia. faces vini, ceruſam*, *hypociſt. cum vino* & imponit. *Primi.*

Sive flatulentis ſpiritibus, nimioque ploratu vmbilicus promineat, quod fit quando aut tuſſiunt, aut continuè plorant infantes, præſtat hoc cataplaſma imponere.

℞. *Semin.cymi: lupinor. bacear. lauri ā ā. p.equ.* pulverata cum vino rubro ad pultis formam decoquentur Fiat catapl.

Si ex humorū affluxu intumeſcat vmbilicus imponatur cataplaſma ex *pulvere ſpica Celtica* & *terebinth.* q. ſ. cui pauxillum *ol. amygd.* eſt admixtum, quibus vtiliter & *pulvis linei panni* adusti admiſceri poteſt; Aut conficiatur ſacculus ex *ſpica celtica* & *cymino*, qui in *vino rubro* bulliat, & expreſſus tumenti vmbilico imponatur, plurimum cōfert ſi *arnogloſſa* & *muſcus* qui per frutrices *prunelli ſylv.* naſcitur ſimul in vino cocta, & contuſa inſtar catapl. vmbilico imponantur.

Intro infantulo exhibere licet ℈i. *pulv. rad. ſcrophularia* cum lacte. *Ioel.*

Feliciter expertus ſum hoc Emplaſtrum.

℞. *Pulv. thuris, myrrh. maſtiches, ichthiocolla ſarcocolla pſidij, alumin. carabes, nuc. cupreſſi ā ā.* ʒi. *antimon. croci aloes* non *lota ā ā.* ℥ij. *album ovor. q. ſ.* m. & cum ſtupa vmbilico inungatur ſtricte alligando *Omniberus Ferrarius de art. med. Inf. lib 4.c.5.*

Ego pro vmbilico extante in puerulis nuper natis, quatuor rotulas rotundas in corio rubro conficio *oxicrocea* obductas, & ſindone rubro coopertas, vel etiā ſine ſindone Hoc expertiſſimum eſt remediū, vt expertus ſum etiam in adultis, vna autem rotula maneat affixa per 4. vel plures dies antequā moveatur, deinde alia apponatur. *Foreſtus l.17. obſ.28* Ex quo *Arn. Weickardus Theſ. p. 317.* In puerulis, *inquit*, nuper natis, optimum eſt ſi *Empl oxycroc.* ſuper alutam extenſum vmbilic imponatur per aliquot dies, ſupraponendo plumaceolum aptum, & ligaturas, vt vmbilicus connivere non poſſit vſque ad perfectam ſanationem,

Vmbilici vermis.

Sennertus 3. prac. in morbis puerorum incognitis experti ſuadet virū vmbilico vermis lateat; quod tentare licet impoſito per noctem fundulo piſce; qui ſi depaſcatur, ſignū eſt latitantis vermiculi, puerum occulte torquentis: Is autem vermis tā ſe inſinuat vmbilico vt manibus extrahi non poſſit, necatur tamen appoſito pulvere *vitri veneti* in putamine dimidio nucis iuglandis. *W. Hoeferus Herc. med. p. m. 352.*

X. 44. *Calculus veſica*, qui ex eo 45. *cognoſcitur*, quod vrina cum dolore & guttatim emittatur: 46. ea interdum ſit limpida, interdum lactis, vel ſeri inſtar, interdum ſanguinis aliquid contineat, infantes 47. pruritum in membro virili percipiant.

Oritur 48. *ſeu* à lacte ex cibis materiam calculo formando aptam producentibus, genitos; *ſeu* à pulmentis, 49. accedente vel ventriculi aut epatis debilitate, propter quam inutilia non ſecernuntur; vel renum intemperie calidiore, ob quam chylus attrahitur, & ad veſicam non alteratus tranſmittitur.

In 50. *curatione* 51. Balnea locum habent, cum 52. inunctionibus: 53. nec non juſcula cum granis cynosbati depuratis confecta. Vide ſuperius l. 5.

XI. 54. *Vrina incontinentia*, quæ *Oritur.*

1. A 55. *conſuetudine*, muſculo orificio veſicæ claudendo dicato, ita diſpoſito, ut ad minimum ſtimulum laxetur. Si in habitum abit, ad mortem plerumque comitatur.

2. A, *calculo veſica*, de quo in præcedentibus.

3. A 56. *ſphincteris imbecillitate*, à frigida & humida intemperie inducta; quæ 57. partim diæta nutricis, partim medicamentis convenientibus, 58. intra & 59. extra adhibitis, (laudatur 60. *balneum* ex *ſulfure*, *nitro*, & *foliis quercus*, tollitur.

XII. 61. *Intetrigo*, quando cuticula in coxis à vera cute ſeparatur.

Oritur 62. inprimis ab urinæ acrimonia, in corpulentioribus præſertim, in quibus ſordes coxis ob corpulentiam corrugatis, adhæreſcunt.

In [67] *curatione* locum habet poſt balneum, *Nihili album*, loco adperſum, vel *unguentum de lithargyro illitum*

XIII. [64] *Macies*, quæ *oritur*.

A [65] *vermibus ſubtiliſſimis*, qui in muſculoſis brachiorum & dorſi partibus generantur, & alimentum abſumunt. Erumpunt capillis cinericiis aut nigris ſimiles, poſtquam illæ partes, in balneo. pane cum melle mixto fricatæ fuerint. Tolluntur, ſi novacula vel cruſtâ panis, poſtquam ſe exſerverint, abradantur.

2. A [66] *lacte* vel pauc, vel *vitioſo*, quibus vitiis interdum nutricis mutatione occurritur.

3. A *Faſcinatione*, quam *vel* corporum malè affectorum contactus, ut in ſcabie, lue venerea, &c. accidit, infert: *Vel* νοσερᾶς ἀποκρίσεις, ſeu morboſa effluvia, quæ aut eorum partibus, oculis præſertim, (hinc ophthalmia laborantes, ſi quis attentiùs adſpiciat, corripitur) erumpunt, & in eos transferuntur.

[68] Inter Medicamenta faſcinationem infringentia, [69] *Succinum* & [70] *Corallia* [71] collo an penſa, à quibusdam vehementer laudantur. Sed de puerorum morbis conſule Mercurialem & *Sebaſtianum Auſtrium*, cum *Nicolai Fontani* notis in ipſum.

X. *Calculus Veſicæ.*

[44] *Calculus Veſicæ*) Græcis dicitui λιθίασι *Hippocr.* lib. de morbis appellavit *Lithidem*, malum eſt graviſſimum ob dolorem, curandi difficultatem, vrinæ ſuppreſſionem ſæpe contingentem, tum quod pueri remedia non ferant, & quæ intus aſſumuntur vt plurimum ſint inutilia: Sola lithotomia, admodum periculoſa certiſſimum remedium. *Primiroſius.*

[45] *Cognoſcitur*) Quinque ſigna proponuntur ab *Hippocrate* 4. *de morbis*, 1. quod cum dolore & gemitu mingunt, 2. quod guttatim. 3. quod ſæpe vrinæ ſanguis commiſtus exit. 4. eſt ſabulum in vrina perpetuo fere apparens: 5. inflammatio veſicæ.

[46] *Ea interdum ſit limpida &c.*) Sæpe in tenellis, & quandoque tertio die poſt partum, lintea ſæpius ſabulo rubro conſpurcata videntur: In paulo adultioribus ſæpe eiuſmodi ſedimentum obſervatur arenoſum *Ioh. Dolæus Encycl. l. 6. p. 1037.*

[47] *Infantes*) Hoc intelligendum de pueris tantummodo maſculis, nequaquam autem de puellis, & mulieribus, nam diligentiſſimus *Avicennas 18.* ſcribit neque puellas neque mulieres faciliter tentari lapide veſicæ propter tres cauſas, quia ſcil. habent canalem veſicæ brevem, latum & rectum, non autem anfractuoſum. *Mercurialis l. 2. c. 21.*

[47] *Infantes*) Omnes ſcriptores comparantes lapidem veſicæ & renum tum in pueris tum in ſenibus, dixerunt pueros frequenter lapide veſicæ laborare & frequentius quam ſenes: Lapidem vero renalem ſenibus eſſe magis familiarem: Iam vero huic ſententiæ quotidiana experientia refragari videtur, quandoquidem multo plures ſenes reperiantur qui lapide veſicæ laborant quam pueri.

Pro reſolutione, dicendum eſt calculum veſicæ, duplicem habere generationem, Altera eſt qua lapis primum fit in renibus, deinde exploſus in veſicam peraccreationem augetur, quem modum generationis omnium veſicæ lapidum vnicam eſſe voluit *Fernelius*, Alter modus eſt quo immediate lapis in veſica generatur: Hinc dicendum lapidem qui immediate gignitur in veſica frequentior in pueris fieri quam in ſenibus, atque de hoc interpretanda eſt *Hippocratis* & aliorum ſententia: Lapidem vero quod attinet qui non immediate fit in veſica, ſed primo in renibus generatur, hunc verum eſt frequentius in ſenibus reperiri, docente quotidiana experientia.

Cur autem pueri potiſſimum laborent lapide qui in veſica immediate generatur explicat *Galenus 3. aph. 26 & 3. in 6. Epid.* Quoniam vtraque cauſa generationis lapidis multo maior & efficacior in iis eſt quam in ſenibus, nam cum pueri voraciſſimi ſint, innumeros crudos humores cumulant, qui in veſicam delapſi, fiunt materia lapidis generationis: Ad hæc pueri innato calore admodum valent qui materiam in veſica repertam faciliter in lapidem indurat, qui calor in ſenibus minor eſt, etſi abundent crudis & terreſtribus humoribus: *Avicennas* tres alias adducit cauſas, facultatis expultricis robur 2. vaſorum anguſtiam. 3. humorum tenuitatem. *Mercurialis ibid.*

Pruritum adde & quod ſubinde extenditur. *Ioel.*

[48] *Seu à lacte*) *Hippocrates l. 4. de morbis*, ſcribit lapidis veſicę originem vniverſam fere pendere ex lacte, quod in infantia homines ſugunt; quod Lac ſi impurum ſit, non ſolum lapides verum etiam alios morbos inducit: Impurum autem ait fieri lac quando aut nutrix veſcitur cibis pituitoſis & craſſis, aut quando ſuapte natura eſt vel pituitoſa vel bilioſa, vel aquoſa vel ſanguinea, vbi nomine aquæ *Hippoc.* intelligit humorem melancholicum, Iam vero à Nutrice huiuſmodi affectio imbibi poteſt, vt *Hippocr.* inquit, cum lac impurum ab infante ex ſugitur ſi enim venas latas habeat, quæ à ventriculo in veſicam tendant, huiuſmodi impura materia in veſicam defertur, vbi cum vrina ſubſidet, perinde atque aqua turbida, quieſcens ſedimentum facit, quod deinde ſedimentum vrinæ conglobatur, tandem indureſcit. *Mercurialis.*

[49] *Accedente vel ventriculi &c.*) Cauſam efficientem calculi calorem eſſe aſſerit quidem *Crato l. 1. fol. 70.* agnoſcit tamen præter calorem peculiarem vim lapidificam ineſſe ipſi materiæ confirmatur experientia materiæ in calculoſis excretæ per veſicam qualem tenacem glutinoſam, pallidam copioſiſſimiam vidi in Nobili N. Hanc ſi in linteo ſuſpenderis, in lapidem ob copiam ſalis concreſcet, quod ob mollitiem eius materiæ non crederes: Talem viſcidam excretionem. *Sennertus l. 2. pract.* provenire ait vitio primæ coctionis & ſecundæ, vi cuius multæ cruditates genitæ à renibus violenter attrahuntur, & ſic quicquid in corpore p. n. genitum eſt per hanc viam iam conſuetam natura expellit. *Hæferus Herc. med. l. 3. c. 4.*

Lac vitioſum cauſa eſſe poteſt, ſed non omne, verum illud tantum quod ex cibis craſſis materiam calculo præbentibus generatur, maxime ſi debilia viſcera excrementa probe non ſeparent renes ſint calidiores addſit hereditaria ad calculum diſpoſitio. *Primiroſius. p 93.*

[50] *In Curatione*) Conſiſtit in puerulis in externorum internorumq; remediorum adminiſtratione, Foris conveniunt Balnea & inunctiones: Alvus ſi ſit adſtricta, ſuppoſitorio ex *ſapone candido*, & *oleo chamæm.* intincto, linoque inſerto laxanda erit.

In adultioribus ſi calculus adeo excreverit vt veſicæ cervicem obſtruat, & vrinæ ſuppreſſio crebra ſubſequatur, & catherere calculus in veſicæ capacitatem repelli nequeat, ad lithotomiam eſt confugiendum. *Ioel.*

[51] *Balnea locum habent*) Balneum debet eſſe aquę calidæ, in qua concoctæ ſint *radices* cum *fol. malvæ, alth.*

flores

flores chamom.anath.parie tar.petroſel.& fœnugr.Ioel.

52. *Locum habent cum inunctionibus)* Poſt Balneum, mane ac veſperi regio veſicæ, & ipſa virgula, inungatur tepide *oleo ſcorpion* aut *de hyperico*: Et hæc quidem olea & intra virgam, cerea candedula excepta & imbuta immitti poſſunt:Poſt Inunctionem imponatur cataplaſma pectini ex *parietaria* contuſa viridi cum *ol. chamæm.* cocta *Ioel.*

Extrinſecus aut *Fotus* ex decocto *enulæ.petroſel.ſaxifraga,parietar.malvæ,alth.*Vel fiat *Linimentum* ex *oleo lilior.aneth.ſcorp.nardi, laurini, amygd.amar.* cum *pingued. cunic.gallinæ, vitellis ovor.*

Scribunt *Kufnerus* & *Mercurialis*, atque expertum aſſerunt,Si *cucurbita* antiqua in qua ſervatur oleum,calefiat aqua ferventi,atque in eam per orificium ipſius infans ponat virgam,vrina ſuppreſſa elicietur.*Primiroſius*

53. *Nec non Iuſcula)* Intra corpus vtiliſſime ℈i. aut pro ætatis ratione ℈ii.tenuiſſimi pulv.*ſuccini albi* aut idem pondus *lap.cancrorum*, aut *hircini ſanguinis* rite parati, aut cum lacte aut cum *aqua petroſel* exhiberi poſſunt: ſed præſentiſſimum remedium calculoſis puerulis *guttæ* iij.*ol.vitrioli* cum vino optimo exhibitę.*Ioel.*

℞. *Rad. aper malvæ liquir* ãã ℥ß. *adianti.polytr.ceter. beron.agrimon. malvæ, parietar. charefol.ãã, m. j. ſem. aniſi fœnic. petroſ.* ãã.ʒß. *ſem. fraxin. milij. Solis, frigid mai.*ãã. ʒj. *gran. alkek.*ʒj. *f.* ſyrupus, Dentur ſæpius duo cochlearia.

Prodeſt *decoct.alth. milii ſolis, g. prunor.cortic rad. lauri ,filipend. chamæleont, albi ,acori , ſenecionis cicer rub.eryngii lappæ ſem.peon.* Non eſt opus omnia hæc ſimul decoquere, ſufficiunt quædam ſolum , Sic *Kuſnerus* laudat *decoctum eryngij.& ſenecionis.* & aquam *centinodiæ trifolii chamæol.albi,hippoſelini,*Alia ſunt lithõtriba vt *terebinth.magiſt.ocul.& .ſuccin.ſãguis.hirci &c.* Pulvis *baccar.hederæ* cum *vino* albo detur. *Primiroſius.*

Maxime vtile eſt in hoc affectu *rad alth. decoctum cũmelle deſpumato* & *ſaccaro* ex intervallis datũ. *Cruto.*

Nephritis.

Puella xr febris die interiit,repertus lapis in renibus vomebat frequenter, cum vomunt ſæpe, & contorquent corpus pueri loco non conſiſtentes, de Nephritide coniectura eſſe debet; Et fomenta ad renes applicabis; Quod notandvm , vt prudentia medici infantium imbecilitati & infantiæ vt ita dicam humaniter ſuccurat. *Ballonius Epid. l. 2. p. 245.*

Lithotomiam bis paſſus eſt Nepos quidã meus;Nutrici fuerat traditus quæ in lactis inopia caſeo recenti illum ſaburraverat; circa xx. menſem indicia lapidis in veſica apparuere Anno ſeptimo ætatis primum ſectus, eductuſque lapis ovo columbino magnitudine æqualis, poſt annum malum recruduit, iterum expoſitus eſt; novem educti lapilli, quorum numerum peritiſſimus Dom. Cotilliard ante operationem exploratione prædixit:Poſt aliquot mẽſes nova calculi tormenta redeunt quæ puerum,trucidarunt; Aperto corpore fomes in renibus repertus,qui arenulis refertierãt.

XI. *Vrinæ incontinentia.*

54. *Vrina incontinentia)* Mictio involentaria pueris eſt familiaris multo magis quam adultis: Nuper natis etiamſi contingere poſſit, nemo tamen certo definere poteſt in tam frequenti ſuctione an frequens mictio ſit. p. n. In paulo adultioribus id obſervare facilius eſt.*Primiroſius p.15.*

Vrinæ emiſſione & incontinentia apud infantes lactantes laborandum non eſt, oleum enim & opera perditur quicquid etiam tentetur, cum enim ratione non dirigantur, neſciunt quid turpe ſit aut honeſtum: hinc quando natura vel copia vrinæ gravatur, vel eiuſdem acrimonia vrinam effluere ſinunt noctu & interdiu quocunque etiam in loco, &c. Laborandum autem eſt apud eos qui adultiores facti vrinam continere nequeunt. *Sebiſius. man. p.1799.*

55. *A conſuetudine)* Quæ ſomni tempore involuntaria mictio accidit, in qua juniores præſertim , nonnunquam & adulti lectum commingunt,cum ex conſuetudine prava nota , ab eadem hac diſſueſcendo emendabitur quod fiet ſi antequam ſomnus obrepat vrinam exonerare aſſueſcant;Et medio ſomni tempore ad eandem reddendam excitentur, idque tamdiu donec natura aſſueta in ſomno non amplius ad excretionem impellat, ſed ea vrgente vt expergefiant efficiat; Qua ratione vitium idque maxime ſi cauſas alias , hoc inde natum citius quam alia arte emendabitur quæ inſuper accedunt, mictionemque promovent, e quibus larga præſertim , tardiuſque , tempore ſomni eſt potatio, à qua ſibi cavere debent. *Platerus.*

56. *A ſphincteris imbecillitate)* Cauſa eſt imbecilitas muſculi ſphincteris veſicæ, atque interdum reſolutio; ſed in pueris non eſt neceſſe vt reſolutio adſit; quæ gravis affectus eſt, ſufficit ſola imbecillitas, quam frigida intemperies & humiditas pariunt *Primiroſius.*

Hæc affectio puerulis accidere conſuevit ob retentricis facultatis imbecillitatem muſculorum cervicis veſicæ,& laxitatem villorum obliquorum in veſica.*Fr.Ioel.*

57. *Partim diæta, partim medicamentis)* Curatio in fibrarum obliquarum veſicæ corroboratione conſiſtit: Lectum itaque permingentes puerulī arcendi ſunt à copioſiore potatione, & externa veſicæ regionis refrigeratione; deinde Topica adminiſtrari poſſunt.*Ioel.*

Roborantibus hic vtendum rarius purgationibus in puerili corpore, Nam ſi ab vrinæ copia fiat , facile erit victum & potum minuere, ſi ab acrimonia , refrigerantibus vti neceſſe erit ſed quoniam muſculi laxitas frequentiſſima cauſa eſt roborantibus vtendum eſt, cavendo à refrigerantibus. *Primiroſius.*

58. *Intra)* Multa potius experientia cognita præſcribi ſolent tam à veteribus quam à recentioribus; vti ſunt *mures aſſi*, qui tamen exſiccando prodeſſe poſſunt quoniam aſſi , non quia mures ſunt: *Cerebrum leporis* ex *vino albo* potum ſæpius expertum ait *Paræus Guttur* gallinæ crematum , De cerebro leporis *Aetius* ſcribit , *Quidam leporis cerebrum in veſicam porcinam* (quare non leporinam aut vitulinam ?) *coniiciunt & aſſatum vna cum veſica edendum prabent. Veſica* ipſa *porcina vſta* per ſe, pota iuvat, ſcilicet; quia vſta. Plura lege apud *Aetium* quibus non eſt fidei adhibenda, ſicut nec iis qui ex illo & *Paulo* tranſcripſerunt , Idem de carne *erinacei* vſta ſcribunt *Avicenna* tamen vult provocare vrinam, ſicut omnia vſta faciunt , à quibus ideo cavendum cenſeo.

Deſcribam tamen quædam , *guttur gallinæ vſtum erinacei teſticulum , veſicam ſuis , maxillam lucij piſcis veſicam ovis, linguam anſerinam coctam* per triduum exhibitam, *pulmonem hoedi aſſatum citra panem per triduum* , vide plura apud *Paulum* & *Aetium.*

Veniamus ad alia quæ melius cum ratione conveniunt , vbi notandum reſolventibus addenda eſſe adſtringentia , Sic prodeſſe poſſunt *calamint.caſtoreum myrrha, ruta , glandes toſtæ* cum *aqua plantag.* vel *vino albo* , Sic *decoctum myrtillo. nuc. cupr. roſar. rubr. baulauſtior.* & alia exſiccantia calefacientia & adſtringentia , fotus & balnea.

Cavendum à refrigerantibus , vrinam cientibus fructibus recentibus ; Sed victus ſit calidus ſiccus, ex *ſalvia maiorana , fœniculo, ſatureia, vinum* aliquantulum prodeſt intus aſſumptum & extrinſecus applicatum. *Primiroſius*

Intra corpus plurimum juvat puerulo ituro cubitum ſequ,pulviſculi ℈i.aut ʒß.cũ *aqua fol.quercus* exhibere.

℞. *Teſticul lepor. toſtor.* ʒi. *gutturis galli cremati, veſicæ porcinæ crematæ* ãã. ʒß.*glandium* ℈ii. *ſemin.rutæ, fol nepetha* ãã. ℈i. *m. f. Fiat pulvis tenuiſſimus.*

Veſica quoque *porcina* aut *ovilla* per ſe *vſta* & cum *juſculo* crebro exhibita magnum eſt præſidium.

At *muſculi veſica paralyſi* labotant, ita vt nec interdiu nec noctu retinere queant vrinam, ſed infra defluat, præſtat exhibere ℈i. aut ʒß. *caſtor. & myrrh.* part *aqu.* ſimul mixtorum cum *hydromelite*. Ioel.

[58]. *Extra adhibitis*) *Vinum* aliquantulum prodeſt intus aſſumptum & extra applicatum.

℞. *Primulæ ver. ivæ ſalviæ maioran. flor. anthos chamæm. ãã. m. j. gland.* ʒij. *f. Decoctio*, pro fotu. Vel fiant ſacculi applicandi lumbis & perinæo.

℞. *Menth. calaminth. rutæ. origan. roſar rub. ãã. m. j. galangæ, cyperi ãã.* ʒij. *f.* Decoctio pro fotu.

Liniantur prædictæ partes ex oleis nervalibus vt *coſtino, irino, de caſtoreo, vulpino, lumbric. de abſinthio*, *Primiroſius*.

Foris circa pudendorũ partes, & ipſum pudendum circumdetur *vngento ex argilla aduſta ex fornacibus piſtorum* deraſa, & *cum ſucco parietar.* in vnguenti formam redacta. *Ioel.*

[60]. *Laudatur Balneum*) Præſtiterit puerulos ad *thermas ſulphuris* & *aluminis* participes deducere, in iiſq; ue crebro Balneare, vel ex iiſdem materiis contuſis addita *pice* Balneum conficere. *Ioel.* Valent Balnea ex thermis ſulphureis, vel ex *ſulphure, nitro* & adſtringentibus *Primiroſius.*

Vrinæ ſuppreſſio, Difficultas.

Vrina in Infãtibus vel prorſus ſupprimittur, vel diminuta ſolum redditur, & tamẽ cum difficultate atque dolore, cuius nomine plorant nec ſomnum capere poſſunt *Cauſæ* ſunt variæ quæ tamen omnes oſtium veſicæ obſtruunt exitumque vrinæ impediunt, humores craſſi & mucoſi, ex ſimili lacte geniti, grumi ſanguinis, calculi, arenæ craſſiuſculæ & numeroſæ, pus &c.

Curatio requirit vt cauſa obſtructionis amoveatur, calculus ab oſtio veſicę abigatur immiſſo cathetere; aut parvulus ſi ſit clyſteribus, balneis inunctionibus, fomẽtis humidis, & quibuſdam ſed levioribus internis medicamentis. His iiſdem remediis etiam *arenulis* & *craſſis mucoſiſque* humoribus auxiliari licet, qui purgantia etiam requirunt, maxime *mel. roſat. ſol.* Clyſteres conficiuntur ex *parietaria, mercur. malva. alth.* ſemin. lini & *frenugr. ficubus hordeo*; Decocta col. adduntur *ol. aneth. chamæm. lilior. alb. caſſia ſacch. rubr.*

Balnea parantur ex *rapis dulc. parietar. malva alth. chamæm. petroſel &c.* Inunctiones fiunt *ex oleo ſcorpion.* Fomenta & Decocto *pellicul. cepar.* vel *allij*, vel *raphani mar.* baccar. *lauri iuniperi.*

Intrinſecus dari poſſunt *aquæ ſtillat*, vt *ononid. petroſ. ſaxifrar. linar. herniar. hederæ terr.* flor. *fabar. parietar. alkekengi.* Vel paratur *Emulſio* cum hiſce *aquis* ex *ſemin. 4. frig. mai. nucleis perſic & amyd. dulc* Sebiſius pag 1798.

Nihil melius eſt quam *cepam* aſſatam contundere & pubi imponere *Grulingius.*

Intus valde laudatur *Decoctum ſenecionis* vel *centinod.* vel *ſaxifrag.* & *decoctum cicerum*, Mercurialis vide *calculus veſicæ.*

XII. *Intertrigo.*

[61]. *Intertrigo*) παρατρίμματα attritiones ſeu excoriationes cutis: Niſi in infantibus illa loca, vbi caro plicas efficit veluti ſunt loca circa inguina, axillas & collum, ſubinde a nutricibus ſtudioſe lavẽtur ad ignemque ſiccentur, ab vrina ſudoribus, ſordibuſque ibidem collectis, cuticula facile abraditur & exulceratur. *Ioel l. 9. Pr. ſect. 5. §. 1.*

Intertrigo eſt excoriatio, ſeu cuticulæ à vera & germana cute abraſio ſive ſeparatio: fieri ſolet potiſſimum in craſſis, ſanguibus & carnoſis infantibus, & quidem in collo prope claviculas, & ſupra primas vertebras cervicis, ſub axillis, in inguinibus, in plicis femorum, in poplitibus, etiam iuncturis cubiti, cum humero ſive brachio in ſcroto, ano & perinæo. *Sebeſius man. p. 1800.*

[62]. *Oritur inprimis ab vrinæ acrimonia*) Intertrigo acerbo dolore excruciat infantes, peccante in ſpecie vrina, cuius, continua humectatione, & hinc ſalina acrimonia, tenerrima epidermis emolliri & relaxari ac pedetentim penitus eroſa ſeparari ſolet; in locis præſertim inter femora & circa clunes ſitis: Excoriationem iſtam, vlterius ſi proceſſerit læſarum partium gravior exulceratio etiam ad mortificationem partis ſubinde tendens ſubſequitur, aliaque pathemata pro partium diverſitate ſubinde variantia.

Præter vrinam & inſenſibilis tranſpiratio, aut ſenſilis, tranſſudatio, in locis impeditis, nominatim in articulorum flexuris ſub axillis modo dicti mali author eſſe ſolet; In multis nempe ſudor & vrina conveniunt adeoque affectuum identitatem comitem ſecum trahere ſolent. *Etmuller cap. 2. §. 34.*

Cauſam habet acrimoniam ſudoris & vrinæ, etiam mordacitatem fecum alvi præſertim cum porracea aut ærugnioſa imbutæ fuerint bile: ab iſtis enim partes abdominis exteriores & interiores facile lędũtur. *Sebiſius,*

Vlcera ſunt cutanea ex partium attritu, & contricatione genita, maxime inter femora pueris contingunt, ex acrimonia excrementorum in linteis ſi pueri probe non mundentur.

Nutrices quædam & nimium multæ, lintea in quibus pueri minxerunt, iterum vel ſole vel igne ſiccant, & pueris adhibent, quæ lavare oportuerat. *Primiroſius*

Humiditas aquea ſic evaporat ſupereſt ſal in linteis; quod mordicat: Sic qui coryza acri laborant, ſi ſtrophium vdum ad ignem exſiccant, idque naribus admovent, acrius illa vruntur & à ſuperſtite ſale ſui iuris facta nec temperato ab humiditate quæ præexiſtebat.

Prognoſis.

Mature huic malo occurrendum priuſquam ſuperveniat inflammatio, aut deſinat in vlcus: Dolet locus cum vel leviter digito attingitur, Dolor inquietudinem & in omni parit. *Sebiſius.*

[63]. *In Curatione*) Curatio eſt vt locus attritus & exulceratus ſedulo aqua tepida abluatur, in qua incoxerint exſiccati *flores violar* aut *hordeum excortic* aut *rad. alth.* Poſt lotionem mollitiſſimis linteis abſtergatur, & ad luculentam flammam exſiccetur. moxque vlceri inſpergatur aut caries ex piceis aſſeribus exeſis; aut *hordei* tenuiſſima farina, aut *Pulvis irid. aut pulvis roſar. Ioel.*

Plurimæ ſola *ceruſſa* pulveris: vtuntur magno cum fructu prodeſt fotus ex *aqua roſar. plantag. ſolani.* decoctum *roſar. plantag. violar. hordei, alth.* vel *pulvis amyli*, cum *aqua roſar*, valet etiam ad fiſſuras mammarum: Pulvis quoque *myrti, lentium, hordei mucago tragac.* vngu de *ceruſſa de litharg. diapompholi, lithargyr.* cum *albo ovi & oleo violat tuthia*; *Succus craſſulæ* cum *butyro maiali*: ceruſa, niſi malum increſcat, ſola ſufficit. *Primiroſius.*

Intertrigo ſi tenellam cutim, cuticulæ tegmine ſpoliaverit, vix citius aut jucundius removetur quam *croco martis ex vitriolo præcipitato*, Sine vllo vel minimo ſenſu loca excoriata reſtituens cuius defectu & *terra vitrioli dulcis* conſulto ſubſtitui poteſt. Vel ſi macularum in linteis exinde nata flavedo ſit obſtaculo, vſurpetur *pulvis ex c. c. vſto, creta*, & pauco *ceruſſæ*, quæ ipſa nodulo tenui incluſa, ſuſpenſa manu blande inſperſa ſuperimpoſito linteolo, quicquid fuerit mali ſiſtunt. *Etmuller. cap. 2. §. 19.*

Vbi eiuſmodi excoriatio acerbiores excitat dolores, primo mitigandi ſunt mucagine ex *ſem. cydon.* cum *aqua plantag.* facta, & linteolo excepta vlceribus impoſita, cui *mucag. tragac.* in *aqua roſar.* macerati aut *album. ovorum* cum *aqua roſar.* ſubacta, Aut

℞.

℞. *Album.ovi* n.j. *ol.violar.* ℥ß. *litharg.* ʒiß. diutiſſime terantur in mortario plumbeo ad craſſitiem linimenti; quæ raſura linteoli excepta ulceribus imponatur.

Verum ſi vlcera illa ex impuritate ſanguinis, non tantum in prædictis locis, ſed & aliis partibus contingant, ſanguis prius vel *caſſiæ* ℥ß. aut *mannæ* ʒvi. in *lacte* ſolutis purificandus erit. Deinde excoriatio lavetur *decocto violar. alth. & acanthi mollis* (*branca urcinâ*) & *tuſſilag*. Et *catapl.* ex *maſſa panis ſimilacei.* in *lacte* macerati: aut pulmentum ex *grumis avenæ* imponatur; & vlceri inſpergatur *cinis chartæ* ſive *papyri.* aut imponatur ſequ. Empl. per linteolum extenſum.

℞. *Ol.roſat.* ℥ij. *ceræ* ℥ß. *litharg.* ℥ß. *boli Arm.* ʒvj. *rad.conſol.maj.* ʒij. *mucilag.ſem.cydon.* ʒß. f. Empl.

Pars affecta abluenda *aqu. roſac.* poſt imponenda linamenta concerpta, vel pulveres ſubtiliſſimi & per cribrum traiecti inſpergendi. Indi ſolent in linteola tara & poroſa. Pulverum materia eſt *ceruſa, aqua roſ.* lota & ſiccata *c. c. uſtum & lotum pomphol. tuthia prep.* pulv. *liquir. far. hordei fabar.* Valent. *ungu. album camphor. ſevum cervinum, hircinum candela ſebacea* liquata & muncta. *Sebiſius.*

Scabies.

Scabies, ſicut pituitæ ex ore & naribus excretio pueris non nocent, niſi ex corruptione & copia lactis fiant, tunc ſomnolenti ſunt, venter inflatur, ſuſpirant; Quædam *ſicca eſt* in qua materia ſalſa eſt & acris, puſtulæ parvæ; Alia in qua puſtulæ ſunt majores, albæ & ſuppurant.

Ad *Curam* vitentur cibi pravi, ſalſi, incuria, immunditiæ, intempeſtiva exercitia, blanda ſit purgatio; Topica ſint blande detergentia & exſiccantia.

℞. *Succi oxylapat.* ℔ß. *olei nuc. quart.* j. *picis* ℥ß. bulliant *ſimul, adde ſulph & tartari* ãã. ʒj.

Balneum utile eſt in quo coquantur *enula, oxylap. fumar. ſcabioſa, parietar. violar. fol. ſennæ,* leviora enim pueris ſufficiunt, *Argentum vivum* à multis laudatur, ſed tantum in affectu contumaci & in adultioribus; *Ungu. enulat.* prodeſt, ſed cave ne cum *mercurio* fiat, nam inde mala multa contingere vidi,

℞. *Ol.roſat.* ℥iv. *ſulph.vivi* ℥j. *ſucci limon* ℥ij. *reſinæ pini* ℥j. f. Ungu.

Unum ſolum ex *rad. enulæ & pingued. porci* factum laudatur ab *Amato, folia fraxini* ab aliis laudantur.

℞. *Succi planta, limon.* ãã. ℥ij. *litarg. ceruſa* ãã. ʒiii. *ſulphur vivi.* ℥ß. *aqu. roſac.* ℥iv. *m. parum bulliant,* Hac *aqua* laventur partes affectæ,

Maxime conveniunt *aquæ thermales ſulphureæ* calidæ pro fotu tantum, non pro balneo in tenera puerorum corpore. *Primiroſius.*

Pruritus.

Pruritus ad ſcabiem refertur, aut potius ſcabies ad Pruritum. Fiat *Lotio ex ſucco ebuli* ex *Varignana.* Vel unctio ex *oleo ſale, pauco aceto.* Primiroſius.

XIII. *Macies Puerorum.*

64. *Macies quæ oritur*) *Cauſarum præcipua & frequentiſſima eſt meſenterii obſtructio.* In meſenterio & Pancreate ſunt venæ tenuiſſimæ, quæ chylum ex inteſtinis à ventriculo ad eadem demandatum ſugunt; Si igitur venæ illæ à viſcoſitate & craſſitie chyli, provt ob tenuitatem earum facile fieri poteſt obſtruatur, & totum corpus alimento ſuo defraudantur, unde ſicceſcunt, & in maraſmum partes omnes incidunt; Atque ſic ab obſtructione meſenterii maraſmus ſolet oriri, præcipue in infantibus ac pueris, qui cum voraces ſunt multa excrementa congerunt, unde meſenterii ac pancreatis obſtructio, ac per conſequens tabes ortum habet. Hinc quoque febres quam multæ morbique alii oriri ſolent. *Petr. Joh. Faber Pathol Spag. c. 48.*

64. *Macies quæ oritur*) Illius præcipua cauſa Lac eſt nutricis quod vel prorſus deficit, vel paucum eſt, vt ſufficienter infantem alere non poſſit; vel vitioſum, ſalſum ſcilicet, acidum, acre, amarum, aquoſum, quod infans averſatur. Tale autem id eſt aut ob pravam nutricis diætam, aut malam viſcerum conſtitutionem. Poteſt alias habere cauſas V. g. ventriculum debilem, nauſeabundum, vomiturientem, diarrhœam, febrim, vigilias, meſenterii, hepatis & lienis oppilationem, lumbricos alimentum, abligurientes, &c. *Sebiſius man. p. 1832.*

Sæpe infantes, contabeſcunt etiamſi cibum ſumant, *ob lactis vitium* unde ſæpe ab una nutrice contabeſcunt, ab alia impinguantur. Sæpe fit à *vermibus* nutrimentum præripientibus, Aut in aliquo viſcere obſtructo aut intemperato cauſa conſiſtit, ut in ventriculo hepate, Liene iiſque partibus quæ ſanguini expurgando dicatæ ſunt, ita ut partes ad ſe attrahant alimentum, aut ut ſui ſubſtantiam convertere non poſſunt, quæ etſi ejus copia ſuppetat, pravis humoribus inquinatur corpori minus idoneus eſt. Quæ etiam cauſæ ſunt Hecticæ; hanc maciem procurare poſſunt, præter alimenti paucitatem ex parvo victu.

Ex cruditate & viſcerum mala affectione, puer in cœliacam, lienteriam, & alios affectus incidit, Et quidem ſi cruditas ſit à jecore, non ſolum fiet Atrophia, ſed etiam cacotrophia, ut in anaſarca, quæ humor in partis ſubſtantiam non tranſmutatur, & pro natura humoris peccantis fieri poſſunt cutis fœditates, ſcabies, &c.

Sed mulieres addunt *Faſcinationem* à ſtrigibus factam, Fieri dicitur viſu, habitu, contactu, ſermone, faciliuſque lædi infantes ob corporis mollitiem, raritatem. Quod ſi inter quidam halitus ex ore aut oculis male ſanæ mulieris exeat, ſicque puero noceat, hæc Faſcinatio dici non debet; potius igitur Dæmonis opera fieri credendum eſt, non ſagarum vlla vi propria.

Fit igitur macies ob alimenti paucitatem, vitium, caloris imbecillitatem, obſtructionem, cauſas colliquantes, & alios morbos, & plurima quæ de Hectica dicuntur, huc referri poſſunt. *Primiroſius de morb. Puer. pag. 108.*

Cum ex ſupra dictis ſubinde mucus crudus acidus & viſcidus loco nutritii diſtribuendus ſit, non poſſunt non eodem inteſtina admodum incruſtari, aut oſcula ductuſque lactei eodem obſtrui, aut glandulæ meſaraicæ conſequenter infarciri; vnde tumores abdominis protuberant, & denegato nutrimenti tranſitu, inſigni corporis totius atrophia contabeſcunt infantes.

Et taceam hoc loco dyſcraſſiam lactis alieni, nempe nutricis, vel inepti pro nutritione infantis, vel vitiati unde ibi atrophia, hic cachexia ſupervenit.

Si denegatus alimenti tranſitus Atrophiam inferat, laudata ſæpius volatilia, & alimenti depravationem ejuſque viſciditatem corrigent, & forti penetratione reſerabunt obſtructos antea meatus; præmiſſo interdum & iterato ſubinde blando laxativo, quæ ob id laxationis tempore ſubinde iteranda erunt; ſunt poſt ablactationem *liquor tartari Barbette in Pr. l. 3. c. 2. obſ. 3* commendatus erit proficuus, vt & *tartarus vitriol.* Tacheniano more præparatus, vt & *arcanum duplic Mynſichti* & *Tinctura vitrioli martis, tartariſata* erunt vtiliſſima.

Externe ad reſolvendam ſpiſſiorem mucilaginem Linimenta ex *g. ammon.* ſupra (*vbi de ventris torminibus*) laudata, ut quæ fiunt ex *Ungu. martiato, alth compoſ. oleo Philoſoph. felle tauri,* &c. erunt proficua Ceu præſentiſſimum ſæpeque probatum remedium ab *Hocfero Herc. m. p. 349.* commendatur, *Pulmentum illud quod vertex ferreus rotæ molaris inter movendum colligit* extra illitum. *Etmuller p. 45.*

65. *A vermibus ſubtiliſſime qui in muſculoſis brachiorum, &c.*) Vermiculi capillares Infantium Atrophiam ſimul junctam ſemper habere ſolent; Proprii nomine *Comedones*, ab adjuncta Infantis tabe, quaſi nutrimentum comedendo largius abſumunt. Item, *Crinones* à figura, Differunt à *Sironibus*, vermiculis minutis quaſi pediculatibus in puſtulis prurientibus, ſub cuticula manuum inprimis & pedum enatis, Nam & eorum formæ per microcoſcopium conſideratæ, differentes plane deprehenduntur.

Sunt ergo dicti Crinones vermiculi, capillorum ſpiſſorum, ſeu ſetarum forma curtarum nudo oculo aſpicienti ſe exhibentes, quando nempe mellis affricti dulcedine allecti in loco calido foras prorumpere nonnihil frigoris vero ipſis inimici ſenſu denuo intro repere obſervantur: Accurate magis per microcopii adjumentum iidem obſervari poſſunt, ſunt enim caloris cinerei, cornubus ſeu potius antennis binis longe promoventibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis, cauda oblonga, in fine villoſa, uno nomine aſpectu horridi; prout à Viro curioſo & artificioſo D. *Chriſtiano Schaffero*, non ſecus ac alia minutiſſima inſecta, in ſpecie *Sirones*, item *Teranites*, ſeu potius lentes caſeorum &c.) hacce ſola forma accurate per microſcopium obſervati & delineati fuerunt.

Occupant magis loca muſculoſa, inprimis dorſi, hinc ſcapularum, humeri, item ſurarum & crurum ſub cuticula aſſolent, Infantes inprimis teneriores, minus robuſtiores affligere ſolent.

Originem iis ſubminiſtrat ſuppreſſa inſenſibilis tranſpiratio, ut recte id ſuſpicatur *Horſtius lib. 4. obſ. 53.* quæ temperata ſi fuerit minuſque acris, dulcis & pinguis, retenta diutius ad putredinem ruit, unde occultata antea, & oppreſſa penitus principia ſeminalia, quæ & minimo, ſeu, ut vocant, in atomo, ſenſibus imperceptibili latere ſolent, ſui juris facta, deſtinationes naturales exequuntur, & in viva animalcula prorumpunt; Vide *Velſchium Diſſer. de Vermin. capil. Inf. annexa Tr. de ſena Medinenſi. Borellum c. 1. obſ. 80. Sennertum l. 2. Pr. p. 2. c. 24.*

Nempe in Lacte, ratione alimentorum ex quibus generatur, non ſecus ac in Pulte, milleformia inſectorum & vermiculorum latent ſemina, quæ in tenello infantis ſtomacho, non adeo exacte alterata, facile data occaſione evigilare & in actum ſecundum erumpere valent. Hinc & quidam Crinones hos, illis vermiculis, ſeu aſcaridus ſimiles aſſerere volunt qui in antiquis caſeis innaſci obſervantur.

Hi ipſi *Crinones* animati moleſtiam admodum prurientē & continue laceſſentē plus minus tamē, ſub cuticula admodū ſenſili excitant, indeq; inquietos, ejulantes, & vigiles reddunt infantes, quibus utut ſæpius porrigāt māmas nutrices, quas etiā exhauriunt, tamen vigiliis, inquietudine, ploratu confecti, minus dictū alimentū concoquere aut rite aſſimilare poſſunt, donec emacientur tandem & ita ſucceſſive in Tabem prorumpant, ut ob id exiſtimem, non tam ratione nutrimenti, à vermibus exhauſti, quam ratione ſymptomatum, ab iſtis inductorum, maciem & tabem ſucceſſive supervenire.

Curatio, *Crinones* ſi affligant pueros, poſt *tincturam antimonii, balnei* repetitus uſus, præſervativè pariter & curative eoſdem removet; Pro maturanda tamen genitorum remotione, conſultum eſt in *Balneo aqua dulcis* mellis medii cum addatur, quo ſub lotione, bujus dulcedine allecti vermiculi per poros capitibus ſuis prominentes commode, vel unguibus acutioribus, vel volſella exigua ſubtiliter extrahi queant, id quod aliquoties reiterandum erit. Aliis in more eſt poſitum, ut ablutos infantes in balneo, manu melli intincta blande perfricent, &c. *Petrus à Caſtro Tr. de Coloſtro* mulierum Luſitanarum experimento, *fuliginem caminariam*, cum *melle & lacte* mixtam dorſo illitam laudat.

Præ cæteris, modo dictorum uno alterove præmiſſo, convenit *aqua aloetica Timæi*, quotidie aliquandiu inuncta, de cujus uſu vide *l. 5. c. 23.*

Quin imo putarim *aquam hermeticam*, ſeu decoctionis *mercurii vivi*, uti lumbricis & ſcabiei optime conferre ſolet, etiam eadem in balneo cutim abluendo uſurpatam, citra ullum periculum dictos Crinones enecare & tollere poſſe. *Etmuller p. 33. & 50.*

66. *A lacte vel pauco, &c.*) De vitiis Lactis eorumque emendatione, vide in ſuperioribus.

67. *A faſcinatione*) Occurrit difficultas. An per contactum *Faſcinatio* fieri poſſit? & Num per Faſcinum introductus morbus ex methodo mediis naturalibus curari queat? Per contactum quendam Faſcino lædi poſſe obſervationes docent. Sic marinam torpedinem per arundinem & filum piſcatoris manui ſtuporem inducere confirmat experientia, cur ergo non concedamus ſingulari quorundam proprietate, præter communem naturæ curſum, communicata, per contactum diſpoſitionem p.n. introduci poſſe.

P. *Pomponatius l. de Incant.* mira proponit hac de re Scio quid proponat *Biennannus*, *Wierus*, & alii, qui nec aſpectum, nec contactum vetularum lædere poſſe contendunt, ſed vel effluvium malignum, adeoq; contagium, Vel perſuaſionem & timorem accuſant, à quo facillime quoddam incommodum ſua cognitione ſibi conflare poſſint; præſertim ubi ſeminarium aliquod aluerint patientis. Verum cum potens ſit Diabolus ex permiſſione Divina, non video cur non ſæpius connivente Deo, per ſagas nocere poſſit, idque mille modis, quod obſervationes admirandæ teſtantur, quanquam media externa per ſe inſufficientia, ſæpe etiam ridicula, videantur, qua ratione tactum quoque minus ſufficientem indicamus rationibus iiſdem quibus utitur. *Baptiſta codronchius lib. 2. de morb. veneſ.* Aſtuta vero promptitudine fieri poſſe puto, ac permittente Deo, cauſis naturalibus excitatos tumores dolorificos, variis & admirandis rebus, majoris doloris excitandi gratia repleat (de quo pluribus agit in Epiſt. *Langius*) qua ratione primo vitri fruſtulum longius ex mamilla puellæ ſecretum fuiſſe ſcribit. Notæ mirandæ obſervationes quas colligit *M. Donatus Hiſt. mor. l. 2. c. 1.* mirum vero quomodo tormenta, ſomniantium inſtar, Dæmoniaci perferant, quemadmodum præter experientiam confirmat idipſum *Wierus* qui *lib. 5. de præſt. c. 2.* plura refert exempla & modos quibus hæc talia ſibi ſe conciliare credant; utut ſit, experientia confirmat, quod licet abſque ſenſu torqueantur, non tamen hoc accidit abſque læſione corporis, quam ſubſequens partium imbecillitas confirmat. Quocirca non videtur abſonum, vi quadam narcotica principium *αἰσθητικὸν* ita iiſdem obturari aſtu Diabolico, ut inſtar apoplecticorum nihil quicquam tormentorum percipiant, qua ratione videmus epilepticorum corpora, omni dolore deſtituta, licet abſque dolore (quem tamen ob læſum nervorum principium percipere nequeunt) partes convulſæ non tendantur: unde poſt remiſſionem paroxyſmi languor totius apparet. *Greg. Horſtius obſ. l. 12.*

68. *Inter medicamenta faſcinationum*) Quanquam non deſint qui potius modis illicitis, ſeu, ut lenius loquitur *Crollius*, Magice & ſupranaturaliter, juxta *Paracelſum*, procedendo, morbis per incantationem, ex permiſſione Divina contractis, ſuccurrere conentur; ea propter quod talium affectuum cauſæ altius principium præſupponant, nihilominus exiſtimo, quemadmodum cauſa externa nonniſi concurrente interna morbum producit, adeoque remora, quando morbus productus eſt, ad ſanationem non ſufficit, ita etiam hic interdum, ubi morbus adhuc in fieri eſt, cauſis externis lædentibus per ipſas ſagas ablatis, ægrotantibus ſuccurritur: Ubi vero morbus eſt factus, internis humorum corruptio-

corruptionibus concurrentibus, ibi media naturalia requiruntur, quanquam dubitat hic *Codroechius l.4.c.2.* vbi ex profeſſo quæſtionem hanc tractat. *Horſtius ibid.*

68. *Medicamenta Faſcinationem infringentia*) Puella novennis à veneficio, ſequenti remedio curata,

℞. *Adipis canis bene liquati* ℥iv. *adipis urſi* ℥viij. *caponis* ℥xxiv. *tres truncos viſci colurni adhuc virentes fruſtullatim ſectos & tuſos dum humeſcant; contunde autem ſimul lignum, folia, baccas*, Miſce omnia in phiala, quam cum Soli novem ſeptimanis expoſueris; virentem balſamum extrahes, eoque veneficatorum corpora, maxime loca dolentia & juncturas invngendo, certo experimento curabis. *H. ab Heer obſ.8.*

Si infantes ob incantationem ſemper plorant, & inquieti ſunt, inſideant in *decocto ptarmicæ* Matthiol. *ultimæ*, & *hypericon.* per 9. dies, tunc ſuffumiga infantem hoc ſuffumigio.

℞. *Viſci in tilia creſcentis*, carbonibus impone, m. & ſuffumiga infantem.

69. *Succinum & corallia*) Inprimis *Electrum minerale*, immaturum *Paracelſi* collo appenſum liberat quos ſpiritus immundus perſequitur; quod ipſe vidi Illius potum vero plures à veneficiis ſolviſſe memini, &c. Idem *corallum rubrum*, ejuſq; *tincturam* eductam multam ſolaminis attuliſſe ſum expertus. *Helmont. In Phyſ.inaud p.479.*

70. *Corallia*) *Corallus* rutilans eſt herba lapidea, vel lapis herbaceus, in veneficiorum deſtructionem natus, obſervavi quam invite hunc lapidem Diabolus toleret, quod noverim Nobilem incantatum, cui etſi armillaria ex globis corallinis fortiter alligarentur ſtatim tamen diſſiliren. *Idem ibid.*

71. *Collo appenſa*) Si avellana perforatur, & extracto interiori nucleo cum acicula argento vivo repleatur, & collo ſuſpendatur, mulieres lactantes à facinationibus, ne lac ſibi adimatur, quo infantes alendi ſunt præſervari poſſe *Th. Jordanus* prodidit, quippe multis experimentis obſervatum retulit hoc ſecum geſtato nulla prorſus ſagarum, lamiarum, aut ſtrigum, inſidias lactantibus nocere.

Atrophiæ medentur.

Stercus de vacca nigra adhuc calida calcinetur in olla nova, detur ℈j. vel ʒj. modo nato infanti, Et per tempus puerperii in balneo ſemper coque *cortices ſal. rec.* quæ ſpecifica ſunt in aridum puerorum. *Gaſpar Amthor. Noſoc. Infant.c.19.*

Fiat ex aqua cum qua ſucs *acbrubet ſind*, continuetur hoc ſingulis ſeptimanis, ſæpe probatum eſt, *Joſ. Schmid Spec.Ch.l.3.p.505.*

Egregia ars ad atrophiam puerorum.

℞. *Aqu. hederæ arbor.* vt & *pulv. hederæ arbor.* de quo detur puero ʒß. *Aqua hed. arbor*, Fovea cordis irrigatur & venter cum *pingued. capon.* mane & veſperi. *Idem.*

Infantes Balnea ex *lacte vaccino* vel caprino inſideant. Vel coquantur *tria capita vervecum* in cereviſia vſque ad diſſolutionem oſſium, & infantes in eo jure inſideant. *Grulingius Tr. de morb. Puer c.17.*

Atrophiam à Vermibus curat *Zacutus Prax.adm.l.1. obſ.137.* exhibito ℈j. *caſtorei*, nam id, ait, fœtore ſuæ vermes ſtrenue necat.

Laudatur *Balneum ex capitibus vervecum*, vt & *aqua heder. arboreæ* epota itidem à *Strabergero, lib. de Aff. Puer.* vt & *herba filicis*, hæc. ait, ſingulari virtute juvat ſi ſacculo includatur, & interſcapulio ſupponatur.

In arcanis hoc etiam habent. *Baccas lauri* paſta farinacea involvunt, & in furno aſſant, poſtea & pulveriſatas excorticant; huic addunt c. c. æquo pulvere *nuc. moſch.* præbentque de eo infanti tria cultri acumina cum juſculo aut pulte per menſem. *Idem.*

Egregium remedium eſt ſi *butyrum rec.* cum *adipe ſuillo* & vervecino liquefiat, & addito pauco *oleo cera* infans eo inungatur. *Gothofr. Belſchi de Hammen p. 3. c.16. de Atrophia Puer.*

APPENDIX
ad præſens Caput.

Tabes Pectorea, alias Rachitis.

Pectoream Tabem appellamus, non quæ intra pectus ſedem habeat, quo pacto Phthiſis Pulmonea eo nomine comprehenderetur, ſed in qua ipſa Pectoris crater vitiatur, id quod fit in morbo quem hic deſcribendum ſuſcipimus, Eſt autem is, Puerilis duntaxat, ſeu infantilis, & vulgatiſſimus in Anglia, uti & Hibernia ab aliquot annis: Invadit autem non grandiuſculos tantum infantes, ſed & valde teneros ac recens natos, ſicuti contra rariſſime vllos trimus majores adoritur, & utplurimum intra trimatum ipſum ſe continet,

Multæ corporis partes in hoc morbo afficiuntur, Pectus, Caput, Artus, ſed præ omnibus ac ante omnia Pectus, cujus pars anterior, quæ lata eſſe debebat ac plana, anguſtior fit & utrinque acclivis, in mediis ſeu ſterni regione altius aſſurgit, tandemque prorſus carinatum; coſtæ inferiores, ad latus foveæ ventriculi introrſum retrahuntur, ac quandam utrinque veluti ſcrobem faciunt, totoque ſui ductu quibuſdam velut nodis aſperantur ac inæquales fiunt.

Vitiata pectoris figura reſpirationem facit difficiliorem ac crebriorem, cui etiam tuſſicula plerumque ſicca comitatur.

Caput grandeſcit ultra debitum modum, ac pro ratione inferiores corporis partes coxæ, crura, extenuantur ac debileſcunt, unde infantes inceſſui inepti redduntur, non modo illi nunquam adhuc eo vſi fuerant; ſed & qui firmiter admodum agiliterque incedere diſcurrere cœperant diu antequam hoc morbo prehenderentur.

Dorſi ſpina in multis curvatur, atque arcus inſtar in exteriorem flectitur; oſſa articulorum in brachiis ac cruribus, non omnium, ſed carporum ac talorum, augentur, ac tantopere protuberant ac ſi duplicata fere eſſet eorum moles, unde voce quæ Juncturarum duplicationem innuit nominant Angli, qui morbum ipſum, hoc ſymptomate ſtipatum *Tent* indigitant, quum eum alioqui generaliori voce, omnemque ejus ſpeciem includente *The Rickers* appellant. Præter hæc omnia dextrum hypochondrium tumeſcit totum, tumore æquali, magno ac renitente ſicut digitos ſub coſtas nothas adigere non poſſis, Et ſane omnis mali vel origo vel fomes latet hoc in loco. Tumor iſte, cum pectoris aliqua anguſtia, ſtatim in ipſo morbi initio apparet, ſic ut interdum quidem ambo ita ſimul eodemque tempore ſe prodant; alias vero vel hoc vel illud altero nonnihil anterius ſit. Nodi in coſtis, ac ſcrobes iſtæ in oris pectoris, poſtea accedunt; quando etiam pectus fit magis magiſque anguſtum, capitis incrementum iſtis poſterius fit, niſi quod pectus toto morbi decurſu arctius redditur, donec ad ſummam anguſtiam deventum ſit, ſic ut carinæ inſtar anguſtum fiat, ac promineat, quod fere non fit niſi paucis ante mortem diebus.

Eſt enim lethalis hic morbus ſi vel negligatur penitus, vel ſero aut prave curetur, plurimoſque quotidie abſumit, neque ullus eſt annus quo non aliquot millia infantium eo pereant. Articulorum granditas fere nonniſi ultimo loco ſupervenire ſolet, quanquam multi ſunt qui eam nunquam patiuntur, ac moriuntur prius quam ad eam deveniatur, ſicuti rurſus ex iis quibus illa accidit, permulti evadunt, etiamſi incuriosius ha-

beantur, quippe haud ita periculoſa eſt illa Tabis Pectoreæ ſpecies, quæ hæc ſymptomata trahit, quam quæ eo caret.

Origo hujus labis à Jecore eſt perſæpe, non vitiato, aliamve noxiam paſſo, ſed ſupra modum adaucto, ita ut plerumque duplo, imo ferme triplo majus ſit quam par erat, totamque anteriorem epigaſtrii partem occupet, & ipſum quoque ſiniſtrum hypochondrium attingat, interdum quoq; impleat, Jecur ſit adauctum, cum in ipſo ventre non inveniat ſpatii ſatis ubi ſe commode explicet, à thorace mutuatur quod ipſi deeſt, ac verſus ſuperiora aſſurgens diaphragma longe impellit, adeo ut interdum pectoris cavo vix dimidiam partem ſpatii ipſi debiti relinquat; Pulmones ſic in arctum redacti contrahunt ſeſe, ac in ſeſe colligunt; unde fit ut pectoris quoque crates, ipſorum cauſa facta, iis ſe accommodet, ac anguſtior evadat.

Quandoque ab ipſo pectore & pulmonibus incipit malum, hectica quadam ſiccitate, cum nonnullo etiam caloris exceſſu, obſeſſis; qua ſenſim marceſcentes illæ partes, ac ſeſe contrahentes, quum vix ullum nutrimentum tunc capiant, ſanguinem, quem in ſtatu naturali valde copioſum ad ſe trahere ac abſumere ſolent, jecori refundunt, quod eo circumfluens, plus juſto accreſcit, atque in omnem partem ſeſe adauget: cujuſmodi nimium jecoris incrementum, ab eadem cauſa profectum in phthiſi quoque, ſeu pulmonum tabe, crebro deprehendimus: Sicut, autem in priori caſu Jecoris augmentum principalis hujus morbi cauſa eſt, ita in hoc quoq; non parum ad eum fovendum confert, atque in progreſſu omnia eadem mala importat quæ modo memoravimus, atque ſic morbum, quamquam non ab ipſo coeptum, fovet tamen & magnopere adauget, neque in hac pectoreæ tabis ſpecie ullum magnopere periculum eſt, donec iſta à jecore noxa ſupervenerit, quæ & ſupervenit ſemper, ſi diutius trahatur malum, neque ſtatim initio curetur, aut ab alia cauſa præmortuus infans fuerit. Ego ſane cum plurima corpora utravis hujus morbi ſpecie extincta ſecuerim, autopſia deprehendi rem ita ſe habere; neque unquam mihi adhuc infantis iſto morbo defuncti corpus aperire contigit, in quo non prægrande ejuſmodi hepar repererim.

Mali hujus originem infantes ſæpe in utero matris contrahunt, idque vel mox in ipſo conceptu, vel geſtationis tempore. Prius evenire ſolet, ubi vel pater, vel uterque parens calida & ſicca utriuſque viſceris, hepatis & pulmonum, vel alterutrius intemperie laborat. Alterum à ſola matre proficiſcitur, cum ea in victu multum peccat interea dum uterum gerit atq; vinum ejus ſpiritum, cereviſiam fortem crebrius ac largius ingurgitat; Eodemque vel matris, vel adſititiæ nutricis vitio hæc labes acceſſitur etiam infanti; qui alioque ei ab ortu obnoxius nequaquam fuerit ſi liberaliori cujuſcunque ſiceræ potui crebrius ac largius indulgeant, iſtoque pacto lac ſuum inficiant, ac naturalem ejus bonitatem corrumpant: Quandoque hujus mali coecæ cauſæ ſubſunt, infanteſque ejus initia ſecum ex matris utero deferunt, vel poſtmodum id contrahunt, abſque eo ut ullus ejuſmodi defectus vel in parentibus vel in nutrice compareat.

Sane ut in aliis permultis humani corporis affectibus, ita in hoc quoque aſtra plurimum pollent, certorumque ſiderum ictus iſti vel procreando vel fovendo multum inſerviunt.

Morbus iſte ægrius tollitur ſi à Jecore cœpit quam ſi à Pectore, magiſque etiam ſi à primo ortu infans ei obnoxius fuerit. Cum in *pectore* ipſo originem habet, curatio ejus ſatis eſt facilis, quum ſiccitas, etiam hectica, quæ in corporibus adultis fere immedicabilis, in corpore infantili cum minori difficultate emendetur. Curatur autem Balneis unguentiſque emollientibus atque chalaſticis, aliiſque ad humectanda pectoris oſſa pulmoneſque accommodatis; inter quæ pellis ovis aut agno recens detracta, & adhuc calens applicata, ac aliquot horis relicta, mirifice multis profuit.

Quod ſi jam in progreſſu eſt morbus, atque Jecur ſuper augere cœpit: aut ſi ab ipſo Jecore proceſſit malum, iſti quoque medicatio adhibenda eſt, omnibuſque modis conandum ut incremento ejus obſiſtatur, atque intra naturalem modum coerceatur. Quam in rem non linimenta modo & unguenta, aliaque Topica, ſed interna quoque in uſum trahenda, ſic tamen ut non ſalubritatis tantum ratio habeatur ſed & teneræ iſti ætati effectus ac ſapor medicamentorum attemperetur. Pari quoque prudentia cavendum ne dum refrigerare & contrahere jecur nitimur, obſtructiones aliaque mala in eo generemus nimio Adſtringentium aut Emplaſticorum uſu, atque ſic geminam pro ſimplici labem accerſamus, morbumque penitus incurabilem reddamus. Super omnia ſciendum pro internis externiſque medicamentis ea hic deligenda quæ & Jecori privatim amica ſint, & præter communes cum aliis multis medicinis refrigerandi adſtringendique facultates, peculiarem aptitudinem, huic operi neceſſariam ſortita ſint. *Purgatio* nullum hic locum habet, nec *ſanguinis miſſio* niſi morbo longius progreſſo, ac capite jam nimium aucto; quando ſanguiſugæ venis poſt aures, atque in fronte & temporibus utiliter admoventur multumque ad univerſam curationem conducunt, ideoque ſi res ita ferat. Secundo ac tertio uſurpandæ ſunt.

Victus ratio longe alia in hoc morbo inſtituenda eſt quam imprudentioribus ac naturam ejus non ſatis perſpectam habentibus videri poſſet; non enim atrophiæ qua infantes contabeſcunt, per ſe attendendum eſt, neque conandum eſt ei occurrere pleniore cibatu, ac validius nutriente, quod eſſet oleum addere camino; ſed contra omnis opera in id adhibenda eſt ut exuberans ſanguinis copia compeſcatur, ac nimius ejus fervor, tenuitas & acrimonia coerceatur, quod quibus potiſſimum rebus effici debeat, neminem doctum Medicum latere poteſt; Quod ſi ita teneri ſunt infantes ut nihil dum præter lac nutricum aſſumant, matri vel nutrici ea danda ſunt quæ prædictis ſcopis inſerviant, ac lac earum debito modo attemperare valeant in iis vero infantibus qui grandiuſculi jam, nondum tamen ablactati ſunt, & ubera ſugunt, & alios præterea cibos ac potus aſſumunt, utroque modo agendum eſt, & tum ipſorum, tum nutricum victus ita ut diximus ordinandus.

Hæc curationis, vis ſolicite obſervata, & diu admodum continuata (nihil enim hic parvo temporis ſpatio effici poteſt, præſertim ubi altius hæſit malum) feliciter curatus iſte, morbus Divino ſecundante Numine, Non autem in Anglia duntaxat & Hibernia, ſed & in aliis quoque regionibus illum graſſari veriſimile eſt, & de Gallia quidem certiſſimè mihi conſtat; Pariſiis quippe infantes eo laborantes vidi. *Arnoldus Bootius de Aff. Om. c.12.*

Hunc Affectum ad Recentiorum mentem eleganter deſcribit Joh. Dolæus *Encyclop. lib. 6. cap.* 13.

Cum plures Medici hunc effectum ſolis Infantibus familiarem jam præter propter ante xl. annos in Anglia primo notum ad Tabem referant, eapropter cum huic ſubjungere placet quem aſpectum Nobiliſſ. *Gloſſem, Major*, aliique Angli deſcripſere quia in oris Anglicis magis quàm in noſtris familiaris & quaſi endemius exiſtit, ubi infanti ut plurimum à ſexto menſe ad finem uſque ſecundi anni cum dimidio frequentiſſime infeſtantur

ſtantur Rigæ infantium hoc morbo laborantium in his regionibus medicinam fecit.

Deſcribi poteſt quod ſit *Affectus ex inæquali ſucci nutritii diſtributione ortus ob cujus defectum vel ſuperabundantiam partes aliæ nutrimento privatæ marceſcunt ac emaciantur, aliæ vero plus ſatis nutritæ in molem juſto majorem augentur.*

Phænomena hujus affectus ſunt Caput valde magnum, & hinc inde in ejus ſuperficie protuberantiæ magnæ & variæ obſervantur. Ingenium pro ætate plus ſolito felicius, Abdominis ſæpe adeſt intumeſcentia, pectoris anguſtia, cartilaginis enſiformis prominentia, ſpina & oſſa plerumque incurvata, & quæ circa articulos ſunt promitentia & nodoſa, item Torpor quidam & laboris exercitiique impatientia, neque enim pueruli niſi ſedentes ludere poſſunt vix enim pedibus inſiſtere valent, Et tandem in morbi progreſſu à debili ſpina vix ſuſtineri poteſt capitis onus, Reſpiratio eſt difficilis. Alvi fluxus ſæpe comes eſt, his accedit partium fere omnium Enervatio. Hectici aliquando fiunt, ventres ſemper habent inflatos, tumentes ac duros, ſæpe etiam Tuſſis alioque Tabidorum ſymptomata ſubnaſcuntur, In quibuſdam pauciora ſunt ſymptomata, in aliis plura.

Variæ hujus affectus *cauſæ* afferuntur Dom. *Majovv* hujus cauſam quærit in obſtructione ſpinalis medullæ & nervorum, & inde dependente influxus nervoſi defectu, Hincque deducit fere omnium dictorum ſymptomatum rationes & cauſas.

Nos vero cauſam ſcrutamur in nutritione inæquali & impedita microcoſmetoris & ſatellitum ſuorum, ſpirituum puta animalium irradiatione, Certum enim eſt ſanguinem arterioſum, lympham & chylum contribuere multum ad nutritionem partium, ni vero ſimul accedat hæc inradiatio per nervos omnia fruſtra partibus agglutinantur, hinc Angli exiſtimant quia à præciſo nervo ſæpe pars fuerit emaciata, per nervos ſuccum nutritium ad partes devehi cum tamen ſola illa irradiatio ſufficiat.

Ex omnibus ergo phænomenis abunde patet cauſam hujus mali quærendam in ſpinali medulla, ejuſque tubulorum nerveorum inde prodeuntium aliquali, nõ totali obſtructione à pituita viſcida tenacique impediente quo minus *microcoſmetoris* & ſpirituum animalium fiat irradiatio, ac proinde humorum circulantium agglutinatio, itque nutritio æqualis fruſtretur, Conſtat proventum ſpirituum animalium ſatis largum in cerebro, atque publica totius corporis officina generari, medullam autem ſpinalem, veluti viam regiam ab illo emporio exeuntem, à craſſis & glutinoſis in hoc affectu obrui & impediri, ita ut nutrimentum haud rite agglutinari poſſit.

Serum etiam in hoc affectu vitiari & corrumpi, vel ſtagnare, patet ex meſenterii glandulis majoribus ſtrumoſis, & inde abdomine tumido reddito, poſt exenterationem defunctorum ita repertis.

Reliqua hujus affectus phænomena ſecundum hanc hypotheſin facile explicari poſſunt, Nam

In hoc morbo contingit ut *caput* præter modum in molem augeatur, quod quidem ex noſtra ſuppoſitione ita fieri debet, lympha enim ſanguis & ſpiritus animales, qui alias naturaliter in ſpinalem medullam magna ex parte fluunt, intercluſo iſto aditu remanere coguntur, hinc cum caput liberaliorem nutrimenti proventum ſortiatur, neceſſe eſt ut in molem juſto majorem accreſcat.

Ab horum ſpirituum animalium copia in capite reſtitantia ingenium acutius & ſagax deducimus.

Solent in hoc affectu omnia flaccida eſſe, ſimul agri ob debilitatem pedibus inſiſtere, & in morbi progreſſu, capitis onus ſuſtinere nequeunt, quæ ſymptomata à microſcometoris & torpore & ſpirituum animaliam defectu, dictas nervorum obſtructiones neceſſario conſequente, Irradiatio enim hæc non tantum ad nutritionem, ſed etiam ad motum omnino requiritur.

Signum pathognomonicum habentur oſſa incurvata, præſertim tibiæ & cubiti, ſæpe & ipſius ſpinæ aliorumq; articulorum protuberantiæ. Plures hunc incurvitatem oſſium ab eorum flexibilitate & inſtar ceræ mollitie procedere judicant; Hæc vero fieri à depravata & inæquali nutritione credimus, Sed ut bene hæc intelligantur ſupponimus partes nervoſas & muſculoſas ob nutritionis defectum haud excreſcere, quarum muſculoſarum & tendinum extenuatio & conſtrictio in cauſa eſt quod hæc oſſa ita inflectatur, quia à nervis tendinibuſque detineantur tanquam à chorda, ita ut non poſſint rite extendi, ſed neceſſario debent incurvavi vti arcus chorda detentus, quo ſimili vtitur Clar. *Majovv* ſi enim arbori creſcenti chorda ſuperius & inferius alligetur, ita tamen ut eadem à chorda non tendatur, certum eſt, arbor dicta creſcendo incurvabitur. Recte etiam Idem ſpinæ; varie inflectitur, partim introrſum partim extrorſum, quod à varia muſculorum in diverſis ſpinæ partibus poſitione oritur, nempe ſpina in ſuperiori parte à muſculis pſoas interne annexis præpollentibus extrorſum incurvatur.

Reliqua phænomena, ſcil. os cruris humerique minus cur incurventur, cur pectus acuminatum fiat, aliaque apud prædictum *Auctorem* videas, omnia hæc optime explicantem.

Quoad Prognoſin, Raro affectus hic ex ſeſe lethalis eſt ingraveſcentibus vero ſymptomatibus in plures mortis lethales degenerare ſolet, phthiſin, tabem, hydropem pulmonum, aſciten, &c. Quo enim maiora & difficiliora ſunt ſymptomata, & quo citius affectus à partu invadit, eo malum pejus & perículoſius. Qui ante annum vnam ſanantur, toto vitæ curriculo valetudinarii vivunt, Ubi conjuncta ſunt ſuperiora ſymptomata gravia, malum exiſtit incurabile. Quo vero longius hic affectus à partu affligat & poſt febres ingruat; & ſimul ſcabies ſuperveniat, & ſymptomata minuantur non eſt quod de ſalute deſperemus. Si pulmones quibus ob pectoris anguſtiam, ſi dilatandi ſpatium non conceditur purulenti fiunt & aſthma ſuboritur malum vix curatur, Adulti hoc non corripiuntur malo, quia caput & oſſa metam creſcendi jam adepta ſunt.

Cum morbi hujus cauſa in aliquali non vero omnimoda obſtructione ſpinalis medullæ nervorumque inde oriundorum, materia viſcida tenacique poſuerimus; annitendum eſt ut obſtructiones tollantur, dein microcoſmetoris, ſpirituumque animalium irradiatio promoveatur.

Priori ſcopo, ad materiam ſcilicet tenacem evacuandam, ſatisfaciunt Purgantia, aperientia, diuretica, & diaphoretica; Curatio autem à catharſi ſemper incipienda. Hinc etiam quamplurimos infantes vera Rachitide laborantes ſequenti methodo feliciſſime curavit, celeberrimus Practicus *Sidenham*, Sequenti Potionis vſu.

℞. Tamarind. ℥ß. *fol. ſennæ* ʒiß. *rhabarb.* ℈iß. *coque in ſ. q. aquæ ad* ℥iij. *diſſolve in colat. manna & ſyr. roſ. ſol.* ãã. ℥i. m.

Hujus capiat infantulus cochl. i. vel ij. pro ætate mane per ix. dies, vno vel altero die ſi opus intermiſſionis. Interim Purgatio ita regi debet vt vltra 5. vel 6. ſedes ſingulis diebus non procedat. Ab hac Purgatione ſequens commendat vngu. aperit. ad totum ventrem inungendum per aliquot dies.

℞. Ol. liliqr. alb. tamariſci ãã. ℥ii. *ſucci rad. bryon. apii* ãã. ʒi. *bulliant ad ſuccorum conſumptionem, adde ungu. de alth. & butyr. rec.* ãã. ℥i. *g. amon. aceto ſoluti* ʒß. *ceræ flavæ q. ſ. m. F.* Linim.

Sed cum non ſemper iis auſcultet armis Rachitis alia adjicere placet. In aliis etiam inprimis delicatulis applicari poſſunt *Enemata*, ſequens laudant Angli.

℞. *Milleped. cum vino lotorum n°. xx. vel xxx. contuſis affunde ſeri lactis ex vino albo parati* ℥v. *expreſſioni adde ſacch. rub.* ℥ß.

Sequens quoque ad mucum acidum viſcidumque in inteſtinis hærentem reſolvendum conducit Clyſter. ex *ſale tartari* alioque lixiviali acuatur (*Vtilis eſſet terebinthina nervis amica, humores tenaces diſſolvens.*)

Inter alterantia ſpecifica ab Anglis aliiſque habentur omnia ligna & eorum cortices, inprimis radix & herba *oſmundæ regalis flor. ſpica*, *radices omnes aperientes*, omnes *cephalica*, inprimis *thee omnia antiſcorbutica & ſale volatili* prægnantia, ut ſunt *millepedes*, *lumbrici terr.* & alia.

Inter Chymic. celeberrimum eſt, ab Illuſtr. *Boyle* inventum, *Ens veneris*, quod conficiunt è *ſale armoniaco* & *colchotare* edulcorato, bis aut ter ſimul ſublimatis, dozis eſt à gr. iii. ad vi. cum appropriato liquore tempore ſomni.

Omnia hic conducunt *armoniacalia* utpote quæ ob ſummam partium tenuitatem obſtructiones, morbi hujus auctores, reſerant; huic conveniunt *ſpir. & flor. ſalis armon.* Sequens *ſal armoniacalis* indolis magni facit *Mayovv*.

℞. *Salis volat. c. c. ſanguin. aut urinæ ſ. q. his phialæ oblongæ immiſſis ſpir. ſalis rectificati*, guttatim *affundatur, quouſque ebullitio deſinat.* Sal hic reſolutus per filtrum trajiciatur, & levi calore ad ſiccitatem ſalis abſtrahatur dozis à gr. iii. ad vi. primo mane aut tempore ſomni, ex vehiculo convenienti.

Paulo adultioribus *chalibeata rototulata* viſceribus adhuc firmis, item *tartarizata*, *caſtorina*, *cinnabarina* ſæpe omnem implent paginam. Sic & omnia *cephalica* & *antepileptica*, quatenus obſtructiones tollunt, ſpiritus animales reficiunt, &c. conveniunt ergo *ſpir. ſangu. hum. c. c. liquor c. c. ſuccinatus*, E. g.

℞. *Rad. oſmundæ reg.* ʒiß. *paon. mar. ſantal. citr. ſem. naſturt. aqua* āā. ℈j. *flaved. aurant. condit.* ʒiij. *ſacch. in aqua oſmundæ reg. ſoluti q. ſ. f. Tabellæ ponder.* ℈j. detur ʒß. vel ʒj. infanti bis in die, ſuperbibendo *Aqu. ſequ. à Mayovvi* deſcriptam,

℞. *Rad. ari, peon. mar. oſmundæ regal. vel filic. mar.* āā. ℥iv. *fol. ſalv. beton. naſturt. aqnat. becabungæ veron. mar. hepat. ſumm. abiet.* āā. m. iij. *jugland. vir.* ℔ß. *milleped. lot.* ℥iij. *caſtor.* ʒj. *Inciſis & contuſis affunde ſeri lactis ex vino albo parati* ℔vj. *deſtillentur communi vaſe, Liquor totus miſceatur, Dozis* ℥j. *ad* ℥j. *bis in die.*

Noſtrum vngu. intus & extra vſurpandum, quo hic Caſſellis curavimus puerum trium annorum.

℞. *Fol. oſmundæ reg. vir.* m. vj. *ſalviæ rubr. anagall.* m. j. *lauri, majoran. roriſmar.* āā. miiß. *ſucci herbæ cardiacæ, beccabungæ, naſturt. aqnat. trifol. fili.* āā. ℥j. *baccar. junip.* ℥j.

Conciſa minutim contundentur optime in mortario ligneo vel marmoreo, cum butyri maialis inſulſi ℔vj. *dein macerentur dies xiv. tum paulatim liqueſcant in B. M. & eum fermenteſcere incipit f. expreſſio & ungu. ad uſum ſervandum.* Potus ſit vel *decoctum oſmundæ reg.* vel *rad. filic. mar.* vel potus *thée*, vel *flor. ſalv.* vel *fol. beton.* quibus vaſi idoneo impoſitis ſuperfundatur aqua quæ aliquandiu ferbuerit; dulcoretur *ſacch. c.* Vel fiat *decoct. Chinæ, ſaſſafras*, vel *cortic. pini, &c.*

Remedia Chirurgica ſunt *venæ ſectio*, quam Angli admittunt in plethora, Item per *ſcarificationem in concha aurium* ſanguinem parva quantitate detrahunt, quam operationem cultello obtuſiore peragunt, idque bis aut ter interpoſitis ſeptem diebus repetunt; Item *hirudines*, *fonticulos ſetacea*, *veſicatoria* cucurbitulas adhibent.

Huc referimus etiam *Frictiones* è pannis laneis calentibus, Inprimis ſpina & partes muſculoſæ & oſſium concavæ, non vero prominentes fricantur.

Si vires ferunt *obambulatio* crebra in vſu ſit, ut eliciantur ſpiritus ad muſculoſas partes. Hic & convenit ut plane debilitatis geſtatio ex vlnis nutricum, & cunarum agitatio: Contrectentur hypochondria; Inſtituantur aliquando ligaturæ ad ſanguinem verſus partem attenuatam deducendum.

Ut Spina erecta ſiſtatur oſſique promoventia reprimantur, confici poſſunt thoraces corporibus infantum adaptandi. Neque prætereunda artificialis corporis ſuſpenſio, ope inſtrumenti cujuſdam penduli ex faſciis ita formati, vt pectus ſub axillis complectatur, caputq; ſub mento alia faſcia circundetur manuſque binis anſis excipiat, quo ita corporis onus ſuſtentetur donec in decentem reſtituatur formam; qua artificiali opera quidam plura lucratus eſt.

Fomentationes præ aliis conducunt, inſtitutæ vel cum *vino*, vel *aqua vitæ*, aliiſque ſpirituoſis, ſpinæ præſertim, aliiſque debilitatis partibus applicatæ.

Cl. *Mayovv* vngu. proponit noſtro uſu comprobatum tale,

℞. *Fol. ſambuc. lauri, maioran. ſalviæ, roriſmar. betonic. ſumm. lavend.* āā. m. j. bacar. junip. *lauri* āā. ℥j. Miſce.

Inciſa & contuſa vaſi idoneo indantur cum *butyr. maiali*, vel *rec non ſolut.* ℔ij. *& aquæ vitæ* ℔ß. coque lente ad aquæ vitæ conſumptionem, Expreſſioni adhuc calidæ, adde *ol. nuc. myriſt. expr.* ℥ß. *balſami Peruv.* ʒj. *m. f. Ungu.*

His nihil juvantibus ad Balnea vel naturalia vel artificialia confugiendum eſt, ex *herbis cephalicis, tartaro, vitriolo* parata.

Symptomatum occurrentium ratio habenda, frequens eſt *Alvi fluxus*, quæ optime curatur *infuſo rheo* & adhibitis ſtomachicis adſtringentibus.

Ad *ſudores colliquativos* inhibendos conveniunt varia aperientia & digeſtiones juvantia.

Si *Pulmones* aliaque viſcera, humoribus viſcidis infanti, conveniunt pectoralia balſamica, inprimis *balſamus ſulph. ad gtt. iij. vel iv.* in convenienti vehiculo datus. Item pectus inungatur

℞. *Ung pector.* ℥j. *ole: nuc. myriſt. expr*, ʒß. Miſce.

Abdomini tumido applicentur idonea reſolventia.

Spinæ inprimis applicanda variæ nervina, Empl. Linimenta, olea, Fotus, &c.

Nævi & maculæ originales.

Non à fortuito humorum concurſu hæ *maculæ* vel Nævi & ſigna materna originalia, ſed à phantaſia gravidarum dependent, cujus quanta ſit vis & poteſtas experientia & hiſtoriæ teſtantur.

Differunt plurimum inter ſe colore, figura, magnitudine, partibus corporis quibus inſident. Differunt quoque ea ratione, quod aliæ maneant perpetuo, aliæ vero evaneſcant, & certò iterum tempore effloreſcant. Illi præſertim Nævi qui ceraſa, mora fraga, &c. referunt, Quo enim tempore iſti fructus matureſcunt, illo nævi illi iterum in conſpectum veniunt.

Tolluntur ægre admodum, quidam prorſus non niſi ferro & igne extirpantur. Tentari poſſunt illa quæ alias etiam maculas cutis delent, Noſtræ obſtetrices mandant puerperis ut dum ſecundina earum adhuc calor, tribus quaterve vicibus ſuper nævum ducatur, mater poſtea diebus aliquot ſequentibus, mane jejuno ſtomacho halitum ſuum in nævum ſuſpiret, eumque ſaliva jejuna perungat.

Conſulunt quoque vt *ſemina ſinapi* puerpera mane vacuo ventriculo probe in ore comminuat & maſticet, dein nævo bene infricet & illinat, hocque faciat ſingulis mane,

donec nævus fuerit delens principium deniq; ut quoties matet infantem lactat, toties lac ſuum nævo inſtillet.

Commendatur alias *aqua ſtillatitia caryophyllata mont.* ſi ea infantis macula originalis ſæpius abluatur. Probatur & decidua *umbilici particula*, ſi exſiccata, & *aqua Chriſtophoriana* imbuta ter in die nævo imponatur, tamdiu donec diſparuerit: *Matthiolus* proponit *farinam avenæ* in aceto decoctam & illitam.

Item *Lupinorum decoctum* affuſum, ad hæc *decoctum centaurii minor.* Denique *ſpumam argenti in aceto* decocti illitam. *Sebiſius man.p.1802.*

Non, vt vulgus credit, materia Nævi incurabiles ſunt, ita ſentit *Gul. Fabritius fol. 432.* exemplo doctus pueri cujuſdam cui triennali tuberculum rubicundum in medio naſi, citra remanens veſtigium reſecavit, Vidi ego Ingolſtadii Chirurgum, juſſu parentis mei, Puellæ pollici alterutrius manus adnatum quaſi digitum ſextum, ſtatim à baptiſmo, inſcia matre, vix relicto veſtigio, & ne vix quidem lacrymante infantula, abſcidiſſe. In alio auri appendentem carnem, quaſi gemmam forfice, vix percepto dolore ſeparavi, & promanantes aliquot ſanguinis guttulas facillime per ſpungiam combuſtam. Alius forte eandem operationem expectaſſet per ligationem cum ſeta vel filo ſerico circumligato & in dies magis conſtricto, ſed ob metum inflammationis & gangrenæ, præſtat ferro talia demere teſte experientia & *Gul. Fabritio.*

Maculæ vero in utero contractæ difficilius delentur quam Excreſcentiæ, niſi ſint in ſuperficie tantum cutis extimæ, tunc variolæ eas poſſunt tollere, & præter has etiam ſecundinæ ſi iis affecta tam fricetur ſed debent ſæpius ſumi recentes, ſic referente obſtetrice quadam Viennenſi, nec repugnante experientia. *Helmontius in tumulo Peſtis*; affricat maculas tales cadaveri, non violenta morte, neque acuto morbo extincto tamdiu donec pars maculata algeat, vel intenſe refrigerata ſit; *Hoeferus Herc.med.l.7.c.6.*

Infantium maculæ ſeu nævi materni.

Solent tenella infantium corpora, dum in vtero exiſtunt materno maculis quibuſdam, nævis lituris, vertueiſque, quæ à matris imaginatione fiunt, conmaculari, hæc potro quaſi ſigilla imprimuntur, & difficulter poſt ortum elvi poſſunt. Pro iis delendis principatum habet *Caryophyllata*, cujus vis in his maculis extricandis mirabilis judicatur. Sumitur cum ſuis radicibus in fine Maii, quo tempore vigoroſior eſt, atque à terreſtreitate emundata diſtillatur, mox ex aqua deſtillata infantium lituræ ſæpius lavantur, abſque dubio evaneſcunt. *Ant. le Grand.*

Efflorescentia Cutis, in recens natis.

Infantes in lucem editi, & quidem circa quartum diem à partu, Efflorescentia, ſeu mitiori purpura affici & infici ſolent conſpicitur enim rubedo totius cutis cum pruritu & aliquali ſubſequenti excoriatione.

Cauſa eſt, quod ſanguis in vtero materno puerulorum ſæpe à ſanguine materno ſcorbutico inficiatur, qui accedente aëre externo, ex reſpiratione hauſto nimis efferveſcat, & hinc magis agitetur, à quo motu interno, ſalia illa minus ſymboliſantia & irrimiſcibilia, ad peripheriam, præſertim ad glandulas intercutaneas miliares deponuntur, vbi ſe cum pruritu produnt.

Curatio hujus effectus conſiſtit potiſſimum in procuranda tranſpiratione, hinc mulierculæ corpus abluunt vino calido qua blanda frictione aperiantur poruli cutis, per quos deinde ſalia iſta heterogenea, & ſemina morboſa excludi poſſunt & ſic quoque ſimul viſcoſitates poros obſtruentes, & in vtero materno acquiſitæ abluuntur. Quare valet *aqua ſaponis*, vel *lixivium* modicum additum vt melius detergendi ſordes. Item conducunt ſalia volatilia ad gr. j. exhibendi, & *antimonium diaphor.* etiam ad gr.j. præbendum. *Joh. Doleus Encyclop.l.5 c.2.*

Volatica macula eſt rubicunda, ſic dicta, quoniam hinc inde vagari quaſi volare videtur. Cauſa iſtius affectus videtur eſſe ſanguis tenuis & fervidus, qualis bilioſus, nam color illum prodit, & crebra locorum mutatio oſtendit igneum valde mobilem, & conſequenter tenuem ac ſubtilem eſſe, quem natum quaſi critice ad cutem protrudit, tanquam vniverſale totius corporis emunctorium, idq; cum febri, quæ ſemper adeſſe ſolet.

Videtur hic affectus referendus ad Eryſipelas, vtriuſq; enim eadem natura atque eſſentia vna cauſa eademque curandi ratio, Diſcrimen in eo eſſe videtur quod Eryſipelas vno in loco plerumq; perſiſtat, in volatica rubor piorem locum deſerat, & ad alium ſe conferat, vel ſaltem vlterius progrediatur locaq; vicina invadat, Deinde quod ſanguis in volatica ſit calidior, ſubtilior forſan malignior, quo fit vt hinc inde vagetur, & quia ſanguis illius acrior eſt, atque mordacior, expultricem partium irritat, vt vno in loco ſtare nequeat. *Sebiſius man.p.1829.*

Infantes, ſpeciatim noſtrates, recens nati, ſubinde tertio aut quarto à partu die, Efflorescentia cutis miliari purpurea affliguntur, Quatenus ſcilicet ex reſpiratione facta, maſſa ſanguinea intenſiori fermentationis gradu agitata, Salia heterogenea præcipitando ſeparat, & ceu feculéntia, non rite miſcibiles ex ſuo miſto extrudit; quæ ipſa ſeroſo latice, ceu communi nutrimenti & excrementi vehiculo imbibita, occaſione balnei in recens nato inſtituti, & promotæ hac ratione liberioris tranſpirationis, ad corporis peripheriam, in ſpecie glandulas intercutaneas miliares deponuntur; ubi cum rubedine, pruritu & aliquali ſubſequente excoriatione, ſeu cuticula deſquamatione pedetentim exhalant. Revera Purpuræ noſtratis origo, ex ſcorbutica affectione matrum originem ducere videtur, cujus productum, inter alia pathemata, & purpurata exiſtit hæc effloreſcentia. *Etmuller valet.Infant.c.2. §.2.*

Hoc malum præſervari poteſt ſi crocus in *aqu roſar. maceratur*, & loca omnia hac aqua inunguntur, Et ſuper maculam hanc cum hac aqua ſemicirculus fiat, ſic enim maculæ hæ vſque ad ſoleas pedum pelluntur, & ſic evaneſcunt. *Ph. Grulingius Tract. de morb. Puer. cap.37. p.99.*

Lues Venerea.

Lue infantes in & extra vterum corripi compertum eſt; Mulier Lue infecta puellum peperit puſtulis & vlceribus in variis partibus affectum, qui curatus fuit *præcipitato albo ad gr. ij. vel iij.* exhibito cum *ſaccharo* & lacte per menſem integrum, & incoata eſt remedii exhibitio xv. nativitatis die. *Sam.Formius obſ.25.*

Lues Venerea in pueri quinque annorum curata à me fuit *præcipitato albo ad gr. quatuor* exhibito ſingulis diebus per xx. dies cum panatella, Per inferiora tantum purgabat, neque vllus vnquam ſequutus eſt ptyaliſmus. *Idem obſ.51.*

Puellæ duæ, una nondum quinquennis, altera trium annorum laborabant lue per contagium ſuſcepta, à quinque menſium ſpatio, cum ulceribus multis in ore & pudendis, nec non puſtulis, & fœda ſcabie per totum corpus erumpentibus: Fruſtra exhibitum fuerat decoctum guaiacinum per menſem integrum. Ego utramq; puellam curavi *mercurio præcipitato albo*, dando majori puellæ *grana* vj. minori gr. iv. augendo tamen in vtroque dozin juxta operationem, quæ talis fuit, vt vtraque ſingulis diebus bis aut ter album deponeret, nec vomitus ac ullus aut ptyaliſmus inſequutus eſt. Perſeverabant tamen per dictum tempus in vſu *bocheti ex raſura ligni guaiacini.* Simon Jacoz obſ. 16.

Filius D. N. duos annos natus à nutrice infectus

fuerat, lue, qua ſeſe prodidit primum puſtulis latis & rubris in perinæo, acervatis, iiſque ſucceſſerunt vlcera in natibus, juxta podicem, mox puſtulæ in facie ac tandem vlcera in faucibus ac labiis: Accedebat corporis conſumptio in dies progrediens; Sequentia præſcripſi.

℞. *Sennæ mund.* ℥iß. *rhei ol. agar. troch.* ãã.℈ij. *cinnam.* ℈ß. *infund. in aq. card. ben.* diſſolve *in expr. ſyr. roſ. ſol.* ℥j. f. Potio, mane danda, ſemel in ſeptimana iteranda.

Diebus intermediis vtebatur ſequenti Decocto,

℞. *Ligni Guaiaci* ℥j. *cortic. ejuſd.* ℥ß. *aqu. fontis* ℔iij. *infund. & decoqu. ad tertias*, colata capiat ℥iv. mane ſine ſudore, propter aëris inclementiam, & metum nimiæ exſiccationis in corpore tenello, quare victum etiam analepticum concedebam. Eodem Decocto pro Potu utebatur, ſed diluto æquali aquæ portione.

Cum hæc remedia continuaſſet per xx. dies omnia ſymptomata diſparuerunt, ægerque in ipſo remediorum vſu reflectus & impinguatus fuit; Media erat hyems, & curatus omnino videbatur, At intra vnum menſem dicta ſymptomata recruduerunt, ac denuo æger extenuatur.

Iterare juſſimus eadem remedia, ſed decoctum efficacius efficiendo, ac ſtragulis operiendo, ut ſaltem leviter ſudaret; Hac cura iterum reſtitutus fuit intra dies xx. quam diutius continuaſſemus metu recidivæ niſi hyems rigida obſtitiſſet: Intermiſſo itaque remediorum vſu per dies circiter xx. vlcera renovata ſunt; Cum tunc cœlum eſſet temperatius curam, ſed efficaciorem aggreſſus ſum.

Primum dedi *mercur. dulc.* gr. viij. cum *diagrid.* gr. iv. *in juſculo*, quo valide per vomitum & ſeceſſum purgatus eſt, & quarto quoque die medicamentum exhibebatur, Intermediis vero diebus ſumebat Decoctum hoc modo paratum.

Supradicta *guaiaci & cortic.* quantitas ponebatur in alembico cum *aqua* ℔iß. infundebatur per diem naturalem, ac poſtea deſtillabatur ad medias. Liquor ſuperſtes colatus miſcebatur cum aqua deſtillata, quæ erat acidula; Hujus mixti dabantur ℥iv. mane calide corpus tegendo, & ſudores copioſiores effluebant, Per xx. dies continuata fuit poſtrema hæc curatio ex qua morbus fuit omnino ſublatus.

Ulceribus natium admovebatur *vngu. ex melle roſac. vitellis ovor.* & *terebinth.* Faucium vero ulcera brevi curantur *melle roſaceo*, *ſpiritu vitrioli* acido reddito. *Riverius cent. 1. obſ. 95.*

Ambulandi Impotentia, Crurum diſtorſio.

Pueri ſæpe in ætate duorum annorum, cum gradi incipiunt, *Vari eſſe* conſueverunt; de quo matres ſollicitæ auxilium quærunt Chirurgis, qui plerumque variis machinis crura & tibias erigere conantur; ſed fruſtra, quia ſponte natura utplurimum circa ætatem trium aut quatuor annorum tibiæ & muſculi firmantur, & partes ad ſtatum naturalem redeunt. *Samuel Formius in obſ. Riverianis.*

Confirmat id ipſum quotidiana experientia, ac Naturam plus poſſe quam irritum conatum Chirurgorum. Ambulandi difficultatem, citra crurum malam conformationem, obſervavi in pueris quibus abdomen inſigniter ab obſtructionibus tumet, illi anatum more incedunt, ad dextrum & ſiniſtrum latus inclinantes. (Galli dicunt, *il va canotant*) obſtructionibus ſolutis libere incedunt.

Ambulationi tardæ ab articulorum debilitate, Ungu. hoc vt oſſa firmentur vtitur *Obſtetrix Gallica part. 1. pag. 148.*

℞. *Herb. ſalv. maioran. ebuli*, ãã. *part. aqu.* extrahe ſuccum ex contuſis, inde eum in cucurbitam vitream, bene lutatam, vt paulo plus quam medium compleat; coq; in furno, tádiu vt panes ſimilageneos: Cum frigefactum fuerit, videbis fracto vitro mixturam inſtar unguenti, De hac ſume q. pl. adde medullæ crurum bovis q. s. inunge calide crura & coxas infantis. Poſſunt in hunc finem plura componi, ſed, ait *Hoeferus H. M. p. m. 349.* plerumque natura firmandorum articulorum optima eſt architectrix.

Perniones.

In Pedibus & Manibus puerorum fiunt vlcuſcula quidam ſicca, *Perniones* dicuntur, præcedere quidem ſolet quidam tumor, in quo materia eſt quædam acris quæ rodit & vlcus facit, ex quo aut nulla, aut pauciſſima humiditas manat, Facile oculis patet, calcei vſum impedit ob dolorem, alias periculoſum non eſt niſi negligatur, tunc gangrænam inducere poteſt, Potiſſimum ab aëre frigido fit. Adjuvant calcei duriores & adſtrictiores. Ideo molliores adhibendi, & quantum fieri poteſt vitetur aëris externi frigus. *Celſus* parti apponit *æs* quam calidiſſimum ferri poteſt. Sic *Hippocr. 5. & 7. Epid.* vult Perniones magna calefactione & igne tractari, quod ego cum puer eſſem expertus ſum, ſuſtinens ignem & cineres quam poteram calidiſſimos, *Olaus Magnus* refert Septentrionales curare *pulvere pellis leporinæ*, nam *pili leporis* valent ad ulcera, *ſalem* & *ſulphur* cum *melle*, *Aetius* laudat, Alii aquam *ſalſam marinam*.

Sed hæc initio, vbi tumor tantum apparet, Sic laudat *myrrham* cum *alum. & aceto*; *omphac.* cum *thure* & *cera*, *allium in oleo coctum*: *citri partem acidam cum adipe ſuillo* coctam: Valet *decoct. rad. betæ*, *ſerpentariæ* ex *Dioſcor.* vel *raparum*, ipſæ quoque *rapæ* coctæ & appoſitæ cum *oleo roſato*. Decoctum quoque *alth. chamam. meliloti*; Galenus 3. *Euphoriſton* laudat *ſalem*, *cyminum*, & *oleum* cum tumor tantum eſt, Sed vlcere facto mundandum illud eſt, dein cicatriſandum, more aliorum vlcerum, *Celſus* laudat *oleum* cum *thure*, & *vino*, *decoctum malicorii*, *cinerem Cancr. fluviat.* cum *melle*. Valet *Empl. diacalcith.* &c. Primiroſius. *Vide plura Tr. de Tumor. in Chir.*

FINIS.

INDEX LOCUPLETISSIMUS
RERUM ET VERBORUM
QUÆ
In hoc Opere continentur.

Prior numerus Paginam, Poſterior ita notatus §. Articulum indicat.

A

ABDOMINIS perforatio ad flatus eliciendos. 291.
Abortus quid ſit. 272.
Abortus & Aborſus quid differant. 273. §. 5.
Abortus quid differat ab effluxu. ibid. Ab Expulſione. ibidem.
Abortus contingit à fine primi menſis uſque ad finem ſeptimi, ultra vel citra hos terminos non dicitur abortus. 273. §. 5.
Abortus non dicitur excluſio molæ aquarum vel flatuum. 273.
Fœtus mortuus abortus dici non debet, niſi ſit excluſus. ibid. 274.
Abortus an dici debeat excluſio fœtus ſeptimo aut octavo menſe. ibid.
Abortus frequentiùs obſervantur circa tertii menſis finem vel quarti initium. 274. 275.
Abortus futuri præſagia. 275. § 8.
Abortus inevitabilis, ſignum eſt thrombus ſanguinis ex utero excretus cum mammarum detumeſcentia. ibidem.
Abortum fœtus mortui futurum quæ certa indicant ſigna. 275. §. 8.
Abortum inſtantem præcedit ſanguinolentæ aquæ liberalis excluſio. 275. 277. §. 15. & 16.
Abortum concomitantia ſymptomata. ibid. Si convulſiones quaſi Epilepticæ in abortu contingat ſignum ſunt abortus medicamentis procurati. 275.
Abortus fit ſi prægnans poſt caſum vel ictum immanes dolores patiatur. ibid.
Abortus factus quomodo poterit cognoſci à Medico, ſi à Magiſtratu de illo pronuntiare rogatur. 275.
Abortum quare mammæ repente detumeſcentes præſagiant. 275. §. 9. 276.
Abortus ſi non ante quartum diem poſt cauſa externæ actionem contingat, non amplius metuendus. 276. §. 10.
Abortus cauſa. 276. §. 11. Quare lactis copioſi effluxus fœtus imbecillitatem, & inde abortum indicet. 276. §. 12.
Abortus cauſa procatarctica. 276. §. 13.
Abortus frequentiſſime excitatur ob cruditates & flatus. 277. §. 14.
Abortum præcaventia medicamenta. ibid.
Abortus cauſa frequens eſt plethora. 277.
Abortus cauſa ut aëris vitium eſſe queat. 277. §. 18.
Abortus cauſæ internæ in genere ſunt quatuor & quæ. 278.
Humores peccantes quibus modis abortum excitent. ibi.
A quibus introducatur humoribus vitium. ibid.
Qua ratione fœtus culpâ fiat abortus. 278.
Uteri materni culpâ ut accidat abortus. ibid.
Matris morbi qui & quomodo abortum cauſentur. 278
Teneſmus ſuper alios morbos abortum cauſari aptus eſt. ibid.
Abortum cauſantur animi violentæ commotiones, fœtum enecando. 278.
Abortum cauſatur cibi vehementer appetiti denegatio. ibidem.
Abortum excitant quæ uteri diſſolvunt. 278.
Quæ ſint illa. ibid.
Abortus culpa cervicis uteri quando fit. ibid.
Abortus cauſa præcipua eſt ſeroſus humor uterum irrigans. 278. §. 18.
Abortus vix fieri poteſt alimenti defectu & cur. 279. §. 18.
Abortus quandoque fit ab alimenti id eſt puri ſanguinis copia nimium affluente. 279.
Abortui quæ mulieres ſint obnoxiæ. 279. 280. §. 20.
Abortum qua ratione Purgantia concitent. ibid.
Aborrum quare extenuatæ facilè faciant. 280. §. 20.
Quare craſſæ nimis eundem caſum incurrant. ibid.
Abortum quicunque acutus morbus provocare poteſt. 280. §. 21.
Abortus epidemicus. 281. §. 21.
Abortus Prognoſis. ibid.
Abortus ſæpe mulieres facit ſteriles & quare. 281.
Abortientibus ſi convulſiones ſuperveniant mortem declinare non poſſunt. 281.
Abortum conſequens inflammatio uteri ut plurimum eſt lethalis & quare. ibid.
Abortum facientes mulieres graciles aut craſſæ, magis periclitantur quam mediocriter ſe habentes. ibid.
Ita primipara abortiens majus ſubit periculum. ibid.
Abortus poſteriorum menſium quare ſit periculoſior. 281.
Abortum ſi patiantur Chloroſi affectæ mulieres, fit Chloroſis curatio. ibid.
Abortum præcavendi per diætam methodus. 282.
Obſervanda antequam mulier ſit gravida ut fœtum idoneo tempore excludat. ibid.
an Abortum excitare ob aliquam occaſionem liceat. 284.
Abortus à vi externa provocatus eſt periculoſior. ibidem.
Abortum cauſari poſſunt omnes aëris intemperies. 284.
Abortum an liceat provocare. 259. 260.
Abortus vel conceptio abolita ab uteri imbecillitate. 75. §. 1.

Abrotonum in affectione hyſterica.191.§.49.
In decocto ad balneum ad molam exturbandam.243.
Ad abortum præcavendum. 285.
Abſceſſus vteri quando ſcalpello, vel quandò remediis ſit curandus. 41.§.26.
Abſorbentia quæ ſint.30.§.7.
Abſorbentia varia ad ſuffocationem hyſtericam.191.§.46.
Abſorbentia medicamenta plurima ſunt antepilectica. 191.§.46.
Abſtemiæ ſi fuerint virgines, factæ mulieres vino lymphato aſſuëſcere debent & cur. 267.
Abſtergentia decocta cum lenibus catharticis, matronam vlcere uteri liberarunt.69.§.11.
Abſtinentia diuturnior gravidis ut noceat.267.
Abſynthium ad vlcera vteri.56.
Ad Scorpionis & venenatorum morſus. 591.
Ad molam exturbandam in decocto ad balneum.243.
Ad ſpaſmum flatuoſum dictum la Crampe. 250.
Ejus tinctura in Chloroſi.173.§.57. Eſſentia ad idem. ibid.
In lue venerea. 517.§.87.
Acetabula uteri mucore obſeſſa ut abortum pariant. 280. §.20.
Acetabula uteri quæ diſſoluant.281.§.21.
Acetum roſaceum, naribus offerendum ad reparandos Spiritus ob ſanguinis fluxum diſſipatos. 271.
Acetum frigidum infuſum ad Arthriticum paroxyſmum. 434.§.86.
Acetaria gravidis non ita ſunt nocentia, obſervatio.250.
Acetarium ad menſes provocandos.91.§.35.
Acetum vteri affectibus noxium. 22.§.12.155.§.1.
Acetum cur minus ventriculo quàm vtero noceat.
Acetum ſterilitatem inducit.215.§.8.
Acetum ad ictus venenoſos.583.
Acida omnia non lædunt vterum. 155.§.1.
Acida nocent hyſtericis ita ut quæpiam ab ejus uſu etiam moderato paroxyſmum incurrant. 155.§.1.
Acida proſunt quandoque in lipothimiis hiſtericis. 15.§.1.
Acida ſanguinis orgaſmum inhibent alchalia promovent: 84.§ 5.94.§.44.
Acidum eſt ὑστερόλυτος. 94.§.44.
Acida & acetaria quomodo ſuppreſſionem menſium inducant.165.§.30.
Acidum vitioſum eſt cauſa proxima paroxyſmorum hyſtericorum.188.§.34.
Acida per geſtationis decurſum ingerens gravida, fœtum peperit cuticula carentem. 269.
Acidi ſucci eſt acetum roſaceum immiſcenda cibis gravidarum vomiturientium.252.
Acidorum laudes & dotes.250.
Acidis appetitus proſtratus reſtituitur.250.
Acidiuſcula nauſeam vomitumque gravidarum compeſcunt. 250.
Acidulæ artificiales Williſii. 173.§. 58.
Acidulæ quandoque proſunt in affectione vteri ſuffocativa. 198.§.77.
Aconitus luteo & cæruleo flore.533.565.
Acorum utile in morbo virgineo.173.§.57.
Acontias ſerpens.531. virus ejus. 599. Curatio.600.
Acria qua ratione & occaſione virtutem habeant mordicandi. 31.§.7.
Acredo omnis oritur ab igne.525.
Actes granorum pulvis in uteri ſuffocatione.195.§.63.
Adamas geſtatus ſterilitati ab incantamento medetur. 222. §.26.
Inter venena numeratur.564. remedia.ibid.
Adeps Anatinus, Anſerinus, cuniculi, gallinæ, ſuillus, taxi, ad inungendum Hypogaſtrium in exſiccatione viarum fœtus, ob aquas præmature elapſas. 312.
Ægragropyla ad ſecundinæ eductionem. 317.
Ægyptiacum potentiſſimum detergens ad vlcera vteri.14 §.1.
Ægyptiacæ fœminæ quarè mirè in venerem proclives. 207. § 1.
Ægyptiacum unguentum utile in iniectionibus in uterum Secundina ſuppurata 317.
Ær intemperatus quomodo ſuppreſſionem menſtruorum inducat.165.§.30.
Ær qualis noceat gravidis.267.
Quomodo temperari poſſit. ibid. frigidus & humidus qua ratione noxam afferat. 267.
Ærugo cum ſale Armoniaco diſſoluta in vino, callum fiſtularum abſumit.73.§.11.
In luë venerea. 524.
Æris mutationes frequentes, cauſæ fiunt Arthritici paroxyſmi. 406.
Ærugo. 532. venenata eſt. 556. remedia.ibid.
Ætites lapis pulveriſatus ſterilitatem inducit. 222.§.26.
In amuleto ad molam. 241. ad præcavendum abortum.265.284 §.26.
Ad facilitandum partum femori admotum.318.§.41.
Affectus hyſtericus particularis colicam bilioſam mentiens; ſæpius recidivus, & icterum fugacem accerſens. 76.
Affectus hyſtericus peculiaris ille irritatur enematis. 76.
Curabatur narcotico. ibid. omnes corporis partes afficiebat.ibid. poſt ſui curationem partis debilitatem relinquit. ibid.
Periculum mortis non infert niſi ob errata commiſſa.ibi.
Venæ ſectio ad illius curationem non requiritur niſi præſente plethora.76.
Purgatio nec vomitus proſunt. ibid. Anodinis ſolis curari poteſt.26.
Cauſæ non vulgaris affectionis. ibid.
Africanus flos Turcicus.532.
Agerati ſuffitus ad ſcyrrhum uteri.43.§.9.
Agrippæ qui vocentur.293.§.36.
Agaricus niger.535.
Agrimoniæ decoctum ad partum difficilem.296.§.37.
Albumen ovi agitatum cum mucilagine pſyllii in dolore urgente ulceris uteri.70.§.11.
Alexipharmaca quid ſint.534.541.544.
Albumen oui conquaſſatum cum pulvere piperis, ſtupis exceptum appoſitum tempori & genæ ad quoſcunque dentium dolores.254.
Alchimilla cum aliis traumaticis ad ſecundinæ excluſiones.317.
Alimenta ſpecifica ad fœcunditatem iuvandam.225.§.4.
Alimenta quibus uti debent mulieres quibus eſt uterus laxus, ita ut ſemen non contineat, ſed ſtatim effluat.225. §.38.
Alimentorum copia veneris cupidinem allicit.207.§.12.
Alimentum probum exigua quantitate exhibitum, vomitum gravidarum moderatur.252.
Alimentum quid ſit. 527. quomodo contradiſtinguatur à veneno.ibid. à Medicamento. ibid.529.530 534.
Allium hortenſe maximè prædicatur ad affectus hyſtericos. 27.§.33. Allium eſt alexipharmacum. 547.
Allium lacte coctum ad Hydropem uteri.
Allii caput per medium ſciſſum ſub cineribus cum parum aloës coctum expreſſum, ſi ejus ſuccus umbilico hyſtericæ illiniatur, fit morbi ſolutio.197. §.73.
Allium ſi mulieris genitali indatur, indeque odor ad nares & os mulieris feratur fœcunditatis indicium eſt.214.
Idem indicat ipſam tum temporis non eſſe gravidam. ibi.
Allium hortenſe cum oleo de ſpica in linteo raro involutum peſſarii modo in vuluam intruſum, menſes potenter movet, ſimul & conceptum facilitat.223.§.32.
Aloë ad ulcera vteri in luë venerea.517.§ 87.
Aloë ſanguinem non fundit, ſed potius ſupprimit.114.§.6.

Aloen.

Aloëa *corrigendi modus ut poſſit offerri prægnantibus.* 270.
Althea *in clyſteribus abſtergentibus in* fluxionibus alvi *gravidarum.* 254.
In partu *difficili.* 291.
Alumen crudum *tenuitatem nimiam & volatilitatem* ſanguinis *& bilis emendat.* 250.
Inter venena numeratur. 550. *Remedia adid.* 564.
Alvus *debet eſſe libera in mulieribus* prolapſui uteri *obnoxiis.* 64. §.65.
Alvi *fluxus in infantibus.* 656.
Cauſa & curatio. ibid.
Alvi *durities.* 657. *Remedia.* 658.
Amara *quomodo agant.* 31. § 9.
Amaranthi *florum uſus ad fluxus coercendos.* 135. §.56.
Amazona *ſolebat* pueros exarticulare, *inter alios fines ut diſpoſitio* Venerea *in iis augeretur.* 206. §.7.
Ambræ eſſentia *in juſculo ex* paſſeribus *vel* palumbis *parato in quos uſus.* 95. §.45.
Ambra *quomodo* ſuffocationem *hyſtericam inducat.* 190. §. 41.
Amianthes *venenum.* 564. *Remedia.* ibid.
Ammeos legitimi *ſemen ex* Alexandria *allatum mirificè* ſterilitati *medetur.* 223. §.31. *Modus eo utendi.* ibid.
Amnios tunica *quid ſit.* 313.
Amplitudo *uteri nimia.* 7.
Diagnoſis. ibidem. *Curatio.* 8.
Amuleta *quid ſint.* 544.
Amuleta *ad* ſpaſmum *flatulentum.* 250.
ad fœtum *continendum.* 284.
Amygdalæ amaræ *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Amylum *ad injectiones in uterum ad maturandam* ſuppurationem ſecundinæ *in utero poſt partum reſtantis.* 317.
Ἀναιμωσία *uteri quid ſit.* 65. §.1.
Anacardia. 532. *Noxa illorum remedia.* 581.
Anetum *ad uteri* ſuffocationem. 191. §.46.
Ad ſpaſmum flatulentum gravidarum. 250.
Angina infantium. 647. *Symptomata.* ibi. *Curatio.* ibi.
Anguillæ pellis *in ſuffitu ad* uteri *prolapſum.* 36. 58. §.29.
Anguillæ jecur *ad facilitandum partum.* 311.
Anguillæ venenatæ. 541.
Anguilla *viva in* uterum *immiſſa ad ſugendam humiditatem.* 98. §. 93.
Angelica *ad ſuffocationem* uteri. 195. §.63.
Angelicæ *radices ad* flatus *diſcutiendos comprimentes* uterum *&* partum *remorantes.* 291.
Anhelitus *impeditus in* gravidis *qua ratione fiat, & ejus curatio.* 254. 255. § 14. & 15.
Ani prolapſus *in infantibus.* 661. *Cauſa & remedia.* ibidem.
Animi *affectus ut morbum* Virgineum *cauſentur.* 165. §. 30.
Animalium extremitates *ſunt alimentum probum pro mulieribus gravidis* hæmorrhagia *laborantibus procedente à* placenta uteri *divulſa.* 272.
Animalia calore & ſiccitate *abundantia non ſunt* Venerea. 205. §.7.
Animi defectiones *in mulieribus gravidis unde procedant.* 246.
Aniſi ſemen *ſacculo incluſum ad fovendas partes* ſpaſmo *flatulento correptas, calidè applicatum.* 250.
Anodyna tutius *exhibentur, corpore purgato.* 77. §.8.
Anodyna *in* dolore *urgente uſurpanda.* 77. §.8.
Anſerinorum pedum cuticula *exſiccata ad nimium menſium* fluxum. 123.
Anſeris ſanguis, hepar, cerebrum & cor *deſtillata,* aqua *&* oleum, *brevi curant dolores* hyſtericos. 78. §.8.
Annuli *ex ferro catenarum quibus* fures *patibulo appenſi ſunt* amuletum *ad* ſpaſmum *flatulentum dictum* La Crampe.
Antimonii *crudi decocta in lue venerea.* 519.
Antimonium *crudum in* Arthritide. 427.
Antimonii *tinctura tartariſata.* 64. §.58.
Antidota & alexipharmaca *quid differant.* 546.
Antimonium *diaphoreticum in* Chloroſi. 173. §.57.
Martiale Cachecticum ad idem. ibid.
Crudum in luë Gallica. 519.
Antimonii *alexipharmaca.* 551. §.10. 552.
Antiſcorbutica *planta in* Chloroſi. 153. §.57.
Antihecticum *Poterii ad affectiones* hiſtericas. 91. §. 46.
Antiſpaſmodica *medicamenta quæ dicantur, & quis eorum uſus in* uteri *ſuffocatione.* 98. §. 77.
Antiſpaſmodica *medicamenta quotidie uſurpanda vacuis diebus à* purgatione *&* ſanguinis miſſione, *mulieribus ſuffocationi* Hyſtericæ *obnoxiis.* 198. §. 77.
Antiſpaſmodicorum *medicamentorum ſimplicium & compoſitorum ſylva.* 199. §.77.
Antimonium *in melancholia ab utero.* 210. §.31.
Anthos *flores ad* abortum *præcavendum.* 277. §.14.
Anthera *liliorum ad* partum *promovendum.* 310.
Aperientia *medicamenta cum* emmenagogis *non ſunt confundenda.* 93. §.42.
Interpolatim in curatione menſium ſuppreſſorum *ſunt uſurpanda.* ibid.
Aperientia *quam facultatem exerceant in corpore.* 30. §. 7.
Apes *ut ſint venenatæ.* 582.
Aphtæ *uteri.* 69. §.11.
Aphtæ infantium. 639. *Curatio.* ibid.
Apocymum. 533.
Apium. 534.
Apoſtolorum unguentum *detergens in ulcere uteri.* 14.
Apoplecticis *convenire Venæ ſectionem experimento & ratione firmatur.* 132. §.44.
Apoplexiam *ab* Hyſterica *paſſione modus cognoſcendi.* 185. §.30.
Apozema *ad movendos* menſes *præmiſſis præmittendis.* 94. §.45.
Apozema alterans, aperiens, & *purgans ad præcautionem* ſuffocationis *Hyſtericæ.* 200. §.78.
Apozema *conveniens in* ſecundinæ *retentione & fœtu mortuo.* 317.
Apri *vel* verris teſtes *in umbra exſiccati, pulveriſati, cum jure Galli veteris, jejuno ſtomacho à* viro *ſimul &* uxore *epoti, intra paucos dies* ſterilitati *medentur.* 215. §. 9.
Aqua aluminoſa *ad minuendam amplitudinem pudendi muliebris.* 8. Argentariorum *ad* fiſtulas *uteri.* 17. §.47. Aluminoſæ *validè exſiccant & abſtergunt, idoneæque ſunt ad tangenda ulcera uteri ſi pateant tactui.* 71. §.11.
Acida ſulphuris *ad menſes immoderatos.* 127. §. 26.
Alchimilla *epota & in uterum injecta eſt præſentaneum ad fluxum muliebrem præſidium.* 153. §.41.
Aqua apoplectica *mulierum* acida *revocat* hyſtericas *à paroxyſmo.* 75.
Apoplectica *ad* molam. 241. 191. §.46. 193. §.52.
Apoplectica Rulandi. 241. Artemiſiæ *ad molam deturbandam.* 243.
Aſtringens *Mercati* 126. §.25.
Aqua ad conceptum *juvandum.* 8. §.1. Catapultarum *quid ſit.* 70. *Ejus uſus ad detergendum* ulcus *uteri ſordidum.* ibid. Calcis *ad ulcera.* 11. §.11. Compoſita *ad ciendos menſes.* 95. §.45. Cinnamomi *ad* epilepſiam *ab* utero. 185. §.27.
Ad corroborationem *in* mola. 241. 242.
Ad difficilem partum. 296. 308.
Communis *in qua* Camphora diſſoluta *conflagraverit ad paroxyſmos* hyſtericos. 196. §.63.

Chalybeata *in menſtruatis gravidis 259.* Cordialis Saxoniæ. *241. eadem ad* partum. 308. Carbunculi *ad* partum *facilitandum. 308.* Conſolidæ regalis *ad* ſecundinam *exturbandam.317.*
Aquam *copioſam non debent bibere mulieres quibus uterus eſt laxior vel humidior. 225. §. 38. Nec in imbecillitate uteri.75.§.11.*
Aqua *Fernelii* mirifica *ad* luem veneream.506.
Aqua *Fernelii ad* Vlcera.71.§.11.
Aqua Fortis *inter venena.551. remedia.*ibid.
Aqua *diſtillata ex medicamentis proprietate agentibus ad* furorem Hyſtericum. 208.§.17.
Fabrorum *ad Hæmorrhoides.259.*
Frigida *ante cibos ad* aluum *liberam faciendam. 263.*
Embryonum *ad partum.308.*
Ferri *extinctionis ad omnes* fluxus. *125.§.18.*
Aqua Gentianæ *ad* fœtum *mortuum & molam deturbandam &* menſes *movendos. 243.*
Hordei *cum ſucco* Hyoſciami *in dolore ab vlcere uteri.70.§.11.*
Aqua Hyſterica.191.§.*46.*
Lanfranci *ad nimium* menſium *fluxum.123.*
Limacum *ad eundem uſum.125.§.18.*
Mirabilis *Ferdinandi ad fluxum menſium immodicum.123.*
Matricalis *ad difficilem partum.296.§.37.*
Meliſſæ *ad idem.* ibid. *ad uteri ſuffocationem. 198. §.63.*
Aquæ Minerales acidæ,vitriolatæ,ferratæ,aluminoſæ *in fluxu omni immodico.126 §.23.*
Naphæ *ad* ſuffocationem uteri. 195.§.63.
Aqua Plantaginis *ad ſanguinis fluxum.125.§.18.153.§.41.*
Ad *Clyſteres* pro alvi *fluxu gravidarum.254. iniectiones in* vterum *ad ſiſtendam* Hæmorrhagiam *uteri ante partum.271.*
Pulegii *ad* menſes *movendos &* fœtum mortuum *excludendum. 243.*
Ad partus *dolores ſtimulandos.308.§.40.*
Aqua Imperialis *ad* Epilepſiam *ab vtero.185.*
Ad abortum *præcavendum. 277.§.14.*
Iridis *foliorum ad partum. 311.*
Lactucæ *pro alvi fluxu gravidarum in clyſteribus.254*
Liliorum alborum *in difficili partu.296.§.37.*
Aqua Rubiæ tinctorum *ad* menſes *movendos,* molam *&* fœtum *mortuum deturbandum. 243.*
Roſarum *ad alvi fluxum gravidarum. 254.*
Sambuci *florum ad* fluxum *menſium nimium. 124. §.17.*
Ad Sudores *movendos in* chloroſi. 192.
Ad fluxum alvi *gravidarum in clyſteribus. 254.*
Sabinæ *ad* fœtum *expellendum.311.*
Serpilli *ad difficilem partum.296 §.37.*
Specifica *ad paroxyſmos Hyſtericos ſedandos.195.*
Salviæ *ad mammas nimium tumidas.261.*
Aqua Theriacalis *ad affectus Hyſtericos.185.§.27.*
Trifolii fibrini *ad facilitandum partum. 308.*
Thapſi Barbati *ad partum accelerandum. 311.*
Typhæ *ad ſudores movendos.172.*
Thermales *pota & injecta in ulcere uteri detergendi & ſiccandi cauſa, modo* Syphillidis *non ſit ſuſpicio. 70.§.11.*
Tenellorum. c. c. turionum. *326.*
Aqua vitæ mulierum. 191.§. *46.*
Vrticæ radicis *ad menſes movendos molam & fœtum exturbandos.243.*
Vincæ pervincæ *ad mammas nimium turgentes. 261.*
Vitæ mulierum *ad partum facilitandum. 308.*
Aquilegiæ *ſemen ad affectiones hiſtericas.192.§.47.*
Aranea. *533. Eius virus. 591. Remedia.* ibid. *& 596. §.19.*
Arbor Paridis. *532.*
Arcanum duplicatum *ad Chloroſin.172.*
Archeus *eſt ſpiritus inſitus.20 § 2.*
Argentum vivum *in* luë venerea.*517.519.*
Ari *radicis uſus in* chloroſi.172.
Ad Ephelides *gravidarum.264.§.41.*
Arietis reſticuli *ad fœcunditatem iuvandam.225. §. 41.*
Ariſtolochia *ad* ſcorpionum *ictus. 591.*
Ariſtolochiæ *decoctum ad exturbandam* molam.*242.*
In Clyſteribus. ibid. *ejus radix ad* fœtum *mortuum expellendum.290.*
Ariſtolochiæ rotundæ *decoctum ad fovendum ventrem poſt partum, excludendæ ſecundinæ gratia.317.*
Aromatum *quando in morbo virgineo frequens uſus conducat. 172.*
Aromata *venerem excitant.207.§.12.*
Aromaticum Roſatum Gabriëlis *ad* melancholiam *Hyſtericam.210.§.31.*
Ad abortum *præcavendum.277.§.14.*
Aromaticis *promovetur partus. 290.*
Aromaticorum *uſum non permittit æſtus febrilis.290.*
Aromatica *vires exhauſtas reſtaurant.290.*
Aromatica *temperari debent ut exhibeantur parturientibus debilitatis ne* febrem *accerſant.290.*
Aromatica *temperantur* aqueis, acidis & ſubacidis. *290.*
Aromatica *flatus potenter diſcutiunt. 291.*
Arpax, mola vivens & fratres Lombardorum *quid ſint. 233.*
Artemiſiæ & menthæ *decoctum ex vino ad præcavendam hiſtericam* ſuffocationem. *201.§.90.*
Ad molam. *242. ad* partum *facilitandum.308.§.40. 309.*
Arſenicum album, luteum, rubrum. *532. ejus deſcriptio & vires.553.*
Corroſione cedit mercurio ſublimato. ibid.
In quos uſus inſerviat.554.
Remedia & Antidota ad id.555.
Artuum *morbi qui ſint. 406.*
Arthritidis *definitio.* ibid.
Ejus etymologia. 407.§.1.
An bene per dolorem tanquam genus definiatur. ibid.
Arthritidis *ſymptomata.407.§ 37.*
Arthritis *ſemper eſt intermittens.* ibid.
Arthritis *alia eſt* vaga *alia* periodica. *ibid.*
In principio & primis inſultibus eſt ſine tumore. 407.§.3.
Arthritici *dolores in principio nullis remediis cedunt.*ib.
*A Catharticis exacerbantur.*ibid.
Topica nonniſi cum tempore iuvant. 406.
Arthriticis *paroxyſmus ſæpe inſilit vehemens nullo alio præeunte affectu, quandoque præceditur febricula. 406.§.3.*
Arthritis *aliquando eſt* Hæreditaria.406.§ *3.*
Quandoque cauſis procatarcticis producitur. ibid.
Arthritidis *externarum cauſarum enumeratio.*ibid.
Arthritidis *adæquatum ſubiectum.*ibid.
*Ejus cauſa materialis.*ibid.
Arthritis *an ſit morbus vel ſymptoma.*ibid.
Arthritidis *nomen non meretur quivis* articulorum *dolor.408.*
Doloris in arthritide *tres ſunt ſpecies,*pungens, lacerans & pulſans. *408.*
Quis dolor articulorum dici debeat arthriticus. *408.*§.4.

Arthritidis *nomen tripliciter ſumitur*, communiter, propriè & propriiſſimè. 408. §.5.
Quid intelligatur per Arthritidem communiter *ſumptam*. ibid.
Quid per Arthritidem propriè *ſumptam*. ibid.
Quid per propriiſſime. *ibid.*
Arthritis *&* podagra *qua ratione differant*. 408.§.5.
Arthritis *propriè dicta non fit niſi in* articulis *per* διάρθρωσιν *iunctio*. ibid.
Arthritidi *efficiendæ quæ ſint neceſſaria*. 408.§.5.
In omni arthritide *concurrunt* fluxio *humorum &* debilitas *partis recipientis*. ibid.
Arthritidis *cauſa materialis unica eſt ſerum*. 408.§.6. *cauſa cur aliquando pars affecta modò rubet, modò eſt alterius coloris*. ibid.
Arthritis *per quas vias in articulos influat*. 408. §.7. *Quare podagricis repreſſa fluxio* mortis *fuerit cauſa*. ibid.
Arthritidis *proprium ſubiectum non eſt ſympliciter* articulus, *ſed membrana ipſum veſtiens*. 308.§.8.
Articulationum *variæ differentiæ*. 409.§.10.
Arthritidis *fientis proceſſus & quomodo ſucceſſivè partes aggrediatur*. 409.§.10.
Quomodo materia Arthritidis, Synovia *ſive* ſerum arthriticum *per* acidi *miſcellam craſſeſcat & demum lapideſcat*. 409.§.11.
Arthritis *cur frequentiùs fiat in* pedum *internodiis*. 409. §.15.
Arthritidis *imminentis ſigna*. 409.§.16.
Arthritici *præſentiunt tempeſtatis mutationem*. 409. §.16.
Arthritide *non frequenter corripiuntur qui ſudant largiter*. 409.§.17.
Arthritidem *incurſuri die uno ante paroxyſmum vel in ipſo paroxyſmo ſolent* febre *infeſtari*. 409.§.18.
Arthritidis calidæ *ſymptomata ſunt* atrociora *quàm* frigidæ. 410.§. 18.
Sed frigidæ *paroxyſmi ſunt* longiores. *ibid. varia. Symptomata* ἐπιφαινόμενα *in* Arthritide. *ibid.*
Arthritis *vere & autumno præſertim inuadere ſolet & cur iſtud*. 411.§.20.
Iſchias *præcipue oritur in autumno*. ibid.
Arthritidis *cauſæ ſecundum Aſtronomos*. 411.§.20.
Victus ratio arthritidem *accerſens*. ibid.
Arthritidis *antecedens primaria cauſa eſt ventriculus*. 411. §.20.
Arthritidis *etſi ſerum ſit adæquata cauſa, aliquando ei immiſcentur alii humores*, bilis, melancholia, phlegma. 412.
Arthritis *non fit ab intemperie nuda*. ibid.
Arthritidi *an inſit* malignitas. 412.§.21.
Arthriticorum *tumores nunquam ſuppurantur*. 412.§.21.
Quare. ibid. acidum *ſpirituoſum volatile in Sero hærens eſt cauſa mordicationis & doloris* arthritici. 412. §.22.
Cauſa illius acidi *eſt depravata primaria* digeſtio *ſecundum Tachenium*. ibid.
Arthriticus *ab anno ætatis octavo*. 413. *Quomodo cauſæ externæ diſpoſitionem* arthriticam *inuehant*. ibid.
Arthritici *ut plurimum* nephritici *eſſe ſolent & cur iſtud*. 413.
Arthritidis Bacchus *eſt* pater, Venus mater, *&* ira obſtetrix. *quare hæc dicantur*. 413.
Eunuchi *&* impuberes *an ab ea ſint immunes*. ibid.
Arthriticorum *nodi & tophi unde procedant*. 413.
Arthritidis *cauſa, cum ſymptomatum, & ſignorum deſcriptione ſecundum Sylvium*. 413.414.415.
Arthritidis *cauſa & deſcriptio per Williſium*. 415. 416. 417.
Arthriticus *cui eximebantur tophi inſtar cretæ qua parietes pingebat & inſcribebat*. 417.§. 23.
Arthriticus *qui pro lubitu paroxyſmos ſibi accerſebat, ſolo cyprinorum eſu*. 418.§.23.
Arthritidis *proceſſus & fiendi modus ſecundum Paracelſum*. 418.§.29.
Arthritidis *cauſa Ferneliana*. 419.
Arthritidis *cauſæ & proceſſus ſecundum Riverium*. 419.
Arthritici *paroxiſmi ſtatim à morbi principio atroces ſunt*. 419.§.33.
Arthritis *fit culpâ variorum viſcerum non hepatis ſolùm aut lienis*. 420.§.34.
Arthritis *critica ad febres*. 420.§.35.
Arthritis *ex ſuppreſſa hæmorrhoidali vel menſtrua purgatione*. 420.§.35.
Arthritidem *efficientis humoris à* pancreate *vbi focus ejus eſt, in* articulos *iter &* circulatio *per totum corpus facilis ſecundum Hippotheſim Sylvianam*. 421. §.40.
Arthritis *vera ut fiat debet humor influere in articulum, quod ſi non fit ſpuria eſt* arthritis. 421 §.43.
Arthritis *primo inſultu in partibus fit diſtantiſſimis, eò naturâ amandante cauſam morbificam*. 422.
Arthritis *generalis non adeò frequens eſt vt aliæ ſpecies*. 422.§.47.
Arthritis *non fit per congeſtionem*. 424 §.53.
Arthritis *curatur aliquando* varicibus *ſubortis*. 424. §.54.
Arthritis periodica *perſanata & non recidivans in morbos ſæpe lethales convertitur*. 424.§ 54.
Arthritidis *curatio ut non ſit impoſſibilis, tamen eſt difficilis admodum*. 424.§.55.
Arthritici *ſanati ſola vini abſtinentia*. ibid.
Arthritici *ſanati uſu frequenti purgantium*. 424 §.55.
*Arthriticus *confirmatus* pane *&* aqua *vivere coactus, in carceribus, morbi liberationem integram nactus eſt*. 424.§.56.
Arthritis *ut ſanetur quæ requiruntur*. 425.§.57.
Omnes aliæ fluxiones *faciliùs curantur quàm* arthriticæ. ibid.
Arthritis *generalis graviùs affligit quàm aliæ nec eſt ſine periculo, ſed rarior eſt & ſemel duntaxat affligit*. 428.§.57.
Podagra *&* Chiragra *ſunt frequentiores, & per paroxiſmos reverti conſueverunt*. ibid.
Per ſe ſunt periculi expertes. ibid.
Immò & ab aliis morbis plerunque præſervant. ibid.
Arthritidis *aliæ ſpecies medio modo ſe habent inter* Arthritidem *generalem &* Podagram. 425.§.57.
Arthritim *profligare confirmatam niſi temere polliceri non poteſt medicus, ſublenare & retardare poteſt*. 425. §.57.
Arthritis *perſeverans inſigniter debilitat* articulos. ibid.
Iſchias *ſæpe* Claudicatem, coxæ luxationem, *& aliquando cruris* atrophiam *cauſatur*. 425.§.57.
Arthritidis *ſpecies ſæviſſima* Iſchias *eſt*. 425.§.57.
Arthritidis *in perniciem tendentis ſigna*. ibid.
Arthritis *quot modis ſolvatur*. 425.§.60.
Arthritici *à quibus morbis ſunt immunes*. 426.§.61.
Arthritidis *ſolutio quomodo & qua ratione alios & periculoſos morbos inferat*. 426.§.62.
Arthritidis *in* colicam *converſio*. ibid.
In Epilepſiam *gravem*. ibid.
In palpitationes cordis. *ibid.*
In tuſſes *&* aſthmata convulſiva. *ibid.*
Arthritidis *curandæ indicationes*. 426.§.64.
Arthritidis *paroxyſmi curatio*. 426.§.65.
In hoc potiſſimùm morbo maximè attendi debet ad iuvantia & lædentia ob idioſyncraſiam & particularem uniuſcujuſque diſpoſitionem. 427 §.65.
Diæta ſudorifica ut proſit & quando fieri quibuſque medicamentis fieri debeat. 427.§.65.

Arthriticorum *impatientia & dolores vehementes curationem morbi valde interturbat.* 427.
Topica medicamenta ſæpè varianda ſunt. ibid.
Arthriticis *ſolatium à medicamentis non percipientibus ii ſunt amandandi ad* thermas Carolinas. 427. §. 65.
Arthritici *omnes ſunt* Hypochondriaci. 427.
Arthritis *victum tenuem &* Hydropoſiam *requirit.* 428. §. 66.
Arthriticæ *fluxionis in principio quid ſit agendum.* ibidem.
in Arthritidis *paroxyſmo quæ Medicus obſervare debeat.* 428. §. 66.
Arthritidem *curaturus primò effervescentiam humore ſedare* anodynis & narcoticis *debet.* 428.
Ratio cur narcotica *omnibus doloribus ſubveniant.* ibidem.
Spiritus vini &, aquæ *ſpiritoſæ quare conveniant in* Arthritide. 428.
Arthritis *curari non poteſt ſine venæ ſectione liberali & frequenti.* 428. §. 67.
Cucurbitulæ *cum ſcarificatione quid proſint in* Arthritide. *ibid.*
Vbi ſint affigendæ. 428. §. 71.
Hirudines *quem vſum habeant.* 430. §. 72.
Purgatio *quando exhiberi debeat.* 430. §. 73.
Non proſtat in medicina acidum purgans *medicamentum.* ibid.
Difficulter purgantur quibus acidum *peccat.* ibid.
Arthritici *non debent initio paroxyſmi catharticis medicari.* ibid.
Cathartica *medicamenta in arthritide convenientia.* ibidem.
Vomitoria. *ibidem.*
Sudorifica. 432. §. 83.
Repellentia. *ibidem.*
An tuta ſint. ibidem.
Cautiones in illis uſurpandis. 433. §. 84.
Repellentia *vi aſtringente prædita tuta non ſunt.* ibidem.
Arthriticorum *dolores minuentium medicamentorum Sylva.* 434. §. 87.
Medicamenta *reſolventia.* 438. §. 105.
Arthritidis *præcautio.* 439. §. 112.
Arthriticorum *diæta.* 439. §. 113.
Arthritide *affecti non debent aëri externo exponi ante quadrageſimum diem poſtquam dolores ceſſaverunt.* 439. §. 116.
Arthritidis *præcautionis ergo vena pollicis pedum ſingulis menſibus aperienda eſt.* 439. §. 118.
Purgatio *inſtituenda eſt tempore æquinoctiorum.* 439. §. 120.
Antipodagrica *medicamenta quæ ſint.* 440. §. 125.
Variæ purgantium ad Arthritidem *formulæ.* 442. §. 121.
Antipodagricorum *dictorum medicamentorum noxa.* 442. §. 125.
Arthritidis *differentia.* 446. Mulierum *hic nullum privilegium.* ibid.
Nec etiam ab ea ſunt immunes Pueri ante veneris uſum. 446. §. 137.
Arthritis *eſt* hæreditaria *aut* adſcititia. 446. §. 138.
Arthritis *aut eſt* vaga *aut* fixa. 448.
Fixa *quid indicet.* ibid.
Arthritis *alia eſt* hyberna *alia* æſtiva. 448.
Arthritis ſanguinea. 446. *Ejus ſigna.* ibid.
Aliquando ſuppuratur. ibid.
Curatio ejus. 446. §. 145.
Arthritis bilioſa *quos afficere ſoleat.* 446.
Ejus ſigna. ibid. §. 147.
Curatio & cautiones obſervandæ. ibid.
Prognoſis. ibid. *Remedia.* 447. §. 150.
Arthritis Pituitoſa. 447. §. 156.
Quibus contingat. ibid. *Signa diagnoſtica.* 447. §. 157.
Curatio. ibid. *Sanguis in hac non debet mitti.* ibid.
Medicamenta idonea. ibid.
Arthritis Melancholica *quibus competat.* 447. §. 158.
Signa & Curatio. ibid.
Arthritis *ex* humoribus mixtis. 447.
Ejus ſigna diagnoſtica & curatio. ibid.
Arthritidis veræ *diagnoſis & curatio.* 447.
Spuriæ. ibid.
Arthritis *alia eſt* podagra *quæ pedes, alia* chiragra *quæ manus, alia* gonagra, *quæ genua, alia* Iſchiadica *quæ coxendicem infeſtant* 451. 452. 453.
Arthritis *quædam eſt* generalis *pluribus articulis conveniens.* 452.
Arthritis particularis *vocatur ſi quoſdam articulos duntaxat aggrediatur.* ibid.
Arthritis *nonnunquam* Homoplatam *occupat & tunc alio nomine non vocatur quàm* Homoplatæ *dolor.* 452.
Arthritis *rarius cubiti articulationem attingit.* ibid.
Arthritis *quandoque &* dorſi, vertebras & colli & ſternum *occupat tuncque nomine caret ſpeciali.* 452.
Arthritis *in ipſo* naſo *obſervata.* ibid.
Arthritidis podagræ *dictæ Etymon.* 452. §. 163.
Arthritidum *particularium nomina à Paræo indita.* 452. §. 165.
Arthriticorum *curationum varia exempla & paradygmata.* 464.
Arthritis Scorbutica *quæ vaga.* 464. §. 201.
Ea affecti vareni *vocantur.* ibid.
Ejus diagnoſis. 465.
Cauſa eſt tartarus ſcorbuticus *reſolutus.* ibidem.
Curatur per Lumbricos. *ibid.*
Medicamenta ex Lumbricis. *ibidem.*
Aqua *lumbricorum.* ibid.
Arthritis Gallica. 464. §. 201.
Ejus ſigna & curatio. ibid. & §. 202.
Arthritis nodoſa *vnde oriatur.* 454. §. 203.
An diſſolvi medicamentis poſſint tophi. 465. §. 204.
Caſeus putridus *ad ipſos diſſolvendos cum* jure pernæ. *ibid.*
Vinacea *in tempore vindemiarum utiliſſimum ad tophos diſſolvendos remedium.* ibid.
Arthritis *inveterata vel recens.* 464. §. 204.
Inveteratæ varia remedia. ibid.
Curatio chirurgica. 464. 465. §. 209.
Arthritis *alia* ſtata & fixis *periodibus.* 464. §. 211.
Ejus curatio. ibid.
Alia vaga & *quæ nullos obſervat terminos.* 464. §. 212.
Ejus ſigna. ibidem. Afficit præſertim primâ coctione abſoluta. ibi. *Movetur materia tepore lecti.* ibid.
Curatio. 464.
Aſpaſia *quid.* 8. §. 1.
Aſtringentia, auſtera & acerba *quantitate parva ſæpius exhibita ſanguinem paulatim incraſſant & ſunt in ejus fluore immodico cæteris præferenda.* 126. §. 15.
Aſinini, canini *vel* ſuilli ſtercoris *ſuccus, cum ſyrupo* mirtillorum & *aqua* Pulegii *ebibitum, eſt infallibile remedium ad quoſcunque ſanguinis fluxus cohibendos.* 127. §. 25.
Aſini *ſtercoris* ſyrupus *utilis mirabiliter in fluxu muliebri.* 153. §. 41.
Aſini cutis *pulveriſata ſpecificum eſt remedium ad* fluorum album *muliebrum.* 150. & 154. §. 42.
Aſparagorum turiones *comeſti ad venerem incitant.* 207. §. 12.

Aſſæ fœtidæ, uſus in ſuffocatione uteri interno & externo uſu. 191.§.46.
Aſininæ ungulæ ad ſuffitum in utero excipiendum ad molæ curationem. 241. ad fœtum provocandum. 310. ad ſecundinam deturbandam. 317.
Aſſæ fœt. . ſuffitus ad molam deturbandam. 241. ad fœtum mortuum eiiciendum. 290.
Aſtaci à muliere gravida loco genuini fœtus parturiti. 713.§.12.
Aſtringentia topica quando applicanda ad hæmorrhoides gravidarum. 259 ad præcavendum abortum interna & externa. 277.§.16.
Aſphaltum ad ſecundinam deturbandam. 314.
Aſpis. 533. natura ejus veneni. 549 ſpecies ejus. 583. accidentia. morſum ejus ſequentia. ibid. Remedia. ibid.
Athanaſia alexipharmacum nobile. 543.
Atrophia infantium. 671. remedia ad ipſam. ibid.
Auripigmentum in trochiſcis pro ſuffitu à quibuſdam audacter præſcribitur in prolapſu uteri, ſed conſultius eſt & ſecurius uti ſandaracha Arabum ſive gummi Iuniperi. 58.§.19.
Avenſoar inter medicorum principes, in propria filia quadrimeſtrem graviditatem non agnovit. 247.
Avis à Comitiſſa Mansfeldiæ enixa loco legitimi fœtus. 213.§.2.
Aurantiorum cortices ad ſuffocationem uteri. 195.§.63.
Aurantiorum & limonum uſus ubi ſecund na reſtitat in utero, poſt partum. 315.
Aurium dolor in infantibus. 633. Humiditas. ibid. ſymptomata inde procedentia. ibid. remedia. ibid.
Aurum diaphoreticum & ejus deſcriptio ad luem veneream. 492.
Auri & Argenti folia contra venena. 547. ex iis quæ conficiuntur venena. 562. remedia. 563.
Auri folia cum ſpodio & germinibus ovorum ad abortum præcavendum. 283.
Auſtera bilem & ſuccos tenuitate & activitate peccantes incraſſant & in officio continent. 250.
Auripigmentum. 555. vide Arſenicum.
Avulſio pilorum doloroſa, ut medeatur ſymptomati hyſtericæ ſuffocationis. 193.§.1.
Axungia anſerum, cati, cervi & ſuis caſtrati ad linimentum quo inungatur venter gravidarum valde diſtenſum metu fiſſuræ. 264. Serpentis. 546.
Axungia canis ad idem. ibid. caſtoris ad dolores poſt partum. 322.
Axungia viperarum ad partum facilitandum. 308. §.40. Porci in lue venerea. 524.
Azarum in clyſteribus ad molam deturbandam. 242.
Azari ſuccus ad partum promovendum. 309.
Azedarach. 533.

B

Baccæ lauri ad Arthritidem. 447.
Balauſtia ad Hæmorrhoides. 259. ad præcavendum abortum. 277. Ad Arthritidem. 446.
Balnea & vaporationes conveniunt præcipuè iis quibus ob frigiditatem conſtipatur. 27.§.74.
Balneum ad Rheumatiſmum. 478. ad luem veneream. 495.
Balnea humida vitanda in vlcere uteri. 71.§.11.
Balnea ad menſes provocandos. 99.§.55. uſurpanda tempore fluxus menſtrui cavendo à ſudore. ibid.
Balnea ſiccantia inutiliter adhibentur in ſuppreſſione menſium. 99.§.55. Atramentoſa, ſalſa, aluminoſa in uteri procidentia. 39.§.31.32.
Balneorum appropriatorum decoctis pedes ægrarum quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua lavari debent. 99.§.55.
Balnea ad menſes ſiſtendos. 130.§.30. cautiones in uſu horum balneorum. ibid.
Balnea artificialia ad Hæmorrhagiam ſiſtendam. 137.§.69.
Balnea ut proſint in Arthritide. 445.

Balnea ex ſale, alumine, ſulphure in aqua pluviali ad fluorem album. 157.§.53.
Aquæ extin. . . nis ferri ad idem. ibid. ex plantis aſtringentibus ad idem. ibid
Balneum ad Chloroſin. 171.§.53. obſervanda & cavenda in illius uſu. 172. quæ ad illum affectum ſoleant uſurpari. 173.§.55. è purgantibus in eodem affectu. ib.
Balneum ad furorem uterinum. 208.§.13. . §. 16. Aquæ dulcis ad melancholiam ab utero. 210.§.29. ad ſterilitatem ex emaciatione. 224.§.37. in mola 241.
Balneum ex ovis formicarum ad arthritidem. 445.
Balnei uſus ad curationem mulierum lue venerea infectarum, nequaquam conſulendus. 266.
Balnei uſus in gravidis probandus 269. improbandus. ibid.
Balneum ad partum facilitandum. 308. aquæ ferratæ ad podagram. 440. ad partum facilitandum ex emollientibus. 309. ex Emmenagogis & fœtum pellentibus ibid.
Balneum aquæ ferratæ in arthritide. 445.
Balſamus de Copayua. 25.§.21. 443. Terræ catechu ad uteri procidentiam. 59.§. 33. ſulphuris ad uteri vlcera. Embryonis ad ſuffocationem hyſtericam. 191.§.46.
Balſama qua ratione ſint neceſſaria in uterinis affectibus. 191 §.46.
Balſamus Peruvianus in uteri ſuffocatione. ibid. apoplecticus mulierum in ſuffocatione hyſterica. ibid.
Balſamus Hiltericus. 19 . §. 2. odoratus clytoridi cum bombace applicandus ad ſuffocationem uteri. 197. §.73.
Balſama Lavendulæ, Anthos de carabe, ad corroborandam mulierem in excludendæ molæ conatibus debilitatam. 41.
Balſamum vulnerarium Moebii, ad molam. 241.
Balſamina pro fotu in abortus metu. 285. Balſamum Embryonum ad facilitandum partum. 297. Lobelii ad partum. 308.
Balſamica medicamenta quæ dicantur. 308. eorum variæ ſpecies. ibid.
Balſamus Antipodagricus Rulandi. 438.
Balſamum de Peru ad Arthritidem. 443.
Balſamus & oleum Succini ad Epilepſidem ex cicutá epota. 577.
Bardanæ majoris folium ſuper caput geſtatum uteri deſcenſu curat ſub pedibus uteri deſcenſui medetur. 198.§.73.
Ejus decoctum ut prodeſt in Arthritide. 453. quâ ratione conducat in hoc affectu. ibid. Ad luem veneream ejus uſus. 493.
Baſiliſcus quale ſit animal. 523. ejus natura & virus. ibid. ſymptomata ex ipſo. ibid.
Bdellium ad purgandos arthriticos. 430. Pilulæ Bdellii ad vlcera. 70 §.11.
Bezoardica tinctura. 64.§.8.
Bezoard ad pleraq; venena, vel mineralia, vegetabilia aut animalia. 566. ad Napellum. ibid.
Becabungæ folia in ſuppreſſione menſium. 87.
Berberis ſuccus cum Aromaticis nuce moſchata, cinnamomo & c. ad emendandam ſterilitatem ex laxitate uteri. 225.§.38.
Benedicta laxativa in clyſteribus flatus diſcutientibus. 291.
Betonica in Arthritide ſingularis eſt uſus. 444. in convulſione infantium. 652.
Bezoardicorum in puerperio & ſecundina excludenda utilitas. 317.
Betulæ liquor. 535.
Bezoard in Arthritide. 434.
Bezoardicum minerale, in fluxu alvi infantium. 660. in eorum ictero. 638.
Bilis inter omnes humores eſt maximè mutabilis. 252.
Bilis eſt præcipua cauſa vomituum in gravidis. 252.

Bilem *purgandi ratio & medicamenta in* Arthritide. 430.
Biſtortæ *radix in* amuleto *appenſa ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 250. *eadem* volatilitatem *nimiam & tenuitatem nimiam emendat.* 250. *ad* lochiorum *fluxum immodicum.* 326. *ad* Arthritidem. 449. *ejus pulvis ad* podagram. 451.
Bochetum *ad* podagram. 427.
Bochetum *pro potu ordinario in* Luë Venerea. 491.
Boleti *ad* Venerem *provocant.*
Bolus Armena *antidotus* Vitri *vorati.* 565. *ad* Arthritidem. 449. *ad præcavendum* abortum. 271. §. 16.
Ad dolores *uteri post partum.* 320.
Bolus validus & efficax *ad promovendum* partum *in ſumma virium imbecillitate exhiberi aptus.* 310.
Bolus vomitorius *in* mola. 241. laxans *ad idem.* ibidem. *ad* ſemen *corrigendum &* expurgandum *in* furore *uterino.* 267. §. 13.
Borrax *ad* Ephelides *gravidarum.* 264. *in* ſuppreſſione *menſium die novilunii vel potiùs tempore menſtruali exhibendum.* 93. §. 43. *ad* fœtum *mortuum* exturbandum. 290. ad partum *difficilem.* 296. §. 37. 308. §. 40.
Borrax *inter* Venena *numeratur.* 550.
Botrys *herba ad* ſecundinam *hærentem excutiendam.* 317.
Braſſicæ *folia ad* Arthritidem. 449.
Bronchocele *orta ex difficili partu.* 297.
Bruta *animalia cur ſtatuta habeant à natura* pariendi *tempora,* homo *vero non item.* 175.
Bryoniæ radicis *uſus ad* Ephelidas *gravidarum.* 264. *ejus* extracti *vires.* 200. §. 79.
Bryoniæ fæcula *in* Chloroſi. 172. *ejus radix utilis eſt in affectibus* hyſtericis *& quare.* 191. §. 46.
Bryonia *in* Clyſteribus. 192. §. 47. *ad* molam. 242.
Bubones *in* lue *venerea.* 514. §. 77.
Bubones *ſunt* maligni & peſtilentes venerei *aut* ſimplices. 514. §. 77. *unde procedat* peſtilentium malignitas. ibidem. oriuntur in *glandulis* conglobatis. ibid. *quare vocantur* maligni. *ibid.*
Bubones œdematoſi *unde oriantur.* 514. eryſipelatodes. *ibid.* Scyrrhodes. *ibid.*
Bubones *ſi nullum aliud ſignum adſit non ſufficiunt ad concludendum de* Peſtilentia *vel* lue venerea. 514.
Bubones venerei *ſemper producuntur ex* ſanguine. 514. *eorum Cauſa & Signa.* ibid.
Bubonum venereorum *curatio.* 514. §. 79. *Emplaſtrum ex* galbano. *ibidem.* Cataplaſma *miré efficax.* ibidem. *fotus.* ibidem. Cucurbitula ſcarificata *& non* ſcarificata. *ibidem. Si* durities *poſt* ſuppurationem & puris *evacuationem reſtet, quid portendat.* 515.
Bugula *cum aliis* Traumaticis *in* Secundinæ *retentione.*
Bufo *exſiccatus externè applicatus mirandum eſt remedium in* Hæmorrhagia *uterina &* quacunque. 132. §. 44.
Bufonum *oleum ad* Arthritidem *Scorbuticam.* 465.
Bufo & *ejus* ſperma *inter venenata animalia locum tenent.* 533. *in quo conſiſtat ejus* venenum. 591. *Curatio adhibenda ad ejus* noxam. 592. *Lapis* bufonis *contra* venena. 544. 545.
Bupreſtis. 532. *numeratur non poſtremo loco inter* deleteria. 602. *ejus antidotum.* ibid.

C

Cachexia *mulierum ſive Chloroſis ex* maſſa *ſanguinea.* 174. §. 59.
Ejus cauſa. ibidem. *Curatio eadem quæ* cachexiæ *communis.* ibidem. *per* Vomitoria & Martialia *ibid. &* emmenagoga. *ibid.*
Ejus prognoſis & morbi *eam conſequentes.* ibid.
Epilepſia *ab utero.* ibidem.
Melancholia *ab utero.* ibidem.
Lienis Schyrri *a Cachexia hyſterica.* 174. §. 59.
Symptomata Cachecticarum *mulierum ſolent exaſperari tempore* menſtruorum. 174. §. 59.
Oriuntur omnia à menſibus *ſuppreſſis.* ibid.
Qua ratione menſium *ſuppreſſio illa ſymptomata cauſetur.* 174. §. 59.
Quibus cauſis contingat in Cachexia *menſtruorum* ſuppreſſio. *ibid.*
Cachexiæ *indicationes curativa.* 174. §. 59.
Dyſcraſia *ſanguinis primo loco emendanda.* ibid.
Martialia *ad eum ſcopum varia remedia ad morbos à* cachexia *mulierum productos.* 174.
Cachexia gravidarum. 254. §. 16.
Cacochymiæ *ſpecies quot ſint.* 282.
quomodo abortum *cauſetur.* ibidem. *qua ratione ei medendum ſit.* ibid.
Cæpa *applicata ad morſum* canis *rabidi.* 595.
Cæpa *demorſa bis aut ter &* ſuccus *deglutitus à* parturiente, Secundinæ *hærentis expulſionem juvat.* 316.
Calamus *aromaticus ad infantium paralyſin.* 642.
Calculi *in* utero. 73. §. 115.
Calculi *in microcoſmo ubique concreſcere poſſunt.* 73. §. 13.
Calculi *ſecundum Mercurialem in* utero *fieri nequeunt.* 73. §. 13.
Opinionis illius refutatio. ibid.
Calculi uterini *Cauſa, Signa, Curatio.* 73. §. 13.
Calculi veſicæ infantium. 666. *Signa.* ibid. §. 45.
Maſculorum *affectus eſt non* puellarum. 666. §. 47. *cur iĳ eo afficiantur.* ibid.
Calculo veſicæ *cur infantes afficiantur potiùs quam* renali. 666. §. 47.
Cauſa à lacte *nutricis petenda.* ibidem.
Materia ab infantibus *per urinam excreta in* lapides *concreſcens* aëri *expoſita.* 666. §. 49.
Calculi infantium *curatio.* 666. §. 50.
Si omnimodam Iſchuriam *creet &* catheter *dimoveri non queat ſoli* operationi *Chirurgica locus eſt.* 666. §. 51.
Curatio per balneum, inunctiones. 667. §. 53. *Remedia.* ibid.
Calaminaris *lapis eſt venenoſus.* 551.
Calaminta *ad dolores articulorum in* luë venerea. 516. §. 87.
Ad Spaſmum flatulentum *dictum* La Crampe. 250.
Callus *fiſtulæ* uteri *quot modis poſſit extirpari.* 17. §. 47.
Calorem *nativum extinguentia* venena. 532.
Calx *vorata an morbi* virginei *poſſit eſſe cauſa.* 166. §. 32.
Camphora *ad* Ephelides *gravidarum.* 264. *ad* chloroſin. 168. §. 45.
Ad uteri *ſuffocationem.* 190. §. 41. 192. §. 45.
In oleo *amygd. d. Soluta umbilico infuſa, ſuperpoſito emplaſtro* diapalma *ad* uteri *ſuffocationem.* 198. §. 75.
Ad furorem *uterinum intus* ſumpta. 208. §. 17.
Odorata. 208. §. 19.
Cruribus applicata. 209 §. 18.
Veneris *impotentiam invenit.* ibidem.
Facultas ejus Antivenerea *unde procedat.* 209. §. 18.
Cameli *toto die* venerem *exercent.* 206. §. 7.

Cancer

Cancer uteri. 16. ejus definitio. 17. diagnoſis. ibid.
  Cauſæ. ibidem. Prognoſis. 18. Curatio. ibid.
  Laudanum opiatum quotidie per quatuor menſes uſurpatum. 18. §. 48.
Cancri fluviatiles ad cancrum uteri. 18. §. 2.
Cancrorum lapides ad affectiones uteri. 191.
Cancrorum caudæ ſunt probum alimentum mulieribus gravidis hæmorrhagia uteri laborantibus. 272.
Candelæ extinctæ fumus ut cauſa fuerit abortus. 267.
Caninæ pellis ad fiſſuram ventris gravidarum præcavendam præparatio & uſus. 264.
Canis axungia ad idem. ibid.
Canis rabidus quare in demorſis producat Hydrophobiam. 231.
Canis rabidi morſus. 595. longo tempore aliquando ejus veneni noxa delitеſcit. ibid.
  Symptomata ab eo procedentia. ibidem.
  Hydrophobiæ cauſa. 595.
Canes cur rabiem contrahant. 596. Signa rabiei in cane. ibid.
  Signa venenati morſus. ibidem. morſus canis rabidi Curatio. 595.
Cantharides. 601. quid ſint. ibidem. earum in medicina uſus. ibid. earum venenum. ibid.
  Symptomata ab eo procedentia. 601. Curatio. ibid.
  Sumptæ per os evacuari debent per ſeceſſum aut vomitum. ibid.
  Remedia Specifica. ibidem.
  Lac in minori doſi dari debet, aliàs non caret periculo. 602.
Cantharides parvæ, rubræ noſtrates in truncis arborum carioſis enatæ remedium præſtant ad capillorum in luë venerea defluvium. 515.
Capitis dolor in quibuſdam mulieribus eſt graviditatis ſignum. 246.
Capitis dolor prægnantium. 254. §. 16.
Capitis dolores in luë venerea. 515. §. 8. quid habeant peculiare. ibid.
  Curatio. ibidem.
Capitis contuſiones in recèns natis. 612. 613.
Capitis dolor infantium. 635.
Capillorum defluvium in luë venerea. 515.
  Ejus cauſæ. ibidem. Curatio. ibidem.
Capræ Vulva fœcunditatem adimit. 215. §. 8.
Caponis cranium pulveriſatum in aqua pulegii exhibitum ad menſes provocandos. 101. §. 65.
Caries oſſium in lüe venerea. 524.
  Vide Oſſium Caries.
  Pudendi in lüe venerea. 513. §. 13.
Carbonum fumus ut noceat gravidis. 267.
  Vorati ut Chloroſin excitent. 166. §. 32.
Carminantia abdomini applicata ad abortum præcavendum. 271. §. 14.
Carcinomata in utero plerumque mortem inferunt. 13. §. 33.
Carcinoma uteri quid. 72. §. 12.
  Ejus non exulcerati notæ & cauſæ. ibid. exulcerati. ibidem.
Carcinomata & nomæ uteri ſpernunt mitiora remedia, vehementibus exaſperantur. 72. §. 12.
Caro vervecina parum aſſa & irrorata aqua roſacea vel nenupharis & ventri applicata matrem & fœtum roborat. 313.
Carlinæ radices ad ſuffocationes hyſtericas. 192. §. 46.
Carui ſemen ſacculo calidè incluſum ad fovendas partes flatulento Spaſmo ſive Crampe correptas. 250.
Carunculæ myrtiformes impropriè carunculæ dicuntur. 6. §. 27.
Caryophillata conducit ad tenuitatem & volatilitatem ſanguinis nimiam emendandam. 250.
Caryophillus denti cavo intruſus dolori dentium ſuccurrit. 254.
Carolinæ thermæ ad Arthritidem. 427. §. 65.
Caſtanearum interna pellicula prodeſt ubicunque aſtrictione eſt opus. 153. §. 41.
Caſtorei odor quomodo conferat ad uteri ſuffocationem.
Caſtoreum palmarium eſt remedium in uteri prolapſu. 58. §. 29.
  Ad Epilepſiam tum primariam tum uterinam. 174.
  Ad Chloroſin. 171. §. 52.
  Ad fœtum mortuum deturbandum. 190. ad molam in peſſario. 241.
Caſtoreum & ex eo parata remedia ſpiritus, eſſentia, extractum, pilulæ in ſuffocatione hyſterica. 191. §. 46.
  Eſt quaſi baſis omnium hyſtericorum medicamentorum. ibid.
  Dicitur anima uteri. 191. §. 46.
  Adhibetur uſu externo in ſuffocatione, ſed ejus uſus internus eſt ſuſpectus & quare.
Caſtoris axungia ad uteri ſuffocationem. 197. §. 73.
Caſſia conveniens eſt remedium ad liberum ventrem conſervandum in mulieribus gravidis. 268. 269.
  An ſecurè offeratur abortus obnoxiis. 283. §. 22.
  Ejus uſus in lüe venerea. 504. ejus corticis uſus ad fœtum feliciter excludendum. 310. Variæ ex ipſo compoſitiones. ibid.
Caſus ab alto ſæpe eſt cauſa prolapſus uteri. 64. §. 61.
Caſtrationis operatio in mulieribus an fieri poſſit securè 220. modus quo fiat. ibid.
Cataplaſma plantis pedum applicandum in affectione hyſterica & ejus compoſitio. 193. §. 51.
Cataplaſma ſtatio unius diei uteri Hæmorrhagiam ſiſtens. 138. §. 68.
Cataplaſma ad Hæmorrhagiam uteri ante partum. 272.
  Adſtringens in gravidarum affectibus. 259.
  In Hæmorrhoidibus uteri. ibid.
  Ad dolores poſt partum. 327.
Cataplaſma de mica panis ad dolores teſtium in gonorrhæa virulenta. 519. ejus deſcriptio. ibid.
  Ex farina fabarum in oxymelite cocta ad teſtes inflammatos in lüe venerea. 519.
Cataputia & ejus ſpecies. 580. quas noxas inferat. ibid. remedia. ibid.
Cataputiæ grana nodulis funis umbilicalis recènt nati, alligata, ſterilitatem matri afferunt, & id per tot annos quot grana adhibita fuerint. 222. §. 26.
Catheteris uſus ad urinæ ſuppreſſionem in gravidis. 262. §. 34.
Cati ſtercoris ſuffitus ad partum facilitandum. 310.
Cathartica non proſunt in initio paroxyſmi arthritici, è contra nocent. 406. §. 3.
Catarrhus infantium. 637.
Cauteria applicanda brachiis, cervici aut cruribus, ad curationem ſterilitatis, ab uteri intemperie frigida & humida. 223. §. 31.
Cauteria ut Cacochymiæ medentur. 283.
  Ad ſuppreſſionem menſium cruribus admota. 91. §. 31.
  Ad Virgineum morbum. 190. §. 91. in ſcyrrho uteri. 43. §. 9.
Cauda muliebris quid. 3. §. 12. ejus Signa. ibidem. Curatio. 3. §. 13.
  Quomodo amputanda. 3. §. 14.
Centaurium minus in Chloroſi. 173. §. 57. in decocto ad molam eliminandam. 242.

Cephalalgia *ab* utero. 174. §. 59. *remedia ad ejus* curationem. 174.
Cephalalgia *puerorum ex* variolis. 650.
Cephalicum Specificum Hartmanni *ad ſuffocationem* uteri. 191. §. 46.
Michaëlis *ad idem.* ibidem. Cratonis *ad idem.* 191. §. 46.
Cephalica *medicamenta quomodo* uterinis *affectibus conveniant.* 191. §. 46.
Ceratum *refrigerans Galeni ad dolorem* Hæmorrhoidum *in gravidis.* 258. §. 25.
Citrinum *ad* tophos *& nodoſitates in* lüe *Venerea.* 521.
Cerata *ad præcavendum* abortum. 284.
Cerefolium Romanum *in juſculo inter omnia remedia ad* ſecundinam *excludendam prævalet.* 317. *ad* dolorem uterinum *poſt* partum *à ſanguinis* grumo *cauſatum.* 322.
Ceraſtes *vel* Cerapes *ſerpentis ſpecies quæ ſit.* 599.
Quomodo fugiendi luminis & umbroſas latebras *quærendi* cupedinem *inducat.* 231.
Cerebro *adverſantia* venena *quæ ſint.* 531. 532.
Cerebrum leporinum *ad juvandam* dentitionem *infantium.* 634. §. 63.
Cervicalis *liquor quid ſit.* 63. §. 55.
Cervinus *uterus exſiccatus* conceptum *juvat.* 215. §. 9.
Ceruus *quid habeat* venenoſi. 596.
Remedia. ibidem.
Ceruſa *ad gravidarum* Ephelidas. 264. *ejus* noxiæ *qualitates.* 557.
Remedia. ibid. ad labiorum *puerorum* fiſſuras *ejus utilitas.* 641.
Chalcitis *ad detergendas maculas* veneteas. 517. §. 90.
Chalcanti *pulvis* ſanguinem *immodice fluentem ſiſtit.* -5. §. 1.
Chalybearum vinum *ad obſtructiones* uteri. 28.
Chalybs *quibus viribus agat.* 31. §. 11.
Chalybs *in Scyrrho uteri.* 43. §. 9.
Chalybs & chalybeata *remedia in morbo* virgineo. 173. §. 58.
Chalcitis *quas* noxas *inferat.* 655. *Remedia.* ibid.
Chalybis *uſus omnibus* uteri *affectibus eſt utilis.* 199.
Chalybis *uſus frequentior ita* vulvam *conſtringit ut difficilis ſit aditus* membro virili. 222. §. 30.
Chalybis *variæ præparationes & uſus ſingularis in* menſium *ſuppreſſione.* 98. §. 51.
Chalybeatæ *pilulæ.* ibid. *ad idem.*
Chamemælum *ad* ſpaſmum *flatulentum vulgo* Crampe *gravidarum.* 250. *ad* Vomitum *earundem.* 251. *ad* abortum *præcavendum.* 277. §. 14.
Chamomillæ *Romanæ flores ad* uteri *ſuffocationem.* 105. §. 69.
Ad Anginam *infantium.* 647. *ad dolorem* Aurium. 633.
Chamelæa *quale ſit* Venenum. 578.
Quæ ſymptomata *inducat.* ibid. Remedia. ibid.
Chartæ *accenſæ fumus in* uteri *præfocatione.* 193. §. 52.
Cheyri *flores ad fœtum mortuum expellendum.* 290. *Ad* uteri *ſuffocationem.* 191. §. 46.
Chinæ *radicis* Salſæ & Saſſafras *decoctum in* uteri *prolapſu ab ejus* lubricitate *tutiſſimum inter omnia remedium.* 59. §. 39. *in arthritide.* 427.
Chinæ ligni Sancti Sarſæ & ſaſſafras *decoctum in omnibus internis* ulceribus *prodeſt, præſertim ubi ſuſpicio eſt* luis *venereæ.* 70. §. 11.
Chinæ radicis *decoctum in* Chloroſi. 173. §. 57.
In luë *venereâ.* 495. 489. *quas* qualitates poſſideat. 459. §. 52.
Utilis eſt ad atrophiam. *ibidem.*
Deſcriptio chinæ. 503. *ejus* præparatio. *ibid.*
Modus *decoquendi.* ibid.
Ratio victus *in ejus uſu.* ibidem. obſervandæ & cautiones *neceſſariæ.* 503.
Chloroſis *Vide Morbus Virgineus.*
Chorion *tunica quid ſit.* 313. §. 59.
Chocolatæ *vis* Alexipharmaca. 545.
Cibum fœtui *quæ ſubtrahant.* 278.
Cibi *gravidis vehementer exoptati denegati* fœtum *enecant.* 278.
Ciceres *ad* Ephelides *gravidarum.* 264.
Rubrorum *decoctum in difficili* partu. 296. §. 37. 310. §. 45.
Cibi & potus *qui ſuppreſſionem* menſtruorum *cauſari apti ſunt.* 165. §. 30.
Cicuta aquatica *cujus ſit temperamenti.* 573.
Quæ ſymptomata *producat ingeſta.* 576.
Ab ipſa interempti ſpumam viridem *ore emittunt.* 576.
Curatio morborum *à cicuta inductorum.* ibid.
Cicuta terreſtris *quæ* ſymptomata *producat.* 578.
Eorum curatio per vinum abſynthites, *& alia* antidota. *ibid.*
Cicuta ad amorem *inſanum ſive* maniam *hyſtericam.* 209. §. 19.
Qua ratione Venerem *extinguat.* ibid.
Cicuta *quantociùs è ventriculo educenda eſt per* vomitum. 576. *per* ſeceſſum *non æquè commodè & ratio ejus.* ibid.
Cicuta *paroxyſmos* epilepticos *cauſatur.* 576. *an in illis* paroxyſmis vomitoriorum *uſus ſit tutus.* ibid.
Alexipharmacis *ingeſtis dum* venenum *in ventriculo ſupereſt acceleratur* mors. 577.
Cicutæ *ingeſtæ an* Vinum *conducat.* 577. *ad* vomitum *ciendum lenia* vomitoria *ſufficiunt quæ larga quantitate exhiberi debent.* ibid.
Cicuta *non indiget vehementibus* vomitoriis *& quare.* 577.
Si Epileptici *paroxyſmi* vomitum *diſſuadeant quibus* auxiliis *medendum.* 577.
Motibus convulſivis *à corrupto* ore *cura debet eſſe apertum* os *tenendi*, *non* ferramentis *ſed* ligno *tranſverſo metu* ſuffocationis. 577.
Quando ſit locus & tempus Alexipharmaca offerendi. ibid.
Cicutâ *è corpore totâ amandatâ ad eius* noxam *reparandam* meri *generoſioris potio conducit.* 577.
Clyſteres *injici debent alternatim ex* vino *& ex* lacte *in quibus incocta ſint* medicamenta *appropriata, Vide* Theriaca, Mithridatium, Orvietanum. 577.
Potio *ad* Cicutam *epotam.* 577.
Cingulum *ex foliis* Hellebori *nigri ad* Lochia *ſuperflua.* 326.
Cineres Abrotoni, Abſynthii, talpæ *ad curationem capillorum* defluvii *ſive* Alopeciæ *venereæ.* 515.
Cineres *quomodo* Chloroſin *pariant.* 166. §. 32.
Cinis *Cancrorum* fluviatilium *ad* cancrum uteri. 18. §. 48.
Cinnabaris *Antimonii.* 308. §. 4. *ad* lochia *ſuppreſſa.* 331.
Cinnabaris *& ex ea parata qua ratione* partum *facilitant.* 308. §. 40.
Cinnabarina *ad* Epilepſiam *ab* utero. 124.
Cinnabaris *nativa ad* ſudores *promovendos in* cachexia. 172. *ad ſuffocationem* uteri. 191. §. 46.
Antimonii *ad idem.* ibid.
Cinnabaris *principalis uſus eſt in* Ulcere venereo. 71. §. 11.
Cinnabaris *addita ſuffitui in* ulcere uteri *pertinaci*

aliis

aliis remediis prævalet. 71. §. 11.
Cinnabaris nativa Hungarica ſolatur affectus Hyſtericos. 27. §. 31.
Circulus fuſcus circa mammarum papillas Signum eſt graviditatis. 249.
Citri ſemen in purpurea febri poſt partum. 332.
Clitoris inſenſiles habet meatus per quos ſemen effundat. 2. §. 3.
Sententia oppoſita cum utriuſque Argumentis. ibid.
Clitoris eſt libidinis in mulieribus ſedes. 2. §. 2.
Clitoris quid ſit. 2. §. 5. eius uſus. 2. §. 9.
Clitoridem urunt mulieres Orientales. 3. §. 11.
Clyſſus antimonii. 552.
Clyſteres non ſunt iniiciendi mulieribus profluvio uterino obnoxiis poſtquam uterus eſt reſtitutus. 63. §. 16.
Clyſteribus ad ſollicitandam alvum pigram vel alium in finem iniiciendis: Emmenagoga ſunt adiicienda ſi menſium adſit ſuppreſſio. 99. §. 35.
Clyſteres uterini magni ſunt uſus ad eluttiendum uterum. 103. §. 11.
Clyſteres uterini ex quibus parantur in menſium ſuppreſſione. 103 §. 72.
In ulcere uteri. 71. §. 11. in dolore uteri. 79. §. 14.
Clyſteres uterini ad menſium nimium profluvium. 129. §. 35.
Clyſteribus uterinis menſium profluvium ſiſtentibus utiliter miſcetur fimus aſininus vel ſuillus. ibidem.
Clyſteres ſunt magni uſus in omnibus affectionibus Hypochondriacis. 170. §. 91.
Clyſteres revellentes & diſcutientes ad paroxyſmos hyſtericos. 194. §. 58. eorum formulæ. ibid.
Clyſteres ex Oxycrato paroxyſmum hyſtericum ſtatim cohibet. 194. §. 55.
Conducit in furore uterino. 208. §. 16.
Clyſteres in affectione hyſterica crebri ſunt infundendi, & quales. 194. §. 58.
Clyſteres ad Molam deturbandam. 242. §. 15.
Clyſteres ex jure capitis vitulini cum oleo roſaceo ad dolores dyſentericos gravidarum. 254. ex lacte pingui in quo diluti ovorum vitelli. ibid.
Clyſteres abſtergentes poſt anodinorum uſum iniiciendi. 254.
Clyſteres aſtringentes in fluxibus alvi gravidarum. 254. Lenes ad Tuſſim gravidarum. 255.
Clyſteres non omnino tuti ſunt in gravidis mulieribus. 270. Cautiones in illis infundendis. ibid.
Clyſter ex vino & oleo, in quo Philonium diſſolutum ſit, ad abortum præcavendum. 277. §. 14.
Clyſter carminativus ad partum difficilem. 291.
Clyſteres utiliſſimi perhibentur ad facilitandum partum. 308. 310.
Clyſter uterinus ad promovendum partum. 309. §. 41.
Clyſteres ex lacte cum ſaccaro & ovorum vitellis ad dolores poſt partum. 321.
Clyſter ad promovenda lochia ſuppreſſa. 329.
Clyſteres ſunt periculoſi in acutis puerperarum febribus, & quare. 331.
Coagulatio ſubita Sanguinis mortis præſentanea cauſa. 250.
Coagulum leporis ad abortum impediendum. 283. 284.
Coalitus carunculatum myrtiformium ut ſit cauſa ſuppreſſionis menſtruæ. 85.
Cobaltum quid ſit. 655. eius venenoſæ qualitates. ibid.
Coccognidium ad diſſolvendos tophos arthriticorum. 465.
Cocculæ quale venenum ſint & quæ ab iis producantur Sympromata. 579.
Cochlearia ad febres purpuratas puerperarum 332.
Coitus noxius iis quibus pectus eſt debile. 256.
Coitu abſtinendum eſt tuſſientibus. 256.
Coitus vehementer uterum exagitat & ita abortus ſæpè cauſa eſt. 283.
Coitus præmaturus in puellis quæ afferat incommoda. 215. §. 12.
Colocynthidis pomum vulvæ inditum ad procurandum partum. 309.
Periculum ne ex ejus uſu mater & fœtus interimantur. ibid.
Suffitus ad lochia proritanda. 320.
Colocynthis in purgantibus pro lue venerea. 497. § 45.
In decocto ſudorifico quid præſtet in lue venerea. 502.
In peſſario ad molam deturbandam. 241.
Colchicum quomodo differat ab Hermodactylo. 578.
Eius venenum quæ ſymptomata producat. 578.
Quomodo curentur. ibid.
Colica matricis certo experimento ſanatur cornu cervi pulveriſato & in vino calidè exhibito. 78. §. 8.
Collyrium Lanfranci in decoctis abſtergentibus ad ulcera putrida 70. §. 11.
Coluber quid & ejus venenum. 600.
Columbini ſtercoris ſuffitus ad partum facilitandum. 310.
Compreſſio abdominis ad partum facilitandum ut fieri debeat. 291.
Conceptus quomodo fiat quæque ad eum facilitandum requirantur. 5. §. 6.
Abſque membri virilis intromiſſione fieri poſſe exemplo demonſtratur. ibid. §. 8. 6. §. 27.
Non fit quando uteri oſculum occluſum eſt. 5. §. 9.
A Conceptione quæ ſymptomata oriantur. 33. §. 9.
Non concipiunt quæ frigidos & craſſus habent uteros. 23. §. 14.
Conceptio facta in tubis uteri. 211. §. 1.
Extra uterum & in utero ut dicunt Secundario. ibidem.
Conceptionis factæ extra uterum modus. ibid.
Tales conceptus ut plurimùm matri & fœtui interitum afferunt. 211. §. 1.
An conſultum ſit ita conceptum fœtum per Cæſaream ſectionem educere. 211. §. 1.
Conceptio falſa cum indiciis veræ & naturalis graviditatis eiuſque varia exempla. 212. per flatuum emiſſionem eluſa. 212. per vomitum ſanguinis copioſum & varia accidentia ſoluta. ibid.
Per flatuum emiſſionem & ſeroſa pituitoſaque abundantiæ colluviei per naturalia excretionem ſoluta. 212. per tres ingentes exploſiones tonitru æmulantes tempore partus naturalis ſoluta. ibid.
Conceptio vera ſpeciem graviditatis falſæ præ ſe ferens. 213.
Conceptioni magis ſunt idoneæ parvæ mulieres quàm proceræ. 213.
Conceptioni quæ mulieres ſint aptiores & qualitatum ad conceptionem conferentium enumeratio. ibidem.
Ad conceptionem quatuor conditiones requiſitæ. 213. earum indicatio. ibid.
Conceptionis modus ſecundùm veteres. 211. §. 16.
Secundum neotericos. ibid. An faciliùs & ſecuriùs fiat menſibus fluentibus, an verò poſt fluxum ſedatum. 221. §. 21.
Conceptionis certitudo haberi non poteſt ante tertium diem, quoniam ſemen elabi poteſt. 224. §. 38.
Concubitus cum menſtruatis perſæpe exitioſus. 83. §. 15.

Condylomata *uteri*. 8. §. 9. 11. & 12. *Signa*. ibid. *cauſa, curatio, differentia*. ibid.
Vnde dicantur. 9. §. 1. *prognoſis*. ibid.
Condylomata *in luë venerea quid ſint*. 523. *ubi oriantur*. 524. *quæ* ſymptomata *producant*. ibid. *eorum curatio*. 524.
Conditum *ad* tuſſim *ab acribus humoribus vel vaporibus cauſatam*. 256. §. 19.
Condita *ad* vomitum *gravidarum*. 251.
Conditum *quid ſit*. 310. *peſſus ex ipſo ad extrahendum* fœtum. *ibid.*
Confectio Hyacintina *ad mitigandos humores* acres *hæmorrhagiam inducentes*. 272. *recenſetur eadem inter primaria remedia ad* abortum *præcavendum*. 289.
Confectio Halmech *in luë venerea*. 513.
Confectio *anodyna ad vires refocillandas in* molæ *parturitione*. 24.
Confectionis Alkermes *utilitas in parturientibus*. 311.
Ad ſterilitatem *ab* intemperie uteri *frigida & humida*. 223. §. 31.
Ad ſanguinis fluxum *nimium poſt* molæ *partum*. 242.
Congreſſus. *utilis eſt in ſuppreſſione* menſtrua. 91. §. 32.
Conſerva Artemiſiæ *cum aqua* ſabinæ *in qua* rhabarbarum *fuerit infuſum ad* menſes *provocandos*. 172. §. 72.
Foliorum arboris vitæ *ad* ſuffocationem *uteri*. 199. §. 77.
Florum liliorum ad idem. 199. §. 71. Anthos *ad idem*. 201. §. 84.
Betonicæ *ad præcavendam* uteri *ſuffocationem*. ibid.
Meliſſæ *ad idem*. 201. §. 84. Nymphææ *ad ſuffocationem* Hyſtericam. 21. §. 84.
Capillorum veneris *ad idem*. ibid.
Conſerva Borraginis *ad* melancholiam *ab* utero. 210. §. 31.
Bugloſſi *ad idem*. ibid. *ad* vomitum. 251.
Conſerva roſarum *ad gravidarum* nauſeam & vomitum. 251. corticis citri *ad idem*. ibid.
Ad alvi *fluxus*. 253. cydoniorum *ad idem*. ibid.
Ad nimium Lochiorum fluxum. 326. *rad*. ſymphyti *ad idem*. ibid.
Conſolidæ *majoris radix in decocto ad continendum* uterum *in* ſitu. 58. §. 26. *ad* dolorem *poſt* partum. 320.
Contrayerva *ad ſuffocationem* uteri. 199. §. 77.
Conſolida ſaracenica *ad dolorem* uteri *poſt partum*. 320.
Conſolida major ad *Hæmorrhagiam* uteri *ante* partum. 272.
Conſtantinopoli *habitantes perpetua* podagra *vexantur*. 411. §. 20.
Convulſiones *in dentitione* infantium. 635. *remedia*. ibidem.
Conyſa *in luë venerea*. 516. §. 87.
Corallum *rubrum ad* vomitum *gravidarum*. 258. §. 8.
Amuleti *loco appenſa ad præcavendum & ſanandum* ſpaſmum *flatulentum gravidarum*. 276.
Ad abortum *præcavendum*. 283. *ſucco* granatorum *impregnatum ad nimium* lochiorum *fluxum*. 326.
Eorum tinctura antiſcorbutica ad puerperarum febrem purpuratam. 332.
Cortices arantiorum *ad* lochiorum *ſuppreſſionem*. 328.
Cordis palpitatio *ab* utero. 174. *remedia*. ibid.
Cornu cervi *uſtum & Philoſophicè præparatum ad* ſudores *movendos in* Chloroſi. 172.
Cornu cervi *vel* capræ *ad firmandum* fœtum. 284.
Cornu cervi ſolare *ad* febres *acutas cauſatas à ſuppreſſione* lochiorum. 331. *ad* purpuram. *ibid.*
Cornu cervi *liquor* ſuccinatus. 64. §. 58.
Cornu cervi *ſine igne calcinatum ad* menſes *ſiſtendos*, 124. §. 17.
Ad infantium dentitionem. 635. idem & *ex eo parata* ſpiritus, ſal volatilis, liquor *ad* Lumbricos *infantium*. 663.
Coronæ *imperialis radix ad* uteri *ſuffocationem*. 197. §. 73.
Eius qualitates venenatæ. 579.
Corona uteri *quid ſit*. 249.
Corruptio *oſſium in* luë *venerea unde procedat*. 485. §. 19.
Curatio. ibid. Vnguentum Mercuriale. *ibid.*
Cortex citri *conditus ad* melancholiam *hiſtericam*. 210. §. 31. *ad* abortum. 283.
Corticis coriandri *decoctum ad* dolorem dentium *prægnantium*. 254. §. 13.
Coriandrum *viride quale ſit* venenum. 568. *ſymptomata ex eo*. 570. *Curatio*. ibid. §. 13.
Cranium *humanum* inſepultum *in* Arthritide. 431.
Crapula & *potus immodicus ſæpè eſt* arthritidis *cauſa occaſionalis*. 406.
Crabrones *quid ſint & quale illorum* venenum. 602.
Cretam *cur vorando puellæ ſibi inducant* Chloroſin. 93. §. 44.
Croci *eſſentia & oleum ad ciendos* menſes. 93 §. 45.
Crocus *ut proſit ad* partum *provocandum*. 308.
Croci *virtutes & facultates*. 308.
Crocus *agreſtis* dyſſenteriam *inducit*. 582.
Crocus *ut conferat ad* lochia *promovenda*. 329.
Crocus *ſumma utilitatis in* uteri *ſuffocatione, tum in* paroxyſmo *tum extra paroxyſmum*. 195. §. 63.
Ad fœtum *promovendum*. 290.
Croci martis *ſulphurati uſus*. 93. §. 41.
Croci metallorum *ſuffitus ad* menſes *provocandos*. 93. §. 41.
Crocus uteri anima. 22. §. 21.
Crurum *divaricatio* uterum *comprimit*. 5. §. 13.
Cruſta panis *ſinapiſata* aromatis & aqua imperiali *irrorata ad* fœtum & matrem *in partu roborandos abdomini applicata*. 313.
Crurum diſtorſio *in pueris à nativitate unde procedat & quomodo præcavenda ſit*, *vel facta medicandum*. 676.
Hanc ipſam natura *ſponte ſæpe curat*. ibid. *remedia*. ibidem.
Crurum debilitas & *inde* ambulatio *tarda infantium*. 676.
Cruſta lactea *quid ſit*. 618. *ejus ſynonima*. ibid. *ejus ſpecies*, achores, favi & cruſta lactea *propriè dicta*, *quomodo inter ſe differant*. ibid. *cauſa*. 618.
Curatio ut plurimùm natura committitur. 619.
Lactis nutricis *emendatio*. ibid. *Si* oculis *timeatur præſervativum*. 619.
Prognoſis. ibid. *hæc affectio præſervat infantes à variis morbis*. 619. *remedia*. 619. §. 4.
Cryſtalli Jovis *ſunt efficaciſſimum remedium ad* uteri *ſuffocationem*, *ſi calidè in umbilicum mulieris ægrotantis infundantur*. 197. §. 73.
Cryſtallina luës venerea *quæ dicatur*. 521. §. 95. *ejus prognoſis*. ibid. *attingi non debet* ferramentis & *cur*. ibid.
Cryſtallus *ad gingivas puerorum dentientium*. 634. §. 64.
Cryſtallus albus *eſt antidotus ad* mercurium ſublimatum. 562. *ad* Arſenicum. 555. §. 15. *ad omnia* venena *mineralia*. 565.
Cubitus *in* dorſum *ſive pronus in cubili ſitus*, *ad* uterum *continendum* prolabi ſolitum *non inutilis*. 61. §. 46.

Cucurbitulæ

Cucurbitulæ umbilico affixæ uterum retrahunt. 57. §.20.

Cucurbitulæ ſub mammis & umbilico applicatæ cum multa flamma efficaciter uterum prolapſum & reſtituunt & continent in naturali ſitu. 59. §.34. in arthritide. 429.

Cucurbitulæ in menſium ſuppreſſione qua præcautione ſunt affigendæ. 86. in inguine & pubi applicatæ qualem uſum præſtent. 91. §.30. in poplite. ibid. & §. 31.

Cucurbitulæ in uteri ſuffocatione ubi debeant affigi. 194. §.58. Vmbilico non debent applicari & cur. ib.
  Non ſcarificatæ femoribus & tibiis applicatæ quem in mola educenda uſum præſtent. 240. §.13. in quem finem in eodem morbo ſcarificatæ lumbis apponuntur. ibid. Siccæ in Hæmorrhoidum dolore quid præſtent ſi lateri affigantur. 259. mammis vel ſub iis applicatæ in menſium gravidarum fluxu quid juvent. 259. 272. ad partum facilitandum femoribus admotæ. 309. ad bubonem venereum non ſatis prodeuntem inguinibus admotæ ſine ſcarificatione. 515. in puerorum Epilepſia cum ſcarificatione ſcapulis & lumbis admotæ. 629. ſcapulis, mammis & Hypochondrio admotæ ad præcavendum abortum. 277. §.16. ad morſum venenoſum impoſitæ. 548.

Cucurbitulæ mulierum lactantium dorſo applicatæ mirè lac avertunt. 321.

Cucurbitæ flores in vino inſolati tuſſi puerorum medentur. 643.

Cucumeris aſinini radix ad Ephelidas gravidarum. 264.

Culcitrarum ſive Lectorum plumaceorum vitandus uſus in Hæmorrhagia, ne renes incaleſcant. 137.

Cupreſſi nuces ad abortum præcavendum. 271.

Cutis efflореſcentia in infantibus. 675. quæ inde emergant incommoda. ibid. cauſæ. ibid.

Curatio. ibid. præſervatio. 675.

Curatio omnis debet potius dirigi ad morbi cauſam quam ad ſymptoma. 77. §.8.

Cyani florum aqua ad juvandam infantium dentitionem. 635.

Cyclamen ſive Arthanita quid ſit. 579. malè præparatus vel doſi improportionata exhibitus eadem infert ſymptomata quæ Helleborus albus. ibid.
  Antidotum ad ejus venenum. 579. bilem & pituitam educit. 548.

Cyclamen ad fœtum mortuum expellendum. 290.
  Ejus uſus in peſſario. 309. exhiberi non poteſt fœtu vivente ſine ejus gravi diſcrimine. 310.

Cyclamini radix ad Ephelidas gravidarum. 264.

Cydoniorum rob ad nucis vomicæ venenum. 568.

Cydoniorum ſuccus recens ad nimium fluxum lochiorum. 326.
  Ad mitigandos humores acres uteri hæmorrhagiam cauſantes. 272.

Cydoniatum ad gravidarum fluxus alvi & dyſenterias. 135. §.19.
  Qua cautione offerendum. ibid. Laxativum Lugdunenſe ad arthritidem. 430.

Cynorrhodi fructus ad incraſſandum ſanguinem in hæmorrhagia à tenui & acri ſanguine. 135. §. 59.

Cyminum ad flatus diſcutiendos. 657. §. 15.

Cyprinorum piſcium eſu podagra inducta. 418. §. 26.
  Podagræ paroxyſmos ſibi accerſens quoties cyprinis veſcebatur. ibid.

D.

DAuci ſemen ad uteri ſuffocationem. 195. §. 63.
  Dactylorum oſſa ad præcavendum abortum. 292. §. 24.

Dactylorum uſus in abortu. 283.

Decocta ad Lochiorum ſuppreſſionem varia. 329.
  Vulnerarium in ulcere uteri. 70. §. 11.
  Detergens validè in eodem morbo. ibidem. ad ciendos menſes varia. 95. §. 45.

Decoctorum ad dolores uteri varia formulæ. 79. §.13.

Decoctum ex ſplene bovis ad menſes ciendos. 95. §.45.
  Arantiorum aſtringens Septalii. 126. §. 25.
  Ad furorem uterinum ex ſpecificis. 208. §. 17.

Decocta varia ad medendum ſterilitati. 223. §.31.
  Infallibile ſecretum ad fœcunditatem conciliandam. 226. §. 42.
  Ad molam exturbandam. 241.
  Ad incontinentiam & ſuppreſſionem urinæ in gravidis. 262.

Decoctum ad fovenda femora & tibias ad facilitandam ſecundinæ extractionem. 316. ad Arthritidem. 427.

Decoctum pro potu ordinario utero dolentium puerperarum. 321.
  Ad gonorrhœam virulentam. 519.

Decoctum ad injectiones in gonorrhæa. 519.

Decoctum hepaticum ad luem veneream. 518.

Decocta varia ſpecifica ad luem veneream. 500. 501.

Decoctum pro fotu in aurium infantium morbis. 633.
  Ad tuſſim infantium. 644. 645.

Dentitio infantium difficilis. 634. morbi & ſymptomata infantium dentitioni difficili ſupervenientia. 634. §. 62.
  Ejus cauſa quærenda eſt aut in dentibus aut in gingivis. ibid. quando fiat dentium culpa. ibid.
  Quando ob indiſpoſitionem Gingivarum. ibid.
  Vnde fiat inflammatio Gingivarum in dentitione. 567. Febris continua cur oriatur. ibid. epilepſia qua ratione in difficili dentitione ſuccreſcat. ibid. & 563. unde fiat illis ſalivæ copioſa in os effuſio. 634. §.63. Vnde fiant in dentitione difficili anorexia, apepſia, vomitus, tuſſis ferina, & diarrhœa. 654. §. 63.

Dentitionis infantium difficilis, Prognoſis 654. Curatio. 654. §. 64. Balſamus Horſtii ad Dentientes infantes varia medicamenta ad idem. ibid.

Dens lupi ad facilitandam dentium eruptionem. 635.

Defenſivum ad podagricas fluxiones. 426. 431.

Dentis apri raſura in Arthritide. 420.

Deſtillatum Quercetani ſummè efficax ad ſterilitatem arcendam. 213. §. 31.

Deſcenſus uteri quid differat ab uteri procidentia. 265.
  Διαςεοφὴ uteri quid ſit. 65. §. 1.

Diamargaritum calidum ad uteri dolores. 295. §. 14.

Diacydonites lucidum ſcammoniatum. 200. §. 78.

Diarrhæa acutis morbis ſuperveniens poſt partum lethalis eſt. 330.

Diarrhæa puerperarum. 247. quæ in ea obſervanda. ibi. quomodo ſit curanda & remedia. ibid.
  In gravidis abortum minatur. 253. §. 12.

Diaſcordium Fracaſtorii in Arthritide ad acrimoniam humorum demulcendam. 428.
  In doloribus uteri poſt partum. 320.
  Ad vomitum pertinacem gravidarum. 253. §. 10.
  Ad ſanguinem incraſſandum tenuitate peccantem. 149. §. 23.

Dictamnus albus ut conveniat in uteri ſuffocatione. 191. §. 46. 199. §. 77.
  In mola deturbanda. 242.
  Ad fœtum mortuum. 290. creticus ad partum facilitandum. 308. §. 40.
  Vis ejus alexipharmaca. 548.

Difficultas menſtruorum *quid*. 113.
Ejus ſigna, cauſa, curatio, differentia. ibid.
Difficultas menſtruorum *à* vaſorum *anguſtia*. ibid.
Signa eam indicantia. ibid. *A* vitiis Sanguinis. 113.
Difficultas menſtruorum *procedens à ſanguinis* craſſitie *quomodo diſcernatur*. 113.
Curatio difficultatis *menſtruorum ab hac cauſa producta*. ibid.
Difficultas menſtruorum *ab* acrimonia *ſanguinis producta*. 113.
Ab ejus flatulentia. *ibid*.
Curatio utriuſque. ibidem.
Difficultas menſtruorum *à* concreto *ſanguine*. 114.
Signa ejus & ſymptomata illam comitantia. ibidem. 115. §.8.
Difficultas menſtruorum *à* flatibus *flatu emiſſo levatur*. ibidem.
Difficultas menſtruorum *ab ulcere uteri in ea ſigna ulceris uteri ſunt conſpicua de quibus vide ulcus uteri*. ibid.
Difficultas menſtruorum *ſæpe comitem habet* dolorem *ad* nephriticum *vel colicum accedentem*. ibid.
Difficultatis & ſtillicidii menſtruorum *curatio*. 115. §. 15.
Dipſas *ſerpens quomodo diſpoſitionem* ſiticuloſam *in demorſis à ſe introducat*. 231.
Diuretica *qua ratione conducunt in* Uteri *ſuffocatione*. 191. §. 46. *Ad* lochia *ſuppreſſa*. ibid.
Ad fluorem *uterinum album*. 191. §. 46.
Ad ſterilitatem *ex intemperie uteri frigida & humida*. 223. § 31.
Diuretica *ut* partum *accelerent*. 311. §. 46.
Diuretica gravidis *ſi offerantur in* urinæ ſuppreſſione *quibus cautionibus id faciendum*. 262. §. 34.
Diuretica ad Chloroſin. 172.
In fluxu *muliebri*. 149. §. 23.
In procidentia *uteri*. 64. §. 58.
Dolor uteri *ab* eroſione. 74.
A diſtenſione. ibid.
Dolorem uteri *à dolore* colico *non facilè eſt diſcernere*. 75. §. 4.
Dolor uteri *ſi fiat à* flatibus *inter* uteri *tunicas contentis, non indicatur à* rugitu & flatuum *exploſione*. 75. §. 5.
Dolentis uteri *ſymptomata varias cauſas indicantia*. ibidem.
Dolorum uteri *cauſa*. 77. §. 6.
Dolor uteri *ſæpe contingit iis quæ intempeſtivè frigido* aëri *ſe exponunt*. 77. §. 6.
Dolores *quandoque vehementiſſimi* uteri *producuntur à cauſa pauca & levis momenti*. 77. §. 7.
Doloris uteri *curatio*. 77. §. 8.
Dolor, *urgens ſymptoma curationem ad ſe revocat*. ibidem.
Dolor *in concubitu* pungens *à tumore vulvæ præſertim interno procedit cujus ſigna patentia eſt* angulorum oculi dolor & *facies* ignea. 78. §. 11.
Hujus affectionis cauſa & medela. ibid.
Dolorem uteri *non poſſunt cauſari humores in capacitatem* uteri *influentes*. 78. §. 12.
Parum proderit phlebotomia, niſi adſit plenitudo ad vaſa hyſterica. 79. §. 13.
Purgationes appropriatæ in dolore uteri. 79. §. 13.
ad Dolorem uteri *varia remedia*. 79. §. 14.
Dolores lumborum *circa ramorum iliacorum exortum frequenter* menſtruæ *purgationis prodromi*. 105. §. 81.
Dolor *omnis gravior aliquid* convulſivi *præ ſe fert*. 308. §. 40.
Dolores *parturientium* ſtimulantia *quæ & quando ſint ex uſu*. 308. §. 40.
Dolores *poſt* partum *quare & quomodo fiant*. 318.
Dolorum *à* partu *præcipua eſt cauſa nexus arctior* ſecundinæ *cum* utero. 319.
Dolores *vehementes etiam excitantur à* flatibus *in* utero *retentis*. ibid.
Dolores *poſt* partum *ſunt alterius naturæ quàm parturientium*. 319.
Dolores febrem *accendunt & ab ipſa irritantur*. ibidem.
Dolorum *poſt* partum *cauſam & naturam indicantia ſigna*. ibid.
Dolorum uteri *à* laceratione *in* ſecundinæ *extractione facta remedia*. ibid.
Dolores à ſuppreſſis lochiis. 320.
Dolores *poſt* partum veri *ſunt vel* nothi. Veri *qui* uterum *occupant*, Nothi *qui* inteſtina & *partes* utero *vicinas*. 320.
Dolorum uteri *verorum cauſa*. 320.
Dolor *poſt* partum *circa* dorſum, lumbos & Hypochondria *unde procedat*. 321.
Remedia. ibid.
Dolores *poſt* partum *an* lochia *promoveant*. ibid.
Dolores *poſt* partum febrem *periculoſam ſæpe excitant*. ibid.
ad dolorem *poſt* partum *confert* abdominis *puerperarum cum faſciis compreſſio*. 321.
ad Dolores *poſt* partum *varia remedia*. ibid.
Dolores *poſt* partum *curati per frigidam potionem*. 321.
Dolores arthriticorum *unde propriè oriantur*. 415.
Dolor arthriticus *ſolet ut plurimum primo inſultu* pollicem ſiniſtri pedis *corripere*. 409.
Dolor *quis debeat dici* Arthriticus. 408.
Dolor *inguinis in puerperis*. 348.
Dolores *puerperarum* vagi & acuti. ibid.
Dolor capitis *ex* utero. 350.
Fit potiſſimum in ſincipite & *ejus cauſa*. ibid.
Fit etiam per totum caput. *ibid*.
Dolorum capitis *puerperarum cauſa*. 351.
Eorum differentiæ. ibid.
Signa eos ab utero *procedere indicantia*. ibidem.
Signa cauſarum. ibidem.
Quomodo curandi. ibidem.
Dolores dorſi *puerperarum*. 351.
Dolores lumborum, crurum, abdominis *cauſa & curatio*. 351.
Dolores uterini *irritantur poſtremis geſtationis menſibus*. 276.
Obſtetricum *error ſæpe hos* dolores *pro* doloribus partus *accipientium*. ibid.
Pericula frequentia ex illo errore. ibid.
Dolores partus *quomodo fiant*. 276. §. 13.
Ubi oriantur. ibid.
Quibus aliis ſymptomatis ſocientur. ibid.
Modus diſcernendi ab aliis doloribus *imi ventris*. ibidem.
Doronicum *inter Alexipharmaca*. 548.
Dracontii *radix ad* Ephelidas *gravidarum*. 264.
Dulcia *facilè affectionem* hyſtericam *inducunt*. 188. §. 34.
Dulcia *an offerenda ſint mulieribus affectioni* hyſtericæ *obnoxiis*. 201. §. 90.
Dulcia alimenta *quomodo ad* molæ *generationem conferant*. 236. §. 8.
Dulcia *ſanguinem* pituitoſum, glutinoſum & inutiliorem *reddunt*. 236.
Dyſentericus *fluxus in* prægnantibus *quid minetur*. 253. §. 12.
Dyſenteria *in gravida perſeverans ſine* abortu, partu *naturali & felice perſanata*. ibid.

E

EBur ſine igne calcinatum & ejus facultates. 64. §. 68.
Ejus ſpiritus. ibid. ad affectiones hyſtericas ejus uſus. 191. §.46.
Eboris raſura in mulieribus ad ſterilitatem arcendam, ubi calidiora remedia ſuſpecta ſunt. 223.§.31.
Ad abortum præcavendum. 283.§.13.
Ecbolia medicamenta quæ dicantur. 254.
Unde fit ut ea plerunque effectu careant. ibid. quare extractum Sabinæ & alia hujus generis perdendi fœtus ergo oblata intentioni non reſpondeant.254.
Vix ſine matris imminenti periculo fœtus bene valens extrudi poteſt. ibid.
Effluxus ſeminis ut differat ab abortu.273. §. 5.
Elaterii uſus in fluxu muliebri. 148. §.23.
Electuarium purgans emmenagogum in menſium ſuppreſſione.86.
Electuaria ad menſes ciendos. 97.§.49.
De chalibe & ejus compoſitio. 173.§.58.
Diamoſcha ad præcavendam hyſtericam ſuffocationem. 201.§. 84.
Electuarium diacalamynthes ad hyſtericam ſuffocationem.201.
Eleſcoph ad purgandam mulierem molam geſtantem.242.
Diamargariton frigidum ad coërcendum ſanguinis fluxum nimium poſt molæ expulſionem.242.
De gemmis ad idem. ibid.
Electuarium diaphœnicum ad purgandas mulieres molas gerentes diacarthami ad idem.ibid.
Varia ad partum promovendum.310. De citro. 496.
Caryocoſtinum in arthritide. 431. Diaprunis ſolutivum in rheumatiſmo.475. ad luem veneream.503.
Elyxir proprietatis ſine acido ad. Lochiorum ſuppreſſionem.328.
Uterinum Rolfincii.191.§.46.
Michaëlis.ibid.Crollii ad uteri ſuffocationem.191.§.46.
Hyſtericum Ludovici. 173.
Ad ſecundinam expellendam. 317.Uterinum Vedelii ad uteri procidentiam.59.§.33.
Ad fluxum muliebrem.54. §.41.
Ad menſes movendos. 173.
Elixyr proprietatis Paracelſi guttæ aliquot mane & veſpere exhibitæ commode menſium fluxum promovent.94.§.44.
Secundinam excludunt. 317.
Emanſio menſtruorum quid ſit. 82.§.1.
Quid differat à ſuppreſſione. ibid.
Emanſio naturalis fit à conceptione fœtus. 82. §. 1.
Præter naturam quando fiat. ibid. Fit etiam naturaliter menſibus per ætatem provectiorem deſinentibus. ibid.
Emanſionem inveteratam citra martialia percurare impoſſibile eſt. 97.§. 47.
Embryo & reliqua ſi bene ſint diſpoſita partus eſt naturæ committendus.268.
Emmenagoga quid ſint. 93.§.34.
Emmenagogorum remediorum princeps eſt limatura martialis cruda.95.
Emmenagoga duplicis ſunt generis apertitiva ſimpliciter dicta & Pellentia.97.§.47.
Emmenagoga Pellentia ſunt fortiſſima medicamenta ad fœtum excludendum. ibid.
Emmenagogorum uſus debet continuari in plures dies, circiter ad xx. 102.§.64.
Emmenagoga medicamenta quid propriè ſint. 770.
Et modus eorum agendi. ibid.
Emmenagogorum remediorum ſylva. 173.§.55.
Emollientia in ſcyrrho uteri. 43.§.9.
Emollientia aperientibus miſcenda & interpolatim exhibenda in menſium ſuppreſſionis curatione.103.§. 73.
Emplaſtrum aſtringens in uteri prolapſu.60.§.37.
Varia uſitata in eundem finem.60.§.38.
Sulphuris ad uteri ulcera. 69. ad uterum roborandum. 75.§.1. ex ſtercore vaccæ ad uteri dolorem.79.§.14.
Emplaſtra ad menſium provocationem.100.§.59.
Ad uteri Hæmorrhagiam. 130.§.39.
De Galbano in uteri affectibus. 191. §.46.
De tacamahaca ad idem.ibid.
De baccis lauri ad idem. ibid. Pro matrice.198.
De gummi Caragna ad uteri ſuffocationem. 199. §.76.
Ejus compoſitio. ibid.
Emplaſtrum perinæo & lumbis à mulieribus geſtandum ad ſterilitatem curandam.226.§.43.
Emplaſtrum geſtandum ubi mulier conceperit ad abortum præcavendum & ejus deſcriptio.226.§.43.
Contra rupturam addita maſtiche & opio ad dolorem dentium prægnantium.254.§.13.
De gummi Tacamahaca ad idem. ibid.
Emplaſtra ad abortum præcavendum varia ſecundùm anni tempora uſurpanda. 265.
Quibus partibus applicanda. 277.
Emplaſtrum ex thure, albuminibus ovorum & therebintina umbilico applicandum ad abortum præcavendum. 283.
Efficax ad continendum in utero fœtum.284.
Emplaſtra varia ad continendum fœtum. 284.
Pro matrice ad idem. ibid.
Contra rupturam ad idem. ibid.
Emplaſtra dorſalia non diu ſunt gerenda & cur.284.§.28.
Emplaſtrum magneticum Salæ ad morſum canis rabidi. 595.
Emplaſtrum mammis applicandum pro puerperis lactare nolentibus.345.
Anacolleticum Gluten Timæi dictum ad conſolidandam vulvæ rupturam in partu violento factam.346.
Ad acutos dolores vagos puerperarum. 348.
Diaſulphur in Arthritide. 459.
Ad dolorem Iſchiadicum.459.
Emplaſtrum ad mamarum tumorem phlegmonoſum.356.
Diaſulphur Rulandi ad idem.ibid.
Diachylon ſimplex ad mammarum tumoris ſuppurationem. 357.
Emplaſtrum Hippocratis ad glandulas & ſcrophulas emolliendas. 360.
Ejus compoſitio & deſcriptio. ibid. de meliloto ad idem. ibid. de Eryſimo ad ſcyrrhum mammarum. 365.
Ad inflationem mammarum. 365.
Diachilum album ad ulcera mammarum. 374.
Varia emplaſtra ad idem. ibid.
Ad Lactis promotionem Grulingii. 385.
Ad lac abigendum. 392.
Emplaſtrum ad lac abſumendum. 393.
Emulſiones è ſeminibus frigidis in ulcere urinæ.7[illegible]§.11.
In difficultate & menſtruorum ſtillicidio ab acrimonia humoris. 115.§.16.
In incontinentia & in ſuppreſſione urinæ gravidarum ab acrimonia. 262.
Ad dolores uteri poſt partum. 320.
Emulſio ex ſeminibus cardui benedicti & napi ad ſudorem movendum in febre lactea.321.
Enulæ radix ad partum facilitandum. 310.
Enumeratio medicamentorum emmenagogorum. 106. & 107.§.81.
Ephelides gravidarum. 264. Vide gravidarum ephelides.
Epilepſia ab utero. 174.§.59.185.§.27.28 29.
Ejus cauſa.ibi.modus quo generentur.ibid.curatio.185.
Epithema mammis applicandum in nimio lochiorum fluxu.316.
Equi collorum accenſorum fumus & odor quomodo ſuffocatas Hyſterico paroxyſmo liberet. 191.§.46.
Equorum verrucæ ut paroxyſmum ſedant Hyſtericum.192. §.52.modus eas præparandi.192.§.63.

Equinum ſtercus & ejus ſuccus mirandarum facultatum in vteri ſuffocatione.195.§.53.
Equinum ſeuum ad linimentum pro ventre gravidarum. 264 §.39.
Equi caſtrati teſticuli exſiccati & pulveriſati ſecundinam expellunt.316.
Equiſetum in dolore uteri poſt partum.320.
Eryſipelas mammarum. 560. Vide mammarum eriſipelas.
Eryſimum ad ſcyrrhum mammarum non exquiſitum. 363.
Erotica affectio quid ſit. 205.§.4.
Eryngium ſterilitati ex maleficio medetur. 222.
Ejus radix amuleti forma appenſa ad ſpaſmum flatulentum gravidarum.223.
Erucæ ſemen ad ſterilitatem ſanandam.223.
Eſſentia abſynthii.173. Ad chloroſin. fumariæ ad idem. ibid. aſſæ fœtidæ ad affectus hiſtericos.195. §. 46.
Caſtorei ad morbos hyſtericos. 195. §. 46. myrrhæ ad idem. ibid. Succini ad morbos vteri. 191. §.46.
Eſſentia carminativa Vedelii & ejus deſcriptio. 196. §.67.
Traumatica Vedelii ad ani procidentiam. 59. §. 33. ad fluxum muliebrem. 154.§.41. Satyrii ad ſterilitatem. 223. §. 3. Sabinæ ad exturbandam molam. 242.
Modus eſſentiam ſabinæ extrahendi cum Sp. vini acuato borrace Veneta. ibid. exhiberi debet cum aqua artemiſiæ edulcorata ſirupo Artemiſiæ compoſita. 242.
Eſſentia croci ad molam exturbandam. 245. Ad ſecundinam pellendam.317. Minſichtii ad partum facilitandum. 308. §. 40. Caſtorei ad ſecundinam pellendam. 317. Myrrhæ Balſamea ad idem.ibid.
Chamemeli ad dolores poſt partum ab excoriatione vteri procedentes. 322.
Corticis Arantiorum ad dolorem vteri poſt partum. 322.
Evacuatio nulla eſt tentanda in imbecillitate vteri.75.§.1.
Extractum panchymagogum Crollii.171.§. 52.
Lichenum ad ſuffocationem uteri & ejus compoſitio. 196. §.68.
Bryoniæ extracti dotes.200.§.79.
Croci ad provocandum partum.310.
Expulſio fœtus quid differat ab abortu.273.§.5.
Exercitium modicum horis matutinis ſumptum, libertatem alvi conciliat. 263.
Exuviæ ſerpentis ad facilitandum partum.309.
Ad fœtum mortuum expellendum.349.

F

Fabæ ſterilitatem inducunt.215.§.8.
Fabæ quatuor in lecto poſitæ aut ſuper oſtium, maleficium ad ſterilitatem.222.§.27.
Fabarum flores ad Ephelidas gravidarum. 264. ſemina ad idem. ibid.
Fabarum farina ad puerperarum balneum. 346.
Ad tumorem inflammatorium mammarum. 356. in oxycrato.
Fabrorum ferrariorum aqua.347.
Fæx vini aceto incocta ad fungos venenatos. 574.§.25.
Fœtida ut paroxyſmos hyſtericos ſedant.192.§.47.
Famelicus fœtus alimentum captans verſus ventriculum cum vtero propellitur.67.§.3.
Farinæ orobi, avenæ, lupinorum, glandium, ad tumorem inflammatorium mammarum.356.
Farinæ hordei, oryſæ ad tumorem ventris à partu. 347.
Faſtidium ciborum quibuſdam mulieribus eſt graviditatis ſignum.246.
Faſtidium gravidarum univerſale ad omnes cibos unde oriatur. 250. eſt cauſa imbecillitatis futuræ in fœtu per totum vitæ curſum duraturæ.251. Remedia.251.
Faſciæ ad uteri gravitatem ſublevandam.263.
Ad prolapſum vteri præcavendum in graviditate. 265.
Ad rexin ſive rupturam abdominis præcavendam.263.
Febris ex vteri inflammatione Lipyria eſt. 37. §.8.
Febris puerperarum.330.
Febres puerperarum ſunt variorum generum, eſſentiales & ſymptomaticæ. 330. §.87.
Febres putridæ puerperarum quotuplices ſint.330.§.87.
Febris lactea eſt peculiaris puerperis.330.§.88.
Omnibus propemodum contingit. ibid.
Incipere conſuevit circa tertium aut quartum à puerperio diem. 331. ejus cauſa. ibid. recenſetur inter Ephemeras plurium dierum. 331.
Non eget remediis, quia circa diem nonum ſudore ſolvitur. ibid.
Quomodo diſtinguatur à febribus putridis. 331.
Febri lacteæ diutius perſeveranti convenit lene Sudorificum. 331. ejus deſcriptio. ibid.
Febres malignæ puerperarum. 331.
Vt plurimum acutæ febres puerperarum malignitatem habent comitem. ibid. oriuntur vel à Lochiorum fluxu delinquente, vel à ſuccorum excrementitiorum vitio.
Febris puerperarum ut oriatur à lochiis ſuppreſſis. 331.
Curatio ab hac cauſa procedentis. ibid.
Febris quæ citra Lochiorum ſuppreſſionem & iis recte diſpoſitis, oritur in puerperis, ſolet eſſe maligna. 331.
Remedia quibus curatur. ibid. Cautiones in ſudorificorum uſu. ibid.
fluentibus nimium Lochiis cum Febre acuta quæ medicamenta exhibenda.331.
Purgationes periculoſæ & cur ſatius ſit iis abſtinere. 331. Venæ ſectio an utilis ſit dubium, poteſt prodeſſe cautionibus bene ponderatis. 331.
Febres purpuratæ puerperarum.331. Scorbuto affines ſunt & de eo participant. ibid. remedia Antiſcorbutica hic proſunt. ibid. Curam ſuſcepturus proſpicere debet tempus ebullitionis & tempus excretionis purpuræ. ibid. Remedia convenientia in ebullitione. ibid. convenientia tempore excretionis. ibid.
Cautio neceſſaria in illis febribus purpuratis. 332.
Purpura alba. ibid. ſi incipiat prurire per ſquamas decidit. ibid.
Purpuræ puerperarum cauſa.332. Cur venæ ſectio ſit exitioſa. ibid. modus fiendi iſtius morbi. ibid.
Febres acutæ puerperarum oriuntur, vel in initio puerperii vel in medio vel in fine.332.§. 93.
Si contingant in initio, quale conſilium ſit ſumendum circa venæ ſectionem.333.
Si in medio quæ conſideranda veniant. ibid.
Si in fine quid agendum. ibid.
Febrium acutarum in gravidis tempora an computanda ſint à die partus, an à principio febris apparente. 333.
Febris ſolet arthriticos invadere die vno ante paroxyſmum vel cum paroxyſmo.409.§.15.
Qualis ſit illa febris & illius ſymptomata. ibid.
Febris levior in gravidis vini potum non prohibet.
Febres ſeri & ſanguinis ſunt deprædatrices, idcirco menſtruorum defectum cauſantur. 107.§.81.
Feculæ quid ſint. 201.§.89.
Nullius ſunt virtutis ſecundum Zvvelfer. ibid.
Præſtat radices ipſas ſiccatas & pulveriſatas in uſum vocare. ibid.
Ferculum inſignis efficaciæ ad ſterilitatem arcendam quo vir & uxor cubitum ituri uti debent.225.§.41.
Eius compoſitio, & modus utendi ibid.
Fella bovis, capræ, carpionis ad ulcera uteri.13 §.34.
Fel gallinæ nigræ ad facilitandum partum. 309.§.41.
Fel vaccinum ad ſecundinæ retentionem. 317.
Fermentum generatur in viſceribus & per arterias aut vaſa lymphatica defertur in ea loca vbi ejus uſus eſt,
qui-

quibus in locis conſervatur & in uſu partium vlterius excoquitur. Id fermentum in ventriculo coctioni alimentorum inſervit, in utero menſtruorum cauſa eſt, & ſic in aliis viſceribus. 87. §. 11.

Vitio hujus fermenti ut plurimum tribui debet ſuppreſſio menſtruorum. 87. §. 11.

Fermentum vetus ad magnitudinem caſtaneæ, cum ſacchari pari quantitate; & pulvere trochiſcorum de myrrha vel dictamni voratum boli modo efficax eſt ad menſtrua cienda. 94. §. 45.

Ferrum crudum inter medicamenta aperientia principem locum obtinet. 95.

Ferrum ſimul aſtringendi & aperiendi vim habet, ſcilicet reſpectu diverſarum particularum. 96. §. 47.

Ferri ſcoria ad vlcera uteri. 14. §. 34.

Ferrugo ſive rubigo quale ſit venenum & ejus noxæ. 553.

Remedium & antidotus. ibid.

Ferruginis vſus in medicina. 557.

Ferri ſquamæ quis ſit uſus in medicina. 557. Ejus qualitates venenatæ. ibid. Alexipharmaca ad ejus virus. 557.

Ficus comeſtæ quibuſdam pediculorum copiam generant. 623. quæ ſit cauſa iſtius effectus. ibid.

Ficus ani quale ſit tuberculum. 11. §. 17.

Filicis fœminæ radix ſterilitatem inducit. 222. §. 26.

Filipendulæ radix in ovo ſorbili epota efficax eſt ad menſes nimios ſiſtendos. 129. §. 35. 150. §. 40.

Filum cannabinum crudum, & in longum plicatum coctum in vino, & calide ventri hyſtericarum appoſitum, expreſſo qui diffluerer liquore, curat uteri ſuffocationem 198. §. 73.

Fimus gallinaceus fungorum venenoſorum eſt antidotus. 574. §. 25.

Fiſſuræ reſtantes in volis manuum indicant luem veneream, non ex integro percuratam. 517.

Quomodo tractari debeant. ibid.

Fiſtula uteri quomodo ſectione & avulſione extirpatur. 17. §. 47.

Fiſtulam vteri modus aduſtione tollendi. 17. §. 47.

Fiſtulæ vteri recentes fundunt ſaniem albam & levem, antiquæ craſſam & viſcidam. 73. §. 13.

Fiſtulam proſtat quandoque intactam relinquere quàm eam ſanare, rationes ejus. ibid.

Fiſtularum callus atterendus & excedendus ſive conſumendus eſt neceſſe ſit eas curandi, alias incaſſum laborabitur, cum eo ſubſiſtente conſolidationi nullus ſit locus. ibid.

Fiſtularum callum quæ atterunt & conſumunt. ibid.

Fiſtulæ modus ſecuriſſimus perſanandi ſit per apertionem longitudinis uſque ad principium factam ſyringotomo, ut callus amoveri facile queat. 73. §. 13.

Fiſtula ſi maligna eſt vti debet cauſtico vel candente ferro. ibid.

Flammulæ ſuccus ad maſſam cum aliis cauſticis efformandam, ad cauterium potentiale. 360.

Flatus vterum diſtendentes & dolorem puerperarum cauſantes, oriuntur ab aëre externo imprudenter admiſſo, ut plurimum ſaltem. 79. §. 15.

Flatus intus geniti illam affectionem producere non poſſunt. 80. §. 55.

Flatus è pudendo virili emiſſi. 32. §. 2.

Flores vitrioli Veneris & Martis purgans ſunt appropriatum vſibus vteri. 20.

Flores decidui nucum, pulveriſati & in vino poti medentur ſuffocationi hyſtericæ & menſium profluvio. 129. §. 35.

Fluor uterinus nonnunquam vlcera parit. 13. §. 32.

Fluor muliebris albus. 25. §. 21.

Fluore albo laborantibus, & vetulis facile ſit uteri prolapſus. 62. 63. §. 55.

Fluor uterinus acris loca quæ pertranſit exulcerans aliquando mortem infert. 68. §. 21.

Fluor albus puerperarum. 343. cauſa ejus. ibi. Curatio. ib.

Fluxus muliebris à debilitate uteri procedit. 75. §. 2.

in Fluxione termini à quo, ad quem & per quem attendendi ſunt. 131. §. 10.

Fluxus mulíebres acres vlcerum uteri ſunt cauſa. 68. §. 11.

Fluxus uteri ruber. 138. ejus cauſæ. 138. ſigna ibid. prognoſis. ibid. curatio. ibid.

Fluxus uteri fuluus. 138. differt à ſanioſo qui deſcribitur ſub fluxu rubro. Cauſa ejus, ſymptomata. ibid.

Fluxus vteri luteus. 138. diſtinguitur à fulvo colore & viſcoſitate cauſæ. ſigna & ſymptomata. curatio. ibid.

Fluor mulíebris & gonorrhæa. 143. definitio hujus morbi, contingit cuicunque ætati, Adultis tamen frequentiùs ætati etiam ſenili. ibid. Ejus ſigna. ibid. & 144. §. 14. Quomodo fluor mulíebris à gonorrhæa differat. ibid. & 146. §. 15. A pollutione nocturna. 146. §. 16. A menſibus decoloribus. 146. §. 17. A pure ex vlceribus vteri. ibid. & 146. §. [illegible]

Fluoris mulíebris ſive menſtrui albi cauſa. ibid.

Fluoris mulíebris curatio. ibid. & 147. §. 22. 148. 149. feſtinanda eſt. Principio curatur facilius, confirmata difficulter. ibid.

Differentia oritur ex cauſarum differentia. 143.

Fluoris mulíebris variæ appellationes frequenter menſtruorũ alborum nomine venit etſi menſtruum non ſit. 144. §. 3. A quibuſdam fluor albus & flores albi vocatur, quanquam ſæpe quod effluit album non ſit. ibid. & §. 9. Item. 150. §. 32.

Fluxus mulíebris materia & ejus differentiæ. 144. §. 4.

Fluxus mulíebris omnis eſt præter naturam & variarum ægritudinum origo. 144. §. 5.

Fluxus mulíebris non obſervat ullam periodum, incipiens menſes comitari ſolet. ibid. §. 7. & §. 9.

Fluxus mulíebris materia generatur in utero, cauſæ generationis. §. 8.

Fluxus mulíebris affectio eſt mulieribus frequens, contingit plerunque menſtruis ceſſantibus, aliquando menſtruis conjungitur. 144. §. 9.

Fluxus mulíebris contingit quacunque ætate excepta prima infantia, & in omni fœminarum ſtatu. §. 10.

Fluxus mulíebris etiam virgines impuberes affligit & ratio. 144. §. 11.

Fluxus mulíebris non eſt ſignum virginitatis corruptæ. 144. §. 12. 13.

Signa humoris materiæ fluxus mulíebris. 144. §. 14.

Fluor mulíebris eſt aliquando ſine aliquãdo cũ dolore. ib.

Fluor mulíebris non ſit fluentibus menſtruis, gonorrhæa etiã elabitur tẽpore menſtruali inde differentia. 145. §. 15.

in Fluore mulíebris humoris qui excernitur quantitas multum excedit quantitatem humoris excreti per gonorrhæam. ibid. Notæ diſtinguentes fluorem mulíebrem à gonorrhæa. ibid.

Fluor mulíebris reſpondet gonorrhææ virorum, ſententia contraria priori. 149. §. 18.

Fluor mulíebris ſæpe ſit cum cõmodo patientium. 747. §. 22.

Fluor mulíebris non temere cohibendus. ibid.

Fluor mulíebris ſi biduo aut triduo duntaxat in menſe perduret & ſuo tempore redit non cohibendus, ſi verò perpetuus eſt maturè ſiſtendus. ibid. Indicationes curativæ in fluore mulíebri. ibid. Morbi conjuncti, ſi qui ſint, fluori mulíebri eorum habenda eſt ratio, & indicationes variant. ibid. Prognoſis fluoris mulíebris. 148. §. 23.

Fluor mulíebris per ſe periculum vitæ non infert. ibid.

Eſt difficilis & longioris curæ. ibid. vetulas plerunque ad mortem comitatur. ibid.

Flavus, lividus, fœtidus & purulentus difficiliùs curatur albo & aliter conſtituto. 148. §. 23.

Fluxus mulíebris, ſi moderatus ſit, nullum infert periculum, è contra præſervat à variis morbis. ibid.

Fluxus mulíebris immoderatus quos morbos producat. P. 143. 145. §. 14. 147. §. 22. 148. §. 23. 149. §. 25. & alibi.

Fluxus mulíebres juvenibus rubri, ſenioribus albi frequentius ſolent contingere, ſi contra eveniat, majus periculum & difficilior cura. 148. §. 23.

Purgantibus pituitam *& mox alios humores, curatio eſt incboanda*.148.§.23.150. §.31.

Purgationes *uſuales ſæpe repetendæ in* fluxu muliebri. *ibid.*

Variæ formulæ purgationum *in* fluxu muliebri.*ibid.*

Purgantia *quæ uſurpanda. Ad* fluxum muliebrem vomitus *commendatur.Ratio hujus*.148.§.23.150.§. 35.

Fluxui muliebri *an diuretica conveniant*. 148.§.23. 150. §.35.151.§.35.

Diureticorum in fluxu muliebri *convenientium ſylva*. 149.§.23.

Cur diuretica in fluxu muliebri *conveniant rationes afferentes.* ibid. *adverſæ diluuntur.* ibid.

In fluxu muliebri *quæ diæta obſervanda*.149.§.23.

Vino *non interdicendum.* ibid.

Fluxu muliebri *laborantes non ſemper ſunt ſteriles*.ibid.

Gravidæ quandoque fiunt. ſed ut refert à Caſtro pariunt duntaxat femellas. ibid.

Imò & quandoque mares vegetos. ibid.

Fluxus muliebris *perſeverans atrophiam inducit.* 143. 149.§.26

Fluxus muliebris *immoderatus & à cauſa venenata deliquia & convulſiones accerſit.* 143.149. §. 26.

Fluxus muliebris *totum corpus expurgat & modus*.ibid.

Fluxus *menſtrui cauſarum differentiæ ſumuntur à parte mandante vel à ſanguine.* 150.

Pars mandans vel totum eſt corpus. 150.

Vel pars quæpiam alia quàm vterus. 150.

Vel ipſe vterus. 150.§.34.

*Si à toto corpore ſigna diagnoſtica.*150.

Fluxui menſtruo *in cacochymia univerſali non competit. V. S.* ibid. *ſecundum Etmullerum.*

Fluxus muliebris *ſæpe cacochymiam univerſalem purgat.* 150 §.33.

Signa fluxum muliebrem *fieri ex toto*.150.§.34.

Curatio fluxus muliebris *ex toto*.150.§.35.

Diſcuſſio molienda eſt diaphoreticis. 150.151.§.37.& 152. §.38.

Methodus *curativa & indicationes in curatione* fluxus muliebris. 150.§.35.*Item*.151.§.35.

Medicamentorum appropriatorum *ſylva*.150.

In fluore albo *purgantia nocent & malum exaſperant.* 150. §. 35. *Secundum Etmuller.*

In curatione fluxus albi *tria palmam præcipiunt.* diureticorum uſus,Purgatio *ex* rhabarbaro,Ligni ſancti *decoctum ſecundum Zecchium*.151.§.35.

Fluxui muliebri *an conveniat* venæ ſectio.151 §.35.

Sententia negans. 150. §. 35. *Affirmans* 151. §. 35. 151. §.36. *Cum diſtinctione.* ibidem. *Indicatio* diſcutiendi *non competit corporibus bilioſis*.151.§.37.

In bilioſis fluxibus aſtringentia *admiſcenda & quare*. 152. §.38. *Sudorificis reliquias abſumere tentandum eſt decocto* ligni ſancti. *ibid.*

Fluxui muliebri *ſpecificorum appropriatorum medicamentorum ſylva*.162.§.39.

Roborantium & aſtringentium ſeries. 152. §.41.

Fluoris albi *non debet confundi curatio cum cura* menſium decolorum. 154. §.41.

Fluor albus *non debet* aſtringentibus *curari,materia conjuncta non evacuata*.ibid.

Fluorem album *curantia medicamenta externa.* 154.§.41.

Thermæ *ad curandum* fluxum muliebrem.154.§.41.

Inſeſſiones in balneo ſacculis farctis *ex* eruca *agreſti in* vino *cocta cum* angelicæ *ſemine & foliis* lauri.*ibid.*

Iniectiones in uterum. *ibid.*

Peſſaria. *ibid.*

Suffitus *ex* ſalvia *in pudendum receptus.* ibid.

Sclarea *contuſa & cum* butyro *in ung. redacta illita epigaſtrio, & ſimul in ſinum pudoris intromiſſa, & ore comeſta ſpecificum magni pretii ad* fluorem muliebrem. 154.§.41.

In detergendo utero fluore *laborantis ratio habenda eſt humoris morbifici.* 55. §. 44.

Iniectiones *ad detergendum humorem* bilioſum. *ibid. ad detergendum* pituitoſum.*ibid.*

Peſſarium *detergens.* ibid.

Frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ. 55.§.45.

Quæ partes corporis vitioſum humorem ad vterum *mittant*.55.§.46.

Sanguis crudus *&* ſeroſus *ſi* fluoris alb: *ſit cauſa, ſit ab* imbecillitate ventriculi *vel* naturali *vel* producta *ab errore externo*.55.§.47.

Mulieres quæ vitam ſedentariam agunt hiſce affectibus ſunt obnoxiæ. ibid.

Vitium humoris morbique in fluore albo *non adſcribendum eſt humori ſolo inter vaſa* vteri *contenta ſed toti maſſæ ſanguineæ,rationes quæ id probant*.56.§. 47.

Signa partis affectæ ubi indiſpoſitio viſcerum ſit cauſæ fluoris albi. 156. §.48.

Matrona cui fluor albus *accidit, ſi quando* pituita *per nares non emungatur.* ibid.

Curatio dirigenda eſt ad partes quarum culpâ ſit amandatio humoris vitioſi ad vterum.156.§.49.

Cauſa adæquata & primaria fluoris albi *eſt in ipſo* vtero.156.§.50.

Vitio ſanguinis *non debet adſcribi.* ibid.

Nec vitio ſpiritus animalis.*ibid.*

Nec ſemini *ratio horum aſſertorum*.ibid.

Signa fluorem album *in ipſo* utero *cauſam habere*.156. §.51.

Quæ diſpoſitio uteri *neceſſaria ſit ad producendum ex ſe* fluorem album. 156.§.52.

Obſervanda ad ſolutionem iſtius zetematis. ibid.

A ſpiritibus *&* fermentis, acido *in utero genito vel illuc amandato tanquam cauſa proxima ſit corruptio ſanguinis in* fluxum album *degenerantis.* ibid.

Probatur variis argumentis. ibid.

Cauſa procatarctica iſtius affectus. ibid.

Animi mœror gravis *frequentiſſima* fluoris albi *cauſa.* ibid. *item* terror *inopinatus.* ibid. frigus *aeris & aquæ.* ibid. acidorum *abuſus*.157.§.41.

Alia hujus fluxus *cauſa.* ibid. *Diatheſis* uteri *quæ ſit ut* fluorem album *generet explanatio,* ſuffitus *in hoc* affectu *qua ratione iuvent*.157.§. 52. *Compoſitio iſtius* medicamenti *&* modus *adminiſtrandi*.ibid.

Fœcunditatis *mulierum nota*.214.

Fœminæ *quædam ſunt quæ* maſculos *tantùm, aliæ quæ* femellas *tantùm parere aptæ ſunt.* 213.

Fœminæ *plures ob admotum* ignem, *brumali tempore, ſub veſtibus*,menſiū *ſuppreſſionem incurrerūt*.72.§.13.

Fœmina *nec* virgo,*nec* mulier, *nec* deflorata.72.§.13.

Fœminæ vtero *exempto obſervatæ* longioris *vitæ*.ibi.

Fœnigræci *ſemen ad* flatus *diſcutiendos ad* abortum *præcavendum.* 277.§.14.

Fœtida *utilia in* uteri *prolapſu*.58.§.29.

Fœtus mortuus *niſi citò eliminetur periculum affert matri præſentaneum.* 348.

Fœtus mortui *cauſæ.* ibid. *Prognoſis*.ibid.

Fœtus mortuus *per* umbilicū *ſalva matre excluſus*.348.

Fœtum mortuum *mulieris gerentis curatio*.ibid. *Remedia varia ad* fœtum mortuum *excludendum*.ibid.

Fœtus *mortuus putreſcens retentus* Vterum *corrumpit & ſectione in abdomine facta eximi debet.* p. 13. c. 1.

Fœtus violenta *extractio aut ejus in* utero *putrefactio* vlcera vteri *cauſantur.* 68.§.11.

Fœtus *illæſus putrido* vtero.72.§.12.

Fœtus *in* vtero exſiccatus. 213.

Fœtus petrificatus. *ibid.*

Fœtus *factus* Gypſeus. *ibid.*

Fœtus *putrefactus & ſub* puris *ſpecie excluſus, relictis oſſibus in* utero. 2 3

Fœtus *debilior quomodo ante* partum *reſocillandus*.310.

Fœtus

Fœtus *in teſte concepti obſervatio.* 229.
Fœtus declivis. 255. ſublimis. *ibid.*
Fœtus *in* utero *ſanguine puriſſimo nutritur.* 256. §.20.
Fœtus *quomodo nutritionem ſumat.*258.§. 26.
Fœtus *morbidi Signa.* 258. §. 27. 260.
Fœtus *quare laboret matre profluvio* alvi *affecta.* 260. §.29.
Fœtus vitalis *dicitur non ſimpliciter qui vivens excluditur, ſed qui aptus eſt producere vitam.* 273.
Fœtus *mortuus* utero *incluſus non dicitur* abortus. 273.
Fœtus vitalis *editus menſe* quinto. 274. §. 6.
Fœtus vitalis *edi poteſt naturaliter à* ſeptimo *menſe ad* undecimum *& ultra.* ibid.
Fœtus ſeptimeſtres *plurimi ſolent edi in regionibus calidis.* 274.
Fœtus ſeptimeſtres *non minus ſunt vivaces & alacres iis qui nono menſe nati ſunt.* ibid.
Fœtus *morboſi in* utero *latentis ſigna.* 279. §. 20.
Fœtus *in* utero *matris* variolis *correptus.* ibid.
Fœtus *robuſtus tempus* partus *anticipans nullo medicamento eſt interpellendus.* 288.
Fœtus *roboris ſigna diagnoſtica.* ibid.
Fœtu *languente nunquam mater bene valere poteſt.* 288.
Fœtus *quo in* uteri *loco contineatur.* 339.
Fœtus *maſculus an occupet* uteri *partem dextram* fœmininus *ſiniſtram.* ibid.
Fœtus *primis menſibus figuram ſpecie habet rotundam in* utero. 339.
Fœtus *ſitus in* utero. 339.
Fœtus *cujuſcunque* ſexus *naturaliter prodiens* faciem *habet ad inteſtina matris converſam.* 339.
Fœtus *ad* partum *quando fiat converſio.* 339.
Fœtus *ſi plures ſunt in uno* utero, *eorum* alter *ut plurimum* partu *naturali viam ſibi in mundum facit* alter agrippa *fit.* 339.
Fœtus *in* utero *contentus* vivuſne *ſit an* mortuus, *ratio dignoſcendi.* 340.
Fœtus *viventis indicatio ex percepto motu* arteriæ umbilicalis. 340.
Fœtus *mortui ſigna.*ibid. 348.
Fœtus *mortui* præjudicia, *non certæ fidei, ſed probabilia.* 340.
Fœtus *mortui non eſt infallibile ſignum* odor cadaveroſus *ex* utero *dimanans & quare.*ibid.
Fœtus *an alius poſt unius* partum *in* utero *reſtitet indagandi ratio.* 341.
Fœtus *hydropici in* utero *mortui perforandum eſt* abdomen *ut venter detumeſcat.* 344.
Fomentationes *aſtringentes. ad continendum* uterum prolabentem, *cum* cautionibus. 61. §. 44.
Fotus *ad ſuffocationem* uteri. 197. §. 73.
Fontanellæ *ſuris applicata ad ſuffocationem* uteri. 198. §. 77.
Ad molam. 240. §. 13.
Fotus *ad* molam *deturbandam.* 242.
aſtringens ad impediendum nimium mammarum *incrementum.* 261.
Ad incontinentiam *& ad* ſuppreſſionem urinæ *ab* acrimonia *cauſatam.* 262. §. 34.
Fotus aſtringentes & roborantes *ad præcavendum* abortum. 277. 285.
Fotus *ad* ſpaſmum flatulentum *gravidarum* (La Crampe.) 250.
Fractura *coſtarum & aliorum membrorum ab* extractione *violenta fœtus.* 348. *Curatio.* ibid.
Fragaria *pubi applicanda ad* menſes *nimium fluentes.* 125. §. 21.
Fratres Lumbardorum *quid ſint.* 230.
Fraxini liquor. 535.
Fuligo *per ſuffitum ex* thure, maſtiche, &c. *excitata in* uterum *ad continendum* uterum prolabi *ſolitum.* 58. §. 29.
Fuliginis ſpiritus & oleum *naribus admota ad curationem ſymptomatis in ſuffocatione* uteri. 191. §. 47.
Item guttis in os infuſis. ibid.
Fuligo camini *ad* lochia *excedentia.* 325.
Fuligo camini *cum ovo ſorbili exhibita ad* ſuffocationem *hyſtericam.* 195. §. 63.
Fumus *in* utero *receptus in* mola. 241.
Fumus *ex* galbano & opopanace *cum* felle bubulo *incorporatis* utero *exceptus ad molam deturbandam.* 242.
Fungi *qui ſint* venenati. 574. *etiam* eſculenti *nocere poſſunt & quomodo.* ibid.
Noxa & ſymptomata ab eorum uſu. ibidem.
Venenata *dignoſcendi ratio.* ibidem. *remedia.* 574. §. 22. 23.
Furfur *ſacculo incluſum ad fovendas partes correptas* ſpaſmo flatulento. 350.
Furfurum *decoctum in Clyſteribus ad* gravidarum *ventrem diſtrictum.* 268.
Furor uterinus *quid.* 205. *ejus definitio.*ibid. *definitio ſecundum Menjot.* 205. §. 1. *ſecundum Riverium.* ibid.
Furor uterinus *eſt ſpecies* maniæ. 205. *quibus conveniat cum* mania. *ibid. quomodo ab ea differat.* ibid.
Furor uterinus *cur ita vocetur.* 205. §. 1. *à Græcis dicta fuit* μυθεομανία *&* νυμφομανία, *ratio eorum nominum.* ibid.
Furori uterino *affectus morboſus oppoſitus* venus extincta *quid ſit.* 205. §. 2.
Furoris uterini *Symptomata.* 205. §. 3. *hoc affectu ſive deſiderio vehementi veneris frequentiùs tenentur* mulieres *quàm* viri, *ut contrarius affectus potiùs* viris *accidit quàm* fœminis. *ibid.*
Ineptè vocatur hic affectus quibuſdam Priapiſmus uteri. *ibid.*
Furore uterino *quare potius detineantur* fœminæ, *quàm* viri *ſimili affectu.* 205. §. 3. 206. §. 4.
Furoris uterini *cauſa materialis eſt* ſeminis *copia.* 205. §. 4.
Quomodo affectum eſſe debeat ut hanc affectionem pariat. ibid. Amor *immodicus eſt etiam iſtius affectionis cauſa.* ibid. humores calidi & acres ſemini *permixti hujus affectus cauſa eſſe poſſunt.* 205. §. 4.
Furori uterino *efficiendo an concurrat cauſa* tota ſubſtantia *infeſta, ſive* maligna. 206. §. 5.
Furoris uterini *ſubjectum ſive pars in* furore uterino *primariò affecta.* 206. §. 6.
Quibus feminis *potiſſimum contingat.* ibid.
Furori uterino *quæ* fœminarum *diſpoſitio apta ſit.* 206. §. 7.
Furori uterino *magis diſpoſita ſunt mulieres* melancholicæ & bilioſæ, ſanguineis & Phlegmaticis. 206. §. 8.
Martiales *homines ſunt* venerei. *ibid.*
Calidiſſima animalia minimè ſunt libidinoſa. ibid.
Diſpoſitionis ad venerem *nota diagnoſtica.* 206. §. 7.
Furori uterino *magis ſunt obnoxiæ mulieres quæ nupſerunt* viris *vel* ingratis *vel* frigidioribus, *quàm* virgines & innuptæ. 206. §. 7.
Furori uterino *maximè obnoxiæ ſunt* juniores viduæ, & *præſertim quibus fuit* vir ſtrenuus. 206. §. 7.
Furori uterino *quare magis corripiantur mulieres quæ multam exercuerunt* venerem. 206. §. 7.
Furor uterinus *quomodo differat à* pruritu pudendi. 206. §. 8.
Furoris uterini Signa. 206. §. 8. *ſymptomata* incipientis *hujus affectionis.* ibid. *Signa* procedentis. *ibid.*
Signa confirmatæ. 206. §. 8. & 207.

Furore uterino *correptarum exempla plurima.* 207. §. 9.
Furoris uterini *Cauſa interna eſt calor* ſeminis *cauſa vero* ſeminis calidioris & acrioris *eſt vaſorum ſeminalium* incaleſcentia, *ut & ipſius ſanguinis* calor & acrimonia. 207. §. 11.
Furoris uterini *cauſæ procatarcticæ.* 207. §. 12.
Furor uterinus *inter cauſas procatarcticas præcipuam habet* alimenta ἀφροδισιακά. *207. §. 12.*
Quæ alimenta *ſint hujus generis.* ibid.
Quæ victus ratio ſpermatis *copiam* flatulentiam & acredinem & *ſic* furorem hyſtericum *excitet.* 207. §. 12.
Furor Hyſtericus *excitatus à concubitu cum* viro *qui inunxerat* glandem *ſuaveolentibus.* 207. §. 12.
Furoris uterini *Prognoſis.* 207.
Furoris uterini *Curatio.* 208. §. 13.
Indicationes Curatoriæ. ibidem.
Præcipua curatio conſiſtit in copulatione *cum* viro vegeto & *ad venerem exercendam apto.* 208. §. 13.
In curatione iſtius morbi proſpiciendum eſt partibus ſecundariò affectis, & quomodo. 208. §. 13.
Venæ ſectio *plurimùm conducit eaque iterata.* 208. §. 14.
Venæ ſectio *debet celebrari in* brachio *& etiam in* pede *ſi* menſtrua *deficiant, uti quoque in venis* hæmorrhoidalibus *ſi eò vergere ſanguis videatur.* 208. §. 14.
In Furore uterino Purgantia *quando & qualia debent præſcribi.* 208. §. 15.
Purgantia *per intervalla repetenda ſunt.* ibid.
Purgantia *eadem ſunt exhibenda quæ in mania.* ibidem.
Clyſteres *refrigerantes.* 208. §. 16. *ex* oxycrato. *ibid.*
Furorem uterinum *compeſcentia medicamenta* proprietate *agentia.* 208. §. 17.

G.

Gagatis *lapidis ſuffitus ut conferat in ſuffocatione* uteri. 191. §. 46.
Gagates *lapis* ſterilitatem *inducit.* 215. §. 8.
Galanga *ad* uteri *ſuffocationem.* 191. §. 46.
Galbanum *ſerico incluſum, ſi in* uteri *ſinum immittatur tempore ſomni, & mane* mulieris *caput* galbanum *oleat* fœcunda *exiſtimari debet.* 214.
Galbani *ſuffitus ad* fœtum *mortuum excludendum.* 349.
Galbani *uſus* internus & externus *in affectibus* uteri. 191. §. 46.
In inguinis *dolore puerperarum.* 348.
Galbaneti *Paracelſi vires ad* uteri *ſuffocationem.* 196. §. 63.
Galeni *circa motum* uteri *ſententia.* 66. §. 2.
Ejus opinio *de cauſis periodi menſtruæ* examinata. 82. §. 4.
Gallæ *ad* tumorem *ventris perſeverantem poſt* partum. 347.
Galli criſta *gingivis infantium in* dentitione *difficili affricata ſymptomatibus ſuccurrit &* dentitionem *juvat.* 634. §. 64.
Gallorum criſtæ & teſticuli *comeſti* venerem *excitant.* 207. §. 12.
Sterilitati *medentur in ferculo.* 225. §. 41.
Quomodo in cibum præparandi. ibid.
Gallorum teſticuli ſanguine *cruentati in lecto* conjugum *clam poſiti* congreſſum *impediunt.* 222. §. 27.
Gallina vivipara *& quæ ſex pullos vivos peperit.* 228.
Gallinæ cor *femori alligatum ad* partum *facilitandum.* 310.
Gallinæ *ventris* pellicula *in* prolapſu uteri *ab* acrimonia *urinæ cauſato.* 16. §. 19.
Gangræna uteri. 16. §. 19. *cauſa & ſubjectum.* ibi. *Signa.* ibid. *Prognoſis.* ibid. *Curatio.* 16. §. 19.
Gelatina *cum pauco vino generoſo ad reparandos* ſpiritus *per* ſanguinis *fluxum exhauſtos.* 271.
Gelatina Cornu cervi *ad humores* biliosos & acres hæmorrhagiam uteri *ante* partum *cauſantes mitigandos.* 272.
Gelatina *recens* C. C. *ad præcavendam* epilepſiam *in infantibus dentientibus.* 7. 5. §. 66.
Gemmæ parturientibus *eximendæ, ne virtute ſpecificâ* partum *retineant.* 310.
Gemelli & trimelli *ſunt quando* ova *mulierum inter ſe connexa ſunt.* 228.
Gemelli *ut* ex uno ovo *naſci poſſunt.* 229. *aliquando* unica ſecundina *includuntur, aliquando* binis. *ibi.*
Genitalium muliebrium *poſt* partum tumor, contuſio, excoriatio & fiſſura. 349. *Curatio.* ibid.
Generatio *quomodo fiat.* 218. *in* generandi *actu non eſt abſoluta neceſſitatis ut* mas & fœmina *eodem inſtanti* ſemen *emittant.* 220. §. 18.
Gentianæ *radix ad* cancrum *uteri.* 17. §. 14.
Ad ſuffocationem uteri. 201. §. 89.
Ejus decoctum ex vino ad exturbandam molam. 242.
Ad fœtum mortuum *ejiciendum.* 290.
Pulvis *ad* Cicutam *epotam.* 578.
Germina ſex ovorum *gallinaceorum in vino diſſoluta & calidè ſex diebus continuis* epota, *præſervant ab* abortu *mulierem in ventre percuſſam, ſi modò quietam ſe continuerit.* 265.
Gerſæ *quid ſint.* 101. §. 86.
Glacies Mariæ *ad* partum *facilitandum.* 308.
Glandula vaginalis *nuper detecta.* 24. §. 21. *ejus inſignis uſus.* ibid.
Glandium calices *ad præcavendum* abortum. *277.*
Glandium *uſus & functio.* 359.
Glandulæ *ſunt partes aptiſſimæ ad recipiendos* humores *ſuperfluos.* 359.
Glauberi *inſtrumentum novum ad* ſuffitus *uterinos.* 100. §. 57. 103. §. 73.
Glis *parturitus à* fœmina *tempore à natura* humano partui *deſtinato.*
Globuli ſaccharini Verdunenſes *in anum intromiſſi ſuppoſitoriorum vice.* 263.
Globus *ſive pila ex* ſubere, betula *vel alia materia idonea ſummo cum juvamine mulierum* prolapſu uteri *laborantium in* uterum *inicitur.* 60. §. 40.
Cautiones in uſu iſtius remedii adhibendæ. ibid.
Obſervatio mulieris quæ talem globum *in* utero *geſtans concepit & legitimo tempore fœtum excluſit ſimul cum globo.* ibid. 21. & §. 41.
Globus *quem mulieres* hyſtericæ *aſcendentem & præcordia opprimentem ſentiunt, non eſt* uterus, *ſed* teſtes *potius &* vas cæcum. 65.
Globus mobilis *in* hypogaſtrio *hyſtericarum neque eſt* uterus, *nec* teſtes *nec* tuba Fallopii *ſive* vas cæcum, *ſed* inteſtina *vapore acri à* teſtibus *elevato irritata.* 67. §. 3.
Gluten *Timæi ad conſolidandam enormem* ſolutionem continui *in* partu *contingentem quâ* anus & *vulva conjunguntur.* 346. *Quid ſit illud gluten.* ibid.
Gluten *de aqua ad Cancrum uteri.* 22. §. 48.
Humor *copioſè effluens in mulieribus* gonorrhœa *affectis ſive ſimplicibus ſive, virulenta ex* utero *non procedit, & in hoc differt hic affectus à* fluore albo. 62. §. 55. 145. §. 15.
Gonorrhææ & fluxus muliebres *à partium diverſarum affectu oriuntur.* 145. §. 15.
Inter ſe multum conveniunt. ibid.

Gonorrhæa

Gonorrhæa laborantes dolores circa pudenda perſentiunt, at in fluore muliebri de lumbari dolore queruntur. ibid.
Notæ diſtinguentes gonorrhæam à fluore muliebri. ibidem.
Gonorrhæa affectis ſemen excernitur ſine ſenſu voluptatis & mulieribus invitis. 145. §. 15.
Gonorrhæa virulenta. 145. §.15. ejus ſigna. ibid.
Gonorrhæa & fluxus muliebris albus non differunt. 146. §. 18.
Diſtinguitur in veram & notham. ibid. Leviorem & gravem. ibid.
Gonorrhæa levior ab Heurnio vocatur profluvium uterinum, gravior, profluvium muliebre. 147. §. 18.
Cauſæ utriuſque & ſigna. ibid.
In gonorrhæa quæ pars uteri affecta. 158. §. 55.
Gonorrhæa ſit proſtatis ſive corpori glanduloſo uteri affecto. ibid.
Gonorrhæa mulierum curatur uti virorum. 158. §. 56.
Optimum remedium Gonorrhææ non virulentæ coitus ſi licitus. ibid.
Gonorrhææ ſimplicis indicationes curativæ. 158. §. 57.
Curatio. ibid.
Medicamenta præſcripta ad fluorem album ichoreſcentiam ſeri corrigentia etiam hic conducunt, ibi.
Gonorrhæa virulenta ſive venerea. 158. §. 58. ejus deſcriptio. ibid.
Gonorrhæa virulenta ſcatet ulceribus dolorificis, & ſaniem plorantibus. ibid.
Curatur Therebinthina & remediis ex lignis uſitatis uti gonorrhææ virorum. ibid.
Inveterata Gonorrhæa venerea non curatur, niſi per remedia Luis venereæ, ſudationem, ſalivationem & medicamenta mercurialia. ibid.
Accidens Gonorrhææ virulentæ fœmineæ eſt aliquando vomica in teſtibus quam nec prænoſcere, nec curare poſſibile eſt. 158. §. 59.
Humor in gonorrhæa excerni conſuetus quis ſit. 229.
Graminis radicum decoctio cum ſucco petroſelini ad Lochiorum ſuppreſſionem. 329.
Grana tinctoria ad præcavendum abortum. 283. §. 13. 15.
Ad primum balneum puerperarum. 346.
Granatorum cortices ad abortum præcavendum. 277.
Gravidarum ſymptomata in genere quotuplicia ſint. 245.
Symptomata primis geſtationis menſibus accidentia quæ ſint 245.
Graviditatis ſignum non datur pathognomonicum. 245. §. 1.
Mulieres tamen quædam ſolertia particulari ſe ingravidatas ſentiunt. ibid.
Gravida facta mulier quædam, cui ſignum erat graviditatis vena tumens inſigniter ſub genu. 245. §. 1.
Graviditatis Signa probabilia & quæ fortem graviditatis ſuſpicionem præbent. 245.
Vteri clauſura, Menſtruorum ſuppreſſio, horripilationes poſt congreſſum, Appetitus dejectus, epigaſtrii circa partem anteriorem elevatio & depreſſio aliarum abdominis partium, ſunt ſigna probabilia graviditatis. 245. 246.
Scorbuticæ gravidæ factæ ingrauidationis tempore obnoxiæ ſunt Hyſtericis paſſionibus & doloribus ventris, contrarium eſt in mulieribus non Scorbuticis. 246.
Gravidæ quomodo diſtinguantur ab Hydrope uterino affectis. 246.
Graviditatis tutiſſimum ſignum eſt motionis ſenſus. 246. ille ſenſus percipitur à quibuſdam maturiùs, quibuſdam ſeriùs. ibid. quare id fiat. ibid.
Graviditatis principio quædam mulieres capite vel dentibus dolent. 246.
Graviditatis quomodo mammarum incrementum ſignum ſint. 246.
Circulus fuſcus circa papillas. ibid.
Vomitus frequenter in principio graviditatis contingit. ibid.
Pica etiam gravidarum eſt ſymptoma non infrequens. ibidem.
Lipothymiæ. 246. Tumores & varices pedum. 246.
Graviditatis qualia in urinis percipiantur ſigna. 246.
Ea ſunt nullius certitudinis. ibid.
Quomodo medicus ſe debeat gerere erga illos qui poſcunt ipſos ex urinis hariolari. 247.
Graviditati aliquando ſupervenit urinæ ſtillicidium. 247.
Tormina circa umbilicum ſtatim poſt conceptionem. ibid.
Graviditatis explorandæ modi. 247.
Omnium graviditatis ſignorum enumeratio & recapitulatio. 247.
Quare in graviditatis initiis venter videatur deprimi. ibid.
De Graviditate ſententiam dicturus Medicus ſummè circumſpectus eſſe debet. 247.
Exempla illuſtria graviditatis cuius notitia efugit medicos oculatiſſimos. ibid.
Pericula quæ ex temerario pronuntiato veniunt metuenda. ibid.
Graviditas cum Hydrope complicata difficilè cognoſcitur. 247.
Exemplum illius complicationis in muliere quæ enixa eſt tempore naturali ſine hydropis ſolutione, nec detumeſcente ventre. ibid.
Vrinæ quare graviditatem demonſtrare non poſſunt. 248.
Graviditatis nulla Signa ſunt certa, Signa enumerata quare nihil certi indicent. ibid.
Uniuſcujuſque illorum ſignorum exagitatio & ratio cur non convincat. 248.
Gravidarum Prognoſis. 248.
Gravidarum febres acutæ abortus metum faciunt. 248.
Vt plurimum patiuntur reduplicationes. ibid.
Spes eſt infida ex lochiorum evacuatione febrem ſanatam iri. ibid.
E contra Lochia ſupprimuntur unde mortis periculum. ibid.
Exempla varia mulierum tali caſu mortuarum. 248.
Fœtus an ſit vivens quantùm interſit cognoſcere. ibid.
Signa indicantia an vivat vel mortuus ſit. 248. & 249. Signa graviditatis provectioris & grandioris vel minoris & junioris fœtus. ibid.
Signa partus vicini. 249.
Quid vocetur corona uteri in parturientibus. ibid.
Quare ſæpe poſtremo geſtationis menſe venter videatur minùs tumidus quàm præcedenti. 849.
Gravidarum ſuras præſertim impetens ſpaſmus, unde oriatur, quas cauſas habeat externas. 249. cauſa illius immediata ſecundum Fernelium eſt flatus craſſior. ibid. variæ circa locum ubi flatus illi ſe inſinuant ſententiæ. ibid.
Ejus Prognoſis. 249. Morbi illius Curatio. ibid.
Præcautio ne inſultus revertatur. 249.
Inunctiones ad ipſius ſolutionem promovendam. ibid.
Linteola aquis ſpirituoſis imbuta applicata. 250.
Fomenta ad idem. ibid.
Amuleta ad ſpaſmum flatulentum. 250.
Gravidarum cibi Faſtidii quæ ſit cauſa. 250.
Gravidarum pica & malacia unde oriantur. ibid.
Gravidarum cibi faſtidii, nauſea, vomitus & depravatorum appetituum curatio. 250.

Omnes humores tenuiores fiunt & volatiliores à gravidatione & præſertim bilis. 250.
Volatilitatem Auſtera corrigunt. ibidem.
Purgantia quando offerenda ſint in his caſibus. 254.
Ea debent eſſe blanda metu abortus. ibid.
Faſtidium generale ad omnes cibos facit ut fœtus imbecillus naſcatur. 251.
Gravidis indulgendum quantum fieri poteſt, nec earum voluntati obnitendum. 251.
Gravidis in principio geſtationis vomitus familiaris unde oriatur. 251. §.7.
Cauſa illius non eſt vulgò credita ventriculi humore ſuperfluo ob ſuppreſſos menſes repletio. ibid.
Vera ejus cauſa eſt ſympathia uteri cum ventriculo ob ſimilitudinem ſubſtantiæ & communicationem ſpirituum per nervos ſexti paris. 251.
Gravidarum vomitus prognoſis. 251.
In principio metuendus non eſt progreſſu pravus fieri poteſt & cur. ibid.
Solet perſeverare uſque ad motionem embryonis. 251.
Ratio cur pleraque ſymptomata eo tempore finiantur. ibidem.
Nonnullæ magis torquentur vomitu poſterioribus menſibus geſtationis. ibid.
Gravidarum vomitum curandi ratio. 251.
Remedia. ibid. & 252.
De cauſa gravidarum vomitus veriſimilis Sylvii opinio. ibid.
Cur quibuſdam alimentum nauſeam & vomendi deſiderium ſedet aliis contra provocet. ibid.
Gravidis vomentibus conducit Phlebotomia & quare. 252.
Iteranda eſt ſingulis menſibus. ibid.
Purgationi præferenda eſt. ibid.
Alimentum probum exigua copia exhibitum vomitionis impetum ſedat. 252.
Cibi offerendi quales. ibid.
Quibus cibis abſtinere debeant. 252.
Vomitus ſi perſtiterit ultra medium geſtationis tempus, quid indicet. 252. Quid tunc agendum. ibid.
Purgatio lenis in hoc caſu. ibid.
Singultus mali eſt ominis in hoc caſu. ibid.
Opiatæ & narcotica in pertinaci vomitu. 253. §.10.
Fruſtra exhibentur cum vehemens vrget nauſea. ibidem.
Gravidis mulieribus contingentia ventris tormina. 253. §. 11.
An illis conveniant clyſteres, linimenta, fotus. ibid.
Cautiones circa illa remedia. ibid.
Sub finem graviditatis imponunt obſtetricibus ignaris quæ ea pro doloribus partus habent. 258. §.11.
Periculum ab hoc errore. ibid.
Gravidarum alvi fluxus triplex eſt Lientericus, Diarrhoicus, & Dyſſentericus. 253. §.12.
Cujuſcunque ſit naturæ, ſi modum excedat abortum minatur. ibid.
Ejus cauſa. ibid.
Pejor eſt tamen ſi ſit dyſentericus. 253. §.12.
Cur iſte alvi fluxus ſit periculoſiſſimus in gravidis. ibidem.
Cauſæ ventris fluorum in gravidis. 253. §.12.
Mulieres citra abortum diarrhæa per tres vel quatuor menſes vexatæ. ibid.
Dyſenterica mulier cui idem contigit & nono menſe fœtum bene valentem enixa eſt. ibid.
Lientericus fluor ſæpè ſuccedit vomitui. 253. §.12.
Gravidarum iſtis affectibus vexatarum curatio. 253.
Removere debet cauſas procatarcticas, cibos nimirum mali ſucci per picam vel alio modo appetitos. ibidem.
Quibus cibis uti debeant. ibidem.
Quibus remediis dolores acerbi hos fluxus comitantes ſint ſedandi. 254.
Cautiones in vehementium aſtringentium uſu. ibid.
Gravidarum acuti morbi ſunt lethales. 254. §.12.
Gravidę mulieres in febre peſtilenti graſſante anno 1669. non fuerunt lethaliter affectæ.
Gravidarum dolor dentium unde procedat. 254. §. 13.
Ejus curatio. ibid.
Gravidarum dolor capitis & alii fermè omnes affectus morboſi à qua cauſa procedant ſecundum Sylvium. 254.
Modus quo unaquaque earum affectionum producatur. ibid.
Gravidarum febris lenta unde procedat. 255.
Curatur ſalibus volatilibus oleoſis & aromaticis. ibidem.
Gravidarum macilentia & Cachexia ex iiſdem cauſis producitur & iiſdem remediis curatur. ibid.
Sic & anhelitus impeditus, & vertigo. 255. §.15.
Gravidæ fœtum declivem gerentes urinæ retentionem patiuntur, ſublimem tuſſi afficientibus. 255.
Tuſſis gravis quæ præſagiat in prægnantibus. ibid.
Cur abortum cauſetur. ibid.
Ejus cauſæ. 255. Medendi ratio. ibid.
Ab acidis abſtinendum. ibid.
Somnus optimè Tuſſim ſedat. ibidem.
Si naturaliter non obrepat, julepo eſt conciliandus. ibidem.
A Narcoticis tamen abſtinendum. ibid.
Graviditas abſque membri virilis intromiſſione. 5. §. 8.
Graviditas ab utero tumefacto quomodo internoſci poſſit. 21. §. 2.
Gravidæ minùs ferunt purgationes phlebotomiam & inediam & quare. 38. §.16.
Grauiditatis ſigna certa non proſtant. 45. §.7.
Gravidæ mulieris geſtationis tempore non prolabitur vterus, rationes ejus. 61. §.48.
In Gravidis hyſtericis non poteſt dici uterum eſſe loco motum. 67. §.3.
Gravida quinquies mulier quæ nunquam fuit menſtruata. 104.
Gravidas ſi menſtrua mediocriter patientur id faciunt per vteri partem quæ omnino à placenta libera eſt. 104. §.75.
Gravidis mulieribu os uteri exactè connivat. 226. §.46.
Gravidarum tuſſis à vapore vel materia acri quæ cauſa procatarctica fiat. 256. §.17.
Signa ejus. ibid. Remedia. ibid.
Palpitationis cordis in gravidis cauſæ. 256. §.18.
Cum ſubſequitur Syncope hyſterica. ibid.
Tantæ violentiæ aliquando eſt ut & coſtas loco moveat. ibid. Curatio. 256. §. 18. Venæ ſectio. ibid.
Alia remedia. ibid.
Gravidarum Lipothymia unde oriatur. 256. §.19.
Quibus remediis curetur & præcaveatur. ibid.
Medicamentorum frequenti exhibitione opus habent & quare. ibidem.
Non contingunt niſi mulieribus valde triſtibus & melancholicis. ibid.
In gravidis ſanguis & humores fiunt volatiliores. ibidem.
Vena ſectione hæc Lypothimia curatur. 256. §.20.
Venæ ſectio Gravidis quibus in caſibus conveniat. 256. §.20.
Vt abortum præcaveat. ibid.
Quæ ſymptomata contingant ea temerè prætermiſſa. ibid. Quæ bona ex ea ſint ſperanda. ibid.
Quo tempore graviditatis maximè venam ſecare liceat. 256.
Gravidarum dolores circa lumbos & coxendices. 257. §.21.

Contingunt

Contingunt præſertim prima geſtatione & quare. ibid.
Cauſa eorum dolorum. ibid.
Aliquando ligamenta vteri abrumpuntur. ibid.
Quid inde conſequatur. ibidem.
Remedia. ibid. *Prognoſis.* ibid.
Gravidarum *nephritici dolores vt à doloribus lumborum à gravitate fœtus diſtinguuntur.* 257.
Quid periculi minentur. ibid.
Gravidæ *ſublimem fœtum ferentes ſunt expeditiores & alacriores.* 257. §. 21.
Quare gravidæ quædam melius valeant geſtationis tempore, & aliæ contra. 257. §. 21.
Gravidæ *an menſtruorum fluxum pati poſſint, Sanæ & ſano fœtu.* 258. §. 23.
Gravidæ *vtiliter ſanguinis vomitum & narium Hæmorrhagiam patientes.* 258. §. 24.
Gravidis *cur contingat fluxus hæmorrhoidum* 258. §. 25.
Vnde oriatur in gravidis difficultas egerendi. ibid.
Hæmorrhoides dolentes & furentes gravidarum quare Medici indeſinenter aggredi debent. ibid.
Quamprimùm ad illas curandas ſanguis è brachio mittendus eſt. 258. §. 25.
Quæ victus ratio iis ſit obſervanda. ibid.
Quæ remedia adhibenda. ibid.
Repercutientibus quare abſtinendum. 258. §. 25.
Apertio hæmorrhoidum furentium quando fieri debeat. ibid.
An ſcalpello vel ſanguiſugis. 259.
Quare hæc evacuatio naturaliter facta magis virili ſexui proficua ſit. ibid.
Si copioſior in prægnante fuerit quæ inde ſequantur pericula. ibid.
Quomodo cavendus abortus ſi id contingat. 259.
Gravidæ *menſtruorum fluxum patientes.* 259. §. 26.
Quibus id ſoleat contingere. ibid.
Qua via in iis fluant. ibidem.
Modus explorandi an ex ipſo vtero ſanguis effluat. ibi.
Modus cognoſcendi quibus ex cauſis fiat. ibid.
Aphor. Hippocr. 60. lib. 5. explanatus. ibid.
Quomodo præcaveatur abortus in hoc caſu. ibid.
Curatio quando fieri debeat. 259.
Cucurbitula an debeat mammis applicari, ibid.
Venæ ſectio vtiliter imperatur. ibid.
Modus fœtum corroborandi ne patiatur ex ſanguinis & ſpirituum evacuatione. ibid.
An liceat in morbo acuto remedia exhibere quæ fœtum enecare poſſunt ad matrem ſalvandam. 260.
Gravidarum *dolor mammarum quam habeat cauſam.* 260. §. 32.
Non requirit remedia. ibid.
Cavendum eſt tantum ne comprimantur veſtimentis anguſtioribus vel illidantur duris. ibid.
Si intumeſcant nimium & metus fiat inflammationis vena ſecanda eſt. 261. §. 32.
Gravidarum *lactis effluvium quando accidere conſueverit.* 261. §. 32 *Cauſa ejus eſt copia nimia.* ibid.
Quibus contingere ſoleat. ibidem.
Ejus Prognoſis. 261.
In gravidis ſanguine non abundantibus malum eſt & ut cauſa & ut ſignum. ibid.
Quid indicetur per ſtatum mammarum de valetudine fœtus. 261.
Quid agendum ſi conſtet de fœtus debilitate. 261.
Medicamenta mammarum incrementum nimium impedientia. 261.
Gravidarum *hydrops partium genitalium.* 261.
Ejus ſigna. ibid. *Curatio per paracenteſin.* ibid.
Gravidarum *vrinæ incontinentia & ſuppreſſio.* 262. §. 34.
Ejus cauſæ. ibid.
Si vteri fundus incumbat veſicæ, fit incontinentia, ſi cervix veſicæ comprimatur ob uteri prolapſum, fit ſuppreſſio vrinæ. 262. §. 34.
Alia cauſa hujus ſymptomatis. ibidem.
Acrimonia urinæ ſtimulans. ibidem.
Inflammatio cervicis meatum obſtruens. ibid.
Calculus frequentiùs & graviùs infeſtans in graviditate quàm extra eam. 262. §. 34.
Gravidarum *circa vrinam ſymptomatum prognoſis.* 262. §. 34. *Curatio.* ibid.
Præcautio ſi à pondere vel vteri magnitudine oriantur. ibidem.
Si ab urinæ acrimonia procedant, victus ratio obſervanda. ibid. *Vino interdicendum.* ibid.
Purgatione non utendum & quare. ibid.
Remedia. 262.
Venæ ſectio ſi aliis remediis non fuerit perſanata. 262. §. 34.
Catheteris intromiſſio ſupremum eſt ad ſuppreſſionem remedium. ibid. *Cautiones in illius vſu.* ibidem.
Curatio ſuppreſſionis à calculo. 262.
Gravidæ *ſæpè afficiuntur, tum alvi retentione, tum ejus laxitate nimia.* 263.
Quid ex vtraque periculi ſit metuendum. ibid.
Conſtipationis cauſæ variæ. ibid.
Pathemata quæ inde proficiſcuntur. 263. §. 35.
Modus curandi. ibid.
Victus ratio obſervanda in conſtipatione, à gravidis. ibidem.
Cautiones in ciborum humectantium & laxantium vſu. ibid.
Gravidarum *tibiarum tumor & inflatio unde procedat.* 263. §. 36. *Ejus ſigna.* ibid. *Curatio.* ibid.
Vt plurimum per partum recedit. ibid.
Si non recedat, quid inde periculi. 263. §. 36.
Vaſorum in tibiis turgeſcentia quam habeat cauſam 263. §. 36.
Prædictio inde cujus ſexus ſit fœtus. 263. §. 37.
Gravidarum *circa femora & tibias dolores.* 263. §. 38.
Diſtentiones varicoſæ. ibid.
Cauſa vulgo exiſtimata iſtius affectionis & ejus falſitas. ibidem.
Cauſa vera & modus fiendi. ibid.
Quæ mulieres huic affectioni magis ſint obnoxiæ. 264.
Curatio durante graviditate tantum inſtitui poteſt palliativa. 264.
Remedium Chirurgicum. ibid.
Quare nocte adventante major appareat tumefactio quàm manè. ibid.
Gravidarum *cutis abdominis fiſſura unde oriatur.* 264. §. 39. *Ejus pericula.* ibid. *Curatio.* ibid.
Grauidarum *aquarum in vtero contentarum præmatura effuſio.* 264. §. 40.
Earum naturalis vſus. ibid.
Cauſæ effuſionis naturaliter. 264. §. 41.
Non naturaliter. ibid. *Indicationes.* 264.
Gravidarum *Ephelides quid ſint.* 264.
Earum cauſæ. ibid.
Prognoſis diverſa. ibidem.
Curatio & remedia. ibid.
Gravidarum *facies pallor & decoloratio.* 264.
Ejus ſymptomatis cauſa. ibid. *Cauſa externa.* ibid.
Interna antecedens. ibid. *Curatio.* 265.
Gravidarum *Teneſmus.* 265.
Quare abortum provocet. ibidem.
Ejus ſigna & ſymptomata. ibid.
Cauſæ. ibid. *Curatio.* ibid.
Gravidarum *tumor pudendorum œdematoſus.* 265.
Ejus cauſa. ibid. *Symptomata.* ibid.
Quid noceat in parturitione. ibid.
Curatio per ſcarificationem cum gladiolo. ibid.
Medicamenta admovenda. ibid.
Victus ratio qualis in hydrope. ibid.

Sanguiſugæ etiam ſolent affigi. 265.
Sed præferendæ ſcarificationes & quare. ibidem.
Si adfuerit inflammatio, quid periculi portendat. 265.
Tumores in labiis cyſti incluſi. 265.
Gravidarum *uteri procidentia.* ibidem.
Quomodo differat ab uteri deſcenſu. ibid.
Longè gravior eſt affectus. ibidem.
Vix accidit gravidis integra procidentia & quare. ibidem. *Deſcenſus uteri incommoda.* ibid.
Curatio facilior eſt poſt partum. ibidem.
Procidentia & exſertio uteri, etſi minùs frequens, tamen obſervata primis geſtationis menſibus. 265.
Symptomata ex illa. ibid. *Remedia.* ibid.
Decubitus in lecto omnium optimum. ibid.
Curatio ſi procedat ex laxitate ligamentorum uteri. ibidem.
Cautiones habendæ in earum parturitione. 265.
Gravidarum *in ventre plagæ acceptæ & ictus.* 265.
Remedia. 266. *Victus ratio in iis.* ibid.
Gravidarum *Lues venerea.* 266.
Ut transferatur in prolem lues venerea. 266.
An curatio luis venereæ poſſit obtineri durante graviditate. ibid. *Variæ cautiones in curatione gravidarum lue venerea infectarum.* ibid.
Gravidarum *acuti morbi quoad eſſentiam iidem ſunt qui non gravidarum, quoad prognoſim longè ſunt acutiores & quare.* 266.
Gravidarum *morbi acuti ſunt periculoſiores ultimis geſtationis temporibus.* 266.
Gravidarum *victus ratio.* 267.
Gravidæ in ſuo regimine debent eſſe multùm circumſpectæ & quare. ibid.
Aërem temperandi modus. ibid.
Gravidis *optati cibi ſunt concedendi modo nec ſint abſurdi nec venenati.* 267.
Jejunium & ſatietas utrumque pariter gravidis infeſtum eſt. ibidem.
Quibus cibis uti debeant & quos debeant vitare. 267.
Somnus non debet excedere horas decem. 267.
Circa exercitium quomodo gravidæ ſe gerere debeant. 267.
Gravidæ *quibus exercitium familiare eſt, ſive labori aſſueta, faciliùs parturiunt.* 268.
Embryo & reliqua ſi benè ſe habeant partus naturæ committendus. ibidem.
Motus & exercitia violenta ſæpe fiunt cauſa quòd Embryo ad exitum malè ſit ſitus. ibid.
An mulier, appropinquante partu, viro uti debeat necne. 268.
Gravidæ *veſtimentis conſtringi non debent & quare.* 268.
An debeant quarto menſe & ſeptimo venam ſecare. ibidem.
Gravida *acida toto geſtationis decurſu ingerens, fœtum ſine cuticula peperit.* 269.
Gravidæ *morbis acutis laborantis diæta.* 269.
Gravida *morbo acuto correpta quomodo, quantum, & quando debeat mittere ſanguinem.* 269.
Gravidis *tutiùs tunditur vena quàm purgatio inſtituitur.* 270.
Gravidæ *tutiùs utuntur purgantibus medio geſtationis tempore.* 270.
Grumus *ſanguinis in uteri cavitate contentus dolorem producit acutum quaſi* parturientis. 76. §. 5.
Grumoſum *ſanguinem diſſolventia & hoc nomine dolorem* uteri *ſedantia.* 77. § 8.
Grumoſus *ſanguis non concrevit in venis* uteri, *ſed excidens in* uteri *capacitatem ibi in* grumos *coactus eſt.* 115. §. 14.
Grumi *ſanguinis vel alia corpora extranea in utero poſt partum hærentia, quomodo cognoſcuntur.* 346.
Cauſa retentionis in utero *corporum extraneorum.* ib.
Symptomata & pericula ab eorum retentione procedentia. ibid. *Curatio.* 346.
Guaiacum *ad* prolapſum *uteri.* §. 6. *Ejus decoctum ad* Chloroſin. 173. §. 57. *Ad* Arthritidem. 427. *Ad* Luem Gallicam. 489. 492. 493. 495. 500. 513. 516.
Gummi Elemi *balſamum compoſitum ad* vulvæ rupturam. 346. *Ejus compoſitio.* ibid.
Gummi Ammoniacum *in aceto ſolutum ad* lactis redundantiam *minuendam.* 393. *Ad* lac *in* mammis *coagulatum diſſolvendum.* 396. Arabicum *ad* Cancrum mammarum. 371. §. 29. *Ejus mucilago.* 376.
Bdellium *ad lac coagulatum diſſolvendum.* 396. *in* Arthritide. 430. Galbanum *in* uteri *ſuffocatione.* 192. 197. 201. *in* Arthritide. 466.
Ad lac *coagulatum diſſolvendum.* 396.
Gamandra *ad* Arthritidem. 499.
Garagna *ad ſuffocationem* uteri. 200.
Opopanax *ad* lac *coagulatum diſſolvendum.* 396.
Sagapenum *ad idem.* 396.
Myrrha *ad* obſtructiones *& præſertim* uteri. 168. *ad* Chloroſin. ibid. *Ad* pellendum fœtum. 290.
Tacamahaca *ad ſuffocationem* uteri. 200.
Gutta *quis ſit morbus.* 408. §. 8. *Ejus nominis ethymologia.* ibid. *Vide* Arthritis.
Gypſum ut Chloroſim *pariat.* 166. §. 32.
Gypſi *qualitates* venenatæ. 564. *Quæ ſymptomata producat.* ibid. *Curatio & remedia.* ibid.
Antidotum *ejus eſt* Oleum vitrioli. *ibid.*

H

HÆmorrhoides uteri. 8. 10. *Pars affecta.* 10. *Signa.* ibid. *Cauſa.* ibid. *Curatio.* 10. *Prognoſis.* 11. §. 18.
Hæmorrhoides morales *quæ dicantur.* 11. §. 20.
Uvales *quæ.* ibid. Verrucales. *ibid.* Veſicales. *ibid.*
Hæmorrhoides *uteri cææ quæ dicantur.* 11. §. 25.
Apertæ. *ibid.*
Hæmorrhoides Uteri *uruntur à quibuſdam.* 11. §. 27.
Eas aperire ferro *periculoſum & cur.* 12. §. 30.
Hæmorrhoidum *apertio in uteri* ſcyrrho. 43. §. 9.
In ejus ulcere. 68. §. 11.
Hæmorrhagia narium *ſalutaris in* ſuppreſſione *menſium.* 89. §. 18.
Hæmorrhagia uterina. 131. *Fit à* ſanguine *vel ab ipſo* utero *affecto, vel ab affectu* venarum *uteri.* 131. §. 44.
Hæmorrhagia uterina *quæ à* corpore uteri *manat*, Sanguinem *fundit* nigrum & grumoſum, *quæ fit ab* uteri cervice, rubicundum & dilutum. 131. §. 44.
Hæmorrhagiæ à copioſo ſanguine *procedentis ſigna.* 131. § 44. *Curatio* Hæmorrhagiæ à copia ſanguinis. *ib.*
Hæmorrhagia *ab* acredine ſanguinis *ſigna.* 131.
Curatio. ibid.
Hæmorrhagiæ *productæ à* ſeroſitatibus & tenuitate *nimia ſanguinis ſigna.* 131. *Curatio.* ibid.
Hæmorrhagia uterina *à vitio ipſius* uteri intemperie humida *laborantis videatur capite de Intemperie uteri.*
Hæmorrhagia *ſive* fluxus ſanguinis *ab* utero *ſi ſtatuto à* natura *tempore & modo fiat*, Menſtrua *purgatio vocatur, alias* Hæmorrhagiæ *nomen retinet.* 131. §. 44.
Hæmorrhagia uteri *ſæpe* ſanguinis *magna pars evacuatur, ita ut corpus velut* exſangue *reddatur.* 131. §. 44.
Sanguis *qui in primo* coitu *à puellis excernitur à* venis cervicis uteri *procedit, non ab* Hymenis *ruptione.* 132. §. 44.
Hæmorrhagia uteri *ſæpe fit à* medicamentis *menſes moventibus, ſed præſertim per* Peſſaria *in ſinum uteri* intruſa. 132. §. 44.
Hæmorrhagia *immoderata ſæpe fit poſt* partum. *ibid.*
Cauſa Hæmorrhagiæ *in* puerperis. ibid.

Hæmor-

Hæmorrhagia vterina copioſiſſima curata bufone ſiccato cum muſco terreſtri ſindone incluſis umbilico applicatis. 132. §.44.
Hæmorrhagia vteri ut plurimum fit vitio ſanguinis peccantis vel quantitate vel qualitate. 132. §.45.
Vel motu ſive orgaſmo. ibid.
Hæmorrhagia è corpore vteri procedens quæ producat ſymptomata, & quid minetur, ſi ſanguis in vtero grumeſcat, vel putreſcat. 132. §.47.
Hæmorrhagia naturalis ſive fluxus menſtruus à cervice vteri, non ob ejus fundo excluditur. ibid.
Hæmorrhagia ab anaſtomoſi vel ruptione vaſorum vteri, cauſa procatarctica. 133. §.48.
Hæmorrhagiæ hyſtericæ à plethora procedentis ſigna. 133. §.49. Ejus curatio. ibid. Præſervatio ejus conſiſtit in evacuatione ſanguinis cum plenitudinis ſigna manifeſtantur. ibid.
Gravidæ mulieres ita affectæ ſine periculo venæ ſectionem eamque iteratam ſuſtinent. ibid.
Hæmorrhagia hyſterica à plenitudine orta curatur Venæ ſectione quæ adminiſtranda eſt in ipſo fluxu ſanguinis & id per venas ſuperiores. 133. §.49.
Si vires videantur dejectæ pauca per phlebotomiam debet vacuari quantitas, ſed iteratis vicibus repetenda. 133. §.49.
Hæmorrhagia à copia ſanguinis non debet curari per Aſtringentia. 133. §.44.
Hæmorrhagia ſive fluxus ſanguinis ab vtero ſi diuturnior ſit ob vaſorum anguſtiam ſiſti non debet Aſtringentibus. 133. §.44.
Hæmorrhagia à tenuitate ſanguinis quibus remediis curetur. 137. §.59.
Hæmorrhagiæ vteri curatio. ibid.
Cucurbitulæ ſub mammis applicantur utiliter ad ſanguinis orgaſmum inhibendum. 134. §.51.
Si ex earum admotione reſpiratio lædatur, ſtatim ſunt removendæ. ibid. Ligaturæ fortes extremorum in eundem finem. 134. § 52.
Hæmorrhagiæ exitioſæ ſæpè cauſa eſt fermentum acre, martiale & Arſenicale productum ex ſemine corrupto, venis hyſtericis communicatum, unde procedunt menſes venenati.
Hæmorrhagia à tali cauſa producta, eſt incurabilis, niſi priùs venenoſum illud fermentum fuerit excluſum. 134. §.54.
Hæmorrhagiæ à cauſa acri, erodente & veneno martiali productæ curatio. 135. §.57.
Hæmorrhagiæ vteri an debeatur purgatio. 125. §.19. 135. §.37. Vitlius præſcribitur ad præcautionem quam ad curationem. ibid. Præcautiones ſi in paroxyſmo præſcribatur. ibid.
Hæmorrhagiæ hyſtericæ à colluvie ſeroſa productæ, ſigna. 135. Curatur ſudorificis. 135 §.60. & 63.
Hæmorrhagia vteri ſæpe vterus non laborat primario ſed ſanguificantia viſcera. 135. §.62.
Hæmorrhagiæ ex laxitate & humiditate vteri curatio. 136. §.64.
Hæmorrhagia attribuenda non eſt facultatis retentricis debilitati vel expultricis robori. 137. §.65.
Hæmorrhagiæ vteri cauſarum ſigna ſpecifica & pathognomonica. 136. §.66.
Topica medicamenta. 137. §.68.
Victus ratio ad uteri Hæmorrhagiam. 137. §.68.
Hæmorrhagiæ ſiſtendæ gratia an tutum ſit animi deliquium provocare. 137. §.68.
Hæderæ pulvis ſterilitatem inducit. 222. §. 26. Ejus decoctum in vino ad dolorem dentium gravidarum, addito aceto. 254. §.13. Succus ejus potus adverſus lumbricos. 73.
Hedera terreſtris lactis in mammis cohibet generationem. 390. Impedit mammarum nimium incrementum. 261.
Confert in balneis puerperarum hyberno tempore adminiſtratis. 346. Ejus decoctum præſcribitur ad cancrum vterinum. 370.
Hæmorrhoidalium venarum apertio in melancholia ab vtero. 21. §.30.
Hæmoptyſis ſuſpecta eſt uſque ad annum xxxv. Ætatis, & cur. 136. §.67.
Harpya, vel Arpax vel Arpatum quid ſit. 213. §.2.
Dicitur & mola vivens & frater Lumbardorum. 232. 233.
Helleborus niger ad vteri cancrum. 18. §. .. 17. §. 47. 18. §.48. Albus ad provocandum ſternu[ta]mentum in paroxyſmo hyſterico. 193. §.51. In partu difficili. 308. Ad Melancholiam hyſtericam. 210. §.32. Ad fœtum mortuum expellendum in peſſario. 349. Ad molam detrudendam. 241.
Herba Roberti ad cancrum vteri. 18. §.2.
Hernia vteri. 291.
Hernia umbilicalis ſive omphalocele quid ſit. 405.
Hernia umbilicalis inteſtinalis ſigna, cauſa & curatio. 405.
Hernia omentalis umbilicalis. 405. Ejus ſigna pathognomonica. ibid. Cauſa. ibidem. Curatio. 405.
Aquoſa, flatulenta, carnoſa. 405. Earum ſigna. ibid. Cauſa. ibid. Curatio. 405.
Hernia carnoſa non curatur niſi per chirurgicam operationem. ibid.
Herniæ umbilicales pro hydropiſi vel graviditate falsò habitæ. 406.
Hermodactyli in Arthritide. 465.
Herniaria in prolapſu uteri. 64. § 58.
Hyacinthus ſterilitati ab incantamento. 222. §.29.
Hippocrates creditur non exploraſſe & diſſecuiſſe humana cadavera. 5. §. 12.
Hippocratis & Galeni de motu uteri ad ſuperna & inferna inter ſe diſſidium. 65. §.1.
Hippuridis ſive caudæ equinæ decoctum in clyſteribus ad curandos fluxus alvi gravidarum. 254.
Hirudines ano admovendæ in furore uterino. 208. §.14.
Labiis pudendi gravidarum ad tumores œdematoſos earum. 265. Ad ciendos menſes ano applicatæ. 91. §.31. Ad ſuffocationem vteri. 198. §. 77.
Hircinum ſævum ad cancrum uteri. 403.
Hiſtoria motum uteri ad ſuperiora comprobans. 66. §.2.
Matronæ ulcere uteri à fluore hiſterico producto, extinctæ, cum variis ſymptomatibus. 68. §. 11.
Virginis cui vterus ea ſoſpite extirpatus fuit. 72. §.13.
Puellarum quibus menſtrua purgatio ante pubertatem contigit. 108. §.80.
Puellæ ab ipſis natalibus menſtruatæ. 108. §.80.
Hiſtoria mulieris cui Menſtrua per os procedebant. ibid. Ejus curatio. ibid. Mulieris per genu menſtrua emittentis, abſceſſu facto. ibid.
Hiſtoria mulieris per poplitem menſtruatæ. 111. Per podicem. ibid. Mulieris cui ante menſtruorum fluxum puſtulæ oriebantur pone aures. 111.
Mulierum quibus ante menſtruorum fluxum ſudores toto corpore prodibant. ibid.
Virginis cui fluebant menſes actu frigidi cum horripilatione & ſenſu frigoris moleſto. 112.
Ejus ſymptomatis cauſa & curatio. ibid.
Hiſtoria matronæ menſtru[a] decolora patientis. 117. §.11.
Puellæ juvenculæ cui menſtrua prorumpebant periodicè bis in menſe aliàs bene valentis 120.
Hiſtoria mulieris menſtruo profluvio immoderato laborantis, curatæ per applicationem ſtercoris ſuilli ad regionem ventris, omnibus aliis remediis irritis. 128. §.34.
Matronarum duarum hæmorrhagia hyſterica à variis ægritudinibus liberatarum. 132. §. 2.
Puellarum ante pubertatem fluore albo correptarum. 144. §. 12. & 13.

Hiſtoria mulierum fluxu muliebri *vexatarum cum curatione & formulis medicamentorum quibus illa curata fuerunt.* 151. §. 35.

Virginis *cui* teſtes *per* abſceſſum *exederunt, pluribus aliis* abſceſſibus *ſuccreſcentibus, quibus* Gonorrhœa *ſimplex dedit originem.* 151. §.35.

Puellæ ſexennis Chloroſi *affecta per* vomitum *copioſum* caſu *provocatum perfectè liberatæ.* 171.§.51.

Hædi coagulum *ad* lactis concretionem. 397.

Horripilationes *poſt* congreſſum *ſunt* conceptionis *ſignum.* 249.

Hordeum *& ex eo paranda* alimenta *ad temperandum ſanguinem* acriorem. 272.

Ad Arthritidem. 433.

Humani corii *cingulum ad* partum *facilitandum.* 309.

Ad hyſtericas paſſiones. *ibid.*

Ad vteri aſcenſum. 309. *Qua ratione juvet.* ibid.

Humani ſtercoris *pulvis cum anetho ad cancrum.* 379. §.25. aqua *ejus diſtillata ad idem.* ibid.

Humor à genitalibus *mulierum prodiens tempore* concubitus *non* ſemen *eſt, ſed* cervicalis humor dictus. 63. §.55.

Humores pituitoſi & acidi *commodè excluduntur per* vomitum, alvum, ſudores & vrinas. 135. §.63.

Bilioſi *vtilius excluduntur per* vomitum & alvum *quàm per* vrinam *vel* ſudorem *unde id procedat.* ibid.

Humoris *quem excernunt* mulieres *in* concubitu *vſus eſt* ſtimulare & *provocare eas ad coitum.* 144. §.18.

Humoris *illius origo.* ibid.

Hydrops vteri *quid.* 44. *Ejus ſigna.* 44.45. §.4. *Cauſa.* ibid. *Curatio.* ibi. *Quomodo diſtinguatur ab ejus* inflatione. 44. §.1. *Quomodo ab inflammatione.* 45. §.5. *A mola.* 45. §.6. *A conceptione.* 45. §.7. & 46.

Hydrope vteri *credita affecta mulier, & ad eum morbum variis* remediis *uſa,* infantem *parturiens robuſtum.* 45. §.7.

Hydrope *laborans* mulier *falſo credita* vterū *gerere.* ibi.

Hydrops vteri *cum graviditate complicata.* 45. §.7.

Hydropis vteri *prognoſis.* 46. §.8.

Hydropis vteri *per* diuretica *curatio non eſt ſufficienter tuta.* 46. §.12.

Expedit uti remediis purgantibus *validioribus.* ibid.

Phlebotomia in Hydrope vteri *quando conveniat, quando vero non.* 47. §.12.

Aperientia, diuretica & menſes moventia *cujus vſus ſint in hoc morbo.* ibid.

Poſt vſum eorum validum exercitium *eſt praſcribendum.* 47. §.12.

Vomitoria *quid proſint.* ibid. *Sudorifera.* ibid.

Medicamenta topica & *quis eorum vſus.* 47. §.12.

Injectiones. ibid. *Peſſaria.* ibid. *Cauteria.* ibid.

Therma. ibid. Decoctum florum Chamemæli *ad* dolorem *ſedandum à* tenſione *excitatum.* 47. §.12. Helleborus albus vtero *inditus ad educendas* aquas. 48. §.12.

Balnea *ad* vteri Hydropem. *ibid.*

Emplaſtrum de baccis Lauri. *ibid.*

Alia remedia varia externa. ibid.

Uterum *roborantia.* ibid.

Hydropis vteri *differentia.* 48. §.15. *Quomodo* humores & flatus *in* vtero *contineri valeant.* 49. §.16.

Mercati *ſuper illam quæſtionem ſententia.* ibidem. Ætii. *ibi.* Fernelii. *ibi.* Rhaſis. & Veſalii. *ibid.*

Hydrops vteri *in quo aqua membrana propria continentur.* 49. §.19.

In quo in corpore vteri *fluunt ſine* peculiari membrana. *ibid.*

Hydropis vteri *veſiculis incluſi curatio.* 50. §.22.

Ratio victus conveniens. ibid.

Hydropicæ *mulieres plerumque laborant* procidentiâ vteri & *cur.* 62. §.50.

Hydrops vteri graviditatis *ſigna præ ſe ferens.* 213. §.2.

Hyera picra & diacolocynthidos *in* mola. 242.

Hyereconticæ Roſæ *decoctum ad* partum. 308. §. 40.

Hyperſarcoſis venerea. 525.

Hymen *quid ſit.* 2. §.1.

Hymen *exploratus in* virgine *ſex annorum, & in puella* XXIV. *annorum.* 6. §.27.

Hymen *exploratus in* virgine *annorum* XXIII. *qui erat membrana continua nec uſpiam pertuſa.* 1. §.1.

Hymen *an ſit* virginitatis *proprium quarto modo.* 5.

Hyoſciami *folia* æſtatis *tempore: ejuſdem* radices hyemali, *cocta & cum* axungia porcina *applicata* mammis *tumefactis* inflammationem *arcent & dolori medentur.* 358.

Hyoſciami *folia ad incrementum* mammarum *indecens, cohibendum.* 373.

Ad dolores *mitigandos in* vteri cancro. 403.

In Arthritide *in eundem finem.* 465.

Hypericum *in* Arthritide. 465.

Succurrit maleficiatis & *ideo dicitur fuga dæmonum.* 222. §. 29.

Ad Pudenda *lacerata* Partu *conſolidanda.* 346.

Hyſterici *affectus quid ſint.* 349.

Malè comprehenduntur ſub nomine vteri ſuffocationis; *nomine generis ſpeciê dato.* ibid.

Hyſterici *affectus unde & qua cauſa fiant.* 330.

Eorum ſymptomata. ibid.

Eorum ſymptomatum *cauſa.* 250.

Vbi per occaſionem agitur de vteri cum variis partibus conſenſu. Hyſtericæ cordis *affectiones.* 351.

I

JAſpis ruber *femori alligatus ad* menſium fluxum *nimium.* 123.

Jaſpis *eſt amuletum ad* molæ *curationem.* 241.

Subvenit collo *appenſus & ſub* axilla *geſtatus, & facilitat* fœtus *geſtationem.* 284. §.26.

Jalap *aut* Jalappa *ad purgandas ſeroſitates in* lactis *tenuitate nimia.* 399.

Ichoroſi & ſeroſi *humores non ſunt* pura *putaque aqua, ſed ſæpe* ſalſedine & *aliis qualitatibus abundant.* 412. §.21.

Ideæ *quid ſint.* 230.

Earum exiſtentia *vt probatur.* ibid.

Formantur à ſenſibus externis *in* mente. 231.

Ideæ morboſæ *quid ſint.* 231.

Hæreditariæ. *ibid.*

Idearum varii & ſtupendi *effectus ad* morborum *quorundam productionem.* 231.

Quomodo in ſpiritus animales Ideæ *imprimuntur.* 231.

Ideæ leviter *impreſſæ facilè obliterantur* fortiùs *aliquando per totam vitam durant, immò fiunt hæreditariæ.* ibid.

Ideæ *quomodo ſint* ſanitatis & morborum cauſæ. 231.

Idearum Phantaſia *eſt mater.* ibid.

Jejunium *quare* Prægnantes *perferre non debeant.* 267.

Imaginationis *in* generatione. 231.

Imaginativa *vis non agit in* diſtans. *ibid.*

Imbecillitas uteri *non eſt aliud quàm ejus* intemperies frigida & humida. 75. §. 1.

Imperatoriæ *radix ad* vteri *dolores.* 79. §.14.

Imperforatæ *quæ dicantur & vnde procedat hæc* imperfectio. 4. §. 5. *Earum curatio.* §.30.

Incontinentia vrinæ puerperarum. 347. *Ejus cauſa.* ibi.

Immeritò ejus accuſatur obſtetrix. *ibid.*

Ejus cauſa externa. 347.

Incontinentia *ſi fiat à* læſione *ſphincteris in* partu *grave eſt malum.* 347. *Ejus curatio.* ibid

Incraſſantia ſanguinem *ad* abortum *præcavendum.* 277. §. 16.

Induſium

Induſium menſtruo *ſanguine recenter inquinatum ad ciendos* menſes. 98.§.53.
Induſium *mulieri* menſtruatæ *per octiduum à viro indutum, eſt medicamentum* Empyricum *ad* fluxum menſtruorum *immodicum*.130.§.39.
Indoles & pathemata *animalium aliquantùm in homines iis veſcentes transferri poſſunt, præſertim ex* ſanguinis *eſu*. 231.
Infibulatio *mulierum quid ſit*. 220.
Inflammationes *in genere ex qua cauſa oriantur*. 257. §.21.
Infans *feliciter* natus *ſibique viam in mundum* aperiens *ex vtero matris jam defunctæ*. 286.§.15.
Infantium *Morbi*. Vide *Morbi puerorum, p. 601.*
Inguinis dolor *in* puerperis. 348. *Curatio*. ibid.
Injectiones vulnerariæ *in* vterum *ad* incontinentiam vrinæ *poſt* partum. 347.
Injectiones *per Metrenchitam in* vteri prolapſu. 61. §.45.
Exſiccantes & detergentes, *in* vterum vlcerarum *non* infundendæ, *niſi* inflammatione *ſedata*. 70. §.11.
Injectio *in* vterum *ad diluendos* grumos *ſanguinis hærentes in* vtero *poſt* partum. 346.
Injectiones *ad* inflammationem *arcendam*. ibid.
Injectionum exſiccantium & conſolidantium vlcus vteri *formulæ*. 71. §.11.
Injectiones *in* dolore vteri fundum *ſive* corpus vteri *afficiente inutiliter adhibentur eouſque earum* virtute *non penetrante*. 79.§.14.
Injectiones refrigerantes *ex ſero* lactis & ſuccis frigidis, *facta in* Vulvam. 208. §.3.
Inunctiones ad vteri *ſuffocationem*. 197.§.73.
Imi ventris & colli *vteri in* mola. 241.
Mercuriales *ad* luem veneream *in* gravidis *mulieribus quibus cautionibus præſcribuntur*. 266.
Inſeſſus *ad facilitandum* partum.
Jovialia *medicamenta ſummè utilia in affectibus* hiſtericis. 191.§.46.
Jovis *oleum ad Hyſtericam ſuffocationem*. 191. §.46.
Joviale *Bezoardicum uſu interno & externo*.197.§.73.
Jovis ſal ad eoſdem vſus. ibid.
Jovis Chryſtalli ad idem efficaciores. ibid.
Ira *quid & quando conducat ad* bilis *evacuationem*. 35.§.17.
Ireos *radicis vſus in* Arthritide. 466.
Juglandium cinis *cum vino per injectionem in* vterum *miſſus mirifice* fluxum *muliebrem ſiſtit*. 154. §. 41.
Juglandis *flores ad* Hæmorrhagiam vteri *ante* partum. 272.
Julepus *ad ſiſtendum* ſanguinis *nimium* profluvium. 126. §. 25. *Ad* Hyſtericam ſuffocationem. 192.
Sanguinis grumos diſſolvens. 395.
Juniperi *baccæ in vteri* ſuffocatione. 195.
ad Lochiorum ſuppreſſionem. 329.
Juſculorum *frequentior vſus in* vteri procidentia *vitandus*. 63.§.56.
Juſcula *quæ exhibenda in* fluxibus ſanguinis *gravidarum*. 253.§.12.
Juſculum *è* gallina *infarcta ad ſiſtendos menſes*. 127. §. 26.
Juſcula *varia in* melancholia hyſterica. 210.§.29.
Caulium *ad diſſolvendum lac in* mammis *coagulatum*.394. §.32.
Jus Galli *veteris ad dolores poſt* partum. 321.
Καταῤῥοπία vteri *quid*. 65.§.1.
Kermes *grana ad roborandos* matrem & fœtum *in* partu. 313.
Kermeſina *confectio ad* ſterilitatem *arcendam*. 223.

L

Ladani *ſuffitus ad facilitandum* partum. 310.
Ad ſecundinam *deturbandam*. 317.
Lac aſininum *vel* vaccinum *in epota* cicuta. 578.
Lac vaccinum chalybeatum *ad temperandos humores* bilioſos & *acres, hæmorrhagiæ* vteri *ante* partum *cauſas*. 272.
Lac *tepidum ad fovendum ventrem gravidarum in* incontinentia *vel* ſuppreſſione *vrinæ*. 262.
Lactis ſerum *in* vrinæ *gravidarum* incontinentia, *vel* ſuppreſſione, *ob vrinæ* acrimoniam. 262.
Lactis effluvium *in gravidis*. 261.§.33.
Lac *ſolet in* mammis *fieri circa* tertium *geſtationis* menſem, *ſi* marem, quartum *ſi* fœminam *mulier conceperit*. 261. §.33.
Lactis *vſus in* ſterilitate *procedente ex* corporis macilentia. 224.§.37.
Lac Amygdalarum *in* Melancholia *ab* vtero. 210.§.29.
Lactis *ſerum in* hyſterica ſuffocatione. 198.§.77.
Lacte caprillo *chalibeato curata* Chloroſis. 172.
Lac *recenter coctum in quo extinctum fuerit* aurum, *ad tertiæ partis conſumptionem, ad omnes* fluxus *cohibendos*. 153. §.41.
Lac Aſininum *in* ulcere vteri. 705. §. 11. Chalibeatum in fluxu menſtruorum nimio. 123. & 128. §.30.
Lac *omne injectum* dolorem *ſedat*, abſtergit & glutinat. 15. §.35.
Lac ovillum *leviora* vlcera *ſanat*. 13. §.34.
Lac *chalybeatum ad* vteri ulcera. 12.
Lac *non fit ex* ſanguine. 354.
Lac coagulatum *poteſt reduci in* integrum, corruptum *verò nullomodo poteſt*. 354.
Lac corruptum *in* pus *degenerat*. ibid.
Lac *quibus cauſis corrumpatur & in pus degeneret*. 354.
Lacte mammas diſtendente & minatæ inflammationem *quæ remedia vſurpanda ſunt*. ibid.
Lactis cremor *in papillarum exuberatione*. 375.
Lactis cremor in Arthritide. 434. §.87.96.
Lactea vaſa *quid ſint*. 353. *Plurima ſunt diſſeminata in* mammis *mulierum*. ibid. *Eorum* communio *cum* venis Chyliferis *hucuſque ab* Anatomicis *non potuit obſervari, etſi videatur* certa. 353.
Lactis defectus *cauſæ*. 377.
Lactis defectus *eſt ſymptoma functionis vel* læſæ *vel de toto* abolitæ. 377. §. 1.
Lac *quid ſit*. ibid. *Ejus definitio*. 378.
Lac *quare detur* animalibus, *ſive, finis facultatis* γαλακτοποιητικῆς. 377.
Lac & menſes *ſunt* ſororii *liquores*. 378.
Lac *deficit quando* ſanguis *ſuperfluus deficit*. 378.
Lactis materia *non eſt ſimpliciter eadem quæ per* menſtrua *effluit*. 378.
Lac *in mammis habentes* viri *aliquando obſervati*. ibid.
Lactantes menſtruatæ. *ibid.*
Lactis *materia unde ſuppetat*. 378.
Lac *eſt liquor* Chylo *ſimilis*, *ſed multo præſtantior*. 378.
Lactis *vera & proxima materia eſt puriſſimus* ſanguis *ſive flos* ſanguinis. *ibid.*
Lactis *generatio quot* modis *impediatur*. 379.§.2.
Lacti *conficiendo minus aptæ ſunt* mammæ *ſolidiores*. 379.
Lactis carentia *à conformatione* vaſorum *mammarum*. ibidem.
Lactis defectus *à vitiis organorum curatio ſpecifica*. ibidem.
Lactis imminutio *ab ipſius lactis* vitio & *ejus* affectus *cura*. ibid.

Lactis *defectus ab ejus* ſpontaneo *& ſine* ſuctione effluxu, *cauſa & curatio*. ibid.
Lactis effluxus *per vias non naturales* defectus, *ejus cauſa*. 379.
Lac exſuctum *cum* cruore *mixtum, unde fiat* ſanguinis *cum lacte* exſuctio. 380.
Curatio iſtius affectus. ibid.
Lac *quandoque* pure *&* ſanie *conſpurcatur, quando & qua cauſa id accidat*. 380.
Methodus medendi. ibid.
Lac *ex* chylo *generari ad* mammas *deducto per vaſa propria argumenta evincentia*. 380. §. 4.
Lactis tenuioris & ſeroſioris *cauſa*. ibid.
Lac *quare in infantium* mammillis *reperiatur*. ibid.
Lactis *cauſa efficiens eſt certum* mammarum fermentum. 380. *glandularum uſus in corpore*. ibid.
Lac *fertur in* papillas *per varios* tubulos. 381. *quare in unum non coaleſcant* grandiorem. *381*.
Lac *minuentes cauſæ externæ*. *381*, §. *7*.
Lac *generantia quæ*. 381. Circa *ſemen proprietate ſubſtantiæ* lac *minuere dicitur*. ibid.
Lactis *deficientis ſigna*. 381. §. 8.
Lactis defectum *emendantia*. 381. §. 9.
Lac amygd.d. *&* ſeminum *aliorum ut &* vaccinum *& ex eo parata ad lac conficiendum conferunt*. 382.
Lactaria febris *quare* ſudores *proliciat, &* diaphoreticis *curetur*. 382.
In Lactatione dolor *unde oriatur*. 382.
Unde fiat ut Lactantes *quædam* macilentæ *fiant & quandoque aliæ in Lipothimiam incurrant*. 382.
Remedia ad horum præcautionem. ibid.
Lac quare *in quibuſdam* mulieribus *non fiat*. 383.
Lactis fermentis *natura adhuc eſt ignota & quare*. 383. §. 12.
Lactificum fermentum *eſt naturæ ſalis volatilis*. 383. §. 12.
Lactis *defectu ob* exilitatem *vaſorum* chylum *deferentium non poteſt emendari, niſi cura diuturna*. 383.
Lac *non fit per ſolam per* glandulas mammarum *tranſcolationem*. 383.
Lactis *generationi confert multùm* Diæta. 384. Mulierum lactantium *ratio victus*. ibid.
Lac per faſcinum *ademptum quomodo reſtituatur*. 385.
Lac *reſtituendi ſecretum per amuletum ex* mercurio vivo in avellanæ *cortice appenſo*. 385. §. 16.
Lactis *productiva facultas in alimentis* medicamentoſis *unde procedat*. *386*.
Lac Lunæ *quid ſit*. 387.
Lactis redundantia *unde fiat*. 389.
Ejus cauſa externa. *ibid.*
Incommoda & noxæ ab ea procedentes. *390*.
Prognoſis. *390*. §. *31*. *quæ* vitanda *in ratione victus ne* copia lactis *augeatur*. ibid.
Lac minuentia *quæ ſint*.
Lac *an exſugendum ubi* mammæ à lacte *doleant*. 390.
Lactis proventum *impedientia*. 390. §. 32.
Lac abſumentia. *ibid.*
victus ratio ad lactis copiam minuendam. 390. §. 33.
cucurbitulæ dorſo applicatæ certò lac *avertunt*. *391*.
Lac *redundans quo pacto* emollientia *minuere valeant*. *391*. §. *37*.
Lactare *nolentes* prægnatione *durante, ea uſurpare debent quæ* lac *à* mammis *avertunt*. *392*.
Lac abſumentia *varia remedia*. 392. §. 41.
Lac *ſi in* prunas *emulgeatur, reſolvitur*. 392. §. 42.
Ad Lactis redundantiam ſi doleant mammæ pinguibus *&* unctuoſis *non medendum & quare*. *392*. §. *43*.
Lactis redundantiam *reſolvunt* diaphoretica & ſudorifica. 393.
Lactis coagulatio *quam habeat cauſam*. *394*. §. *48*.
Cauſæ externæ. 395.
Noxa ex coagulato lacte. *ibid.*
quot modis lac *dicatur coagulari*. ibid.
θρόμβωσις quid ſit. ibid.
τύρωσις quid ſit. ibid.
Quid inter ſe differant hæ duæ coagulationis lactis *ſpecies*. 395. §. 48.
Cauſæ *utriuſque peculiares*. 395. §. 49.
Lacte *nimio turgentes mammæ quomodo diſtinguantur ab iiſdem à* lacte coagulato *induratis*. *395*. §. *50*.
Quibus remediis curetur durities mammarum *à* lactis *coagulatione*. ibid.
Lactis optimi *notæ*. *399*.
Lactis *qualitates* vitioſæ *& earum diagnoſis*. ibid.
Lac tenue *&* aquoſum *unde fiat*. *399*. *diagnoſis*. ibid.
Cauſæ. ibid. *Prognoſis*. *399*. *Curatio*. ibid.
Victus *ratio incraſſans*. ibid.
Purgatio ſeroſorum *humorum*. ibid.
Remedia varia. ibid.
Lac craſſius *&* caſeoſum. 399. *ejus ſigna*. ibid. *pericula*. ibidem.
Ratio victus *ad illud emendandum*. ibid. Vitanda *&* nocentia *in hoc affectu*. ibid. medicamenta. ib.
Lacteorum vaſorum *per* mammas *diſtributorum, an in* pancreate, *an in* ductu Chylifero. 353.
Cur ante inſertionem in mamma *& iis* Lacte *non turgentibus obſervare ea ſit difficilè*. *353*.
Lac acre ſalſum *malique* coloris *&* ſaporis. 399.
Lac *cujus* coloris *naturaliter eſſe debeat*. *399*.
Boni Lactis *notæ*. *400*.
Lac *quomodo* vitiatur. 400. *vitiorum* Lactis *ſigna diagnoſtica*. ibid.
Lintea *munda ſi* lacti *immergantur & exſiccentur, quomodo ex* colore lintei vitia *&* naturam Lactis *demonſtrent*. *400*.
Curatio lactis vitioſi *in* mulieribus *vel potius* mulierum lac vitioſum producentium. 400.
Lac alienum infanti *an conveniat*. *614*.
Lactanti infanti *quæ ſoleant* ægritudines *accidere*. *614*.
Lac *quæ contrahat* vitia *in* ventriculo *infantium*. *614*.
Remedia ad corruptionem lactis *facta in infantium* ventriculo. *ibid.*
Lactis boni *dignoſcendi methodus*. *615*.
Lactis *defectu quod aliud* alimentum infantibus *præberi poſſit*. *615*.
Lac morboſum *quale ſit*. *615*.
Lac *nimis* nutriens *quomodo cognoſcatur*. *615*. *ejus noxæ*. ibid.
Lactis *nimium* copioſè *ingeſti noxæ*. *615*.
Lac depravatum *per* malam nutricis *diætam*. *616*.
nutrices quam diætam obſervare debent.
Lactis vitioſæ alterationes *quomodo* corrigendæ. 617.
Lactans *infans quando & quomodo ſit* ablactandus. 618.
Lactis corruptio *in* nutrice *à ſubito* terrore *orta, quomodo* reparanda. 618.
Lactans *mulier quæ obſervanda habeat in diæta*, 617.
Lacerta *quale ferat* venenum. 591. §. 16.
Cataplaſma parti demorſæ applicandum. ibid.
Alexiteria *intus ſumenda*. 591.
Lactuca *in* juſculo & acetario *ad ſanguinis* incraſſationem. 124. §. 18.
In menſium *fluxu gravidarum*. 259.
Lapathi *radix ad* Ephelidas *gravidarum*. *264*.
Lapis Lazuli *amuleti ſpecie geſtatus ad abortum præcavendum*. *284*. §. *26*.

Lapis

Lapis Bezoar ex ſimiis exemptus. 545.
Ejus Signa & bonitatis Characteres. ibid.
Præſtat multum aliis lapidibus bezoardicis. ibid.
uſus ejus in Cholera & aliis omnibus morbis ubi Bezoard Orientale præſcribitur. ibid.
Lapis Serpentinus ſive Magnes venenorum quid ſit. 545.
adhæret venenatæ plagæ uſque totum venenum ſit exhauſtum. ibid.
Lapis Bufonites quomodo contra venena opem ferat. 545.
Lapis lazuli qualitates venenatæ ſymptomata ex eo temere ſumpto. 552. remedia. ibid.
Lapis Armenus ut noceat qualitate venenata Antidota ad eum. ibid. 553.
Lapis magnes intus ſumptus melancholiam & inſaniam parit. 553.
Curatio ejus veneni. ibid.
Lapis calaminaris, ejus venenum. 551.
Lamina plumbea applicata ad cancrum mammarum. 370.
Ejus uſus an ſemper tutus. ibid.
Lana ſuccida ad tumorem mammarum flatuoſum. 364.
Lapis Galactites. 385. Lac in mammas allicit anterorſum geſtatus, avertit ab iis potentiùs geſtatus. ibid.
Lapis in utero repertus. 404.
Lappæ majoris ſeu Bardanæ decoctum in Arthritide. 433.
Ad Rheumatiſmum. 477.
Lapathi ſuccus in Arthritide. 435. in lue venerea. 518.
Lardi corii fruſtulum ad dentitionem juvandam. 655.
Laticea ad ulcera uteri. 14. §. 4.
Lavendula in uteri ſuffocatione. 19. §. 46.
Semen ejus ad partum facilitandum. 310.
Laudanum hiſtericum in uteri ſuffocatione. 191. §. 46.
Laudanum opiatum in ſuffocatione uteri. 195. §. 63.
In Melancholia hyſterica. 210. §. 29.
In mola. 241. in vomitu pertinaci prægnantium. 253.
In earum dolore dentium à cauſa frigida. 254. §. 13.
Lauri baccæ ad Ephelidas gravidarum. 264.
Contuſæ & calidè ſacculo incluſæ ad fotum partium dolentium in ſpaſmo gravidarum flatulento dicto La Crampe. 250.
Ad fœtum & partum maturandum. 304.
Legumina pleraque ad venerem excitant. 207. §. 12.
Ex Leonis oſſibus ignis eliditur ut è ſaxo pyrite. 266. §. 7.
Lentes in aqua marina coctæ & contuſæ mammis applicatæ lactis redundantiæ medentur. 394.
Lentium farina in Arthritide. 435. §. 86.
Leporis coagulum in aqua calida diſſolutum à muliere ebibitum jejuno ſtomacho, ipſius fœcunditatem indicat ſi dolores ventris excitet. 214.
Leporis ſal in ſpiritu vini ſolutum ſterilitati à quacunque cauſa medetur. 215. §. 9.
Leporis pellis recenter extracta ad partum facilitandum. 308.
Leporis oculi & eorum uſus ad partum promovendum 310.
Cautio adhibenda ne ipſum uterum expulſet. ibid.
Leporis axungia certum & unicum eſt remedium ad dentitionem difficilem infantium, ſi ea auris dextra illiniatur. 635. §. 68.
Leporis cerebrum ad idem ſi gingiva infantis inungatur. 635. §. 68.
Lethargum ab Hyſterica ſuffocatione diſcernendi modus. 185. §. 31.
Leviſtici foliorum viridium ſuccus cum cyatho vini epotus molam extirpat. 243. ejus ſemen cum aqua artemiſiæ ad idem. ibid.
Radix ad partum facilitandum. 308.
Item foliorum viridium ſuccus cum vino potus ſuffocationem uteri certò curat. 196. §. 63.
Semen hyemis tempore defectu foliorum idem facit cum vino epotum. ibid.
Lienis ab utero affecti ſymptomata. 351. Prognoſis. ibid.
Curatio videatur capite de Melancholia ab utero.
Lienis affectiones ex utero. 351.
Curatio petatur ex morbo virgineo & menſium ſuppreſſione.
Lienoſi ſeminе abundant. 213.
Lientericus fluxus in gravidis quid minetur. 253. §. 12.
Lignorum ſpiritus. 64. §. 58.
Ligamenta uteri rumpi vel laxari poſſunt vehementi conatu in excernendis alvi excrementis. 64. §. 62.
Ligamenta uteri quæ laxiora habent ea obnoxiores ſunt motibus uterinis. 66. §. 1.
Lignum indicum decoctum cum dictamno, poſt evacuantia univerſalia curavit mulierem ſuppreſſione hiſterica laborantem. 91. §. 36.
Ligaturæ dolorificæ ut medeantur ſymptomati ſuffocationis hyſtericæ. 195. §. 51.
Lignum aloës in ſuffocatione uteri. 196. §. 63.
Ligula è corio humano ad præcavendum ſpaſmum flatulentum dictum La Crampe. 250.
Lignum meſpili collo appenſum ad continendum fœtum. 284.
Ligamenta ſunt propriè partes affectæ in Arthritide. 409. §. 11.
Ea ſunt duplicis generis. ibid.
Ligamenta quæ à perioſtio originem habent ſenſibilia ſunt, alia non. 409.
Ligamenta ſanguine nutriuntur non medulla. ibid.
Liliorum alborum bulbi cocti ad Cataplaſma ad coagulatum lac in mammis diſſolvendum. 396.
Semen ad partum. 297.
Lilii folia contrita ſpecificè proſunt in cancro mammarum. 370.
Limatura cupri vel ferri macerata in vino in obſtructionibus uteri. 370.
Limus qui in cotibus fabrorum cultros acuentium reperitur, lactis copiam avertit. 390.
Linguæ impotentia & Aphonia à ſuppreſſis menſibus. 89. §. 17.
Lintea tincta in urina bovina calidè applicata ventri, ſubito affectionem hyſtericam ſedant. 198. §. 73.
Linimentum ad dolores dorſi & lumborum gravidarum. 262. §. 34.
Ad partum. 309.
Lini ſemen ad decocta pro fotu in incontinentia & ſuppreſſione urinæ gravidarum. 263. §. 36.
Linimentum ex pedibus veruecum cum oſſibus contractis ad gravidarum ventrem ungendum, ne cutis à tenſione findatur. 264.
Ejus præparatio. ibid. uſus. ibid.
Ex pedibus veruecum compoſitum ad idem. ibidem.
Ad abortum præcavendum. 283. §. 15.
Poſt balneum ad partum facilitandum. 308. §. 40.
Ex ovis integris oleo Hyperici & Roſaceo ad vulvæ contuſionem & excoriationem poſt partum violentum. 347.
Linimenta duo quibus immergatur tela, extendenda ſuper ventrem recenter enixarum ad rugas obliterandas. 347.
Ad mammarum tumorem. 357.
ad ſcyrrhum cancroſum. 363. §. 48.
Lini farina ad lac in mammis coagulatum diluendum. 396.
Lini ſemen in Arthritide. 466.

Linteolum *ſanguine fœdatum non eſt certa virginitatis nota.* 7. §. 1.
Linimenta *ad* ulcera *colli* uteri. 71. §. 11.
Eorum formulæ. ibid.
Lipothimia *in* gravidis. 254. §. 56.
Lipothymia puerperarum. 347. *remedia ex* ſalibus volatilibus. *ibid.*
Liquor *miræ efficaciæ ad* menſes *provocandos.* 95. §. 45.
Liquores *varii & eorum compoſitiones ad ſuffocationem* uteri. 199.
Liquor Martis ſolaris *ad* Lochia *immoderata.* 326.
Liquiritiæ ſuccus *ad* tuſſim. *235.*
Lithoſpermi *ſemen ad* partum *facilitandum.* 208. §. 40. *311.* §. *47.*
Litus *ad inungendas* mammas *poſt* partum *mulieribus* lactare *nolentibus.* 345.
Lixivium ſarmentorum ficus *ad detergendum in ulcere uteri.* 70. §. 11.
Lixivium ſarmentorum *ad pedes tumidos* gravidarum. 160. §. 34.
Lochiorum ſuppreſſio *ulcerum* uteri *cauſa.* 68. §. 11.
Lochia *poſt* partum *provocantia ſunt ſimul* emmenagoga, carminantia & nervina. 191. §. 46.
Lochiorum *copia nimia.* 324. *ejus cauſa.* ibidem. *325.*
Varia remedia ad ſiſtendum fluxus Lochiorum *nimios.* ibid.
Lochia *ſunt* parciora lactantibus. 325.
Lochia decolora *ut fiant.* ibid.
Lochia *purè* aquea *per octo dies fluentia.* ibid.
Lochiorum *naturalis menſura.* ibid.
Lochia *longiori tempore durant, ſi mulier* femellam *pepererit.* ibid.
Lochia *ſi bellè rubentia ſint* bonæ valetudinis *ſunt ſigna.* ibid.
Lochia Germanæ *mulieres* longiore *tempore excernunt,* Gallæ breviore. 325.
Lochiorum *excedentium* cauſæ *quatuor.* 325.
Periculo non vacant ut omnes enormes hæmorrhagiæ. 326.
Quæ incommoda incurrant mulieres fluxu ex lochiorum *immodico affecta.* ibid.
Quid indicet Sanguis *excretus impensè* floridus & rutilus. 326.
Lochiorum *exceſſivè fluentium curatio.* 326. §. 73.
Sanguinis miſſio *ex brachio.* ibid.
Acida blanda. *ibidem.*
Sudorifera *ſi ſanguis eſt* ſeroſior. *ibid.* Vulneraria *inter quæ eminet* Cerefolium. *ibid.*
Oleum vini *cum* tinctura corallorum *vera hic antidotus.* 326.
Lochia imminuta & deficientia *qualia* ſymptomata *pariat.* 327. §. 77.
Mulier ſine menſtruis & lochiis *plures partus* enixa *bona fruens valetudine cum* fœtibus. 327. §. 77.
Lochia *non debent dici* ſuppreſſa *ſi ante* partum gravida *multum* ſanguinem *effuderit.* 327. §. 77.
Lochiorum retentio *fit à* frigore externo *imprudenter admiſſo.* ibid.
Lochia ſuppreſſa *methodus curandi.* 327.
Medicamenta aromatica & ſale volatili prædita. ibidem.
Lochiorum fluxus parcus, *aliquando eſt* ſecundum *naturam*, *aliquando* contra *naturam.* 328.
Quando ſecundum naturam. ibid. *quando* contra. 328.
Lochiorum fluxus *præter* naturam imminuti *ſigna & ſymptomata.* 328.
Venæ ſectionis *in hoc morbo utilitas, tum ex brachio, tum ex pede & cautiones circa eam.* 328.
Cautio in uſu emmenagogorum. 329. §. 82.
Lochiorum *naturalem* evacuationem *poteſt ſupplere* narium hæmorrhagia *vel aliunde.* 330.
Lochia *per* diarrhœam *ſuppleta.* 330. §. 84.
Lochiorum *varii* colores *unde procedant.* 332. §. 90.
qualium affectuum *ſigna ſint.* ibid.
Ad illos affectus remedia. ibid.
Lochiorum fœtor *unde procedat.* 332.
Remedia. ibidem.
Lochiorum vitia *reſpectu* conſiſtentiæ. 332.
Lochia acriora. 332.
Modus emendandi. ibidem.
Lochiis ritè fluentibus *purgationi nullus eſt locus.* 334.
Lochia *ſi* vitioſa *ſint, tutò purgatio adminiſtrari poteſt.* ibidem.
Luis venereæ *definitio.* 479. 480. *Secundum Barbeyrac.* 480.
Luis venereæ *varia ſynonima.* 479. §. 10.
Luis venereæ *ſubjectum eſt totum corpus.* 479. §. 11.
Lues venerea *non fit niſi per* contagium. 480. §. 2. 488. §. 26.
Lues venerea univerſalis *eſt morbus, quo* omnes functiones *læduntur.* 480.
Luis venereæ eſſentia *conſiſtit* in venenato fermento calido & ſicco *quoad* primas qualitates. 480. §. 4.
Luis venereæ *fomes & origo eſt in Hepate.* 479. 480 §. 4.
Luis venereæ *virus conſiſtit in* frigido & humido *ſecundum Rondeletium.* 480. 481. *Ejus argumenta.* ibidem.
Luis venereæ *ſymptomata.* 488. capillorum defluvium *unde procedat.* 481. §. 5.
Maculæ venereæ *quales ſint.* 481. §. 6.
hæ duæ notæ ſufficiunt ad luem veneream *characteriſandam.* 481.
Tubercula venerea quid ſint. ibid.
Lues venerea *quare magis infeſtet* Melancholico *temperamento præditos quàm alterius* temperiei. 482.
Lues venerea *quocunque* contactu *communicari poteſt, ſed præſertim* concubitu. 482.
Lues venerea *ſi per* concubitum *contracta fuerit, in partibus* genitalibus *prima* labes *manifeſtatur.* 482.
Si accubitu *in* ſumma cute *erumpunt* puſtulæ & *alia cutanea, Si ex* lactis ſuctu *notæ apparent in* ore & faucibus *infantium, ut ſi infans infectus natus ſit affectus manifeſtatur in* papillis *nutricis.* ibidem.
Si communicatus fuerit affectus *per* potus *vel* cibi *communionem* infectio *patebit in* ore *aut* faucibus. 482.
Luis venereæ *Signa.* 482. §. 16. incipientis. 483. §. 17.
quandoque valde ſunt dubia. *ibidem.*
Vlcera in pudendis & circa frontem *exorta* dubitandi *locum non concedunt.* 484.
Luis venereæ *variæ differentiæ.* 484. §. 16.
Luem veneream *ratio diſcernendi ab aliis morbis ex* ſyndrome *variorum ſymptomatum.* 484.
Exoſtoſes & tophi *in* oſſibus inveteratæ & *indubia* luis *ſunt certiſſima ſigna.* 484.
Bubo venereus *nulla nota externa à* bubone ſimplici *differt.* 484.
Condylomata venerea *nihil habent quoad faciem externam quo diſtinguantur à* ſimplicibus. ibidem.

Pleraque

Pleraque alia lue venerea infectorum *ſymptomata ſeorſim ſumpta, nihil habent quod etiam in aliis* ægritudinibus *non contingit*. 484.
Luis venereæ *præſentiam quibus notis liceat* certò *pronuntiare*. 485. §. 17.
Varii gradus *huius affectus & ſecundum* eos *nomina* vulgaria *quibus inſignitur*. 485.
Luis venereæ dolorum *natura* locus quem *obſidens* tempus *quo ingraveſcunt*. 485. §. 18.
Luis venereæ, *ſymptoma*, corruptio *ſive* caries oſſium *unde procedat*. 485. §. 19.
Modus *curandi &* remedia. *ibid.* Linimentum *ad oſſium* cariem. *ibid. Si neceſſe ſit* os abſcedere *qua ratione promoveatur* abſceſſus *oſſis*. ibid. *Diæta in hoc caſu*. ibid.
Venereus cancer *quid ſit*. 405. §. 20.
Quomodo diſtinguantur ab aliis ulceribus corrodentibus. ibid.
Luis venereæ *venenum conſiſtit in* acido *ſuo modo peccante ſecundum Sylvium*. 486. §. 21.
Luis venereæ venenum *principaliter eſt infeſtum* glandulis *& partibus* glandulosis. 487. §. 24.
Lues venerea *quomodo contrahatur per* contactum *alterius* infecti. 487. §. 25. *Etiam eam* communicare *poteſt qui* virus latitans *in ſe concepit*, Symptomata *tamen nondum percepit*. ibid.
Sudoribus, excrementis, effluviis *quibuſvis* corporeis *communicari hoc* virus *aptum eſt*. 487. §. 26.
Luis venereæ primordia *ſemper apparent in parte per quam* communicata *fuit* infectio. 488. §. 26.
Lues venerea *non communicatur niſi ab* impuriore *& à* ſubiecto *magis* affecto, vlcus venereum, *ſi ſit in* pene, *neceſſariò* virus *contractum, fuit per* concubitum *impurum*. 488. §. 27.
Morborum Luem veneream *comitantium* exegeſis *& diſquiſitio cauſarum eos* producentium. *ibid.*
Lues venerea pejus *afficit* Germanos *quàm* Gallos, *hos* pejus *quàm* Italos *aut* Hiſpanos *& unde illud procedat*. 488. §. 27.
Luis venereæ *curatio difficilior eſt in iis qui jam* antea *ea* affecti *fuerunt*. 488. §. 29.
Luis venereæ *prognoſis*. 488.
Lues venerea recens *& ſymptomatis non* gravibus *comitata, facilè ſatis ſanatur*. 489. §. 29.
Luem veneream *curaturus qua debeat attendere ut voti fiat compos*. ibid.
Antequam curationi *ſpecificæ luis bujus ſe accingat* cacochimiam *emendare debet* purgantibus. 489.
Luis venereæ *curatio, vel eſt* vniverſalis *vel* particularis. 490.
Vniverſalis *ſpectat morbum in genere*, particularis *ſpectat diverſas* affectiones *ab illo viru procedentes quas* ſigillatim *curare neceſſe eſt*. 490. §. 29.
Luis venereæ *curatio* vniverſalis *conſiſtit in* acidi emendatione *& ejus correctionem non recipientis* expulſione. ibid.
Quid agendum ubi in curatione luis venereæ affectiones *concurrunt* contraindicantes *remediis neceſſariis ad* luēm *perſanandam*. 490. §. 30. 31.
Qui ſint morbi *quorum curatio* conſentit *cum curatione* luis, *Qui verò ab ipſa* diſſentiunt. *ibid.*
Lue venerea *cum* acutis morbis *calidis complicata ratio habenda* morbi *unde* majus periculum *imminet, neglecta interim* luē. 490.
Si in luis venereæ *curatione ab uſu medicamentorum oriantur ſymptomata* vrgentia, *quomodo* ſuccurrendum. 490. §. 32.
Lui venereæ *in curatione ſuperveniens* Dyſenteria, *quomodo curanda*. 491.
Luis venereæ *curatio in infantibus*. 491. §. 33.
Decoctum ex ligno ſancto *pro potione mane ſumenda*: ibid. Bochetum *pro potu ordinario*. Pulvis purgans *&* ſpecificus *ſæpe iterandus*. ibid.
Vlcerum venereorum *circa* fauces *pullulantium curatio*. 491. §. 34.
Vlcerum venereorum naſum *erodentium curatio*. 491. §. 35.
Varia remedia in hunc morbum. ibid.
Luis venereæ *curationum varia exempla* 492.
Mulier prægnans luē venerea *infecta remediis* mercurialibus *curata ſine* fœtus noxa. 492.
Auri diaphoretici deſcriptio. 492.
Luis venereæ *per* mercurium dulcem *curandi proceſſus*. 492.
Mendicus lue venerea *correptus, corpus* infodiens *in* fimo equino calido *cum paucis aliis remediis perſanatus*. 492.
Decoctum commodiſſimum *& non* ingratum *toto morbi* decurſu *uſurpandum*. 493. n°. VII. *Decoctum guajaci ex vino*. 493. n°. VIII.
Electuarium Antivenereum, *ejus compoſitio & uſus*. 493. n°. IX.
Lui venereæ *quando debeatur* venæ ſectio. 493. §. 56.
Venæ ſectio *in* balneo. *ibid.*
Balneum *poſt uſum* purgantium. 493. quoties *debeat in die illud ingredi*. 494. quantum tempori *in ipſo commorans* ibid. *per quot* dies *debeat illo uti &* quomodo. *ibid. quid illi in* balneo *ſit offerendum*. 494.
Arculi *ſive* papilionis ſudorifici *uſus*. 494.
Luis venereæ *per* ſudorifica *&* arculum *curatio, quare ſit* incommoda *& non perfectè tuta*. 494.
Miſſio ſanguinis *non conducit in ingentibus capitis* doloribus.
Qui ſine intermiſſione negotiorum curari lue venerea *volunt* emplaſtris mercurialibus *uti, poſſunt quæ* reſidentiam *non expoſcunt*. 495.
Luis venereæ *curatio per* purgationem. 495. §. 40.
Lues venerea *ita curatur moderna methodo per* purgationes, *ut nec* ſpuitione, *nec* ſudore *indigeat*. 495. §. 40.
Methodus curandi *per* purgationes. *ibid.*
Formulæ apozematum purgantium *pro* bilioſis. 495.
Pro pituitoſis *ibid.*
Pro melancholicis. *ibid.*
Luis venereæ inveteratæ *curatio*. 496.
Lues venerea *quomodo cum* Elephantiaſi *conveniat & quibus ab ea* diſcrepet. 497.
Lües venerea *quæ* ulceribus *non ſcatet, difficilè* communicatur *per* contactum. 497.
Lües venerea *ſecuriſſimè & facillimè curatur per* mercurialia. 498.
Luis venereæ *optimum remedium quoad externa*, mercurius vivus.
ad Luem veneream Ptyaliſmus *quomodo & quibus remediis excitandus*. 499.
Luis venereæ *curatio per* ſudorifica *& ſimul* diuretica. 500.
Luis venereæ *curatio per* Hydrocathartica. 500. 501.
Luis venereæ *curatio per* Emplaſtra. 509.
Luis venereæ *curatio per* Lavatoria. 510.
Quid ſint lavatoria *& quid in illa curatione inſit* particularis. 510.
Modus utendi lavatoriis. *ibid.*
In hoc tantum differt ab inunctione *vulgari quod* mercurius ſublimatus *diſſolvatur in aquis quibus partes quæpiam abluuntur uſque ad* ſalivationem.
Lui venereæ *in curatione diæta conveniens*. 511. §. 71.
Accurata *&* tenuis *debet eſſe*. 11.
Bis vel ſemel cibus *ſumendus eſt & parcè*. 512.
Caro gallinarum *appropriatum eſt* alimentum. *ibid.*
Aliæ etiam carnes boni ſucci *conceduntur* ibid.
Sed vinum *ordinariò bibere non licet & quare*. ibid.

Lüe venerea perfectè curata & viru illius exhauſto, ſæpe reſtant quædam ſymptomata quæ pauca ope demum evaneſcunt. 513.
Luis venereæ ſymptomatum ſive morborum ſecundariorum curatio. 513. §. 73.
Caries pudendi unde oriatur, curatio. 513. §. 74.
Verrucæ ſive porri venerei. 514. §. 76. curatio. ibid.
Bubones, gallicè poulams. 514. §. 77.
Subinde detumeſcunt. ibid. ſæpè indurantur vel ſuppurantur. ibid.
Venereorum ſigna diagnoſtica. 514. §. 77. 78.
Curatio conſiſtit in prompta ſuppuratione. 514. §. 79.
Medicamenta attrahentia & ſuppurantia ad bubonem venereum. 515.
Quid agendum ſi indurentur. ibid.
Capillorum effluvium gallice Pelade, quæ ſit cauſa ejus. 515. §. 81.
Si fiat in occipite & ad latera cum articulorum dolore indubium eſt ſignum luis venereæ curatio.
Dolores capitis venerei quare oriantur. 515. §. 83.
Eorum differentia. ibid. curatio. 516. §. 84.
Dolores articulorum venerei eorum diagnoſis. 516. §. 86.
Eorum cauſæ. 516. §. 87. Curatio. ibid.
Puſtulæ venereæ earumque diverſitas. 517. §. 88.
Vt differãt à puſtulis peſtilentibus. ibid. Earum cauſæ ib.
Maculæ venereæ eandem habent diagnoſin & cauſam. 517. §. 89. Curatio.
Fiſſuræ manuum & pedum. 517. §. 90.
Indicant curam luis non eſſe perfectam. ibid.
Earum curatio. 519. §. 91.
Gonorrhæa virulenta quid ſit. 5x8. §. 62.
Eius ſigna. ibid. cauſæ. ibid. Curatio.
Emulſiones, venæ ſectiones, purgationes convenientes. 519. fotus. ibid.
Decoctum prophylacticum, ne hic morbus in luem veneream degeneret. ibid.
Pilulæ ad gonorrhæam virulentam. 519.
Semicupium. ibid. Injectiones in pudendum. ibid.
Aquarum mineralium potus. ibid.
Teſtium inflammatio gonorrhææ ſuperveniens, quomodo curanda. ibid.
Cataplaſma de mica panis. ibid.
Alia remedia. ibid.
Luis venereæ, tophi, nodoſitates & gummata. 521. 522. vbi oriantur. 522. §. 93. Eorum ſigna. cauſæ. ibid.
Curatio per Emplaſtra, ſi modò oſſa non valde affecta ſint 522. §. 94.
Si affecta ſint oſſa quæ iis curatio debeatur. ibid.
Gummata ut ſectione vel [illegible]ione auferenda ſint. 523 §. 95.
Luis venereæ Maculæ. 523.
Earum diagnoſis. ibid. cauſæ. ibid. Prognoſis. ibid.
Sponte diſparent luë curatâ. ibid.
Ad eas remedium. ibid.
Luis venereæ Condylomata quid ſint & unde oriantur. 523. quibus in partibus fieri ſoleant. ibid.
Condylomata etiam oriuntur non venerea. ibid.
Eorum curatio. 524.
Luis venereæ ulcerum curatio. 524.
Hyperſarcoſis venerea quid ſit, ejus cauſæ. 525. ſigna. ibid. prognoſis. ibid. remedia. ibid.
Lumbrici in utero & potiſſimum aſcarides. 73. §. 13.
Lumbricos non mirum in utero generari cùm vbique generentur. ibid.
Lumbricorum in utero ſigna incerta. ibid. Curatio. ibid.
Lumbricorum terreſtrium præparatio ad lactis generationem. 387.
Lumbrici in Arthritide. 465.
Lumbrici terreſtres ad generationem lactis quomodo conferant. 382.
Lumbardorum fratres qui dicantur.
Luna nil confert ad evacuationes menſtruas. 83. §. 4.
Lunæ lac ad generationem lactis. 382.
Lupi hepar vel caro collo appenſa ad præcavendam uteri ſuffocationem. 200. §. 82.
Lupi Priapus appenſus maleficium tollit. 222. §. 29.
Lupini ſemina ad Ephelides prægnantium. 264. ad vermes infantium. 665.
Lutum cataplaſmatis loco adhibitum mammarum inflammationi medetur. 356.
Lyſimachiæ conſerva ad ſuperflua lochia. 326.

M

MAcilentia gravidarum. 254.
Magiſterium matris perlarum ad vteri ſuffocationem. 191. §. 46.
Succini ad ſecundinam deturbandam. 317.
Tartari vitriolati. 492.
Vngulæ alcis ad Epilepſiam & ſuffocationem hyſtericam. 191. §. 46.
Magnes umbilico alligatus ad fœtum continendum. 284.
Femori ad partum promovendum. 319.
Magnes arſenicalis quid ſit. 552.
Ejus præparatio & uſus. ibid.
Magnes eſt antidotum ferruginis. 553.
Magnetis qualitates venenatæ. 553. Curatio. ibid.
Malicorii decoctum in clyſteribus ad fluxus pertinaces gravidarum. 254.
Malva cum aliis tribus emollientibus in decoctu ad gravidarum vrinæ incontinentiam & ſuppreſſionem. 262.
In clyſteribus ad fluxus alvi gravidarum. 254.
Semen ejus ad lochiorum ſuppreſſionem. 329.
Collo appenditur ad abortum præcavendum. 284.
Malum granatum cum cortice vino rubro incoctum ad fotum ventris prægnantis menſtruatæ. 259.
Mammarum incrementum & durities quando ſint ſignum graviditatis. 246.
Mammarum morbi & ſymptomata. 352.
Mammas habent mulieres, viri mamnullas. 352.
Brutis vbera dicuntur. ibid.
Mammarum pars eſt papilla. 353. origo illius nominis. ibid.
Mammæ etymologia. 352. earum conſenſus cum viro. ibid.
Hinc fit ut graciles redditæ abortum prænuntient. ibid.
Mammis cucurbitula affixa cur retrahitur ſanguis ab utero ad ſuperna. ibid.
Mammæ quandoque fluentibus menſibus nonnihil detumeſcunt. ibid.
Mammarum compoſitio & ſubſtantia glanduloſa. 352.
Quæ habeant vaſa. ibid.
Mammis inſunt vaſa lymphatica. 353.
Mammis inſunt vaſa lactea. ibid.
Mammæ habent facultatem γαλακτοποιητικήν. 353.
Mammarum affectiones, vel ſunt morbi vel ſymptomata. 353.
Quibus morbis mammæ ſint obnoxiæ. ibid.
Mammarum intemperies quomodo ſit corrigenda. 353.
Indicationes ad intemperiem calidam. ibid. frigidam ibid.
Mammarum tumores ut fiant & qua occaſione. 353. §. 2.
Cur facilè contingant. ibid.
Mammarum tumorum quatuor ſunt ſpecies. 354.
Mammarum tumor monſtroſus & incredibilis. 354.
Mammarum inflammatio unde procedat. 354. poteſt fieri à lacte extravaſato ut ſolet fieri à ſanguine. ibid.
Mammis lacte nimium turgentibus & inflammationem minantibus, an repellentia conducant. 354.
Mammis tumentibus diſcutientia & emollientia conveniunt. ibid.
Mammis lacte ſuppurato quæ medicatio afferenda eſt. 355.
Mammæ inflammatæ ſigna. ibid. cauſæ. 355.

Quomodo lactis copia mammarum inflammationis ſit cauſa.
Mammarum inflammationis cauſæ externæ. 355.
Mammarum inflammatarum curatio. 355.
Diaphoretica ſi tumor digeri poſſit. Suppurantia ſi diſcuti non valeat. ibid.
Venæ ſectio qua indicatione. 355.
Purgatio quo in caſu. ibid.
Mammarum inflammationes ut plurimùm ſuppurantur. 355.
Quomodo cognoſcitur an ſuppuratio fieri debeat. ibid.
Mammarum inflammationi remedia. 356.
Mammarum induratio quæ pericula ſecum ferat, quoſque morbos accerſat. 357.
Mammæ frigoris impatientiſſimæ. 357.
Mammarum inflammationes quas reſoluere ſpes non eſt, debent. q. p. ſuppurari. 357.
Mammarum ſuppuratarum ut abſceſſus aperiri debeat. ib.
Mammæ ſuppuratæ ſigna. 358.
Mammæ abſceſſum aperiendi methodus. 358.
Apertus quomodo tractandus. ibid.
Mamma tumefacta ut ſanetur, altera debet continenter evacuari. 358.
Mammarum Eryſipelas. 358. ejus cauſæ. ibid.
Symptomata & ſigna. ibid.
Quomodo differat ab inflammatione. ibid.
Cauſa, differentiæ. 359.
Mammarum eryſipelatis curatio. 359.
Vitanda repercutientia & aſtringentia & quare. ibid.
Item refrigerantia & pinguia. ibid.
Mammarum eryſipelati quæ adhibenda medicamenta. 359.
Mammarum tumor glanduloſus qua occaſione fiat. 359.
Tumores illi glanduloſi perperam pro cancris accipiuntur. ibid.
Mammarum glanduloſi tumoris ab earumdem ſcrophulis diſtinctio. 359.
Cauſæ externa horum morborum. ibid Curatio. 359.
Mammarum œdema rarus eſt affectus. 360.
A quibus fiat cauſis. ibid.
Ejus ſigna diagnoſtica. 360. Curatio. 360. §. 30.
Medicamenta pituitam digerentia. ibid.
Reſolventia. ibid. Cataplaſmata & Emplaſtra maturantia. ibid.
Maſſa Cauſtica ad tumorem maturatum aperiendum. ibid. Ejus deſcriptio. ibid.
Reſolventium quando debeat uſus eſſe ſuſpectus & quale eſt iis periculum 360. Varia remedia. ibid.
Mammarum ſcyrrhus duplex 361.
Mammarum ſcyrrhi exquiſiti ſigna & cauſæ. 361.
Mammarum ſcyrrhus inveteratus. ibid. Ejus ſigna. 361.
Incipientis ſigna. ibid.
Mammarum ſcyrrhus phlegmaticus. 361.
Melancholicus. ibid. utriuſque cauſæ. ibid.
Scyrrhus verus mammarum indolens, curari nequit. 361.
Mammarum ſcyrrhi curatio, Ammoniacum aceto ſolutum. 362. Emplaſtrum Coleri. ibid.
Mammarum ſcyrrhus cancroſus qui dicatur. 363.
Quomodo ab aliis differat. ibid. Non vexat indeſinenter. ibid. Scyrrhus cancroſus quandoque admittit curationem. 363.
Mammarum Scyrrhus ut à finitimis tumoribus diſtinguatur. 363. §. 45.
Mammarum ſcyrrhi ſectio & extirpatio periculoſa eſt & ob id non tentanda. 364.
Mammarum tumor flatuoſus an fieri poſſit. 394.
Ejus diagnoſis & ſymptomata. ibid.
Quomodo à Cancro diſtinguatur. ibid.
Quomodo ab aliis mammarum tumoribus. ibid.
Ejus cauſa continens 364.
Cauſæ antecedentes quatuor, & earum enumeratio. ibi.
Prognoſis. 364. Curatio.
Mammarum cancer. 265. Signa ejus ſunt valde dubia in principio. ibid.
Incipit ex valde parvis principiis. ibid.
Oritur vel per ſe, vel ad alios tumores qui in eum degenerant. ibid.
Diſtinguitur in occultum & ulceratum. 365. cancri mammarum quæ ſit cauſa materialis. 366.
Mammarum cancri materia eſt ſal terrâ mixtus. 366.
Quare circa cancrum fiant foveæ. 366.
Humor atrabilarius, ſi ad hæmorrhoides confluat, hæmorrhagiam facit. ſi ad crurum venas varices, ſi ad uterum ruat, perſæpe per menſes expurgatur, ſi verò intus contineatur & ad cutem feratur, Elephantiaſin inducit, ſi in parte quapiam acervetur, in cancrum abit. 366.
Mammarum cancri ab anthrace diſtinctio 366.
Mammarum cum utero conſenſus per vaſorum communionem imaginarius eſt. 366. §. 5.
Mammarum cancri occulti denominatio ambigua quæ intelligitur tam cancer non apertus, quàm in partibus intimis deliteſcens. 366. §. 7.
Mammarum cancer profundus quid ſit. ibid.
Mammarum cancri prognoſis. ibid.
Qui cancer ſit ſanabilis. ibid.
Mammarum cancri extirpationi nullus eſt locus, ſi cancer attigerit magnum aliquod vas, vel neruum. 367.
Mammarum cancro quæ debeatur curatio. 367.
Mammarum cancrum extirpare aut urere an expediat. 367.
Mammarum cancro nec emollientia nec pus moventia conveniunt. 367.
Mammarum cancrum occultum quo caſu neceſſe ſit aperire. 367.
Mammarum cancer noninveteratus frequenti cathartico curatus. 367.
Mammarum cancrum extirpare quæ diſſuadeant. 368.
Pulveris Benedicti celebris ad cancros curandos medicamenti præparatio. 368.
Modus utendi. 369.
Arſenici in curatione cancri dotes & noxa. ibid.
Mammarum cancri Cura palliativa. 369.
Mammarum magnitudo vitioſa. 371.
Mammæ augmentum & accretio naturalis qua ætate & qua occaſione ſoleat fieri. 372. dolent aliquantum puellis tempore menſtruo quo turgeſcere & ſororiari incipiunt, ibid.
Mammæ in vitis inſolitæ & indecoræ magnitudinis. 372. §. 2.
Mammarum molis auctæ incommoda. 372.
Mammam dextram ſibi extirpaſſe feruntur Amazones ad quem uſum. 372.
Quid contingat noxæ ex mammarum privatione reſpectu mulieris iu carentis. ibid.
Mammarum magnitudo ſine cauſa præter naturam indecenter aucta, unde procedit. 372.
Præternaturalis quæ ſint cauſæ. ibid.
Flatulenta alimenta, caſtaneæ, rapæ ſc. incrementi mammarum occaſionem faciunt. ibid.
An mammarum magnitudo impediat lactis proventum. 372.
Mammæ grandiores an cancro magis ſint obnoxiæ. 372. §. 7.
Mammæ quibus remediis ad mediocritatem reducantur. 372. §. 8.
Menſes moventia incrementum partium illarum impediunt. 373.
Refrigerantia & aſtringentia adhibenda ſunt mammis ut earum incrementum impediatur. 373. §. 8.
Remedia quæ lactis proventum minuunt etiam mammarum incremento obſtant. ibid.
Mammarum incrementum nimium reprimentia me-

dicamenta. 373.
*Emplaſtrum non negligendæ virtutis in eo caſu.*373.§.8.
Mammæ *leviter tractari debent & facile contuſionem patiuntur.*374.
Mammis emplaſtra *durioris conſiſtentiæ non ſunt applicanda, ſed potiùs* Cerata. 374.
Mammarum vlcera *quarè difficilis ſint curationis.*ibid.
Mammarum papillæ fiſſuræ *unde oriantur.*375.
Earum excoriatio *unde fiat.*ibid.
*Curatio iſtius affectionis.*ibid.
Eryſipelas mammarum papillæ *ut curetur.*375.
Aqua calcis *vivæ cùm* mercurio dulci *decocta hic conducit.* ibid.
Mammarum papillarum defectus. 375.
Quâ arte educendæ ſint ut infans comprehendere eas poſſit. ibid.
Mammarum papillæ *quibus cauſis deficiant & abſcedant.* 375.
Præcautio ne id fiat. ibid.
Remedia ad fiſſuras mammarum *&* ragades.375.
Mammarum papillas *ſi infans mordendo truncaverit quomodo medendum.*376.
Mammarum papillæ truncatæ *reſtituendi modus.* ibid.
Mammarum gracilitas vitioſa.376.
Cauſa. ibid. *Prognoſis.* ibid.
Curatio ſi procedat ab hectica febre *&* generali emaciatione.*ibid.*
Si procedat à nativa diſpoſitione.*ibid.*
Mammarum mollities, *&* flacciditas.376.
Cauſæ horum affectuum. ibid.
Curari hi poſſunt affectus in iunioribus. *ibid.*
Aſtringentibus *medicamentis hæc cura perficitur.*ibid.
Mammarum trichiaſis *ſeu* morbus pilaris.400.
Ejus nominis *ratio.* ibid.
Quid ſit. ibid.
An revera pilus *in* mamma *hunc* morbum *excitet.* 401.
Mammæ dolor *&* tubor *cum* febre *& capitis* dolore *per* pilum *ex* illo *egreſſum evaneſcens.*401.
Opinio eorum qui id credant fabuloſum.*ibid.*
An ille dolor *à* vermiculo *ſit cauſatus.*ibid.
An producatur à cauſa malefica *&* ſupernaturali.*ibid.*
Veſalii ſententia *talem opinionem improbans.*409.
Argumenta impoſſibilitatem *ejus* affectionis *evincentia.* ibid.
Videtur tamen non eſſe abſolutè impoſſibilis. *ibid.*
Argumenta in illam ſententiam.*ibid.*
Mammarum pilarem morbum pilus *hauſtus nequaquam efficere poteſt. Argumenta id probantia.*401.
Poteſt generari in mammis *quid* pilo *ſimile.*ibid.
Quid ſint corpora *illa pro* pilis *habita.* ibid.
Mandragora *in* arthriticis *doloribus ſedandis.* 435.
Mandragora *quid ſit.* 570.
Ejus virtutes. *ibid.*
Qualitates venenatæ. *ibid. Curatio.*ibid.
Manus Chriſti perlata. 317.
Manna *ut debeat exhiberi mulieribus gravidis.* 269.
Martis limatura *cruda eſt* emmenagogum *&* aperitivum *nobile.* 93.§.44.
Martis tinctura tartarea *ad ſanguinis* fermentationem *movendam.* 106.§.81.
Martis tinctura pomata cydoniata. *ibid.*
Martis eſſentia. 96.§.47.
Margraviana.97. §. 47. *Ad* menſes *ſiſtendos reducta in* ſirupum *cum ſaccaro.*125.§.16.
Martialium *efficacia conſiſtit in* acidi *abſorptione.*97.§.47.
Martialia *formâ ſiccâ exhibita præſtant in temperamentis* humidis, *è contra in* ſiccis *temperamentis*, humidâ *formâ exhibenda ſunt.*97.§.51.
Martiales *variæ præparationes.* ibid.
Martialia *in curatione* obſtructionum *& præſertim in* menſtruis ſuppreſſis *primas tenent.* 106.§.81.
Martis *variæ præparationes ad* fluxum *immodicum compeſcendum.* 124.§. 15.
Martialia *inſigniter* ſanguinem *roborant.*125.§.21.
Martialia *ad* Chloroſin.179.§.58.
Martialia apex *aperientium dicuntur.* 173.§.58.
Martis crocus niger vitriolatus ſaccarinus. 173.
Marrubium album *ad* menſtruas *purgationes.*99.§.56.
Margaritæ *non* perforatæ *ad* vomitum.*gravidarum.*251.
*Contra abortum.*283.
Maſticatoria *quem uſum habeant in* lue venerea.495.
Maſtiche *ad* tumorem *ventris poſt* partum *perſeverantem.*347.
Maſtiche *ad præcavendum* abortum. 283.
Mater perlarum *præparata, eſt* abſorbens *in affectibus* Hyſtericis. 191.§.46.
Mater *in generatione quid conferat.*220.
Matricaria *ad* vteri *ſuffocationem.* 195.§.63.
Ad partum *facilitandum.*308.
Matrices *duæ in una* muliere. 211.§.1.
Matrix *cur ita dicatur.*50.
Matrix mulæ ſterilitatem *inducit.*222.§.26.
Matrix leporis *ad præcavendum* abortum. 283.
Medicamenta *provocantia* menſtrua *vitanda ſunt in* ulcere uteri.70.§.11.
Medicus *non culpandus eſt ſi aliquando in* incertorum *&* rarorum *diagnoſi* erraverit. 73. §.13.
Mechoacanna *ad purgandas ſeroſitates in lacte tenuiorē.* 399.
Medullæ cervi *&* vituli *ad* Arthriticos dolores.465.
Medulla caſſiæ *ad dolores* arthriticos.434.
Medullæ panis *cataplaſma ad dolores* arthriticorum. 434.
Melancholia *a b* vtero. 174.§.59.
Melanthii *ſemen ad ſuffitum in* paroxyſmo hyſterico. 193.§.52.
Mel roſatum *ad* ulcera uteri. 15.
Ad rhagades papillarum mammarum.375.
Melongena *quid.* 10.§.12.
Meliſſa *&* aqua *ejus ad* convulſiones hyſtericas *puerperarum.*348.
Mellis *cataplaſma ad reſolvendum lac præter neceſſitatem in* mammis *affluens cum foliis* braſſicæ *applicatum.* 356.
Mel *ad abundantiam* lactis *faciendam.* 384.
Meſpili *cataplaſma ad reprimendum incrementum* mammarum.373.
Melancholiæ *ab utero definitio.* 209. §.20.
*Annumerari poteſt affectiom Hypochondriacæ.*ibid.
*Symptomata utrique affectui communia.*ibid.
Melancholia *hyſterica à Melancholia communi qua diſtinguatur.* 209. §. 20.
Melancholia *hyſterica cui mulierum conditioni, ætati & conſtitutioni magis ſit infeſta.* 209.§. 21.
Melancholia *ab utero differt à ſeipſa ſecundùm gradus.* 209.§.22.23.
Melancholia *hyſterica ſigna.* 210.§.23.
Melancholiæ *ab utero cauſa.* 210. §.25.
Secundùm Primiroſium producitur à vapore retentorum. p. n.
*Menſtruorum, quorum ſubſtantia in melancholicum excrementum faceſcit.*ibid.
Melancholicus ille humor in ſubſtantia quandoque in cerebrum *& alias partes per arterias irrumpit.* 210. §. 25.
*Williſii ſententia de cauſa melancholiæ hyſtericæ.*ibid.
Melancholia *hyſterica fit ab aſſatione ſanguinis in uteri venis, unde hæc affectio in principio calida eſt, licet tractu temporis frigidam diſpoſitionem invehat.* 210. §. 27.
Pulſatio vehemens arteriarum dorſalium in melancholia

cholia hyſterica contingens, unde procedat. 210. §.28.
Fut utrum delirium portendit.ibid.
Melancholiæ hyſtericæ Prognoſis.210. §.28.
Per ſe periculoſus non eſt affectus.ibid.
Difficilis tamen eſt curationis. ibid.
Metus eſt ne fiat aneuriſma. ibid.
Melancholiæ hyſtericæ curatio. 210.§.29.
Hujus affectionis curationi potiſſimum conducit idonea victus ratio. ibid.
Juſcula quibus uti debet. ibid.
Alimenta & potio in hac diſpoſitione conducentia. ibid.
Animi pathemata quibus ſe cuſtodire debet.ibid.
Medicamenta conveniunt cum curatione affectionis Hypochondriacæ.210.§.29.
Obſervando ut reſpectus habeatur uteri & menſium, ſi fuerint ſuppreſſi. ibid.
Somni provocatio in hoc pathemate magni eſt momenti. ibid.
Quibus provocari debeat. ibid.
Lotiones pedum, fotus capitis, Balnea aquæ dulcis non parùm conferunt. 210. §. 29.
Venæ ſectio ubi & quando fieri debeat.210. §.30.
Purgatio per emmenagoga qua lege perficienda. 210. §. 32.
Membrana uteri oſtium claudens hymen vocata, quando reperitur eſt præternaturalis. 6. §. 27.
Menſtruis fluentibus flatis periodis aſtringentia non adhibenda ad curandum prolapſum uteri & quare. 59. §. 47.
Menſtruorum inordinata vacuatio ab uteri debilitate procedens. 75. §.1.
Menſium ſuppreſſio.80.
Ejus ſigna. ibid.
Quomodo diſtinguitur à graviditate. ibid.
Menſium muliebrium utilitas.80. §.1.
Menſtruæ purgationis periodus fit à motu Archei uteri & remotiùs ab influxu lunari.80.§.1.81.§.1.82.§.4.
Menſium loco in maribus fiunt pollutiones nocturnæ.ib.
Menſtrua purgatio non competit alteri animali immò neque ſimius ſive Cynocæphalo. 80.§.1.
Menſtrua purgatio aliquandò viris contingit idque per penem etſi raro obſervetur. 80.§.1.
Menſtruæ purgationis loco viris familiaris eſt menſtrua hæmorroidum apertio. 87. §.1.
Menſtrua purgatio repetit exactè poſt ſeptimanas quatuor, ea lege tamen ut aliquando uno aut altero die anticipare vel remorari queat. 81. §.1.
Menſtruationum intermedio tempore aliquando fit ut mulieres hæmorroidas patiantur, ſed raro.81.§.1.
Menſtruorum putrefactio ulcera uteri cauſatur. 68. §.11.
Menſtrua ut plurimum incipiunt circa annum ætatis. XIV. deſinunt. XLIX. 8.§. 1.
Menſtruorum cauſa ſecundum Neotericos eſt fermentum, tum uteri, tum aliorum viſcerum. 81. §.1.
Argumenta quibus illud evincunt. ibid.
Menſtruorum fermenti vitium Chloroſim inducit.81.§.1.
Menſtruorum fermenti utilitas in volatiliſanda maſſa ſanguinea. ibid.
Menſtruorum tempore accedente, mulieres fiunt ſalaciores.82.§.1.
Menſtrualis fermenti generatio.ibid.
Menſtruus fluxus quot modis lædatur.82.§.2.
Menſtruus fluxus contingit quibuſdam bis vel ter in menſe. ibid.
Menſtrui fluxus terminus eſt trium vel quatuor dierum. 82.§.2.
Menſtrua purgatio quandoque prodit per vias inſuetas, ut os & nares. 82. §. 2. 104. §.75. 109. §.95.
Mnſtrui fluxus periodici vera & ad æquam cauſa eſt ſanguinis fermentatio.83.§.4.
Menſtrua per quas vias fluant in gravidis. 83.§.4.
Menſtruus ſanguis per quæ vaſa naturaliter effluat. 84. §.5.104.§.75.
Menſtruus fluxus ut fiat quæ requirantur.ibid.
Menſtruorum ſuppreſſio à quibus cauſis pendeat.84. §.5.
Menſtrua purgatio deficit, vel culpa orgaſmi, vel viarum interclusarum. 104.§.75.
Menſtruorum defectum in quibuſdam puellis, quæ conformatio pariat. 85.§.8.
Menſtrua in imperforatis coacervantur in collo uteri, externo, ut & in iis quibus carunculæ myrtiformes coaluerunt.85.§. 8.
Menſtrua quandoque in nonnullis puellis naturaliter tardiùs erumpunt, eius cauſa. 85. §. 8.
Menſtruorum in feminis retardatio quos pariat effectus ibid.
Menſtrua ſæpe non fluunt ob plenitudinem ad vaſa. Ejus cauſa. 85.§.9.
Menſes gravidis plethoricis ſolent fluere, imò fluant, abortus metuendus, & ideo plethora V.S minuenda. 85 §.10.
Menſibus non fluentibus in muliere graviditatis ſuſpecta, Emmenagoga non offerenda ſunt.ibid.
Menſtruis ſuppreſſis, dubia graviditate unicè proſunt martialia & aperientia moderata, è quibus nihil ſiniſtri eſt metuendum. 85.§ 10.
Menſtruorum retentio in graviditate ab ea quæ fit contra naturam quibus ſignis internoſcatur. ibid.
Menſes moventia & deobſtruentia medicamenta. 87.§.9. uſque ad.96. in uſu menſes moventium quæ veniunt obſervanda. ibid.
Menſes moventia aptiſſimè dantur forma pilulari.92.§.41.
Menſes moventia medicamenta & lochia promoventia, ſunt ea quæ ſanguinis tonum reſtituunt.93.§.44.
Menſtrui ſanguinis lotura, maculæ imperialis magnitudinis, inſciis propinata obſtructiones contumaciſſimà intra paucas horas ſolvit 94.§.45.
Menſes moventium medicamentorum ſeries & enumeratio.93.§.44.
in Menſes moventium medicamentorum uſu obſervationes plures magni momenti.100.§.62.
in Menſes moventium uſu quis ordo obſervandus.101.§.62. 102.§.64.
Menſibus in ciendis medicus attendere debet circonſtantiæ temporis qua priùs fluere ſolebant. 101.§ 62.
Menſe ſingulo ſufficit per octiduum remedia ad ſuppreſſionem offerre. 101. §.62.
Menſes moventia cum roborantibus viſcera ſunt interpolanda nec inſiſtendum illorum uſui, præter modum. 102.§.64.
Menſes moventia non debent exhiberi, niſi priùs purgato corpore, quo argumento.102.§ 66.67.
Menſium per loca incongrua fluentium curatio.108.§.89.
Menſtrua fluentia in ætate ſenili.108.§.88.
Menſtrua naturaliter ceſſantia in iuvenili ætate. ibid.
Menſtrua fluentia cum diſpoſitione juvenili in muliere. LXXVI. annum ætatis agente, per applicationem cauſtici, femori.ibid.
Menſtruis deficientibus ob ſanguinis inopiam ſuperſedendum emmenagogis & incumbendum ſanguinis productioni. 109.notâ. a
Menſes per podicem fluentes. 111.
Menſtruorum imminutionis cauſa & curatio.112.
Menſium decoloratio quid.116.ſigna, ibid. cauſæ.ibid. curatio. ibid.
Menſium decoloratio, vel quando ſanguis vitium contrahit, vel quando menſes albeſcunt.116.
Menſium decoloratio à ſanguinis vitio procedens, fit ob partis alicuius principalis intemperiem, ut & per miſtionem Heterogeneorum, partibus non ſeparantibus excrementa.116.

Curatio iſtius diſpoſitionis variat pro natura cauſarum. ibid.
Menſtrua albedine colorantur à pituita vel à pure. 116.
Menſtrua purulenta ſi in octo dierum termino non evacuentur, ulcera in utero excitant, unde ſterilitas. 116.
Aut abſceſſum faciunt juxta Hypochondria. ibid.
Menſes decolores ſæpè ob bilis admiſtionem ad flavedinem vel viriditatem tendunt. 116.
Quandoque lividi ſunt per humoris melancholici admiſtionem. ibid.
Menſtrua raro in utero purulenta evadunt, niſi adſit ulcus uteri. 117. §. 8.
Menſtrui color meliùs patet ſi excipiantur linteo vel arena & exſiccari permittantur. 117. §. 9.
Menſtrua decolora non regulariter ordinem ſervant, ſed anticipant aut remorantur. 117. §. 9.
Menſtrua decolora temporis progreſſu febrim horrificam excitant cum aliis pernitioſis ſymptomatis. 117. §. 9.
Menſtrua decolora inter graves & curatu difficiles morbos recenſentur. 117. §. 11.
Menſtrua decolora ſterilitatem inducunt. ibid.
Menſtrua ſuppurata periculoſiſſima ſunt, ſpes tamen curationis adeſt, ſi per pudenda pus evacuetur. 117. §. 11.
Menſium fluxus inordinatus, quid. 117.
Anticipant vel remorantur. ibid.
Cauſæ externæ anticipationis. 118.
Cauſa interna. ibidem.
Irritatur expultrix, copiâ humoris acredine & tenuitate ejuſdem, imbecillitate retentricis & proprio robore. 117.
Menſium fluxus inordinati prognoſis. 117. §. 2.
Menſibus ob ſanguinis copiam extra ordinem fluentibus, in ipſo fluxu vena eſt aperienda. 118.
Menſium fluxus inordinati cauſarum Signa. 118. §. 6.
Menſium inordinatorum Curatio. 118. §. 7. & 10.
Menſium retardationis cauſæ. 119. §. 12.
Prognoſis. 118. §. 14.
Sanguinis craſſities eſt potiſſima cauſa retardationis menſium. 118. §. 16.
Curatio iſtius affectus. ibid.
Menſtruus fluxus brevius durans. 119.
Cauſa iſtius affectus. ibid. & 120.
Menſtrua ſiſtunt terror inopinatus & mœror. 119.
Menſtrua ſi ob terrorem incuſſum ſupprimantur, venæ ſectio ſuccurrit & quare. 119.
Menſtruis ob mœſtitiam aut ſubitum terrorem ſubſidentibus vinum generoſum offertur utiliter & quare. ibid.
Menſtrui fluxus brevioris curatio. 119. & 120.
A terrore & mœſtitia ſanguis in corde coagulatur. 120.
Menſtrui fluxus naturali brevioris, ſanguinis coagulatio eſt frequentiſſima cauſa. 120.
Menſes producti ultra tempus naturaliter ſtatutum. 120.
Menſium fluxus exorbitans, ſive copia ſive longitudine, propriùs vocatur nomine Hæmorrhagiæ hyſtericæ. 120.
Menſes fluentes inordinatè eſt extra præſcriptam à natura regulam. ibid.
Talis fluxus ſæpè eſt longæ durationis, etſi diligenter curetur. 120.
Noxæ & incommoda menſium inordinatè fluentium. ibid.
Obſervationes variæ ſimilium fluxuum. 120.
Curandi hanc affectionem methodus & indicationes. 120.
Menſtruorum fluxus copioſior & naturam lædens. 120.
Signa ejus. ibid. cauſæ. ibid.
Menſtruus fluxus excedens & naturam exhauriens, fit vel ob id quod copioſiùs effluunt ſanguis, vel quod frequentiùs quàm par eſt, vel quod diutiùs duret. 121. §. 1.
Menſtrui ſanguinis excretio excedit quando ſuperat heminas duas vel potiùs, quando viribus eſt impar. 121. §. 1.
Menſtrua non ſunt excrementa inutilia, ſed à natura in certos fines nempe fœtus nutritionem deſtinata. ibid.
Menſtrua non æquali menſura omnibus prodeunt. 121. §. 4.
In indicationibus à menſtruorum fluxu ſumendis, non ſolum attendendum eſt ad quantitatem excretionis, ſed maxima eſt habenda ratio Euphoriæ vel dyſphoriæ. 121. §. 4.
Menſtrua nimia ſunt & evacuatio excedens, ſi inducat virium imbecillitatem & alia ſymptomata immodici fluxus. 121. §. 4.
Menſtruus fluxus immodicus eſt, ſive confertim largaque manu profundatur ſive diu nimis perſeverèt etſi ſtillatim procederet. ibid.
Menſtruus fluxus ab alio uteri profluvio ſanguineo differt, quod illi, à natura definitum ſit tempus; hic verò nullas habeat ſignatas periodos. Vel quod illis feminis etiam contingat quæ menſtrua pati ob ætatem vel alias cauſas non conſueverunt. 121.
Menſium nimia eruptio fit vel ſanguinis vel uteri, vel vaſorum vitio. 125. §. 5.
Menſtrui profluvii ſecundum Galenum unica cauſa eſt apertio vaſorum ſive anaſtomoſis à tenuitate ſanguinis procedens. 121. §. 5.
Sententiam illam fulcientia argumenta. ibid.
Et refutatio oppoſitorum.
Menſtruus fluxus copioſior non omnis ſemper eſt contra naturam. 121. §. 6.
Menſtrui fluxus excedentis & naturæ moleſti, ſigna & ſymptomata quæ indicant eum non eſſe Criticum, ibid.
Menſtruus fluxus copioſior ut differat à profluvio muliebri. 121. §. 8.
Nota præcipua eſt quod in evacuatione Menſtrua Sanguis præ aliis humoribus abundet, in profluvio non item. 121.
Menſtrui fluxus excedentis cauſarum ſeries & enumeratio. 121. §. 8.
Menſtruo fluxui excedenti & morboſo magis obnoxiæ ſunt fœminæ juniores. 121. §. 8.
Menſtruum fluxum concubitus proritat quanquam obſervatum fuerit, huic morbo obnoxiam mulierem per viri conſortium fuiſſe curatam. 121. §. 8.
Ex immodica ſternutatione mulier in periculoſum ſanguinis fluxum incidit. 122. §. 6.
Sanguinis triplex vitium ad nimium menſium fluxum diſponens. §. 9.
Menſtruus fluxus & à fundo uteri & à cervice & ab utroque procedit. §. 10.
Menſtruus ſanguis potius fluit per arterias quam per venas. ibid.
Diuturnior menſium fluxus curatu difficilis eſt. 122.
Ejuſdem morbi ſymptomata. ibid.
Curatio vix ſperanda in muliere ſana. 122.
Si à mala uteri diſpoſitione oriatur, Si ora vaſorum

ſorum *occalluerunt.* ibidem.
Menſtrui fluxus excedentis *indicationes curativa.* ibid.
Cautiones in cura *obſervanda.* ibid.
Menſtruum fluxum *nimium ſedantia medicamenta.* 123.
Menſtruorum fluxus *nimius in* ſeneſcente *ferè incurabilis & lætalis eſt.* 123. §. 11.
Menſtruæ vacuationes *etſi videantur aliquantum excedere non cohibenda, modò grandia ſymptomata non minentur.* 123. §. 12.
Nimium fluentibus menſibus & *iis* ſuppreſſis *utrinque metuendus eſt* Hydrops. §. 13.
Morbi conſequentes ad nimium menſium fluxum. 123. §. 13.
Menſium fluxus *eſt aliquando* Criticus & *ægrotantes* acuto *morbo liberat & tunc nequaquam eſt cohibendus.* ibid.
Methodus curandi fluxum immodicum. 123. §. 15. & 124. §. *eodem.*
Menſium fluxus *in gravida curandus* deplentibus *ut S. M.* & roborantibus, *non verò* traumaticis & martialibus. 124. §. 15.
Menſium fluxus *immodicus non ſubitò reprimendus, prǽſertim in plethorica, metu* refluxus *in partem* nobilem. *ibid.*
In menſium fluxu *immodico acidis* feruor *ſanguinis extinguendus.* ibid.
Purgatio *per epicraſim bis in ſeptimana adminiſtranda.* ibid.
Vomitus *etiam blanda operationis frequenter iteratus.* ibid.
Narcotica *urgente neceſſitate* menſium fluxui *conveniunt.* ibid.
Materia medica in menſtruorum fluxus *nimii curatione.* ibid.
In menſtruis nimiis *ſedato* fluxu *prophylaxi incumbendum.* §. 16.
Medicamenta diaphoretica & diuretica *minus ex uſu ſunt, illa tamen uſurpari poſſunt, ſed temperata, ſi* ſerum *abundet.* §. 17.
Menſes ſiſtentia *duorum ſunt generum*, refrigerantia *quæ* orgaſmum *ſanguinis refrænant*, & obſtruentia. 125. §. 18.
Menſes incraſſantium *Sylva.* ibid.
Menſes *ſiſtunt* aperientia *licet* impropriè & *per accidens.* 125. §. 19.
In menſium fluxu *immodico uſui* aſtringentium *non eſt pertinaciter inſiſtendum, quia obſtructiones augent.* 125. §. 20.
Cautio circa topica *aſtringentia.* 126. §. 24.
Menſes ſiſtentia *medicamenta* externa. 130. §. 39.
Menſtrui ſanguinis *mira* malignitas. 132. §. 48.
Exempla ejus. ibidem.
Oppoſita ſententia, Menſtrua *carere* malignitate, *rationes hujus ſententiæ.* ibid.
Quid in hos diſſenſu ſtatuendum. ibid.
Menſes vitioſi decolores, fœtidi, purulenti, acres. 138.
Cauſa mutationis coloris in menſtruo. *ibid.*
Ater *fit ab humore* acido *ſanguini immiſto.* ibid.
Flavus *fit non à bile, ſed à* ſero *hujus coloris admiſto.* ibid.
Flavedo illa *à* ſale *ſui generis oritur, hinc* ſerum *illud eſt* ſalſum. *ibid.*
Flavedo *illa non ſemper eſt comitata* calore. *ibidem.*
Menſtruus ſanguis pallidus *eſt quando multo diluitur* ſero. 138.
Cauſa ſeri *abundantis. ibidem.*
Inde producitur Hydrops. *ibidem.*
Aquoſior *fit* ſanguis *poſt* hæmorrhagiam *grandem & quare.* ibid.
Menſes fœtidi. 138.
Naturaliter conſtituti non fætent. *ibid.*
Sanguis *vix ullus* fæter, *niſi quando corruptus procedit ex* utero. *Specialis eſt corruptio quæ* fœtorem *advehit, non.* ibid.
Ab acido coagulante *producitur, non à* ſalſo diſſolvente. *ibid.*
Cauſa illius fœtoris vera. 139.
reſidet in utero, nec toti *maſſæ* ſanguineæ *communicatur.* ibid.
Alba menſtrua & fœtentia *contingunt mulieribus* triſtibus. 139.
Acidum *hærens in* utero *ſanguinem allabentem corrumpit & è materia diſpoſita*, menſtrua alba & fœtentia *excitat.* ibid.
Menſes albi *prorumpunt frequenter ceſſantibus ſanguineis.* ibid.
Menſes *p. n.* Calentes. 139.
Diagnoſis iſtius affectus. ibid. *Cauſa.* ibid.
An incaleſcant ab efferveſcentia calida *an* frigida. *ibidem.*
Duplex *efferveſcentia ex* duplici acredine. *ibid.*
Curatio differens pro differentia cauſa. ibid.
Solutio problematis. 140.
Menſes purulenti. 140.
Cauſa purulentorum menſtruorum *eſt* apoſtema *in* utero. *ibid.*
Corruptio ſanguinis *in* uterum *effuſi* apoſtematis *cauſa.* ibid.
In menſibus purulentis *ſemper* uterus *malè habet, ſive ob* ulcus ſuperficiarium *ſive* profundum. ibid.
Sanies *à* pure *differt ſecundum* magis & minus, *corruptior eſt* ſanies. *ibid.*
Curatio prædictorum affectuum. ibid.
Pendet à temperatione acidi. *ibid.*
Aſtringentia terrea *ut* creta *in acri* acido *medentur non item* auſtero. ibid.
Auſteri *correctio fit per* ſalia volatilia. *ibid.*
Si educendi ſunt humores acres & tenaces, violentia ſolutiva *non* proſunt, *ſed* irritant. *ibid.*
Humores acidi menſtruum *corrumpentes quomodo medicandi.* ibid.
Flavedinem menſtruorum *curantia.* 140.
Eorum pallorem *curantia.* ibid.
Eorum fœtorem *curantia.* ibid.
Præcautio contra futurum fœtorem menſtruorum. ibidem.
Curatio menſtruorum purulentorum. *ibid.*
Univerſalis curatio cunctos hos affectus *reſpiciens.* 141.
Caſus in praxi perpendendi circa menſtruorum *cum morbis complicationem.* 141.
Si menſes *immineant parum ante vel jam, incipiente* morbo. 141.
Solutio problematis. ibidem.
Si debitum tempus menſes *in* morbis *antevertant. Solutio.* ibid.
Si menſes *ſtata* periodo *fluant & cum aliquo ex morbi temporibus coincidant. Solutio.* 142.
Si mulier *cui* ſuppreſſa *ſunt* menſtrua *in* morbum *incidat reſponſio.* ibid.
Si remora menſtruorum *morbum augeat. Solutio iſtius quæſtionis.* 143.
Si durante morbo, menſes *ſtillatim fluxerint. Solutio.* ibid.
Mercuriis ſublimat. *uſus in medicina.* 561.
Mercurii ſublimatii *eſt omnium* venenorum *perniinoſiſſimum & immedicabile.* 561. § 28.

Quomodo talem acquirat qualitatem. 562.
Mercurius dulcis *qua ratione utile ſit in* Chloroſi. 171. §. 52.
Mercurius dulcis *phlegma* Glutinoſum & ſeroſum *efficaciùs liquat quàm alıud medicamentum.* 171. §. 52.
Mercurius vitæ *ad* fœtum *mortuum expellendum.* 349.
Cautiones. ibidem.
Meretrices *quare ex multiplici concubitu non concipiant.* 220. §. 18.
Mercurialis *uſus ad* alvum liberam *tenendam in* conſtipatione *gravidarum.* 263.
Ad fœtum mortuum *exturbandum.* 349.
In ſuffocatione uteri. 191.
Mercurialia *medicamenta non debent per os ingeri à mulieribus* gravidis. 266.
Mercurius vitæ *ad* partum *provocandum.* 308.
Mercurius corporum *quid ſit.* 558. §. 25.
Philoſophorum *quid.* ibid. *Vulgi.* ibid.
Mercurius corporum *non inducit* ſalivationem. 558.
Mercurius *quas* noxas *afferat.* 559.
Antimonium diaphor. *& ejus* Antid. 559.
Mercurii uſus *in* vermibus necandis. 559.
Mercurii fumus *ut noceat.* 559.
Remedia. ibidem.
Ex Mercurio *pulſibus applicato* mors. 560.
Mercurii ſublimati deleteriæ *facultates.* 560.
Curatio eſt inſperanda, niſi brevi poſt venenum aſſumptum. ibid.
Medicamenta. *ibidem.*
Mercurius dulcis *in* luë venerea. 492.
Mercuriales inunctiones, *Emplaſtra* mercurialia *ad idem.* ibid. 508. 509.
Mercurii præparatio *ad* Aurum Diaphoreticum *in Luë venerea.* 492.
Mercurius ſublimatus *ad idem.* ibid.
Mercuriales *Pilulæ ad* luëm veneream. 496.
Mercurialia *inter Chymica ſunt nobiliſſima Medicamenta ad* luëm *curandam.* 497.
Mercurialia *ad omnem* pituitam viſcidam *educendam longè aliis medicamentis præſtant.* 497.
Mercurius corroſivus *in uſum internum non eſt vocandus.* ibid.
Mercurius crudus *quales habeat vires.* 497.
Mercuriorum præcipitatorum *uſus.* ibidem.
Mercurius præcipitatus albus, flavus, *rubeus quomodo inter ſe ratione facultatis differant.* 497.
Mercurius præcipitatus *utilis eſt in* luë *venerea, ſed antea* fixatus. 498.
Mercurium *fixandi modus.* 498.
Mercurius *præcipitatus* Corallinus. 498.
Mercurialium *medicamentorum qualis debeat eſſe uſus, & quæ in eo cautiones.* ibid.
Mercurialium *uſui quando ſit temperandum in luis venereæ curatione.* 498.
Mercurius *quomodo* Pryaliſmum *excitat.* 499.
Mercurius dulcis *ad quam doſin poſſit tutò exhiberi.* 499.
Mercurii uſus *in* Lavatoriis *ad luis venereæ curationem.* 510. 511.
Mercurialium *uſus in* ulceribus, verrucis, condylomatis, bubonibus *& omnibus affectibus venereis.* 515. *& ſeq.*
Mola aquoſa graviditatem *mentiens.* 213. §. 12.
Mola flatuoſa. 31.
Mola *quomodo diſtinguatur ab intumeſcentia* uteri à ſanguine *in venis circa illum coacervato.* 21. §. 2.
Mola *quid ſit.* 233.
Ejus etymologia. ibidem. §. 1.
vocis illius varia ſignificationes. 233. §. 1.
Mola *quibus aliis vocibus & nominibus exprimatur.* ibidem.
Mola vitalis *eſt* Arpax *ſive* frater Lombardorum. 233.
Molæ *ſecundum Rulandum definitio.* ibid.
Non poteſt fieri ſine virili congreſſu. 233.
Ejus diſtinctio à tumore duriore uteri. *ibid.*
Quando generatur. ibidem.
Definitio ejus ſecundum Mauriceau. ibid.
Molæ *in* utero *exiſtentis Signa.* 234. §. 2.
Valdè ſunt fallacia. ibid.
Vix ejus cognoſcenda ante quartum gravidationis *menſem eſt copia.* ibid.
Multùm tamen intereſt in ejus diagnoſi non falli. ibid.
In geſtatione molæ *venter gravidarum æqualiùs tumet.* 234.
Molæ *præſentia in* utero *quomodo per motum diſtinguatur à vera ingravidatione.* ibid.
Lactis *defectus in gravida* molam *adeſſe indicat ut plurimùm.* ibid.
In mola mammæ *quandoque intumeſcunt, ſed lacte carent.* ibid.
Molas *gerentes diſpoſitionem morboſam præ ſe ferunt.* 234.
Symptomata quibus torquentur molas *gerentes.* ibidem.
Graviditas *ultra nonum menſem protracta cum memoratis ſymptomatis*, molam *ineſſe indubie indicant.* 234.
Mola *non eſt propriè* vita *donata.* 234. §. 2.
Quem proprium habeat motum. ibid.
A mola *aliquando obſervatus motus quaſi ineſſent* utero *multiplicia* animalia. 234.
Mola *gravidas mulieres facit pejus ſe habere quo magis adoleſcit* fœtus, *è contra legitima ſymptomata miteſcunt tertio aut quarto geſtationis menſe.* 235.
Mola *quomodo diſcernatur ab* Hydrope. 235.
Molæ *ſingulis menſibus ejecta.* 235. §. 3.
Mola *per* quinquennium *geſtata, idque non in* utero, *ſed in* vagina uterina *& circa orificium* pudendi. 235. §. 4.
Mola *quomodo à* Scyrrho uteri *diſcernatur.* 235. §. 6.
Mola lethifera *per ſeptemdecim annos durans.* 235. §. 6.
Vtero *ipſi accreſcens medicamentis non tollitur & mortis neceſſaria cauſa ſit.* ibid.
Symptomata ad molam *pertinentia.* 235. §. 7.
Molæ *cauſa.* 235. §. 8.
Ex parte Seminis. 236. *Ex parte* uteri. *ibid.*
Totius temperamenti *culpa.* ibidem.
Qua æſtate frequentiùs producatur. ibid.
Molæ *cauſæ non* naturales *ſive* externæ *&* procatarcticæ. 236.
Qua anni tempeſtate frequentiùs fieri conſueverint. ibidem.
Aſtrorum *influxus uti ſuas habeat partes in* molæ *formatione.* 236.
Cibus *&* potus *quomodo & qui molam generare ſunt apti.* ibid.
Molæ *generationis Cauſa Secundum Ariſtotelem.* 236. §. 8.
Refutatio cauſarum ab Ariſtotele aſſignatarum. ibidem.
Mola *non poteſt generari citra* viri *congreſſum & cur.* 237.
Molæ *proxima & adæquata cauſa eſt* ovum *muliebre* fœcundatum ſemine virili *per impedimenta quæpiam* Organiſari *&* animæ humanæ *idoneum domicilium fieri impeditum.* 237.
Quæ ſint illa impedimenta. ibidem.

Fœtus

Fœtus iiſdem afficiuntur affectionibus quales ſunt ex quibus matres afficiuntur. 237.
Animi pathemata, ita, triſtitia, terror & ſimilia facilè fiunt cauſæ generatæ molæ. 238.
Molam animalia nulla præter hominem concipiunt. 238.
Qua occaſione id fiat. ibid.
Bruta animalia ſæpe monſtra pariunt. ibidem.
imaginativa non carent. 238.
Mola ut plurimùm fit ob ſeminis imperfectionem. 238.
Cauſæ ſemen imperfectum efficientes. ibidem.
Mola fit etiam ob menſtruorum vitium. ibidem.
Mola an à virginibus vel viduis ſine viri congreſſu poſſit procreari. 239 §. 12.
Maſſæ carneæ, ſi quæ ab ipſis excludantur, molæ nomen non merentur. ibid.
Si maſſæ illæ vitalis aliquid habeant ſuſpectæ commercii virilis debent eſſe. ibid.
Molæ prognoſis. 239. §. 12.
Vtplurimùm Mola quatuor durat menſes. 239.
Aliquando producitur in plures annos. ibid.
Si unica ſit, magis adhæret quàm ſi plures. ibid.
Viventis molæ curatio eſt difficilior. 239.
Si perſeverarit per duodecim menſes rarò curatur. ibid.
Cur mola difficiliùs quam fœtus emittatur. 240.
Molæ curatio. 240. §. 13.
Indicationes. ibid. An ſanguinis miſſio conferat. 240. §. 13.
Chirurgicæ operationis methodus ad extrahendam molam. 240. §. 13.
Periculoſa eſt operatio. ibid. 243. §. 17.
Cur rarò ſuſcipiatur. ibid.
Non tamen eſt ita difficilis, ſi benè conſtet utero molam ineſſe. ibid.
Molæ conferentia medicamenta Pharmaceutica. 241.
Lenientia. ibidem.
Potiones ad Catharſin præparatoriæ. ibid.
Pulvis purgans. ibid. Vomitoria. 241.
Sternutatoria. ibid. Suffitus. ibidem. Peſſi. ibidem.
Roborantia. ibid.
Molam gerentium mulierum Diæta. 241.
Mola primis geſtationis menſibus vehementibus medicamentis non urgenda, ſpes eſt enim naturam tertio vel quarto menſe exturbaturam. 241.
Aqua Cinnamomi juvat naturam in exturbanda mola. 242.
In omnibus medicamentis adiicienda eſt. 243.
Molæ partum ſubſequens ſanguinis fluxus non cohibendus, niſi modum exceſſerit. 242.
Si ſit enormis quibus coërcendus. ibid.
Omnia menſes moventia ad exturbandam molam conducunt. 243. §. 16.
Mola curata recidivam præcavendi methodus. 243. §. 16.
Imprimis coitus rarior ſit & non fiat fluentibus vel inſtantibus menſtruis. ibid.
Cauſa hujus. ibid.
Molæ diverſorum generum, molles vel duræ. 243.
Quædam extremæ duritiei & tantùm non lapideæ. ibidem.
Mola in qua calculus incluſus erat. 243.
Mola capitis arietini, figuræ & magnitudinis cum dentibus multis in maxilla prominente, piloſa & urſina cute, prorſus ſine vita. 243.
Molæ forma variant, & plurimarum rerum figuram æmulantur. 243.
Vnde hæc varietas. ibid.
Et quid figuras illas materiei illi aptet. ibid. 244. §. 19.
Molæ ſunt aut ſine vita aut ejus participes, viſæque ſunt plurimæ per terram ſaltantes & motus varios exercentes. 243.
Mola aliquando eſt ſolitaria, aliquando pluribus ſociata. 243.
Molæ magnitudine variant frequenter vel tres aut quatuor libras pondo accedunt, viſa eſt viginti librarum. 243.
Mola excreta duobus menſibus ante partum bene valentis infantis. 244.
Cum partu. ibid. Et pauſò poſt partum. ibid.
Molæ per longum tempus in utero geſtata 244.
Hoc maximè contingit molæ carneæ ventoſæ. ibidem.
Mola flatuoſa ad Hydropem uterinum referenda eſt. 244. §. 19.
Mobilis & vita fruens potiùs monſtrum dici meretur quàm mola. ibid.
Varia molarum figuræ. 244. §. 19.
Mola non habet ſecundinam, neque funem umbilicalem. 244. §. 21.
Sed utero adhæreſcit. ibid.
Mola quo diutiùs in utero permanet eò durior evadit & inde fit, ut medicamentis ſit rebellior. 244.
Si primis geſtationis menſibus excludatur, vocatur vulgò falſum germen, ſi ſubſiſtat diutiùs, molæ nomine appellatur. ibid.
Falſum ſive Spurium Germen, ut plurimùm membraneum eſt, & quandoque ſemine corrupto plenum, Mola carnea eſt. 244. §. 21.
Molæ volatiles. 244. §. 21.
Molæ unde alimentum capeſſant. 244. §. 24.
Vnde augmentum capiant. ibid.
Quandoque fœtus junctæ ſunt & quandoque ſecretæ ab ipſo. 245. §. 24.
Fœtus conceptus in utero mola grandiori jam repleto, & quid inde acciderit. 245. §. 24.
Signa poſt editum infantem indicantia molam adhuc in utero ſubſiſtere. 245. §. 25.
Molæ grandioris in utero poſt partum ſubſiſtentis, molienda excluſio eò planè modo, ut ſecundina remorata extrahitur. 245. §. 25.
Monſtrum quid. 229. ejus definitio. ibid.
Secundum Rulandum. ibidem.
Secundum Licetum. 230.
Monſtri generatio ut fiat. 230.
Natura nunquam intendit monſtrorum productionem. ibid.
Ab ejus errore fit monſtri generatio. ibid.
Monſtrum vel eſt ſecundùm ſe totum monſtroſum & extra naturæ ordinem, vel ſecundùm partem quæ vel ſupereſt vel deficit vel præternaturam eſt conformata. 230.
Monſtri nomen non meretur quod non inſigniter deficit à regula naturæ. ibid.
Ad Monſtrum referri debet tranſpoſitio membrorum inſignis. 230.
Monſtrorum cauſæ. 230.
Vt Phantaſia monſtrorum poſſit eſſe cauſa. ibid.
Quid requiritur ut imaginatio fœtum producat monſtroſum. ibid.
Qua facultate imaginatio in formatione agat. ibidem.
Quibus geſtationis temporibus imaginatio in fœtum agere queat. 230.
Monſtra in defectu ſeu mutila quam habeant cauſam. 230.
In exceſſu quam? ibid.
In ſitu vitioſo partium. ibidem.
Quam cauſam agnoſcat Monſtrum quoad totum vel partem alterius ſpeciei quàm mater. 230.

An poſt conceptionem introduci poteſt monſtroſa diſpoſitio in fœtu. 231.
Monſtrorum Signa. 232.
Prognoſis & curatio. ibid. Præcautio ne monſtroſus fœtus in fœmina formetur. ibidem.
Roborantes uterum cibi. ibid.
Venæſectio & purgatio, quid & quando conducant. 232.
Mori cortex ad nimium menſium fluxum. 95. §. 45.
Morientis ſudor pavorem inducit. 231.
Morſelli ex nuce Indica ad ſterilitatem ex emaciatione. 215. §. 37.
Ex pineis ad idem. ibid.
Ex piſtaciis. 215. §. 37.
Moſchus menſes potenter movet. 95. §. 45.
Quomodo uteri ſuffocationem inducat. 190. §. 41.
In pilulis ad ſuffocationem uteri præcavendam. 200. §. 83.
Cum leporis coagulo ad fœcunditatem iuvandam. 223. §. 30.
Motus uteri ad ſuperna fit in momento & violenter, ad infra ſucceſſivè & longo tempore. 66. §. 2.
Motus uteri creditus ad ſuperna non ipſius eſt uteri, ſed teſtium aut Vaſis cæci quod eſt tuba fallopiana. 66. §. 2.
Motus convulſivi puerperarum, unde oriantur. 272.
Micæ panis cataplaſma cum lacte, ovi vitellis & oleo roſaceo ad mammas inflammatas. 356.
Millepedum decoctum in vino ad tuſſim infantium. 643. §. 8.
Pulvis ad idem & modus parandi. ibid.
Millepedes ſive aſelli in mammarum inflammatione. 356. Ad lac coagulatum diſſolvendum. 396.
Milium torrefactum ſacculo incluſum ad fovendas partes ſpaſmo flatulento correptas. 250.
Minium ex plumbo. 557.
Minium quid ſit. 557. ejus qualitates venenatæ. ibidem.
Curatio. ibid.
Mucilagines fœnigreci & ſeminis lini ad facilitandum partum. 309.
Cydoniorum tragacanthæ & gummi arabici ad Hæmorrhagiam uteri ante partum. 272.
Mulæ vulva fœcunditatem tollit. 215. §. 8.
Mulierum affectiones. j.
Mulier quædam x. annis abſque utero vixit. 68. §. 9.
Mulieres quæ habent ulcera, durante menſium tempore, ſentiunt alterationem in loco ulcerato. 82. §. 1.
Mulieres cujuſcunque ætatis menſtrua patientes indifferenter quacunque Phaſi Lunæ, ea patiuntur. 83. §. 4.
In quovis Mulierum affectu ſemper ad menſtrua eſt proſpiciendum. 88. §. 15.
Mulieres quædam ſi graviditatis tempore V. S. non inſtituatur certò abortiunt. 104. §. 75.
Mulieres quibus fluunt menſes non idcirco ſtatim non gravidæ ſunt pronuntiandæ. 109. §. 91.
Mulier lactans cui menſtrua copioſè & ordinatè fluunt, ſine diſpendio valetudinis matris & infantis. 109. §. 92.
Mulier per vomitum menſtrua excernens, accepto pharmaco aſtringente obiit. 111.
Mulier quæ fluentibus menſibus dolore afficiebatur inter umbilicum & pubem. 121. §. 6.
Mulieres ſtaturæ brevioris ad Venerem ſunt proclíviores. 206. §. 7.
Mulieres carnoſæ pinguibus, Carnoſis graciles ſunt ſalaciores. 206.
Mulieres Claudæ iis quibus hoc vitium non eſt, cæteris paribus, magis in venerem pronæ ſunt, cauſa iſtius phænomeni. 206. §. 7.
Idem dicendum de Gibboſis. ibid.
Mulieres fuſci coloris vel ex albo flaveſcentis, & villoſæ ſunt libidinoſæ. 206. §. 7.
Mulieres quam maximè ætate ſint veneris appetentes. 206. §. 7.
Mulieres quare circa menſtruationis tempus marem magis concupiſcant. 207. §. 11.
Mulieres magis diſpoſitæ ſunt in venerem æſtivo quàm hyberno tempore, contrarium accidit in maſculis. 207. §. 12.
Mulier parturiit mures loco fœtus humani. 212. §. 2.
Mulieres circa tempus ceſſationis menſtruæ liberaliorem admittunt ſanguinis miſſionem. 216. §. 15.
Mulieres an caſtrari poſſint. 220. §. 16.
Mulieres an ſemen habeant. 220.
Mulieres etiam ſemine carentes cum voluptate concumbere poſſunt. 220. §. 18.
Mulieres quæ vaſa ſeminaria habeant. 221. §. 20.
Qualis ſit ipſorum uſus. ibid.
Mulieres quæ diutiùs concubitum intermiſerunt eò certiùs concipiunt. 221.
Mulieres quæ coitum non appetunt & eo non delectantur. 222. §. 30.
Mulieres parum voluptatis in congreſſu percipientes qualis ſint conſtitutionis. 224. §. 38.
Sterilitatis ſuſpectæ ſunt. ibid.
Mulieres quæ antè annum XL. ætatis non pepererunt, poſtea non concipiunt. 228. §. 51.
Mulier prægnans aſſiſtens ſupplicio latronis, filium peperit cui oſſa fuerunt confracta. 237.
Mulieres viris crebriores & copioſiores ſuſtinent ſanguinis evacuationes. 251.
Mulſa ſi cum aqua pluvia exhibeatur gravidæ dormitum eunti, quid inde contingat. 247.
Mures aſſi ad curandam urinæ incontinentiam in pueris. 667. §. 58.
Muria in Epithemate pro mammis ad diſſolvendum lac coagulatum. 39.
Murium carnes ad Trichyaſin. 401.
Mures quale venenum gerant. 601.
Symptomata ab eorum morſu. ibid.
Curatio. ibidem.
Muſcus pruneoli ſylveſtris in aceto coctus ad flacciditatem & mollitiem mammarum. 377.
Muſculorum abdominis inflammatio. 405.
Qui muſculi crebriùs inflammentur. ibid.
Ejus affectionis ſigna diagnoſtica. ibid.
Quomodo diſtinguatur ab Epatis inflammatione. ibi.
Curatio. 405.
Muſtelæ teſticuli ſterilitatem inducunt. 222. §. 76.
Muſcus pulmonarius ſaxatilis ad Hæmorrhagiam uterinam ante partum. 272.
Myrobalani emblicæ conditæ ad vomitum gravidarum curandum. 251. §. 8.
Citrinæ, Chebulæ, Indæ ad purgandas mulieres cancro mammarum affectas. 369.
Myrthillorum oleum & pulvis pro puerperis lactare nolentibus, in embroche mammarum. 370.
Myrthus ad reprimendum augmentum mammarum nimium. 373. §. 8.
Ad incraſſandam bilem & ſanguinem tenuitate peccantes & volatilitate. 250.
Myrrha ad gravidarum Ephelidas. 264. in obſtructionibus ictericis & præcipuè in Chloroſi. 168. §. 45.
Ad fœtum mortuum eliminandum. 290.
Myrrhæ trochiſci cum aloë & borrace certò menſes provocant. 95. §. 45.
Myſi quid ſit. 10. §. 1.
Quale venenum gerat. 532.

Nauſea

N

Nauſea *infantium.* 651.
Rarò ea afficiuntur quin vomicus *ſuperveniat.* ibidem.
Cauſa ejus. 652. *Curatio.* ibid.
Naſui infantium. 674. *Cauſa.* ibidem. *Differentiæ.* ibid.
Difficulter tolluntur. 674. *Remedia.* 675.
Non ſunt incurabiles ut plures exiſtimant. ibid.
Maculæ *inter eas difficiliùs tolluntur quàm* excreſcentiæ. 675.
Napi ſemen *in* febre lactea. 331.
Narciſſi *radix ad continendum* uterum. 58. §. 26.
Narcotica *in dolore* uteri. 113.
In menſium fluxu immodico. 126. §. 25.
In furore uterino. 208. *In* vomitu *gravidarum pertinaci.* 253.
Narcotica *conceptum impediunt.* 222. §. 26.
Narcoticorum *virtutes.* 253. §. 10.
In arthritide. 415. §. 90.
Ad abortum *præcavendum in* colicis & *aliis* dolotibus *urgentibus gravidarum.* 277. §. 14.
Cur in omnibus morbis *ubi* humores *ſunt* acres & dolorifici *ſubveniant.* 428.
Narcotica ſulphure *abundant cujus vis eſt omne* acre & acidum *temperare.* 428.
Narcotica *ad* dolores *demulcendos immaniter torquentes in* uteri Cancro. 403.
Securiùs dari poſſunt in ulceribus cancroſis *quàm in ullo alio affectu & quare.* 403.
Naſturtii ſilveſtris *ſemen ad* molam & fœtum mortuum & Secundinam *remorantem excutienda.* 243. §. 15.
Aquaticum Naſturtium *ad* ramicem *ſive* Herniam *infantium.* 664.
Natta *à ſiniſtro* pudendi labio *propendens.* 403.
Nautioſis venarum *quid ſit.* 472. §. 29.
Naxia cos *ad reprimendum nimium* mammarum *incrementum.* 373.
Nepetha *ad balnea pro* mola. 243.
Nephritici *quare Hypochondriaci.* 29. §. 3.
Nephritis *infantium.* 667. *Cauſæ.* ibid.
Signa & Curatio. ibid.
Nervi *an alia habeant* vaſa *præter* Lymphatica. 403.
Nævi *in* fœtu *unde fiant.* 230. *Vide Nævi.*
Nicotianæ *folia in* Arthritide. 434. 437. §. 101.
Nigellæ *ſemen ad* molam *excutiendam.* 24[?]. §. 15.
Ad fœtum morruum *expellendum.* 349.
Ad Lac *generandum.* 382.
Nitrum *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Noctiluca fœcunditatem mulierum *extinguit.* 215. §. 2.
Nome uteri. 11. §. 31. 71. §. 12.
Nomæ & carcinomata uteri *incurabilia ſunt, niſi ſimilibus curentur, idcircò ad ea ex* Arſenico *remedia ſunt petenda.* 72. §. 12.
Novilunium menſtruis *ciendis eſt opportunum.* 101. §. 62.
Nuclei perſicorum *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Ceraſorum *ad idem.* ibid.
Nucis juglandis *flores pulveriſati ad* ſtrangulationem hyſtericam. 196. §. 66.
Nucis juglandis umbra: *qualitates noxiæ.* 572. *ſymptomata ab ipſa procedentia.* ibid. Antidotum. ibid.
Nucum *putamina in* Arthritide. 427.
Nuces cupreſſi *ad tumorem* ventris *poſt* partum *perſeverantem.* 347.
Nucis teſta butyro, meliſſa vera, & *ovi vitello repleta, cum* cruſta panis *toſta* & butyro *illitâ umbilico applicata,* & *linteis calidis tecta, remedium eſt ad* uteri *dolorem.* 74.
Nucum *aqua ad comminuendum* calculum. 58. §. 26.
Nux moſchata *ad inflationem* uteri. 34. 35. §. 17. 20.
Aſſata *cujus dimidia pars* mane *hauriatur cum vino,* & *altera pars* veſperi, *per aliquot dies continuos,* hyſtericos fluxus *bene ſiſtit.* 153. §. 41.
Ejus abuſus quomodo Chloroſin *inducat.* 166. §. 33.
Nux juglans *utrinque in via poſita qua tranſire debent novi nupti* conſummationem *matrimonii impedit.* 222. §. 27.
Nux vomica & *ejus venenum.* 572. *ejus ſymptomata & Signa.* ibid.
Curatio. 572.
Nummularia *ſicca ad* relaxationem *ſive* herniam infantium. 663. §. 36.
Nymphæ *veterum videntur eſſe* Clitoris recentiorum. 2. §. 4.
A Clitoride *nullo negotio diſtinguuntur.* 2. §. 6.
Nymphæ *quid ſint.* 403.
Earum uſus. ibid.
Excreſcentia *plerumque eſt morbus unius illarum non utriuſque.* ibid.
Nympharum excreſcentia *an* coitum *impedire valeat.* 403.
Nympharum *excreſcentia unde procedat.* 403.
Nymphæa *ad* dolores à Cancro uteri *demulcendos.* 403.
Nymphomania *quid ſit.* 205.
Nymphotomia *qualis ſit operatio.* 403.
Quem in finem celebratur. ibid.
Non fuit nympharum *exſectio, ſed* Clitoridis. 403.

O

Obſtetricum *culpa ſæpè fit* procidentia uteri. 64. §. 61.
Obſtetrices *ſæpè ut ſeſe citiùs expediant, ſollicitare ſolent & impellere ad* fœtus *excluſionem.* 276.
Quid hac methodo periculi creent puerperis. ibid.
Obſtetricum *errata periculoſa.* 276. §. 13.
Obſtetrices *imperitæ ſæpè mortem* fœtui & *ſæpè* matri *etiam cauſantur.* 277. §. 13.
Obſtetrices *ſæpe hallucinantur in doloribus* parturientium *judicando.* 277. §. 13.
Obſtetrix *non debet intempeſtivè* naturam, digito *immiſſo in* uterum *ad excluſionem* fœtus *provocare.* 290.
Obſtetricis *munus in excipiendo* fœtu. 292. 315.
Obſtetricis officium *in* primiparæ *parturitione.* 297. 298.
Quid agere debeat in vitioſis Embryonis ſitibus. ibidem.
In quem ſitum *debet* fœtum *collocare, ut fœliciter emittatur.* 298.
Obſtetrix *nihil moliri debet niſi cum* natura. 308.
Obſtetrix parturienti *Venerea Lue infecta opem ferens,* virus venereum *in* manu *ſuſcepit, unde plures* mulieres *quibus obſtetricavit, infecit.* 487. §. 20.
Obſtructio *non ſolum* uteri *ſed etiam aliorum* viſcerum *ſuppreſſionem* menſtruorum *efficere poteſt, quæ* ſuppreſſio *ſæpe degenerat in profluvium eorumdem.* 88. §. 11. 93. §. 44.
Obſtructiones *quomodo fiant.* 166. §. 35.
Obſtructio *an ſit adæquata* Chloroſeos *cauſa.* 166. §. 36.
Obſtructio venarum uteri *cujus culpâ* menſtruus ſanguis *non evacuatur* frigidum *accerſit* affectum, *ſecus quàm aliæ* obſtructiones: & *cauſa ejus.* 166. §. 36.

Obſtructiones *infantium*. 657.
Signa. ibid. *Curatio.* ibid. Chalybeata *intus ſumenda.* ibid. *remedia externa.* ibid.
Oculorum Cancri *eſſentia.* 59. §. 33.
Oculi cancri *in* Lochiis *ſuppreſſis.* 327.
Oculis *colores impoſiti, ſi* ſalivam *tingant* fœcunditatis *mulierum ſunt ſignum.* 214.
Oculi lippientes *quomodo* lippitudinem *inducant.* 539.
Odoramenta *qua ratione proſint in paroxyſmo* hyſterico & *eorum modus operandi.* 193. §. 52.
Odores gratos uterus *ſequitur*, ingratos *fugit.* 57. §. 20. 79. §. 14.
Plura ſunt corpora quæ per ſe odorem *gratum non ſpirant, incenſa verò* ſuffitum *edunt gratiſſimum.* 341.
Odores fortes literati *ferre non poſſunt & quare.* 189.
Odorifera *non ſolum afficiunt* nares, *ſed etiam* genitalia. 189.
Oedema *quid ſit.* 360.
è qua materia *fiat.* ibidem.
quas partes præcipue ſoleat afficere. ibid.
Oeſipus *ad reſolvendum tumorem* mammarum *flatulentum.* 364.
Oeſipus humanus *ad minuendum* dolorem *in tumore flatulento* mammarum. 365.
Oleander *ſive* Rhododendron *Quale ſit* venenum. 581.
Curatio. ibid.
Oleum abſynthii *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 219.
Amygd. Amararum *ad idem.* ibid.
Amygd. dulcium *ad* Hæmorrhoidas *dolentes gravidarum.* 258. §. 25.
Ad dolores poſt partum. 321.
Anethinum *ad* Spaſmum *gravidarum flatulentum.* 249.
In doloribus dorſi & lumborum *à cauſa frigida.* 256. §. 21.
Angelicæ *ad* menſes *movendos.* 173. §. 55.
Bufonis *ad emolliendas* glandulas & ſcrophulas *mammarum.* 356.
Caryophyllorum in dolore dentium frigido. 254. §. 13.
Ad menſes *movendos in* Chloroſi. 173. §. 35.
Camphoræ *ad dolorem* dentium *cujuſcunque naturæ.* 254. §. 13.
Ad Ephelidas *gravidarum.* 258. §. 25.
Caſtorei *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 249.
Ad ſuffocationem uteri. 191. §. 46.
Cerefolii *ad* ſpaſmum *gravidarum.* 249.
Ceræ *ad* papillarum *dolores in* lactatione. 325.
Chamemeli *ad* ſpaſmum *gravidarum.* 249.
Cinnamomi *ad* menſes *movendos in* Chloroſi. 173. §. 55.
Ad Molam *exturbandam.* 241. 242.
C. C. fœtidum *in ſuffocatione* uteri. 191. §. 46.
Coſtinum *in doloribus* dorſi & lumborum *à cauſa frigida.* 256. §. 21.
Croci ad ciendos menſes. 94. §. 45.
Gargatinum *illitum in ſuffocatione* uteri. 195. §. 51.
Heraclinum *contra* viperæ *morſum.* 587.
Jaſmini *ad* partum *facilitandum.* 308.
Jovis *ad ſuffocationem* hyſtericam *applicatum* umbilico & *epotum ad guttas.* iij. 191. §. 46. 193.
Oleum Irinum *ad* molam *deturbandam.* 241.
Iuniperi *ad* ſpaſmum flatulentum *gravidarum.* 249.
In torminibus *infantium.* 656.
Laurinum *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 249.
Ligni Rhodii ad Partum. 308. Liliorum alborum *ad* molam *deturbandam.* 241. Macis *ſtillatitium* *in ſuffocatione* uteri. 196. §. 63.
Magiſtrale *ad dolores poſt* partum. 321.
Majoranæ *ad* ſterilitatem *arcendam.* 223. §. 34. 226 §. 46.
Matricariæ *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 249.
Martis viride *ad* fluxum *muliebrem.* 153. §. 41.
Momordicæ *ad* partum *facilitandum.* 308.
Myrrhæ *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Naphæ *in imbecillitate* uteri. 72. §. 12.
Nympheæ *ad* hæmorrhoides *dolentes gravidarum.* 258. §. 25.
Olivarum in uteri prolapſu. 58. §. 29.
Ovorum *ad* Cancrum *uteri.* 8. §. 48.
Ad ulcera *uteri.* 14. §. 35. 70. §. 11.
Papaveris *ad* Hæmorrhoides *dolentes gravidarum.* 258. §. 25.
De Piperibus *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 249. Roſaceum *ad inungendam* ſpinam *dorſi in hæmorrhoidibus* uteri. 272. Rutaceum *ad* ſpaſmum *gravidarum.* 249. *ad* partum *difficilem ob* flatuum *diſtenſionem.* 291. *ad* menſes *movendos.* 173. §. 13.
Sabinæ *ad* menſes *movendos.* 173. §. 13.
Salviæ *in dolore dentium* frigido. 254. §. 13.
Scorpionum *ad dolores* uteri. 79. §. 13.
Succini *ad* partum *facilitandum.* 308. §. 40.
Ad ſuffocationem *uteri.* 191. §. 46.
Ad menſes *movendos in Chloroſi.* 173. §. 55.
Spicæ *ad* ſecundinam *deturbandam.* 318.
Talci *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Tartari *ad fixandum* ſulphur arſenicale *pro curatione cancri.* 369.
Oleum vini *cum tinctura* Corallorum *eſt vera panacea ad* Lochia *ſuperflua.* 326.
Olibani *pulvis cum* aceto *ad reprimendum* mammarum *incrementum nimium* 373.
Omentum *pinguius* uteri *ori incumbens illius orificium conſtringit.* 3.
Omenti compreſſione *fieri nequit* ſterilitas. 5. §. 12.
Omentum *non poteſt deſcendere ad os uteri.* 29. §. 2.
Omentum vervecis *recenter* extractum *abdomini* applicatum, ſinapiſatum *aromatis*, fœtum & matrem *in partu roborat.* 313.
Omphacium *ad reprimendum* mammarum *incrementum nimium.* 373.
Opiata *roborant & aperiens ad* Chloroſin. 172. *ad* affectum *hyſtericum.* 199. *ad* furorem *uterinum.* 208. §. 17. *Specifica ad* ſterilitatem *arcendam cum ejus deſcriptione.* 223. §. 31. *ad* Abortum *præcavendum.* 283.
Opii & narcoticorum *uſu* ſterilitas *inducitur.* 14. §. 35. 70. §. 11.
Opium *in* hæmorrhoidibus uteri & ani. 11. §. 24.
Qua cautione in hæmorrhoidibus uteri. 11. §. 24.
In urgente dolore *ab* ulcere uteri. 70. §. 11.
Ad incraſſandum ſanguinem tenuitate *peccantem.* 124. §. 18.
Opium *quid ſit.* 573.
ejus uſus ad ſternutatorium. 573. §. 20.
In Auſtria & ſtyria *venit in uſum* Cibarium. *ibid.*
Capita papaverum viridia in pediluviis & *aliis præparationibus quibus in* morbis *ſuccurrant.* 572. §. 20.
Ejus venenatæ *qualitates.* ibid.
Symptomata ab illius intempeſtivo uſu. 573.
Antidota & *curatio.* ibid.
Orificium fiſtularum *dilatant* ſpongia *intruſa, vel radix* gentianæ & *alia.* 73. §. 13.
Origanum *cum vino potum ad* veneni *per* vomitum *promovendam excluſionem.* 583. *In* Balneis *ad deturbandam* molam. 243. *in* fotibus *ad* ſpaſmum *flatulentum gravidarum.* 250.

Orvietanum

Orvietanum Electuarium ad venena.578.
Oryza cocta in iure pullæ nigræ cum plumis coctæ uſque ad carnis cum oſſibus ſeparationem, Cataplaſmatis loco adhibita, mammas inflammatas ſanat.356.
Oryzæ farina ad tumorem ventris poſt puerperium perſiſtentem. 347.
Os de corde cervi ad vomitum gravidarum.251.§.8.
Ad continendum fœtum.284.§.26.
Oſteocollæ virtus ad conſolidandas oſſium fracturas.423. §.51.
Oſtrucii radice parùm maſticata mulieres ſuffocatione uteri obnoxiæ ſæpe integrè fuerunt curatæ.196.§.63.
Ova corrupta uteri repoſitioni conducunt.57.§.20.59.§.31.
Ovi vitellus cum aqua Roſarum conquaſſatus per XV. dies mane epotus fluorem album & gonorrhœam curat.154.§.41. 130.
Ovum vetus conquaſſatum & ventri cum linteo applicatum uteri ſuffocationem curat.197.§.73.
Ova recentia & tremula comeſta veneris appetitum augent.207.§.12.
Ova animalium viviparorum qualia ſint.217.§.16.
Deteguntur in diſſectione anatomica tantum poſt coitum, quo tempore comparent unum vel pluria pro numero fœtuum conceptorum. ibid.
Colore variant in diverſis animalibus.317.§.16.
Ovorum muliebrium conformatio.217.
Quomodo ex illorum operculis fiant membranæ fœtum involuentes. ibid.
Quare animalium oviparorum ova putamine craſſo indigent, viviparorum non ita. ibid.
Ova in omni animantium genere procreantur. 217.
Ova unde generentur in femellis viviparis. Qua via ab Ovario ad uterum perveniant. 217.§.16.
An in mulieribus viro non utentibus in ætatis maturitate excludantur quandoque ſubventanea, ut fit ab animalibus oviparis. 219.
Ova ſubventanea à mulieribus excluſa, cur non percipiantur. 219.
Ova per partum enixa.219.
Ova in tubis uteri Fallopianis excluſa & Embryo in iis poſt obitum & ſectionem repertus.220.
Ova quorumcumque animalium quomodo fœcunda efficiantur. 228.
Ovorum proceſſus in teſtibus, tubis & utero ut ex iis fœtus enaſcatur. 228.
Ova oviparorum ut differunt ab ovis viviparorum.229.
Ova ſorbilia exhiberi debent gravidis hæmorrhagia uterina laborantibus. 271.
Ovi vitellus cum vino rubro exhibitus egregiè ſubvenit in puerperarum excedente lochiorum fluxu.326.
Ovorum albumina conquaſſata cum oleo Hyperici & myrtillorum ad conſolidandas partes quæ in partu ſunt paſſa.346.
Ovorum Perdicis putamen pro Emplaſtro componendo, Lac repellens & mammas reprimens.313.
Idem ad pendulas & rugoſas mammas.377.
Ova multam materiam lacti præbent.382.
Ova tria cum croco unguenti modo applicata ad redundantiam lactis minuendam.394.
Ovillus caſeus ad Arthriticorum dolores.433.

P

Παιδαφθεγχάκη quid ſit. 373.
Pœoniæ radix ad lochiorum ſuppreſſionem.329.
Pœonia & ejus aqua ad convulſiones puerperarum. 345.
Ejus radices in uteri ſuffocatione.191.§.46.
Palpitatio cordis gravidarum. 254.256.§.18.
Palpitationes ab utero.174.§.59. Remedia. ibid.
Pancreaticus ſuccus auſterior eſt cauſa nauſeæ. 252.
Pancreaticus ſuccus in melancholicis auſterior eſt, in hilaribus blandior minuſque auſterus. 252.
Panis mica liquoribus ſpirituoſis imbuta ventriculo appoſita ad compeſcendum vomitum. 253.
Panis calens è furno extractus oleo rutaceo & ſpiritu Thereb. imbutus, umbilico applicatus ad ſuffocationem Hyſtericam.197.§.73.
Panis azymus venerem ſtimulat.207.§.2.
Panis teſſula vino madida, inſperſa cinnamomo, cordi admovenda ad reparandas vires à ſanguinis eductione exhauſtas. 271.
Papaveris rheades tinctura in rheumatiſmo. 477.
Papaver ad dolores à cancro uteri mitigandos. 403.
Papiliones vorati qualia inducant ſymptomata. 602.
Remedia. ibid.
Papyri accenſi odor ut conferat in affectione hyſterica. 191. §. 46.
Papyrus cærulea melle virgineo illita ad diſcutiendum tumorem mammarum inflammatorium.357.
Paratrimmata ſive Intertrigines infantium.668.§.61.
Quæ loca ſoleant obſidere. ibid.
Eorum definitio. ibid. Cauſa. ibid.
Quomodo accidant infantibus nutricum culpâ. ibid.
Quare lintea in quibus minxerunt infantes non lota, ſed ad ſolem vel alibi exſiccata hunc affectum producant. ibid.
Eorum prognoſis. 668. Curatio. ibid.
externa remedia ad Intertrigines. 668.§.63.
Interna ibid. Purgatio.669.
Paralyſis infantium. 641.
Eius cauſa. ibid. prognoſis. ibid. Curatio. 641.
Paracelſi corallatum ad ulcus exedens in lue venerea 493.
Paregorica remedia quid ſint & an in Rheumatiſmo toto morbi decurſu debeant offerri. 474.
Parietaria in decoctis ad fotum & injectiones in urinæ incontinentia & ſuppreſſione in gravidis. 262. §.34.
Parietaria collo appenſa ad abortum præcavendum. 284.
Parotides infantium quid ſint.641.
Partus laborioſus & cum vehementi conatu ſæpe procidentiæ uteri cauſa fit.64. §.61.62.
de Partu fides mulieribus eſt deneganda.43.§.7.
Partus vitioſus. 212.§.2.
Partus humani loco tempore & termino naturalis partus excluſum ovum. 212. §.2.
Partus legitimo tempore varia animalia enixa alterius ſpeciei.212.§.2.
Partus octimeſtris an vitalis ſit. 273.§.71.
Argumenta negantium. ibid.
Eorum ſolutio. ibid.
Argumenta affirmantium irrefragabilia. ibid.
Partum naturalem comitantia ſymptomata. 276.§. 13. 278.
Partus præternaturalis aliquando minùs eſt dolorificus quàm naturalis.278.
Parturientium veri dolores quomodo dignoſcendi. 278.
Parturientium ſymptomata.270.
Hæmorrhagia uteri intempeſtiva ante partum, quid differat à purgatione menſtrua. ibid.
Signa Hæmorrhagiæ uteri. 271.
Si primis geſtationis menſibus ingruat, inducitur à præſente mola. ibid.
Cauſa iſtius Hemorrhagiæ quocunque tempore contingat in legitima graviditate. ibid.
Non ante, deſinit quàm mulier pepererit, ſi ſecundina avulſa fuerit. 271.§.1.

Quare fluor ceſſat poſt partum tota prorſus evacuata ſecundina, quod fieri nequit ſi eadem ſecundina tantùm ex parte ab vtero ſit ſeparata. ibid.
Partus neceſſario promovendus vbi talis apparet Hæmorrhagia.271.
Partum promovendi modus.271.
Proceſſus à Chirurgo obſervandus in ea operatione. ibid.
Chirurgus in extrahendo fœtu ſemper debet pedes perquirere & ita fœtum educere. 371.
Quas cautiones obſervare debet. ibid.
Si diligenter & induſtriè operetur, citò ſanguinis fluxus & omnia ſymptomata ſedabuntur. ibid.
Debilitas ingens poſt talem ſanguinis fluxum quomodo reparanda, ut par eſſe poſſit perferendis partus laboribus.271.
Iuſculum reſtaurans. ibid.
Vena in brachio ſecanda ad diverſionem.271. qua cautione id peragi debet. ibid.
lintea oxycrato imbuta dorſo & lumborum regioni admovenda. ibid.
Partum præcedens ſanguinis fluxus diuturnus & chronicus quas habeat cauſas. 272.
Si à plethora accidat, naturam exonerat, ſed cum metu abortus. ibid.
Tunc vena liberiùs ſecanda. ibid.
Remediis aſtringentibus non vtendum eſt & quare. 272.
Si ab acredine ſanguinis fiat, quibus remediis vtendum ſit. ibid.
Remedia ſi placenta ab vtero ſecedit. 272.
Partui quantùm conferat fœtus robuſtus.286.
Partui exequendo quæ partes corporis operentur. ibid.
Partus terminus perfectè naturalis eſt finis noni menſis. 286. menſes illi novem intelligi debent ſolares non lunares. ibid.
Partus ſeptimeſtris naturaliter eſt vitalis, ante nequaquam.287.
Familiæ ſunt quibus gentilitium eſt naſci menſe ſeptimo. ibid.
Partus terminorum differentiæ unde oriantur. ibid.
Partus octimeſtris æque vitalis eſt ac ſeptimeſtris, imò partus felicioris. 287.
Partus ſeptimeſtris cauſæ. ibid.
Partus naturaliter procedens quomodo fiat. 287.
Varii ſitus fœtus ex vtero prodeuntis. ibid.
Partus præternaturales reſpectu ſitus infantis prodeuntis. ibid.
Partus læſi quatuor ſunt ſpecies & quæ.287.
Partus anticipans quid ſit.287.
Quæ ejus cauſa. ibid.
Partus retardans quid ſit. 287.
Eius cauſæ. ibid.
Partu anticipante excluſi fœtus vitales, poſt alimentum ſumptum obdormiunt niſi malè habeant, iſtudque ita procedit vſque ad terminum menſis noni. 285.
Iidem vſque ad finem noni menſis non habent ungues perfectos. ibid.
Partus deficiens quid ſit. 287.
Eius cauſæ. ibid. & 288.
Partui proximus quomodo ſe componat fœtus. 288.
Quæ ſit cauſa veriſimilis diverſorum ſituum qui obſervantur in partu. ibid.
Partus vt ſit merè naturalis qualia fœmina habeat obſervanda. 288.
Partus anticipans ita contingens ob robur fœtus nunquam remorandus. 288.
Anticipans ob morboſas cauſas quomodo cohibendus. 289.
Partus tardius expectans quæ poſſit arte tuto accelerari. ibi.
Partus deficientis ob fœtum mortuum ſigna.290.
Medicamenta eum promoventia. ibid.
Si medicamentis fœtus mortuus ejici nequeat, manuali opera extrahendus.290.
Niſi pateat vteri orificium hac operatio locum non habet. ibid.
Partus deficiens ob matris defectum.290.
Vires parturientis exhauſtæ quomodo reparentur. ibid.
Oppreſſa vires parturientis quomodo cognoſcuntur.291.
Parturientis virium oppreſſio quomodo curetur.291.
Sanguinis miſſio ex pede in ipſo partu celebranda, ſi à Plethora procedat. ibid.
Oppreſſis viribus ab Hydrope vteri quid agendum. 291.
Iiſdem oppreſſis à flatibus inteſtina & abdomen diſtendentibus quomodo ſuccurrendum. ibid.
Partu difficili ob commiſſuras coccygis & pubis, ætate nimis confirmatas, quid auxilii ferendum.291.
Partus Cæſareus.291.292.
Partui difficili ob Herniam vteri quomodo ſuccurrendum.291.
Matre defuncta & fœtu vivente quid ad extrahendum fœtum ſit agendum. ibid.
Partui propinqua mulieri, ſi vir frequenter ſe miſceat, facilior eſt partus.291.
Parturientis quis debeat eſſe ſitus quidque illi incumbat in labore partus.291.
Partus difficultati ex ſitu infantis procedenti, quomodo occurrendum.292.
Partus qui exigit manuum opera fieri commodiùs fit per pedes.293.
Partus varii extraordinarii & præter naturam.293.
Partus difficilis cauſæ tres & quæ.293.
Partus negatus ob diſruptum uterum.293.
diſrupto utero ſtatim partus dolores ceſſant.294.
Et de vita parturientis actum eſt, niſi fiat ſectio Cæſarea. ibid.
Partus dolores etiam ſubito ceſſant per vehementem Embryonis conatum, diſrupto aliquo ex vaſis ſanguineis hiſtericis. 294.
Partus ſine dolore vel cum dolore valde moderato. 294. §.37.
Partus dolorifici cauſæ. ibid.
An in partu oſſa coccygis & pubis disjungantur. ibid.
Partus difficultatem facit durities excrementorum alvi recto inteſtino incluſorum.294.§.37.
Partum difficilem facit præſertim fœtus caput grandiùs.295.§.37.
Item conatus parturientis nimis vel violens vel debilis. ibid.
Varia cauſa partus difficilis. ibid.
Partus difficillimus ſuccedit ex fœtu mortuo.295.
Pariunt faciliùs mulieres cholericæ quàm alterius temperamenti & quare.295.
Partus difficilior fit ob frigus ingruens. ibid.
Partum difficilem facit ventriculi plenitudo, ut & vini potio excedens.295.
Partum quare ſomnolentia remoratur. ibid.
Partum calculus veſicæ grandior, facit difficilem.295.
Partus difficilis non infrequens accidit à circumvolutione funis vmbilicalis membra fœtus conſtringentis, cum ejuſdem ſtrangulationis metu, ſi circa collum convolutus fuerit. 295. §.37.
Quæſtionis ſupra propoſitæ an oſſium compages & commiſſura diſſolvatur in partu exagitato. 296.
Reſolutio problematis. ibid.
Partus difficilis à tumore in vteri collo.297.§.37.
Partus difficilis prognoſis.297.
Si mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri poteſt

poteſt, quin fœtus *moriatur*.ibid.
In Partu *difficili quæ ſunt agenda medico*.297.§.38.
obſervanda in funis *umbilicalis reſectione ratione differentis* ſexus. 297.§.39.
Partum *admittere* nolens mulier *primipara*.297.
Partum *valde facilitat* juvenilis ætas. 297.
Partum *per* pedes *modus extrahendi*.298.
Cautiones ne caput *negotium faceſſat*. 299.
Vivus fœtus *minùs hoc periculum incurrit quam* mortuus. *ibid.*
Si caput *in* vtero *reſtitarit, quid agendum*.ibid.
Varii caſus diligenter obſervandi in proceſſu & adminiſtratione illius operationis.300.
Parturientem juvandi *modus ſi* caput fœtus *ante ſe foras pellat* collum uteri.300.
In hoc caſu ambulatio præſcribenda non eſt. ibid.
Nec parturiens *erecta ſtare debet*. ibid.
Quid agere debeat Chirurgus *ſi* caput *mortui infantis nimis magnum eſt*.301.
An liceat fœtum *necare ut* mater *fiat ſalua. Si certò appareat alio modo ſervari non poſſe*.301.
Impoſſibile eſt ut mater *ſuperſtes ſit in* ſectione Cæſarea. ibid.
Parturientem *juvandi methodus ſi* fœtus capitis latus *offert*. 301.
Si capite *egreſſo* humeri craſſi *&* latiores *prodire non poſſint*. 302.
Si cum capite manus *exerat*. ibid.
Si manum unam *aut* utramque *proferat*. ibid.
Hic ſitus Chirurgo *obſtetricanti maximum laborem facit*. 303.
Ratio cur impoſſibile ſit ut fœtus *extrahatur in hoc* ſitu. ibid.
An vtile ſit manus fœtus *exſertas frigida perfundere & an hac adhibita infans ſit eas intro retrahendus*.ibid.
Cur facilius *ſit &* ſecurius *hunc* fœtum *per* pedes *extrahere quàm* partum *naturalem moliri*.303.
Quid agendum ſi brachium tumefactum *reponi nequeat*. ibid.
Parturientem *juvandi methodus ſi* fœtus *ſimul* manus *&* pedes *proferat*.303.
Omnis partus artificialis ſecuriùs *& facilius ſit per* pedes *quàm per caput*.ibid.
Partum *juvandi methodus ſi genua ſe offerant*. 303.
Occaſio dubitandi an quod ſe profert ſit caput *an* genua. ibid.
Si humerum, dorſum *aut* nates *offerat*.304.
Nates *offerens ita exire poteſt* duplicatus, *ſatiùs tamen eſt ut per* pedes *educatur*. ibid.
Partum *juvandi methodus ſi proferantur* venter *aut* pectus.304.
Si latera *obiiciat*.ibid.
Operatio feſtinanda eſt & quare.ibid.
Partus geminorum *diverſo* ſitu *exitum quærentium*. 304.
An gemellorum *uno* mortuo, altero ſuperſtite, *natura intendat* mortuum *primò emittere vel è contra* 305.
Partus *ubi* funis vmbilicalis *ſeſe primò offert quomodo juvandus*.305.
Periculum quod ſubeſt in hoc partu.ibid.
Modus ex vmbilici *inſpectione & tactu iudicandi de vita infantis*. ibid. *quæ mulieres iſtius* partus *periculum incurrere aptæ ſunt*.ibid.
Partus *in quo* ſecundina *primò excluſa eſt, vel ſe ad* excluſionem *offert*.306.
Signa quibus cognoſcitur ſecundina *ſeſe offerens*.ibid.
Periculum ingens in tali partu.*ibid.*
Celeritas *in hac operatione præcipitata requiritur*.ibid.
Partus difficilis *ob* Ecchymoſim *magnam in* capite fœtus, *id in tumorem attollentem*.306.
Partus difficilis *ob* funem umbilicalem collo *& pedi uno vel utroque circumvolutum*.307.
Partum *facilitant quæcunque ſunt* roborantia *&* ſanguinem ſpiritusque refocillant. 308. §.40.
Partui *facilitando an* Venæſectio *conveniat*.ibid.
Partus Cæſareus *an ſit tentandus*. 309.
Partus difficilis *ex* humectationis *defectu quomodo curandus*.309.§.41.
Partum difficilem *ut efficiat difficultas membranæ aquas continentis*.311.
Partus difficultas *à nimium prompta* aquarum *effuſione*. 311.
Vſus aquarum *in* partu *qualis ſit*. ibid.
Vnde procedant aquæ *quæ effunduntur in* puerperio. *ibid. &* §.54.
Quando & quomodò membranæ aquam *continentes ſint dilacerandæ*.311.§.2.
Medicamenta ſiccitatem locellorum ortam ex aquarum *defectu emendantia*.311.§.52.
An aquæ *illæ ſint* embryonis vrina. 312.
Aquarum *uſus ab* imprægnationis *tempore & durante* graviditate. *ibid.*
Periculum imminens ex ipſarum præmatura excluſione.312.
Aquarum *elapſarum ſatis longo tempore ante* partum *ſine noxa, exempla*.ibid.
Cauſæ cur membrana *eas continens diſrumpatur*.312.
Partus *dolores diſtinguendi ratio ab aliis affinibus*.313.
Dolores partus veri *qui ſunt*.ibid.
Qui nothi.ibid.
Parturientis *&* fœtus virium *imbecillitati modus ſubveniendi*.313.
Medicamenta plurima in illam indicationem.ibid.
Partus *appropinquantis ſigna*.338.
Dolores *circa* lumbos *orti ad* pubem *&* naturalia *vergentes*.338.
Pulſus *nonnihil frequentior*. ibid.
Faciei *rubor inuſitatus*.ibid.
Partum *adeſſe indicat cum doloribus* naturalium *protuberantia*.338.
Parturientium vomitus *an ſit mali ominis*.ibid.
Quæ ſit ejus cauſa.ibid.
Parturientium tremor *univerſalis unde procedat*.338.
Hoc ſignum eſt inſtantis partus. *ibid.*
Parturientium *aquæ quomodo formari dicantur, quidque ſunt illæ aquæ*. 338.
Partus *non eſt* intempeſtivè *ſollicitandus*.338.
Partus præternaturalis *ſigna*. ibid.
Partus *ante* excluſionem *qualis* ſexus *ſit indagandi ratio*. 338.
Partus *an debeat computari tempus per menſes* lunares *an* ſolares.339.
Graviditatem *&* fœtus ſexum *ex urinis edicere* ineptum *eſt &* impoſtorum *commentum*.339.
Partus naturalis *ut ritè fiat quatuor requiruntur*. 340.
Parturientis *quis ſit decentiſſimus* ſitus. 340.
Partum *emittendi commodiſſima methodus*. 341.
Cautio neceſſariò obſervanda ab obſtetrice poſt vnius *fœtus excluſionem*.341.
Pariendi *difficultas cur major ſit in* homine *quàm in aliis* animalibus. 341.
Partu *inſtante* Clyſter *injiciendus & qualis*. 342.
Parturiens *ſi ſit plethorica* ſanguis è *brachio ante* partum *mittendus*. 342.
Parturienti *Cardialgia ſuperveniens terrere non debet*, *Quare*. ibid.
Parturientium *aquas non abſolutè ſecurum eſt abrumpere*, *ſatius eſt* naturæ *opus committere*.
Partus *an naturali ſitu ſe offerat diſcernendi ratio*.342.

Partui vicinæ mulieres non debent exercitiis præter conſuetum vacare, vel curru vehi, vel equo inſidere ut partus fiat felicior. 342.
Partus difficilis vel dicitur ſimpliciter difficilis, vel laborioſus vel contra naturam. 343.
Partus difficilis unde procedat, ſive cauſa difficultatis in partu. ibid.
Remedia ad ſingulas partus difficilis ſpecies. 343.
Partus difficilis ſi cauſa ſint duriores fœtus membranæ, ipſas abrumpere licet cum cautionibus. 344.
Partu non procedente ob fœtum mortuum mulieri incumbunt majores conatus. ibid.
Partus contra naturam quot ſint ſpecies. ibid.
Partum adminiſtraturus quas conditiones Chirurgus habere debeat. ibid.
Partus operationem ſuſcepturus Chirurgus quæ debeat obſervare. 345.
Si omnis ſpes felicis ſucceſſus ſit interdicta non debet manum operi adhibere. 346.
Paryſthmia infantium. 647. Curatio. ibid.
Parulis infantium quid ſit. 636. Cauſæ. ibidem.
Curatio. ibidem.
Paſtinaca marina & ejus venenum. 587.
Curatio. ibidem.
Paſtinaca ad copiam lactis generandam. 384.
Paſta cauſtica ad mammarum cancrum. 369.
Paſſulæ ad abundantiam lactis efficiendam. 384.
Paſtinacæ ſemen ad affectionem Hyſtericam. 192. §. 47.
Paſſiones hyſtericæ ſolent mulieribus contingere, præſertim in partu vel poſt partum. 347.
Paſſiones poſt partum contingentes, hyſtericæ, vel ſunt ſolitariæ vel cum aliis morbis complicatæ. 347.
Pater quid conferat ad generationem. 220. §. 18.
Pavor infantium in ſomno unde procedat. 624.
Signa. 624. §. 31. & 32.
Ipſius prognoſis. 624. §. 32.
Prophylactica remedia. 624. §. 33.
Curatio. 624. §. 34.
Pavonum aurei coloris pennæ in cauda eminentes & ſpeculi ſive oculi quaſi formam habentes pro amuleto geſtata ſpaſmo gravidarum flatulento remedio ſunt. 250.
Pavonum ſpecula ſive extrema pennarum caudæ minutim conciſa in ovo ſorbili deglutita mammarum ſanant inflammationem. 355.
Peculi roſarum aqua ad impediendum mammarum incrementum nimium. 373.
Pellis leporinæ pulvis ad perniones. 676.
Pelliculæ cæparum & allii in ſuppreſſione urinæ infantium. 668.
Pellis villoſa ventriculo gravidarum vomiturientium admota quid juvet. 252.
Eadem in fluxibus alvi gravidarum. 253. §. 12.
Pellis canina ad ventrem gravidarum fiſſura præſervandum. 264.
Ejus præparatio in eum uſum. ibid.
Modus utendi. ibid.
Pellis vervecina ad dolores poſt partum. 321.
Penis cervinus conceptum juvat. 215. §. 9.
Perniones quid ſint. 676. Eorum fientium ſigna. ibid.
Prognoſis. ibid. Curatio. 676.
Præcipua cura conſiſtit in caloris ignis patientia uſque ad uſtionem excluſivè. ibid.
Remedia alia. ibid.
Perſicarum ſpecificè prodeſt ad Cancrum. 368.
Ad Ephelidas gravidarum. 264.
Peruvianus Balſamus ad vulvæ rupturam. 346.
Peſſus ex plumbo ſuccis appropriatis inuncto ad Cancrum uteri. 403.
Peſſaria & naſcalia quid differant. 27. §. 34.
Paſſaria iis mulieribus conveniunt quibus in utero pituita aut aquoſus humor abundat. 270. §. 34.
Peſſariorum uſus in uteri prolapſu & eorum in illum uſum compoſitio. 65. §. 41.
Cavenda in applicatione peſſariorum. ibid.
Peſſaria varia ad ulcus uteri. 72. §. 11.
Ad Uteri Lumbricos. 75. §. 13.
Minſychtii in menſtruorum ſuppreſſione efficax. 87.
Peſſi & clyſteres uterini nuptis, ſuffimigia virginibus præſcribenda ſunt. 87.
Peſſaria varia ad menſes movendos. 98. §. 54. & 99.
Peſſarium ex Helleboro nigro nodulo ſerico excepto, per vices renovatum ex quo menſium ſuppreſſio perfectè fuit curata. 103. §. 71.
Peſſus ex ſtercore ſuillo vel aſinino cum ſucco plantag. & mucilagine ſem. cydoniorum formatus ad uteri Hæmorrhagiam. 128. §. 34.
Peſſus ex felle vaccæ ad fluxum album. 157. §. 52.
Peſſus ex ſua veolentibus in pudendum immiſſus ad ſuffocationem hyſtericam. 194. §. 58.
Ejus deſcriptio. ibid.
Peſſaria ex foliis herbæ Mercurialis ſucco ſolani, ſempervivi aut cicutæ ad nimium in venerem impetum. 208. §. 13.
Peſſus ex Melanthio ſi febrem in muliere excitet ea fœcunda eſt. 214.
Peſſi ad Curationem molæ. 241. 242.
Peſſaria in gravidarum deſcenſu & prolapſu uteri. 265.
Ex ſucco porri & croco ad partum facilitandum. 309. Aliud ad idem. ibid.
Ex ſucco equiſeti & plantaginis in lochiis ſuperfluis. 326.
Petroſelini radices ad Lochiorum retentionem. 328.
Petroſelinum & cereſolium impoſita mammis lac copioſius exhauriunt. 393.
Peucedani radix amuleti forma appenſa ad ſuffocationem uteri præcavendam. 200. §. 82.
Phantaſia quid ſit. 230. Ejus vires. ibid.
Semen reddit prolificum. ibid.
Modus quo agat. ibidem.
Phaſeoli à nutricibus quibus craſſum eſt lac non comedendi, quia incraſſant. 399.
Phalangia quid ſint. 596. §. 35.
Eorum vulnus exiguum impensè venenoſum. ibidem.
Remedia. 596.
Philonium in melancholia ab utero. 210. §. 29.
In vomitu gravidarum. 253. §. 10.
Cavo denti impoſitum dolorem dentium à cauſa frigida compeſcit. 254.
Abortum præcavet ne accidat in vehementibus doloribus. 277. §. 14.
Perſicum cum ſucco Plantaginis propinatum ad ʒ.1. egregiè ſiſtit lochia ſuperflua & ſanguinis evacuationes immodicas. 326.
Phlebotomia utiliter celebrata in ipſa lipothymia ad ſuffocationem uteri ſanandam. 200. §. 78.
In vomitu gravidarum. 252.
In tuſſi uterum gerentium quocunque graviditatis tempore. 255.
Phlegmone quid. 37. §. 11.
Ejus differentiæ. ibid.
Eryſipelatodes. ibid. Oedematodes. ibidem.
Scyrrhodes. ibidem.
Phtiſis à ſuppreſſione menſtrua. 89. §. 19.
Pica in mulieribus gravidis. 246.
Pilulæ antimoniales ad Hydropem uteri. 44.
In Prolapſu uteri efficaces. 60. §. 38.
Emmenagogæ & Cathartícæ. 86. 97. §. 50.
Uſuales ad ciendos menſes ſumendæ ad lecti ingreſſum. 94. §. 45.
Ad menſes ſiſtendos. 126. §. 25.

Tartareæ,

Tartareæ, Marocoſtinæ *ad* Chloroſin. 171. §. 52.
ad Pallidos colores. 172. §. 53.
De ſuccino in mulieribus Hyſterica *laborantibus.* 191. §. 46.
Ad paroxyſmum hyſtericum *ſedandum.* 194. §. 65. 195.
Ad vteri *ſuffocationem.* 199.
Uſuales *uſurpandæ omnibus ſeptimanis ad præcautionem ſuffocationis* hyſtericæ. 199.
Barbaroſſæ & earum deſcriptio ad luem *veneream inveteratam.* 422. §. 94.
Pilulæ *de* ſagapeno *in & extra* vteri *ſuffocationis paroxyſmum deglutiendæ.* 240. *ad uteri obſtructiones.* 349.
Ex moſcho, Benzoino & ſaccaro *ad ſuffocationem* vteri. 200. §. 83.
De Artemiſia, *& earum deſcriptio ad præcavendam* vteri *ſuffocationem.* 201. §. 90.
De Cynogloſſo *in* melancholia hyſterica. 210. §. 29.
Vomitoria *ad* molam *exturbandam.* 241.
Fœtidæ *majores ad* hyſtericum *paroxyſmum ſedandum.* 195. §. 65.
Eædem *ad purgandum in* mola. 242.
De Aſſa fœtida, Ammoniaco, bdellio, caſtoreo, galbano, myrrha, opopanace *ad* molam *exturbandam.* 242. Magiſtrales *idem.* ibid.
De Cynogloſſo *ad dolorem* dentium *prægnantium à cauſa calida.* 254.
Pilularum *vſus in prægnantibus ſemper debet eſſe ſuſpectus.* 270.
Pilulæ *ex* betula *ad illiniendam faciem infantium, ne* cruſta lactea oculos *occupet.* 619.
Pilulæ *ad* fluxum *de* capite *in* articulos *depluentem avertendum.* 420. §. 35.
Pilulæ Mercuriales *compoſitæ, ad* luem *Veneream.* 496. §. 19.
Pilulæ *ad* partum *promouendum.* 311.
Tartareæ *ad* lienem *affectum ex utero.* 352.
de Lapide Lazuli *ad purgandas mulieres* cancro mammarum *laborantes.* 369.
Pimpinella *ad* Cancrum *mammarum.* 369.
Pinearum *immaturarum nuclei incrementum* mammarum *nimium reprimunt.* 373.
Pineæ lactis *copiam augeat.* 389.
Pinguia flacciditatem *inducunt ſtomacho.* 252.
Pinearum *ſtrobyli* concumbendi *deſiderium excitant.* 207. §. 12.
Pinguia vlceri *nocent.* 70. §. 11.
Pinguedo anguillæ *ad hæmorrhoides* vteri. 10.
Pinguedo *exſtillans ex cochlearibus* ligneis *igni expoſitis ad* vteri *Rhagades.* 16.
Piſciculi *excluſi per muliebria loco & tempore naturalis partus.* 272. §. 2.
Piperis *granum* denti *impoſitum ad dolores* dentium *prægnantium* 254. §. 13.
Piſtacia *ad abundantiam* lactis *comparandam.* 384.
Piſces *quales ad generationem* lactis *conducant.* 384.
Piſa lac *nutricum incraſſant.* 399.
Plantaginis *ſuccus ad* menſium fluxum *immoderatum.* 126. §. 25. 127. §. 30.
ad Abortum *præcavendum.* 277. §. 16.
Plantago volatilitatem *nimiam* bilis & ſanguinis ſubtilitatem *emendat.* 250.
Ejus decoctum medetur fluxui alvi *gravidarum.* 254.
Reprimit mammarum *nimium incrementum.* 373.
Subito lac mammarum *abſumit.* 394.
Utiliter adhibetur ad Cancrum mammarum. 369.
Plantaginis *ſemen ad* abortum *præcavendum, ejus uſus & doſis.* 283.
Placenta *ad impregnationem mulierum* ſterilium *conducens.* 215.
Plaſticus ſpiritus *quid ſit.* 231.
Ejus vices in conformatione fœtus. 232.
Plethora *frequens eſt* abortus *cauſa.* 277.
Pleuritide *puerpera correpta* fluentibus lochiis *quid conſilii ſumendum eſt.* 333.
Plumæ perdicis *accenſæ quem uſum præſtent in ſuffocatione* vteri. 191. §. 46.
Plumbi *uſus in medicina.* 557.
Ejus virus. ibid. *Antidotum.* ibid.
Plumbum *ad curam* palliativam Carcinomatis. 369.
Plumbeum *mortarium ad agitanda Linimenta* Cancro mammarum *dicata.* 369.
Podagrici *quare* Hipochondriaci. 29. §. 3.
Podagra *dicitur non de* pedibus *ſolum, ſed de aliis* articulationibus. 408.
Pœoniæ *ſemen* parturientes *juvat cum* oleo *chamemali illitum.* 209.
Pœonia *ad* Faſcinum. 539.
Polium *inter* lac augentia. 382.
Poligonum *volatibilitatem* bilis & ſanguinis *ſubtilitatem nimiam emendat.* 250.
Polypi *aliquando fiunt in* utero *vias* menſtruo *ſanguini intercludentes.* 83. § 4.
Polipodium *in* Chloroſi. 172.
Polium *montanum in* vteri *ſuffocatione.* 191. §. 46.
Πολύκυλοι *ſunt etiam* πολύγαλα. 382.
Polypodium *in* ſcyrrho mammarum. 361.
Poma *cocta in* melancholia ab utero. 210. §. 29.
Poma Borſdorffiana *ad Cataplaſma ad* ſcyrrhum *cancroſum.* 363. §. 48.
Pomorum *Cataplaſma & ejus compoſitio ad* cancrum. 370.
Porci *axungia in clyſteribus ad* Dyſenteriam lui *Venereæ ſupervenientem.* 490.
Porcelli *cruor ad* mammarum incrementum *ſupprimendum.* 373.
Porcina *caro in Palæſtina & Ægypto* lepram *generat.* 601.
Porci *cerebrum & ex eo paratum ferculum ad* fœcunditatem *juvandam.* 225. §. 41.
Porcellanæ *ſive Murrhina vas* venenorum *impatiens.* 542.
Porri *ſuccus ad facilitandum* partum. 309.
Porri *ſuccus in* uterum *infuſus ad* fœtum *mortuum excludendum.* 349.
Porri *ſuccus hominem in momento* jugulans. 542.
Poſca *loco* vini *bibenda in* lacte *minuendo.* 391.
Portulaca *in* juſculis *gravidarum* menſes *patientium ad* abortum *præcavendum.* 359.
Portulacæ *ſuccus exhibendus ad componendum* ſanguinis orgaſmum *in* hæmorrhagia *vteri ante* partum. 371.
A Lochia *ſuperflua* ſiſtenda *vel* moderanda. 326.
Potio *Sylviana ad omnes* hæmorrhagias. 124. §. 18.
Potio *ex* aqua roſarum *cum* theriaca *recenti & Laudano, mulierem ex* fluxu *immoderato fere* exanimem *reſtituit.* 126. §. 15.
Potio lac *concretum ſolvens & ejus ad* mammas *appulſum cohibens.* 346.
Potio *ſpecifica in* Arthritide. 465.
Potiones *ad Rheumatiſmum.* 475.
Potiunculæ *ad Paroxyſmum* hyſtericum. 195. §. 63.
Potio *efficaciſſima ad* partum *provocandum.* 310.
Potiones vulnerariæ *ad fracturas contingentes in extractione* fœtus. 348.
Potus aquæ *ferventis ante* cibum coctionem *feliciorem facit.* 657.
Potus generoſus *quomodo* abortum *excitet.* 279.
Poudre de ſucceſſion *quid ſit & quale venenum.* 528.
Præcipitatus *albus intro ſumptus ad* luis *venereæ curationem.* 491.

Priapus Cervi & priapus Tauri *ad* vteri *ſuffocationem*. 195. §.63.
Priapus Tauri *ad* abortum præcavendum. 287.
ad Sterilitatem *arcendam*. 273.
Priapiſmus vteri. 245. §.3.
Procidentia vteri. *Vide* Vteri *prolapſus*.
Profluvium alvi *infantium*. 659.
Familiare eſt ipſis præſertim dentientibus. *ibidem*.
Cauſa. ibid. *Prognoſis*. ibidem.
Citò ſiſti debet & quare. 660. §.27.
Qua tamen præcantione. 660. §.28.
Remedia ad diarrhœam ſive alvi infantium profluvium. 660. §.29.
Prolapſus ani *infantium*. 661.
Sæpe eſt teneſmo *conſequens*. ibid.
Modus curandi. ibidem. *Cautio in* Aſtringentium *vſu*. ibid.
Cautio in repoſitione inteſtini *prolabentis obſervanda*. 661.
Medicamenta ante repoſitionem *uſurpanda, ſi* repoſitio *fuerit difficilis*. ibid.
Geniſtæ *fumus* ano *inditus*. 661.
Περιτάτμος vteri quid. 65.
Περίδωσις vteri quid. 65.
Profluvium Uterinum, & *muliebre pro fluvium qui ſint affectus*. 147. §.18.
Quomodo differant. ibid.
Vtriuſque cauſa & ſigna. ibid.
Prunella *infantium alba*. 641.
Pruna *ſilveſtria contuſa ad* mammarum *incrementum nimium reprimendum*. 373.
Prunorum *decoctum ad* conſtipationem *gravidarum*. 263.
Pruritus *infantium*. 669.
Puellæ *maturius* viro *vtentes vitam agunt* incontinentiorem. 207. §.12.
Puella *puſtulam habens in capite per quam omnibus* menſibus menſtrua *emittebat*. 88. §.13.
Puerperis purpura *correptis V. S. præſentaneum affert auxilium*. 88. §.15.
Puerperarum convulſiones *unde oriantur*. 348.
Sæpe fiunt à conſtricta alvo. ibidem.
Remedia. ibidem.
Puerpera peripneumonia *correpta fluentibus* lochiis *quid circa. V. S. ſit determinandum*. 333.
Puerperarum regiman. 345.
Puerperio *proximæ quomodò ſe gerere debeant aliquot horis ante* partum. 545.
Quomodo poſt partum. *ibid*.
Puerpera *quæ* lactare *infantem non cupit, quid poſt* partum *facere debeat*. 345.
Puerpera *poſt quatuor aut quinque ſeptimanas à* partu balneum *adire debet & quare*. 346.
Ejus balnei *compoſitio*. ibid.
Pudendi *rimæ ampliatio ſectione facta ad exitum* fœtus *facilitandum*. 292.
Punica malus *ad* ſterilitatem *ex* laxitate & imbecillitate vteri. 225. §.38.
Pulegium *in* ſpaſmo *flatulento gravidarum*. 250.
Pulegii *decoctum ex vino ad exturbandam* molam. 242.
Pulegii *ſuccus in* vterum *infuſus ad* fœtum *mortuum expellendum*. 349.
Pullorum Gallinaceorum *carnes applicatæ ad* Cancrum *vlceratum nutriendum*. 463.
Pulſatio *arteriarum dorſi in* melancholia *ab* vtero *quâ cauſa fiat*. 210. §.28.
Ejus remedia. ibid. *Prognoſis*. ibid.
Puls *ex* farina & vitello ovi *vt conducat à* fluxu *gravidarum dyſenterico*. 253.
Pulvis Marchionis *ad* convulſiones. 348.
Ad fœtum *mortuum expellendum*. 349.
Ad Eryſipelas *Minſychtii*. 359.
Hellebori nigri *ad* Cancrum *curandum in* vo*ſorbili exhibitus*. 368.
Modus præparandi. ibidem.
Benedictus *ad curandos* Cancros *celebris, ejus compoſitio*. 368 §.19. & 20.
Incarnans *poſt vſum pulveris* Benedicti *uſurpandus in* Cancro mammarum. 369.
Deoppilativus rubeus *ad* rheumatiſmum. 476. §.38.
Pulvis purgans *in ſuffocatione* vteri *extra paroxyſmum exhibendus*. 196. §.63.
Riverii *ad contumaces* ſuffocationes. 197. §.72.
Lætificans *Galeni ad* melancholiam *hyſtericam*. 210. §.31.
Pulveres *varii* ſpecifici & *eorum compoſitiones ad* ſterilitatem *arcendam*. 223. §.31. 225. §.41.
Ex Epate & teſticulis porcelli *exſiccatis ad* ſterilitatem. 223. §.31.
Leniens *ad* molam. 241.
Purgans *ad* molam. 241.
Stipticus *Vedelii in* mola *exturbanda*. 241.
Ariſtolochiæ *longa*, cinnamomi, myrrhæ *ad* molam. 242.
Pulvis *ad* abortum *præcavendum*. 283.
Ad abortum *alius quo repleri debet* Dactylus *devorandus*. ibid. *Ad excutiendum* fœtum *mortuum*. 290. *ad* partum. 308. §.40. Sternutatorius *ad facilitandum* partum. 308.
Pulvis *ad* partum *officinarum ad* ſecundinam *ejiciendam*. 317.
Pulvis Reginæ *dolores poſt* partum *ſanat*. 318.
Ejus compoſitio. ibid. Deoppilativus rubeus *ad Epar* confortandum. 476. §.38. *Ex* teſtis ovorum vſtis. 9. Stipticus *Heurnii* 59. §.33. Aſtringens Riverii. *ibid. Ad continendum* vterum. 59. §.35.
Ad vlcus *exſiccandum*. 70. §.11.
Pulvis *brevi dolores* vteri *compeſcens*. 78. §.8.
Pulverum *formulæ variæ ad ciendos* menſes. 94. §.45. 97. §.48.
Dominarum. 97. §.48.
Stipticus Vedelii. 125. §.21.
E putaminibus ovorum *ad* menſtrua *ſiſtenda*. 127. §.27.
Ex oſſibus *humanis ad* menſtrua *immoderata*. 127. §.27.
Ex matrice *gallinæ in* pudendum *intruſus ad ſiſtendum* fluxum *immodicum* menſtrualem. 130. §.39
Pulvis *valdè aſtringens ad* fluxum *muliebrem*. 153. §.41.
Foreſti ſpecificus *ad ſiſtendum* fluxum *muliebrem*. ibidem.
Aperiens *ad* Chloroſin. 172. §.53.
Diureticus ad idem. ibidem.
Cachecticus Quercetani *efficax ad* morbum virgineum. 173. §.57.
Abſorbens *ad ſuffocationem* hyſtericam. 191. §. 46.
Epilepticus *ad* vteri *ſuffocationem*. ibid.
Abſorbens Langii *ad* Hyſtericam *paſſionem*. ibid.
In nares *inſufflandus ad revocandam mulierem ex ſymptomate* Hyſterico. 193. §.51.
Compoſitus ad ſuffitum *in paroxyſmo* hyſterico *ſuſcipiendus*. 193. §.52.
Pulveres *varii ad* vteri *ſuffocationem*. 198.
Lycopodii *ad* epilepſiam *infantium*. 629. §.48.
Antepileptici *pro infantibus*. 629.
De gutteta ad idem. ibidem.
Syrius ad venena. 563.
Pupillæ *binæ in* oculis *quarundam mulierum*. 529.
Purgatio *ad* ſterilitatem *ab* intemperie *frigida & humida ortam*. 223. § 31.
Iterari frequenter debet. ibid.

Purgatio

Purgatio levis in gravidis vomitu pertinaci laborantibus. 252.
Purgantia quomodo prægnantibus offerre liceat, & quæ. 269.
Purgantia quare, qualia & quando abortum excitent. 279.
Purgatio quando competit in vteri prolapſu & quæ circa eum obſervanda. 63. §.56.
Purgatio lenis frequenter iteranda in vlcere vteri. 69. §. 11.
Valida cathartica in eo affectu vitanda. 70.
Purgatio in ſuppreſſione menſium non intempeſtiva. obſervandis obſervatis. 91. §.35.
Purgatio debet offerri initio morbi addendo appropriata aperientia, ratione ſimul habita partis affectæ. 912. §. 37.
Purgantia per Epicraſin cum alterantibus ſunt interpolanda. 92.§ 38.
Puſtulæ vteri. 8. Earum ſigna. ibid. Cauſæ. 8. Differentia. ibid.
Pſyllii ſemen ad dolores Cancri. 403.
Pſyllii qualitates venenatæ. 581. Curatio. ibid.
Pſorophtalmia quid ſit & ejus differentiæ. 637. Cauſæ. ibid. Curatio. ibid.
Priſana nocet gravidis mulieribus fluxu alvi laborantibus. 253. §. 12.
Priſana Laxativa. 493. §. 56.
Ptilloſis qualis ſit infantium affectus, ejus ſigna, cauſa & curatio. 637.
ex Pyrite lapide candente aceto extincto, ſuffitus maximè commendatus ad ſcyrrhum vteri. 43 §.9.
Pyrorum ſilveſtrium aqua in vteri relaxatione. 58. §. 26.
Pyra immatura ad reprimendam mammarum nimiam turgeſcentiam. 373.
Pyrethrum denti impoſitum ad dolorem dentium frigidum gravidarum. 254. §.13.

Q

QUercus foliorum tenerrimorum aqua, ad profluvium Hyſtericum. 126.§.25.
Quercinum lignum amuleti forma appenſum ad ſpaſmum flatulentum gravidarum. 250.
Quies nimia quomodo ſuppreſſionem menſtruam inducat. 95. §.30.
Quinta eſſentia nepetæ ad pallidos Virginum colores. 173. §. 57.
Quercus liquor. 535.
Quinta eſſentia Auripigmenti Alexipharmacum eſt primæ notæ. 545.
Quinta eſſentia Vitrioli ad venena præſtat omnibus Theriacis. 545.

R

RAgades vteri. 16.
Ramex infantium. Vide Relaxatio. 663.
Ranæ lota ad Cancrum vteri. 18. §.48.
Rana effuſa quid ſit. 19. §.48.
Ranarum eſus ſanguinis nimios fluxus cohibet. 129. §. 35.
Ranæ à muliere loco & tempore legitimi partus enixæ. 212. §.12.
Ranarum ſperma & ejus aqua cum aceto roſaceo mixta exterius admota ad compeſcendum Lochiorum fluxum immodicum. 326.
Ad mammatum Cancrum. 368.
Ranarum viridium oleum ad Cancrum. 368.
Id parandi modus. 371. §.38.
Ranæ vivæ exſectæ & impoſitæ tumori Cancroſo ad dolorem ejus minuendum. 370.
Ranarum pinguedo ſpecificum ad Cancrum. 370.
Ranarum ſpermatis emplaſtrum dorſo applicatum, ſimul applicato à partibus anterioribus ad regionem mammatum Emplaſtro Diachylo lactis redundantiam certo tollunt. 391. §. 8.
Ranæ coctæ cataplaſmatis modo impoſitæ in cancro uteri. 403.
Ranulæ infantium vnde procedant & remedia. 638.
Ranunculus quale venenum ſit. 581.
Ejus ſymptomata. ibid.
Remedia. ibidem.
Rapæ dulces in ſuppreſſione vrinæ infantium. 668.
Raparum decoctum ad deturbandam ſecundinam. 318.
Raphani ſemen ad lac augendum. 383.
Raphanus ruſticorum emendat lac craſſius. 399.
Raphanus ad præcautionem venenorum. 542.
Raphani marini pelliculæ ad Vrinæ infantium ſuppreſſionem. 668.
Refrigerantia quæ conducant in rheumatiſmo. 476. §. 39.
Regius morbus ſive Icterus infantium. 658.
Contingit etiam ipſis in vtero. ibid.
Cauſa ejus & ſymptomata. ibid.
Curatio. ibid.
Relaxatio ſive Hernia puerorum. 663.
In pueris fit potius relaxatio quàm ruptio peritonei. 663. §. 34.
Curatio. 663. §. 36.
Varia remedia. ibid.
Remedia quæ ſunt vterinis doloribus accommodata, eadem & torminibus inteſtinorum conveniunt. 9.
Remedio ſpecifico & proprio non cognito locum habet commune. 101. §.62.
Repercutientibus quare abſtinendum in Hæmorrhoïdibus gravidarum. 258. §.25.
Repellentia mammis nunquam adhibenda quacunque occaſione. 356.
Repellentia ad lac divertendum quæ ſint mammis adhibenda. 391. §.36.
Repellentia emplaſtra ad illum vſum. ibid.
Repellentia in lactis redundantia melius applicantur dorſo quàm mammis & quare. 391. §.31.
Requies Nicolai in melancholia ab vtero. 210. §.29.
In vomitu gravidarum pertinaci. 253. §.10.
Reſolventia medicamenta in ſcirrho vteri. 43. §. 9.
In mammillarum tumoribus. 356.
In lactis nimia abundantia. 391. §.37.
Reſpirationis difficultas in infantibus. 645. §.23.
Ejus cauſa. ibidem.
Symptomata & pericula. 645. §.24.
Remedia ſi à cauſa calida. 645. §.25.
Frigida. ibid.
Interna. ibidem.
Externa. 645.
Retentio alvi in infantibus. 658.
Ejus prognoſis. ibidem.
Cauſa. 658. §. 18. 19. & 20. Curatio. 659. §. 21. 22. 23.
Medicamenta nutrici præſcripta. 659. § 24.
Rhabarbarum in mulieribus gravidis vomitu vexatis poſt quartum geſtationis menſem. 252. 269.
In abortui obnoxiis cautiones. 283. §. 22.
Rhabarbarum cum ſenna ad purgandum ubi requirit neceſſitas in Lochiorum ſuppreſſione. 329.
Decoctum ad obſtructiones infantium. 658.
Ad vermes necandos & excludendos. 662.
Rhabarbari Tinctura cum cinnamomo ad obſtructiones infantium. 658.
Emplaſtrum ex eo ad idem. ibid.

Rhaponticum *in* mammarum *magnitudine morboſa*. 371.
Rheumatiſmus *quid*. 466. *Ejus definitio*. ibid.
Rheumatiſmus *non ſolum* articulos *occupat, ſed quas lubet corporis particulas*. 466.
Hac ratione ab Arthritide differt. ibid.
Rheumatiſmus *à pleriſque dicitur* Arthritis vniverſalis, *ſed abuſu vocabuli*. 466. §. 3.
Rheumatiſmus *ut Hippocrati fuerit cognitus & quomodo eum deſcripſerit*. ibid.
Rheumatiſmus *non expreſſè delineatur à ueteribus Medicis & videntur ii ejus confuſam habuiſſe* notitiam. 467.
Rheumatiſmi *definitio ſecundum Ballonium*. 467. §. 4.
Rheumatiſmus *quomodo fiat*. 467.
Vnde fit ut per intervalla *non fixa, & varias* partes *ſubinde aggrediatur*. 467. §. 5.
Rheumatiſmi *ſedis* translatio *ſive partis affectæ* mutatio *fit per metaſtaſin* materiæ morbificæ *de loco in alium, non per differentis* materiæ orgaſmum *in diverſa* loca fermentantis. 467. §. 6.
Argumenta illud ſuadentia. ibid.
Rheumatiſmum *efficiens humor non irruit in ſolos* articulos *ſed in medios* artus *& in habitum* corporis. 467. §. 4.
Rheumatiſmus *eſt aliquando cum* tumore *partis affectæ, aliquando ſine* tumore, *ſed rarò aut nunquam ſine* febre. ibid.
Rheumatiſmi *propriè* pars *affecta eſt* membrana *muſculorum vel* perioſtium. 467. §. 7.
Rheumatiſmi *dolorum diſtinctio à doloribus* venereis. 467. §. 7. 468.
Rheumatiſmo *affectæ parti manis impoſita caloris & acrimoniæ ſenſus percipitur*. 468.
in Rheumatiſmo *detractus ſanguis ſemper eſt planè corruptus*. 468.
Rheumaticorum *ſymptomatum ordo, & quid ſoleat contingere morbo illo exoriente, quid in* ſtatu, *quid in* declinatione. 468. §. 7.
Rheumatiſmi *ſigna pathognomonica*. 468. §. 7.
Eo crebrior *in* rheumatiſmo *vel* acutior *eſt* dolor *quo* mobilior *vel* acrior *eſt humor eum producens*. 468. §. 8.
Rheumatiſmus *aliquando in ipſis* articulis *ſedem figit & tunc ea notâ ab* arthritide *diſtingui nequit*. 468. §. 9.
Rheumatiſmi *dolores ſolent eſſe ſublimes rarò profundi & ὀστεοκόποι, & cauſa hujus*. 468. §. 10.
Rheumatiſmus, laſſitudo ulceroſa & Rigor, *cauſam cognatam habent, & hi tres affectus ſæpè aſſociantur*. 468. §. 12.
Quomodo inter ſe differant. ibid.
Rheumatiſmus *quoties febre caret ſæpè confunditur cum* Arthritide *etſi eſſentialiter ab ipſa differat*. 468. §. 13.
Rheumatiſmus *quot modis differat ab* Arthritide. ibidem.
Rheumatiſmus *quomodo à Catarrho diſtinguatur*. 468. §. 14.
Rheumatiſmus *ab internorum viſcerum affectu procedit*, Catharrus *non item*. ibid.
Rheumatiſmus *abuſive & ignoranter* catharri *appellatione donatur argumenta illud palam facientia*. 468. §. 14.
Rheumatiſmus *criticè ſolvit quandoque morbos* diuturnos *quartanam & ſimiles*. ibid.
Rheumatiſmum circulatio ſanguinis *læſa efficit*. Catharrum *læſa* Lymphæ *circulatio producit*. 469. §. 14.
Rheumatiſmus *in articulos impingens quomodo poſſit diſtingui ab Arthritide*. 469. §. 15.
Rheumatiſmis *etiam* Eunuchi, Mulieres *menſtruatæ, &* pueri *impuberes ſunt obnoxii ſecus quàm* Asthriridi. *ibid*. 469. §. 15.
Rheumatiſmus *quomodo diſtinguatur à dolore vago* Scorbutico. 469. §. 16.
Rheumatiſmi *cauſæ materiales & continentes*. 469. 470. §. 17.
Rheumatiſmo *affectis detractus* ſanguis *nihil differt à* ſanguine Pleuriticorum. 470. §. 17.
Rheumatiſmo *afficiuntur etiam partes internæ*, ventriculus *puta* vterus, pulmo, &c. ibid.
Rheumatiſmus *quare ut plurimum partem affectam in* tumorem *non attollat*. ibid.
Quare non ſuppuretur. ibid.
Argumenta Rheumatiſmum *fieri ab humore* ſeroſo *tenui evincentia*. 470. §. 17.
Rheumatiſmus *quomodo diſtinguatur ab* orgaſmo *ſive* turgeſcentia *humorem ab Hyppocrate deſcripta*. 471. §. 19.
Rheumatiſmus *ſecundum Riverium ſemper habet cauſam in* Hepatis *indiſpoſitione*. 471. §. 21.
Rheumatiſmi *& Cauſi affinis eſt materia, ſed in* Cauſo *materia traducitur foris intrò, in* Rheumatiſmo *è contra*. 471. §. 21.
Rheumatiſmi *cauſæ externæ*. 471. §. 25.
Rheumatiſmus *quare frequentior ſit* hyeme *quàm* æſtate. 472. §. 26.
Quare per noctem *dolores ejus recrudeſcant*. ibidem.
Rheumatiſmum *an melius ſit defluere in partes* ignobiliores *&* debiliores, *an è* debilioribus *in* fortiores. 472. §. 28.
Rheumatiſmi *prognoſis*. 472.
Periculum vitæ non infert, ſed longæ durationis eſt morbus. ibid.
Rheumatiſmus *ſi* febrem *habet comitem, breviori tempore finitur*. ibid.
Rheumatiſmus acutis *& periculoſis morbis ſuperveniens periculum minuit*. 473.
Quæ ſalutaria *in eo ſoleant ſigna apparere*. ibid.
Rheumatiſmi *curatio* præſervativa. 473.
Venæ ſectio *præſervationis gratia*. ibid.
Indicationes curatoriæ. ibid. 474. §. 32.
Rheumatiſmus *ſi in parte fixetur quæ inde oriantur incommoda*. 473. §. 30.
Rheumatiſmus *utiliter* vrinis *ſed commodiùs* ſudoribus *ſolvitur*. ibid.
Rheumatiſmus *non rarò in perpetuam membrorum impotentiam abit*. ibid.
Rheumatiſmo *convenientia* remedia. 474. §. 32.
V. S. Julepus, Emulſio, Cataplaſma *ad dolores minuendos*. ibid.
Rheumatiſmo *conveniens* diæta. 474.
Vſus carnium *& ex iis* juſculorum *prorſus interdicendum*. ibid.
Quid earum loco vſurpandum. ibid. & 477.
Vſus etiam vini *interdicendum*. ibid.
Extra lectum *ſe per aliquot horas quotidie continere debet*. ibid.
V. S. *alternis diebus ſi* vires *ferant, repetenda*. ibid.
V. S. *ultra quartam vicem, niſi vires magnæ & plenitudo indicent, non repetenda*. ibid.
Enemata ex lacte *ſaccharato*. ibid.
Rheumatiſmo *medicamenta quæ noceant*. 475.
Purgatio *quâ cautione adminiſtranda*. 473.
Pilulæ Arthriticæ *dictæ vt noceant*. ibid.
Syrupus *purgans in* Rheumatiſmo *præſcribendus*. 475. §. 34.
Potio *utiliter exhibenda*. ibid.
Rheumatiſmo *quæ conveniant* Cathartica *validiora, inter ea* Mercurius dulcis. *ibid*.
Venæ ſectio *decies uſurpata in* rheumatiſmo *bonis ægri rebus*. 475. §. 35.

Rheuma-

Rheumatiſmo *V. S.* vires *non dejicit & ideo non debet multum inquiri quoties celebrata fuerit, modò ipſius de utilitate conſtet.* 475. §. 36.
Celebrari debet uſque dolores tolerabiles fiant. ibidem.
Rheumatiſmus *ſolet* validioribus & conſtitutionis firmioris *contingere.* 476. §. 35.
Rheumatiſmus *poſt decies* tuſam venam *ſine levatione,* copioſa hæmorrhagia *perſanatus.* ibid.
Rheumatiſmus *ad* febres laborioſas *vel* laſſitudines Phlegmonodes *eſt referendus.* 476.
Rheumatiſmo *convenientia medicamenta externa.* 476. §. 37.
Rheumatiſmo *affectos frigidorum uſus pro tempore recreat, mox tamen noxam infert.* 476. §. 37.
ad Rheumatiſmum *varia remedia, clyſteres frequentes.* ibidem.
Balnea. 476. § 38.
Cynorrhodi conſervæ uſus. 477.
Juleps varii in hunc morbum. ibid.
Fragaria ſpecificum eſt in hoc affectu. ibid.
Et quæcunque cichoracea. ibid.
Riverii ſententia circa Carnium eſum, *oppoſita Sententia Sidenham iis interdicentis.* 477. §. 42. & 478.
Rheumatiſmo *per plures V. S. perenrato permitti debet ut exhauſtæ venæ repleantur, & mox iterum ſanguis mitti etiam benè valente qui prius affectus fuerat, unde ſequitur perfecta ſanatio &* recidivæ metus *abigitur.* 478.
Rheumatiſmus *particularis uni membro incumbens.* 478. §. 43.
Rheumatiſmorum *differentiæ.* 479.
Criticus Rheumatiſmus. *ibid.*
Cum febre vel ſine febre. 478.
Rheumatica Lumbago *quid ſit.* 479. §. 45.
Nephritim æmulatur. ibid.
Quomodo ab ea diſcernatur. ibid.
Ejus ſymptomata. ibid.
Curatio. ibidem.
Ricini *folia applicata ad* lactis *redundantiam minuendam.* 393.
Ridere *aliquando obſervata ſunt alia* animalia *præter* hominem. 184. §. 24.
Ridere *quare* Democritus *Philoſophus ſæpiſſimè fuerit viſus.* 184. §. 24.
Ridere *cur* Heraclitus & *Craſſus nunquam viſi ſint.* ibidem.
Ridendi conſuetudo *ita* Diaphragma *diſponit ut levi occaſione* Cachinnus *moveatur.* 184. §. 24.
Rigor *quid à* Rheumatiſmo *differat.* 468. §. 12.
Riſus Sardonius *in* mulieribus *hyſterica ſuffocatione affectis unde procedat.* 183. §. 24.
Riſus *cur hominibus ſit* proprius *reliqua* animalia *non rideant.* 184. §. 24.
Riſus *etiam competit* ſimiis. ibid.
Riſum *quomodo* lætitia & gaudium *moveant.* 184. §. 24.
Roborantia *ad præcavendam* uteri *ſuffocationem.* 201. §. 84.
Rob ſambuci *applicatum forma Emplaſtri ad* Eryſipelas mammarum. 359.
Roberti *herba ſive* Geranium Robertianum *cum* ſpermate ranarum *ſpecificum ad* cancrum. 368.
Rochæ alumen *in balneis æſtivis puerperarum.* 346.
Roſarum *conſerva ad* vomitum *infantium.* 653.
Roſarum Tinctura *in* Rheumatiſmo. 477.
Eam parandi modus. ibid.
Roſæ rubræ *incoquendæ vino rubro ſtiptico ad fovenda genitalia puerperarum, ut redux fiat* virginitas. 346.
Roſarum placenta *frixa in ſartagine cum vino generoſo, pulvere coriandri & nucis moſchatæ inſperſa,* abortum *præcavet.* 277. §. 14.
Roſa rubra *ad minuendam tenuitatem ſanguinis & bilis.* 250.
Ejus ſyrupus uſu externo ad mammillarum *fiſſuras.* 376.
Roſarum *odor quomodo aliquando ſuffocationem* Uteri *inducat.* 190. §. 41.
Roſmarinus *in* uteri *ſuffocatione.* 191. §. 46.
In balneis pro puerperis *hyemis tempore uſurpandis.* 346.
Roſſolis *Taurinenſe.* 256.
Ejus uſus in tuſſi *à frigore cauſata.* 256.
Rotulæ lac *augentes Minſichtii.* 382.
Aliæ ad idem. 386.
Chalybeatæ *ad inflationem ventris infantium.* 657. §. 15.
Rubeolæ *ſive morbilli infantium.* 651.
Signa eorum. ibid. *Curatio.* ibid.
Rubeta *ſive bufo calcinatus appenſus ſupra regionem ſtomachi incontinentiam urinæ puerperarum ſanat.* 347.
Rubetæ *enixa loco fœtus à parturiente legitimo tempore* 212. §. 2.
Rubrica *fabrilis ad impediendum nimium incrementum mammarum.* 373.
Rugarum *ventris à partu curatio.* 347.
Ruta *trita cum melle pubi impoſita præſens eſt ad dolorem* uteri *remedium.* 74.
Ruta *fugat* dæmones. 222. §. 29.
Rutæ *decoctum ad balneum in* mola *deturbanda.* 243.
In ſpaſmo *flatulento gravidarum.* 250.
Ruta lactis *copiam ſenſibiliter minuit.* 390.
Ruta *ſylveſtris ad* faſcinum. 539.
Ruta & allium *ad præcautionem venenorum, loco & tempore ſuſpectis omnibus præſervativis præſtant.* 542. *Ad incontinentiam* urinæ *in pueris.* 667. §. 58.
Ruta *Capraria ad morſum* viperæ. 587.

S

Sabinæ *ſyrupus compoſitus, ſecretum ſingulare in deſperata ſuppreſſione* menſtrua. 95. §. 45.
Sabinæ *oleum cum liquore appropriato ad guttas* v. *aut* vi. *ad* menſes *movendos.* 93. §. 41. 98. §. 52.
Sabina *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Pro balneis *hybernis puerperarum.* 346.
Ejus folia ad fœtum *mortuum excutiendũ.* 290. §. 349.
Sabina *in clyſtere ad deturbandam* molam. 242.
Sacer morbus *ſive* Epilepſia *infantium.* 626.
Ejus cauſa frequens eſt terror. *ibid.*
Sæpius Diæta vitioſa, lac *male diſpoſitum.* ibid.
Si mater *prægnans vel* nutrix acetoſis *veſcatur, infans hoc* pathemate *culpam maternam luit.* ibid.
Sacri infantium *morbi variæ* cauſæ. 626. §. 42. 627. §. 42. 43. 628. §. 43. *Signa* Epilepſiæ *infantium cauſas indicantia.* 628. §. 44. *Cui* ætati *potiſſimum contingant.* 628. §. 43.
Sacri morbi *à corrupto* lacte *ſigna.* 628. §. 44.
Curatio. 628. §. 45.
A Vermibus *ſigna.* 628. §. 46.
A Difficili dentitione. 628. §. 47.
Sacri morbi *infantium curatio.* 626. §. 42. 629. §. 48.
Varia ſpecifica, Pulvis Lycopodii. 629.
Farina julorum Coryli. *ibid.*
Fel catelli nigri. *ibid.*
Sacri morbi infantium *remedia externa.* 629.

Spinæ dorſi *inunctio*. *630*. narium. *ibid.*
Et temporum. *ibid.*
Sacri morbi *infantium prophilactica*. 630. §. 48. *631*.
Sacri morbi *curatio in ſymptomate*. ibid.
Sacri morbi *infantium deuteropatica curatio per affectarum primariò partium curationem*. *631*.
Cauſticum *occipiti inuſtum*, *tum præſervationis gratia*, *tum* ſymptomatis *palmarium medicamentum*. 631. §. 49.
Miſtura *ad collutionem capitis*. ibid.
Saccarum Saturni *minera* Saturni *ad* chloroſin. 168. §. 45.
Saccarata *gravidis vomiturientibus non ſunt offerenda & quare*. *252*. §. *10*.
Saccarum ſaturni *ad ulcera uteri*. *18*. §. *48*.
Saccarum candum *in* tuſſi. 255.
Sacculi *ad* abortum *præcavendum ventri appoſiti*. *277*. §. 14.
Sacculi *farinis* ſiliginis, hordei & fabarum *repleti* mammarum *eryſipelati applicandi*. *359*.
Item ex floribus ſambuci. *ibid.*
Sacculus *ex variis ſimplicibus in ſartagine torrefactis ad* mammas *tumentes*. *365*.
Saccarum *aſperſum excoriationibus papillarum ad conſolidationem*. *376*.
Sacculi *ad ventrem fovendum in* mola.
Sagapenum ſterilitati *ex maleficio medetur*. 222. §. *29*.
Sal *torrefactum in ſacculo incluſum ad fotum pro* ſpaſmo *flatulento gravidarum*. *250*.
Salamandra *quid ſit*. 600.
Quale venenum gerat. ibid.
Symptomata ab eo epoto. ibid. *Curatio*. ibid.
Sal *aut* ſalſamentum *imponendum morſui canis rabidi*. 595.
Sal aromaticum *volatile oleoſum ad ſterilitatem perſanandam*. *221*. §. *22*.
artemiſiæ ad ſuppreſſos menſes. 172.
Juniperi *ad* Chloroſin. 172.
Jovis *in* uteri *ſuffocatione*. 195. §. 63.
Martis *duplicatum ad* aſtacorum *ad præcavendum* abortum. 273.
Ad reſerandas obſtructiones uteri. 349.
Salia martialia *acidum imbibendo paroxyſmum* hyſtericum *præcavent*. 188.
Sal martis veneris, *uterum ſummopere expurgat*. 39. §. 18.
Ononidis *ad* virgineum *morbum*. 172.
Mirabile minerale *ad partum facilitandum*. 308. §. 40.
Sacerdotale in imbecillitate uteri. *75*. §. *1*.
Ejus deſcriptio. ibid. *effectus*. ibid.
Vitrioli *communis*. 39. §. 8.
Vitrioli *in* partus *difficultate*, *ad* Menſium *ſuppreſſionem*, & *in inflammatione* uteri. 39. §. 18.
Satyrii *ad* ſterilitatem. 223. §. 30.
Salia volatilia *præſertim oleoſa*, aperientia & emmenagoga *ſunt*. 94. §. 45.
Uſurpantur quovis tempore inter prandendum & cænandum, *ex hauſtulo vini*, *juſculi*. &c. 102. §. 69.
Utiliter etiam ſumuntur jejuno *ſtomacho*, *ad ingreſſum vel egreſſum* balnei. *ibid.*
Salia volatilia *oleoſa*, *aromatica præſervant à* fluore albo & *præſentem ſanant*. *150*. §. *35*.
Omnem humorum acredinem edulcorant & imbibunt. 2. 6. §. 19.
Salia volatilia *qua ratione proſint in gravidis*. *250*.
Ad menſes *movendos plurima*. 173. §. 51.
Volatile rutæ ad menſes *movendos in* Chloroſi. 173. §. 55.
Oleoſum *Silvii ad idem*. ibid.
Salia volatilia *in paroxyſmo hyſterico præ cæteris ſuccurrunt*. 188. §. 34. 195. §. 63.
Salia volatilia *oleoſa*, *bilis acrimoniam compeſcunt*, *250*.
Eadem fermentationem in ventriculo promovent. ibid.
Cautiones in uſu eorum. *250*.
Salia volatilia *conferunt ad* lactis *generationem*. *385*.
Corrigunt humores à ſummo mœrore corruptos. *290*.
Sal uterinum. 308. Sal Lucinæ. 308
Sal vitrioli *in ſuffocatione* uteri. 200. §. 81.
Sal ſaturni *in injectionibus ad* furorem *uterinum*. 208. §. 16.
Salviæ *ſucci hemina epota certo experimento valet ad* ſterilitatem *mulierum arcendam*. 223 §. 31.
Eadem ad fotum *in* ſpaſmo *gravidarum flatulento*. 250.
Ejus decoctum ad dolorem dentium *prægnantium*. 254. §. 13.
Minoris decoctum ad ſupprimendum nimium mammarum *incrementum*. *261*.
Lactis *copiam minuit*. *390*.
Valet & præſervat à faſcino. 539.
Sambuci *flores ad abortum præcavendum*. 277. §. 14.
Applicati mammarum *inflammationi medentur*. *356*.
Comeſti lactis *copiam faciunt*. *381*.
Sambuci *rob ſudorem provocat*, mammarum *inflammationi medetur*. *356*.
Sambuci *fungi ad ranulas infantium*. 638.
Sambuci *flores ad* Ephelidas *gravidarum*. *264*.
Craſſitiem lactis *emendant*. *399*.
Sambuci umbra *qualem* noxam *inferat*.
Sanatores *qui dicantur*. 587.
An quod dicitur, *morbos eos viſu perſanare poſſit naturaliter effici*. 587.
Sanguis draconis *ad* uterinam *hæmorrhagiam ante* partum. 272.
Sanguinis *poſt* partum *fluxus nimius*. 323.
Ejus cauſa. ibid. *curatio*. ibid.
Sanguis draconis *ad ſanguinem cum lacte ad* mammas *affluentem*. 380.
Sanguis *mulierum ſeroſior eſt & quare*. 166. §. 37.
Sanguis *in* venis *non concreſcit*. 115. §. 14.
Sanguinis *eruptio per* diapædeſin *minùs eſt periculoſa*, *per* rexin & anaſtomoſin *periculoſior*, *ſed facilioris eſt curationis*, *per* diabroſin *eſt periculoſiſſima*. 123. §. 11.
Sanguinis *larga profuſio minus eſt timenda in mulieribus quàm in viris*, & *cauſa hujus*. 123. §. 11.
Sanguinis *univerſi correctio feliciter perficitur per medicamenta uſualia brevibus intervallis exhibita*. 151. §. 35.
Sanguis draconis *diſſolutus in Clyſteribus conſtringit & ſiſtit* fluxum *alvi gravidarum*. 1254.
Sanguis *anſerinus in* ſcyrrho *uteri*. 40. §. 9.
Sanguis *utiliter mittitur in* uteri *procidentia*. 63. §. 56.
Sanguinis *miſſio ex brachio in* ulcere *uteri debet fieri inſtantibus* menſtruis. 69. §. 11.
Sanguis *eſt largiore manu evacuandus in* menſium *ſuppreſſione*, *in corpore extenuato*. 87.
Sanguinis *periodica vacuatio per pulmones*, *loco* menſtrui *uterini*. 88. §. 13.
Sanguinis *qualitate peccantis ſigna*. 88.

Sanguinis *quantitate excedentis Signa.* ibid.
Sanguinis *in motu peccantis nota.* ibid.
Sanguis menſtruus *in ſtatu naturali debet eſſe coloris rubei, & mediocris conſiſtentia.* 107. §. 87.
Sanguinis *eſus quare Iudæis à Deo prohibitus fuit.* 231.
Sanguinis *ſuperflui & redundantis noxa, & earum cauſa.* 88. §. 15.
Sanguini menſtruo *non ſecus ac ſalivæ canis rabidi ineſt fermentum furoris ſæviſſimi.* 89. §. 15.
Sanguinis *miſſio in plethorica conſtitutione ubi* menſtrua *ſunt ſuppreſſa, debet celebrari larga manu in brachio, antequam cogitetur de inferiorum venarum apertione, & cauſa.* 101.
Sanguinis *penuriâ, ſi* menſes *ſupprimantur, provocatio illorum non eſt molienda.* 101. §. 63.
Sanguinis *penuriam non ſemper indicat extenuatio corporis.* 101. §. 63.
Sanguis *larga manu quandoque detrahendus, mulieribus ſuppreſſione laborantibus etiamſi extenuatæ fuerint.* 101. §. 63.
Sanies *ab* ulcere *uteri diſtinguitur difficulter à fluore muliebri.* 69. §. 11.
Sandaraca *quale venenum ſit.* 554.
Remedia. ibidem.
Saponis *aqua quæ ſymptomata inferat imprudenter hauſta.* 582.
Saponis ſpuma *ad tumorem* mammarum *flatuoſum.* 364.
Sapa vomitoria *Sylvii.* 558.
Saphænæ *ſectio in* mola. 240. §. 13.
In Chloroſi. 170. §. 53.
Sapphirus *fœcunditati obeſt.* 315. §. 8.
Satietas *gravidis nocet.* 267.
Satureia partum *facilitat.* 309.
Satyrii *radices ad* ſterilitatem. 223.
Saracenica *ad* Cancrum *mammarum.* 371.
Saturni ſal *in affectibus* cancroſis. 374.
Satyriaſin *mulierum producit liquor in proſtatis contentus, ſi retineatur & turgeat diutiùs.* 168. §. 45.
Scabies *infantium.* 669. *ejus differentia.* ibid.
Cauſa. ibid. *Curatio.* ibid.
Scabioſa *ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Scammonium *blandum remedium.* 35. §. 17.
Scammonium *quales noxas inferat.* 580.
Ejus remedia. ibid.
Scarificationes *ſuper plagam à venenato animali inflictam.* 581.
Scirrhus. 37. §. 48.
Scirrhus. 42. §. 3. *Ejus ſigna.* ibid. *cauſæ.* 42.
Curatio. 42.
Differentiæ. ibid. *Prognoſis.* 42. §. 8.
Quomodo diſtinguatur à mola. 42. §. 3.
Proceſſus curationis. 43. §. 9.
Scirrho *extincta mulier, & quæ obſervata fuerunt in ipſius cadavere.* 44. §. 10.
Scirrhus *in genere quid ſit.* 361.
Ejus differentiæ. ibid.
Cauſæ. 361. *Prognoſis.* ibid.
Scirrhus *occupare poteſt tam internas quàm externas partes.* 361.
Confirmatus *& indolens eſt incurabilis.* 361.
Scirrhi incurabilis *nota eſt indubia, ſi pili ei ſupercreſcant.* 362.
Scirrhus *quomodo à* Cancro *differat.* 363. §. 45.
Repercutientia *ſcirrho utiliter adhibentur.* 363. §. 47.
Scinci *renes contra* ſterilitatem. 223.
Schyronii *pulvis ad pallidos colores.* 172. § 53.
Schænantum *cum aliis appropriatis pro fotu* genitalium *puerperarum ad conſolidationem eorum.* 346.
Ad ſuppreſſionem Lochiorum. 329.
Sclarea *ad* faſcinum. 539.
Sclareæ *ſive Orvalæ Vnguentum ad* fluxum *muliebrem.* 154. §. 4.
Scleroma *quid.* 42. §. 2.
Scolymorum *capita exhinata venerem ſtimulant.* 209. §. 12.
Scoria Reguli antimonii *pro ſuffitu ad provocanda* menſtrua. 94. §. 57.
Scorzoneræ *radix ad Chloroſin.* 173. §. 57.
Ad febrem Purpuream puerperarum. 332.
Scordium *ad idem.* ibid.
Scoria *ferri in menſium ſuppreſſione.* 97.
Scorpionis *cauda inopinanti amputata, ſi admota carni fuerit, vulnus infligit, venenatæ qualitatis expers.* 585.
Scorpiones *quid ſint, eorum deſcriptio.* 591.
Eorum virulentia, & ſymptomata ad Vulnus *ab iis inflictum.* 591. §. 13.
An ex herba baſilici intra duas tegulas produci poſſint. ibid.
Scorpiones *non vulnerabunt partem, ſi priùs fuerit ſucco raphani inuncta.* ibid.
Curatio Scorpione *ictorum.* 591. §. 13.
Scrophulariæ *radix ad* Ephelidas *gravidarum.* 264.
Scutella *lignea oleo* rutæ *inuncta &* allio *fricata, applicata umbilico ſuffocationi* uteri *prodeſt.* 197. §. 73.
Scylla *maleficio introducta* Sterilitati *medetur.* 222. §. 29.
Secundina *humana ad affectus* hyſtericos. 27. §. 31.
Secundina *exſiccata pulveriſata* menſes *violenter fluentes ſiſtit paulatim, ſed abuſus hujus remedii* ſterilitatem *inducit.* 129. §. 35.
Suffocationi uteri *medetur.* 195. §. 63.
Modice ſumpta tantùm abeſt ut conceptioni *obſit, quin è contra fœcunditatem auget.* 223.
Secundinæ *pulvis ſuper omnia medicamenta* fœtum *mortuum pellit &* molam *excutit.* 249.
Modus eam exhibendi. ibid. *doſis.* ibid.
Secundina ovis & capræ *ad idem.* ibid.
Secundinæ *particula quantumvis minima, ab utero avulſa nunquam conglutinatur.* 271.
Secundinæ *pulvis ad* ſecundinam *deturbandam.* 317. §. 67.
Secundina *poſt puerperium debet adhuc calens abdomini puerperæ admoveri, & illius praxis utilitas.* 345.
Secundina *ſi antè* fœtum *exceſſerit fœtus mortui eſt indicium neceſſarium & certiſſimum.* 348.
Secundinæ *retentio.* 313.
Placenta *ſive* Secundina *retenta tumorem* uteri *monſtroſum produxit.* 313. §. 59.
Quid obſervatum in eius anatomica adminiſtratione. ibid.
Secundina *quid ſit & unde ita dicatur.* 313. §. 59.
quæ ejus partes. ibid.
Ejus cum utero *connexio.* ibid.
Secundinæ *retentæ prognoſis.* 313.
quæ inducat ſymptomata. ibid. & 314.
Præcipuum inter ea eſt faucium & linguæ *inflammatio.* 314.
Qua ratione hoc ſymptoma producatur à ſecundina *retenta.* ibid.
Secundinæ *extrahendæ methodus.* 314. *cauſæ* ſecundinæ *relictæ in* utero *poſt partum excluſum.* ibid.
Si funis *umbilicalis ruptus vel manu elapſus fuerit quid agere debet obſtetricans, ut* Secun-

dinam prehendat. ibidem.
Cautiones variæ in ea extrahenda. ibid.
Extrahi ſi omnino nequeat, quid agendum. ibid.
Secundinæ retentæ curatio per Pharmaca. 314.
Injectiones in uterum ad ſuppurationem promovendam. ibid.
Clyſter acrior quo fine iniiciendus. ibid.
Venæ ſectio in quos fines ſit celebranda. ibid.
Corroborantia juſcula. ibid.
Secundina quo minor fuerit eo difficilior eſt ejus extractio. 315. Ejus ratio. ibid.
Abortu facto difficilius extrahitur quàm ſi naturalis fuerit partus. ibid.
Secundina ſponte poſt ſeptimanas ſex excluſa. ibid.
Cum Secundina uterus exemptus. 315.
Puerpera partes in excludenda Secundina. 316.
Secundina excluſa quid ſit obſervandum. 316.
Secundina non obſequente ejus excluſio violenta attractione, non eſt molienda & cur. 316.
Secundinæ retentæ cauſa externa. 316.
Signa diagnoſtica Secundinæ vel ipſius particulæ in utero retentæ. ibid.
Cauſa interna ejus retentionis ſigna. ibid.
Secundina retenta iiſdem curatur remediis quibus fœtus mortuus. ibid.
Medicamenta ad ſecundinæ retentionem varia. ibid.
Præſtat ſecundinam chirurgia educere quàm medicamentis & quare. 317. §. 94.
Secundinâ non obſequente ſuppurantibus injectionibus utendum eſt. 318.
Cautiones in earum uſu. ibid.
Semen mulieres non habent, ſed ova. 146. §. 18.
Seminis & medullæ ſimilis eſt materia. 206. §. 7.
Semen quomodo à teſtibus mulierum ad uterum perveniat. 217. §. 16.
Semen ſi ante tertium diem ab utero effluat generatio non fit. 224. §. 38.
Semen ſi per tres dies in utero ſit commoratum generatio eſt facta, nec ampliùs effluit. 224. §. 38.
Semen poſt admiſſum quieſcere debent mulieres nec ſe movere quantam poſſunt, ne illud emittatur. 224. §. 38.
Semen quare in uterum injectum & admiſſum inde poſtea excidat. 224. §. 38.
Semen non retinetur uteri culpa, ſi uterus laxior ſit. ibidem.
Cauſa ejus uteri laxitatis & imbecillitatis. ibid.
Signa iſtius affectus obſervanda ut cauſa ſterilitatis innoteſcat quam noſſe ſæpe eſt operæ pretium. 224. §. 38.
Semen meliùs in utero contineri, ſi mulier poſt coitum ſe in latus convertat & femora decuſſatim unum alteri imponat fabuloſum eſt. 225. §. 39.
Semen non eſt cauſa materialis fœtus. 225. §. 39.
Semicupium cum cautionibus ad illius uſum in gravidis ſuppreſſione urinæ laborantes. 262.
Semicupium ex decocto aſtringentium in vino rubro & aqua ferrata pro uteri prolapſu. 60. §. 44.
Cautiones obſervandæ neceſſario in uſu ſemicupii, & fomentationis aſtringentis in hoc caſu, 60. §. 44.
Semicupium ad fœtum mortuum. 549.
Semicupium ad ciendos menſes. 98. §. 53.
Sempervivum majus emendat & incraſſat tenuitatem nimiam ſanguinis & bilis. 250.
Sempervivi ſuccus ad Cancrum mammarum. 369.
Senecio cum floribus malvæ & ſtramine lentium cataplaſmatis forma applicatum mirè mammarum inflammationi medetur. 356.
Senecionis decoctum ad ſuppreſſionem urinæ in infantibus. 668.
Sennà in vino infuſa in prima menſa aliquot intervallis bibita, cancro affectis opitulatur. 368.
Sennæ uſus in gravidis. 269.
Senna parva doſi exhibita in prægnantibus vomitu contumaci vexatis. 252.
Sennæ aliud purgans in infuſione vel decoctione non addendum, ne immutetur vel retundatur eius efficacia. 92. §. 41.
Serpentariæ ſive viperinæ virginianæ radix ad ſuffocationem uteri. 199. §. 77.
Serpentum lapis quid ſit. 588.
Eius vires ad morſus venenatos. 587.
Serpentum Indicorum Cobras de Camelos dictorum lapides, impoſiti morſui venenato quid juvent. 583. §. 7.
Serpentes quale gerant venenum. 598.
Eius curatio. ibid.
Serpens in corpus dormientis irrepens, & inde ſymptomata. 598.
Modus eum evocandi. ibid.
Serpens ſeps dictus, qualis ſit ſpeciei. 598.
Symptomata ab ipſius morſu procedentia. ibid. Curatio. ibid.
Serpentaria ſive Viperina Virginiana quid conferat ad vermes infantium necandos. 662.
Serpentariæ ſive dracunculi præparatio ad pulverem Benedictum pro cancris. 368.
Serpillum in uteri ſuffocatione. 191. §. 46.
Serum lactis ad ulcera uteri. 15. §. 35.
Serum alimentarius eſt humor non verò aqua pura. 403.
Seri lactis uſus in rheumatiſmo. 477.
Eius præparatio in eum uſum ex Amato Luſitano. ibidem.
Ex Quercetano. 477.
Serum lactis in furore uterino & quomodo eo utendum. 208. §. 16.
Seſami ſemen ad lac augendum. 385.
Sigilli Salomonis radix ad Ephelidas prægnantium. 264.
Siccitas eſt lima caloris. 75. §. 1.
Siler montanum contra ſterilitatem. 223.
Siliginei panis cataplaſma ad lactis redundantiam tollendam. 394.
Simiæ habent omentum protenſum uſque ad pubem. 5. §. 12.
Simiæ ſola inter bruta animantia menſtrua patiuntur purgamenta. 83. §. 4.
Singultus eſt mali ominis in pertinaci vomitu gravidarum. 252. §. 10.
Sinapiſmus ad lac augendum. 385.
eius deſcriptio & cautiones in eius uſu. ibid.
Sinapi lac craſſius emendat. 399.
Singultus infantium. 653.
Quæ ſint eius cauſæ. ibidem.
Quando ſit exitioſus. ibid.
Cauſa ſingultus contumacis. 653.
Curatio ejus ſi à lacte nutricis vitioſo procedat. ibidem.
Si à flatibus. 653. Si à tomo ventriculi refrigerato. ibidem.
Si à calidiore ventriculo. ibidem.
Modus has cauſas internoſcendi. 653.
Curatio ſpecifica. ibidem.
Singultus infantium à quacunque cauſa procedat curatio. 653.
Victus ratio. ibid.
Siſymbrium aquaticum ſterilitatem inducit. 215. §. 68.

Situm an idoneum ad naſcendum fœtus obtineat modus cognoſcendi. 298.
Smaragdus fæcunditatis obeſt. 215. §. 8.
Ad molis curationem adhibetur in amuleti forma. 241.
valet contra abortum. 286.
Smyrnium lac auget. 382.
Solani ſuccus ad Cancrum uteri. 19. §. 48.
Ad cancrum mammarum. 369.
Solanum ut eſt venenoſum. 575.
Ejus qualitates malignæ. ibid. Remedia. ibid.
Solanum furioſum & eius deſcriptio iconographica. 575.
Symptomata ab ejus imprudenti uſu procedentia. ibidem.
Curatio. ibidem.
Sola piſcis ſaporis & ſucci probi. 384.
Sanguinis copiam generat. ibid.
Sol fulminans in infantium torminibus ventris. 656.
Ejus doſis & modus exhibendi. ibidem.
Miri ejus effectus. ibidem. modus operandi. 656.
Spanadrap ad rugas ventris à partu. 374.
Minſychtii de ſpermate ceti ad redundantiam lactis. 393.
Spaſmus flatulentus gravidarum. 250.
Dicitur gallicè La Crampe. ibidem.
Cauſa ejus & ſigna cauſarum. ibid. Prognoſis. 250.
Curatio. ibid.
Species diajovis Minſychtii ad uteri ſuffocationem. 191. §. 46.
Diachriſtalli ad copiam lactis augendam. 382.
Diaboracis Minſychtii ad menſes movendos in morbo virgineo. 173. §. 55.
Diaireos ad tuſſim infantium. 642.
Sperma Ceti ad grumum ſanguinis diſſolvendum in difficultate menſtruorum, ſive ſtillicidio. 115. §. 15.
Ad grumos ſanguinis in utero poſt partum hærentes. 322.
Ad ſuppreſſa lochia. 328.
Ad vagos puerperarum dolores. 348.
Ad rugas abdominis poſt partum. 347.
In tuſſi infantium. 645. §. 15.
Spiritus compreſſione valida poteſt fieri procidentia uteri. 64. §. 61.
Spiritus genitalis maris totam fœminam alterat. 189.
Spiritus generativus fœcundat ova quorumcumque animantium, Materia ſeminis non concurrente. 228.
Spirituoſa quare conducant ad vires reſtituendas in gravidis. 260.
Spiritus abſynthii, ad immergenda lintea ſuperponenda membro occupato à ſpaſmo flatulento gravidarum. 250.
Aniſi ad idem. ibidem. Calami aromatici ad idem. ibidem.
C. C. ad Hydropem uteri, 48. §. 14.
idem in affectione hyſterica. 196. §. 63.
Fœniculi ad ſpaſmum gravidarum. 250.
Fuliginis ad obſtructiones reſerandas. 94. §. 45.
Juniperi è baccis ad ſpaſmum gravidarum. 250.
Salis Ammoniaci ſimplex & compoſitus oleoſus. 93. §. 44.
Ad obſtructiones contumaces. 94. §. 45.
Eius uſus & abuſus. 102. §. 64
Ad ſuffocationem uteri. 191. §. 46.
Spiritus ſalis armoniaci ad Convulſiones Hyſtericarum mulierum. 348.
Ad auſteritatem ſanguinis emendandam. 289.
Salſus ZWelferi ad molam deturbandam. 242.
Spiritus ſalis armoniaci cum calce viva & ſpiritu vini paratus valde promovet ſuppurationem mammæ & dolores minuit. 358.
Spiritus ſalis dulcis ad Chloroſin. 168. §. 45.
Salis nitri dulcis in ſuffocatione uteri. 196. §. 63.
Sambuci ad ſudores movendos in cachexia. 172.
Tartari ad idem. ibid.
Tartari duplicatus ad Secundinæ excluſionem. 547.
Terræ ſigillatæ ad ſiſtendos menſes immoderatos. 124. §. 17.
Vini ambariſatus ad epilepſiam hyſtericam. 185. §. 27.
Vini Moſchatus ad idem. ibidem.
Vini in balneo puerperarum hyberno tempore. 346.
Vitrioli in Arthritide. 438. §. 105.
Vitrioli veneris ad omnes uteri affectus. 126. §. 25.
Zedoariæ ad convulſionem hyſtericam. 348.
Spiritus ſecundinæ humanæ ad dolores poſt partum ab uteri excoriatione. 322.
Theriacalis ſimplex & Camphoratus ad ſudores movendos in Cachexia. 172.
Spiritus vini indicationi vitali in uteri ſuffocatione ſatisfacit & venenatam auram reſolvit. 192. §. 47.
Quomodo eius potio abortum excitet. 280.
Spica nardi in nimio menſium fluxu. 129. §. 37.
Spina ventoſa. 373.
Quid ſit & eius cauſa. ibidem.
Spondylii radix ad Cancrum uteri: 17. §. 47.
Spongiæ elychnium ad fiſtulam uteri. 17. §. 47.
Spodium ex ebore ad abortum præcavendum. 283.
Squatina piſcis mammis applicatus earum incrementum præpedit. 373.
Staphidiſagriæ intra ſumptæ noxæ & pericula. 581.
Curatio. ibidem.
Stercus columbinum ad partus difficultatem. 356.
Stercoris gallinæ vis alexipharmaca. 545.
Stercus Leonis ad Epilepſiam infantium. 629.
Ciconiæ ad idem. ibid.
Vaccæ & Corui cum ad lecti ingreſſum ebibitum ſtatim affectum hyſtericum ſolvit. 195. §. 63.
Stercoris bovis ſuffitus ad prolapſum uteri. 58. §. 29.
Stercoris equi ſuccus recens, vel per ſe, vel cum vino propinatum, ad uteri dolores. 79. §. 13.
Stercus aſininum ad fluorem muliebrem. 153.
Caprinum ad idem. 155.
Sterilitas an fiat ex omenti compreſſione. 5. §. 12.
Sterilitas inducitur ab ulcere uteri. 69. §. 11.
Sterilitatis ſpecies incurabilis. 109. §. 98.
Sterilitas quid ſit. 211.
Vteri duo in una muliere. 211. §. 1.
Conceptio facta in ſecundo utero. ibid.
Sterilitas hic latè ſumitur pro quacunque concipiendi impotentia. 213. §. 3.
Steriles mulieres quædam ſunt aliàs proſpera valetudine utentes, & ſaniores iis quæ parturiunt. 213.
Steriles cur ſint Virgines. ibid.
Steriles ſunt plerunque quæ menſtrua nunquam ſunt paſſæ. ibid.
Vel quibus ſuppreſſa ſunt. ibid.
Vel irregulariter moventur. ibid.
Quæ menſes albos vel dolorificos patiuntur. ibidem.
Sterilitatis cauſa. 213.
Accidit vel ſeminis, vel penis, vel menſtrui ſanguinis vitio. ibid.
Semen vel deeſt vel ineptum eſt. ibid.
Seminis vitia ſterilitatem inducentia. 213.

Cauſæ eorum defectuum. ibid.
Lienoſi ſemine abundant. 213.
Sterilitas quandoque contingit quando ſemen eſt improportionatum & male conveniens cum altero ſemine. 213.
Sterilitas oritur ſi mas & fœmina tempore differenti ſemen ejaculare conſueverunt. 213.
Variæ cauſæ ex ſeminis naturâ, motu, excretionis modo oriundæ. 213. & 214.
Sterilitas vitio membri virilis producitur raro, ſi ita conformatum ſit ut actum venereum exercere poſſit. 214.
Longitudo major vel minor eam inducere non ſolet. ibid.
Paralyſis eius poteſt. 214.
Sterilitas vitio ſanguinis menſtrui oritur, ſi id deeſt. 214.
Si ſit malè diſpoſitum. ibid.
Sterilitas vitio ipſius uteri oriri poteſt ab ipſius intemperie, præſertim frigida, calida & ſicca raro proſtat. ibid.
Ab occluſione ipſius. ibid.
Sterilitatis præjudicia, ſive ſigna in mulieribus eas minùs fore fœcundas indicantia. 214.
Sterilitatis ſigna diagnoſtica. 214.
Signa ſterilitatis vitio partium genitalium. ibid.
Ætas conceptioni inepta. ibid.
Corporis conformatio conceptioni, vel fætus geſtationi inepta. ibid.
Odium inter conjuges ut conceptui obſit. 214
Morbi particulares ſterilitatem inducentes. ibid.
Eorum notitia per relationem Chirurgi vel obſtetricis acquirenda. 214.
Sterilitatis ſigna à ſeminis corruptela. 214.
Vteri indiſpoſitio. Vide Capite proprio.
Maleficii ſigna. 214.
Ab alimentis vel venenis unde petenda. ibid.
Morborum malignitate ſua ſemen extinguentium diagnoſis. 214.
Signa demonſtrantia ſterilitatis defectu ſanguinis menſtrui. 214.
Sterilitas à nimia ſanguinis copia quibus mulieribus contingat. 214.
Quomodo fiat. ibid. ejus ſigna diagnoſtica. ibid.
Sterilitas à diſproportione ſeminum cognitu eſt difficilis. 214. ejus ſigna. ibid.
Sterilitas à cauſa occulta. 214. Signa eius. ibid.
Varii modi cognoſcendi an mulier futura ſit ſterilis an fœcunda. 214.
Hippocratis experimentum per ſuffitum. ibid.
Alii in obſcænis collocatio ut indicet an mulier futura ſit ſterilis. 214.
Quare odorata natura foribus applicita, ſi caput & organa ſenſus afficiant fœcunditatis notæ ſint. ibidem.
Signa tamen ex his petita non ſunt adeò certa. 214.
Sterilitatis Curatio. 214. §. 7. &c.
Cauſarum differentiis eſt petenda. ibid.
Et ideò in curatione affectuum alibi deſcriptorum perquirenda. 214.
Sterilitatem inducentes cauſæ procatarcticæ removendæ, & inter eas venena vel alimenta proprietate contraria. 215. §. 8.
Sterilitati medentia totâ ſubſtantia conducentia. 215. §. 8.
Sterilitatis differentiæ. 215. §. 11.
Fit vitio maris, fœminæ, vel utriuſque. 216. §. 11.
Morbi ex quibus oritur infœcunditas. ibid.
Sterilitatis differentiæ noſcendæ ſunt ad curationem, quandoquidem tractandi ratione differt, ſi ad totum habenda eſt ratio; vel ad uterum, vel ad Lienem. 216. §. 11.
Steriles omnes mulieres vel ſunt vel fiunt Hypochondriacæ. 216. §. 11.
Sterilitas ab anguſtia genitalium in juvenculis curatione non indiget & quare. 216. §. 12.
Sterilitatis ob anguſtiam meatuum curatio qualis ſperari poſſit. 216. §. 12.
Sterilitatis in genere quatuor ſunt differentiæ & quæ. 216. §. 13.
Steriles quæ nunquam concipere poſſunt. ibid.
Steriles ex improportionato ſemine cum ſemine hujus vel illius viri. 216. §. 13.
Steriles ad tempus quæ cum hoc tempore concipere non poſſint, remotis impedimentis ad concipiendum diſponentur. 216. §. 13.
Steriles quæ ex fœcundis factæ ſunt. ibid.
Steriles non cenſendæ quibus contingit fœtum ad legitimum tempus non geſtare & abortum facere. 216. §. 13.
Sterilitas quomodo inducatur vitio ſanguinis menſtrui. 216. §. 14.
Steriles ab ejus defectu ſunt juniores, ſeniores, nutrices & obſtructæ. ibid.
Steriles cur ſunt Viragines & hermaphroditæ. 216. §. 14.
Steriles à copia nimia ſanguinis menſtrui. ibid.
An omnes mulieres fœcundæ debeant eſſe menſtruales. 216. §. 14.
Graciles inſtantibus menſtruis, plethoricæ ceſſantibus faciliùs concipiunt. 216. §. 14.
Sterilitatis cauſa ex parte qualitatis menſtruorum. 216. §. 14.
Steriles ſunt mulieres ſi ſemine careant. 220. §. 18. concumbere tamen poſſunt, nec ſine voluptate. ibid.
Sterilitatem inducit multiplex cum variis viris coitus. 220. §. 19.
Et cauſa eius. ibidem.
Sterilitatis curatio. 221. §. 22.
Sterilitas à nativitate difficiliùs curatur. 221. §. 22.
Remedium generale eſt Sal aromaticum volatile oleoſum venus nimia diſſolvit vires marium & fœminarum. 221. §. 22.
Sterilitatis ſæpè cauſa eſt diſproportio conjugum. 221. §. 23.
Si ambo conjuges eadem qualitate excellenti polleant, generatio non fit. ibid.
Sterilis mulier primis matrimonii annis quare tractu temporis fœcunda quandoque evadat. 221. §. 23.
Sterilitatis cauſa poteſt eſſe occulta antipathia. 222. §. 25.
Sterilitas frequentiùs eſt ex parte fœminarum quàm virorum culpa. ibid.
Cauſa hujus. ibid.
Sterilitatem inducentia Pharmaca occulta proprietate. 222. §. 26.
Sterilitatis ab incantatione inductæ remedia. 222. §. 27.
Steriles ſunt amplexus inviti. 222. §. 28.
Sterilitati medentia amuleta. 222. §. 29.
Sterilitate laborantes per maleficium introductæ, quid agendum habent ut ſolvatur incantamentum. 222. §. 29.
Sterilitas vitio uteri tribus modis fieri poteſt, & quibus. 222. §. 30.
Quot ex cauſis coaleſcant vulvæ labra. 222. §. 30.
Medicamenta quandoque ita vulvam conſtringunt ut fiat virili membro inacceſſibilis. ibidem.
Sterilitatem inducentes variæ uteri indiſpoſitiones. 222. §. 30.

Steriles ſunt mulieres quæ nimis humidum habent uterum. 222.§.30.
Steriles ſunt etiam quæ ſiccum nimis habent.
Sterilitatem inducunt vlcera grandia & cicatrices inde procedentes, & ratio ejus. 223.§. 30.
Sterilitas at medicamentis Venerem excitantibus curata fuerit. ibid.
Sterilitatis cauſa frequentiſſima eſt intemperies uteri frigida & humida. 223.§.31.
ad Sterilitatem ex frigida & humida intemperie, remedia. 223.§.31. Purgantia. ibid. Diuretica. ibid. Sudorifica. ib.
Sterilitatem quomodo inducat uteri intemperies humida. 223.§.32. Modus quo illa introducatur. ibid.
Sterilitas ob ſitum depravatum orificii uteri. 224. §. 33. Quomodo & quare contingat. ibid.
Sterilitatem quomodo obeſitas cauſetur. 224. §.34. Pingues quædam ſi bene fluant menſes etiam concipiunt. ibi. Modus curandi ſterilitatem ab hac cauſa. ibid.
Sterilitatem etiam efficit extrema macies ſignum malæ diſpoſitionis. 224.§.36. Quomodo diſtinguenda talis macies à ſtatu naturali, craſſitie non incommodo. ibid. Quomodo obeſitas à bono habitu diſtenguatur. ibid. Curatio emaciatarum. ibid.
Sterilitatis à laxitate & imbecillitate uteri ſemen immiſſum non retinente, cauſa ſigna & curatio. 224.225.§.38.
Steriles cur ſint virgines provectioris ætatis, ſaltem ut plurimùm. 225.§.39.226.§.44.
Sterilitas ab intemperie calida, ejus cauſæ, ſigna, & curatio. 225.§.40.
Sterilitatis ab orificii uteri occluſione per mucoſitatem, obturantem Curatio. 227.§.46.
Sterilitas à cauſis externis variis ob quas genitum deturbatur & foras emittitur, 227.§.47. Conſilium in eo caſu. ibid. Variæ cautiones abſolutè neceſſariæ. ibid.
Sterilitatis prognoſis. 228. §.51.
Sterilitatis curatio non temere tentanda, nec promittenda, & cur. ibid.
Sterilitas quæ incurabilis cenſeri debeat. ibid. Quæ ſit medicabilis. ibid.
Sterilis mulier ut plurimùm meliùs valens eſt & iuventutis robur diutiùs conſervat. 228.§ 51.
Sternutatoria ad molam exturbandam. 241.
Sternutatio quid conferat in ſuffocatione hyſterica. 190. in parturitione. 291.308.
Sternutatorius infantium morbus. 641. Eius ſymptomata. ibid. Prognoſis. 641. Unde oriatur. ibid. Eius variæ ſpecies. 641. Remedia. ibid.
Sternutatio vehemens inter præcipuas prolapſus uteri cauſas recenſetur. 64.§.61.
Stillicidium menſtruorum quid ſit. 113. Eius ſigna, cauſæ & curatio. ibid. Differentiæ. ibid.
Stillicidium menſtruorum ab externis cauſis procedens. 113. A ſanguinis fæculentia. ibid. A retentricis imbecillitate. 113.
Stillicidium menſtruorum raro iuvenibus, ſæpius adultioribus contingit. 113.§.1.
Stillicidium menſtruorum & eorum difficultas ſunt differentes affectus. 113.§.3.
Stillicidium menſtruorum morbus eſt longus & per plures dies durans. ibid. Symptomata ſtillicidium menſtruorum comitantia. 113. §.14. Nota quod oriatur ex imbecillitate uteri. ibid. Hoc caſu eſt ſanguinis albentis & pituitoſi. 113.§.4.
Stillicidium ſi fiat à ſanguine fæculento tum ſanguis excretus eſt craſſus & niger. ibid. Si à tenui & acriori, ſanguine ſubinde irritante excretricem, doloris ſenſum & quandoque pudendorum exulcerationem parit. 114.§.4.
Stillicidium dolorificum & purulenti cruoris, eroſionis eſt indicium aliquando vlceris. 114.§.4.
Stillicidium fæculentum. ibid.
Stillicidii menſtrualis cauſæ. 114.§. 5. Quilibet fluxus ſanguinis per uterum menſtruus dici non meretur. 114.§.5.
Stillicidium menſtruum eſt grave malum difficilis curationis, & dubii eventus ob morbos quibus dat occaſionem. 114.§.5.
Stillicidium reddit uxores viris ingratas & præcipitat in tabem. ibid. Eius curatio variat ſecundum cauſarum diverſitatem. 114.§ 6.
Stillicidii ab humoris craſſitie procedentis curatio. 114.§.6.
Stillicidio ab imbecillitate nec debetur venæſectio nec purgatio. ibid.
Stillicidii cum venarum plenitudine curatio admittit venæ ſectionem, ſed ea à pede non eſt inchoanda. 114.§. 6. Curatio ejus ſi cum Cacochymia ſit comunctum. 114 § 6.
Stillicidium menſtruorum aut ordine menſtruali procedit aut inordinatè. 114 §.7. Aut eſt ad tempus aut longioris durationis & tunc à menſium fluxu immodico non differt. ibid. Dolens eſt aut indolens. 114.§.7.
Stillicidii futuri præludia. 115.
Stillicidium urinæ ſive ſtranguria in gravidis. 247.
Stœcadis flores ad abortum 177.§.14.
Strabiſmus infantium. 632.§.55. Morbi hunc affectum producentes. ibid. Ejus cauſæ. 632. Differentiæ ib. Curatio. 632.
Sublimatum ad callum fiſtularum erodendum. 73.
Subligaculum ad uterum gravidum nimis ſuſtinendum. 257.§.21.
Subligaculum eſt cura palliativa procidentiæ uteri adhibenda ubi perfectæ curationis ſpes nulla eſt. 63.§.57.
Succus cinaræ & cicutæ ad mammarum incrementum nimium cum aliis repellentibus mixtus, & inunctus. 373.
Succus acaciæ ad idem. ibid. Cichorei, Plantaginis ad idem. ibid.
Succus cancrorum fluviatilium ad cancrum uteri. 430.
Succus Corrigiolæ ad profluvium alui infantium. 660. §. 29.
Succus cyrenaicus ad Chloroſin. 350.
Succi acidi citri granatorum, berberis & ſimiles utiliter miſcentur cibis gravidarum vomiturientium. 252.
Succinata omnium fluxionum ſunt perfectiſſima remedia. 154.
Succinata ad Chloroſin. 168 §.45.
Succini uſus ad partum facilitandum. 311. Eius eſſentia ad Chloroſin. 172. Oleum ad menſes provocandos. 175. §.55. Ad partum facilitandum. 311.
Succinum & ſuccinata omnia ut conſerant in ſuffocatione uteri. 191.§.46.
Succinum ad faſcinum. 539.
Succiſa ſive morſus diaboli ad arthritidem. 465.
Sudorifera multùm faciunt ad conceptionem. 28. §. 37.
Sudorifica in vlcere uteri. 70.§.1 . 71.
Sudorifica & exſiccantia in fiſtula uteri. 73.§.13. In ſterilitate ab uteri intemperie frigida & humida. 223.§.31.
Sudorifera in fine curæ ſuppreſſionis menſium conferunt. 84.§.8.
Sudorifera quo caſu præſcribenda in lochiorum retentione 327.
Sudorifera in Eryſipelate pappillarum mammarum levi. 375.
Sudorem moventia in lue venerea. 454.
Sudorifica quare lac augeant 382.
Sudorifica ut præſcribantur in rheumatiſmo. 477.§.41.
Suffitus in uterum, præſertim proſunt iis quibus ob craſſitiem ſanguinis menſtrua deficiunt 27.§.34.
Suffitus utiliùs quàm alia localia medicamenta præſcribuntur in dolore hyſterico profundo. 79.§ 14.
Suffimigia ad ulcera uteri profunda. 71.§. 11. Eorum formulæ. ibid.
Suffitus ex putridis uvis prunis injectis, ad menſes ſuppreſſos 87. Item ex ſcoriis reguli antimonii. ibid.
Suffitus ex ſpiritu ſalis Armoniaci per Glauberi tubulum inter omnia medicamenta ad menſes promovendos, præſertim in virginibus commendatum. 103.§.73.
Suffimigia odore excelentia ſive bono ſive malo abortum cuaſari poſſunt. 267.

Suffitus ad fluorem album. 151.§.52.
Suffitus ex ſalvia ad idem.ibid.
Suffitus ex ſulphure antimonii ad fluorem album.152.§.52.
Ex raſura eboris ad idem.ibid.
Ex ſabina ad menſes movendos in morbo virgineo.173.
Timæi ex colocynthide ad idem.ibid.
Ex ſcoriis reguli antimonii ad menſes movendos. 173.
Suffitus quando & quales in uſum vocandi in affectionis hyſtericæ paroxyſmo. 193.§.51.
Suffitus ex ſulphure quid habeant timendum.193.§. 51.
Suffitus ſuaveolentes in affectione hyſterica quibus conducant. 193.§.51.
Sulphuris flores cum borace & oleo cinnamomi ad ciendos menſes.95.§.45.
Sulphuris accenſi fœtor vt proſit in ſuffocatione vteri. 191. §.46.
Sulphur Beſoardicum vegetabile ad vteri ſuffocationem in paroxyſmo. 192.§.47.
Sulphuris flores ingeſti ad uteri ſuffocationem.197.§.63.
Sulphuris Balſamum therebintinatum ad vulvæ rupturam. 346.
Sulphuris balſamum inunctum ad mammarum tumorem. 357.In papillarum exulceratione. 375.
Sulphur accenſum & oleum ſulphuris inſtillatum ad ſanandum virus morſus viperini.588.
Sulphur Antimonii ad inſultus Epilepticos in ſacro morbo infantium. 629.§.48.
Superœtatio quid ſit. 228. Quomodo fieri ſoleat. ibid. Vnde oriatur.228.
Superfœtatio nihil aliud eſt quam iterata conceptio. 334. §. 95. An mulier quæ ſuperfœtationem concepit uno concubitu plures fœtus potuerit concipere.ib.
Superfœtatio an ſit poſſibilis.334.Argumenta ipſius impoſſibilitatem probantia.ibid. reſponſio ad ea argumenta.ibid. Exempla Superfœtationis in muliere.334.
Ad plures fœtus concipiendos ſæpe ſufficit unus coitus.ib.
Plures fœtus edi poſſunt ſi ex ovario excludantur plures.ibid.
Superfœtatio ſi fiat non primis diebus graviditatis fieri poteſt, ationes ejus. 334. Impoſſibile eſt ut vna mulier ex duobus viris uno die concipiat ut ut gemelli ſuppouantur.ibid.
Superfœtatio ſi fiat ea debet contingere circa vel ultra diem ſextum à primo conceptu uſque ad triceſimum.Rationes id ſuadentes.334.
An perpetuæ veritatis ſit eam quæ gemellos geſſit eos excluſuram eadem die qua concepit. 335.
Gemelli in utero unica membrana non concluduntur.335.
Gemelli præter membranam propriam Secundina continentur duobus vel pluribus communi.335.
Superfœtatio ſi facta fuerit plures fœtus plures etiam habebunt ſecundinas 335.
Vnde ſit ut gemelli ſæpe ſint diverſæ magnitudinis.ibid.
Superfœtationem mulier poteſt declinare,gemellorum conſumptionem non item.ibid.
Superfœtationis mirum exemplum. ibid.§.96.
Vterus humanus an ſit bipartitus. 335.
Superfœtatione conceptorum alter poteſt excedere alio intus in utero permanente, quod fieri non poteſt in gemellorum conceptione. ibid.
In embryonis fœminini utero alius etiam Embryo fœminini Sexus repertus. ibid.
Suppoſitoria ut proſint ad fœtus excluſionem.310.
Suppoſitorium ad dolores partus promovendos.297.
Suppreſſionis menſtruorum definitio.83.§.4.ejus cauſa.84. §.5. Parit tanquam ſymptoma inſeparabile anhelitus difficultatem. 84. §.7. Eius curationem ſuſcepturus primò rationem habere debet ſanguinis, ſecundo uteri, ordine inverſo fruſtra erit curatio.84.§.5.
Suppreſſorum menſtruorum ſigna.84.§.7.
Suppreſſorum menſtruorum cauſas ut bene diſcernat quas cautiones debeat habere medicus.
Suppreſſionis menſtruorum curatio cur ſit feſtinanda. 84. §.8. Cenſetur difficilis immò impoſſibilis poſt ſextum durationis menſem.ibid.
Suppreſſis menſibus quo in loco & quæ vena ſit tundenda, & præcautiones obſervandæ in miſſione ſanguinis. 84.§.8. Præparantia medicamenta ad ſuppreſſionem menſium tollendam.86. Evacuantia per vices & interpolando cum præparantibus offerenda. ibid.
Materia eorum.86.
Suppreſſio menſtruorum in adultis etſi non effœtis. lactantibus aut gravidis,non eſt omnis & ſemper morboſa. 89.§.16.
Suppreſſionis menſtruorum ſymptomata.89.§.16.18.
Suppreſſionem menſium patiens ruſtica,quæ nihilominus partum quotannis bene valentem & εὐσαρκον edebat. 86.§.16.
Suppreſſio menſium ſæpe Phtyſin advocat.89.§.19.
Suppreſſio menſtruorum difficulter curatur quæ ab obſtructione vaſorum,ſed difficiliùs quæ ſit ex proprio vteri affectu 89.§ 21.
Suppreſſio menſium ſex menſibus perſeverans quando dicitur incurabilis,quo ſenſu illud ſit intelligendũ.90. §.22.
Suppreſſionis menſium prognoſis.90.§.23.
Suppreſſionis mẽſiũ curatio.90.§.24.& ſeq.item.106.107.
Suppreſſorum menſium,medicamentorum variæ formulæ 91.§.34. Medicamenta externa.91.§.53.
Suppreſſorum menſium cauſarum differentia. 103. A nimia extremorum refrigeratione.104.§.74.Remedium eſt ſperma ceti cum caſtoreo in vehiculo appropriato.ibid. Sal fixum,ibid.ſalia volatilia ephidroſin procurantia.ib.
Suppreſſioni menſium ſi ſuperveniat graviſſimus vteri dolor ob ſanguinem coagulatum eſt ebibendum decoctum chamemali & parti dolenti applicandum. 104.§.74.
Suppreſſio menſtruorum à venarum uteri obſtructione.104 §.75.Signa huius cauſæ ib.cauſæ materiales obſtruentes.ib. Fit ſæpe à grumo ſanguinis poſt partum.104.§.76.Antecedentes cauſæ,cruditates ab acido maſſam ſanguinis coagulante,præſertim radicata in materia viſcida.104.§.77.
Suppreſſionis menſium ſæpe cauſa eſt ſanguis ob impuritatem uteri uſibus ineptus.104.§.78.
Suppreſſionis menſium primaria & principalis cauſa, eſt acidi ſtomachici fermenti vitium.104.§.79.
Suppreſſionis menſtruorum cauſa externæ.104.§.80.
Supprimuntur menſtrua ſæpenumerò à frigido externo intempeſtivè adhibito,v.gr.lotione pedum in aqua frigida, pavimenti nudis pedibus calcatione tempore menſtruali. ibid.
Suppreſſionem menſtruorum inducere alimenta ſolita. ibi.
in Suppreſſione menſtruorum ob vaſa vteri obſtructa quę fœminæ tempore menſtruali ſolent pati denotantia id tempus quo fluere deberent & conſueverant.104.§.81.
Suppreſſione menſium mulieres affectæ quam ob rem reſpirationis patiantur compreſſionem & proclives ſint in Phtyſin.104.§. 81.
Suppreſſione menſium laborantium Diæta.119.§.99.
Suppurantia in vterum injecta ad ſecundinam hærentẽ.316.
Suppurantia in mammarum inflammatione.356.
Symphitum in fluore albo puerperarum.348.
Symphiti ſanguis ad procidentiam vteri.59.§.33.
Sympromata coniugatis propria quæ ſint.211.
Symptomata circa conceptionem occurrentia.211.
Symptomata varia imbecillitatem vteri conſequentia. 74. 75.§.1.
Syncope quomodo diſtinguatur ab vteri ſuffocatione 85 §.31.
Synovia quid ſit & ejus deſcriptio.409.§.10.
Syrupus Mercati vſualis ad præcavendam hyſtericam ſuffocationem.200.§.78.
Syrupus egregius in ſuffocatione vteri.201.§.84.
Syrupus hæmagogus. 95.§.45.
Syrupus Artemiſiæ ad molam exturbandam. 242. Idem ad Chloroſin.171.§.52.Arantiorum ad ſecundinam excludendam in utero corruptam. 315.

De

De cichoreo *compoſitus cum* rheo, *appropriatus ad purgandas mulieres* gravidas *poſt quartum menſem* vomitu *vexatas*. 252. §. 10.
Capillorum veneris *cum oleo amygdalarum dulcium & vino albo ad* partum *facilitandum*. 310.
Cydoniorum *in* dyſenteria *gravidarum*. 253. §. 12.
Calendulæ *ad febrem puerperarum purpuratam*. 352.
Syrupus granatorum *in dyſenteria gravidarum*. 253. §. 2.
Idem in ſecundinam *in* utero *corrupta*. 315.
Idem ad vomitum *infantium ex corruptione* lactis. 653.
Limonum *in* ſecundinæ *corruptione*. 315.
Magiſtralis *ad* luem *veneream*. 496.
Menthæ *ad* vomitum *infantium ex corruptione* lactis. 635.
De Meconio *ad* Rheumatiſmum. 476.
Mororum *ad* tuſſim. 255.
Nenupharinus *in urinæ gravidarum incontinentia vel ejuſdem ſuppreſſione*. 262.
De papavere *& ejus doſi ad* abortum *ob ingentes dolores formidatum, præcavendum*. 277. §. 16.
Syrupus *ex* vino *aduſto ad* tuſſim *ſanandam ab extero frigore introductam*. 255.
Violaceus *ad* incontinentiam *vel* ſuppreſſionem *urinæ in gravidis*. 262.
Syrupus *de* ſpina cervina *in torminibus ventris infantium*. 656.
Syrupus *ad præſervationem à* Rheumatiſmo. 476.
Syrupus roſarum *ſolutivus quando conducat ad* vomitum. 252.
Syrupus *de* muſco pixidato *ad* tuſſim *infantium*. 644.
Syrupus *de floribus* perſicorum. 644.
Syrupus *è ſtæchade ad* paralyſin. 642.
Syrupus *ex decocto* aniſi *in* tuſſi *infantium ex cauſa frigida*. 645.

T

TAbaci *ſuffitus effectus mirabilis in affectionis* hyſtericæ ſymptomate. 193. §. 52.
Tabaci *ſpiritus ad tangendam* cryſtallinam *veneream*. 521.
Tabellæ diaireos *ſimplicis ad* tuſſim *infantium*. 643.
Tabellæ Alkermes *ad* partus *difficultatem*. 297.
Tabellæ *ad* Abortum *præcavendum*. 287.
Tabellæ Aromatici *roſati ad* ſterilitatem *ab intemperie* uteri frigida *& humida*. 223. §. 31.
Tabellæ triaſantali *ad* rheumatiſmum. 476. §. 38.
Quadruplicato rheo. 477.
Tabes venerea *& ejus curatio*. 531.
Tabes pectoris *infantium aliàs* Rachitis. 671. *Quis* morbus *eo nomine inſignitur*. ibid. *Ubi terrarum* Endemius *ſit*. 671. *Quæ hoc in* morbo *partes ſint affectæ*. ibid. *Signa iſtius* morbi *& ſymptomata peculiaria*. 671. *Vitiata* pectoris *figura* reſpirationem *facit* difficiliorem & breviorem. ibid. *mira ſymptomatum & incredibilis* congeries. 671. Tumor & durities *hypochondrii dextri initium eſt iſtius morbi* ibid. *Proceſſus iſtius morbi*. ibid. *in progreſſu* corpus *ad poſteriora incurvatur*. 671. pectus *in dies anguſtius fit &* reſpiratio *difficilior*. ibid.
Et hæc tragædia funere terminatur. 671.
Tabis pectoris Jecur *eſt cauſa*. 672. *vitium* Jecoris *in* Tabe pectoris *eſt morbus in* magnitudine *aucta, neque peccat alio vitio*. 672. *Iecur in hac affectione aliquando tripla eſt proportione ad naturale*. ibid.
Quomodo Jecur *auctum* morbos *enumeratos producere queat*. 672.
Tabes pectoris *aliquando fit ab ipſo* pectore & pulmonibus *primario affectis*. 672. *Morbi proceſſus in illo caſu*. ibid. *Quomodo* jecur *increſcat ad* ſiccitatem *hecticam* pulmonum. ibid. *tale* jecoris *incrementum obſervatur aliquando in* Phtyſicis. ibid.
Tabis pectoris *principia ut plurimum infantes contrahunt in* utero *matris*. 272. *Cauſa*. ibid. *Aliquando ab* utroque parente *in conceptum* fœtum *diſpoſitio hæc traducitur, aliquando à matre ſola*. ibid.
Quando prius. ibid. *Quando poſterius*. 672.
Aliæ iſtius morbi *cauſæ*. ibid.
Tabis pectoris *prognoſis*. 672. *Periculoſior eſt, ſi à* jecoris *mole vitioſa principium ducat*. ibid.
Curatur ſatis facilè quæ ab ipſa pectoris *hectica diſpoſitione oritur & quare*. ibid. *Curatio*. ibid. *Balneorum quis uſus*. 672.
Unguenta emollientia & chalaſtica. *ibid. Pellis ovilla aut agnina recens detracta* pectori *applicata*. 672.
Tabis pectoris *ab augmento* jecoris *primordia nactæ curatio*. 672.
Cautiones in remediorum uſu. ibid.
Purgatio & ſanguinis miſſio *nullum hic reperiunt locum*. ibid.
Sanguiſugæ *quid conferant*. 672.
Quando & ubi applicandæ. ibid.
Tabi pectoris *conveniens victus ratio*. 672.
Plenior victus maximè nocuus eſt. ibid. *è contra quantum poteſt viribus ſalvis, cibus detrahendus eſt*. 672.
Longiorem curam & ſedulam hic morbus *poſcit*. 672.
Occupat plerunque infantes à menſe ſexto nativitatis ad dimidium tertium annum. 673.
Tabis pectoris *alia Ætiologia à Dolæo producta*. 673.
Curatio eius ſecundum Dolæum. ibid. *Purgatio*. 673.
Unguentum ſpecificum in hunc morbum. 673.
Clyſter ex millepedibus. 674. *Specifica remedia ad hanc affectionem*. ibid. Ens veneris. ibid.
Variæ remediorum formulæ inter quæ primas tenet oſmunda regalis. ibid.
Tabi pectoris *an venæ ſectio competat*. 674.
Admittenda eſt in plethora. *ibid. ſcarificatio* conchæ aurium. 674. *eaque repetita*. ibid.
Varia remedia Chirurgica. *ibid.*
Tabi pectoris *convenit* ambulatio *frequens, ſi vires permittant*. 674. Thoraces *è materia idonea ut ſpinam erectam contineant*. ibid. Suſpenſio *corporis apta & ejus deſcriptio*. ibid.
Fomentationes. *ibid. alia remedia*. 674.
Tacamahaca *ad affectus* uteri. 191. §. 46.
Talci *ingeſti noxa*. 56. *Remedia*. ibid.
Talpæ *aduſtæ cineres in* arthritide. 463.
Tamarindi *ad purgandas gravidas*. 269.
Tanacetum *vulvæ intruſum peſſarii formâ ad continendum* fœtum. 284.
Tarantula *cur ſaltandi inducat deſiderium*. 231.
Tarantulæ *quid ſint*. 892. *Earum vulnera quàm mira & varia ſymptomata producant*. 593. *remedia*. ibid.
Tartarus *omnium obſtructionum auctor*. 29. §. 3.
Tartari *arcanum*. 64. §. 58.
Ad pallores virginum. 172.
Tartari ſal *præterquam obſtructiones aperit infuſionibus purgativis additum earum* vim *auget*. 171. §. 52.
Tartarum *emeticum ad* Chloroſin. 171. §. 52.
Tartari *tinctura ad* pallores virginum. 172.
Tartari *cremor ad roborandum* uterum. 199.
Tartarum *ad* Ephelidas *gravidarum*. 264.
Tartarus *eſt duplex* reſolutus & ſolidus. 417. §. 25.
Tartarus *dictus morbus & ſynovia Paracelſo quid ſit*. 408. §. 8.
Tauri priapus *ad* ſterilitatem *arcendam*. 273.
Taurinus ſanguis *calidus epotus quæ ſymptomata producat*. 600. *Unde procedat ejus qualitas maligna*. 601. *remedia*. ibid.
Taxi *qualitates* venenatæ *& earum curatio*. 593.
Teneſmus *gravidarum vide gravidarum teneſmus*. 265.
Teneſmus *infantium*. 661. *ejus cauſa*. ibid. *Differt à* Dyſenteria *ratione tantùm affectæ partis*. ibid. *remedia*. ibi.
Tentigo *qualis ſit affectus*. 1. *pars affecta eſt* clytoris. 1. §. 5.
An per clytoridem *mulieres ſemen emittant*. 2. §. 3.

Tentiginis ſive apicis clytoridis nimia excreſcentia quæ pariat incommoda. 2.§.4.
Quomodo differat à Nymphis.2.§.6.
A cauda muliebri.3.§.12.
Ejus curatio. 2.§.11.
Terræ catechu balſamus ad procidentiam vteri. 59. §.33.
Terra cimolia aceto diſſoluta, lumbis appoſita fluxum ſanguinis excedentem poſt partum cohibet. 323.
Eadem ad mammarum inflammationem.356.
Terræ Iaponicæ uſus in prolapſu vteri. 59.§.33.
Terræ ſigillatæ omnes ſanguinem & bilem tenuitate & ſubtilitate laborantes curant. 250.
Diſſolutæ in clyſteribus inſerviunt ad fluxus alui pertinaces gravidarum. 254.
Lochia ſuperflua ſiſtunt. 331.
Earum uſus ad venenorum præcautionem.542.
Terræ ſanctæ aqua & ejus præparatio ad Arthritidem. 437.
Terror inter animi pathemata maximè nocet gravidis. 468.
Magnus ut abortum cauſetur.284.§.32.
Teſtes virginis hyſtericæ pugno grandiores ſeroſo ſemine turgentes. 67.§.2.
Teſtes vteri ſunt penduli.ibid.
Teſtis virgineus majuſculæ pilæ magnitudine protuberans, croceo humore & graviſſimè fœtente diffluens. 67.§.2.
Teſtes quando non bene ſemen elaborent. 213.
Teſtium defectu quomodo ſterilitas oriatur. 213.
Teſtes mulierum quid ſint.214.§.16.
Quid differant à viribus.ibid.
Teſtium muliebrium conformatio ſecundùm Graef. 214. §.16.
Teſtes muliebres potius merentur vocari ovaria quàm teſtes.214. §.16.
Teſticuli arietis ad medendum ſterilitati.213.
Teſticuli & hepar porcelli ad fœcunditatem mulieri ſterili conferendam. 213.
Teſticuli & criſtæ gallorum ad veneris appetitum excitandum. 225.
Teſticuli Erinacei ad curandam incontinentiam vrinæ in pueris.667.§.58.
Leporis ad idem.ibid.
Tetanus ab hyſterica paſſione ortus.185.§.29.
Therebintina ad ulcera vteri.13.14.§.34.
Therebintinæ uſus in ſuffocatione hyſterica.200.§.78.
In cancro mammarum. 369.374.
Lota in aqua convenienti ulcera detergit. 70.§.11.
Diluitur utiliter in injectionibus in vterum vlceratum. 71.§.11.
Lota addita pulveri corallorum & boli armenæ diureticum eſt commodum in fluxu muliebri. 149.§.29.
In gonorrhæa virulenta. 520.
In ceratis ad luem veneream.516.
In vnguentis ad eandem.509.
Therebintinæ emplaſtrum & ejus præparatio ad lac redundans minuendum.391.
Theriaca ad ſterilitatem ex intemperie vteri frigida & humida.223.§.31.
Ad moderandum ſanguinis fluxum nimium poſt molæ excretionem.242.
Ad ſpaſmum flatulentum gravidarum in ſpiritu vini diſſoluta. 250.
Ad vomitum pertinacem gravidarum.253.§.10.
Ad dolorem dentium gravidarum.254.§.13.
Theriaca tam uſu externo quàm interno ſæpe Arthritidem curat.428.§.66.
In doloribus poſt partum.320.
Ad faſcinum. 539.
Ad mammarum ſcirrhum.362.
Ad cancrum mammarum.370.
Ad perfectam Luis venereæ curationem.522.
Ad ſuffocationem vterinam. 141.§.46.201.§.84.
Vetus ex aqua pulegii ad paroxiſmum hyſtericum ſolvendum.194.§.63.
Ad venenorum præcautionem.542.
Ad tormina ventris infantium.655.
Theriaca diateſſaron ad ciendos menſes. 97 §.49.
Theriaca forma emplaſtri applicata calide ad mammarum Eryſipelas.359.
Theriaca cœleſtis ad venena.544.
Thermæ actu calentes, Aluminoſæ, Gypſeæ, nitroſæ, plumbariæ, Salinæ, Sulphureæ mulieres ſterilitate laborantes ob humidam vteri intemperiem perſuadant. 226.§.43.
Carolinæ ad Arthritidem.427.459.
Thermarum uſus ad abortus præcautionem. 282.
Ad curationem incontinentiæ urinæ puerperarum. 347.
Aluminoſæ ſulphureæ in vlceribus diuturnis.15.§.37.
Ad vlcera vteri.12.71.§.11.
In uteri prolapſu aluminoſæ. 59.§.37.
Thermarum aluminoſarum abuſus & cautiones obſervandæ in eorum uſu ad vteri prolapſum & menſtruorum profluvio.59.§.37.
Thermæ ſulphureæ tam in potu quàm balneo utiles ad uteri imbecillitatem. 152.§.38.
Thermæ naturales, aluminoſæ, nitroſæ, ſalſæ, ſulphureæ, ad fluorem album mulierum.157.§.54.
Sulphureæ in chloroſi tam ingeſtæ quàm in balneo. 173.§.57.
Sulphureæ & bituminoſæ ad præcautionem ſuffocationis vteri.199.
Thermarum uſus in hyſterica ſuffocatione.198.§.77.
Thimi vteri quid differant à condilomatis ejuſdem. 9. §.5.
Thimi uteri cervicis ſunt hæmorrhoides hyſtericæ ſanguine melancholico turgentes. 11.§.17.
Thimi decoctum ex vino ad molam deturbandam.242.
Ad ſpaſmum flatulentum gravidarum.250.
Thus in vomitu infantium.653.
Ad ventriculum roborandum.ibid.
Tigridis pellis vel ejus fruſtum femori alligatum ad partum faciliorem confert.309.
Tiliæ flores cocti ex lacte ad lac augendum. 386.
Tinctura Martis aſtringens ad procidentiam vteri.59.§.33.
Antiphtyſica ad menſes nimium fluentes. 124. §.18.
Silicis Glauberiana ad pallorem virginum.152.
Bezoardica Vedelii ad ſudores movendos in Chloroſi.172.
Bezoardica camphorata ad lac minuendum.393.
Bezoardica Michaelis ad ſudores movendos. 172.
Bezoardica Ludovici ad idem.ibid.
Ad ſuffocationem hyſtericam & ejus compoſitio. 191. §.46.
Tinctura anodina ad ſuffocationem vteri. 191.§.46.195.
Ejus compoſitio.ibid.
Tinctura Tartari ad affectiones hyſtericas.192.§.46.
Granorum Actes ad vteri ſuffocationem.195.§.63.
Salis Jouis ad idem. 197.§.68.
Cinnamomi ad reſtituendas vires gravidarum collapſas. 260.
Caſtorei & Croci ad partum facilitandum. 313.
Sulphuris vitrioli ad Lochia ſuperflua. 326.
Corallorum ad idem. ibid.
Ad Rheumatiſmum. 476.§.38.
Tinctura Bezoardica Ludovici ad epotam Cicutam.578.
Tinctura tartari ad Lochiorum ſuppreſſionem.328.
Roſarum vel florum papaveris erratici in Rheumatiſmo. 477.
Tormentillæ radix ad amuletum pro ſpaſmo flatuoſo gravidarum. 250.

Ad præcavendum abortum. 283. 284.
Tormina ventris infantium. 653. 654. §. 9.
Ejus affectionis varia nomina. ibid.
ſigna quibus in infantibus loqui neſciis diſtinguuntur. 654. §. 9.
Vnde procedant varii colores hypochorematum quæ ab ipſis ita affectis excernuntur. ibid.
Torminum ventris infantium varia cauſæ externæ. 654. §. 10. interna, ibid. indicia cauſarum. 654. §. 10.
Torminum ventris infantium curatio 654. §. 11.
Medicamenta flatus diſcutientia in hac affectione uſurpanda. ibid.
Spiritus nitri dulcis qua ratione hic conducat. 654. §. 11
Ejus doſis & modus utendi. ibid.
Torminum ventris infantium medicamenta externa. 654. § 11. Anodyna & narcotica. ibid.
Quem in finem narcoticis & anodynis ſpirituoſa & præſertim ſpiritus Salis Armoniaci adjiciantur. 654. §. 11.
Si dolores ſint vehementes Laudanum opiatum addendum eſt. ibid.
Torminum infantium appropriata ad varietatem cauſarum remedia. 654.
Tormina circa umbilicum poſt congreſſum quid portendant. 247.
Topica quæ ad lactis abundantiam in uſum vocanda ſint. 385.
Tophi in Arthritide ex omnibus corporis partibus prodeuntes 410. §. 19.
Tonitrua graviora ut & ſtrepitus bombardarum exploſarum ſæpe mulieres utero gerentes ad abortum cogunt 268.
Torpedo quomodo iis qui eam attigerunt torporem inferat. 231.
Torpedo qualis ſit piſcis. 602. Quæ remedia ex eo antiqui hauſerunt. ibid. Quibus in morbis ſit etiam nunc ex uſu. ibid. Qualе ſit ejus venenum. ibid.
Vivens venenoſa eſt mortua edulis. ibid.
Symptomata ab ea vivente contacta. ibid.
Remedia. 602.
Tragopogon radix comeſta lac auget. 381.
Traumaticarum herbarum decoctum ad ſecundinæ & fœtus mortui excluſionem. 317.
Traumatica eſſentia ad vteri procidentiam. 59.
Traumaticorum in prolapſu uteri uſus. 59. §. 33.
Traumatica ad ulcus vteri. 123. §. 15. In vulnere ejuſdem. ibid.
In fluxu nimio menſtruorum. ibid.
Tribades quæ mulieres vocatæ 2. §. 4.
Tritici eſu obſtructiones & inde morbus virgineus provocatus. 166 § 31.
Triſtitia ſummè nocet gravidis. 268.
Trifolium fibrinum ad facilitandum partum. 309. §. 41.
Tritici grana maſticata impoſita vulneri à morſu canis rabidi, quid ſolatii ferant. 595.
Trochiſci de halicacabo ad ulcera uteri. 18 § 34.
De chalybe ad condilomata uteri. 10. §. 11.
Albi rhaſis ad uteri ulcera. 15. §. 35.
Iidem cum ſaccaro ſaturni ad cancrum uteri. 403.
De carabe ad fluorem muliebrem. 25. §. 21. 326.
De Alkekengi cum opio, in ulcere uteri. 70. §. 11.
De myrrha ad menſes movendos in chloroſi. 173.
Iidem ad ſuffocationem uteri. 195. §. 63.
De ſuccino ad Hæmorrhagiam uterinam ante partum. 272.
De myrrha iterum ad partum provocandum. 310.
De Gallia moſchata ad idem. ibid.
Eorum uſus & doſis. 311.
Trochiſci de myrrha ad excludendum fœtum mortuum 349.
Fumales ad idem. ibid.
Trombosis lactis quid ſit. 395.
Quid differat ab ejus Tyroſi. ibid.
Truttæ dentes cum maxillis in aqua chamemali exhibiti ad dolores uteri. 79. §. 14.
Trutta piſcis copiam ſanguinis laudabilis generat. 384.
Tryphera magna cum opio ad dolores urgentes vteri. 79. §. 14.
Tryphera magna ad ſuffocationem vteri ſine opio ad ſterilitatem in imbecillitate uteri 225. § 38.
S. opio cum ſucco vitis alba exhibita forma peſſarii ad partum facilitandum 310.
Tryphera magna ad mulierum ſterilitati medendum. 225.
Tubæ vteri variorum muliebrium morborum ſunt ſedes. 212.
Tubæ Fallopianæ ſunt mulierum vera vaſa differentia. 218. Earum deſcriptio. ibid. uſus. 218. Quomodo per eas ova à teſtibus in uterum ſibi viam facere poſſint. ibid.
Tuberonum lapis ad menſtruorum ſuppreſſionem. 87. §. 48.
Turbith quales in medicina habeat uſus. 587.
Ejus qualitates noxiæ. ibid. Curatio. ibid.
Tubera comeſta ad venerem incitant. 207. §. 12.
Tumor in orificio pudendi puellis imperforatis neceſſario obveniens ob ibi ſanguinem menſtrualem coacervatum ſæpe illudit medicis ſpecie uteri prolabentis. 85. § 8.
Tumor ventris perſeverans poſt partum. 347.
Cauſæ ejus. ibid Remedia. ibid.
Poſt univerſalia veniendum ad decoctum carminans pro fovendo ventre per XXIV. dies. 347. Ejus decocti formula & compoſitio. ibid.
Tumores pedum in noviter grav d s. 246.
Tuſſi vehemente laxari poſſunt ligamenta uteri unde prolapſus cauſam habere poteſt. 64. §. 61.
Tuſſis in prægnantibus. 254. 255. 256.
Ejus cauſæ. 255. §. 16.
Mulieres quæ fœtum ſublimem ferunt huic affectus magis ſunt obnoxiæ & quare. ibid.
Quid ſint fœtus ſublimis & quid declivis. ibid.
Tuſſis vehemens uſque ad vomitum quæ pericula inducat in gravidis mulieribus. 255.
Tuſſis prægnantium cauſa frequentiſſima. 255.
Compreſſio diaphragmatis à mole fœtus ſublimis concurrit cum cauſis tuſſis & eam auget. ibid.
Tuſſis prægnantium quomodo medicanda. 255.
Præſente plenitudine magnum eſt auxilium in venæ ſectione. ibid.
Tuſſis prægnantium, ſi à frigore externo ortum habuerit, quibus remediis uti debeat. 256.
Sirupus de vino aduſto quale hic auxilium ferat & quomodo eo utendum. ibid.
Modus eum parandi. ibid. Roſſolis Taurinenſe ad eundem uſum. ibid.
Diæta obſervanda à muliere iſto affectu laborante. 256.
Tuſſis fera prægnantium à vapore acri vel ſanguine. 256.
Remedium quo curari debeat. ibid.
Tuſſis infantium. 642 649.
Ejus cauſæ internæ. 643. §. 2.
Externæ. 643. § 3 4.
Symptomata eam concomitantia. 643 §. 4. 5.
Curatio. ibid.
Tuſſis & ſternutatio violentæ non rarò in prægnantibus abortum cauſantur. 227.
Turturis pulvis foreſti ad fluxum nimium ſanguinis. 123. 129 §. 38.
Sal ex Turturis cineribus ad eundem uſum. ibid.
Ejus pulvis contra abortum.

TurquetiCalomelas nihil aliud eſt quam mercurius dulcis ſexies ſublimatus cum reſina ſcammoneæ. 493.
Turundæ quæ in vlcere mammarum ſunt immittendæ eſſe debent molles & cor. 374.
Tuthia ad cancrum vteri.403.
Ad curam carcinomatis in genere. 369.

V

VAgina vteri cur in coitu erigatur.223.§.31.
Valerianæ aqua ad convulſiones vteri.348.
Sylveſtris in epilepſia puerorum.938.
Vapores venenati è cavernis prodeuntes quomodo corpus inficiant. 565.
Vapores è fumo carbonum quæ excitent ſymptomata.565.
Vapores venenatos conſequentes morbi.565.
Præſervandi ab iis methodus. ibid.
Curatio noxæ ab illis illatæ. 565.
Vaſorum per quæ menſtrua expurgari debent occluſio,ipſorum excluſionem retardans vel impediens.165. §. 30.
Varices pedum in noviter gravidis.246.
Vaſa quibus menſtrua expurgantur qua cauſa occludantur. 223. § 31.
Varicum apertio an in gravidis tentanda.264.§.38.
Variolæ Infantium. 649.
Earum difficilis eſt & abſtruſa notitia.ibid.
Vnde fiat inevitabilis earum inſultus.649.
Cauſa putata iſtius affectus.ibid.
Variolarum vera cauſa.649.
Radicem habet in corruptela lactis.ibid.
Vel ſi primordia petantur ab utero nutritione vitioſa in ipſis clauſtri materni incunabulis. ibid.
Modus fiendi & proceſſus iſtius morbi. 649.
Variolæ vlcera corroſionem oſſibus inferentia.649.
Pulmonum veſiculas (parenchyma dictas) occupantia.ibid.
Symptomata & morbi graves ab ipſis accerſiti.649.
Vermiculi in omnibus puſtulis variolis affectorum copioſè ſtagnantes.649.
Variolæ cur quibuſdam in prima iuventute, quibuſdam adultiori ætate contingant.649.
Variolarum cauſa remota.650.
Symptomatum eas comitantium cauſa.ibid.
Diarrhæa in iis correptis quid portendat.ibid.
Epilepſiæ ab iis procedentis prognoſis.ibid.
Hæmorrhagia in variolis unde oriatur. 650.
Quale inde periculum.ibid.
Mictio ſanguinis & dejectiones cruentæ quid minentur.650.
Variolarum Curatio. 650.
Purgatio ſtatim in principio ex mercurio dulci varia remedia ſecundum varia accidentia & morbi tempora. ibid.
Curatio ad ſymptomata ſpectans. ibid.
Vomitus ſi vrgeat quomodo compeſcendus.ibid.
Variolarum Epilepſiæ remedia interna.650.Externa.ibi.
Opiata qua cautione offerenda.ibid.
Variolis ſpecifica remedia. 650. in viribus proſtratis & imminutis. 650.
Ad oculos præſervandos remedia. ibid.
Ad tuſſim & pectoris affectus.ibid.
Variolis enecati plerique intereunt Suffocatione.650.
Vocis & loquelæ deperditio quomodo curetur.ibid.
Variolis eruptionem molientibus Quæ conſiderare medicus debeat. 650.
Quid agendum ſi ſegniùs,quid ſi copioſiùs erumpant. ibid.
Cautiones circa febrim & ejus cauſas. ibid.
Variolis an competat.V.S. 651.
An vena ſecari poſſit , etiam puſtulis prodeuntibus 651.
Dolentibus variolis ad anodynorum uſum cautiones. 651.
Ad ſuppurantium uſum.ibid.
Variolis levis litus ex Hydrargiro 651.
Vaſa quibus lac è mammis eliciatur artificialiter,ne curam morborum mammarum interpellet , & eorum fabrica. 375.
Vbera animalium lactantium comeſta lactis copiam faciunt.282.
Venenati morbi qui ſunt.479.
Venena in ſpecie conſiderata ſunt triplicis, generis, Foſſilia, vegetabilia & animalia.526.
Venena inter omnes morbos vel morborum cauſas ea ſunt quibus medicinæ uſus eſt maximè neceſſarius. 526.
Venenis medentia non ſolum experientia innotuerunt,ſed ratione duce reperta ſunt.ibid.
Venena indicare nec eſt Medici nec viri boni , malitiam eorum retundere ejus eſt officii.526.
Venenum non eſt quodcunque Pharmacum noxam inferre poteſt. 526.§.2.
Veneni vox ſimpliciter ſumpta quicquid facultatem habet corpora commutandi ſignificat ; ſicque tam in bonam quàm in malam partem ſumi poteſt.527.§.1
Venena mitigata evadere poſſunt in medicamenta.527.
Venena quæ ſunt uni ſpeciei ſæpe non ſunt venena alteri.ib.
Pro venenis habemus quæ ſpeciei hominis venenoſa ſunt. 527.
Venena ſpecificè dicuntur quæ ſua natura nulla putredine aut corruptione præeunte inſigniter homini nocere poſſunt.527.
Veneni definitio ſecundum Cardanum.527.
Secundum Avicennam. ibid.
Secundum Galenum.ibid.
Venenorum variæ ſpecies.528.
Venena vniverſalia ſunt Arſenicum & Mercurius ſublimatus & quare ita dicantur. 528.
Venena non tam occultis quàm manifeſtis agunt qualitatibus.528.
Venenorum variæ facultates. 528.530.531.
Venena omnia vel ſunt corroſiva , vel fermentativa vel vaporoſa. 528.
Venena quę dicantur corroſiva.ibid.
Ejus generis ſunt pleraque Mineralia.ibid.
Veneni quę dicuntur fermentativa. 528.
Ejus generis ſunt animalia.ibid.
Venena quę dicuntur vaporoſa. 528.
Ejus generis ſunt à vegetabilibus ſumpta.ibid.
Quibus partibus noceant ſpecificè unumquodque horum venenorum.528.
Venenum peſtis omnes venenoſas qualitates eminenter continet.528.
Venena partes quaſdam ſpectantia.528.
Venenum qua ratione homini ſit lethiferum.529.
Venenum quomodo eadem res poſſit eſſe & medicamentum & alimentum. 530.
Venena cerebrum reſpicientia. 531. Cordi infenſa.532.Iecori. ibid. Ventriculo & inteſtinis.532.
Venena inflammantia.532.
Calorem naturalem extinguentia ibid.
Suffocantia. ibid. Siccitate necantia.ibid.
Erodentia & exulcerantia.532.
Mordacitate irritantia. 532.
Adſtrictione lethalia. ibid.
Venenorum proprie dictorum , id eſt ſubſtantia tota cordis calorem diſſolventium, enumeratio.533.
Venenum quid ſit dicere tota ſubſtantia adverſum 533.
Venena qua efficacia agant ſecundum neotericos.534.
Venena quot modis corpus inficiunt. 535.
Venena an dentur quorum operatio ad certum tempus determinari poſſit.536.537.

determinari poſſit. 536.537.
Venenum *ita componi poteſt ut eo* infectus lentè *conſumatur.* 537.
Veneno *an necata* animalia *ſine periculo in* cibum *venire poſſint.* 538.
Venenum *in nobis an generari poſſit.* 538.190.§.58.
Venenum *per* ſpiritum *illatum.* 539.
Quomodo venena *quædam ſine immediato contactu agere queant.* ibid.
Venenatæ *illitiones quomodo noceant.* ibid.
Venenum *peſtilentiale quomodo poſſit mercibus & aliis ſubiectis per ſpatium temporis inhærere.* ibid.
Venenum Rubeta *per* ſalivam, Baſiliſcus intuitu, *Pſyſas per* ſputum, Torpedo *per medium,* Teris, Dryas *per haſtam qua transfoſſus eſt, quomodo valeant communicare.* ibid.
Remedia ad venena *illa* ſpirituoſa *facultate in* diſtans *& per* medium *agentia.* ibid.
Venenum *è ſpecubus ſubterraneis cum aura evectum, quibus* remediis *evincatur.* 539.
Venenum *à* Faſcino *an naturaliter exiſtat.* 539.
Mulieres *quibus binæ ſunt* pupillæ *in oculis.* ibid.
Ad Faſcinum *remedia.* ibid.
Veneni *aſſumpti ſigna.* 5 9.
Veneni *aſſumpti Prognoſis.* 540.
Venenorum *omnium an* certa *dentur &* ſpecialia *ſigna.* 540.
Veneni *præſentiam indicantia.* 541.
Veneni *aſſumpti* generalia *ſymptomata.* ibid.
Venenorum *præſervatio in quibus conſiſtat.* ibid.
Venena *metuentium in loco ſuſpecto, quales debeant eſſe præcautiones.* ibid. 542.
Venenum *per* Coitum *intruſum.* ibid.
Venenorum *præſervatio per* antidota *intus ſuſcepta.* 542.
Venenis *ut præſerventur, an ſani alexipharmacis præmuniri debeant.* ibid.
Veneno *reſiſtentia quibus nominibus vocentur.* 544.
Venenorum *mineralium in* genere, antidota. 544.
Venenis *reſiſtens compoſitio operoſa.* 544 545.
Venena venenorum *ſunt* alexiteria. 546.
Venenorum *curatio, auctore Cæſalpino.* 546.
Venenorum *curatio ſecundum Mercurialem.* ibid.
Veneno *aſſumpto an* purgatio *conveniat.* 546.
Veneno *infectorum victus ratio.* 547.
Venenorum *curatio* ſymptomata *reſpiciens* 548.
Venenorum *per* ictum *vel* morſum *inflictorum medela.* 548.
Veneni *uniuſcuiuſque ſpecialis curatio.* 550.
Venenata *ex* Auro. 563.
Venenata *ex* Argento. 562. *curatio.* ibid.
Venenorum metallicorum *quorumcunque curatio.* 563.
Venenorum mineralium, vegetabilium & animalium *particularis enumeratio cum* deſcriptione *ipſorum &* noxæ *ab iis illatæ ſimulque* remediis *à pag.* 561. *ad pag.* 601.
Venenum *à quocunque* animali *irritato infligitur.* 585.
Venenorum animalium *in genere curatio.* 594.
Venæ *ſectio quæ* revulſoria, *& quæ* evacuatoria *debeat dici.* 39.§.13.
Venæ *ſectio* revellendi *intentione facta, ſucceſſu caret.* 39.§.19.
Venæ *ſectio ea ſolo conducit quæ fit ſcopo* evacuandi, *& argumenta eam ſententiam fulcientia.* ibid.
Venæ *quæcunque feruntur ad* uterum *eò properant per lumbos & renes.* 122.
Venæ *ſectio an conferat in* hyſterica *ſuffocatione.* 194. §.88.
Qua cautione in illo affectu celebrari debeat. ibid.
Venæ *ſectio eaque ſæpius iterata magni eſt uſus in erotica paſſione.* 208.§.14.
Venæ *ſectio in* melancholia *ab utero.* 210.§.30.
Venarum brachii, poplitis, ſaphenæ pollicaris *ſectio in* mola. 240.§.13.
Vena *inſigniter tumens ſub genu certum fuit cuidam mulieri* conceptionis *ſignum.* 246.
Venæ ſectio *gravidis quibus caſibus competat.* 256.§.20.
Venæ ſectio *in* menſtruatis *gravidis.* 259.
In gravidarum urinæ ſuppreſſione *& in earumdem* vrinæ incontinentia. 262.§.84.
In hæmorrhagia uteri *ante* partum. 271.
Ad abortum *præcavendum.* 282.
Venæ *ſectio in dolore* vteri. 77.§ 8.
Vena tali *nunquam eſt ſecanda in plethorica, niſi* venæ cubiti *ſectio præceſſerit.* 87.
Venæ *ſectio in mulieribus gravidis* acuto morbo *laborantibus, an admitti debeat,* 269.270.
Vena *tutius tunditur in* gravidis *quàm* catharticum *præſcribitur.* 270.
Veneris ens *quale ſit remedium.* 674.
Conducit in tabe pectoris. *ibid.*
Id componendi & præparandi modus. 674.
Venus *nimia diſſolvit vires* marium & fœminarum. 281.§.72.
Venus extincti *quid ſit.* 20 5.§ 2.
Veneris *faſtidium ab* imbecillitate vteri. 75.§.1.
Venerea *ulcera* vteri *ex* gonorrhæa *præcedente cognoſcuntur.* 69.§.11.
Venerea lues. *Vide lues venerea.*
Ventris & hypochondriorum inflatio *in infantibus.* 656.§.12.13.
Sæpe fit ad ſolutionem febris autumnalis. *ibid.*
Signa & ſymptomata. 657.§.12.13. *Cauſæ* 957.§.14.
Curatio & remedia. 657.§.15.
Sanguinis miſſio. 657.§.16.
Ventriculi *maximus debet eſſe reſpectus in* Chloroſi & *quare.* 172.
Ventriculus *maxime afficitur in* morbo virgineo. 172.
Etſi primario & per ſe non laboret. 172.
Verbaſcum *ad* vteri *procidentiam.* 59.§ 36. *Ejus decoctum in clyſteribus pro gravidis* fluore alvi *correptis.* 254.255.§.14.15. *Florum ejus decoctum ex* lacte *propinatum in fluore* alvi *infantium.* 660.
In fotu *ad* teneſmum *puerorum.* 661.
Veratri nigri *vis alexipharmaca contra* viperæ *morſum.* 745.
Veratrum nigrum, album, *vide* Helleborus.
Veratrum nigrum *pulveriſatum in* ſubſtantia *exhibitum ad purgandas* cancro mammarum *affectas.* 368.§.12.
In decocto ad idem. 369.§.23.
Ad melancholiam *virginum & viduarum.* 210.§.31.
Pro pulvere ſternutatorio ad Hyſtericam *paſſionem.* 193.§.51.
Verba *etſi ſuperſtitioſa, quomodo effectum habeant in curationibus morborum.* 310.
Vermes vteri aſcarides *dicti immanem* pruritum *excitantes excluſi aliquoties per pudenda.* 404.
Vermes *infantium ſive* lumbrici. 661.
Vbi generentur frequentius. 661.§.30.
Quæ ſymptomata excitent. ibid.
Sæpe ſuperiora petunt & excernuntur per vomitum, *ibid.*
Inveniuntur quandoque & in renibus. 661.
Eorum origo. 661.§.30.
Lactantes *ſi* carne *vel inſculis ex carne veſcantur, iis fiunt obnoxii.* ibid.
Si lacte ſolo nutriantur, ab iis non tentantur. ibid.
Vermium *ſigna ſunt æquivoca & dubia.* 661.

Vermibus curandis diæta conveniens.661. Remediorum. antihelminticorum pro infantibus ſylva.ibid.
Mercurialia. ibid. Pulvis lumbricorum.ibid.
Externa.661.
Verrix pictorum ad cruſtas lacteas in puerulis.619.
Ad præſervationem oculorum.ibid.
Verrucas uteri.11.§.17.
Vertigo in gravidis.254.255.§.14.15.
Vervecis omentum abdomini applicatum ad abortum præcavendum. 282.
Vervecis pulmo calide applicatus ad eundem uſum.ibid.
Veſicatoria ad epilepſiam infantium.629.
Ad arthritidem.453.§.198.
In iſchiade. 460.461.198. Variorum emplaſtrorum veſicam excitansium formulæ. ibid.
Veſpertiliones ſecundum ſe totas venenoſæ ſunt.601.
Symptomata eadem cauſantur qualia morſus rabidi canis. ibid.
Hydrophobiam. ibid.
Canum in ſpeculis imagines &c. ibid.
Earum curatio eadem requirit medicamenta quæ venenum canis rabidi.601.
Veſpæ, quale venenum geſtent.591.§.26.
Remedia ad earum puncturas. 594.
Ex ipſarum ictibus ruſticus ad internecionem & mortem præſentem redactus. ibid.
Veſica porcina uſta ad curandam incontinentiam vrinæ in infantibus.667.§.81.
Veſica ouilla ad idem. ibid.
Veſicæ infantium calculus.665.
Ejus ſigna.666.§.45.
Morbus eſt peculiaris maſculis. 666.§.41
Quare fœminis raro accidat.ibid.
Quare pueri calculo veſicæ ſæpiùs laborent. ibid.
Lactis materni conſtitutio ut iis hunc morbum acceſſat. 666. Aliæ cauſæ. ibid.
Cauſæ juvantes & ſine quibus non. 666.§.49.
Veſicæ infantium calculo affectæ curatio.666.§.50.
Inunctiones. 667. §.52. Balnea.666.§.52.
Iuſcula.667.§.53.
Vini uſus an concedendus in morbo virgineo.175.
Vini rubri uſus in uteri prolapſu.64.§.65.
Vini generoſi potus utilis mulieribus quæ imbecillitate vteri laborant.75.§.1.
Vinum medicatum ad ciendos menſes.94.§ 45.
Vinum emeticum candenti ferreæ laminæ. iniectum, pro ſuffitu vteri in menſtrua ſuppreſſione.100.§.57.
Vinum Martiale Poterii.173.§.58.
Vinum medicatum in principio menſæ exhibendum ad præcautionem hiſtericæ ſuffocationis.200.
Vinum an ſit concedendum hyſtericis in paroxyſmo. 201. §.89.
Vinum Hippocraticum ut furorem uterinum augeat. 207.§.12.
Vinum non prohibetur mulieribus gravidis leviter febricitantibus & cur ipſis ſit concedendum.253.§.12.
Vinum aromatiſatum in mola. 241.
Vinum aduſtum gravidis fluxu alvi vexatis.253.
Hippocraticum ad idem Hiſpanicum ad eundem uſum.ibid.
Vinum compoſitum ad fovenda crura & pedes œdematoſos gravidarum.263.
Vinum medicinale in febre alba.172.§.53.
Vinum malvaticum ad partum facilitandum.308.
Vinum generoſum eſt cardiacorum efficaciſſimum.315.
Vini potio & præſertim tartaro copioſo ſaturati ſæpe Arthriticos fecit & eius abſtinentia plures curavit 413.
Vinum acidum calefactum ad reſolvendum tumorem mammarum flatulentum.364.
Vinum Helleboratum in lue venerea.495.
Vinum theriacale quid ſit.543. An eo uti debeant bene valentes ad præſervationem à venenis.ibid.
Vinaceorum uſus in arthritide.245.§.128.
Vina medicata ad menſium ſuppreſſionem.110.
Vinum enulatum in morbo virgineo. 172. Medicatum ad idem.ibid. Extinctionis ferri ad idem.173.§.58.
Vinum cõpoſitum ad menſes per aliena loca fluentes.110.
Vina martialia.96.97.§ 47.
Viduæ & concubitu viri privatæ doloribus uteri ex ſemine retento vexari ſunt ſolitæ. 80.§.16.
Vincetoxicum ad venenorum præcautionem.542.
Vigiliæ infantium unde procedant.625.
Quales affectus producant.625.§.39.
Curatio. 625.§.38.
Vincæ pervincæ decoctum ad impediendum nimium mammarum incrementum.261.
Ad lac generandum.382.
Viperina remedia in infantium achoribus & cruſta lactea. 619.§.4.
Veperina axungia & viperinum oleum ad cancrum mammarum. 370.
Viperæ morſus an periculoſus ſit ob virus peculiare, an verò ob cauſas evidentes.584.
Viperæ qualitates inſignes.584.
Viperarum uſus ad ſanguinem depurandum, item ad fluorem album 150.§.35.
In Vipera ut ſint virtutes eximiè ſalutares & in eadem venenum ſuper omnia deleterium.584.
Viperæ dens ex opinione Baldi, etiam poſt ejus mortem eſt venenoſus. 584.
Viperæ venenum ubi conſiſtat.584.
Viperarum mortuarum caro & omnes partes veneno carent. 584.
In Vipera divinæ ſunt virtutes quas vix in alia creatura reperire licet.ibid.
Viperæ virus quæ ſit ratio formalis & unde procedat efficacia nocendi. ibid.
Viperini veneni modus agendi.585.
Viperæ quò loca calidiora & æſtuoſiora inhabitant, eò venenoſiores 585.
Viperæ morſui ſupervenientia ſymptomata.586.§. 10,
Eorum antidotus.586.§.11.
Viperina remedia ex ipſa vipera, contra viperæ venenum illatum. 587.
Viperæ morſum curandi variæ methodi. 588.
Virginitatis nota. 5. virginitatis an ſit aliquod certum & indubitatum ſignum.6.
Virgo iudicata ab obſtetricibus quæ ſeptem ante menſibus pepererat. 4.§.4.
Virgines omnes non ſanguinem effundunt in primo coitu.6.§.27. & cur 6.7.
Virgines corruptæ artificioſè in coitu ſanguinem effundentes & virginitatem ſimulantes. 6.§.27.
Virginitatis nota an hymen dici debeat 5. an hæc nota reperiatur 5. vbi eam reperire liceat 6. ejus forma. ibid.
In omnibus virginibus abſolutè intemeratis reperiri debet 6. magis vel minus apparet pro ætatis maturitate. ibid.
Mulieres gravidæ factæ ſine intromiſſione virilis membri & ita ſine virginitatis jactura. 6.
Virginitatis non eſt indubium ſignum ſtrictura ſive coarctatio oris uteri. 7.
Locus Deuteronomi virginitatis notas exhibens expoſitus. ibid.
Virginitatis ſigna externa. 7. §. 26.
Ea cuncta valde ſunt fallacia.ibid.
Virgines an fluore muliebri non poſſint affici.144.§.12.
Quomodo & quibus cauſis in hunc morbum incurrant. 144.§.11.

Virgineus morbus quid ſit. 159.
Ejus ſynonima. ibid.
A quibus cauſis oriatur. 159.
Quænam mulieres ſoleant eo affici. ibid.
In Chloroſi ſive virgineo morbo dum color floridus permanet ſuccus alimentarius non deficit & à naturali non deſcivit, ſi ſordida & decolor fiat cutis, corruptus eſt ſanguis.
Virginei morbi χλώρωσις Græce vocati Etymon. 159. §. 2.
Chloroſi ſive virgineo morbo affectarum color ſit ex albo vireſcens, ſive frondium deciduarum ſimilis. 159. §. 2.
Chloroſis ſecundum quoſdam eſt icteri ſpecies. 159. §. 2.
Chloroſis eſt affectus puellarum quæ ad pubertatem pervenerunt, & viri potentes factæ ſunt. 159. §. 2.
Virgineus morbus ſive Chloroſis dicitur febris alba, non quod ea affectæ perpetuò febricitent, ſed quod habeant pulſum febricitanti ſimilem, cùm tamen ſit morbus frigidus. 159. §. 2. 163. §. 16.
Virgineus morbus contingit etiam nuptis & viduis. 159. §. 3.
Cauſa mutationis coloris in hoc morbo. 159. §. 4.
Virginei morbi ſive Chloroſeos definitio Riverii. 159. §. 4.
Dolæi. ibid. adæquata. 159. §. 4.
Chloroſis eſt ſymptoma in qualitatibus mutatis. 159. §. 4.
Virginei morbi ſive Chloroſeos vera cauſa eſt ſucci nutritii depravatio & impedita ejus diſtributio. 159. §. 4.
Virginei morbi ſymptomata. 163. §. 7.
Chloroſeos fœdi colores procedunt à caloris nativi oppreſſione. 162. §. 8.
Chloroſis quæ incommoda excitet per oppoſitionem ad commoda quæ ex ſtatu naturali procedunt. 163. §. 9.
Chloroſis ſecundum quoſdam ſolis virginibus & annis duntaxat pubertatis contingit. 163. §. 10.
Chloroſis differt à Cachexia quod nonniſi virginibus accidat, vel ſi nuptas aggrediatur, eas tantum vexet quibus vir inutilis eſt jugatus. 163. §. 10.
Chloroſis ſigna & ſymptomata. 164. § 13. 14. 15.
Qualis ſanguis talis facies, & qualis facies talis totius corporis habitus. 162.
Chloroſeos pallidus faciei color ſanguinem indicat depauperatum, non viceverſa floridus color ſemper eſt index bonæ valetudinis, cùm ſæpe talis fiat à Phlogoſi viſcerum pneumaticorum. 162.
Chloroſin concomitantium ſymptomatum demonſtratio. 162. §. 14. 15. 16. 17. &c.
Chloroſis ad Cachexiam ſe habet ut ſpecies ad genus. 162. §. 14.
Chloroſis ſymptoma eſt dolor capitis cum febricula, qui dolor eſt immedicabilis dum materia eſt cruda, idcircò caputpurgia non in uſum vocanda quibus potius dolor exaſperatur. 162. §. 15.
Virginei morbi dolor capitis occupat occiput, Hypochondriacus ſinciput. ibid.
Chloroſin febris vel non comitatur vel eſt ſui peculiaris generis, quæ nec eſt eſſentialis nec ſymptomatica. 163. §. 13.
In Chloroſi ventriculus multipliciter afficitur. 163. §. 21. Ab hac ventriculi affectione coctio vitiatur, unde per Circulum augetur Chloroſis. 163. § 22.
Virginei morbi coloris mutatio procedit ab effuſione ſucci illius nutritii extraneo colore infucati. 159. §. 4.
Modus quo ſuccus ille ſub cuticulam effundatur. ibi.
Virginei morbi occaſione, demonſtratio anatomica cutis & cuticulæ cum reticulari corpore, & Pyramidalibus papillis per Malpighium. 159. §. 4.
Virginei morbi coloris fœdati altera cauſa eſt ſpirituum animalium defectus & torpor. 169. §. 4.
Virginei morbi fœdum colorem excitat ſanguinis color mutatus, ob cruditatem & circulationem vitiatam. ibid.
In Virgineo morbo coloris natura & conditio valde eſt attendenda & quare. 169. §. 5.
Virginei morbi color vitioſus quas habeat cauſas ex ſententia Craanen. 160. §. 5.
Quid per vocabulum Pallidum in definitione Chloroſeos poſita, ſit intelligendum ſecundum Primiroſium. ibid.
Virginei morbi continens & materialis cauſa eſt humorum cruditas & copia. 166.
Virginei morbi remota & generalis cauſa eſt intemperies frigida. 166. §. 27.
Specialiter ejuſdem cauſa eſt partium imi ventris & præſertim venarum circa uterum obſtructio. ibid.
Modus agendi iſtius cauſæ. ibid.
Symptomata hujus cauſæ ſoboles. ibid.
Virginei morbi cauſa ſecundum Dolæum. 166. §. 27.
Secundum Ethmullerum eſt ſeminis corruptio. 166. §. 28. 29.
Secundum Craanen cauſæ Chloroſeos. ibid.
Virginei morbi cauſa frequenter menſium ſuppreſſio non eſt, ſed ſymptoma eum conſequens. 166. §. 29.
Chloroſim confirmatam menſium ſuppreſſio indicat. ibid.
Virginei morbi cauſa ſecundum Vedelium non eſt niſi ſuppreſſio menſtrua. 166. §. 29.
Modus quo ſuppreſſio menſium hunc parit morbum & proceſſus ejus. ibid.
Virgineum morbum efficiens menſium ſuppreſſio fit à ſanguine craſſiore qui anguſtias vaſorum occupans circulari ineptus eſt. 165. §. 30.
Sanguis ex craſſioribus particulis conflatus, proficiſcitur ex viſcerum pauca diſpoſitione & erroribus in diæta. ibidem.
Virginei morbi quomodo aëris conſtitutio ſit cauſa externa. ibidem.
Virginei morbi cauſa procatarctica frequentiſſima in alimentorum vitium eſt referenda, unde chylus vitioſus & per conſequens ſanguis crudior. 165. §. 30.
Virgineo morbo affectarum appetitus tales ſuggerit cibos, nimirum cretam, gypſum & talia improportionata. 165.
Virgines aliquando talibus alimentis ſponte & volentes ſibi Chloroſin accerſunt ut pallorem contrahant. 165.
Virgineum morbum quomodo acida & acetaria ſæpius vorata inducant. 165.
Virginei morbi ſæpe cauſa quærenda eſt in ipſa uteri diſpoſitione. 165.
Chloroſin eſus tritici crudi inducere valeat. ibid.
Creta & Gypſum quomodo morbi Virginei fiant cauſæ. 166. §. 42.
Cineres & Carbones qua ratione Chloroſin afficiant. ibid.
Nux Moſchata copioſiùs & frequentiùs eſitata quo pacto hunc affectum inducere poſſit. 166. §. 33.
Qua ratione acetum & acida iſtum affectum generent. 166. §. 34.
Obſtructio aliorum viſcerum concurrit ſæpè ad Chloroſin producendam. 166. §. 35.
Iſtius aſſertionis probationes & adverſæ opinionis refutatio. 166. §. 36.
Ob ſanguinis menſtrui refluxum tota maſſa ſanguinea vappeſcit & viſcera imi ventris vim patiuntur. 166. §. 37.

Affectus eſt frigidus Chloroſis & morbos frigidos inducit. 166. §. 38.
Cachecticis virginibus pallor qui conſpicitur in facie, jecori etiam inhæret. 166. §. 39.
Curatio Chloroſeos. 167.
Ad curationem iſtius affectus morborum concomitantium præcipuè reſpectus eſt habendus. 167. §. 40
Indicationes generales & cautiones in curatione morbi virginei. ibid.
Curatio iſtius morbi nullo modo proroganda. 167. §. 41.
Chloroſis per ſe morbus non eſt periculoſus, longioris cura eſt. 167. §. 42.
Si negligatur graves morbos inducit.
Diuturnus eſt morbus ſi reliqua viſcera obſtructionem patiantur, vel uterus ipſe malè ſit conſtitutus. ibid.
Solo vaſorum uteri infarctu, nec diuturno cauſatus non ita difficilè curatur. ibid.
Chloroſeos pernitioſæ Signa.
Prognoſis iſtius affectus. 167. §. 42.
Quandoque oppreſſo corde, ſubita mors ſequuta eſt. 167. §. 43.
Quæ cauſa hunc eventum produxit. ibid.
Chloroſi liberata eſt quædam, orta multa ſcabie in manibus, cum ingenti ardore. 167. §. 43.
In chloroſi hepar afficitur. 167.
In chloroſi præcipuè lien afficitur. 167. §. 44.
Conjugio feliciter curatur ſi à ſolis venis uteri obſtructis ortum habet. 168. §. 45.
Virgineus morbus oritur ex liquore ſeminali ſuppreſſo. 168. §. 45.
Congreſſu vegeto cum viro in promptu eſt eam curare. ibid.
Alia remedia & indicationes curativa. ibid.
Symptomata urgentia opiatis ſunt compeſcenda. ibidem.
Medicamentorum ad chloroſin ſylva & ſeries. 168. §. 45.
Si menſtrua fluere incipiant, magna eſt ſpes ſalutis. 168. §. 46.
Quomodo abſolvitur curatio. 168. §. 47.
Indicatio præſervatoria. 168. §. 47.
Vitalis. ibidem.
Virginei morbi curatio elegans Ætii. 169. §. 47.
Materia medicamentorum in Chloroſi. ibid.
Decocta varia ad morbum virgineum. ibid.
Morbo virgineo correpta ambulatione molli debet exercere corpus. ibid.
Purgans in chloroſi. ibid.
Vomitus in chloroſi. 169. §. 47.
Peſſi. 168. §. 47. Cautiones in hoc remedio.
Sanguis an debeat mitti in febre alba. 169. §. 48.
Sanguis mittendus eſt in febre alba ſed cum variis obſervationibus. 169. §. 48. 170. §. 48.
Sanguis non mittendus eſt in chloroſi niſi præceſſerit purgatio lenis. 169. §. 48.
Sanguinis miſſio in Chloroſi debet fieri ex talo. 170. §. 49.
Eam ſanguinis miſſionem debet præcedere venæ brachii ſectio, dexteri ſi principaliter affectum ſit hepar, ſiniſtri ſi lien. ibid.
Incommoda quæ ſequerentur, ſi primum ſecaretur vena tali. 170. §. 49.
Poſtridie Balnei vena tali ſecanda ad ℥iij. quæ operatio debet iterari bis aut ter tempore quo ſolebant fluere menſes. ibid.
In Chloroſi inveterata an & ubi mittendus ſanguis? ibid.
Venæ ſalvatellæ vel venarum circa lienem ſcarificatio vel inciſiones an conducant. 170. §. 49.
Mulieres cacochymæ male habent à V. S. ratio hujus & quid agendum. 170. §. 50.
Educto ſanguine, ſolennis purgatio inſtituenda. 170. §. 51.
In purgatione qui reſpectus habendi. ibid.
Quæ admiſcenda ratione partium laborantium. ibid.
Pilulæ ad purgandum in Chloroſi. ibid.
In Chloroſi frequenter purgationes utiles. 170. §. 51.
In curatione Chloroſeos maxime methodicus debet eſſe medicus. 170. §. 51.
Ad purgandum fœdos colores Senna non eſt approbatum remedium. ibid.
Nec etiam Caſſia & Catholicum. ibid.
Nec ſirupus roſarum pallidarum. ibid.
Purgantia iuvantia in Chloroſi. ibid.
Enematum uſus frequens utile. ibid.
Diæta præferenda eſt pharmacis in Chloroſi. 170. §. 51.
Menſes moveri non poſſunt ſine purgatione. ibid.
Inter purgantia in chloroſi nobiliſſimum aloë & ex eo parata. ibid.
Vomitoria quoque non mediocriter proſunt. ibid.
Calefacientia intensè & attenuantia metu febris vitanda. 171. §. 52.
Diuretica & quæ ſanguinem fundunt ex Conſilio Ballonii non ſunt uſurpanda. ibid.
Medicamenta externa ad morbum virgineum. 173.
Quem in uſum præſcribantur in chloroſi medicamenta externa. 173.
In curatione Chloroſeos ſudorifica cum purgantibus quarto quoque die ſunt interpolanda. 173. §. 57.
Mulieribus Chloroſi affectis concubitus legitimus conſulitur. 173. §. 57.
Diæta Mulierum febre alba laborantium. 173. §. 59.
Vitandus potus frigidus in febre alba. ibid.
Iuſculorum uſus nimis frequens non ita commodus in Chloroſi. 174. §. 59.
Vitriolum quid ſit. 555.
Ejus ſpecies. ibidem.
Ejus virtus ad lumbricos fugandos. 556.
Contra venenum fungorum ſtrangulantium. ibid.
Contra Febrim in amuleto. 556.
Ejus vis vomitoria in quo conſiſtat. 555.
Vitrioli crudi intus ſumpti noxa. 556.
Remedia. ibidem.
Vitriolum veneris cur fœminis conducat. 39. §. 18.
Vitriolum Martis cur Viris ſit appropriatum. ibid.
Vitriolum martis in Chloroſi. 173.
In ſuffocatione uteri. 196. §. 63.
Ad roborandum uterum. 199.
Vlcera quæ fiunt in corpore uteri omnia pernitioſa. 11. §. 1.
Vlceribus uteri quæ competat victus ratio. 14. §. 2.
Vlcera cervicis uteri. 12.
Varia nomina ſortitur pro differentia partis affectæ in utero. 12. §. y. 31.
Vlcus uteri quâ in parte uteri ſitum ſit, modus explorandi & ſigna indicantia. ibid.
Signa ulceris cervicis uteri. 12.
Vlceris uteri differentia. 12. §. 31.
Symptomata varia ex quibus conſtat de natura & ſitu ulceris. 12. §. 31. 69. §. 11.
Signa abraſionis & ſuperficiarii ulceris. ibid.
Signa profundioris, phagedenici ſive corrodentis. ibid. 69. §. 11.
Vlceris in ſinu uteri ſiti ſigna. 12. §. 31.
Quandoque rectum inteſtinum perforatur. ibid.
Symptomata quæ contingunt inteſtino ab ulcere perforato. ibid. 70. §. 11.
Vlcus cervicis uteri cancroſum. 13.

Vlceris

Vlceris *uteri cervicis cauſa interne.* 13. §. 32.
Externa. ibid.
Vlcus uteri *quo tota* uteri *ſubſtantia computruit ſuperſtite muliere.* 13. §. 32.
Vlceris uteri *ſæpè cauſa eſt fluor muliebris*, ibid.
Vlcus uteri *ab impura Gonorrhæa.* 12. §. 32.
Vlcus uteri *ab infuſo* ſemine virili *malè conſtitute.* ibidem.
A fœtu mortuo *putreſcente.* ibid.
Vlceris uteri *prognoſis.* 13. §. 33.
Vlceris uteri *curatio.* 13. §. 34. 69. §. 11.
Ad eroſionem & ulcus ſimplex remedia. 13. §. 34.
Ad profundum & ſordidum. *ibid.*
Ad depaſcens & exedens. *ibid.*
Decoctum ad Ulcera Veſicæ. *ibid.*
Rhapontici & Centaurii *minoris uſus in hac affectione.* 13.
Therebinthinæ, Laricea *uſus in mundificando* uteri ulcere. 13.
Lac ovillum *epotum.* ibid.
Variæ injectiones. ibid.
Peſſi. 14. *Sylva remediorum.* 14. 15.
Vlceris uteri *differentiæ* 14. §. 38.
A Luë *Venerea quomodo ſit curandum.* ibid.
Vlceris uteri *differentiæ ſecundum differentias cauſarum id producentium.* 15. §. 39.
Vlcera detergentia *ſine morſu eſſe debent.* ibid.
Eorum materia. 15. §. 40.
Vlceribus uteri *ſordidis fortiora conveniunt.* 15. §. 41.
Vlcera uteri *frequentiora ſunt in* collo *quàm in* fundo. 69. §. 11.
Vlcus *uteri ſæpiùs internam ejus occupat* ſuperficiem, *rarò* externam & *tunc* pus *emiſſum per* veſicam *vel inteſtina evacuatur* ibid.
Si pus *in cavitatem abdominis excidat, abſceſſus circa inguina apparent.* 69 §. 11.
Vlcus uteri *omne eſt periculoſum & quare.* 69. §. 11.
Quò pofundiùs eò periculoſius. ibid.
Vlcus uteri *ſæpe* hydropem *incurabilem accerſit.* 69. §. 11.
Vlcera uteri *aliquando ſponte curata.* ibid.
Vlcera uteri *Venerea peculiarem curationem poſcunt* 69. §. 11.
Non curantur niſi lue curata. ibid.
Vlceris *curationem ſæpe ſymptomata urgentia ad ſe avocant.* 70 §. 11.
Vlcera uteri *ſæpe curata medicamentis ſimpliciſſimis & paratu facilibus.* 70. §. 11.
Vlceroſa laſſitudo *quid ſit.* 68. §. 12.
Quam habeat cauſam. ibid.
Quid differat à Rheumatiſmo & vigore. ibid.
Vmbilicus *infantis ſponte deciduus & ignoranti mulieri ad comedendum exhibitus* conceptum *juvat.* 215.
Idem brachialibus *inſultus geſtatus* conceptum *impedit.* ibid.
Vmbilici *infantium* inflammatio. 664.
Solet accidere præcipuè mox à nativitate ob præciſum funem. ibid.
Symptomata inde procedentia. ibid.
Modus ea præcavendi. 664.
Curatio. ibid.
Si exulceratus *ſit, qua via ſit inſiſtendum.* 664.
Vmbilici prominentia. 665.
Cauſa & ſymptomata. ibid. *Curatio.* ibid.
Vmbilici Vermis. 667.
Ejus exploratio per fundulum *piſcem per noctem admotum.* ibid.
Curatio. ibidem.
Unguentum pomi inſani *ad* Uteri Condylomata. 9. 10. §. 12.
Ejus deſcriptio. ibidem.
Apoſtolorum *ad* ulcera uteri. 14. §. 34. 70. §. 11.
Ægyptiacum *ad idem.* ibid.
De Ceruſa *ad* ulcera uteri. *ibid.*
Diapompholigos *ad idem.* ibid.
De plumbo *ad idem.* ibidem.
Ad rhagades. 16. §. 46.
Vnguentum *ex* auro *ad curandam noxam ex frictione* Mercuriali *inductam.* 558.
De bolo ad ulcera mammarum *conſolidanda.* 374.
Ex Bufone ad Cancrum mammarum. 370.
Comitiſſæ ad lumborum *dolores in* gravidis. 257 §. 21.
Deſiccativum poſt ulcera uteri *deterſa applicandum.* 71. §. 11.
Divinum *ad* rhagades uteri. 16. §. 46.
De lithargiro ad idem. ibid.
Mercurialia *ad* ulcera *à quacunque cauſa, ſed præſertim ad* venerea. 71. §. 1.
Ad luem veneream. 489. *Et uſque ad.* 525.
Ad rheumatiſmum. 478. *Ad* Arthritid. 457.
Metallica *ad* mammarum *incrementum prohibendum.* 373.
Mucaginum *ad laxandas vias chyli ad* mammas 583.
Nervinum *ad idem.* ibid.
De ranis *ad* Scyrrhum *cancroſum.* 363. §. 50.
Roſatum *ad* rhagades uteri. 71. §. 11.
Reſumptivum *ad* partum *facilitandum.* 309.
Populeum ad dolorem hæmorrhoidum *in gravidis.* 358. § 25.
Viridi *ſive de* Sclarea *ad* uteri *ſuffocationem.* 198. §. 73.
Veſpertilionis *ad prohibendum* mammarum *nimium incrementum.* 373.
Vnguentum *ad* mammarum *ſcyrrhum.* 362.
Populeum *ad* mammarum *inflammationes.* 356.
Vnguentum *ad expellendum* fœtum *mortuum.* 349.
De Arthanita *ad idem.* ibid.
Ad reſtituenda genitalia poſt partum 348.
Vnctiones *variæ ad* partum *facilitandum.* 309.
Ad præcavendum abortum. 275. 284
Vnguenta ſuaveolentia *in* uteri *ſuffocatione* clitoridi *debent affricari.* 194. §. 161.
Vnguenta *ad* menſium *provocationem.* 100. §. 60.
Ad Schirrum uteri. 43. §. 9.
Vncus *ad extrahendum* fœtum *quando neceſſarius eſt.* 300.
Cui fœtui & *cui* parti *ejus ſit affigendus.* ibid.
Ejus forma & uſus. *ibid.*
Vngula Aſini *in ſuffitu ad* molam *excludendam.* 241.
Ad fœtum *mortuum expellendum.* 345.
Vngula Alces *forma Amuleti appenſa ad ſuffocationem* Hyſtericam. 200. §. 82. 195. §. 63.
Vnicornu foſſile *ad ſudores movendos in chloroſi.* 172.
Vngula mulæ tuberculum *uſtum ad* uteri *prolapſum.* 58. §. 29.
Vomica *in* teſtibus *mulierum.* 158. §. 59.
Inutile eſt de illa pluribus tractare, quia nec cognoſci, nec emendari, nec præcaveri poteſt. ibid.
Vomitoria *in* febre alba. 171. §. 52.
Cautiones in eorum uſu. ibid.
Ad fluorem *muliebrem.* 130.
In ſcyrrho uteri. 43 §. 9.
Vomitoria *non conveniunt in inflammatione* uteri & *quare.* 40. §. 20.
Nec in uteri *prolapſu.* 57 §. 25. 61. §. 46.
Vomitoria *in* ulcere uteri. 79. §. 11.
In menſtruorum *ſuppreſſione præmiſſis digeſtivis.* 92. §. 41.
Antimoniata *omnium optima & fidiſſima ſunt.* 171. §. 52.

Cautiones in antimoniatorum uſu. ibid.
Quando exhiberi debent in uteri ſuffocatione. 195. §. 63. 198. §. 77.
Vomitoriorum formulæ ad prophilaxim ſuffocationis Hyſtericæ. 199.
Vomitus cur frequenter accidat in recenti graviditate. 246.
Vomitus gravidis unde oriatur. 257.
Cur hoc ſymptoma ſæpiùs miteſcat tertio aut quarto geſtationis menſe. ibid.
Si ultra perſeverat, cur ex eo metuendus abortus. 251. Remedia. ibid.
Vomitoria ad luëm Veneream. 494. 495.
Antimoniata in hunc uſum ſunt utilia, mercurialia tamen uſu præſtant. 495.
Vomitus infantium. 651. Ejus cauſa. ibidem.
Curatio. 652.
Prognoſis. ibidem.
Remedia varia pro cauſarum diverſitate. 652. 53.
Vrinæ & ſtercoris acrimonia uteri coaleſcentiam cauſata. 4. §. 4.
Vrina pueri impuberis cum melle roſato injecta per ſyphonem ad detergendum. 70. §. 11.
Vrina vino albo mixta ad pronuntiandum de graviditate quale ſignum prodat. 247.
Vrinæ incontinentia & ſuppreſſio in gravidis unde procedant. 262.
Vrinæ ſuppreſſio in puerperis. 348.
Cauſæ. ibid. Curatio. ibid.
Vrinæ infantium incontinentia. 667. §. 54.
Curatio non molienda in lactantibus. ibid.
Curatio ſuppreſſionis in adultioribus. 667.
Curatio ſi à prava conſuetudine oriatur. 665. §. 55.
Cauſa quæ ſit naturalis ejus affectionis. 667. §. 56.
Curatio. 667. §. 57.
Per diætam. ibid. per medicamenta. ibid.
Remedia externa. 668. 669.
Vrinæ ſuppreſſio in infantibus. 669. ſymptomata. ibid.
Cauſæ. ibidem.
Curatio. ibid. balnea. ibid.
Vrticæ ſuccus ad ulcus uteri. 13. §. 34.
Vrtica recens contuſa in uteri prolapſu. 60. §. 37.
Vſtio ad morſum rabidi canis. 595.
Vteri cervicis anguſtia. 3.
Ejus coaleſcentia à partu. 7. §. 2.
Uteri cervicis anguſtiæ Signa. 3.
Cauſæ. ibid. Curatio. ibid. Differentiæ. 3.
Uteri amplitudo & levitas. 7.
Uteri puſtulæ condylomata, hæmorrhoides. 8.
Uteri clauſura quibus in locis fieri ſoleat. 4. §. 1.
Difficultas in ejus diagnoſi. 4. §. 2.
Cauſæ ejus. 4. §. 3.
Exemplum curationis. 4. §. 4.
Orificium internum occupans incurabilis. 5. §. 10.
Curatio. 7. §. 28.
Uteri diſtorſio. 4. §. 5.
Uteri coaleſcentia eſt rarus affectus. 7. §. 33.
Uterus an ſit animal. 21. §. 2.
Uterus plerorumq; muliebrium affectuum cauſa. 21. §. 2.
Uteri intumeſcentia à ſanguinis collectione & copia. 21. §. 2.
Uteri vaſorum anguſtia. 28.
Signa. ibid. cauſa. ibid.
differentia. ibid. Curatio. 28.
Uteri aſcenſus, vulnera & ulcera. 65.
Uterus non poteſt aſcendere uſque ad ventriculum & quare. 65.
Uterus habet motum naturalem per fibras, animalem non habet. 65.
Uteri motus cauſa ſecundum Hippocratem. 65. §. 1.
Secundum Galenum. ibid
Variorum de motu uteri ſententiæ. ibid.
Uterus non movetur ob ligamentorum repletionem à flatibus. 65.
Uteri motus negari non poteſt. 65.
Argumenta illud evincentia. ibid.
Reſponſio ad objectiones. ibid.
Uteri motus cauſa eſt vapor vel humor. 66. §. 1.
Uterus antipathia quadam auerſatur. 66. §. 1.
Uteri ſecundum veterem opinionem, motus ad ſuperiora, prorſus eſt commentitia & impoſſibilis. 66. §. 1.
Uteri dislocatio quid ſit & quomodo fiat. 66.
Ejus ſymptomata. ibid.
graviditatem ſimulat. ibidem.
Iniicit opinionem molæ vel ſecundinæ relictæ. ibid.
Vel Scyrrhi uterini. 66.
Curatur per Lochiorum fluxum. ibidem.
Ea perſeverante non poteſt fieri ſuffocatio & cur. 66.
Remedia ad dislocationem uteri. ibidem.
Sæpe per ſe ſaneſcit. ibid.
Uterus extra graviditatem naturaliter non excedit ovi gallinacei magnitudinem. 67. §. 3.
Uterus in cadaveribus hyſtericarum nullomodo viſus eſt locum aliquando mutaſſe. 67. §. 3.
Uteri vulnerati Signa. 68. §. 8.
Uteri vulnera rara ſunt, ſed curatu difficilia. 65.
Ejus fundi minùs ſunt dolorifica quam cervicis & curatu faciliora. ibid. unde iſtud procedat. ibid.
Utero vulnerato morientes eadem ſymptomata patiuntur quæ vulnerato corde. 68. §. 8.
Uteri vulnera ſubſtantiam ejus penetrantia celerrimè interitum inducunt. 68. §. 10.
Uterus mulieris Lapideus. 73. §. 13.
Uterus quando dicatur debilis. 74. §. 1.
Uteri catarrhus & rheumatiſmus. 144. §. 3.
Utero immerente adſcribitur cauſa variorum ſymptomatum. 168. §. 45.
Utero attributa ſymptomata pleraque originem habent à liquoris ſeminalis turgeſcentia & menſium ſuppreſſione. 168. §. 45.
Uterus an eò craſſior fiat quò magis à fœtu diſtenditur. 337.
Uteri vaſorum delineatio. 29. §. 1. 59. §. 1.
Uteri cavitate an poſſint contineri flatus. 32. §. 1.
Uteri amplitudo. 7.
Uteri intemperies. 19.
calida temporis progreſſu in affectum Hypochondriacum evadit. 20.
Sterilitatem menſes difficiles & inordinatos excitat. 22. §. 3.
Ejus prognoſis. ibid.
Diæta conveniens. 22. §. 8.
Uteri inflatio. 31. Ejus ſigna. 32.
Cauſa. ibidem.
Prognoſis. 34. Curatio. ibidem.
Uteri lævitas. 7. 8.
Ejus cauſa. 7. pars affecta. ibid.
Symptomata & incommoda. 7.
Diagnoſis. ibidem. 8. Remedia. ibid.
Uteri puſtulæ variæ, mori, ficus, condylomata, hæmorrhoides, verrucæ. 8. 9. 10. 11.
Cauſa harum affectionum. ibid.
Signa & ſymptomata ab iis. ibid.
Curatio varia ſecundum diverſas cauſas. ibidem.
Uteri inflammatio. 36.
Frequentiùs fit in cervice quàm in fundo & quare. 41. §. 23.
Quid inflammationis nomine intelligatur. 36. §. 1.
Definitio hujus morbi. ibid.

Viſceris *iſtius periculoſiſſimæ ſunt* inflammationes *& quare*. 37.
Varia & gravia ſymptomata quibus comitata eſt. 37. §. 3.
Differentia occluſionis *orificii* uteri *à* graviditate *& ab* inflammatione. 37. §. 4.
Conſenſus & complicatio affectuum variarum partium cum uteri *inflammatione*. 37. § 5.6.7.
Febris lipyria *quomodo huic affectui ſit juncta*. 37. §. 8.
Variæ cauſæ appulſionis ſanguinis *qui cauſa eſt* materialis *hujus affectus*. 37. §. 9.12.
Externæ. *ibid*. internæ. *ibid*.
Natura *illius ſanguinis*. 37. §. 11.
Curatio ejus quare ſit difficilis. 38. §. 13.
Ejus prognoſis. ibid.
Quare ſæpe in gangrænam *degeneret*. ibid.
Suppurantis ſigna. 38. §. 14.
Eriſypelatis *ſigna*. 38. §. 16.
Prognoſis. ibid.
Uteri inflammationis *Curatio*. 38.
Variat pro ratione cauſæ. 38. §. 16.
Si à ſanguine *proceſſus eſt ſimilis aliis* inflammationibus. *ibid*.
Si eryſipelatodes *reſolutione terminatur*. ibid.
Proceſſus *ejus curationis*. 39. 40. *remedia*. ibid.
Differentia petita à cauſa. 41. *à ſitu* inflammationis. *ibid*.
A ſymptomatis & morbi progreſſu. *ibid*.
Diæta obſervanda in hac ægritudine. 41.
Uteri ſcirrhus. 42.
Ejus definitio. ibid.
Quare uterus Scyrrho *ſit obnoxius*. 42. §. 1.
Ejus ſigna. ibid. *Si* inflammationi *ſuccedat, dolor & febris ceſſant*. ibid.
Varia ejus ſymptomata. 42. §. 3.
Modus eum diſtinguendi à mola. 42. §. 4.
Ejus cauſa. 42. §. 6.
Differentia. ibid. *Signa* inflammationis *in* ſcyrrhum *degenerantis*. 42. §. 7.
Prognoſis 43. §. 8. *Curatio*. 43. §. 9.
Sylva remediorum. ibid.
Uterus *an prolabi poſſit*. 54. §. 9.
Uteri procidentia *quid ſit*. 50.
Nominis ratio. 50. §. 1.
Uteri *Nominis etymon*. ibid.
Quare matrix *etiam vocetur*. ibid.
Variæ acceptiones procidentiæ uteri. *ibid*.
Uteri *ſitus in muliere*. 50. §. 1.
Procidentia uteri *plerumque in* mulieribus *conjugatis raro in* Virginibus *contingit*. ibid.
Vteri *partium diviſio*. ibid.
An quod excidit in hoc morbo per naturalia ſit revera ipſum uteri *corpus*. 51.
Sententia Kerkringii *iſtud negantis ventilatur & exploditur*. ibid.
Argumenta quibus probatur vterum *vere excidere*. 51.
Uteri procidentiæ *modus fiendi*. 51. §. 2.
Uterus *an inverti poſſit*. 51. §. 2.
Mola uteri *prolapſum aut* mentiens *aut excitans*. 52.
Uteri procidentiæ *cauſæ*. 52 § 6. 53. §. 7. 55. §. 16.
Ejuſdem Signa. 53 §. 8. 54. §. 11.
Symptomata uteri prolapſum *ſequentia*. ibid.
Signa anamneſtica. *ibid*.
Cautiones in determinando an quod excidit ſit uterus *aut aliud quidpiam*. ibid.
Uteri procidentia vera *ut differat ab* uteri procidentia *notha*. 54. § 9.
Uteri nothæ procidentiæ *Signa & cauſæ*. ibid.
Uteri procidentiæ *veræ differentiæ*. 54. §. 9. 10. 11.
Uteri procidentiæ *Prognoſis*. 56.
Curatio. 56. §. 18.
Indicationes curatoriæ & præſervatoriæ. 56. 57. §. 19. 20.
Modus uterum prolapſum *reponendi*. ibid.
Terror *incuſſus quomodo repoſitioni profuerit*. 57. §. 20.
Cucurbitulæ *quid juvent in repoſitione* uteri *prolapſi*. ibid.
Varia ſpecifica ad uteri prolapſum. ibid.
Cautiones in illa operatione. 57. §. 20.
Uteri *repoſitionem ſi impediat* excreſcentia *p. n. vel* uterus *ipſe* ſcyrrhoſus *quid conſilii ſumendum*. 57. §. 21.
Uteri *repoſitioni ſi obſtet ejus* intumeſcentia, *quomodo ſuccurrendum*. ibid.
Uteri *repoſitionem juvans* unctuoſa, *eadem obſunt ne repoſitus in ſede contineatur*. 57. §. 20.
Uteri *repoſitio ſine mora fieri debet & quare*. 57. §. 20.
Uteri extirpatio *quando & quibus in caſibus ſit molienda*. ibid.
Utero *reponendo quid* ante *in quid in ipſo reponendi actu, quid* poſt *fieri debeat*. 58. 59.
In Uteri prolapſus *curatione duo auxilia ſibi occurrunt contraria* reponere *ad quod requiruntur* mollientia *continere cui debentur* aſtringentia. 58. §. 28.
Uteri prolapſus *ab urinæ incontinentia quomodo curetur*. 59. §. 33.
Uteri prolapſus *ſi cauſam habeat* caſus ab alto *curari debet* traumaticis. 59. §. 33.
Uterum *repoſitum continendi methodus*. 59. §. 34.
Utero procidentia *laborante ſuaveolentia naribus*, utero *verò fœtida ſunt offerenda, contra quàm ſuffocationi*. 59. §. 34.
Uteri procidentiæ *curatio duplex* palliativa & eradicativa. *ibid*.
Uteri prolapſu *laborans quæ habeat vitanda*. 59. §. 34.
Uteri prolapſus *differentiæ*. 61.
Uteri prolapſus *& ejus* deſcenſus *quid differant*. 61. §. 47. 48.
Uterus *cur in pleriſque Hydrope* uteri *laborantibus non* prolabatur. 62. §. 50.
Uteri prolapſus *cauſæ procatarctica*. 62. §. 53.
Uteri prolapſu *mulier* gravida *laborans* fœtum *extra corpus geſtans*. 62. §. 54.
Uteri prolapſu *laborans mulier* graviditatis *tempore & non* fœta.
Uteri *ſæpe* procidentiam *cauſatur* fœtus *gravitas*. 62. §. 54.
Uteri procidentia *ab inſidentia lapidi frigido*. 63. §. 55.
Uteri prolapſus *vera continens cauſa*. 63. §. 55.
Uteri prolapſus endemius. 63. §. 55.
Uteri prolapſus *ab humida intemperie curatio*. 63. §. 55.
Quæ vitanda & obſervanda à mulieribus hoc affectu correptis. ibid.
Ordo medicamentorum adminiſtrandorum. 63. §. 56.
Uteri procidentiæ *curatio quo caſu eſt impoſſibilis*. 63. §. 64.
Uteri putreſcentis *curatio, extirpatio eſt*. ibid.
Uteri extirpationis *exempla & obſervationes variæ*. 63. 64. 72. §. 13.
Uteri aduſtio *in tempore hyberno*. 109. §. 99.
Symptomata inde procedentia. ibid.
Cauſæ. ibid. *Signa*. ibid.
Curatio. 110.

Vtero exſecto *mulieri menſtrua per* podicem *fluentia.* 72. §. 13.
Vteri *portiones per* abſceſſum *vel* vulnus *citra* vitæ *diſpendium ablatæ.* 69.§.9.
Vtero *extirpato mulieres concipere nequeunt.* 72. §. 13.
Vteri fiſtulæ. 72. §. 13.
Earum diagnoſis. 73. §. 13.
Vteri imbecillitas. 74.
Ejus ſigna. ibidem.
Cauſa. 74.
Curatio. ibidem.
Vteri dolor. 74. *Cauſæ.* ibidem. *Curatio.* 74.
Afficit tam gravidas *quàm non gravidas.* 74.
Occupat infimum ventrem *& ad* coxas *&* lumbos *protenditur.* 74. *& 76.* §.14.
Eum à finitimis *diſcernendi modus.* 74.
Varia remedia ad dolores vterinos. 78. §.8.
Vterini doloris *qui menſes præcedere ſolet, & ejus qui conſequitur partum pretioſiſſimum remedium.* 78. §. 8.
Vteri ſuffocatio. 175
Definitio. ibidem.
Synonima. ibidem.
Signa imminentis. *ibid. Signa* præſentis. *ibid.*
Signa paroxyſmi declinantis. *ibidem.*
Varia mira Symptomata *mulierum hoc affectu laborantium.* 175.§.26.
Quomodo à finitimis affectibus *diſcernatur.* 175.§.27.
Ab Epilepſia. *ibid.*
Ab Apoplexia. 175. §. 31.
A Syncope. 175. §.32.
A mortuis. 175. §. 33.
Vteri ſuffocationis *cauſæ.* 175. §. 34.
Ejus prognoſis. 175. §.43. *Quare* vetulas *diutius affligat.* ibid. *Quare periculoſior ſit in prægnantibus.* 175. § 45.
Vteri ſuffocationis *curatio quos ſcopos habere debeat.* 175. §. 46.
Vteri ſuffocatio *quare ita vocetur.* 176. §.1.
Pars affecta ſecundum Strauſſium eſt vterus *&* partes *ad eum attinentes.* 176. §.1.
Vterus *vt ſit plurium* ægritudinum *parens.* ibidem.
Qua ratione fiat ſymptoma *illud* ſuffocationis *in illa affectione* vteri. *176.* § 2.
Vterus *ſæpe accuſatur variorum* criminum *quorum non eſt cauſa.* ibid.
Vterus *an ſit cauſa* Symptomatum *hyſterica dictorum.* ibidem.
Vteri ſuffocatio *non parùm differt ab affectione* Hypochondriaca. *177.*
Rationes quibus aſtruitur in vteri ſuffocatione *revera* vterum *affici.* ibid.
Vteri *vitio orta* Cephalalgiæ *quot ſint ſpecierum.* 177. §. 3.
Vnde oriantur. ibidem.
Quomodo fiant. ibidem.
Epilepſia *quibus cauſis & quomodo fiat.* ibid.
Cordis palpitatio *quomodo hinc procedat.* 177.
Quæ ſit cauſa pulſationis *arteriarum dorſi & Hypochondriorum.* ibid.
Vtero *primariò affecto quomodò oriantur affectiones* Ventriculi inappetentia *pica* cardialgia.
Vnde fiat averſatio *ciborum quorundam introducta à diſpoſitione* vteri. *177.*
Vteri *primariò patientis lebes* Epati *introducta.* 177.
Item Lieni. *ibidem.*
Brachii ſtupor *per compaſſionem* ab utero. *Quomodo poſſit fieri talis affectio.* 178. §.4.
Vteri *connexio cum aliis partibus.* 178.
Vterus *vnde* vaſa *&* quæ *habeat.* 178.
Vnde nervos *&* quos. 179.
Vterus *qua intentione à natura ſit conditus.* 179.
Vtero *dolente quomodo fiat communicatio cum inteſtino recto.* 179.
Vnde ſit ut putreſcente humore in vtero *teneſmus quandoque oriatur.* 179.
Vnde fit vt vtero *affecto* ſtillicidium urinæ *provocetur.* ibid.
Vnde ſit ut prægnantes *durioris ſint* alvi. *179.*
Vteri *vitio quomodo oriatur* dyſpnœa. 179.
Quare in affectionibus vteri *ſæpè adſint tumores pedum & crurum œdematoſi.* 179.
Vteri fluor albus *quomodo producatur.* 179.
Quomodo noceat menſtruorum *ſuperfluitas.* 179.
Quomodo noceat eorundem defectus. *ibid.*
Vtero *coctionem ſuam non ritè perficiente qui morbi ſuccreſcant.* 179.
Vteri *pathemata à* ſemine corrupto *prodeuntia, pejoris ſunt naturæ quam ab altera quacunque cauſa* 180.
Mulieres Salaces Venere *abſtinentes affectibus* hyſtericis, *iiſque & frequentius & pejus aliis detineri ſolent & cur.* 180.
Symptomata à corrupto ſemine *in* utero *provenientia.* 180.
Quid ſit motus *in ſuffocatione* vteri, *in ventre percipi ſolitus quaſi aſcendentis.* globi. 180.
Vtero *eſt mirabilis cùm* mammis *conſenſus.* ibidem.
Quare ſi mulieris gravidæ alterâ aut ambæ mammæ *flacceſcant* abortus *ſit expectandus.* 180.
Quare ſi copioſè lac *effundant*, fœtus imbecillitatem *indicent.* ibid.
Vteri ſuffocatio *invadit per periodos, & quare & quomodo fiant illæ periodi.* 181.
Vteri ſuffocatio *plurium partium affectus comites habet.* 181.
Vnde fiat frigus *quo afficiuntur mulieres affectâ* ſuffocatione vteri. 181.
Vteri ſuffocatio *ſine dubio fit à vapore* maligno ſanguinis *vel* ſeminis *in* vtero *putreſcentis quicquid opponant ſententiæ contrariæ patroni.* 181.
Vteri ſuffocatio *etiam corripit* puellas *ante pubertatem.* 181. §.7.
Vetulæ *hoc affectu rarò corripiuntur.* 181. §.9.
Viri ſuffocatione *non tentantur, etiamſi* ſemen *in iis corrumpatur, & quare.* 181. §.10.
Quare mulieres potius quam viri ſuffocantia *pathemata incurrant.* 181. §.10. *Willis ſententia de* vteri ſuffocatione. *ibid.*
Vteri ſuffocativum *ſymptoma an fiat à* vapore, *an verò ab* humore, *methodus dignoſcendi.* 182. §. 11.
Methodus cognoſcendi an varia ſymptomata cordis, ventriculi *& aliarum* partium, *procedant ab* utero, *nec ne.* 182. §. 11.
Vteri ſuffocationem *concomitantium ſymptomatum diligens enumeratio & deſcriptio.* 182. §. 11.
Imminentis ejus præludia. 182. §. 12.
Vteri ſuffocationem *patientes aliquando mira ſymptomata conjuncta habent, ita vt à* demone *videantur agitari.* 182.§.12.
Vteri ſuffocationis *certè imminentis ſignum eſt* vertigo *vel etiam* Scotomia. *ibid.*
Methodus cognoſcendi an mulier defuncta ſit, vel ſuffocatione *duntaxat affecta.* 182. §. 17.

Si Veſicatorium femori applicatum nihil agat, res eſt deſperata. 182. §. 17.
Quæ cauſa ſit immediata motus thoracis & diaphragmatis impediti unde procedit ſuffocatio. 182. §. 18.
Uteri ſuffocatio variat violentiâ ſymptomatum, aliquando minora & ſubinde majora ſunt. 183. §. 19.
Uteri ſuffocatione vehementi, mulieres affectæ ſine reſpiratione, ſola tranſpiratione vivunt, & qua ratione fieri poſſit. 183. §. 20.
Suffocatio in hyſtericis fit à flatuum copia. 183. §. 20.
Uteri ſuffocatione affectis aliquando è capite frigus in membrum aliquod deſcendere animadvertitur, unde momentanea Paralyſis. 183. §. 22.
Uteri ſuffocatione vehementi laborantes quandoque pulſu carent. 183. §. 23.
Uteri ſuffocationis differentiæ tres ſecundum magis & minùs. ibid.
Uteri ſuffocatio diſtinguitur in ſolitariam vel complicatam. ibid. Solitaria ſecundum gravitatem ſymptomatum in tres ſpecies ſubdividitur. ibid.
Riſus Sardonius in hyſtericis unde procedat. 183. §. 24. & 184. An delitia cum riſu ſint aliis ſecuriora. 184. §. 24. Pueri lumbricis laborantes quare inter dormiendum aliquando rideant. ibid.
Cur Vulnerato diaphragmate quidam mortui ſint ridentes. 184. §. 24.
Uteri ſuffocationi ſimilia pathemata viri aliquando patiuntur, unde id procedat. 184. §. 26.
Vterina epilepſia quid ſit. 185. §. 27. 28. & 29.
Ejus cauſa. ibid. Curatio per purgationes antimoniales & mercuriales. ibid. Alia remedia. ibid.
An Spiritus vini moſchatus & ambratus in hoc affectu offerri ſecurè poſſint. 185. §. 27.
Vteri epilepſiæ ſymptomata ut diſtinguantur facilè ab Epilepſia communi. 185. §. 27.
In epilepſia pulſus major eſt & vehementior in paroxyſmo quàm naturaliter; paroxiſmus epilepticus hyſtericus aſphyxiam inducit. ibid.
ab Epilepſia univerſaliter convelluntur membra, in hyſterica quæpiam ſolum. ibid.
Hyſtericæ mulieres geſtorum memoriam habent, Epileptici nequaquam. ibid.
Vteri ſuffocationis ab apoplexia ſigna diſtinguentia. 185. §. 30.
Vteri ſuffocationem diſtinguentia ſigna à Syncope. 185. §. 31.
Aliquando hi duo affectus complicantur. ibid.
Vteri ſuffocatio ut diſtinguatur à Lethargia. 185. §. 32.
Vteri ſuffocationem patientes quomodo diſtinguantur à mortuis. 185. §. 33.
Vterus an locum mutet & aſcendat in hyſtericis. 186. §. 34.
Willis ſententia de natura & cauſis hyſtericæ ſuffocationis & omnium ab ipſa procedentium ſymptomatum. 186. 187. 188.
Vteri ſuffocationi obnoxiæ cur levamen ſentiunt ex coitu & ſeminis effuſione. 188.
Sylvii de le Boë opinio de vterina ſuffocatione. 188. §. 34.
Vteri ſuffocationis paroxyſmum ſæpè movere ſolet purgantis exhibitio etiam levioris. 188. §. 34.
Vteri ſuffocationis cauſa efficiens & proxima eſt acidum vitioſum. ibid.
Mulieres ſi corripiantur colica nephritica dicuntur affectione hyſterica laborare. ibid.
Vteri ſuffocationem quomodo odorata cauſentur. 189.
Vteri ſuffocatio eſt ſpecies gravior mali Hypochondriaci. 189.
Vteri ſuffocationi qua ratione fœtida ad nares admota ſuccurrant. 189.
Vteri ſuffocationem non ſolùm tetri vapores cauſantur, Sed ipſa humorum ſubſtantia ad partes ſuperiores regurgitans. 189. §. 35.
Vteri ſuffocatio ſupponit certam & peculiarem in humoribus corruptionem ſine quâ horrenda ſymptomata obſervata vix comparerent. 189. §. 35.
Vteri ſuffocationem efficiens cauſa venenata frigidæ eſt facultatis. 189. §. 35.
Vteri ſuffocationis cauſæ externæ. 190. §. 40.
Vehementes animi paſſiones. ibid.
Odores fortes. 190. §. 41.
Vteri ſuffocationi quandoque nocent fœtida odoramenta, ſuavia conferunt. Quibus conſtitutionibus iſtud contingat. 190. §. 41.
Sæpe fit ut Virgines ſuaves odores libenter perferant, uxores factæ & gravidæ iis vehementer lædantur. ibidem.
Vteri ſuffocationis Prognoſis, 190. §. 42. Quare ſternutatio in ſuffocatis boni ſit ominis. ibid.
Vteri ſuffocatio à Semine corrupto periculoſior eſt quàm à ſanguine menſtruo. 190. §. 42.
Vteri ſuffocatio vel ceſſat per ætatem ad ceſſationem menſtruorum vel ad finem vitæ producitur. 190. §. 42.
Quibus caſibus periculoſior ſit hic affectus. ibid.
Vteri ſuffocatione prægnantibus mulieribus affectis quæ in curatione præcavenda ſunt. 191 §. 45.
Vterina medicamenta cum Cephalicis valde conveniunt. 191. §. 46.
Vterina dicta medicamenta pleraque etiam partum facilitant. ibid.
Vterina medicamenta aut ſunt nervina aut emmenagoga. ibid. Ex his emergunt Carminativa. ibid.
Vterina ſymptomata pleraque ex flatibus producuntur. 191. §. 46.
Curatio Hyſtericæ ſuffocationis in paroxyſmo. 192. §. 47.
Indicationes curatoriæ. ibid.
Salia volatilia oleoſa efficaciter acidum vitioſum cauſam ſuffocationis uteri corrigunt. 192. §. 47.
Vterinus paroxyſmus, ſi levior ſit, non medicandus, ſed naturæ committendus eſt. 192. §. 47.
Si gravior ſit & periculum importet, medicamenta adaptanda ſunt. ibid.
Fœtida & graveolentia ad ſolutionem paroxyſmi. ibid.
Galbanum caſtoreum naribus admota. ibid.
Spiritus ac oleum fuliginis ad idem. ibid.
Intus ſumi poſſunt etiam talia medicamenta. ibid.
Vteri paroxyſmum ſolventium formulæ remediorum. 192. §. 47.
Enemata ad affectionis hyſtericæ in paroxyſmo curationem. ibid.
Vteri ſuffocatione laborans quomodo in paroxyſmo ſit tractanda. 192. §. 47.
Vitalis indicationis in paroxyſmo potiſſima ratio habenda. ibid.
Spiritus vini huic indicationi ſatisfacit & venenatam auram reſolvit. ibidem.
Vteri ſuffocationi qua ratione medeatur cingulum circa epigaſtrium. 192. §. 47.
Vteri ſuffocationi ut medeantur ligaturæ dolorificæ, vellicationes pilorum, & ſimilia. 193. §. 51.
Vterus cur fœtidis delectetur & ſuavibus lædatur. 193. §. 54.
Vterus ad fœtidorum olfactum non deſcendit. 194. §. 54.
Vterus ad olfactum ſuavium non aſcendit. ibid.
Vtero quare applicata ſuavia ſymptoma hiſtericum minuant. 194. §. 54. & 62.
Non levantur omnes hyſtericæ per odorem fœtidorum è contra quædam multum læduntur ab iis. 194. §. 54.
in Vteri ſuffocativo paroxyſmo revellentia medicamenta. 194. §. 55.

Vteri ſuffocationi an conducat venæ ſectio. 194. §.58.
Cautiones in illa obſervandæ. ibid.
Cucurbitulæ pectini affixæ proſunt, non umbilico ut inepte ſolet fieri. 194.§.58.
Vteri ſuffocationi aptata remedia ſudorem excitare debent. 195.§.53.
in Vteri ſuffocatione quando ſit locus vſui vomitoriorum. 195.§.63. Purgantia extra Paroxyſmum exhibenda, quæ? 196.§.63.
Vteri ſuffocationi quomodo proſint applicationes externæ ad vmbilicum. 197. §.73.
Vteri ſuffocationi fotus & ſemicupia quæ conducant. 197. §.73. Sacculi ad eum uſum accommodati. ibi. Inunctiones ad idem. ibid.
Vteri ſuffocationis curatio extra paroxyſmum. 198.§.77. Indicationes curativæ. ibid. Purgatio. Venæ ſectio. ibi. Vomitorio quando ſit locus. 198.§.77.
Vterinis ſymptomatibus Spaſmodicis convenientia varia remedia ſimplicia & compoſita. 199.§.77.
Vteri deſcenſus & dislocatio ſuffocationem non pariunt, aſcenſus eſt imaginarius. ibid.
Vteri ſuffocationi obnoxiæ ad prophylaxin debent vere vel autumno ſolemnem evacuationem inſtituere. 199. Sanguis, ſi ſint plethoricæ, debet mitti primò in brachio, mox in pede. ibid.
Decocto Sudorifico quando uti debent. ibid.
Vteri ſuffocationi ad præſervationem utilia ſunt vterum refrigerantia & quare. 199.
Purgantia varia ad hyſtericam ſuffocationem. 200. §.78. Medicamenta cauſæ malignitati reſiſtentia. 200. §. 82.
Vteri ſuffocationi obnoxiarum Diæta. 201.§.89.
Potio familiaris ad ſitim tollendam. ibid.
An vini vſus expediat. ibid.
Vteri ſuffocationis differentia. 201.§.92.
Vterus an poſſit comprimere Diaphragma vel arteriam aſperam. 202.§.92.
Quid ſit illud quod videtur Diaphragma comprimere & ſtrangulationem facere. ibid.
Quare plurimæ mulieres ſine venere viventes ſuffocatione vteri non corripiantur. 202. §.93.
An mulieres habeant ſemen prolificum. ibid.
Vteri ſuffocationem pariens ſemen muliebre ubi putreſcat. 202. §.93.
Vteri ſuffocationis à ſemine retento. Signa. ibid.
Vteri ſuffocatio à ſemine corrupto procedens cur teterrima inter omnes affectiones Hyſtericas producat ſymptomata. 203. §.93.
Corruptio optimi eſt peſſima. ibid.
Vteri ſuffocatio an defectu coitus legitimi poſſit ſalvâ conſcientia curari per titillationem partium genitalium, & provocationem ad ſeminis ejaculationem. 203. §. 97.
Vteri ſuffocatio ut fiat à ſanguine menſtruo ſuppreſſo. 203. §.99. Highmori ſententia circa cauſam ſuffocationis vteri examinatur & convellitur. 204.
Vteri ſuffocatio rarò contingit à menſtruo ſuppreſſo. 204.§.100. Si ab eo procedat tamen ſanguis quantitate peccans non eſt culpandus, ſed putreſcere & corrumpi debet, ut illum effectum producat. ibid.
Vteri ſuffocationis à menſium ſuppreſſione procedentis ſigna & ſymptomata. 204. §.101.
Vteri ſuffocationis à menſibus ſuppreſſis curatio. 204. §.102. An vena Sectio conducat. ibid.
Vteri ſuffocatio à Cacochymia & pravis humoribus in vtero ſcatentibus. 204. §. 103. Ejus ſigna. ibid. Cauſæ. ibid. Symptomata non ſunt tam vehementia quàm ex ſemine putrefacto. ibid. Quandoque omnes cauſæ concurrunt. 204. §.103.
Vteri cancer vlceratus ſæpius ſit in cervice, non vlceratus in corpore vteri. 401.
Vteri cancer ſæpe ſequitur ad ſcyrrhum vteri. ibid.
Sæpe etiam ad alios vteri morbos. ibid.
Vteri cancer ſæpe præceditur à fluore albo maligno & inveterata Gonorrhæa. 401.
Vteri cancer fieri conſuevit circa annum ætatis 40. vſque ad 50. cur illud conſtringat. ibid.
Vteri cancri ſigna. 401.
Vteri ſcyrrhum in cancrum degenerare ſigna indicantia. 401.
Vteri cancri prognoſis. 402. In vtero ſi curari poſſit mammas occupare properat. 402.
Sic in mammis curatus in vtero ſuccreſcit. ibid.
Nulla fides adhibenda iis qui cancri vteri curationem ſpondent. 401.
Vteri cancri curatio præſervativa. 401. Signa diſpoſitionis ad eum morbum. ibid. Remedia & ratio victus ad præcavendum hunc affectum. 402.
Vteri cancro affecti remedia. 402. Hæc curatio tantùm poteſt eſſe palliativa. ibid. Victus ratio. ibidem.
Non ulcerati cancri curatio conſiſtit in impediendo ne vlceretur. ibid. Remedia in eum finem. 402.
An ptyaliſmo provocato curari poſſit. ibid.
Topica medicamenta ad curam palliativam pertinentia. 402. 403.
Vteri Cancer ſi multum ſanguinem fundat, quomodo compeſcendum. ibidem.
Vulpis veretrum cum teſticulis collo appenſum ad Hyſtericam ſuffocationem præcavendam. 200.§.82.
Vulneraria in dolore vteri ab attritione & laceratione factâ in extractione ſecundinæ. 319.

Z

Zarſaparilla in Arthritide. 407.
Zedoaria ad ſuffocationem uteri. 191. §.46.
Ad curandos dolores ventris poſt partum. 192.§.46.
Ad expellendam ſecundinam. 317.
Ad Lochiorum ſuppreſſionem. 308.
Zedoaria venenis adverſatur. 541. Ad vermes necandos in infantibus. 662. Ad dolores vteri. 79. §.14.
Zelotypia quantum noceat gravidis mulieribus. 268.
Zibethum muliebribus genitalibus inditum vehementer menſes movet. 100. §.57
Genitali matris Affrictum mira voluptate mulieres in coitu recreat. 189. Abdomini illitum juvat in doloribus poſt partum. 322. In torminibus infantium vmbilico illitum. 655.
Zibetum quando ſuffocationem uteri cauſetur. 190.§.4.
Zinziber viride conditum ad ſterilitatem. 223.
Zona Hippocratis quid ſit. 63. §.57.
Zona ex corio cervi in actu fœmellæ comprimendi occupati occiſi, ſtrictè cingendo Hypochondria paroxyſmum Hyſtericum ſolvit. 655.

FINIS.